
12603

89
p18



FRATRIS DOMINICI

Soto Segobiensis, Theologi, ordinis Prædicatorum, Cæsareæ Maiestati à sacris confessionibus, Salmantini Professoris, De Iustitia & Iure Libri decem.

Nunc primùm ab ipso Authore innumeris in locis emendati atq; multò auctiores redditi. Quibus insuper libro Septimo in Sextum transfuso Octauus de Iuramento & adiuratione, planè nouus additus est.



Cum Priuilegio.

S. Alm.d de Velasco ano 1550

SALMANTICAE,
Excudebat Andreas à Portonarijs. S. C. M. Typographus.

M. D. L. VI.

Esta tassado a tres Marauedis el pliego.

Por mandado de Velasco

El Principe.

POr quanto por parte de vos Fray *Domingo de Soto de la orden de Santo Domingo Cathedratico de Prima en la Vniuersidad de Salamanca* me ha sido fecha relacion, que vos aueys compuesto vn tractado que se intitula, *De Iustitia & Iure*, en lo qual aueys tenido mucho trabajo, suplicandonos vos diesse licencia para que vos, o la persona que vos nõbrardes, y no otra persona alguna pudiessedes imprimir y vender el dicho tractado, o como la nuestra merced fuesse, y por la presente doy licencia y facultad a vos el dicho Fray Domingo de Soto, o ala persona que vos nombrardes, o vuestro poder ouiere para que por tiempo de diez años primeros siguientes que se cuenten desde el dia de la fecha desta mi cedula en adelante vos el dicho Fray Domingo de Soto, o la persona que vos nombrardes, o vuestro poder para ello ouiere, y no otras puedan imprimir y vẽder el dicho tractado en estos Reynos so pena que la persona, o personas que sin tener vuestro poder para ello lo imprimieren, e vendierẽ o hizieren imprimir, o vender, e lo traxeren de fuera parte impresso pierdan la impression que hizieren, e los moldes, e aparejos cõ que lo hizieren, e incurrã mas cada vno dellos en pena de treynta mil marauedis: la qual dicha pena se reparta en esta manera, la tercera parte para la persona q̃ lo acusare y la otra tercera parte para nuestra camara y fisco y la otra tercera parte para el juez q̃ lo sentenciare con tanto que ayais de vender y vendays cada pliego de molde de la dicha impression a tres Marauedis y no mas, y mando a los del consejo de su Magestad Presidẽtes y Oydores de las sus audiẽcias, Alcaldes y Alguaziles de la su casa y corte y Chãcillerias: y a todos los Corregidores, Asistentes Gouernadores Alcaldes Alguaziles y otras qualesquier Iusticias destos Reynos que vos guarden y cumplan y fagan guardar y cumplir esta mi cedula: y cõtra lo en ella contenido no vayã, ni passen en tiempo alguno, ni por alguna manera, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en Madrid a veynte y siete dias del mes de Mayo de Mil y Quinientos y Cincuenta y tres Años.

Yo El Principe.

Por mandado de su Alteza.

Francisco de
Ledesma.

CAROLO MAGNO,

SERENISSIMI PHILIPPI SECVNdi Hiſpaniarum Principis primogenito, ſuus Frater Dominicus Soto, fœlicitatem.



PVS HOC, CAROLE MAGNE, QVOD de Iuſtitia & Iure in publicum iam penè inuitus prodire ſino, non fuit quòd diu anceps hærerem cui nam potiſsimùm nuncuparem: adeò Celſitudo tua initio ſtatim cogitationismeę præſtò fuit. Nam cùm in hoc te Deus rerumque natura tam longa Regum Cæſarumq; ſtirpe in hanc lucis vſuram edidetit, vt tibi hanc cœlo genitam virginem, Iuſtitiam inquam deſponſaret: quem nam conſultiùs quàm Serenitatem tuam ex toto orbe deligerem, cui eius imaginem dedicarem? Nempè vt quam virtutem toto vitæ curriculo perſanctè culturus es, eandem protinùs ab incunabulis de facie noſſes, identidem inſpectares eiusq; te pulchritudine illectares, & oblectares amplexibus: eius ingenio penitiſsimè inſueſceres, & conſultiſsima monita toto pectore haurires. Denique vt tuum iſtum lanæ candorem, dum pro ætatis teneritudine albeſcit, eius coloribus imbueres. Memini me in Tridentina Synodo de Natali tuo cõcionem à ſanctis illis patribus habere iuſſum: nam tunc fœlix ille fauſtusq; dies nobis illuxit: multa de te pollicitum, illamq; ſanctã Eccleſiam, vota Deo pro tua ſalute, incolumitate, ac fœlicitate nũcupantem, in magnã de te ſpem miſiſſe. Ecquid enim de te Inclyte Princeps polliceri cunctarer, pro quo nobis tam numeroſus auorum proauorumq; tuorum ordo tam innumeris rebus clariſsimè ac religioſiſsimè geſtis fideiubebat? At verò nõ meã tantùm fidem, quam priuatus homo pro te obſtrinxi, verùm & tuam publicam quam tot regnis ac gentibus obligatã habes, vt re ipſa liberes, Deum Immortalem deprecamur. Diſcere proinde ab iſta tua ineunte ætate incipe, quãtis ſis nationibus ſeſſurus iudex, ad quem adeò ceu ad iuſtum ipſum viuens, vti ait ille magni nominis Philoſophus, ab omni ferè mundi orbe confluxus eſt futurus: vt cùm in tua iſta inſtituenda Cęſarea indole tam multam mortalium ſalutem periclitari noueris, intelligas quanta ſit à tua modeſtia præſtanda facilitas, vt tum alijs virtutum dotibus, tum præſertim Iuſtitiæ, quam hic tibi pro captu noſtro ſuis graphicè depinximus coloribus, exorneris. Scripſit Xenophon Cyropediam, inſtituit Ariſtoteles Alexandrum, Neronem Seneca, & Traianum Plutarchus, atque alios alij. Ego verò, quanuis ea vtaris ſapientum pædagogia, vt à mea puſillitate nullius egeas obſequij, hanc interim tamen Carolopædiam Claritudini tuæ non ſum offerre veritus: vbi, vti dicere cœperam, decorem Iuſtitiæ, ac perinde fœliciſsimi Principis vultum cõtempleris. Hic enim, dum lux tibi visq; rationis inoleuerit, perſpectum cum primis habebis quãtum à Tyranno, quod nomen maiores tui execratiſsimum ſemper habuerunt, Rex diſtet. Vt ſcilicet ille publica cuncta in priuatam ſuam libidinem vertat: hic verò contrà vni communi bono continenter proſpiciat: eius ſolius gratia leges condat, magiſtratus creet, tributa exigat, pręmia ponat, ſupplicia

plicia decernat,bella gerat,pacem componat:in ſumma,nil vnquàm aut animo ſecum reputet,aut rebus geſtis de ſe præſtet, quàm quod in hunc referatur ſcopum. Quòcircà & hic identidem doceberis,tantam Deum regibus poteſtatem, per quem illi quotquot ſunt regnant,cuiusq; ſapientia iuſta decernunt, non in hoc vtique contuliſſe,vt vel eius iura violent, vel vlli mortalium iniuriam con flent:verùm vt iniurias ipſi propulſent,ac nè inferantur obſiſtant, & illatas reuellant:id nimirũ intelligentes quòd vti ab omni ſunt humana coerctione abſolutiſsimi,ita viuere eos decet,tum rationi,tum præſertim Dei legibus deuinctiſsimos. Deinde & hîc tuæ fiet Serenitati compertum, quàm ſancto fœdere iuſtitia & miſericordia,quæ ſecũ vulgò pugnare exiſtimantur,in optimo principe maritentur: quippe qui ea eſſe debet ſeueritate quæ non in ſæuitiam vergat:ea clementia quæ in ſegnitiem non degeneret:vultu graui,non toruo: verborum lenitate placidus,zelo iuſtitiæ terribilis:qui non tam armorum ſtrepitu quàm morum integritate ſeſe ſuis exhibeat amore ac timore colendum: atque prorſus,quod cecinit ille, ΠΟΙΜΈΝΑ ΛΑΩΝ: hoc eſt, qui non ſe feras inſectari cenſeat,ſed gregem ductare. Ad hæc demùm quod in hoc iuſtitiæ exemplari omnium meditatiſsimè ac conſideratiſsimè ſpeculandum tibi Princeps optime incumbit,eſt, quàm ſanctè debeas religionem ſuſpicere,adorare, & colere:nempè nè ſacra prophanis commiſceas,ſed ſacroſanctam Eccleſiam ob cuius Deus fidem,& Reges,& homines,& mundum ipſum condidit, cunctis poſt habitis ſæcularibus,ſumma æſtimatione ducas, omniq́ue veneratione & reuerentia proſequaris. Nam ſæcularis fœlicitas, niſi ad illam ſempiternam referatur,nequicquàm inſtituitur:tantum abeſt vt vllo queat pacto proſperari. Nulla fulgentiùs gemma Chriſtianum diadêma decorat, quàm Crucis inſigne. Quas non virtutum imagines,vt cunctas ſummatim denotem,ſpeculum hoc iuſtitiæ tibi remittat,ſi eius aſſueſcas obtutu? Sed vereor tum epiſtolæ modum excedere, tum iſtam tuam nondum maturam ætatem præmaturis monitis onerare.

Erit fauente Numine,quo tuorum Regnorũ ſalus plurimùm agitur,quando ſapientes,ſed tamen eos in primis qui ſpectatæ ſint vitæ:frequenter conſulas, attentè audias,ac tanti pendas quanti Principis intereſt habere oculos. Interim hoc tuæ Celſitudini precamur vt paternis tuiq́ue aui Cæſaris votis moribus reſpondeas: ſanè quem intimè noui quàm anxius exoptet vt tanta te Deus Maximus virtutum ſupellectile ditet, quanti noſtra refert vt ſis illarum ditiſsimus.

Fratris Dominici Soto Segobienſis, Theologi, ordinis Prædicatorum, Cæſareæ Maieſtati à ſacris confeſsionibus, Salmantini Profeſſoris, De Iuſtitia & Iure Libri decem.

PROOEMIVM.

Iuſtitiæ Encomium.

ILLVSTRISſima Iuſtitiæ virtus, Fidei noſtræ legitima proles, ſpei robur, charitatis pediſſequa, cæterarumq; virtutum clariſſimum iubar: quam cũ profana, tum cum primis Diuina oracula ſuper æthera tollunt: vt pote quæ homines, ciuile animal, in vnũ congregat, ab iniurijs vindicat, amore conciliat, in pace retinet, virtutibus ornat, ad æternã denique fœlicitatem diuino munere ſubuehit: hæc inquã virtus eſt, quã præſenti Opere elucidare, ac pro noſtra ingenij tenuitate pertractare inſtituimus. At quoniam huius fulgentiſsimi ſyderis munus eſt (vt ipſa nos Iura docent) ius ſuum iuxta legum normas vnicuiq; tribuere, legitimum duxi titulum Operi, de Iuſtitia & Iure inſcribere. Fert nãq; animus auguſtum virtutis huius dignitatem amplificare, & clementa cõſtabilire, eiuſq; leges, membra, ſpecies, & quotquot illi aduerſantur iniquitates, fraudes, & violentias, pro eis quæ mihi diuinitus vires ſuppetunt, quã latiſsimè patent, perluſtrare, ac ſuis cuiusque numeris depingere. Nã etſi haud me lateat, quanta cum dignitate & copia Theologorum Iurisque prudentiũ plurimi argumentum hoc locupletauerint: peperit tamen humana libido per temporũ iniquitatem, parturitq; in dies nouas fraudulentiæ formas, quibus cõtra ius & fas ſuam quiſq; expleat inſatiabilem auaritiam. Quapropter nihil aliud quàm operæpretium arbitrandum eſt ſi iniqua pacta & cõuenta, & cambia, tamq; adeò multa vſuræ ſimoniæq; recentia genera in animum nobis induxerint, noua de re veteri volumina ædere. Præterquàm q̃ quanto plura à præceſſoribus in re quaq; inuẽta ſunt, tanto poſteris, ſi vllo valent ingenio, vberiorem ſyluam ſubminiſtrant excogitãdi noua. Accedit q̃ nemo tam fœliciter ſcholaſticam rem, quæ implexa per ſe eſt, tractauit, quin poſsit vigilantiori diligentia (nõ de mea loquor) firmiùs exactiusq; conſtabiliri ordinatiùs diſponi, atq; emunctius perpoliri. Hac igitur de cauſa, cũ me, qui poſt multos annos in hiſce Scholarum Cathedris inſumptos alijs publicis negotijs diſtractũ Vale huic prouinciæ renuntiaueram, ab illisq; poſt negotijs extricatus ſacris me literis addixeram, iam nunc Scholariũ vota, nihil minus cogitantẽ, ad eandem prouinciã repetiuerint, meq; Patres Conſcripti omnino renitẽtem accerſiuerint, meiq; maiores inuitum coegerint: ac deinde publico ſuffragio hæc mihi prælectio de Iuſtitia obtigerit, poſtulare ex me inſtantiſsimè cœperunt, vt quæ in Scholis dictaſſem, prelo cõmitterem, quò & præſentes ſcribendi labore leuarentur, & abſentes ſudore fruerẽtur noſtro, annui lubentiſsimè: nam iam diu hunc ipſe parturiebam partum: tanta erat eorũ improbitas qui me diuerſis ſcrupulis ac nouorum in dies cõtractuũ conſultationibus frequentabant. Neq; verò eſt quòd Theologis vitio detur, hãc ſibi aſſumere prouinciam quæ Iuriſperitis accõmodatior videri poteſt: quandoquidem Canonica iura ex viſceribus Theologiæ prodiere: Ciuilia verò ex media morum Philoſophia. Theologi ergo eſt iuris Canonici decreta ad normã Euangelicam exigere: philoſophiq; Ciuilia ex principijs philoſophiæ examinare. Vnde Cice. de leg. lib. 1. nõ à prętoris edicto, neq; à. 12. tabulis, ſed penitus ex intima philoſophia hauriendã cenſet iuris diſciplinam. Imò verò litigioſa, inquit, legũ ratio, ignoratio iuris potius eſt quàm ſcientia. Et Iuriſcõſul. ff. de Iuſt. & Iure. l. 1. Veram inquit philoſophiam, nõ ſimulatam affectamus. At quanuis inſtitutum profitendi meũ in ſcholis ſit, Sententiarum Magiſtrum Diuumq; Thomam Commentarijs illuſtrare, conſultius tamen duxi rationem paululum mutare ſcribendi. Non q̃ diuerſam ab hoc inter Diuos diuino authore doctrinã moliar: ſanè quem, tum de cunctis alijs, tum præſertim de hiſce moralibus diſciplinis meritiſsimò tã quã emicantiſsimum ſydus Scholæ vniuer-

Cicero.

Authoriſi ſtitutum.

sim adorant: sed q̃ cùm eius aliorumq̃; documentis imbutus multa fuerim alia commentatus, congruentius existimauerim nouum conflare opus, in quo disposititiùs cuncta cõponerem, quàm si eius textui mea seorsum circum scriberem. ¶Distribuimus autẽ opus in libros decem: quorum duo primi sunt de Iure, hoc est, de legibus, quæ suprema sunt Iustitiæ regula. Tertius de Iure, quatenùs obiectum est Iustitiæ, deq̃; virtutis huius substãtia & sibi annexis, vsque ad Iustitiam distributiuam. Quartus de præambulis ad cõmutatiuam: nempè de dominio ac de restitutione. Quintus, de iniustitia quæ ex iniuriosa actione nascitur: nempè de homicidio & reliquis. Sextus de vsura, contractibus, & cambijs. Septimus de voto. Ac deniq̃; octauus de iuramento & adiuratiõe. Nonus de decimis ac de simonia. Decimus deniq̃; de statu deq̃; residentia Prælatorum. Vt opus de Iustitia quæ decẽ præcipuè Decalogi mandatis comprehenditur, librorum etiam Decade absoluatur. Libros autẽ singulos per suas quæstiones atque articulos Scholastico stylo distinctos curabim⁹: vt quã possimus ratissimè, & præter rerũ amplificationẽ, minimè ab ordine sancti Thomæ discedamus. Cuncta tñ assserta nostro censuram subeant sacrosanctæ matris Ecclesiæ, ac subinde syncerè iudicantium limam. Deus ergò maximus conatibus aspiret nostris ad suam ipsius gloriam.

Partitio operis.

Titulus operis. ¶De Iustitia ergò & Iure sermonem fauente Deo ineuntibus nobis â Iure inchoandũ est. Bifariàm nanque vsurpatur nomen hoc: vno scilicet modo pro eo quod est lex: quẽmodum Isidorus lib. 5. Etymol. inter decreta dist. 1. relatus ait, Ius, generale esse nomẽ: legem autẽ, iuris speciẽ: altero autẽ modo accipitur vt obiectũ est iustitiæ: nempè pro çquitate, quã iustitia in rebus constituit. Et alterutro accipias modo, ad notitiã iustitiæ, eius notio prærequiritur. At quia virtus quæque ad suas regulas exigẽda est, condecet eas primùm omniũ prę foribus affigere, atq; adeò duobus primis libris de legibus ante omnia dicere. In priori, scilicet, de lege æterna, naturali, & humana: & in posteriori de Diuina. Liber autem primus septẽ quæstionibus absoluetur. Et quoniam (vt sæpè in Officijs citatus Cicero author est) à rei substantia, quæ definitione deprehenditur: omnis est auspicanda ordinata institutio: prima quæ mouetur quæstio est de lege in communi.

Nomen Ius bifariã vsurpatur. Isido. lib. 5. cap. 3.

Primus liber de legibus.

QVAESTIO PRIMA.
De lege in communi.

Sanctus Thomas. 1. 2. q. 90.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm aliqua definitionum legis quæ à Doctoribus constituũtur legitima sit.

CVM MVLTAE varięq̃; definitiones tam apud Oratores q̃ apud Theologos ac Iurecõsultos reperiantur, nullam tamen aut vix vllam cõperio, quæ legi, quatenùs in vniuersale genus est, congruat, præter illam quam Diuus Tho. 1. 2. q. 90. art. 4. colligit si paululo componatur limatius. Nam illa Ciceronis libro. 2. de leg. Lex est æternum quoddam, quod vniuersum mundum regit imperandi prohibendiq̃; sapientia: sempiternæ Dei legi peculiaris est: illa verò quam præposuerat libro. 1. Lex est ratio summa insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq̃ contraria: extra leges naturales non extenditur: sed illa. ff. de leg. & sena. consul. l. 1. Lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum. &c. legi tantùm adscribitur humanę. Sicuti & illa Arist. in Rhetoricis ad Alexandrum. c. de gen. de lib. Lex est communis ciuitatis cõsensus qui scriptis præceperit quomodò vnumquodq̃; agendum sit. Quò alludit illa Isidori libro. 5. Lex est constitutio scripta. Igitur si vastam eius amplitudinem, quàm latè patet spectes, Lex est nihil aliud quàm quædam rationis ordinatio & præceptio in cõmune bonum, ab eo qui curam reipublicæ gerit promulgata, In hac enim oratione & genus legis exprimitur, & finis, & causa, & positionis forma. ¶At verò ad eiusdẽ definitionis explicationem de singulis quatuor particularum quibus cõstruitur ex ordine disputare opùs est. Quatuor ergo articulos quæstio hæc deside rat. Horum primus erit de genere definitionis, quo scilicet examinandũ est, vtra in potentia existat lex: nempè vtrùm intellectus sit, an voluntatis actus. Asserere enim visi sumus esse opus intellectus, vbi diximus quòd sit rationis ordinatio ac præceptio. Sunt autem in contrarium argumenta nonnulla.

Variæ definitiones legis.

D. Thomas

Cicero.

Arist.

Isidorus.

Legis definitio.

Prim⁹ quæstionis articulus.

¶Pri-

Argumẽ.1. ¶Prmùm: Cùm in intellectu non sit nisi habitus & actus, non apparet vter nam istorum sit lex. ¶Secundò: Legis est mouere subditos: nam Rex per leges mouet: volũtatis autem est mouere: quoniam animal non mouetur, nisi ab appetibili sub aliqua ratione boni, vt.3. de Anima.text.49. author est Aristo. bonum verò obiectum est voluntatis. ¶Accedit huc tertio loco & authoritas quorundam recentium authorum non infimæ notæ, sic definientium legis substãtiam: Lex est recta voluntas eius, qui vicem populi gerit. &c. Quibus nimirum adstipulari sibi videtur, tum August. libr.4. de Ciuita. dicens, antiquitus arbitria Principum pro legibus fuisse: & Iurisconsultus. ff. de constitu. Prin. l.1. quæ & refertur Insti. de iure natu. & gen. vbi ait, quod Principi placuit legis habet vigorem, ¶Quartò & reclamare Pau. videtur Rom̃.7. vbi inquit: Video aliã legẽ in membris meis repugnantem legi mẽtis meę etenim quæ in membris est lex, non modò in intellectu non extat, verùm & ratione caret. ¶In contrarium tamen pugnat legis virtus, quæ est pręcipere, vt ait L. legis virtus. ff. de legibus, hoc nanq; prudentię munus est, ac subinde intellectus.

Argum.2.

Aristo.

Tertium argumentum

Augustin⁹.

Nomen lex varie à scriptoribus deducitur.

Isidorus.

AD quæstionẽ istam duabus conclusionibus respondetur. Prior est: lex in intellectu tanquã proprium eius opus insidet. Hic autem de nomine statim adnotandum est quòd nomen legis ob rei varias virtutes & qualitates ab alijs aliter atque aliter deducitur. Isidorus enim libr.5. Ethimo. cap. 3. à legendo illud trahit, eò quòd scripto profertur, vt legatur ab omnibus. At verò cùm hoc illi accidentarium sit, congruentius Di. Tho. & Theologorum schola à ligando dici autumant: vt pote quæ vi polleat obligandi. Quanuis Cice. 1. de legib. à legendo sentit deriuari: pro eo quod est, eligere. Ait quippe ꝙ etsi Græci legem à tribuendo appellent: (nã quod nos legem, ipsi nomon appellant à nemein, quod est tribuere: ideo quod vnicuiq; quod suum est tribuat) ego tamen inquit, à legendo, ideſt, deligẽdo eam nomino. Et subdit: Nam vt illiæquitatis, sic nos, hoc est Latini, delectus vim in lege ponimus: & propriũ tamen vtrunque legis est. Hæc ille. Igitur cũ istæ omnes virtutes legi competant, parum refert à qua illarum nomen deducas. Attamen etsi Theologorum Ethymologiam minimè repudiem, perplacet tamen Ciceronis sententia: vt lex idem sit quod legendi, hoc est, eligendi regula. Nam regula dirigendo docet eligere. Vndecunq; autem nomen trahatur, patentissimum est, rem esse intellect⁹. Id quod ex vtraque eius virtute conmostratur. Habet enim & ꝙ sit regula, & quòd sit obligatoria præceptio. Quapropter cum S. Tho. tantum vnum in eius definitione ponat, nos tamen ambo loco generis composuim⁹: videlicet ordinatio & pręceptio. Haud enim simpliciter ordinat, aut dirigit, veluti qui tantùm viam monstrat, sed ordinando præcipit, præcipiẽdoque ordinat. ¶Ex priori ergo membro arguitur. Lex est æquitatis iniquitatisque regula, agendique mensura: sic enim fermè habetur. l.nã. ff. de legib. vbi lex dicitur iustorum regula & iniustorum, regula autem mensuraque nostrarum actionum, est ratio: nam regula actionum est quæ in finem dirigit, quod ꝓlius est oculatæ rationis munus: ad quem finem voluntatem, quæ cæca potentia est, ducit: ergo rationis functio est legem ponere. Adde quòd sicut in naturalibus, id quod est primum est cęterorum mensura, vt vnitas in numeris, & motus primi mobilis respectu motuum inferiorum: sic quia finis (vt Philosophus.2. Phy. docet) principium est humanarum actionum, fit vt rationis actio, ordinantis media in finem, sit mensura atque adeo lex. ¶Ex posteriori autem membro arguitur secundò sic: Legis munus est præcipere & prohibere, vt habetur. l. legis virtus. ff. de legib. & senat. consul. & forma ipsa legis præ se fert. Vnum cole Deum: Ne iures vana per eũ, quin adeò hoc receptissimum est atq; omnibus in confesso, vt hac ratione leges, præcepta atq; mãdata nuncupemus: imperare autem est rationis: ergo lex à ratione elicitur, atque adeò in intellectu consistit. Minorem huius syllogismi, scilicet, præcipere esse intellectus actum per prudentiam, edocet S. Thomas. 1.2. quæstione.17. articu.1. & quæstio.57. articu.6. At parum considerantium est hanc opinionem impugnare tanquãm sancti Thomæ: quippe qui non videant non esse eius inuentum, sed planissimam atque constantissimam sententiam Aristot. 6. Ethicorum, cap.10. distinguit enim tres virtutes intellectus practici: scilicet, eubouliam: quæ est virtus bene consultandi, hoc est, indagandi media ad finem accommoda: nam de fine nulla consultatio est, eò quòd omnes suapte natura fœlicita-

Magis probatur legis Etymologia tradita à Cicerone.

Primus argumentum pro conclusione.

Cõfirmatio.

Secundũ argumentum

S. Thomas.

Aristot.

D. Thomas

Cicero.

tem suam expetunt: & synesin, quam Latini vocant sagacitatem: quæ est virtus rectè iudicãdi. Sunt enim qui ingenio acuti sunt ad disquirendum media, non tamen ita iudicio valent, vt illis inuentis rectè de optimo sentiant. At præter hos requiritur postremus prudentiæ actus, qui est imperium: in quo differt ratio practica ab speculatiua. Illa enim quia non ordinatur ad opus, præcisè habet duos actus, qui sunt discurrere & iudicare: practica verò insuper opus habet imperio, ad quod precedentes duo actus ordinantur. Et ideo Arist. ait inter omnes hunc esse summum ac perfectissimum, à quo potissimum prudentia nominatur virtus. Neq; verò solius est Aristo. sententia, imò philosophorũ omnium quotquot eum, vel præcesserunt, vel subsequuti sunt. Quin verò rerũ ipsa natura & mos humanus hanc nos planè veritatem edocet. Clarum enim est imperare, esse loqui: videlicet, fac, tibi facias: loqui autem intellectus negotium est: quippe cuius conceptus voce & scripto significantur: ergo ad ipsum pertinet præcipere. Etẽ cùm vel Deus angelis, vt alius eorum inter se alijs quicquã præcipit, profectò non voluntatis, sed intellectus loquela id efficit. Pari ergo lege, si in potentijs nostris intimis præceptum est, qđ negari non potest, ad intellectum pertinet, non vtique ad voluntatem. Et confirmatur hæc ratio. Cùm quis mente orat Deum: Fiat voluntas tua: Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie: planum est non voluntate sed intellectu loqui: ergò si aliqua potentia alijs imperat, illa sanè intellectus est per similia verba. ¶ Tertiò ex humano vsu arguitur, legem, non voluntatis, sed intellectus esse proprium opus. Volitio & nolitio, qui tãtùm actus in voluntate sunt, nullum secum afferunt imperium. Enimuerò licet ego certò sciam prælatum meum optatissimè velle, vt ego prædicem, aut quidpiam aliud faciã: parere tamen non teneor, quousque id mihi loquens præcipiat: loquutiones autem signa sunt conceptuum. Atque hinc sumitur ad interna nostra opera analogia. Quanuis enim quis post rationis iudicium eligat bonum opus: nihilo minus experimur post talem electionem esse homines vecordes & segnes ad idem ineundum opus. Multi enim mente elegerunt vitam persanctè instituere, qui tamen segnitia imperantis prudentiæ tardissimè id aggrediuntur. ¶ Præterea arguitur. Tenetur homines conformare se & obedientes esse sempiternæ legi Dei, vt in primo sententiarum distinctione. 45, latè disputatur: non tamen tenemur confirmari eius voluntati beneplaciti: nam etsi ego sciam Deum velle mortem patris mei, licet mihi, quinetiam honestum est, de illa contristari. Et viceversa Præcepit Abrahæ filium immolare, cui legi Patriarcha ille obtemperare astrictus erat: & tamen Deus non habebat voluntatem beneplaciti vt id exequeretur: ergò lex Dei non in eius volũtate, sed in intellectu est præcipientis, aut prohibentis. ¶ Per hæc & commentum contrariæ opinionis retunditur, quo aiunt voluntatem non esse ancillam intellectus, sed reginam: intellectum verò seruum. Longè quippe secùs se res habet. Nam regere, est functio illuminantis ac dirigentis: lumen autem non in voluntate, quæ cæca est potentia, sed in intellectu existit. Si quidem non voluntatis lumen, sed intellectus dicitur. De quo nimirum Dauid: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, vnde Arist. 1. Poli. cap. 3. expressè ait mentẽ imperare appetitui: quo etiam nomine voluntatem complectitur: licèt non imperio dominico, vt anima corpori: sed politico, vt Rex ciuibus imperat. Vnde sapienter. 3. de leg. Plato: Non, inquit, precandum conandumque, vt voluntatem nostram cuncta sequantur, sed vt prudentiam nostram voluntas. Ad hæc: Rex à regẽdo dicitur, qui est actus prudentiæ, cuius ideo virtutis functio est leges sancire, hoc enim est potissimum eius munus, qui ad regni gubernaculum sedet. Quocirca Cicer. lib. 1. de leg. post illam legis diffinitionem suprà citatã, scilicet, Lex est ratio insita in natura, subdit. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, vt rectè facere iubeat, vetet de linquere. Et Arist. 10. Ethi. cap. 9. Lex, inquit, vim habet cogentem: quę quidem est sermo ab aliqua prudentia atque mente profectus. Ecquis ergo vnquam ambigere quiuerit legem esse prudentiæ, ac subinde intellectus opus, quod vniuersi dictamen practicum appellant. Atque hic est legitimus sensus illius, Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & legum cõditores iusta decernũt. Nam in hoc quod ait, regnant, potestas regum designatur: quoniam omnis potestas à Domino Deo est, vt ad Roma. 13. refert Apostolus. In hoc autem quod subdit, & legum. &c. intelligitur eiusdem potestatis vsus. Vnde, Per me, inquit, id est, per prudentiæ virtutem, quæ de meo fonte di-

Præcipere est actus intellectus.

Suadet hoc ipsum facili ratione.

Tertium argumẽtum principale.

Quarta rõ.

Detegit error contrariæ opinionis.

Prima rõ.

Psalm. 90. Aristo.

Plato.

Secunda rõ.

Cicero.

Aristo.

Per me Reges regnãt. Prouerb. 8.

te dimanat, Reges, & leges conduntrectas, & ritè illis vtuntur. ¶ Secunda conclusio : lex est vniuersalis propositio ac dictamen rationis practicæ quæ per modum habitus inest. Conclusio hæc assertio est S. Thomæ. 1. 2. q. 90. Hanc verò sic expositam accipito : In intellectu sunt & simplices apprehensiuæ propositiones atq; aliæ iudicatiuæ: lex autē non est tantùm apprehēsio, verū præceptio quæ iudicium sequitur, nō qualecunq;, sed quod de omnibus fertur. Illud quippe iudiciū appellant practicum. Priùs enim per primam prudentiæ virtutem, scilicet euboulíam, conquiruntur illa quę expediunt, mox per synesin, quæ secunda virtus est, iudicio probantur: tertiò voluntate eliguntur, ac subinde sequitur imperium prudentiæ: quod non est propositio indicatiui modi, sed certè imperatiui: faciendum est, aut vitandū. Hæc em verba si vim nominis habeant, puta dignum est vt fiat, factuve indignū, speculatiuæ propositiones sunt, & nondum vim legis obtinent. Dum verò vim habent participij futuri tunc censentur dictamina practica. Et si sint in Principe promulgenturque populo, tunc leges existunt. Requiritur tamen præterea vt per modum habitus insint: hoc est fixæ sint & perpetuò permanentes. Nam tēporales præceptiones quæ per modū actus transeunt, quia vniuersales non sunt, sed singulari personæ, loco, & tempori accommodatæ, fac, nè facias, non habētur pro legibus, sed legū sunt applicationes; vt articulo proximo videbitur.

Secunda cō clusio.

PER hanc ergo conclusionem ad primū argumentum ante quæstionem respondetur: quippe qua assertum est legem esse propositionem per modum habitus inhærentē: nam etsi lex actu feratur, manet tamē habitu impressa scriptaq; in mente. ¶ Atque hinc proditur quorundam Neotericorū fallacia contendentium contra sanctum Thomam nullo opus esse intellectus præcepto ad operandum: neq; attendentium nō Thomæ sed Aristoteli se apertè contradicere. Arguit enim quidam in suis Morali. cap. 2. de pruden. hoc pacto: si præceptum, propositio intellectus est, tunc aut apprehensiua aut iudicatiua. Apprehensiua quidem non sufficit ad opus: si verò sit iudicatiua, ipsa per se sufficit absq; alio imperio: nam cùm primū quis iudicat bonum esse hoc aut illud facere, statim eligere potest: in qua electione iam est meritum: atque adeò statim potest operari, absq; alia imperandi vi. Quapropter vel ipsa voluntatis electio imperium est, vel nullum est aliud. Et addit, nescio vnde motus hanc esse communem opinionem: cuius tamen authores vllo pretio æstimandos non memini me vidisse. Bino nanq; peccato ostendit se Aristotelem de hac re non consuluisse. Primùm enim negamus imperium propositionem esse aut simpliciter apprehensiuam aut iudicatiuam. Istæ nanq;, propositionis indicatiui modi differentiæ sunt: imperatoria verò non indicatiua est, sed iudicium prærequirens. Atq; inde detegitur altera horum fallacia. Imperium enim (vt Aristo. planè docet,) non est iudicium illud quod electioni antecedit, sed iussio, quæ electionē subsequitur. Concedimus ergo iudicium, quod est synesis actus, sufficere ad electionē, in qua quippiam inesse potest meriti: electio tamen non satis est ad vsum & opus, nisi ipsam subsequatur imperium. ¶ Sed tamen exurgit ex hoc argumentū tertium eiusdem authoris: si electionem consequitur intellectuale imperium, aut sequitur ex necessitate, aut liberè. Non ex necessitate, nam tunc nulla opùs esset virtute prudentię ad imperandū, quod est contra Aristotelem & veritatem. Si autē sequitur liberè, tunc cōsequi videtur, solam electionem voluntatis non sufficere vt moueat intellectum, sed requiri prætereà alium actum: quem tamen neq; Arist. neq; sanctus Thomas. neq; vllus philosophorum vnquā posuit. Imò omnes fatentur quòd electionē subsequatur imperium. Hoc argumentum plus iusto nos cōtorsit. 1. 2. q. 17. ar. 3. Diluere tamen illud iam mihi facile videor, respondens quòd imperium neq; sequitur necessariò ex electione, neq; tamen alium prærequirit in voluntate actum præter eandē electionem. Sed est notandū quòd cùm vt aliqua potentia ab altera moueatur, opùs sit vt vtraq; sit bene dispositа: cōsequens fit vt nisi electio sit satis radicata, atq; intellectus per prudentiam bene paratus, non sequatur ex electione imperium. Igitur vbi electio solida ac valida fuerit, & intellectus per prudentiā satis obsequēs, sequetur protinùs ad electionem imperium, alias vel morosè vel nunq̄. ¶ Ad tertium argumentum concesso regis esse mouere, conceditur quoq; voluntatem esse motricem tam intellectus quàm reliquarum potentiarum, Haud tamen inde colligitur, aut ipsam esse reginam, aut intellectum

Soluūtur argumenta.

Neotricorū fallacia.

Solui t primum motiuum Neotericorum.

Aliud argumentum eiusdem authoris.

Diluitur p̄terita ratio

Solutio tertij argumēti principalis.

seruum. Voluntas etenim non mouet tanquàm dirigens & cognoscens, quod requisitum est vt esset regina. Hoc siquidem nomẽ ipsum, regina, auribus exhibet, sed mouet impellendo admouendoq; potentias ad sua officia. Quam quidem ob causam actiones humanæ, voluntariæ dicuntur, hoc est à voluntate promanantes. Exempli gratia. Præfixa intentione finis, vt puta volo ditari, voluntas applicat intellectum vestigandis medijs. Postquàm autem hęc iudicat, illa porrò eligit, ac subinde per electionem commouet eum rursus ad imperandum, in quo ratio regendi consistit. Quò planè alludit, verbum legis secundæ. ff. de legib. quam legem Martianus non erubuit à Chrysippo Stoico mutuari: vbi ait q̃ lex est omnium diuinarum ac humanarum rerum regina. ¶ Existimo ergò satis illis factũ qui aiunt legem esse voluntatem eius qui vicem populi gerit: nam, vt suprà ostendimus, nulla Principis voluntas obligat nisi edicto præcepta sit. Et hunc in modum intelligendum est verbum legis suprà citatæ de const. princip. Quod Principi placuit legis habet vigorem. Insinuatur enim hoc duntaxat, quòd nulla existit in intellectu lex, nisi in voluntate præcedat electio: attamen neq; voluntas est lex, sed si id quod Principi placet, mẽte prius, deinde voce præcipiat, illud est lex. Est ego sensus hic: Quod principi placuit edicere, legis habet vigorem: quo pacto eadem lex seipsam statim sub his verbis exponit. Quodcũq; igitur Imperator per epistolam vel subscriptionẽ statuit, vel cognoscẽs decreuit, vel de plano interloquutus est, vel edicto præcipit, legem esse constat. Quare neq; erat cur Cicero ex libro. 1. de legib. accerseretur ad probandum legem esse in voluntate, propterea quòd secundùm ipsum dicatur ab eligendo. Haud em̃ censet electionẽ esse legẽ, sedq; lex electionẽ Principis sequitur, & eligere docet subditos inter æqua & iniqua. vnde statim subdit, quòd lex est mens ratioq; prudentis, Iurisq; atq; iniuriæ regula. ¶ Quartum autem argumentũ alterius est negotij. Vocat enim Paulus membrorum legem alio longè significatu. Distinguit inquam leges quatuor: scilicet legem peccati repugnantem legi Dei, & legem membrorum legi mentis aduersantẽ. Et quanuis quibuspiam videri eadem possit lex peccati & membrorum, sicuti & inter se lex Dei & lex mentis, nonnihil tamen visum nobis est in Commẽtarijs differre. Lex enim mentis est effectus legis Dei, eiusq; impressio in mẽte nostra, sicuti vestigium in puluere est effectus pedis. Lex autem membrorũ est naturalis inclinatio sensualitatis in sua obiecta, secundum totum naturæ pondus & impetum, qui effectus est amissionis iustitię originalis, qua eadem sensualitas in rationis obedientia infrenata retinebatur. Lex autem peccati vel est effectus eiusdẽ inclinationis, puta facere contra Dei voluntatem, vel fuit prima parentum pręuaricatio, per quã dissoluta sunt membra, ex qua dissolutione procedunt peccata. Lex ergo membrorum non est vera lex: quia nõ inclinat ad bonum, sed dicitur lex per metaphorã: quia est natura iustitia originali destituta, ac subinde obliqua regula à recta nos via deflectens. Sed arguis. Si est regula, quomodò est extra intellectum? Respondetur legem per se primò tãquàm in regulante & mensurante existere in intellectu: dicitur nihilo minùs esse per participationem in potentijs & mẽbris quę mouet, tanquàm in regulato. Sicuti Sol dicitur esse in aula propter eius effectum: & ars in statua. Pari ego modo lex peccati est in membris.

Soluitur postrema obiectio cũ cõfirmationib⁹.

Cicero.

Explicatur locus Pauli

Vide Autorẽ super. 7.

cap. Epistola ad Rom. in illa verba, Video aliam legem &c.

obiectio.

Solutio.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Lex semper ad bonum cõmune ordinem habeat.

COnsequitur articulus secũdus, quo secunda definitionis particula exponenda venit, quæ legis finẽ designabat. Sunt enim argumenta q̃ legem non sit necessarium in bonum commune ordinari. ¶ Primum, vt ait Isido. lib. 5. Etymo. Si ratione lex constat, lex erit omne quod ratione constiterit: ratione autem constat: nõ solùm quod in bonum commune dirigitur, sed & quod in particulare refertur: nihil ergo derogat rationi legis si non in commune bonum ordinetur. ¶ Secundò. Præcepta (quemadmodùm suprà dictũ est) vim habent legis, vt potè cuius virtus est præcipere & prohibere: præcepta autem dantur etiam de singularibus actionibus in quibus mores nostri constituuntur: ergo satis est leges in particulare bonum ordinari. ¶ In contrarium autem est idem Isidor. cod. 5. lib. vbi ait, quòd lex est nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate ciuium conscripta.

Argum. 1. Isidorus.

Argum. 2.

AD

Cõclusio responsiua. AD quæstionem vna conclusione respõdetur. Lex omnis, quò solida sit & firma, in commune bonũ debet subditos promouere. Conclusio hæc duplici ratione affirmatur, secundùm quod commune bonum aut pro naturali fœlicitate vsurpatur, quam hoc sæculo adipiscimur, quæ est quietus tranquillusq; & pacificus reipublicæ status: aut pro illa supranaturali, quæ in altero sæculo veluti supremus finis noster nos manet, in quem & sæculare omne bonũ suapte natura refertur. Enimuerò si rationem primam communis boni spectes, hoc modo de

Argum. 1. monstratur conclusio. Pars omnis ad suum totũ naturali ordine dirigitur sicuti imperfectũ ad perfectum: quicunq; autem ciuium partes sunt ciuitatis, lex ergo illis præscripta in bonum commune totius ciuitatis debet eos instituere: veluti partes vnius corporis quæ ad seruitium totius ordinem habent,

Aristo. Cõcinit huic rationi Aristot. Ethicor. 9. vbi ait: Iusta legalia, hoc est ciuiles leges, factiua esse conseruatiuaq; fœlicitatis particularumq; eius. Et Plato dialogo primo de legibus, vbi ait: Legumlatorem pacis publicæ gratia debere omnes leges cõdere. Quapropter Lacedæmoniorum morem refellit, qui leges omnes in eum scopum dirigebant, vt bella strenuissimè gererẽt. illis enim prudentiùs Arist. Ethico. 10. Bellum, inquit, gerimus vt in pace degamus. Et Cicero lib. 2. de legi. Constat, inquit, profectò ad salutem ciuium ciuitatumque incolumitatem, vitamque omniũ quietam & beatã, conditas esse leges.

Plato. *Aristo.* *Cicero.*

Secunda rõ ¶ Si verò summam beatitudinẽ, quæ Deus est, altiùs speculemur, secundam possumus eandemq; optimam rationem subnectere. Lex enim (vt nuper dicebamus) regula prima est nostrarũ actionum: regulæ verò munus ac potissimùm primæ est in supremum finem & scopum regulata dirigere: reliquũ ergo fit vt in commune bonum & legislatoris propositum, & lex ipsa debeat intendi.

Tertia ratio Philosophi. ¶ Sumitur & tertia ratio ex alia conditione legis. Ait enim Philo. 5. Ethico. legẽ omnem, vniuersalẽ esse, hoc est, in vniuersum omnibus hominibus positam, ac de omni virtute. Idemq; ab illa citata lege docemur: Lex est commune præceptum. ff. de legib. & l. iura. eo. Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. Inde ergo fit consequẽs vt in supremum finem, qui omnibus communis est, sit dirigenda, & non ad particulares accommodanda. Bene igitur ait eodem lib. cap. 1. Aris. Ipsæ leges de omnibus dictãt, coniectantes; aut communem omnium vtilitatem, aut optimorum, aut Principum. Vbi tres insinuat respublicas. s. democratiã, aristocratiã, & regnum. Quo fit vt legalis iustitia, vniuersas cõplectatur virtutes. ¶ Adde si lubet & rationũ supremã. Fõs & origo legũ omnium æterna lex est diuinę mentis, Deus autem cuncta in seipsum ordinauit ac retulit: leges ergo vniuersæ sic lege illa regulãdæ sunt, vt in eũdem tendant scopum. Id quod & diuinum Platonem Dialog. 1. de legi. minimè latuit: vbi ait, oportere vt legumlator eum ordinem sequatur, vt humana ad diuina vbiq; referantur. ¶ Ex his fit consequẽs, quòd dum legislator leges in suum particulare commodum constituerit, tyrannum se esse intelligat. ¶ Sequitur subinde quòd in vnaquaq; republica, vt puta in toto vno regno leges omnes ad finem totius sint referendæ. Non quòd non singulis ciuitatibus pro earum conditione permittẽdæ sint particulares, sed quòd debent omnes ciuitates veluti mẽbra vnius corporis sibi copulari. At verò regna diuersa, etiam si sub vno sint rege, non debent sic gubernari, vt vnius res, diuitiæ scilicet & politia, in vtilitatem alterius inęqualiter pertrahantur: sed per se quodlibet ob suum ipsius commodum administretur. Verbi gratia: Si non alia ratione transmarina regna acquirerentur, nisi vt omnia eorum bona Hispaniæ obuenirent, eorumq; leges in rem nostrã deflecteremus: videlicet, vti si nostra essent mancipia, non seruaretur æquitatis decor: secùs si cõmercio rum ratione vicarijs sibi operis inseruirent. Hæc de legum fine: nam de eius effectibus, qui sunt facere ciues bonos ac de alijs quibus ipsa fœlicitas nobis agitur, quæstione tertia dicturi sumus.

Aristot. *Plato.* *Primum corollarium.* *Secundum.*

AD primum igitur argumentum respondetur, ꝙ etsi contingat legem quæ ad singulare cuiuspiam bonum ordinatur, ratione consistere: illa tamen consistentia illic connititur quòd illud singulare bonum ad cõmune refertur: veluti in speculatiuis nulla veritas particularis cõclusionis solida est, nisi quæ in prima principia resoluitur. ¶ Et per idem soluitur argumentum secundum: nempe quòd præcepta circa singularia bona inde vim habent legis quòd singularia illa in commune bonum ordinantur. Haud tamen præcepta huiusmodi leges propriè dicenda

Ad primũ. *Ad secũdũ.*

cenda sunt, sed legum applicationes ad particularia. Leges enim (vt dictum est, legibusq; monstratum) vniuersales esse debent. Exempli gratia: Lex est, Vnum cole Deum, quæ neq; tempus neq; locũ præscribit, neq; verò singularẽ alloquit personam. Præceptũ autem esset, si prælatus hodie cuipiam iusta ratione iuberet sacrũ facere, aut vrbem precesfundere cogeret. Item lex est, charos honorare parentes, & vt parentes filios alant. Præceptum autẽ est, cùm iudex te iubet aut parenti, aut filio in tali necessitate alimoniã suppeditare. Itaq; cũ lex in genere de actionibus nostris generaliter iubeat, quæ sunt circa singularia, inde fit vt præcepta sint earum applicationes ad singula. Quocircà etsi lex vna specialiùs alteram explicet, non illicò desinit esse lex, quatenùs semper manet vniuersalis, est enim lex vt dies Dominicos atq; Apostolicos ab opere feriemus, licèt sit explicatio illius generalioris, Sabbatha sanctifices.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm cuiuslibet ratio sit legis effectrix.

De authorib⁹ legum. ARticulus tertius tertiã definitiõis particulã occupabit quæ erat de authorib⁹ legum. Arguitur enim q; vnicuiq; priua tim competat leges suo ordine

Primũ argumentum condere. Primùm ex dicto Apostoli ad Roma n. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ipsi enim sibi sunt lex. hoc autẽ de singulis mortalium asseuerat quatenùs naturæ luce ducti sibi quisq; nouit bonum & malum discernere.

Secundũ argumentum ¶Secundò arguitur. Intentio legislatoris est vt suos ciues ad virtutem inducat: vnusquilibet autem potest alium ad virtutem induce re: ergo vniuscuiuslibet ratio legem ferre po

Tertium argumẽtum. Aristot. test. ¶Et tertio loco accedit eiusdem Arist. sententia. 10. Ethico. circa finem, vbi patrem familias in sua domo comparat Principi in sua republica: vt velut hic ciuitatẽ, ità & ille domũ gubernet: ergo sicut Princeps ciuitati, ita & paterfamilias suis leges ponere valet.

Isidorus. ¶In contrarium est Isidorus eodem libro. 5. Etymo. & refertur dist. 2. vbi ait: Lex est constitutio populi secundùm quam maiores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt. Quibus verbis docere videtur nõ esse cuiusli bet scribere leges.

Solutĩ quæstio proposita vnica cõclusione. QVæstio præsens vnica, velut superior, cõclusione absoluit. Leges condere, non cuiusq; sed reipublicæ est eiusq; vicem gerẽtis seu curam habentis. Conclusio hæc ex ea quæ proximè cõstituta est facilè hoc modo colligitur. Lex est regula dirigẽs in commune bonum: dirigere autem in commune bonum proprium est reipublicę cuius eiusmodi bonum proximus finis est: ergo penes ipsam tantùm ac penes illum qui eius habet curam potestas est ferendarum legum. Minorem per Arist. doctrinam. 1. Ethicor. facilè intelligas. Effectrices enim causæ proportionem habẽt ad finales: vt quo effectrix est altior, sit & eius quoq; finis sublimior. Finis enim proximus militis est singularem locũ defendere, Ducis verò, victoria: Regis autem pax: & ideo ad regem pertinet inferiora cũcta in illum supremum finem ordinare. Eadem ratione quia frenefactiuæ artis finis ad equestrem refertur, fit vt ars etiam equestris frænefactiuæ operationẽ dirigat. Igitur quia commune bonum, peculiaris est reipublicę finis, & leges illuc nos ducunt: propriũ erit reipublicæ illas condere, quibus nos eodẽ perducat. Vnde Plato in Dialogo de regno: Regis, ait, munus esse leges condere. Idemq; Arist. Ethico. 10. constituit. & l. si Imperialis. C. de legib. & consti. soli Imperatori concessum legitur leges, tum condere, tum adeò interpretari. ¶Subnectitur autem & secunda ratio: lex enim vim habet coërciuã: vt author est Arist. Ethico. 10. & Papinianus in. l. 1. de legib. vbi legẽ appellat coërctionẽ. Vis autem hæc & vigor in sola republica & Principe existit, sicuti totius animalis virtus est, membra mouere. ¶Est autẽ cõsideratione discernendum inter eos qui leges sciscere possunt, & illos quorum consilio sciscũtur. Iuris enim consulti leges ex visceribus naturalis philosophię ratione & iudicio eliciunt: firmitatem tamen & coërcendi vigorem nemo illis, nisi qui iurisdictione pollet, valet apponere. Vnde vt prudentium consulta pondus per se non habent legum, ita neq; Princeps sine eorum maturo consilio eas debet edicere. ¶Obuium tamen in promptu fit huic conclusioni argumentum. Deus Princeps omnium est legumlatorum: & tamen neq; respublica est. neque eius vicem gerẽs: quippe qui non à republica authoritatem mendicauit. Respõsio tamẽ est: Non eo sensũ in præsentiarum asseri quemcunq; gubernatorẽ vices reipublicæ gerere, ac si vicarius eius.

Deducitur cõclusio ex antecedẽte.

Aristot.

Plato.

Aristot.

Secunda rõ

Pulchra cõsideratio.

Obiectio.

Solutio.

eius exiſtat: ſed ſatis eſt curam illius habere, ſeu tanquàm vicarium, ſeu tanquam eius autorem ac dominum cui curæ eſt publica gubernatio. Pariformiter & de Chriſto, etiam in quantum homo erat, ſentiendum eſt, vt pote qui ceu Redemptor ac rex regni cœlorum, legum cõditor noſter fuit. Ac ſubinde eius vicarius Pontifex maximus. Is enim nõ gerit eccleſiæ vices quaſi ab illa autoritatem nactus, verũ quaſi Chriſti vicarius, cuius vice fungitur: à quo vtique ſolo, licèt per eccleſiam eligatur autoritatem ſuſcepit. Idemq; eſt de epiſcopis iudicium ac prælatis ab ipſo inſtitutis. Seculares autem reges ac monarchæ ſecùs habent. Haud enim à Deo proximè, &, quod aiunt, immediatè creati ſunt præter Saũlem ac Dauidem, eiusq; proſapiam, cui ſceptrum ipſe commiſit: ſed vt habetur. l. quod placuit. ff. de conſti. prin. reges ac principes à populo creati ſunt, in quos ſuum tranſtulit imperium ac poteſtatem: vt infrà. q. 6. & copioſiùs libr. 3. q. 4. patebit. Vnde verbum illud apud Sapientẽ ex Prouerb. 8. ſuprà citatum, Per me reges regnãt, &c. non aliter intelligẽdum eſt, quàm quòd ab ipſo tanquàm naturalis iuris autore donatum mortalibus eſt, vt vnaquęque reſpublica ſeipſam regendi habeat arbitrium: ac ſubinde, vbi ratio, quæ ſpiramẽ etiam eſt diuini numinis, poſtulauerit, in alium ſuam tranſmittat poteſtatem, cuius legibus prouidentiùs gubernetur. ¶ De primis autem legiſlatoribus, variè referunt ſæculares hiſtoriæ. Plinius nanque libr. 7. Naturalis hiſtoriæ, cap. 56. ait Cererem inter omnes primã leges dediſſe: vt autem alij putauêre Rhadamanthum. At verò Ioſephus aduerſus Appionem apertiſsimè ac diſertiſsimè veritatem oſtendit. Nempe inter mortales Moyſen priùs ſacras promulgaſſe leges, vt diuinitùs ſibi traditas. Nam poſt multo tempore illi extiterunt legiſlatores quos Iſidõrus initio 5. lib. refert. Phoroneus enim, inquit, rex Græcis primus leges conſtituit: Mercurius Triſmegiſtus Aegyptijs: Athenienſibus Solõ: Lycurgꝰ Lacedæmonijs: ac deniq; Romanis Numa Põpilius, qui ſucceſsit Romulo.

Quid ſenſerint ſcriptores de primis legiſlatoribus.

Plinius.

Ioſephus.

Iſidorus.

Ad argumẽta partis negatiuæ.

Ad primũ

AD primum igitur argumentum reſpondetur legem in homine bifariàm exiſtere: vno modo tanquàm in regulante, quo pacto eſt in legiſlatore: atque altero tanquàm in regulato: quemadmodùm eſſe contingit in ſingulis hominibus: iuxta verbum Pſalm. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui. Vnde & illic Apoſtolus ſubdit, Qui oſtendunt opus legis ſcriptum, in cordibus ſuis: ſcriptum, ſcilicet à Deo ipſo ſummo legum conditore. ¶ Ad ſecundum verò reſpondet Philoſophus. 10. Ethicor. capitul. 9. vbi ait legem vim habere coërciuam. Poteſt ergo priuatorum quiſque vnunquemlibet ciuium ad virtutis officia conſilijs ac monitis inducere: haud tamen perfectè, ſcilicet ipſum cogendum: ob idque talia monita non habebunt legum virtutem ac robur. ¶ Ac ſimili fermè modo exemplò ibidem reſpondet ad tertium: fatetur enim patremfamiliãs nonnulla ſtatuere poſſe in ſua domo præcepta, eademque ſub aliquibus pœnis, quas exigere paterna autoritate poterit, etiã vſque ad verbera. At verò ſicuti dominus nõ eſt perfecta reſpublica: ita neque eius præcepta abſolutam habent vim legis: vt puta cum neque in carcerem conijcere poteſt ſuos, neque in exilium mittere, neq; alijs id genus ſupplicijs afficere: vt libr. 5. q. 2. fuſiùs patebit, vbi de patria poteſtate copioſiùs.

Pſal. 90.

Ad ſecũdũ argumẽtũ.

Ad tertiũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm promulgatio ſit de ratione legis.

SVpereſt demùm vt quartus articulus poſtremã definitionis particulam patefaciat, qua legis ponendi forma notabatur. Arguitur ergo nõ eſſe neceſſariam promulgationẽ legis vt ſuam ſortiatur vim. Primùm lex naturalis obligat vniuerſos, quæ tamen nulla indiget promulgatione, cùm neque ſtatu innocentiæ neque poſt naturam corruptam ante Moyſen talis fuerit lex promulgata. ¶ Secundo: Lex vetus diuina, vt. 1. 2. q. 103. ar. 4. autor eſt ſanctus Thom. ceſſauit illo Chriſtianæ mortis articulo quo Redemptor dixit, Cõſummatum eſt: ac ſubinde tum nouæ obligatio cœpiſſe credenda eſt: nam ceſſatio vnius fuit alterius inchoatio: aliàs mundus abſque lege obligãte diuina per aliquam temporis moram exiſteret. Et tñ promulgatio legis non fuit tunc facta, ſed ſub feſtum Pentecoſtes: ergo obligatio legis non pendet ex promulgatione, ¶ Et tertiò: Lex ciuilis obligat loco abſentes coram quibus non promulgatur, & pariformiter tempore futuros: apud quos non eſt

Prĩa ratio ad partem negatiuã.

Secunda rõ S. Thom.

Tertiæ rõ.

est ampliùs necessaria promulgatio. ¶Contrarium autem legimus, distinctio. 4. cap. in istis. vbi habetur leges tunc institui, dum promulgantur.

Prima cõclusio. AD quæstionem respondetur duabus cõclusionibus. Prima, Nulla lex vllum habet vigorem legis, ante promulgationem: sed (vt citatum decretum asserit) tunc instituitur, dum promulgatur. Itaque nullam (vt quidam arbitrantur) exceptionem conclusio hæc permittit. Et probatur ex natura ipsius legis. Est enim regula & mensura nostrarum actionum: regula autem nisi operantibus applicetur, vana est: applicari autem nequit nisi per eius notitiam: nam qui regula vtitur, eam intueri necesse habet. Fit ergo consequens vt ante promulgationem qua subditis innotescit, non eos obligando perstringat, sed tunc præcipi quando promulgatur. Vnde. l. leges. C. de legib. & consti. Leges sacratissimæ quæ constringunt hominum vitas intelligi ab hominibus debent. Et in Auctentic. vt factæ nouæ constit. &c. tunc valere leges iubetur, cùm in commune factæ sunt manifestæ. Idem habetur iure canonico, vt extrà, de postulation. præl. cap. ad hæc. & de *Parua dubitatio.* constitutio. cap. cognoscentes. Dubitas autem quid nomine promulgationis censendum sit. Vtrùm nondum lex velut promulgata sit habenda quousque in omnium notitiam fuerit dispersa. Apparet enim *Ratio hæsitandi.* ratio modò facta id persuadere. Enimuerò si lex per sui notitiam applicatur, fit vt quousque sit cunctis nota, non obliget, atque *Cõfirmatio.* adeò nec Promulgata censeatur. Et confirmatur inde quòd ille quem lex latet, ignorantia excusatur: quod non contingeret si *Secunda conclusio.* legis vinculo innodaretur. ¶Huius argumenti gratia statuitur secunda conclusio. Lex vt promulgata censeatur, non exigit vt in omnium notitiam perueniat, sed tunc promulgatur dum solenniter in principis curia vel in prouincia primo præconio vel alia legitima via edicitur. Sic habetur cap. 1. citato. de postulation. præl. Et in allega. Auctentic. Et ratio est. quia tunc promulgatur lex, dum sub præcepti forma constituitur. Tunc autem fit præceptum, cum primùm publicitùs edicitur: ergo vbi primum solenniter fit manifesta, censetur promulgata, vimque induit præcepti. ¶Restat autem *Scrupulus.* scrupulus, Nũquit cùm primùm, verbi gratia, in Curia Cæsaris promulgatur lex, tenentur illa omnes regni indigenæ? Videt enim hoc rationi contrarium: nam tunc neque remotissimi, ad quos nondum potuit fama pertingere excusarentur ignorantia: quod assertu nefarium est. De hoc, licèt ad nomen videatur spectare, tamen iuris vtriusque doctores secùs loqui videntur quàm ratio docet. Panormita. enim & reliqui super dicto *Panormita. Ioan. And.* cap. cognoscentes. extrà, de constitu. & Ioan. Andr. super illo verbo, data Romæ. lib. sexti postremo. Et Bald. super. l. etiã citata, Leges *Baldus.* sacratissimæ. C. de legib. licèt fateantur tunc legem promulgari, quando solenniter edicitur: neminẽ tamẽ obligari ea putãt antequã illam audierit, nisi crassa culpabiliq; ignorantia hominem accuset. Et ratio eorum est q̃ putant idẽ esse quempiam ignorantia excusari, & non obligari lege. ¶Contra hos *Tertia conclusio aduersus præfatos autores.* autem statuitur tertia conclusio. Cùm primùm lex solenniter est promulgata, in Curia vel in regni Metropoli, obligat vniuersos, tametsi citra culpam ignorantes à culpa excusentur. Probatur vtraque pars conclusionis. Nam lex in vniuersum promulga- *Prima probatio.* tur. Haud quippe dicit, Præcipim⁹ ciuibus istius vrbis, sed, vniuersis sub ditione nostra degentibus: ergo vniuersos tunc obligat. Secundò arguitur dum concionator: verbi *Secunda.* gratia, vel alia persona priuata admonet me legis positæ, tunc iam deinceps non me excusaret ignorantia, & tamen nuntius ille nõ me obligauit: ergo promulgatio solẽnis quę præcesserat, me obligauerat. Et tertiò argui- *Tertia.* tur. Si non statim à solenni promulgatione essent vniuersi lege ligati, sequeretur quòd neque ignorantes propriè dicerentur excusari: excusatio enim est ab obligatione quã quis habet: & secundùm contrariam opinionem ignorantes nondum obligantur: dicendum ergo vtrunque est, vt nostra asserit cõclusio: videlicet quod lex statim cũctos tam audientes quàm absentes obligat, à cuius nihilo minùs nexu inscij excusantur. ¶At verò presiùs quis fortè percontetur, vtrùm satis sit vno loco solenniter legem promulgari, vt vniuersi illius iurisdictionis statim legi subdantur. Exempli gratia: Si Cæsar plurium regnorum dominus legem Toleti promulgaret, qua Belgas, Flandros, atque Italos Indosque comprehenderet. Atque si Papa Romæ, vel vniuersale Concilium solenniter ferret legem, vtrùm inde tunc protinùs stringeret vniuersos. Et quò dubitationis *Quæstio incidens.*

nouus

neruus lucidiùs pandatur, proferamus exẽplum legis irritantis inualidantisque materiam contractus. Si nunc Papa prohiberet quintum gradum matrimonij, vel fac nondum esse positam legem irritãtem actiones pupilli, alienantis sua bona, sed nunc primũ poni: Vtrũ ex illo tunc irriti essent tales contractus, etiam inter ignorantes celebrati. Nã quantum ad culpam & pœnam, iam satis dictum est, eos qui per insciti am postmodùm contrahẽt excusari: sed vtrùm valeret matrimonium, pariter & contractus pupilli.

Solutio. ¶ Ad hoc primum respõdetur, non satis esse Cęsarem in vno regno legẽ edicere vt omnia obliget quousq; in singulis promulgetur, ac si diuersorum essent regum: quoniam ob id quòd in eiusdem ditionem inciderint, non censentur vna respublica. Quin verò si sint diuersæ prouinciæ longè separatæ, non existimatur lex promulgata, antequàm in singulis edicatur. Nõ enim æquum esset vt lex Toleti promulgata ex tunc perstringeret Indos. Saluberrima ergo est, sanctio Auctẽ. citati, vt factæ nouæ &c. vt Romanorũ Imperatorũ leges post duos menses valere inciperent in republica, & tractari. Quòd si, valere, idem sit quod, vigorẽ tunc præcepti obtinere, fit vt neq; anteà sciẽtes obligarẽtur: si verò intelligat iuxta formã tertiæ nostrę cõclusionis, scilicet q licèt à tẽpore promulgationis obligẽt, nihilo minùs vsq; ad duos mẽses posse quisq; ignorãtia protegere: tunc intelligendũ est quantũ ad forũ exterius: nã quantum ad conscientiã, & illi qui anteà resciuissent, continuò excusatione nudarentur: & illi qui citra culpam diutius ignorassent, excusarentur. De legibus autem eorum qui sunt principibus inferiores cùm angustioribus prouincijs præsideãt, non est censendũ tam longas inducias requiri vt sint obligatoriæ.

Panormit. ¶ At verò de summo Pontifice asseruit Panor. c. nouerit. de sen. excom. satis esse si eius leges Romæ publicentur: quem nonnulli sequuntur, dicentes Pontificem Sũmum plũbeos habere pedes, quib⁹ discurrere nequit.

Sylueſt. Et Sylueſt. verbo, lex. q. 6. dicit sic seruari in practica. Verũ est tamẽ eundẽ Panor. super c. cognoscentes. de constit. sic se secundũ cõmunem opinionem exponere, vt asserat legem, nõ quantũ ad culpam & pœnã, sed tamen quantũ ad rescisionẽ contractus ab articulo statim promulgationis vigorẽ habere. Vt si in Concilio lata esset lex, nè deinceps illegitimè nati sacerdotia reciperẽt: aut q tales præbendæ nõ nisi tali hominum sorti prouiderentur: omnes ex illo momẽto cõtrà factæ collationes haberẽt irritæ. Quod ego facilè credo. Attamẽ quia matrimonia non possunt dissolui sine iniuria', & si quæ sunt alia id genus pacta, certè non debent lege interdici, nisi quæ vigere incipiat dũ fuerit in prouincia promulgata: alias esset periculis plena. De cæteris autem quæ irritatoriæ non sunt, parùm refert si dicamus statim Romæ latas obligare. Hoc siquidem nõ obstante, ignorantes excusantur à culpa & pœna. Crediderim tamen, nisi Papa aliter sua lege expresserit, nunquàm intendere obligare nisi à tempore promulgationis in prouincia. Etenim quando ob culpam vel aliũ defectum vult inhabilem personã reddere, expresse addit ex nunc, vel ex tunc: vt ca. cùm singula, de præben. lib. 6. constituit duas obtinentem præbendas ex tunc reddi inhabilem. Et simile habetur, Clementi. nolentes. de hæretic.

Papa nõ intendit obligare sua lege nisi à tpe promulgationis, nisi aliter exp̃serit.

¶ Hoc autem pro certissimo hic admonitum sit, quòd leges priuilegiorũ reuocatoriæ vim non habent quoadusq; promulgatæ sint, non solùm in prouincia, verũ in diœcesi. Exempli gratia, dum indulgentiæ reuocantur aut suspenduntur, quousq; in Metropoli Ecclesia sit reuocatio promulgata, quicunq; potest concessis priuilegijs citra culpam vti. Neq; hoc tãtùm, verùm etiã si quis vsq; ad illum articulum priuilegio indulgentiarum fuerit à reseruatis sacramentaliter absolutus, absolutio est valida.

Leges reuocatoriæ priuilegiorum nullã vim habẽt quoad fuerint promulgatæ nõ solũ in prouincia, sed in diœcesi.

¶ Ecce definitionem legis in fronte quæstionis propositam, cunctis ex partibus, quæ quatuor erant, expositam: ac subinde illam. ff. de legib. & senatusconsul. quam sapientissimè Papinian. ex alijs quatuor membris constituit. Ait enim, Lex est commune præceptum: vbi eius substantia primusque actus exprimitur: quoniam præceptio actus prudentiæ est, & in commune omnibus debet poni. Virorum prudentium consultum: quibus verbis declaratur quemadmodùm præceptio nulla est in intellectu, quam non consilium antecedat: quare neque Rex sine prudentium consultatione debet leges condere. Delictorum quæ sponte vel ignorantia contrahuntur coërctio. Ecce virtutem eius ac vim coërciuam maleficiorum, qui vel scientia vel ignorantia vincibili delinquunt. Communis reipublicæ sponsio: qua tandem particula eleganter ingenium legis exprimitur. Per leges nanque respublica & princeps

Epilog⁹ an tedictorũ.

Explanat alia legis definitio.

princeps constituitur fideiussor, vt securè tutoque vbique viuatur. Spondet enim nullum fore pacis perturbatorem, neque vllum qui iniuria ausurus sit ciuem lædere. Quòd si vllus extiterit, ipse princeps pœnas reposcet.

Primum argumentũ.

AD primum igitur argumentum de lege naturæ, respõdemus, naturali luce & instinctu esse promulgatã: nẽpe inscriptã mortalium mentibus. Quapropter in statu innocentiæ clarescẽte naturæ luce nulla fuit alia opus promulgatione talis iuris. Neq; verò postea quousque caligine iam obducta hominũ mens necesse habuit vt per legẽ scriptã explicaretur ei Decalogus. Quo fit vt de primis principijs naturalibus nulli mortales per ignorantiã prætexere sibi poterunt excusationem. De alijs verò quæ attentiori discursu indigent, vt de libera Venere, forsan se poterant excusare. Pari ratione, Si qui Barbari matrimonia vsq; adeò contra naturam fœda cõtraxisse inuenirentur, vt etiam se parẽtes filiabus commiscerẽt, talia matrimonia dirimerẽtur: quia nõ poterat nisi crassa inscitia nefaria illa turpitudo ignorari. Secùs si cõtraxissent in secundo & alijs gradibus, qui Iudæis dũtaxat olim, Christianisq; præcisè modò interdicuntur. ¶ Ad secundũ de diuina lege respondetur, non censeri promulgatam eò quòd Deus singulari personæ eam reuelauerit, quousq; idem eius ministeri solenniter eam euulget. Exẽpli gratia: Abrahæ præcepit Deus vt suos masculos circunciderent, quæ lex posteris suis esset solennis.

Ad secũdũ

Hæc autem lex non omnes (præter ipsum) statim obligabat vsquequo Abraham nomine Dei eam promulgauit. Idem pariformiter de lege Mosaica, quantum ad ceremonias iure naturæ adhibitas & iudicialia, existimandum, videlicet quòd nullus contraheret cum vxore patris aut patrui: qui enim postquàm lex reuelata est Moysi ante eius promulgationem contraherent in tali gradu: non modo à culpa excusarentur, verùm neque separarentur. Secùs post promulgationem: postmodùm enim etiam ignoranter contrahentes, licèt à culpa liberi essent, dissociarentur. Ratio huius est quòd Deus hominibus secundùm eorum naturam & ingeniũ per homines sui generis cõstituit leges ꝓmulgare. ¶ At verò lex Christi vbi primũ fuit Hierosolymis post eius Passionẽ ac Resurrectionẽ promulgata, vniuersum obligauit orbẽ: quoniã prædicatio Discipulorũ non obligabat de nouo, sed ostendebat legẽ cui Christus mundum subiugauerat: atque adeò tollebant ignorantiam illucusque excusantem. Vt autem ad formam argumenti tertij respondeamus, conceditur illo tunc articulo quo Christus animam expirauit mortuam esse legem veterem, licèt non fuerit statim mortifera, ac subinde vim statim habuisse sacramenta nostra. Quin verò baptismus iam anteà baptizato Christo virtutem habebat: vt. 3. part. quæstio. 66. author est Sanctus Thomas. At verò de legis totius euangelicæ obligatione, etsi Scoto in 4 distinct. 3. quæst. 4. visum fuerit non incepisse nisi à die Pentecostes, quando Apostoli confirmati virtute ex alto eam prædicare cœperunt: tamẽ aliter fortè est sentiendum. Enimuerò anteà iam Christus Apostolis iusserat, Ite prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Ex quo idcircò tẽpore ait, loco modò citato Sanct. Thom. vim habuisse præcepti. Et quia susceptio baptismi professio est totius legis, dicendũ forsan secundùm eundem sanctũ Doctorem, ipsum tunc primò Christum suam promulgasse legem. Attamen hoc concesso consequens fit ab articulo passionis vsq; ad illud temporis momentum mansisse orbem sine obligatione vllius diuinæ legis: nam vetus expirante Christo cessauit. Cui autem duriusculè hoc insonuerit, dicere vero proximè potest quòd Christus in mortalibus agens suã ꝓmulgauit legem, quæ tunc inciperet obligare, quando ipso expirante veterem cõsummauit. Nam tunc in Ara Crucis nouo sacerdotio vetus antiquauit: & trãslato sacerdotio, ait ad Hæbræos Paulus, necesse est vt legis translatio fiat. Quanuis nihil absurditatis habeat q̃ in triduo tantilloq; tempore post Resurrectionẽ nõ obligaret lex noua. At verò prior mihi respõdẽdi modus multò ꝓbatior est, vt libr. proximo. q. 5. mõstraturi sumus: vbi materia hęc à cessationis legaliũ ad amussim est examinãda. ¶ Ad tertium argumentũ respõdetur, quòd cùm lex scripto debeat promulgari, illa scriptura absentibus & futuris loquitur: qua ratione ait Isido. legem esse constitutionem scriptam, & à legendo vocari, eò q̃ legenda proponitur. Quanuis illud de ciuili tantùm intelligatur: nam lex naturæ in mente scripta est: & ius gentium eadem mente collecta.

S. Thom. Scotus.

Quo tẽpore lex Christi cœperit obligare.

Ad tertiũ argumẽtũ.

QVAE-

QVAESTIO SECVNda, de legis effectibus.

S. Thom. 1.2. quæst. 92.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm effectus legis sit præcipiendo ac vetando facere homines bonos.

Quatuor in lege aduertenda.

QVæstio præsens duos habet articulos, alterũ de effectu legis, atq; alterum de eius actu. Oportet em̃ in præsentiarum quatuor cõsideratè discernere: finis enim legis est adeptio cõmunis boni in quo posita est fœlicitas: de quo 2. articul. dictum est: effectus autẽ est probitas & honestas per quam illuc tenditur: actus verò quẽ legis virtutem appellant, est præcipere & vetare: sed

Prima ratio potestas & neruus est obligare & coërcere: de quo quæst. 6. dicendũ est. ¶ Arguit ergò quòd legis effectus non sit facere homines bonos: virtus enim est secundùm Philosophum. 2. Ethic. quæ bonum facit habẽtem & eius opus bonũ: virtus aũt munus dei est,

Aristot.

Augustiñ. vt illa celebris habet diffinitio Augustini q̃ ex. 2. lib. de liber. arbit. colligitur: Virtus est bona qualitas mentis &c. quam Deus in nobis sine nobis operatur: lex ergo non est q̃

Scda ratio. bonos facit habentes. ¶ Secundò, lex non facit bonos nisi qui sibi sunt obedientes: illud ergò obedientiæ bonum non est à lege

Tertia ratio sed ei præsupponitur. ¶ Tertiò, lex vt dictũ est, in bonum cõmune reipublicæ refertur: ergò effectus eius solùm est facere bonos ciues, putà obedientes legibus & magistratibus in commune bonum: hoc autem nõ satis est vt simpliciter sit homo bonus: nã potest esse malus in his quæ lege ciuili permittuntur.

Aristot. ¶ In contrarium autem est, ipse idẽ Philosophus qui initio. 2. Ethic. ait voluntatem cuiuslibet legislatoris esse vt faciat homines bonos.

Prima conclusio. AD Quæstionẽ hanc respõdetur duabus cõclusionibus. Prima est. Effectus legis quẽ potissimè aspicere habet legislator est bonos facere homines sibi subditos, per quã

Prima ratio bonitatem finem humanum adipiscantur, quæ est nostra fœlicitas. Conclusio hæc facilè ex decisione superioris quæstionis colligitur. Finis enim legis est commune bonum in quo nostra consistit beatitudo: illum autem nemo nisi per virtutum exercitium assequitur quæ bonum faciunt habentem: eo vel maximè q̃ (vt Philosophus docuit) fœlicitas ipsa huius sæculi in virtutum vsu posita est: ergò legis effect⁹ est homines facere studiosos & probos. At verò quoniã ratio hæc de lege tãtùm procedit quæ verã habet legis rationẽ, S. Tho. 1.2. q. 92. aliam ex

S. Thomas. cogitauit rationem quæ legem omnẽ etiam metaphoricam amplexatur. Lex, inquit, cũ

Scda ratio. rationis dictamen sit quo præsidens subditos gubernat, ad hoc ordinatur vt ei subditi bene obtemperent: hìc enim est cuiusque præceptionis propositum: virtus autẽ eius propria qui alteri subditur est bene superiori obtemperare (vt in calce. 1. Poli. author est Arist.) quemadmodùm virtus ap-

Aristot. petitus sensitiui est vt probè & promptè rationi obediat: ergò intentio legis est subditos ad suam ipsorum propriam virtutẽ inducere: vt pote per quã ei obsecundent: hæc autem virtus bonum facit habentem & eius opus bonum: ergò cuiusq; legis effectus est facere homines bonos. Quòd si intentio legislatoris ad id quod est verè ac simpliciter bonum feratur, tunc lex ipsa pari modo imbuet subditos vera bonitate: sin verò nõ fuerit simpliciter bonũ sed vtile aut delectabile sibi, repugnans autem iustitiæ, tunc lex faciet subditos, non bonos simpliciter, sed in ordine ad illum finem: vt si sit lex conquirẽdi diuitias, instruet illos probè ad illum finem: & si fuerit lex latrocinandi, faciet illos bonos latrones: nam & in malis inuenitur obedientia legis, q̃ effigiem habet boni, nõ honesti, sed vel delectabilis vel vtilis. ¶ Hæc autem ratio non satis videtur rem demonstrare: conclusio enim nostra est, legem efficere bonos homines: ratio verò solùm concludit quòd efficiat bonos subditos, quod minus est. Arist. enim Polit. 3. cap. 3. dignoscit bonũ ciuem a viro bono. Ciuis enim inde dicitur bonus quòd sit bonus subditus, hoc est legis dicto audiens: vir autem bonus plus obtinet probitatis: nam cùm multa ciuili lege impunè permittantur, potest quis bene auscultare legibus, & nihilominus prauus esse, putà auarus, fornicarius. &c. vt suprà argumentabamur. Igitur non sat est legem facere bonos subditos vt faciat simpliciter bonos homines. Caietañ. eodem loco defende-

Obiicitur cõtra proximã rationem S. Thom.

Aristot.

Caietanus nititur de-

re conatur rationem Sancti Thom̃. hoc pa-

cto: quòd licet qui subditus est vnicuilibet particulari legi, vt putà humanæ, non illicò sit vir bonus: tamen qui bene paret omni in vniuersum legi, puta naturali & diuinæ, nõ potest non esse simpliciter vir bonus: eò q; tales leges de omni virtute præcipiunt. Hæc autem expositio, nisi ego hallucinor, non est menti sancti Thom. germana. Etenim si hoc ipse cogitasset, collectim simul dixisset, legum vniuersitatẽ facere homines bonos: cùm tamen non hoc tantùm asserat, sed qđ ille sit effectus cuiuscunque per se legis. Sic enim ait: Ad hoc enim ordinatur vnaquæque lex vt obediatur ei à subditis. Genuin⁹ ergò sensus Sancti Thom. est, effectum cuiuscunque legis esse facere homines bonos suo ordine & gradu, scilicet respectu peculiaris finis eiusdem legis: vt puta legis iustitiæ facere iustos: legis fortitudinis, fortes: & temperantiæ, temperatos, &c. Et ideo optima erat collectio quòd ſn facit bonũ subditum facit bonum hominem in tali materia. Ex quo fit vt lex æterna & naturalis quę omnem docent iubentque virtutem, faciant homines vndequâque absolutos. ¶ Hærebit hic autem forsan de hac cõclusione quispiam, vtrum vsque adeò sit vniuersalis, vt legislatorem sæcularem eiusq; leges suo ambitu complectatur, an videlicet principum regumque munus sit bonos secundum animam facere ciues. Existit enim contra apparens argumentum, quòd hoc differat inter Ecclesiasticos antistites & sæculares principes, quòd illi spiritualibus attendentes, curam gerere debeant animarum: isti verò tantùm pacis quieti pacatiq; status reipublicæ. Sic nanque vulgus arbitrari fortè poterit. Mox arguitur ex Aristot. 1. Polit. cap. 2. vbi ait, constitutam esse ciuitatem viuendi gratia, scilicet, propter sufficientiam vitæ. Ex domo enim propagatur pagus, & ex pagis coalescit ciuitas, vt scilicet diuersis artibus diuersisque mercimonijs sibi ciues mutuò sufficiant: ergò à sæcularibus legibus non est quippiam altius desiderandum.

¶ His tamen nihil obstantibus proculdubio auscultanda est conclusio vniuersaliter: philosophi enim affirmantes scopum legislatoris esse ciuium probitatem atque honestatem morum, nihil de Ecclesiastica institutione cogitabant, sed de regibus id asserebant. Quam ob rem meminisse oportet discriminis inter alias virtutes & intellectuales artes & scientias. Ars enim facere potest pictorem bonum & bonum statuarium, & scientia Theologum bonum, bonumque Iure consultum, bonum autem virum sola perficit moralis virtus. Quapropter leges omnes ciuiles siue de reliquis artibus siue de rebus alijs edicantur, omnes ad bonum animæ. quò nostra fœlicitas agitur, instituendę sunt: ob idq; loco modò citato Aristo. peregregiè dixit quòd ciuitas constituta quidẽ est gratia viuendi: existit verò bene viuendi gratia. Enimuerò non modò ciuium congregatio ad vitam corporalem emolumenta affert, atque commoda, sed præcipuè ad spiritualem. Nequirent enim dispersi homines ac solitarij ignorãtes docere, coercereq; malefactores: consilijsq; & salutaribus monitis mutuò se ad fœlicitatem iuuare, vt faciunt congregati. Etenim qua ratione homo ad fœlicitatem natus est, eâdem est ciuile animal: obidque solitarius nisi angelicam degat vitam, bestia est. Atque eandem ob causam qualem antiqui fœlicitatem statuebant, tales & ferebant leges: vt Epicurei, eas quæ voluptati capessendæ deseruirent, atq; alij alias quibus vel diuitiæ, vel honores accumularent. Et Lacedæmonij (vt. 1. de legib. author est Plato) qui illic fœlicitatem collocabant, vt omnium essent victores ac domini, eas excogitabant leges, quæ ad bella fœliciùs gerenda accommodatiores essent. Igitur principes qui veram fœlicitatem syncerè nôrunt, ad eandem debent cunctas referre leges. Ait enim Aristot. Ethico. 9. iusta legalia factiua esse fœlicitatis. Haud quippe externis actionibus decorum possunt ciues seruare reipublicæ statum, nisi internis virtutum habitibus vigeant. Et postremo accedit quòd omnis potestas à Domino Deo est: propter quod eidem potestati admonet Paulus omnem animam esse subditam: Deus autem ad se cuncta ordinauit ac retulit: ergò in ipsum debẽt Principes suas leges referre. Haud ergò hac parte sæcularis potestas ab spirituali differt, sed hoc tantùm, quòd cùm ambæ eundem suis legibus debeant scopum supernæ salutis præfigere, spiritualis supereminet sæculari: nempe vt sacrorũ leges instituat: & si sæcularis Princeps leges à vera fœlicitate deflexerit, eas emendet & corrigat, Principesq; ipsos cohibeat. Tunc em̃ locũ habet illud. 1. ad Corin. Paul. Animalis homo nõ percipit ea quę sunt spiritus dei: spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Adde hic demum quòd

fendere rationẽ S. Tho.

Solutio Caieta. non est ad mentem S. Thom.

Genuin⁹ sensus S. Thom

Dubitatio.

Argumẽ. 1.

Argum. 2. Aristo.

Satisfit dubitationi propositæ. Probatio.

Aristo.

Secta ratio.

Plato.

Aristo.

Postremarõ

Paulus.

Aristot. quòd causa huius assertæ veritatis Aristot. eodem loco.3.Pol.cap.3.postquàm distinxit ciuem bonum & virum bonum,subiunxit, Principi necessarium esse vt sit vir bonus, hoc est, omnibus virtutibus exornatus. Et ratio est,quòd regere munus ac functio prudentiæ est:quæ nisi omnibus virtutibus associeť,vera esse non valet:iudicat enim prudens de omnibus:& quia qualis vnusquisq; est talis sibi finis videtur necesse est vt bene sit affectus ad oĩa de quibus iudex sedet.

Obiectio. ¶Sed arguis,videtur non opus esse maiori virtute in Principe ad operandum quàm in ciue ad obediendum. Nam vt tota subditi probitas quatenùs subditus est,consistit in bene parendo, ita & tota principis in bene imperando: quæ enim alter iussa dat, alter capessit:ergò cùm in republica ciuili nõ omnia mala prohibeantur, fit vt sicut neque ad bonum ciuem, ita neque ad bonũ principem requiratur omnis virtus. Respondetur disparem esse rationem: quoniam princeps debet de omni virtute leges ferre,& (vt ait.1.Poli.Philosophus cap.vltimo)quomodò si imperans non est temperatus & iustus & fortis,huiusmodi virtute rectè imperabit? Et quamuis nonnulla impunè permittat,vt meretricia, mendacia, & epulationes: hoc tamen non debet libidine facere, sed iudicio. Debet enim esse adeò castus vt ad euitandas peiores turpitudines meretricia vbi oportet permittat: & tam liberalis,vt ad euitanda latrocinia permittat quempiam vsurarũ modũ. In summa: veluti medicus, salutis est corporis moderator, ita & Princeps qui gubernaculum reipublicæ tenet, veluti animarum medicus ad illum finem debet cuncta moderari. ¶Secunda conclusio huius articuli sit.Licet princeps mentis oculos semper debeat habere ad bonitatẽ ciuium attentos, debet nihil ominùs & legibus artes opificiaq; reipublicæ prosperare, annonam & reliqua temporali vitæ tam ad bellũ quã ad pacem necessaria ,puidere.Quin verò & ciuiũ facultates & honores augere:eatenùs tamẽ quatenùs præsentis vitæ ornamẽta futuræ sunt fœlicitatis adminicula.

Solutio.

Aristot.

Ad primũ argumentũ AD Primum igitur argumentum conceditur omnem virtutem munus esse adonum Dei: haud tamen quod nobis sine nostra opera donetur, sed nobis quippiam agentibus:licet non pariformiter. Est enim virtutum alia infusa, alia verò acquisita. Et quidem infusam Deus nobis se solo donat, non tamen adultis sine ipsorum cõsensu & dispositione.Acquisitæ autẽ,licet Deus donator sit tanquàm author naturæ,nostra nihilo minùs consuetudo causa etiam est:inde enim dicitur acquisita, quòd nostris moribus conficitur. At verò quia neutrius opus rem habet virtutis simpliciter dictę,nisi deo per gratiam sit acceptum,cuius quidem primæ gratiæ nos non sumus causa per meritum,rectè ait Augustinus.omnem virtutem dari nobis sine nobis. Nihilominùs quia leges opera nostra dirigunt, per quæ fauente dei numine morum probitate decoramur, per leges dicimur boni effici. Eo scilicet pacto quo Arist.2.Polit.ait, ꝙ legislatores assuefaciendo faciunt bonos. ¶Ad secundum autem respondetur,non semper qui legi obêdit, id facere ex bono virtutis, sed timore quandoq; pœnę,quam lex cõminatur: per quam subinde adducitur vt prompto animo rationi obtemperet. Quãuis sint etiam quædam à natura virtutis semina, ante legem nobis insita, vt quis possit obedire legi, per quã obedientiam perfectè comparet virtutes. ¶Ad tertium autem iam responsum est.Lex enim quæcunque ciuilis facere duntaxat intendit bonos subditos, hoc est promptè obsequentes: quoniam respublica, nisi ex partibus constet, quæ toti obtẽperent, non potest consistere: sicuti neq; corpus cui membra non seruiunt. Satis ergò est ad firmitatem reipublicæ si princeps omni polleat virtute,& ciues bene sint subiecti. Licet non omnes sint viri absolutæ virtutis: vt Aristot. 3. Polit. docet. Attamẽ qui legi naturali ac diuinę auscultãt, illi sũt & boni ciues, & viri integerrimi: vt iam suprà dictum est. De legibus autem tyrannicis, cùm veræ non sint leges, non opùs est argumentum inde obijcere quòd nõ faciũt bonos ciues. Id enim tantùm bonitatis habent quòd faciunt subditos obedientes, vel timore pœnæ vel alia corrupta via.

Ad secũdũ

Ad tertiũ.

Aristot.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm legis actus cõgruenter assignẽtur.



Legis actus quatuor.

VBsequitur articulus secundus de legisactibus. Videntur enim non esse quatuor, scilicet imperare, vetare, permittere.& punire. Lex enim idem est quod præceptum & imperium, vt suprà

Argumẽ.1

monstratum est:non ergò opùs fuit discernere inter imperare & vetare. ¶Secundò,ef-
Argum.2. fectus legis est subditos ad bonum inducere: consilium autem ad idipsum conducit, ac pariter præmium: ait enim Iurisconsl.1. de Iustitia & Iure.ff.quòd bonos non solùm metu pœnarum, verumetiam præmiorum exhortatione efficere cupit:ergò & consulere & præmiare,nihilominùs quàm præci-
Argum.3. pere & punire actus sunt legis. ¶ Quin verò tertiò valentiùs arguitur. Effectus legis est homines bonos facere: ille autem qui metu duntaxat pœnæ legi obtemperat, non est simpliciter bonus: metus nanque seruilis, quanuis sit moraliter bonus,nondum tamẽ lineam virtutis attingit: ergò punire, nõ est legis actus. ¶ In contrarium autem est inter Iureconsultos Modestin.ff.de legibus & senat.consul.vbi ait,legis virtus hæc est, imperare,vetare,permittere,& punire.

Cõclusio responsiua. AD quæstionem istam conclusione hac respondetur.Legis actus ac virtus quadripartus est: vt lege citata Iureconsul. docuit.Neq; verò obstat Isidôri sententia lib.5.
Isidorus. Etymol.vbi de tribus tantùm meminit. Ait quippe:Omnis lex,aut permittit aliquid: vt vir fortis præmium petat:aut vetat, vt sacrarum virginum nuptias nulli petere liceat: aut punit, vt qui cædem fecit capite plectatur. Nam permissi appellatione consultorũ more præcepta etiam comprehendit. Sic enim habetur.C.de legib.& consl. leges sacratissimæ. Vniuersi præscripto legum vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. Haud enim est credibile vt potissima legis functio eum præterierit.Enimuerò cùm tres sunt differentiæ humanarum actionum:Prima scilicet earũ quæ genere suo bonæ sunt: aliæ verò quæ genere suo sunt malę,ac tertię quæ sunt indifferentes.Respectu primorum legis virtus est præcipere: vt Vnũ cole Deũ: charos venerare parentes. Vnde Arist.5.Ethicor.Lex,inquit,de omnibus præcipit virtutum actibus.Respectu verò aliorum secundi generis est vetare:vt,Nè iures vana per eum. Non occides. Sed respectu actionũ tertij ordinis est pmittere vt,Cui libuerit, negotiari fas sit lucri gratia.At verò quoniã lex dictamen rationis est quo homines ad officiũ inducuntur,fit vt instar rationis speculatiuæ, quæ per vnum aliud cõcludit, subditos per pœnam à vetitis arceat,atq; in officio contineat:hac ergò ratione & quartº ei actus adiungitur,qui est,punire. ¶ Sed tamen contra singula huius inductionis membra obijcitur.Primùm,legibus nõ ea solùm præcipi consueuerunt quæ genere suo sunt bona, verumetiam ea quæ per legem constituuntur virtutum loco:neq; solùm vetantur ea quæ genere suo sunt mala,verùm quędam per legis prohibitionem efficiuntur mala. Hinc emĩ illa celebris distinctio orta est: Alia sunt prohibita,quia mala:alia verò mala,quia prohibita.Diem enim,verbi gratia, cuipiam Diuo festiuiter dicare,quem priùs feriari indifferẽs erat,lege sola fit religionis virtus.Et armatos noctu ciues obambulare,quod priùs erat indifferens,prohibitione legis fit vitiũ.

¶Respondetur autem qꝑ vbi diximus pręcipiendi actum circa ea versari quæ sunt genere suo bona, ampliandum verbum est & ad illa quæ certa ratio indicat esse bona: nihil enim lex præcipere debet nisi quod ratio pro tempore & loco ostẽdit esse bonum. Et pariformiter neq; quicquã vetat, nisi quod vel genere suo vel circunstantijs loci aut temporis ad bonũ finem ordinatur. Sed rogas, *Quæstio parua.* illa quę genere suo sunt bona vel mala quid nam alia opùs habent aut præceptione aut prohibitione?Respondetur. Ea quæ genere *Solutio.* suo iusta sunt lege naturæ præcipiuntur: & quæ genere suo sunt mala eâdem lege prohibentur.Nihilominùs causa amplioris luminis voce etiam in mandatis proferũtur, scriptisq; referũtur: vt Decalogus exemplũ est. ¶ Præterea aduersus tertium membrum est *Argumẽtũ* argumentum:quia lex humana non ea tantùm permittit quæ indifferentia sunt,vt otiari & quatenus eutrapeliæ virtus indulget, ludere & venari: verùm & quæ mala sunt, vt scortari,& ioci causa mentiri, atq; id genus reliqua. Respondetur qꝑ quantum ad legem *Solutio.* humanam indifferentia quoq; dicuntur ea quæ non sunt valde mala: vt potè ex quibꝰ nulla emergit iniuria aut grauis absurditas: quæ quidẽ bona causa vt impunè fiant permittit:haud tamen appobat,quasi licita: id enim facere nequit:quoniã lex diuina & naturalis nihil tale permittit. ¶ Item arguitur. *Altera ratio ad idẽ.* Permittere conuenit personis etiam priuatis, quibus cùm incumbat filios vel proximos corripere,cõtingit eis tñ cõniuêre: ergò non est proprium vel principis vel legis.Re-
Solutio. spondetur qꝑ id permittere quod commode vindicari non potest,hoc conuenit legi: permittere autem ex ignauia aut iniqua indulgentia,quod vetare quis tenetur, hoc priuatim

tim accidit. Qui verò corripere non obligatur, is permittere non censetur.

Ad primũ argumentũ principale.

AD Primum igitur argumentum respõdetur quòd & si largo modo præcepti appellationi prohibitio etiam supponatur: eò quòd cessare à malo, quod prohibitio curat, inchoatio est boni, quô præceptio tendit: nihilominùs clarioris explanationis gratia distinguntur.

Ad secũdũ

¶ Ad secundum respondetur quòd consulere cùm vim non habeat coërciuam, non habet rationem legis: & ideo non est proprium principis munus, sed cuique priuatę personæ competere potest. Quare ineptè Accursius super eãdem legem, Legis virtus, adnotauit, consulere esse quintam virtutem legis: oculatiùs enim Bart. id negauit. Apparentior autem ratio suasisset quintam virtutem legis esse præmiare: nã vt Solon & Democritus aiebant, duo diuina lumina cuncta gubernant, præmium scilicet & pœna. Quod iuriscõsultus. l. 1. de Iustitia & iure. cõsultissimè animaduertit. Et ratio naturalis est quòd, vt author est Aristot. Ethicor. 10. duobus homines maximè afficiũtur, scilicet voluptate & dolore: quare ex vna parte alliciendi sunt homines præmijs, ex altera terrendi supplicijs. Attamen propterea punire potiùs legi tribuitur quàm præmiare qđ punire coactiuam vim habet quæ idcirco soli principi conuenit: præmiare verò non est cogere, & ideo priuatis etiã personis conceditur. Tametsi & alteram posimus causam subijcere, quòd virtus honestatis gratia est persuadenda, & satis est ipsa sui ipsius p̃mium: pœna autem prauis eò necessaria est quòd cùm sint voluptatibus mancipati, cõtrarijs doloribus sunt arcendi.

Solon. Democrit⁹.

Prĩa ratio quare punitio potiùs legis op⁹ quã remuneratio.

Secunda ratio.

Ad tertiũ argumẽtũ.

¶ Ad tertium autem argumentum iam suprà responsum est, quòd etsi metus pœnæ non sit simpliciter virtus, est tamen (vt ait Augustinus) veluti seta quæ amoris filiũ inducit: & ideo expedit timore pœnæ corruptos homines & à tramite deuios in viam retrahere, vt inde virtutum assuetudine earũ officia illis dulcescere incipiant. Præterea quando perditis illis qui supplicia perpetiuntur nihil soluta pœna proderit, cedet tamen in aliorum commodum, qui illius admonitione temperatiùs viuent.

QVAESTIO TERTIA
de lege ęterna.

S. Thom. 1.2. quæstio. 93.

ARTICVLVS. 1.

Vtrùm lex æterna à naturali humanaq; & diuina distinguatur.

COnstitutis legis definitione, effectu & actu, debita series poscit vt de legũ diuersitate dicamus. Arguitur autem à parte negatiua quòd non sint quatuor legum species quas Doctores connumerant: scilicet, æterna, naturalis, humana, & diuina. Lex idem est quod ius, ius autem non diuiditur nisi in naturale & positiuum: vt libr. tertio, quæstione statim. 1. videbim⁹. Vnde cùm ius positiuum diuidatur in ius gentium & ciuile, hæc tantum tria distinguuntur iura, scilicet, naturale, & gentium, & ciuile, vt est videre. Inst. eodem titulo, & ff. de iust. & iu. & in Decretorum dist. 1. Non ergo quatuor sunt legis species. ¶ Præterea est & lex fomitis quã Paul. (vt suprà citauimus ad Rom. 7.) appellat legem membrorum repugnantem legi mentis nostræ: plures ergo sunt q̃ quatuor. ¶ In contrarium est quod ait Sapiens, Prouerb. 8. de lege æterna, quę sapientia Dei est. Dominus possedit me ab initio viarum suarum: antequã quicquã faceret à principio ab æterno ordinata sum. Et infrà: Quando legẽ ponebat aquis, cum eo eram cuncta componens. Et de naturali ait Paul. ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt. Et de humana ad Rom. 12. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et de diuina Hierem. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam.

Prĩa ratio ad labefactãdã partitionẽ legis

Secunda ratio.

Sapiens.

Paulus.

Hieremias.

PRo quæstionis huius intellectu recolendũ est discrimẽ illud quod in capite huius libri adnotauimus inter ius, acceptũ pro lege quæ est iustitiæ regula, & acceptũ pro iusto, quod est eiusdem virtutis obiectũ. Hoc enim supposito facilè ad prẽsentem quęstionẽ duabus cõclusionibus respõdetur. Prior est: Quatuor sunt legis species, quæ in titulo quæstionis proponũtur. Lex enim (vt suprà

Prima conclusio.

exponẽtes dicebamus) nihil aliud est quàm regula & præceptio prudẽtiæ per quam qui curam gerit reipublicæ illam gubernat & administrat: gubernatorum autem primus supremusq; est Deus, vnde omnis potestas deriuatur. Secundus verò, homo qui eius ministeret perque eius authoritatem institutus: ergò secundùm conditiones & modos gubernandi tam in Deo quàm in homine ri mandus est sumendusque legum numerus. Quod autem hac ratione quatuor distinguã tur legis species sic patet: Deus in primis vniuersalis gubernator, ab æterno vniuersorum ordinem ac dispensationem & regimẽ mente concepit: cuius conceptionis instar leges omnes constituendæ sunt: illa ergò ordinatio & præceptio lex æterna secundùm naturam suam nuncupatur. Mox quia idẽ Deus author est naturæ singulis rebus suos indidit instinctus & stimulos quibus in suos fines agerentur: sed homini præcipuè naturalem normam mente impressit qua se secundùm rationem quæ illi naturalis est gubernaret: atq; hæc est lex naturalis: eorum scilicet principiorum quæ absque discursu lumine naturali per se nota sunt: vt, id facias alijs quod tibi fieri vis: & similia. Deinde & eidem homini facultatem tribuit vt pro temporum, locorum, ac negotiorum qualitate per eandem legem naturæ quas aliàs expedire iudicaret, ratiocinando cõstitueret: quæ ideo leges ab authore suo humanæ nuncupantur. Attamen quia non ad finem tantùm naturalem qui est pacificus quietusq; reipublicę status cõditio sumus, ad quem finem prædictæ leges sufficerent: verùm & ad super naturalem fœlicitatem creati, aliam Deus nobis insuper posuit supernaturalem legem, tam veterem scilicet quàm nouam, quæ ad illum supernaturalem finem nos perduceret. Et hęc est lex diuina. At quia de horum singulis seorsum perspicatiùs facturi sumus sermonem, satis est hic numerum explicuisse. ¶ Adhibetur tamen secunda conclusio quæ superioris corollaria est. Non eodem modo species istæ legũ differunt: æterna enim differt à cæteris tribus quòd ipsa fons illarum est & origo: nõ vtiq; lata sed ferens, non impressa sed imprimens: nõ deniq; alterius participatio, sed lux cuius aliæ sunt participationes. Reliquę verò inter se hoc distant q̃ lex naturalis est impressio facta in ipsa creatione naturæ: lex verò humana est regula ab homine posita per facultatem sibi diuinitùs collatam: lex verò diuina est lumen infusum homini, quam ideo Hieremias vocat legem scriptam in cordib⁹. Igitur quanuis lex æterna, diuina etiam sit differt tamen à diuina positiua, quòd illa in Deo ab æterno existit: hæc verò in nobis ex tempore.

Secunda cõclusio.

Responsio ergò primi argumenti ex his quæ dicta sunt facilè colligitur. Etenim quia ius pro eo quod est iustum, æquitas illa est quæ in temporarijs rebus constituitur, nullum est ius hoc modo æternum: licet sit lex æterna. Iustum autem hoc aut constitui tur à rerum ipsa natura in qua lex naturalis versatur: vti mutuum aut depositum reddere: aut constituitur à lege positiua. Et hoc ap pellat Arist. 5. Ethicor. iustum legale: scilicet quod anteà nihil referebat, sed postquã positum est refert. Hoc autem legitimum iustũ aut à lege humana instituitur aut à diuina, de qua neq; Isidôrus in initio Decretorum, neq; Ius ciuile meminit. Et ideo non dignoscunt nisi ius naturale, & humanum, quod in ius gentium & ciuile subsecatur. ¶ Ad secundum respondetur legem fomitis nõ esse propriè legem: vt quæ suapte natura rationi non subditur: neq; est in mente sed in membris. Dicitur autem per metaphoram lex quia inclinat in sensualia obiecta: de qua articulo tertio latiùs.

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secundũ argum.

ARTICVLVS. II.

Vtrum lex æterna sit summa ratio in Deo existens.

RESTAT ergò ad singulas legis species descendere. Et primò in hoc secundo articulo exponitur æternæ substantia & natura: an videlicet sit rõ summa in Deo existens. Arguitur ergò in primis: nullam esse legem æternam. Lex enim illis ponitur quibus promulgatur: nulli autem æterni fuêre homines, quibus aut poneretur, aut promulgaretur: ergò. ¶ Præterea lex importat ordinem in finem: nihil autem æternum ordinari potest in finem, quia referri nequit in aliud: ergò nulla est lex æterna. ¶ Tertiò arguitur, non existere in Deo. Si lex vlla æterna est in Deo, idem est quod rerum ratio: rationes autẽ in ipso

Lex æterna

Argum. 1. à parte negatiua.

Argum. 2.

ipso non vna sed plures sunt, dicente lib. 83. quæst. Augustin. quòd Deus singula fecit propriis rationibus: ergò lex æterna non est vna: vel negandū est idem esse in Deo quod ratio. ¶ In contrarium est Augustin. lib. 1. de libero arbitrio: vbi ait, lex quæ summa ratio nominatur, non potest cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaq; videri: cui semper obtemperandum est: æternum autem & incōmutabile in solo Deo existit.

Augustin.

AD istam quæstionem hac vnica conclusione respondetur, quam Augustin. modò citatus affirmat. Scilicet æternam legem esse rationem summam in Deo existentem. Eandem quippe. S. Thom. 2. 2. q. 93. lucidè vt pleraq; omnia, hoc pacto demōstrat. Deus vt author est primus omnium, ità & vniuersorum summus gubernator: in artifice autē necessarium est rationem ordinis rerum faciendarum præformari, quæ ars seu exemplar est: & in gubernatore rationem quoq; præexistere eorum quæ agenda sunt, quæ sit veluti omnium regula & norma: ergò in Deo necesse est & rerum omnium creandarum faciendarumq; sapientiam extare, & omnium etiam gubernandarum regulā. Atqui vt sapientiæ ratio, qua cuncta creat, rem nomenq; habet artis & exemplaris & id earum: ità & eiusdem sapientiæ ratio quæ cuncta in suos debitos fines ordinat, disponit ac promouet, rationem legis obtinet. Igitur cùm lex (vt suprà dictum est) nihil aliud sit quàm dictamen rationis practicæ in Principe qua cuncta sibi subdita gubernat, fit vt lex æterna in Deo nihil aliud sit quàm sempiterna ratio suæ sapientiæ, qua mundi vniuersitatem regit. Etenim vti sua substantia & natura, sic & quicquid attributorum in ipso existit æternum est: vt ipsa de se sapientia, Prouerb. 8. prædicat. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequàm terra fieret. &c. vsq; adeò hæc fuit semper conclusio lumine etiam naturali resplendens vt ipsis etiam Philosophis innotuerit. vnde Cicero lib. 2. de legib. Hanc, inquit, video sapientissimorum esse sentētiam, legem neq; hominū ingenijs excogitatam, neq; scitum esse aliquod populorū, sed æternū quiddam quod vniuersum mundū regeret, imperandi prohibendiq; sapiētia. Ità principē legem illam & vltimam, mentem esse dicebāt, omnia ratione aut cogētis aut vetantis Dei, ex qua illa lex (naturalem adnotat) quam Dij humano generi dederunt, rectè est laudata. Hæc ille. Ex hac conclusione fit consequens nō cōuerti legem æternam ac diuinam, quam vocant positiuam: vt articulo proximo expositum reliquimus. Qualis fuit, tam Moysi quàm Euangelica.

Conclusio responsiua. Elegans ratio. S. Tho. pro conclusione.

Cicero.

Deductio.

AD primum igitur argumentum respondetur rationem illam, quæ lex est, ab æterno extitisse in Deo, sola scilicet ratione ab eius substantia differentē, qua futura cuncta, vt sibi prēsentia inspectabat. Etem vt ad Rom. 4. Apost. author est, vocat ea quę non sunt tanquàm ea quæ sunt. Promulgatio autem eius & verbo præcellenti ordine, & scripto fit. At quoniam promulgatio & loquutionē denotat promulgantis, & subditorum auditū, ratio prioris æterna fuit: nempè diuinum verbum expressa mentis conceptione genitum, & liber vitæ sempiterna quoq; mente conscriptus. Ratio vero posterioris esse nequiuit nisi tēporalis, nam æternus nemo fuit qui audire. Cœpit ergò lex illa innotescere in mundi primordio per legē naturalem, & antiquis patribus præscriptā, ac deniq; nobis per Euangelicam, quā Verbum ipsum, homo factū, nobis promulgauit. ¶ Ex hoc fit consequens, legem æternam solis post angelos hominibus, eisdemq; vniuersis esse notam: illis scilicet fœlicibus cœlicolis per essentiam, quam facie ad faciē intuentur: nobis autem per irradiationem, sicuti sol videtur in aula, eandēmq; plus minúsve susceptam. Nulli enim mortaliū existunt quibus non cognitio quæpiam veritatis effulgeat: veritas autem omnis (vt lib. de vera relig. autor est Augustin.) irradiatio quędam est & participatio legis æternæ: omnibus ergò est, licet gradibus inæqualibus, nota. ¶ Et per hæc concordia conciliatur inter illud Pauli. 1. ad Corinth. 2. Quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei. atque alterum ad Roma. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Diuinorum enim cognitio in seipsis soli Deo propria est: & beatis quibus ipse præsens refulget: nobis autem eandem donatur æternam legem per effectus conspicere. Nemo autem præter ipsum potest ea comprehendere. Quare de isto comprehensario iudicio loquebatur eodem libro de vera relig. Augustin. vbi aiebat, Lex æterna est de qua homines iudicare non possunt. Sunt enim indicia eius (vt ait Paulus) incomprehensibilis abyssus.

Ad primū argumentū

Corollariū.

Augustin.

Conciliatur duo Pauli loca.

Ad secũdũ ¶ Ad secundũ autem principale argumentum respondetur non esse legi necessarium in finem alium referri: sed vt per ipsam subditi referantur in finem: Lex ergò æterna non refertur: sed per ipsam Deus cũcta quæ fecit in seipsum refert, qui est. A. & Ω. principium & finis. *Ad tertiũ* ¶ Ad tertium deniq; respondetur quòd sicut in Deo ars factibilium ratione differt ab æterna lege, qua agibilia gubernantur: sic & rationes rerum quæ sunt ideæ, hoc est exemplares formæ, quas diuina mens contuetur in rerum fabrica, ab eadem æterna lege ratione differunt. Est ergò lex vna: rationes verò istæ de quibus Augustin. loquebatur, tot quot sunt rerum species. Differunt enim ratione in ordine ad ipsorum effectus.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm leges vniuersæ ab æterna promânent.

Prĩa ratio ad partẽ negatiuam. Paulus. Onsequitur hoc tertio articulo vt videamus vtrũ leges reliquæ omnes ex hoc fonte luminum deriuentur: & arguitur à parte negatiua. Est lex fomitis quam (vt suprà audiuimus) ait Pau. repugnare legi Dei: suntq; & iniquæ hominum leges de quibus *Esaias.* Esai. 10. Væ qui condunt leges iniquas. Leges autem legi æternæ aduersantes, atq; ab illa deflexæ nequeunt ab illa deriuari: ergo non omnis lex ab æterna deriuatur. *Secunda rõ* ¶ Secundò arguitur. Leges humanæ (vt. 1. de liber. arb. author est Augustin.) multa permittunt quæ æterna lege prohibentur: vt meretricia & mendacia: ergò eiusmodi leges non possunt ab illa emanare. ¶ In contrarium autem est illud Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

Satisfit quæstioni agitatæ vnica cõclusione. AD quæstionem, hac verissima eademq; lumine naturale cõpertissima cõclusione respondeť. Omnis in vniuersum lex, præter æternam, qua ratione iusti quippiam continet. ab illa æterna deriuatur. Assertio *Augustin.* est Augustin. eodem lib. 1. de lib. arb. vbi ait, Nihil est iustũ ac legitimum quod non ex æterna lege homines deriuauerunt. Atqui natiuam hui⁹ causam pariem superiori quæstione, articulo de legis latoribus attigimus, & nunc emunctiùs exprimamus oportet. Est enim ordo in natura causarum ità dispositus vt inferiores non nisi superiorum virtute admotæ moueant. Vnde (vt. 8. Physi. author est Aristot.) necesse est primum motorem confiteri, à quo inferiores reliqui dependeant. Si enim primus non mouoret, reliqui neutiquam mouere valerent. Eundem ordinem &. 1. Ethicor. inter artes ostendit. Illa enim quæ maximè est architectonica reliquis veluti Princeps imperat: igitur in legibus quibus mundus gubernatur, idem est ordo meditandus & confitendus. Nempè vt omnium sit vna suprema quæ caput earum sit & origo. Hanc autem appellamus (vt ipsa est) æternam. ¶ Quòd si sciscitaris an eô præcisè dicatur æterna, quòd neq; initium habuit, neque habitura sit finem: Respondetur non idcirco solùm, verùm ob hoc maximè quòd nulla sit ratione mutabilis, nec vlli varietati subiecta: sed sicut in naturalibus primus motor, qui immobilis est, causa est motuum sub se longè differentium: sic lex æterna, immota persistens, causa est vt mortalium leges, eorum variabili conditione mutata, permutentur. Ipsa enim vniformis ac maximè vna iussit vt natura integra, omnia essent communia: corrupta verò, inter diuersos dominos distribuerentur. Quo fit vt lex hæc à nulla sit alia deriuata, nec verò à seipsa: talis enim assertio secum pugnaret. Quòd si quis arguat contrà, non omnem legem ab illa deduci: nam lex diuina puta Euangelica non apparet quomodò inde descendat: cùm non videantur esse duæ. Iam proximo articulo responsum est, diuinam positiuam, esse effectum ac participationem illius æternæ. Ob id enim dicitur positiua: quòd posita est nobis: hoc differens à naturali, quæ eiusdem æternæ est etiam participatio, quòd naturalis ordinat nos proximè ad finem naturalẽ: diuina verò ad supernaturalem, vt paulò inferiùs euidentius fiet.

Aristot. *Ratio cõclusionis.* *Quæstio.* *Responsio.* *Obiectio.* *Solutio.*

Ad primũ argumẽtũ. AD primũ igitur argumentũ de legẽ fomitis quã Paul. existere in membris ait, legiq; mẽtis repugnare: iam suprà diximus existere in ipsis, non tanq̃ in regulante, sed tanquam in subiectis naturali appetitus inclinationi. Quæ dicitur lex fomitis seu fomes ex priuatione iustitiæ originalis derelictus: qui quidem nihil aliud est q̃ sensualitatis pondus. Bifariàmnanq; inclinatio aliqua dicitur lex. Vno modo in quãtũ per ipsam directè

directè legifer promouet subditos in finem honestum,atq; altero modo in quantum in pœnam eos destituit permittitq; naturæ impetu ferri,Vnde ille sensualitatis insultus in sua obiecta,quæ brutis animalibus esset naturalis,lex,nempè naturæ suæ consonãs,hominibus est obliquitas ac deflexio naturæ suæ quatenùs est rationalis, cui quidem rationi motus ille recalcitrat. Et quia per iustitiam originalem idem sensualis appetitus quasi fræno continebatur nè à ratione exorbitaret,& eandem iustitiam homo per peccatum amisit, ac subinde à Deo destitutus est, dicitur inclinatio illa, fomes ac fauilla ignei peccati,atq; adeò distorta lex per quã similis bestijs factus est homo: secundùm illud Psalm. Homo cùm in honore esset non intellexit:comparatus est iumentis insipiẽti b° & similis factus est illis hoc est sensuali,legi subiectus quæ illi cũ bestijs cõmunis est.

Ad secundum. ¶ Vt ergò ad argumẽtum adaptetur respõsio,distinguitur prior præmissa.Conceditur inquam fomitem peccati esse legem,non directè inclinantẽ in verum bonum: sed in id quod est sensuale bonum,hoc est, quod est delectabile aut vtile.Et pariter distinguitur cùm subsumitur, non deriuari à lege æterna:fatemur id inquam quatenùs à ratione deuiat: negatur verò quatenùs inclinat in bonum quodppiam,scilicet sensuale.Ac præcipuè qua ratione est pœna peccati: nam intentio Dei fuit per illam desertionem liberi nostri arbitrij punire peccatum Adæ.

¶ Ad secũdum eôdem propè modo respondetur.Leges enim iniquæ quatenùs à ratione declinant(vt.2.de legibus ait Cicero)non modò leges habendæ non sunt, sed nec appellãdæ quidem.Quare hac ratione ab æterna non emãnant.At verò quatenùs non nihil similitudinis legis retinẽt: videlicet inquantum potestatem imperandi designant quodammodò influxus sunt diuinæ potestatis.Nam(vt ait Paul,) Omnis potestas à Domino Deo est.Vnde vt.q.6. & latiùs lib. 5.q.4. innotescet,etiam potestas infidelium principium à Deo deriuatur: iuxta verbum Christi ad Pilatum, Non haberes aduersum me potestatem vllam, nisi tibi datum esset desuper. *Ad tertium.* ¶ Ad tertium deniq; respondetur quod lex humana quæ malum permitteret approbando vt bonum:vt illa quæ fornicationem pronuntiaret esse bonã, nequâquã ab æterna effloreret.Illa autem quæ impunè eam permittit, quia omnia non potest coercere flagitia,in hoc quòd non conatur ad id quod perficere nequit,recta ac prudens est, atque ideo à lege æterna descendit: licet eam tanquàm debilior perfectè non adæquet.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm creata cuncta,tam necessaria quàm cõtingentia æternæ subijciãtur legi.



Vbsequitur vt quarto huius quæstionis articulo exploremus an tota creatura rũ vniuersitas subdita sit æternæ legi. Et quidẽ de affirmatiua cõclusione non solùm sacrosancta fides, verũ nec ratio Physica ambigere sinit. Vt enim Domini est terra & plenitudo eius,quãtum ad creationẽ:sic & quantum ad gubernationẽ (vt ait ipsa Sapientia) attingit à fine vsq; ad finem & disponit omnia suauiter. Et cap.14 Tu pater gubernas omnia prouidentia.Vnde non modò Iob eos irridet, qui Deum negabant nostra curare, sed aiebant inter cardines cœli contineri:verùm & Cicero initio de Natu. Deorum vehementer eosdem obiurgat Philosophos neq; eos suo nomine dignos censet.Nam si diuinam prouidentiam de medio sustuleris,nulla in nobis inesse potest erga Deũ amicitia,pietas,sanctitas, aut religio.At interrogata hæc quæstio est vt quorundam dubietates explanemus. Sunt autem tria hæc de quibus dubitatur,scilicet necessaria,contingentia,& humana: nimirum homine superiora,eodemq; inferiora, & sua ipsius opera. Arguitur ergo quòd necessaria non subsint æternæ legi. Lex omnibus imponitur,vt à malis cohibiti recta incedãt, ac subinde reliquis rebus humilioris ordinis vt tramitem quoque naturæ suæ non deserant:necessaria autem, cùm impossibile sit aliter se habere,nequeunt à natura sua declinare,aut deficere:atque adeò nulla indigent cohibitione:ergò legi æternæ nõ subijciunt.

Cicero.

Ratio permotæ quæstionis.

Triplex genus rerum quæ in præsentem veniunt quæstionem.

Primum argumentum

¶ Et secundò arguitur.Diuina nõ sunt subiecta eidem legi,videlicet neq; personæ diuinæ nec attributa:quia vbi est summa æqualitas nulla esse potest subiectio:ergò non omnia necessaria subduntur eidem legi.

Secundum argumentũ

¶ Tertiò arguitur,qđ neq; omnia cõtingentia mutabilia & caduca hoïe inferiora supponãtur eidẽ legi. Lex nõ ponitur(vt suprà visum est)nisi quibus promulgatur: rebus autem rationis expertibus nulla valet promulgari

Tertium.

mulgari lex: quippè quam cognoscere nequeunt: imò neq; legi parêre possunt. Nam vt autor est. 1. Ethi. Philosophus, ea quæ legi parent ratione participãt: ergò illa nulli substernũtur legi. ¶ Quartò ad idẽ arguitur: eiusmodi cõtingẽtia sæpe à sua deficiũt regula, vt patet in mõstris naturæ, & in fortuitis casibus: ergò non omnia eadem gubernãtur lege. ¶ Quintò arguitur de humanis nostris actionib⁹. Homines enim aut iusti sunt apud Deum aut iniqui. Iusti autem, quia filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur (vt patet ad Romañ. 4.) &, vt legitur ad Galat. 5. qui spiritu Dei aguntur non sunt sub lege: iniquos verò prudentia carnis exercet: quæ (vt eodem loco ad Romañ. subditur) cùm inimica sit Deo, legi eius non est subiecta: nulla ergò restat mortaliũ sors quæ subdita sit æternæ legi. ¶ Sextò denique arguitur: lex æterna (vt lib. 1. de liber. arb. ait Augustꝰ) est illa qua mali miseriam, boni autem vitam beatam merentur: beati autem & damnati exempti sunt ab statu merendi ac demerendi: ergò non subiacent æternæ legi. Ex quo consequens apparet vt nullus angelorum subiectus eidem sit: siquidem nullus est nisi aut beatus aut damnatus. ¶ In contrarium autem est illud Hester. 13. Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati.

Philosophus. *Quarta ratio.* *Quinta.* *Paulus.* *Sexta ratio.* *Augustinus.*

Vnde Augus. 9. de Ciui. Dei: nullo modo aliquid legibus summi Creatoris ordinationiq; subtrahitur, à quo pax vniuersitatis administratur.

AD quæstionem hanc tribus conclusionibus secundùm dubitatorum numerum respondetur. Prima est cuncta necessaria præter Deum eiusq; attributa æternæ legi subiecta sunt. Conclusio fidei nostræ documentis satis comperta est: atq; eiusdem sapientiæ præconio Prouerb. 8. Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera formabat sursum, & librabat fontes aquarum &c. Vbi necessaria, nempè elementa & cœli legis æternæ dispositioni subiugantur: sed tamen & natura magistra id Aristot. 2. Metaphy. tex. 4. & lib. 5. perscrutatus est: Vbi ait æternorũ esse causam. Et. 12. Metaph. text. 24, vbi ait primam causam esse omniũ causam. Et. 8. Physic. vbi vnum summumq; motorem constituit ex quo omnia pendent, non solùm in mouendo & operando, verũ in essendo. Necessaria enim non ideircò talia censenda sunt quòd causam non habeãt, sed quod natura sua sic procedunt ex necessaria causa, vt sint prorsus per naturam incorruptibilia: veluti angeli & cœli. Exemplum Arist. profert in scientijs. Huius enim quod est, hominem esse risibilem, causa existit quòd est animal rationale: etsi tam necessarius sit effectus quàm causa. Et sicut se habet res ad esse (ait ibidem) sic ad veritatem. Hæc gratia interpretandi Aristot. dixerim: qui cùm opinatus fuerit cœlum atq; intelligentias, imò verò mundum, ab æterno fuisse, sunt qui intelligere nequeant quo modo quantum ad esse, primo motori subijciantur. Nam secundùm fidem, Deum confitentem creatorem cœli & terræ, peruiũ est quo pacto eius gubernatui cuncta obtemperent naturalia vt cœlorum elementorumq; motus, quæ sic manu omnia tenet ac dispensat, vt si dimitteret, in nihilum abirent cuncta.

Primæ cõclusio responsiua. *Prima probatio cõclusionis.* *Aristot.*

¶ Sed arguis contrà: veritates perpetuæ, vt hominem esse animal rationale, quatuor & tria esse septem, quæ ait Augustꝰ. antequàm fieret mundus vera fuisse, non subdũtur æternæ legi: ergò conclusio non est vniuersalis. Probatur antecedens: per nullam potentiam aut vera esse cœperunt, aut desinere esse vera possunt: ergò non reguntur illa lege. Respondetur. Primùm, in hoc sunt à Deo dependentia quod existere in rerum natura cœperunt per diuinam creationem, & per annihilationem possunt esse hoc existentiæ amittere: nam quantum ab huiusmodi existentiã re vera creaturæ sunt. Attamen quantum ad perpetuam veritatem, quæ dicit connexionem indissolubilem prædicati ad subiectum ea præcisa ratione procedunt ab æterna veritate, qua radius luminis perpetui à perpetua luce: veluti hominem esse risibilem, germen illius est quod est esse rationalem. Excepimus autem Deum ac diuina ab hac subiectione æternæ legis propter rationem suprà factam: quia vbi nihil excogitari potest inæqualitatis, neq; comminisci quicquam possumus subiectionis. Quare filius & si à patre procedat nullatenùs ei subditur nisi in quantum homo: qua scilicet ratione minor est patre. vnde. 1. ad Corinthi. 1. Paul. subiectus erit Deo patri cùm tradiderit ei regnum. ¶ Quòd si quis de voluntate pariter diuina argumentetur: Quicquid est rationabile rationi subditur: voluntas diuina est rationabilis, lex autem eius est summa ratio,

Obiectio. *Solutio.* *Nihil diuinum subest æternæ legi cùm non sit ibi aliqua inæqualitas* *Obiectio secunda.*

tio,vt dictum est:ergò voluntas eius eidem rationi subditur. Perdoctè S. Thom. respondet,de diuina voluntate bifariàm nos loqui: vno modo secundùm suam in qua subsistit naturam:& sic non est tam propriè rationabilis,quàm ipsa ratio per essentiam rationabile enim participationem dicit rationis. Altero modo quàtum ad illa quæ circa nos disponit:& in ordine ad tales effectus conceditur esse rationabilis: quia cuncta secundũ suam rationem ordine disponsat & administrat. ¶ Secunda conclusio: omnes creaturæ irrationales insensibilesque & vitæ expertes quæ continuo mutabilitatis fluxu oriuntur & occidunt æterna Dei lege aguntur. Hanc S. Tho. dilucidat per intercapedinẽ inter humanam diuinamq; legem quàm sic exposi-tam accipito. Creaturæ irrationales, quia nõ agunt per cognitionem finis, nequàquam se in ipsum mouent:sed appulsæ agũtur ab alio. Qua propter cùm homo legem subditis non ponat nisi regulam eorum mẽtibus sigillando per quam se moueant, fit vt eius leges non se extendant nisi ad homines rationis participes. Cætera verò humanis suis actionibus mouet & gubernat, ne mpè fræno & calcaribus:& reliqua in anima per alia instrumenta, Ridiculus enim esset qui iumẽtis legem præscriberet quando & quomodò debeant comedere, dormire, arare, currere &c. Ac multò magis stupidus, qui herbis crescere imperaret:aut arboribus fructus ferre:aut lapidi quo se pacto in ædificio collocaret. Tum etsi cicures animantes, vt canes & simiæ, soleant instar quadãtenùs legis ad iocos assuefieri: Deus autem non solùm regulam tam rationali quàm intellectuali creaturæ mente imprimit, qua se moueant, verũ & toti rerum vniuersitati suos indidit appulsus & instinctus quibus aguntur in suos singulorum fines:vt api ad mellificium:hirundini ad struendum nidum:& terræ proferẽdi fruges & reliquis suas pariter virtutes agẽdi. De quo rerum omnium instinctu & virtute intelligitur illud Psalm. Præceptum posuit & non præteribit. Ex quo fit Deum nõ omnia pari modo administrare ac disponere, sed actiones hominum & angelorum per regulas quibus se in finem moueãt: reliqua verò per virtutes & instinctus quibus mouentur. In quibus & homines connumerandi sunt quantum ad naturales actiones: vt sunt nutritio, & augmentatio, & similes. ¶ Tertia conclusio. Actiones humanæ, vide licet liberæ omnes subijciuntur legi æternæ: ac longè melius ac perfectius sub eius ordine comprehenduntur, quàm reliquo delectioris ordinis. Conclusio hæc patentior est quàm præcedentes. Actiones enim humanę sunt quæ ex cognitione finis prodeunt, in ipsumq; referuntur: ex vtrâque autem parte, scilicet tam cognitionis quàm appulsus, substernuntur æternæ legi:ergò perfectiùs quàm alij illi subduntur. Probatur secunda præmissa. Veritas omnis (vt suprà dicebamus) participatio quædam est veritatis sempiternæ diuinæ, ac subinde quæcunq; cognitio finis. Præterea sicuti cęteris rebus ad suos fines, sic homini, imò præstantiùs indita est à natura, quæ opus Dei est, inclinatio quædam & pondus ad id quod legi æternæ consonat. Sumus enim (vt 2. Ethico. Aristot. docuit) ad virtutes nati: hoc inquam natiuum est rationali creaturæ, vt secundùm rationẽ viuat: ergò tam secundùm cognitionem, quàm secundùm propensionem in bonum, liberis motibus necessarias, actiones humanæ substratæ sunt æternæ legi. ¶ Est tamen discrimen inter iustos atque iniquos: quòd in malis ac prauis vtrumque principiũ corruptum ac deprauatum est. Nam & sydus agnitionis naturalis terrenis affectibus tenebrescit, & naturalis affectio boni corruptis habitibus obteritur ac debilitatur. Tametsi neutrum prorsus extinguatur. In bonis autem ac iustis, cùm nemo hoc nomine, nisi qui in gratia Dei agit, dignus sit, vtrũq; augetur ac vegetatur. Nam & naturali lumini adhibetur fidei radius, & naturali inclinationi speciale Dei auxilium. Quo fit vt quãtum ad actionem longè perfectiùs ac excellentiùs iusti subijciantur æternæ legi quàm iniusti. Considerate hoc tamen S. Tho. adnotauit quòd quanto deficientiùs atque imperfectiùs per actionem se summittunt imperatrici legi æternæ, tanto per passionem atrociùs subiecti sunt eidẽ vltrici. Nam quãtum facere omiserunt in meritis, tantum in tormentis patiuntur acerbiùs. Vnde Augu. lib. de catechizandis rudibus: Deus, inquit, ex iusta miseria animarum se deserentium conuenientissimis legibus inferiores partes creaturæ suæ nouit ordinare.

Solutio. S. Thomæ.

Secunda cõclusio.

S. Thomas.

Aperitur ratio S. Tho.

Tertia conclusio.

Psalm. 148

Probatio.

Altera ratio.

Aristot.

Aliter prębi atq; improbi sunt subiugo legis æternæ.

S. Thomas.

Augustinus.

AD primum argumentũ respondetur q etsi necessaria aliter per naturam se habere nequeant, tamen & producta sunt & annihilari à Deo possunt. Præterea & quòd

Ad primũ argumentũ

à sua

à sua natura neq; deficere neq; deuiare possint: cohibitio est & coerctio legis æternæ, eadem q; multò vehementior quàm cohibitio voluntatis humanæ, quæ à tali lege exorbitare solet. ¶ Secundi autem conclusio conceditur: nempè in diuinis nihil esse subiectũ legi: sed cuncta esse eandem per essentiam legem. ¶ Ad tertium respondetur quòd brutis & insensibilibus rebus quantum ad sua naturalia opera promulgatur lex æterna per sigillationem instinctuum & virtutum ad agendum: sicuti nobis promulgatur lex naturalis per cõsignationem luminis in mẽtibus nostris. Sed tamẽ quantum ad earundem rerum vsus hominibus posita est lex, qua debent illi vti. Et per hoc respondetur ad secundam partem eiusdem argumenti. Nam etsi creaturæ irrationales rationem humanam non participent, vt possint humanis legibus obtemperare: participant tamen rationem diuinam quæ latiùs patet. Vnde sicuti membra dominio despotico obediũt animæ, vt autor est in Poli. Arist. sic res irrationales obediunt Deo. Hoc tamen verũ est quòd quia non sunt per se rationis compotes, instinctus illis impressi non habent propriam naturam legis, velut in nobis lex naturalis. ¶ Ad quartum respondetur quòd nec monstra neq; casualia præter ordinem diuinæ regulæ accidunt: sed dicitur monstrum respectu causæ particularis quæ rem integram intendebat: & casuale respectu hominis, cui præter intentionem imprudenti ac nescienti contingit: diuinæ autem rationi causæ ipsæ monstrorum & casualium prospectæ sunt. Quare Deo nihil est casuale nec fortuitum. ¶ Ad quintũ autem iam responsum est, hominum tam iustorum quàm iniquorum actiones diuinæ legi subditas esse. Quod autẽ adducitur, Qui spiritu Dei agun tur eos non esse sub lege, in hoc sensu legendum est, quòd legis pondere non premuntur: quia non seruili, sed filiali timore legis dicto audientes sunt, atq; adeò Spiritus sancti ductu potiùs quàm legis coactu, viuunt, quasi à lege liberi: Vnde illud, Iusto non est lex posita: & illud. 2. Corin. 3. vbi spiritus Domini, ibi libertas. Ad aliud autem de carnis prudentia itidem concessum est iniquos quantum ad actiones non subijci diuinæ legi imperanti, recidere tamen per passiones in eandem vindicantem. ¶ Ad sextum demum respondetur quòd cum eisdem causis res & moueantur in finem & in ipso conseruentur, consequens fit vt non modò in hac militãtium vita, verùm & in alia omnes sub eadem diuina lege degant: nempè dum beati seu homines consideres, seu angelos, il la sempiterna fœlicitate diuina ordinatione perfruantur: damnati verò tam dæmones quàm homines in illis carceribus ordinatio nem diuinæ iustitiæ perpessi durent.

Ad secundum.

Ad tertiũ.

Arist.

Ad quartum.

Ad quintũ

Ad postremum argumentum.

QVAESTIO QVARTA de lege naturæ.

S. Thom. 1. 2. quæstio. 94.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm lex naturalis sit habitus in nobis existens.

POST legem æternam consequitur vt de alijs quæ ab illa deriuantur dicamus. Et primũ hac quæstione quarta de lege naturæ. Atq; hoc primo articulo de eius substantia, an sit habitus nobis inhærens. Arguitur ergò cõtra id quod supponitur, Lex æterna secundùm August. lib. 1. de liber. arb. est, qua iustum est vt omnia sint ordinatissima: ergò per illam satis homo abundéq; gubernatur: cùm ergò natura in superfluis nõ redundet, non opùs est nobis alia lege præter æternam. ¶ Secundò arguitur: Homo aliter in suum finem tendit quàm bruta, vtpote qui se in finem liberè mouet per eius cognitionem, rationis ductu: bruta autem nulla se ratione agunt, sed aguntur naturali instinctu: ergò homo non mouetur lege naturæ, sed tantùm bruta. ¶ A parte autem affirmatiua quæsiti arguitur tertiò quòd sit habitus. Tria (vt. 2. Ethic. autor est Philosophus) sunt in anima nostra, scilicet potentia habitus, & passio: lex autem naturalis neq; potentia est, neq; passio, vt liquidò constat: quia tam potentia quàm passio indifferens ad contraria est, scilicet ad bonum & malũ: lex verò dictamẽ boni est: ergò est habitus.

Primum argumentum partis negatiuæ.

Secundum.

Tertium.

¶ In cõtrarium autem est quod vt suprà quæstione prima ostendebamus, lex est rationis dictamẽ: quod sonat actum, videlicet hoc aut illud faciendum est.

Ad

Prima conclusio. AD quæstionem hanc tribus cõclusionibus respondetur. Prima, Lex naturalis in mentibus nostris insculpta est & impressa. Probatur, Lex quæ (vt dictum est) regula existit & norma actionum nostrarum, duplex (vt dicebamus) habet subiectum. Inest enim & in regulãte, & in regulato: in altero tanquàm mouente & in altero tãquàm moto: actiones autẽ humanæ (vt proxima quæstione definitum est) subdũtur legi æternæ: ergo Deus, qui cuncta suauiter disponit, veluti naturæ autor impressit mẽtibus nostris lumen, per quod legem eius æternam participantes, actiones nostras ad debitum finẽ, quò suapte natura feruntur, dirigeremus.

Suadetur cõclusio.

Psalm. 90. De quo lumine Dauid interrogãtibus, quis ostendit nobis bona, ad Deum cõuersus, respondet. Signatum est super nos lumen vultus tui. Dicitur enim significantissimè Dei vultus, lumen suæ sapiẽtiæ & rationis facies, per quã, sicuti homo de vultu, cognoscitur.

Hæc autem naturalis impressio appellatur lex naturalis: secundùm illud Paul. ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt. Vbi gloss. si non habent legem scriptam, habent tamen legẽ naturalem, qua quilibet intelligit, & cõscius est quid sit bonum & quid malũ. ¶ Secunda conclusio. Lex naturalis neque potentia neq; passio est, neq; secundùm substantiam est habitus. Conclusio est sancti Tho. 1. 2. q. 94. quam, quia rari percipere curãt, rari credunt. Arbitrantur enim vulgò recentiores Philosophi habitus intellectuales esse propositiones ac iudicia habitualia: ob id quòd ex assensibus frequentatis relinquantur habituales assensus, quibus posteà efficiantur actuales. Sed re vera Philosophia hæc nõ est syncera: quoniam habitus nõ est iudicium, sed qualitas quædam & virtus eliciendi iudicia. Ex hac ergò veritate probatur conclusio nostra. Lex est dictamen (vt suptà dictũ est) quod ratio de agendis constituit: vt Non furãdum, Non mœchandum &c. Veluti iudicia speculatiua, sunt etiam opus intellectus: habitus autem (vt diximus) neq; est iudiciũ neque propositio, sed virtus talia efficiendi: lex ergò non est habitus per essentiam: sed dictamen quod formam habet præcepti.

Paulus. Glossa.

Secunda cõclusio.

S. Thomas.

Iuniorũ placitum.

Probatio cõclusionis.

Corollariũ. ¶ Ex quo fit legem naturæ non esse idem quod synderesis. Hanc enim idem Doctor

S. Thomas. sanctus 1. p. q. 79. docuit esse habitum: nempè virtutem mentis quæ nos inclinat ad assentiendum principijs practicis: sicuti habitus intellectus est propensio & appulsio ad assentiendum principijs speculatiuis. Atque hac ratione synderesis dicitur instigare ad bonum & murmurare de malo. In summa, sicuti habitus intellectus nõ est principiorum collectio, sed virtus assentiendi illis, sic neque synderesis est lex naturalis, sed est virtus assentiendi illis principijs ac dictaminibus practicis, quæ sunt lex naturalis.

Vnde vbicunque legatur synderesis esse lex intellectus nostri, vt est apud Basilium, intelligendum est non per essentiam, sed quod synderesis est habitus continens legem naturæ: quippè cuius virtute principia illa iudicamus. Hæc in gratiam eorum dixerim qui Physicæ meditationi dediti sunt. ¶ Secunda conclusio. Lex naturalis ineſt nobis per modum habitus. Probatur. Præcepta naturalia non solùm actu à ratione considerãtur dum actu quis præcipit, aut præceptũ auscultat: sed per modum habitus, hoc est, per modum permanentis in absentia actus.

Secunda cõclusio. *Probatio.*

Itàque sicuti scriptura sacra dicitur fides nostra: quia est collectio eorum omnium quibus per habitum fidei assentimus, ità collectio principiorum agendarum rerum dicitur habitus: quia virtute synderesis illis assensum præbemus. ¶ Quòd si quæras quidnam est hoc quod per modum habitus permanet præter synderesin? Respõdetur, esse species in memoria derelictas.

Quæstio incidens. *Solutio.* *Obiectio.*

Contra hoc tamen Philosophiæ studio sus insurget. Lex naturalis indita est naturæ nostræ in ipsa eius conceptione: tunc autem nullæ ingenerantur species rerum, sed illas postmodum sensuum adminiculo acquirimus. Respondetur, propterea legem naturæ dici nobis à natura inditam & impressam, quòd apprehensis terminis boni & mali illicò virtute synderesis intellectus efformat iudicia hæc & dictamina: Bonum est amplectendum, & malum repudiãdum ac similia, quæ scilicet eiusdem intellectus lumine innotescunt. Quare nulla opùs fuit specierum infusione: sed illæ posteà nullo negotio acquiruntur. ¶ Emergit nihilominùs argumentum aliud contra hanc synderesis impressionem. Habitus enim (vt in lib. de bon. coniu. autor est Augustinus) est quo aliquid agitur cùm opùs est: synderesis autem non est huiusmodi, quoniam paruuli ante vsum rationis, neque verò damnati vti possunt naturalibus principijs. Respondetur Augustinum solùm depromere habitus naturam,

Responsio. *Altera obiectio.* *Augustin.* *Solutio.*

turā,vbi non impeditur. Nihilo minùs quādo ratio ligata est,vt in dormientibus, nequit habitus suo fungi munere. ¶ De hac autem synesi deque habitu intellectus erga principia speculabilia per se nota vinci hoc sæpe argumento soleo, quòd non sint qualitates ab intellectu distinctæ: nam habitus ad hoc adhibentur,vt cùm potētia indifferens sit ad duo contraria, determinetur per eosdem & coarctetur ad vnum. Hoc enim pacto appetitus concupiscibilis per tē perantiam determinatur ad bonum virtutis:intellectus autem per se ipse determinatus est ad illa quæ lumine naturali sunt nota:vt pote qui suapte natura tales veritates amplexatur:nō ergò opùs habet aliqua qualitate vestiri,sed ipsæ forsan inclinationes naturales dicuntur inditi habitus. Cui autem oppositum probatius fuerit, aliam rationē meditetur. At iam plus iusto in Metaphysicam mergimur.

•

Ad primū argumentū principale. AD primum igitur argumentum respondetur, quòd etsi æterna lege gubernemur,id tamen fit per naturalem, quæ participatio illius est:sicuti lux Solis per lumen nos nobis irradiatum illuminat: igitur cùm lex naturalis non sit ex æquo ab æterna distincta,sed eius participatio, nequaquam superfluit. *Ad secundum.* ¶ Ad secundum,concesso antecedenti,puta quòd nos liberè,bruta verò naturaliter moueantur,negatur tamen consequētia,dum infertur hominem non moueri lege naturali:nam actionū libertas in aliquo principio naturali fundatur: nihil enim homo appetit nisi sub ratione boni: nempe illo subnixo naturali principio, Bonum est appetendum. Attamen proposito hinc bono secūdùm rationem, inde altero sensuali, liberè potest quod maluerit alteri præferre. Quin verò (vt proxima quæstione dicebamus)inde Lex naturalis in nobis,præ brutorum instinctu, legis rationem habet quod ratione nos ipsi ducimur: illa verò per impetum forinsecùs aguntur. *Ad tertiū.* ¶ Ad tertium respondetur quod Arist.loco illo Ethi.2. nō recensuit omnia quæ insunt in anima :quia nihil de actu vel intellectus vel voluntatis, nec verò de speciebus meminit:sed tantùm connumerauit principia quorum virtute intellectus operatur. Lex autem naturalis non est talis virtus sed opus ipsum, scilicet rationis dictamen,quæ modo exposito per modum habitus ineſt.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm lex naturalis plura contineat præcepta.

COnsequenter articulo secundo interrogat S. Thom. vtrùm lex naturalis plura contineat præcepta. Quem titulum qui oscitanter audierit,ridiculam iudicabit quæstionem: nam cùm Decalogus aliaq; illi multa annexa præcepta à lege naturæ ortum ducant,quisnam ambigere poterat plurima esse præcepta iuris naturalis? At verò S. Thom. meditatè vbique secundū Philosophiam loquitur. Præcepta enim illa absolutè dicuntur legis naturæ, quæ illius sunt propria quatenus ab humano diuinoq; iure distinguitur: nempe illa principia quæ nullo indigent discursu, sed per se sunt lumine naturali nota. Illa videlicet de quibus modò definitum est, esse nostræ naturæ congenita. De his ergò non est vanum quærere sintne plura. ¶ Arguitur enim non esse nisi vnum. Lex (vt suprà dictum est) in genere præcepti collocatur:si ergò plura sūt præcepta naturæ, plures sunt eiusdem leges cùm tamen vulgo non ponamus nisi vnam legem naturæ. *Primū argumentum proparte negatiua.* ¶ Secundò arguitur. Humana natura est vna,vnaq; humani generis ratio:ergò vnicum est primum eius præceptum. Quòd si dixeris præcepta multiplicari secundùm naturarum numerum ex quibus homo constat,vt aliud sit eius naturale præceptum in quantum est ens, aliud in quantum animal,atque aliud in quantum homo:tūc inde sequeretur, ea etiam quæ ex inclinatione cōcupiscibilis appetitus nobis contingūt ad legem naturæ pertinere,quod cùm intra rationis lineam non contineantur, absurdum videtur. *Secundum.* ¶ Tertiò arguitur contra præcepti nomen. Lex nulla obligat nisi qua ratione à superiore edicitur: natura autem non est nobis superior nec iudex noster, sed Deus atque eius ministri homines: ergò lex naturæ,nisi adesset diuinū ius aut humanum, nullam haberet vim obligandi, vt eius transgressio esset peccatum. *Tertium argumentum* ¶ In contrarium est quòd perinde se habent huiusmodi præcepta legis naturæ circa principia agibilium,vt principia in speculabilibus:sed hæc sunt plura,ergo & illa.

ANte quæstionis huius responsum,cùm iam præmonitum sit sermonem hic haberi

haberi de præceptis legis naturæ, non quibuscunque, sed proprijs, putà quæ nullo discursu, vt ius humanum: nec superiori reuelatione, vt diuinũ indiget: sed per se ipsa nota sunt, adnotandum est dupliciter dici propositionem per se notam: vno modo secundùm se & altero relatione ad nos. Illa enim propositio est priori modo per se nota, cuius prædicatũ est de intrinseca ratione subiecti: vt Deus est, homo est rationalis. Etenim qui naturam subiecti penetraret nullo indigeret medio vt propositionis veritatem deprehenderet. Quo ad nos verò tales propositiones non sunt per se notæ: quoniam extremorum naturam non plenè percipimus.

Duplex genus propositionis per se notæ.

Vnde iuxta sententiam Boëtij in libr. de Hebdom. Quædam sunt propositiones simpliciter per se notæ, quippè quarum terminj omnibus sunt patentes: vt omne totum est maius sua parte. Aliæ verò sunt per se notæ solis sapientibus qui terminos percipiũt, vt, Angelus non est circunscriptus loco. Intelligenti nanque non esse corpus, illicò patescit nullo circunscribi loco. Ad propositum descendendo sicuti primum quod rationi speculatiuæ offertur, est ens (hoc enim de rebus vniuersis primum percipimus) sic primum quod rationi practicæ de appetibilibus & agibilibus offertur, est bonum: nam sicuti primum obiectum intellectus est ens, sic & primũ volũtatis, est bonum. Quare sapienter Philosophus Ethicorũ initiũ ab hoc sumpsit principio: Bonum est quod omnia appetunt. ¶ His præiactis duabus conclusionibus ad quæstionem respondetur.

Boetius.

Primacõclusio.

Prior est: Præcepta propria naturalis iuris, hoc est, prima per se nota principia, sunt plura. Probatur: principia naturalia (vt nomen auribus intonat) sunt illa quæ natura nobis impressit: natura autem hominis ex pluribus partialibus constat. Est enim ens, quæ vtiq; natura cõmunis illi est cũ vniuersis rebus. Mox est cum viuentibus viuens, deinde inter animalia animal, ac demùm homo, ergò secundùm omnes hos naturæ gradus peculiaria habet prima præcepta. Exempli gratia, quatenùs est ens, hoc est generalissimum ei omnium præceptorum: Bonum est expetendum & prosequendum, malum autem respuendũ ac fugiendum. Hoc enim præceptum cunctis mundi rebus commune est, idq; adeò omnium finis appetibiliũ in quod suasibilia omnia tanquàm in primum principium reducuntur: licuti in speculabilibus, quodlibet esse aut non esse, vt 4. Meta. tex. 9. autor est Aris. Mox quia primum naturalium bonorũ est esse, inde statim cadit particularius aliud prĩcipiũ quod est, Esse proprium cuique conseruandũ est. Omnia enim appetunt se conseruare, suisque contrarijs obsistere. Et ratio est illa generalis: quia illud est cuique bonum: hoc verò malum. Neque alia expetenda est causa: siquidem hoc (vt modò dicebamus) est primum principium in quod omnes appetitiones resoluuntur. Quicquid enim homo vel quæuis res mundi appetit, id concupiscit sub ratione boni vel veri vel apparentis. Atque hoc vtique appetitu hominem, cùm sit omnium perfectissimus quæ sub cœlo sunt, inferiorem cæteris modo quodam video, eò quòd ex duabus constet diuersis naturis. Nam res vniuersæ id solum bonum appetunt, quod illis verè est bonum: homo verò illud etiam, quod licet sensui est bonũ rationi tamen, quæ sua est natura, existit malũ. ¶ Deinde descendendo deriuatur aliud principium legis naturæ ac præceptum hominis in quantum est animal, quod ad commixtionem masculi ac fœminæ attinet. Hic enim existit animalibus peculiaris modus conseruandi speciem. Nam etsi in arboribus, vt in Palmis & Lauris quædam deprehendatur imago masculi & fœminæ, atque in herbarum quibuspiam: tamen veram masculi seminationem in solis animalibus agnouit Philosophia. ¶ Ex his demũ trahitur aliud principium hominis in quantum est rationalis, qua vtique ratione inclinationem habet ad cognitionem Dei ac virtutis bonum. Ex quo rursus ei conuenit appetentia ad societatem & ciuilitatem: vnde illud: Id facias alijs quod tibi fieri vis: idque nè facias, quod non tibi vis fieri. In summa: generalissimum illud, bonum est appetendum ac malum repudiandum, in homine fit peculiare legis naturalis principium: scilicet honestum virtutis bonum exoptandũ est & amplectendum, contrariumque vitiorum malum refellendum, vt ad fœlicitatem perueniatur. ¶ Secunda conclusio. Lex naturalis nihilo minùs est vna, Probatur: quia vnitas legis à fine desumitur: est autem horum præceptorum, vt vnum principium, quod est ratio: ità & finis vnus & scopus, qui (vt diximus) est bonum in genere.

Aristo. secũdũ prĩcipiũ practicum.

Quid sit causa vt homo nõ tantũ verum bonum sed speciem boni expetat: cũ id in cæteris rebus secus cuenire cõpertũ sit. Tertium hominis principium quatenus animal est.

Postremum atq; peculiare hominis principium.

Suadetur cõclusio.

Primũ principium practicũ idemq; generale congruens homini quatenus est.

Secunda cõclusio.

Ratio conclusionis.

¶ Per hæc ergò iura tam Canonica quàm Ciuilia innotescunt, quæ de iure naturali lo-

Explanãtur aliqua iura

quuntur,

ciuilia et canonica. quuntur. Isidò. enim (vt habetur distinct. 1. can. ius naturale.) nihil de generalissimo meminit, quod rebus vniuersis commune est: sed de illo tantùm quod est cõmune omniũ nationũ, vt viri & fœminæ coniunctio. Quãuis & hoc certiùs expressit Ius ciuile. Inst. de iu. na. & ff. de iust. & iure. scilicet Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit. Doctrinam enim appellat naturalem instinctum à natura inditũ. Alioquin docere propriè discursum denotat rationis, quod ad ius gentium propriè attinet & ad ciuile.

Ad primũ argumentũ AD primum igitur argumentum respondetur non esse idem prorsus præceptũ quod lex. Diximus enim legẽ esse quid vniuersalius: quare ratione vnius finis & principij, plurium præceptorum collectio & ordo pertinẽt ad vnam legem: sicuti tota scriptura sacra ad vnam fidem.

Ad secundum. ¶ Ad secundum autem conceditur, inclinationes omnes, etiam appetitus sensitiui ad legem naturæ pertinere, ratione tamẽ diuersa: nam quatenus considerantur, non vt rationi obedientes, sed tẽdentes in sua sensualia obiecta, dicuntur præcepta naturalia ea ratione qua in brutis: sed quatenùs ratione gubernantur, sunt peculiaria præcepta hominis. Ex quo fit quod in homine, vt duæ sunt naturæ diuersæ, sic & duæ leges: sed quia sensualis sumitur à genere animalis quæ materialiter se habet in homine respectu rationalis naturæ quę est eius forma, speciem cõstituens, inde fit quod peccata omnia, quia sunt rationi contraria, licet sint secundum sensualem naturam, dicantur simpliciter contra naturam hominis, vt cap. 4. de diui. nomi. autor est Dionysius.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium argumentum, quod præcipuum est, per distinctionem respondetur. Enimuerò in prauis moribus, licet re vera connexa sint ambo, duo tamen considerantur: scilicet ratio mali, & ratio culpæ. Et quidẽ ratio naturalis mali, etiam si per impossibilis cogitationem loquendo nec Deus esset neq; alius superior, solus ipse peruersus rationis ordo esset causa vt homicidium & furtum & similia essent mala moralia: sicuti claudicatio est malum naturale: quia obliquitas est à gradiendi regula. Attamen ratio culpæ, quæ dicit inimicitiam & supplicij meritum, non intelligitur nisi vbi est superior cui obedire tenemur. Vnde optimè definit Augustinus. peccatum per hoc quod sit cõtra legem Dei. Responsio ergò argumẽti est quòd sola quidem natura obligaret vt transgressio esset mala, licet non culpa: verũ tamẽ quia natura effectus est Dei, lexq; naturalis deriuatio diuinæ legis æternæ, fit vt præcepta naturæ obligent vt transgressio eorum sit, non solùm mala, sed vera culpa.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm omnes virtutis actus sint de legæ nature.

DVabus cõclusionibus superioris articuli duos alteros adhibere operæ pretiũ est: vt inspiciamus, tum qualiter ex illis principijs naturalibus virtutes oẽs veluti earum conclusiones promãnent: tum etiã quo pacto vna sit lex naturæ, eademq; apud omnes. Interrogatur ergo in hoc tertio articulo, Vtrùm omnes virtutes sint de lege naturæ. Arguitur enim à parte negatiua. Lex æterna iam suprà constituta est origo & fons omnium legum: virtutes autem omnes ge aliqua diriguntur: omnes ergò inde virtutes ortum ducunt: sed lex naturalis alia est quam æterna: ergò actus virtutum non sunt omnes de lege naturæ, sed de lege æterna.

Prima ratio.

Secunda ratio. ¶ Secundò arguitur: ea quæ sunt secundùm naturam cunctis conueniunt: quippe cùm vna sit omnium natura: virtutes autem non omnes omnibus congruunt: nam abstinentia & inedia quæ vni est temperantiæ moderatio, in altero qui imbecillior est, eidẽ aduersatur virtuti. ergò non omnes virtutes sunt eiusdẽ legis germina. Eò vel maximè quòd lex omnis (vt dictum est) in commune bonum ordinatur. virtutes autem quæpiam, vt temperantia, non ordinantur nisi in particulare bonum personæ.

Tertia. ¶ Tertiò, officia quæ secundùm leges ciuiles fiunt, sunt veræ virtutes: leges autẽ ciuiles non sunt eædem apud omnes: nam optima quæq; respublica suis peculiaribus legibus communitur: illæ ergò virtutes non legis naturæ, quæ vna est apud omnes, sed iuris humani sunt.

Quarta. ¶ Quarto arguitur. Lex Diuina, vt Euangelica, non descendit à naturali, quippè qua excellior est: ergò virtutes illi conformes, vt susceptio baptismi & sacramentalis confessio, neutiquã dici possunt de lege naturæ.

Quinta. ¶ Quintò, si virtutes omnes humanæ riuuli essent accõclusiones iuris naturæ: consequens protinùs fieret cuncta vitia esse contra naturam: sunt autem

autem quædam, quæ peculiariter cẽsentur contra naturam: non ergò omnes fiunt secundùm legem naturæ. ¶ In contrarium autem est sententia Damasceni lib.2.vbi ait, virtutes omnes esse secundùm naturam: vitia verò vniuersa contra naturam.

Damascen⁹

In quo sensu differatur quæstio proposita.

ADeundem modum quo suprà definitum est, leges omnes ab æterna deriuari eidemq; subinde actiones humanas subdi, disputamus modò an virtutes omnes humanę ad normã naturalis legis fiant. Et seruit quęstio hęc ad explicãdam radicẽ distinctionis virtutũ de lege naturæ, & de humana, & de diuina. Est ergò hic secũdùm argumentorũ exigentiã opùs distinctione. Virtus enim & secundùm eius generalẽ rationem ac formam considerari potest, & secũdùm particulare obiectũ. Virtus inquam inde habet generalẽ virtutis formã & nomen quod opùs est secundùm rationẽ. Et iuxta hanc cõsiderationem constituitur hic prima conclusio.

Distinctio virtutis.

Prima conclusio.

¶ Omnes humanæ virtutes sunt secundùm hominis naturã. Probatur: Virtus est nihil aliud quàm habitus operatiuus secũdùm rationis normã: naturalis autẽ hominis propẽsio, in quantum est animal rationale, ad operandũ tẽdit secũdùm rationẽ. Nam cùm forma à qua res speciẽ sortitur, tribuat ei naturalem inclinationẽ, fit vt sicut grauis natura est secũdũ suam formã ad cẽtrũ cadere, natura verò ignis, secundùm suã sursum ascẽdere: sic natura animalis, cuius anima rationalis existit: sit secũdùm rationẽ viuere. Vnde Cicero lib.2.de Inuẽ. Virtus, inquit, est animæ habitus, naturæ modo (hoc est ad naturæ modũ) cõsentaneus rationi. Et de offic. lib.3. Magis, inquit, secũdùm naturã est virtus, puta comitas, iustitia, liberalitas, quàm voluptas, quàm vita, q̃ diuitiæ. Deniq; virtus nullo significãtiùs pacto definiri potest (vt.1.de legib. ipse ait Cicero) quàm quod sit perfecta & ad summum perducta natura, &c.

Cicero.

Secunda cõclusio.

¶ Secũda cõclusio: si virtutũ actus secũdùm earum materias & species cõtempleris, non omnes sunt de lege naturæ. Prima statim huius cõclusionis ratio est hæc: Lex humana à naturali, vno omniũ consensu, distinguitur: virtutes autẽ ratione generali sunt omnes de lege naturæ, vt priori cõclusione patet: necesse ergò est virtutes legis humanę, & illas quę sunt legis naturæ ratione peculiarium obiectorum distingui quibus sortiuntur species. Probatur autẽ secundò, vt legitima pãdatur causa. Illæ virtutes dicuntur de lege naturę, ad quas statim natura inclinat: nõ solũ tanquàm ad prima principia, verũ tanq̃ ad conclusiones ex eisdẽ principijs absq; humano discursu pullulantes: illę autem sunt humanæ, quæ secundùm leges pro temporum locorum ac negotiorum varietate humana ratione inuentas, fiunt. Peruia sunt exempla. Præcepta Decalogi sunt de iure naturæ: nã ex illo principio q̃ bonum est diligendum, atq; ex altero q̃ vnaquæq; res suũ esse & vitã diligit, statim absq; lõgo rationis discursu prodeunt præcepta primæ tabulæ, scilicet q̃ Deus Optimus Maxim⁹ cuius beneficio & sæculari vita donati sumus, & sempiternam expectamus, amemus, neq; eum iurãdi abusu contemnamus, sed feriatis diebus colam⁹ & veneremur. Ex alio autem, Id facias aliis quod tibi fieri vis: idque nè facias, quod tibi nõ cupis. deducuntur mãdata cuncta secundæ tabulæ, quæ omnia in officijs iustitiæ posita sunt. Quare (vt infrà dicemus) nulla super his fieri potest dispẽsatio: nullaq; obtendi excusatio per ignorantiam. Sed hæc inferiùs sunt emunctiùs perpendenda. Præter hæc autem secundùm diuersas rerum circũstantias humana ratio diuersas excogitauit leges. Vt post naturam corruptam ius gentium fecit rerum diuisiones: & vnaquælibet respublica pro suæ gentis, ac loci qualitate instituit suas leges: vt putà pręscriptionis, vẽditionis aliorumq; humanorum cõtractuũ: ad quæ non nuda natura primũ inclinabat. Hæc duo scitè Arist. dignouit Ethi.7.vbi distinguit iustum naturale ac legitimum, puta humanum seu ciuile: nẽpè quod naturale sit quod vbiq; vim habet eandẽ, non quia videtur vel nõ videtur, id est, non quia humana ratio ità de cirũstantijs ratiocinatur: ciuile autem quod à principio nihil refert sic an aliter habeat: cùm verò positũ fuerit refert: quale est, mina captiuos redimi, vel capram Dijs, sed non duas oues mactare. Idem de legibus ecclesiasticis, vt potè de delectu ciborum, deq; his aut illis diebus festiuiter feriandis. Tametsi his instituendis ius diuinũ radices iecit. Hæc in genere dicta sint, in quæstione proxima & subsequẽtib⁹ collimãda.

Arist⁹

Prima rõ.

Secunda ratio.

Ad primũ

AD primum igitur argumentum respondet minimè secũ pugnare q̃ leges omnes ab æterna dimãnent, & tamen virtutes humanæ sint de iure naturæ, quatenùs omnis virtus rationi cõcors est: nam lex naturalis

turalis nō est ab æterna diuersa, sed eius participatio. ¶ Ad secundum autem respondetur quòd etsi diuersæ virtutes diuersis congruant personis, omnes tamen pensatis circunstantijs fiunt secundùm rationem: atq; hac generali causa censentur de iure naturę. Neq; obstat aliquas ordinari in bonum personæ: nam in indiuiduis conseruatur bonū vniuersale naturæ. Per rectum enim eduliorum vsum ac venereorum sustentatur natura. Et præterea per particulares virtutes fit ad communem fœlicitatem progressus.

Ad secūdū

Ad tertiū ¶ Ad tertium respondetur, Quòd etsi virtutes humanarum legum secundùm suum genus, scilicet quia secundùm rationem fiunt, dicant de lege naturæ: simpliciter tamen appellantur de lege humana: quia vnūquodq; à sua atoma specie denominatur.

Ad quartū ¶ Et ad eundem penè modum respondet ad quartum. Virtutes enim conformes diuinæ legi non dicuntur simpliciter de lege naturę, sed potiùs supranaturales: licèt quodam pacto etiam secundùm genus dicantur de iure naturali. Non quidem sicuti humanæ, quia lex diuina nullatenùs deriuatur à naturali, sicut humana: sed quia ratio naturalis diuina luce illustrata quodam modo etiam inclinat ad virtutes diuinas. Suppositio enim q̄ homo sit creatus ad fœlicitatem supranaturalem, consentaneum rationi est, vt officijs etiam exerceatur supranaturalis legis.

Ad quītū. ¶ Ad quintum respondetur secundùm superiorum doctrinam. Etenim cùm in homine duplex sit natura: altera propria, quæ est secundùm rationem viuere: altera verò generica, scilicet cunctis animalibus communis, quæ est, per commixtionem maris & fœminæ speciem propagare: consequitur vt sicuti omnes virtutes secundùm propriam naturam nostram, hoc est secūdùm rationem fiunt, ità & omnia vitia sint contra naturā, hoc est contra rationis præscriptum. Attamen ea quæ non solùm contra rationem, nobis propriam patrantur, verùm & contra genericam naturam animalium, dicuntur per antonomasiam contra naturam. Itâque simplex fornicatio est contra naturam, hoc est contra rationem, quæ dictat parentibus cognoscendas esse proles, vt debitè ab illis educentur & moribus instituantur, quod homini proprium est: nefandum verò crimen, eò insuper quòd inuehitur contra fundamentum generationis cunctis animantibus communis.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm lex naturæ cunctis sit mortalibus vna.

NON satis est constituisse legē naturalem in singulis vnam esse, vt arti. 2. dictum est, nisi exploremus an eadem sit apud omnes. Arguitur enim non esse in toto humano genere eandē. Ait enim Gratian. in capite statim Decreti, ius naturale esse id quod in lege & in euangelio continetur: Euangelio autē nō omnes obediūt, vt ait ad Rom. 10. Pau. ergò lex naturalis nō est eadē apud omnes. *Primū argumētū. Gratianus.*

¶ Secundò arguitur. Lex est secundùm quàm aliquid iustū esse dicitur. Arist. autē. 5. Ethi. c. 7. ait nullum esse tam naturale iustum, quin aliquo modo sit apud diuersos variabile, nā & dextra manus natura validior est lęua, & tamē in quibusdā hoc defecit. *Secundum argumentū Aristot.*

¶ Tertiò, quodcunq; bonum ad quod natura propēdet, ad legem attinet naturæ: inclinationes autē ac propensiones naturę vasta inter homines varietate distāt: alij nanque ad honores nati sunt, alij ad voluptates, atq; alij ad res alias: lex ergò naturæ non est eadem apud omnes. *Tertium.*

¶ In contrarium autem est Isidōrus lib. 5. quod quidem Decretum extat dist. 1. Ius naturale est cōmune omnium nationū: nam quod. ff. de iusti. & iure. l. 1. scribitur, scilicet, Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit: nō de iure tātū hominib⁹ proprio, sed de cōiūctione maris & fœminę generaliter intelligitur. *Isidorus.*

AD huius quæstionis enodationem recolenda est superior distinctio inter naturalia principia, atq; eorū cōclusiones: secundū enim hāc distinctionē duabus cōclusionibus facilè respōdetur. ¶ Prior est. Lex naturalis quatenùs ad sola principia extenditur, eadem est apud omnes mortales: non modò quantum ad rectitudinis veritatem, verùm & quantum ad cognitionem. Principia nanq; rationis practicæ similia hac parte sunt principijs speculabilium, quæ vbiq; & inconcussa pollent veritate: & lumine naturali perspicuè clarescunt. Nusquàm enim vllus esse potest mortalium eousque syluestris ac barbarus, si modò compos sit mētis, cui non sint huiusmodi veritates peruiæ: Bonum est appetēdum, ac malum vitandum. Id facias alijs, &c. ac reliquæ, quas articulo *Prīa cōclusio.*

secundo

Secũda cõclusio. secũdo denarrauimus. ¶Posterior cõclusio: Lex naturalis quantũ ad eius conclusiones, etsi plurimùm sit eadẽ apud omnes, & quãtum ad rectitudinem, & quantum ad cognitionem: deficit tamẽ & respectu prioris propter particularia quorundam impedimenta, & respectu posterioris, propter rationis nubila quibus ob consuetudinem prauam excæcatur. Demonstratio huius conclusionis sumitur ex discrimine inter rationem practicam & speculatiuam: nam etsi principiis vtraque per se notis vtatur, non tamẽ simili ratiocinatione discurrunt. Etenim ratio speculatiua, quia circa necessaria plurimùm ac potissimùm negotiatur, puta circa ea quæ nequeũt aliter se habere, absque vllo defectu veritatem comperit in conclusionibus, quam in principijs intuebatur. In ratione autem practica, quia ex necessarijs principijs discurrit ad contingentia in quibus actiones humanæ consistunt, necesse est quandoque defectus contingere: ac tanto plures quanto inferiùs ad particularia descenditur. Ex his ergo deducitur nostra conclusio: nempè quòd licèt in conclusionibus demonstrationum speculabilium eadem sit rectitudo veritatis apud omnes: in conclusionibus verò operabilium contingit quandoque defectus. Exempla patẽt. Ex illo nãq; per se noto principio, Id facias alijs quod tibi vis fieri: rãtio practica elicit hanc legem: Depositum cùm primum petatur reddendum est. Quæ quidem lex plurimùm verũ habet: deficit tamen deficiẽte petitionis opportunitate ac rectitudine: puta dum qui penes te arma deposuit, furore correptus, vt faciat homicidium ea repetit. Pari modo ex illo principio, In pace & tranquillitate hominibus viuendum est, quod cunctis tanquàm per se bonum notissimum est: sequitur hęc lex, Abstinendum est armorum stre pitu. Deficit tamen quando hostis rempublicam inuadit. Similiter ex eodem principio colligitur lex, vt quisque promissorum fidem seruet. Deficit tamẽ, dum causa emergit ob quam promissum implere turpe est.

Demõstrat conclusio.

Discrimẽ inter rationẽ practicã & speculatiuã

Aperitur exẽplis rõ.

Quæstio. ¶At quæris fortè vtrùm quantum ad cognitionem earundem cõclusionum, quippiam sit discriminis inter rationem practicam & speculatiuam. Nihil enim apparet quo differant, nam sicuti conclusiones practicæ nõ omnibus sunt æquè notæ: ità neque speculatiuæ. Tam vera inquam est illa conclusio: Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, quàm illud principium, Omnes duæ lineę, vbi concurrũt, constituũt angulũ: tamen nõ est ęquè nota. Respõdeo. Hactenùs nullum esse discrimẽ: differt tamẽ, *Responsio:* q̃ speculabilium necessariorũ ignorantia accidit ob defectũ doctrinę: scilicet quia nõ didicisti: ignorãtia verò in practicis contingit (vt dictũ est) ex praua consuetudine rationẽ obtenebrãte. Ex his fit cõsequens postrema cõclusionis particula: nẽpè q̃ quanto cõclusiones practicę magis ad particularia coaptãtur, minùs innotescũt. Patet exẽplo. Ex illo principio: Id nè facias aliis, quod tibi nõ vis fieri: proximè infertur mandatũ illud Decalogi, Non mœchaberis. nã id fieri nõ potest sine cõiugis iniuria. Si tamẽ rem arctius perstringas, videlicet, Nec simpliciter fornicaberis: hoc licèt illic pariter ꝓhibeatur: tamẽ quia nõ habet connexã iniuriã, non est tam vniuersaliter notũ, quàm inter gẽtes incultas, licèt non pessimè institutas, ignorari queat. Imò nescio an apud aliquos barbaros fidei nostræ inscios, ignorãtia essẽ posset prorsus excusatoria. Similiter ex eodẽ principio palàm sequitur. Non falsum testimoniũ dices: quod cùm iniuriã vetet, omnib⁹ est cõpertissimũ. Si autẽ strictiùs inferas, Neq; vllũ proferas mẽdaciũ: non est ità notum. Imò inuenies in plebe qui putant iocosum & officiosum nullã afferre culpam. Atq; hæc est ratio ob quã omnes prohibitiones secũdę tabulę, quo patẽtiores essent, illorũ sint expressè criminum, quibus iniuria proximis irrogatur. Tãetsi vt homicidij noĩe omnis læsio prohibetur: sic & nomine adulterij omnis turpitudo: & nomine falsi testimonij omne mendaciũ. Præceptorũ autẽ Decalogi ignorãtia nulli mortaliũ excusari vnquã potuerũt, etsi sua scelera fuco aliquo linirent. Sicuti illi qui religionis gratia contra interdictũ homicidij humana cęde cogitabãt Deos suos placare ac venerari. De quib⁹ Psalt. Immolauerũt filios suos & filias suas dæmonijs. Et Cicero in oratione quadã cõmemorat sua ętate Gallicas gẽtes eodẽ ritu pollutas: eadẽq; feritatis immanitas fertur & populis Noui orbis esse solẽnis. Dæmones enim humani generis hostes illa cęcitate homines demẽtant, vt humano sanguine suã expleãt inuidiã. Et Iuli⁹ Cæsar lib. 6. de bello Galli. narrat olim apud Germanos latrocinia nullã habuisse infamiam, quæ extra fines cuiusq; ciuitatis erant. Sed tamen facinori obtẽdebant quòd iuuenes illo exercitio desidiam & torporem

Cicero.

Cæsar.

excuterent, bellisq; se gerendis apparārent. De his autem in præsentiarum satis.

Ad primū argumentū AD primū igitur argumētum respōdetur nō esse Gratiani verba sic trūcatè legenda, Ius naturale est q̄d in lege & in euāgelio continet. Ac si doceat quicquid est in euāgelio ad ius naturale pertinere. Sed iunctim cum verbis sequētibus, Ius naturale est quo quisq; iubetur id facere quod sibi vult fieri, &c. id q̄d in euāgelio cōtinet, vt verba hæc parēthesis sint, docēs ius naturale plenè in euāgelio cōtineri: nō tamē id solū, sed & ius insuper diuinū. ¶ Ad secundū quod est Arist. iam responsum. Non quidē principia naturæ, sed cōclusiones nōnunquā deficere.

Ad secūdū

Ad tertiū ¶ Ad tertiū autē cōceditur inclinationes naturæ quę homini cōpetunt, in quantū sensibili animali, ad legem attinere fomitis: hoc est appetitus sensitiui, originali iustitia destituti. Si autē considerētur quatenùs homi nis sunt propriè, tunc legi naturæ subdūtur, puta rationi, cæterarum potentiarum moderatrice: quæ cunctos affectus debet intra suas lineas continere.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm lex naturæ mutari abo liri ve possit.

POST hæc facile est hoc quinto articulo duo perspicere quæ superiorū corollaria sunt nēpè vtrùm lex naturæ aut mutabilis sit: aut ab humana mente eradicabilis. Arguitur ergò quod sit mutabilis. Legitur enim Ecclesiast. 17. Addidit eis disciplinā, & legē vitæ, vbi circūscribitur glossa, legē scilicet literæ quantū ad correctionē legis naturalis. Et Isidō. li. 5. (quod est dist. 1. c. ius naturale.) ait cōmunem omniū possessionē & libertatē esse de iure naturæ: cùm tamē iam iure gentiū, tū rerū diuisio, tum etiā seruitus inducta in orbē sit: est ergò lex naturæ mutabilis. Sed & q̄ à nostris cordib⁹ auelli possit, arguit primò ex his quæ dicta sunt. Multæ enim fuēre gētes adeò hebetes & morum prauitate tabefactæ, vt leges naturæ cōtrarias ediderint. Vnde super illud ad Rom. 2. Cùm gentes quæ legem non habēt, &c. ait glossa, quod in interiore homine per gratiā innouato lex iustitię inscribitur, quā deleuerat culpa. Et quartò arguitur. Lex gratiæ efficacior est quàm lex naturæ, gratia verò deletur per culpam: ergò multò facilius deleri potest lex naturæ. ¶ In contrariū autem est decretum Gratia. distin. 5. cap. 1. Ius naturale nō variatur tēpore, sed immutabile semper permanet, & sententia August. 2. lib. Confes. Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec vlla quidem delet iniquitas.

Primū argumētū à pte negatiua

Secūdū argumentū.

Isidorus.

Tertium.

Tētatur alterum membrū quæstionis duobus argumentis

Glossa.

Quartū argumentū.

Gratianus.

Augustin.

AD hanc quæstionem facillima est per distinctionem responsio: supposito enim primo interuallo quod inter principia eiusque conclusiones interiectum est, bifariàm lex naturæ censeri potest mutabilis. Vno modo per additionem, quæ ei fiat: atque altero per distractionē. ¶ Statuitur ergò prima conclusio. Nihil vetat legem naturæ priori modo esse mutabilem. Adiecta enim est illi lex diuina tam vetus quàm noua duobus præcipuè commodis. Vno scilicet. quia iam obscurata erat in mortaliū mentibus & caligine obducta, vt innouaret. Nēpè vt cōstaret nō solùm externos actus, verùm & internos esse ad legis normam cōponendos: neq; solùm iura naturæ amicis deberi, verùm & inimicis. Altero vt ea consilia quæ illi deerant supplerentur. Et hoc est quod gloss. Eccles. iast. 17. in primo argumento citata appellat correctionem legis naturę, quę facta est per legem literæ. ¶ Secunda conclusio. Lex naturæ non est quantum ad prima principia posteriori modo mutabilis, vt scilicet quod priùs fuit legis naturæ desinat esse talis iuris. At verò quantū ad secūda præcepta quæ sunt velut proximę cōclusiones, licèt plurimū immutabilis sit, potest nihilominùs quādoq;, sed rarò, mutari propter humana impedimēta, vt articulo proximo expositum est. Nam & circa necessarias cōclusiones speculabilium cōtingit ob mentis lippitudinē nōnūquàm hallucinari. Quocircà mutatio hæc non tam in lege fit, quàm in rebus ipsis: veritas enim illius generalis præcepti. Depositum reddendum est, aut illius fides promissa custodienda: non mutatur nisi mutatis rebus ex quarū mutatione contraria nascitur veritas. Quoniam & hęc lex, Esus carnium viniq; potus salubris est hominibus, ob id in particulari mutatur: quòd homo febri correptus est, cui talis victus nocuus sit. Vnde Arist. 5. Ethico. c. 7. Ius inquit naturæ immutabile est, sicuti ignis vbique vrit: quod de primis principiis intelligit: de conclusionibus autem subdit, posse mutari

Distinctio.

Prima conclusio.

Secunda cōclusio.

mutari, non tamen apud Deos, qui immutabiles sunt: sed apud nos, qui mutari possumus. Quo fit, leges triumphantium in regno cœlorum nullatenùs mutari posse: quia neque fœlices illi mutantur. Autoritas autem Isidôri non sic intelligenda est, vt libr. 3. q. 4. dicturi sumus, ac si communem possessionem præcipiat aut seruitutem interdicat: aliâs ius gentium non potuisset tales leges reuocare: sed dicuntur hæc negatiuè de lege naturæ: quia illa nec diuisionem fecit, nec seruitutẽ iussit. Restabat hîc tamen tractare an huiusmodi præcepta naturæ sint dispensabilia, cuius nimirùm inde coniecturæ fiunt, quòd Deus Abrahæ necem filij præcepit, & Oseæ vt fornicaretur, & filijs Israël vt deprædarentur Aegyptios: hæc autẽ dubitatio inferiùs. q. 2. art. 8. propriã habitura est sedem. ¶ Tertia conclusio similis est huic proximæ. Lex naturę quantum ad prima principia & præcepta non potest ab humana mente stirpitùs eradicari: potest tamẽ licet non plurimùm, sed rarò quantum ad conclusiones & secunda præcepta in aliquibus hominibus deleri. Conclusio non alio indiget testimonio, quàm quòd à superioribus petitur. Possunt enim Barbari tanta morum vitiositate peruerti atq; errorũ peruersitatibus offuscari, vt pro peccatis non ducant, quæ lex naturæ vetat. Neque id solùm in conclusionibus quæ longè à principijs distant, vt est officiosum mẽdacium, & simplex fornicatio: verùm & in his quoq; quæ propinquiores, subindeque lucidiores existũt. Sunt enim (vt à fide dignis accepimus) reperti inter illos mortales Noui Orbis qui nefandam turpitudinem contra naturã non solùm impunè permittebant, verùm nulla culpa denotabant. Qua vtique ratione fieri potest vt respublicæ & principes leges contra naturam instituant secundùm verbum Isaiæ. Væ qui condunt leges iniquas. Et secundùm hoc intelligenda est illa glossa ad Rom. 2. quæ ait culpam deleuisse legem iustitiæ ab infidelium cordibus. ¶ Restant ergò duo superiorum argumenta soluta. Ad tertium autem respondetur, quòd etsi gratia sublimior sit atque efficacior quàm natura, non est tamẽ nobis ingenita, & innata, atq; adeò neque tam penitus infixa: & ideò faciliùs per culpam nostram eradicatur, quàm lex naturæ.

Tertia conclusio.

Suadetur conclusio.

Ad tertiũ Argumẽtũ principale.

QVAESTIO QVINTA, de lege humana in genere.

S. Thom. 1.2. quæstio. 95.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm præter legem naturæ necessariæ nobis fuerint humanæ.

TErtium legũ genus est humanarum, de quib⁹ maiores extant disputandi rationes: quæritur ergò primò an præter legem naturalẽ necessariæ sint etiam humanæ. Et arguitur à parte negatiua; Primò, qui (vt August. quem ex. 1. de lib. arb. q. proxima citauimus, ait) per legem æternam sufficienter omnia sunt ordinatissima, illa autẽ satis abũdeq; nobis per naturalem communicatur: ergò humanæ redundant. ¶ Secundò, lex mensura est (vt suprà diximus) nostrarum actionum: ratio autem non est rerũ mensura: sed ipsa potiùs rerum natura, quã ratio inspicit, vt. 10. Meta. autor est Arist. ergò cùm leges humanæ à ratione proficiscantur, non habent legitimam rationem legũ. ¶ Tertiò mensura, qualis est lex, debet esse (vt ibidem Arist. docet) certissima, certitudo autem humanæ rationi de rebus gerendis, quæ singularia sunt ac mutabilia, competere non potest, secundùm illud Sapientiæ. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, ergò à ratione humana nulla proficiscitur lex. ¶ Quartò altera via arguit. Esto humana ratio certa esse posset regula nostrarum actionum, multò commodiùs respublica viua hominum voce gubernaretur quàm positis legibus. Enimuerò cũ iudex (vt. 5. Eth. cap. 4. autor est Aris.) sit animatum iustum, faciliùs cõgruentiusq; fieret ad illũ recursum, quàm ad legẽ surdã & mutam. Nam cùm actiones in singularium vsu consistãt, nõ potest humana lex (vt. q. sequẽti videbimus) de omnibus prouidere, singularesq; circunstantias prospicere, vt faceret sua prudentia iudex. ¶ In contrarium autẽ est Isidôr. lib. 5. Etymol. cap. 20. & refertur inter Decreta distinct. 4. vbi ait, factas esse leges vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocen-

Primũ argumentum partis negatiuæ.

Augustin.

Secundum.

Tertium.

Quartũ argumentũ.

Aristot.

Isidorus.

tia:& in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur audacia,& nocendi facultas.

Prima conclusio.

QVæstionis huius solutio facilè ex ipsa rerum natura, & humana conditione colligitur. Respõdetur ergò duabus cõclusionibus. Vna est: Necessarium prorsus fuit præter legem naturæ alias humanas pro rerũ varietatibus, emergẽtibusq; casibus ac negotijs cõdi. Cõclusio hæc ex duabus radicibus constat, videlicet & ex discursiuo ingenio nostro.& ex rerũ indigentia. Enimuerò sicut in speculabilibus, sic & in practicis innata nobis vis est ex vniuersalibus principijs & indemonstrabilibus conclusiones deducere: easdemq; in duplici differẽtia. Aliâs quippè necessarias demonstram⁹, vt in Mathematicis, aliâs verò propter ineuidentiam consequentiæ sub opinione colligimus pro qualitate cuiusq; sciẽtiæ. Parimodo in practicis ex primis principijs (vt dictũ est) præcepta Decalogi, quasi necessarias conclusiones exprimimus: & ideò sunt de iure naturę. Sed tamen quia actiones nostrę in singularibus versantur, necesse est ex eisdẽ principijs obseruatis circunstantijs loci & temporis ad particularia descendere. Quapropter illæ regulæ nunc in modũ constitutæ, quia non necessariò ex solis principijs naturalib⁹ pullulant, sed rationis adminiculo cõstituũtur, humanæ leges nuncupantur. Vti sunt leges quæ in venditionibus & cæteris rerum commutationibus positæ sunt: sine quibus gen⁹ nostrũ vitã nequiret transigere. ¶ Sed exurgat hinc quispiã fortasse aduersus dei naturęq; prouidentiam. Nunquid non prouidẽtius nobis fuisset consultum si lex ipsa naturæ vsque ad singularia doceret nos omnia. Arguitur enim hoc fuisse cõsultius: eò quòd ratio affectibus sæpe obscuratur: cùm tamẽ lex naturæ semper sit perspicua. Respondetur omnia esse dispositа secundùm naturam nostrã. Rationis enim ingeniũ ac natura est discurrere: & ideò sapiens Deus, naturaq; sagax semina in nobis tantùm posuit: quæ rationis cultura venirẽt ad frugem. Idq; tam in speculabilib⁹ quàm in practicis: videlicet tã in artibus, quàm etiã in moribus. Hinc ergò secũdò colligitur nostra cõclusio. Etenim vt quantũ ad sciẽtias creatus intellectus est cũ principiorum lumine ex quibus ad diuersas sciẽtiarũ proles & opiniones discurreret, diuersasq; artes in lapide, ligno,& lana, aliisq; materijs, nobis conducentes meditando excogitaret, nempè quibus vestimur, tegimur, nutrimur & oblectamur. Parimodo (vt autor est initio.2.Ethic.Aristo.) semina virtutũ moralium in nobis iecit, quæ nostra disciplina & consuetudine culta ad messem albescerent. Disciplina autem morum potissima ac efficacissima est legum humanarum positio, ergò præter legem naturæ, quæ sementem facit necessariæ sunt leges humanæ, quibus vberiùs proueniant segetes. ¶ Tertiò eadem conclusio comprobatur. Lex naturæ licet regula sit morum vniuersalis, non tamen pœnas adhibet compulsorias, quæ tamen hominibus pro statu naturæ lapsæ necessariæ sunt: ergò præter legem naturæ operæpretium est pœnales leges adhiberi. Doctrina est Aristo.10.Ethi.cap.9.vbi ait alios natura, & alios cõsuetudine, atq; alios disciplina fieri bonos. Natura quidem non est in nra potestate, sed Dei dono quidã tales nascunt, quales virtutũ chorus genuisse videt. Alij verò cõsuetudine statim ab infantia boni fiũt. Sed tamen disciplina nõ omnes satis institui possunt, nisi illi tantũ qui cõsuetudine sunt præmolliti. Sicuti nouale anteq excipiat semina, curuo opùs habet arâtro, ergò aduersus illos qui ad malum procliues sunt, ad bonum verò duri ac proterui, qui scilicet honesti gratia adduci non possunt, necessarius est metus vt vi cohibeantur à malo: & sic alijs vitam quietam relinquant, & sibi mens inquieta, metu cauere iubeat. Est enim homo (cuius.1.Polit.cap.2. autor est Aristo.) vt perfectione susceptа optimum cunctorum animalium: ità si alienus fiat à lege, & à iudicijs, omnium pessimum. Seuissima enim est iniustitia tenens arma, homo verò arma tenet per innatam prudentiam: quæ ideò legibus dirigenda est, metuque coërcenda. Atque hac de causa (vt.q.1.diximus) leges condere non potest nisi vel respublica vel qui eius fungitur autoritate. Eademque ratione natura hominem genuit ciuile animal: nempè vt in societate legibus septus viueret.

Prīa ratio.

Obiecto.

Solutio.

Secunda ratio pro conclusione.

Tertia.

Aristo.

Probatio.

AD primũ igitur argumẽtũ respondet Φ etsi lex naturæ participatio sit æternæ, haud tñ humana ratio totã virtutẽ principiorũ naturaliũ apprehendere potest: nisi, quę sua natura est, discurrẽdo. Haud enim q̃ in principijs vniuersalibus delitescunt simplici intuitu, veluti intellectualis angelus cernit: sed ratiocinando aliud ex alio diducit. Ob idq; vt in speculabilibus æterno lumine: sic &

Ad primũ argumentũ

sic & in practicis æterna lege dupliciter illuminamur. Primùm suscipiendo generalia principia: secundò, vt discurrendo ex eisdem principijs alias particulares leges eliciamus: quæ cum in eadem æterna lege præminenter existant, non satis per naturalem explicantur. Et hoc quantum ad vim directiuam legum. Sed & quantum ad coërciuam eadem penè ratio est. Lex enim naturæ malefactorum conscientias exulcerat, corroditq; & percellit: atque vt ait ad Roman. Paulus: cogitationibus satis accusat, vt possent cordati homines metu illo perculsi & turpitudinis horrore deterriti satis emendari. Ait enim. 1. Confes. August. Iussisti domine & sic est, vt pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus. At quia sunt alij vsque adeò sensuum voragine submersi, vt non nisi quæ oculis obijciuntur extimescant, accumulari debuerunt humanis legibus sensualia supplicia. Ob idque ait Paul. iusto non esse legem positam: nimirum quòd lex naturæ, fidei radio illustrata ei abundat vt à malo retrahatur, alliciatur ad bonum. ¶ Atq; hinc planè colligitur solutio argumenti secundi. Concedimus enim rationem non esse regulam primam, sed naturalem legem, quæ est æternæ imago: nihilominùs illud exemplar ratio prospiciens leges exprimit humanas.

Paulus. *Augustin.* *Paulus.* *Solutio secũdi argumẽti.*

¶ Circa tertium autẽ diffiteri nõ possumus leges humanas nõ ea vigere certitudine, qua speculatiuas conclusiones: eò q nõ circa necessaria, sed circa singularia contingentia, varietati subiecta statuuntur. Neque opùs est omnẽ mensurã infallibili certitudine pollẽre: sed satis est vt vnaquæq; secundùm ingenium suæ materiæ fida sit. Et hæc est ratio quare leges humanę non sunt, vti naturales, immobiles. ¶ Quartum argumentum grauioris est põderis. Quæstio enim est quam Arist. 3. Poli. c. 11. tetigit: An scilicet respublica meliùs ab optimo homine, quàm optima lege gubernetur. Definit autem meliùs legem quàm hominẽ dominari. Id quod &. 5. Ethi. c. 6. cõmemorauerat. Nẽpè quia facilius est vnum aut paucos prudẽtes inuenire legum cõditores, quàm iudicũ multitudinem. Etenim qui leges ferant, pauci in vno sęculo satis sunt: qui verò ius dicant, impẽdiò quãplurimi sunt necessarij. Deinde quoniã leges lõgi tẽporis consideratione ferunt: iudicia verò breuissimè cogitãtur: & ideò faciliùs hic, quàm illic error cõtingit. Prætereà maximè q cùm leges de vniuersalibus & futuris constituãtur, neq; personas singulariter tãgant, non conduntur personarũ respectu: senator verò & iudex, quia cum singularibus personis agit, odio percelli potest & amore: ac potissimùm auaritia corrũpi. Quare melius est vt quàm maximè fieri possit cuncta legibus explicẽtur: iudicibus autẽ non nisi minima, quæ lege determinari nequeũt, relinquãtur. Vnde ait q qui legem præesse iubẽt, Deum præesse iubẽt & leges (vt potè à quo ipsę promanant:) qui autẽ hominem iubent præesse, adiungit bestiã sæuam: quia libido atq; ira obliquos agit etiã viros optimos, dum sunt in potestate. Iudices ergò nõ leges ipsi, sed (vt 5. Ethi. ait Arist.) legũ debent esse fidi custodes. ¶ Et per hæc respondetur ad quoddã argumẽtum, quod sibi Arist. ibidẽ de artificib⁹ opponit. Conducẽtius enim, ait, ad corporis salutẽ apparet vt medic⁹ prudẽtia sua quàm literarũ præscriptis alligatus ægroto medeatur. Nã multò satiùs particulares circunstantias morbi sic habebit perspectas: ergò eadẽ ratione salubriùs singulari hominũ prudẽtia, particularib⁹ euẽtibus informata, poterit gubernari respublica, q̃ præscriptis legibus. Respõsum inquã duplex est. Primũ enim negatur, medici prudentiã quicquã valere nisi per artẽ medicã fuerit instructa: certiùs enim per artẽ quàm sine ipa fit curatio. Deinde medicis nõ tam crebrò accidere potest vt corruptũ habeãt animũ ad necãdum infirmum, q̃ iudicibus ad sententiã ferendũ vel in fauorẽ vnius partis vel in pernicie alterius. Et ideò periculosius est iudicis arbitratui iudicia permittere, quàm medici. Nihilo seciùs cùm de fide medici timeatur, nẽpè dũ in suspicionẽ venit q pretio corruptus vel odio saluti infirmi insidiatur. oculatiùs obseruãdus est vt artis præscripta ad vnguẽ seruet. Quin verò addiderim periculosum esse maximè & temerarium vt medici suas proprias opiniones & existimationes scientię & arti anteferãt. ¶ Sed quò ad iudices reuertamur: Accedit huc quartò q (vt idem ait Philosophus. 10. Ethi.) lex dum probitatẽ iubet, licet hominẽ à voluptatibus cohibeãt, nemini molesta est aut odiosa, quẽadmodum iudex, qui facilè in suspicionem venit, an odio aliove affectu fuerit infectus. Quapropter (vt hinc ego colligo) principiũ pædagogi & cõsiliarij hac vti debẽt cautela, vt quãdo ipsi non audẽt patronos suos reprehẽdere, leges virtutum historiasq; legendas porrigãt, quæ inuidiam non generãt, & mores instituunt.

Ad tertiũ. *Ad quartũ* *Aristot.* *Prima ratio quare melio lex quàm hõ dñatur.* *Secunda ratio.* *Tertia ratio* *Aristo.* *Argumẽtũ Arist. vbi suprà.* *Solutio prĩa* *Secunda solutio.* *Periculosũ & temerarium et medicum suas proprias opiniones atq; existimationes arti anteferre.* *Quarta ratio.*

¶Ad reliquam autē argumenti difficultatē reſpondētes fatemur minutiora illa, quæ legibus cōprehendi non valent, iudicis eſſe arbitratui relinquēda, vt.ff.de legib.l.non poſſunt ſanciri. Eo q̄ dum oia legib⁹ cōplecti nō poſſumus, quædā negligimus, nè cunctorū iacturam faciamus: eorū inſtar, qui ingruente tēpeſtate, quædā in aquas inſanas exonerant, vt naui reliqua ſeruēt. Quocircà iudex præter animi rectitudinē apprimè ſciētiæ ac prudētię indiget, vt legū vniuerſalia dextrè valeat ad ſingularium euentus accōmodare.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm omnis humana lex à naturali deriuetur.

SEcundus articulus eſt, vtrùm omnis humana lex à naturali deriuet. Arguitur enim primò à parte negatiua, Iuſtū ciuile (vt 5.Ethi.c.7.ait Ariſ.) eſt illud q̄d à principio nihil differt ſic vel aliter fiat: id autē quod ex lege naturę dimanat, etiam ante legem humanā referebat: nō ergò omnis lex humana à naturali deriuatur. ¶Secūdò, ius poſitiuū (vt illic ait Ariſto.&.5.lib. Iſid.) contra naturalē diuiditur: ea autē quæ à naturali lege deſcēdunt nō diuiduntur contra ius naturale, imò ſunt cius germina: ergò leges humanæ minimè à naturali deriuantur. ¶Tertiò, lex naturæ (vt ibidē ait Ariſt.) eādē vim habet apud omnes: leges autē humanæ non item: ſed vnaquæq; reſpublica ſuis proprijs fulcitur: ergò non omnes à lege naturæ oriuntur. ¶Quartò, omniū quæ à lege naturæ fluunt naturalis ratio reddi poteſt: nō autem omniū quæ à maioribus cōſtituta ſunt: vt Iulianus ait.ff.de legib.l.nō omnium. Nō ergò omnes humanæ leges à naturali deriuantur. ¶In contrarium autem faciunt Ciceronis verba lib.2.de Inuentio. Res à natura profectas & à conſuetudine probatas legum metus & religio ſanxit.

Primū argumentum à parte negatiua.

Ariſto.

Secundum Ariſtot. Iſidorus.

Tertiū argumentū.

Quartum.

Cicero.

AD quæſtionē quatuor cōcluſionibus reſpondetur. Vna eſt: Omnis lex humanitùs poſita, ſi recta eſt, à lege naturæ deriuat. Quinimò tantùm habet rectitudinis rationisq; legis, quantū à lege naturæ recipit. Lex etenim (vt arti proximo latiùs patebit) niſi iuſta fuerit, lex nō eſt. Imò (vt ait.1.de lib. ar. Augu.) in tantū habet legis virtutē in quantum participat rationē iuſtitiæ. Ex hoc ſic arguitur: iuſtum & rectū in rebus humanis ſecūdùm rationis regulā exiſtimandū eſt: rationis autē regula (vt nuper dicebamus) eſt rerum natura, quā veluti exēplar intueri in ſuis cunctis actionibus debet: ergò leges humanæ, vt quę ab ipſa ratione fabricantur, à naturali cūctæ naſcūtur. Neq; verò (vt ſuprà diximus) vetat leges humanas duabus menſurari regulis, æterna ſcilicet & naturali: quarum hæc participatio illius eſt. Enimuerò vt architectus ex cōcepta forma domus lineas in lapide aut ligno ducit quæ miniſtro regulæ ſunt, quas cudēdo & ſerrādo ſequi debet: ſic Deus æternā ſuam legem nobis impreſſit quę eſſet ſicut certū illius ſignum. Quapropter dum legē naturæ imitamur, æternā tenemus. Vnde Cicero lib.2.de legib. lex inquit eſt iuſtorū, iniuſtorumq; diſtinctio, ad illam antiquiſsimā & rerū omnium principem expreſſa naturā, ad quam leges hominum dirigūtur, quæ ſupplicio improbos affi ciūt, defendunt ac tuentur bonos. ¶Secūda cōcluſio. Bifariàm quippiā à lege naturę deriuatur. Vno modo ceu concluſio ex principijs deducta: atq; altero vt ſpecifica determinatio alicuius cōmunis generis. Ex illo enim principio, Quod tibi non uis, id nemini facias, ſequuntur illæ concluſiones: Non occides, non furtū facies, &c. ſed ex illo quod eſt, Omnis virtus præmio digna eſt, & vitiū pœna: lex humana ſanxit ſicariū latronemq; ſuſpendi, hæreticumq; cōburi. Vbi cōmune ſupplicij genus ad particulare trahit. Quem admodùm artifex formam domus in cōmuni conceptam ad peculiares fabricas accommodat, vt hæc ſic, illa aliter conſtruatur. Et patet inter hos deriuationis modos latū diſcrimē. Prior enim fit per viā ſyllogiſmi. Cuius vtraq; præmiſſa eſt naturaliter nota ſcilicet, Quid tibi nō vis, alteri nè facias, nolles occidi, neq; tuis bonis expoliari, nec in tua vxore iniuriā pati: ergò non homicidiū, non furtum, non adulteriū facies. Poſterior verò nō fit hoc pacto. Ex hoc enim quòd omnis malus eſt puniēdus, rectè inſtruitur ſyllogiſmus, quòd ſi iſte eſt malus, iſte puniatur. Hoc tamen vniuerſale, id eſt, ſumptum cum diſtributione non eſt illud quod per legem poſitiuam ſecundo modo determinatur: ſed vniuerſale genus, quod ad ſuas applicatur ſpecies. Vt ſi improbus pœna plectendus eſt, talis, ſcilicet fur, puniatur talī pœna: quod non ſequitur per ſimilem ſyllogi-

Prima concluſio.

Auguſtin.

Argumētū pro concluſione.

Cicero.

Secunda cōcluſio.

Declaratur concluſio.

ſyllogiſmum, ſed per humanam exiſtimationem qua culpę admetimur pœnam. Fit enim ſic collectio. Omnis malus eſt puniendus: latroni autem congruens ſupplicium eſt ſuſpendium, hæreticoque incendium: ergò ſic ſunt puniẽdi. Poſterior verò aſſumpta non eſt naturalis cognitio, ſed humanũ arbitramentum. ¶ Hinc ſequitur concluſio tertia. Deriuatio legis humanæ ex naturali quæ fit per viam concluſionis non eſt cõſtitutio noua talis operis in genere virtutis, ſed explicatio virtutis quæ in principijs naturalibus latebat. Etenim, Non fornicaberis, De poſitũ redde, & Decalogus, ante humanã ratiocinationem erant virtutes, latentes tamẽ in principijs naturalibus: ſunt autem explicitùs poſita nè quis ſibi eorum ignorantiã prætexeret. Secũda verò deriuatio eſt noua conſtitutio operis in eſſe virtutis. Iure enim naturæ nõ erat virtus latronẽ occidere aut hæreticum: nam lex naturæ tantùm dicebat vt punirentur: ſed lex humana fecit eorum interfectionem eſſe virtutem. Pari modo lex naturæ, veluti generale principium eſt. Temperatè & frugaliter viuendum eſt, quatenùs corpus expeditiùs poſsit animo inſeruire: ex quo non propalàm ſequitur abſtinendum eſſe à carnibus, aut ſemel tantùm in die reficiendum: ſed tamen lex humana inde id arbitrando deduxit qualis debet eſſe temperantia: & ideo humana lex conſtituit abſtinentiam carnium ſub virtute temperantiæ, vbi antè non erat. Eodem modo, Sabbatha ſanctifices: determinauit: ad hoc vel illud feſtum colendum, atq; ad ſacra audienda. Quo fit vt quemadmodũ ait S. Tholeges humanæ prioris generis vigorem habeãt ſuum in lege naturæ: illæ verò poſterioris ordinis, minimè. Quòd ſi ſupremã huius rationem perſcruteris, hæc eſt, vt reor, quòd concluſiones in ſuis principijs actu cõtinentur: ſpecies autẽ in genere non niſi in potentia: vt patet in Prædicab. Animal enim non cõtinet omnes ſpecies actu, aliàs quodcũq; animal eſſet omnium ſpecierum. Obidq; leges illæ quæ per cõtractionẽ generis ad ſpeciem cõſtituũtur vigorem non habent niſi in illa minori, quam ratio humana cõſtituit ſcilicet viuẽdum eſt temperatè: huic autem tempori & genti hæc temperantia congruit ergo in Quadrageſima à carnibus abſtinendum eſt.

Tertia concluſio.

Explanatur concluſio.

D. Thomas.

Abſolutiſſima ratio concluſionis.

Ad primũ argumẽtũ.

PRimum igitur argumentum per hanc proximam ſententiam diſſoluitur, Appellauit enim Philoſophus. 5. Ethico. iuſtum legale id quod eſt merè ciuile, id eſt, quod ſecundo modo deriuatur ex naturale: quod ideo antequàm ſtabiliretur non erat virtus: ac ſubinde neq; referebat ſic vel aliter fieri. Secùs de altero deriuationis modo. Vnde per hanc diſtinctionẽ articulo quarto diuidemus ius humanũ in ius gentium & ciuile ¶ Pariq; modo reſpondetur ad ſecũdum argumentum, ius humanum, nõ quodcunq; ſed ciuile quod ſecũdo modo deriuatur à naturali, diuidi contra ius narurale. ¶ Ad tertium autem reſpõdetur, ius naturale, quod Ariſtot. ait eandem habere potẽtiam apud omnes, conſiſtere in prjncipijs: nam concluſiones, & præſertim ſpecificas determinationes, ipſe ibidem agnouit variari apud varias nationes. ¶ Ad quartum reſpondetur quod Iuriſperitus in lege citata non negat, eorum quæ à iure naturæ per modum cõcluſionũ eliciũtur, poſſe rationem reddi: eorum autẽ quæ ſecundo modo deriuantur, quia ſernio rum conſultatione per experiẽtiam & prudentiam ſtatuta ſunt, veluti vniuerſaliũ ſpecificæ determinationes, non eſt ſemper exigenda ratio, ſed eorum experientiæ, & prudentiæ habenda fides: vt. 6. Ethicor. author eſt Ariſtoteles.

Ariſtot.

Ad ſecundum argumentum

Ad tertiũ.

Ad quartũ

Ariſtot.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm legis humanæ qualitates rectè ab Iſidoro deſcribantur.

CIRCA alias legum ſpecies nihil opùs eſt qualitates perſcrutari in quibus earum rectitudo poſita ſit: videlicet circa legem æternam, naturalem, & diuinã. Nam illæ innata natura ſua bonæ & rectæ ſunt. At verò de humana, quia ratio noſtra hallucinari ſolet, explorare neceſſe eſt quib⁹ debeat lex conditionibus exornari, vt ſit bona. Eaſdẽ autem Iſidò. lib. 5. cap. 21. hoc ordine ponit: Erit, inquit, lex honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundùm naturam, ſecũdùm patriæ conſuetudinem, loco temporiq⁹ cõueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta quoq;, nè aliquid propter obſcuritatem in captione cõtineat, nullo priuato cõmodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta. Et refertur diſt. 5 can Erit autem. ¶ Arguitur autem non eſſe neceſſariam tam lõgam qualitatum ſeriem: nam ſuprà cap. 3. compẽdioſiùs dixerat, lex

Iſidorus.

Argumẽ.

erit omne quod ratione cõstiterit duntaxat quod religioni congruat, quod disciplinæ conueniat, quod saluti proficiat: superuacanea ergò fuit prolixior oratio. ¶ Secundò, cõsuetudo distinguitur à lege scripta, vt author est idem Isidò. dist. 1. ergò lex nõ fertur secundùm consuetudinem. ¶ Tertiò, necessariũ dupliciter vsurpatur. Vno modo pro eo quod impossibile est aliter se habere, de quo nõ est necessaria lex. Ridiculum enim esset legẽ sancire, vt quę in vtero habet partum ædat: necessarium autem ad consequutionem finis idem est quod vtile: repetitio ergo eiusdem fuit dicere, Vtilis & necessaria. ¶ Quarto denique arguitur. Nõnunquàm iniquum est ad legis rigorem iudicare: sed est operæpretium eam veluti Lesbiam regulam ex æquo & bono ad rerum euentus inflectere, vt. 5. Ethico. cap. 10. author est Arist. ergo non est vsque adeò legi necessarium vt sit iusta. ¶ In cõtrarium autem facit authoritas Isidòri.

Argumẽ. 2

Argumẽ. 3

Argu. 4.

Conclusio responsiua.

AD quæstionem respondetur vnica conclusione. Optimè Isidò. bonitatem legis suis numeris circumscripsit: priùs quidem cõpendio, post verò explicatiùs. Duo nanq; est in lege considerare penes quæ conditiones bonæ legis exigendæ sunt, & examinandę. Est enim lex & prescripta forma quę humanas actiones in debitum finem ducit: & præterea mensura & regula ad exẽplar æternæ naturalisq; legis posita. Si autem consideretur vt forma ducẽs in finem, necesse est vt talis sit, qualis ad eundem cõducit finem secundùm Philosophũ. 2. Physi. ferræ nanq; talis est necessaria forma, qualis fuerit ad ferrandum aptissima. Si autem consideretur vt regula & mensura, debet esse ad æternam & naturalem expressa. Finis autẽ humanæ legis est hominum vtilitas: vt. ff. de legi. l. Nulla. refertur: hoc est salus eorũ, morumq; suorum institutio vt tranquillè & fœliciter viuant. Prima ergò bonæ legis conditio ad legem spectat æternam, quæ fons est totius rectitudinis. Et hoc est quod ait Isidò. religioni congruẽs: nẽpe qua Deus colitur, qui primus statuendus est finis nostrarum actionum. Hoc enim ipsum & Plato. 1. de legibus agnouit. Secundum quod legi humanę tribuitur est in ordine ad naturalem quæ alterum est eius exemplar. Et hoc est quod illic subdit, dicens, Quod disciplinæ conueniat. Disciplina enim (vt Plat. 2. Dialogo de legi. docet) est puerorũ educatio, morumq; nostrorum institutio. Idem ergo est disciplinæ conuenire, quod regulam esse moribus cõponendis appositam. Quæ quidem disciplina trahenda hominibus est secundum eorũ naturam. Restat ergo tertium respectu finis vt lex saluti incolumitatiq; hominũ proficiat. Vocatur enim hic salus optima animi dispositio, qua ab ingruentibus affectionib⁹ & morbis, qui nostra sunt calamitas, præseruamur incolumes. Sic enī ait Paul. Nũc enim propior est nostra salus quàm cũ credidimus. ¶ Ad has tres qualitates (vt author est S. Thom.) reducitur aliarum numerus. Explicatiùs tamen oratorum more per illum depingitur legis figura & pulchritudo. Enimuero cùm regula sit virtutum quarũ pręmium est honor, nihil est legi antiquius quàm quod sit honesta. Et quia verus virtutis honos diuinitùs expetendus est, optimè quod dixerat, religioni congruens, honestatis verbo explicuit. Tametsi & hoc quoq; eâdem voce doceatur, vt nè sit turpis: videlicet quæ oculos & aures offendat: vti erant apud miseros illos Ethnicos ritus & leges suorum tẽplorum. Videlicet lex Bacchanaliorũ, quæ crapula celebrabãtur, & obscęna hominum nuditate. Esset præterea inhonesta lex quæ ingenuos ac illustres magnates eodem infami supplicio quo latrones puniret. Deinde, vt quod dixerat, disciplinæ conueniens, declararet, quod ad legem naturæ diximus pertinere, subiungit: Iusta, possibilis &c. In tribus enim humana disciplina posita est. Primùm vt rationi sit adęquata, eius in cunctis lineam tenens: in quo ratio iustitiæ consistit. Quòd si arguas nihil esse honestũ quod nõ sit iustũ, & ideo esse frustraneã repetitionem, honesta & iusta: Respondetur. si iustũ vniuersaliter accipias pro omni virtute, idem est quod honestum: attamen iustitia, specialis virtus, est pars, hoc est, vna ex quatuor speciebus honesti: vt secundùm Aristot. ait Cicero. 1. de Offic. Est enim honestum idem quod moralis virtus, quæ in quatuor diuiditur cardinales. Dicere ergo honesta & iusta, specificatio est generis per speciẽ Secundò, Humana disciplina in hoc cõsistit quod sit in nostra faculate amore & vsu leprescripta sequi. Et hoc est quod ait, possibilis secundùm naturam: hoc est secũdùm cõditionem eorũ quibus lex ponitur. Sed ais Nomine ipso iustitiæ includit possibilitas: Nã quod impossibile est, iustũ esse nequit: Respon-

Aristot.

Plato.

Plato.

Legi omnes qualitates reducuntur ad tres.

D. Thomas Explicatur sigillatim legis conditiones.

Lex honesta

Iusta lex et possibilis.

Argumentum.

Solutio.

Cicero.

Alter scrupulus.

Responsio. Respondetur quòd hoc etiam concesso, necesse fuit depromere qualis sit possibilitas legis. Nempè quæ sumi debet ex ciuium ingenio & conditione: Vnde possibile hoc loco accipitur pro eo quod est non difficile. Bifariàm enim Philosophus.1.de Cœl. accipi ait impossibile. Vno modo simpliciter: & altero pro eo quod non bene non facilè factibile est. Debetq; possibilitatis ratio pro personarum qualitate pẽsari quam Isidò. naturã vocat. Non enim pueris & ætate nõdum firmis seniore confectis eadem imperari exercitia debẽt & laborum grauamina, quę alijs firmioribus & validioribꝰ. Neq; tot ieiunia aut spiritualia officia sunt lege à sæcularibꝰ exigenda, quot à religiosis monachis. Tertiò requiritur ad debitam disciplinam, vt lex sit omnibus circunstantijs vestita. Circunstantiæ autem sunt, tempus & locus. Et ideo ait secundùm consuetudinem patriæ, loco & tẽpori conueniens. Nam cùm rerum natura mutari non possit, quæ in diuersis regionibus diuersa fert hominum ingenia & mores & morbos, debent leges moribus regionis adaptari. Sunt enim Germani (vt verbi gratia dixerim) minùs mortis timidi, feriq; magis & truces: & ideo inter illos nonnulla scelerum genera atrocissimis supplicijs vindicãtur, q̃ Hispanis non sunt præ nimio eorũ horrore congruentia. ¶ Cætera verò q̃ sequuntur ad finem legis, humanã scilicet salutem spectant. Debet enim lex homines & à malo retrahere, & in bonum promouere. Propter primum, dicitur necessaria, scilicet ad cauendum incommoda, & nocumenta quibus peruertimur: propter secundum dicitur, vtilis. Vtile enim idem est quod mediũ ad finem accõmodum. Quare, necessarium in proposito non vsurpatur simpliciter, sed hoc pacto differt abvtili, quòd respectu sunt diuersorum effectuum. Vnde id maximè legiferi deberent considerare nè legum multitudine subditos obruerẽt: sed illis essent tãtùm contenti, quæ sunt penitus necessariæ: nam ipsa multitudo fit statim impossibilis. Vnde illicò efficiuntur veluti aranearum telæ, quibus muscæ arcentur, non leones. Legum inquam immodica turba hoc solùm præstat, vt boni & mites, qui legibus nõ indigent circumsepti viuant: peruicaces autẽ & indomiti leges plures habeant, quas possundent ad suas explendas libidines. ¶ Sed ad eundem finẽ legis per quàm maximè decens est, vt nulla sit obscuritate obuoluta, nè ad captandos ignorantes muscipula fiat: sed sit vsq; adeò manifesta, vt transgressorũ nemo possit non eam intellexisse. Vnde eodem titulo de legib. & constitu. legimus, Leges sacratissimæ quę constringunt hominũ vitas, intelligi ab hominibus debent: vt vniuersi præscripto earum manifestiùs cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectẽtur. ¶ Deniq; vt eundẽ legũ finè palàm Isidò rus indicaret, quasi omnium compendium concluserit dicens: Nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. Etenim vt inter regem ac tyrãnum hac sola ratione interest, quòd ille in commune bonum, hic autem in suum priuatum cuncta refert: sic & inter legem bonam & malã hoc idem est interstitium. At verò cùm alijs modis & respectibus leges possint pro priuato commodo cõstitui, ille esset omnium pessimus ac pestilentissimus si lucri gratia conderentur. Videlicet, vt vel transgressorũ mulctis, vel dispensationum frequẽtia, legislatorum ærarium ditescere, aut aulicorum res augerẽtur. Optimè ergò ait.1.de lib.arb. August. quòd lex iniusta non est lex. & eleganter.2.de legib. Cicer. Constat profectò ad salutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatẽ, vitamq; hominum quietam & beatam, conditas esse leges: eosq; qui primùm ciusmodi scita sanxerunt populis, ostendisse ea se scripturos atq; laturos, quibus illi scriptis susceptisq;, honestè, beateq; viuerent: quæque ita composita, stataq; essent, eas leges videlicet nominarũt. Ex quo intelligi par est eos qui pernicioſa & iniusta populis iussa descripserint, cùm contrà fecerint quàm polliciti profesiq; sint, quibus potiùs tulisse quàm leges: vt perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse vim & sententiam iusti & iuris colendi. At quid opùs est testibus? Lex, regula est: regula autem nisi recta sit, suam nõ retinet naturam: lex verò iniusta, obliqua est: nihil ergo minùs q̃ lex.

Isidorus

Augustinus.

PRimum igitur tertiumque argumẽtum quæ supra obiecimus, planè soluta sunt. ¶ Ad secundum autem respondetur. Quòd consuetudo antequàm scripta sit vim habet legis, vt.ff.de leg.l.diuturna.&.l.sed ea. ait Iurisconsultus. differt tamen â lege quæ reipublicæ cõsensu scribitur. Debet autem lex poni quæ cũ patriæ consuetudine nõ pugnet: nisi cõsuetudo abiectu digna sit. ¶ Ad quartum argumentum respondetur, quòd cùm huma-

Ad secundum.

Ad quartũ

Aristot. Gemina acceptio impossibilis.

Lex debet esse loco et tẽpori congruens.

Lex necessaria & vtilis.

Legum multitudo vitiosa.

humanarum rerum casus tantæ sint varietati subiecti, nullatenùs queunt leges tanta cõstitui certitudine, quin quandoque sint ex æquo & bono interpretandæ. Nam & lex ipsa naturalis de reddendo deposito deficit dũ ab eo petitur qui nocere parat. Pari modo lex quæ capite punit homicidam, deficit cùm quis vxorẽ occidit in adulterio deprehensam. Quapropter (vt eodem citato loco ait Arist.) defectus huiusmodi nõ sunt in lege, sed in rebus ipsis humanis, quarũ casus nequeunt certiùs comprehẽdi. Qua vtique de causa appositissimè lex cõparatur regulæ Lesbiæ. Erat enim insula vbi lapides, præ sua intractabili duritie, nequibant cudendo quadrari vt adaptarentur ad regulã. Et ideo vice versa regula, quæ idcircò non ferrea sed plumbea erat, flectebatur vt gibbositati lapidis adaptaretur: quò secundum regulæ curuitatem deprehenderetur in muro sedes, vel sterneretur locus cui aptiùs insideret. Vnde fit consequens vt cùm lex ob necessitatem ex æquo & bono accommodatur rebus, illam Arist. obliquitatem non tribuerit vitio, sed laudi, propter inconstantiam rerum humanarum. Sed tamen extra talem necessitatem meritò malè audit regula lesbia. Putadum lex vel ad principium voluntatem inflectitur, vel alias ob causas non mores ad legem collimantur, sed lex ad morum corruptelam detorquetur.

Arist.

Lex similis regulæ Lesbiæ.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm conuenienter Isidò. & qui illum sequuntur ciuiles leges iusq; humanum diuidat.

TANDEM in hoc postremo quæstionis articu. videndum est vtrùm diuisiones humani iuris conuenienter fiant. Et arguitur à parte negatiua: Ius humanũ diuidũt tam Isidò. quàm leges ciuiles in ius gẽtium & ciuiles: vt patet dist. 1. &. ff. de Iust. & Iure. vbi post ius naturale quod cõtra humanum opponitur, subsecatur ius gentium & ciuile. Ius autem gentium potiùs ad naturale pertinere videtur quam ad ciuile: quando quidem cõclusio est naturalis iuris: quare Isidò. ipse qui dixerat, ius naturale esse cõmune omnium nationũ, subdit ius gentiũ inde sic appellari quòd ipso omnes ferè gentes vtuntur: ergò inepta est diuisio. ¶ Secundò arguitur. Fit alia legũ diuisio in leges sacerdotum & militum, quæ quidem sumitur ex diuersis officijs: igitur cùm penè innumera sint officia opificiaq; reipublicæ, in infinitum producenda esset illa diuisio. ¶ Tertiò arguitur: ius ciuile diuiditur in Senatusconsulta, & plebiscita, & alia id genus: hæc autẽ tantùm materialiter differre videntur, videlicet tanquàm leges à pluribus vel paucioribus positæ: non autem formali ratione iubendi. materialis verò diuisio non cadit sub arte, quia procedere potest in infinitum: sicut si dicas leges Athenienſium vel Lacedæmoniorum vel Romanorũ: illa ergò nequâquam est artificiosa diuisio. Et eodẽ modo impugnatur partitio alia, qua leges diuidũtur in Corneliam, Iuliam, Semproniam, & alias quæ à solis authoribus fortiũtur diuersa nomina. Cũ enim absq; numero sint authores, absq; arte fit talis diuisio. ¶ In contrarium facit tum Isidò. tum etiam legis prudentum authoritas.

Primaratio à parte negatiua.

Secunda ratio.

Tertia ratio

Isidorus.

QVæstio præsens vnica conclusione dissoluitur, quæ est hæc: Ius humanum, vt idem sit quod lex humana, quadrifariã ex arte diuiditur. Vnũquodq; enim genus secundùm id quod in eius ratione continetur per se diuiditur, & (quod aiunt) formaliter: nõ autem penes id quod sibi forinsecùs accidit: sicuti animal, quia in se continet animam, quæ ratione intrinseca, vel rationalis est, vel irrationalis, per se diuiditur in rationale & irrationale: non tamen in album & nigrum, sicut coloratum: in ratiõe autem legis humanæ quatuor per se includuntur: ergò tot modis potest in species diuidi. Primũ nanq; quod legi humanæ per se competit, est deriuari (vt arti. 2. diximus) à iure diuino: idq; dupliciter contingit: scilicet & per modum naturalis illationis, & per modum arbitrariæ determinationis: igitur penes has differentias primùm omnium distribuitur ius humanum in ius gentium & ciuile. Dicitur enim ius gentiũ quicquid mortales ex principijs naturalibus per modum cõclusionis ratiocinati sunt. Exempla sunt manifesta. Statuamus illud naturale principium: Vita humana in pace & tranquillitate sustentanda est & confouenda. Inde, subsumpta altera præmissa quòd natura corrupta in communi viuens neq; agros coleret diligenter, neque in pace viueret, gentes intulerunt diuidendas esse possessiones. Ex eodem itidẽ princi-

Conclusio. responsiua.

Ostenditur conclusio.

principio elicuerunt ſeruitutis legem : nam aliter ſeruari nequiuerat hoſtis in bello. Rurſus ex eodem principio, ſubiũcta altera præmiſſa, ſcilicet quod homines, ciuile animal, ſuſtentare ſe nequeunt niſi vicarijs ſe operis mutuò iuuent, intulerunt leges omnes venditionis, locationis, impignorationis, aliarũq; commutationum, pactorum & conuẽtorum: vt habetur. ff. de Iuſt. & Iure. l. Ex hoc iure. quibus humana ſocietas colligatur & ſuſtinetur. Quicquid verò per modũ determinationis generis per ſpeciem cõſtitutum eſt, ius appellatur ciuile. Vnaquæque enim ciuitas, aut reſpublica ſua ſanxit particularia ſcita. Vt ex illo naturali principio, Deus ſacrificijs colendus eſt, diuerſa inſtituta ſunt ſacrificia, boum ſcilicet aut caprorum: &(vt ait. 5. Ethico Ariſt. cap. 7.) caprã dijs, ſed nõ duas oues mactare. Sacrificia verò antiquæ legis diuinitùs inſtituta ſunt: & ſacroſanctũ noſtrum Euchariſtiæ, ab ipſo redemptore, qui factus eſt pro nobis hoſtia & ſacrificiũ. Leges etiam(vt dicebamus) pœnarum quibus diuerſis maleficiorum generibus diuerſa ſunt ſupplicia decreta, ad ius ciuile pertinent. Itaq; ius naturale abſq; vlla ratiocinatione ſcriptum eſt in mẽtibus noſtris: ius autem gentium naturali ratiocinatione, abſq; hominum conuento, & longo cõſilio inde elicitum: ius autem ciuile arbitratu hominũ in vnum coeuntium concilium conſtitutũ. Vnde Iſidõ. lib. 5. cap. 5. quod refertur diſt. 1. Ius, inquit, ciuile eſt, quod quiſque populus vel ciuitas ſibi proprium diuina humanaq; cauſa conſtituit. ¶ Vnus hinc tamen oboritur ſcrupulus, reſponſo dignus. Conſequẽs enim ex his fieri videtur prẽcepta Decalogi eſſe de iure Gentium: quandoquidem (vt ſuprà viſum eſt) ex principijs naturalibus, ceu concluſiones eruntur. Conſequens autem hoc falſum eſt: nam quãtum ad radicem de iure naturæ cenſetur: quantum verò ad explicationem & poſitionem, de iure Diuino, tum antiquo, tum etiam Euãgelico. Ad hoc tamen reſpondetur quod ratione originis omne ius gentium dicitur de iure naturæ licet ratione illationis ac poſitionis nuncupetur ius gentiũ, Obidq; nihil vetat ſi ante legem ſcriptam Decalogus cenſeretur poſteriori modo de iure gentiũ. Tametſi propter euidentiam proximæ illationis, forſan non ſortiretur nomen niſi iuris naturæ. Nam eſt Decalogus adeò patens, vt principijs naturalis iuris ſit proximus. Atverò quoniam caliganteiam mortalium mentẽ præcepta illa digito Dei in tabulis exarata ſunt, nomẽ obtinuerunt diuini iuris. Non quòd ſupra naturalis ſunt, ſed quia Deo authore expoſita. ¶ Per hæc ſoluitur argumentum primũ. Ius enim gentium ſic nõ negatur quodam modo eſſe naturale, vt tamen cenſeatur ab illo differre propter illationem: tunc præſertim dũ longiùs concluſio à principijs diſtat. ¶ Secunda conditio humanæ legis eſt ordo ad commune bonum. Et ſecundum hũc ordinem diuiditur reſpectu diuerſorum officiorum ac miniſtrorũ, qui egregias operas nauant communi bono : vt eſt lex ſacerdotum, qui religionis cultui conſecrantur. Et leges militum, qui publici ſunt cuſtodes: legesq; magiſtratuũ, qui iuſtitiæ adminiſtrãdæ præficiuntur. Haud tamẽ inde fit conſequens (vt ſecundo loco ante quæſtionem arguebatur) multiplicandam eſſe hãc diuiſionem ad opificum numerum qui ſunt in republica. Nam alij non ſunt publici eius miniſtri communi bono deputati, ſed particularibus neceſſitatibus inſeruientes. ¶ Tertiò conuenit legi humanæ ab illis inſtitui, qui publica funguntur adminiſtratione rei publicæ: generis autẽ rei publicæ (vt ſuprà iam ſecundum Ariſtot. in Polit. diximus) multæ ſunt ſpecies. Alia etiã eſt Ariſtocratia, id eſt optimatum principatus: quare leges quę ab iſtis æduntur nuncupantur Senatuſcõſulta. reſponſa prudentum. &c. Secunda regiminis ſpecies eſt. Oligarchia, id eſt, paucorum diuitumq; & potentum principatus. Et ſecundùm hoc ſumitur ius prætorium, quod etiam dicitur honorarium. Tertium regimẽ eſt Democrita, hoc eſt, popularis potentia: cuius leges dicũtur plebiſcita. Aliud autem diſtinguitur regimen tyrannicũ, de qua ſpecie propter eius corruptionem nullum ſumitur legum nomen. Sed quartum regiminis inſtitutum, eſt regnum. Et ſecũdum hoc ſumitur ſpecies legum quæ dicuntur conſtitutiones principum. De quibus extat titulus. 1 lib. Digeſtorum: Cuius prima lex eſt, Quod Principi placuit legis habet vigorem. Ariſt. autem ex his videtur aliud cõminiſci, quòd ei forſan optimum iudicatũ eſt. Et ex hoc (vt author eſt Iſidò.) natæ ſunt leges, quas maiores natu ſimul cum plebibus ſanxerũt. ¶ Et per hæc ſatisfactum eſt tertio argumẽto. Haud enim harum differẽtiæ legum ob numerum tantùm legumlatorũ diſcernuntur, imò ob ſpecies regiminis diuerſas. Quo circà

Ariſtot.

Diſcrimẽ inter ius naturale, gentiũ ac ciuile.

Iſidorus.

Scrupulus.

Ad primũ argumentũ

Secunda humanæ legis conditio.

Soluitur ſecundum argumentum

Tertia, vnde iuris humani tertia diuiſio ducitur.

Prima Ariſtocratia.

Secunda oligarchia.

Tertia Democratia

Quarta regiminis ſpecies.

Ariſtot.

Iſidorus

Ad tertiũ argumentũ

cicrà non est eadem ratio diuisionis legum in Romanas, Athenienses, Lacedęmones. &c Hæc enim non specifica, sed prorsus numerica est. ¶ Quartum, quod lex humana sua ratione includit, est componere humanos mores, diuersosq; animi insultus compescere. Ex hac ergò parte sumitur diuisio legum in legem Iuliã de adulter. & Cornel. de Sica. & Aquili. & alias: quæ licèt à suis authoribus nomina traxerint, tamen nõ solùm hac ratione discrepant: (quod quarto argumento impugnabatur) sed propter specificã actionum distãtiam, de quibus latæ sunt. Restãt ergo omnia argumenta soluta. Hæc autem satis dicta sint ad exponendum iuris diuisiões. De quibus, præter loca citata, copiosa fit mentio. ff. de orig. iuris.

Quarta conditio legis humanæ.

Adquartũ

QVAESTIO SEXTA
De potestate legis humanæ.

S. Thom. 1.2. quæst. 96.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm lex humana in communi debeat constitui.

POST legis humanæ necessitatem, qualitatemq; & diuisiones, sequitur de eius potestate, & virtute. Et initio ab ei⁹ generalitate sumpto quæritur primò, vtrùm debeat in communi constitui. ¶ Et arguitur à parte negatiua. Primùm ex Philosopho .5. Ethicor. cap. 7. vbi ait: de singulis etiam lege iuberi, vt sacra Brasidæ facere: idq; distinguit contra ea quæ publicis decretis instituuntur. Inde enim colligitur, leges non in communi tantùm, sed in singulari quoq; poni. ¶ Secundò, leges sunt de actionibus nostris quæ tamen in singulari fiunt: ergo debent in singulari ferri. ¶ Tertiò, lex est mensura nostrarum actionum: & mensura, vt. 1. Metaphys. docetur, debet esse certissima: actiones autem nostræ, lubricæ incertæq; sunt: congruentiùs ergò leges de singularibus casibus decernerẽtur quàm in communi. ¶ In contrarium est Pomponius Iurisconsultus. ff. de legib. vbi ait: Iura cõstitui oportet in his quæ accidunt, hoc est, in his quæ vsu venire solent: non tamen in his quę præter opinionẽ & insperatò cõtingũt. Idq; tribus subsequentibus legibus inculcatur.

Argumẽ. 1 partis negatiuæ.

Aristot.

Argumẽ. 2

Argum. 3.

Pomponius

RESponsio facilè per vnicam conclusionẽ instituitur. Lex debet in communi constitui. Hoc est non debet præcipere, Si talis aut tali s occiderit, vel tali de causa, aut cum tali circunstantia, capite plectatur: verùm in communi, Quicunq; occiderit. Accidentariæ enim illæ circunstantiæ nequeunt lege concludi, at per prudẽtiam sunt posteà perpendendæ. Enimuerò vt in speculatiuis, quẽ admodùm iubebat Plato, quiescendum in speciebus est: eò quòd de singularibus, quæ caduca sunt, nulla est scientia sed experiẽtia: sic & in practicis de singularibus quæ fortè accidunt nulla esse potest lex, sed sola prudentia. Probatur autem præterea conclusio tum ex fine legis, tum ex alijs quæ illi adhærẽt. Iam enim in quæstione proxima assertũ est legem deberi pro cõmuni vtilitate ciuiũ sciſci. Inde ergo fit vt debeat talis condi, qualis communi expediat bono: commune autem bonum ex multis cõstat, tam personis quàm negotiorum varietate. Sunt inquam qui legibus parêre coguntur, senes & iuuenes, potentes & debiles, sapientes & ignorãtes: quibus multa possunt negotia contingere. Debet ergò legifer hisce omnibus prospicere: quod fieri aliter nequit quàm si lex in communi ponatur. Deinde ponitur (vt. 1. de Ciuita. Dei, ait Augusſt.) non vt paruo tempore duret, sed vt lõgis sæculis. Graue enim respublica accipit detrimentum frequenti summutatione legum: si autem de singularibus casibus poneretur, illis demutatis mutari & ipsa subinde deberet. Ex præsenti conclusione elicitur illud axiôma, Lex non respicit ea quæ rarò, sed ea quæ plurimùm cõtingunt. Quod Iurisconsultus verbis citatis pronuntiat. ¶ Cõtra hanc igitur legũ naturã grauiter peccant qui singulis casibus legibus occurrere cõtendunt. Extat (vt exempli gratia dicam (lex de ambitu: nempe quo cãdidati ambire prensareq; prohibẽtur. Vt autẽ hic murus firmior sit, alia cõmuniturlege videlicet nè quis domos ipsorum adeat, nè ipsi obambulent, nè vllus cum altero colloquatur. Quòd si scholaris cõtra fecerit, iure suffragandi priuetur: si verò candidatus ipse ius quoq; amittat petẽdi Cathedrã. Re vera hoc plus iusto est irretire humanos animos Contra eandẽ itidem doctrinã delinquunt, qui

Conclusio prima responsiua quæsti.

Probatio cõclusionis.

Augustinus.

Primũ peccatum eorũ qui singulis casibus peculiaribus legibus subueniunt.

Secũdũ peccatum eorũ

qui in condendis legibus non alia tempora longiùs prospiciũt quàm quod præsens est. Sunt inquam qui exiguum numerũ personarum considerantes charitate feruentium graui legum onere religionum familias premunt, quas cùm posteri ferre nequeant, cer uicibus excutiunt, Verissima ergò doctrina est q leges debẽt sic in cõmuni ferri, vt multis temporibus, personarumq; qualitatibus & casibus coaptari possint.

qui in cõdẽdis legibus ad id solũ quod adest prospiciunt.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum respõdetur tres gradus in præsentiarũ distin gui præceptionum ac prohibitionũ humanarum. Primus est omninò generalis: nẽpè quando instituta nõ in gratiam alicuius singularis, sed in bonũ toti reipublicæ fiũt, & hæc propriè dicuntur leges: vt, Qui cædẽ fecerit, capite plectatur. Magistratus nõ pretio creentur. Iudicia iudices nè pretio vendãt. Et istæ sunt propriè leges. Aliaverò sunt quæ in gratiam singularis personæ cõcedũtur. Et istæ nõ tã leges quàm priuilegia seu dispensationes dicũtur: vt cũ rex militi strenuè se in bello gerẽti iura nobilitatis cõfert. Et eleemosynas in subsidiũ belli cõtra Turcas largientibus singularia Pontifex impartitur priuilegia. Hoc autẽ perspectè audiendũ est. Potest enim vera lex in gratiã singularis personæ ferri, vt sunt leges Festorũ quę in honorem Virginis sacrę, aut alius cuiusq; Diui solenniter feriamus: nam istæ etiam in cõmuni omni populo indicũtur. Priuilegia autẽ nõ præferunt talẽ vniuersalitatis speciẽ: aliàs iam inducerẽt formam legis. Vt est illa quæ totam nobilitatem à soluendis tributis eximit: & illa generalis, Qui tot annis militauerit, emeritus sit miles. In postremo autem gradu sunt sententiæ iudicum (quę vt suprà dictum est) non leges, sed legum sunt applicationes ad singularia. ¶ Secundi autẽ argumenti responsio facillima est. Nam cùm lex mensura sit, non debent esse tot leges quot actiones: sed sicuti vna regula artifex plurimos disponit lapides, & eãdem vlna plurimas metimur quãtitates: sic vna communi lege plurimas regulamus actiones. ¶ Tertio autem argumento fatemur non posse humanas leges tãta pollẽre certitudine quãta est in naturali: sed tamẽ neq; in omnibus exigenda est eadem certitudo: vt. 1. Ethicor ait Aristot. Et ideò satis est humanis legibus si plurimùm sint vsu rectæ, licèt nonnunquàm deficiant.

Primus gradus.

Se cũdus gradus.

Potest vera lex ferri in gratiã singularis persona.

Postremus gradus.

Ad secundum argumentum.

Ad tertiũ

Aristot.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm ad legem humanam pertineat omnia vitia cohiberi.

POstquàm de generali forma legis visum est, in communi esse ferendam, sequitur vt de eius latitudine videamus, an omnia vitia debeant humanis legibus prohiberi. Existit enim statũ in foribus ratio affirmatiua. Enimuerò si leges (vt suprà nos Isidò. docuit) in hoc humanitùs positę sunt, vt earum metu coerceatur iniquorum audacia, cùm aliter coerceri nequeat, quàm si omnia prohibeantur vitia, consequens fit vt omnia humanis legibus vetari debeant. ¶ Secundò, cùm etiam ex Aristotele iam audiuimus illud esse legislatoris propositum, vt bonos studiosos q; faciat ciues: id autem nequeat nisi homines ab omnibus vitijs refrenando: fit vt debeat legibus omnia compescere vitia. ¶ Tertiò, lex humana (vt etiã visum est) à naturali deriuatur: legi autẽ naturæ cuncta repugnãt vitia: ergò legibus humanis omnia caueri debent. ¶ In contrariũ est August. lib. 1. de libe. arb. vbi ait humanã legem multa concedere, ac impunita relinquere, quæ per diuinam prouidentiam vindicantur.

Primaratio Isidori.

Secunda ratio.

Tertia ratio Augusti.

RESponsio huius quæstionis more & vsu patentissima est, quæ duabus conclusionibus constat. Prior est. Leges humanæ nõ omnia prohibent vitia. Fulcitur autem hac naturali ratione. Lex (quod identidem resumimus) mensura est humanarũ actionum: mẽsura autem (vt. 10. Metaphysi. author est Philosophus) homogenea esse debet, hoc est eiusdem rationis rebus ipsis quas metimur. Enimuerò quantitates continuas vlna metimur, aut pede, aut palmo, quæ quãtitates itidem cõtinuæ sunt: liquores verò & grana metimur modio: sed pondera libra: idq; in singulis generibus obseruamus: fit ergò cõsequens vt leges hominum humanæ sint conditioni adaptãdæ. Id quod Isidò. illic admonuit, vbi iussit legem debere esse possibilem secundùm naturam & secundùm consuetudinem patriæ. Conditio autem humana id postulat, vt leges nõ sint summo rigore vitiorum vindices: ergò tales debent institui. Quòd autem hoc nostra cõditio & ingeniũ expostulet, sic accipito: Leges toti multitudini

Prima conclusio.

Suadetur cõclusio naturali ratione.

titudini ponuntur: in multitudine autē lon gè plures sunt qui virtutum habitibus non sunt imbuti, sed cum prauis corruptisq; affe ctibus colluctantur, quiq; adeò potentes nō sunt præclara virtutum opera assequi: nam studiosi habitus sunt, quibus facultatem nā ciscimur studiosè agēdi: ergò sicuti leges nō eædem pueris quæ viris, neq; eædem sæcula ribus quæ religiosis ferendę sunt: sic neq; to ti multitudini illa sub pœnæ interminatio ne prohibenda sunt à quibus tota multitu do pro humana fragilitate abstinere nō po test, sed ea prorsus quæ plurimi cauere pos-

Postrema cō cluſio. sunt. ¶ Posterior conclusio. Ea potissimùm vitia, flagitia, & scelera, debēt leges humanæ prohibere, quę rempublicam de sua pace & quiete deturbant: qualia sunt crimina quæ iniuriā habent annexam: puta illa quæ sunt contra commutatiuam iustitiam, vt homici dia, furta, adulteria, fraudes, & insidias, atq;

Probatio. id genus reliqua. Enimuerò trāquillitas hæc & reipublicæ serenitas, scopus est & finis o mnium qui leges condunt. Quin verò alia quæ impunè permittunt, vt hæc euitentur si

Corollariū. nunt: nempè meretricia, vt adulterijs obuie tur: vsuræ, vt caueantur furta. Hinc fit crimi na & scelera non quo grauiora sunt coràm Deo duriùs in republica vindicari: sed quò paci sunt magis inimica. Periuria enim quæ peiora sunt furtis, & blasphemiæ quæ homi cidia sua immanitate exuperant, non prohi bētur capitali supplicio, sed Deo reseruātur castiganda. Veruntamen illa quę substantiā religionis cōcutiunt, vt hæreses & apostasię: atq; illa quæ sua fœditate aures inficiunt, licèt non sint hominibus iniuriosa, acerbiùs nihilominùs sunt vindicanda.

Ad primū argumentū AD primum igitur argumentum respon detur, quod Isidōrus dum ait, legū me tu coercēda esse hominū audaciā, seipsum exponit, quòd debeāt legibus prohiberi iniurię quas cōtra iustitiam impuri audacesq; homines reipublicæ inferunt: haud tamen arbitratur necessariū cūctas subinde culpas

Ad secundum argumentum. in quas debilitas humani generis collabitur earundem vigore vlciscendas. ¶ Ad secundū autem respondetur, homines ad virtutem al liciendos esse ac promouendos more suo, vt scilicet gradatim eorum imperfectione ad perfectionem appulsa, promoueātur. Obid q; non sunt legibus, quæ omnibus debēt es se communes, illa instituenda egregia offi cia, quæ solis integris viris, & virtute progres sis possibilia sūt: sed illa prorsus quæ etiā im perfectiores adire ferreq; possunt, vt illis fac lioribus imbuti ad alia quæ ardua sunt va leant sua sponte conscendere. Ac non citiùs vsu veniat, vt dum nimia legum angustia se piuntur, in deteriora profiliāt. Nam (vt legi tur Prouer. 30.) qui nimis emungit elicit san guinem. Et Matth. 9. Si vinū nouum, id est ardua & caloreferuentia mandata, mittatur in vtres veteres, id est, in homines impuros corruptisq; affectibus laceros, vinum effun ditur, hoc est, præcepta cōtemnuntur, & ex contemptu iniqui in peiora prorumpunt.

Prouerb. 30 *Matth. 9.*

Ad tertiū argumentū ¶ Ad tertium respondetur quòd etsi lex hu mana à naturali deriuetur, nō tamen illam ad vngnem adęquare debet: neq; ideo (vt lo co citato ait August.) quòd nō omnia vetet, quæ vetat & iubet improbanda sunt.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm lex humana omnium virtutum actus præcipiat.

VT circa malorū prohibitionē sic & circa virtutum præceptio nem videndum est quàm latè lex humana se extendat, vtrùm scilicet omniū virtutū actus de beat prędipere. Et arguitur à parte negatiua

Argumentū. 1. partis negatiuæ. Virtutum officia vitiorumq; opera contra ria sunt: lex humana non omnia prohibet vitia ergo nec omnes præcipit studiosas a ctiones.

Argumē. 2 ¶ Secundò, virtutis opus à virtute procedit. Virtus autem finis est legis: nam vt diximus finis legislatoris est bonos studio sosq; facere ciues: præcepta verò legis nō fi nis, sed media sunt ad consequēdum finem: ergo virtutum opera nō cadunt sub præce pto legis.

Aristot. ¶ In contrarium autem est autho ritas Philosophi. 5. Ethicor. cap. 1. vbi ait: le ges ob communem omnium vtilitatem de omnibus dictare. Quare prędipit, inquit, lex & ea agere quæ ad virū pertinēt fortē, & itē ea quæ sunt temperantiæ, & etiam ea quæ sunt mansueti, & in cæteris identidem vir tutibus atq; vitijs alia iubens atq; alia ve tans.

Prima cōclusio. AD præsentem quęstionem perinde atq; ad præcedentem duabus conclusionibus respondetur. Prior est: Nulla est virtutis

Aristot. Plato. species, de cuius actibus non aliquos præci piat lex humana. Conclusio est non solùm Arist. loco citato, verū & Platonis Dialog. 1. de legib.

de legibus. vbi ait eos qui de diuina republica disserunt, non ad particulam virtutis & præsertim ad degetiorem, sed ad vniuersam ipsos virtutem respexisse putandum, & per singulas earum species leges quæsisse. Ratio autem quam nos natura docet, quamq; sanctus Thom. dilucidat, hæc est. Virtutum species ratione obiectorum distinguuntur: nullum autem est virtutis obiectum quod non ad bonum referri possit commune, quin verò sæpissimè idem etiam ad priuatum, vt ea quæ fortitudinis sunt, & ad protectionem, seu propriæ personæ, seu amici accommodari contingit, & rursus ad tutelam reipublicæ. Et quæ sunt temperantiæ ad bonam priuati hominis valetudinem, & rursùs vt habilior ciuis ad contemplationem fiat eorum quæ bono publico conducunt. Et simile est in cæteris. Cùm igitur lex omnis humana (vt dictum est) ob communem mortalium vtilitatem constituatur, consequens fit vt nulla sit virtutis species de cuius actionibus lex humana non iubeat. Quòd si desorte priuatam aliquam, infrà tibi respondebitur. ¶ Posterior conclusio. Leges humanæ non de singulis actibus singularium virtutum præcipiunt. Itâque præcipiunt de singularum virtutum aliquibus actionibus: non tamen de singulis omnium. Vt si verbi gratia dixerimus, in materia fortitudinis præcipit lex humana rempublicam defendere, etiam cum mortis periculo: non autem sic defendere amicum: sed hoc relinquit legi naturæ. In materia temperantiæ præcipit Ecclesia certis diebus ieiunia: non autem in reliquo temporis anno moderatè comedere, quod facit lex naturæ. In materia religionis iubet certos dies Diuis dedicare, ac sacris interesse: non autem ad alias cogit orationes liberas. In materia iustitiæ & liberalitatis præcipit in graui necessitate & parentibus alere filios secundùm suum statum, & nonnunquàm filijs vice versa parentes. Extra illos autem casus reliqua ad legem naturæ & diuinam remittit de honore parentibus deferendo. In summa, lex humana eatenus tantùm præcipit officia quæ ad bonum commune referuntur: vel per se, & proximè, vt ad publicum bellum arma indui: vel mediatè (vt aiunt) vt illa quæ ad bonam attinent disciplinam per quam ciues ad bonum iustitiæ & pacis instituuntur. Quæris ergò quid si aliqua esset virtutis species quæ nullatenùs ad bonum publicum referri posset? Respondetur nullam esse prorsus cuius non saltem aliquis actus ad idem bonum quandoque referri valeat. Neque verò generalis hæc conclusio morales tantùm virtutes amplexatur, verùm & intellectuales. Legibus nanque humanis, & artes iubentur in republica & scientiarum cõtemplationes. ¶ Ad verò si ità res habet, vt etiam virtutes intellectuales cõclusio cõprehendat, emergit statim argumentum quòd non sit in vniuersum vera. Nam obiectum supremæ virtutis intellectualis in qua summa posita est nostra fœlicitas, cùm Deus ipse sit per essentiã, in nullũ aliud commune bonũ est referibile. Respondetur autẽ q̃ etsi per se Deus in nullũ aliũ referatur finem, eò quòd ipse sit vniuersalis omnium, idemq; summus: tamen quatenùs faciali visione à nobis attingitur & possidetur, refertur quidem, tum in nostram fœlicitatem ac beatitudinem, tum etiam in suam ipsius gloriam, quæ per eandem visionem fit in beatis illustrior.

Ratio conclusionis.

Vltima conclusio.

Explanatur conclusio.

Quæstio.

Solutio.

Argumẽtũ

Responsio.

AD primum igitur argumentum respondetur quòd sicut lex humana non prohibet singulos vitiosos actus, ità neque præcipit studiosos vniuersos. Sed est tamẽ differentia quòd quantum ad virtutes nulla est species cuius non aliquem præcipiat actum: tamen quãtũ ad vitia, nihil vetat aliquã esse speciem cuius nullũ actũ prohibeat. Et propterea præcedenti articulo respõsum est ad vniuersilitatẽ negatiuè: præsenti verò affirmatiuè. Nullũ enim prohibet aut iocosum aut officiosum mendaciũ, neq; vllam simplicem fornicationem, nisi circunstantiam habeat speciem variantem in genere moris: vt adulterium, incestum, &c. ¶ Ad secundum respondetur quòd actus bifariàm dicitur virtutis: vno modo quantum ad substantiam: quia scilicet fit secundum rationis normam: siue ex habitu procedat, siue ab eo fiat qui non est habitu præditus. Aliò verò modo quia ex habitu proficiscitur, atq; adeò promptè & delectabiliter fit: lex ergò nihil de habitibus præcipit, sed de actibus, qui media sunt ad comparandum habitum. Præcipit inquam pro republica pugnare, nihil curans an ex habitu id fiat: agere autem ex habitu, non est præceptum legis, sed finis: nam iubendo nobis operari, intendit legifer habitus in nobis ingenerare quibus studiosi efficiamur.

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ argumentũ

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm lex humana imponat subditis necessitatẽ in foro conscientiæ.

POSTQVAM visum est de potestate legis humanæ quantum ad extensionem, videre restat quãtũ ad eius vim, an vsq; ad cõscientias attingat, quas ligare possit. Est enim statim in propatulo argumentum à parte negatiua. Potestas inferioris non attingit vsq; ad superioris forum: vt in eius iudicio obligare possit: potestas leges ferẽdi humana est inferior diuina: ergo non potest conscientias ligare quantum ad diuinum forum. ¶ Secundò arguitur quòd inde sequeretur & patrem familiâs suis liberis posse itidem leges scíscere, quæ conscientias obligarẽt in foro Dei. Nam sicut præceptum est obedire superioribus, ità & honorare parentes, vbi & obedientia comprehẽditur: consequens autem videtur esse contra id quod suprà dictũ est: nempè citra vim coërciuã, q̃ in patrefamiliàs nõ existit, leges non posse cõdi. ¶ Tertiò, iudiciũ cõscientiæ ex diuinis pendet mãdatis quæ indicia sunt & documenta diuinæ voluntatis: cõtingit autem leges humanas cũ diuinis pugnare, secundũ illud Matth. 15. irritum feciſtis mandatũ dei propter traditiones vestras: ergò non oĩs lex humana obligat in foro cõscientiæ. ¶ Quin verò quartò arguitur. Sententia iudicis (vt suprà diximus) est quædã legis applicatio, eiusmodi autẽ sentẽtia nõ semper obligat, etiã si in foro exteriori iusta sit: vt puta dũ iudex secundũ allegata & probata contra veritatem innocentem condemnat. Imò quandoq; cõdẽnatus nullatenùs potest sententiæ parêre: vt si clam quis duxit vxorẽ vnã, & palàm alterã: tunc enim iustè & iuridicè debitũ iubetur reddere secundæ, & tamen potiùs mori debet quàm obtẽperare: esset nanq; fornicatio: ergò neq; lex iusta obligat in cõscientia. ¶ Quintò, leges humanæ frequẽter solẽt calumniã, ac subinde iniuriã hominib⁹ irrogare, secundũ illud Isaiæ. 10. Væ qui condũt leges iniquas, & scribẽtes, iniustitias scripserũt, vt opprimerẽt in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei. oppressionẽ autẽ ac tyrãnidẽ repellere cuiq; fas est. ¶ In contrarium est Apostolus Petrus in sua prima Cano. cap. 2. Vbi postq̃ omnes Christianæ familiæ admonuit, vt subditi essent dominis, nõ tantũ bonis, sed etiam discolis, quia sic erat voluntas Dei, subdit: Hæc est enim gratia si propter Dei cõscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. dicẽs autẽ propter conscientiã Dei, insinuat conscientiam ciuilibus legibus ligari.

Argum. 1. *Argum. 2.* *Argum. 3.* *Matthæus.* *Argum. 4.* *Argum. 5.* *Isaias.* *Petrus.*

QVæstio est in qua aliquãto plus dubietatis, ac difficultatis q̃ in superioribus inest. Ad cuius vtiq; intellectũ distinguẽdũ est inter leges iustas atq; iniustas. Trib⁹ ergò cõclusionib⁹ ad quæstionẽ respõdeẽ. Prima, lex humana tam ciuilis q̃ canonica, si iusta sit, authoritate viget viq; pollet obligãdi subditorũ conscientias. Probatur. Lex oĩs humana (vt dictũ est) ab æterna per naturalem deriuatur: secundũ illud Prouerb. 8. Per me reges regnant, & legũ cõditores iusta decernũt: vbi (vt suprà discernẽdo notauimus) priori membro designatur regnãdi potestas diuinitùs principib⁹ collata: iuxta illud Pauli: Omnis potestas â domino Deo est: posteriori verò prudẽtia per quã leges cõdunt & executioni mandant: ergò ex eadẽ æterna lege virtus ad easdẽ subinde leges deriuatur, qua sint in cõscientia apud Deũ ipsum obligatoriæ. Existimatur autem legis iustitia ex omnibus eius causis: scilicet finali, efficiente, materiali, atq; formali. Finali inquam, vt ꝓ communi bono sit condita: eadẽ enim differentia (vt diximus) quæ inter tyrannũ & regẽ, inter leges quoq; dignoscitur. Nempè vt quæ ꝓ cõmuni vtilitate sit lata, iusta habeatur: quæ verò pro particulari, tyrannica. Secundò, ex parte agẽtis: vt pote q̃ qui illã tulerit, suam nõ fuerit facultatem transgressus. Tertiò, ex parte materiæ. Quoniam, vt quæ pro tempore & loco bona sunt, prohiberi nõ debent: ità neq; opera mala materia præceptionis sunt. Quartò ex parte formę. Nam cùm lex, regula sit, ea debet rectitudine & æquitate splendere, vt talẽ seruet tam in honoribus q̃ in oneribus proportionem ad ciues, qualem ipsi habent ad corpus reipublicæ: sunt quippe ceu partes in toto: obidq; sicut partibus diuisa sunt à natura munera, sic & onera secundùm proportionem facultatum ciuium imperanda singulis sunt, atq; honores secundùm proportionem dignitatum impartiendi. Igitur quæ lex his fuerit numeris absoluta, obligatoria erit. ¶ Secunda conclusio: lex humana iniusta non obligat in foro conscientiæ. Conclusio ex superioribus fit notissima. Nam lex iniusta, cùm

Prima conclusio. *Probatio.* *Paulus.* *Ad legis iustitia omnes ei⁹ causæ ac cedãt necessæ e-t.* *Secunda cõclusio.* *Probatio.*

cùm recta nõ sit, regula esse nequit, atq; adeò neq; lex: quæ autem non est lex, obligat neminem. Legis autem iniustitia duobus pensatur modis. Primò, si bono aduersetur humano: vt puta ratione aliqua cuipiam prædictarum quatuor contraria, videlicet ex defectu aut debiti finis, aut agentis, aut materiæ, aut formæ. Altero modo si contraria sit bono diuino. Et quanuis nequeant Deo esse contrariæ nisi ratione pariter materiæ, vel aliarum prædictarum causarum, notatur tamen distinctio hæc vt ad tertiam conclusionem sternatur aditus, quæ talis est. ¶ Leges illæ quæ humano tantùm bono aduersantur, licèt in conscientia de se non obligẽt, ligant tamen quandoque ratione scandali: quæ verò diuino bono impiè repugnant, nullatenùs: sed apertè est illis obuiandum. Prius membrum patet: nam in his quæ prę se non ferunt manifestariam tyrannidem, resistere potentibus non est citra scandalum possibile, & ideo ferendi interim sunt quousque leniori via in mẽtem saniorem adducantur. Huc enim pertinet Christianum cõsilium, Matthæ. 5. Qui angariauerit te mille passus, vade cum eo & alia duo: & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium. At verò si tyranni vel ad idololatriam nos suis legibus inducerent, vel à nostris arcerent sacramentis, vel ad alios mores aut ritus fidei contrarios propellerent, nullum esset formidandum scandalum, sed illud esset grauissimũ, si illis non statim posthabita vita obsisteremus. Hic enim est legitimus sensus illius, Actu. 5. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Sic nanq; respondit Petrus principi Sacerdotum præcipienti nè in nomine Christi prædicarent. Hisce iniustitiæ formulis ex arte dispositis vniuersæ cõprehenduntur quas iuris interpretes ad duodecim vel plures congestim multiplicant, vt est tum apud alios Summistas videre, tum apud Sylueſt. verbo, lex. §. 9. ¶ Vt autẽ hæc accuratiùs collimentur, speculandum primùm de prima conclusione est, quo sit gradu tenenda. Ad quod respondetur non esse tam sublimi tamq; firmo certitudinis gradu constabilitam de ciuilibus legibus, quàm de ecclesiasticis: ob idq; de Ecclesiasticis, Papæ potissimũ ac Conciliorum, adhibetur quarta cõclusio. ¶ Tanquàm fides catholica cõfitendum est Ecclesiasticas sanctasq; leges obligare in foro conscientię genere suo sub reatu mortalis maculæ. Irrepsit enim olim Vvaldensiũ error, postq; Ioannis Vvicleff, eorundemque tandem legitimi heredis Lutheri, quòd neq; in Pontifice maximo, neq; in tota Ecclesia potestas vlla est cõdendi aut articulos fidei, aut morum leges. Sic enim habet vigesimus septimus eius articulus inter exhibitos ad Leonem: Quare (vt aiunt) sola illa mandata obligant in conscientia, quæ in Euangelio explicata sunt. Extant autem apertissima testimonia, quibus isti cõfutantur. Vt est illud Lucę. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et Matth. 18. Si peccauerit, &c. dic Ecclesiæ, si ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnic⁹ & publican⁹. Vbi cõpertissimũ est iurisdictionẽ Ecclesiæ designari. Itẽ, quodcunq; ligaueris super terrã, erit ligatum & in cœlis. Et Ioan. 20. Data est mihi oĩs potestas in cœlo & in terra: sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos. Accipite spiritũ sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis retenta erũt. Quid euidẽtius q̃ illic (vt ait Chrisost.) collatam fuisse à Christo Apostolis ac subin de Ecclesiæ potestatem quam ipse attulerit à Patre? Eò præcipuè quòd retinere peccata, functio est habentis potestatẽ obligandi. Et Deu. 17. lex extat q⁹ qui nõ obediret sacerdoti morte moreretur: morte autem nemo plectitur nisi ob graue peccatum nortale: ergò fortiori ratione lege noua, quam & Christ⁹ instituit, & Spiritus sanctus gubernat, eadem est authoritas confitenda. Idque verba illa palàm ostendunt Actuum. 15. Visum est Spiritui sancto & nobis nihil vltra imponere vobis quàm hæc necessaria. &c. Re vera cùm Ecclesia suis legib⁹ obligare nos intelligat sub reatu mortalis culpæ, & Christus suã sit curam pollicitus, & Spiritus sancti regimen quẽ ad hoc se missurum promisit à Patre, ne in rebus tam arduis falli posset, certissima colligitur fides, in hoc eandem ecclesiã non deseri, sed certa pollêre authoritate obligandi. ¶ Iam id demum de ratione finis conuincitur. Enimuerò cùm mortalium status nunq̃ sit fixus, sed pro temporũ locorumq; diuersitate lubricè varietur, nõ satis Christus legibus à se positis Ecclesiæ in perpetuũ consuluisset, nisi potestatẽ reliquisset in Ecclesia nouas pro tẽpore cõdendi, quæ in suo ipsius diuino foro obligare valerẽt. Hæresis autem hæc iam in Concilio Viennensi, vt habetur Clem. ad nostrã. de hæret. & in Constãtiensi, ac deinceps à Leone. 10. merito suo cõdemnata est. ¶ At verò de potestate ciuili nõ est tã-

Legis iniustitia vnde sit pẽsanda

Tertia conclusio.

Matthæus.

Actu. 5.

Sylueſter. Quæstio.

Solutio.

Quarta cõclusio.

Valdẽses

Ioannes Vvicleff. Lutherus.

Refutãtur hæretici sacrarũ literarũ oraculis

Luc. 10.

Matth. 18.

Ioan. 20.

Chrisostо.

Deute. 17.

Actu. 15.

Ratio in hæreticos.

Concilium Viennense. Concilium Constanst. Leo decim⁹.

to robore cõclusio firma, quin sunt in cõtra
Aegum. 1. rium argumenta nonnulla. ¶Primum, obligare ad culpã in foro conscientiæ, cũ animas vulneret, videtur spiritualis potestas, qualis in Ecclesia est: nõ autem in potestate ciuili.
Argum. 2. Secundò, potestas ciuilis non illucusq; ptenditur, vt possit peccata remittere: cõsequens ergò apparet vt neq; possit in peccata conijcere. Iniquũ enim censere quis posset vt qui religare nequit, ligare valeat: Ecclesia nanq;
Argum. 3. vtrunq; potest. Tertiò, finis proximus ciuilis potestatis est temporarius reipublicę status:
Argum. 4 ergò ad æterna supplicia nõ se dilatat. Quartò. Potestas quæ in conscientia reum culpæ punire nequit æterna pœna, non potest sub reatu talis culpæ obligare: potestas autẽ ciuilis in foro cõscientiæ nullam potest impone re pœnam, sicut is spiritualis, quæ illas in sacramento decernit pœnas, quas si hic nõ persoueris, patieris in altero sæculo. Postremò ar-
Postremum argumẽtũ. guitur vt articulus nerusq; materiæ detegatur. Aut obligatio ad culpam est in arbitrio principis ferentis legem, aut præter suam voluntatem sequitur ex natura legis. Si prius dederis, fit vt nunq̃ lex ciuilis obliget sub reatu culpæ: quia nulla est lex quæ talem circũstantiam exprimat. Si autẽ posterius cõcesseris, scilicet, vt obligatio sequatur ex natura legis cõsequitur vt Princeps nullã possit cõdere legem, quæ non obliget sub reatu culpæ, quod tamen creditu durum est: quãdoquidem in religionibus, pręcipuè in nostra mul
Leges ciuiles ligãt in cõscientia. tæ sunt leges nullo nos ligantes culpæ reatu. ¶Veruntamen his nihil obstantibus cõclusio quæ secundùm mentem. D. Tho. primo loco asserta est, suam etiam incõcussam retinet veritatẽ in ciuilibus legibus: quippe quæ ad culpam obligãt, & de genere suo ad mor
Probatio. talem. Enimuerò sicut reipublicæ ecclesiasticæ, sic & ciuili necessaia fuit ratione finis potestas seipsam gubernandi, atq; adeò leges pro temporum regionumq; varietate instituendi: licèt hæc potestas (vt lib. 4. sub titulo de dominio, fusiùs differendum est) aliter quàm ecclesiastica à Deo defluxerit. Illã enim Christus per se contulit ecclesię diuina lege: hæc autem per legem naturæ descẽdit, qua quęlibet respublica seipsam administrãdi authoritatem habet, quam & regibus cõferre potuit. Itaq; quia respublica ciuilis, familia quoque Dei est, fit vt sicuti qui contra suas leges proximũ offenderit, ante eius tribunal reus habeatur: qui verò secundũ easdẽ fuerit erga eosdem proximos beneficus, dignus habeatur præmio: sic prorsus & qui leges humanas per potestatẽ ab ipo collatã cõditas, vel violauerit, vel custodierit. Et hoc est obligare in cõscientia. Sed confirmatur etiã num eadẽ cõclusio. Facere cõtra legem Prin cipis est malum morale, ergò peccatũ apud Deum. Antecedens est notum: quoniã si lex iusta est, regula rationis existit, prætergredi autẽ rationis lineã, obliquitas est, ac subinde peccatũ. Consequentia nihilominùs inde claret, quòd quicquid mali in moribus est, peccatũ existit: vt egregiè. S. Tho. 1.2. q. 21. dis-
S. Thomas seruit. ¶Deinde lex humana à naturali (vt di
Altera ratio ad idẽ. ctũ est) deriuatur, quę cõstituit id quod gene rale est in particulari specie virtutis, vt genus pacis ad hoc quod est armis non vti nocturnis: ergò leges humanæ obligãt i foro cõsciẽtiæ. Ac demũ postremũ adhibetur argumen
Postremum argumẽtũ. tũ peculiariter de lege ciuili. Principis finis si cèt proximus sit, quietus status reipublicæ, supremus tamen est sempiterna fœlicitas ad quã ille temporalis finis tendit: ergò potest suis legibus per virtutẽ sibi cœlitùs donatã in illo supremo foro obligare. Colligam⁹ ergò q̃ licèt non sit manifestaria hæresis hanc authoritatẽ & vigorẽ ciuilibus legibus, veluti ecclesiasticis denegare, esset tamen profectò temerariũ & cõtra doctorũ consensum, qui præcipuũ habent nomẽ. ¶Ad verò vnus Ioã
Gersonis placitum. nes Gerson, vir aliás egregiæ notæ, reuocare nos huc cogit in disputationẽ vtrũ huiusmodi humanæ leges perseipsæ obligẽt in quantũ humanæ sunt, id est, in quantũ potestate hominibus cõcessa conditæ an verò eatenus prorsus quatenùs diuina lege stabiliuntur. Sustinet enim tract. devit. spe. lect. 4. opinionem de hac re singularẽ: nempè q̃ nulla lex neq; ciuilis neq; ecclesiastica, imò neq; naturalis vim habet obligãdi in conscientia ad culpam, sed sola lex diuina est quæ obligat: humana verò in quantũ est illius interpres. Quæ quidem opinio nõ tantùm nomine (vt quidam putant) à cõmuni differt, sed re certè latissimè. Non inquam hoc tantùm ait q̃ leges humanæ idcirco obligẽt quòd tales potestates diuinitùs sunt hominibus collatæ: hoc enim nos fatemur: sed ait nullã esse potestatẽ creatã à Deo cõcessam obligãdi sub reatu culpæ, sed tantùm exponendi, & declarãdi diuinum ius. Itaq; Papa, secundùm ipsum annalem præcipiens cõfessionem, nõ obligat potestate sua, sed ius duntaxat declarat diuinum: quoniam, inquit, ante eius sanctionem lex Dei erat annuatim confiteri:

Cõfirmatio eiusdem cõclusionis.

sed

sed quia nobis erat ignota, excusabat nos ignorantia, Parimodo nisi ius, inquit, fuisset diuinum Quadragesimã ieiunare, præceptũ Papæ non obligaret ad culpam, at quia tale ius erat, illud per Papam declaratũ nos ligat Et multò (vt censet) vehementiori ratione leges principũ, nisi declarationes sint diuini iuris anteà ignorati, nullatenꝰ ad culpã obligant. Sicuti præceptum medici qui decumbentem iubet à nocuo cibo abstinere: nõ est obligatorium ad culpã: sed propterea ægrotus illã incurrit, ꝙ transgreditur diuinã prohibitionẽ homicidij, quod Medicus declarat esu talis cibi perpetrari. Atq; isto ordine infert vsq; ad quatuordecim mirabilia corollaria. In summa vult, ꝙ sicut Ecclesia articulos fidei cõdere nequit, nisi illos explicãdo qui in sacra scriptura latitabant: ita neq; potest condere leges. Quin verò ait neq; legem naturalem vllo pacto obligare, nisi ius explicãdo diuinum. Ecce opinionem Gersonis à quàm paucissimis intellectam, & ideo ab aliquibus creditã. Ratio illius est: quia sicut nemo nisi solus Deus potest conferre gratiã, ità neq; illã auferre, atq; adeò neq; obligare ad culpã per quam tollitur. Item sicut Ecclesia legem de actibus internis ferre nequit, quia neq; illos punire valet: sic quia æternã pœnã infligere nõ potest quæ culpæ debetur, sit vt neq; valeat ad culpam obligare. Atq; hac in quit de causa Augus. definiuit peccatũ ꝙ sit dictũ vel factũ, &c. cõtra legẽ Dei: quia scilicet cõtra nullã aliã peccare cõtingit. Attamẽ si fas est sic de doctore Catholico loqui, per parũ differt ab hæresi Lutherana modò impugnata, quæ omnẽ aufert ab Ecclesia potestatẽ cõdendi leges. Imò Gersonẽ sibi Lutherani cõtra Catholicos patronũ obtendunt, licèt hoc mitiùs dicat ꝙ potest papa diuinas leges declarare. Præterea dicere ꝙ ante sanctiones Ecclesiasticas annua cõfessio, quadragesimalisq; abstinentia, esset de iure diuino, gratis sanè dictũ est, quin verò temerariè. quia nullò est pacto suasibile. Erat qdẽ præceptũ cõfessionis, sed tamen temporis præscriptio, Ecclesiæ prudentiæ erat cõmissa. Ad hæc cũ Ecclesia hoc aut illud sub pœna excõmunicationis præcipit, vt putà cõparere in iudicio & similia, quis dicere ausit illud fuisse ius diuinũ, nisi quia à Deo data erat Pontifici talis cogendi potestas? Itẽ Ioan. 20. Propterea præmisit Christus, Data est mihi oĩs potestas: vt subdens, Accipite Spiritũ sanctũ: intelligeretur eãdẽ Ecclesiæ cõferre. Ac postremò quo modò Papa esset vicarius Christi, nisi leges eius familiæ & vrgẽtia præcepta ponere posset? Est ergò certo certius in Ecclesia existere potestatem non solùm declarãdi diuinũ ius, verùm condendi humanum: quod ideo sic nuncupatur, quòd à potestate humana proficiscitur, licèt diuinitùs recepta. Etenim sicuti licèt arbores & animalia à Deo receperint virtutes generandi, nihilominùs creaturæ ipsæ per propriam virtutem generant & operantur: pariter homines per suam potestatẽ condunt leges, quæ anteà non obligabãt, sed propterea obligãt: quia positę sunt ab hominibus: vt. 5. Ethico. cap. 7. ait Arist. Iam verò ius naturæ ecquis neget per se obligare? ¶ Almain in. q. de potesta. Ecclesia. cap. 12. cõcedit potestatẽ Ecclesiasticã obligare posse ad culpam mortalem, quia Papa est vicarius Christi: negat id tamẽ de ciuili nisi Gersonico modo. Nihilominùs verisimũ etiã est de ciuili, vt suprà expositũ est ac demostratũ. ¶ Vnde ad argumẽta Gersonis & ad ea quæ nos adiecimus facile est respondere. Etenim licèt Deus solus gratiã conferat, nõ tamẽ ipse aufert, sed nos per scelera nostra: & ideo nihil obstat quo minùs homines ex sua ipsius institutione leges constituãt, quarum transgressores de gratia eius decidãt, eò quòd suis ministris nõ obtemperârunt: obidq; quã homines nequeũt æternam pœnam infligere. Ipse, veluti summꝰ omnium iudex, infligat. ¶ Neq; obstat quòd potestas ciuilis nõ se extendat ad remittenda peccata: quia diuersa sunt ministeria Dei, vt ait Paul. vbi autẽ Augus. dixit peccatum esse contra legem Dei, legem æternam insinuauit, à qua omnes deriuantur: etiam humanę: quo ideo vno latissimo nomine omnes cõprehendit. ¶ Ad intellectũ autẽ alius argumenti, videlicet quomodò leges principum obligẽt ad culpam: vtrùm scilicet pro arbitrio suo, an verò ex natura legis. Notandum est discrimen inter Ecclesiasticam potestatem & ciuilem. Ecclesiastici enim Prælati, quia spiritualium iudices sunt, possunt leges condere: non modò constituẽdo opera in specie certa virtutis aut vitij, verùm etiam discernendo inter veniale & mortale, atq; adeò decernendo transgressionem suæ legis esse mortale crimen: sæculares autem principes id nequeunt definire, sci licet vt leges suæ sub culpa veniali aut mortali seruentur, sed duntaxat constituunt opera in specie virtutis aut vitij. An verò transgressio vel omissio mortalem labem transgressori

Motiuum Gersonis.

Alia ratio eiusdem.

Gersonis positio parum differt ab hæresi Lutherana.

Prima ratio in Gersonem.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Postrema ratio.

Aristot.

Almain.

Ad primũ argumentũ Gersonis.

Ad secundum argumentum.

Ad postremum argumentum.

Discrimen inter Ecclesiasticã potestatẽ & ciuilem.

gressori impingat, ex rerum natura examinandum est. Dicamus exempli gratia: Præcipit Rex tempore famis frumẽtum nõ asportari à regno, aut tempore instãtis belli arma indui. Cõstituit ergo illa opera in specie obedientiæ: & secũdum speciatim in virtute fortitudinis. Et quia magni referunt, mortale est tunc non obtemperare. Præcipit autem aut nõ equitare mulas, aut sericis non indui, quod inde incipit esse temperantiæ virtus: aut nõ ferre arma, quod iam inde est virtus pacis: si parui referunt, erit inobedientia nõ grauior quàm venialis. ¶ Sed soluenda tunc restat alia superior obiectio: nempè q̃ tunc Princeps non posset leges ferre quæ nõ obligarent ad culpã, quod est falsum: cùm in religionibus tales sint leges in vsu. Negatur autem cõsequentia. Sed scisciteris iam signum quo dignoscendum est quęnam lex obliget ad culpam, quæ verò minimè. Sunt inter iuris interpretes qui aiunt leges quibus subnectitur pœna, nõ obligare ad culpam, hoc autem statim articulo proximo repudiabitur. Caieta. autem in materia de ieiunio ait non satis constare legem ieiunij obligare ad mortale: quia non est lata cum illo additamento sub mortali reatu, vbi insinuat legem quę id non explicat, non obligare ad culpam. Porrò autem (nisi ego fallor) grauissimè de hoc ipse falsus est. Leges enim nunquàm ferri cõ sueuerunt cum tali accessione, Præcipimus sub reatu culpæ mortalis vel venialis. sed ex operis natura & grauitate illud est perpendendum. Quocirca fidissima regula est: Omnis lex quæ absolutè fertur, hoc est quæ contrarium nõ explicat, obligat ad culpam, vel venialem vel mortalem secundùm pretium operis. Et ratio est liquida, quoniã lex secum affert obedientiæ præceptũ: obedientia autem per se est virtus, & inobedientia, peccatum. Quo fit vt quicunq; legem ferre voluerint, siue sęculares Principes, siue Ecclesiastici præpositi, quæ non obliget ad culpã, illud debẽt explanare. Neq; aliud potest cõstitui signum. Documento sunt constitutiones nostræ, in quarum capite sic habetur, Regula nostra & constitutiones non obligant nos ad culpam sed ad pœnam: nisi propter præceptum vel contemptum. Quod quidẽ, documentum est, q̃ nisi illa fieret adiectio, non posset non obligare ad culpam. ¶ Supremum autem dubium in calce quęstionis superest. Vtrum eatenus leges humanas sub reatu lethalis maculæ obligare valeant, vt mors etiã sit anteà subeũda, quàm vel omissione vel transgressione violetur. Apparet enim non tantum ineſſe virium in legislatoribus humanis: cùm non sint domini vitæ & mortis. Caieta, 1.2. q. 96. art. 4. constituit regulam quòd omnis lex humana quæ obligat ad mortale, obligat subinde pro sui obseruatione mortem perpeti, nisi casus aliquis benignitate legum excipiatur. Ratio eius est, quòd mors animæ fugienda est prorsus antequàm corporis, ob idq; cùm lex humana obligat ad mortale, citiùs succumbendum est gladio, quàm legi obuiandum. Imò inquit, perinde est dicere, legem humanam non posse obligare ad mortem pro sui obseruatione, ac non posse constituere actum in culpa mortali. Appendet deinde aliqua exempla. Potiùs enim debet homo interire, quàm cum consanguinea matrimonium cõtrahere, Et in cap. Sacris. de his quæ vi met. ve caus. fiunt, ait Innocent. quòd cùm pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, nullo obstante metu licet cum excommunicatis communicare. ¶ Arbitror tamen sic verum esse humanam legem valere tanto cum rigore obligare, vt tamen Caietañ. responsio censurã indigeat. Igitur primùm omnium certum est tanti referre posse reipublicæ id quod præcipitur, vt lex pro sui obseruatione ad mortem vsq; obliget. Etenim cùm Princeps in bello militi præcipit locum seruare, vnde præsentaneum periculum reipublicæ existit, vitam potiùs quàm locum deserere debet. Imò quoties quippiam sub pœna capitis iubet, periculũ subeundum est capitis pro legis custodia. Nam etsi Princeps nõ sit absolutè dominus vitæ, vti Deus, tamen accidente causa potest subditos exponere morti, sicut totũ partes. Nihilo minùs nõ est vsq; adeò vniuersalis regula Caietani. Neq; idẽ est obligare ad mortale, & obligare nõ obstãte periculo mortis: nã lex ieiunij proculdubio sub reatu mortali obligat, & nihilo minùs si tyrannus mortẽ alicui minaretur nisi ieiunium frãgeret, nulla porrò esset culpa illud frangere, nisi dum tyrannus in contemptũ legis ad id cogeret: tũc enim teneretur Christian⁹ potiùs mori. Enimuerò quãuis potiùs sit moriendũ, q̃ peccandũ, nihilo minus nõ præsumitur lex tã rigidè semp cogere. Et ideò an lex obliget ad mortem oppetendã necne, examinandũ est ex operis grauitate. Quin verò neq; lex diuina cum illa acrimonia nos vbiq; obligat.

Quæstio.

Iurisconsultorum sententia.

Caietanus.

Error Caietani.

Pulchra regula.

Ratio regulæ.

Postremum dubium.

Ratio dubitandi.

Caietanus.

Fundamẽtum Caiet.

Quo sensu Caietani opinio verũ habeat.

Regula Caietani non est vniuersalis.

Soluitur ratio Caieta.

Nemo

Nemo enim tenetur vel se vel filium cum periculo mortis baptizare, aut alia susscipere sacramenta. Quin verò crediderim Ecclesiasticas leges nunquàm obligare tanta cogendi vehementia, nisi quando vel contemptus eiusdem legis interueniret, vel iniuria fidei. Et ratio est: quia qui metu mortis contra legem facit, nõ delinquit ex inobedientia, sed metu: sicut qui fame frangit ieiunium, non formaliter peccat contra obedientiã, sed cõtra temperantiam. Quod autem nullo metu possit quis contrahere cum consanguinea: hoc est, quia non est materia matrimonij, nec fieri potest per metum: sed talis concubitus esset fornicatio. Illud autẽ caput, Sacris, citatum omnes intelligunt de communicatione in sacris & interueniente scandalo. Si enim dum sacerdos coràm notorijs excommunicatis celebrat plebs acciperet scandalũ, suspicans leges Ecclesiasticas nullius esse valoris, aut illum esse manifestariũ inobediẽtem: in tali casu potiùs deberet mori, quàm id facere. Aliâs communicare cũ excommunicatis ad fugiendum periculum mortis, nõ esset lethale crimen.

Leges Ecclesiasticæ nõ obligant cũ discrimine mortis.

Ratio dicti

Satisfit aliis argumẽtis Caieta.

Ad primũ argumẽtũ.

RESTAT ergo respondere ad argumenta in capite quæstionis proposita. Primũ autem iam solutũ est sic, scilicet, q̃ licèt homo per se potestatem nõ habeat in foro Dei, tamẽ tanq̃ eius ministerio fungens præcipere id potest: cui q̃ restiterit, resistit, eius ordinationi, & ipse sibi damnationem acquirit secundùm Paul. ad Rom. 13. ¶ Secundo autẽ argumento conceditur patremfamiliâs obligare posse suos liberos ad mortale. Vt si rem illis eximij põderis æquissimè & seuerissimè præciperet. Nam & eorum potestas à Domino Deo est: nimirum præcipiente liberis honorare parẽtes. Vnde August. super Psal. 70. Vbi iubet pater quòd cõtra Dominum nõ fit, sic audiendus est quomodò Deus. Et Salom. Prouer. 6. Conserua fili mi præcepta patris tui. Et Apostolus ad Ro. 1. alijs criminibus annumerat, nõ obedire parẽtibus. Sup quibus verbis Ambr. Quanta, inquit, insolẽtia arrepti sunt, vt neq; parẽtes suos quos authores in natiuitate habent agnoscerẽt: hoc enim est esse sine intellectu: sine charitate scilicet Dei: peccatum autem charitati Dei aduersum, mortale est. Et Deute. 21. Pœna mortis decernebatur filio qui contumax esset & proteruus, neq; audiret patris aut matris imperiũ, & coërcitus obedire cõtemneret. Verba sunt legis. Quin verò & inter omnes naturales obedientias (vt. 1. Poli. Arist. docet) hæc est prima quę parẽtibus debetur. At & vxor quandoque teneretur sub tali reatu obedire marito, tametsi eius præcepta, quia vi coërcitiua carent, vim non habeant legum. An verò in famulos & reliquam familiã eadem fungatur authoritate, non facilè crediderim.

Paulus

Ad secũdũ argumẽtũ.

Augustin⁹

Salomon.

Paulus.

Ambrosi⁹.

Aristo.

¶ Ad tertium respondetur est in tertia conclusione, quòd leges diuinis aduersantes, nõ habent legum robur, sed sunt potiùs cõculcandæ. ¶ Et ad eundem propè modum respondetur ad quartum, q̃ sententiæ, quæ ideò penitùs iustę sunt quod secundùm tantùm exterum forum in falsa prę sumptione fundantur, non obligant in conscientia: quia cùm sint veritati cõtrariæ, lex naturalis ac diuina aliud continet. Diuersimodè tamen considerantur. Nam dum sententia diuinæ legi non est omninò contraria, tunc condemnatus, licèt possit quomodocunq;, citra scandalum & vim iudici illatam, iudicio se eximere, potest nihilo minùs & eidem auscultare. Vt cõtingit quando innocens cõdemnatur. Quando verò diuina lex omninò est contraria, vt dum quis cogitur illam cognoscere quæ verè non est sua, citiùs debet mori q̃ obedire. ¶ Et pari modo respondetur ad quintum. Quando enim leges humanæ iniquę sunt in subditos, si citra scandalum fieri potest, non est in conscientia eis obediendum: secùs si tale scandalum oriretur.

Ad tertiũ argumẽtũ.

Ad quartũ

Ad quintũ.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm oĩs pœnalis lex obliget ad culpã.

DVOS hic articulos adhibere est operę pretium de lege pœnali, in qua nõ nihil subest singularis ambiguitatis. Et primò q̃ritur vtrũ humana lex quę obligat ad pœnam, pariter obliget & ad culpã. Et arguitur à parte negatiua. In primis leges pœnam irregularitatis cõtinentes, nõ omnes obligãt ad culpam: nam iudex qui iustè est causa sanguinis, irregularis fit, vt patet in titulo de homicid. voluntario. & Can. aliquãtos. dist. 51. Et bigamus fit similiter irregularis, vt patet. 34. dist. cap. si cuius, & tamẽ nulla illic inest culpa. Nam hæc vna fortè est causa, ob quam regula iuris exceptionẽ fecit: Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. vnde illud collectum est axiôma: Et si sine causa nõ potest infligi pœna, potest tamẽ

Prĩa ratio.

Secunda ratio. sine culpa. ¶Secundò in religionibus (vt de nostra iam suprà dictũ est) extant leges obligantes ad pœnam sine culpa: ergo quotiescunq; princeps pœnam adnectit legi nõ est cẽsendus obligare ad culpã: sed pœna esse cõtentus, nè oraculo illi aduersetur Naum Prophetæ cap.1. Non consurget duplex tribulatio. *Naum.*

Tertia ratio ¶Tertiò innumeræ sunt leges tã diuinæ quàm humanæ quæ nullam induũt præceptiformã, sed tantùm pœnæ: vt illa Exod.22. Si quis furatus fuerit bouem aut ouem. &c. quinq; boues ꝓ vno boue, & quatuor oues pro vna oue restituet. Et.2.q.3. Qui nõ probauerit quod obiecerit, pœnam quam ipse intulerit patiatur. Et.l.capitali.ff.de pœnis. Sic habẽt leges: Incendiarij capite puniũtur. Fœnerarij capite puniendi sunt, & multæ sunt similes quibus nihil prorsus præcipitur, aut prohibetur, sed pœna tantùm statuitur, illæ ergo nõ obligãt ad culpã, sed prorsus ad pœnã. ¶In contrariũ est Canonicũ ius: Can. Satis peruersum.56.dist. vbi habetur, satis esse peruersum vt quis suis officijs priuetur, quẽ sua culpa vel facinus à suo gradu nõ deijcit. Et idem notatur.l.si putator.ff.ad.l.Aqui.

QVæstio hæc, si natura pœnæ satis perpẽderet, nõ erat cur reuocaret in dubiũ: adeò res per seipsa liquet. Sed quia vulgus nescio quo colore ait legem quę obligat ad pœnã nõ obligare ad culpam, necesse est errorẽ hũt elidere. ¶Respondetur ergo vnica generali cõclusione. Nulla prorsus est lex pœnalis, si legitimè sit pœnalis nominãda, quæ nõ obliget ad culpã, nisi cõtrariã intẽtionẽ expresserit, dicẽdo, non intendimus obligare ad culpã, aut quid simile: vt superiori quæsti. expositũ est. Cõclusio est. S. Tho. 22.q.108.ar.4.vbi eam, vt pleraq;, oĩa luculẽter dilucidat: Et est lumine naturali notissima. Pœna em̃, vel ipso attestante noĩe, tam cognatam habet cõnexionẽ ad culpã, vt pœnæ, neq; rem habeat, neq; iustum nomẽ, nisi sit pro culpa posita, Loquimur enim hic de pœna iuridica pro eo quod est vltio & vindicta. Nam accipitur pœna quoq; physicè pro cruciatu quẽ quis patitur, vel à febre, vel ab alio quouis morbo afferente dolorem. Neq; opùs porrò est alia probatione præter nominis significationẽ. Vindicare enim & vlcisci, & suppliciũ poscere, atq; adeò pœnã infligere, neutiq; nisi ꝓ culpa fas est. Quocircà nisi culpa adsit impropriè, & præter verborum significatũ vsurpatur. Sit enim per pœnã iusta repensio culpæ: nempè vt qui suæ obsequens voluntati deliquit (nam secundũ Augustinũ: vbi nõ est voluntariũ, non est peccatum.) cõtra eandẽ suã voluntatem patiatur.

culpam Cõclusio responsiua.

S.Thomas.

Ratio quæstionis.

Secunda ratio. ¶Secundò id probatur. Leges humanæ (vt proximo articulo constitutũ est) si absq; pœnæ cõminatione absolutè ponãtur, ad culpã obligãt: at cõminatio pœnę legi appositа nõ est cõtrarij signum, ergo tũc etiam eadẽ manet obligatio ad culpã. Probat̃ minor, quia cõmunicatio pœnæ natura sua illuc spectat, vt obseruantiùs lex custodiatur. Ea nanq; ratione in illo articulo de legis actibus dictum est vnũ esse punire, ꝙ sicut in speculabilibus per principia inducũtur cõclusiones: ità & in practicis per cõminationem pœnæ inducitur obseruãtia præcepti: ergo nõ solùm pœna nõ est indiciũ ablatæ culpæ, verùm cõtrà, apertũ est testimoniũ grauitatis ipsius, quæ de transgressione omissioneq; legis cõtrahitur. ¶Tertiò arguitur. Huius causa quòd maior minorve aut maxima assũatur legi pœna, nõ alia afferri potest, q̃ proportio culpæ: iuxta illud Deut.25. iuxta mensuram delicti erit & plagarũ modus. cuius simile est.c.Exiuit. extrà, de his quę fi. à ma.par.cap.&.c.Fœlicis. de pœ.lib.6. ergo quæcunq; pœna testimonium est culpæ. ¶Accedit quartò & diuinum exemplũ. Illa enim lege quã Deus primã posuit parentibus nostris in statu innocentiæ, quia eius præuaricatio tam lõgè grauissima erat, & enormissima, truculentissimã pœnã cõminatus est, dicẽs: In quacunq; hora comederis ex eo, morte morieris. Quo factũ est vt mors, morbiq; ac cæteræ calamitates & ærumnæ, quæ si in puris essemus naturalibus cõditi, nõ pœnæ, sed natura nobis essent, iam nũc ob culpã Adę expoliãtis nos originali iustitia, quę nos ab his seruasset incolumes, pœnæ & dicuntur & sunt. Propter eà ꝙ modo quodam eius nos parentis volũtate peccauimus. Punitur ergo nemo nisi ob culpã, siue suã propriã, siue suorum parentum, quorũ pars quodammodò existit. Vnde illud Exod.20. Ego sum Deus zelõtes visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiã & quartã generationẽ. Fateor nos quidẽ quãdoq; à Deo flagellari, nõ solũ ob delicta præterita, verùm vt in futurum cautiores viuamus: illa verò flagella non tam pœna sunt quàm præseruatoriæ medicinæ. Præterea & in originis culpã cuncta resoluuntur. Deinde & alijs Dei exemplis eadem conclusio confirmatur. Etenim Exod.21. & Leuit.10.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Probatur conclusio exẽplis sacrarũ lr̃arũ Exod.21. Leui.20.

iuxta

iuxta grauitates scelerũ pœnas statuit: Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Si mœchatus fuerit quis cum vxore alterius, morte moriatur &c. Quapropter et si in euangelio præceptis Decalogi nulla sit adiuncta pœna, tamẽ per humanas leges adhibitæ sunt: vt scilicet homicida, & fur, & reli qui nequam impuriq; homines mortis metu ab illorum violatione cohibeantur. Et est profectò cauillosum diuerticulum dicere, aliud esse in legibus diuinis quã in humanis: cùm potiùs leges humanæ diuinarum esse debeanr imitatrices. ¶ Ecquis præterea dubitet, quin cùm Rex pœnam capitis comminatus militi iubet nè locum deserat, mortalis sit culpa inde referre pedem? Quin verò infallibilis regula est quod in neminem potest princeps pœnam capitis, aut mutilationis, aut exilij, aut omnium bonorũ publicationis decernere, nisi pro transgressione vel omissiõe legis quæ sit lethalis culpa. Profectò non video vnde hæc plusquàm vulgaris opinio prodire potuit, quod leges obligãtes ad pœnam non obligent ad culpam. Cùm pœna suapte natura, tum genuinus effectus, tũ & apertum indicium sit culpæ. Sed tamen qui eam inuexerunt non sunt illi qui de natura rerũ philosophãtur. At verò alij Doctores hac parte doctiores, licèt conclusionem nostram non prorsus denegent, moderãtur tamen hac distinctione, quam ex Henrico Gandensi quolib. 3. q. 22. desumunt. Ille nanque fortasse fuit qui vulgari opinioni quam modò impugnabamus, ansam porrexit. Tametsi ipse moderatiùs opinatus est. Distinctio eius est hæc: Legum pœnaliũ aliæ sunt quæ præceptum explicãt vel prohibitionẽ, cui pœnæ cõminationem adiungũt: & has, qui illam defendunt, appellãt pœnales mixtas hoc est obligãtes ad culpã pariter & pœnã: sed aliæ sunt quę nullam exprimunt neu præceptionem, neu prohibitionem, sed tantùm pœnam sub conditione: quarum figuram in tertio argumẽto propoſuimus. Atq; has appellant purè pœnales. Aiunt ergo illas mixtas obligare ad culpam: has verò puras, minimè. Veruntamen (vt salua id authorum existimatione dixerim, qui digni sunt pretio) callere mihi nõ videor vim huius distinctionis. Imò inconcussam arbitror vniuersalem veritatem nostræ conclusionis nẽpè quòd nihil habere potest rationẽ pœnæ, nisi vbi subest culpa, propter rationes factas. Sed absente culpa id quod fert imaginem pœnæ, potiùs erit pretium, vel pactum vel quid aliud, vt statim in solutione ad tertium patebit.

Aliorũ opinio.

Henricus.

Explꝺitur præterita opinio.

AD primum igitur argumentum respondetur quòd irregularitas, quæ non delicto ponitur (nam de illis secùs reshabet) neu tiquam rationem induit pœnæ, sed indecentiæ cuiusdam, quæ hominem ad sacros ordines sacrorumq; functiones reddit inhabilẽ. Ecquis enim dicat si iudex iustissimè addixit hominem supplicio, veluti pœnã illi statui nè possit ad sacros ordines promoueri? ecquis inquam egregiæ virtuti pœnam vnquã oppoſuit? Sed est indecõrum atque indecens (vt lib. 5. q. 1. dicturi sumus) vt qui sanguine contaminatur, sacramenta innocentissimi Agni dispensẽt. Pari nanque ratione bigamus, nõ in pœnam, sed propter significationem, quia Christus vnicam sibi ecclesiã desponsauit, fit irregularis. Quemadmodũ & consanguinei contrahendo matrimonio inhabiles sunt & inidonei: non certè in pœnam, sed propter rei absurditatem. Quapropter regula iuris vniuersalem continet veritatem, quòd sine culpa non est aliquis puniendus. Nam interiecta parenthesis (nisi subsit causa) si glossam auscultes, solũ docet, vbi interuenerit citra culpam causa, contingere posse vt homo propter indecentiam, quàm irregularitatem vocant, ab aliqua dignitate repellatur. Quanuis eadem parenthesis aliter à diuo Tho. loco citato quàm à glossatore intelligatur: videlicet de flagellis iam memoratis diuinis, quæ non tam in pœnam cõmissorum criminũ, quàm ceu medicinæ in futurum infliguntur. Ad secundum respon- *Adsecũdũ argumentũ*
sum satis est quòd vbi lex suam expresserit intentionem non obligandi ad culpam, salua res erit. Inde tamen non sequitur vt vbi absque tali expresione subiungitur pœna, tollatur subinde culpa. Nam verbum prophetiæ Naũ nihil ad rem attinet: haud enim duplex illic tribulatio idem est quod culpa & pœna. Sed illa sententia misericordiam Dei designat, qui pœna semel ad iustũ persoluta, nunquàm alteram reposcit. Circa ter- *Ad tertiũ.*
tium argumentum. Illi qui distinctionem Henrici defensant, contendunt leges illas cõmemoratas non obligare ad culpam. Neque illarum vllam quæ extant Leui. 20. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, mœchus & adultera morte moriantur &c. Breuiter, nullam seu Canonicã seu ciuilem

quæ ponitur sub hac conditionis figura, obligare putant ad culpam: sed illas præcisè quæ iubendo explicant quippiam fieri, aut non fieri sub pœnæ comminatione: vt est illa, Omnis vtriusque sexus. de pœni. & remis. Qua præcipitur vt omnis semel in anno peccata sua confiteatur, & saltem in die Paschæ Eucharistiæ sacramẽtum suscipiat: alioquin & viuẽs ab ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens ecclesiastica careat sepultura. Hic autẽ duo adnotauerim. Vnum quòd etsi vera sit hæc opinio, nihil veritati conclusionis nostræ detrahitur: quoniam illę pœnæ non statuuntur nisi pro culpis, quæ, vel illis, vel alijs legibus vetantur. Alterum est quòd illas ego leges pœnales, siue diuinas, siue canonicas, siue ciuiles, quæ delictis pœnas decernunt, negare non auderem, quin obligent ad culpã. Nam quanuis illa delicta alijs mandatis nõ essent prohibita, in illis certè satis exprimitur, pœnas illas & maximè capitales ad cohibendas culpas illic insinuatas institui, quę ideo culpæ illic virtualiter prohibentur.

Duo aduertenda. *Primum.* *Secundum.*

Vtendum ergò arbitror hac distinctione: Quando pœna applicatur culpæ, vti in dictis legibus, obligatio fit sub reatu culpæ: quando verò lex formam habet potiùs concessionis aut dispensationis, tunc talis lex nõ obligat ad culpam, sed tamen neq; id quod sub imagine pœnæ subiungitur, habet veram rationem pœnæ. sed pretij aut conuentionis. Subdamus exempla. Hæc lex: qui frumentũ è regno euexerit, illud perdat aut talem luat pœnam: re vera obligat ad culpã. Attamen si intentio Regis non esset distractionem frumenti prohibere, sed illa ratione pecuniam colligere, lex tunc non obligaret ad culpam: sed tamen conditio subiũcta nõ esset pœna, sed concessionss pretium, vt qui vellet euehere, tantum contribueret. Sicut & respublica potest, & vetando legem hanc ferre, Qui ligna in nemore cæciderit, tali plectatur pœna: & rursum sinendo pro pretio, Qui cæciderit, tantum soluat. Eodem modo Si quis mulã equitauerit, illam perdat: profecto (vt reor) ad culpam obligat: sed si post latam legem ciues dispensationem procurarent, vellentq; eam pretio redimere, tũc lex hæc, Qui mulam equitauerit tantum soluat, non est pœnalis: quia neq; prohibitoria, sed potiùs concessoria. ¶ Quòd si contrà nobis obijciantur institutiones nostræ, aliarumque religionum, in quibus sic habetur: Nolumus obligare ad culpam sed ad pœnam: vbi pœna sine culpa nominatur: Respondetur tales non esse propriè ac legitimè pœnas sed sunt quasi conuentiones & pacta: quia monachi tali se volunt voto astringere, vt si hæc fecerint, illa patiantur. Dicuntur autem non ineptè pœnæ, quia propter res vetitas exiguntur, ac rependuntur. Cuius instar in nostro libello de Abusu iuramentorum cauẽdo, dicebamus quòd citra obligationem ad nouam culpam potest quisque se astringere vt quotiescunque iuramẽto fuerit abusus tantum pendat. Allẽget hic etiam contra nos forsan leges aliquas ciuiles statuẽtes pœnas vbi non apparet subesse culpa. Quales sunt illæ de effractoribus carcerum vt fugiãt ff. de effract. l. de ijs. & ff. de cust. & exhib. reor. l. in eos. cùm tamẽ liceat citra culpam cuicunque vincto id facere. Sed de his libr. 5. q. 6. respondebimus, quòd vel est illic, vel præsumitur culpa.

Distinctio. *Obiectio.* *Responsio.* *Altera obiectio.* *Solutio.*

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm lex pœnalis in foro conscientiæ ante iudicis condemnationem obliget ad pœnam.

ARticulus proximus quo definitum est legem pœnalem & ad culpam simul & ad pœnã obligare, in hãc nos disputationẽ mittit eidem agnatam, vtrùm si cuti ad culpam ità & ad pœnam ante iudicis condemnationem obliget. ¶ Et arguitur à parte affirmatiua: Leges huiusmodi (vt dictum est) non habent minorem vim obligãdi ad pœnã quàm ad culpam: & ideo legis virtus tam est punire (vt suprà dictum est) quàm imperare: ad culpam autẽ absque iudicis sententia obligant: ergo et ad pœnam pari modo obligare possunt. ¶ Secũdo arguitur, Iudex vigore legis per suam sententiam obligat ad pœnam: ergo maiori ratione lex per se ipsa. Aliter minoris esset vigoris lex quàm iudex: cùm tamen contrà tota sententiæ virtus à lege dimanet. Quin verò quisq; etiam potest se ad pœnam obligare quam absque vlla sententia tenetur exoluere, vt dũ quis vouit si certum admiserit crimen, talisve pœna vltùm ire: cur ergo lex id non possit? ¶ Tertiò arguitur, leges diuinæ ante iudicis sententiam obligant ad pœnam: possunt ergo & similes humanitùs condi: postquàm autoritas humana à diuina deriuatur. Extabat

Primum argumentũ affirmatiuæ partis. *Secundum.* *Tertium.*

bat enim antiquitùs Leui.15.lex, vt qui mulierem tetigisset fluxu sanguinis pollutam immũdus esset vsque ad vesperam:quæ quidem immundicies absque vlla sententia contrahebatur.Et similes ferè extabant leges de leprosis alijsq; infectis hominibus qui ipso facto tenebantur ab aliorum se arcêre contubernio. Item & sacrificia quæ ad expianda piacula iubebantur offerri tenebãtur delictores in conscientia sacerdotibus exhibere. Et modò eadem ratione ecclesia potest pro aliquibus peccatis statuere pœnas, sicuti quadragesimale ieiuniũ indixit: quas nos meritò pœnitentias tenemur perpeti: ergo lex obligat in conscientia. His accedit & lex Christi Matth.16.Qui dimiserit vxorem suã excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. qua insinuatur licere dimittere adulteram quantum ad tori separationem in conscientia antequàm causam in iudicium deferatur: quam quidem pœnam ipsa tenetur pati. ¶ Quartò & de legibus multis humanis arguitur. In primis potest defunctus vsum fructũ prædij legare vxori ea lege si pudicè vixerit,aut si ad secundas non transierit nuptias:quam idcircò cõditionem cùm primùm fregerit tenetur legatum hæredi remittere.Et potest pari ratione qui collegium aliquod de sua substantia instituit leges condere vt quicunq; collegarum hoc aut illud admiserit crimen, priuatus sit collegij iuribus, aut quod à collegio receperat restituat. quæ quidem leges absque alia iudicis sententia in conscientia obligant.Et potest Rex tali lege iudices ministrosq; iustitiæ ad munera reipublicæ assumere vt quicunq; iudiciũ vendiderit,aut munuscula susceperit, eo ipso nulla alia spectata sententia tali aut tali pœnæ subiaceat. Quales sanè leges in Hispania alijsq; bene institutis prouincijs extant.Quæ quidem profectò conscientiam perstringũt.

Quartũ argumentum.

Et in nostra Vniuersitate statutum est vt scholaris qui in petitione Cathedræ prensauerit seu ambierit, quod subornare vocãt, ipso facto sit suffragatoria voce priuatus.

Quintũ argumentum

¶ Præterea quintò, cùm Rex lege pretium statuit frumenti vel quaruncunque aliarum mercium,adijciens transgressori pœnam, obligat ad eandẽ pœnam in conscientia.Et inter omnes extant leges præscriptionis quarum virtute possessor bonæ fidei absque vlla iudicis sententia in conscientia acquirit in decẽnio rerum mobilium dominium, & numero quadraginta annorum rerũ etiam immobilium:vt latè patet vtroque Iure,sub eisdem titulis de præscripti. hæc autem lex est pœnalis:ob negligentiam quippè illius qui tanto temporis interuallo rem suam neglexerit priuatur eius dominio: ergo lex pœnalis ante iudicis sententiam obligat in conscientia. ¶ Sextò arguitur ex.c.si qui.de præscrip.lib.6. vbi duo distinguũtur modi quibus potest quispiam rebus possessis priuari, scilicet aut per sententiam aut ipso iure. Et enim nisi lex per se ante iudicis sententiam reũ multaret,inanis esset illa distinctio:quia non supereesset nisi vnus puniẽdi modus,scilicet per sententiam. ¶ Septimò leges in iure sub diuersa forma statuuntur pœnales.Aliæ quippè sunt quæ explicant sententiam ferẽdã:illæ scilicet quæ tantùm sunt monitoriæ, vt habetur in glos.super.c. vnico de sagitta. videlicet quotiesdicitur,Præcipimus sub pœna seu sub interminatione,vel excommunicationis, vel anathematis,vel suspensionis. Vnde illud verbum capituli Dolentis. de celebr.Miss.sub pœna suspensionis penitùs inhibemus,sic glossatores legunt, vt ipsum intelligant solùm illic ferendam sentẽtiam cõminari.Et expressiùs.c.relatum. de iure patro.post verbum, sub anathematis interminatione prohibere curetis, continuò subnectitur:Si quis autem prohibitionis vestræ cõtemptor extiterit, excommunicationi subdatis.Aliæ verò extant vrgentiores leges:puta quæ pœnas non admonendo comminantur,sed castigando infligunt.Quarum vtiq; quatuor habentur cap.cùm secundùm leges de hæret.lib.6. Prima,vt contrahentes incestas nuptias naturæ nefarias,hoc est turpitudine se contra naturã polluentes, ipso facto suarum rerum dominium perdant.Secunda vt rapta mulier quæ contra voluntatem parentum raptori nupserit, omnia bona ipso iure amittat.Tertia vt illi etiam qui armavel species ad hostes fidei transuexerint, earundem specierum & rerũ proprietate hoc ipso priuentur.Ac præ omnibus Quartò, vr hęretici ipso facto priuentur bonis suis, quæ fisco adiudicentur, quæ quidem priuationes ipso facto (vt illic refertur) fiunt secundùm ciuiles leges.His insuper Quintus adhibetur casus in crimine læsæ Maiestatis,vt habetur l.fin.C.ad legem Iuli maiest. Et sextus iure Can.aduersus eos qui vel Romanæ ecclesiæ Cardinalem percusserint,vel ceperint,vt patet in.c.Fœlicis.de pœnis. Nam hi reputantur ecclesiæ maiestatẽ læsisse. Et septima est

Sextum argumentum

Septimum.

lex

lex similis in eos qui mutilant, vulnerãt &c. Romipetas, vel peregrinos in Hierusalem: vt patet ex more Romano quo in cœna Domini omnes illi declarantur excommunicati atque suis priuati bonis. Vniuersos inquam hoc genus criminosos legibus sancitum est ipso facto rebus suis multari. Vnde fit consequẽs leges obligare ad pœnam in foro cõscientiæ: nam alias nullum superesset interstitium inter huiusmodi leges atq; alias monitorias. Et confirmatur ratio: quia pœna excommunicationis, suspensionis & irregularitatis ipso facto ante iudicis sententiam incurritur. ¶ Octauò longè vrgentiùs arguitur ex cap. pro humani. de homi. volunt. lib. 6. Illic enim in eos qui per Assasinos quempiã occiderint, illa profertur sententia vt excommunicati omni honore & ordine & officio & beneficio ipso facto priuentur, eadẽq; liberè aliis conferantur. Itâq; postquàm scelus probabilibus argumẽtis cõstiterit, nul latenus alia sententia requiratur. Verba legis sunt. Accedit & vehemẽtiori tenore Pauli secũdi Decretalis Extrauagans, Ambitiosæ. in qua aduersus illos qui ecclesiastica bona alienauerint truculentior denuntiatur cẽsura: nempè vt ipso facto absq; declaratione aliqua sint suis beneficijs & dignitatibus priuati. ¶ In contrarium autem facit quod in eodem cap. cùm secundùm leges. post illud verbum, Bona hæreticorum ipso iure decernimus confiscata subiungitur, Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorũ ipsorum occupatio fieri nõ debet per principes, aut alios dominos temporales (iuxta Gregorij Papæ prædecessoris nostri declarationem) antequàm per Episcopum loci vel aliam personam ecclesiasticam, quæ super hoc habet potestatem, sententia super eodẽ crimine fuerit promulgata.

Octauum argumentum.

Paulus secũdus.

QVæstionem præsentẽ pluribus quàm fortè par esset dissertã curabo: eò quod viri egregiè docti illã controuertunt. Quorũ est Alponsi. Castro Franciscanus, de literis certè & religione benemeritus, ac mihi perinde obseruandus. Nam quanuis tum in alijs, tum etiam forsan & in hoc certiùs me, rẽ coniectauerit, videor mihi tamen paulo aliter sentire. Respondebo ergo more nostro ad quæstionem quinque conclusionibus: ac perinde rationibus ac testimonijs quę cõtra obijciuntur pro meo captu satagam respondere. Neq; verò tãti disputationem feciſſem nisi tanti familiæ Christianæ referret conscientias de hac re informari. Quo autem perspicua sit lucidaq; oratio, ex multis quæ de lege pœnali disputantur, hoc solùm ad rem potissimùm scire pertinet. Vtrùm eo ipso quòd quis transgreditur legem, quæ ipso facto transgressorem suis bonis priuat, teneatur in conscientia fisco eadẽ bona mancipare: an verò citra culpã possit ea retinere vsq; ad iudicis sententiam: vel ob id quòd illuc vsque dominium retinet: vel quia possessionis seu concessionis iure potitur. Hæc nanque quæ causam interrogat, noua est quæstio.

Fit planus quæstionisti tulus.

¶ Prima ergo esto conclusio. Lex pœnalis ob id quod dicat ipso facto, vel ipso iure, aut quid simile, nõ obligat ad pœnam ante sententiam à iudice latam, sic vt reus teneatur in conscientia bona sua statim cõmissa culpa à se abalienare. Sed si quæ lex taliter obligat, aliundè arbitrandum est. Hanc ergo cõclusionem Abbati Panormitano, salua eius autoritate, è regione contraponimus. Cuius regula est super. c. Canonũ. de constitu. &. c. dilecti, de arbit. quòd ille cuius bona sunt ipso facto confiscata, non potest illa cum bona conscientia retinere: quia statim sunt, inquit, acquisita fisco. Verba eius sunt in dict. c. Canonũ. Et quoniam testimonia naturalibus rationibus eluceſcunt, ab eiusmodi rationibus exordiar. Eò præsertim quòd patroni contrariæ sententię illi principio nitũtur, quod nullum (vt aiũt) ius, vel humanũ, vel diuinum, vel naturale sententiam nostrã adstruit: cùm tamen licet lex nulla, humana aut diuina, expresse hoc asserat, naturales rationes legis naturalis sint interpretes. Quare prudenter idem religiosus author Theologos curauit admonitos, nè citationibus Doctorum essent contenti. ¶ Ratio ergo prima est hæc. Pœna (vt nomen ipsum sonat) inde dicitur, quòd passio est: natura autem abhorret vt idem sit agens & patiens: ergo lex quæ ministrum meipsum faceret executorem meæ pœnæ, non esset naturæ conformis: atque adeò cùm (vt suprà dictum est) humanæ leges à naturali deriuentur, nulla sic est obligatoria. At quoniam patronis contrariæ opinionis perquàm debilis apparet hæc ratio, perpendamus quanti sit põderis.

Panormitanus.

Præfatæ cõclusioni naturales rationes astipulãtur.

Prima ratio pro cõclusione.

Explicatur præteritaratio.

Lex, regula est inanimis nostrarum actionum: quæ per iustitiæ ministros applicanda subditis est: ergo ad ministros pertinet suos subditos ad legis obseruantiam cogere: coactio autem fit per pœnæ inflictionem: ergo talis

Prima conclusio.

talis animaduersio ad iudicem pertinet: & contra naturam in se ipsum commiteretur.

Ob id nanque Aristo.5. Ethic. appellauit iudicem iustum animatum, qui debet ex lege agere in reum. Qua propter si ego bene conijcio, lex pœnalis duobus membris ad diuersos loquitur Cùm enim iubet nè quis quid faciat, subditos alloquitur cum verò addit contrà faciens eo ipso dominium rerum perdat, aut ipso iure bona amittat, aut bona eius sint confiscata, non tam cum subditis loquitur, quàm cũ iudicibus, iustitiæ executoribus, quibus talẽ imperat animaduersionem. ¶ Secundò (quod mihi vrgens argumentum est) quantunuis lex pœnam cõminetur, æquissimum tamen naturæ ius illæsum seruat: quod est vt delinquens audiatur. Hinc nanque illa emanauit constitutissima firmissimaq; sentẽtia Greg. de cauſ. pos. & propi. c. susceptis. Nos contra inauditam partem nihil possumus definire. Non ait solùm, non volumus, sed non possumus: Natura scilicet id vetante. Enimuerò cùm lex (vt suprà monstratum est) in communi feratur, neque singulares contingentium circũstantias potuerit prospicere, munus hoc delegatum est iudici, vt eisdem perspectis sententiam ferat. Potest siquidem reus allegare vel ignorantiam, vel infirmitatem, vel vehementissimam occasionem, vel fortasse quòd non tam grauiter in legem impegerit, vt dignus sit totius pœnæ acerbitate: Quapropter etiã in crimine hæreseos, quod omnium est impientissimum, & execrabilissimum, auditur hæreticus quouis modo voluerit suum factũ excusare. Et contingit sæpissimè tam tenue esse delictum, vt non agatur in ipsum toto rigore iuris, atque adeo neq; expolietur omnibus suis bonis. Et pari ratione, imò æquiori in crimine læsæ Maiestatis atq; in alijs quibuscunq; perpendenda est causa in particulari, & secundùm grauitatem aut leuitatem iudicandũ: etiam si lex millies dicat ipso iure & ipso facto & eo ipso: quoniam epieikeia nulla potest lege à iudiciis ablegari. Quapropter quòd lex ait, ipso facto, idem est quod ex natura, & genere facti: cui nõ obstat quominùs de quantitate & modo facti sit rursus expendenda pœna: quemadmodum ab ipso legislatore si præsens esset, fieret. Et inde quoq; alia sanctissima lex dimanauit, vt nemo nisi vel confessus cõdemnetur, vel conuictus: vt habet Can. Nos in quenquam. & Can. Iudex. 1. q. 7. Quòd si ratio hæc suscipiẽ, vide in quas angustias miserum delictorem conijcias, si ante sententiam iudicis teneatur bona ipse sua (vt habet contraria opinio) fisco tradere. Profectò non solùm eum cogis vt executor sit legis aduersum seipsum, qđ natura non fert, verùm & iudicem cõstituis: nempè vt ipse perpendat an delictum summa tantam mereatur pœnam. Fac exempli gratiæ, hominem scientẽ ac prudentẽ leuem hæresin secum, tum mente concepisse, tum etiã protulisse ore, in qua diem tantùm vel præcisam horam priuatim durauit: Vtrùm statim eum in conscientia cogere debes, vt amplissimã suã substantiã, etiã dum ditissimus est, fisco offerat: quanuis in mentem redactus firmus sit iam in fide. Re vera atrocissima esset cẽsura: neq; vllus, neu sæcularis neu ecclesiasticus iudex talem pronuntiasset sententiam, tantum abest vt esset priuatim in cõscientia cogendus. Et tamẽ si vera esset cõtraria opinio, maximè eorum qui tenent etiam pro occulto crimine quod nullatenùs probari potest, incurri in pœnam iuris, cogendus esset: quoniam qui nullam sibi potest ignorantiam prætexere, verè hæreticus est. Imò vt ex vsu aliud capiamus argumentũ, quis vnquàm sacerdotũ in illas, augustias pœnitentem adegit, vt ante cõdemnationẽ sua publicaret bona? ¶ Accedit præterea tertio, quòd leges humanæ (vt suprà ab Isidòro docti sumus debẽt esse tolerabiles atq; ad hominum imbecillitatẽ accommodatæ quas etiã illi qui non sunt adeò virtute progressi ferre possint: si tamen lex homines sic distringeret, vt sua substantia, quantũuis locupleti, sua se spõte nudarẽt, intolerabilis esset, & suaui leuiq; iugo Christi lõgè dissimilis. Neq; aduersariorũ ratio cõcludit, q̃ aiunt hoc modo cautiùs obseruari leges: nam talis debet adhiberi cautela custodiendæ legis, vt tamen non fiat obseruatu impossibilis.

¶ Ad quoniam de occulto hæretico tetigimus cuius nullus est testis, inde sumamus argumẽtum quartum, quod sit hoc Dilemma: Aut vis occultũ hæreticum, scilicet qui absq; vllo teste protulit exteriùs hæresin incurrere ciuiles pœnas iuris: (nam de excommunicatione à nemine dubitatur:) vel secùs: prius durissimum sanè est opinatu: si tamen non incurrit nisi quando protulit coram testib⁹, inde sumitur manifestũ argumentum quod ante condemnationem non tenetur pœnas luere: nam cùm testes nullatenùs sunt necessarij, nisi propter iudicium: qui negat sententiam

Secundum argumẽtũ.

Gregorius.

Alterũ argumentum

Tertia ratio:

Ratio aduersariorũ debilis.

Quartũ argumentum

tiam iudicis esse necessariam ad priuationē bonorū, gratis dat testes esse necessarios vt hæreticus sit reus pœnæ iuris. Hoc argumētum licet non fecerit prænominatus autor oculatè tamen prospexit, dum.q.15. 2. libri concesit cum suo Panormitano occultum hæreticum incurrere pœnam iuris: nam secundùm suam opinionem ad hunc effectū superflui sunt testes. Fundamentum autem quod huic assertioni suæ subiecit, nō solùm non videtur solidum, verùm cōtrariæ potiùs sententiæ suffragatur. fundamentum sumitur ex.c. accusatus. de hæret. lib. 6. vbi Papa præcipit confiscationem fieri bonorum hæretici defuncti, cuius hæresis, ipso viuēte, nō dum innotuerat. Attamen ex illo apertiùs colligitur hæresin illam non fuisse occultā: siquidem post mortem patuērunt testes. Et re vera condemnare hominem delinquentem simpliciter occultum, contrarium esse videtur nō solùm capitulo, Secūdùm leges, confiscationem vetanti ante sententiam iudicis, verùm & toti ordini Iuris: quo sancitū est vt nemo nisi via vel inquisitionis, vel denūtiationis, vel accusationis puniatur: quia semper iura id quod probari nequit, nō esse sui fori reputârunt: excepta excommunicationis censura, quę natura sua cognitionem causæ non requirit, sed solam iuris præmonitionem. ¶ Sed quintum hîc peculiariter argumentum adhibeam, vt dictæ præfati doctoris intelligam. In secundo suorū lib. quibus egregiè de Iusta hæreticorum punitiōe disputauit. c. 6. dixit quòd non omnis profe rens hæresin incurrit pœnam iuris, sed tantùm hæreticus: vt habetur in dicto. c. secundū leges: Puta ille qui hæresis pertinax est. Aut ergò appellat pertinacem eum qui contra solam legem rebellis est, puta qui consul tò negat id quod scit esse cōtra scripturam, vel contra sanctam ecclesiam: aut nondum reputat pertinacē quoadusq; in iudicio admonitus mordicùs hęresin retineat. Si prius dicat, non intelligo cur abhibuit in dict. c. 6. quòd illis qui admoniti statim reuocant & damnāt errorem suum, non pœna iuris, sed arbitranda puniendi sunt. Nam illic propalàm loquitur de admonitione, non iuris sed iudicis. Si autem illic intellexit, vt planè videtur intellexisse, non incurrere hæreticum pœnam iuris nisi in illo articulo quo in iudicio admonitus non respiscit, tunc tota eius machina ruit. Primum enim falsum est occultum hæreticū cuius nulla haberi potest probatio priuatum esse suis bonis. Quin verò palàm sequitur neminem ipso iure & facto priuari quousque in iudicium trahatur: vbi nō solùm de hæresi sed de pertinacia cō demnetur. Præterea tota practica inquisitorum negatur. Nam quicūque manifestariā hęresin secum absque abitris affirmauit, nisi ignorantia excusetur, censetur hæreticus, sci licet excommunicatus tanquàm pertinax cōtra admonitionē legis. Et ideo licet nunquàm fuerit admonitus ab homine, si in iudicio pòst conuinceretur, iure possent eius omnia bona cōfiscari, & confiscantur: nisi ob hæresis leuitatem aliqua ei remittantur.

Tametsi dum veniam petit non relaxatur sed reconciliatur. Secùs de illo qui tantùm est suspectus de hæresi, in quem non habet pœna iuris locum, sed arbitraria. Hæc dixerim non ad reuincendum autorē, sed ad hoc per eius dicta confirmādum quòd occultus hæreticus nō tenetur tradere bona sua quoaduscq; sit in iudicio de crimine conuictus.

¶ Id quod præterea sextò inde maximè cōfirmatur, quòd si quis nemine sciente, hæresin consultò secum ore asseruit, & absque vlla denuntiatione, sua sponte se patribus sancti tribunalis offert, licet excommunicatus ipso facto sit, multari nō solet omnibus suis bonis nec diffamari. Re vera ad hoc nescio quomodo responderi posset. ¶ Accedit septimo loco & famigerata illa sentētia Chrysostomi super epistolam ad Hebræos, quæ refertur de pœn. dist. 1. Can. Quis aliquādo. Non dico vt te prodas: ex qua fit consequēs quòd nemo tenetur se prodere, nisi quē nisi fama, vel indicia, vel accusatio, iudicis autoritate compulsum prodiderit: si tamen occultus reus teneretur bona sua fisco offerre, cogeretur subinde se prodere: nam si esset nisi gnis persona, qui aliter fieri posset vt illa traderet? ¶ Sed trifariàm contendunt aduersarij hanc rationem debilitare. Primò, illam in nos ipsos recutientes. Nam pariter inquiunt, sequeretur quod neq; fur qui clā fis cū cōpilasset, teneretur restituere nè se proderet. Secundò aiunt quòd debēt tunc restituere secretè per tertiam personam. Et tertiò, q̄ si nō potest citra infamiam, cessat necessitas restitutionis. Prima autem respōsio, fuga est potiùs quàm solutio. Lata est enim differentia inter pœnam & restitutionem: quod enim ait Chrysost. toto concordante iure, est quòd nullus reus ea causa vt puniatur, tenetur se prodere: illa nimirùm ratione quòd

Præfata assertionis fundamētū parū solidū

Quinta ratio.

Altera ratio.

Sextum argumentū.

Septimū argumentum Chrysost.

Triplex eua sio præterita rationis.

Refelluntur aduersariorū rationes.

quòd nemo esse tenetur agens & patiens. Quod autem tu alteri surripuisti, nō in pœnam, sed ratione iustitiæ commutatiuæ perstringeris restituere: etiam si necesse fuerit te ipsum cū aliqua infamia prodere: si secretò nō potes. Illa quippe regula vt nemo cū detrimento suæ famæ debeat restituere pecuniā, lib. 4. sub titu. de restitu. patebit quàm sit fallax, quamq; intolerabilis & perniciosa, si sic vniuersaliter vt iacet absq; temperamētis & exceptionibus intelligatur. Nā certè qui expilasset fiscū aut magnā pecuniam cum detrimento etiam famæ deberet restituere. Secùs de periculo vitæ. Ad rem ergò, profectò si nemo tenetur vt pœnam subeat se prodere, consequitur, vt neq; illam in conscientia debeat. Huc accedit argumentum ex leg. aut facta. ff. de pœn. §. nonnūquàm. vbi habetur quòd supplicia exarcebantur quoties opùs sit exēplo esse multis. Debent ergò pœnę exemplares esse: & non occultę. ¶ Octauò denique arguitur. Lex (vt in. c. Secūdum leges persistamus) permittit reo sua bona possidere vsque ad condemnationem quin verò vetat illa surripi: ergò idem reus bona fide possidet. Scio fautores contrariæ opinionis & hoc argumētum imbecille existimare. Congerunt enim fallenias cōplures cōsequentiæ huius, Fiscalis iudex nō potest exigere rei bona: ergò reus ipse non tenetur sua sponte conferre. Vt enim habetur. ff. de alea. l. 1. qui furatur in domo vbi alea publicitùs luditur, restituere quidem tenetur domino, sed tamen domino in pœnam, quia receptat lusores, non datur actio in iudicio.

Aduersariorum solutio.

Atque inde inferūt q̄ permittitur reo ipso iure damnato sua possidere, non illa permissione quæ culpam tollit, sed illa quę pœnā non exigit: sicut meretrices permittuntur. Attamen fallentiæ in primis quas adducunt fallere nequeunt argumenti vim. Debet enim natura permissionis ex subiecta materia perpendi. Etenim cùm quisq; antequàm crimen admittat dominus sit legitimus quę suorū bonorū possessor, & lex statim post positionem pœnę priuationis subiungat nè confiscatio ante sentētiam iudicis executioni mandetur, apertè videtur reo concedere suorum bonorum vsum. Secùs si furaris. Neque opùs est aliam adducere legem aut rationem huiusmodi cōcessionis, vt reus bona fide possideat. Qua vtiq; ratione, vt habetur de prę̄scrip. lib. 6. cap. vlt. hæredes defuncti bona ipsorum præscribunt. Quanuis hoc bene videam perparùm vrgere. Nam etsi hæretici bona fide non possiderent. possent illam habere hæredes ad præscribendū propter ignorantiam criminis. Sicuti & latronis hæredibus vsu venire potest. Profectò licèt non sim vsq; adeò mei amator iudicij, tamen rationes istæ, vbi vel scriptura sacra vel expressus textus iuris mihi non obstaret, vti re vera non obstat, efficaciùs mihi rem persuaderēt, quā longa Doctorū phalanx, qui simplices aliorū assertiones absq; vlla perspicientia perlustrāt. Quanuis neq; probatissimorum testimonia nobis desunt. Est enim in primis S. Thom. 2. 2. q. 62. arti. 3. qui expresse ait neminem ante condemnationem per iudicem ad pœnam teneri. Cui & Conrad. tracta. 1. de contract. q. 7. subscribit. Et Adria. quol. 6. art. 1. Neq; verò vt quidam putant oppositum censuit in. 4. vbi de his quæ ludo acquiruntur quæstionem disputat. Illic enim hoc ait duntaxat quòd qui ea quæ ludo iure prohibito perdidit solui tenetur, potest ante sententiam iudicis recuperare si potest: cuius quidē ratio longè diuersa est. Quia lex ludorum non est pœnalis, sed putat Adrian. impedire dominij translationem. Caieta. item & eodem loco. 22. & in sua summa, verbo, pœna: & Sylvest. in verbo, hæresis. 1. §. 8. sed latiùs in verb. Assasinus & inter Iurisconsultos Archidiac. super eod. c. cùm secundùm leges. lib. 6. eādem probat sententiam. Cui Anchar. & Philip. Franc. & alij adhærescunt. Quin verò & Ioannes Andre. c. pro humani. de homi. lib. 6. & Bart. l. eius qui delatorem. ff. de iure fisc. Et Glossa c. Fraternitas. 12. q. 2. At parum ad rem refert quàm sit numerosa citatio, vbi ratio nō adhibetur noua. ¶ Hoc tamen vnum admonere non negligam, quod licèt quantum ad alia pūcta, an videlicet quādo lex dicit ipso facto, statim reus priuetur rerum vel dominio vel possessione, alia sit plurium opinio, alia verò pauciorum: tamen quòd teneatur protinùs ea reddere, non solùm non est opinio cōmunis Iuristarum, verùm neque est cur inter eos habere debeat authoritatem. Primùm, quia ad ipsos non attinet de foro conscientiæ cēsere. Secundò, quòd inter antiquos vnius tantùm fuit Panormitani opinatio. Nam Felinus & alij non alia ratione eam amplectūtur, q̄ quòd ille dixit. Quare nō opus est plures citare: quia vno nominato omnes connumerasti. Et tertiò, Sylvest. solertissimus Doctorum iuris explorator in verbo,

Impugnatio.

S. Thomas. *Conradus.* *Adrianus.* *Caietanus.* *Sylvester.* *Archidiaconus.* *Ancharranus.* *Philippus Francus.* *Ioānes. Andr.* *Bartol.* *Glossa.* *Felinus.* *Sylvester.*

verbo, Assasinus, ait Abbâtem in hoc nõ teneri. ¶ Secunda conclusio: sententia excommunicationis, vt potè quæ spiritualis est & ecclesiastica, ligare ipso iure potest & solet. Conclusio hæc solenni ecclesię vsu propatula est. Excõmunicãtur enim ipso iure clericorum percussores, vt patet. 17. q. 4. & Assasinorum receptores: vt cap. proximè citato de homicid. volunt. lib. 6. Et cum primis hæretici, vt. c. ad abolendam. de hæreti. sed non opùs est in re non dubia testibus vti non necessarijs. Trahiturq; cõclusio ex forma euãgelica: Si Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quare qui vel à iudice vel à iure præmonitus inobediens est, ipso iure ab Ecclesiæ suffragijs excluditur. Sunt autem (vt Caietan. loco citato) qui inter hanc atq; alias ciuiles pœnas hoc tantũ discriminis constituant, vt hæc liget, illæ verò non. Item quòd hæc est mera priuatio & passio ad quam reus ipse non debet veluti agens concurrere: aliæ verò vt pœna corporalis aut pecuniaria requirunt actionem, ac subinde executorem. Haud tamen arbitror hanc discriminis rationem satis esse: quoniã sequeretur inde condemnari reum posse, nè de carcere aufugeret, & paratum cibum nõ gustaret, quousque fame strangularetur: quia non fugere & comedere non est agere. Quòd si dicas eòdem reduci non comedere & se hominẽ occidere, vti ait S. Tho. sequeretur saltem quòd posset delinquens ipso facto priuari ante sententiam iudicis priuilegio aliquo aut iure quod habet eligẽdi, vtẽdi, vel fruendi re aliqua: quoniam non eligere, & non vti, non est agere: quod tamen, si nostra vera est opinio, falsum est. Ratio ergò quare Ecclesia excommunicare potest ipso facto absq; causæ cognitione & iudicis sentẽtia, est quia dum priuat hominem suis suffragijs aut susceptione sacramentorum, non priuat eum bonis suis proprijs quæ iure peculiari possidet, & tradere per actionẽ teneatur: sed communibus quorum ipsa est dispensatrix. Ac si dixisset, Qui talẽ admiserit culpam, nõ sit nostrorum sacrificiorum, ac sacramentorum, ac consortij particeps: Veluti si pater familiâs suos admoneret dicens: Quicũque me odio prosequitur, nolo illum meo vesci pane. Et ex hoc capite multa quæ contra nos facere videntur argumenta paulò pòst diluentur. Atque hanc ob causam diximus in prima cõclusione legẽ quæ ipso facto obligat in conscientia, non inde habere illam virtutem quia dicit, ipso facto, sed aliunde. ¶ Tertia conclusio. Quando ipso facto pœnã decernit, tunc sentẽtia iudicis nõ est necessaria vt feratur super pœnã, sed super crimen: satis inquam erit vt hæreticus condemnetur de crimine: puta quòd sciens & prudens id asseruerit quod nouerat scripturæ sacræ aut Ecclesiæ determinationi aduersari. Nam tũc (vt modo dicebã) iam condemnatur tanquàm transgressor legis, per quam fuerat admonitus. Et ideò ex tali cõdemnatione sine alia noua expressione pœnæ oritur ex natura rei condemnatio ad pœnam iuris. Conclusio hæc expressa iacet in vltimis verbis dicti cap. Secundùm leges. scilicet confiscationis executio fieri non debet antequàm sententia super eodem crimine fuerit promulgata. Quasi dicat, Inde enim sequitur cõdẽnatio pœnæ taxatæ à iure: nisi criminis leuitas (vt diximus) supremo iudici misericordiæ aditum pandat. Et hic mihi est legitimus sensus verbi ipso facto, scilicet ipso facto per sentẽtiam prodito. Nam quantam ad pœnam, quandiu latet, nõ habetur pro facto: ex damnatione autem facti incurritur pœna huiusmodi legũ. ¶ Quapropter non mihi displicet eorum loquẽdi modus, qui aiunt sententiam huiusmodi facti esse tantùm declaratoriam criminis: sed tamẽ minimè subinde concesserim cum Panormã in. c. cùm nõ ab homine. de iudic. quòd vbi crimen est notorium non opùs est expectare iudicis sententiam: quoniam non alia manifestatio criminis sufficit, q̃ iuridica per sententiam: vt præcipitur eodem cap. & rationes à nobis factæ ostendunt. Et per hoc etiã proditur imbecillitas argumenti quod contra nos fit: videlicet quod si tantùm requiritur sententia tanquàm criminis declaratoria, quid opùs est reo cui compertissimũ est, sententiam expectare, vt teneatur bona sua reddere? Hærent enim semper isti in eadem salebra: quibus ideò respõdemus non requiri sententiam solùm propter declarationem sed propter talem declarationẽ, scilicet condemnatoriam. Alioquin lex ipsa illam fecisset exceptionem. ¶ Quarta conclusio. Condemnatio illa retrò agiturvsq; ad articulum quo hæreticus omni ignorãtia nudatus hęresin studio asseruit: quoniam nulla alia admonitio ab homine (vt dictum est) requiritur vt censeatur hæreticus. Nam quantum ad veritatẽ articuli satis erat admonitus vel per notam sibi scripturam, vel per determinatio-

Secunda cõclusio.

Probatio cõclusionis.

Matth. 18.

Caietanus.

Exploditur discrimẽ Caietani.

Ratio quare excõmunicatio ligat ipso facto absq; præuia causæ cognitione.

Tertia conclusio.

Probatio cõclusionis.

Panormitanus.

Quarta conclusio.

nationem Eccleſiæ. Aſſertio eſt Ioannis An-
Ioan And. dre. in dict. c. cùm ſecundùm leges. ſed nulla
opùs eſt autorũ citatione: nã lex eſt expreſ-
Probatio. ſa, Poſt diui. Marci. C. ad. l. Iul. maieſtatis, cõ
tra illiuſmodi impios. Et vniuerſalis vſus &
practica ſancti ſenatus Inquiſitionis ſic ha-
bet: nempè ſecundùm normã directorij, lib.
3. tit. 9. Habetque eouſq; vim talis ſententia,
vt omnes contractus, nempè donationis, vẽ-
ditionis, atq; alij, etiã cauſa dotis, quos hæ-
reticus ab illo articulo fecerit, habeãtur pro
infectis. Etſi apud hæreticum non inuenian
tur pretia, nihilo minùs fiſcus nullo empto-
ribus reſtituto pretio ſibi adiudicat dicta bo
na. Dixerim ſi hęreticus vendiderit, donaue
rit &c. nam ſi cibum veſtitũq; citra fraudẽ
emerit, talia pretia à venditoribus non repe-
tuntur: quia iure naturæ ſibi licebat vitam
Argumẽ- ſuam ſuſtentare. Hæc autem non ſunt præ-
tũ aduerſa ſentis loci preſsiùs tractare. ¶Ex hac autem
riorum. quarta concluſione, ſuſtinentes alteram opi
nionem, ineluctabile, vt putant, informãt ar
gumentum aduerſus noſtram primã. Sup-
ponunt enim cum Ariſt. 6. Ethi. c. 2. ad præ-
teritum non eſſe potentiam: quoniã neq; in
Dei poteſtate eſt ingenita facere quæ facta
ſunt. Dilemma ergò ſuum eſt hoc, Aut hære
ticus ab articulo patrati criminis priuatus
eſt ſuorum bonorum dominio, aut ſi cùs.
Prius ſi dederis, iam ipſo facto ante iudicis
ſententiã priuatus eſt. Si autem vſq; ad ſen-
tentiam erat verè dominus, non potuit per
ſentẽtiam effici vt dominus non fuerit: quia
nulla eſt ad præteritum potentia. Si autem
ſententia id facere nequit, fit vt neq; potue-
rit contractus illos libera hæretici voluntate
celebratos, infectos reddere: vtpote qui veri
domini volũtate bona fide firmati ſunt. Et
quò vrgentius argumentum appareat, ſimi-
le fieri poteſt de poſſeſsione. Si enim reſpon
derimus, ab illo hæreticum articulo caruiſſe
dominio, retinuiſſe tamen legitimam poſ-
ſeſsionem: Arguitur ſimiliter: Sentẽtia face-
re nequit, vt vſq; ad illum articulum non ha
buerit legitimã poſſeſsionem: ergò neq; põt
contractus ſic reſcindere, vt emptores frau-
dẽtur ſuo pretio. Nam qui à legitimo poſſeſ
ſore emerit, non eſt cur pretium perdat. Ar-
gumentum autem certè non eſt tanti mo-
Solutio ar- menti quanti à ſuis authoribus æſtimatur.
gumenti. Do enim in primis hęreticum verè fuiſſe do
minum vſq; ad condẽnationem, ac ſubin-
de ſententiam non poſſe facere vt non fue-
rit dominus, Negatur tamen cùm infers: er-
gò non poteſt præteritos contractus reſcin-
dere, ac pro infectis pronunciare: quoniã ab
articulo cõmiſsi criminis impediebatur bo-
na ſua alienare. Veluti poſſeſſor primogeni
turę, & pupillus ante legitimam ætatẽ, & col
legium ac monachorũ conuẽtus, licèt domi
ni ſint ſuorũ bonorum, ſunt tamen lege liga
ti nè poſsint illa abalienare: quòd ſi fecerint
contractus non valẽt, caſsiq; habentur. Secũ *Solutio. 2.*
dò præterea nihil repugnabo, ſi qs dicat ab
illo articulo amiſſum eſſe dominiũ, dummo
dò hoc non negetur quin iure fuerit hæreti-
co permiſſa poſſeſsio, abalienatione tamen
cohibita. Sed inſtas, Poſtq̃ dominiũ perdi *Inſtantia.*
tum eſt ex cuius natura ſequitur in reo obli
gatio reſtituendi, qua lege fingitur cõceſſa
poſſeſsio? Reſpondetur ipſa, eãdem quæ exe
cutionem vſq; ad prolatam ſententiã vetat, *Reſponſio.*
dicens: confiſcationis autem executio non
fiat &c. Neq; opùs eſt aliam diſquirere: nam
ſi lex voluiſſet ſic ipſo facto eos punire, vt
ex tunc tenerentur tradere ſua bona, id pro
fectò expreſsiſſet. Et enim cap. Cùm ſingula.
de præb. lib. 6. quia retinentem duas prębẽ
das vult Papa inhabilem eſſe vt eligatur: ait,
Ex tunc eo ipſo efficiatur ineligibilis. Nam
inhabilitas (vt infrà dicemus) ipſo facto con
trahitur. Attamen licèt habens vnam præ-
bendam cum cura animarum, & alteram re
cipiens ipſo facto priuetur priori, nihilomi-
nùs priuatio non eſt facienda niſi reus au-
diatur, vt ibidem cauetur cap. Licèt Epiſco-
pus. Vnde non debile à nobis ſtat argumen
tum. ¶Rurſus autem ſciſcitaris: Vnde colli- *Quæſtio.*
gitur impeditum eſſe hæreticum ab alienan
do ſi vel dominium habet, vel legitimam
poſſeſsionem. Reſpondetur. Ex commiſsio- *Solutio.*
ne ipſa peccati, cui lege decreta eſt pœna.
Quòd ſi inde inferas, iam nos ergò concede
re aliquo modo puniri reum ipſo facto ante
ſententiæ prolationem, id nos ingenuè fate-
mur. Id enim tantùm hactenùs negauimus
quòd ſic punitur ipſo facto vt teneatur ipſe
in conſcientia executor eſſe: & ideò ſimplici
ter non punitur. Si tamen cum temperamẽ-
to dicas, punitur quodammodò, verum ais.
Et hanc arbitror eſſe mentem legis vltimæ
C. ad. l. Iul. Mai. vbi habetur quòd Maieſta-
tis læſor etiam defunctus condemnetur, ſuc
ceſſoriq; eius eripiantur bona. Cuius cauſa
his verbis exprimitur: Nam ex quo ſceleratiſ-
ſimum quis cõſilium cœpit, exinde quo-
dammodò ſua mente punitus eſt, Quæ au-
tem ſit illa quædam punitio, declaratur ſe-

cundū diuos Seuerū & Antoniū. Nè alienare neq; seruos manumittere possit, neq; debitores ei soluere teneātur. ¶Vnū hic autē adnotato opùs est & admonito, q̄ vbi malefactorē quempiā vel infamia denotatum vel insinuatū indiciis, vel semiplena probatione prēuia iudex interrogaret, ille verò negaret: quia iam tunc fateri tenebatur, & ideò iudiciū per iniustitiā impediuit, inde fieret reus pœnæ cuius iustè cōdēnandus esset. Attamē si fiscalis, dū solus ipse crimē nouisset quod probare non posset, neq; verò infamia nota tū esset, bona hæretici clāculū acciperet (qđ aliud est aduersarię partis argumentū) certè cōtra ius faceret & ad restitutionē teneretur.

Quinta conclusio.

¶At nè hoc in prēsentiarū desideretur, quin tam adhibeamus conclusionē eandemq; generalē de sentētia iudicis. Quotiescūq; iudex iusta, iuridicaq; sententia reū condēnat ad pœnā quæ nō est mortis, corporalisue læsionis inflictiua, tenetur reus parēre, etiam si aliquid debeat agere: vt puta vel pecuniā soluere, vel in exilium secedere, vel in carcere etiā perpetuò permanere. Secùs autem si corporali supplicio addicatur, Tunc enim tātùm tenetur pati: agere verò minimè. Prior pars inde patet quòd vnusquisq; debet potestatibus obedientiā, nisi iure aliquo diuino aut naturali excusetur: illic autē nulla est excusatio. Quare non alius requiritur legis executor q̄ iudex ipse sententiā pronuntians: illa nanque, vbi non est de corporali supplicio, legitima est executio. Posterior autē ratione cōtraria comprobatur. Nam ius naturæ nobis cōcessum tuendi vitam propriā, excusatos nos habet, nè vlla nos obedientia cogere possit vt in nos ipsos vltrices manus cōiiciamus. Neq; hic Caiet. protegere dissimulabo, cui falsò imponitur negasse in art. 3. 22. q. 60, postq̄ quis à iudice pecuniaria multa cōdemnatus est, teneri eā soluere. Id quippe nunquàm negauit, sed q̄ à lege ipso facto nemo potest ad hoc condemnari, neq; ad id prorsum ad quod requirit eius actio. Quare nullatenùs sibi cōtradicit dum. q. 69. ar. 4. ait q̄ condemnatus vt vel in exiliū abeat, vel multam soluat, syncerè obtemperare tenetur.

Proba tio prioris partis.

Probatio alteri⁹ partis.

Protegitur Caietanus.

Falsa causa prætermittæ conclusionis.

¶Neq; verò hoc prætereundum hic silentio arbitror q̄ causa quare nullus dānari potest vt se ipsum vel interimat, vel alio supplicio afficiat, nō est quia nemo est dominus propriæ vitæ. Ridiculū enim esset si hāc causam iudici tunc obiiceres dum tibi id iuberet. In promptu enim ipse hoc haberet respōsum: Neq; ego idcircò tibi iubeo vt te ipse interfi cias, quòd tu sis dominus vitæ tuæ, sed quia ego potestatē eius habeo & arbtriū. Etenim carnifex nihilo plùs habet dominij in reū, q̄ ipse in seipsum: & tamē iudicis autoritate illū interficit. Ratio ergò vt nemo sic potest obligari est, q̄ non potest illo beneficio naturali priuari, quod homo habet protegēdi vitam suam. Idcircò enim licèt vi nemo pōt tali casu resistere, non tñ potest cohiberi nè aut fugiendo aut alia via mortē sibi caueat. Ob idq; quādo suppliciū ex eorum esset numero, quæ homines religionis ac pœnitētiæ gratia sumere ipsi solēt, nulli aduersaretur iuri: quanq̄ præfectus in religionibus monacho, vel Episcopus sacerdoti præciperet, vt idem ipse suis manibus suspiceret: puta vt à seipso flagello vapularet.

Vera ratio eiusdē conclusionis.

SVpereſt ergò ad argumentorum seriem, quæ tum longa est, tum etiam nodis difficilibus implexa, respondere. Primum autem iam solutum est. Nam etsi lex tam ad pœnam obliget quàm ad culpā, diuersimodè tamen. Quoniam cùm sit regula, eo ipso quòd quis ab ipsa deflectit, peccat: culpa enim non est aliud quā deflexio à lege quæ ab æterna diuinaque deriuatur. Ad pænā autem obligat, illam statuēdo: & in hoc sensu legis virtus dicitur punire. Applicare tamen pœnam pertinet ad iudicem. ¶Ad secūdum respondetur quòd etsi obligatio ad pœnam ante iuditis sententiam non emergat, non inde fit maioris esse virtutis iudicē quàm legem: tum quod iudex operatur tanquàm minister legis per eius virtutem: tum potissimùm quòd lex per se obligat ad culpam. Sed id solùm sequitur, quòd virtus punitiua legis non pertingit ad reum nisi ministerio eius administri. Qua ratione ab Aris. appellatur iustum animatū. Quod autem de cuiusq; voluntate in calce argumēti subditur, per quam potest homo transferre suorum bonorum dominium, nihil ad rem. Habet enim quisque suarum rerum liberam facultatem vt possit seipsum sua sponte obligare: respublica tamen non, nisi præscriptis formis & modis, videlicet, vt dum legi rebellis extiteris, possis à iudice cogi. ¶Ex legibus autē diuinis tertio argumēto allatis nullum aduersum nos extruitur validū argumentū. Etenim mulier quę fluxū patiebatur, iure naturę tenebat abstinere à viro nè illū morbo inficeret, licèt flux⁹ nō esset culpa: immun-

Ad primū argumētū.

Ad secundum.

Ad tertiū argumentum.

immundities autem legalis eius qui illam cognoscebat, per culpam ipsam contrahebatur. Quare sicut modò ille qui peccat eo ipso coinquinatur, teneturque pœnitentiæ fructibus satisfacere: sic ille qui antiquitùs inquinabatur, Nam illa corporalia, figura nostrorũ erãt spiritualiũ. ¶ Et per hæc patet responsio ad leges diuinas quibus pro diuersis peccatis diuersæ statuebantur sacrificiorum ac purificationum ceremoniæ. Deus enim in quem offensa committitur, reposcere potest quam voluerit satisfactionem: quam absque alio iudicio tenetur peccator exoluere. Parique ratione nunc Ecclesia potest ieiunia, eleemosynas, & orationes instituere, quibus quisq; tenetur sua expiare piacula. Quod autem additur de leprosis, nihil ad rem: nam iure naturæ tenentur mortiferi homines ab aliorum cœtu sese abstrahere nè illos contagione inficiant, licèt morbus culpa non sit: neque talis abstractio, pœna. ¶ Neque permissio euangelica quæ fit viro separandi torum ab adultera rem contra nos vrget: nam separatio illa non tãtùm existimanda est vt pœna, sed tãquàm conuentionalis licentia, quæ ex fracta coniugis fide nascitur: est enim pactũ inter coniuges, data vtrique acceptaque fide, vt vterque alterius torum immaculatum seruet. Et ideò dum vnus suam fidem fregit, liber fit alter à vinculo soluendi ei debitũ. Sicut si ego tibi ea lege meas operas pollicerer vt tu mihi tuas obstringeres, cadẽte te â fide tua, nõ teneor ego ampliùs stare meæ. ¶ Et pari ferme modo respondetur ad membra omnia quarti argumenti. Primùm enim de illo qui vxori quippiam legauit, sub cõditione, lõgè à nostro proposito distat: neq; opùs fuerat Caietano in sua Sum. verb. pœna, talem exceptionem facere: quoniam eiusmodi cõditio neutiquàm est lex pœnalis: Defunctus enim, si persona erat priuata, non poterat legem condere: sed est conditionale pactum, Do vt facias. Ob idq; si tu cõditionem non impleas, teneris mihi meum restituere. ¶ Similis est ad secundum membrum responsio. Enimuerò qui collegiũ suis bonis instituit statuta facere potuit, vt si Collegarũ quisq; aut foris pernoctaret, aut matrimonium duceret, aut aliud quiduis faceret, ipso facto in conscientia iura collegij perdet: quæ quidem lex vim haberet in cõsciẽtia: quia institutor potuit, si libuit, sub illa cõditione bona sua largiri. Tametsi profectò nemini consulerem tales condere leges: sunt enim conscientiarum illaqueatrices. Hoc est enim nimium emungendo sanguinem elicere. Satis nanque familiæ consulitur si huiusmodi leges particulares instar cõmunium cõstituãtur, vt scilicet delinquentes via regia cõperti puniantur. At quoniã præsumitur prę fecto rũ negligẽtia, huiusmodi rigor permittitur. ¶ Atq; huic prętereà affine respõsum est tertij mẽbri de legibus quibus Reges solẽt manus ministrorũ iustitiæ vincire, nè munera captẽt. Enimuerò cùm illos sua libera voluntate & tanq̃ suos ministros eligant, ac de suo ærario stipẽdia illis decernant, suoq; manda to illis iura soluãtur, possunt tali conditione illos eligere, vt in conscientia obligentur pœnas suorũ delictorũ pendere. Et ideò si cõditionem voluerint accipere, tenẽtur implere. Atq; eam ob causam iureiurando stringuntur, quod aliâs lex per se illos nõ posset cogere ad pœnã ante cõdemnationẽ. Quãuis verbum illud. In cõscientia teneãtur soluere, fateor me approbare nõ posse: quia nullũ in iure cõmuni reperitur eius exẽplum. Nam principes seculares nõ debent de cõscientia iudicare. Neq; verò illo aureo auct. vt iudices sine quoquo suffragio fiant, quo acerrimè inhibetur iudicũ auaritia, vlla fit de conscientia mẽtio. Tametsi vbi eorũ corruptio adeò esset inuerecũda, nõ omninò huiusmodi rigorẽ legum reprobassem, ¶ De legibus autẽ pœnalibus nostræ Vniuersitatis, qbus prensatores & ambitores seu subornatores ipso facto priuantur eligẽdi voce, semper arbitratus sum non obligare in cõscientia ad pœnam illam ante condẽnationem. Nisi illũ qui de ea re infamia laborãs, dũ iuridicè interrogatur veritatem negat. Nam de hoc perinde hac parte censerẽ, ac si esset cõdẽnatus: vt suprà de hæretico dictũ est. Atq; idem cẽseo de aliis electoribus in Ecclesiis & collegiis. Et præter rationes suprà declaratas est hic alia particularis, quòd alioqui vix vlla esset tuta electio, quod pernicioſissimum esset reipublicæ. Et ideò si eiusmodi leges contenderent in conscientia ante condemnationem ligare: tanquàm periculosæ non essent ferendæ. ¶ Ad quintum respondetur oculatè perspiciendum esse in lege quinam habeat propriè rationẽ pœnę, quid verò pretij, aliúsue rei. Enimuerò cùm lege pretium statuitur vel frumenti vel alius mercis, adiecta pœna, si quis cariùs vẽdat ad restitutionem excessus ipso facto tenetur in cõsciẽtia, quo

Ad confirmationes eiusdẽ argumenti.

Collegiorũ fundatores.

Ad tertiũ membrum.

Iudiciũ autoris de legibus pœnalibus Salmãticæ Vniuersitatis.

Caietanus.

Ad quartũ argumentũ cum suis mẽbris.

Ad quintũ argumentũ

legitimum pretium excesit: non tamen ad pœnam antequam condemnetur: vt ait sanctus Thom. loco citato. q. 62. ¶Ad alterum verò membrum de legibus præscriptionis respondetur eiusmodi leges non esse merè pœnales: licèt pœna diu negligentis bona sua, sit, vt eorum ius perdat: sed præcipuè in bonum pacis conditæ sunt, & vt viæ litibus occludantur. Hac enim de causa princeps potestatem habet transferendi dominia. Quocirca lapsus ipse legalis temporis absq; vlla sententia possessorem bonæ fidei dominum rei facit. Quare nulla fit inde cõsequentia, vt lex merè pœnalis velit vt reus suis se rebus ante causæ cognitionem expoliet. ¶Ad sextum respondetur, differentiam illius citati capituli inter pœnam. ab iure & illam quę est ab homine liquidam esse. Pœna enim iuris est illa quam ius ponit quamque iudex tenetur infligere nisi patentissima adsit ratio misericordiæ arbitrandi ex æquo. & bono. Pœna autem ab homine posita est, quã iudex arbitratu suo, vel suis adhibet mandatis, vel post patratum delictum reo infligit. ¶Ad septimum respondetur hanc esse differentiam inter leges monitorias atque alias, quæ dicunt, ipso facto, quod qui contra priores inobediens est, non solùm declarandus est facto deliquisse, verùm & ad pœnam condemnandus: cùm autem quis in alteras secundi ordinis impegerit, satis est si condemnetur illas fuisse transgressum. Tunc enim absque vlla alius sententiæ explicatione pœnæ censetur addictus. ¶De excommunicatione autem iam dictum est cur ipso facto obliget. Suspensio verò & irregularitas, quia non est nisi contaminatio quædam & commaculatio, ac subinde indignitas (vt superiori artic. dicebamus) ad tractandum sacra, actu ipso culpæ cõtrahitur. Quin verò aliquando citra culpam, vt patet in iudice qui spontanea causa est mortis. Quare nulla indigent sententia iudicis. ¶Sed leges quæ octauo argumento citatæ sunt, fateor vehementiorem aculeum adhibere: nihilo minùs respondetur quòd neq; in cap. citato de homicid. li. 6. simpliciter habetur q̃ qui Assasinorũ crimen incurrit, teneatur ante sententiam pœnam soluere, præter excommunicationem quam ipso facto patitur: sed ait quòd postquàm probabilibus constiterit argumentis, nullatenùs alia excommunicationis vel depositionis etiam sententia requiratur. Nõ ergò negatur quin sententia requiaatur super crimine. Quin verò propterea præmittitur, Postquàm probabilibus constiterit argumentis, id est, quibus res probari in iudicio possit. Nam nulla priuata persona iudicare potest an sint probabilia argumẽta nisi solus iudex. Quapropter siniſtra est eorum gloss. qui aiunt propterea dici, probabilibus argumentis, q̃ nulla alia exigitur sententia. Imò dexteriùs censet Archidia. (vti ait Syluest.) quòd etiam tunc requiritur declaratoria sententia facti. Textus autem solùm dicit q̃ non requiritur sententia super pœnam. Et quòd hæc sit eius mens, egomet mihi sic lucidè persuadeo. Extat & Assasinorum pœna, vt quisque posit eos liberè interficere: at verò si cui priuatim id liceret antequàm cõdẽnati essent de crimine, occasio daretur cuicunque fingẽdi hunc aut illum esse Assasinum, vt quem vellet interimeret: exitiosa ergo esset talis licentia: ideoque certo certius est ante iudicis sententiam nemini id liberum esse: ergò neque expoliare suis bonis eos fas est, aut alios qui eorum ministerio vtuntur, ante eandẽ sententiam. ¶Restat igitur postremus scrupulus ex Extrauagan. Ambitiosæ: Pauli secundi. vbi habetur quòd clericus qui bona Ecclesię alienauerit duntaxat, ipso facto priuatus existat beneficiorum Ecclesiasticorum: illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur. At verò ex his verbis solidissimum in primis à nobis stat argumentum. Etenim exprimẽs Sum. Ponti. declarationem in hoc casu non esse necessariam, palàm docet: q̃ si hoc verbum non adiecisset, non satis illi fuisset dicere, ipso facto, vt teneretur reus in conscientia relinquere ante sententiam sua beneficia. Quod nos hactenùs constituere contendimus. Secundò respondetur illo modo quo de principe diximus, posse illum, priuare quem eligit, si fecerit contra conditionem q̃ cum ipso pepigit. Videlicet si acceperit munera. Enimverò cùm Sum. Ponti. collator dispensatorque sit beneficiorum, declarat per illam Extrauagan. illa lege & tacita conditione quemcumque sacerdotum sacerdotia Ecclesiæ recipere, vt dum eius bona alienauerit, eisdem sacerdotiis priuatus cẽseatur. Tametsi porrò nescio an super crimine requirenda sit etiam tunc aliqua declaratio ad pacãdas conscientias. Attamen de hoc ad vsum me refero ecclesiasticum.

Ad alterũ mẽbrũ eiusdem argumenti.

Ad sextũ argumentum.

Ad septimum.

Ad octauum.

Siniſtra quorũdam interpretatio.

Archidi. Syluester.

Postremus scrupulus.

Dissolutio prima.

Secunda.

AR-

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm omnes subijciantur legi.

IN autoritate & virtute legis etiamnum persistentibus scire prætereà restat hoc septimo loco, vtrùm omnes subiiciantur legi. Et arguitur à parte negatiua ex Apostolo.1. ad Timotheum.1. Iusto non est lex posita. quòd Vrbanus Papa confirmat.10.q.2.Canon. Duæ sunt: vbi ait, qui à lege priuata ducitur, scilicet, Spiritus sancti, nulla ratio exigit vt lege publica, puta humana, quæ vniuersis posita est, constringatur: non ergò omnes lege tenentur. ¶Secundò ad idem facit lex, princeps. ff. de lega. vbi ait Vlpianus Iurisconsult. quòd princeps legibus solutus est. ¶In contrarium est quod Apostolus ad Roman. 13. ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: nemo autem potestati subiicitur nisi eius sit legibus subiectus.

Primum argumẽtum à parte negatiua. *Paulus.* *Vrbanus.* *Secundum argumentum.*

PRæsenti quæstioni secundùm duas legis virtutes tribus conclusionibus fiet satis. Monstratum enim iam suprà est legem tum regulam esse actionum directricem, tum etiam vi pollêre coërciua. Et vtroque modo contingit quempiam legi submitti. Sit ergò prima conclusio: Vniuersi qui subditi sunt potestati, legibus subinde ipsius, quin verò & princeps quantum ad vim directiuam subiicitur. Res est clara: nam alteri subdi idem est quod parêre eius mandatis: ac subinde legibus. De principe autem confestim dicemus. Dixerim vniuersi subditi: quoniam nullius lege illi comprehenduntur qui ab eo extranei sunt. Lex quippè Gallorum nihil ad Hispanos. Et prætereà si qui superioris priuilegio ab inferiori exempti sunt, non summittuntur inferioris mandato, quâ se priuilegium extendit. Hac enim ratione clerici sæcularium legibus subditi non sunt: tunc præcipuè. dum lex de rebus Ecclesiasticis decernit quæ principibus non subduntur: vt patet cap. Ecclesia. de constituti. aut si in odium Clericorum posita sit, aut si non pari iure pertineat ad Clericos: vt prohibitio vtendi sericis, non obstat quo minùs in sacris possint illis indui. Et prohibitio equitandi mulas ciues, belligeri vt fiant, nihil ad sacerdotes. Cæterùm leges de rerum pretiis, & nè merces distrahantur à regno, atque aliæ id genus ex æquo Clericos cum sæcularibus obligant. De hoc autem Summistas consule in verbo, lex, & verbo, Clericus. ¶Secunda conclusio. Quantum ad vim coërciuam iusti qui virtutum habitibus ducuntur, legi non subduntur: quia nihil coactè quod ad virtutem attinet, sed omnia sua sponte perficiunt. Enimuerò vt 2.Ethicor. author est Aristote. Virtus facit vt studiosus promptè & cum delectatione operetur. ¶Huic autem subiicimus simile ei tertiam. Princeps quantum ad vim coërciuam non subditur legi. Conclusio est aperta: quoniã coactio, eiusdem ad seipsum esse non potest: non enim est intellectu possibile, vt vim quispiam sibi ipsi inferat, atq; adeò se sua lege cogat. Quapropter vnus idemq; non pœnitendus est sensus illius Regij verbi: Tibi soli peccaui. vt Deum illic solum agnouerit superiorem. Quasi dixisset, in terris nullum habeo cui rationem erratorum meorum debeam: & ideò tibi soli peccaui. Quanuis & alter genuinus etiam sit, quòd nullum malum esset peccatum, nisi quia contra legem Dei. ¶Est ergò simile ium conclusionum, ratio dissimilis. Quòd enim iustus non sit legi subditus, ab ipso eôdem sumitur ratio, qui scilicet coactione non indiget. Intelligitur enim conclusio non de quibuslibet iustis, sed de illis qui sunt iam absolutæ virtutis. Nam quandiu colluctatio quæ nobis cum affectibus est, perstat, pariter durat pœnarum metus, ac perinde nonnulla coactionis ratio. Et est secunda hæc conclusio sic Pauli testimonio fulcita, vt Philosophos nõ latuerit. Ait enim Arist.10.Ethi.c.9. ob id legibus in omni vita omninò opùs esse, q̃ multitudo necessitati potiùs, & pœnis quàm honestati paret. Et ideò legislatores & honestatis gratia ad virtutem prouocare debẽt. Nam ij qui probi sunt, ob consuetudinẽ præcipuè obtemperabunt. Aduersus autem inobedientes & hebetiores ingenio castigationes pœnasq; instituere. Et.5.Polit.c.9. Excellentes, inquit, virtute & potentia non sunt legibus astringẽdi: quod tam ad secũdam quàm ad tertiã conclusionem referri potest: nempè vt virtus ad moralem probitatem: potentia verò ad principatum referatur: sed sunt, inquit, ipsi lex: ob idq; inter homines vt Dij æstimãdi. Quòd autem sua principẽ lex nõ cogat non inde venit q̃ ipse non egeat, sed q̃ lex natu-

Prima conclusio. *Probatur conclusio.* *Corollariũ.* *Secunda cõclusio.* *Probatio.* *Aristo.* *Tertia conclusio.* *Probatio.* *Rõ dissimilis secundæ ac tertiæ cõclusionis.* *Aristo.* *Rõ tertiæ cõclusionis.*

ra sua nequeat. At verò hanc principes exẽptionẽ nõ inter priuilegia ducere debẽt, imò est illis iniqua conditio. Subditi enim qui non solùm legis luce ducũtur, verùm etiam eius pœnis stimulantur, duobus subsidiis ad virtutem vtuntur: princeps autem altero destitutus est dum nullus est qui illum cogere possit, aut reprehendere audeat: imò vix vllus qui veritatem doceat. Quocirca illius Prouer. 21. Sicut diuisiones aquarum, ità cor Regis in manu Domini. dexter sensus est, q̃ cùm priuatorũ corda sic in manu Dei sint, vt per suos iustitiæ ministros ea gubernet & cogat: cor tñ Regis in solis diuinis manibus positũ est. Vt sicut ipse solus posset in gẽtẽ amnẽ & rapidũ supra naturã aliorsum diuertere quã alueus ducit: sic solus ipse Regem, qui suæ mãcipatus est volũtati, põt vel remorari, vel in aliã vertere mẽtem. Quapropter Rex quo eũ Deus liberiorẽ fecit, legũq; coactioni longiùs exemptum, eo debet ipse rationi vigilantiùs, diuinoq; nutui audiẽs esse, ac subinde legibus quas aliis ponit ipse auscultare: nè in illũ Christi improperiũ impingat: Qui dicunt & non faciũt: & qui aliis onera grauia imponunt, ipsi neq; digito volunt ea mouere: Matth. 23. Vnde extrà, de cõsti. c. Cũ omnes. q̃ quisq; iuris in alterum statuit, ipse debet vti eo. vbi & citatur Sapientis autoritas: Pãtere legem quam tu ipse tuleris Et. C. de leg. & constitutio. l. 4. aiunt Imperatores ipsi: Digna vox est maiestatis regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. ¶At nondum tota rei difficultas exhausta est: Statuimus nanq; sic in vniuersum cõclusionem primã, vt, vnà & iustos quoq; & principem ipsum comprehendat, qui veluti reliqui vi directiua legum obligantur. Enimuerò licèt princeps sibi subditus non sit, nil tñ vetat quo minùs suæ subdatur legi: nã dum alios illuminat & sibi ipsum quoq; lumen præbet. Haud tamen hoc dubitatione caret ad intelligendum. Videtur enim secum pugnare vt princeps legi sit subditus absq; eo quod lege cogatur. Ponit Papa leges de ieiuniis, de audiendis sacris, de annali confessione, easdemq; sub pœna excommunicationis. Et Cæsar pariter nè quis sub certa pœna peieret. Arguit ergo sic: Si princeps subditus est legi quantum ad vim directiuam, fit vt dum ipsam transgreditur, peccet: ergo ipsum obligat: obligatio autem vis est coërciua. ¶Secundò, si vim coërciuam à lege excluseris, rationem legis sustulisti. Nam (vt suprà definitum est) propterea leges à solo fungente reipublicę vicibus condi possunt, quòd sine vi coërciua non sunt leges: igitur si princeps nõ subditur coërctioni legis, nec subditur legi. Sed potest ipsam sequi ac si esset sententia alicuius sapientis, puta aut Platonis aut Senecæ, quę nõ obligãt ad culpã: & sicut sua lex obligaret extraneos qui suæ nõ sunt iurisdictionis, & nos possumus Gallorum scita auscultare. ¶Tertiò quæritur à quo princeps obligatur cùm legẽ condit. Non enim à Deo: quia lex illa non est diuina: neq; à seipso: quia lex ipsa non est votum, quo homines obligare se solẽt. Et quò argumento roborescat, demus illum nolle sua lege illigari. ¶Hæc autem cõclusionem licèt oppugnent non tamẽ expugnant. Cõsiderandum enim primum est q̃ princeps non est extra rempublicam, sed membrum eius, puta caput. Secundò, id ex superioribꝰ recolendum est, quòd lex humana obligat in conscientia, eò q̃ ab æterna per naturalẽ deriuatur. Ex his potest statim deduci vis obligatoria. Ex illo scilicet naturali principio: Ius quod tibi nõvis, alteri nè statuas. Cõtrariũ enim reprehẽdit Christꝰ, dicẽs: Quod imponũt alteris onera quæ ipsi nõ tãgunt. eò ergo quòd princeps statuit legẽ, iure nuturæ illi summittitur. Sed fortè clariùs id sic deducitur. Legislator (vt dictum est) legem condens opus tale constituit in certa virtutis specie: vt ferens Papa legem ieiunij, constituit illud, virtutem obligatoriam abstinẽtiæ: Et præcipiens seruare aliquod festum, illud collocat in virtute religionis. Cõstituto autem virtutis opere, tota respublica, atque adeò ipsum caput tenetur secundùm illam agere. Quòd si sciscitetis cur non subinde & pœna cogat principem: Perspice latum discrimen. Lex enim eò quòd regula est facit vt deflexus ab ipsa sit culpa absque alia executione vel legis applicatione: pœna aũt adhibeẽ legi obseruationis causa, quæ idcir cò executione & applicatione indiget: executor autẽ est princeps ipse, cui repugnat vt seipsum cogat: licèt possit pœnã si voluerit soluere. ¶Quãdo aũt statuimus, principẽ legibus subdi suis, intelligimus de legibꝰ q̃ ex æquo ad ipsum perinde atq; ad subditos spectant. Præcipit Rex neminem gladio succincto incedere, aut sericis indutũ: nõ est par ratio cur ipse eisdẽ abstineat. Indicit autẽ Papa ieiunium aut festi solennitatem: eadem est æquitas in ipso: nisi iusta de causa secum

Pulchra interpretatio loci sacri.

Appositasi militudo.

Salutiferũ consilium.

Dubitatio.

Primaratio dubitandi.

Secunda.

Tertia rõ.

Diluitur proximadubitatio.

Primum documentum.

Secundum.

Probat̃ rursus prima cõclusio principalis.

Quæstio.

Solutio.

cum, veluti cum aliis, dispensauerit. ¶At verò vt ad secundam reuertamur conclusionem, absit vt quis inde Lutheranum imbibat sensum. Fuit enim ille hæresiarcha eò vsque vesaniæ collapsus in suo libr. de Libert. Christiana, vt iustum hominem cùm primùm Deo fidem præbet, cui soli ipse iustificationem tribuit, docere contenderet ab omni esse lege liberum: quia per fidem, inquit totam impleuit legem. Itaque nullo ampliùs alligatur legis vinculo: sed omnia deinceps ex amore perfecit. Hanc autem erroris absurditatem lib. 3. de Natur. & gra. cap. 1. suis depictam coloribus abunde expugnauimus. Nemo enim in hac vita, etiam si sit vt Apostoli confirmatus, liber est à lege. Quin verò si per impossibile ipsi Apostoli contra legem feciſſent, peccassent: licèt confirmati erant vt non facerent. Nam & iustis illis dictum est: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Imò vt ait ipse veritatis Magister, Seruus qui cognouit voluntatem domini sui & non fecit vapulabit multis. Præterea sic hominem à lege eximere, est ipsum impecabilem facere: quæ absurdissima est hæresis. Paulus enim qui alibi putabat nullam esse potestatem quæ illum posset à charitate Dei separare, alibi nihilo minùs fatebatur se corpus castigare suum & in seruitutem redigere, nè cùm aliis prædicabat, ipse reprobus efficeretur. Et nè magnitudo reuelationum eum in superbiam extolleret, angelum Satanæ qui eum colaphizabat sustinebat. Non enim sic Paulus intelligit iusto non esse legem positam, quin si illam transgrederetur eandem iustitiam amitteret, sed ingenium gratiæ fauorisq; Dei duntaxat explicuit: nempè quòd vbi charitas foras mittit timorem, hominem quem possidet obsequentissimum legi facit. ¶Atque hic est sensus verborum Pontificis in dict. distinct. 19. q. 2. Appellat enim legem priuatam singularem dictum Spiritus sancti, cõtra quem nemo tenetur obedire legibus communibus. Ille tamen est etiam Spiritus sancti ductus, vt subditorum quisque suis præfectis obtemperet: neque omni spiritui credat contra prælatorum obedientiam intùs obloquenti: nè sit fortè angelus Satanæ quẽ lucis esset putat.

Lutheri error.

Autor lib. de Natura & gratia. Prima rõ in Lutherum.

Secunda.

Mẽs Pauli.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm subdito liceat præter verba legis agere.

POstremus articulus virtutis legis est, vtrũ omnis epieikeia sit subditis interdicta, an verò liceat subdito contra verba legis agere. Et arguitur quòd nemini subditorum id liceat. Ait enim Augusti. lib. de ver. religio. In temporalibus legibus quanuis homines iudicent de his cùm eas instituunt, tamen quando sunt institutæ & firmatæ non licebit de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas: qui autem legis verba præter mittit arbitratus intẽtionem legislatoris seruare, is de lege iudicare videtur: ergo subditis id non licet. ¶Secundò. Ei prorsus competit legum esse interpretem, qui est earum conditor: solus autem princeps potest leges condere: nemini ergo aliorum liberum est illas interpretari, sed secundùm eas agere. ¶Tertiò: qui leges condiderunt sapientiæ lumine illustrati censendi sunt: Quæ ait Prouerb. 8. Per me Reges regnant & legum conditores iusta decernunt. ergo de intentione legislatoris non aliter iudicare licet quã per legis verba. ¶In contrarium autem est Hilarius. 13. de Trinit. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subiectus. Ex quibus verbis colligitur prudentius esse ad causam attendere quæ legislatores induxit, quàm ad legis verba.

Primũ argumentum Augustini

Secundum

Tertium.

Hilarius.

QVæstio præsens materiam epieikeię in disputationem producit: an videlicet aliquo casu subditis ea sit licita. Nam quòd principi competat ambigit nemo, iuxta doctrinam Aristotel. 5. Ethicor. cap. 10. Ad quam idcircò quæstionem tribus conclusionibus respondendum est. Prima est generalis, lex quæ à communi bono deficit, nullam habet obligandi vim. Hæc iam suprà ex eo demonstrata est, quòd lex omnis debet esse pro communi salute ciuiũ instituta. Vnde. ff. de legib. l. Nulla. ait Modest. Nulla iuris actio aut benignitas patitur, vt quæ salubriter pro hominum vtilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem. ¶Secunda conclusio. Quanuis lex in communi lata casibus plurimùm contingentibus vtilis sit, ni-

Aristo.

Prima conclusio generalis.

Probatio.

Secunda cõclusio.

hilo minùs quo casu noscitur aduersari cõmuni saluti, non est obseruanda. Exemplum diui Thomæ est: In ciuitatis obsidione salutiferum est lege caueri nè portę aperiantur: nihilo seciùs si tunc ciues quorum vita saluti reipublicæ conducit, hostes fugientes in vrbem se volunt recipere, contra legis verba aperindæ sunt illis valuæ: quoniam illa est legis mens, quippè quam si adesset legislator, haberet. Conclusio hæc protinùs ad primam consequitur. Enimuerò lex (vt suprà dictum est) ideò ponitur in communi quòd casibus particularibus prospicere satis nequit: vt habetur. l. Neque leges. &. l. Non possunt. ff. de legib. fit ergo inde consequens, vt quoties casus occurrerit quem si legislator prospexisset, exceptum iu dicaret, non sit obseruanda. ¶Tertia conclusio. His duabus assertionibus nihil obstantibus huiusmodi legis epieikeia more & ordine ad solum principem spectat, nisi illis duntaxat casibus qui bus adeò instat subitum periculum, vt si ad principem vel ad eius vicem gerentem recurrendum esset, damnum interim timeretur. Tunc enim licitum est subdito contra verba legis agere. Illa quippè necessitas est, quæ legem non habet. ¶Atqui in conclusione prima nihil dubitationis latet, in secunda verò non nihil. Videtur enim sanctus Thom. nimiùm illam stringere, dũ ait illo pręciso casu quo legis obseruatio in exitiũvergeret cõmunis salutis, nõ esse seruãdã, cum tñ neq; in priuatã interniciẽ sit seruanda. Etenim ille cui palàm esset, obseruationem legis esse sibi lethalem, constaretq; ex natura legis non esse eius mentem in tantum periculum adigere subditos, neutiquã tenetur legem custodire. Vt si mihi constaret hostes mihi in via insidias parasse, non teneor die festo ire ad sacrum. Respondetur neque hoc negare sanctum Thom. sed loqui in reipublicę periculo. Obsessa enim ciuitas non tenetur vnicuilibet ciui fugienti portas pãdere cum suo periculo: & ideò neque ianitori, aperire fas est. Imò licèt essent personæ quàm plurimùm tuendæ vrbi vtiles, si certum esset quòd hostium turma simul cum illis intrò irrueret quæ ciuitatem caperet, non tenentur. Secùs vbi non esset tantum periculum: nam tunc iminenti periculo clauiger ipse posset aperire. ¶Tertia verò conclusio non est vsque adeò clara. Dũ enim asserit subitò iminente periculo licere subdito agere cõtra legem inconsulto magistratu, alioqui verò ad ipsum recurrẽdũ: aut intelligit quãdo subditus de legis mẽte ambiguus est, aut quãdo proculdubio certissimus est: nõ quãdo hæret in dubio: nam tũc (vt ait in solutione secundi) debet absq; vlla interpretatione verba legis seruare. Quãdo verò omninò est certus, etiã si nullum sit in mora periculũ, nõ tenetur Prælatũ consulere. Cui eñ in die ieiunij nullus alius suppetit cibus q̃ carniũ, absq; vlla superioris cõsultatione potest, nè fame pereat, illas comedere: etiam si citra periculũ posset ipsum adire. ¶Ad rei huius intellectũ, et si Caiet. quatuor hîc mẽbra dignoscat, perspicatior tñ hęc fuerit trimẽbris diuisio. Aut enim subdito (de hoc enim loquimur) palàm liquet occurrẽti casu non esse legis mentem vt seruetur, & tunc nulla opùs est subdiuisione: sed siue subitum sit periculum, siue tempus suppetat adeundi præfecti absque illius prorsus cõsilio licet facere contra legem: vt casibus proximis à nobis explicitis patet. Aut per aliud extremũ eiusmodi subditus in dubio hæret vtrinque æquali. Itâq; neutrius partis assensum habet, liceátne facere cõtra legem néene. Et tunc si vacat ad superiorem recurrere, recurrendum est: si verò repentinũ periculum id non permittit, ad literam seruanda est lex. Atq; hìc est casus sancti Thomæ in solutione secundi: quoniam subdito in tali casu legem interpretari non licet. Si verò medio modo se habeat, ità vt neq; certus omninò sit, neque prorsus ambiguus, sed in illam partem propendeat, q̃d potest facere cõtra legem. Itâq; illius partis opinionem habet cum formidine alterius: tunc si mora datur qua possit magistratum consulere, id facere tenetur: sin verò per subitaneum periculum id non licet: tutò facere potest contra legem. Atque hic est casus tertiæ conclusionis. ¶Quòd si sciscitaris vtrùm illa sit sufficiens ratio epieikeiæ vt subditus faciat cõtra legem: quòd ratio legis in particulari persona & casu deficiat: Respondetur q̃ si tantum deficit in particulari, non sufficit: si autem in toto genere causa cessauerit, tum & lex quoq; cessare debet. Verũtamen anteq̃ princeps vel consuetudo illam abroget, vim suam nõ amittit. Lege (vt exemplum proferamus) cautũ est, nè qs arma noctu deferat: quantumuis ergo pacificus sis neq; vllum à te timeatur digladiationis periculũ, nõ potes contra legem facere. Attamen quoniam

S. Thomas.

De ducitur conclusio ex priori.

Tertia conclusio.

Dubitatio circa secundam conclusionem.

Rõ hæsitãdi

Explicatur. S. Thomas. Solutio.

Obiectio in tertia conclusione.

Solutio. Caietanus.

Partitio tri membris.

Primũ mẽbrum.

Secundum.

Tertiũ mẽbrum.

Quæstio incidens.

Responsio.

de epieikeia alibi doctor sanctus disputat,nẽ
S. Thomas. pè 22.quæs.102.extra chorũ hic saltaremus si longior nos disputatio remoraretur. ¶Hæc
Primum ad uertendum autem sunt hic adnotatu propria. Primùm: etsi liceat nõnunquàm propter epieikeiam contra verba legis secundùm eius mentem agere, tamen vice versa extra tales casus seruare in cortice verba, corrupta legis mente, præuaricatio legis est.Sic enim habet lex cõ tra.ff.de legi.In fraudem legis facit quisaluis verbis legis sententiam eius circunuenit. Et l.sequenti:Fraus legi fit,vbi fit quod fieri no
Exemplum. luit, fieri autem non vetuit. Prohibet lex nè adulter filium spurium hæredem instituat: concredere ergo alteri hæreditatem qui det filio,est verba legis,non autem mentem seruare.Prohibet & altera lex nè sacerdos sacer dotium in fauorem filij renuntiet:alter autẽ cõfert alterius filio,vt ille suo vices rependat iniquitas est, epieikeiæ è regione aduersa.

Ad primũ argumentũ ET per hæc, argumentorum patent solutiones. Ad primum enim respondetur, q̃ qui in illo postremo necessitatis casu agit contra verba legis non iudicat de lege ipsa, sed singulari casu,in quo cernit non esse seruandam. ¶Et pari modo respondetur ad
Ad secũdũ argumentũ secundum.Hic enim idem subditus non interpretatur legẽ simpliciter, sed in casu quo manifestũ est legislatorem aliud intendisse: secùs si anceps hæsitet,vt dictum est in secun
Ad tertiũ argumentũ do casu.¶Ad tertium autem respondetur q̃ quantacunq; legislatores sapientia vigeãt, nulla tamen sufficit vt casus omnes occurrentes prospiciant.

QVAESTIO SEPTIma,de mutatione & varietate legis humane.

S.Tho.1.2.q.97.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm lex humana debeat quoquo pacto mutari.

Prima ratio ad partem negatiuam. POSTREMA DEmum quæstio legis humanæ est vt explicetur quàm debeat esse firma, & fixa.Et ideò primo quæritur andebeat aliquo pacto mutari. Apparet enim id minimè licêre:lex enimhu
mana(vt suprà diximus) à naturali deriuat: hæc autem immutabilis est:ergo & illa. ¶Id etiam secundò colligitur ex natura regulæ, qualis est lex:quę secundùm Arist.5.Ethico. cap.5.solida esse debet, & perstãs: lex autem regula est,ergo immobilis. ¶Item tertiò, lex iusta & recta esse debet:quod autem iustum semel est,semper tale existit. ¶Accedit & te stimonium Nicolai Papę,dist.12.Ridiculum est & satis abominabile dedecus,vt traditiones quas antiquitùs à patribus suscepimus infringi patiamur. ¶In contrarium verò sunt argumẽta nihilo pauciora. Ratio enim exposcere videtur, vt quoties melius quippiam occurrit, toties lex humana mutetur. Leges quippe humanæ, veluti & cæteræ artes, humana ratione excogitatæ sunt & inuentę:reliquę verò artes occurrente eoquod melius est summutantur:ergo idem est & in legibus obseruandum. ¶Secundò, de præteritis sumenda est ratio & cautio futurorum: cõtingit autem leges antiquas rudiores esse minusq; politas,quàm succedentibus moribus conueniant: ergo nisi quotiescunq; meliores inuẽtiones occurrerent,legibus pristinis antiquatis alię innouarentur, incommodum esset.¶Tertiò, leges humanæ quia circa lubricum singularium fluxum versantur nequeunt nisi temporis experientia exactè institui.Experiẽtia enim(vt.2.Ethic.author est Arist.)tẽpore indiget: ergo quoties temporis curriculũ melius quid attulerit, expediens est leges submutari. ¶Accedit demum & August.2.de lib.arbi.vbi ait,lex temporalis quãuis iusta sit,cõmutari tamen per tempora iustè potest.

Secunda ratio. *Aristo.* *Tertia ratio* *Cõfirmatio.* *Nicolaus Papa.* *Primũ argumentum negatiuum.* *Argumẽ.2* *Argum.3.* *Aristo.* *Postremum argumentũ*

ARgumenta præsentis quæstionis rem in duo diuersa extrema distrahunt. Nam illa prioris ordinis contendũt humanam legem prorsus esse immutabilẽ. Reliqua verò per alterum extremum,quòd vbiuis melius aliud occurrerit,sint mutandæ: & ideo duabus conclusionibus respondendum est, quibus ambo extrema moderemur. ¶Prior est, licitum quandoq; est, decens,& sanctum legem humanam mutari. Veritas conclusionis huius ex duabus nascitur radicibus:videlicet tam ex natura rationis humanę,quale ges conduntur, quàm ex natura nostrarum actionum de quibus statuuntur. Etenim cũ natura nostra rationalis sit,hoc est,discursiua & successu quodam veritatis indagatrix: non potest,ceu intellectualis angelus,qui na

Prima conclusio. *Suadetur cõclusio duplici via.* *Prima ratio*

turalia omnia simul nouit, subitò intima veritatis penetrare. Vnde quemadmodum in scientiarum speculatione defluxu quodam temporis Philosophi ex imperfecto ad perfectum scientias promouerunt: vt. 1. Physico. primoq; de Anima aliisq; libris Aristo. testimoniũ extat: sic & in morũ cõpositione ratio practica negotiatur. Quapropter sicut Thales ille Milesius alijq; illius ætatis sex sapientes, scientias illucusq; rudes & incõptas contemplatione polire cœperunt, quas post *Aristo.* Plato & Arist. expoliuêre: sic & Lycurgus, & Solon, & apud Romanos Numa Pomp. suas respublicas, anteà barbaras & agrestes, politioribus legibus instituerunt: quæ deinceps temporum incrementis exactiùs sunt accuratiusq; & emunctius cultæ. ¶Accedit ratio *Secunda ratio.* secunda ex nostrarum actionum conditione: quæ & regionum diuersitati & temporũ sic subiecta est, vt nunquàm in eodem statu permaneat. Exemplum est Augustini. libr. 1. *Augustin⁹* de libe. arbi. vbi ait, quôd si populus bene sit moderatus, & grauis, comunisq; vtilitatis deligentissimus custos, rectè lex fertur quatali populo liceat creare sibi magistrat⁹: per quos respublica administretur: porrò si paulatim ille populus deprauatus habeat vẽnale suffragium, & regimen flagitiosis sceleratisq; committant: rectè adimitur populo talis potestas dandi honores: & ad paucorum bonorum redit arbitrium. ¶Secunda con- *Secundacon cluſio.* clusio quam D. Tho. sanctissimè constituit, *D. Thomas* quæq; legislatoribus perspectissima esse debet, est: Non ob quamcunq; causam melius quippiam afferentem mutanda est lex, sed tunc penitus quando vsq; adeò excellat, vt damna detrimentaq; compensẽt, quæ legis mutatio suaptè natura affert. Ratio conclu- *Ratio cõclusionis.* sionis sic habet. Cùm leges humanæ pro cõmuni vtilitate & salute (vt dictum est) sint institutæ, eadem prorsus ratione mutandæ sunt: nempè quando mutatio in augmentũ est communis boni. Mutatio autem suopte ingenio per seipsam detrimentum affert: quia cùm consuetudo seruandæ legis fuerit quodam pacto in naturam versa: (nam consuetudo, altera natura est) mutatio ipsa legis quædam est mutatio naturę. Quo fit vt quę contra consuetudinem fiunt, etiam dum leuia sunt grauia, existimentur. Atq; eandem ob causam veneranda legis canicies amore retinet humanos animos, qua ideò extincta nouitas alterius nescio quid inuidiæ secum trahit. Dum igitur de legis mutatione agitur, hæc debeant in statêra pendi: nè scilicet mutetur nisi tãta ab ea parte propẽdeat causa, quæ hæc valeat mala compensare. Quod quidem tunc prorsus continget, quãdo vel maxima, euidentissimaq; vtilitas ex noua lege prouenerit: aut ingens necessitas consuetam legem ob manifestam eius iniquitatem antiquare cõpulerit: vnde. ff. de const. prin. l. 2. ait Vlpian. In rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure quod diu æquum visum est. ¶Hæc *Regula proxima tũ in* ergò regula tum in sæculari republica, tum *sæculari tũ* maximè in Ecclesiastica, ac potissimũ in his *in Ecclesiastica republica obseruanda est.* quæ ad sacra pertinent obseruantissima esse debet. Nè scilicet ratio persoluendi officium qua clerus assuetus est, pro quacunq; ratione demutetur: etiam si egregia videatur. Et multo minùs sacrorum ratio, quæ ad cultũ diuinum attinent: quibus videlicet populus oculos habet immersos, & affectos animos. Haud enim id absq; detrimento & scandalo fieri posset. Nihil aduersus nouitatẽ Breuiarij obmurmurandum est, postquam sanctissimus Papa id permittit: tamen finis ille ob quem mutatio facta est, videlicet vt statas soluentes horas memoriter Psalterium discant, non est ille quem sancti patres horis dicendis canonicis præfixere. Cantus enim Ecclesiastici non studij gratia, sed tantum diui *Cantus Ecclesiasticinõ studiogratia sed tatũ diuinæ laudis institutisũt* nę laudis instituti sunt, vt melodia militantis Ecclesiæ instar triumphantis instituerentur. Vbi non cessatur clamari quotidie, Sanctus, Sanctus. &c. Atq; huic scopo admetiebãtur patres Antiphonas, Responsoriaq; & Psalmodiam. Imò (vt est in priscorum historiis) angelos eas etiã de cœlo attulisse fertur. ¶Præterquam quod sacerdotibus permittere, vt aliter officium domi pendant, quàm in Ecclesia, est illis manifestam porrigere occasionem, nè in Ecclesia cum aliis cõcinant, sed velut muti stipendia sua faciant. Adde quòd periculum inde imminet vteadem horarum ratio in Ecclesiam publicitùs inducatur: quòd grauiter populi aures offenderet. *Autoritãtsura de Breuiarij plura litate.* Hæc mihi in præsentiarum in mentem venêre: quia pro meicaptu ingenioli ardenter desidero, vt vnica esset ratio Breuiarij, in toto Christianismo. Nam varietas Ecclesiæ, qua tãquã regina circumamicta à dextris sponsi sedet, in varietate religionum aliarumq; ceremoniarum Christianæ familiæ satis splendet. Quòd autem ad horas canonicas in lingua Latina tanta diuersitas obtinuerit, nullum forsan, si fas est dicere, decus est. ¶Cæte- *Dubitatio.*

rùm

rùm nõ ab re huc dubitatio occurrit, vtrùm legislator pro suo libito absque vlla intercedente causa, leges valeat commutare; Et apparet à parte negatiua argumentum quòd non aliter licèt leges mutare, quàm condere: si autem non pro communi vtilitate conderentur, non essent leges: ergò neq; si alia ratione mutentur, valida erit mutatio. ¶ In respõsione autem multa sunt membra. Primùm si legislator penes quem summa est potestas legem sine causa tolleret, factum teneret: hoc est, nullã haberet deinde vim legis, nisi quatenus vim retineret iuris, seu naturalis, seu diuini. Tametsi dum lex reipublicæ conduceret, graue crimen committeret. Videlicet, si Papa tolleret annuam confessionem, maneret ius tantùm diuinum cõfessionis: & si Cæsar abrogaret legem suspendendi fures, maneret duntaxat naturale ius vt punirentur saltem. Res est clara: quia lex nisi vim habeat coerciuam, non est lex: hanc autem vim habet à Principe vel à republica. Qua propter sicuti etiam dum respublica legibus indigeret, tamen nisi eas poneret, nulla esset: ità si quam tolleret, non esset ampliùs lex. Secundum membrum est. Lex quam nouam conderet vel in quam alteram mutaret, si nõ esset pro communi bono, vel esset intolerabilis, nõ haberet vim legis. Enimuero licèt quã ipse abrogaret, re vera esset abrogata: non tamẽ tantùm potest in legumlatione, vt quam ipse tulerit, statim sit firma & valida: nisi (vt dictum est) iusta fuerit. ¶ Hæc autem de omni potestate tam sæculari quàm ecclesiastica dicta sunt, quibus tamen de ecclesiastica tertium peculiare adhibemus membrum. Nempè quòd neq; Papa neq; Concilium in his legum positione & mutatione, quæ familiæ Christianæ necessariæ sunt, vt potè quòd Spiritu sancto reguntur, errare nõ poterunt Nunquàm scilicet permittetur diuinitùs Papa aut cunctas leges ieiuniorum tollere, aut legem confessionis in decennium prolatare: quia impẽdiò quàm maximè huiusmodi leges reipublicę referunt. Neq; rursus pręcipere permittetur, vt cùm primùm quisq; conscius sibi fuerit mortalis culpę ad aures sacerdotis confessurus aduolet: quia lex esset intolerabilis.

Argumentũ partis negatiuæ.

Prima assertio quæ partim satisfit dubitationi propositæ.

Probatio. præfatæ assertionis.

Secunda assertio.

Ratio.

Tertia assertio de potestate Ecclesiastica.

REspondere autem restat ad vtranq; argumentorum seriem. Ad primũ ergò prioris ordinis respondetur quòd lex naturalis, quæ participium quoddam æternæ legis est immobilis perseuerat: quia deriuatur ab illa per diuinam rationem, illam instituentem quę quidem diuina ratio etiam est immobilis. Lex autem humana deriuatur à naturali per rationem humanam trahentem genus ad speciẽ: Et quia ratio humana non omnia futura satis prospicit, exhac parte fit lex ipsa mutabilis. Accedit præterea quòd lex naturalis continet principia vniuersalia quæ abstrahunt à singularibus: leges autem humanę fundamẽtis nituntur particularibus, quę in actionibus contingentibus & caducis sita sunt. ¶ Et per hoc respondetur ad secundum quòd mensura debet esse immutabilis quatenùs fert natura materiæ: mensura autem mutabilium rerum solidiorem non suffert perpetuitatem. ¶ Ad tertiũ eodem ferè modo respondetur, quòd rectitudo in quantitatibus corporeis non dicitur respectiuè in ordine ad aliam, sed est in se absolutè recta, quia eius extrema non exeunt à medio: rectitudo autem humanę legis non est absoluta, sed sumitur in ordine ad commune bonũ, cui non semper res eandem habent proportionem. Quo circà illis mutatis mutatur rectitudo & iustitia legis. ¶ Authoritas autem iuris. 12. distin. solùm admonet in fauorem secundæ conclusionis, ridiculum esse contra causam vrgentissimam patrum sanctiones infringere: secùs dum causa adest legitima. ¶ Nihilo minùs & reliqua in contrarium argumenta temperanda sunt & eneruanda quatenùs cum secunda conclusione pugnant. Ad primum ideò considerati simè respondet S. Thom. aliud esse artium ingenium, aliud verò legum. Artes enim ex sola ratione vigorem habent & efficaciã, & ideò quotiescunque melius quippiam intellectui occurrerit, mutari debent: nam nullum est periculum quin mutẽtur in meliùs: eò quòd totum negotium in intellectu contineatur. Leges autem vim maximã obtinent ex consuetudine, vt Philosophus. 2. Politicor. ait. adeò vt diuturna consuetudo (vt. ff. de legibus Vlpian. ait) pro iure sit habenda. Ob idq; non tantùm perpendendum est in mutatione legis illud bonum quod noua affert: verũ & detrimentũ quod veteris cõsuetudo patitur. Reliqua verò duo cum Augustini sententia id tantùm comprobant quòd leges mutare liceat: non id tamen quòd quacunque de causa, etiam si aliquo pacto congruentiùs quippiam suadeat.

Ad primũ argumentũ eorum quæ priori ordine iactata sunt.

Ad secũdũ argumentũ

Ad tertiũ argumẽtũ.

Ad postremum argumentum.

Ad argumenta posteriori ordinis.

Ad primũ S. Thomæ.

Aristotelis.

Facilis solutio cæterorũ argumentorum.

AR-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm consuetudo vim legis obtinere valeat.

NON est impertinens sermoni de mutatione legum articulum intexere de consuetudine, per quam & mutari solent. Quæritur ergò, vtrùm cõsuetudo vim queat obtinere legis. Existunt enim à parte negatiua argumenta. Primum: lex humana ab æterna per naturalem deriuatur: cõtra illas autem nulla prævalere potest consuetudo: ergò neque vlla valet humanas mutare.

Argum. 1. à parte negatiua.

Argumẽ. 2 D. Thomas

¶ Secundò egregiè arguit D. Tho. Ex multiplicatis malis nullum conflari potest bonũ: imò malũ, quo multiplicatius, eo peius: qui autem primò contra legem agere incipit, malè facit: ergò similibus aceruatis actibus nihil boni confici potest: lex autem, cùm regula sit nostrarum actionum, egregium bonum est: nulla ergò consuetudo migrare in legis naturam potest.

Argum. 3.

¶ Tertio: Leges condere munus est solius publicæ potestatis: consuetudo autem priuatis ciuiũ actibus inualescit nulla ergò cõsuetudo authoritatem legis abrogare potest.

Augustin⁹

¶ In contrarium autem est Augustin. in epist. ad Casulanum: vbi ait: Mos populi Dei & instituta maiorũ pro lege sunt tenenda: & sicut prævaricatores legum diuinarum, ità & contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.

Satisfit quæstioni vnica conclusione trimembri.

QVæstioni præsenti vnica: sed tamen trimembri conclusione fit satis. Conclusio autem est: Consuetudo trina virtute pollet: videlicet vt & antiquam legem, tum interpretetur, tum etiã immutet, ac subinde vim obtineat nouæ, Probatur. Ratio voluntasq; legislatoris promulgata nõ solùm interpres legis est, verùm & veteris abrogatio, & nouę constitutio: eiusmodi autem rationis voluntatisq; promulgatio, non solùm verbo, verùm & facto fieri consueuit: nam quod quis opere foris præstat, intus mente probare censetur: quando autem princeps quos subditos cohibere potest, identidem longoq; temporis interuallo operari sinit, permissu illo rationem suam & voluntatem aperit: ergò si cuti verbali promulgatione edictum ponit, sic & eiusmodi permissione ciuium consuetudinem pro lege ducit: quæ subinde aut vetustæ interpres sit, vel certè abolitio.

Probatio.

¶ Ad pleniorem autem rei intellectum nosse operæprecium erit quid nomini consuetudinis supponatur. Subobscurus enim apparet Isidorus lib. 5. Etymolog. qui refertur in Decretis dist. 1. vbi ait: Mos est longa cõsuetudo de moribus tantùm tracta. Videtur quippe in definitione repetitionis vitium committere, Mos de moribus. Notato ergò vocem, mos, trifariã vsurpari, Accipitur enim primò pro singulari humano actu, puta libero: actiones enim brutorum, nisi per metaphoram, mores non dicuntur. Et ab hac acceptione dicitur philosophia moralis, id est, humanorum actuum. Secundò accipitur pro habitu ex frequentia similium actuum genito: quemadmodùm dicimus hominem benè aut malè morigeratum. Et istæ acceptiones ad rem non faciunt. Tertiò ergò accipitur vt idem sit quod cõsuetudo: & hoc modo nihil aliud est quàm frequentia longi temporis similiũ actuũ in aliqua republica: puta vel in regno vel in vrbe aut in collegio. Nihil ergò ineptè dixit Isidô. Dicens enim morem esse consuetudinem de moribus tractam, priori loco accepit tertio modo: posteriori verò, primo. Consuetudo ergò rationi cõsona atq; à principe concessa, vim habet legis. Quin verò eo tantùm à lege differt, quòd lex scripto traditur: consuetudo verò, vsu. Sic enim ait Isidô. Lex est constitutio scripta: mos autem longa cõsuetudo. Et subdit: Consuetudo autem est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege accipitur vbi deficit lex. Et lege, diu turna. ff. de legib. consuetudo pro iure & lege in his quæ non ex scripto descendunt, ob seruari solet. Atq; inferiùs Paulus Iurisc. cõsul. Imò magnæ authoritatis, inquit, hoc ius habetur, quod in tantùm probatum est, vt nõ fuerit opùs scripto comprehendere. ¶ Hoc ergò memoriæ commendandum est, quod consuetudo de se ipsa vim legis nõ habet, sed quatenùs à principis cõsensu dimânat. Itaq; vt Aristot. Platonisve aut alius philosophi, quin verò omnium Iurisconsultorum saluberrimæ essent sententiæ, nunquàm vim legis haberent nisi consensu principis stabilirentur: sic neq; cõsuetudo eandem aliter obtineret virtutem. Exempli gratia, nunquàm Baldi opinio quòd pro triplici furto suspenderetur fur obtinere potuit vim legis, nisi princeps illam scripto sanciret, vel per consuetudinẽ approbaret. Qua propter vbi lex exprimeret, nullam consuetudinem contra legem valituram, decretum hoc consuetudi-

quid veniat nomine consuetudinis. Isidorus.

moris nomẽ trifariam vsurpatur.

Prima acceptio.

Secunda.

Tertia.

Isidorus.

Quid interfit inter mo rẽ & cõsuetudinem.

doctrina memoriæ commendanda.

nem

nem irritat,vt per illam lex nunquàm abrogetur:quia tunc consuetudo nihil operatur. eo quod nunquam indicium est talis voluntatis principis. Tametsi tam lõga potest esse in contrarium, maximè in sæculo aliorum principium,vt decretum etiam illud irritans euincat.Sed est præterea animaduertendum quòd consuetudo nõ solùm obligat tanquã signum promulgationis legis nouæ: verùm aliquãdo est signum ac testimonium quòd olim talis extiterit lex: licèt nõ reperiat scripta. ¶Quàm verò longum tẽpus consuetudine spectãdum sit,antequàm vim obtineat legis, non est iure certum. In aliquibus(vt aiunt) duo actus sufficiunt,in aliquibus tres *Regula.* in aliquibus decem.Sed rẽ vera nulla esse potest cordatior regula,quàm quæ.c.cùm tanto.de consue.statuta est:vbi habetur q̃ nunquàm consuetudo positiuo iuri præiudiciũ generare debet,nisi fuerit rationabilis & legi timè præscripta. Vbi in verbo, rationabilis, animaduertendũ est quòd ad hoc vt robur nanciscatur legis, habere debet conditiones bonæ legis,suprà constitutas.Et secundo, in verbo,præscripta,cõsiderandum quòd tunc cõsuetudo vim adipiscitur legis quando cõmuni hominum iudicio & arbitratu peccatum esset facere contra illam. ¶Qua propter *Sana admonitio.* admonere hic non præteribo quãtum creetur periculi dum in aliqua republica semel aut bis quippiam permittitur . Enimuerò ad id persuadendum quod nouum petitur, in causam adducitur, quòd vnus actus nihil nocere potest: postea verò similitudine illius alter persuadetur,ac subinde consuetudo vires nanciscitur.Idem exiſlit periculum inter viros potentes.Vt si semel Vasalli vrbanitatis ac beneuolẽtiæ gratia domino ac patrono suo munuscula obtulerint, statim vrbanitas in consuetudinem rapitur, & gratia *Quæstio.* in ius debitum.¶Sed nunquid quæcunque *Ratio.* inueterata cõsuetudo legem abrogat. Ratio enim id videtur persuadere.Nam dum Princeps dissimulat, suam existimatur interpretari voluntatem.Respondetur nihilo minùs *Solutio.* minimè sic esse. Imo quandiu vsus contra legem non aliunde quàm ex negligentia principis oritur, aut ex eo quòd potens non est ad sumendam de malefactoribus vindictam nunquàm contra legem præscribit:sed tunc penitus quando & potens est abusum cohibere,& non ex vecordia,sed oculata dissimulatione illũ permittit. Neq; verò antequàm longæuus mos authoritatẽ nanciscatur: nam cùm lex prudentia & iudicio condi debeat iudicium autem tempus requirat,fit vt consuetudo breui tempore nõ vsq; ad vigorem legis irroboresçat.Hac enim fortasse ratione inoleuit mos in Gallijs vescendi carnibus in *Gallorum mos.* Sabbathis inter Natale Domini & Purificationem Virginis:& in Hispaniis animalium intestinis.Quãdo autem dicimus dissimulationem Prælati in causa esse vt consuetudo lex fiat,intelligitur de illo Prælato qui est legislator:nam etsi Prætor in vrbe, vel prælatus conuentus,aut prouinciæ dissimulent legum transgressiones, eiusmodi consuetudo nunquàm vires legis consequitur: quia non est signum voluntatis supremi Prælati, qui est legislator. ¶Vtrùm autẽ quicunq; vsus in consuetudinem versus obligatoriam legem constituat,ambigere quisq; posset. Solet enim vsu venire vt homines pietatis gratia incipiant, vel diem festum colere,vel ieiunium seruare: non quidem tanquam de præcepto sed ex animi pietate,&(vt aiũt) ex deuotione: vt si modò in aliqua prouincia inciperent feria quarta à carnibus abstinere, vtrùm propterea postea præceptum esset? *Alia quæs.* Respondetur perpendendum esse quomodò talis religio fuerit seruata, Si enim tantũ ex deuotione libera, nũquàm illud vertitur in præceptum:nisi postea religio crebrescere incipiat tanquàm præceptũ. Suspicio enim me semper tenuit,morem soluendi statis horis officium Dominæ nostræ in initio non habuisse vim præcepti, neq; illam vim obtinuisse ante quadringentos hinc annos.Alioqui in ordine nostro noneſſet nobis iussum surgentes in dormitorio illud soluere. Verũtamẽ postea adeò religio inualuit, vt vix iam sit qui audeat negare præceptum. *Solutio.*

AD primum igitur argumentorũ frontis quæstionis respõdetur longè esse aliam rationem legum naturalium ac diuinarum quàm sit humanarum.Illæ enim à voluntate diuina statutæ sunt, cui nulla humana voluntas neq; consuetudo obsistere valet.Imò verò quanto consuetudo contra diuinam legem & naturalem fuerit inueteratior, tanto grauioris est causa peccati: tantum abest vt consuetudo quippiam vigoris detrahat illis legibus. ¶Ad secundum autem respõdetur. Quòd cùm,vt sæpè dictum est, leges humanæ in aliquibus casibus deficiant,potest cõsuetudo cõtra legẽ per actus licitos inchoari:qui quidem frequentati actus vim obtinebunt *Ad primũ argumentũ* *Ad secũdũ argumentũ*

bunt legis: eò quòd per illos ostenditur legem antiquam fuisse inutilem. Quandiu verò ratio legis durauerit nequibit eam vlla cõ suetudo super are: quia consuetudo tunc nõ erit rationabilis: sed lex potiùs erit semper victrix: nisi forsan consuetudo ostenderit legem, licèt non inutilem, tamen non conformem naturæ patriæ: hoc enim etiam sufficiet ad ipsam abolendam. ¶ At verò S. Tho. videtur curtè respõdisse. Docuit enim quem admodum consuetudo posit per actus licitos in choari, non tamen respondit, quid si inchoetur per illicitos. Caietañ. respondet quòd etiam dum per illicitos incipit, potest temporis lapsu authoritatem obtinere. Arbitror autem operępretiũ distinguere. Nam quantum ad hunc effectum, vt lex pristina antiquetur, consuetudo etiam illa quæ illicitum habuit ortum, potest, licèt nõ apud eosdem homines, tamen apud posteros vim obtinere. Cœperunt inquam (vt exempli gratia dixerim) antecessores nostri prauè agere contra aliquam legem, nos autem in nostro sæculo inuenimus cõsuetudine abrogatam: non tenemur scrutari de consuetudine illa, qualia habuerit initia, sed liberi sumus ab eadem lege. At verò quãtum ad alterum effectum, qui est obligare, consuetudo non sortietur vim legis quandiu peractus illicitos increbuerit, ob rationem iam supradictam: quia lex debet esse æqua & iusta. ¶ Ad tertium respondetur quod multitudo priuatorum hominum introducentium consuetudinem, duplicis conditionis esse potest. Aut enim liberam constituunt rempublicã, quæ seipsam sine principe gubernat: & tunc mos populi erit constitutio legis. Si tamen sub rege aut alio principe degat, tunc (vt dictum est) consuetudo non per se est lex, sed quatenùs interpretatio est voluntatis principis.

D. Thomas

Caietanus.

Censura authoris.

Distinctio.

Ad tertiũ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm rectores multitudinis in legibus dispensare possint.

POstquã in calce superioris quęstionis difinitum est, non licêre subditis nisi in repentino periculo epieikeia vti: videre nũc restat vtrùm saltem gubernatores multitudinis dispensare possint in lege illis casibus quibus iudicauerint expedire. Et arguitur à parte negatiua. Lex (vt suprà ex Isidôro monstratum est) fertur pro bono communi: bonum autem commune non est pro priuato intermittendum: siquidem (vt Philosophus. 1. Ethicor. author est) bonum gentis diuinius est quàm bonũ vnius hominis: ergò non licèt cum aliquo dispensare vt contre legem faciat. ¶ Secundò, Deuter. 1. præfectis hoc ponitur documentum: Ità paruum audietis vt magnum: neque accipietes cuiusquam personam: quia Dei iudicium est, alicui autem id indulgere quod toti reipublicę denegatur, acceptio est personarum: ergò id minimè licèt. ¶ Tertiò, in legem diuinam & naturalem nulla cadit dispensatio: lex autẽ humana debet illis esse conformis, vt potè quę ab illis deriuatur: ergò neq; in ipsa cadit ¶ In contrarium ait Apostolus. 1. ad Corin. 9 Dispensatio mihi credita est.

Primum argumentum. partis negatiuæ.

Aristot.

Argumẽ. 2

Argum. 3

Paulus.

AD quæstionis intelligentiam notandum cum sancto Tho. quòd dispensatio propriè importat commensurationem alicuius communis ad singula: hac enim ratione paterfamiliâs dispẽsator dicitur, quòd vnicuiq; pondere quodam & mensura tum operas imperat, tum & necessaria ex communi penu distribuit. Pari ergò modo ille in republica dicitur dispensator, cui incumbit ordine & ratione disponere qualiter communis lex sit à singulis obseruanda. ¶ Duabus ergò conclusionibus ad quæstionem respõdetur. Prior est. Ille cui regimen incumbit multitudinis potestatẽ habet dispensandi super lege humana in casibus certis & cum certis personis. Conclusio ex illo principio sæpe anteà resumpto colligitur: lex enim humana quia in communi posita est comprehendere non põt causas omnes singulares: obidq; vsu venire potest, vt quæ in communi ac plurimũ congruens est, in persona certa & casu deficiat: quippe quòd eius obseruãtia vel obstaculum sit meliori bono, vel alicuius mali occasio. Quamobrem cùm ille qui curam reipublicæ gerit vniuscuiusq; saluti debeat consulere, efficax ratio præcipit vt facultatem tunc faciat tali personæ faciendi contra legẽ ¶ Secunda conclusio, Quando causa nõ occurrerit rationi consentanea atq; in bonum commune relata, tunc Prælatum pro suo libito dispensare, peccatum est, aut infidelitatis aut imprudẽtię. Infidelitatis inquã, dum bono communi nõ prospicit, sed suo aut alterius priuatæ personæ: imprudentiæ autẽ si ze-

S. Thomas.

Prima conclusio.

Suadetur conclusio.

Secunda Cõclusio.

si zelum quo affectus est boni publici, prudentia non exornat, nè antequàm exploratam habeat perspectamq; causam contra legem dispẽset. Quam ob rẽ Christus redemptor noster, vt Lucę.12. scriptum est, difficile arbitrabatur vt ambę virtutes in dispensatore coniungerentur. Aiebat enim: Quis putas est fidelis dispensator & prudens quem constituit dominus super familiã suam? ¶Quò hęc autem lucidiora fiant, nonnulla hic sunt

Quorũdam fallacia confundẽtium epieikeiam cum dispensatione.

consideranda. Insinuat se enim hic primùm omnium fallacia quæ nonnullos deuincit. Nempe idem esse dispensationem, quod est epieikeia: eò q̃ dispensator nihil eis aliud videtur efficere, quàm legẽ in tali casu ex æquo & bono interpretari. At verò secùs res habet Differunt enim significato quatuor hæc respectu legis: Irritare, abrogare, epieikeia interpretari, & dispensare. Irritare enim est legem aut votum impedire & cassare, nè robur obtineat obligãdi. Vt si legem à ciuibus constitutam Rex non probaret, neq; confirmaret, sed cassaret. Quemadmodùm & pater potest votum filij irritare: super quo, si solidum esset, dispensare non posset. Legem verò abrogare, est postquàm vim habet, in totum tollere. Quanuis si vsq; ad præfinitum duntaxat tempus posita erat, tunc non tam propriè dicitur tolli, quàm impleri. Quo vtique inter alios sensu ait Christus: Non veni legẽ soluere, sed adimplere. Interpretari autem per epieikeiam est ipsam declarare, in tali casu locum non habere. At verò dispensare est quempiam subditorum à lege excipere: concessa illi licentia & facultate sine qua legi esset obnoxius. Patet ergo discrimen q̃ epieikeia nõ est subditum per licentiam eximere casu quo teneretur, sed explicare quod in illo casu non tenebatur: dispensatio autem est licentiam cõcedere. Quare epieikeia non solùm Prælatis, verùm subditis (vt dictũ est) competit: dispensatio verò tantùm Prælatis. ¶Sed arguis contra: si Prælatus non potest sine causa dispensare, fit vt dispensatio nihil aliud sit quàm declaratio causæ ob quam ratio legis in tali casu deficit. Negatur consequentia. Nam etsi ratio legis in hac persona deficiat, non ideò protinùs à vinculo legis enodatur. Aliud enim est quòd obseruatio humanæ legis rationi sit contraria, vbi epieikeia locum habet: aliud verò quod ratio legis in hac persona deficiat, vbi nihilo minùs necessaria est dispensatio. Exempla sunto. Si carnes die vetita non comedere causa mihi esset vt fame perirem, possum epieikeia vsus comedere: tamen licèt ego castigatione carnis non indigerem. ob quam ieiunium indictũ est, imò abstinentia & inedia aliquod mihi esset impedimentum studij, non ideò liber à lege fio, sed est causa vt mecum Prælatus dispenset: non quidem interpretando quòd tunc me lex non comprehendit, sed etiam si me comprehendat, præbendo mihi gratia maioris commodi licentiam, vt non sit mihi culpa nõ ieiunare. Item dum vetaret lex ignobiles homines & infames equos ascendere, si occurreret eorum cuipiam casus, vt nisi se equo eriperet, in manus hostium incideret, tunc epieikeia eum docet lege se illo casu non obligari. At verò etsi contingeret quempiam illius classis hominem vtilem esse bello, non subinde equo liceret vti, sed tamẽ ratio dispensationis emergeret. Et pari modo loquendum est de voto. ¶Ex quo fit quòd dispensare non solùm est mutare vnam obligationem in aliam, sed potest etiam fieri per remissionem ac relaxationem, saltem in parte. Alioqui nõ esset dispensatio, sed mera cõmutatio. Vouisti difficilem peregrinationem Hierosolimitanã: occurrit autẽ causa publica Ecclesię in cuius subsidium eleemosynis opùs est: potest illud votum Papa in aliquam pecuniam commutare, etiam minorem quàm essent itineris expensæ. ¶At verò sciscitaris fortè vtrùm penes solum Principem & Legislatorem situm sit dispensandi munus. Et enim hoc argumentum à parte affirmatiua, quòd dispẽsatio legis, est quædam particularis eius abrogatio: abrogare autem legem eiusdem est functio cuius est condere. Respondetur nihilo minùs eiusmodi potestatem in leges, licèt plenaria ad solũ legislatorem pertineat, nihilo minùs: vt præfata ratio persuadet, in casibus nõnullis penes inferiores quoq; gubernatores sitã esse. Primũ potestate à superiore delegata: quã vel iura inferioribus cõcedunt, vel consuetudo interpretatur. Vt dispẽsare in voto simplici, tribus exceptis. Mox facultate ordinaria, tam in suis propriis legibus quàm etiam in legibus superioris. Potest inquam, Episcopus in legibus Papæ dispensare, vel iuris concessione, vel consuetudine. Præterea in triplici rerum ordine. Nempè si vel materia leuis est, vel frequens casus, vel lex proprium bonum suæ ciuitatis vel diœcesis respicit. Sententia est Caietañ. 1.2. quæst. 97. articu. 4. quam suo sale conditam credo

Quid irritatio.

Quid abrogatio.

Quid legis interpretatio.

Quid dispẽsatio.

Obiectio.

Solutio.

Corollariũ.

Quæstio.

Argumen.

Responsio.

Caietanus.

credo esse veram. Nam & hac de causa Di. Thom. non interrogauit stricte, an princeps & legislator, sed latius, an rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare. Rectores enim non solum principes sunt verùm & qui ad gubernaculum cuiusq; multitudinis sedent. Leuia autem censentur illa, quæ non præcepto propriè dicto obligante ad mortale, sed statuto posita sunt. Qua ratione Prælati nostri etiam Priores cõuentuales dispẽsare possunt in esu carniũ, in induẽdis lineis, & in id genus cæteris. Frequentia deinde casuum causa est vt possit Episcopus dispensare. Vt in ieiunijs: licèt sit lex superioris: quoniam grauissimum esset onus quoties quis dispẽsatione ieiunij egeret, adire Papam. Hocautem sic temperarem, quòd possit Episcopus in diem aut in breue tempus cũ assistente causa, super eiusmodi legibus dispensare: tamen pro vita tota, nescio. Et eadem ratione si alter coniugum per incestum cum alterius consanguinea, inhabilis ad exigendum coniugale debitum fiat. Atque tunc præsertim dum vel ob personæ pauperiem vel alia de causa non pateret, ad Vrbem accessus. Secùs si impedimẽtum antecederet matrimonium quod subinde contrahendum impediret: in quo solus Papa dispensare potest. Præterea, si peculiaris lex vrbis extat nè vel vinum vel frumentum extrinsecus aduehatur, vt proprij vrbis fructus dispendantur, posset credo Prætor dispensare: secùs tamen Episcopus in matrimonijs & ordinibus ad bonum publicum pertinentibus. ¶Causas verò quibus dispensator adduci ad dispensandum debet, explicant sancta Decret. 1. quæst. 7. per totum: scilicet tempus, vtilitas, persona, qualitas. In summa quò cunctas complectaris, dispensatio fieri non debet nisi in commune bonum cedat, pro quo lex omnis constituitur. Nam quantum periculi reipublicæ inde confletur, vnde legum dispensatio, aliis priuatis respectibus & silendis causis fieri cœperit, locus in quo Ecclesia Dei iacet apertissimo documẽto est. Nam si leges nihil aliud emolumenti in rempublicam conferant, quàm quòd sint principi fructuosæ, pernicies sunt potiùs & labefactatio boni publici. Fit enim inde vt soli pauperes legibus coerceantur: sed qui illis indigent, subijciantur nulli. Absit ergò (quod anteà diximus) leges in hoc condi, vt sint legislatori peculium. Sed cùm primùm ratio ob quam latæ sunt, cessauerit, abrogandæ sunt nè à ciuibus sit precio dispensatio redimenda. ¶At si perconteris vtrùm causa sit dispẽsandi satis idonea, quòd qui votum fecit nequit illud sine graui difficultate & molestia implere: hæc enim est quæ frequentiùs obtendi consueuit. Respondetur quòd si difficultas, in re ipsa sit: quia scilicet quis inconsulta prudentia nec re satis perpensa, longum ieiunium in pane & aqua vouit, aut pedestrem peregrinationem, suis cruribus imparem, temeritas illa causa est dispensandi. At verò dum difficultas non ex rei natura, sed ex prauo habitu vouentis proficiscitur, cum difficultas ipsa abstinendi ab iniqua consuetudine causa fuerit vouendi, non est eadem in causam dispensationis reuocanda. Si verò postquàm votum (vt exempli causa dicamus) aut Hierosolymitanæ peregrinationis aut etiam religionis emisisti, perpetuus tibi accidit morbus, aut debilitas, quæ tibi impedimento sit iuris, absolutus à voto es. At verò de voti dispensatione peculiaris nobis institutus est octauus liber. ¶Postremum ergò dubium restat, vtrùm ille cùm quo sine causa dispensatur, tutus in conscientia maneat. Respondent Iurisconsulti, vt ex Innocentio colligitur in cap. Cùm ad monasterium. de statut. mona. Et ex Panorm. in cap. non est voti. de voto. quòd si Pontifice Summo inferiorsine causa dispensat, dispensatio non tenet: quia sub hoc limite illis concessa est dispensandi facultas. Si verò Papa dispenset, tunc distinguendum est: nam in his quæ de iure diuino pendẽt, quale est votum & iuramentum si absque causa dispenset, dispensatio non tenet. Secùs in his quæ sunt meri iuris positiui, qui à suo prorsus arbitrio pẽdent. Et quidem prior distinctio forsan nõ tanta veritate pollet: nam in leges quæ à sua merè pendent ordinaria potestate, non est cur Episcopus nõ fungatur facultate qua Papa in suas. Posterior vero distinctio impendiò quàm maximè probabilis est. Et ideo in his quæ pendent de iure diuino non solùm dispensans peccat, verùm & formidanda dispensatio est. veluti cassa & nullius apud Deum valoris. Qua propter dum in pluralitate beneficiorum dispẽsatur, & dum infans aut puer curam permittitur gerere animarum, & laicus monachis in Abbatem præficitur, & soleniter professus (vti Panor. infert) ad laxiorem ordinem, illum præsertim qui tantùm habet ordinis nomen, reuocatur: verendum

D. Thomas.

Temperatio superioris assertionis.

Causæ dispẽsationis legitimæ.

Dubitatio.

Dissolutio.

S. Thomas. Postremum dubium.

Solutio Iurisconsultorũ.

Innocentius Panormitanus.

Refelluntur præfati authores.

Probatur posterior distinctio Iurisconsultorum.

est ratum non esse & validum apud Deum. Quocirca tam qui eiusmodi dispensationes alijs procurant: quàm ipsi qui petunt graui ter delinquunt. Imò etiam si dispensatio sine causa teneret, non solùm dispensare, verùm & petere & procurare peccatum est graue. In his autem quæ meri sunt positiui iuris dispensatio sine causa à peccato non excusatur, veruntamen dispensatio tenet. Tametsi Caietañ. loco citato & in sua Summa, verbo, dispensatio, neque in his pacatas censet eorum conscientias: cùm quibus sine causa dispensatur. Et ratio eius est, quod licèt tollatur ius positiuum, supereſt nihilo minùs legis naturalis vis, quæ est nè quis absque causa reipublicæ se oneribus subducat. Hoc autem nondum equidem mecũ constitui quãtum valeat. Enimuerò si exoneratio mea oneratio esset aliorum, vt cùm quis priuilegiũ procurat quo se tributis soluendis absq; causa subtrahat, vnde aliorum vergit aggrauatio, peccatum esset mortale. In ieiunijs autem non est tam planum: nisi vbi exemptus scandalum daret. Illo autem cessante forsan culpa non esset peior quàm venialis.

Caietanus.

Nõ satis certa Caietani sententia.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur argumẽtum iam respõsum est quòd nihil dispensatio cum priuata persona legi obstat: etiam si ꝓ bono cõmuni sit lata: quia talis dispensatio fieri non debet: vt bono communi noceat, imò vt in eius augmentum cedat. ¶ Ad secundum verò respondetur quòd nulla est acceptio personarum, licèt nõ semper æqualia personis inæqualibus imperentur. Imò verò nihil iniquius æqualitate, vbi personæ non sunt æquales. ¶ Ad tertium iam suprà responsum est de legum mutatione. Lex em naturalis quantum ad præcepta communia & generalia nullam potest habere fallentiam: & ideò indispensabilia sunt: in conclusiones autem naturales epieikeia vim habet: cuius vtiq; virtute qui in depositio arma custodit furibundo domino non confert. Dispensare autem in eisdem soli Deo competit qui antiquitùs dispensauit, vt plures vnus matrimonio sibi coniungeret. In legibus autem diuinis positiuis quæ non sunt de iure naturæ ipse quoque dispensare potest, vel cui ipse specialiter commiserit. Specialiter inquam, quia Papa, licèt sit Christi vicarius potestate ordinaria non potest super iure diuino dispẽsare. Apostoli verò speciali ipsius commissione dispensarunt in forma baptismi vt fieret in nomine eius. Et Actuum. 15. tolerarunt, vt Christiani abstinerent à suffocato & sanguine: cùm ritus illos iure diuino Christus abrogasset: qui salus est & redemptio nostra, benedictus in sæcula.

Ad secundum argumentum.

Ad tertium argumentum.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE IVSTITIA ET IVRE.

LIBER SECVNDVS
De Iustitia & Iure.

PROOEMIVM.

ARgumentum hoc quod de legibus instituimus, non modò q̃ non potest non esse prolixum, verùm quòd hac ratiõe erit distinctius, in duos libros distribuẽdum duximus. Igitur cùm in primo de lege naturali & humana, ab æterna deriuatis, per quas homo ad finem naturalem ordinatur satis disputatum pro captu nostro à nobis fuerit, sequitur vt in hoc secundo de lege diuina disseramus, per quam ad supernã fœlicitatem promouemur. Nam quãuis materiam hanc, potissimùm legis veteris, Diuus Thom. peregregiè, vt pleraq; solet omnia, locupletauerit, non tamen erit omninò superuacanea, si Deus dederit, opera nostra.

Materia secũdi libri.

QVAESTIO PRIma, De lege veteri.

Sanct. Thom. 1. 2. quæstio. 98.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm præter naturalem legem & humanam quæ ab æterna deriuantur, fuerit diuina hominibus necessaria.

PRIMO ergo quæritur in genere vtrũ necessaria fuerit hominibus lex aliqua diuina supnaturalis. Hãc enim quæstionẽ. D. Tho. q. 91. disputauit, nos tamen in hũc locum, vbi de lege diuina initium dicendi facimus, reposuimus. Arguitur ergo à parte negatiua. Lex naturalis est quædam, vt dictum est, æternæ participatio: lex autem æterna est diuina: ergo præter naturalem nõ opùs erat alia diuina. ¶ Secũdò: Deus, vt Eccle. 15. legitur, Dimisit hominem in manu consilij sui quod est rationis actus: ergo non opùs habuit lege quæ ratione sua esset superior, sed satis humanis gubernari poterat, quæ per rationem constituuntur.

S. Thomas.

Primũ argumentum partis negatiuæ.

Argum. 2.

Eò præsertim quòd humana natura, cùm sit irrationabilibus præstantior, sufficientior sibi est quàm brutis sua: irrationales autẽ creaturæ præter naturalem sibi inditam nõ indigent altiori lege: ergo neq; homines. ¶ Tertiò arguitur. Esto diuina lex opùs nobis fuerit, abundabat tamen vna: tum quòd regnũ cœlorum vnum est, ac regis vnius, secundũ illud Psal. Rex omnis terræ Deus: & intentio legis vna: vult enim per eam Deus (vt ait 1. ad Timoth. 2. Apostolus) omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Atq; obid maximè quòd lex naturalis ab æterna descendens, vna est: ac perinde diuina, quo propinquior est æternæ deberet esse magis vna. ¶ In contrarium est postulatio illa Dauidica: Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum. Vbi indignitatem humanam designauit, quæ cùm naturali lege sibi non sufficiat altiorem exoptat. Sed & quòd fuerit bipertita ait Heb. 7. Pau. Translato sacerdotio, necesse est vt legis trãslatio fiat.

Cõfirmatio

Argum. 3.

Paulus.

Psal. 118.

Paulus.

AD intelligentiam quęstionis ex superioribus recolendũ est, quẽadmodùm diuina lex, duplex dignoscatur, videlicet æterna & positiua. Aeterna emẽ est sua ipsius essentia: quæ fons est abyssusq; luminũ, vnde omnis scientia, lexq; promãnat: diuina verò positiua, est illius participatio, nobis porrò data, inq; nostris cordibus, vti ait ad Corint. Paulus, scripta. Et de hac instituitur præsens quæstio. ¶ Ad quam duabus respõdetur conclusionibus. Prior est. Præter naturalem legem & humanam necessarium fuit vt altior alia nobis poneretur (vt ait Dauid) quæ ideò dicitur positiua: & significantiùs diceretur posita. Hanc conclusionẽ quatuor rationibus fundauit. S. Tho. quas ex illo Dauidico oraculo luculenter elicuit in Psal. 18. Lex Domini immaculata: cõuertẽs animas: Testimonium Dñi fidele: sapientiã præstans paruulis. Prima enim ratio sumitur ab hoĩs fine. Enimuerò si nostra natura altiꝰ nõ fuisset sublimata q̃ ad finẽ naturalem: qui eius nõ exuperat vires, neq; sublimiori alia ĩdigeret speculatiua cognitione, neq; lege: attamẽ cum eo

Partitio diuinæ legis.

Prima conclusio.

D. Thomas

Prĩa ratio.

cum eo quòd nos Deus ad suam imaginem creauit,atq; adeò capaces suiipsius per eius visionem fecit:quem scopum nostrisviribus contingere nequimus,necessaria nobis fuit, primùm in intellectu speculatiuo fidei cognitio,quæ scopum nobis illum,sperandaq; bona(vt ait Pau.)ostenderet,quò nostra est dirigenda vita:sicuti sagittario necesse est signum intueri,quod ferire parat: mox & in intellectu practico lex quoq; naturali excelsior,quę nobis esset officiorum regula quibus eandem fœlicitatem adipisceremur. Ac perinde in volũtate specialius singulariusq; auxilium,quàm quo rerum natura gubernatur,per quod affectus nostros illuc valeremus referre ac promouere. Atque hanc intentionem tetigit Psal. membro illo postremo,Sapientiam præstans paruulis. Homo siquidem in sua existimatus natura, pusillus est,atque imbecillior quàm vt possit me tam illam pertingere, nisi supernè suffecta nobis esset supranaturalis sapientia. ¶ Secunda conclusionis ratio sumitur ex necessitate informandi humana iudicia. Enimuerò cùm actiones nostræ circa singularia contingentia versentur, quæ lubrica fallentiaq; sunt, ac subinde diuersis ingenijs varia iudicia progignunt,inde nascitur legum humanarum diuersitas apud diuersas nationes: vt aliud fuerit Athenienſium ius,aliud Romanorum,atque aliud Hispanorum sit,& Gallorum aliud. Igitur necesse fuit vt diuinitùs nobis illucesceret lex,quæ fidissima esset certissimaq; norma ad quam omnes humanæ exigerentur & collimarẽtur. Et per quã scire homo certò posset quid sibi cõgruens esset, quid verò nocens. Talis enim est decalogus, in tabulis à Deo insculptus, ac Euangelium in nostris impressum mentibus. Atque hac de causa Dauid appellauit legem testimonium fidele. Etenim humana lex,nulla existit vsq; adeò certa & stabilis. ¶ Tertiò, eadem lex fuit nobis necessaria propter absolutam nostram iustitiam. Hæc enim nõ tam in externis officijs posita est,quàm intus in animo. Nã ex corde,vti ait Christus,exeunt cogitationes prauæ,atque inde opera, puta adulteria, homicidia. &c. homines autem, quia alienorum cordium latebras nequeũt inspectas habere, non valent suis legibus internos actus repurgare. Necesse ergo fuit lex Dei,quæ non solùm manum,verùm & animum prohiberet,vt potè quæ non furtum tantùm atque adulterium, verùm & istorum concupiscentiam compesceret. Et hoc significatur illo secundo membro Dauidicæ sententiæ, conuertens animas: nimirum quòd diuina lex,non modò operum prauitatem cohibet,verùm & penetralia cordium perpurgat. ¶ Quarta demum causa diuinæ legis fuit, quòd, vbi author est. 1. libro de libe. arbit. Augustinus leges humanæ nequeunt vitia cuncta, quanuis extera,cohibere: imò neq; debent. Nam si cuncta supplicijs coërcere satagerẽt, tum multa impedirent bona, tum & ciues in peiora truderent flagitia. Videlicet si omnia mendacia acri supplicio vindicarent, non esset qui loqui auderet:& si meretrices abigerent, ansam porrigerent ad peiora. Necessaria ergo fuit lex quæ ante Dei tribunal vniuersa vetaret: quippe quem vniuersa punire, nullum est periculum:sed equissima iustitia. Atqui hoc sonat primum eiusdem Psalmi verbum:Lex Domini immaculata: id est, neq; minimas turpitudinis sordes admittens, sed cunctas detergens. ¶ Posterior conclusio:Hanc diuinam legem in duas esse diuisam, quæ non prorsus duæ essent species: sed veluti imperfectum ac perfectum eiusdem speciei distarent,conuenientissimum fuit: ac diuina sapientia dignissimum. Ratio autem conclusionis, licèt sanct. Thom. eam missam fecerit,tamen & ex legis celsitudine,& ex hebetudine naturæ nostrę planè colligitur,Enim uerò cùm lex diuina, tan longè pusillitatem ingenij nostri exuperet, genusq; nostrum veluti per omnes ætates adoleuerit, non debuerunt tam alta mysteria humano generi pueritiam agenti concredi: nam illa tunc non caperet. Sed operæpretium fuit Prophetarum oraculis, futurorumq; figuris, ac demum ceremoniarum significationibus, quasi sub pædagogo imbui,donec illis assuetum ad iustam peruenirent ætatem quæ Deum factum hominem tam lõga expectatione optatum agnosceret, ac de Trinitatis arcanis prædicantem idoneè audiret, ac demum tanquàm olim sibi promissum, susciperet. Expediens ergo fuit vt vmbratilis illa lex veritatem nouæ antecederet. Atque hæc est Apostoli doctrina ad Galat. 3. Itaq; lex pædagog⁹ noster fuit in Christo. At vbi venit fides, iam non sumus sub pedagodo: omnes enim filij Dei estis per fidem. Et cap. 4. Cùm essemus paruuli sub elemẽtis huius mundi eramus seruientes: at vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suũ. &c.

Secunda cõclusio.

Tertia ratio

Matth. 15.

Quarta ratio. Augusti.

Vltima conclusio.

Ratio conclusionis

Paulus.

Hic autem ab imperfecto progressus ad perfectum ex triplici capite perpenditur. Nempè ex fine, quò lex ducit: ex iustitiæ ordine, quem constituit: & ex modo quo subditos cogit. Ex fine inquam, quòd illa bonum sensibile ac terrenum pro brauio proponebat. Sed de hoc discrimine luculentiùs quæstione proxima, arti. 3. ¶ Secunda distantia qua lex illa veluti puerorum ac seruorum pædagogia à nostra, Euangelio fruentium, elongabatur, est quòd illa non sicut nostra internã cordium iustitiã explicabat. Non quòd malas cupiditates non refrænasset: erat enim in Decalogo: Non concupisces rem proximi tui, non vxorem, &c. Verùm quòd Euangelium cogitationum prauitatem explicatiùs retundit: Qui viderit mulierem ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est. Et qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Obidq; ait: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. ¶ Tertium interuallum est in modo cogendi. Illa enim pœnarum potissimè metu, veluti pueros ac seruos vrgebat: nostra verò amore quo pectora nostra Christus infundit, nos allicit. At verò & de hoc pariter articulo citato. q. seq. commodior dabitur dicendi locus.

Ad primũ argumentũ AD primum ergo argumentum iam respõsum est quomodò hæc positiua Dei lex differat ab æterna, & qua ratione sit præter naturalẽ nobis necessaria. Nempè q̃ naturalis, quæ naturæ nostræ capacitatem non excedit, ordinet nos in finem naturalem, sed diuina per quam æterna altiori modo nobis participatur, euehit nos ad supernaturalem. ¶ Et pariter respondetur ad secundum, quòd licèt consilium, opus sit rationis, necesse tamen est supernaturali lege informari. Atq; in hoc præclariùs nobiscum & excellentiùs factum est quàm cum irrationabilibus animantibus. Nam illa ad naturalem duntaxat finem, qui humilis est, ordinem habẽt: quẽ etsi suis viribus adipiscantur, nihil egregium est. Nos verò ad supernaturalem fœlicitatem creati sumus: quod quidem ineffabile beneficium præ cunctis corporeis creaturis Deo debemus. Quô ideò per se natura nostra pertingere nequit. Sed tamen, cùm Aristotele authore, id quod per amicos possumus per nos ipsos quodammodò possimus, hoc quoq; hominis excellentia patescit, quòd sic est Deus paratissimus nobis suppetias ferre, vt nunquam nisi ob nostram culpam nobis desit. *Ad secũdũ argumẽtũ.*

¶ Tertium autem argumentum id præcisè probat quòd incongruens fuisset duas ab vno dimanare Deo leges, sic prorsus distinctas, vt sunt leges diuersarum gentium. Fuit nihilo minùs expediens ac decõrum vt vnus Deus ad eundem finem alia præcepta poneret imperfectis hominibus, quibus pueritiam quasi sub pædagogo conueniebat degere: alia verò ad ætatem iustã prouectis. Eò potissimũ quòd salus nostra, quę finis est legis, per Christum nobis erat obuentura, cui perinde competebat perfectam legem ponere. At nihilo minùs oportebat & per alteram mundum ad eius susceptionem (vt dictum est) præparari. Lex autem naturalis, quia vniuersalia continet præcepta, eademq; adeò cunctis mortalibus cuiuscunq; sint conditionis communia, nequit nisi vna esse. *Ad tertiu argumẽtũ.*

ARTICVLVS. II.

Vtrùm lex vetus fuerit bona.

QVONIAM eousq; solet humana natura labefactari, vt nõ defuerit Manichæorum caterua qui contra veterẽ legem ceu malam, à maloq; Deo cõditam oblatrasset, quæritur an fuerit bona. Et arguitur à parte negatiua. Multa scripta sunt in veteri lege, nouæ repugnãtia: vt primum ipsum verbũ: In principio creauit Deus cœlum & terram. Cuius contrarium asseritur Ioan. 1. Mundus per ipsum, scilicet verbum, factus est, & sine ipso factum est nihil. Mox & illic legitur requieuisse die septima Deum ab omni opere quod patrauerat: & tamen Ioan. 5. ait Christus, Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor. ¶ Secundò. Deus ipse fatetur Ezech. 20. dicens: Dedi eis præcepta nõ bona, & iudicia in quibus nõ viuent: lex autem de præceptorum qualitate existimatur: ergo lex illa non fuit bona. ¶ Tertiò, Ad bonitatem legis duo sunt potissimum requisita, vt suprà nos Isidô. docuit. Ptimùm vt communi animarum saluti cõsulat: mox vt sit obseruatu non difficilis, humanæq; cõsuetudini accommoda: neutrum autem istorum erat in illa lege. Ait enim quantum ad primum Paul. ad Romañ. 5. Lex subintrauit vt abundaret delictum. & cap. 7. Sine lege peccatum mortuum erat: ego autem viuebam sine lege aliquando: sed cùm venisset mandа-

Prima ratio à parte negatiua.

Secunda ratio.

Tertia ratio

Paulus.

mandatum peccatū reuixit: ego autē mortuus sum. Et de secunda qualitate ait Petrus
Petrus. Actuum.15. Quid tentatis ponere iugum su per ceruicem discipulorum, quod neq; nos neq; patres nostri portare potuimus? Lex er
Quarta ratio. go illa non erat bona. ¶Quartò, Si lex illa bona fuisset, eò maximè quòd Dei sanctio fuit: Deus autem non apparet fuisse eius cōditor. Primùm, quia vt habetur Deutero.32. Dei perfecta sunt opera: lex autem nihil ad perfectum adduxit, vt ad Hebræ.7. author
Paulus. est Paul. Mox quòd deberet esse perpetua: Lex autem illa cessauit, vt ibidem Paul. docet, propter eius infirmitatem. Imò quia (vt dictum est) occasio erat peccati: ergo non fuit à Deo lata, atq; adeò neq; inde eius po-
Quinta ratio. test probitas colligi. ¶Quintò: Si Deo latore bona esset, condecens fuisset, vt per Angelos, qui (vt est in Psal.) sunt Dei ministri fuis set lata: at verò non per Angelos, sed ore Dei prolata fuit. Legitur enim Exod.20. Loquutus est Dominus sermones hos. Et statim, Ego sum Dominus Deus tuus. Quòd si vllius ministerio vsus est, ille fuit Moyses: secundùm illud Ioan.1. Lex per Moysen data est. Et illud Exod.33. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciē: nil ergo restat vn de probitas illius legis elici possit. ¶In con-
Paulus. trarium autem est Paulinum oraculum ad Romañ.7. Itaque lex quidem sancta est, (loquebatur autem de veteri) & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.

Prima conclusio. AD quæstionem tribus conclusionibus respōdet. Prima: Lex vetus (vt ait Pau.) fuit sancta & iusta & bona, atq; omnibus suis causis congruētissima. Tametsi nō vndequaq; absoluta & perfecta. Conclusio
Probatio. hæc per omne causarum genus asseritur & confirmatur. Primùm, ex ratione vtriusq; obiecti, scilicet tam materiæ de qua præcipiebat, quàm formæ & figuræ præcipiendi. Fuit enim tum morum compositrix, tum & futurorum vmbra, & vtrinq; bona. Enimuerò cùm duplex sit in nobis ratio, sicuti veritas speculatri cum scientarū inde perpenditur quòd sit rationi speculatiuæ consona: ità & legis bonitas eò quòd sit concors ratio ni practicæ: lex autem vetus qua parte erat morū regula, egregiè propellebat tum operum prauitatem, tum & cupidines cū ratione colluctantes. Decalogus enim ille quem Deus Moysi in tabulis exarauit, cōpendium fuit substantiaq; & flos totius naturalis legis: quippe qui (vt quæstione.3. latiùs patebit) hominem & ad Deū referebat & cum hominibus conglutinabat: neq; solam manum, verùm & cor etiam illo mādato compescebat: Non cōcupisces rem proximi tui, non vxorē, &c. Vnde Pau. ad Rom.7. Con-
Paulus. sentio, inquit, legi quoniam bona est. Et rursum, Condelector legi Dei secūdùm interiorem hominē. Quo sanè verbo ostendit legis virtutē eam fuisse, vt sensualibus cupiditatibus obsisteret, quæ exteriorem, hoc est, sensualem hominem deuexāt. At verò quoniam legis sanctitas per ordinē ad finem expenditur: finis autem diuinæ legis non est sicuti humanæ, temporalis tranquillitas & quies reipublicæ, sed sempiterna fœlicitas, quæ in eius conspectu posita est: illa censet perfecta lex quę vsq; ad illum perducit finē: illa autē, bona quidē, non tamen simpliciter
Discrimen inter veterē & nouā legem. absoluta, quæ licèt illuc dirigendo ducat, nō tamē perducit: hoc autē discrimine vetus illa à nostra differebat. Enimuerò cùm finis illelevires excedat naturæ, nullius legis opera nisi gratia supernè iuuante sufficiunt illuc quenquā perferre: secundùm illud ad Rom.
6. Gratia Dei vita æterna. Et quoniā gratia *Paulus.* per Christi redemptionem, qui fuit Euangelicus legislator collata fuit vniuersō mūdo, lex vetus quæ per se gratiam hāc non continebat, eatenus bona erat, nimirum præcipiens virtutum officia, vt tamē nō esset perfecta, sicut nostra: quę per eandē legiferi nostri gratiam ad suum finē nos perducit: vn-
Paulus. de Pau. ad Titum.3. Cùm benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, nō ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundùm suam misericordiā saluos nos fecit per lauācrum generationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè. Et Ioānis.1. Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Christū facta est. Et eōdem attinet quod ait ad Hebræ.7. Nihil ad perfectū adduxit lex. ¶Hanc differentiam iam diximus repetendā nobis.q.7. Tantisper tamē, nè pēdulus Lector hæreat, rem aperiamus. Est enim intellectu nō facilis. In cōtrarium quippè est argumentum hoc. In circunciſio
Obiectio ad uersus tradi tum discrimen. ne antiquæ legis cōferebatur gratia virtute fidei Christi illic protestatę, qua gratia remittebatur originale, sicuti in nostra per baptismū virtute eiusdem Christi. Rursùs qui opera legis per eandē gratiā tunc implebāt, condignè merebantur æternā vitam, sicuti nos. Et sicuti illi extra gratiam implentes le

gem solùm præstabant opera moraliter bona, non tamẽ quæ essent beatitudinis merita: ità & nobis accidit. Quid ergo discriminis restat inter illã & nostram? Respondetur nõ hoc esse, sed aliud. Nempè quod causa illius gratiæ qua illi in amicitiam Dei recipiebantur, nõ fuit exhibita nisi per Christum latorem legis nostræ, nam causa illa, vna eius fuit passio, secundũ illud Pau. ad Colos. 1. Nunc per mortem & sanguinem suum reconciliauit vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici eius. Itaq; vt de contrito inter Theologos fertur, quod licèt ante confessionẽ à suis sit per gratiam Christi absolutus delictis, nihilo minùs quia virtute propositæ confessionis, quæ sacramentum est passionis eius, cõtritio illa operatur, fit vt quando ad pedes confessarij accedit, tunc verè absoluitur: sic de iustorum vniuersitate, Christi passionem præcedentium, censendũ est. Videlicet quòd erant veluti in depositio quoadusq; Christus veniret qui pretium redemptionis soluens, cuncta expiaret piacula. Et ideò occlusę illis erant cælorum valuæ: quasi nõ essent digni qui admitterẽtur in possessionem filiorum Dei. Atque hoc est quod ait Pau. ad Rom. 3. Deus proposuit Christum propitiatorẽ in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suę propter remissionem præcedẽtium delictorum in sustentatione Dei ad ostẽsionem iustitiæ eius in hoc tempore. Ecce quomodò fons totius gratiæ fuit Christi passio etiam respectu præcedentium. Est ergo differentia q illi nõ per legis opera salui fiebant, sed per fidem Iesu Christi futuri, cuius passione nitebantur iustorum merita. Nos verò per fidẽ eiusdẽ Christi præsentis in nostra lege: nẽpè qui gratiã nobis eo tẽporis articulo meruit qua idoneè digneq; impleremus legem: quo articulo lex nos eius obligare cœpit. Et hæc est perfectio qua lex nostra veteri præstat quantum ad moralia præcepta. ¶Mox bonitas eiusdẽ legis ratione causæ finalis ostenditur. Fuit enim condita vt viam in terris vẽturo Messiæ præpararet & cõmuniret. Hæc autem præparatio in duobus consistebat. Primùm vt esset futurorum præconium & præsagiũ: mox & Euangelicæ quasi inchoatio. Præconium scilicet per Prophetarũ oracula: vnde Christus Luc. vltimo: Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, & in Psalmis, & prophetis de me. Et Ioan. 5. Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. Præsagium verò Per ceremonialia quæ vmbra erãt futurorũ, secundùm illud. 1. ad Corint. 10. Omnes patres nostri in Moyse baptizati sunt, & in nube & in mari: & omnes eãdem escam spiritualem manducauerũt: & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Hæc enim oĩa in figura facta sunt nostri. Fuit deinde quasi inchoatio Euãgelicæ, quatenùs sub illa lege semotus est peculiaris ille populus à reliquo orbe, & ab idolorũ cultura coërcit⁹, atq; cultui vnius Dei addictus. Vnde Pau. ad Gal. 3. Priusq̃ veniret fides sub eadẽ lege custodiebamur, concluſi in eam fidẽ q̃ reuelãda erat. Et hæc de prima cõclusione. ¶Sed vt ratione quoq; efficientis causæ bonitas eiusdẽ legis corroboretur, apponitur secunda. Deus fuit author eiusdẽ legis, vt patet Matth. 15. Irritũ fecistis mãdatũ Dei propter traditiones vestras. Erat quippè Chr̃o tũc sermo de illo mandato: Honora patrẽ tuum & matrẽ tuã quod scriptũ erat in lege. Et ratio colligitur ex superioribus hæc. Lex illa, vt dictum est: præparamentũ erat Euãgelicæ, cuius porrò neq; Manichæi negare poterant Deũ fuisse authorẽ: igitur cùm eiusdẽ sit, & finem proponere, & disponere media, idem Deus per se suosq; ministros legem illam tulit. Diabolus enim nunq̃, vt diabolico ore Manichæus blasphemauit, legem illam constituisset, per quã Christus præsignabatur colebaturq;, a quo erat ipse victus expellendus. Atq; hunc sensum exhibebat ipse Redẽptor Matth. 12. Si Satanas Satanã eijcit, diuisum est regnũ eius. Animaduertẽda tamẽ est assertio huius conclusionis, quippè quæ non tantùm Manichæorum blasphemiam retundit, delirantium ac mentientium fuisse opus principis tenebrarum verùm & docet nõ fuisse legem alicuius angeli vel hominis, sicuti sunt leges humanę, sed sicuti noua: ità illã à Deo latam esse ac subinde diuinã censeri. Ità em̃ vbiq; habet: Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens. Et Exod. 24. Postquàm Moyses retulit ad populum legem, responderũt: Omnia quæ loquutus est nobis Deus faciemus. Et infrà dum sanguinis aspersione eandem legem ceu testamentum stabiliret in figuram Christi qui suo sanguine cõfirmaturus erat nouum, ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit vobiscum Deus. Id quod & Paul. ad Hebræos. 9. retulit. Quando ergo ait Ioannes: Lex per Moysen data est, non intelligit fuisse suã, sed eius ministerio promulgatã: sicut lex Euãgelica nõ fuit Apostolorũ, sed Christi, ipsorũ diuulgata prædicatione.

¶At verò

Solutio. *Paulus.* *Paulus.* *Paulus.* *Quo sensu opposita differentia saluetur.* *Ostenditur bonitas legis diuinæ ex ratione causæ finalis.* *Ioannis. 5.* *Paulus.* *Paulus.* *Secũda conclusio.* *Ratio quæstionis.*

Tertia conclusio. ¶ Ad verò quò nihil legis illius defensionũ prætermittatur, tertia adhibetur conclusio.

Paulus. Lex illa à Deo per Angelos posita est, secundùm verbum Paul. ad Galat. 3. Lex data est per Angelos in manu Mediatoris. Id cuius Stephanus testimonium perhibet Actu. 17. dicens: Accepistis legem in dispositione An

Dionysius. gelorum. Et Dionys. 4. cap. Cœlestis Hierarchiæ congruere docet, vt diuinorum arcana ad homines Angelorum ministerio deferãtur. Hęc autem ratio non peculiariter de antiqua, sed & de lege nostra curreret: quæ tamen nõ per Angelos, sed per Christum lata

S. Thoma. est. Et ideò. S. Tho. peculiarem adhibet eiusdem prouidentiæ analogiam, quã ab architectis mutuatur. Architectus enim nauis nõ per se, sed per suos ministros ligna dolat, ac præparat, ipse tamen compingit nauis fabricam. Idemq; videre est in architecto domꝰ. Condecẽs ergo fuit ad Deus legẽ illã quę ad Euangelij perfectionem sternebat viam, per cœlestes suos ministros permitteret: Euangelicã verò ipse factus homo conderet, suoq; sanguine consecraret. Atq; hoc interuallum

Paulus. dignouit Apostolus ad Hebræ. 1. vbi excellentiam Euangelij inde cõmendat, q̃ per illud loquutus Deus est nobis in filio: qui melior est Angelis, quos fecit spũs ministrosq; suos in misterium missos propter eos qui hæreditatem capient salutis.

Manichæi. ARgumenta in contrariũ obiecta Manichæorum arma erant, quorũ inter alias hæreses hæc quoq; fuit, vt legẽ veterẽ cõuitijs proscinderent, & tanquàm à principe tenebrarum conditam repudiarent. De qua

Augustinꝰ quidem hæresi meminit August. lib. de hæres. cap. 46. & in eius repulsam scripsit, præter alios, contra Faustum libros vigintitres.

Cerdo. Quãuis hæresis huius Cerdo feratur primus author Marcionis magister, cui post cẽtum annos succesit Manichæus. Isti enim, non intelligentes, malum per se nullam habere causam, sed esse boni priuationem: neq; verò bonum Deum effectorem esse malorum, in illam sunt primùm vesaniã collapsi, vt duo ex æquo rerum principia adstruerent: principem scilicet lucis, bonorũ authorẽ: principem autem tenebrarum, inuentorem malorum. Atq; inde rursum cùm legem vete-

Argumẽta Manichæorũ cõtra legem veterẽ rem in malorum prædicamento collocarẽt, inuentum esse dixerunt illius principis tenebrarum. ¶ Argumentorũ verò capita quæ contra legem moliebantur hæc fermè sunt.

Primum ratione finis, qui omnium est causarum prima improbabant illã, quòd non nisi terrena promitteret. Vnde Faust. lib. 4. eò ait testamentum vetus nõ accipere, quòd in eo non est hæreditas sicuti in nouo. Ob idq; negabat esse ambas eiusdem Dei leges. Ad hoc tamen iam superiùs responsum est, Deum illis tanquã pueris terrena fuisse pollicitum: tum vt in illis futura delinearet, tũ vt palàm faceret quàm esset fidus suorum promissorum seruator. ¶ Secundum caput argumentorum suorum erat, quòd dictis multis lex illa cum Euangelio pugnabat, vt primo nos argumento tetigimus. Ad quod tamen Augustinus latissimè in lib. contra Adimantum respondet: ea nimirum conciliando quæ pugnantia videri poterant. ¶ Haud enim repugnat, cuncta esse à Deo facta: qua re ait Moyses, Creauit Deus. Et tamen illa condidisse per verbum, ceu per suam artem quare ait Ioãnes, Per ipsum facta sunt. Neq; obstat vt factus fuerit homo ad imaginem Dei secundùm naturam, vt illic habetur: & tamen secundùm motum malignitatem dixerit Christus Iudæis Ioãnis. 8. Vos ex patre diabolo estis. Neq; aduersantur vt quieuerit die Sabbatho ab opere creationis mũdi: & tamen semper operetur, ipsum conseruando & gubernando. ¶ Tertiò inculpabant legem, vt in secundo argumento insinuabamus, quod contineret præcepta mala. In primis crudelia: vt est aliud, Oculum pro oculo: dentem pro dente, quod idcircò Christus Matthæ. 5. ceu iniquum respuit, dicens: Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros. Mox & charitati aduersantia: qualis erat libellus repudij & vsurarum permissio: Nam Deuterono. 23. permittebãtur fœnerari alienigenis. Et illud quod refertur Matth. 5. Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicũ tuum. Quæ quidem testimonia sunt, non esse legem vtrãq; eodem Deo latam. Ad hæc vero eodem fermè modo respondetur: nempè quòd cùm populus ille tam iniuriarum esset tenax, tamq; diuitiarum sitiens, atque ad charitatem durus, permisit illis Deus illam talionis vindictam, & vxorum repudiationem, atque vsurarum modum, vt ab immanioribus illos arceret. Aduenientè autem lege gratiæ superfluxit Christus celsiores charitatis gradus. Tametsi illud verbum, Odio habebis inimicum tuum, non extabat in lege vt patet Leuit. 19. Sed erat Pharisæorum interpretatio. Qua-

Argum. 1.

Faustus.

Solutio.

Argum. 2.

Solutio. Augustini.

Ad primũ argumẽtũ principale.

Ad cõfirmationes.

Ad secũdũ argumẽtũ.

Adnotatio Fabri minimè tuta.

propter Fabri Stapulensis adnotatio super eundem locum Euangelij minimè tuta est. Ait enim quòd illud ex veteribus scripturis apertè cognoscebatur, quæ passim mala imprecantur inimicis: vt in Psal. 53. Auerte mala inimicis meis. Et. 82. Erubescant & conturbentur in sæculum sæculi, est enim impius error hanc notam legi inurere, quòd præciperet inimicorum odium. Nam quòd iuberentur illi Chananæos & Iebusæos perdere, non erat odij iussio, sed executio iustitiæ. Imò Prouerb. 25. præcipiebatur: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Illæ autem Psalmorum phrases, expositore vbiq; Augustino, non sunt malorum imprecationes: quasi Dauid optasset mala inimicis suis: sed futurorum propheticæ. Ac si dixisset, Auertes mala inimicis meis. Igitur ad secundum argumentum respondetur, quòd quando Deus fatetur dedisse eis præcepta non bona, ceremonias denotat, quæ non appellauit mala, sed non bona: id est, non perfecta, neque ad vitam per se sufficientia: quia non conferebant gratiam peccatorum lotricem, quæ quidem peccata eisdem ceremonijs illi confitebantur: nam gratia in circuncisione à sola promanabat fide. Et ideò subiunxit, & iudicia in quibus non viuent, scilicet vita gratiæ. Ac posteà: Et pollui eos in muneribus suis: hoc est, Per illa munera quæ pro peccatis offerebant ostēdi eos esse pollutos. Quartò deniq; hoc super omnia ijdem Manichæi improperabant legi, quòd tum obseruatu erat difficilis: tum & peccatorum existeret causa: quo tertium nostrum argumētum tendebat. Verùm tamen super eisdem locis Pauli ad Romanos. 5. & 7. citatis satis à nobis expositum est, legem non fuisse causam, vt peccatum viueret, & homo gratia emoreretur, veluti effectricem & positiuam quin verò hanc maculam abstergit eidem legi idem Paul. dicens quòd esset sancta. Et. 1. ad Timoth. 1. Scimus autem q̄ bona est lex, si quis ea legitimè vtatur. At quia malum vetabat, docebatq; adeò quid esset peccatū, ex hac parte, primū tollebat excusationē, secūdò, quia, vt ait Lyricus nitimur in vetita, inde homines occasionē captabāt, vt maiori impetu ferrētur in malū: & quia gratiā nō conferebat, ex hac parte negatiuè erat causa peccati: id est, nō satis iuuās ad illud caūedū. Vnde nō ait, Occasione data, sed occasione accepta: id est, quā nō lex dedit, sed homines inde acceperūt: peccatū scilicet originale, cuius fomes carnis in nobis relictus est, per mādatū operatū est in me omnem concupiscentiam. Quare cap. 5. vbi dixerat peccatum intrasse vt abundaret delictum, particula, vt, nō dicit causam. Haud eñ illa fuit voluntas Dei ferentis legem vt per eam cōciaret homines ad malum, sed tantùm dicit consequutionem. Ex hominum nanq; infirmitate cōsequutum est vt data lege, peccata cumularent. ¶ Ad quartum satis responsum est vbi rationē exposuimus tam imperfectionis legis, quàm etiam cessationis. Cùm eñ esset figura legis gratię nihil vetat, quin à Deo fuisset lata, & nihilo minùs non absolutam obtinuisset perfectionem. Erat enim præparamentū Messię, authoris gratiæ, quę est legis perfectio: quapropter consequens erat, tum vt vsq; ad ipsum nō adipisceretur suam perfectionem, tum vt per eiusdem Dei præsentiam illa antiquaretur. ¶ In quinto autem argumento non vna tantùm dubitatio dissoluenda petitur. Vna enim est de locutionibus illis antiquis, qua Deus dicebatur loqui Moysi: vtrùm scilicet per se ipse loqueretur, an verò angel⁹ nomine ipsius. Augustinus nanq; 2. de Trini. cap. 12. & 13. super Genes. ad literam cap. 27. huc propendet quòd vnus angelorum per dispensationem personam domini sui gerebat. Quemadmodùm scriba dum nomine iudicis sententiam refert, Nos, &c. mandamus. Et quo pacto sacerdos ait loco Christi, Hoc est corpus meum. Ei astipulatur eius assertioni modus loquendi scripturę, Enimuerò Exod. 3. vbi nos legimus quòd apparuit de rubo Dominus Moysi in flamma ignis, Septuaginta habent, apparuisse Angelum Domini. Et sic legit August. Nihilo minùs tamen qui apparuit dixit: Ego sum Deus patris tui, &c. Et Genes. 32. Ille qui luctabatur cum Iacob, ait ad illum: Cur quæris nomen meum quod est mirabile? Angelus ergò loquebatur in persona Dei. Et causa est huiusmodi. Cùm voces ille sensibiles essent, liquidum est fuisse factas in aëre verberato quo homines audiunt, atque adeò Angelorum ministerio, quo Deus vtitur, intonuisse. Et ideò censetur Angelus loqui in persona Dei. Tametsi nos super illo paterno verbo Ioannis. 3. Hic est filius meus dilectus, non sumus veriti dicere vocē fuisse Dei propriam patriq; attributam: nempè quòd vel Deus se solo verberasset aërem, vel quòd Angelico fuerit functus obsequio, quasi instrumēto, ceu nos vtimur

In Fabrum testimonia sacra. Solutio argumenti.

Ad secūdū argumentū

Ad tertiū argumētū. Author in Commentariis super Epistolā ad Roma.

Paulus.

Ad quartū argumētū.

Ad quintū argumētū. Duplex dubitatio. Prima.

Augustin⁹

Roboratur sentētia Augustini.

Ratio assertionis præteritæ.

vtitur lingua. Hac ergò ratione dicitur lex data per angelos seu in dispositionem angelorum, quòd dum Deus Moysi in monte loquebatur, vox illa angelorum opera auribus eius insonabat. ¶ Sed tamen hinc secunda emergit quæstio quod Exod. 33. asseritur Dominus facie ad faciem Moysi loquutus. *Secunda Quæstio.*

Solutio. Respondetur tamen secundùm Augustin. locis citatis, hoc esse intelligendum secundum opinionem vulgi. Nam paulò post optatissimè cum Deo expostulabat, dicens: Ostende mihi gloriam tuam: nempè quam nondum viderat. Igitur vtrùm post viderit Dei faciem, vt Paulus in raptu, an solùm posterora, hoc est, aliquid in quo ei gloria illius illuxit, sub iudice est. Veruntamen quando in monte legem suscepit voce per angelos fabricata loquebatur ei Deus. Quid ergo est quod ait Ioannes, Lex per Moysen data est: qua sanè de causa dicitur Mosaica. Respondetur quòd sicut Christus per se ipsum reuelauit Apostolis legem, quam ipsi orbi promulgarēt, sic deus per angelos tradidit Moysi, vt ipse denūtiaret populo. Et ideò dicitur Moylis, tanquàm promulgatoris. *Alia obiectio.* *Dissolutio.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm lex illa soli debuerit populo Israël poni, illumq; dūtaxat obligare.

POstquàm de bonitate causisq; vetustæ legis satis à nobis dictū est, subsequitur vt de eius subditis sermonem adhibeamus. Quæritur ergo an fuerit expediens populo Israel peculiariter poni, eumq; duntaxat obligare. Et arguitur à parte negatiua. Lex illa, vt dictum est, figura fuit præparatioque euangelicæ: figura autem & via debet suo fini similitudine respondere: sed lex euangelica non Iudæis tantùm, verùm & Gentibus vniuersis futura erat in salutem secundùm oraculum illud Isaiæ, 46. de Christo præcantatum: Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas: dedi te in lucem Gentibus, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ: ergo & lex vetus debuit vniuersō mundo promulgari. Eò vel maximè quòd vt legitur Actu. 10. Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi. ¶ Secundò, si lex illa Iudæos tantùm obligaret, deterrima fuisset grauissimaq; eorum conditio inter omnes mortales. Illi enim nō poterant sine legis obseruantia obtinere salutem. Extat enim Deuter. 27. Maledictus omnis qui non permansit in sermonibus legis huius, neque eos opere perficit: reliqua verò Gentium vniuersitas extra illam legem solo iure naturæ seruari poterat: amplior ergo salutis via patebat Gentibus quàm Iudæis. ¶ In cōtrarium autem est sententia Pauli ad Rom. 3. Quid ergo amplius Iudæo? multùm per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Et Dauid non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis. *Primum argumentum à parte negatiua.* *Secundum.* *Paulus.*

QVæstio, vt inter arguendum insinuatum est, duo petit. Primùm an singulari illi populo congruens fuerit legem illam edici. Alterum an solum illum obligabat. Nam posset quis cogitare, quòd licèt Iudæis fuerit promulgata, nihilo seciùs cùm lex Dei esset, qui Rex est vniuersi orbis, ad quoscunque fama illius penetraret, tenerentur illam suscipere. Quinque ergo conclusionibus constabit responsio. Prima: Conueniens fuit legem illi tantùm populo dari. Conclusio hæc ex superioribus colligitur. Nam cū opus Dei fuerit, cuius summa sapientia attingit à fine vsque ad finem, & disponit omnia suauiter, dubium nullum relinquitur quo minùs fuerit consultissimum ac decentissimum. Attamen quia ratio hæc nimis generalis est, ex ipso rerum fine explorāda est alia, cui animus acquiescat: puta quæ rationem diuinæ sapientiæ referet. Est autem aliud quærere cur selectus est aliquis populus, cui daretur, & non potiùs toti mundo inuulgaretur: Aliud verò cur ille Hebræorū. *Gemina quæstio clausa in quæstione proposita.* *Prima.* *Secunda.* *Prima conclusio quæsita fit prima quæstioni.* *Prima probatio conclusionis.* *Secunda cōclusio.*

¶ Sit ergò secunda conclusio. Ratio cur delectus alicuius populi ex cunctis mortalibus factus est, sumitur à fine eiusdem legis, qui fuit aduentus Messiæ. Inde enim duplex accipitur ratio. Vna quòd cùm sublimitatem tam excelsi mysterij totus mundus capere non posset: quippè in quo quàm plurima essent hominum ingenia, tum naturali hebetudine, tum morum peruersitate caliginantia, condecens fuit vt pusillus quidam populus peculiariter seligeretur, cui tā alta, tamque recondita mysteria initio crederētur. Nam si sparsim fuissent statim per orbem euulgata, ludibrio citiùs haberentur, quàm eis adhiberetur fides. Sic enim so- *Duplex ratio conclusionis.*

lent cordati homines & prudentes arcana sua non temerè, publicare, sed illos diligere quorum fidei cõmittant. Iuxta illud Eccles. 6. Multi pacifici sint tibi, consilarius vnus de mille. Quin verò nuntium rei grauissimę non audes in initio in vulgus propalare, nè deridiculus videaris: sed in quorundam aures primùm susurras, quousque fama vires accipiat. Poterat quidem Deus talia facere hominum ingenia, vt omnes statim caperent, sed tamen more naturæ cuncta suauiter disponit. Docuit enim nos experientia mille quingentorum annorum, non dicam quàm sint mysteria nostræ fidei captu difficilia: sed quàm sit humanum ingenium tardum, quamq; ad optima capessenda indocile: cùm minimus orbis angulus fidem retineat, eandemq; tam multis ex partibus lacerram. ¶Altera ratio est ex eodem itidem fine sumpta, quòd decuit selectam esse stirpem, ex qua Christus genus duceret. Quemadmodùm enim Romanorum gens & Athenienſiũ, vt verbi gratia dicamus, sua celebrârunt nomina, ità condecuit Christi prosapiã ac genealogiam: illustrem in mundo fuisse. Atqui vtrâq; ratione circuncisionis charactêre insignitus ille populus fuit, vt à reliquo dignosceretur orbe. Fuitque insigne illud in membro illo iussum: vt illius genitura significaretur, qui vnà cum reliquis delictis labẽ generatione contractam erat abstersurus. Et quẽadmodùm inter Romanos illustriores familiæ: vt Cæsares, Camilli, Scipiones &c. sic etiam ex illo populo selectus est Dauidicus truncus ex quo diuinus flos germinaret. Quapropter vt super primũ capit. ad Roma. recolimus, nuncupatus est Christus filius Dauid. ¶De alio verò proposito membro, scilicet cur ille potiùs Hebræorum populus fuerit electus, statuitur. Tertia conclusio. Ratio huiusmodi electionis neq; potest neq; debet ex aliqua causa vel merito illius populi captari, sed in meram Dei misericordiam est referenda, Duas quippè causas conminisci posses populo illi congruentes. Quarum vna esset quòd cùm reliquis orbis Gentibus in idololatrię impietatem immersis soboles illa Abrahæ in verò cultu vnius Dei perstiterit, iustum erat illam peculiariter in peculium Dei elegi. Sed tamen ratio hæc nõ est conuincens. Nam post susceptam legem in eandem idololatriam irruerunt: quòd inultò illis iniquius absurdiusque fuit quàm Gentibus. Vnde Exod. 33. & Amos. 5. Nunquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israël? Et portastis tabernacula Moloch Deo vestro & imaginem idolorum vestrorũ sydus Dei vestri quæ fecistis vobis? Secundam ergò rationẽ effingere quis fortè posset quòd licèt fuissent posteà idololatrę, tamen aliquibus iustitiæ officijs vel ante vel post legem floruerunt, quorum merito data est illis lex. Veruntamen planè legitur Deuter. 9. Scito quòd non propter iustitias tuas Dominus tuus dedit tibi terram hanc in possessionẽ, cùm durissimæ ceruicis sis populus. ¶Ratio ergò proxima fuit promissio facta Abrahæ, Isaac, & Iacob, vt eòdem cap. legitur. Vbi ad notandum est Abraham antecessisse legi & Moysi quingentis annis. Cui vt legitur Gene. 12. & 22. promissa est Chananæorum terra, simul & futurus Messias. Et quoniã lex præsagium erat, vt diximus, præparatioque eiusdem Messiæ, in eadem promissione in culpebatur lex eius soboli promulganda. Obidq; loco citato Deute. Non propter iustitias tuas & æquitatem cordis tui ingredieris vt possideas terras earum, scilicet Gentium: sed quia illæ egerunt iniquè, introeunte te deletæ sunt, & vt compleret verbum suum Dominus quod iurauit patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. Itâque expulsio Gentium fuit propter eorum peccata, sed tamẽ introductio Iudæorum atq; adeòcollatio legis fuit propter promissiones Dei, Idq; Apostolus ad Gala. 3. docens, ait: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Et non dicit seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo qui est Christ⁹: ergò lex data est illi populo propter promissiones. Illæ autẽ ob id factæ sunt vt populus ille ex quo Christus carnem induturus erat reliquo orbi sanctitate præstaret: secũdùm illud Leuit. 19. sancti eritis quia ego sanctus sum. ¶Veruntamen licèt hæc fuerit proxima causa, non tamen in illa animus requiescit. Nam respondendum restat, cur selectiorẽ Deus habuit Abraham ac suã progeniem cui mysteria Christi reuelaret, atq; ex suo sanguine gignendum polliceretur, quàm vnum quemlibet alium mortalium: vtrùm merita eius fuerint in causa. Re vera minimè, sed, vt cõclusio asserit, Dei misericordia. Hoc nanq; in primis astruit oraculum illud Isaiæ. 41. Qui suscitauit ab oriente iustum, vocauit eum vt sequeretur se. Nã de terra Chaldæorũ vocatus fuit: vt Gene. 11. legitur,

Secunda ratio.

Tertia conclusio.

Duplex ratio nõ satis apta.

Refellitur. prima.

Explodituꝛ secunda causa.

Ratio vera cõclusionis.

Explanatur posita ratio.

Paulus.

Obiectio.

Merita Abrahæ minimè in causa fuêre vt præ

cæteris illi⁹ populus seli geretur vn de Christus originẽ du ceret: sed hoc ipsum in miseri cordiã diui nã referendũ est.

Ratio præfatæ assertionis.

legitur: quæ quidem regio terræ promissæ orientalis erat. Mox & ratio idẽ demõstrat. Nam cùm gratia qua grati Deo reddimur non cadat sub meritum, fit vt neque eius initium & caput promereri vlla possit creatura: initium autem fuit Christus: ergò eius aduentum neq; intemerata Virgo mereri valuit: quanto minùs Priscorum quispiam. Et cùm lex fuerit Christi figura, neq; illam vel Abraham, vel eius progenitores, aut posteri meruerunt. Quo circa mera fuit Dei clemẽtia quòd ipse eiusque prosapia inter omnes mortales eligeretur: Neq; vlla potest humana designari causa, sed in radicem prædestinationis, quæ nullam præter Dei voluntatẽ habet, referenda est talis electio: iuxta illud

Augustin. celebre Augusti. axiôma super Ioan. Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Veruntamẽ quod de Deipara Virgine confitemur, & de Abraham quoq; suo gradu censendum est. Etenim etsi Virgo non meruit Christum incarnari, tamen fixo illo diuino proposito, fecit eam Deus dignam quæ ipsum conciperet: secundùm illud quòd Ecclesia canit: Quæ Dominum omnium meruisti portare. Et simili modo in suo inferiori gradu fecit Abraham inter mortales dignum, cuius sanguinẽ

Electio abrahæ in sacro Canone designatur. nascituro filio suo deligeret.. ¶Hæc autẽ electio primũ in sacro Canone designatur: Genes. 10. Vbi cùm peruentum est ad enarrandum progeniem Sem filij Noe, ait scriptura: Sem quoq; nati sunt patre omnium filiorũ Heber. &c. Quod vtique verbum cõsideratissimè meditatus est. 16. de Ciuita. Dei

Augustin. Augusti. Filij enim Heber dicti sunt Hebræi. Ob idque quãuis non fuerit primogenitus eiusdem Sem, tamen ob hanc dignitatẽ primus nominatus est. Non ergò ab Abraham quasi Abrahæi, vt quidam Iudæorum autumant: sed ab Heber nomen traxerũt. Vixit nanq; pater ille sub ætatem Nemrod quando facta est linguarum diuisio: ob idque appellauit nomen filij sui Phaleg, vt ibidem legitur, quod est diuisio, eò quod in diebus eius diuisa sit terra. Inde ergò diuinitùs separatus est Heber à reliquis, qui cum Nemrod aduersus Deum ipsum coniurauerant. A quo Heber sextus fuit Abraham, quem Deus (vt legitur Gene. 12.) præcepit exire de terra sua & de cognatione sua. ¶Et hæc de priori quæstionis membro. De posteriori verò puta de legis obligatione an extenderetur ad Gentes, subiunguntur duæ aliæ conclusiones: hac distinctione præmissa. In lege quædam erant præcepta de lege naturę, vt Decalogus & moralia reliqua: quædam verò eidem naturali iuri adiecta, vt ceremonialia & quædã legalia. Sit ergò conclusio ordine quarta. Cuncti mortales tenebãtur seruare illa quæ sunt legis naturæ, nõ quidem ob vinculum Mosaicæ, sed id eâdem iubente natura. Reliquorum verò obseruantia nemini extra illum populum necessaria erat ad salutem. Prior pars notissima est: quoniã & ante aduentũ legis totum humanum genus lumine diuini vultus illustratum seruare stringebatur cuncta quæ natura docebat, tum ad cultum diuinum, tum & ad humanam societatem referre: lex autem scripta neminem ab huiusmodi iugo exemit. De his ergò naturę præceptis in lege conclusis ait ad Roman. 2.

Paulus. Paul. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt. Posterior autem pars ex dictis planè colligitur. Etenim qui ad sublimiorem religionis ordinẽ assumuntur pluribus religantur quàm reliqui laxioris vitæ, vt inclericis & monachis videre est: populus autem ille selectus fuit ad excelsiorem sanctitatis gradum: qualis decebat populum, ex quo erat Christus nascituros, & qui figuram eiusdem Christi gerebat: ergò ad peculiaria illa instituta, legi naturæ superaddita, solus ille populus erat obligatus. Vnde Deute. 18. Perfectus eris & absque macula coram Domino Deo tuo. Quam ob rem veluti arctioris religionis cultorib⁹ quædam professionis imago illius legis erat iuncta: secundùm illud eiusdem lib. capi. 26. Profiteor hodie corã Domino Deo tuo &c. ¶Hinc demùm colligitur quinta conclusio. Tam currente illa lege, quàm ante ipsam potuerunt sub lege naturæ homines salutẽ obtinêre. In lege inquam naturæ: non tamen per eiusdem naturæ vires. Nam Dei gratia res est supernaturalis: quam idcircò sine intellectus aliqua fide, ac subinde diuina ope voluntatis motrice adipisci nemo vnquàm valuit. Et in hoc sensu intelligitur Dionysi.

Dionysius. 9. cap. cœlest. Hierarch. vbi ait multos Gentiles per angelum fuisse in Deum reductos. Et Eccles. 17. In vnamquãq; gentem proposuit Deus rectorem: ac perinde ea quæ ad salutẽ sufficiebãt. Nam in omni lege voluit omnẽ hominem saluum fieri vsq; ad euangelicam quæ omnibus est necessaria. Igitur si de Socrate, Platone, Aristotele, Catone, Seneca & id genus ethnicis præcipui nominis explorare

Distinctio præceptorũ legis antiquæ.

Quarta conclusio bimẽbris.

Probatio priorismembri.

Probatio posterioris mẽbri.

Quinta conclusio.

Quid sentiẽdum de exitu Socratis, Platonis, atque Aristo.

rare cupis, fuerintne ingressi salutis viam, perpendendum tibi primùm est an aliqua vitia admiserint, tam apertè cum naturali ratione pugnãtia, vt nullũ sibi possent ignorantiæ clypeum obtendere. Nam quos tales inueneris, impietas esset suspicari fuisse seruatos. Quare nullus idololatrarum excusari potuit. Neque eorum qui adulteria & furta ac peiora flagitia ignorarunt. Secus de fornicatione simplici: cuius ignorantia probabile est ethnicorum aliquos ante scriptã legem potuisse excusari. Sicuti & Socratẽ, & si venenum epotauit, quod re vera non est licitum, potuit tamen ignorantia excusari, nimirum credens legem illam qua condemnatus est, fuisse bonam. Et simile dicendum de Seneca. cui data à tyrãno fuit mortis optio. At neque Catonem, neque aliorum quempiam qui mortem sibi consciuerunt, legitima ignorantia excusat: lumen enim naturæ planè docet nemini licêre sibi mortem conscíscere. Platonem autem Augusti. in libr. de de. Ver. relig. laude cõmendat quòd perpetuam seruauit abstinentiam. Et certè est per quàm verisimile in Dei gratiam fuisse receptum. Hæc autem quæ in coniecturis posita sunt, non est quòd nos remorentur.

Augusti.

Verisimile est Platonẽ in Dei gratia fuisse.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum capitis quæstionis respondetur, quòd non oportuit legem, quæ figura erat nostræ, tanta similitudine ei respondêre, vt esset tã vniuersalis. Imò decuit ratione iam dicta peculiari populo præscribi, ex quo Christus nascere tur: secundùm illud ad Rom. 9. Quorum, scilicet, Iudęorum, est adoptio filiorum Dei, & testamentum, & legislatio: quorũ patres, ex quibus Christus est secundùm carnem. Neq; subinde Deus fuit personarum respector. Nam cùm nemini debitor sit, cui vult miseretur & quem vult indurat. Vnde Aug. lib. de Prædest. sanctorum: Omnes, inquit, quos Deus docet, misericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet: hoc enim venit ex damnatione humani generis pro peccato primi parentis. Suppositis autem nostris meritis quæ ex eius gratia pullulant, citra personarum acceptionem reddit vnicuique, vt ait Paulus, secũdùm opera sua. ¶Ad secundum negatur deteriorẽ fuisse Iudæorum conditionem, quàm Gentiũ. Imò tanto fuit præstantior populus ille, quãto Dei legi & cultui districtiùs mancipatus. Quemadmodùm & inter Christianos quo arctiùs se homines religionũ votis præstringunt, fœliciùs viuunt. Vnde Deuter. 4. Quæ est alia gẽs sic inclyta vt habeat ceremonias iustaque iudicia? Quocircà vt Exod. 12. scriptum est, quicunque Gẽtilium voluisset in Iudæorum familiam commigrare ac nomẽ suum in legem illam ascribere, circunciſus ad mittebatur: vt in vsu illis nũc est qui religiones profitentur. Quòd si quis hìc hæreat vtrùm poterant Gentilium quique particulam legis recipere absque totius professione & præcipuè an poterant circuncidi extra legem viuentes. Videtur nanq; ratio partem affirmatiuam persuadere. Nam inter Abraham & Moysem durauit quingentis annis absque lege circunciſio. Respondetur quòd nihil Gentiles vetabat quo minùs possent ceremonias aliquas quæ sibi placerent à Iudæis mutuari. Sicuti Romani nonnullas leges ab externis Gentibus receperũt. Attamẽ nisi profiterentur legem, non esset illis propriè diuina. Quin verò arbitror post datam legem, circunciſionem nemini ad salutẽ conduxisse, nisi totam profiteretur. Erat enim sicut nobis baptisinus, professio legis. Quo apertè ad Gala. 5. docet Paul. sub illis verbis, Testificor omni hominicircũcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.

Paulus.

Augustin.

Adsecũdũ

Hæsitatio.

Suadetur pars affirmatiua.

Paulus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm lex vetus congruenter data fuit tempore Moysi.

REstat postremò, temporis datæ legis rationem reddere. Et ideò quæritur vtrùm tempus illud quo data fuit Moysi, negotio conueniret. Et arguitur à parte negatiua primò ex his quæ dicta sunt. Erat enim salutis præparamentum, quæ erat per Christum conferenda, statim autem homo lapsus remedio indiguit salutis: ergò illicò debuit in mundi primordijs ferri. ¶Secundò: Data fuit in sanctificationem eorum ex quibus Christus progignendus erat: illa autem sanctificatio cœpit in Abraham: vt legitur Gene. 12. ante Moysen quingentis annis, cui facta fuit promissio, quiq;, vt ait ad Roma. Pau. Credidit Deo & reputatũ est illi ad iustitiam: Ergò illi, vt circunciſio iussa est, ita & lex poni debuit. ¶Tertiò: Quemadmodùm nuper dicebamus, sicuti Abraham ex vniuerso orbe selectus fuit, vnde Christ originem

Primum argumentum

Secundum.

Paulus.

Tertium.

ginem traheret: sic postea ex illo populo Dauid vnde peculiare genus duceret: quare nũ cupatus est filius Dauid: ergo sub Dauide qui post Moysen annis pluribus quàm quadringentis natus est cõgruentius fuisset lata.

Paulus. ¶ Contrarium autem colligitur ex Paulo ad Gala. 3. vbi ait Legem fuisse ordinatã per Angelos in manu mediatoris: ordo nanq; Dei temporis quoq; opportunitatem denotat.

QVæstio perfacili negotio expeditur, si ex sola Dei voluntate ratio petatur. Nã cũ illa nõ habeat priorẽ causam neq; quicq̃ humano generi debeat, legem dedit quãdo per suã sapientiã decẽre cognouit. Attamen exploranda restat causa ex parte hominum ob quorũ salutẽ data est. Et ideò statuitur cõ

Conclusio. responsiua. clusio affirmatiua. Illo temporis articulo data est quod in rem erat maximè humano generi. Etenim tanq̃ iniquorũ medela condita est ad emolliendã eorũ duritiã eorumq; edo mandã superbiã: & tanq̃ bonorũ iuuamen, ad promouendã eorũ salutẽ. Atq; ex his duabus radicibus duæ conclusionis rationes du

Prima ratio cõclusionis. cuntur. Enimuerò si priorem spectes humana superbia de duobus extollitur, naturali scilicet sapientia, & potẽtia: id quod versutus serpẽs in sua posuit suggestione dũ Euã adortus est. Eritis enim, inquit, sicut dij scientes bonum & malum. Eadem enim procella eũ cœlo depulerat. Ex re ergò humani generis fuit, vt Deus illud longis sæculis suo fauore desereret: porrò vt longo experimento cognosceret quàm esset suapte natura & ad cognoscendum, quod sibi expediret, ignarum: atq; ignauũ ad agendũ. Hac ergo de causa mortales destituit duabus integris ætatibus,

Prima mũdi ætas. vna scilicet, annis mille quingẽtis, & eo amplius ante diluuiũ, quo mundũ scelerũ flagitiorũq; fœtore pestiferũ submersit. At verò nõ sic prorsus destituit quo minùs in linea quæ Christi genealogiã ducebat nonnullos egregia sanctitate insigniret: vt Abel, Enoch, & tandẽ Noe, in cuius suorumq; iustitia seruatum est mũdi semen. Atq; inde quasi nouas ei inducias indulgens expectauit hominẽ

Secunda ætas. secunda ætate ferè annorum quingẽtorũ vsq; ad Abraham quem pessimus Nemrod, cõtra Deũ rebellans centum quinquaginta annis antecessit: Ninus autem Babylonicus, per quem idololatria orbẽ irrepsit, quinquaginta. Et quia peccatũ contra naturam idololatriæ atq; infidelitatis pœna est, vt ad Ro

Paulus. ma. 1 diserte Paul. docuit, paulò pòst nefanda sodomorũ turpitudo acrẽ infecit, sub qđ vtique tempus delegauit Deus Angelos ad Abrahã, vt Genes. 18. refert historia, qui Christum in salutem humani generis suo illi nomine pollicerentur. Vbi non est mysterium illud prætereũdũ: nempè quòd Angeli ipsi qui veluti inferno igni vrbes illas incessum venerunt, nuntium simul attulerunt futuræ salutis. Itaq; clamor & fumus Sodomorũ cœlum ascendentes, Deum & ad iustitiam irritauit, vt de nefandis illis vltionem sumeret, & vnà ad misericordiam commouit, vt hominibus in futurũ prospiceret. Vnde vt ijdẽ Dei legati mundo patefacerent quã sit Dominus ad misericordiam quàm ad iustitiam propensior, propter decem quos inuenirent iustos veniam corruptissimis vrbibus promittebant. Nam ob octo animas quas tempore diluuij iustas inuenit, non prorsus vniuersum deleuerat orbem. ¶ Inde tamen cha-

Mysterium

Tertia ætas

ractẽre circunciſionis obsignatam. Abrahæ familiam, tertiam aliam ætatem aliorũ quingentorum annorũ assuefecit, vt ad suscipiendã legem esset paratior. Tanti erat periculi statim diuina illa præcepta orbi concredere. Enimuerò cùm ei tantùm suæq; soboli facta fuerit promissio: lex autem quæ nõ vni familiæ, sed iusto hominũ numero qui populum faceret tradi debuit, expectauit quousq; eadẽ progenies augeretur in populũ. Et præterea ne de repente susceptam legem veluti rem nouam non facilè susciperent: Ecce mo

Sub initiũ quartæ ætatis vetus lex lata est. ras quibus Deus tardauit legẽ ferre vsq; ad initium quartæ ætatis sub Moyse, anno ab orbe condito bis millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo: tunc ergo data est lex ad retundendam humanam superbiam qua parte ex naturali sapientia nascitur. Erat enim iam tunc naturale lumen vsq; adeò obtenebratum, vt vix homines dignoscere possent inter bonum & malum: sed dicerent (vt ait Propheta) malum bonũ, & bonum malum. Officium igitur legis fuit hoc docere, explicando naturæ principia. Vnde Paul. ad Ro. 5. Per legem est cognitio peccati. ¶ At verò restabat eosdẽ docere homines quod neq; cognitio peccati eidem superando & euincendo sufficiebat, nisi diuinitùs vires ei suppeditarentur ad agendum. Obidq;

Paulus.

Mũdus fuit sub lege scripta tribus ætatibus. reliquit Deus mundum sub lege scripta tribus alijs ætatibus: nempè mille quingentis annis vsq; ad Christum, vt longo rerum vsu eandem suam infirmitatem atq; imbecillitatem discerent, vt eum optatiùs susciperent.

PER

Soluũtur argumenta. PER hæc soluuntur argumenta in contrarium, quãdoquidem reddita est ratio cur non decuit statim in mundi primordijs legem ferri, neque eãdem dari Abrahæ. Quod autem non debuit differriusq; ad Dauid, inde constat quòd non solùm familiæ ex qua Christus nasciturus erat, sed toti circunciso populo descendenti ab Abrahã fuerat promissa. Quãuis illis qui præcisi fuerant à truncо & recta linea, vt Ismaelitis, & Idumæis de scendentibus ab Esau, lata nõ fuerit. ¶ At verò contra hæc quæ dicta sunt restat argumẽtum simileilli quod fit de aduentu Christi. Ait enim ipse Matth. 11. Quòd si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quas ipse faciebat inter Iudæos, pœnitentiam egissent. Et ideò remissius futurum esset illis gẽtibus in die iudicij. Simile inquam quis cogitare posset de lege veteri: videlicet quòd si vel alium populũ Deus elegisset, vel alio tempore scripsisset eis legem, obseruantior fuisset ei præstita obedientia, quàm tunc ab illo populo, qui statim ad idololatriã peruersus fuit. Respondetur autẽ quòd illas nos rationes ignoramus sicuti mysterij illius quod refert Paul. ad Romañ. 11. nempè cęcitatem contigisse in Israel donec plenitudo gẽtium intraret. Ob idq; causas reddimus quas congruere coniectamus. Et nõ est dubium, quin licèt alij fortasse fuissent tunc obedientiores, tamẽ ad finem vniuersalis redemptionis ex alia parte cõcurrerint congruentiores causæ, cur Deus illam gentẽ & tempus elegerit. Tametsi demum causæ omnes ad fontem prædestinationis referendæ sint. Ex quo primum argumentum præcedentis articuli dissoluimus.

Argumentum contra hactenus asserta.

Solutio.

Paulus.

QVAESTIO SECVNda, De Præceptis legis veteris in genere.

S. Th. 1.2. q. 99.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm lex vetus vnicum tantùm cõtenuerit præceptum.

Argum. 1.

Paulus.

QVITVR q̃stio secũda de legis antiquę præceptis in genere. Et arguitur quod nõ fuerint plura, sed vnũ tantũ. Tum ex illo ad Romañ. 13. Si d'd est aliud mandatũ, in hoc verbo instauratur: Diliges proximũ tuum sicut teipsum: quod vnicũ est. Tũ ex illo Matth. 17. Omnia quæcunque vultis vt faciãt vobis homines, hæc & vos facite illis: hæc est enim lex & Prophetæ. Lex nãq; vetus nõ erat amplior quàm quæ lege & Prophetis concludebatur: ergò tota lex vetus vnicũ erat præceptũ. ¶ In cõtrariũ est Apostolus q ad Ephes. 2. appellat illam legem mandatorum quam Christus decretis Euangelicis euacuauit.

Paulus.

IN ingressus statim præceptorum legis generalissimus articulus est, an fuerint plura. Similem nanque suprà de lege naturæ quæ siuimus, similiq; hic modo cõclusione dissoluetur, quæ est hæc: Præcepta veteris legis vnum quodammodo sunt ratiõe ordinis ad eundem finem: simpliciter tamen plura, secundùm peculiares obiectorũ rationes quæ eiusdẽ finis assequendi media existũt. Et ratio est per se lucida. Cùm enim præcepta de actionibus sint humanis earum rerum quæ fieri dedent: necessitas autem cuiusq; operis & officij à fine sumatur: finis verò legis (vt suprà monstrauimus) sit bonos facere ciues, fit vt per ordinem ad hunc finem cuncta præcepta quodam modo dicantur vnum, sicuti lex vna. At verò quoniam ad hunc eundem finem multa sint officia necessaria, de quorum singulis speciebus operę pretiũ est edici singula præcepta, fit vt simpliciter sint plura.

Conclusio responsiua.

Ratio cõclusio.

¶ Sed porrigit nihilo minùs nobis vtrunque membrum dubitandi ansam. Prius inquam quòd legis veteris nõ vnus tantùm, si præcedentium memineris, constitutus est finis: sed vnus præceptorum moraliũ, qui erat subditorum probitas, atq; alter ceremonialiũ, puta Christus qui illis præsignabatur. Quare neque ratione finis vnum erat præceptum. Respondetur tamen quòd finis diuinæ legis vt articulo proximo patebit, nõ est sicuti humanæ, amicitia tantùm & charitas inter homines: sed illa quæ nobiscum est cum eodẽ ipso Deo: de qua vtiq; legitima charitate illud. 1. Timot. 1. intelligitur, finis præcepti charitas. Hanc autem amicitiam nulla legis opera (vt dictum est) conciliare absp; Dei gratia possunt. Concedimus ergo duos fuisse particulares fines legis, ad vnum tamen relatos. Finis enim moralium erat mores componere: finis autem ceremonialiũ, venturus Christus, author gratiæ: quorum vtrunq; ad verã salutem animæ exigitur, qui vnicus est legis finis. Nam per Christi gratiã eius efficimur membra

Prima dubitatio.

Solutio.

membra: in ipso autem compaginati per legit officia progredimur ad vitam æternam,

Secunda dubitatio.

¶Alterum verò dubium est huic contrariũ. Apparent enim omnia præcepta, non solũ (vt aiunt) secundùm quid per ordinem ad vnum finem, sed simpliciter esse hoc vnum: Diliges Dominum Deum tuum. Enimuerò dilectio Dei nihil aliud est quàm eius seruare mandata: iuxta illud Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum. Et. 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deum & mandata eius non custodit, mendax est. Qui autem seruat verbum eius,

Cõfirmatio.

verè in hoc charitas Dei perfecta est. Et confirmatio sententiæ huius est quòd per cuiusq; præcepti, quòd verè est præceptum, transgressionẽ amittitur Dei charitas, Quod certè non contingeret, nisi cuiusq; transgressio in transgressionẽ dilectionis Dei incurreret: omnia ergò præcepta simpliciter vnũ sunt.

Alia cõfirmatio.

Namq; si hoc neges, cũ negare nequeas quin cuiuslibet præuaricatio si etiam violatio huius præcepti diuinæ dilectionis, consequens tibi fit, vt nullum sit simplex peccatum, sed cuncta sint dupla: vt cùm hominem occideres, vnum esset contra charitatem proximi, puta occidere: & alterum contra charitatem Dei. Et cùm furtum vel adulteriũ faceres, si militer. Respondetur ergo, nõ vnum, sed plura esse, quorum distinctio à distinctis rationibus obiectorum sumitur: vt quæstione sequenti patebit. Sed tamen omnia sunt quædam explicationes illius generalis, quod est diligere Deum. In hoc enim constituit nostrum erga ipsum amorem, vt ipsum in primis coleremus, mox nos diligeremus inuicem. Quocircà conceditur, hominem occidere esse quandam transgressionem diuinæ dilectionis, sed tamen non sunt duo peccata, sed vnum quod à proximo obiecto nuncupatur homicidium: sicuti aliud, furtum: atq; aliud, adulterium, Itaq; ratio illa generalis diligendi Deum contrahitur per diuersas species: sicuti ratio animalis. Vnde sicut homo & animal non sunt duo, sed vnum, quòd est homo: sic occidere, ac dilectionem Dei violare. An verò præter hoc generale sit speciale dilectionis mandatum quod suum habeat peculiare obiectum, S. Tho. docet. 2. 2. q. 44. &

S. Thomas.

quæst. sequenti recolendum nobis super est.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur membrum argumenti in contrarium respondetur, quòd sicut modò dicebamus, generale diuinæ dilectionis mandatum specialibus cunctis præceptis participari: ità & hoc, Diliges proximum tum sicut teipsum, finis est omnium quæ erga proximum implentur: quin verò genus per reliqua speciatim expositũ. Nihil enim aliud est diligere proximum, quàm illum non lædere, puta non occidere, non furari. &c. quodverbum Paulinum, instaurari, designat. Inter alios nanq; significatus, quos nos illic agnouimus, hunc præcipuè probauimus, quod est, recapitalari, ac repeti. Qui enim iubet proximũ diligere, in virtute præcipit nõ mœchari, non furari. &c. In dilectione autem proximi includitur dilectio Dei: eò quòd cùm vniuersos mortales pro filijs ducat, in hoc vult amorem nos sibi exhibere, vt nobis inuicem exhibeamus. Vnde. 1. Ioan. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suũ. Atque hac ratione hoc solo mandato, Diliges proximum tuum sicut teipsum, cõplextus est Paulus ambo illa quæ Christus Matth. 22. distinxit de dilectione Dei & proximi, in quibus duobus pẽdere docuit omnem legẽ & Prophetas. ¶Et cõdem relabitur solutio secundi membri. Cùm enim. 9. Ethic. cap. 8. authore Aristot. ab ipso eodem homine ea omnia quæ ad amicitiam attinẽt ad cæteros perueniant, quod est, ex eo quòd se quisq; deamat, alios subinde amare, cuncta amicitiæ iura ac perinde præcepta quæ inter amicos ac proximos seruãtur, hoc vno cõcludũtur, vt ità se quisq; ad alios habeat quemadmodũ ad seipsum: idq; cõprehẽditur illo generali principio. Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.

Author in cap. 13. Epistolæ ad Romañ.

Ad secundum argumentum. Aristot.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm præceptorũ legis Veteris trina sit differentia, videlicet moralium cerimonialium, atq; iudicialium.

QVM monstratum nobis fuerit, præcepta moralia esse plura, ordo poscit vt exploremus vtrùm eiusdem sint speciei, an verò trina differentia distinguãtur, vt alia sint moralia, alia ceremonialia, alia verò iudicialia. Et arguitur contra hanc trimembrem diuisionem. Præcepta moralia, vt in subsequentibus visuri sumus, omnia sunt de iure naturæ: ergò non opùs fuit in tabulis legis veteris scribi. Probatur cõsequentia:

Argum. 1.

tia:quoniam lex diuina illic debet nobis sup petias ferre,vbi natura succũbit:si ergò ratio naturalis decalogũ mortales docebit, quidnam opùs erat lege diuina explicari? Eò potissimè quòd lex vetus dicitur litera occidẽs: vt patet.2.ad Corinth.3.morum autem: præcepta,nõ occidunt,sed viuificant:secundùm illud Psalmi,In æternum non obliuiscar iustificatiões tuas,quia in ipsis viuificasti me.

Paulus.

Argum. 2 ¶Secundò arguitur,si præcepta moralia scriptu necessaria erant,nihil opùs erat ceremonialia adijcere.Moralibus enim vt nomẽ sonat humani mores informantur,inter quos præcipua pars est diuinus cultus : vt gentes vniuersæ sub lege naturæ agentes more & vsu vbique docuerunt, ceremonialia autem ad diuinum cultum pertinent: vnde Cicero in sua Rheto.Religio.inquit, diuinæ naturæ cultum ceremoniamq; affert.concluduntur ergo religionis ceremoniæ sub moralibus præceptionibus . Quòd si dicas,gratia præmonstrandi Christi fuisse institutа , id sanè potiùs verbis demandari deberet quã rebus: quippè cũ verba,vt.2.de Doctri . Christ. author est August. principem teneant significandi locum.¶Tertiò ex eodem fonte arguitur.Iudicialia præcepta ad iustitiam prorsus pertinent : nam iudicium actus iustitiæ est: quod & Dauid in Psalmo significat vbi ait: Quoadusq; iustitia cõuertatur in iudicium: officia autem iustitiæ , perinde atque aliarũ virtutum sub moralibus præceptionibus cõprehendũtur:nulla ergo necessitas postulabat,iudicialia mandata moralibus adhiberi.

Cicero.

Solutio.

Replica.

Augustinus.

Argum.3.

Argum.4 ¶Quartò arguitur,si oportuit tres istos præceptionum ordinesdistinguere,necessarium quoq; fuerat plura adijcere : nempè testimonia.Nam Deut.16.legitur, custodi præcepta Dñi Dei tui,& testimonia,& ceremonias. Deinde mandata:quoniam eodem lib. cap. 11.quatuor distinguntur:vbi legitur, Obser ua præcepta,& ceremonias,& iudicia, & mãdata . Ad hæc & iustificationes: iuxta illud Psal.In æternum non obliuiscar iustificationes tuas.Item quia præcepta moralia, vt infrà de Decalogo videbitur, omnia pertinent ad virtutẽ iustitiæ: debuerũt subinde alia adhiberi de virtute & temperantia & alijs virtutibus.¶In contrarium est illud Deut.6. Hæc sunt præcepta,nempè moralia, per antonomasiam,ceremoniæ,atq; iudicia . Et capitu.14.Decem verba scripsi in duabus tabulis lapideis:& mihi iniunxit in illo tempore, vt docerem vos ceremonias & iudicia quę facere debeatis:quibus locis tria hæc pręcepto rum genera designantur.

Deutero.6.

QVoniam de singulis præceptorum generibus singulæ inferiùs repetendæ sũt quęstiones,ad pręsentem,quæ generalis est, quatuor conclusionibus breui compendio respondetur. Prima est , necessarium fuit præcepta moralia lege illa veteri explicari, vt Exod.20.vbi decalogus scriptus habetur: & alijs locis,quibus alia scribuntur,comprobatur . Enimuerò vt præcipua humanæ legis intentio est homines mutua inter se beneuolentia deuincire,ità & Dei propositum est per suas leges eosdem secum arctissima amicitia copulare.Quare non est eius intentio, vtcunq; bonos nos efficere humano more,sed sibi gratos : cùm autem similitudo sit mutui amoris fons,secundùm illud Eccles.13 Omne animal diligit sibi simile , fit vt optimo Deo nemo gratus acceptusq; esse possit nisi ei suo gradu sit bonitate similis. Et cùm authore Aristo.2.Ethico. Virtus sit quæ bonum facit habentem , & eius opus bonum, intentio diuinæ legis est,homines virtutibus sibi gratis imbuere morumq; ornamẽto decorare.hoc autem non fit nisi per morũ pręcepta,nam inde dicuntur moralia : ergo illa fuerunt in lege necessaria. Atq; hinc fit lucidus earum monitionũ sensus, quibus amantissimus nostri Deus ad virtutes nos, diuinarum imitatrices allicit. Vt leuit.19.Sãcti eritis,quoniam ego sanctus sum. Et in Euangelio Christus:Estote misericordes,sicut Pater vester misericors est:Lucę.6.Et Matt.5. Estote ergo & vos perfecti , sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Ac si dicat:Aliter ei chari esse non valetis,nisi sitis imitatrice virtute assimiles. ¶Quòd si contra præceptorum istorum numerũ arguas quòd non fuerit sufficiens,propterea quòd,vt patet in Decalogo,præcisè sunt præcepta iustitiæ , quæ est ad alterum:cùm tamen sint & aliæ hominis virtutes in ordine ad se ipsum:vt fortitudo,& temperantia,atque id genus plures.In subsequenti quæstione tibi affulgebit respõsio,vbi patebunt præcepta alia : quæ tamen omnia ad Decalogum reducuntur. Secunda conclusio . Præter moralia cõdecens fuit ac necessarium vt lex vetus ceremoniarum præceptiones explicaret.Nomen enim ceremonia,siue à Cerere dicatur,quam frugum deam colebãt,quod Cicero.1.in Verrem,his verbis annuere videtur:Sacra Cereris, sum-

Prima conclusio.

Probatio.

Aristot.

Lucidus sensus monitionum diuinarum quibus mortales ad virtutes diuinarũ imitatrices allicit.

Secunda cõclusio.

Cicero.

ma

ma maiores nostri religione confici, ceremoniq; voluerunt. Siue (quod Valerius libentiùs recipit) à Cere oppido, vbi Roma à Gallis direpta, religionis sacra recondita sunt: tamen eos significat ritus, qui ad diuinum attinent cultum. Verum tamen diuinus cultus, vt Diuus Tho. hoc loco scienter docuit, differenter altiusq; diuinis legibus instituitur quàm humanis. Etenim cùm lex humana, vt nuperrimè dicebamus, rebus duntaxat humanis consulat, (nil de Ecclesiasticis in præsentia definimus) non altiorem cultum Dei instituit quàm quem ad commune temporarium bonum conducere iudicat: Deus autem homines ad seipsum pertrahēs eum sui cultum suis legibus edocet, quo homines, terrenis posthabitis, ad ipsum animis subleuentur. Et cùm nō solum per internos actus credendi, sperandi, & amandi, verùm & per exteras protestationes profiteamur nos eius famulos, necessarium fuit ceremonias illas diuina lege institui. ¶ Emergunt autem ex hac cōclusione dubia duo. Primū quòd negare videmur ceremonialia ad morum informationem pertinere: quandoquidem à moralibus huiusmodi præcepta secernimus. Cùm tamen in morum compositione pars illa præcipuum habeat momētum, quę diuino cultui dedicatur. Quapropter sicuti nos orantes, psallentes, thurificātes, atq; hoc genus cultus offerentes, sic & patres illi suis ceremoniis, ceu per alios mores, bene de Deo merebātur. Secundū dubiū est quòd quasi iustū, approbamus morem humana rum legum, diuinum cultum ad suum ciuilem finem referentium. Cùm tamen peruersitas appareat, qua fruendis vtimur. ¶ Dubij autem prioris responsio est, ceremonialia præcepta non sic esse à moralibus diuersa, vt species ex æquo distincta: sed differunt vt generis determinatio ad speciem. Id quod facilè perspicias si discrimen memoria repetas quod lib. 1. q. 5. cōstituimus inter ea quæ sunt iuris merè positiui, & ea quæ sunt iuris naturæ. Nam licèt omnis lex & præceptum à naturalibus principijs deriuetur: aliàs, vt illic monstrauimus, neq; legis vigorem haberet, neq; præcepti: est tamen deriuatio diuersa. Nam ex eisdem vniuersalibus principijs, quædam deriuantur per modum conclusionum, perinde atque in scientijs speculatiuis: quædam verò per modum determinationis formę vniuersalis ad specialem. Ad hunc ergò modum moralia ceremonialiaq; manda

Valerius.

S. Thomas.

Prima dubitatio.

Secunda dubitatio.

Moraliū, ceremonialiū ac iudicialiū discrimen.

ta differunt: nempè, vt illa deriuentur priori modo: hæc verò posteriori. Exempli gratia. Id nè facias alijs quod tibi fieri non vis, principium est per se notum. Mox quòd occidi ab altero nolis, aut tua dispoliari substantia, aut torū tuū cōmaculari, eodē etiam lumine naturali claresci t. Ex quibus naturaliitidem cōsequentia colliguntur moralia præcepta: Non occides, Non furtum facies, Non adulterabis. Et ad hunc fermè modum dicemus infrà de alijs quæ sunt extra Decalogum: nam sunt plures gradus. Lex autē humana & omnis positiua, non naturali collectione, sed humano arbitramento determinat gen⁹ ad speciem. Exemplum. Deum esse colendum, principium est naturale. Quòd autem hoc vel illo modo, natura non docet, sed ab Ecclesia Euangelica per humanas leges puta canonicas ab apostolis deriuatas sanci t. Puta quòd talia feriemur festa, hisq; aut illis ritibus religionem profiteamur. Quòd autem negotium ecclesiæ iam sanctitate prouectæ Christus commisit, hoc Deus rudi illi populo quem ex toto orbe volebat esse illustrē, per se exhibuit. Cūcta inquā veluti pueris delineauit. Quare idem naturale cultus principium speciatim expositi per illa animalium sacrificia, aliosq; ritus quos natura nō clarè docebat. Et hæc sunt ceremonialia præcepta. Tametsi hoc fuit legi illi peculiare, quòd cum esset vmbra futuri Messię, qui futurus erat verus Deus, talia decuit iubere sacrificia & ceremonias, quibus sub nube & figura eundem Messiam cultores eius profi terentur. ¶ Ad secundum verò dubium respondetur bifariàm cōtingere, diuinum cultum ad ciuilem finem & humanum referri. Vno modo vt humanus, tanquā supremus existimetur. Et hæc esset peruersitas vtendi fruendis, fruendiq; vtendis. Attamen diuinum cultum referre ad temporalem finem, non tanquàm ad supremum, sed tanquàm ad illum qui rursus refertur in Deum, nulla est peruersitas. Quin verò per hoc profitemur cuncta nobis diuinitus obuenire. Qua ratione Ecclesia preces fundit, sacrificiaq; & missarum solennia offert pro temporalibus bonis: lex ergò humana hoc modo refert diuinum cultum ad suum finem. Quanuis Canonicæ & Ecclesiasticæ, diuinarū sequaces, ciuilib⁹ debēt hoc prę stare, vt animos hominum à terrenis diuulsos ad Deum promoueant. ¶ Gentilium autem superstitiosa religio eatenus est inculpanda, quòd ritus in

Ad secundū dubiū.

primis suos dijs falsis dicabant. Mox quòd dæmoniacis illusionibus seducti extorũ inspectione animalium, aliorumq; superstitione auguriorum cõtendebant futura prænosse. Tertiò, quòd spurcis ceremonijs vtebãtur. Ac demum quòd quasi fœlicitatẽ in terrena prosperitate collocantes non alia ratione deos videbantur colere, quàm quòd eorũ opeindigebant. Quare aliam colebant frugum deam, alium vini, atq; aliũ bellorum, qui cùm ipsis egebant, tunc præcipuè placare curabant. ¶ Tertia conclusio. Præter hæc duo præceptorum genera necessariũ rursùs fuit iudicialium tertium. Huius enim ratio similis illi est quam de proximis ceremonialibus informauimus. Cùm enim lex diuina homines primum in ordine ad Deum, mox ad suam inuicem amicitiam pacemq; instituat: quorum vtrunq; naturalis lex in genere præcipit: consequens fuit vt ambo in specie Deꝰ explicaret. Atq; adeò sicuti ceremonialia præcepta peculiariter de diuino cultu instituit: sic etiam debuit & iudicia constituere, quibus beneuolentia & pax inter homines constaret. Collige ergò differentiam horum trium generum præceptionum: reliqua enim duo à moralibus deriuantur quæ dictamina sunt iuris naturæ: nempè ceremonialia respectu diuini cultus: iudicialia verò respectu tranquillitatis humanæ. Quocircà vt in solutione primi author est. S. Tho. lex vetus aliquid addebat supra ius naturæ: nimirũ eo modo quo leges humanę adiectiones sunt ad idẽ ius. Habemus etenim & sub noua lege ceremonialia, vt dictũ est: vt Psalmodiã, processiones, thurificationes, & alia huiusmodi. Et iudicialia, vt excommunicationes, suspensiones atq; irregularitates. &c. Et antiquas Canonum pœnitentias: Sicuti & iure ciuili iudicialia supplicia malefactoribus decreta. Nisi quòd ratione suprà dicta Christus hęc in Euangelio nõ expressit, sed Ecclesię & reipublicæ ciuili commisit. Deus autẽ in lege veteri cuncta explicuit. ¶ Hinc subsequitur alterum discrimẽ. Nempè quòd præcepta moralia sunt simpliciter de iure naturæ, puta præcepta, quia bona: aut prohibita, quia mala. Reliqua verò, de iure positiuo diuino, sicut ceremoniæ & iudicia nostra, de positiuo humano: nempè bona, quia præcepta: vel mala, quia prohibita. Quẽadmodum Aristot. 5. Ethicor. cap. 7. distinguit iustum naturale, hoc est natura sua tale: & legitimum, quod antè quàm positum esset nihil referebat, sed postquàm positum est. Arqui ad hęc tria genera fortè allusit Paulus ad Romañ. 7. dicens quòd lex est sancta, quantum ad ceremonialia: eò quòd illud est sanctum, quod Deo dicatum est. Et mandatum iustum, quantum ad iudicialia: & bonum, hoc est honestum, quantum ad moralia. ¶ His demum adiungitur quarta conclusio. Quanuis alia inueniantur in veteri lege nomina, scilicet mandata testimonia, & iustificationes: cuncta tamen ad hæc tria genera reducuntur. Ratio conclusionis sic habet. Quædam in lege existunt quæ ceu agẽdorum præcepta edicuntur. Alia verò adhibentur quasi robur ad eorum custodiam. Illorũ ergo sunt tria genera iam posita: horũ autem altera tria. Nam quod ad legis obseruantiam conducit, primum est legislatoris authoritas: secundum verò legis vtilitas: quæ est vel consequutio præmij, vel supplicij cautio. Illa etgò quibus authoritas maiestasque legislatoris commẽdatur, dicuntur testimonia. Vt Deuterono. 17. Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est. Et legis caput, quo pronuntiatur creator cœli & terræ. Et in Psalm. Tu terribilis es: & quis resistet tibi? Et omnipotens nomen eius, & similia. Illa verò quibus vel præmia vel supplicia proferuntur, dicuntur iustificationes. Vt Deutero. 18. Si audieris vocem Domini Dei tui, faciet te celsiorem cunctis gentibus. Et Isai. 1. Si audieritis, bona terræ comedetis: Quod si nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Nam per hęc diuina iustitia commendatur. Mandatum autem forsan idem est quod præceptũ. Sed quoniam loco citato videntur ab inuicem secerni, fortasse præcepta referuntur ad ea quę ad salutem sunt necessaria: mandatum verò ad illa quæ per charitatem supererogantur, cuius generis sunt & Euangelica consilia. Atq; illud Exodi. 2. Si pignus acceperis vestimentum à proximo tuo, ante solis occasum reddas ei. Vel fortè præcepta sunt, quę Deus in tabulis scripsit: vt Decalogus: mandata verò, quæ Moysi reuelauit, vt populo promulgaret. Tametsi & ipsę iustificationes, testimonia etiam sunt diuinæ iustitiæ. Vniuersa autem reducuntur ad tria priora generalia. Quandoquidem alia (vt dictum est) non tam præcepta sunt, quàm ad eorum custodiam pertinentia.

Tertia conclusio.

Primũ discrimẽ inter tria genera preceptionũ s. moraliũ ceremonialium, & iudicialium. S. Thomas.

Secundum discrimen.

Aristot.

Paulus.

Quarta conclusio.

Ratio cõclusionis.

HIS

Ad primũ argumentũ HIS hoc pacto constitutis ad primum argumentum in contrarium respõdetur, quòd etsi præcepta moralia nihil aliud sint quàm quod lex naturæ dictat, & serena ratio docere potest, operæpretiũ nihilo minùs fuit vt Deus non tantum in supernaturalibus verùm & in naturalibus tali prudentia illis opem ferret. Nam etsi nunquàm rationis synderesis eousq; extingui valeat, quin prima principia naturalis iuris ei refulgeãt, tamen ea potest caligine obduci, vt circa eorũ cõclusiones hallucinetur oberretq;. Idq; non solùm in speculabilibus, verũ & in moribus. Mirabile enim est dictu quanta de speculabilibus sapientiũ vetustorũ deliramenta memorię prodita sunt. Et in moribus nõ solùm fornicatio simplex, verùm & grauiora pro licitis ducebãt. Atque illo maximè tẽpore quo lex data est, hanc mentiũ nebulã, credibile est mortales obtenebrasse. Eàdem enim de causa & supernaturalis fides non solùm de supernaturalib⁹ articulis nos erudit, verũ & de alijs quos natura docet. Vt quòd Deus est vnus, atque omniũ causa, quòdq; anima sit immortalis, & de similibus. Id autem quod in eodem argumento adiectũ est: nempè id quod est literã legis occidere: moralibus præceptis non competere, negatur. Imò, vt Augustinus lib. de Spiritu & lite. cap. 14. author est, nosq; ab ipso instructi super tertium caput ad Roma. fusè tractauimus, præcepta ipsa Decalogi sunt, de quibus Paul. ait literam occidere, atque iram operari. Non quidem quòd id directa intentione (vt iam dictum est) facerent, sed quia ostẽdendo peccatorum opera nudabant subditos omni excusatione: & tamen lex illa gratiam non cõferebat. Attamen qui ex fide venturi Christi iustificati illa præstabant, iustitiam suam augebant apud Deum. Et ideò appellabat eadem opera Dauid iustificationes.

Ad confirmationẽ eiusdem argumenti.

Augustinus.

Autor in cap. 3. Epist. ad roman.

Ad secũdũ argumentũ ¶Secundum etiam argumentum solutũ est vbi declarauimus quemadmodum ceremonialia ad mores quoque & merita pertinẽt: sed tamen quia naturali lumine non eliciuntur ex dictamine naturæ, sed humano arbitramento vel diuino, à moralibus secernuntur. Itaque Deum colere principium morale est: hoc autem vel illo ritu, ceremoniale.

Ad confirmationem. Dionysius. ¶Ad aliud autẽ quod illic subijcitur respondetur quòd etiam si verba commodiora sint ad significãdum, nihilo minùs, vt Dionys. 1. cap. Cœlestis Hierar. author est, natiuum est hominibus rerum similitudinibus sensibilibus spiritualia intelligere. Obidq; decuit tales illi populo ceremonias iuberi, quibus vẽturum Christum profiterentur. ¶Ad tertium pariter, vt de ceremonialibus, respõdetur, quòd & si actus iustitię in genere ad moralia præcepta pertineant, tamen hæc vel illa in particulari iudiciorum præcepta dicũtur iudicialia. Quemadmodũ quòd omnis malefactor puniendus sit, præceptum est morale: quòd autem fur sit suspendendus, & hęreticus cõburẽdus, iudicialia sunt. Vnde cùm iudicialia partim cũ moralibus conueniãt, scilicet quòd à ratione deriuantur, ad moresq; pertinent, & partim cum ceremonialibus, in hoc scilicet quòd vtraq;, speciales sũt determinationes generalium præceptorum, consequens factum est, vt nonnunquàm cõnumerentur inter moralia: vti Deut. 5. Audi Israel ceremonias atq; iudicia: quandoq; verò inter ceremonialia, vt Leuit. 18. Facietis iudicia mea & præcepta mea seruabitis. In priori enim loco iudiciorum nomine cõprehenduntur moralia: & in posteriori ceremonialia. ¶Quartum verò suprà solutum est: præter illam particulã de virtutibus moralibus distinctis à iustitia: quarum vtiq; præcepta statim quæstione proxima cõstabit quomodò ad iustitiam reducantur: eò quòd præceptum dicit semper rationem debiti.

Ad tertiũ argumẽtũ.

Ad quartũ argumẽtum.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm lex vetus ad sui obseruantiam per temporalium promissiones & cõminationes debuit suos subditos inducere.

POST veteris legis præcepta sequit in. 3. articu. vt dicam⁹ de ei⁹ præmijs & pœnis, quibus eius cultores & allicie bãtur ad eius obedientiã & à trãsgressione deterrebãtur. Quæritur inquã vtrùm decuerit promissiones illas & cõminationes esse tẽporales, Et arguitur à parte negatiua. Intentio diuinæ legis est homines Deo amore & timore subijcere, secũdũ illud Deut. 10. Et nũc Israel quid Dñs Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dñm Deũ tuũ, & ambules in vijs ei⁹, & diligas eũ: temporalis autẽ cupiditas à Deo animos lõgè abducit: secundũ illud Augustini libr. 83. quęstionũ. q. 36. venenũ charitatis est cupiditas: ergò illectamenta illa ac terrimenta minimè diuinã legem decebant. ¶Secundò. Leges humanæ inde apparẽt deiectiores quòd

Argum. 1

August.

Argum. 2

per hæc lubrica, pereuntiaq; temporalia ad bonũ ciues promouent: lex ergò diuina quæ ad immortalẽ fœlicitatem mortales ducit, nõ deberet similibus munusculis ac deterriculis vti. Atq; eò minimè quòd temporaliũ prosperitas cõmunis est iniustis cum iustis, atq; aduersitas iustis etiam cum iniustis: secũdùm illud Eccles. 9. Vniuersa temporalia hæc eueniunt iusto & impio: bono & malo: mundo & immundo: immolãti victimas, & sacrificia contemnenti: ergò temporalia bona vel mala incõgruenter statuuntur vt præmia vel pœna mandatorum legis diuinæ.

¶ In contrarium autem est illud nuperrimè citatum Isai. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.

ADnotandus est in primis quęstionis titulus. Haud enim in dubium reuocatur quin custodes illius legis per fidẽ & gratiã Iesu Christi præmia cõsequerẽtur ęterna: transgressoresq; afficerentur perpetuis supplicijs, sicut Euãgelicis professoribus cõtingit. Effulserat nanq; antiquis illis alterius vitæ lumen: vt patet Geñ. 37. Descẽdam ad filium meũ lugens in infernũ. Sic enim appellabant decessum vitæ præsentis: propterea quòd illis nõdũ cœlestes fores patebãt: quare etiã iusti descendebãt ad limbum. Et Ezechi. 37. aperta ext at futurę resurrectiõis prophetia in campo illo quẽ propheticè cernebat plenũ ossibus. Nam dictũ est ei, Putásne viuent ossa ista? Et sequitur: Ecce ego mittã in vos spiritum & viuetis. Et Iob. 19. Credo q̃ Redemptor meus viuit. Et Actu. 23. mentio fit opinionis Sadducęorũ negantiũ resurrectionem mortuorum cõtra fidem quam reliquus populus sustinebat. Et Dauid Psalm. 101. In memoria æterna erunt iusti. Et Sap. 5. Tunc stabunt iusti in magna cõstantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Et de miseris supplicia luentibus subditur: Videntes turbabuntur terrore horribili. &c. Igitur quod in quæstionem producitur, nõ est cur non fuerint illi patres aut præmiati aut puniti nisi temporaliter: sed cur, cũ eadem illos sicuti nos, præmia & supplicia manerẽt sempiterna, non fuerint in lege scripta nisi temporalia. ¶ Respondetur ergò vnica cõclusione. Condecens fuit & illi populo congruentissimum, vt illis pollicitationibus & cõminationibus temporalium adduceretur. Iam enim superiori libro mõstratum est leges ad sui obseruantiã suppliciorũ metu præmiorumq; spe homines attrahere: instar sciẽtiarũ speculatiuarũ, quæ per principiorũ cognitionem ad cõclusionum assensus permouẽt. Quapropter ea esse debet legislatoris prudẽtia, vt secundũ ingenia ciuium tam præmia statuat q̃ supplicia: populũ autem illũ Paul. ad Galat. vt. q. præcedenti meminimus, puero cõfert dũ sub pędagogo eruditur: sed naturale puerorũ ingeniũ est solis illis munusculis allici, quę sunt ante oculos: nam ea quę absunt, mente percipere nequeũt. Et eadem ratione præsentiũ timore deterrentur. Expediẽtissimũ ergò fuit, vt lex illa quæ, vt dictũ est, tanq̃ imperfectio quædam ad perfectionem Euangelij gentem illã prępararet, infimo illo pręmiorum pœnarumq; genere vteretur. Quapropter Paul. ad Philip. 3. Euangelicam familiã veluti filios iam Dei charitate proiectos atq; in hæreditatem missos exemplo suo commonefacit, dicẽs: Quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ priora sunt extendẽs me ipsum, ad destinatũ persequor, ad brauium supernę vocationis in Christo Iesu. Quicunq; ergò perfecti sumus hoc sentiamus. &c. Ecce ergò cur Exod. 30. vbi Deus apparuit Moysi, quẽ ad seniores populi in Aegyptum delegaret, quib⁹ daturus erat legem, hoc tantũ eis pollicetur q̃ adducet eos in regnum Chananęorum, terrã scilicet fluẽtem lacte & melle. Christus autẽ Matth. 4. lator legis nouę nõ inferius regnum q̃ cœlorũ nobis proponit. Illic bona terræ promittuntur: in Euãgelio verò vita æterna. Et Deute. 28. Si audieritis, inquit, vocẽ Domini Dei tui. &c. faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cũctis gentibus quæ versantur in terra: venientq̃; super te vniuersæ benedictiones istę. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. &c. Matth. autẽ. 5. Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebũt terram. Nõ vtiq; infernam Chananęorum, lacte & melle fluentem: sed supernam Angelorum, diuino nectare exuberãtem. ¶ At verò huic quæ canonica ratio est, alteram eidem proximã subiungamus ex eadem pullulantem radice. Cùm illa inquam quæ Christus mundo promissurus erat vix præsua celsitudine ab hominibus credi poterãt, quia neque in cor hominibus ascenderant, consultò Deus voluit fidelitatem suam in illis temporalibus declarare, vt certiorem

Sensus propositæ quæstio.

Conclusio responsiua.

Probatio prima conclusionis.

Paulus.

Paulus.

Altera ratio cõclusionis.

arrogaret

arrogaret apud nos fidem dum postmodũ inuisibilia promitteret. Hac enim de causa populum illum in exilium Aegyptiacũ ire siuit, vt inde eum posteà in terram promissam optima fide cum tam ingentibus signis & portentis reuocaret: nempè vt in illis, tum cœlestium futuras promissiones depingeret, tum etiam, vt quàm esset in suis pollicitationibus fidelis, humano generi persuaderet. Atq; hac, vt reor, de causa Augustinus. August. contra Faustum illud appellat testamẽtum vetus, hoc verò nouum: scilicet nõ ob id tantùm quòd illud huic præfuit: verùm & quòd illius promissiones rerum erant cum tempore senescentium: in nostro verò illa promittuntur, quæ sunt æternum præmanentia. ¶ Simile est & inter supplicia illius nostrę; legis discrimen. Pater enim tum alibi sæpe, tum luculẽter Leuit. 26. Vbi post tẽporalia præmia, videlicet, Si in præceptis meis ambulaueritis. &c. dabo vobis pluuias in tẽporibꝰ suis vt terra germinet semen suum: & id genus plurima: subdit, Quòd si non audieritis me visitabo vos velociter in egestate & ardore qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustra seretis semen quod ab hostibus deuorabitur. At verò non sic de hoc interuallo hallucinandũ est, vt quis credat neminẽ illic opera fecisse nisi metu pœnę. Sãcti enim illi patres, vt Moyses & Abraham & prophetę timore filiali Deũ reuerebãtur. Et vice versa in Euãgelio multi timore seruili pertrahũtur. Quin verò vt Apostolus ad Roma. 1. nos admonet, longè apertiùs Paulus. nobis Christus in Euangelio cõminatus est Dei iram de cœlo reuelatam: nempè inferno rum tormenta. Sed discrimen est q̃ illic nõ comminabatur Deus nisi temporalia supplicia: nobis autẽ cõminatur æterna. Ait enim Deus per Esaiam: Si audieritis, bona terrę comedetis: quòd si nolueritis, gladius deuorabit vos. Ait verò Christus: Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternã. Præterea, lex illa plena erat timore, quare data est in monte cũ tonitruis & coruscationibus: quod Exod. 20. exponens Moyses ait: Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis. Nostra verò lex in igne amoris effulsit in die Pentecostes. Quod qui Paulus. dẽ discrimẽ ediſſerit ad Hebr. 12. Paul. Quare in illam legem peccantes, statim in supplicium rapiebantur: vt patet in conflatione vituli: vel tradebantur Philistæis aut Babylonijs, aut alijs hostibus, quibus vindicibus iratus Deus vtebatur. Vnde Dauid Psal. 77. Cùm occideret eos, quærebant eum & reuertebantur. Nobis autem (quod notatu dignũ est) nullum in Euangelio comminatus est Christus temporale supplicium: Sed cuncta nos manent in altero sæculo. Qua de causa multò quàm illi deberemus acerbiora expauescere. Sed de discrimine inter ambas leges accuratiorem habebimus quæstione. 7. luculentioremq; sermonem vbi de lege Euãgelica dicendum nobis restat.

AD primum igitur argumentum respondetur tres esse hominum ordines quantum ad temporaliũ cupiditatem distinctos. Vnus enim est perfectorum, qui neutrũ oculũ ad huiusmodi fluxibilia bona conijciũt, sed illis prorsus abiectis Deo infixi sunt. In quo ordine non erat ille populus: licèt quidam rarissimi hunc gradum pertingerent: quorum ait ad Hebr. Paul. dignũ non fuisse Paulus. mũdum. Alius est extremus ordo peruersorum qui finem suum in huiusmodi lubricis bonis statuunt. Atq; horum cupiditatẽ asserir Augustinus. esse charitatis venenum: quibus ideò periculosa esset lex, quæ tẽporalia promitteret. Sed tertius est medius imperfectorum gradus: qui scilicet bona temporalia sic cupiunt, vt viam iudicent ad æternorũ fruitionem: quare istis salutare est per hæc temporalia ad amorẽ Dei pellicere. Nam vt est in Psalmo, confitebitur tibi cùm beneferis illi. ¶ Ad secundum respondetur q̃ præstantia diuinæ legis præ humana inde deprehenditur, quòd humana ꝓponit præmia ab hominibus conferenda: Deus autem, illa quæ ipse est collaturus. Obidq; optimo iudicio illa largitur iustis & subtrahit iniustis. Nisi quandoq; ratio contrarium popoſcerit. Vnde si historias veteris instrumenti perlustres semper ille populus quandiu Deo legiq; parebat, temporalium prosperitate affluebat: & contrà dum ab eius gratia decidebat, tũc cœli atq; hostiũ aduersitatem experiebatur. Quòd si iustos aliquos, quos ait ad Hebr. Paul. angustiatos & afflictos mala fuisse per Paulus. pessos, eiusmodi aduersis exercebat, hoc faciebat, vt eis ad maiorem coronam cederet. Quanuis & nõnullos qui exteriùs legem colentes internum cor in temporalibus sentiebat infixum, secundum illud Esa. 9. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sinebat quidem ad cumulationem ipsorum condemnationem illis frui.

Ad primũ argumentũ

Augustinus.

Ad secũdũ argumentũ

QVAESTIO TERTIA, De moralibus præceptis.

S. Thom. 1. 2. quæst. 100.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ.

HACTENVS DE legis præceptis in genere, descendendum ergò iam est ad species singulas. Inter hęc autem primum ac principem locũ moralia obtinẽt. De quibus duas adornamus quæstiones: nempè hanc de omnibus in genere, atq; alteram speciatim de singulis. De his ergò primũ interrogatur vtrùm omnia pertinẽat ad legem naturę. Et arguitur à parte negatiua. Primò, *Argum. 1.* Eccles. 17. Præcepta moralia dicuntur disciplina: de illis enim dicitur, Addidit illis disciplinã: & legem vitæ hæreditauit illos. Disciplina autem, cùm per doctrinã acquiratur, contra legem naturę diuiditur: quæ potè nõ addiscitur, sed naturali instinctu percipitur: non ergò omnia præcepta moralia sunt de *Argum. 2.* lege naturæ. ¶ Secundò: lex diuina perfectior est quàm humana: Lex autẽ humana legi naturali multa accumulat bonorũ operum documenta. Vnde fit, vt cùm ius naturę idem sit apud omnes, humana tamen morum instituta sint apud diuersos diuersa: ergò multò fuit ęquius vt diuina lex aliqua na*Argum. 3.* turali insuper adderet. ¶ Tertiò: Non solùm naturalis ratio, verùm & fides ad morũ instiPaulus. tutum cõducit. Vnde Paul. ad Gal. 5. Fidem ait per dilectionem operari: fides autem sub naturę lege non comprehenditur: quippè quæ super naturalẽ rationẽ extollitur: ergò non omnia præcepta moralia legis diuinæ ad legem naturæ spectant. ¶ In contrarium *Paulus.* est illud Apostoli ad Romañ. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: vbi moralia precepta designabat.

QVæstio præsens non tantùm mouetur de præceptis Decalogi, verùm vniuersim de cũctis quæ per se ad mores pertinent: nam ceremonialia atque iudicialia nõ per se, sed quia per arbitrariam legem posita sunt, ad mores attinent. Probitas autem morum per ordinem ad rationem naturalem, quæ humanarũ actionum proprium principium est, existimari debet. Sicuti lapidis aut ligni rectitudo per hoc quòd normę cõmensurantur. Nempè vt illi mores dicãtur, sintq; probi, qui rationi concordant: reprobi autem qui ab eadẽ discrepãt: rationis autem iudicium, tam practicum quàm speculatiuum ex principijs ad conclusiones procedit: hoc enim ipsum est ratiocinari. Fit ergò consequens vt omnia præcepta moralia, siue principia sint, siue conclusiones, sint de iure naturę: ius enim nihil aliud est, quã regula. ¶ Secunda conclusio. Præcepta id genus moralia in triplici gradu sunt de iure naturę, secundùm tres diuersos modos quibus ab eisdem primis naturæ principijs descendunt. Quædam enim sunt cõclusiones quę protinùs nullo ferè negotio, sed qualicunq; cõsideratione quisque per eadem vniuersalia principia approbat aut reprobat. Et hæc sunt in primo gradu. Sicuti, Honora patrem tuum & matrem tuam, Non occides, Non furtum facies: & huiusmodi. Ex illo nanque principio, Id facias alijs quod tibi fieri vis, subsumpta hac, naturaliter quoque per se nota, quòd velles à filijs tuis honorari, sequitur quòd & tu debes honorare parentes: Nisi mauis ex illo id deducere, quòd qui beneficium recipit, beneficium debet: summum quippè temporalium beneficium est quod à parentibus recipimus. Rursùs ex illo, Id nè facias alijs quod tibi fieri non vis: subsumendo statim quòd nolles ab alio lędi vel in persona vel in bonis: colligitur. Nõ occides, Non furtũ facies, Non adulterabis. Alia verò sunt quæ non statim cuiusque ratio ex eiusdem principijs colligit, nisi subsidio adiuta sapientium, quorum est penitiùs res meditari. Veluti illud Leuit. 19. Coràm cano capite consurge & honora personã senis. Hoc enim nõ est adeò notũ, quàm debitum

Prima conclusio.

Probatio.

Secunda cõclusio.

Triplex modus quo moralia præcepta à naturalibus descendunt.

Primus.

Secundus.

debitum honorandi parentes. Et illud Euangelij: Nè dicas fratri tuo Racha: quòd non tam manifestum est quàm prohibitio non occidendi. Sed alia sunt quæ licèt sint rationi naturali consentanea, tamen non potest per seipsa ratio nisi diuinitùs illustrata attingere. Cuius ordinis multa sunt quæ ad diuinum cultum pertinent: Non facias sculptile: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Hęc enim & similia eadem ratio naturalis nisi diuino fulgore irradiata, nõ medullitùs callet. ¶ Quòd autem hæc plusculum lucis accipiant, arguitur cõtrà primò. Præcepta moralia atq; iudicialia, vt quæstione proxima dictum est, deriuentur quoq; à iure naturæ: nam sunt etiam rationi congruẽtia: aliàs nõ haberent rationem legis, vt superiori libro monstrauimus: deberẽt ergò collocari in ali quo gradu iuris naturæ. ¶ Mox præcepta Decalogi, vel censentur principia vniuersalia iuris naturæ, vel cõclusiones. Primum dici non potest: quoniam, vt. S. Tho. docet, nõ sunt nisi conclusiones inde proximè pullulantes: si ergò sunt conclusiones, quomodò collocãtur in primo gradu? Item illa quę super naturam Deus nos docet, non sunt de lege naturæ: cur ergò illic constituimus tertiũ gradum? ¶ Ad primum ex superioribus colligitur responsio. Etenim etsi ceremonialia ac iudicialia à iure naturæ descendant, non tamen per consequentiam & illationem naturalem, sicut conclusiones ex principijs: sed per determinationem generis ad speciem, le gislatoris arbitratu. Et ideò potiùs ponũtur in altero ordine à lege naturæ semoto quàm collocẽtur in eius recta linea. Ob idq; hęc nõ permanserunt sub lege Euangelica, sicuti moralia: sed abolita sunt. ¶ De materia verò secundi argumenti, variè à doctoribus opinatur. Nã in. 3. sentẽ. dist. 37. Scotus & Scholasticorum nõnulli vniuersalia principia naturæ constituunt primum gradum: conclusiones autem tam secundæ tabulæ Decalogi quàm alias, in secundo. De istorum autẽ opinione infrà articul. 8. presiùs disputandum est. Interim tamen perspectè animaduertenda est sentẽtia. S. Thomę nè quis fallatur, arbitratus Decalogũ cõstituere inter vniuersalia principia: pro eo quòd ipsum statuit in primo gradu. Enimuerò prima per se nota principia nõ faciunt gradum, sed sunt radix & fons: gradus enim idem est quod gressus: vnde sicut in linea cõsanguinitatis stirps & radix non est gradus, sed fratres: inde proximè cadẽtes sunt in primo: sic in iure naturæ principia non sunt gradus, sed quæ inde cõsequentia descendunt. Et per elongationem ab eisdẽ principijs cęteri gradus discernuntur. Itaq; cùm in Decalogo sint duæ tabulę, septem posteriora quæ sunt in secunda collocantur in primo gradu. In secundo verò illa quę sunt extra Decalogum. Qualia sunt præcepta honorandi seniores, & alia quæ non pertinent ad iustitiam. Sed in tertio consistunt præcepta primæ tabulæ. Igitur nõ statuuntur in tertio ordine, propterea quòd nõ sint omnium dignissima, imò propterea iudicantur à principijs naturæ elongatiora, quòd ob suam sublimitatem ratio nostra illa nõ plenè inde elicit nisi diuinitùs adiuta. Sicuti & in illis secundi gradus sapientiũ indiget disciplina. Alter igitur dignoscitur inter hæc dignitatis ordo, alter verò cognitionis. Quid enim naturæ amiciùs consentiens, quidue dignius, quàm præcepta primæ tabulæ: quippe quæ ad cultũ vnius Dei spectant? Et tamen quia ab humana cognitione sunt remotiora, nullũ inter Ethnicos scelus tam latè percrebuit, quàm idololatriæ impietas. Nam circa alia præcepta secundæ tabulę minimè erratum est. Et circa illa quæ sunt in secundo gradu minùs quàm circa primam tabulam. Atq; hic ordo cognitionis est quem scientissimè. S. Thom. per gradus distribuit. ¶ Quærat autem hic fortasse Lector vtrùm omnes gradus illi prohibiti Leui. 18. essent de iure naturæ. Respondetur verò q̃ illi qui per lineã rectam ascendebant, iure naturæ erant prohibiti: vt, turpitudinem matris tuæ non reuelabis. Et cum filia & cũ nepte: præterea cum nouerca & cum sorore. Alia verò ad latus posita, vt cũ sorore matris aut patris, aut cum vxore fratris non erant prohibita, quia mala: sed mala, quia prohibita iure diuino positiuo. Quocirca illa quidem erant moralia: hæc verò iudicialia. Ac proinde isti posteriores gradus non sunt in Euangelio prohibiti: essentq; iure naturæ liciti, nisi Ecclesia humano iure illos interdixisset propter deformitatem quam præ se ferũt: sed de his latius articulo octauo inter agendum de istorum dispensatione.

Tertius.

Obijcitur aduersus p̃fatam veritatem.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio

Ad primã obiectionẽ.

Ad secundam.

Scotus.

Quæstio.

Solutio.

ET per hęc patent argumentorũ solutiones. Dicuntur enim præcepta moralia, disciplina: propterea quòd non sunt prima vniuersalia principia per se nota, sed quę dilucidatione nonnulla indigent. ¶ Et ad secundum

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secundum.

cundum respondetur, quòd sicuti leges humanæ aliqua adijciunt iuri naturæ, sic & diuina adiecit ceremonialia & iudicialia. Atq; ad tertium respondetur quòd etsi fides sit lumen supernaturale, nihilo minùs necessaria est ad dilucidandum nõnulla naturalia præcepta: quæ licèt colligantur ex iure naturæ, tamen propter suam celsitudinem indigent supernaturali radio, vt vniuersis mortalibus claresc̃at. Qua ratione fides articulum vnius Dei inter alios connumerat, qui tamen naturali lumine sapiẽtibus innotuerat. Ex quo fit, in illo superiùs asserto, nempè præcepta moralia esse, quæ per se ad bonos mores attinent, vocem, per se, supernaturale lumen nõ excludere: sed duntaxat positiuam aliam legem: vt expositũ est. Itaq; etsi nulla esset lex positiua naturale ius præciperet vnum coli Deum, & reliqua primæ tabulæ: tamen nisi lumẽ fidei mortalibus irradiasset, nõ omnes ea planè perspexissent.

Ad tertiũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm præcepta moralia legis sint de omnibus actibus virtutum.

Argum. 1.

Argum. 2

Argum. 3.

Aristot.

Augustinus.

Ambros.

SEQVITVR in secũdo articulo, vt sufficientiã eorũdem præceptorũ perpendamus. Et arguitur q̃ nõ sint de omniũ virtutũ actibus. Obseruatio illorũ dicitur, iustificatio, secundùm illud Psalmi, Iustificationes tuas custodiam: iustificatio autem est actus iustitiæ: ergò in sola hac virtute versantur cuncta. ¶ Secundò ad idẽ arguitur ex nomine ipso præcepti, quod rationẽ debiti significat: debitum nanq; ad nullã aliam virtutem attinet quàm ad iustitiã, per quã vnicuiq; ius suũ redditur. ¶ Et accedit huc tertiò quòd lex (vt supradictum est) ob bonũ cõmune ponitur: quod vt. 5. Ethicor. author est Aristo. obiectum est iustitiæ. ¶ In contrarium est quod August. ait, peccatum nihil aliud esse quàm dictum vel factum vel cõcupitum contra legem Dei. Et Ambros. transgressionẽ esse legis diuinę & cœlestiũ inobedientiam mandatorum: peccata verò cũctis virtutibus aduersantur: ergò & moralia præcepta legis ad vniuersas protenduntur.

ARticulus præsens non solũ ob id in quæstionem prolatus est vt constet quàm latè virtꝰ diuinę legis protẽdatur, quę de vniuersis virtutibus iubet: verùm vt humanarũ collatione eius præstãtia innotescat. Tribus igitur conclusionibus dissoluitur. Prima: leges humanæ de solis iustitiæ actibus primaria intẽtione præcipiũt: de reliquis verò virtutibus non nisi quatenus ad iustitiam referuntur. Conclusio hæc superiori libro. q. 6. sua fuit genuina ratione demonstrata: quæ hic tamen in gratiam diuinæ legis recolẽda est. Legis inquam cuiusq; præcepta (vt suprà ostensum est,) ad cõmune bonum ordinem habent. Quapropter (vt. 3. Polit. Arist. docet) secundũ diuersas politias diuersæ statuũtur leges: alię scilicet in democratia, alię in aristocratia, atq; aliæ in regno: quoniã diuersimodè sibi proponunt commune bonum: lex autẽ diuina & humana, iam suprà mõstratæ sunt fine differre. Nam humana solũ proponit humanum bonum, quod ad pacem amicitiamq; inter homines spectat: homines autem amicitiæ fœdera per sola extera illa officia retinẽt, quæ sunt virtutis iustitiæ: per quam scilicet vnicuiq; quod suum est tribuitur: lex ergò humana primario ꝓposito ad iustitiæ virtutem attendit. Et si quæ alia de fortitudine, deque temperantia iubet, non nisi quatenùs ad suũ commune bonum referuntur. Præcipit inquam fortitudinem, nõ quæ tibi necessaria est ad tuas ꝓpulsandas iniurias, sed quæ rei bellicę necessaria est: puta nè locum in acie deseras. Iubet item temperantiæ moderamen: non tamen quo non fis aut tecum, aut cum tua vxore intemperans, sed quo adulteriũ non committas. Sententia est Arist. 5. Ethicor. cap. 1. vbi ait leges de omnibus dictare, coniectãtes aut cõmunem omnium vtilitatem, aut optimorũ aut principũ: vbi tria genera politiæ distinguit. ¶ Secunda conclusio: Lex diuina non de iustitiæ tantùm actibus, sed de vniuersarũ virtutum operibus ex æquo præcepta ponit. Probatur ratione contraria: finis diuinarum legum non est illa quæ inter homines est beneuolentia, sed ipsorum cum Deo amicitia, ac subinde familiaritas, tum in præsenti sęculo, tum demum in futura æternitate: homo autem non solùm per officia iustitiæ specialis virtutis fit Deo charus, verum & per vniuersas studiosas actiones quibus homo secũ rectè viuit: nõ modò exterè, verùm etiam interna mente in qua Deus suã impressit imaginem. Præcipit ergò lex diuina actus fortitudinis, temperantiæ, mansuetudinis. &c.

Prima conclusio.

Suadetur conclusio.

Secunda cõclusio.

Probatio.

non

non solùm in ordine ad iustitiam inter homines, insuper quatenùs in homine ipso diuinam imaginem exornãt. Quare ex æquo primariaq; intẽtione tam intellectuales virtutes, quę sunt rationis lumina, quàm morales, quę appetitum eidem rationi subiciunt, iubet. Nempè tres in primis Theologicas, fidem, spem, & charitatẽ: mox & quatuor morales, secundùm illud Sapien. 8. de eadem diuina lege & sapiẽtia assertum. Sobrietatem & sapientiã docet, & iustitiam, & virtutem: quibus vtilius nihil est in vita hominibus.

Tertia conclusio. ¶ Tertia conclusio. Non omnia virtutum opera eodem cogendi rigore proponit: sed illa quæ ad necessarium rationis ordinem spectant sub reatu culpę iubet: reliqua verò, quæ ad cumulatiorem virtutum perfectionem ornatumq; attinent, sub forma consilij admonet. Qualia sunt illa quæ pertinent ad inimicorum dilectionem: vt Prouerb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ. Et reliqua præcepta misericordię, vt cap. 3. De primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus.

Ceminadubitatio. ¶ Duplex autem, licèt exigua, dubitatio ex his fit reliqua. Vna scilicet differentia inter humanam legem ac diuinam constituta. Ap-

Prima ratio dubitandi. paret enim in cõtrarium quòd diuina per-

Secunda ratio. fecta atq; humana principem intentionem dirigat ad iustitiã. Nam præcipuè exigit obedientiam, quæ est generalis iusticia, Prętereà quicquid iubet, eò refert, vt vel particularẽ iustitiã, quæ est inter homines cõfoueat: vel illam, qua appetitus rationi subditur: ergò nunquàm exit iustitiæ tramites.

Ad primã dubitationem. ¶ Ad hoc autem facilè respondetur, in hoc discrimen cõsistere, quòd humana lex habet pro fine iustitiam specialem virtutem qua humana societas fidesq; cõstat. Lex autẽ diuina simpliciter cuiusq; perfectionẽ. Nam obedientia quæ pertinet ad legalem iustitiam, nõ est finis legis, sed est virtus quæ subijcit ciues principi: finis enim legis est per obedientiã facere bonos ciues. Illa autẽ subiectio appetitus ad rationem, etsi ad finem legis pertineat, eò quòd in illa cõsistit humana perfectio, tamen cùm non ordinet hominem ad alium, sed ad seipsum, non habet propriè rationem iustitię, sed (vt ait. 5. Ethico. Philosophus) metaphoricam: pro quãto appetitus

Aristot. & ratio eiusdem suppositi considerantur vt

Secũda dubitatio. duo. ¶ Altera verò dubitatio est quòd non

Ratio hæsitandi. videtur lex vetus vniuersas instituisse virtutes. Nam (vt legitur Matth. 6.) Christus collatione facta inter ambas leges ait: Audistis quia dictum est antiquis. Non occides: Ego autẽ dico vobis. Qui irascitur fratri suo &c. Et ideò præmisit: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorũ, non intrabitis in regnum cœlorum. Respon- *Solutio.*

detur q̃ quicquid Christus expresit, quod veram habeat rationem prę cepti concludebatur in lege veteri, sed Pharisæi erãt qui eã obnubilauerãt. Nam si Christus prohibuit inimicorum odium, idem etiã prohibebatur Leuit. 19. vbi legitur: Non oderis fratrem tuũ in corde tuo. Et si Christus concupiscentiã cordis cõpescuit, idẽ scriptũ erat Exod. 28. Non concupisces vxorem proximi tui.

AD primum igitur argumentorũ respon- *Ad primũ argumẽtũ* detur quòd vbi diuina mandata appellantur iustificationes nõ trahitur nomẽ à iustitia speciali virtute quę est inter homines: sed à iustitia qualis esse debuit inter hominem & Deum, quę est legalis generalisq; virtus. Inde scilicet quòd debemus proprias voluntates rationi semper ac perinde diuinis eius iusis habere cõformes, qua ratione in eius amicitia persistimus. ¶ Et pari modo *Ad secũdũ argumẽtũ.* respondetur ad secundum. Nam etsi omne præceptum rationẽ debiti præ se ferat, non tamẽ debiti specialis iustitię, sed debiti quod est voluntatis ad rationem, atq; hominis ad Deum: quicquid enim obediẽtiæ rationi debitũ est, debetur & Deo, qui rationis est author. Et hęc est obedientia generalis. ¶ Ter- *Ad tertiũ argumẽtũ.* tium deniq; iam solutũ est. Nam etsi omnis lex in bonum commune referatur, commune tamẽ bonum aliter lex humana prospicit, aliter verò diuina.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm omnia præcepta moralia veteris legis ad decẽ Decalogi reducantur.



VIdetur quòd non. Nam definitum sit legem veterem de omnium præcepisse virtutum actibus, & tamen in Decalogo non extent nisi decem præcepta iustitiæ, quærendum supererat vtrùm reliqua aliarum virtutum ad hæc decem reducãtur. Et arguitur à parte negatiua. Prima omniũ capita, vt Matth. 22. legimus, sunt: Diliges Dominum Deum tuum: & Diliges proximum tuum: hæc autẽ nec sunt in Decalogo posita, nec videtur ad ipsum posse reduci: ergò nõ omnia redu- *Argumẽ. 1*

Argumẽ.2 cuntur ad ipsum. ¶ Secundò arguitur. Tertium præceptum, Memento vt diem Sabbathi sanctifices, apparet ceremoniale: moralia verò non reducuntur ad ceremonialia, sed potiùs econuerso: cùm moralia sint conclusiones naturalis iuris, ceremonialia verò, minimè: ergò non omnia reducuntur ad Decalogum. *Argumẽ.3* ¶ Tertiò: præcepta moralia non solùm sunt de actibus iustitiæ, sed patent præterea ad reliquas virtutes, quæ ad mores pertinent: in Decalogo autem non extant nisi iustitiæ præcepta ergò non omnia illuc reducuntur. *Glossa.* ¶ In contrarium autem est glossa super illud Matthæi. 5. Beati estis cùm vos maledixerint homines: dicẽs quòd Moyses decem præcepta proponens posteà per partes explicuit.

QVæstio hęc inferiùs articu. 11. vbi in particulari aliorum numerus præceptorũ refertur. Lucidiùs patebit: nunc ergò tãtùm ingenere duabus conclusionibus absoluetur. *Prima conclusio.* ¶ Prior est, discrimen inter Decalogum ac reliqua præcepta, hoc est potissmũ, quòd decem illa Deus Angelorum ministerio, vt dictũ est: in tabulis Moysi insculpsit: alia verò dedit per Moysen. Est ergò meditatè speculanda differẽtia quòd solùm Decalogum homo à solo doctus est Deo: reliqua verò ab hominibus. *Ratio cõclusionis.* Rationi autem consonantissimum erat, vt Deus tanquàm naturę author illa perse dumtaxat doceret, quę vel naturalis ratio per exigua adhibita consideratione ex primis naturæ principijs elicit: vel ex infusa fide protinùs innotescunt: quorum hæc sunt in prima tabula, illa verò in secunda, vt inferiùs patebit. Et quoniam inter omnes virtutes patentissima est iustitia, in hac explicanda virtute totus Decalogus versatur. Qua propter duo præceptorũ genera prætermisit. Illa scilicet quæ tanquàm perse nota principia in mentibus nostris cõsignauerat: hæc enim nulla præterea editione indigebant: vt, id facias alijs. &c. Mox & illa quæ vigilantiorem exigunt sapientum indagationem. Quæ scilicet Moysi & aliis deinde sapientibus docenda reliquit. *Secũda Cõclusio.* ¶ Hinc ergò colligitur posterior conclusio: Nempè quòd omnia ad Decalogum reducantur. Nam illa generalia principia continentur in Decalogo sicut principia in proximis conclusionibus: quoniam, Nõ occides, Non furtum facies. &c. nihil aliud est quàm id nè facias alijs, quod tibi fieri non vis. Reliqua verò continentur in eodem Decalogò, sicuti conclusiones in suis principijs. Vt illud Leuit. 19. Coram cano capite consurge: virtute cõtinetur in illo quod est Honorare parẽtes: & Nõ fornicaberis, ad id quod est, Non mœchaberis: & illud. Non fœnorũ dabis, ad id quod est, Non furaberis. Attamen quia copiosiùs ac luculentiùs articu. 11. explicanda hæc sunt, illuc vsq; reliqua sunt expectanda.

Adprimũ argumentũ ADprimum igitur argumentum respõdetur, ideò illa principia de dilectione Dei & proximi nõ esse in decalogo expressim posita, quòd nulla editiõe opùs habebant: eò quòd sint perse nota: sed Decalogus fuit illorum explicatio. Prius enim statim per fidem fit notum: vt articulo proximo patentius fiet. Quicunque enim fatetur esse Deum, eadem ipsa confessione compertissimum habet eundem à se esse diligendum. Neque quicquam esse potest rationi naturali apertiùs cõsentiens. Attamen quia diligendi modus, cùm res sit supernaturalis, non sit cunctis mortalibus in comperto, eundem expressit in præceptis primæ tabulæ, ad quæ ideò præcepta reducitur, tanquàm principium in suis conclusionibus contentum. Ac pari modo secundum de dilectione proximi reducitur ad præcepta secundæ tabulæ. *Adsecũdũ argumẽtũ.* ¶ Ad secundum argumentum iam supradictum est præceptum sanctificandi festi ingenere, puta vt tempus aliquod diuinis meditationibus offeramus, no esse ceremoniale, sed morale: in particulari autem esse ceremoniale. *Ad tertiũ argumẽtũ.* ¶ Tertij quoque responsio itidem explicata est. Enimverò cùm Decalogus illa tantùm contineat præcepta quæ Deus per se tulit: ipsum autem non nisi manifestas naturę cõclusiones exprimere decuerit, & præceptũ omne prę se ferat rationem debiti, quę quidem ratio in virtute iustitię patentior sit, in reliquis verò latentior. consequens est vt Decalogus ea tantùm præcepta complectatur, quę pertinent ad iustitiam. Reliqua verò de fortitudine deq; temperãtia ac de cæteris, qua parte includũt rationem debiti, ad eundem Decalogum reducuntur.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm præcepta Decalogi cõuenienter distinguantur.

POST

POST tres superiores articulos de præceptis moralibus in genere disputatos descendendũ est peculiariter ad Decalogum. De quorum dispositione adhibentur alij quatuor: nempè de distinctione eorũ deq; numero, ordine, & traditionis figura. Quæritur ergò vtrũ præcepta Decalogi vti iacent Exod. 26. sint conuenienter distincta in tria primæ tabulę & septem secundæ. Et arguitur à parte negatiua. Fides quæ intelle ctualis est habitus, & latria quæ est religionis adoratio, duæ sunt virtutes distinctę: ergò distincta sunt præcepta fidei: & latriæ, Vt illud: Non habebis deos alienos coram me, pertineat ad fidem: quod autem subditur, Non facias sculptile, spectet ad latriam. Ex quo fieret consequens esse quatuor primæ tabulæ. ¶ Secundò: Illud primum verbum, Ego sum Dominus Deus tuus, est affirmatiuum: quod autem sequitur, Non habebis deos alienos coràm me, est negatiuũ: præcepta autem affirmatiua distinguũtur à negatiuis: ergò sunt duo: ac perinde resultabũt quinq; primæ tabulæ, Nempe adiũctis duobus alijs: Nè iures vana per eũ: &, Sabbatha sanctifices. ¶ Tertiò: Concupiscentiam non nisi vnã ponit Apostolus ad Romañ. 7. vbi ait, Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces: ergò vnica est concupiscẽtiæ prohibitio, atque adeò distingui non debet in vnam concupiscentiæ vxoris alienæ, & alterum aliarum rerum. ¶ In contrarium est authoritas Augustini super eodẽ loco Exodi, distinguentis tria præcepta primæ tabulæ, & septem secundæ.

Primum argumentum partis negatiuæ.

Argumẽ. 2.

Argumẽ. 3. Paulus.

Augustin⁹.

DE præceptis Decalogi, nemo negare potest esse decem: nomine id planè proclamante. Quare de hoc vna est omnium concors sententia. Item eodem consensu affirmãt in prima tabula fuisse scripta præcepta pertinẽtia ad dilectionem cultumq; Dei: in secunda verò illa quæ dilectionem proximi explicatè continent. At verò quot sint, tam hæc quam illa, nõ inter omnes vnanimiter cõstat. Sunt enim tres opiniones, Prima Isychij super illud Leui. cap. 26. Ità vt decẽ mulieres in vno clibano coquant panes: qui ponit quatuor in prima tabula, & sex in secunda, vt primum sit illud affirmatiuum, Ego sum Dominus Deus tuus, secundum, Non habebis deos alienos coràm me. Atqui Hierony. Oseæ. 10. super illud, Cùm corripiẽtur propter duas iniquitates suas: eodem modo duo hæc secreuit. Tertiũ ponit Isychius, Nõ facies tibi sculptile: & quartũ, Non assumes nomen Dei in vanum. Illud autem de obseruatione Sabbathi, illic insertum, non censet connumerari inter præcepta: neq; intelligẽdum esse secundùm literam: eò quòd cùm mutatum fuerit apud Christianos in diem Dominicam, nõ illud cõnumerat inter præcepta moralia. Illa nanq; immota permãserunt. Sed ait intelligi secundùm Spiritum: vt nullum mũdi huius opus vnquã faciamus. In præceptis autem secundæ tabulæ nouũ ac decimum compingit in vnũ. Quare non facit nisi sex. ¶ Secunda opinio est Origenis eodem loco, itidem distinguentis quatuor primæ tabulæ: paulò tamen differentiùs ab Isychio. Illud enim: Ego sum Dominus Deꝰ tuus, non facit distinctum præceptum, sed pro eodem illud existimat atq; subsequens, Non habebis deos alienos: secundum verò arbitratur, Non facies sculptile: ac tertium, Non assumes nomen dei tui in vanum: ac deniq; quartum, Memento vt diem Sabbathi sanctifices, Reliqua verò sexcogitur velut Isychius connumerare. ¶ His tamen non obstantibus statuitur certa cõclusio quę est Augustini eodem loco. Præcepta Decalogi distinguuntur in tria primæ tabulæ, & septẽ secũdæ. Ad horum autem perspicuam intelligentiam notandum est duarum tabularũ primã haberi mentionem Exod. 31. vbi postquàm enarrantur præcepta quæ Deus dedit Moysi in mõte, subditur: Dedit quoq; Dominus Moysi cõpletis huiusce modi sermonibus in monte Sinai duas tabulas lapideas scriptas digito Dei. Vbi neq; nominantur prima & secunda, neq; memoratur quid in alterutra fuerit scriptum: Hebræorum autẽ confessio est in vtraque fuisse sculpta quina præcepta. Est quippe sententia Iosephi legis peritissimi, lib. 3. antiqui. cap. 6. Illic inquam ait in vtraq; quina verba fuisse scripta, ĩ vna scilicet quatuor de dilectione Dei: seiungit enim in duo, Ego sum Dominus Deus tuus: &, Non facies sculptile: ex quo Origenes & posteà Hieronymus illam opinionem ebiberũt. Et in eadem priori tabula quintum collocat mandatum de honore parentibus deferendo, Eam fortè ob rẽ quòd cùm Deus sit ex quo omnis paternitas deriuatur, voluit, vt sui instar parẽtes nostros honore colerem⁹. Atqui est vero quàm simile mũ, sic fuisse distributa pariter præcepta: quoniam tabulæ, æquales

Geminaassertio dequa inter omnes constat.

Triplex opinio.

Prima Isychii.

Hieronym⁹

Secunda opinio Origenis.

Tertia conclusio.

Tertia opinio Augustini.

Primũ documentum.

Iosephus.

æquales erãt. Et est nõ ex illis coniectura, in secunda tabula non extitisse nisi quinq; negatiua: Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces. Nam præcisa hæc consultò connumerat Paul. ad Rom. 13. vbi ait: Hęc omnia instaurari illo verbo, Diliges proximum tuũ sicut teipsum. Nam quòd addit: Et si quod est aliud mandatũ, non adhibuit nisi propter illa quæ extra Decalogum vagãtur. At vero quoniam duo isti ordines in duo capita de dilectione Dei & proximi resoluuntur, non tam ad numerum, quàm ad mysterium alij patres attendentes, illa quæ dilectionem Dei referunt, appellant primã tabulam: illa verò quę dilectionẽ proximi, secundam. Mox & hoc recolendum, quòd primum præceptum trina habet in Exodo membra. Scilicet, Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coràm me. Nõ facies tibi sculptile. Atq; hoc ansam præbuit varia de ipso opinãdi. ¶ His ergò prębabitis quia asserta conclusio duo habet membra, probatur quòd in prima tabula tria sint tantùm prącepta. In primis Isychius violenter nimis à Decalogi numero præceptũ detruncauit obseruandi Sabbathi. Primum q̃ cùm reliqua in sensu literali, ceu ad mores pertinentia, fuerint illic conscripta, absurdũ est dicere illud solùm in sensu spirituali fuisse permixtum: cùm tamen eadem serie sint omnia disposita. Deinde quòd cùm in illa tabula de diuino cultu homines erudirentur, curta fuisset nisi tempus aliquod eidem diuino cultui dicasset: quem cultum prąceptum illud explicat. Prætereà quòd cùm illa fuerit explicatio naturalis iuris, & nulli essent mortalium qui dijs suis nõ statos dies feriassent, necessarium erat, vt Deus suę familię & festum, & eius rationem explicaret. Ad hæc quòd sensus spiritualis abstinẽdi à peccatis, parũ illic ad rẽ attinebat: de quo latiùs. q. sequen. Argumentũ autẽ in cõtrariũ suprà in simili solutum est. Enimuerò cùm prąceptũ diuini cultus, morale sit, ritus verò in particulari, ceremonialis, fit, vt vnum seruare festũ, fit morale: quòd autẽ hic aut ille dies, pertineat ad ius Ecclesiasticum. ¶ Contra opinionem verò Origenis arguit Augustq̃ idem sit, vnum colendum esse Deum, & nõ habere deos alienos. Nam, cum nemo possit duobus dominis seruire, vnum cole Deum, accipitur excluiuè. Quòd autem adijcitur, Non facies tibi sculptile, perfectiùs id explicat quod dixerat, Nõ habebis deos alienos: Facere nanq; sculptile, non est interdictum, nisi quatenùs idololatriæ impietas est. Nam Exodi. 25. imagines seraphin præcipiebãtur in templo collocari. Igitur cùm totum illud, vnum sit: & secundum, Non assumes nomẽ eius in vanũ: ac tertium, Memẽto diei Sabbathi: fit vt secundùm trinitatem personarum, tria quoq; sint præcepta illius tabulæ. Rursùs meritò arguit quòd prohibitio concupiscendæ vxoris alienæ diuersa sit ab alia concupiscendi res alienas. Nam secundùm Peripateticum principium actus distinguũtur per obiecta: & clarũ est muliebrem vsum diuersum esse obiectũ à rerum possessione: quare alterum ad luxuriam pertinet: alterũ verò ad auaritiam.

Paulus.

Alterũ documentum.

Probatio prioris mẽbri positæ cõclusionis.

Isychius.

Prima ratio in Isychiũ.

Secũda ratio.

Tertia ratio

Quarta ratio.

Soluitur. fundamẽtũ prædicti authoris.

Argumẽtũ Augustini in Origenẽ.

Alia eiusdẽ ratio.

HIS nihilo minùs constitutis dubium ingerunt argumenta initio quæstionis obiecta. Est enim primum in fauorem dicẽtium duo esse præcepta: Non habebis deos alienos: &, Non facies sculptile. Nam prius apparet fidei: posterius verò latrię. Ad quod non ità multùm perspicuè S. Tho. respondet. Ait quippè non fuisse necessariũ, vt pręceptũ fidei exprimeretur in decalogo: nam illud pręsupponitur tanquàm principium. Sicuti articulo præcedenti dictum est de generali præcepto dilectionis. Vnde Paul. ad Hebræ. 2. Accedentem, inquit, ad Deũ oportet credere quia est. Quare nõ indigebat noua promulgatione: sed tamen oportuit addere præceptum latriæ, quæ est protestatio fidei. At verò nõ explicat vtrùm illorum duorum sit habendum pro præcepto primæ tabulæ. Neque verò explicat sit ne illud præceptum negatiuum, an affirmatiuum. Et ideò certè solutio eius videtur mutila. Nam inferiùs articulo septimo ad primum, in prę ceptis primæ tabulæ solùm vnum agnoscit affirmatiuum, de sanctificatione Sabbathi: insinuãs duo priora esse negatiua: & tamen in forma communi ecclesiæ primum prąceptum est: Vnum cole Deum. Sic ergò accipito mentem eiusdem sancti Doctoris, quam arbitror esse verissimam. Ex illis inquam tribus membris primi præcepti illud quod est in capite, Dominus Deus tuus vnus est, non est morale præceptum: sed fidei veritas, quã confiteri tenetur quicunq; ad eum accedit. Quapropter cũ illi qui legem Dei accipiunt iam tunc se profiteantur eius subditos, præsupponere debent confessionem fidei, vt ait Paul.

Ad primũ argumẽtũ. S. Thomas.

Solutio sancti Thomæ videtur mutila.

Mẽs. S. Thomæ.

Paul. Atq; hoc est quod. S. Tho. dicit fidem præsupponi ante Decalogũ. Secundum autem, scilicet: Non habebis deos alienos, licèt sit expressio eiusdẽ fidei, pertinet nihilo minùs ad latriam & cultum. Igitur licèt sanct. Thom. in argumento duo illa proposuerit, Non habebis deos alienos, Non facies tibi sculptile: quasi prius ad fidem pertineret: posteriùs verò ad latriàm: responsio tamen eius est, eiusmodi distinctionẽ negare. Imò prius censet esse primum mandatorum Decalogi ad latriã pertinẽs: posterius verò, nihil aliud quàm eius explanationem. ¶ Sed arguis: Ergò secundùm eum nullũ est præceptum fidei: quando quidem à Decalogo illud exclu dit. Negatur consequentia: imò expressè. 22. q. 1. arti. 8. illud affirmat. Quin etiam hîc: sed ait quòd tale præceptum non est intra Decalogum, sed eius præambulum, sicut præceptũ dilectionis. Quo quidem præcepto & antiqui etiam tenebantur: quin verò & omnes in lege naturę quantum ad illam fidem qua ait Paul. Quia Deũ est, & quia remunerator est. ¶ Quò fit vt primum Decalogi præceptum, sit in forma negatiuum: sed tamen affirmationem comprehendens, vt ait statim in solutione secundi. Quare non fuit operæ pretium duo secerni, sicuti: Honora patrem & matrem: &, Non occides. Quocircà non repugnat vt affirmatiuè quoq; proponatur, Vnum cole Deum. Tametsi huius peculiaris consideratio quæstione sequenti redibit ¶ Ad tertium iam respõsum est, vbi designata est discriminis ratio inter cõcupiscentiam mulieris, & auaritiam aliarum rerum. Attamen quoniam ambæ in vnam generalem rationem appetendi coëant, sub eodem nomine Paulus vtranq; complexus est.

D. Thom.

Paulus.

Primũ Decalogi præceptũ licèt negatiui formã præ se ferat affirmationẽ tamen complectitur.

Ad tertiũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm præceptorum Decalogi numerus congruat.

IN articulo præcedenti de distinctione tantummodò præceptorum primæ & secundæ tabulæ definitum est: quod illicò subsequitur de numero disputare: videlicet, an denarius congruerit. Et arguitur a parte negatiua. Peccatum, vt suprà ex definitione tam Ambros. quàm Augusti. patuit, est trangressio diuinę legis: peccata autem triformia sunt: nempè, quibus quis peccat aut in Deum, aut in proximum, aut in seipsum: cùm ergò in Decalogo nullum præceptum tertij generis existat, puta quo homo in seipso componatur, diminutus est. ¶ Secundò: & in præcepto tertio primæ tabulę apparet curtus: cùm ex tam multis solennitatibus ac sacrificijs quibus Deus colebatur, de vno tantũ Sabbatho mentionem fecerit. Atq; idem fit argumentũ cõtra secundum, vbi tantùm cautum est, Nè nomen Dei assũmatur in vanũ: cùm tamen præter periuriũ passim oboriãtur blasphemiæ, falsæque doctrinæ, quibus Deus ab hominibus dehonestatur. Atq; adeò simile obijcitur cõtra quartum præceptum. Nam vnusquisque naturali fœdere non solum parẽtibus dilectionem debet, verùm & filijs ac cęteris, seu sanguine, seu quauis alia necessitudine coniunctis: ergò cùm authore Paul. 1. ad Timoth. 1. Finis præcepti sit charitas, de horum singulis debuerunt singula scribi præcepta. ¶ Tertiò arguitur. Quodcũq; peccati genus priùs cordequàm opere cõmittitur. Nam vt ait Christus, Ex corde exeunt cogitationes prauæ, adulteria. &c. sed in mœchia & furto seorsum post operum prohibitiones, Non mœchaberis, Non furtum facies: explicãtur peccata cordis: Non concupisces rem proximi tui: &, Nõ cõcupisces vxorem proximi tui: ergò eadem regula debuit & in reliquis obseruari. ¶ Et quartò postremoq; arguitur. Appetitus sensitiuus in irascibilem & concupiscibilem diuiditur. quarum vtraq; pars sedes est corrupti affectus: ergò sicut cõcupiscibilis singularibus præceptis infrænata est, ità debuit & irascibilis compesci. ¶ In cõtrarium est illud Deuter. 4. Ostendit vobis pactum suum quod præcepit vt faceritis. Et ecce verba quæ scripsi in duabus tabulis lapideis. Quæ quidem decem sunt prorsus.

Argum. 1.

Argum. 2.

Argum. 3.

Postremũ argumẽtũ.

Argum. 1. Ambros. August.

QVæstio facilima est: nempè ad hoc tantùm mota vt argumẽtorũ dubia diluciderẽtur. Est ergò cõclusio, comprehẽtissimum esse numerum Decalogi, quæ nõ solùm generali illa ratiõe patet, quòd Dei perfecta sunt opera, verùm & peculiaribus, à fine legis oblatis. Dictum enim est finem diuinæ legis esse, hominẽ, tum in ordine ad Deũ instituere, tum deinde in ordine ad proximos: Deo autẽ cum primis fidelitatem debemus: quæ in hoc cõsistit, vt eius honorem nemini præter ipsum deferamus: hoc ergò primo præcepto cauetur, Non habebis deos alienos

Conclusio responsiua.

Prima ratio pro conclusione.

Secunda ratio.

alienos. Mox debemus eidem reuerentiam quæ in hoc posita est, vt nihil in eum iniurię iaciamus: quod cauetur pręcepto secundo: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Prę tereà ob beneficia quæ in nos tam ampliter collocauit: debem⁹ ei obsequiũ, ac famulatum. Nempè vt tempora quędam succidamus quę eius meditationi donemus: de qua re tertio præcepto commonemur. Et quoniam inter beneficia hæc primum fuit creationis opus designatus fuit dies Sabbathi quo, illo opere absoluto requieuit Deus: Ordo autem hominis ad hominem vel peculiaris est, vel generalis, Peculiare autem debitũ, atq; omnium illustrissimum est quo filij tenentur parentibus obsequi, à quibus, secundùm Deum, vitam quæ bonorum omnium basis est susceperũt. Et ideò statim post tertium de famulatu, qui Deo debetur, subsequitur quartum de honore parẽtibus deferẽdo. Adeò, vt sicut paulò antea dicebamus, non sit vero dissimile in priori tabula fuisse cõscriptum. Generalem autem homo ordinem habet ad reliquã mortaliũ vniuersitatẽ quibus iurè naturæ socius est, qubusq; perinde id debet, vt nemini neq; opere: neq; ore neq; corde sit nocuus. Opere autẽ primo nocumentũ in fert quis alteri in propriã personã, adimendo ei vitã, quæ omniũ est temporalium bonorũ maximum. Idq; adeò prohibetur præcepto quinto non occides: vbi læsio omnis corporea interdicitur. Secundo in personam sibi coniunctam: quod prohibetur sexto. Nõ mœchaberis. Tertiò in bona exteriora quod inhibetur septimo: Non furtum facias. Ore autem nocet qui ciuis famã lædit: quod vbiq; vetatur præcepto octauo. Non loquêris contra proximum tuum falsum testimoniũ. Sed corde iniuri⁹ quisq; est in quenlibet per concupiscentiam: siue quæ ad luxuriam pertinet, quæ nono præcepto, sexto respondenti infrẹnatur, Non concupisces vxorem proximi tui: Aut secundùm auaritiam: quæ decimo tandem præcepto compescitur. Non concupisces rem proximi tui. Nam tales cupidines iniuriosæ existũt: vt potè quæ radices externorũ operum sunt, secundũ verbũ Christi: De corde exeũt cogitationes prauæ, adulteria. &c. Atq; vt scitè S. Thom. annotauit, tres isti ordines in prę ceptis primę tabulę dignoscuntur. Nam primum, Non facies tibi sculptile, opus exterius inhibet: Non assumes nomen Dei tui in vanum, oris impudentiã: sed, Memento diei Sabbathi, pro fine habet internam mentis contemplationem. Et quoniam statim articu. 11. videndũ est quemadmodùm alia præcepta ad hæc decem reuocentur, & quæstione sequenti de singulis est resumendus explicatior sermo, satis in prẹsentiarum fuerit summatim cuncta verbis fermè sancti Thomæ retulisse.

S. Thomas.

AD primum igitur argumentum quo dubitabatur cur in decalogo nullũ fuerit præceptum adhibitum de virtutibus quę hominem in seipso peculiariter componũt, sed tantũ illa quę ad iustitiã, qua humana societas retinetur, fuerint illic expressa. Prior responsio D. Thomæ eademq; biformis est quòd cùm præcepta cuncta sint ad dilectionẽ relata, illa opùs fuerit prorsus exprimere quę caligans ratio non clarè perspiciebat: proprius autem amor nemini vnquã mortalium non innotuit: adeò est naturæ inditum, vt res omnis seipsam diligat, seq; omni nò conseruet. Vel fortè quòd cùm in Decalogo iubeatur homo Deum & proximũ diligere, illic satis planè prẹcipitur sua cuiq; dilectio. Nam rectus hominis suijpsius amor, est debitum ordinem ad Deum tenere & ad proximum. Qui enim Deum diligit, cũctas in se passiones extinguit, siue cõcupiscibilis siue irascibilis appetit⁹ quibus ratio perturbatur, quæ nos Deo subiectos cõtinet. At verò posterior responsio plausibilior est. Nẽpè quòd Decalogus vt suprà diximus, hoc à reliquis prẹceptis distat quòd ipsum Deus per se nos docuit: iuxta illud Deute. 10. scripsitin tabulis iuxta id quod priùs scripserat, verba decẽ quæ locutus est ad vos dominus. Deũ autem ceu naturæ authorem illa nobis decuit per se prorsus iubere, quæ statim naturali lumine humanæ menti promicant, vbi idem lumen non est caligine obductum: vnde cùm præceptum omne rationem habeat debiti: ratio autem debiti ad iustitiã spectet quæ est hominis vel ad Deum vel ad alium hominem (nam iustitia est ad alterum) congruentissimum fuit vt præcepta tantùm iustitiæ quæ primæ sunt naturæ conclusiones Deus nobis in Decalogo exprimeret. Ratio nanq; debiti hominis ad seipsum nõ ità naturali luce clarescit. Primò enim aspectu apparere cuiq; potest in his quę ad seipsum pertinẽt liberã habere potestatem: ob idq; virtutes fortitudinis ac temperantiæ, quæ hominem respectu suiipsius moribus instruũt,

Ad primũ argumentũ

Prior solutio.

S. Thomas.

Altera solutio.

Moysi

Moysi & reliquis sapientibus cõmisit, quas mortales docerent. De his nimirum eos eruditentes quę sibi quisq; proprię debet. ¶ Ad secundum eadem ratione respõdetur, quòd non fuit cõdecens vt vniuersa Deus particulatim exprimeret, sed per capita: ad sanctificationem autem Sabbathi reliquæ omnes solennitatũ obseruationes referũtur. Omnes enim erant institutæ, tum in memoriam alicuius præteriti beneficij, tum in figuram alicuius futuri. Præteritorum autem caput fuit creatio mundi, quę per sabbatha in memoriam reuocabatur: & inter futura præcipuũ est mentis quies in Deo, quę in præsenti sæculo fit per gratiam, atque in futuro per gloriam: secundùm illud Isaię. 58. Si auerteris à sabbatho pedem tuum, vocaberis sabbathũ Domini delicatum, & sanctum Domini gloriosum: hęc autẽ quiete sabbathi præsignabãtur. Reliqua verò, vt celebratio Phasę quæ cõmemoratio erat beneficij liberationis populi de Aegypto, & vmbra futurę passionis Christi: atq; id genus cuncta ad hunc ordinẽ referebantur. Et pariter ad aliud membrum respondetur quòd prohibitione assumptionis diuini nominis in vanũ, reliqua omnia vitia, seu falsę doctrinę, seu blasphemiæ comprehenduntur. Ac simili subinde modo respondetur ad tertium membrũ eiusdem argumenti, quòd omnia alia amoris debita in quarto præcepto quodammodò continentur. Explicatum enim est cur in Decalogo ea tantùm continentur præcepta quæ manifestã repręsentat rationem debiti. Quòd autem homo neminem lędat, manifestum debitum est: & ideò vniuersaliter nocumenta sex præceptis prohibita sunt: videlicet vt nemini nemo illa inferat. Attamen quòd quis quidpiam alteri, ceu debitum conferat, non sic est lumine naturali notum. Sed id tantũ quòd parentibus liberi genituręlege debẽt, rationeq; educationis & disciplinę. Quapropter Deus illud in Decalogo expressit. Reliqua verò beneficia quę ob alias necessitudines & naturę cõiunctiones debentur, Moysi & prudentibus cęteris, vt suprà dictum est, explicanda demandauit. Vt quòd parẽtes debent filijs: quę quidem debiti ratio nõ est quasi aliquid ab illis susceperint, sed q̃ sunt aliquid ipsorum, & amando seipsos suas amant proles, vt. 8. Ethicor. author est Arist. Sed de his reductionibus aliorũ præceptorũ in Decalogum, articu. 11. ¶ Ad tertium verò respondetur quòd & si quacũq; prohibitione condẽnetur opus, vnà interdicatur & eius affectus, nihilo minùs differentia est q̃ in his quæ natura ipsa exhorrescit, vt homicidium & falsitas: quia eorum cupido non est per se allectiua, sed ꝓpter alias passiones, puta propter vindictam vel auaritiam, satis fuit opus ipsum inhiberi. In illis verò quæ sunt sensui lęta, vt sunt venerea & rerum affluentia, quoniam eorum appetitus per se ipse delectat, decuit non solùm opera prohiberi, verùm seorsum appetitus: vt potè in quo vincẽdo peculiaris est difficultas, sed de hoc iterum quęstione proxima. ¶ Ad quartũ denique respondetur quòd cùm ex passionibus concupiscibilis appetitus illę resultent quæ sunt in irascibili, nam ex amore illius quod oblectat nascitur contrariorum repulsio, sedato concupiscibili nulla prętereà opus fuit prohibitione irascibilis.

Ad secundum argumentum.

Ad tertiũ argumẽtũ.

Ad quartũ argumẽtum.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm præcepta Decalogi debito sint ordine dispositа.

POST distinctionem & numerum pręceptorũ sequitur de eorum ordine meditari an fuerit lucidus. Arguitur ergò à parte negatiua. Primũ quòd cùm cognitio nostra à sensu incipiat, & dilectio proximi expositior sit sensui quàm dilectio Dei, secundum illud. 1. Ioannis. 3. Qui fratrem suũ quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodò potest diligere? posterior tabula quæ ad dilectionem proximi spectat, debuit loco præesse priori quę pertinet ad dilectionem Dei. Mox quòd cùm pręceptis negatiuis prohibeantur mala, affirmatiuis verò instituantur bona, & via naturę (vt cõment. prædicam. author est Boëti.) priùs sint extirpanda vitia, quàm inserantur virtutes: secundùm illud Psalmi: Declina à malo, & fac bonum. Et illud Isai. 1. Quiescite agere peruersè, discitè benefacere, vnde & Lyricus, Vitiũ fugere prima virtus est: cõsequitur vt præcepta negatiua deberent affirmatiuis anteire. Ac perinde præcepta, cordium cogitationes inhibentia, illis quæ manus ab operibus arcent: quandoquidem radix operum cor est. ¶ In contrarium est quòd Decalogi ordo dispositio Dei fuit: cuius, vt ad Romañ. 13. ait Apostolus, ordinata sunt opera.

Primum argumentum partis negatiuæ.

Argum. 2.

Boëtius.

Argum. 3.

Paulus.

Facilima

FAcilima est quæstio, sed tamen scitu digna, ad quam quatuor cõclusionibus respõdetur, Prima est: Præceptorum ordo exigebat vt priùs homines respectu Dei instituerent quàm ipsos inter se inuicem. Probatur ex illo præiacto fundamento: nempè quòd Decalogum ea prosum debuit continere mandata, quæ naturali lumine illucescũt. Inde enim protinus colligitur vt quo ordine sunt quęq; rationi propinquiora, eorumq; cõtraria eidem magis dissona eodem deberent in serie esse priora: finis autem supremus nostrarum actionum primum se omnium rationi offert: & peccatum in ipsum grauius est quàm circa media: fit ergò consequens, vt præcepta quibus Deo, qui finis est noster, proximè subdimur, primæ sedi congruunt. Qualia vtiq; sunt tria prioris tabulę. Et cõfirmatur analogia ab exercitu sumpta. Priùs enim debẽt milites in ordine ad principem instituì, quàm inter se: nam & grauiùs peccatur in ipsum quàm si miles in militem delinquat. ¶ Secunda conclusio. Inter præcepta prioris tabulæ illud debuit esse primũ quod ad latriam, id est, ad culturã vnius Dei attinet: secundũ quod ei reuerẽtia exhibetur: ac perinde tertiũ quo eidem impenditur famulatus. Primum enim fundamentũ & basis militiæ est vt fide à milite data, sacramentoque firmata, soli principi militet, pactum omne & cõuentum cum inimicis abiurans. Quare hoc est grauissimum omnium scelus si tali fracta fide ad hostes desciscat. Quocircà primum præceptum est, nè habeamus deos alienos. Huic autem proximum de reuerentia quę soli Deo debetur: ac tertiam de famulatu eidem præstando. Grauiùs enim in honorem principis peccat qui eum dehonorat, quàm qui ei nõ obsequitur. Quapropter secundũ præceptum est, nè nomen Dei vanè vsurpetur: ac demum tertium, vt eius Sabbatha celebremus. ¶ Tertia conclusio Ex pręceptis, quibus inter se homines amicitia conglutinantur, illud debuit esse primũ, quo iubentur parentibus honorem exhibere. Ratio iam suprà facta est. Nempè quòd licèt nemini vllus debeat nocere, tamen beneficium conferre non omnis omnibus debet sed solis parentibus. Qua propter ratio debiti quæ in omni præcepto inest, apertior est respectu parentum, atq; adeò pręceptũ illud debuit cæteris negatiuis præponi. ¶ Quarta conclusio. In negatiuorum serie ille seruari debuit ordo, qui est inter malorum grauitates, quæ eisdem prohibentur: grauiùs autem homo læditur opere, quàm verbo, & verbo quàm corde. Atqui opere tunc maximè cũ vita priuatur, quæ omnium est bonorũ temporalium summum. Mox si lædatur in persona coniuncta, vnde prolis certitudo perit: ac tertiò si dispendium bonorum patiatur. Obidque quintò prohibetur homicidium sextoq; adulterium, ac septimò furtum, atq; octauò falsum testimonium: nonò verò concupiscentia alieni tori, sed decimò auiditas aliarum rerũ. De quibus sigillatim quæstione proxima dicendum est.

Prima conclusio. *Ratio pro cõclusione.* *Cõfirmatio.* *Secũda conclusio.* *Probatio.* *Tertia conclusio.* *Ratio cõclusionis.* *Quarta conclusio.* *Series præceptorum negatiuorum.*

AD primum igitur argumentorum quæstionis respõdetur, quòd etsi ad sensum notior nobis sit dilectio proximi quàm Dei: tamen vice versa hæc est illius ratio & causa: & præceptorum series debuit sequi dignitatis ordinem. ¶ Et eodem modo respondetur ad secundum, quòd etsi circa eandẽ materiam quantum ad executionem priùs sit à vitijs cessandum quàm studiosè agendum neq; possit studiosus habitus generari, nisi vitioso depulso: tamen in intentione legislatoris prior occurrit virtus propter quam expelluntur vitia: atque adeo dignitatis ordine etiam in eadem materia debuerũt præcepta virtutum anteferri prohibitionibus contrariorum vitiorum. Sed præterea quando pręcepta in diuersis materijs instituuntur, excellentior debet præferri: præcepti autẽ de honorandis parentibus diuersa materia est ab illis quæ præceptis negatiuis subijciũtur, eademq; præstantior, atq; adeò suo merito est prælata. ¶ Sed ad tertiũ respondetur, quod etsi peccata cordium causa sint operũ, atq; adeò priora in executione: tamen quoniam opera grauiùs offendunt, eorum prohibitio citiùs occurrit rationi.

Ad primũ argumentũ. *Ad secũdũ argumentũ.* *Ad tertiũ argumẽtũ.*

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm præcepta Decalogi congruenti modo tradantur.

IN hoc deniq; articulo septimo adhibetur sermo de forma & figura præceptorum, vtrùm scilicet perspicuus fuerit ac debitus tradendi modus. Et arguitur à parte negatiua. Affirmatiuis præceptis instituimur ad colendas virtutes: negatiuis verò ad vitia cauenda: in quacunq; autẽ materia

Primum argumentũ à parte negatiua.

teria opponitur virtuti vitium: in quacunq; ergo debuerunt congeminari præcepta affirmatiua & negatiua: videlicet vt non solùm iuberemur non occidere, verùm & vitæ proximi consulere, atq; in alijs pari modo. ¶ Secundò: cùm lex omnis ratione constet, non erat cur tantùm primo atq; tertio præceptis subderetur præceptionis ratio, sed debuit omnibus pariter subscribi. ¶ Tertiò: cum præceptorum obseruatio sit præmiorũ meritum, nulla apparet ratio quare solis primo & quarto propositum fuerit præmium. ¶ Quartò: & pœna vt dictum est causa est obseruandæ legis: præsertim apud priscos, cùm testamentum illud lex esset timoris: debuit ergò omnibus supplicij cõmemoratio adhiberi: quæ tamen nõ nisi primo & secundo adhibita est. ¶ Ac denique quintò arguitur: Cuncta diuina præcepta sunt altissima memoria retinenda, secundũ illud Prouerb. 3. Describe ea in tabulis cordis tui. Respondendum ergo est cur non nisi tertium præceptum sempiternæ memoriæ fuerit inter cęteras singulariter commendatum. ¶ In contrarium autem est quòd Deus; vt Sapien. 2. legimus, omnia fecit in numero, pondere, & mensura: id ergò præcipuè de eius præceptis credendum est.

Argumẽ. 2

Argum. 3.

Argumẽ. 4

Argumẽ. 5

PRæsens quæstio nihilo obscurior est præcedenti, ad quam ideo indubitata cõclusione hac respondetur. Decalogum, vt est cõgruentissima distinctione, numeroq; & ordine digestus, ità esse & luculentissima forma traditum. Splendet nanq; in præceptis diuinæ legis sapientia maxima: secundùm illud Deuter. 4. Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis: sapientis autem est cuncta & ordinis luce disponere, & congruenti forma adaptare. Quæ (vt ex præcedentibus liquet) in Decalogo sunt luculẽter obseruata. At verò commota est quæstio vt ad argumentorum quæsita quæ quinq; sunt numero, responderetur.

Conclusio responsiua.

IN primo igitur argumẽto quæritur, cùm suum vnicuiq; virtuti opponatur vitium, cur nõ in vna qualibet materia combinatũ est negatiuum præceptum cum suo affirmatiua, Responsio autem est quòd omnis affirmatio negationem includit: sequitur nanq; si est album, non est nigrum: eò quòd cõtraria non sunt composibilia. Econuerso verò non omnis negatio infert affirmationem Haud enim quod non est nigrum, statim est album: eò q̃ inter cõtraria interstant media. Pari ergò ratione & modo nõ omnibus quibus tenemur nõ nocere, subinde obligamur lege iustitiæ benefacere. Nam latiùs patet malorum prohibitio, quàm bonorum præceptio, Atque hac de causa nulli sex prohibitionũ secundæ tabulæ apponitur affirmatiuum præceptum. Tenemur inquam neminem occidere, neninemq; suis bonis expoliare, nõ tamen alienam vitam aut bona omnibus conseruare: nisi vrgens ingruat necessitas: quæ non comprehenditur lege iustitiæ sed misericordiæ. Hæc ergò præcepta, quia non sunt naturæ luce adeò peruia, sapientibus docenda commissa sunt. Quibus autem obedientiam obsequiumq; debemus & honorem, sunt Deus & parentes, à quibus suo vtriusq; gradu esse recepimus. Et ideò suppositis duobus negatiuis præceptis respectu Dei, quibus cauetur nè fidem quam illi soli debemus in falsos Deos traducamus, & nè reuerentiam illi debitam vanis iurationibus obscuremus, adhibetur tertium affirmatiuũ de die seruando Sabbathi, quo famulatum Deo exhibeamus: & quartum de honoratione parentum. Quibus non opùs fuit negationes cõtrarias adiungere: eò quòd affirmatio obsequendi & honorandi, negationem infert dehonestandi ac rebellãdi. ¶ Hic autem multa nos dubia occuparent nisi quæstione proxima accõmodatiorem nanciscerentur locum quibus disputentur. Enimuerò dum S. Tho. in priori tabula vnum tantùm agnoscit affirmatiuũ præceptum, docet duo priora esse negatiua. Attamẽ iam suprà tetigimus, & posteà perspectiùs videbimus quemadmodùm primum, scilicet, Nõ habebis deos alienos, affirmationem includat vnius colendi. Item dubitatio hinc emergit de tertio præcepto quod adstruitur esse affirmatiuum: cùm tamen si Ecclesiasticam sanctionem de sacro audiendo excluseris quantum ad ius diuinum attinet, non videatur esse nisi negatiuum, quo scilicet operę seruili interdicimur: sed de his & similibus quæstione sequenti. ¶ In secundo argumento percontabamur cur non sua singulis præceptis annexa fuerit ratio. Ad quod respondetur q̃ moralia patentiores secum afferunt rationes, quàm vt eas oportuerit explicare. Sed tamen vbi vel aliquid ceremoniale cõmiscetur, vel cõmune præceptũ morale ad aliquid peculiare speciatim applicatur: tunc operæ-

Difficultas primo argumento prætacta.

Solutio.

Prima dubitatio.

Solutio.

Ad secũdũ argumẽtũ.

preciũ fuit ratione illius subnectere. Ob idq; cùm primo precepto eliminauerit Deus alios deos, omnemq; proscripserit idolorum sculpturam & ceremoniã, cõdecẽs fuit vt rationem subiungeret, dicens, Ego enim sum Dominus Deus tuus. Et pariter in tertio, vbi morale præceptũ sibi seruiendi ad requiem Sabbati cõtraxerit, necessarium fuit rationem subdere, q̃ tali scilicet die à mundi structura requieuerit. ¶ Tertium argumentum adiectũ est ad explorandũ cur nõ omnibus præceptis sua proposita sint præmia: quãdo quidem sua singulis debentur. Ad quod pari modo respõdetur, q̃ in quibus res ipsa per se lucescit, nõ opùs erat præmia adhibere, sed vbi res latet. In præceptis autem negatiuis secundæ tabulæ manifestum est quod qui ab iniurijs inferẽdis se cohibet, supplicia cauet quæ in propatulo est malefactoribus decerni. At vero dũ non solùm cauerit mala iubemur, sed bona etiam facere: quia natiuũ nobis est nihil nisi intuitu præmij & commodi agere, opùs fuit vt vbi nulla vtilitas apparebat, vel commodum impediri videbatur, id Deus nobis exprimeret. In honorãdis autẽ parentibus nullum videbatur nobis emolumẽtum agi: propterea q̃ cùm in recessu sint vitę, potiùs videntur nobis impedimento esse suis fruendi bonis. Hac ergo de causa præcipiens nobis honorare parentes, non satis duxit in memoriam nobis reuocare susceptа generationis & educationis beneficia: sed nouũ quoq; sæculare præmiũ pollicitus est: vt sis inquit longæuus super terrã. Et habet præmium hoc energiæ plurimum. Nam cùm vitã à parentibus recipiamus, debemus eis suam sustentare & prolatare. Quare qui obedientiam eisdem non rependit, eiusdem punitur breuitate vitæ, quàm parẽtibus vel imprecatur, vel molestijs fatigat. Pari modo quia primo præcepto quo homines à cultura deorum arcentur videri poterant beneficiis orbari: quæ falsi dij apparent hominibus impertiri, subiungit præmium, dicens se facere misericordiã inmillia his qui ipsum diligunt, & custodiunt præcepta eius. ¶ Similiter ad quartum respondetur de pœna, q̃ cũ nõ sit eius cõminatio necessaria, vt Ethic. 10. author est Aris. nisi vbi procliuior est ad malum pronitas, in illis peculiariter apponi debuit pœna, in quibus patẽtior est præcipitatio in culpam. Et quia tum ob consuetudinẽ cum gentilibus proni erant Hebræi ad idololatriam: tum etiam propter effrænatã iurandi consuetudinem erant quoq; ad periuria proni, primo tertioq; præceptis annexa fuit supplicij comminatio. ¶ Ac deniq; ad quintum respondetur, q̃ cùm præceptum Sabbathi in memoriam statutũ sit celeberrimi beneficij creationis, peculiariter sub illa forma positum est, Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Vel fortè q̃ illa determinatio singularis diei non erat de iure naturæ: sed ceremonia eidem iuri super addita: atq; adeò metus erat nè faciliùs quàm moralia memoria decideret.

Ad tertiũ argumentũ

Ad quartũ argumentũ

Aristo.

Ad quintũ argumentũ

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm præcepta Decalogi sint dispensabilia.

POST hæc examinare super est Decalogi vim: vtrũ scilicet super aliquo eius p̃cepto sit posibilis dispensatio. Et arguitur à parte affirmatiua: Si non essent mandata Decalogi dispensabilia, maximè quia sunt de iure naturę: attamen (vt. 5. Ethi. cap. 7. autor est Arist.) nonnulla sunt de iure naturæ quæ variari possunt, ac perinde sunt dispensabilia. ¶ Secundò: sicut legislator humanus se habet ad suas leges, sic & Deus: humanus autem princeps super suis dispensare potest: ergò, & in suis Deus. Eò præsertim q̃ Apostolus. 2. Corinth. 2. tanq̃ Dei dispensator ait: Nam & ego si quid donaui propter vos donaui in persona Christi. Vnde fit non solùm Deum, verùm & eius prælatos posse in diuinis legibus dispensare. ¶ Tertiò: In Decalogo vetitum est homicidiũ, sed in hoc præcepto dispensat iudex malefactorũ vindex: Dispensauitq; Deus cum Abraham vt charissimum filium immolaret. Et cum Samsone, Iudic. 16. vt sese cũ Philistæis occideret. Et cum Eleazaro. 1. Macchab. 6. qui ab Elephante quem occidit oppressus, occubuit. Subinde extruuntur argumenta de fornicatione & de furto. Permisit enim, quin verò præcepit Oseæ vt vxorem fornicariam acciperet: & filiis Israel vt Aegyptiorum vasa surriperent: ergò huiusmodi præcepta dispensabilia sunt. ¶ Quartò arguitur: Connubium inter fratres iuræ nature prohibitum est: super quo nihilo minùs instrumento veteri legimus dispensatum: vt inter Adæ filios vsu venisse certum est, & inter Abraham & Saram perquàm probabile.

Primũ argumentum à parte affirmatiua.

Aristo.

Argumẽ. 2.

Paulus.

Argum. 3.

Argumẽ. 4

Deniq;

Argum. 5. ¶Deniq; quinto arguitur: Obseruatio Sabbathi est vnũ præceptorũ Decalogi, idemq; Iudæis sanctissimum: sed in hoc fuit cum Macchabæis olim dispensatum. Sic enim legitur libr. 1. cap. 2. Et cogitauerunt in die illa dicentes: omnis quicunq; venerit ad nos in bello in die Sabbathorũ, pugnemus aduersus eũ: ergo præcepta Decalogi, sunt dispensabilia. ¶Contrariũ perhibetur apud Isai. testimonium. cap. 24. vbi quidam ideò reprehenduntur quòd mutuauerũt ius & dissipauerunt fœdus sempiternum: quod de illo potissimum iure intelligitur, quod in Decalogo continetur.

Isaias.

QVæstio est inter eas quæ de Decalogo disputantur scitu digna: vt potè per quam cõstat quanta sit eius authoritas. Etenim sensus eius non est hic tantùm, vtrùm homo aliquis authoritatem habeat super huiusmodi præceptis dispẽsandi: sensus enim hic nemini in dubium cadere potest. Quippe cùm publica confessio sit, neq; penes summum Pontificem talem esse ordinariam potestatem: quia inferior superioris leges mutare nequit, ac multò minimè naturales, quę in nostris sunt pectoribꝰ impressæ. At dubiũ est vtrùm simpliciter eò sint vsq; indispensabilia, vt neq; ab ipso Deo per eius absolutã potestatem fieri talis possit dispensatio. Vbi ex postremo articulo superioris libri recolendum discrimen est inter tria hæc, legem interpretari, & in lege dispensare, quod nihil aliud est, quàm manẽte in genere eius ratione & vigore, eandem in particulari casu, certisque personis relaxare. ¶De hoc ergò quæstionis intellectu tres, vt plerunq; solet, versantur opiniones: duę scilicet extremæ: & vna media. Prima per vnum extremum opinio est Occham. 2. sent. distin. 19. vbi ait non modò omnia præcepta Decalogi esse dispẽsabilia, verùm & Deum posse contraria præcipere. Quo ideò contrà præcipiente laudabile, inquit, esset ac meritoriũ cõtra illa operari. Quin verò ait Deum & se solo posse in nostra voluntate sui ipsius odium ingignere, & nobis quoq;, vt odio eũ prosequamur, præcipere. Et vtroq; modo fatetur idem odiũ esse laudabile. Neq; verò tã insignia dogmata aliter quàm ex suo familiari Achylle sibi habet persuasa: videlicet, Quicquid non implicat contradictionem Deus potest facere: secundùm illud Angeli, Lucæ 1. Non erit impossibile apud Deũ omne verbum: hæc autem, inuuit, nullã implicant. At verò opinio hæc adeò se apertè rationi aduersam obijcit ac subinde absurdã, vt fit repulsu facillima, In primis articulus Parisiensis eos condẽnat, qui affirmauerint posse quenquã per odiũ Dei mereri. Neque eiusmodi articulus illam glossam admittit, vt intelligatur de potentia Dei ordinaria. Nan de illa nulla vnquam potuit esse controuersia: articulus autem nõ est definitus nisi ad aliquam dirimendam. Sed præter articulum arguitur. Illud in primis Nominalium axioma, Quicquidnõ implicat contradictionem Deus potest facere, perperàm à nonullis illorum defenditur. Nam si intelligatur quòd quicquid nõ apertè duas cõtradictorias intulerit, Deus facere possit, falsum est. Negant enim ijdem ipsi duas inde colligi cõtradictorias, quòd sit homo equus: & tamen id Deus non potest facere. Neque verò Angelicus sensus alius fuit quàm quòd quicquid Deus pollicetur, seu quòd quicquid factibile sit, Deus potest perficere. Hoc nanq; dicitur Dei verbum: vt potè qui dicendo operatur. ¶Secundò arguitur: Id re vera dicitur implicare contradictionem, quod, supposita natura vnius partis cõtradictionis, ex concessis infert alteram. Et quia immutabilis natura rationalis animalis est, non esse inhibilem, si concederetur Deum facere posse hominem esse equum, esset inhibilis, & non esset inhibilis. Ad propositum ergo, Deum odio haberi, tam intrinseca ratione est malum, puta sempiternæ eius legi absonum, quàm est intrinsecum hominem esse rationalem: ergo tam repugnat id esse licitum, quàm hominem esse, eundemq; irrationalem. Atque adeò repugnat, Deum odiũ sui vel efficere vel præcipere. ¶At quò res perspectius deprehendatur, fac, verbi gratia, virũ iustũ iussu Dei eum ipsum odio habere: sequeretur tũc simul esse in eius gratia atq; in eiusdem inimicitia: qua nulla esse potest apertior cõtradictio. Nam quòd permaneat in eius amicitia, palàm est, postquã nihil aliud facit quàm eius obsequi voluntati: quod autem sit pariter inimicus, docet eius odium, quo Deum prosequitur. Nam hoc negare est negare naturam ipsius actus, cum amicitia ab amore dicatur. Itẽ Deus seipsum odisse non potest. Quis nanq; intellectus cõtrarium capere posset? Et tamen tota ratio repugnantiæ est quod odium Dei adeò habet innatam malitiam vt nulla recta voluntate possit illud optari: ergò similis repugnã-

Quæstionis sensus.

Triplex opinio de quæstione.

Prima opinio Occham

Ratio vulgariu Occham

Articulꝰ parisiensis.

Primaratio aduersus priorem opinionem.

Secunda ratio.

Tertiaratio

tia est vt Deus idem alteri præcipiat. Esset enim præcipere vt alter faciat secundùm suã regulam & voluntatem, & simul faciat contra. Nam quid aduersantius esse potest diuinæ regulæ, quàm summam bonitatem odio haberi? Negatur ergò hoc non implicare contradictionem. ¶ Est igitur secunda opinio Scoti. 3. Sententiar. distinct. 37. non quidem tam extrema, sed medio incedens modo. Ait quippe bifariàm quippiam esse iuris naturæ. Vno modo tanquam principiũ practicum ex terminis notum, vel conclusionem quæ inde fit necessariò consequens. Alij eius scholares in duos distinguunt hos gradus: sed tamẽ corũ præceptor pro eodem ducit ambos quantum ad rationem dispensationis. Et in talibus inquit, quæ strictissimæ sunt de lege naturæ, nulla esse potest dispensatio. Alia verò sunt quæ neq; principia existunt necessaria, neq; conclusiones inde necessariò illatæ: atq; adeò neq; necessariam habent connexionem ad consecutionem vltimi finis. Secundum eius assertum est: Præcepta secundæ tabulæ sunt istius secundi ordinis, ob idq; sunt per diuinam autoritatem dispensabilia: præcepta verò primæ tabulæ sunt prioris ordinis: quæ ideò dispẽsari neq; à Deo ipso valent. ¶ Tertia nihilo minùs opinio est sancti Thomæ loco præsenti: eademque fuit Altisiodorensis. libr. 3. tracta. 7. quæst. 5. & antiquorũ: secundùm quam statuũtur duæ conclusiones quibus soluitur quæstio. Prior est. Vniuersa præcepta Decalogi tam secundæ quàm primæ tabulæ sunt prorsus indispensabilia: vsq; adeò, vt neq; Deus possit super illa dispensare. Hęc enim plana mens est sancti Thomæ, vt tum toto articulo, tum clarè in solutione secundi patet. Aliàs quæstio non esset digna tanta disputatione. ¶ Posterior conclusio. Alia præcepta quæ extra Decalogum vagantur, neq; in ipso implicitè cõtinentur, etiam si sint iuris naturæ, nihil vetat quo minùs sint dispẽsabilia. Deniq; neq; vlla principia, neque verò conclusiones primi, secũdi, aut tertij gradus, qui suprà articulo primo sunt designati, vllã dispensationem admittunt. Illa verò præcepta quę intrinsecè non cõtinent rationẽ ipsam iustitiæ, sed speciales modos ipsam seruandi, dispensari possunt: puta illa quæ in Decalogo neque explicitè sunt neque implicitè: vt infrà luculentiùs liquebit. Quarta si vis opinio est Durandi in. 1. Sent. dist. 47. quæst. 4. qui tenet quartum duntaxat & quintum præceptum esse dispensabilia. Cuius hallucinationem infrà reprobabimus. Probantur ergò ambæ conclusiones S. Tho. ista bimembri ratione: In illis pręceptis, vt arti. vlt. primi libri monstrauimus, fieri potest dispensatio, per quæ si tali casu ad literam seruarentur, obuiaretur intentioni legislatoris: sed per nullum præceptorum Decalogi vllo vnquam casu & ratione potest intentioni Dei obuiari: quin verò quotiescunq; contra præceptum fieret, contradiceretur eidem intentioni: ergò nullatenùs eorum dispensatio est licita. Maior vsq; adeò nota est, vt neq; aduersariis ipsis sit dubia: sed probatur Minor de qua est controuersia. Intentio legislatoris pręcipuè tanquã in finem fertur in bonum commune: hoc enim est ab eius intẽtione inseparabile. Deinde respicit ordinem iustitiæ & virtutis quæ media sunt assequendi tenendiq; eundem finem. Igitur quando præcepta per se intrinsecè continent eandem ipsam rationem & conseruationem boni communis, vel ordinem ipsum iustitię ad idem bonum: eadem subinde præcepta per se intrinseca ratione sic continent legislatoris intentionem, vt non sit ab ipsis semouibilis: atq; adeò nec sint dispensabilia: quia nunquam contingere potest vt facere contra illa non aduersetur intentioni legislatoris. Exempla rem ipsam patefaciunt, si iusio legis reipublicæ esset hæc, Nemo destructor sit labefactatorque reipublicæ: vel hęc, Nullus iniustè agat. Profecto rationi intrinsecæ & natiuæ talium legum repugnaret dispensatio: implicatio enim est contradictionis: licêre cuipiam iniustè agere, aut bonum cõmune impugnare, ad cuius custodiam omnes leges referũtur. Si autem lex diceret, nemo fores vrbis (Dum obsessa est) pãdat, quia hoc non est salus ipsa reipublicæ, sed modus ipsam seruandi, nulla esset repugnãtia vt aliqua de causa fieret dispensatio: puta dum fugiẽs dux se illuc vellet recipere. Præcepta autem Decalogi sunt prioris ordinis, Nam præcepta prioris tabulæ innatum ordinem habent ad bonum cõmune, quod est Deus: præcepta verò secundæ, ad bonum commune hominum: vt scilicet nemini iniuria fiat, sed cuiq; ius seruetur suum: quod licèt non sit tam perfectum, est nihilo minùs tam intrinsecè bonũ q̃ quod debetur Deo: imò cũ rationẽ ipsam iustitiæ expresse cõtineat, in Deũ ipsum intimè refert. Qui enim dicit, Nõ furtũ facies: idẽ dicit quod, Non iniustè, aut illicitè, aut male facies. Sic enim, vti

Secunda opinio Scoti.

Tertia opinio S. Tho. Altisiodorensis.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Prima probatio vtriusq; conclusionis.

ait

ait sanct. Thom. intelligenda sunt præcepta Decalogi. Atq; in hoc hallucinatus est, salua eius existimatione. Doctor subtilis, discriminans quantum adhoc inter præcepta primæ ac secundæ tabulæ. ¶ Secundò quò rationis vis luculentiùs pandatur, arguitur sic. Hoc quod est adulterium facere, quod est in Decalogo: & mentiri aut fornicari quæ implicitè illic latitant (nam de ambobus intelligitur prior conclusio) tam intrinsecè mala sunt (vt de odio Dei proximè arguebamus) quàm est homini esse rationalem: ergò naturę suę iustitiæ repugnat ac probitas: Deus autem dispẽsare nequit nisi vbi aliqua est ratio æqui & boni: ergò in his dispensare non potest: aut: quò temperatiùs loquamur, dispensabilia non sunt: perinde atq; homo non est factibilis irrationalis. Et hoc est quod S. Th. cogitabat dum dixit huiusmodi præcepta per se continere rationem communis boni, atq; adeò intentionem legillatoris. Nam naturale est Deo, nihil nisi bonum velle: & naturale est huic, quod est furari aut mentiri esse malum. ¶ Atqui vt oppositа iuxta se posita fulgentiùs eluceſcant, probatur secunda conclusio. Illa præcepta quæ non per se continent bonum commune, quod est legis finis, sed medium aliquod, puta ordinem iustitiæ ad ipsius consequutionẽ, possunt quã doq; deficere ab intentione eiusdem boni cõmunis: ergò tunc eorum dispensatio nihil eidem fini officeret, essentq; subinde dispensabilia. Exempli gratia. Lex ad seruandum fidelitatis bonum est vt reddatur depositũ: nihilo minùs dum vesano domino suũ gladiũ denegas, nõ vtiq; eidem fini aduersaris, sicut in exemplo nuperrimè posito patet de aperienda obsessa vrbe contra legis verba. Et pariter si lex sit vt ciues pervices excubias sustineant, dispensare iusta de causa cum aliquo, non est contra cõmune bonum. ¶ Præterea ad eandem cõclusionem arguitur argumento eiusdẽ Scoti, quod re vera minimè soluit: Præcepta secundæ tabulę omnia secundùm Paulum ad Rom. 5. includuntur in illo principio, Diliges proximũ tuum sicut teipsum: dilectio autem proximi sequitur ex præcepto dilectionis Dei. Nam vt ait Ioãnes: Si hominem quem vides nõ diligis, Deum quem non vides, quomodò potes diligere? Præceptum autem dilectionis Dei, vt Scotus fatetur, est indispensabile: ergo & præceptum dilectionis proximi, atq; adeò præcepta secundæ tabulæ. Ad hoc argumentum prętermissis aliis solutionibus respondet Scotus distinguendo de dilectione proximi, Hæc enim dilectio qua tenemur, inquit, velle proximo vt Deum diligat, sequitur ex dilectione Dei, Nam qui verè diligit Deum, omnes velle debet vt eundem ipsum diligant: ac perinde dilectio hæc proximi indispensabilis est. Attamen dilectio, inquit, qua proximo volo temporalem vitã & honorem, temporaliaq; bona & immaculatum torum & similia, non sequitur necessariò ex dilectione Dei, neq; habet connexionem necessariam ad consequutionẽ ipsius vltimi finis. Qua propter dispensare Deus mecũ potest vt occidendo, furando, in honorando parentes. &c. non peccem imò assequar vltimum ipsum finem. ¶ Contra solutionem autem est argumentũ, ex cõtrarijs principijs ortũ. Dilectio enim proximi quæ est de iure naturæ, est illa quæ ex dilectione Dei sequitur, qui est author institutorq; naturæ: hæc autem non solùm est illa qua ei volumus vt Deum diligat: nam hæc plus habet dilectionis ipsius Dei: sed illa quo que qua illic cupimus bona naturalia quę ad mutuum vicarium q; amorem pertinent. Ec quis enim dicat non aliud nobis præcepisse naturam, ac Deum ipsum, quàm vt ipsum diligeremus. Imò verò cùm omnes simus factura Dei, sic nos cõglutinauit, vt iter nos ipsos custodiremus iustitiam ac fidem: vnde Ioannes: Qui viderit fratrem suum necessę habere & clauserit viscera sua, quomodò charitas Dei manet in illo? ¶ Respondetur ergò Scoto ꝙ hæc dilectio proximi necessariã habet inseparabilemq; iustitiam: ac proinde tanq; ex dilectione Dei necessariò consequens necessariam habet connexionem ad consequutionem vltimi finis. Quareperinde esset Deũ dispensare in homicidio, aut furto, atq; si dispensaret, vt iustitia ipsa iustè perturbaretur: quod est cõtradictionis implicatio. ¶ Ac per idem soluitur aliud Scoticum argumentum. Nẽpè ꝙ si præcepta secũdæ tabulę nõ essent dispensabilia, sequeretur quòd Deus necessariò aliquid extra se vellet, sic vt nõ posset velle contrarium: vt puta honorare parentes: & nè quis bona aliena fur aretur. &c. Respondetur in quam per distinctionem quòd Deum extra se quippiam velle, stat dupliciter. Vno modo vt velit existentiam illius rei: & hoc modo nihil necessariò extra se vult: quia vniuersa liberè, tum cõdidit, tum etiam sustinet ac seruat. Alio modo vt velit connexionem extremorum. Atq; hoc pactò necessariò fa-

Secunda ratio.

Probatio peculiaris secundæ conclusionis.

Altera ratio ad idem Paulus.

Solutio Scoti.

Contra solutionem.

Responsio ad Scot.

Solutio ad aliud argumentũ Scot.

Deum velle aliquid extra se est dupliciter.

Deum aliqua necessario velit.

tẽdum philosophis est, aliqua necessariò vel le: puta cuncta illa quæ sunt perpetuę veritatis: vt hominem esse animal rationale: &, vti ait Augustin. quatuor & tria esse septem: quæ quidem, etiam si mundus non fuisset nec res existerent, vera essent. Hoc ergò pacto, nõ est occidendum, non est furandum, nõ est mœchandum: &c. necessaria sunt diuinæ voluntatis obiecta: quia perpetuæ veritatis: quorũ ergò contraria neq; præcipere potest, neque permittere, vt iustè fiant. Quod Scotus ipse necessitate cõpulsus concedere habet de primis principijs naturæ quæ ipse agnouit esse indispensabilia: vt, Id aliis faciendum quod sibi homo vult fieri: & de dilectione qua homines Deum diligunt, quæ res creata est: ex qua sequuntur præcepta primæ tabulæ quę ipse indispensabilia fatetur.

Ad primũ argumentũ ET per hæc soluuntur argumenta in contrarium. Ad primum enim respondetur quòd Arist. loco citato loquitur de iusto naturali quod non includit finem ipsum ordinemq; iustitiæ, sed determinatum modum ipsam seruandi. Exempli gratia: quòd fides ciuibus seruanda sit, adeò est intrinsecè bonũ, vt in ipsum nulla cadat dispẽsatio: quòd verò hoc vel illo modo seruetur, variari potest ac super ipso dispensari. Qua ratione furioso non est reddendus suus gladius. Quoniam per hoc nõ peruertitur humana fides.

Ad secũdũ argumentũ ¶ Ad secundum respondetur latam esse differentiam inter humanum legislatorem & Deum: nam leges humanæ non habent intrinsecam natiuamq; à natura iustitiam, sed sunt bona quia per legem posita: & mala quia vetita: ob idque etiam si in aliquo casu relaxentur, non peruertitur finis, Vt si die per Ecclesiam vetita nõ ieiunes, aut si fur iusta de causa nõ suspendatur. Et pariter Deus potest dispensare in suis legibus positiuis. Potest enim quemlibet à prȩcepto baptismi absoluere & à præceptis aliorum sacramentorũ. Ac perinde potuit super omnibus ceremonialibus & iudicialibus antiquis dispensare: sed tamen præceptis naturalibus quæ innatam habent iustitiam repugnat ex parte rei dispensatio. Et ideò quia ipse est ipsissima iustitia, si super ipsis dispensaret seipsum negaret: eò quòd ordinem iustitiæ subuerteret: & tamen vt. 2. Timoth. 2. ait Paulus: Deus fidelis est, qui seipsum negare non potest.

Ad tertiũ argumentũ ¶ Tertium autem argumentum est, quod rem pressiùs vrget: videtur enim Deum homicidium Abrahæ, & filiis Israel vt Aegyptios deprædarentur, & Osęæ fornicationem præcepisse. Et iudex præcipit malefactorem occidere. Ad hæc ergò Caietañ. distinguens respõdet: Nempè quòd præcepta Decalogi secundùm ordinem iustitiæ quem continent sunt indispensabilia. At verò secundùm applicationem ad aliquẽ singularem actum sunt per Deum dispensabilia. Illa tamen inquit dispensatio non est præcepti relaxatio, sed est facere quòd iste actus nõ sit homicidium. Videlicet dum prȩcepit Abrahæ vt filium immolaret, non relaxauit naturæ ius: veluti cùm Papa dispensat in ieiunio, suam relaxat legem in tali casu: sed fecit vt ille actus non esset homicidiũ, propterea quòd à suprema authoritate iubebatur sine qua fuisset homicidium. Nam homicidium non quancunq; occisionem signficat, sed iniustam: responsio autem hæc obscura est & lubrica, & quæ subinde videtur principium petere. Primùm enim dicere quod præceptum non est dispensabile in quantum includit ordinem iustitiæ, nihil aliud sonat quàm si dicas, Non est dispensabile permanens contra iustitiam: sed quod ait loco citato Durand. coniunctim, id est, non potest Deus præcipere aut permittere vt iustè fiant mala, dum mala sunt in sensu composito. Quod quidem cum nullatenùs sit dubitabile, nihil ad rem attinet. Dubitatio autem solùm est, vtrũ hoc quod est accipere alienum inuito Domino aut hominem occidere, qualiter id natura negat, possit permissione Dei fieri licitum. Et respondere quòd est dispensabile per applicationem ad singularem actum, est principiũ petere nisi lucidiùs explanetur. Nè ergò rem offuscatiùs obnubilemus, hęc vna distinctio mediatè audienda est, quam nemo, vt arbitror, qui perspexisset, potuisset, neque Scotus ipse sententiam nostram inficiari. Deus inquam duas habet potestates in vniuersum orbem: vnam quòd iure creationis est Dominus, non solùm bonorum omnium exterorum, verũ & corporum & ipsius etiam humanæ vitæ: & Angelorum quos tanquàm sua opificia in nihilum redigere potest. Altera verò est q̃ est legislator atq; adeò vniuersalis omniũ iudex. Et claritatis causa opùs est alteram ab altera seorsum considerare. Hoc suppositio dicimus q̃ si non esset rerum Dominus, sed tantum legislator & iudex, neuti quam posset dispensare vt quis rem alienam inuito

Caietan. solutio.

Solutio Caietana. obscura.

Deus duas habet potestates.

inuito domino, si innocẽs esset licitè vsurparet: quia hoc adeò est intimè iniquum vt fieri iustè nequeat. At vetò quia est Dominus potest cuiuscunq; rem alteri tradere ipso inuito. Quod quidem nullam habet dispensationis rationem. Cùm enim tu rem tuam alteri tradis, nõ dispensas in furto: quia capiẽs non furatur. Et si pater vestem paruuli filij eo inuito traderet amico, nõ dispensat in furto: licèt inuitus filiolus expolietur: quia pater est verus Dominus: sicut neque prælatus meus dispensaret in furto, si me vel inscio vel inuito facultatẽ alteri faceret capiendi meos libros. Pari ergò modo licèt Deus vasa Aegyptiorum tanquàm Dominus tradidisset Hebræis, eisdemq; posteà terram promissam, neutiquàm dispensasset in furto. Neq; illud esset furtum: nam licèt peculiares Domini inuiti fuissent priuati, à supremo tamen Domino fuisset facta donatio. Idq; inde confirmatur, quòd licèt per impossibile Deus non fuisset legislator, neq; vlla in leges potestate fungeretur, legitima fuisset vsurpatio illa: quod testimonium est nihil illic dispensatio nis interuenisse. Locutus tamen hìc sub conditione sum: quoniã Deus in traditionibus illis nõ absoluta potestate Domini vsus est: sed legitima iudicis authoritate, Nam quoniam de laboribus quos Aegyptiis Hebræi impenderãt nullam recepissent mercedem, iusto iudicio illã eis Deus persoluit. Et, vt legitur Deutero. 9. propter execranda Chananæorum scelera pepulit eos suis sedibus, in quas Israëlitas induxit. Et quando iudex criminosum, licèt inuitũ suis bonis priuat, neutiquã in furto dispensat: prohibitione enim illa furandi solũ interdicitur id quod ius naturæ vetat, Nempe innocentem inuitum authoritate priuata suis bonis nudare, vt. q. 3. lib. 5. patebit: Pari modo Deus tanquàm corporum Dominus, non tanquam legislator potuit meretricis facultatem facere Oseæ, vt illa vteretur etiam inuita. Nam licèt consensus particularis iure ordinario requiratur ad matrimoniũ: tamen vbi Deus duos renuentes coniungeret, tam legitima esset coitio, imò multò magis quam si ipsi consentirent Tametsi, neq; illic Deus credendus est absoluta potestate vsus, sed cùm omnia disponat suauiter, forsan conciliauit amborũ animos vt in matrimonium consentirent. Sed in hoc sensu iussus est Oseas facere filios fornicationis, quòd illius iussus est suscipere prolem, quæ tunc fornicaria erat. Nam etiam si nullum aliud fuisset per particulares consensus matrimonium, cõcessio Dei, quia Dominus est corporum, sat esset vt copula illa nõ fuisset fornicaria. ¶ Similiter ergò dicendum est de historia Abrahæ: iubẽs nanq; ei Deus immolãdum filium, neutiquam in homicidio dispensauit: quia si nõ esset nisi legislator, id neutiquàm potuisset facere: se quia est Dominus vitæ potuit illam tradere in potestatem Abrahæ, sicuti pecoris Dominus potest eius vitam cui voluerit concedere. Atq; hac ratione illic non fuit homicidium: quia, vt dictum est de prohibitione furti, interdicto homicidij solùm prohibetur id quod lex naturalis abhorret. Quare cùm iudex tradit reum carnifici non dispensat in homicidio: quia prohitio nõ extenditur ad occisionem illam: imò illam præcipit. Sicuti neq; est dispensatio quòd quisq; inculpata tutela inuasorem interficiat: quia id natura non vetat. Vnde si homo esset dominus vitæ suæ sicut suę pecudis, citra dispensationem posset alteri facere facultatem vt se occideret. Et quia isto modo Deus est Dominus, citra dispensationem potuit filium patri tradere iugulandum. Quin verò vt peracutè Diuus Tho. rem tetigit, non solùm tanquàm Dominus, sed tanquàm iudex potest innocẽtem à culpa actuali occidere. Nam ratione præuaricationis Adæ omnes incurrimus pœnam mortis: quam idcircò morbis & fortuitis casibus à nobis in dies poscit. Veruntamẽ & de hoc quoque diuina laudatur misericordia quòd noluit vt Abraham trucem illam innocentis necem executioni mandaret. ¶ Discrimen ergò intet Diuum Thomam & Scotum hoc est, quòd Scotus putat furtum permanens sub ratione furti posse dispensatione diuina licitè fieri, sicut fractionem ieiunij: sed sanct. Thom. id negat: concedit tamen quòd ceu Dominus facere potest acceptionem rei quæ anteà non erat tua non esse furtum. ¶ Per hæc planè proditur deceptio Durandi negantis dispensationem furti factam fuisse à Deo cum Hebræis in expoliatione Aegyptiorum, aut cùm Osea in fornicatione: & tamen concedentis quòd cùm Abraham dispensauerit in homicidio filij: Deceptus inquam inde fuit: quòd non perspexerit, quemadmodùm sicuti bona Aegyptiorum potuit tanquàm Dominus tradere Hebræis, ità & patri tradere vitã filij, atq; adeò sicut illud non erat furtum, ità neq; hoc homicidium, à natura vetitũ: quod in malum

Aegyptii. *Deus legitima iudicis authoritate vsus est, vt Aegyptiorũ Hebræis tradendo.* *Oseas.* *Credit Author Deũcõciliasse animos Oseæ et mulieris fornicariæ vt in matrimo* *niũ consentirent.* *Abraham.* *S. Tho. per acuta sentẽtia.* *Discrimẽ inter S. Tho. & Sco.* *Duran. deceptio.*

Durãd. falsè arbitratũ in quartum præceptum posse cadere dispensationem.

sonat. ¶Neq; verò minori mentis lippitudine captus est dum concessit in quartum præceptum cadere posse dispensationem, arbitratus non inesse inillo mandato tam intrinsecam iustitię rationẽ quàm in cæteris. Cùm tamen contrà stet veritas. Est enim naturæ intimũ vt à quibus esse receperis eisdem honorem debeas: cuius ideò contrarium non magis fieri iustè potest quàm furtum. ¶At vero de Samsone, vel dicendũ est quòd tanq̃ vir fortis absque vlla, seu reuelatione seu dispensatione potuit, vt hostes perimeret: periculo sese obijcere extremo: vel, quod libentiùs cũ Augustino adstruxerim, id reuelatione Dei fecit: quippè cuius fortitudo naturalis nõ esset. sed supernaturalis in coma latitãs quam quidem fortitudinem, vt eius historia refert, in illo aggressu à Deo repetijt. De Eleazaro autẽ facilè id fatebor quòd veluti strenuus miles elephantem posthabita propria salute impetiuit. ¶Quartum argumentum nihil mirum si maioris apud quospiam habeatur momenti. In primis de Abraham & Sara mihi cum Caietano & quibusdam aliis longè fit probatiùs fuisse fratres, quàm fratrueles: primùm quòd non solùm Genes. 12 verùm & cap. 20. maritus appellauit coniugem sororẽ: cùm ad cauendum periculum satis fuisset ei persuadere vt diceret se suam esse fratruelem. Quin verò secundo loco litera Hebręa habet, verè soror mea est. Et quanuis fratrueles dicerentur etiam fratres, vt Iacobus frater Domini: tamen, verè soror maiorem habet emphasin. Illud autem potissimum est argumentum quòd si tantùm significare voluisset esse fratris filiam, non tanta verborum explicatione vteretur dicẽs Filia patris mei & non filia matris meæ. Filia enim patris durũ est, pro eo vsurpare quod est, Neptis aui mei. Maximè cùm tam significanter subiungatur, Et nõ filia matris meę Hoc enim totum positum esse videtur ad explicandum rationem qua esset soror. Nam fortè quando soror erat, non vterina, sed tantùm paterna, non erat interdictum coniugium. Attamẽ Iosephus, quia hoc forsan nõ intellexerat: primus fuit qui lib. 2. Antiquita cap. 15. dixit Saram fuisse filiam Aram sororemq; Loth, ac subinde fratruelem Abrahæ. Quem authorem Diu. Augustinus secutus est, ac deinceps alij. Atverò non est hic locus hoc vel presiùs discutiendi, vel certiùs definiendi. Nam quantum ad rem attinet præsentem satis est filios Adæ inter se fratres matrimonia contraxisse, quod certo certius est: atq; adeò in hoc naturæ interdicto fuisse dispensatum. Respondetur ergò quòd S. Tho. solùm negat posse fieri dispensationem, aut super Decalogo, aut super aliquo præceptorum, quæ illic implicamur, cõtinentiũ in se rationem ipsam iustitiæ vel iniustitię: qualia sunt: honorare maiores, fornicatio. &c. Prohibitio autẽ connubij inter fratres nõ est propter iniustitiam aut iniuriam quam alter eorum pateretur, sed propter naturalem indecentiam. In qua quidem ratione finis etiã naturalis, putà propagandi humani generis, qualis fuit in filijs Adæ, aut propter alium, poterit absq; vlla absurditate dispensari. Nam etiam secundus gradus consanguinitatis quoddam præ se fert indecorum naturale ad matrimonium contrahendum: siquidem propter hoc est ab ecclesia vetitus: & tamen dispensationem admittit, Patrem autem filiæ aut filium matri matrimonio commisceri vsq; adeò fœdum est, vt non sit dispensabile. Quanuis si contingere posset vt totum humanum genus in patre & filia fieret superstes, non prorsus probabilitate caret, quin possent connubio iungi. ¶Deniq; ad quintum sanctus Thom. nihil aliud respondet quàm q̃ illa Macchabeorũ cogitatio in Sabbatho pugnandi nõ fuit dispensatio sed epieikeia, de qua suprà loquuti sumus: non enim tenemur festum seruare cũ mortis periculo, vt Matthe. 12. Christus nos docuit: nempè q̃ opera charitatis diem festũ nõ violãt. Haud tamẽ rei satis videtur facere Quicquid enim hoc procepto continetur, nempè cessare à seruili opere & adire sacra, dispensationem recipit: nõ solùm quę à Deo fiat, verùm quã potest etiam facere Ecclesia Qua ratione, vt superiùs videmus, Isychius nõ annumerat hoc in Decalogo tanq̃ ius naturæ. De hoc autẽ quæstione proxima art. 3.

Probabilius est Abrahã & Sarãfuisse fratres quàm fratrueles.

Iosephus.

Augustinus

Fieri põt vt & pater filiæ, & filius matri licitè possent cõnubio iungi.

Ad quintũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm modus charitatis cadat sub præcepto.

POST hæc quæ de præceptorum firmitate dicta sunt, consequitur vt videamus de eorum vi obligandi: An scilicet virtutis modus cadat sub præcepto legis. Et arguitur à parte affirmatiua. Modus virtutis est iustè quę iusta sunt operari: iuxta

Primum argumẽtum à parte affirmatiua.

illud Deut.16.Iustè quę iusta sunt exequêris atq; eadem ratione strenue ac fortiter quæ sunt fortitudinis,& temperatè quę sunt temperantiæ:iustè autem & strenuè facere, non contingit sine virtutis habitu:ergo talis modus cadit sub præcepto. ¶Secũdò:nihil magis ad vim attinet præcepti quã quò fertur legislatoris intentio:hic autem,vt.2. Ethico. ait Arist.intẽdit studiosos effiicere ciues: sed studiosus nemo est quousq; habitũ genuerit:ergò agere ex habitu cadit sub prẽcepto. ¶Tertiò: Modus virtutis est prompto lætoq; animo virtutis officia præstare:hoc autem in Psal.99. iubemur, Seruite Domino in lætitia.Et.2.Corint.9.Non est tristitia: hilarẽ enim datorẽ diligit Deus: ergo omnes isti modi cadunt sub præcepto. ¶In contrarium est argumentum quod studiosus (vt modò dicebamus)nequit nisi habitu imbutus virtutum munera dignè perficere.Quapropter si hic modus virtutis caderet in præceptum,quicunque absq; tali habitu legem impleret,censeretur eius trãsgressor, ac perinde reus esset pœnæ legis: consequens tamen inde constat esse falsum, quòd ob id lex cõminatur pœnam vt eius metu custodiatur, & sic ciues consuetudine habitum generent.

Argumẽ.2

Aristo.

Argum.3.

Sensus quæstionis explicatur.

AD intelligentiã huius quęstionis discernendus primùm est modus virtutis de quo hic agitur à modo charitatis, de quo in subsequenti articulo. Charitas enim est habitus infusus,gratiæ gratum faciẽtis indiuiduus comes:habitus autem virtutis esse potest acquisitus ac informis: nõ ergo hic quæritur vtrùm ad satisfaciendum præcepto requiratur habitus gratiæ,sed vtrùm requiratur vt operetur homo ex habitu, saltem informi.Secundò meminisse oportet triũ conditionum quas Aristoteles.2. Ethicorũ.cap. 4.in studioso requirit: quæ sunt,vt sciens faciat.Deinde eligẽs propter hoc:puta ex electione in ordine ad finem,Et tertiò vt firmo ac immutabili animo id eligat. Indoctè eñ quidam in duo dissecant eligens & propter hoc,Nam sine coniunctione vnica est cõditio eligere propter virtutis finem. Atq; hæc simul tria, non sunt tres, sed vnus virtutis modus:vna enim deficiente deficit modus. ¶His ergo præhabitis perspectè notandum est quòd modus iste virtutis, vt tres habet partes,ità trina differentia consideratur à diuina lege& humana.Nam partim ab vtraq; perpenditur:partim verò à sola diuina: non autem ab humana:sed partim ab vtraq; illarum. Eapropter tribus conclusionibus ad quæstionem respondetur.Prima est, scientiam,quæ prima pars est modi virtutis,tam humana lex quàm diuina respicit ac iudicat. Quod enim quis ignorans facit,id non simpliciter volens facit. Quocircà ingnorãtia vtroq; iudicio tam diuino quàm humano culpã,vel in totũ,vel in partem excusat. ¶Secunda conclusio. Illa conditio secunda, vt opus fiat ex electione propter finem,non quidem ab humana lege, sed tamen à diuina cõsideratur. Radix autẽ huius discriminis est distãtia cognitionis humanæ à diuina.Enimuerò lex quælibet,vt suprà dictum est,&.10.Ethicor.cap.9. Aristo.meminit,pœnæ metu ad sui custodiam vrget: pœnã autem legislator à nemine exigere potest, nisi de illa re,quæ in suam potest venire notitiã. Nam de aliis iudicare nõ valet:homines autem qui,vt.1.Reg.16.legitur, ea dũtaxat quæ patent vident,de intimis cordiũ censere nequeunt:sed, vt est in Psal. Solus Deus corda scrutatur & renes. Hinc ergo palàm fit q̃ neq; de hominis intentione,neq; de eius voluntate lex humana iudicium ferre potest, atq; adeò neq; obligare, vt opera tali intentione aut voluntate fiant: lex autem diuina non solùm illam, verùm eam potissimũ suis bilãcibus pendit,ac pro illis præmia suppliciaq; decernit. Lex inquã humana internã iram etiam si firmum pariat nocẽdi propositum, punire nequit : secùs autem diuina. Ait quippe Christus Matth.5.Qui irascitur fratri suo,reus erit iudicio:&,Quividerit mulierem ad cõcupiscẽdam eam, iam mœchatus est eã in corde suo. Pari ratione qui creditori debitam pecuniam vel gladium corrupta intentione reddit:nempè vt vel vsuram exerceat,vel homicidium faciat,legi humanæ nõ est aduersus:persoluet tamen Deo supplicium. ¶Tertia conclusio. Tertium illud quod ad virtutis modũ requiritur, puta firmo stabiliq; animo operari,quod propriè ad habitum pertinet,& de quo prẽsens prẽcipuè quæstio instituta est,sub prẽcepto non comprehenditur, neq; humanæ legis, neq; verò diuinæ. Qui inquam parentibus honorem debitum impendit, etsi habitum non habeat pietatis, legi nihilo minùs satisfacit humanæ: & nisi alia circunstantia vicietur actus,similiter satisfacit diuinę,vt peccatum effugiat. ¶Emergunt autem ex his

Tres cõditiones requisitæ in studioso,ex Arist.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Ratio conclusionis.

Tertia conclusio.

Primũ dubium circa primam cõclusionem.

nonnulla dubia explicatu digna. Et primũ circa primam conclusionem, qua asseritur scientiam & ignorantiam vtraq; lege ad cul pæ pondus atq; ad leuamen existimari. Est dubium an idem sit prorsus quantum ad ra tionem virtutis, vtrùm scilicet qui ignorans facit opus legis, eidem satisfaciat. Vt si quis exẽpli gratia in ebrietate audiret sacra, ne sciens prorsus quid faceret, vtrùm præceptũ expleret. Videtur nanque ratio id suadere. Nam postmodùm rationis luce potitus nõ censeretur reus culpæ, quanuis iterum non audiret. Et confirmatur ratio. Nam qui ob nixè reluctans inuitus pertraheret in eccle siã, cogereturq; interesse sacris, videtur præ ceptum implere. Sicuti & ille qui in die ieiu nij per vim arceretur à cœna. Et rem facit probabiliorem quòd si pœna vlla, seu excõ municationis seu alius generis decreta esset in huiusmodi præceptorum transgressores. istos nõ ligaret. Respondetur nihilo minùs,

Nullũ præceptũ impletur à actum nullã libertatem habentem.

Nullum præceptũ vt reor, impleri, per actũ qui nullam habet libertatis rationem. Nam aliâs & puerum ante rationis vsum censeres implere præcepta. Cùm tamen hac ratione nulla eos lex comprehẽdat: quòd cùm non sunt arbitrij sui compotes nondum capaces sunt legalis vinculi: lex nãq; hominibus po nitur: & ideò humano more non brutorum

S. Thomas.

implenda est. Et hoc arbitror S. Tho. punctim designasse, vbi ait scientiam ab vtraq; lege considerari. Nam ignorãtia sicut ob id quod voluntarium tollit excusat à culpa: ea dem ratione tollit impletionem præcepti.

Argumentum.

¶Sed arguis contrà, vel disputationem esse tantùm de nomine, vel sic ignorãtem imple re legem. Nam qui præcepti tempore vel so mno vel mero captus est, vel alia ratione mẽ tis inops, illo temporis articulo non trãsgre ditur præceptum: ergo perindè est ac si im pleret, Negatur cõsequentia. Neq; est disputatio de solo nomine. Nam & si illo tẽpore per ignorantiã excusetur, tenetur nihilo mi nùs si antequàm tempus præcepti labatur in mentem redeat, ipsum implere: aliàs reus esset pœnæ iuris. Et idem est de illo qui inui tus facit. Quanuis iste quia vsum habet ra tionis, liber esset à pœna iuris. Ille autẽ qui metu implet, legi satisfacit: id est, nouam cui tat culpã: quoniam talis impletio, actus hu manus est, ac liber. ¶Quòd si rursùs insur gas: Si cui in pœnitentiam iniunctus esset dies ieiunij, & vi, vt pœnitentiam impleret, priuaretur cibo, verè debitũ solueret, Nam

Solutio argumenti.

Replica.

si pecuniam alia ratione deberet & creditor vi ab illo eriperet, satis restitueret: ergo eadẽ est ratio de aliorum præceptorum debito. Fortasse sint qui primum antecedens conce dant: ego verò id minimè faciam: quoniam implectio præcepti pœnitentiæ deberet esse humanus actus. Quare si flagella essent mi hi iniuncta & ab alio inuitus vapularẽ, non facerem satis: quia illa non est actio, sed so lùm passio: præcepta verò affirmatiua per actionem implenda sunt. Neq; est simile de illo qui tantùm debet pecuniam: quoniam quomodocunq; illa in manus creditoris ve niat, liberatur debitor. ¶Contra secundam conclusionẽ, qua diximus intentionẽ non pẽsari, neq; existimari à lege humana, binũ existit argumentũ. Primum q̃ exemplum sancti Thomæ, quod adduximus non appa ret ad propositum pertinere: videlicet quòd qui mẽte proponit nocere, sed re nõ nocet, non punitur lege. Nam hoc est considerare actum interiorem per se absolutè: & tamen quæstio est de ipso quatenùs causa est exter ni operis, quod re vera fit. ¶Ad cuius clarita tem secundò arguitur. Si quis hominem oc cidat non plenè deliberata intentione sed sũ bitaneo motu: vel si metu cesset Ecclesiam adire: vel aliud præceptũ implere: istli actus interioris voluntatis perpenduntur huma no iudicio ad remittendam vel augendam pœnam: ergo conclusio secunda non est o mninò vera. Ad prius istorum respondetur quòd exemplum sancti Thomæ optimum fuit ad explicandum quomodò peccatum interius lex humana non affert in suum tri bunal, Nam inde colligitur quòd quãdo re vera est causa operis, non punitur nisi ratio ne eiusdem operis. Et quando externũ opus est iustum, nihil de actu interiori curat: vt di cebamus de illo qui mala intentione debitũ soluit. Et idem est de iudice si ex odio latro nem suspẽdat: solus enim Deus illius cor iu dicabit Ad aliud verò respondetur, quòd si ille qui ex metu vel subita ira peccat aliqua tenus humana lege excusatur, non est quia non intendit facere, sed quia quodammodò facit ignorans, vel quia causa faciendi liber tatem minuit.

Quiinuitus vapulat nõ satisfacit si illi in pœni tentiam flagella sint in iuncta.

Primum ar gumentum contra secũ dam cõclusionem.

Argumẽ.

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secundũ argumẽtum.

AD primum igitur capitalium argumen tum respodetur quòd modus virtutis qui præcepto iubetur est vt officium secun dùm ordinẽ iuris præstes. Hoc enim est iu stè quod iustum est exequi: nempè vt de la trone,

Ad primũ argumentũ

trone aut homicida nemo nisi iudex publicus vindictam sumat, idemq; legitimè cognita causa. ¶Ad secundum superiori libro cùm de legis actibus ageremus respondebamus quòd intentio legislatoris primũ fertur in finem, qui est bonos facere ciues: id quod nemo nisi firmato habitu assequitur: medium verò & via ad eundem finem consistit in actuum exercitio: nam ex actibus gignitur habitus: finis autem legis nõ cadit sub præcepto, sed medium quo ad eundem peruenitur. Quę quidem regula inter canones moralis philosophiæ egregia est. Quare præcepta non de habitibus, sed de actibus instituuntur, in quibus ratio peccati & meriti consistit. Negatur ergo primùm antecedens. s. id cadere sub præcepto quô præcipuè intentio legislatoris fertur. ¶Ad tertiũ respondet sanct. Thom. q virtutis officium absque tristitia fieri, sub præcepto continetur: eò q agens ex tristitia non agit simpliciter volẽs. Item læto hilariq; animo operari, si lætitiam denotet quæ ex dilectione dimânat, ad vim etiam præcepti pertinet: sicuti & dilectio ipsa: si verò illam quæ procedit ex habitu, non ad præceptum, sed ad finem eius virtutisq; spectat. Et nè cui obscura appareat responsio, prius membrum de sola lege diuina intelligẽdum est, quę internorum etiam actuum rectitu dinẽ exposcit. Qui enim ex tristitia operatur, intus remurmurat aduersus legem: quod porrò Deo ingratum est: lex autem humana non se item cordibus scrutandis immergit: & ideò licet ex tristitia illam impleas, eidem satisfacis. Et eodem modo intelligitur secundum: videlicet sub præcepto comprehendi lætitiã quæ ex dilectione manat. Nam quò diuinæ legi satisfacias, requiritur vt ex electiõe in ordine ad finem operis. s. propter honestatem virtutis: quæ quidem electio hilaritatẽ quandam habet annexam: eò q non fit coactè. Hilaritas autem quæ ex habitu enascitur, alius est generis. Nempè quòd cùm habitus reluctantes passiones compescat, tristitiam pellit, promptumq; reddit animum, atque adeò lætũ. Quod iam dictum est non præcepto iuberi, sed finem illius esse & adgenitam pertinere virtutem.

Ad secundum argumentum.

Egregia regula.

Ad tertiũ argumentũ S. Thomæ

ARTICVLVS. X.

Vtrùm modus charitatis cadat sub præcepto diuinæ legis.

QVONIAM negatum est modũ virtutis cadere sub præcepto, inuestigare subinde restat, an præcepto diuinæ legis charitatis modus comprehẽdatur. Et arguitur à parte affirmatiua. Ait enim Christus Matth. 18. Si vis ad vitam ingredi serua mãdata. Vbi astruere videtur mandatorũ custodiam per se sufficere ad obtinendam æternã vitam: virtutum autem officia minimè ad id sufficiũt nisi ex charitate oriãtur, secundùm illud. 1. ad Corinth. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meũ ità vt ardeam: charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodest: ergo modus charitatis cadit sub præcepto. ¶Secundò: Præceptum est omnia nostra opera in Deum referre. iuxta illud. 1. ad Corint. 10. Omnia in gloriam Dei facite: hæc autem relatio pertinet ad charitatis modum: quippè cuius proprium obiectum est Deus quo cuncta refert: ergo ad talem modũ vis extenditur præcepti. ¶Tertiò: Si modus charitatis sub præceptũ non veniret, posset quisque præcepta extra charitatem implere, atque adeò extra gratiam quæ eius est indiuiduus comes: hoc autem in Pelagianorum errorem impingit: vt Augustin. lib. de hæres. cap. 88. docet: ergo absq; tali charitatis modo nullũ impletur diuinũ præceptum. ¶In contrarium autem est, q si modus charitatis necessarius esset ad implendum præceptum, quicunq; eadem esset orbatus charitate, quæcunq; opera, etiam genere suo bona exerceret, trãsgrederetur præceptum, ac perinde mortaliter peccaret: quod est concessu absurdissimum.

Primũ argumentum partis affirmatiuæ.

Argumẽ. 2.

Argum. 3.

Augustin.

QVæstio præsens non sicuti præcedens, de omni virtute tam humana quàm diuina, sed peculiariter de diuina mouetur: quoniam de humana nulla est cõtrouersia. Nam cùm (vt modò definitũ est) ad intrinsecos voluntatis motus, quæ sedes est charitatis, non pertingat, non obligat ad talẽ charitatis modum, qui nos Dei facit amicos: sed illum habet proximum scopum vt pax inter homines extrinsecùs cõstet. At verò cũ proximus finis diuinę legis sit amicitia Dei quæ in actibus interioribus cõsistit, & ipse paratissimus sit tali charitate, nisi p nos steterit nos suffundere, meritò quæritur an suarum obligatio legum eô pertingat vt teneamur

Sensus quæstionis propositæ.

mur illas ex charitate implere. Modus nãq; charitatis est, Dei iussa ceu eius filij facere: vel per actum quo constituamur eius filij.

D. Thomas. ¶Et sanct. Tho. recitatis duabus opinionibus cõtrariis easdem reconcilians respõdet duabus conclusionibus: quæ hac distinctione clarescunt. Actus charitatis bifariàm consideratur. Vno modo vt est quidam singularis actus peculiaris virtutis amãdi: sicuti est alius actus sperandi atq; alius credẽdi: nempè cuius contrariũ est formaliter odisse. Et iuxta hunc modum statuitur prior conclusio. Actus charitatis cadit sub singulari præcepto. Nempè sub hoc: Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum. Altera verò ratione consideratur non vt est singularis obiecti, sed vt est vniuersalis cõditio & modus omnium virtutũ. Paulò enim antè explicuimus, Nõ habere deos alienos, Nõ peierare, Sabbatha sanctificare, nil aliud esse quàm Deũ diligere: sicuti honorare parentes, nõ furari, nõ occidere. &c. nihil aliud quàm diligere proximũ: non quidem formaliter, vt aiunt, sed materialiter. Exẽplum est in virtute iustitiæ: nam alia est singularis cõmutatiua, atq; alia generalis, quæ est modus vniuersalis obedientiæ, omni virtute cõmunis: ac proinde dicitur legalis: quoniam per omnem virtutẽ obedimus legi. De hac ergo charitatis ratiõe statuitur posterior cõclusio. Modus talis charitatis non cadit sub præcepto: quod est dicere, In hoc præcepto, Honora patrem & matrem, non includitur vt sint parentes ex Dei charitate honorãdi: sed quòd exhibeatur eis exterior reuerẽtia. Quare licèt eam præstes in peccato mortali non ideò fis præcepti trãsgressor. Probatur cõclusio. Charitas Dei ideo est generalis modus omnium virtutum, q̃ est finis ad quem lex diuina ordinat, iuxta illud suprà citatũ 1. ad Timoth. 5. Finis præcepti, charitas. Et ad Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio: finem autem iam definitũ est nõ cadere sub præcepto legis, sed actiones, quibus illuc tenditur. quare bene ait S. Thom. intentionem finis esse modum formalem superioris ordinis. Quod est dicere, non includi in præceptorũ substantia. Et hoc pacto conciliat dictas opiniones: nempè vt quæ affirmat modum charitatis cadere sub præcepto, intelligenda sit de singulari dilectionis præcepto: negans vero, interpretanda sit de aliis. ¶At verò quoniã ista quæstio plurimis scatet ambiguitatibus, accuratiorẽ postulat, ac perinde paulò ampliorem disputationem. Et quò facilio ra prius expediamus, præter opiniones duas quas hîc D. Tho. recitat existit tertia quæ in istarum cõcordiam pertrahi nõ valet, Sunt enim qui secundã cõclusionem sancti Thomæ auersentur, dicentes singula præcepta Decalogi atq; omnia diuina includere modum charitatis. Itaq; legis officia nisi in gratia fiant, non solùm non sunt meritoria, verùm sunt peccata: vtpotè eorundem præceptorum transgressiones. Hæc inquam opinio nõ modò est Lutheranorum, vt lib. 3. de natura & gratia, adnotauimus: & infrà hic lib. 8. repetituri sumus: verũ & fuit olim opinio doctoris aliàs celebris Dionysij Cistercienſis in suo. 2. Sententiarũ, dist. 17. Is nanq; hallucinatus ex fallaci illa consequentia est: Quibuscunq; nos Deus præceptionibus suis intendit ad suiipsius amorem pertrahere: ergo ex eodẽ amore tenemur cuncta perficere. Et adducit pro se illud Petri Apostoli, Omnia opera vestra in charitate fiant: atq; aliud Bernar. Omne quod præcipitur, in sola charitate solidaẽ: atq; Augustini similia.

S. Thomas.

Dionysius Cisterciẽsis.

Ratio Dionysij.

¶Hæc autem opinio nõ solùm falsa, verùm & errori quàm proxima est, Tridentina Synodo, can. 7. aduersus Lutheranos damnato nempè cuncta opera quæ extra gratiã Dei fiũt, esse peccata. Contra quem nos errorem lib. de natu. & gratia. cap. 19. & quatuor sub sequẽtibus depugnauimus. Nam vt illa mittamus opera quæ ex obiecto & circunstantiis sunt mala, cætera aut sunt præcepta, aut consilia, aut indifferentia: puta comedere & ambulare, quę bene maléq; fieri possunt. Si ergo præceptorum obsequia cũcta extra gratiam peccata sint, illa quoq; erunt peccata quæ sub consilio militant. Nam si præcepta Deus nos obligat ex charitate implere, videtur id pariter & de consiliis iussisse atq; adeò de aliis naturalibus operibus, quæ iure nobis ad vitam viuendã licent. Nam omnia sunt à Deo veluti à naturæ parẽte instituta. Atq; adeò omnia opera quæ in peccato fiũt peccata essent. ¶Deinde arguitur. Si vniuersa mandatorum officia tenemur ex charitate exhibere, vel hoc esset ob communem illorũ obligationem, vel ob singularem charitatis præceptionem. Non quidem ob generalem omnium: nam per illa non imperantur nobis aut prohibentur nisi opera: vt paternũ honor, & ab iniuriis abstinere quibus amicitia violatur. Quòd si in honore parentum charitas aliqua includatur, certè illa satis erit

Auth. lib. de natu. & gratia.

Prima rõ in Dionysiũ.

Secundarõ.

tis erit, quæ naturaliter inter homines initur Singulare autem charitatis Dei mãdatum, cùm affirmatiuum sit, non obligat (vt aiũt) pro semper, sed certis opportunisq; temporibus: extrà quæ ideò tempora nõ est cur obligemur cætera ex charitate præstare. ¶Insuper arguitur. Si illud singulare præceptum in cunctis aliis esset obseruatu necessarium, sequeretur quòd cuiusq; transgressio duplicatum esset delictum. Scilicet & cõtra peculiare obiectum: verbi gratia, furari: & contra diuinam charitatem. Prætereà sequeretur q̃ vbiuis in materiã cuiuscunq; præcepti incideremus, teneremur cõscientiam discutere, vt in Dei gratiam reciperemur. Quin age sequeretur insuper quòd nemo ad sacrametum confessionis dignè accedere posset, nisi qui gratia iã potiretur. Nã illud etiã cõfessionis præceptum deberemus implere in gratia. Imò neq; ad baptismum posset dignè accedere adultus nisi iam factus membrum Christi. Quare neutiquam sacramenta possent primam cõferre gratiam. At non opùs est pluribus contra huiusmodi opinionem dimicare: quippe contra quam loco citato de natura & gratia, plurima coniecimus.

Tertia rõ. *Quarta rõ.* *Quinta rõ.*

Distinctio. ¶Sed concludamus cum Theologis distinguentes bifariàm posse Dei præcepto satisfieri. Vno modo quantum ad substantiam operis: quod est, sic ipsum implere vt transgressionis peccatum aut omissionis caueatur: altero verò modo quantum ad intentionem præcipientis: id est eum finẽ & metam attingendo, quò præcipientis intentio dirigitur: quæ est vita æterna. Illuc nãq; nos Deꝰ per suas leges perducere proposuit, secundũ illud, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Vnde vt legi priori modo satisfaciamus non est necessaria charitas, sed vt eam posteriori ratione impleamus. ¶Quo fit vt ad illũ priorem implendi modum nulla sit opùs relatione operis in Deum per specialẽ eius succursum, ceu in finẽ supernaturalẽ: quod Gregorij Arimineñ. in. 1. Sentent. dist. 26. & sequentibus placitum fuit: sed satis est in ipsum referri tãquam in finem naturalem: in quem sanè quodcunq; per se opus, quod nulla praua circunstantia vitiatur, natiuam habet relationem. Deus nanq; naturæ cõditor ad se cuncta dum condidit, retulit. Quocircà eiusmodi mãdati impletio naturali Dei influxu fieri potest: iuxta illud Pauli ad Roñ. 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciũt: Tametsi tota lex absq; speciali gratiæ subsidio impleri nequeat, vt longo tempore absq; peccato viuamus. Hęc autem lib. 2. de natura & gratia. cap. 20. satis discussimus. ¶De priori autem conclusione sancti Tho. nẽpe de singulari præcepto charitatis acriora sunt dubia: scilicet tã de eius necessitate, quàm de eius materia, & modo. Dictum est enim finem legis nõ cadere sub præcepto: cũ ergo charitas & Dei amicitia, finis sit diuinæ legis, non oportebat singulare de illa præceptum instituí. Est enim brauium quod per aliorum præceptorum obseruantiam obtinetur. ¶Mox arguitur: charitas est donum supranaturale Dei: præceptum ergo illius assequendæ nequit à nobis naturali facultate impleri: quia neque ipsam valemus naturaliter assequi: cũ ergo fidelis Deus nihil nobis impossibile præcipiat, nõ debuit nobis tale mandatum iniungere: atq; ideò minimè, quòd cũ nemo sciat an odio vel amore dignus sit, nullus posset certior fieri an illud impleuerit. Quare neq; vllus posset conscientiã de hac suam pacare. ¶Prætereà cũ sit affirmatiuum, dignoscenda tempora restant quibus obligat: hæc autem nõ sunt deprehensu facilia. Nam si dixeris satis esse semel in vita, idque in articulo mortis implere, profectò longè à natura eiusdẽ præcepti aberras. Cùm em̃ præceptũ hoc cæterorum omnium sit præambulum, & vt ait Paul. finis: nam finis præcepti charitas: ridiculum esset dicere quòd liceat transigere totam vitã antequàm nos obliget. Prætereà si ab humanis exemplum petamus, miles dum nomẽ suum in militiam dat, tunc se in amicitiam principis addicit: præceptum ergo, si vllum est charitatis, ab initio statim vitæ obligat. Quòd si dicas statim elucente rationis lumine obligare, certè hoc non est, omnibus, sed pauciſsimis notum. Imò neq; vllus vnquã huiusmodi omissionem sacerdoti confessus est. Ad hæc. S. Tho. loco præsenti alia tempora huic præcepto cõsignat: vtpote qui in fine articuli docet trãgressionem eiusdem prẽcepti cõtingere posse, vbi alia violãtur. Quòd si cum Scoto in. 3. dist. 27. respõdeas tempora huius præcepti esse omnes dies festos: sanè quibus homo tenetur se Deo cõmendare & gratias agere: in contrarium est argumentũ quòd hoc non exprimitur in præcepto sanctificandi festũ: quippe quo dũtaxat iubemur à seruili opere cessare. Et quãuis finis eiꝰ sit vacare Deo, tamen finem, iam dictum est, nõ cadere sub præcepto

Gregorius Ariminensis. *Paulus.* *Discutitur prior cõclusio.* *Prima rõ.* *Secunda rõ.* *Tertia rõ.* *Paulus.* *Cõfirmatio prima.* *Solutio.* *Refutatio.* *Cõfirmatio secunda.* *Scotus.*

præcepto, quod in talem ordinatur finem, de qua re. q. sequenti arti. latiùs. In summa, hoc in præsentiarum desideratur, quidnam tali præcepto nobis iubeatur, vtrùm videlicet intraria sola dilectio, an verò extrarium etiam opus. ¶ Responsio horum argumentorum à postremo auspicanda est. Præceptum inquam dilectionis non præcisè ad internum affectum obligat, sed certè ad externũ opus. Affectus enim bonus propter bonum opus est. Obligat enim primũ omniũ charitatis lex, si diuo Thomæ fidẽ tribuas, vt dum quis primùm rationis lineam ingreditur, se & sua in deum referat. Cùm primùm, inquàm, non eodẽ temporis momento sed cum incipit homo plenè deliberare & vnum esse primum rerum parentem nosçit. Et certè non absque ratione hoc adstruxit, Nam cùm ad hoc nos Deus creatos duxerit, ratioq; naturalis cũ nobis, vnam fuisse omnium primam causam ostẽdat, quàm maximè fit rationi consentaneum, vt tunc homo ipsius amore à malo recedere debeat proponere, atque agere bonum. Hoc enim est Deum pro tunc super omnia diligere. Quare præsente tunc eius speciali auxilio, fidem homo & gratiam reciperet, qua ab originali mũdaretur. Quicquid autem de hoc sit, arbitror, vt cùm homo rationis compos baptismo intingitur, vitam in Deum suam referre debeat: sicuti enim tunc præcepto fidei tenetur credere, ità & quæ credit sperare, & à quo illa sperat diligere: vt lib. 2. de natu. & gra. cap. 12. & subsequenti monstrauimus: instar illius qui in militiã nomen suum dat principi. Ac subinde crediderim quòd qui tunc non se ad gratiam disponeret, peculiariter cõtra charitatem delinqueret: veluti cõtra fidem si non crederet. Neq; in his tantũ modò casibus, verùm fortè quoties opus aliquod egregiũ inceptamus, vel causa subeundi martyrij nobis affertur, vel illustre aliquod beneficium à Deo suscipimus, vt dum nos à presentissimo mortis periculo eripuit: non esset temerariũ asseuerare, sed certè prudentia, vt eodem quoq; præcepto teneamur Deum diligere: etiam quantum ad modum: hoc est apparere nos quãtũ in nobis est ad ineundam cum Deo gratiam. ¶ Hoc tamen hic adnotato opùs est, quòd vt reliqua, sic & singulare quoq; præceptũ charitatis potest quantũ ad substantiam operis impleri absq; eius modo. Exempli gratia: Arbitror præceptum hoc hominem perstringere vt quoties nomen Dei blasphemari viderit, eiusq; honorẽ pessundari ac lacerari, à parte ipsius stet, eiusq; tueat in accessam maiestatem. Quo tamen articulo nõ subinde crediderim teneri suorum criminum pœnitere vt Dei sibi amicitiam conciliet. Quare neq; hoc præceptum vniuersim obligat ad suum ipsius modum, sed quando occurrit articulus internè diligẽdi: nam in hoc commemorato casu solùm est necessitas exterioris protectionis. Et per hæc soluta restant penultimum vltimumq; argumenta. ¶ Ad primũ autem respondet sanctus Tho. 2. 2. q. 44. q. etsi charitas finis sit aliorum præceptorum, atq; adeò non cadat sub ipsorũ vinculo, nihilo minùs decuit singulare eius præceptũ cunctis aliis præmitti, tanquàm eorum præambulum. Et ideo illud, sicut neq; alterũ dilectionis proximi, non est in Decalogum inclusum, sed extra in radice præfixũ, in quod reducuntur præcepta primæ tabulæ: sicuti in alterum, præcepta secundæ. ¶ Ad secundum autem facilè respondetur per illud Aristotelicũ axiõma: Quæ per amicos facimus, per nos ipsos facere videmur. Nam quanuis per nos ipsos præceptum & modum charitatis nequeamus implere, tamen Deus paratissimus est, nisi per nos steterit, opem nobis ad id perficiendum ferre. ¶ Verùm tamen minimè prætereũda est vltima clausula sancti Tho. in respõsione quæstionis. Ait enim quòd qui parentes ex Dei charitate non honorat, non est transgressor præcepti de honorandis parentibus: licèt sit transgressor præcepti quod est de actu charitatis, propter quam transgressionem meretur pœnã. Ex his enim verbis nõnulli ex nostris hanc inferunt mentem sancti Thomæ, quòd vbicunq; occurrit materia aliorum præceptorum, concurrit pariter charitatis mãdatum, contra quod subinde peccatur si cætera nõ impleantur ex charitate. Intellectus autem iste cõtrarius est diuo Thomæ. Quippe qui deficiens modum charitatis non includi in aliis preceptis, docet neque semper cum eis concurrere: sed, cùm sit affirmatiuum, habere sua definita tempora, vt in solutione secundi euidentiùs edocet. Mens ergo eius est q; si illo tempore quo præceptũ charitatis, eiuq; modus obligat, concurrere accidat aliorum quodlibet tuncillud aliud implendum sit ex charitate: non propter illius obligationem, sed propter huius vinculum.

Super est

Ad postremum argumentum.

Opinio sancti Thomæ.

Ratio sancti Tho.

Quãdo præceptum dilectionis Dei liget.

Documentum.

Casus alter quo idem

præceptum obligat.

Ad primũ argumentũ S. Thomas.

Ad secundum.

S. Thomas.

SVpereſt autē vt argumentorum in capite quæſtionis obiectorum reſponſa ſubijciamus. Reſpondetur ergo ad primum q̄ cū vnum præceptorum ſit ipſum charitatis & modi eius, quicunq; vniuerſa ſeruat, eſt in gratia. ¶ Sed arguis cōtra. Stat homini exiſtenti in peccato nunquàm afferri tēpus prę cepti dilectionis: tunc ergo cuncta ille poterit ſeruare quantum ad ſubſtantiam operis, & tamen non ingredietur vitam. Propter hoc argumentum ſunt qui affirmēt exiſtenti in peccato pręceptū eſſe conuerti in Deū: quod quia peccator non implet, non ingreditur vitam. Attamen licèt hoc, problēma ſit, nunquàm mihi tamē perſuaſum eſt pluribus præceptis ob id præciſē hominem teneri q̄ lapſus eſt, quàm obligatur dū exiſtit in gratia. Sed eſt ei neceſſarium conuerti ne ceſsitate finis, ſi vult habere vitam ęternam. Quicquid autem de hac re teneas, argumētum præſens non vincit. Reſpondetur ergò quòd verbum Chriſti intelligitur de illo qui eſt in gratia. Ille enim ſi ſeruat cuncta mandata, ſaluus erit. Qui autem per vnius tranſgreſsionem à gratia decidit, ille nō ſeruauit mandata. Et ideò non ſatis habet deinde ſeruare cætera quouſq; violati pœniteat. ¶ Ad tertium reſpōdetur quòd hoc quod eſt omnia in Deum referre, ad præceptum peculiare charitatis pertinet. Ob idq; quoties tēpus eiuſdē præcepti occurrit, tenemur cuncta quæ tunc facimus in Deum tanquàm in finem ſupranaturalem referre. Quare illo temporis articulo qui parentibus extra charitatem obſequeretur, licèt non eſſet violator quarti præcepti, eſſet tamen tranſgreſſor præcepti charitatis. ¶ Subdit autē diuus Thom̄. q̄ cùm hæc ſint duo præcepta affirmatiua nō obligātia ad ſemper, poſſunt pro diuerſis temporibus obligare: & ita poteſt contingere quòd aliquis implens præceptū dilectionis non tunc tranſgrediatur præceptum modi charitatis. Vbi pleniſsimè dilucidat quod ſuper proximis verbis in calce quæſtionis nuperrimè adnotauimus. Tunc ergo ſecundùm ipſum non eſt peccatū non referre illud opus in gloriam Dei tanquàm ſupernaturalis finis. Igitur verbū Pauli duplicem exhibere poteſt ſenſum: videlicet & præcepti & conſilij. Si ſit præceptum, non obligat pro ſemper: ſi autem conſilium, ſenſus eſt vt procurem⁹ nos ſemper in Dei gratia per impletionem omnium mandatorū aſſerere. Tametſi & qui in peccato opera exequitur moraliter bona, eadem in gloriā Dei facit naturali modo. Quare tertius ſenſus eorundem verborum eſt vt nulli operi alium finē quàm Deum pręſtituamus: ſed cuncta eo fine exequamur ad quem creata ſunt: quod vtique præceptum quantum ad ſubſtantiam operis etiam extra gratiam impletum. ¶ Ad tertium reſpondetur q̄ cùm nemo valeat cōplere præcepta, niſi & ipſum quoq; charitatis quādo occurrerit expleat, & hoc abſque gratia perfici nequeat, fit vt neque ſine illa poſsimus implere omnia. At verò quanuis hic, vbi de modo charitatis ſanct. Thom̄. tractabat, hac fuerit contentus ſolutione, nihilo minùs neq; alia vniuerſa mandata poteſt homo poſt lapſum naturæ per peccatum Adæ abſq; ſpeciali Dei munere implere. Sumus enim ſicut in firmi qui poſſunt aliquot paſſus gradi, non tamē plurimos progredi. Et ideo licet poſsimus vnū aut alterum noſtrapte natura morale bonum præſtare, diu tamen ſtare nō valemus, quin decidamus. Hoc autē lib. 1. de natu. & gratia. cap. 22. latiſsimè ex dictis Auguſtini Conciliorumque Mileuitani & Arauſicani conſtabilimus, perq; doctinam eiuſdem ſancti doctoris. 1.2. q. 109. explicauimus.

Ad primū argumētū principale.

Obiectio.

Solutio.

Ad tertiū.

S. Thomas.

Ad tertiū

Solutio. S. Tho. extenditur.

Author li. de natu. & gra. Auguſtin⁹ Con. Mileu.

ARTICVLVS. XI.

Vtrùm alia præcepta moralia quæ extra Decalogum vagantur, cōgruenter, tum diſtingantur, tum etiam ad eundem reducantur Decalogum.

HIC articulus in ſuperioribus ſępe deſideratus eſt ac inſinuat⁹, quò explicetur numeri ſufficiētia Decalogi, eiq; annexarum moralium præceptionum. Arguitur ergò q̄ non fuerint alia moralia præcepta præter decem illa neceſſaria. Omnis enim lex & prophetæ, vt Matth. 22. aſſeruit Chriſtus, ex duobus illis pendēt, charitatis Dei & proximi. Prius autem illorum abundè priori tabula explicatur: poſterius verò poſteriori: ergo nulla ſunt inſuper neceſſaria. ¶ Secundò arguitur. Si aliis opùs fuiſſet præceptis, hoc eſſet vel tanquā generalibus vel tanquàm ſpecialium ipſorū determinationibus: non quidē tanquàm generalibus, quia maxima illa duo nō erāt explicitu neceſſaria; ſed ſunt, vt dicebamus, decalogi præuia

Primum argumentum ad partem negatiuam.

Secundum.

præuia principia: conclusiones autem generales, omnes sunt in Decalogo. Neque verò opùs erat moralibus aliis tanquã generaliũ determinationibus: nam, vt anteà ostensum est determinationes moraliũ præceptorum ad ceremonialia pertinẽt, atq; ad iudicialia. *Secundum.* ¶Tertiò arguitur contra sufficientiam eorundem præceptorũ. Præcepta moralia (vt suprà constitutum est) debent instituí de vniuersis virtutũ actibus: ergo sicut in lege extant præter Decalogum præcepta pertinentia ad liberalitatem, misericordiam, castitatem & latriam: ità etiam deberent adhiberi præcepta de fortitudine, de temperãtia, & de huiusmodi virtutibus quæ sunt hominis ad seipsum: & tamen non inueniuntur: ergo non satis lege veteri de omnibus cautum est. *Psalm. 18.* ¶In contrarium facit Dauidicum illud testimonium: Lex Domini immaculata conuertens animas. Quo docetur, vniuersa prohibuisse mala quibus anima maculatur: vniuersaq; præcepisse bona quibus conuertitur: ergo cùm non sint cuncta in Decalogo, fit vt sparsim aliis in locis habeantur, quæ in ipsum reducuntur.

INitium huius soluendæ quæstionis ex superioribus sumendum est. In primis supponenda est distinctio ceremonialium, iudicialiumque à moralibus. Nempe q̃ ceremonialia & iudicialia ex sola diuina institutione vim habent: sicut in republica leges humanę. Non enim sunt de illis quæ sunt iussa quia bona, aut prohibita quia mala: sed de his quæ antequã iubeantur aut prohibeantur nihil referebant. Sed (vt ait. 5. Ethic. Aristot.) quia cõstituta sunt, referunt. i. eò sunt bona, quia iussa: & mala, quia prohibita. De quibus ideo in præsentiarum nullus habetur sermo. Moralia verò nõ ex institutione solùm sed dictamine naturalis rationis, seclusa alia lege, vim habent & energiam ligãdi. *Aristo.* Sunt autem in triplici ordine. Quædẽ enim existunt communissima ac perinde patentissima principia, quæ ideo nullius indigent editionis: sicuti mandata de dilectione Dei & proximi atq; illud, Id facias aliis, quod tibi fieri vis, & similia. Quæ ideo non sunt in Decalogo: sed sunt sicuti eius finis. Alia verò sunt non vsq; adeò vniuersalia, sed eorundem principiorum cõclusiones: quæ quisq; per se etiam plebeius facile potest perspicere. Veruntamen quia ob morum peruersitatem & rationis nebulam potest nonnunq̃ eorum iudicium peruerti, editione indigẽt. Atq; huius secundi ordinis sunt cuncta præcepta Decalogi. Quanuis illa secundæ tabulæ, quia nullo indigent fidei lumine, constituta suprà sunt in primo conclusionum gradu: præcepta verò primæ, quia illo indigẽt, in tertio. Sed tertius ordo est eorũ quæ non ita quisq; facilè rationis luce perspicere potest, at sapientum indiget adminiculo. Quæ ideo art. 1. in secundo conclusionum gradu collocauimus. Et hæc sunt extra Decalogũ per Moysen & Aaron suggestione diuina superaddita. At quoniam ea quæ minùs cognoscuntur, per illa quæ patentissima sunt innotescunt, præcepta huiusmodi tertij ordinis ad Decalogum, quo implicita sunt reducuntur: singulis scilicet ad singula respondentibus. Exempla patent. Cùm enim primo Decalogi præcepto alienorum Deorum cultus proscriptus condẽnatusq; sit, cuncta quæ ad idololatricam superstitionẽ spectant. ad ipsum referuntur. Quale est illud Deuter. 18. Non inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam suam, ducens per ignem: nec sit maleficus atque incantator, neq; qui Phytones consulat, neq; diuinos, & quęrat à mortuis veritatem. Rursus quia secundo mandato periurium cauetur, eòdẽ reducitur prohibitio blasphemiæ: quæ Leuit. 24. extat, vbi blasphemus iubebatur lapidibus obrui. Et prohibitio falsæ doctrinę: cuius Deut. 18. fit mentio: vbi falsi prophetæ refelli iubentur: Ad tertium autem præceptum de sabbathi sanctificatione cuncta reducuntur ceremoniarum instituta. Sicuti & ad quartum de honore parentibus deferendo applicantur omnia quibus iubemur seniores & magistros honestare. Quale est illud Leuit. 19. Coram cano capite consurge &, honora personam senis. Pari iure quintũ præceptum, quo homicidium cõdemnatur, iura omnia comprehẽdit quibus corporea quæuis proximi læsio inhibetur: quin verò & internum odium. Qualia illa sunt eiusdẽ capitis, Non stabis contra sanguinem proximi tui. Et rursus, Nè oderis fratrem tuum in corde tuo. Ad eundem modum sexto præcepto, quæ prohibitio est adulterij, implicatur genus omne luxuriæ. In primis, simplex scortatio, & nephandum crimen, atq; bestialitas: secũdùm illud Deute. 24. Non erit meretrix de filiabus Israël: neq; fornicator de filiis Israël. Et Leuit. 18. Cũ masculo non coniscęberis: cum omni pecore non coibis.

Triplex ordo moraliũ

Primꝰ ordo

Secũdus ordo.

Tertiꝰ ordo.

Præcepta tertij ordinis ac Decalogũ reducuntur omnia.

Primũ præceptum.

Secundum

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Atque

Atq; eodem tenore septimo præcepto, quo furtum vituperatur, affine est aliud, Deuterono. 18. quo prohibetur vsura: Non fœnera bis fratri tuo ad vsuram. Et prohibitio fraudis, secundùm illud Deuterono. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera. Ac perinde vniuersa technarum & calumniarum genera. Denique eodem pacto ad octauũ præceptum, quod, phibitio est falsi testimonij, adiungitur & prohibitio falsi iudicij, atque omnis mendacij species ac detractionis. Legitur enim Exod. 23. Neque in iudicio, pluri morum acquiesces sententiæ, vt à veritate deuies. Et infrà, Mendacium fugies. & Leuitic. 19. Non eris criminator & susurro in populis. Postremis autem duobus, vt pote quibus omnis cohibetur sinistra cupido, nullum aliud supereſt quod adhibeatur.

Octauum.

Nonum & decimum.

Dubiolum vnicum.

¶ Circa hæc non nisi vnicum simplex dubiolum restat. Etenim in hac reductionum serie multa recensita sunt grauiora quæ ad leuiora reducuntur: vt blasphemia, ad periurium: & ad adulterium, infanda bestialiaque flagitia: ac denique rapina ad furtum: cùm tamen ratio suadere videatur, vt quæ leuiora sunt ad acerbiora reducantur. Huius autem rationem Caieta. hanc subiungit, quòd cum illa leuiora, communiora, vt inquit, sint & frequentius in vsu, ad illa referuntur alia, quæ rariùs contingunt. At verò ratio hæc non plenè videtur dubium diluere. Nam illa ratione fornicatio simplex, quę latiùs inter homines serpit, deberet in Decalogo prohiberi ad quam reduceretur adulterium. Ratio ergo non est nisi quàm suprà sæpenumerò adnotauimus. Nempe quòd cùm in Decalogo illa deberent penitùs conscribi, quæ sunt patentissima, & inter virtutes omnes iustitia, atque adeò inter iniquitates iniuria sit cunctis notissima, in prima tabula posita sunt illa quæ palã est nos Deo debere. In secunda verò non nisi illa quæ iniuriam in proximum annexam habẽt. Qua le est mœchia. Nefandũ enim crimen & bestialitas, & si sint fœdissima ac subinde grauiora: tamen non sunt peccata contra iustitiam, sed in corpus proprium. Tametsi in furto & rapina verum sit quòd per minoris cautelam prohibetur maius.

Ratio Caiẽ ta.

Ad primũ argumentũ

PEr hæc igitur, argumenta facilè soluuntur. Ad primum enim respondetur quòd et si tota lex pendeat ex illis duobus mandatis, nihilo minùs alia euidentiùs ex illis inferũtur: & hæc in Decalogo copilata sunt. Alia verò minùs euidenter: & hæc commissa sunt sapientum doctrinæ.

¶ Ad secundum autem respondetur quòd ceremonialia & iudicialia, vt dictum est, sunt generalium determinationes: non per viam illationis, sed per viam arbitramenti quo generalia speciatim determinantur: quare illa non reducuntur ad Decalogum: sed illa prorsus quæ vi naturalis instinctus inde sapientes ratiocinando eliciunt.

Ad secundum.

¶ Ad tertium autem per id quod sæpe dictum est respondetur: videlicet quòd in Decalogo illa tantùm sunt prohibita quæ manifestariam inferunt iniuriam: seu in persona præsentem, vt homicidium: seu in futuram prolem, vt adulterium. Reliqua verò quę hominem in ordine ad seipsum componunt, vt fortitudo & temperantia, quia eorum contraria non sunt adeò manifesta crimina, commissa sunt alijs edocenda: vt ducibus in bello, qui doceant non esse fugiendum: Deuterom. 20. Nolite metuere: nolite cedere. Et patribus familiàs qui suos instruãt temperatè viuere: vt eodem lib. cap. 21. Monita nostra audire cõtemnit, comessationibus vacat & luxuriæ, atque conuiuijs. Est enim hæc reprehensio atque correptio qua parentes in filios vti debent.

Ad tertiũ.

ARTICVLVS. XII.

Vtrùm præcepta moralia Veteris legis iustificarent.

QVM quæstio præsens in præceptis moralibus legis veteris dilucidandis versetur, quæritur postremo articulo de eorũ vigore, vtrũ videlicet eorum obseruantia iustificaret. Videtur enim Paulus ad Romanos. 2. id affirmare: vbi ait, Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis: hoc est, legis mandata complentes iustificabuntur. ¶ Secundò, & id ipsum assertum esse videtur verbis illis Leuitic. 18. Custodite leges meas, atque iudicia quæ faciens homo viuet in eis: vita scilicet spirituali: in qua iustitia apud Deum consistit. ¶ Et ratio id tertiò persuadere videtur. Lex enim vetus vtpote diuinitùs lata, excelsioris erat virtutis quàm huma-

Primum argumentum ad partẽ affirmatiuã.

Paulus.

Secundum.

Tertium.

na: lex autem humana iustos facit homines. Nam vt suprà dictum est, propositum legislatoris est bonos facere ciues: boni autem non sunt nisi per virtutes, quarum vniuersitatem Aristoteles appellat legalem iustitiam: ergo lex vetus iustificabat. Incontrarium est illud Pauli. 2. ad Corinth. 3. Litera occidit. Quòd secundùm Augusti num in lib. de spiritu & litera. cap. 4. & proximis, de præceptis moralibus ad literam intelligitur.

August.

QVæstio hæc tempore sancti Thomæ licèt contra Pelagianos satis fuisset, tum ab alijs tum præcipuè ab Augustino discussa: tamen postquàm Lutherani eatenùs fidei iustificationem ascribere moliti sunt, vt operibus omnem denegauerint iustitiæ vim, celebrior facta est. De quo penè argumento tripertitum nos opus de natura & gratia ad sanctum Concilium Tridentinum edidimus. Hic ergo nimis operosum esset tam vastam disputationem ingredi: sed satis erit præsenti loco inseruire. Et quidem diffiteri non possumus quin articulus hic apud sanctum Thom. præsior sit atque implicatior, quàm sua esse solet lux ingenij: quia cum illo tunc temporis reserat constitutissima, non duxit necessarium præsenti loco eam euoluere. Accedit quòd vniuersa eius exemplaria expositorũ chalcographorumque subinde negligentia mendosa hoc loco sunt. Igitur vt tũ. S. Tho. tum res ipsa aperiatur, notandum est quod sicuti iustitia duplex est, scilicet infusa & acquisita, sic & iustificatio altera sit apud Deũ, atque altera apud homines. Quare dicendum priùs de illa quæ est apud Deum, quæ simpliciter est iustitia: ac deinde de altera, quæ tantùm dicitur iustitia humana. Iustificatio ergo (vt. 2. libr. citato. cap. 6. dicebamus) si propriè & per se primò nomen accipias, idem est quod iustitiæ factio, puta opus quo quis ex iniusto fit iustus. Sicuti calefactio est actio qua frigidum fit calidum. Nam huiusmodi nomina mutationem inter duo extrema significant. Accipitur nihilo minùs paulò extensiùs pro augmento, & quod Physici dicunt, intensione eiusdem iustitiæ. Nam in formis quæ latitudinem habent, non solùm inceptio, verùm & progressio idem sortitur nomen. Dicitur enim aqua calefieri quanto tempore fit calidior. De priori significatione ait Paulus ad Romanos. 4. Credenti in eum qui iustificat impium: hoc est ex iniusto iustum efficit. Et cap. 6. Qui mortuus est iustificatus est à peccato. Est ergo iustificatio priori modo nihil aliud quàm peccatorum remissio per gratiam Spiritus sancti: secundùm illud ad Corinthios. Iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Quapropter iustificatio in proposito non deriuatur à iustitia particulari virtute, qua vnusquisque alteri ius suum tribuit: sed vt importat totius hominis rectitudinem respectu Dei. Enimuerò sicuti in rebus corporeis illud dicitur alteri iustificari quod eidem adæquatur, vt lapis normæ: sic ille apud Deum iustificatur, qui eius voluntati subiectus ad eius legem & regulam sua opera admetitur. De secundo autem iustificationis modo ait Ioan. Apoca. 22. qui iustus est iustificetur adhuc. Et Eccles. 18. Non verearis vsque ad mortem iustificari. Et Iaco. 2. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm. Quibus verbis aduersatus fuisset Paulo dicenti: Arbitramur hominem iustificari per fidem, & non ex operibus: nisi Paulus de infusione diuinæ gratiæ loqueretur: Iacobus autem de eius incremento. Quo fit vt vtroque prædictorum modo iustificatio cùm opus sit supranaturale, non nisi per gratiam Dei perq; infusam iustitiam fiat. Sed est differentia quòd prima iustitiæ infusio in paruulis quidem per solum fit sacramentum: in adultis verò per proprias dispositiones: puta vel per voluntariam susceptionem baptismi, vel per contritionem, quæ licèt non sit meritum gratiæ, aliàs, vt ait Paulus, non esset gratia: est tamen præparamentum absque quo nemini eam Deus confert. Quare ad conuersionem prima dispositio requiritur fidei: nam, Accedentem ad Deũ, ait Paulus, oportet credere quia est. Deinde requiritur spes, iuxta illud ad Romanos. 8. Spe salui facti sumus. Denique motus charitatis, secundùm illud Ioannis. Translati sumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. Et secundùm illud Saluatoris, Qui diligit me diligetur à patre meo. At verò postquàm diuinitùs iusti facti sumus ac Dei filij constituti, per infusas ab ipso cum gratia virtutes, ac per diuinum eius fauorem operamur opera, hoc est merita vitæ, augendo iustitiam. Prior ergo iustificatio est acquisitio seu assequutio

S. Thomas.

Author libr. de natura & gratia.

Paulus.

Differentia inter paruulos & adultos quantũ ad iustitiæ infusionem.

iustitiæ

iustitię: posterior verò est eiusdem executio. ¶Iustitia autem acquisita quæ est apud homines, vna est secundùm rei veritatem: quãdo scilicet homo re vera facit legis opera, quam appellat Paulus ad Romanos. 3. legem factorum. Et dicitur iustitia operum, vt illic nos adnotauimus, quia est humana rectitudo quæ per naturalem facultatem in moribus constituitur secundùm legum normam. Ac differt à iustitia fidei, quòd talis rectitudo, licèt substantiam operũ faciat moraliter bonam, non tamen personam iustificat per remissionem præteritorum peccaminũ: iustitia verò quæ fundatur in fide, ideoq; nuncupatur iustitia fidei, per gratiam iustificat priùs personam à delictis præteritis, vt deinde iusta exequatur opera quæ sint Deo grata. Sed est præterea humana iustificatio in foro exteriori, quando secundùm allegata & probata iudex reum absoluit. Quo sensu ait Sapiens Prouerbiorum. 17. Qui iustificat impium, & condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum. De hac autem acceptatione nihil ad præsens. Quapropter & respectu etiam acquisitæ iustitiæ apud homines, vno modo vsurpatur iustificatio pro acquisitione & assecutione habitus iustitiæ, puta cuiuscunque virtutis: nam generali etiam nomine accipitur hic iustitia: atque altero modo pro executione & exercitio studiosorum operum.

Iustitia acquisita apud homines.

¶Hæc igitur præmeditati ad literam sancti Thomæ descendentes, quinque conclusionibus ad quæstionem respondeamus. Mouet enim peculiariter quæstionem de præceptis moralibus legis veteris: propterea q̃ de illis peculiariter tractatur in hac quæstione: videlicet vtrùm iustificarent, hoc est hominem facerent iustum apud Deum, ac dignũ vitæ æternæ. Pro cuius decisione supponit quòd sicuti sanum propriè accipitur pro animali quod sanitate formaliter est sanum: secundario verò pro signo vel causa sanitatis, quemadmodum vrinam dicimus sanam ac medicinam, sic iustificatio propriè & formaliter accipitur pro receptione & custodia iustitiæ quæ est peccatorum remissio: secundariò verò pro dispositione atque adeò pro significatione eiusdem iustitiæ. ¶Quo supposito statuitur prima conclusio. Præcepta legis secundo improprioque modo iustificabant, tum in quantum disponebant homines ad gratiam Christi iustificantem, tum etiam inquantum eandem futurã Christi misericordiam significabant: nam vt ait contra Faustum Augustin. vita illius populi prophetica erat, & Christi figuratiua, secundùm illud. 1. ad Corinth. 10. Omnia in figura contingebant illis. Per contaris autem vtrùm hoc peculiare erat præceptis illius legis, ac moralibus singulare. Nam & opera nostra, præparamenta etiam sunt ad gratiam. Respondetur in hoc nihil interesse discriminis inter opera illi⁹ legis & nostra, quod pertinet ad cuiusque personæ iustificationẽ. Imò sicuti opera nostra extra gratiam possunt esse moraliter bona, atque adeò cum auxilio speciali dispositio ad gratiam: sic opera illorum tam ceremonialia & iudicialia, quàm moralia. De hoc autem est differẽtia, quòd cùm gratia & misericordia per solum Christum nobis obueniat, per opera illius legis disponebatur populus ad suscipiendũ eundem Messiam, eiusque legem euangelicam, quam & ceremoniæ etiam significabant: ob idque conclusio cuncta legis opera comprehendit. Opera verò nostræ legis non disponunt ad suscipiendũ significandùmve Christum: sed quem iam suscepimus, per ea colimus. ¶Si autem loquamur de iustificatione propriè dicta, puta de receptione & cultura iustitiæ, tunc, vt paulò anteà admonebamus, distinguendum est. Nam iustificatio vel vsurpatur pro acquisitione & assequutione iustitiæ, vel pro executione eiusdem acquisitæ, puta pro exercitio operum viri iusti. At verò virtutum alię sunt acquisitæ, aliæ infusæ: quarum priores nostrorum operum vsu & consuetudine secundùm Aristot. 2. Ethico. ingenerantur: posteriores verò diuinitùs cum gratia infunduntur. In quibus simpliciter vera iustitia consistit, quæ est apud Deum, puta remissio peccatorum: secundùm illud Pauli ad Rom. 4. Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, scilicet apud homines, sed nõ apud Deũ. Atqui de hac vera iustificatione quęritur in præsentiarum. De qua idcircò statuitur secunda conclusio negatiua, eademq; generalis. Præcepta moralia quibus humani actus instituũtur nequàquam efficere tunc poterant: neque verò in nobis modo possunt eiusmodi iustitiam. Haud enim conclusio peculiariter intelligenda est de præceptis illius legis, sed de omnibus generaliter, etiam nostræ quæ ad mores pertinent. Atqui hoc est argumentum quod Paulus tum in alijs epistolis, tum præsertim ad Roma-

Augustin.

Aristote.

Paulus.

Suppositum pro decisione quæstionis.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

nos atq; ad Galat. demõstrandũ curauit aduersus Iudæos, qui suã salutem suis legis operibus ascribebant. Constituit inquam nemini vnquàm salutem nisi per fidem Iesu Christi, obtigisse. Et rationẽ sæpe assignauimus: Nempe quòd cùm iustificatio opus sit supranaturale, vigorem nostrorum operum excedit, vt ab ecclesia contra Pelagium iam pridem sancitum est. Quare altera, vt diximus, nuncupatur iustitia, operum quæ est apud homines: altera verò fidei, quæ personam à piaculis emundat. At verò diuus Thomas conclusionem ad præcepta moralia eò coërcuit quòd de ceremonialibus sacramentis dubium restabat, an sicuti nostra, gratiã efficerent. ¶Ab hac statim conclusione litera. S. Thom. non solùm implexa est, verùm & mendosa. Subduntur nanque duo membra eorundem verborum: hæc scilicet. Si verò accipiatur iustificatio pro executione iustitiæ. Quæ rursus verba statim repetuntur. Quare necesse est vt in priori legamus, pro acquisitione vel assecutione. Nam illud fuerat prius membrum superioris distinctionis. At verò non subinde patefit litera. Nam cùm negasset opera moralia iustitiam apud Deũ efficere, cõsequẽs fit vt neq; eisdem eandẽ acquiramus aut assequamur iustitiam: & tamẽ protinus subiungit quòd præcepta moralia iustificabant in quantũ continebant id quod est secundũ se iustum. Dicendum ergo est. S. Thom. tria membra insinuare: scilicet efficere iustitiã, assequi iustitiam, & exequi iustitiam. Et de primo statuit secundam cõclusionem negatiuam. De secundo autem subijcitur tertia. Præcepta moralia iustificant si iustificatio accipiatur pro assecutione & acquisitione, hoc est, Per eorum opera omnes assequebantur iustitiã, tum naturalem, quæ generatur assuetudine operum bonorum moraliter, tum etiam illam quæ est apud Deum. Non quidem in ratione meritorum hoc enim est Pelagianum & secunda conclusione negatum: sed tamen in ratione dispositionis per speciale auxiliũ, In quo (vt nuper dicebamus) opera nostra ab illis nõ differebant. Sunt enim vtraq; moraliter bona ex obiecto. Et hoc est quod ait D. Tho. Inquantum cõtinebant id quod est secundùm se iustum. ¶Quarta conclusio. Ceremonialia legis opera, nempe priscorum sacramenta non conferebant gratiam sicuti nostra. Conclusio hæc nõ est propria præsentis loci, sed ad doctrinæ complementum inserta. Constituit eam tamen. D. Thom. 3. par. q. 62. ar. 6. iuxta verbum Pauli ad Galat. 4. Conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, hoc est secundùm glossam, ad legem. Quæ quidem dicebatur infirma eò q̃ perfectè non iustificabat. Vbi non negatur in circuncisione conferri fuisse tunc solitam gratiam: attamen non conferebatur vi sacramenti, sed per fidem quam per illam cæremoniam populus ille protestabatur. Et ratio discriminis est quòd tunc, cùm nondum fuisset exhibita passio, sola intentione per modum finis applicabatur per fidem. Quare ceremoniæ illæ non erãt passionis instrumentum, sed præciuè testimonium. At verò cùm per euangelium exhibitam iam passionem profiteamur, nostra sacramenta non tantùm eiusdem testimonia, verùm & instrumenta censentur, in quorum perinde applicatione virtus latet, effectrix gratiæ. ¶Igitur vt ad rem redeamus, si iustificatio pro exercitio & executione iustitiæ vsurpetur, adiungitur quinta conclusio: Omnia præcepta legis Iustificabant. Nam extra gratiam erant moraliter bona iustificantia apud homines. In his autem qui per gratiam Dei iustitiam fuerũt apud ipsum adepti, vera erant merita digna fœlicitatis æternæ. Neque in hoc vllum erat interuallum inter nostra & illorum opera. Agnoscit autem sanctus Thomas nonnihil discriminis inter ceremonialia præcepta & reliqua, seu moralia, seu iudicialia: quòd ceremonialia, inquit, ideò iustificabant, hoc est erant meritoria, quòd continebant iustitiam secundùm se in generali: ob id scilicet quòd per ea exhibebatur Deo cultus: sicuti nos modò per thurificationem & alias ecclesiasticas ceremonias Deum colimus. At verò in speciali, id est propria ratione obiecti, nõ cõtinebãt secundũ se iustitiam, nisi ex sola determinatione legis diuinæ. Quod est dicere, litare certa animalia, nempè vitulos, aut capros, aut agniculos, aut passeres destinato numero, linireque altaris cornua sanguine. & id genus alia, secundùm eorum naturam nihil iustitiæ cõtinebant, magis quàm occidere canes aut certè mures. Cõtinebãt tamẽ iustitiam ex determinatione diuinæ legis: porrò quia diuinitus erant instituta. Et ideò inquit de huiusmodi præceptis dicitur q̃ nõ iustificabant, nisi ex deuotione & obedientia facientium. Attamen præcepta moralia generaliter continebant id quod erat secundùm

Ratio cõclusionis.

S. Thomas.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.

S. Thomas. *Paulus.*

Quinta conclusio.

dùm se iustum: nempe Dei proximiq; amorẽ, quę est generalis iustitia, omnem virtutem secundùm Arist. 5. Ethi. comprehendẽs. Præcepta verò iudicialia cõtinebant specialẽ iustitiam, hoc est determinationẽ generalis rationis præceptorũ moralium ad aliquã speciem, modo suprà expositio. Est enim genus moralis præcepti vt malefactor in suppliciũ adigatur: iudiciali autẽ in particulari decernebatur, vt qui furaretur ouem, quatuor solueret: & fur nocturnus occideretur, & adultera lapidibus obrueretur.

Aristo.

Ad primũ argumẽtũ.

PEr hæc ergo claresc̃unt argumentorũ solutiones. Verbum enim Pauli ad Rom. 2. q factores legis iustificabuntur, intelligitur secundùm sententiã quintę conclusionis de executione iustitiæ: nempe q implẽtes legẽ extra gratiam exequebantur opera moraliter bona: in gratia verò opera de condigno meritoria. Aliud autẽ Leuit. 18. nempè q faciẽs homo iudicia legis viueret in eis, non intelligitur q per se ipsa opera vitam donarẽt spiritualem: sed q qui legem custodiret non incurreret mortis pœnã, quam semper lex cõminabatur. Quanuis & in eis ob id viueret spiritualiter, quòd iustus seruando legem conseruaret Dei amicitiam. Tertium autem argumẽtũ solùm probat q opera humanarum legũ iustificant iustitia acquisita quæ est apud homines. Conclusio verò secunda quæ est principalis huius articuli negat vlla per se opera iustificare apud Deum.

Ad secundum.

Tertium.

QVAESTIO QVARTA.
De præceptis Decalogi in singulari.

S. Thom. 2. 2. q. 122.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm præcepta Decalogi sint præcepta iustitiæ.

QVæstioni præcedenti, qua de mandatis decalogi in genere dissertũ est, hanc quartam subnectendã duximus de singulis præceptorum in particulari: vt de eorum cognitione nihil amplius desideretur. Nam species & indiuidua suo generi suppo sita lucidiora fiunt. Quam ob rem eandem quæstionem ex sancto Tho. 2. 2. vbi est. 122. nẽpe postrema de iustitia huc accersiuimus. Decalogus etenim quatenùs pars est veteris legis, ad legum tractatum in communi attinet: quem diuus Thom. in. 1. 2. collocauit: quatenùs verò ad iustitiam spectat, in. 22. in particulari tractatur. Nos verò ꝓpter innatam affinitatem quam species habent & genus, simul ambas coniunximus. Igitur quãuis superiori quæstione satis hoc fuerit inculcatum nihilo minùs quia hic propriùs est locus, quæritur primò vtrùm cuncta præcepta decalogi partes sint speciesque iustitiæ. Et arguitur à parte negatiua. Propositũ legislatoris, vt Aristo. 2. & 5. Ethic. autor. est, huc fertur vt ciues faciat bonos: hoc autem perficere nequit nisi omnium illos virtutum officijs imbuat: ob id enim dictũ est de vniuersis virtutibus præcipere: decalogus ergo qui totam legem complectitur, non solius iustitiæ præceptiones debuit continere. ¶ Secundò, lex etiam præcepta iudicialia tradidit, & ceremonialia, ac demum alia de actibus iustitiæ pertinentibus ad commune bonum: puta de publicis magistratibus: vt quomodò essent creandi sacerdotes templi & iudices populi: hæc ergo debuerunt quoque in numerum redigi, & non illa solùm decem quæ virtutes instituunt priuatas. ¶ Tertiò duæ decalogi tabulæ in dilectionem Dei & proximi, vt suprà dictum est, resoluuntur: ergo sub charitate potiùs quàm sub iustitia continentur. ¶ In contrarium est quòd sola iustitiæ virtus est, aut illi annexa per quam vnus ad alterum ordinatur: præcepta autem decalogi, si illa inspexeris, cuncta respectum habent vnius ad alterum: ergo omnia pertinent ad iustitiam.

Primum argumentum à parte negatiua.

Secundum.

Tertium.

QVæstio facilima est, ac satis superque soluta. Respondetur ergo vnica conclusione. Omnia præcepta decalogi ad iustitiam oportuit pertinere. Probatur. Decalogus continere debuit non nisi prima legis principia: nam conclusionum multitudo vsque adeò est numerosa, vt nequeat certo numero comprehendi: principia autem decet sic habere manifestam rationem debiti: (nam præceptum, debiti rationem dicit) vt quàm facilimo negotio vnusquisque

Vnica conclusio.

Ratio cõclusionis.

que id videat: ratio autem debiti in sola ratione iustitiæ luculentissimè apparet: debitum enim respectum ad alterum palàm affert. Nam cùm vnusquisque sui sit suorumque dominus, non ita compertum est hominem sibiipsi aliquid debere: fit ergo consequens vt cuncta decuerit ad iustitiam pertinere. Quocircà præcepta primæ tabulæ ad religionem Dei attinent, quæ potissima est pars iustitiæ: quartum verò ad pietatem: quæ illi est proxima: sed tamen subsequentia ad iustitiam quæ est inter æquales.

Dubiũ subortũ ex. S. Tho. doctrina.

¶Hic nihil adnotandum superest quod superiori quæstione non fuerit definitum, nisi si quis hoc fortè ambigeret, quòd videtur sanctus Thomas sibiipsi contrarius. Etenim superiori quæstione articul. 1. præcepta Decalogi non dixit esse prima principia, sed proximas conclusiones: quare præcepta secũdę tabulę eò posuit in primo gradu, quòd modica consideratione approbantur per illa communia & prima principia. Nempe, Id facias alijs quod tibi fieri vis. idque. &c.

Concordantur loca. S. Tho.

hìc autem ait esse prima principia. At verò nulla est contradictio. Non enim hic ait præcepta Decalogi esse simpliciter prima principia, sed cum restrictione, prima principia legis: hoc est intrinseca legi. Lex enim est præceptorum numerus quæ ædita sunt & posita: præcepta autem quæ ponuntur ex primis eliciuntur principijs naturæ per viam conclusionis: ob idque nihil repugnat vt Decalogi mandata conclusiones sint primorum principiorum naturæ quæ sunt legi extrinseca, quasi fons eius & origo: & tamen eadem præcepta sint primò per legem lata, ex quibus alia deducuntur, quæ sunt extra Decalogum. Quo fit vt sicut in speculatiuis primorum principiorum cognitio dicitur intellectus: conclusionum autem scientia, quæ ad discursum rationis pertinent: sic & vniuersalia morum principia nullo rationis discursu egeant, sed in simplici sint intellectu conscripta, simpliciq; actu visa. Decalogus verò nonnullo opvs habeat rationis negotio. Ob idque sanctus Thom. non ait quòd Decalogi præceptis statim intellectus assentit, sed ratio quæ illa ex primis principijs colligit. ¶Rursus vbi ait religionem, potissimam esse iustitiæ partem, id intelligito propter excellentem obiecti dignitatem: tametsi hoc deficiat à iustitia q̃ per ipsam æquale non reddimus. Hic enim defectus potiùs excellentia est. Nam propter eminentissimam Dei excellentiam & beneficiorum exuberantiã quæ ab ipso suscipimus, æquale ei debitum reddere nequimus.

Ad primũ

AD primum igitur argumentum respondetur, q̃ etsi intentio Dei fuerit homines bonos facere, id tamẽ ordine quodam executus est: Dedit quippe nobis per se decalogi mandata, ceu legis capita sapientibus autem commisit, vt de alijs nos erudirent.

Ad secundum.

¶Ad secundum quantum ad iudicialia & ceremonialia, iam articu. 1. superioris quæstionis dictum est cur non ad decalogũ pertineant: quia scilicet non eliciuntur ceu conclusiones ex primis principijs naturæ: imò neq; ex ipso decalogo. Quare ad ipsum non reducuntur, sed sunt determinationes generalium ad ius positiuum pertinentes. Ceremonialia scilicet quantum ad diuinum cultum: & iudicialia quantum ad ciuiles mores. Alia verò de publicis magistratibus ob id nõ erat opùs in decalogo explicari, quòd cùm non ad omnes pertinerent, sed ad quosdam hominum status, aptiùs iudicialium alibi adscribuntur.

Ad tertiũ.

¶Tertium autem argumentum id tantùm conuincit quòd præcepta decalogi ad charitatem quasi ad finem referantur: sunt tamen propriè de operibus iustitiæ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm primum præceptum Decalogi congruenti sit modo traditum.



ONstituto ergo Decalogo sub virtute iustitiæ, seriatim singula eius præcepta explorãda sunt ac perpendenda. Quæritur ergo de primo an sit congrẽter traditum. Et arguitur à parte negatiua. Homo arctiori vinculo tenetur Deo quàm patri secundũ carnẽ: iuxta illud ad Hebr. 12. Quanto magis obtẽperabimus patri spirituũ & viuemus: sed præceptũ paternę pietatis cõstituitur affirmatiuè: videlicet, Honora patrẽ tuũ & matrẽ tuã: ergo & primum religionis præceptũ, qua Deũ colim⁹, debuit affirmatiuè poni: eò præsertim q̃ affirmatio est prior negatione.

Primum argumentum ꝑ parte negatiua.

Secundum.

¶Secũdò. Primũ præceptũ decalogi ad religionem spectat: quæ cùm vna sit virtus, vnũ habet actum: vnico ergo debuit

& non

& non trino illo verbo designari. Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile: Non adorabis ea, neq; coles. ¶ Tertiò. Per hoc præceptum, vt Augustin. in lib. de decem chord. autor est, excluditur superstitionis vitium: multò autem plures sunt superstitionum peruersitates præter idololatriam, ergo trunca fuit forma illa eiusdem præcepti. ¶ In contrarium est scripturæ authoritas, Exod. 20.

Tertium.

Vnica conclusio.

AD quæstionẽ vnica conclusione respondetur. Forma primi præcepti per trinã negationem congruentissimè fuit expressa: scilicet, Non habebis Deos alienos: Non facies tibi sculptile: Non adorabis ea, neq; coles. Probatur conclusio: si illud priùs substernamus sæpissimè assertum: videlicet, legislatoris finem esse bonos facere ciues. Hic nanque bonitatis progressus naturalem generationis ordinem imitari debuit: in ordine autem generationis duo sunt attendenda. Primum vt pars illa quæ est initium vitæ primò constituatur. Nam si naturam cõsulas, prima pars quæ in anima viuit, est cor: si vero artem, primũ struẽdæ domui iacitur fundamentum: in morum autem decursu fundamentum primum est recta volũtatis intentio circa finẽ: inde enim omnes actiones circa mediã sua sortiuntur bonitatẽ: cùm ergo finis noster suprem⁹, Deus sit, primum in nostra institutione fundamentũ iaci debuit religionis, qua Deum coleremus. Secundũ autem in ordine generationis animaduertendũ est, q̃ naturaliter priùs impedimẽta tollenda sunt quàm virtutũ semina iacienda: agricolarum porrò more qui priùs agrũ expurgant, quàm serant: secundũ illud Hierem. 4. Nouate vobis nouale & nolite serere super spinas & tribulos. Fit ergo ex his duobus consequens, primũ omnium præceptum legis illud esse debuisse quo religionis impedimentũ amoueretur: quod cùm potissimùm sit Dijs falsis addici, cõgruentissima ratione primum illud præceptum fuit positum sub forma trinæ negationis. ¶ Hic igitur primũ omniũ error vulgi repellẽdus est. Existimant enim plebei primũ mandatum esse illud maximum dilectionis, vt scilicet vnus diligatur Deus: cùm tamen, vt suprà dictum est, non sit Decalogo inclusum: sed ante illud suppositum tanquàm finis fundamentumque omnium primę tabulæ: quę certè nõ sunt nisi quędã illius explicationes: sicut sex secundæ tabulæ explicationes alterius de dilectione proximi. Rursus neque est præceptum fidei. Nam & hoc præmissum est toti legi, secundùm verbum Pauli, Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quia remunerator est. Quocircà, vt suprà articul. quarto adnotauimus, Exod. 20. in capite Decalogi habetur: Ego sum Dominus Deus tuus: Nõ habebis Deos alienos. &c. Cuius primum verbum non habet formam præcepti, sed admonitionis. Ac si dixisset, Accedens ad legem meam admonitus sit me esse Dominum Deum suũ. Qua præfixa fidei confessione, inde exorditur legem, subdens, Non habebis Deos alienos. &c. Igitur vt articu. quarto superioris quæstionis docuit sanctus Thomas primũ Decalogi præceptum est latriæ, hoc est diuini cultus: qui non modò religionis Christianæ, verùm & naturalis iuris primum est caput. Quare nulla fuit vnquàm inter ethnicos tam barbara natio, quæ non primum suarum legum fundamentum & basin in Dei cultura posuerit. Cultus hic autem in hoc consistit vt vnicus tantùm credatur, habeatur, adoretur, venereturque Deus. Huic igitur primo præcepto è regione opponitur impietas idololatriæ. Od idque sub forma negatiua ponitur: Nõ habebis Deos alienos. Cùm enim meridie sit cunctis mortalibus perspectiuis, Deum esse, non opùs erat affirmatiuè illud ponere, sed negatiuè: puta non esse vno plures. Ex quo fit formam huius præcepti esse negatiuam: vt superiori quæstione articu. 4. & 7. secundùm sanctum Thomam adnotauimus, & hic expressè docet. ¶ Huic autem doctrinæ contraire cuipiam apparebit Ecclesiasticus Catechismus: quippe cùm in nonnullis ecclesijs affirmatiuè exponatur: Vnũ cole Deũ: Nè iures vana per eum. &c. Ad hoc autem eodem articu. 4. citato respondit sanct. Tho. negatiuum hoc præceptum includere affirmationem vnius Dei. Vnde diuus Bonauentura in. 3. distinct. 37. ait quòd licet secundũ formam sit negatiuum, tamen secundùm rem est affirmatiuum. Id quòd illo à nobis modò constituto syllogismo fit notum. Supposito nanque ex naturali lumine Deum esse, negatio plurium Deorum est vnius affirmatio: vt tantum valeat, Non habebis Deos alienos, ac si dixisset, Vnum Deum tantùm proprium domesticumque habebis.

Ratio cõclusionis.

Dubium ortum ex Catechismo ecclesiastico.

Solutio dubij ex S. Thomasa.

Bonauẽtura.

Ad primũ AD primum igitur argumentum respondetur, quòd sicut in secunda tabula vnũ est præceptum affirmatiuum, sic & in prima circa religionem Dei: ordine tamẽ inuerso. Nam in secunda secundùm ordinem dignitatis, quo affirmatio prior est negatione, affirmatiuum reliquis præpositum est: in prima autem seruatus est ordo executionis, quo negatio affirmationem antecedit. Quocircà prioribus duobus præceptis expurgatur animus, scilicet ab infidelitate, nè plures agnoscat Deos: atque ab irreuerentia, nè nomen eius indignè vsurpet: demum tertio loco adiectum est affirmatiuum præceptum sabbathi, quo famulatus Deo debitus instituitur. ¶ Et sunt qui ordinem trium horum mandatorum secundùm diuinarum personarum attributa meditentur. Nempe vt primum respondeat Patri, cui attribuitur vnitatis maiestas. Est enim principium sine principio: cui ideo maiestati hæc fides debetur, vt nullus cum ipso admittatur Deus. Secundum autem respondeat filio, cui tribuitur veritas, atque adeò debetur nè testis falsi producatur. Tertium verò Spiritui sancto, cui tribuitur bonitas & sanctitas, debeturque adeò per famulatum sanctificatio. Quòd si ad tria nostra officia spectare lubet, primũ respõdet fidelitati cordis: secũdũ veritati oris: ac tertiũ operis probitati. ¶ Ad

Ad secundum. secundum respõdetur, q etsi verè religionis actus vnus sit, eius tamen violatio non vno sed pluribus fit modis. Fuére nanq; inter gẽtes qui absq; vlla imaginis effigie creaturas

Varro. pro Dijs mẽte colebãt. Refert enim M. Varro Romanos absque simulacris aliquandiu Deos coluisse. De quib⁹ Paul. ad Rom. 1. ait, Diuinos honores ad volucres, serpẽtes, & lapides deuoluisse. Et contra hos dicitur, Non habebis Deos alienos. Alij verò suis delùbris imagines ponebant quas adorabant: contra

Ad tertiũ. quos subditur, Non facias tibi sculptile, Neque coles ea. ¶ Ad tertium deniq; respondetur quòd cuncta superstitionum figmenta eodem præcepto abacta intelligũtur & ex-

Dubium de imaginibus ploſa. ¶ Circa secundum autem membrum huius præcepti, Non facias tibi sculptile: dubium tractari assolet de imaginibus, sintne religioni germanæ. Videntur enim hìc, veluti idololatriæ materia prohiberi. Et Deutero. 4. explicatissimè: vbi ait Moyses, Non vidistis aliquam similitudinem in die qua loquutus est vobis Dominus in Oreb de medio ignis: nè fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem masculi vel fœminæ. &c. vbi sanctissimè illi populo vetitum fuit similitudinem aliquam astrorum rerúmve aliarum cœli aut terræ adorandam efformare. Horum igitur similiumque occasione oraculorum sacręscripturæ non defuerunt hæretici qui imaginum religionem ab Christiana familia relegandam proscribendamque contenderint. Quæ quidem hæresis adeò fuit antiqua, vt non satis constet quisnam eius fuerit primus parens. Quod enim Platina in vita A-

Platina. driani primi hanc hæresin Fœlicianam appellat, intelligi non potest ac si Fœlix illius temporis fuerit primus eius author: nã anteà præcesserat Leo tertius Imperator imaginum destructor: & multo priùs Damasce-

Damascenus. nus eiusdem hæresis confutator. Primus ergo quem de hac re legerim est ante Hieronymi ætatem antiquissimus Epiphanius. Is enim tom. 2. libr. 3. in hæresi Collyridianorum statuas & imagines humanas earumq; adorationem acrirer flagellat: Quas & in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum iterum vellicat. Hic autem forsan quòd ignorantia excusatur, eò quòd contra idololatras id scriberet, non annumeratur hæreticis. At verò Damascenus illi ætati propinquus, libr. 4. cap. 17. hunc errorem, ceu hæreticum expugnat. Post illam autem ætatem annis fermè trecentis, quippe anno. 720. Leo tertius Imperator Romanus eandem hæresin suscitauit: ingenti nimirum edictorum rigore omnes imagines è templis excludens. Quem tunc errorem, Gre-

Gregorius tertius. gorius tertius in Concilio Romano nonagintatrium Episcoporum, vt Sigisbertus refert, condemnauit. Ac postmodùm de eadem re indictum fuit secundum Concilium sub Hirene Augusta, vbi à trecentis Episcopis eadem fuit hæresis anathematis mucrone perempta: posteaque ab Adriano, vt refert Platina, in Concilio Franconię contra Fœlicem explosa: ac deinde in sexta synodo Constantinopolitana, vt refertur de consecratione. distinct. 3. Cano. Venerabiles, sancitum est venerabiles imagines esse colẽdas: quã Synodum Adrian. suscepit vt ibidem patet, Can. Sextam Synodum. Post multa verò sæcula pestilentissimus ille Ioan-

Vuiclef. nes Vuiclef, in Concilio Constantien. condemnatus, eandẽ hæresin inducere molitus est. Contra quem solennis autor Vualdẽ. tomo. 5. de sacram. cap. 150. multa congessit testi-

testimonia. Deniq; temporibus nostris Lutherani templa sua, quod non sine ingenti animi angustia & mœrore vidimus, cunctis imaginibus expoliârunt. ¶ Igitur de imaginibus adorandis triplex habenda est consideratio. Prima si adorentur adoratione latriç: hoc est cultu Deo debito, ac si numẽ in ipsis diuinum insit. Et hęc est idololatrię impietas: quæ hic & loco citato Deu. prohibetur tanquàm infandum crimen, primo præcepto contrarium. Obidq; simul componitur, Non facies tibi sculptile: neq; adorabis ea: id est non facias vt tanquàm Deum adores. Et hoc pacto intelligendus est tex. Gregorij ad Serenum Massilienſem episcopum: qui refertur de cõsecra. dist. 3. can. Perlatum vbi laudat Serenũ quòd imagines adorare vetuerit: insimulat autem quòd illas infregerit. Adorabantur enim tanquàm dij, ideoq; munus erat episcopi docere non sic esse adorandas: frangere autem nequâquam. Secundò huiusmodi adoratio cõsideratur tanquã periculo exposita idololatriæ. Et hac ratione Deus antiquũ populũ ab huiusmodi imaginibus vehementissimè absterrendũ duxit: quippe quem nouerat ad id vitium propensissimum: nõ ob id solùm quòd leuis erat ac sensibus deditus, atq; adeò sensualibus simulacris: verùm quòd tum in Aegypto fuisset nutritus, vbi astra cœli & infima terræ animalia adorabãtur, tum & inter Chananæos & Iebusæos alios q; idololatras vitam ageret. Item quia illo tunc temporis cùm Deus nõ sicut nobis in forma humana apparuisset, nulla tũc vt dama. s. lib. 4. cap. 17. adnotauit exprimi poterat sensuali effigie. Et ideo neq; sacrorum simulacrum vllum tunc permittebatur, sed tantùm illa quibus diuina maiestas cum terrore conspectui illius sensualis populi obijceretur. In hoc enim munus illa Cherubin Exo. 25. præcipiebãtur ex vtrâq; parte oraculi effingi: nõ inquam vt sicuti à nobis modò angelorum imagines tãquam aduocati nostri adorãtur, suspicerentur: sed vt tremenda diuina maiestas fieret illis venerabilior. Tertia deniq; imaginum consideratio est quatenùs in illis Deus ipse & sancti repræsentantur. Sunt nanq; veluti quædã vulgarium scripturę, diuos ipsos in memoriam nobis reuocantes: vt tum ipsos de suis claris gestis veneremur, tum etiã vt nos ipsos eorũ exemplis informemus. Atq; hac ratione nihil aliud est quàm officium, bonaq; religionis pars, imagines adorare: nobis præcipuè qui Deum ipsum hominem factum colimus & profitemur. Etenim postquam nobis sensuali forma apparuit, fas est & diuos ipsos sensualibus imaginibus exprimere. Neq; vllus est metus vt tanq̃ dij à nobis adorentur: quemadmodùm in suprà citato Can. Venerabiles, sancta Synodus ait ¶ At verò hoc in præsentiarum silendum non est quòd non tantùm nobis seruiunt quasi scripturæ, in memoriam nobis diuos ipsos reducentes. Nam scripturas & sanctorum nomina non adoramus, sed Deum & sanctos qui per illa repręsentantur. De imaginibus autem lõgè aliter sentiendum. Non enim nos tãtùm eleuant, vt diuos adoremus: In hũc enim vsum nullus hæreticorũ imagines abnegauit: sed eas dem ipsas debemus adorare. Haud quippe tantùm ait Ecclesia, Te Christum adorãmus: sed, tuam crucem. Eidem q̃; cruci ait, O crux, aue spes vnica. Non autem adorantur in quantum lapides sunt aut ligna, aut quęuis alia materia: sed inquantum Dei sanctorũm ve formæ in illis existunt. Quo fit vt vnaquæque imago eodem sit cultu adoranda quo res ipsa. Vt imago Dei & Christi adoratione latriæ: imago vero Virginis aliùs ve cuiusq; Diui, adoratione duliæ.

Lutherus.

Triplex de imaginibus cõsideratio.

Tex. Grego. interpretãt

ARTICVLVS. III.

Vtrùm secundum præceptum conuenienti sit forma positum.

SECVNDVM LOCVM obtinet præceptum, quo prohibetur assumptio diuini nominis vana. Et arguitur quòd non sit congruenti modo positum Illud præceptũ aliter exponit glossa Exod. 22. scilicet non existimes creaturam esse filiũ Dei: qua vtiq; glossa error prohibetur circa fidem. Aliter verò Deute. 5. Non assumes nomen Dei tui in vanum: hoc est nomen Dei ligno & lapidi tribuendo: quo prohibetur falsa confessio, quæ est infidelitati actus: fides autem præstantior est religione, cùm sit eius fundamentum: & infidelitas prior superstitione: ergo secundum illas expositiones non secundo, sed primo loco debuit cõstitui. ¶ Secundo arguitur: Eodem loco Exod. 20. exponitur idem verbum, Nõ assumes nomen Dei in vanum: hoc est pro nihilo: vbi ideò tantùm videtur vana iuratio cauere: hoc est illa quæ absq; iudicio sit & prudentia:

Primũ argumentum ad partẽ negatiuam.

Argumẽ. 2

dentia: sed multò grauius est periurium, hoc est falsa iuratio quæ veritate caret: & iniquũ iuramentum, quod iustitia vacat: ergo curta fuit forma illa prohibendi. ¶ Tertiò Blasphemia sceleslior est impietas & enormior q̃ vana iuratio: ergò illa expressiùs prohiberi debuit quàm vanum iuramentum. ¶ In contrarium autem est scriptura.

Argumẽ. 3.

Vnica cõclusio.

AD quæstionem vnica conclusio respondetur. Præceptũ hoc optimo est modo & loco positum. Conclusionẽ autẽ pulchra ratione explicat D. Thom. Enimuerò cùm, vt iam prẽloquuti sumus, priùs decuerit obstacula veræ religionis excludi, quàm affirmatiuum eius præceptum æderetur, secũdùm numerum eorum quæ religioni obstant, ponenda erãt negatiua prẽcepta. Eiusmodi autem inpedimenta, duo sunt, Alterũ scilicet per excessum: vt si religionem soli Deo vero debitam, falsis communices. Alterum verò quasi per defectũ: vt si Deo quem solum adorare, non pro eius dignitate reuerearis. Primo ergò præcepto excluſum est vitium prius: scilicet nẽplures colamus deos: qui enim cum vero falsum deum colit non verè eum colit qui verus est. Vnde Isaiæ. 28. Coangustatum est stratum, scilicet deorũ, ità vt alter decidat, videlicet de corde hominis: nempè aut verus aut falsus: & palliũ breue, hoc est, iusta religio, vtrunq; operiri non potest. Restabat: ergò vt secundo præcepto irreuerentia caueretur qua agnitus verus Deus quantum in nobis est dehonoratur. Prius enim est vnum Deum colendum suscipere, quàm eum non dehonestare. ¶ De iurandi autem vsu & abusu, præter commentaria super illud Matthæi, Nolite iurare omnino, libellum ædidimus quo pleraq; ferè omnia disputauimus, quę ad rem hanc pertinebant. Nihilo minùs necessarium est expositioni præsentis loci satisfacere. Animaduertendum hic ergo primùm omnium secundùm hoc præceptum non esse sic prorsus negatiuum, vt nullatenùs diuinum nomen in testimonium veritatis liceat vsurpare, sed nè id assumamus in vanum. Imò verò sicuti primum præceptum duo in se contraria amplexatur membra, expressam scilicet negationem idololatriæ, quæ affirmationem veri cultus, vti expositũ est, includit: ità & hoc sic excludit iurandi abusum, vt simul implicet iurandi religionem. Quo circà sicuti deierans hanc transgreditur prohibitionem: sic legitimè iurãs virtutẽ exercet, quæ ad hoc reducitur præceptum. Quòd enim legitimè iurare religio sit, patet Deuter. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Et Hiere. 5. non cõqueritur Deus quòd filij Israel iurassent, sed quiurassent in his qui non erant dii. Colligimus ergò, iurare, si legitimè fiat virtutem esse nõ vnam quamlibet, sed re vera religionis: quippe qua Deum profitemur supremum veritatis fontem, cuius vtiq; testimonio omne verum constat. ¶ Obijcies tamen nobis verbũ Christi Matth. 5. vbi citans antiquam legẽ videtur eã omninò aut reprobasse aut emendasse: dicens Audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis. (nam sic erat scriptũ Leuit. 19.) reddes autem altissimo vota tua: -hic quippe erat sensus illius Deut. 6. Et per nomen illius iurabis.) Ego autẽ dico vobis Nolite iurare omninò: vbi omne prorsus iuramentũ videtur condemnare. Hieronymus respondet, nõ prohibuisse omninò iurare, sed iurare per creaturas idololatrarũ more: qui in ipsis diuinum numen inesse putabãt. Sed re vera, vt in libello illo cap. 3. satis discussimus, sensus non est nisi simplex vt iacet, vt neq; per Deũ neq; per creaturas iuremus, nisi vbi ratio naturalis religioq; expoposcerit: vt patet ex verbo Iacobi. 5. Ante omnia fratres mei nolite iurare, neq; per cœlum, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentum: hoc est, neq; per Deum neq; per creaturam. Ad intelligentiam ergò mandati Christi, id quod suprà tetigimus recolendum est: nempè præcepta omnia Decalogi cunctaq; moralia quę in illis sunt implicita, nihil aliud esse quàm explicationes naturalis iuris. Qua propter naturæ luce veniũt illustrandæ. præcepit, verbi gratia, Non occides: illic autem non prohibetur nisi homicidium, quod natura vetat. Vnde dum vel iudex reum patibulo affigit, vel se quisq; legitimo tutamine defendens aggressorem occidit, quoniã lex naturæ alterum iubet, alterumq; permittit, nulla pro tunc fit mandati exceptio: quia neq; istos casus vetabat. Pari modo dicens Christus, Nolite iurare omninò, neutiquàm nobis interdixit nisi iuramentorũ abusum. Nam vbi ratio iusiurandum exigit, natura est mandati interpres, Adiecit autem, omninò, ad abstergendum ignorantiam, nè quis falsò crederet iurare per creaturas etiam, vanè, non esse periurium. Itâq; vocula, omninò, non excluſit casus omnes iurãdi: sed formas

De iuramẽti vsu & abusu.

Secũdũ præceptum non est prorsus negatiuũ.

Hieronym⁹

mas vniuersas vanè iurãdi. Id quod per subiũctam expositionem Christus ipse explanauit: neq; per cœlum, neq; per terram. &c.

Iurãdi officium no est per seipsum virtus.

¶Est autem deinde animaduertendum iurandi offi ciũ nõ per se ipsum virtutem esse, veluti est charitas & iustitia: sed necessitas illud intra lineã virtutis cõstituit. Illud enim

S. Thomas.

S. Tho. 22. q. 39. iuramẽtum secundùm se licitum est & honestum, intelligendũ est secundùm suos indiuiduos comites, scilicet veritatem, iustitiam, & necessitatem. Enimuerò si status ille innocentiæ, de quo nos parens noster eiecit perdurasset, quia nulla illic potuisset esse fraus, sed sancta esset inter homines fides, nulla fuisset virtus, iurare: sed tamen quia inde deiectus, factus est omnis homo mendax, fidesq; subinde humana adeò est debilitata, vt non per se satis sit ad animum creditoris confirmandum, beneficio Dei cõcessum nobis est iuramentum, quod eidem fidei nostræ roborandæ necessarium erat. Vnde quod ait Christus, Sit sermo vester est est, non non: id est, quod verum est, simpliciter affirmate: & quod falsum, simpliciter negate: synceritatem in qua Deus naturam nostram creauit, & quam nos semper deberemus, imitari designat. Quòd autem subiecit, quòd amplius est, à malo est. Augustino interprete. non sonat malum culpę, quasi citra delictum nunquàm iurare liceat: sed malum pœnæ, id est iuramentum ab illa originis labe descendere per quã homines authoritatem suam perdiderunt vt non illis habeatur citra iuramentum integra fides. Quocir-

Augustin⁹.

cà iuramentum, vt ait Augustin. à iure dicitur Nam qui iurat, ius, inquit, veritatis Deo reddit. Vel quod forsan nomini germaniùs alludit, iusiurandi nomen inde deriuatur quod id quod iuratur pro lege habendum est, ac

Iuramẽtũ à iure trahit.

velut ius, sic sanctè seruãdum, eo quòd Deũ ipsum pro teste veritatis constituis. Quo fit vt Deo ipsi iniuria fiat si post iuramentum

Paulus.

testimonium aliud exquiras. Vnde Paulus ad Hebræ. 6. Iuramentum inquit, est omnis controuersiæ finis ad confirmationẽ. Quare Iurisconsult. in cap. tituli, de iureiurando. ff. Maximum inquit remedium expediẽdarum litium in vsum venit iusiurandi religio.

Cicero.

Et in lib. de Offic. Cicero: Nullum vinculum ad stringendum fidem iureiurãdo maiores arctius esse voluerunt. ¶Habemus ergò sensum huius præcepti sic esse negatiuum vt legitimam iurandi religionem permittat. Superest ergò explicare comites qui iuramentum intra lineam virtutis atq; honestatis custodiunt. Hi nanq; tres sunt numero, quos Hierem. cap. 4. diuinitùs afflatus de promptsit: vbi ait, Iurabis. Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia. Vbi Hieronymus, animaduertendũ inquit quòd iusiurandum hos habet comites, veritatem, iudiciũ, atq; iustitiam. Obidq; vbicũq; istorum aliquod abfuerit, periurium est, tametsi diuersa ratione. Enimuerò iusiurandum cui deest veritas, maximè propriè est periuriũ: cui autem abest iustitia, id, licèt verum sit, nihilo minùs est iniquum: ideoq; subinde periurium, quòd qui rem iniustam sub iuramento pollicetur, id iurat quod non debet implere: eademq; fit ratione periurus, siue posteà adimpleat, siue secùs. Attamen iuramentum quod absq; discretione & iudicio fit, quanuis sit verũ ac de re iusta, est nihilo minùs temerarium: quod ob peierandi periculum nomen etiam meretur periurij.

Tres comitesiuramẽti

Hieronym⁹

Tres grad⁹ vanitatis.

¶Ad rem ergò vt proximè accedamus vbi assumptio diuini nominis vana prohibetur tres vanitatis gradus certo ordine subnotantur. Vanum enim est quod fit frustrà, hoc est quod suo caret fine: iuramẽtum ergò falsum in primo est gradu vanitatis: caret enim veritate, quæ medula est, & substantia iuramenti: atq; adeò sic vanum est, vt auellanæ testa, nucleo vacua. Iuramentum autem iniquum, nempè cùm res iuras te facturum iniustas: vt homicidium, aut furtũ: eò vanum est quòd ornamento iustitiæ vacat. Quocircà non solùm nõ obligat, imò peccatum est illud implere. Obidq; tota eius iniquitas de qualitate iustitiæ quæ est in obiecto pensanda est. Vt si iurasti peccatum mortale patrare, iuramentũ est mortale, siue id perpetres siue non perpetres. Si autem iocosè mentiri iurasti, iuramentum est veniale: eò quòd illud implere non peius quàm veniale est Quòd si arguas: Si quis non impleat, falsum iurauit: iurare autẽ falsum inquocunq; indiuiduo est mortale: ergò iuramẽtum de re veniali erit mortale: Negatur Minor, Nam iuramentum promissorium nõ implere, tunc prorsus est peccatum, quando est obligatorium: quando verò non obligat, licèt nõ implens tunc ostendat & efficiat iuramentum fuisse falsum: tamẽ quia tunc nullatenùs peccat, non inde pensanda est malitia iuramenti, sed ex ipso actu iurandi. qui si eius obiectum: peccatum est veniale, non erit peior quàm veniale. At verò iuramentum temera-

Obiectio.

Solutio.

rium,

rium, scilicet quod & verum est & de re iusta, sed iudicio prudentiaq; vacat, ea ratione vanum est quòd necessitate caret quę iuramentum facit esse virtutem. Sed ob hoc solùm dicitur periuriũ, quòd qui vanè iurat, in periculo versatur iurandi falsum. ¶Per hoc grauitatem culpę trium horum peieran di graduum rimari quisq; facilè potest. In primis periuriũ primi generis, hoc est assertorium iuramẽtum falsi, non modò genere suo & obiecti ratione lethale crimen est, verùm in quocunq; indiuiduo. Quod enim genere suo sit mortale, commune illi est cum reliquis Decalogi mãdatis. Nam cũ omnia ad iustitiam pertineant, reipublicæ necessariam, fit vt omnium obseruãtia sit de necessitate salutis. At verò quòd in quocunq; indiuiduo sit etiam mortale, singulare illi est inter omnia. Etenim licèt furtum genere suo sit mortale: tamẽ leuitatè materiæ, vt si obolum fureris, sit veniale. Attamen falsum iurare, etiam in re minima, vt si peieres te nõ tãgere calamum quem manu tenes: & pro quacunq; necessitate id facias, vtpote pro salute totius mundi, peccatum nihilo minùs mortale est: nam tam falsum est te nõ tãgere calamum, quàm si iurasses rem aliam grauissimam falsam. Adducere autem Deum in testem falsi, mortalis irreuerentia est, Iuramenti autem promissorij grauitatem iam nuper diximus ex obiecto esse perpendendam. Iuramentum autem temerarium, id est quod nullam habet aliam vanitatem quàm quòd citra necessitatem & circunspectionem fit, non est genere suo mortale, sed tantùm veniale: vt si dum in cõspectu omnium pluit, cum iuramento id affirmes: aut cùm res est leuissima, quam credere aut non credere nihil refert: aut quam alius citra iuramentũ tibi adhiberet fidem. ¶In iuramentorum autem frequẽtia præsentissimum inest periculum peierandi. Obidq; omni cura & vigilantia cauenda est immanis hæc bestia. At verò per falsos iurare deos, quantumcunq; veritas & humana iustitia insit, peccatũ est idolatriæ. Vti autem infidelium iuramento, vt ait ad Publi. August. incasu necessitatis licitum est.

Series & ordo grauitatis inter varia periuria

Augustin⁹.

Ad primũ argumẽtũ

AD primum igitur argumentum respondeẽ, expositiones illas interlineales nõ esse literales, sed mysticas. Vnde in odiũ Arrianorum expositum est, nomen Dei in vanum vsurpari, cùm Verbum incarnatũ, quod per substantiam est nomen Dei, asseritur esse creatura. Altera verò expositio Deut. 5. ad infideles refertur, quorũ, impietas illa retunditur, quòd per saxa & ligna iurant, ac si sint dij. ¶Ad secundum iam responsum est nomen Dei nõ tũc solùm pro nihilo vsurpari, quando temerariè citra iudicium & prudentiam iuratur, verùm & tunc peiùs, dum falsè aut iniustè deieratur. ¶Ad tertium deniq; respõdet S. Tho. quòd sicut ei qui scientia aliqua primùm eruditur, communia triuialiaq; documenta primùm exhibentur: sic & ordo requirebat vt cõmunia statim & quæ in vsu frequẽtiora sunt, prohiberentur, per quę homines sese intelligerent grauioribus interdictos. Imò verò arbitror Deum idcircò exhorrendas blasphemiarum formas non expressisse, quòd illas tacendo apertiùs expressit eò vsq; esse abominabiles vt neq; in lege essent nominandæ. Etenim qui deum verum non cognoscit, nihil mirum si ad falsos peruertatur: quòd tamẽ qui verum adorat, blasphemijs illum deho nestet, citra vllam legis positionem patet quàm sit nefandũ. Quin adde & hoc in verbis huius præcepti meditãdum, q̃ ad exaggerandam maiestatem diuini nominis non solùm prohibetur vt per ipsum non peieretur, verùm nè vanè ore assumatur. Quare nõ solùm sub forma iurandi, verùm neq; in triuialibus colloquijs obloquendum de Deo est vanè, eiúsue nomen sine causa depromẽdum. Et quãuis multa sint diuina nomina: tamẽ quia omnia sunt eiusdem virtutis, singulari numero dictum est, Nõ assumes nomen Dei in vanum. Tametsi Hebræi alium sensum ex hoc præcepto eruant. Nempè q̃ illud nomen lege celeberrimũ, Adonai, adorandum esset: nõ tamen proferendum. Qua de causa illud nuncupabãt græcè Tetragrãmaton: id est, nomen quatuor literarum.

Adsecũdũ argumẽtũ.

Ad tertiũ argumentũ

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm tertium præceptum de sanctificatione Sabbathi sit rectè positum.

COnsequenter de tertio præcepto, quod est vltimum primæ tabulæ, pari modo quæritur an sit congruenter positum. Et arguitur à parte negatiua. Aut intelligitur secundùm spiritualem sensum, aut secundùm literalem: secundùm spiritualem non

Primũ argumentũ à parte negatiua.

nõ est speciale, sed generalis omnium ratio. *Ambrosi⁹.* Ait enim Ambro. Lucæ. 13. de Archisynagogo qui indignabatur Christum curare Sabbatho: Lex in Sabbatho non prohibet hominẽ curare, sed seruilia opera, id est, peccatis grauari: quod omni præcepto prohibetur. Secundùm autem literalem sensum est ceremoniale. Legitur enim Exod. 31. Videte vt Sabbathũ meum custodiatis: quia signũ est inter me & vos in generationibus vestris: hoc est rememoratiuum conditi àme mundi. præcepta autem Decalogi non sunt generalia aut ceremonialia, sed specialia & moralia: ergò hoc pręceptum minimè Decalogo *Argumẽ. 2* congruit. ¶Secundò: Præcepta Decalogi omnia tanquàm iuris naturæ lege etiã Euangelica obseruantur: Euangelici autẽ neque Sabbathum seruamus, neq; verò Dominicũ diem Iudaico more: quippe qui & cibos paramus & alia huiusmodi exercemus, quæ illis non licebant: ergò non propriè pręceptũ hoc ad Decalogũ pertinet. ¶Tertiò: Cuius- *Argumẽ. 3* cunq; pręcepti Decalogi transgressio est genere suo mortale piaculum: in veteri autem lege licebat citra Dei offensam Sabbathum violare: circuncidebantur enim die octaua, etiam si incidisset Sabbathũ. Et Helias dum iter quadraginta dierum perfecit, non cessauit Sabbathis. Aliaq; id genus fiebant licitè: ergò non est præceptũ Decalogi. ¶Contrà verò stat scripturæ sacræ testimonium.

Prima conclusio. AD quæstionem tribus cõclusionibus respondetur. Prima est: Præceptũ sanctificationis Sabbathi congruenter tertio loco positũ est, idq; affirmatiuũ est. Probatur. In institutione religionis, vt dictum est, priùs debuerunt negatiuis pręceptis impedimenta veræ religionis radicitùs cõuelli: quæ quidem impedimenta sunt idololatria atq; irreuerentia: illis autem cõuulsis consequens erat vt præceptum religiosi famulatus adhiberetur: hoc autem est præceptum sanctificandi Sabbathi: ergò congruenti loco collocatum est. ¶Secunda conclusio: Eodem ter- *clusio.* tio mandato pręcipitur exterior Dei cultus, puta corporalis requies ad famulãdũ Deo. *Ratio pro conclusione.* Probatur. Diuinus cultus, tã interior est, vt meditatio & mentalis oratio, q̃ etiam exterior, vt sacrificiorum oblatio: interior autẽ sub exterarum rerũ similitudinibus nobis qui sensibiles sumus proponitur: vt per cere moniam thurificandi instruimur quemadmodùm orantis mens sit in Deum eleuãda: secũdùm illud Psal. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conpectu tuo: ergò & exterior cultus decuit pari modo per aliquod signum nobis significari. ¶Tertia conclusio, *Tertia conclusio.* Præceptum idem tertium appositissimè propositum nobis est sub signo, creationis mũdi commemoratiuo: vt scilicet quemadmodùm tunc die septima requieuit Dominus ab opere quod patrauerat: sic nos septima quaq; die ab operibus seruilibus cessantes, tempus feriemus quod recolẽdis diuinis beneficijs sit dedicatum. Probatur. Nam cùm *Ostenditur conclusio.* bonorum omnium fundamentum sit, esse, fit vt beneficiorum primum, vnde reliqua omnia nobis prouenère, fuerit nostri plasmatio, mundiq; fabricatio, nostri gratia cõditi. Quapropter eiusdẽ memoria beneficij viã nobis pandit ad reliqua commemoranda. Vnde Exod. 26. præmisso præcepto de sanctificatione Sabbathi, pro causa subditur: quia sex diebus fecit Deus cęlum & terram & septima die requieuit. ¶Verùm tamen haud desunt circa harum singulas conclusiones dubitandi argumenta. Etenim cõtra primã, quatenùs asserit præceptum hoc esse affirmatiuum, offertur forma ipsa præcepti, *Ratio cõtra primam cõclusionem.* quæ videtur non affirmatiua, sed negatiua: sicuti duorum præcedentiũ. Iubemur nanq; per illud in sensu literali nihil aliud quàm cessare ab opere seruili: cessare autem est abstinere ab opere, id est non operari: sicuti ieiunare, est abstinere à cibo, quod est non comedere. Sed ad hoc respondetur præceptũ *Solutio.* esse affirmatiuũ, scilicet diem sanctificare, id est, sancto famulatui dedicare. Vnde Exod. 2. affirmatiuè ponitur: Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Sed forma sanctificandi subditur: Non facies omne opus in eo, scilicet seruile, vt diuinis vacare queas. Idq; Ecclesiæ instituto confirmatur quę generalem illum sanctificandi modũ speciatim expressit: iubens vt festis diebus audiremus sacra. ¶Difficiliores autem ambigendi occasiones *Prima dubitatio.* nobis offert secunda conclusio. Est enim prima omnium dubitatio vtrùm hoc pręceptũ exteriorem nobis tãtùm cultum iubeat, an verò simul internum opus. Est enim Scotus *Scotus.* qui lib. 3. dist. 37. sentire videtur hoc nos præcepto iuberi diebus festis bonũ habere mentis actum circa Deum: nempè eius dilectionem. Id quod explicatiùs asseruerat eodem libro, distin. 27. dicens, singulare tempus implendi præceptum dilectionis Dei contineri isto pręcepto: vt scilicet tali tẽpore manere vnus-

vnusquisq; debeat apud se, recolligendo se & ascendendo ad Deum suum. Vnde sit cõsequens vt teneatur tunc quisq; conteri: vt modum etiam charitatis seruet: Consequiturq; subinde secundùm hanc opinionem, vt nomine seruilis operis à quo requiescendum est, non solum intelligantur mechanica opera, idq; genus alia quibus homo homini seruit: verum potissimè peccata quibus homo mancipium fit dęmonis. Nam qui facit peccatum, seruus est peccati. Opinio fuit Isychij quam superiori articul. impugnabamus quòd hoc præceptum solùm faciat spiritualem sensum de cessatione à peccatis: Isti autem & si non illum tantùm, tamen illum putant esse prȩcipuum. Itâq; qui in die festo peccat, prȩter culpam quam in alio profesto die contraheret, peccat rursùs festum cõtaminãdo. Quare duplici peccati macula infi citur: ac perinde ac ille qui in Ecclesia homicidiũ facit, atq; ille qui Monialem vitiat. Sententia est Alexan. Halen. 3. parte, quæst. 32. membro 5. art. 2. vbi expressè in solutione ad quartum ait fornicationem in die festo duplicem habere maliciam. Atqui ab illo egregio doctore hanc opinionem discipuli eius docti sunt. Imò eadem apparet esse sentẽtia Diui. Thomæ in hoc articulo, inter soluendũ tertium argumentum: vbi distinguit triplex seruile opus: scilicet quo homo seruit peccato, & quo secundùm corpus seruit homini, & quo seruit Deo. Et subdit quòd opera seruilia primo & secundo modo contrariantur obseruantiæ Sabbathi, in quãtum impediunt applicationem hominis ad diuina. Et subinfert quòd quia magis homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati quàm per opus corporale aliâs licitum, magis contra hoc præceptũ agit qui peccat in die festo quàm qui aliud corporale opus licitum facit. Cui præterea sententiæ patrocinari apertè videtur Ambro. loco citato in primo argumento super Lucam. Et August. in lib. de decem chordis: vbi ait, Meliùs faceret Iudęus in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro seditiosus existeret. Et meliùs fœminę eorum die Sabbathi lanam facerent, quàm quòd tota die in neomenijs suis impudicè saltarent. Et, quòd rem vehemẽtiùs vrget subdit: Tibi autem, id est Christiano dicitur vt obserues spiritualiter Sabbathum in spe futuræ quietis quam tibi promittit Dominus: spes autem hæc non fit nisi per internam dilectionem

Alexander Halensis.

D. Thomas.

Ambrosius. Augustin⁹

Et certè ratio eidem opinioni non tenuiter apparet fauere. Primùm quòd cùm sit affirmatiuum, vt dictum est, ad famulatum pertinens: famulatus autem Deo gratior sit ille qui intus in mente exhibetur, ad hunc potissimùm non obligare videtur. Adde quòd cùm iure diuino aliquam sanctificationem, vt nomen sonat iubeat, necesse est illam etiã secluſa Ecclesiæ sanctione designare: quę tamẽ alia designari commodiùs nequit, quàm diuina dilectio per quã iustus sanctificatur. ¶ His veruntamen nihil obstãtibus responsio dubitationis huiꝰ legitima est, vim istius præcepti non ad internam dilectionem aut contritionem, sed ad exteriorem cultum extendi, vt conclusione. 2. quæ S. Thom. est adstruximus. Probatur. Reliqua cuncta Decalogi præcepta, præter octauum & nonum in quibꝰ cõcupiscentiæ nomen expressum est, externa tãtũ opera iubent & prohibẽt: ergò & hoc pariter. Nulla enim est ratio cur istud à generali regula excipias: quandoquidem hic nulla fit mẽtio interni motus. ¶ Secũdò id apertè monstrat Ecclesiasticum institutũ quo cultus hoc præcepto iussus per hoc determinatur, quod est missas audire: vt patet de conse. dist. 1. can. Missas. Quæ quidẽ præceptio à traditione vsq; & Canone Apostolorũ originem duxit, vt ibidem patet, can. Omnes fideles. cùm ergò Ecclesia cultũ hoc præcepto inclusum perinde suo statuto exprimeret atq; diuini præcepti confessionis tempus vt semel in anno fieret determinauet, & hæc sui præceptio ad cultum nos tantùm externum arctet: palàm est iure diuino non esse illic alium contentum: quoniam aliâs, nisi illum explicaret, non fuisset fida diuini iuris interpres. Dixerim, Ad cultum tantùm externũ, vt illum tamen interiorem actum nõ excludã, à quo exterior proficiscitur, scilicet velle audire Missam cum decenti reuerentia & attentione, vt sit actus humanus: Non tamen nos cogit ad aliam seu dilectionem seu contritionem. Et confrmatur hæc ratio: qui vt receptissimus Ecclesię vsus habet, prȩter cessationem ab opere seruili nullus cultus est in præcepto diebus festis prȩter illum quem Ecclesia exprimit: temerarium ergò est ligamen aliud superaddere. ¶ Tertiò arguitur: præceptum dilectionis Dei, vt supra dictum est, nõ est in Decalogo inclusum, sed extra in fronte prȩfixum tanquam omniũ finis: ergò præcepta Decalogi distincta sunt prorsus àprȩcepto dilectionis.

Primaratio

Secũda ratio.

Solutio prioris dubii.

Probatãsser tio præfata.

Alteraratio eiusdẽ ásser tionis.

Cõfirmatio.

Argum. 3.

¶ Quarto

rgumẽ.4 ¶Quartò arguitur. Finis præcepti, vt suprà monstratũ est, non cadit sub præcepto: quia præcepta non dantur nisi de medijs: sicuti præceptum ieiunij non obligat ad carnis maceratione, sed ad abstinentiæ modum ab Ecclesia præscriptum, licèt maceratio illa sit finis: cùm ergò finis præceptorum Decalogi sit diuina dilectio, sit vt illa sub nullo illorũ comprehendatur. ¶Et quinto eadem confirmatur conclusio: quia eiusmodi præcepta non obligant ad charitatis modum, sed possunt quantum ad substantiam operis extra charitatem impleri, itàvt euitetur peccatũ: absq; vlla ergò ratione; imò contra rationẽ singulare hoc adscribitur huic præcepto, q̃ obseruari nõ possit sine modo charitatis: & tamen contraria opinio id contẽdit, asseuerans quòd in die festo tenetur se homo ad gratiam disponere. ¶Sextò arguitur quòd hoc præceptum non obliget ad contritionẽ, Est enim citra cõtrouersiam religionis mandatum: cõtritio autem non est actus religionis, sed pœnitentiæ quę singularis est virtus, iustitiæ annexa. ¶Præterea septimò occurrit sanè mihi ingentissimum argumentum cõtra hanc opinionem, quòd si hoc nos præceptum ad contritionem obligaret atq; ad veram dilectionem Dei, impẽdiò quàm periculosum esset quòd tot Ecclesia multiplicaret festa: esset enim hoc Christianorum animos irretire & in arctissimas angustias conijcere: nempè quòd tam crebrò ad rem tam arduam teneremur. ¶Deinde octauò arguitur quòd hoc præceptũ non obliget ad nõ peccandũ in die festo, obligatione alijs mãdatis adiecta. Præcepta omnia moralia non in sensu spirituali & metaphorico, sed secundùm planã literam intelligenda sunt, vt cũctis est cõfessissimum: quia stylus mores instituendi nõ debet esse translatitius, sed planus: peccata verò non dicuntur seruilia opera in sensu literali, sed per metaphorã: cùm ergò iubemur cessare ab opere seruili, nõ cohibemur nisi ab operibus quæ cõmuni vulgo seruilia nuncupãtur: puta quibus homines hominibus seruiunt. Et hoc inde cõfirmatur quòd quantum ad ius diuinum attinet eadem est substantia præcepti huius nobis modò quæ olim Hebræis: illi autem ad nullum actum interiorem obligabãtur, sed ad illos externos cultꝰ: ergò neq; nos nisi ad nostros. ¶Sed ais, Propterea q̃ dies festus tempus est sacrum, quocunq; peccato cõtaminatur: sicuti & locus sacer. At contra hoc est manifestum argumentum quòd sacrilegium nõ committitur nisi vel in personã ratione voti: vt si monachus vel sacerdos fornicarius fuerit: vel ratione Ecclesiastici statuti, vt si in loco sacro vel sanguis vel semẽ effundatur. De tempore autem nulla extat lex. Accedit præterea quòd neq; locus sacer quolibet peccato contaminatur, nisi duobus his modis nominatis. Nam etsi in Ecclesia blasphẽmes vel peieres non committis sacrilegium: cur ergò si id perpetres in die festo? Colligamus ergò, peccatum in festo cõmissum non esse sacrilegium, atq; adeò circunstantiam festi non esse cõfessu necessariam: licèt accidentariè aggrauet, & ideò consiliũ sit eam confiteri. Neq; tale præceptum obligat ad alium actum interiorem quàm ad illum qui propter exteriorem est necessarius: scilicet vere audire Missam ea attentione vt sit actus humanus. Tametsi cùm internus amor & diuinorũ meditatio, finis huius præcepti sit, ad hoc maximè sunt Christiani festis diebus animandi & alliciendi: & vt à peccatis caueãt. ¶Sunt hìc autem qui claritatis (vt censent) gratia duos fines præcepti huius dignoscant nempè alterum immediatũ, qui est audire Missam, ad quem tenemur: alterũ verò mediatum, qui est mentis eleuatio per charitatẽ: ad quẽ minimè obligamur. Ego verò, licèt disceptatio in nomine videatur versari, illum priorem, non finem appellauerim, sed substantiam præcepti. Habet enim duo membra: alterum negatiuum, quod est cessare à seruili opere: alterum verò affirmatiuum, quod est, cultus ab Ecclesia præscriptus. Et hoc secundum est finis, nõ tam præcepti, quàm prioris eius membri. ¶Igitur ad authoritatem S. Tho. respondetur quòd cùm ait peccata aduersari obseruantiæ Sabbathi, non intelligit quantum ad substantiã præcepti, sed quantum ad eius finem: refertur enim præceptum hoc ad vacandum Deo & diuinis, cui quidem fini pugnatiùs obsistit peccatũ quàm opus seruile: ob idq; peius est fornicari in die festo quàm cauare. Nõ quòd per fornicationem violetur festũ, sed quòd peius per se peccatum sit & intentioni Dei repugnantius. Et hoc ipsum est quod ait Augustꝰ. Quod autem ibidem subdit, scilicet Christianis obseruandũ esse Sabbathum spiritualiter, non dicit quasi illa sit substantia præcepti, vt qui sic non seruauerit transgressor eius sit: sed quòd ille sit modus, si seruandum est ad intentionem præcipientis,

Argumẽ.5

Argumẽ.6

Argum.7

Argum.8

Cõfirmatio.

Exaſio.

S. Thomas.

pientis vt seruetur in spe futuræ quietis, quã nobis promittit Dominus & quòd iste sit sensus, patet manifestè: quoniam confert Christianum illic cum Iudæo, dicens quòd Iudæus seruabat illud in figura: nos autem seruare debemus in spiritu. Et tamen quantum ad substantiam præcepti, eodem modo tenebantur illi sicut nos: sit ergò vt ille sensus spiritualis non sit de substãtia præcepti. Ad verbum autem Ambrosij patebit suo loco responsio, vbi & mẽs D. Thom. apertior fiet. Ratio autem prior quam cõtrariæ opinioni subiecimus, id tantùm euincit quòd internus famulatus per charitatem sit finis præcepti, inde tamen non consequitur vt cadat sub præcepto. Ad posteriorem autem negatur, alium sub hoc præcepto contineri cultum, quàm quem Ecclesia determinauit.

Tertiũ Decalogi præceptũ partim est morale, partim ceremoniale.

¶ Circa tertiam conclusionem id tantùm animaduertendum est quòd hoc præceptũ partim morale est, partim verò ceremoniale. Iam enim suprà dictum est morale præceptum elici vt conclusionem de iure naturæ. Vnde cùm eodem iure teneantur quicunq; mortalium Deum colere, consequens inde fit vt tempus aliquod debeant de alijs negotijs succidere, eidem q; muneri dedicare. Nã secundùm sapientem cuicunq; rei naturę iure, suũ debetur tẽpus: vt refectioni, somno, & alijs officijs. Quin age, suauitatem perpende & lenitatem præceptorum Dei. Et si nulla nos lex colendi Deum requiem indixisset aliquorum dierum, ratio ipsa naturæ, quæ lucem, ad laborem retulit, & tenebras ad quietẽ, deposcebat, vt dies aliquot feriaremur, quibus labores interpellãdo recrearemus animos. Cui ergò dies illos negotio mãcipare meliùs valuissemus, quàm Deo nostro colendo? Et ideò super hoc nulla potest esse Ecclesiæ dispẽsatio. Potest inquam Ecclesia, quę iure positiuo dies festos stabiliuit omnes, vt suprà diximus, vel tollere vel mutare: saltem factũ teneret, licèt Spiritus sanctus id non permitteret: quia pernicies esset. Haud tamẽ vlla fieri vnquam potest dispẽsatio quin homo tempus aliquod seu dies seu horas teneatur diuino cultui deputatos impendere. Quod autem dies isti aut alij, festi fiãt, ceremoniale est: in quod subinde Ecclesia ius habet. Ceremonia autem omnis, figura est, aut commemoratiua aut prefiguratiua. Significabat ergo præceptum hoc in sensu literali creationis beneficiũ, tanquã illius memoriale. In sensu autẽ allegorico prę-

signabat requiem Christi in sepulchro: quæ dies etiam fuit Sabbathi: quasi tunc ab opere redemptionis requieuerit. Sed & in sensu tropologico, qui ad mores per metaphorã pertinet, significat cessationem à peccatorũ operibus. Quare secũdùm illum sensum nõ erat speciale præceptum: sed referebat generalem rationem omnium quibus ab hac seruitute peccati arcemur. Ac demum in sensu anagogico significabat sempiternã requiẽ quę nos manet in cœlo. Cõstituitur ergo in Decalogo secundùm literalem moralem q; sensum. Vnde ob tam multiugã Sabbathi significationem, cùm aliæ complures essent in lege festorum solennitates, de hac sola in Decalogo mentio habita est qua reliquę cõprehenduntur. Nam cęterarum singulæ ob particulare beneficium fuerunt institutę: illud autem creationis fuit vniuersale. De festis autem illius legis, & quem admodùm illorum singulis singula nostra respondeant, videbimus quęstione proxima. ¶ Atqui per hæc ratio liquet cur fuerit ab Ecclesia catholica à sæculo vsq; Apostolorum in diem Dominicam mutatum. Nam ratio illa literalis commemorandi beneficium creationis, altiùs mutata est in beneficium recreationis, quæ facta est à Christo per gratiã: hoc enim beneficiũ Dominica die resurgendo absoluit. quæ fuit in statu gratię lux prima, infinitùm præstantior illa, de qua tũc dixit Deus, Fiat lux. Prętereà quòd & dies illa prima creationis mundi, Dominica etiã fuit: quãdoquidem septima fuit Sabbathum. Figura autem allegorica Christi quiescẽtis in sepulchro, præsente veritate cessauit. Sensus autẽ anogogicus perpetuæ quietis cœlestis multò aptiùs cõgruit Dominicæ diei. Volubilitas enim huius mundi curriculo hebdomadę significatur: immutabilis autem fœlicitatis æternitas significantiùs exprimitur Dominica die.

Ratio abolitionis Sabbathi & mutationis in diẽ Dominicũ.

Alteraratio

AD primum igitur argumentũ quod de authoritate Ambrosij procedebat respõdetur, patrem illum mysticorũ sensuum amatorẽ, intellectum eiusmodi Iudęis obiecisse, propterea q; opera misericordiæ in Sabbatho fieri non ferebant: & ideo cùm dixit illo præcepto peccatorum opera prohiberi, nõ id intellexit in sensu literali, in quo sita est specialis præcepti substantia: sed in sensu tropologico, qui generalis est omniũ præceptorum virtus. ¶ Ad secundũ respondetur

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secũdũ

detur quòd Sabbathi obseruatio apud Iudæos erat figuralis:& ideò strictiore religione illud seruabant: adeò vt neq; cibos igne possent parare: vt patet Exod.16.&.35. Nempe vt illã cessationẽ Dei à mundi fabrica ad viuũ exprimerent. Nam figura, cùm sit rei signum, debet veritatem vsq; ad minima fidelissimè referre. Nos autem non ob illum figuralem ritum, sed institutione Ecclesiæ tum dies Dominicos, tum festos alios feriamur. Quapropter congruentiùs naturali iuri eiusmodi festa colim⁹: nempè vt & victui necessaria naturali more paremus. Et nobiscum super reliquis quæ necessitati naturæ seruiunt, faciliùs dispensetur. ¶ In tertiò igi tur argumento vastissimus aperitur camp⁹ eorum quæ nobis diebus festis, tum licitè permittuntur, tum dispensatione indulgen tur. Sunt enim vsque adeò multa, vt vix queant sub numero comprehendi: ideoque tantummodò eorum capita teneri memoria possunt. Et primùm cùm in hoc præcepto aliquid sit negatiuum, vt dictum est, id est cessare à seruili opere: atq; alterum affirmatiuum, quod est sacrum audire. Circa vtrunque perpendenda illa sunt, quibus citra iniuriam violatur præceptum. Vnde primùm omnium supponenda est illa suprè ta cta distinctio sancti Thom. quòd operum seruilium alia sunt peccata, quibus dæmoni seruitur. Et hæc sunt per omnia mandata vetita: significata verò hoc singulari in sensu morali metaphorico. Alia verò sunt quibus secundùm corpus homo homini seruit: vt mechanica, Et hæc sunt isto præcepto ad literam interdicta, Sed alia præterea sunt quibus seruimus Deo, nempè quæ ad eius cultum attinent. Et hæc adeò non respuuntur isto præcepto, vt sint ad eius finem impendiò cõducẽtia. In hoc enim ab alijs seruilibus abstinemus, vt in seruiam⁹ Deo. ¶ Sex ergo capita sunt per quæ illa iudicare possumus quę Sabbathis licent. Primum est hoc quod modò diximus: scilicet, si sit ad dei cultũ pertinens, Inter hæc autẽ sunt gradus. Primum obtinent spiritualia quę ab spiritu increato supernaturaliter nobis donantur: vt est sacramentorum administratio: quibus gratia confertur, in qua vita spiritualis consistit. Quapropter & antiqui circunciſionẽ ministrabãt in Sabbatho, si octaua tunc incidisset dies. Vnde Christus Ioannis.7. Circuncisionem homo accipit in Sabbatho, vt nõ soluatur lex Moysi. Et nos quoq; omnia

Ad tertiũ argumẽtũ.

Distinctio.

Sex capita Vnde possis internoscere quæ liceant diebus festi nis.

Primum.

administramus sacramenta. Atq; illa insuper quę ad altaris ministerium attinent exercemus: scilicet prædicamus, oramus, & ea legimus quę ad meditationem & animi refectio nẽ conferunt. In secundo gradu sunt illa corporalia in quibus cultus etiam per se cõsistit vt erat antiquis arcam testamenti deferre: & nobis baiulare sanctorũ statuas, crucem: & huiusmodi in processionibus. Ad hæc organis canere & alijs instrumẽtis, de quib⁹ operibus illud intelligitur Matth.12. Sacerdotes in templo Sabbathum violãt, id est corpore labores exercent: & sine crimine sunt. In tertio gradu locantur illa quæ sacrorum sunt præparatoria. Sed hæc tripertita. Nam quędam adeò sunt propinqua cultui vt sine illis fieri nequeat: vt antiquitùs sacerdotes aialia, quæ Deo litabantur, mactabant & torrebant: & nunc campanę pulsantur. Alia verò sunt quæ possunt prędcedenti die fieri: & hęc non sunt sine causa in festo facienda, sed antea præparãda: vt hostias coquere, & monumentorum apparatus extruere: nisi forsan continuatio festorum exigat vt in festo fiãt. Sed tamen alia sunt, non quidem per se, sed accidẽtariè ad diuinum cultum spectantia, vt colere agros pauperculæ Ecclesiæ vel hospitalis: aut ad eius structurã vectare lapides. Et hæc neq; sine necessitate fieri in festo debẽt, neq; sine Prælati facultate: quãdoquidẽ opera sunt verè seruilia: ideoq; licèt lex misericordię in causa sit dispensandi, fieri tñ non debent absq; episcopi dispensatione: vel saltẽ Parœciani, vbi sic habet vsus. ¶ Secundũ autem genus operum quæ in festo licent est spiritualium actionũ, quæ ab spiritu nostro proficiscuntur: vt docere, consulere, & id genus alia. Seruile enim opus idẽ est quod corporale. Nam corpus est quod animæ seruit: quare quæ ad animam attinent, non connumerantur seruilibus. Attamen nõ inde infertur mechanicarum artium exercitium in festo esse permissum, & si artes illę intellectuales quoq; sint. Quoniam nõ de suo tantùm principio, verùm & de fine pensanda est spiritualiũ ratio. Scientiæ ergo quarum finis est intellectũ illuminare, spirituales sunt: illæ verò quarũ finis in fabricato opere posit⁹ est, quod manibus cõficitur, obidq; mechanicę dicuntur, seruiles habẽtur. At verò sunt nõnulla spiritualia quæ ecclesia bona causa in festis interdixit, vt ius dicere, & causas agere, & iuramentum solenniter in iudicio nisi causa pacis præstare, vt patet extrà, de ferijs,

Secũdũ genus operum quæ in festo licent.

cap.omnes dies. & cap. cõquestus. Tametsi hæc ingruenti atroci extraque ordinario crimine dispensationem quoq; admittant. Vt si publicus latro, aut maiestatis læsor capere tur in festo, liceret eum subitò in supplicium rapere. Et religionis gratia hæretici in solẽni festo solent igni admoueri. ¶ Tertiũ genus & caput eiusmodi licitorũ operum est quæ quanq̃ sint corporalia, non tamen sunt propriè seruilia. Nam inter corporalia quædam extãt genere suo seruilia, quorum exemplũ in mechanicis positum est: quædam verò genere suo libera, vt artium liberalium opera, qualis est musica, & figuras geometricas in abaco ducere: quæ certum est licêre in festis. Quædam autem sunt & liberis & seruis cõmunia de quibus dubium est an liceant: vt sunt scribere, itinerari, venari, &c. Et quidẽ si scribere ad id duntaxat reducatur quod est cum absentibus loqui: vt scribere epistolas, aut orationes habẽdas ad populum, aut prælegendas lectiones, liquet esse licitum: si autem ad opus seruile vergat, vt stata merce de transcribere, aut alia ratione calamo mereri, id minimè fas est: itinerari autẽ audita Missa, maximè illis qui in itinere sunt, mos quarũdam prouinciarum admittit. Sed animi gratia venatum ire, claret nõ esse seruile opus. ¶ Quarta causa ob quam nefas nõ est operari in festo, subiungitur necessitas. Primùm illorũ quæ ad diurnũ victum pertinẽt, hoc est ad condiendos cibos igneq; parandos: qualis est coquorũ opera, & eorum qui pastillos farciũt, & laniorũ ac macellariorũ. Pistores autẽ non excusantur, neq; furnarij: nã panis potest pridie festi cõfici. Nisi tãtus esset festorũ concursus, qui id exigeret. Secũdò & necessitate salutis corporeæ excusant medici pharmacopolæ, & sanguinis missores. Et qui fugiũt propria pericula, exemplo Heliæ qui fugit in Sabbatho à facie Iezabel. Vnde Christ⁹ Io.7. Mihi indignamini quia totũ hominẽ sanũ feci in Sabbatho. Ad verò pharmacopolæ nõ excusantur nisi secundũ necessitatem diei præsentis. Est enim seruilis ars quã sola necessitas facit in festo licitam. Tertiò & necessitas cõmunis salutis reipublicę excusat milites ĩ bello: & qui illic aggeres & vallũ ducũt. Et qui quosuis alios labores perferũt. Qua ratione vt legitur. 1. Maccha. 2. Machabęi hostile pręliũ sabbathis propulsare prudẽter decreuerũt. Deinde & propter particulares necessitates licita sunt opera in festo. Vnde Deut. 22. Nõ videbis ouẽ fratris tui aut ouẽ errantẽ & pręteribis, sed reduces fratri tuo. Cui alluſit Christ⁹ Matth. 12. Quis erit ex vobis homo qui habet vnã ouẽ: & si ceciderit in sabbatho in foueã nõne tenebit & leuabit eã? Et per id excusamur dũ cõflagrationibus occurrim⁹, & inundationibus. Quin etiã tẽpore messis fiãte aura iustè purgãtur grana. Imò verò vbi aëris inclemẽtia timetur possunt & arcę teri: atq; etiã, licèt hoc nõ tam facilè fit permittendũ, & segetes meti. Quãuis in his casib⁹, vbi ambigitur an necessitas vrgeat, cõsultius est antistitẽ adire vel saltẽ parœcianũ, per quẽ hęc liceãt. Atqui ex hoc capite excusantur etiã illi qui munia reipublicę necessaria exercẽt, q̃ nõ possunt sine graui iactura festis oĩbus interpollari. Qualia exercẽt nautæ, cursores, muliones, & qui istis seruiunt, vt marescbalci veterinarij, qui soleis ferreis bestias calceãt. Et q̃ furnos cõflandi vitri accendũt. Sunt qui & cãdem facultatẽ illis faciũt, qui lateres coquũt & calcẽ. Sed in his nõ tm̃ video necessitatis. Adde q̃ & ꝓpter reipublicæ ornatũ licet opificibus in festis operari, vt in torneamẽtis. Tametsi salubrius semper sit dispẽsationem ꝓcurare. Atqui sicut necessitas immunes facit à trãsgressione legis cõmunis, sic & à trãsgressione particularis. Licet em̃ aduocatis in festo iudices informare: & instante necessitate etiã scribis aliquos actꝰ agere. ¶ Quinta causa quæ à trãsgressiõe festi operarios excipit est Ecclesiæ cõcessio. Indulget em̃ Alexan. 3. c. licèt. de ferijs, vt possint in festis piscatores haleces piscari. Et idẽ est de thinnis atq; alijs piscibꝰ qui solo vno anni tẽpore eodẽq; breui capiũtur. ¶ Sextũ deniq; excusationis caput est cõsuetudo. Prohibetur in dict. ca. oẽs de ferijs. mercatus fieri in festo. Sed iã creberrima cõsuetudo est nũdinas in festo celebrari. Consuetudines autẽ tũc à culpa liberant, quãdo sunt rationi cõgruentes, & prælatorũ cõsensu introductę, & antiquitate receptę. ¶ Ecce de mẽbro negatiuo huius præcepti, quod est cessare ab opere seruili. Affirmatiuum autem, quod est audire sacrũ, verenantiùs obseruandũ est, neq; quacunq; de causa omittẽdum, nisi sit valde vrgens: vt si causa sit fugiendi periculum mortis, aut seruiẽdi infirmis, qui citra periculũ relinqui soli nequeunt: aut si timeretur puellæ raptus, & similia. Quanuis & in hoc inualescere possit consuetudo. Vbi enim in more est nubiles puellas non exire in publicum, nullam contrahũt culpam non prodeuntes in templũ.

Quin

Tertiũ genus.

Quarta causa.

Quinta causa.

Quibus de causis possit quis citra noxam die festo nõ interesse sacris.

Quin verò si mater aduersum quippiam filiæ timeret, posset domi manere eius custos. Et præterea si maritus zelotypia æstuans vxorem cohibeat nè in sacrum progrediatur, parêre ipsa tenetur. Et pariter serui & famuli dum herus vel iter eis imperat, vel aliud negotium, licèt sacrum non audiant. In idipsum autem herum refundetur noxia si absq; causa seruum impediat, quo minùs Missam audiat. ¶ Id autem quod in præsentiarum occasionem quibusdam hæsitan di offert, est vtrùm illa omnia quæ dicta sunt in die festo licêre, illicita ob id fiant, quòd pro mercede exhibentur. Inuenias enim nonnullos hac opinione captos, quòd qui præcipua intentione ob mercedem operantur in festo, ipsius sunt transgressores: si autem officium suum propter necessitatem potissimè præstent, licet eis accessorium stipendium recipere. Imò alij censent quòd qui diues est, tenetur in festo gratis opera misericordiæ facere. Istorum autem scrupulus hoc habet, si vllum habet, fundamentum, quod opus seruile est illud quod fit in obsequium alterius: qui autem mercede operatur, alteri ceu seruus obsequitur, fit ergò illud opus seruile. Nam quando necessitas in causa est vt opera in festo sint licita, eò est quòd illa tunc opera liberis cum seruis communia sunt. Si ergo pacta mercede efficiuntur seruilia, fient subinde illicita. ¶ At verò citra vllum scrupulũ, quod articulo præsenti etiã Caietañ. agnouit, quodvis opus quod vel propter necessitatem, vel propter consuetudinem, vel propter quamcunque causarum quæ modò à nobis recensitæ sunt, licitum in festo est, manet perinde iustum: quanuis non fiat nisi præcipuo mercedis intuitu. Spes enim lucri non facit opus seruile: siquidem & liberorum opera, qualis est negotiatio, & musica, & venatio, & militatio, & similia, propositam sibi habent mercedem. Et vice versa, seruile opus gratis etiam impendi consueuit: vt opus mechanicum. Neque hoc quod est alteri obsequi, constituit seruile opus. Nam & liberorum opera fieri solent in obsequiũ alterius. Et econuerso seruilia in obsequium ipsius artificis. ¶ Præterea arguitur. Famuli stipendia recipiunt pro famulatu etiam in festo impenso: Quin verò musici præcipuè seruiunt in festis atque in Ecclesijs pro mercede. ¶ Post hæc arguitur. Quãuis opera in die festo sint necessaria, non tamen opifices & artifices tenentur illa gratis præstare: quia non sunt necessaria propter inopiam personarum, sed ex natura rei, vt in superioribus exemplis patet: ergo illa licitè possunt solùm propter mercedem exequi, aliter non facturi, Possuntque perinde de pretio pacisci. Nullatenùs ergo ratione mercedis aut præmij perpendendũ est quodnam sit seruile opus, quod verò minimè: sed per capitales causas paulò antè commemoratas. Itâque si docere scientiam licitum de se est in festo, licebit etiam operarum pretium exigere: Et pariter aduocatus si consilium respondeat in festo. Idemq; censeto de Medicis & de alijs infirmorum administris. ¶ Ex quo fit neque studere in die festo lucri causa, illicitum esse. Nam aliàs etiam scholares ius violarent si in festo literis vacarent: nam plerique id faciunt spe lucri. Et nihil refert lucrumne post longum tempus expectes, an in præsenti recipias. Neque refert doctor ne & aduocatus diues sit, an pauper. Tametsi diuitibus consilium sit dies festos aut diuinis dicare, aut causis pauperum largiri.

Quorundã scrupulus.

Ratio dubitandi.

Caietanus.

Prĩa ratio.

Secũda rõ.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm quartum præceptum de honorandis parentibus congruè tradatur.

DIVTIVS nos præcedentes quæstiones remoratæ sunt. Hæc autem de quarto præcepto facilimæ expeditionis est. Arguitur nihilo minùs de more quòd non fuerit congruè positum. Præceptum quantum ad pietatem attinet quæ est pars iustitiæ, non quidem directa eius species est, sed potentialis. Sunt autem multæ aliæ similes iustitiæ partes, vt habes apud sanctum Thomam. 2.2. quæstio. 80. vt obseruantia, gratia, veritas, &c. non ergo hoc tantùm debuit poni affirmatiuum præceptum, sed similium virtutum insuper alia. ¶ Secundò, non solùm parentibus, verùm & patriæ & sanguine coniunctis debetur ex pietate cultus: ergò mancum fuit præceptum quod solos parentes colere iubet. ¶ Tertiò, neque parentibus solus debetur honor, verùm & sustentatio: ergo & in hoc fuit etiam mutilum, quòd solum honorem expressit. ¶ Quartò, neque causa illi subiuncta

Argumẽ. 1.

D. Thom.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

iuncta, videlicet quòd parentibus morigeri erunt longæui super terram, vt legitur Exodi. 20. in vniuersum verum habet: inuenias enim parentibus obedientes, eosdemq; tenera ætate luce sublatos: videasq; contrà multos rebelles qui longo fruuntur senio: non ergo congruenter positum est. ¶ In contrarium facit scripturæ authoritas.

Cõclusio responsiua. QVæstioni vna satis est conclusio breuissima. Congruentissimè tribus præceptis dilectionis Dei, proximè quartũ de reuerendis parentibus subiunctum est.

Probatio. Probatur. Præcepta primæ tabulæ dilectionem Dei, vt dictum est: commendant: & præcepta secundæ, dilectionem proximi: inter proximos autem maximè proximi sunt parentes quippe quibus id quod sumus secundùm Deum debemus. Sunt enim particulare principium nostri: sicuti Deus vniuersale omnium: ergo locus huic præcepto debitus, proximus loco est diligẽdi Deum. Est enim pietas in parentes illi quę Deo debetur adeò affinis, vt. 8. Ethicorum Aristot. compositè dixerit, Dijs & parentibus neminem posse æqualia rependere. Et Cicero in Oratione post reditum: Parentes, inquit, charissimos habere debemus, quòd ab his nobis vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est. In primis autem Deum, cuius beneficio hæc omnia tenemus.

Aristot.

Cicero.

Ad primũ argumẽtũ. CIRCA materiam ergo primi argumenti id animaduertendum est, quod in capite libri octaui luculentiùs exposuimus: videlicet partes iustitiæ alias esse specificas, vt distributiuam, & commutatiuam, alias verò potentiales, hoc est illi annexas: vt puta quæ cùm non integram habeant rationem iustitiæ, non directè ei subduntur, sed tamen propter aliquid vtrique commune reducuntur ad illam. Ratio namque iustitiæ est esse ad alterum, cui æquale debito redditur: religio ergo conuenit cum iustitia, quia est ad alterum, puta ad Deum: cui tamen nequimus æquale reddere. Atque in hoc deficit à iustitia, Ad religionem autem spectant præcepta primæ tabulæ, quæ est virtus annexa iustitiæ. Pari ratione pietas quæ est ad parentes, quibus æquale reddere non possumus, est pars potentialis iustitiæ. Et similiter obseruantia: quæ est reuerentia hominibus ob virtutem exhibita. Nam neque virtuti æquale præmium reddi ab hominibus valet, vt. 2. Ethicorum est apud Aristot. Quare hæc virtus ad quartum præceptum reducitur: sicuti suprà in illo verbo adnotauimus, Leuit. 19. Coram cano capite consurge. Liberalitas autem alio poplite claudicat nè sit prorsus iustitia: nempè quòd in beneficijs conferendis versatur quæ non sunt debita: sicuti & gratia quæ non ratione debiti, sed ratione honestatis beneficia repẽsat. Hæc ergo omnia reducuntur ad hoc præceptum. Iam enim superiori quęstione dictum est in Decalogo illa præcisè debuisse locari, quæ absque vllo sapientum officio elicere ex naturæ principijs ratio posset, nisi vbi nubila esset: hæc autem nonnullo sapientum adminiculo opùs habent, quò plenè percipiantur. præterquàm quòd filiorum debitum ad parentes cunctis est mortalibus commune: reliqua verò, specialia: sub generali verò specialia militant. ¶ Ad secundum ad eundem propè modum respondetur, quòd ratio quare patriæ, & sanguine agnatis, atque alijs necessarijs nostris debitores sumus parentes fuêre, qui nos tali loco & sanguine genuerunt, & ideò cùm præcepta Decalogi, vt dictum est, sint prima legis principia, abundè parentes pro cunctis nominati sunt. ¶ Et eôdem reducitur solutio tertij argumenti, nempè quòd honor parentibus à cunctis filijs per se debetur, siue locupletes sint siue ageni. Sustentatio verò accidit vt debeatur dum parentes egent, ad ea autem quæ sunt per se ea reducuntur quæ accidunt. ¶ Ad quartum demum respondetur, congruentissimum, vt superiori quæstione exposuimus, propositum fuisse huic mandato præmium longæuæ vitæ: transgressoríque supplicium breuis. Vnde Paul. 1. ad Timoth. 4. Pietas ad omnia vtilis est: promissionem habens vitæ quæ non est, & futuræ. Nam cùm vitam à parentibus secundùm Deum susceperimus, qui gratus illis est, meretur non solùm æterna potiri, verùm & temporalem sibi augeri: qui verò ingratus, illa orbari. Obidque adeò Solon, vt Cicero pro Sexto Amerino refert, nullum parricidijs supplicium constituit: cuius causam interrogatus respondit, se id neminem facturum putasse. Romani autem intelligentes, nihil esse tam sanctum, quod aliquando non violaret audacia: supplicium in parricidas, quàm maximè congruens excogitarunt: nempè vt in culeum

Ad secũdũ argumẽtũ.

Ad tertiũ argumẽtũ.

Ad quartũ argumẽtũ.

insuti

insuti in flumen deijcerentur: vt his rebus omnibus de repentè carerent: nempè elementis ac bestijs, ex quibus omnia nata esse feruntur. Videlicet nè cœlum viderent, nec solem, neq; verò aquam tangerent, neq; aërem ad respirandum, neque terræ eius cadauera mandarentur, neque adeò obijceren tur feris aut bestijs nè videlicet tactu suo aut elementum aliquod aut bestiam pollue rent, qui sese immanissimo scelere polluissent. At verò quoniã neq; præsentia hæc labentiaque bona sub merito cadunt, neque aduersa mala satis sunt ad expianda piacula, fit vt Deus occulto iudicio quandoq; sinat vt & boni exiguo hoc præmio careant, & mali, supplicio: quippe quibus auctiora in altero manent sæculo.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm sex reliqua præcepta conuenienti ordine & modo tradantur.

DE reliquis sex præceptis satis suprà dictum est: sed nè ab ordine illa excludamus, arguitur quòd non sint sufficienter tradita. Primùm sic: Alia sunt prę ter homicidium, adulterium, furtum, & falsum testimonium nocumenta quæ ciuibus inferuntur, diminutus ergo fuit numerus. *Argumẽ. 1.*

Argum. 2. ¶Secundò. Concupiscentia in nono & decimo præceptis aut accipitur pro sensualitatis motu, secundùm illud Iacobi. 4. vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs, quæ militãt in membris vestris? aut pro voluntatis consensu, vbi peccati ratio consummatur, & pariter virtutis ac meriti, secũdùm illud Sapien. 6. Concupiscentia sapientiæ perducit ad regnum perpetuum: sed prior quidem prohiberi nõ potuit: quia natura corruptæ naturale est cum ratione pugnare: secundùm illud Pauli, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: aliàs sensualitatis commotiones essent mortalia peccamina: quod est falsum. Secunda verò vno quodlibet præcepto prohibetur. Qui enim prohibet homicidium, vnà prohibet & eius voluntatem: nihil ergo opùs habuit peculiari mandato.

Argum. 3. ¶Tertio denique, Homicidium adulterio & furto grauitate antecellit: non autem seorsum prohibita est eius cupiditas: non ergo erat cur aliorum concupiscentiæ seorsum iniberentur. ¶A parte contraria pugnat authoritas ipsa legis.

AD quæstionem post ea quæ superiùs explicata sunt perfacilis est responsio, quę vnica cõclusiõe cõtinetur. Sex præcepta debita ratione prohibitionis tenore posita sunt. Probatur. Duæ sunt partes iustitiæ, facere bonum, à maloq; recedere. Primum autem non cunctis promiscuè per se debetur sed personis certis: cui autem potissimùm debetur, est Deus, & secundùm illum parentes: sed tamen iniurijs & vi minimè lædere, omnibus debitum est: obidque post primam tabulam quartumq; mandatum, quibus ea præcipiuntur quæ Deo parentibusque debentur, optimè nocumenta respectu omnium in vniuersum prohibentur. De distinctione autem, numero, ordine & traditione eorum, deque singulorum grauitate, satis superque quæstione superiori dissertum est. Quòd si de numero adhuc hęreas, eò q̃ cùm alia multa præterquàm parentibus & consanguineis, alijs etiam debeantur, secundùm verbum Pauli, Reddite omnibus debita: cui tributum, tributũ, &c. debuerit & alia adhiberi affirmatiua præcepta. Respondetur quòd cùm Decalogus primordia solummodo contineat legis, non decebat in ipso nobis tradi nisi ea quæ vniuersis mortalibus communi ratione debita sunt: & talis est honor quem debemus parentibus. Ad reliquos verò nõ vna, sed diuersis rationibus contrahuntur debita, & ideò non erat illis opùs speciali præcepto: sed satis erat generalis iustitia, quæ præcipit vnicuique ius tribui suum. ¶Atq; per hoc documentum liquet id quod quæstione. 3. contra Burgensem super Leuit. 19. adnotauimus: qui contra sanctum Thomam, imò contra planam veritatem præceptum dilectionis proximi negat esse omnibus commune atque notissimum: propterea scilicet quòd auaritia non fuit philosophis comperta respectu omnium, sed tantùm respectu studiosorum. Est enim mens Diui Thomæ & rei veritas, quòd cùm præceptum dilectionis proximi includat, & benefacere, & non malefacere, prius est notissimum: non quidem respectu omnium proximorum, sed respectu certi generis, scilicet, parentum: posterius verò respectu omnium; & ideò ex eodẽ principio solùm elicitur quar-

Cõclusio responsiua.

Probatio.

Scrupulus.

Solutio.

tum præceptum affirmatiuum, & reliqua negatiua.

AD primum igitur argumentum respondetur quòd cùm nocumenta, atque iniuriæ quibus alter in alterũ nocuus & iniurius est nõ potuerint certo numero colligi, consultum fuit, ac perinde decôrum, capita tantùm poni, quibus alia cohærent membra. Quicquid enim detrimenti alteri inferas, aut personæ illud impingis: & id rerum genus ad homicidium reducitur: aut personæ coniunctæ per modum libidinis: & hæc referuntur ad adulterium. Damna autem in rebus data, siue per vsuram, siue per aliam fallaciam, omnia ad furtum propendent. Sicuti & iniuriæ omnes quibus infra verba peccatur: vt sunt mendacia, & detractiones, & verbales contumeliæ, ad falsum testimonium. ¶ Ad secundum respondetur, nomine, concupiscentiæ non prohiberi sensualitatis insultus atque illecebras: sed voluntatis consensus, vbi subest peccatum, secundùm verbum Christi, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Et quanuis vno quolibet præcepto vnà & res & eius cupido prohibeatur, exposcebat tamen singularis necessitas vt speciatim concupiscentia alienæ vxoris, atque alienarum rerum exprimeretur propter rationem quam superiori quæstione, articulo. 5. declarauimus nempè quòd aliorum peccatorum obiecta non per se ad concupiscentiam illectant: sed ob alias affectiones cupiũtur: vt homicidium propter vindictam, quæ ex odio nascitur: & propter iram. Quare in illis sufficit res ipsas prohiberi: ea verò quæ ad concupiscentiam carnis & oculorum spectant, per se animum pelliciunt: atque adeò non solùm in abstinendo ab illis difficultas est, verùm & noua in refrænanda concupiscentia: obidque præter opus, consultum fuit & cupidines singularibus prohibitionibus interdici.

Ad secũdũ argumentũ

QVAESTIO QVINTA, De præceptis ceremonialibus.

S. Thom. 1.2. q. 101. & 2. & 3.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ceremonialia præcepta quadrifida fuerint, scilicet sacrificia, sacramenta, sacra, & obseruantiæ.

EXPOSITIO FVNCTIONOSTRA fuerit diuũ Thomam explicãdo amplificare, tamen in his ceremonialium ac iudicialium quæstionibus diuersa erit. Adeò em̃ copiosè & disertè cũcta ipse explanauit, vt nequeat doctrina eius vel extendi amplius vel elucidari. Igitur vt summatim compendiũ faciamus, primò quæritur an ceremonialia quadrifida partitione diuidantur, scilicet in sacrificia, sacramenta, sacra, & obseruantias. Et arguitur à parte negatiua: Si hac ratione distribuerentur, id maximè esset quod ceremonialia ad diuinum attinebant cultum, vt nomina ipsa sacrificiorum & sacrorum designant. Erant autem aliqua ceremonialia quę nihil ad cultum Dei referre videbantur, vt abstinentia ciborum quæ præcipiebatur Leuit. 11. & abstinentia à vestimẽtis, scilicet nè vestem duobus contextã, hoc est lana & lino, vllus indueret, vt Leuitic. 19. cautum erat, ergo non omnes ceremoniæ cultui seruiebant. ¶ Secundò si sacrificia illa, & sacramenta, atque obseruantiæ alicui erant vsui accommoda, maximè vt rerum aliquarum essent figuræ, secundùm verbum Pauli, omnia in figura contingebant illis: id autem nequâquam legi cõgruebat: vt potè quæ vt August. 4. de doctrina Christiana author est, & suprà citatus Isidôrus, manifesta esse debet & cunctis peruia: cùm illa quæ figurarum mysterijs tecta sunt theatricam potiùs ænigmaticamq; repręsentationem præ se ferant, quàm legis claritudinem, haud ergo decuit esse figuralia. ¶ Tertiò, legis synceritas simplicitatis præceptroum amatrix est, multitudinisq; expultrix. Est enim præceptorũ multitudo sarcina potiùs & ruinæ occasio quàm adminiculum ad virtutem: secundùm

Primum argumentum

Argum. 2.

Paulus.

Augustin.

Argum. 3

secundum illud Petri Actu.15. Quid tentatis demum imponere iugũ super ceruicem discipulorum, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuim⁹: caueri ergo illa debuit ceremoniarum turba. *Argum.4* ¶Quartò, ceremoniæ illæ, Christi erant vmbra & prognosticum: sacrificia autem abundè prẽsignabãt Christum, qui secũdùm Apostolum ad Ephe. 5. sacrificium se obtulit & oblationem & hostiam: in noua autem lege sacrificiũ ipsum altaris simul est & sacramentorum, idemq; potissimùm, atque idipsum dicitur sacrum, omniaq; sacrificia & sacramenta sunt quædam obseruantiæ: non ergo opùs illa est quadrifaria distinctione. Aliàs deberent & alia superaddi membra: puta solennitates, oblationes, atq; id genus multa. ¶In contrarium autem est quòd lex illa de his omnibus meminit.

Prima conclusio. AD quæstionem iuxta numerum argumentorum quatuor conclusionibus respondetur. Prima est. Ceremonialia illa cũcta ad Dei cultũ pertinebãt: sic em̃. q.2. tres prẽceptorum ordines secreuimus, quòd moralia ex principijs naturæ, ceu conclusiones eliciuntur. Ceremonialia verò & iudicialia, non conclusiones, sed speciales determinationes sunt generalium præceptorũ quæ arbitramento quodam statuuntur. Ceremonialia quidem circa religionem quæ nos ordinat in Deum, iudicialia verò circa pacem & tranquillitatem ciuium secundum charitatem proximi. Est enim naturale prẽceptũ vt Deus colatur. Quòd autẽ vel hoc vel illo modo, arbitramentum est humanum vel diuinum sicuti ait Arist. 5. Ethico. Litare enim hęc aut illa animalia, nihil natura suã refert nisi quia lege positum. *Aristot.* ¶ Secunda conclusio. Cultum illum diuinum in lege veteri cõdecens fuit prognosticam figuram Christi eiusq; Euangelicæ legis prætulisse. Probatur. Sicuti homo, & anima constat & corpore, ità & cultus tã interior est q̃ exterior: secundum illud Psal. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Et sicut corpus ad animam relatum est, sic & exterior ad interiorem refertur. Cultus autem animę in hoc positus est, vt Deo suo coniũgatur: obidq; secundùm diuersam eius coniunctionem diuersum esse congruit externum cultum. Quo fit vt in statu sempiternæ beatitatis, vbi anima secundùm intellectum atq; affectum Deum habet præsentem, nullo opùs sit vmbratili figuratiuoq; cultu, sed oĩa perficiuntur laude: secundùm illud Esai. 51. Si gaudium & lætitia inueniuntur in ea, gratiarum actio & vox laudis. In statu autem prę sentis vitæ, vbi absentes ab illo cõspectu exulamus, necesse habemus radijs eiusdem diuinæ veritatis sub sensilib⁹ figuris illustrari: vt 1. cap. Cœlest. hierar. author est Dionys. diuersimodè tamen secundùm diuersum statum cõditionis humanę. Nobis quippe sub lege degentibus Euangelica, quia etsi veritas ipsa non per se elucescat: tamen via iam patula est, & per Christum reuelata, nullis alijs operæpretium est figuris, quàm æternæ illi⁹ beatitatis quæ nos etiamnum futura manet. Veterem autem populum, cui nõ solùm diuina per se veritas, verùm & via quæ futur⁹ erat Christus, vti ad Hebr. 7. ait Apostolus, nondum erat propalata, quàm maximè decebat in illo versari exteriori cultu, qui nõ solùm figura esset sempiternæ veritatis in patria contuendæ, verùm & Christi etiam qui futur⁹ erat via, veritas, & vita: nempè vt tam diuturno tamq; celebri rerum vsu populus ille assuetus & admonitus venientem posteà veritatem promptissimè reciperet. Vnde Paul. ad Hebr. 10. quò discrimen antiquę legis & nostræ insinuaret, vmbram, inquit, habens lex (scilicet vetus) futurorum bonorũ, non ipsam imaginem rerum: videlicet qualem nos habemus. Elongatior enim à veritate est vmbra, quàm imago, quæ eam germaniùs exprimit. *Dionysius.* *Paulus.* ¶Tertia conclusio: Condecens etiam fuit vt non vna tantùm ceremonia, sed multijuga earum varietate populus illi occupatus esset, diuinoq; cultui mancipatus. Congruitas enim huius tam ex iniquorum necessitate quàm ex iustorum perpenditur. Illi enim qui ad idololatriam procliues, erant quoniam idololatrarum superstitiones multifidæ erant, necesse habebant econtrario ceremoniarum multitudine institui, vt in illis occupati non illa auêrent quæ inter Ethnicos cernebant. Sed & boni atq; ad diuinorum cõtemplationem acliues, nihilo minùs congeminatis ceremonijs erant imbuendi: tum vt assiduitate illa in diuina contemplatione persisterent, & varietate recrearentur: tum etiam vt Christi multijuga mysteria multiplici ceremoniarum cultu identidem prospectarent. *Tertia cõclusio.* ¶Quarta conclusio: Et si variæ fuerint multiplicesq; priscorum ceremonię, ad quatuor tamen capita reducuntur, quæ sunt sacrifi- *Quarta cõclusio:*

Secunda cõclusio. *Probatio.*

cia, saeramenta, sacra, & obseruantiæ. In cultu nanque tria est considerare, Primum quidem in quo eius substantia posita est: videlicet sacrificium quod in Dei reuerentiam offertur. Secũdò instrumenta: vt templum, vasa, aliaque eiusmodi. Et hæc dicuntur sacra, hoc est anathemata: puta diuino cultui mancipata & consecrata. Tertiô, cultores ipsi in quibus duo dignoscuntur: videlicet cõsecratio vel totius populi, vel singularium ministrorum. Et hæc sunt sacramenta, quibus vel populus sanctificatur, vel consecrantur ministri. Et rursùs singularis eorum habitus & famulatus: qua ab exteris secernuntur, qui non sunt eiusdem religionis, tum quantum ad cibos, tum etiam quantum ad vestimenta. Atq; hæc dicuntur obseruantię. Hæc igitur quatuor species sub vno ceremoniarum genere concluduntur.

Ratio conclusionis.

ET per hæc patet argumentorum solutio. Ad primum enim respõdetur quòd illa ciborum abstinentia vestimentorumq; habitus ad diuinum cultum conferebant. Non quidem per se primò vt sacrificia, sed quasi præparatoria ornamenta: quamobrem sub genere etiam ceremoniarum continentur. ¶ Ad secundum respondetur quòd diuinorum arcana non sunt quibuslibet inuulganda. Quocircà à mussitando atque à labiorum compressione mysteria dicuntur. Aliàs, vti Christus admonuit, esset margaritas porcis inculcandas proijcere. Nam quæ homo non capit, illicò spernit. Obidque figurarum schemata & rerum typi nõ sunt scripturæ sanctæ incongrui. Imò sicuti in theatris homines sensili repsentatione cõtuẽtur quæ nudo intellectu capere nequeũt: sic & in scriptura est operæpretium. ¶ Ad tertium respõdetur quòd sicuti ægroto corpori dum vna nõ sufficit medicina, alia ac sub inde alia adhibetur: ita & in illis ceremonijs, quæ vt suprà diximus, de se non iustificabant, sed egena erant & infirma elementa, fieri necessum erat. Et ideò tanquàm sapiẽs legislator consultius Deus duxit transgressiones aliquas multitudinis ceremoniarum permittere, quàm vt si otio populus ille vacaret, in idololatriam collaberetur. ¶ Ad quartum denique iam reddita est ratio distinctionis illorum quatuor. Nostrum eñ sacrificium Christum ipsum continet: quod est proinde sacramentum: non sic autem sacrificia veteris legis. Ideoq; alia erant sacramenta, quibus suo gradu purgabatur expiabaturq; populus, atque alia sacrificia. Item solennitates quodammodò ad sacra pertinebant: sicuti templa sacra. Offerebantur enim sacrificia, sicut in loco certo, ità & statis temporibus.

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ argumentũ

Ad tertiũ argumẽtũ.

Ad quartũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm singulis istis ceremoniarum speciebus reddi possint legitimæ causæ

SVBSEQVITVR IN secundo articulo vt de causis ceremoniarum cursim saltem dicamus. Quæritur ergo an causas habuerint vllas. Et arguitur à parte negatiua. Super illud ad Ephes. 2. Legem mandatorum decretis euacuans, ait glossa, decretis Euãgelicis ob id esse euacuatas obseruãtias antiquæ legis, quòd ex ratione sunt: illæ ergo per contrarium sensum ratione carebant. Præsertim quòd si ratione pollerent, moralia fuissent. Nam quicquid ratione constat ex principiis naturæ deducitur, ex quibus morales præceptiones oriũtur. ¶ Secundò arguitur, quòd saltem nullam habuerint literalem causam. Enimuerò si cæremoniæ vniuersæ non nisi signi, figuræq; rationem habebãt, non alia in illis existebat ratio quàm per res illas futura præsignare, atque adeò nullam habebant causam quæ secundùm primæuum significatum literæ existeret. Idque ex ipsis legis verbis cõfirmatur. Nam si qua erat ceremonia quæ causam haberet literalem, maximè vel circuncisio vel Phase Paschæ. De priori autem legitur Genes. 17. Vt sit in signum fœderis inter me & vos. De posteriori verò Exod. 13. Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos: ergò alia multò minùs habebant literalis causæ. ¶ In contrarium autem est quòd non solùm sacramenta & sacrificia figuram gerebant Christi, verùm & historiæ ipsæ: vt transitus maris rubri, peregrinatio deserti, atq; id genus reliqua. De his quippe ait Paul. 1. ad Corinth. 10. Omnia in figuram contingebãt illis: sed in historijs præter mysticum intellectum inerat etiam literalis: ergò & ceremoniæ causam habebant literalem.

Primum argumentũ.

Glossa.

Argum.

Paulus.

AD

prima conclusio. AD quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior: vniuersus ceremoniarũ ritus Mosaycæ legis ex debito fine ducebat suas causas. Conclusio hæc in cõ

Suadetur cõclusio. perto cuicunque est qui crediderit legem il lam opus fuisse Dei: quod suprà contra Manichæos iam constitutum est. Nam cùm Deus cuncta sua sapientia gubernet, sapien-

Philosopus. Paulus. tis autem secundùm Philosophum. 1. Meta. sit res ordine, fit vt quæcunque à Deo procedunt, vt Apostolus ad Roman. 13. inquit, ordinata sint: ordo autem cuiusque rei duo exigit: priùs vt debito sit fine instituta. Nam illa quæ vel non seriò fiunt, sed iocò: vel non consultò, sed præter finis intentionem eueniunt, ob defectum ordinis ad finem, dicuntur inordinata & temerè facta. Secundò etiã oportet & id quod ad finem quempiam refertur, proportionem ad illum habere debi-

Aristot. tam. Quemadmodùm enim. 2. Physicor. ait Aristo. formam dentatæ serræ ex fine sumi, sic in practicis mediorum ratio ex fine ducitur. Igitur cùm lex opus sit diuinæ sapientiæ, fit vt vtrunque rationis ordinẽ habeat. Quapropter Deuterono. 4. Hæc, inquit author ipse legis, est sapientia vestra, & intelli-

Vltima conclusio. ctus coram populis. ¶ Posterior conclusio. Nullam credibile est fuisse ceremoniam antiquæ legis quæ non habuerit vtrũque sen-

Discrimen inter sensũ literalem et mysticum. sum & causam: nempe & literalem & mysticam. Ad cuius intellectum notandum est, vt inter proloquia super Matt. fusiùs explicuimus, sensum literalem & mysticũ sic differre quòd literalis est quo literæ ex sua institutione vel primæua vel metaphorica res ipsæ significant: mysticus verò est quem res per literas significatæ rursus significãt. Exẽpla sunto. Historia illa Geneseos quòd Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla & alterum de libera, ad literam res gestas enarrat. ¶ Rerum autem historia Paulo ad Galat. interprete, duo per allegoriam significabat testamenta. Rursus illud Esaiæ. 7. Ecce Virgo concipiet, & c in sensu literali proprio cõceptuur prænuntibat Deipatæ Virginis. Illud autem cap. 11. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascender: in sensu itidem literali, sed tamen improprio, hoc est per metaphoram, eundem Virginis partum significabat. Sed virga Aaron, quæ vt refertur Numer. 17. efloruit, in sensu mystico & allegorico typus erat & figura eiusdem

Probatio cõclusionis. rei. Hoc præhabito interpretamento probatur conclusio. Cultus antiquæ legis hoc, vt suprà dictũ est, à nostro differebat, quòd noster non est vmbratilis, tametsi imaginẽ gerat triũphantis Ecclesiæ: ille verò ad duos erat institutus fines: nempè & ad exhibẽdũ Deo honorem debitum, & ad prænuntiandum futurum Messiam. Quemadmodùm enim prophetarum oracula prædicationes futurorum erant: sic & tota legis illius historia nihil aliud apparebat quàm theatrum quoddam vbi futurorum comœdia agebatur. Hinc ergo fit totum illum ceremoniarũ apparatum, & causam habuisse sensumque literalem, sed ad euitandam idololatriæ impietatem, siue ad commemorandum beneficiũ aliquod: vt obseruatio sabbathi. Et præterea figuralem. Quemadmodum esus agni & beneficij liberationis ex Aegypto præsagiũ vmbraq; erat, & occidẽdi Christo figura.

Ad primũ argumentũ. AD primum igitur argumentum respondetur, eatenùs ceremonias illas cum nostris collatas censeri nõ habuisse rationem. quod natura sua nihil referebant: impertinens enim erat hæc aut illa mactari animalia, vestemq; non texi ex lino & lana: sed totam causam habebant ex institutione. Lex autem nostra, quia in charitatis officijs posita est, à natura ipsa rerum rationem ducit. Ob idq; illa non dicuntur moralia: nõ quòd nullam habuerint rationem, sed quòd eorũ probitas & laus non fuerit de natura rerum deprompta. *Ad secundum.* ¶ Ad secundum respondetur quod sicut sensus metaphoricus nihilo minùs est literalis, quàm proprius: quia vterq; per literam significatur, sic quòd res institutæ sint ad beneficium commemorandum non tollit literalem sensum. Quapropter nil vetat, quo minùs causa literalis circunsionis illa fuerit, vt monumentum esset fœderis pacti cũ Abrahã, causaq; esus agni, vt esset memoria liberationis populi: licèt per allegoriã aliqd præterea in nostra futurũ præmõstrassent. Causas ergo vtriusque generis doctissimè ac locupletissimè diuus Tho. figillatim *D. Thomas* in singulis ceremoniarum enarrat. 2. q. 102. arti. 3. & tribus sequentibus: discurrendo per quatuor suprà dispositos ceremoniarum ordines: sacrificiorũ enim literalis causa duplex *Duplex causa literalis sacrificiorũ antiquæ legis.* erat: videlicet vt per illa mens humana in Deum subleuaretur ad repensenda beneficia de eius largitate suscepta: ideoque offerebatur genus ferè omne victualium, nẽpè animalia, panis, vinũ, oleum, & mel. Thus præterea & sal quibus nos Deus pascit: secundũ:

illud.1.Paralipo.29.Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus,dedimus tibi. Sed quia donorum omnium maximũ fuit Christus:sic enim Deus,vt est apud Ioan. dilexit mundum vt filium suumvnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat:sed habeat vitam æternam: causa mystica illorũ sacrificiorũ idẽ erat Christus. Vnde ad Heb. 10. sacerdos veteris legis eadem proferebat hostias,quæ nunquàm possunt auferre peccata.Christus autem pro peccatis obtulit vnam in sempiternum. Offerebantur autem ex animalibus tres quadrupedum species, scilicet,oues,boues,& capræ. Ex auibus verò turtur & columba. sed ex piscibus, quia extra aquas viuere nequeunt,nullus reputabatur sacrificio idoneus. Occidebantur autem in figuram Christi qui in cruce erat immolandus.Quare & modus præscribebatur occidendi,vt à Gentilibus differrent. Offerebanturq;,tum vt holocausta in honorẽ Dei, tum etiam ad expianda peccata,eundemq; ipsum pacandum ac propitiandum. Vnde illæ dicebantur hostiæ pacificæ,hæ verò pro peccato. ¶Sacrorum quoque,nempè templi,vasorũq; ac solennitatũ,in quibus sacrificia offerebantur,causa quoq; vtraq; assignatur.s.tam literalis quàm mystica. Habuit enim populus ille quando per desertum vagabatur portatile tabernaculum: posteà verò in possessionem missus terræ promissæ, templum.Nam ad literam neque oberrãtes fixum habere poterant templum,neq; quiescentes decebat tabernaculum habere mutabile.Sed quantum ad figuram, tabernaculũ significabat militantium peregrinantiumq; in hoc mundo Ecclesiam: tẽplum verò sempiternum cœlestium cœtũ. Vbi sicuti neq; in extructione templi nullus vel mallei sonitus vel securis audiebatur, nullus erit luctus neq; clamor neq; strepitus:sed quemadmodùm in hac militia,charitatis iustitiæq; officijs ac pœnitentiæ fructibus per Dei fauorẽ se quisq; exercuerit,dolaueritque & expoliuerit:sic omnes diuina dispositione collocabuntur. ¶Quòd autẽ non nisi vnicum illis templum concessum fuerit, rationem sanctꝰ Thom.assignat vt à diuersis lucis atque aris diuersorũ Deorum, quos ethnici colebant, abstinentes,vnum verum profiterentur. At verò subiicenda alia non est, quam Chrysosto.in homi.aduersus Iudæos disertè meditatus est.Prohibebantur enim pascha & festa nisi Hierosolymis vnoque tẽplo celebrare, vt Deuterono. 16. & apud Iosephum lib.3. cap.13.constat:eam inter alias ob causam, vt eodem posteà per Titum & Vespasianum diruto,neq; vnquàm deinceps rædificato, palàm fieret legem illam cessasse. Hac enim de causa dum in Babylone captiui rogarentur Hebræi sua celebrare festa, respondebãt Quomodò cantabimus canticum Domini in terra alienaꝫ quasi dicerent, Nefas nobis est alibi quàm Hierosolymis solennitatesnostras peragere.Id nunc ergo si meditarentur Iudęi, facilè adducerentur vt crederent legẽ illam esse abolitam: quippe cuius sacrificia, sublato templo,antiquata sunt. ¶De vasis candelabrisq; ac reliquis, vide apud S. Tho. ac subinde de solennitatibus: quæ præter quotidianum festum quo mane & vespere immolabatur agnus,vt Num.28.&.39. legitur,septem erant:videlicet,Sabbathũ hebdomadibus singulis. Et Neomeniæ in singulis mensium initijs: & solennissima celebratio paschalis agni, quæ fiebat in memoriam liberationis de Aegypto. Et quinquagesimo inde die Pentecoste,in memoriã datæ legis. Et quinta,festum tubarum in mense septimo,scilicet Septẽbri. Nam Martius erat primus,in memoriam liberationis Isaac per arietem,quem Abraham vidit inter vepres,vt legitur Gene.22.cornibus hærentẽ: illa quippe cornua tubis illis referebant. Et festum scenopegiæ:hoc est tabernaculorum, ad cõmemorandum beneficium diuinæ protectionis per desertum. Ac demum septimum collectarum festum: quando scilicet colligebantur expensæ diuino cultui necessariæ. ¶Tertio loco & sacramentorũ quoque causas est ambas facile assignare. Nam per circunciſionem totus populus ab originali mũdabatur instituebaturq; ad Dei cultum.

Quare & quod nobis baptismus, illis erat circunciſio:nempe legis professio.Mox succedebat esus agni paschalis,quo nostrum refectionis sacramentum significabat.Et præterea victimarum solutio, esusque panum propositionis, quæ peculiaris erat sacerdotũ cultus. Atque in figurã aliorum quæ nobis sunt sacramenta,erant purificationes & ablutiones. ¶Demum neque obseruantiarũ, scilicet ciborum delectus ac vestium tam populi quàm sacerdotum, deerant suæ causæ, siue literalem cõsideres,siue mysticam. Hæc autem omnia peregregia mentis attentione vigilantisimaq; diligentia & explicatione diuus Thom,loco citato edisserit. Quapropter

Ioseph.

S. Thomas.

Numerus veterum solennitatum. Sabbathum. Neomenia. Pascha. Pentecoste. Festũ tubarum.

Festum Scenopegiæ.

Festum collectarum.

Causæ sacramentorum.

Causæ obseruantiarum.

Ratio literæ pariterque mysticæ sacrorũ tẽpli.

Alia ratio tẽpli secũdũ Chrysosto.

pter cùm nihil nos ei lucis adhibere valeamus, moleſtiæ potiùs onerique lectori eſſemus quàm oblectamento ſi longiorem hic moram traheremus.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm legis antiquæ ceremoniæ, vel ante legem extiterint, vel ſub lege iuſtificarent.



VBſequitur vt de ceremoniarũ tam tempore quàm virtute cõſiderationem ſuperioribus adiũgamus. Arguitur enim quòd ceremoniæ fuerint ante legem. Primùm quòd, vt legitur Geneſ. 4. Cain & Abel obtulerunt munera Domino: quod genus ſacrificij erat atq; holocauſti in honorẽ Dei. Item & Noe, vt legitur Gene. 8. & Abraham, vt habetur ibidem cap. 22. Et quantum ad ſacra, Abraham etiam Geneſ. 13. & Iacob *Tertium.* Gene. 28. extruxerunt altaria. ¶ Item tertiò: Circunciſio, quæ fuit ſacramentorum ſummum ante legem datam pręcepta fuit Abrahæ Geneſ. 17. & Melchidech in lege naturæ, vt legitur ibidẽ cap. 13. erat ſacerdos Dei ſummi. *Quartum.* ¶ Prætereà quòd ſub lege ceremoniæ illæ iuſtificarent, videtur colligi ex illo Leuit. 10. Quomodo potui placere Domino in ceremonijs mente lugubri? Vbi Aaron excuſauit ſe apud Moyſen quòd propter mœſtitiam occiſorum filiorum non poterat ſacrificio ſuo Deo placere. Colligitur ergo contrarius ſenſus, quod aliquãdo placebat. Qui autem Deo placet, iuſtificatur apud ipſum. Acceditq; & verbum Dauidicum: Lex Domini immaculata cõuertens animas. ¶ In cõtrarium autem eſt Apoſtolus ad Galat. 2. Si data eſſet lex quæ poſſet iuſtificare, Chriſtꝰ gratis mortuus eſſet, id eſt ſine cauſa. Quod blaſphẽmum eſſet concedere.

AD quæſtionem quatuor concluſionibus reſpondetur: dum modò duo ante legẽ diſcernamus tempora: ſcilicet quod Abrahæ anteceſſit, & ꝙ ab ipſo vſq; ad Moyſen ſucceſſit. Duæ enim illæ ætates quæ defluxêre ab orbe condito vſq; ad Diluuium, & inde vſq; ad Abraham, ſtatum Gentium continebant merè naturalem: nam cum Abraham cœpit Deus peculiariter de ſalute humani generis tractare. Sit ergo prima cõ- *Prima concluſio* cluſio. Nulli fuerunt vnquàm mortaliũ qui bus non ſuæ eſſent diuini cultus ceremoniæ & ritus. Non inquam auctoritate poſitæ ſupernè diuinæ legis, ſed ratione naturali magiſtra. Cùm enim natura genus noſtrum doceat Deum eſſe colendum, inde diuerſæ nationes diuerſos cultus pro ratione ſuæ fidei quam de ipſo concipiunt inſtituunt. Sicuti ex inſtinctu quo illectantur ad quietum ſtatum reipublicæ, iudicia quoque legibus ſanciunt. Iam enim ſæpe ſuprà dictum eſt, ceremonialia & iudicialia non concludi ex primis principijs naturæ ſicuti moralia, ſed arbitramento humano conſtitui. Atq; inde fit vt cùm ius naturæ atq; gentium idem ſit apud omnes, ceremonialia tamen ac iudicialia non ſint niſi varia. Et cùm cultus non niſi per ſacerdotes adminiſtretur ac diſpenſetur, iuxta verbum Pauli Heb. 8. Omnis pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur: nulla fuit perinde natio quæ ſuos non haberet ſacerdotes. Quod quidem ſacerdotium vel iure primogenituræ ſuccedebat: vt de Melchiſedech fertur, qui fuit Sem primogenitus Noe: & in hiſtoria Iacob adnotatur, qui ab Eſau primogenito ius primogenituræ ob id coemit quod ſacerdotium illi, tametſi minori, Deus tribuerat: iuxta illud Malachiæ. 1. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quin verò non eſſet futilis cogitatio ſi & hanc quoq; cauſam meditaremur indignationis Cain aduerſus fratrem, quòd cùm ipſe eſſet maior natu, ac perinde legitimus ſacerdos, nihilo minùs fraterna oblatio præſua haberetur Deo grata. Inter Romanos autem non ità conſtat iure primogenituræ ſacerdotes ſucceſſiſſe: nam creabantur à populo. Et de Aegyptiorum inſuper ſacerdotibus retulit hiſtoria ſacra Geneſ. 41. Quod autem de cultu affirmamus de quatuor ſubinde ceremoniarum ſpeciebus intelligimus. Habuit enim vna quælibet gens ſua ſacrificia quibus diuinum honorem profitebantur: ſuaque altaria, & aras, & lucos eiſdem ſacrificijs ſacratos. Inſuper & ſacramenta: ſaltem illud commune quo ab originali ſe & ſuos pueros emundabant. Non inquam ſic commune vt vnum eſſet cunctis gentibus: nam cùm illud neq; diuinitùs fuerit toti orbi reuelatum, neq; ex principijs naturæ illatũ, cùm originis labes, vt. 1. lib. de natura & gratia diximus, non fuerit naturaliter cognita: ſed erat ceremoniale, conſequens fit vt non fuerit idem apud omnes: ſed vbi ratio naturalis ſuam obtinebat lucem, oblationes inſti- *Ratio concluſionis.*

tutæ

tutæ erant pro paruulis. Vbi verò erat obnubilata, nullum habebant tale sacramentum. ¶Ad hæc & suas quoq; religionis obseruantias vnaquæq; natio habuit: vt ethnicorum quoq; historiæ perpetuæ memoriæ prodiderunt. ¶Quin verò secunda subnectitur conclusio. Supra naturalem instinctum fuerunt insuper nonnulli proceres inter gentes quibus præclariùs diuinus radius affulsit. Vt de Iob nos confitemur,& de Sibyllis, & de Hermête Trismegisto traditur: quorũ vtique sapientia eiusmodi ceremoniæ instituebantur. Hæc nihilo minùs,quia non diuina lege scripto sancita erant,non simpliciter censentur ceremoniarum nomine: sicuti sacramenta scriptæ legis. ¶Et per hoc respondetur ad primum argumentorum ordinem de Cain & Iacob & Abraham Præterquàm ad illud circuncisionis, quod quidem sacramentum fatendum est,nõ pertinuisse ad legem scriptam quantum ad eius institutionẽ sed quantum ad eius tantũ obseruantiam. Nam institutum fuit ætate Abrahæ multò ante Moysen. Vnde Christus Ioannis.7.Nõ ex Moyse est circuncisio,sed ex patribus. ¶Tertia conclusio: Sacramenta legis veteris à solis carnis sordibus &,quas dicũt, irregularitatibus corpus emundabant: non tamen à culpis animam. Erant quippe legales immũditiæ plurimæ,vt puta leprosus,& qui morticinum tangeret, & puerpera, & quæ profluuium sanguinis pateretur: & similes in quorũ ablutionem illa erant sacramenta instituta:ob hoc enim appellat illas Paulus ad Hebr.9.iustitias carnis quæ vsque ad tempus correctionis imponebantur. Nam sanguis,inquit,hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Secundum autem cõclusionis membrum vltimo articulo quæstionis tertij attactum est. Illic enim rationẽ ostendimus cur præcepta moralia illius legis non iustificabant: in quo & nostra cum illis conueniunt:id est per se non remittebãt peccatoris delicta:quoniam opera sunt naturalia:remissio verò peccatorum per gratiã Dei fit supra naturam. Illius tamẽ nostræq; legis sacramenta hoc distant,quòd cũ Christus tunc nondũ fuisset passus,cuius mors fons perrennis est totius gratiæ, sacramenta illa non erant instrumenta quibus realis passio applicaretur:sed applicabatur per fidem per modum finis,in quem omnia illarũ opera referebantur. Ob idq; non circũcisio, sed fides per illã protestata sanctificabat. Neq; oblationes hostiarum, sed eadem ipsa fides, secundùm illud Leuit.4.&.5. vbi dum earũdem oblationum habetur mentio, subditur: Orabit pro eo sacerdos& dimittẽt ei. Quasi noxia non sacrificiorum vi,sed per fidem & Dei gratiam condonaretur. Et ideo appellabat ad Galat.Paul. sacramenta illa, infirma egenaq; elementa. Nempe quòd non illa sed fides iustificabat. Atque hoc mihi Paul. illo verbo docuisse videtur. Credidit Abraham Deo,& reputatũ est illi ad iustitiam. Ostendit inquam quemadmodùm iustitia illius legis non circuncisione, quæ Abrahæ præcepta fuit,sed fidei nitebatur per illam professæ. Nobis autem passio iam exhibita per sacramenta applicatur: quibus ideo ceu eius instrumentis iustificamur. At verò gratia illi iustificati,perinde atq; nos, per cuncta legũ opera merebãtur,seu ceremonialia essent seu moralia,seu iudicialia. ¶Quarta conclusio:Expurgatio illa sacramẽtorum illius temporis à lue corporalium sordium,& si rationem aliquam haberent naturalem, tamen potissima erat in nostri mysterio posita. Literalis inquam in leprosis atq; alijs qui venenosis morbis inficiebantur,eratvt eorũ cauretur cõtagio. Hac enim ratione è castris pellebantur, neq; recipiebantur nisi iudicio sacerdotum essent mundi. Illi autem qui morticinum tangebant,licèt non ejcerentur è castris, propter horrorem tamen non admittebantur in templo,nisi loti. Attamen princeps profectò causa fuit præmonstrare mundationem per Christum futurã à peccatorũ tabe:vt Apostolus ad Hebr.7.vsq; ad.10. latè disserit. Est enim in illo ritu complura animaduertere, quæ nisi figura essent nostri, pro miraculis haberentur. Primùm leprosorũ, aliorumq; contagione laborantium frequentia,qualis non est inter nos. Mox diuina cura impensaq; cautio in illis abigendis atque euitandis. Tertiò q illorum iudiciũ sacerdotibus esset mandatum,sine quorũ sententia non admitterentur in templũ. Quod Christus adeo duxit sanctum,vt quibus ipse medebat, ad sacerdotes nihilo minùs remitteret. Cùm tamẽ negotium illud Medicorũ potiùs quã sacerdotũ munus esse videretur: Atque eò potissimùm quòd ceremoniæ illæ nullam vim habebant naturalem curandi lepram aut sanguinis fluxum. Quin verò nõ adhibebãtur quousq; leprosus mundus iam censebatur. Sic enim audiendũ est verbum Leuit.

Secunda cõclusio.

Ad primũ argumentũ

Tertia conclusio.

Paulus.

Quarta conclusio.

Paulus. Perplurare peries in ritu veteris legũ quæ nisi figura esset nostri prodigiosa censerentur.

Leuit.14. Hic est ritus leprosi quando mundandus est, id est quando iudicandus est esse mundus. Subsequitur nanque, Cùm sacerdos egressus de castris inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, id est, pronuntiatur esse sanus, vt offerat &c. Quare non constituebantur vt medici ad sanandum, sed vt iudices ad ferendum sanitatis sententiam quo ideo credendi sunt testimonio medicorum fuisse vsi. Quare leprosi non nisi naturali via sanabantur & medica opera. Rarissimè antem per miraculum: vt de Maria Moysis sorore legitur Nu.12. quæ septem diebus cooperta fuit lepra vt niue. Quod enim vulgari opinione fertur, quando sacerdotes errabant iudicantes quempiã nõ esse leprosum, tunc, licèt nõ virtute oblationis, tamen beneficio Dei eum miraculosè sanari, apocryphum est. Ille ergo sacramẽtorum ritus ad significandum munus Christiani sacerdotij in expiãdis piaculis fuit institutus. ¶ Ad postremum igitur argumentum respondetur quòd opera legis ũ ex gratia fiebant, tanquàm Dei placita conuertebant animas: tamen legales ceremoniæ neq; adhibebantur ad mundandum corpora neque ad animas purificandas.

Ad postremũ argumẽtum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ceremoniæ veteris legis sic in Christi morte cessauerint vt inde citra mortale crimen nequeant obseruari.

Primum argumentum

SEquitur in hoc quarto articulo de ceremoniarũ abolitione. Et arguitur quòd ceremoniæ illę cessare nõ debuerint ĩ morte Christi: ita vt deinceps citra mortale crimen nequeãt obseruari. Legitur Baruch.5. Hic est liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum: in qua tamen legũ ceremoniæ etiam comprehendebantur. Id item documento Christi comprobatur: qui etiam dum legem nouam prędicabat, leprosum mundatum (vt modò dicebamus) quasi veteres ceremonias approbans, ad legales sacerdotes remisit. Prætereà ceremoniæ antiquæ, vt dictum est, non modò mysticas, verùm & literales causas habebant: illa ergo ratione erant permansuræ. ¶ Secundò arguitur quòd post ipsum euãgelium licet illa seruare. Apostoli quos post confirmationem Spiritus sancti ex alto non est credendũ peccasse, more seruârunt prisca legalia. Nã, vt legitur Act.16. Paulus circuncidit Timotheũ. Et vt.21.cap. habetur, consilium auscultãs Iacobi assumptis viris purificatus est. Et Petr⁹, vt ad Galat.2. idem Paul. refert, subtraxit se Gentilium consortio: de quo non veretur affirmare Paul. cum vt reprehensibilem insimulasse. Quin verò vt Act.15. memoriæ proditum est, Apostolorum conciliũ imposuit Ecclesiæ, vt abstinerent ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, quæ inter ceremonias illius legis habebantur, ergo nefas Christianis non est illiusmodi ceremonias obseruare. ¶ In contrarium tamen est admonitio Apostoli ad Galat.5. Si circuncidimini, Christus nihil vobis proderit, Christi autem redemptioni obicem ponere, non potest non esse lethale peccatum: ergo circuncidi aliasque subinde ceremonias facere post Christi passionem, peccatum est: idèq; graue, vt pote Christo iniurioſum.

Secundum.

SVperiores articulos, tum quòd prolixũ postulabant sermonem, tum præcipuè q apud diuum Tho. optima erant & luce conspersi, & amplificatione ditati, cursim perfunctorieq; tetigimus: hic autem ampliorẽ exigit scholasticam disputationem: cui ideo explicando impensiorem nauabimus operam. Ad plenam ergo quæstionis responsionem quatuor sunt conclusiones necessariæ. Prima. Lex Moysi per legem Christi cessare debuit, atque adeò omninò cessauit. Cõclusionem hanc multis in locis asseruit Paulus, Cui Deus inter Apostolos negotium interpretandi legem veterem potissimè demãdauit: vt ad Hebr.7. Translato sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat. Et cap.8. Nouum testamentum veterauit prius. Et ad Ephes.2. legem mandatorũ decretis euacuans.

Prima conclusio.

Paulus.

Sed non opùs est in articulo fidei testimonia multiplicare. Rationem autem iam suprà ar.2. aperire cœpimus inter reddendum rationem cur debuit lex illa esse figuralis. Cùm enim exterior cultus causa interni declarandi ac profitendi sit institutus, secundùm triplicem statum trifarius est cultus. In patria nanq;, vbi nihil speratur futurum, nihil opùs est cultu futurorum prognostico. Legi verò euãgelicæ, cui præsens est Christus, qui nobis illuc communiuit viam, ille tantum cõpetit qui imaginem illius triumphan-

Ratio conclusionis.

phantis Ecclesiæ gerat,quò fide de spe tendi mus.Sed tamen antiquis, quibus non præsens,sed promissus Messias erat, ille cõgruebat cultus,qui vmbra illius esset, per quem erant ad eandem beatitudinem promouendi.Quo vtiq; assueti idonei essent atq; prompti ad ipsum suscipiendum.Igitur sicuti præsente veritate cœlesti fides prorsus spesq; cessabit,atq; adeò figuralis noster cultus:ità presente veritate sole,nempè Christo, necesse fuit eius vmbram aboleri. Enimuerò lex illa non erat in perpetuum posita, sed quousq; veniret plenitudo temporis, vt autor est ad Gala.Paulus. Quare vt lib.1.q.vlti.diximus, ille vnus est sensuum Christi in illo verbo. Non veni soluere legem sed adimplere:id est non veni illam abrogare aut infringere aut tollere, quasi esset perpetua: sed adimplere, id est ad complendum tempus quousq; erat posita, perficiendasq; veritates quarum gerebat vmbras,vt exoleuisse noscatur. ¶ Secunda conclusio. Non modò lex quantum ad ceremonialia & legalia cessauit, verùm si vim illius obligatoriam spectes,tota tunc tẽporis antiquata fuit. Enimuerò absque vllo exceptionis modo ait Christus,translato sacerdotio,trãslatam esse legem: & nouum testamentũ prius inueterasse.Et Christus simpliciter dixit, Consummatum est. Hanc secundam conclusionem in hoc subiecerim, vt plana fiat intelligentia illius vulgati axiomatis.Lex cessauit quantum ad ceremonialia & iudicialia:non autem quantum ad moralia. Etenim si hunc sensum inde hauseris quòd obligatoria vi antiquæ legis tenemur nos seruare decalogum vel præceptũ aliud morale,falsissimum est.Illa enim lex illi dũtaxat populo posita fuit,à cuius vinculo nos Christus liberauit,vt Apostol.ad Roman.7. docuit, Exemplo viduæ quæ mortuo coniuge iure matrimonij libera est. Vbi nullam facit moralium exceptionẽ.Sensus ergo illius vulgaris asserti est quòd moralia non cessârunt ob id quòd erant de iure naturæ, quæ vniuersos obligat mortales: quibus etiam tenebantur olim gentes:licèt non virtute Mosaycæ legis.Itâq; nullum testimonium veteris legis potest adduci Christiano quantum ad vim obligandi: sed tanquâm testimoniũ legis nostræ.Ob hoc nanque vetus instrumẽtum in sacro canone reueremur ac veneramur. ¶ Tertia conclusio: Ceremonias legis veteris nullatenùs iam modò licet post euangelij promulgationem obseruare: sed esset mortale peccatum,atque adeò hæresis contrà facere. Conclusio ex superioribus plana illatione colligitur.Ceremoniæ enim,vt dixi mus, protestationes quædam erant venturi Messiæ. Nam confessio fidei non modò verbis, verùm & significatorijs factis fit: fides autem quam nos de Christo confitemur eadem est prorsus quam profitebantur antiqui:non modò quia de eodem est Christo, verùm quòd eadem veritates ambo populi confitemur.Nempe eius natiuitatem, passionem, resurrectionem &c.tamen per enuntiationes diuersi temporis.Fatebantur enim illi veritatem illam Isaiæ. Ecce Virgo concipiet & pariet filium.Nos autem similem euãgelicam,quod concepit & peperit. Igitur sicuti qui modo adstruere Christum nasciturũ,passurum,& resurrecturum, impius esset in fidem, quoniam falsitatem fidei contrariam affirmaret: sic & ille qui ceremoniarũ gestis idem assereret. Vnde contra Faust.Augustinum nanque,vt in epistola.19. videre est,Hieronymum de hac re in litem euocauit.Inter quos hoc deprehẽditur discrimẽ quod Hierõ.duo tantùm dignouit tempora antiquæ legis. Alterum scilicet quod vsq; ad passionis articulum defluxit, quo legalia cuncta vitam habuêre,vigoremq; suum obligãdi retinebant. Alterum verò ab eodem passionis momento vsque ad finem sæculi decurrens, quo & mortua sunt & mortifera. Itâq; cùm primũ extincta sunt,lethifera esse cœperunt. Quapropter negauit vllum Apostolorum post Christi ascensum seruasse legalia: sed id tantùm asserit simulasse.Augustin. verò tria secernit tẽpora: Primũ quo cum Hieronymo cõuenit,scilicet quòd ante passionẽ viuentia fuerint ac perinde obligantia.Secundũ verò quo fuerunt mortua, sed tamen non mortifera:

Paulus. *Secunda cõclusio.* *Tertia conclusio.* *Colligitur conclusio ex superioribꝰ.* *Augustin.* *Prima dubitatio.* *Secunda.* *Tertia.* *Dissidium Augustini et Hieronymi.*

fera: puta intercapedinem illam à passione vsq; ad diuulgationem euãgelij. Tunc nãq;, vt omni erant vi ac virtute destituta: tamen non erant seruatu illicita. Non quidẽ quòd in eis spem liceret salutis statuere, sed quòd mortuam iam tunc synagogam honore illo humari deceret. At verò post sufficientẽ euãgelij promulgationem, quod secundùm Augustin. tertium tempus est vsq; ad finem mundi, & mortua sunt & lethifera. Atq; hæc Augustin. sententia non solùm in scholis plurimùm obtinuit (licèt Adria. 4. senten. q. 1. Hieronymũ pro virili defendat) verùm & à Florentin. Concilio ad literam videtur recepta.

Adrianus. Concilium Florentiũ.

Vbi postquàm sancitur legalia cessasse in aduentu Christi, subditur: Non tamẽ negat (scilicet sancta synodus) à Christi passione vsque ad promulgatum euangelium illa potuisse seruari: dum tamen minimè ad salutẽ necessaria crederentur: Quod miror Adria. non inspexisse antequàm ab Augustino desciscceret. ¶ Ex eodem ergo Augustin. documẽto quod D. Thomas cum Theologorum coætu amplexatur, inferuntur de mente eiusdẽ. S. Thomæ quatuor asserta. Primum. Et si à baptismi institutione vsque ad Christi mortem circuncisio & tota lex vetus permaneret in præcepto, nihilo minùs baptismus erat in consilio. Baptismus nanque, viuente Christo non solùm institutus fuit, verùm & in vsu habitus. Nam Ioan. 3. & 4. refertur quòd discipuli Christi baptizabant: & non baptismo Ioannis, vt notum est. Quoniam de hoc murmurabant discipuli Ioãnis quòd plures discipulos Christus faceret & baptizarent: sed baptizabant Spiritu sancto: de quo ipse Dominus dixerat Nicodemo, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest introire in regnum Dei. Quanuis tunc illum non instituit: quandoquidem priuatim id Nicodemo dixit: Sed est mihi perquã verisimile, sacramentum illud instituisse dũ baptizatus est à Ioanne. Non quidem facto illo, vt aliqui putant: nam ille baptismus non erat sacramẽtũ euangelicũ, sed tñ verbo: licèt non fuerit in euangelio scriptum. Et mouet me verbum illud Baptistæ, Ioan. 1. Ego nescie bã eum: sed qui misit me baptizare in aqua ille mihi dixit, super quem videris Spiritum sanctum descendentem, & venientem super eum, ipse est qui baptizat Spiritu sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Si ergo tunc Ioan. cognouit quòd Christus baptizaturus esset in Spiritu sancto, verisimile fit tunc instituisse baptismum. At satis nobis in præsentiarum est, fuisse tunc in vsu. ¶ Secundum assertum. Statim à passione Christi vel à resurrectione (nam hoc inferiùs explicabimus) sicut circuncisio & tota lex, neque in præcepto superfuit, neque in consilio, neque vllam vim retinebat ad salutem, quia iam erat extincta: sic baptismus & tota lex noua non solùm in consilio, verùm in præcepto esse cœpit: sicuti est modò. ¶ Tertium assertum. Nihilo minùs vsque ad sufficientem promulgationem licitè seruabantur legalia saltem inter conuersos ex Iudaismo, vt ait S. Tho. vt synagoga honorificè traderetur sepulturæ: Nam inter Gẽtiles non erat eadem ratio. Sed & de hoc inferiùs rursus fiet mentio. ¶ Quartũ denique assertum est, post sufficientem promulgationem legem veterem nulla prorsus ratione citra impietatis crimen seruari posse. Atque in his omnibus assertis schola ferè doctorũ diuum Tho. sequitur, vt Richard. in. 4. distinct. 3. art. 5. q. 3. & Duran. distin. 1. q. 9. atque alij ¶ Veruntamen Scotus lib. 4. sen. distin. 3. q. 4. non prorsus cum ipso consentit, sed quadantenus ab eo discrepat. Nempè in tribus. Primum quantum ad baptismum. Quod enim nos dicimus ab eius institutione vsque ad passionem Christi fuisse in consilio: à passione verò illicò cœpisse esse præceptum, ipse negat. Imò ait ab eâdem institutione vsque ad promulgatum euangelium mansisse in cõsilio. Itâque in articulo passionis nihil de baptismo discriminatum est, sed cœpit esse in præcepto post promulgationẽ. Secundò differt quantum ad legalia. Nam quòd nos dicimus perdurasse quantum ad vim obligandi vsque ad passionem, ac tunc fuisse, & quantum ad virtutem & quantũ ad obligationem mortua, ipse abnegat: sed ait circuncisionem non obligasse nisi vsque ad institutionem baptismi: & exinde simul in consilio cucurrisse cum baptismo vsque ad promulgationem euangelij. Itâq; quiuis Iudæorum audiens euangelium posset filium suum vel circuncidere vel baptizare: & vtrũlibet ei sufficeret. Qui verò nihil de euangelio audisset, tenebatur circũcisionis lege ac perinde omnium legalium. Et in hoc tertio differt à diuo Thoma, quòd negat legem veterem fuisse in passione extinctam: imò ait obligasse vsque ad sufficientem promulgationem euangelij, quæ quidem promulgatio cœpit, inquit, in Pentecoste, & durauit per

Quatuor assertа de mẽte S. Thom. Primum.

Verisimile est baptisma institutum à Christo cũ à Ioanne baptizatus est non ipso facto sed verbo.

Secundum assertum.

Tertia assertio.

Quarta.

S. Thomas Richardus. Durandus. Scotus in tribus punctis deuiat à sancto Tho.

per aliquod tempus. Itaq; vbiq; tenebantur Iudæi seruare legalia quousq; ad illos euãgelicum præconiũ personaret. In summa, cum antiqua lex secundum ipsum non fuerit antiquata vsq; ad promulgationem euangelij, neq; noua cœpit nisi tunc esse in præcepto.

Quarta conclusio. ¶ His ergo prænarratis quarta est conclusio nostra: Legum cõfinium, quo vetus desijt ac noua cœpit, fuit tempus passionis. Est autẽ intelligenda conclusio cum suis annexis: cũ cæteris scilicet assertis quæ ei proximè circũscripsimus. Probatur conclusio. Legalia figura erant & vmbra futuræ per Christum redemptionis: vmbra autem, si de visibilib⁹ documentũ petamus, non durat nisi adusq; veritatis lucem: veritas verò redemptionis, in morte & resurrectione Christi perfecta fuit: ergo tunc vmbræ illæ legalium, dicẽte Christo, Cõsummatum est, virtutem suam expirauerunt, vimq; exhalauêre obligãdi. Quin verò tota lex, vt paulò anteà dicebamus. Huc nanq; refertur secundũ omnes expositores, illud Ioannis. 19. Consummatum est: &, velũ in duo scissum, vt Matth. 27. legitur. Omnes inquam illic agnoscunt confinium vtriusq; testamenti. Nempè abolitionis alterius, atq; alterius obligationis. Indecens enim erat & diuinæ prouidentiæ absonum, vt mundus absq; vlla legis obligatione per tempus aliquod duraret, atq; adeò si in morte Christi ruptum est antiquæ vinculum, illic cœpit ligare noua: vel in resurrectione.

Probatio primæ conclusionis.

Secunda. Paulus. ¶ Secundò & visargumẽti irroboratur ex illa tione Pauli ad Rom. 7. vbi ex eo quòd sumus liberati à peccato, infert quod sumus pariter & à iugo legis exempti. Cùm ergo in morte Christi liberi facti simus à peccato, fit vt tũc fueri mus etiã liberi à lege.

Tertia. ¶ Tertio loco accedit eius illic exemplũ. Ait enim quòd sicut mulier in morte viri libera fit matrimonij lege: ità & synagoga in morte Christi à legis obligatione.

Quarta. ¶ Quartò denique id confirmatur verbo eiusdem Apostoli suprà citato. Trãslato sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat, vbi rerum consequentiam denotauit: Christus autem in morte transtulit sacerdotium Mosaycum in sacerdotium euangelicum secundũ ordinẽ Melchisedec: vt ibidẽ Paul. ediserit, docens quemadmodùm Christus assistens pontifex futurorum bonorũ introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuẽta. Quod quidem sacrificium in ara crucis obtulit: ergo tunc facta est legis trãslatio. Per hæc ergo labefactantur omnia tria membra opinionis Scoti: videlicet (vt à secũdo exordiamur) quod circuncisio non obligauit nisi vsq; ad institutionẽ baptismi, quã ipse institutionẽ fatetur antecessisse passionem. nã si lex non fuit extincta vsq; ad passionem, atq; adeò cætera omnia legalia illuc vsq; obligabant, falsum est circuncisionem non eo etiam vsq; eandem vim retinuisse. Id quod prætereà confirmatur ex verbo Christi, Non veni soluere legem sed adimplere. Nam cùm eam vsq; ad mortem non impleuit, si anteà rupisset circũcisionis vinculum, iam legem antequã impleret defregisset. Atque inde pariter repellitur tertiũ eius dictũ: Nẽpè quod eadẽ circũcisio & lex post passionem Christi obligabat Iudæos insçios euangelij. Nam tota lex fuit in passione & resurrectione consummata. Item & primum eius assertũ refutatur: scilicet quod baptism⁹ post passionem nõ erat nisi in consilio. Nam vbi prioris obligatio legis desijt, posterioris cœpit. Aliàs mundus esset sic liber à lege diuina positiua, vt nulli teneretur.

Refutantur assertiones Scoti.

Prima ratio in Scotum.

Secunda. ¶ Prætereà ad idem arguitur. Augustin. & Hieron. licèt aliter dissentiant, tamen in hoc vnanimes sunt q̃ lex vetus in Christi passione primùm fuit mortua, tam virtute quàm obligatione: & quod tunc noua obligare cœpit: affirmare ergo quod circũsio ante passionẽ desijt obligare, & post passionem ignorantes legẽ obligabat: & negare baptismum statim à passione Christi obligare, palàm est cum ambob⁹ sanctis patribus prælium inire. Audi verba Augustin. in epistola citata. Vbi inquit: venit fides quæ priùs illis obseruationibus pronũtiata est, post mortem & resurrectionẽ Domini reuelata, illa sacramenta vetera amiserunt vitam officij sui. Atq; in hoc lubẽter se fatetur adhærere Hieronymo. Adde & glossam super illud ad Hebr. 8. Hostiam & oblationem noluisti. quæ ait, Noluisti, scilicet à tempore passionis. Nam tunc illa displicere cœperunt quando est completa veritas cuius erant figuræ: vt ait ipse Augustin. super Psal. 39.

Glossa.

Prima ratio cõtrà fundamentũ Sco. ¶ Prætereà arguitur contra fundamentum illud eiusdem Scoti. Arbitratur enim tunc legis obligationem incipere quando in notitiam venit subditorũ: quod profectò falsum est: sed tunc incipit obligare cùm primùm publico edicto à principe ponitur. Enimuerò prædicatio Apostolorum nõ fuit positio legis: quia ipsi non erant legislatores euangelij, sed Christi promulgatores, licèt particulares possent alias leges ponere. Vnde in

de in festo Pētecostes nō fuit data lex orbi, sed virtus facultasq; Apostolis ad illam promulgādā. Nā antea dixerat Christus, Ite prædicate Euangeliū: docete oēs gentes, baptizantes eos, q̄d signū est iam tunc obligasse baptismū. ¶Item ad idē arguitur: Si lex neminē obligaret quoaduſq; legē audiret, impropriè ignorātia diceret excusare: nā excusatio nō est nisi ab eo ad q̄d homo tenetur: si ergo ignorātia excusat, signū est, vinculum de se legis ad oēs extendi: sed ignorātia protegit ignorātem à culpa. ¶Et tertiò ad idem arguitur. Sequeretur si qui nōdum audiuit non obligatur, q̄ neq; dum ignorātia fieret vincibilis, ità vt sua culpa nō audiret, obligaretur. Nā quæro quādo cœpit obligari? Ad quod certè respōderi non potest nisi, Quando data est lex, ¶Et quartò ex eodem modo opinādi sequeret q̄ postq̄ quis religatus esset à lege veteri & obligatus nouæ, cōtingere posset sine nouæ mutatione legis, vt rursus absolueretur à noua & teneret veteri. Enimuerò si Iudæus à Hierosolymis distās post Pētecosten audisset legem Christi obligare, cui anteq̄ signa sufficientia videret fidē daret, non tamen leuiter: quod fieri poterat: iā tunc non obligaretur ad antiquam & teneretur nouæ. Si verò posteà pseudo prophetæ contrarium ei dicerent, adhibendo signa testimonia falsa, ità vt citra culpam rediret ad priorem fidem, rursus eximeretur à nouę obligatione & subditus fieret veteri. ¶Et per hoc dissoluitur eius argumentum quo ait: Nullus aliter se habet ad aliquam legem quàm priùs, nisi quia est sibi aliter promulgata: sed ante passionem non tenebātur homines ad baptismum: ergo neq; tenebantur quousque eis fuerit promulgatus: quod vsu non venit statim à passione. Distinguitur nanq; prior præmissa: si enim intelligat, nullum ante promulgationem aliter se habere ad legem quātum ad vinculum obligandi, id abnuendum est. Imò statim vt lex solenniter à principe edicitur, obligat. Si autem intelligat q̄ nemo constituitur in culpa antequàm legem sciat, equidem fatemur: cū temperamento tamē, nisi per se steterit quo minus illam audiret. ¶Sed contra aliud assertum Scoti, nempe quòd post passionem vsque ad sufficientem promulgationem, vtrunque, scilicet circuncisio & baptismus sic concurrerint sub consilio, vt optio fieret Iudæo vtrum suscipere mallet, vrgentissimè (vt arbitror) arguitur. Aut enim id intelligit de Iudæo ignorante euangelium, aut de audiente, qui illud tenebatur suscipere: de priori id non potest dici: nam ille manifestè tenebatur circuncisione. Præsertim secundùm ipsum Scotum qui ait legem veterem obligasse vsque ad nouæ promulgationem. Si autem id intelligat de posteriori, ratio contrarium demonstrat. Nam cùm ille iam nulla excusaretur ignorantia, tenebatur profiteri Christianam religionem: professio autem Christiana fit in baptismo: ergo tenebatur baptizari, atque adeò baptizare paruulos suos sicut modò tenentur Christiani. Alioquin manifestè sequitur q̄ nullus vnquàm Iudæorum etiam si post biennium fidem susciperet teneretur baptizari, neque suas baptizare proles, quod esset concessu absurdissimum. Profectò fateor me opinionem Scoti in hac parte non deprehendere. ¶Sunt nihilo minùs contra istas assertas veritates argumenta non modò Scoti, verùm & alia solutu digna. Et vt ordine successionis temporū procedamus, arguit Scot. q̄ ante passionem cùm primùm baptismus cœpit esse in consilio, obligatio circuncisionis versa est pariter in consiliū. Præceptum inquit baptismi totaliter aufert circuncisionem, reddēdo eam prorsus inutilem ac pernicioſam: ergo & consilium eiusdem baptismi tollit eius necessitatem, relinquendo eā sub consilio. Consequentiam inde probat, quòd si alicuius rei præceptum, prohibitio est alterius rei, eiusdem consilium tollit saltem necessitatem eiusdem rei. Consequētia autem fallacissima est. Tenet enim illic prorsus vbi res illę secum pugnant: vt in virginitate patet & matrimonio. Cui enim præcipitur virginitas, omninò interdicūtur nuptiæ. Et ideo consilium virginitatis tollit nuptiarum præceptum. At verò vbi res vtraq; alteram secum patitur, consequentia non valet. Haut enim orationis consilium in Quadragesima tollit præceptum ieiunij. Cùm ergo lex vsque ad veritatem redemptionis esset posita, non est cur peculiariter circuncisio dicatur per consilium baptismi vim amisisse obligandi. ¶Secundò ad idem arguit: si Iudæus paruulum suum ante passionem fide nostra imbutus baplizaret, non autem circuncideret, paruulus ille euolaret ad cœlum: ergo circuncisio non erat in præcepto. Sed neque hæc consequentia valet: quia pater ipse peccaret non item circuncidendo. Non quidem propter necessitatem

Secunda. *Tertia.* *Quarta.* *Primum argumentum Scoti.* *Solutio.* *Secundū argumetnum eiusdē Scoti* *Solutio argumēti Sco.* *Ratio vrgētissima contra aliud assertū Scoti eum.*

sitatem gratiæ filio conferendæ, sed propter necessitatem implendæ legis. Quemadmodùm & Scotus ipse probè, cõcedit, quòd etsi puer Hebræus ante octauum diem per sacrificium naturale in mortis periculo adhibitum obtineret gratiam, nihilo minùs si in octauo esset superstes, erat vi legis circumcidendus. Sicuti etsi quis modò per baptismũ flaminis Spiritu sancto suffundatur, nihilo minùs habita copia aquæ teneat ipsa tingi.

Argumẽtũ alterum. ¶Sed restat argumẽtum contra illud nostrũ assertũ q̃ baptismus ante passionem tãtùm erat in consilio Iudæus tunc sufficientia expertus miracula & verborum Chrtsti energiam, teneretur eius legem suscipere: Nam si non veniſſem, inquit, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberẽt. Christiani autẽ effici non poterant nisi per baptismum: ergo tenebatur baptizari, atq; adeò baptismũ iam tunc erat in præcepto, subindeq; circũcisio prorsus cessauerat.

Responsio. Ad argumentũ hoc respondetur: illa præmissa peremptа q̃ non posset tunc Iudæus percipere legem euangelicam sine baptismo: quandoquidẽ non percipiebatur nisi pro tempore succedente passionẽ. Et ideo Iudæi omnes qui legem priùs susceperant, statim post resurrectionem ad prædicationem Apostolorũ tenebantur baptizari.

Replica. ¶Sed arguis: ergo Gentiles si ante passionem conuerterentur non tenebãtur statim baptismate ablui. Negatur cõsequentia. Imò cùm illi circuncidi non poterant, tenebãtur baptizari.

Solutio. Quanuis indubiè credẽdum sit Iudæos quoq; ante passionem conuersos illicò sacro fonte intingi vt Christianorũ charactẽre insignirentur. Id quod euãgelico testimonio suprà citato comprobatur, quo habetur Apostolos Christi, viuente Magistro, baptizasse. ¶Alia verò Scoti argumẽta ad probandũ legem veterem post

Argumẽtũ passionem vsq; ad promulgationem euãgelij durasse, post illa quæ dicta sunt, nullũ retinẽt vigorem. Si enim arguas, Iudæus post passionem inculpabili ignoratione euangelij laborãs, tenebatur suos liberos circũcidere: ergo circũcisio, atq; adeò lex tota obligabat.

Solutio. Negatur prior cõsequẽtia, si obligandi rigorem perpendas. Nam cùm simpliciter posset citra culpam nõ circũcidere, vt puta si euangeliũ audisset, nõ simpliciter cẽsendus erat obligatus. At si non placet tam stricto rigore loqui, adhibetur altera responsio, quòd tenebatur, non quidem vi præcepti, sed propter ignorantiam qua laborabat, si-

cuti qui hodie crederet feriam esse sextam, teneretur à carnibus abstinere quanuis feria secunda sit. ¶Et dilucidatur perspicatiùs responsio hæc. Si lex dum Deus Abrahæ circuncisionem præcepit sic iussisset: Omnes tui posteri circuncidentur vsque ad punctũ temporis quo Messias passus resurrexerit: Certè nemo asseuerare posset post illum tẽporis articulũ legem obligare, & nihilo minùs qui articulũ eum ignorassent deberent etiã postea circuncidi propter ignorantiam. Figurauerim casum sub conditione, quæ reuera ità in virtute contigit. Non enim posita fuit lex vetus nisi vsque ad illud temporis momentum, quo Christus dixit: Consummatum est: & resurrexit.

Dilucidatio præteritæ solutionis

Replica. ¶Quòd si vrgentiùs arguas: Si Iudæus post passionem vel leuiter motus, vel ex malitia credens legem veterem abrogatam, nollet suum circuncidere infantulum, peccaret quidem: & non contra conscientiam: ergo contra legem qua tenebatur. Respondetur

Solutio. quòd peccaret contra conscientiam quam ante sufficientem promulgationem euangelij tenebatur habere.

Altera ri ¶Veruntamen esto circũcisionis statim à passione obligatio esset extincta, videtur tamen retinuisse sanctitatis virtutem. Nam si Iudæus euãgelij ignarus filium circuncideret, fieret infans ille saluus. Respondetur quòd fieret saluus non circuncisionis virtute, quę iam vanida erat, sed

Solutio. parentum fide. Itâque circuncisio tũc nihil ampliùs valebat quàm signum quo lege naturę protestatio fieret sanctę fidei: & quo Iudæi ante octauum diem vtebantur.

Dubiũ ¶Dubium autem quod molestiùs hic premit est, Si Iudæus tunc qui euangelij prædicationẽ audisset, & miraculorũ intuitus esset virtutẽ, quem iam ideo culpabilis ignorãtia non excusaret, persistens nihilo minùs in sua perfidia puerum circũcideret, vtrùm puer ille ab originali macula ablueretur. Facit em̃ pro parte affirmatiua q̃ si ab alio inuincibiliter ignorante idem applicaretur sacramentum, puer, vt modò dicebamus, saltem obtineret: & tamen iniquitas circuncidentis nõ est cur misero infantulo noceret. Nã si quis modò puerum baptizaret, intẽdens id facere quod Christiani perficiunt, licèt minimè in baptismum crederet, pro esset puero. Nihilo minùs respondetur nullatenùs circuncisionem illam puero quicquam profuisse. Et ratio est plana: nam circũcisio de se nihil iam tunc proderat nisi per fidem applicantis:

tis:qui autem tenebatur credere euangelio, iniquè applicabat fidem. Alioqui concedendum esset q̃ etiã nũc Iudæi circũcidẽtes liberos suos, illis ad salutem prosunt:quod cõcedere absurdissima esset hæresis. Qui autem inuincibiliter ignorans illo sacramento vtebatur, rectè suam fidẽ applicabat. Negatur ergo q̃ in tali casu iniquitas circuncidentis nihil noceret puero. Aliud autem est de baptismo nostro qui in se continet sanctificandi virtutem à quouis applicetur. ¶At verò præter istas rationes alia supereſt maioris energiæ. Christus in passione nullã tulit legem:ergo tunc lex euãgelica nõ cœpit obligare. Legitima verò respõsio huiꝰ est, ipsum dum inter mortales ageret legẽ tulisse pro illo tunc temporis articulo, quo mysterium salutis perficeret, in alteraq; resurgeret immortali vita. Sed tamen restat nihilo minùs dubitatio vtrùm lex ab eodem puncto obligare cœperit quo moriens antiquam abolerit. Nam si id concesseris, videberis euangelio contrarius:quandoquidem post resurrectionem præcepit Apostolis, Ite prædicate &c. baptizãtes eos. Matth. 28. vbi videtur legem quasi ex tunc obligantem tulisse. Item neq; ratio permittere videtur vt statim à momento passionis lex cœperit obligare. Nam mysteriũ salutis quæ duos habet terminos, scilicet mori peccato, & resurgere in nouã vitam, non in puncto passionis absolutũ fuit, sed in resurrectione, secundũ illud Pauli ad Rom. 4. traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostrã: quẽadmodùm illic à nobis expositũ est. Si autem concedamus q̃ lex vetus cessauit dicente Christo, Consummatũ est:noua tamẽ nõ cœpit nisi post resurrectionẽ, incidimus in hanc foueã q̃ tẽpore aliquo fuerit orbis sine obligatione legis præter naturalẽ, Sicuti erat ante legem scriptã. Quòd tamẽ mihi durissimũ fit, imò videtur naturæ amborũ testamentorũ palàm repugnare. Nam sicut in naturalibus corruptio vnius est generatio alterius:ità & antiquũ nõ fuit abolitum nisi per obligationem noui, sicuti aboletur vmbra per præsentiã solis. Hoc enim exemplum vniuersis scripturæ interpretibus celeberrimũ est. Quin verò Paul. ad Hebr. id ex professo. cap. 7. &. 9. &. 10. videtur cõstituere: Respondetur ergo q̃ sancti, quin verò Apostolus articulũ cessationis vnius legis & obligationis alterius non in puncto cõstituerũt, sed totũ triduũ pro vno reputârũt articulo.

Responsio. *Dubitatio.* *Ratio dubitandi.* *Paulus.* *Responsio.*

At verò ad rigorem loquendo, Primùm pro certo habendum est propter rationem modò factam quòd obligatio vnius quassauit alterã. Quare si altera cessauit vbi Christus dixit, Cõsummatum est. inde incepit noua: nam tunc persolutum est redemptionis pretium, apertumq; regnum cœlorum. Statim enim patres viderunt Christi diuinitatem. Sed enim quia lex vetus nõ solùm illud, sed resurrectionem quoq; in noua vita præfigurabat, dicere optimè possumus q̃ non cessauit vsque ad resurrectionem, & inde incepit noua. Vnde sanctus Tho. 3. parte. q. 66. art. 2: Baptismus, inquit, virtutem accepit quãdo Christus baptizatus fuit. Sed necessitas vtẽdi hoc sacramẽto indicta fuit hominibus post passionẽ & resurrectionẽ: tũ quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta quibus succedit baptismus & alia sacramẽta nouæ legis: tum etiam quia per baptismum cõfiguratur homo passioni & resurrectioni Christi: in quãtum moritur peccato & incipit nouam iustitiæ vitã. Et ideo oportuit Christum priùs pati & resurgere quàm hominibus indiceretur necessitas se configurandi passioni & resurrectioni eius. Vnde quòd post resurrectionẽ dixit Christus. Ite prædicate &c. non est signum latæ tunc legis, sed Apostolis tunc iussit vt illam quæ iam obligabat, vniuerso orbi promulgarent: vti. 4. sen. dist. 3. ar. 5. ait sanctus Tho. Imò Christus id ipsum significat, subdens, Docentes eos seruare omnia quæcunq; mãdaui vobis. Itâq; Christus ante passionem legem condidit, quæ post eius mortẽ obligaret: sed post resurrectionem præcepit Apostolis ipsam diuulgare: & in Pentecoste misit eis virtutem ex alto quæ ad eandem functionẽ erat necessaria. ¶His tamen sic constitutis respondendum est ad aliud dubium quod sententia Augustini secũ affert. Enimuerò si statim post passionẽ vel resurrectionem lex mortua fuit, consequitur vt continuò esset mortifera: quare neq; liceret eam vlla ratione seruare. Cõsequentia probatur per rationẽ qua probauimus cõclusionẽ tertiam, quæ est S. Tho. Ceremonialia illa iam inde tunc erãt mẽdacia, ergo qui illa seruaret facto ipso mẽtiretur: sicuti qui assereret q̃ Christus foret nascitur⁹, passur⁹, aut resurrecturus: mendaciũ aũt semper est peccatũ. Et dum est pernicioſum, sicuti hoc, fit letale: atq; adeo sentẽtia Hierony. est præferẽda q̃ non licebat ea seruare. At nihilo minùs

Dubium alterum. *Solutio.*

ſtandū eſt Auguſtino, cui cōſilium Florentinum (vt dictum eſt) ſubſcripſit: & reſpōdendum ꝙ ceremoniæ tunc non ſeruabātur tanquàm futurorum ſigna, ſed in honorē ſepulturæ ſynagogę. Quod ſi ſciſciteris quænam eſſet illius honoris cauſa: reſpondetur ꝙ vt internoſceretur inter legē veterem & Gentilitatem. Nam ſi lex vetus ſic de repentē, vt Gentilitas fuiſſet iecta, in ſuſpicionem veniret ꝙ non fuiſſet Gentilitate ſanctior. Et fuit hoc eouſq; congruēs vt illa, quod arbitror, ratione celauerit Deus aliquanto temporis Apoſtolos ipſos myſterium illud ꝙ legales ceremoniæ eſſent per euangelium abigēdę: nempè vt ſecuriùs illa ſeruarent. Id quod hiſtoria illa actu. 10. conteſtatur, qua narratur Petrum oſtenſo ſibi vaſe linteo, de cœlo ſummiſſo, communium animalium pleno, manducare iuſſum, reſpōdiſſe: Abſit Domine, quia nunquàm manducaui omne cōmune & immundum. Illa autē cauſa honorandæ ſynagogæ ceſſante iam nullatenùs licet eaſdem ceremonias obſeruare. Quòd ſi interroges quantum tēporis durauit ſufficiēs euangelij promulgatio qua licuit illa ſeruare legalia: Reſpōdetur certū eſſe à Pētecoſte cœptū eſſe promulgari. Quo aūt tēporis pūcto omninò fuerit lex extincta, & fortifera, nō cōſtat. Forſan, vt ait Sco. durauit vſq; ad deſtructionē Hieroſolymitanam: quæ quadraginta ferè annis cōtigit poſt Chriſtū paſſum. Crediderim nāq; viuētes ipſos Apoſtolos omnimodā abolitionem legis prædicare cœpiſſe. Quicquid aūt de tēporis punctoſit, certū eſt q̄ lōgiſsimè ante tēpus Aug. omninò ceſſauiſſe: vt eādē ipſe epiſtola. 19. aduerſus Hiero. docet. Quocircà iam inde nefas eſt ad alias regredi ceremonias, Neq; in ſententiam profectò hic contrariā conſentire cū Caietano poſſum, qui. 3. part. ſuper. q. 37. approbare nō renuit Indorū mortē: qui ſeſe baptizatos circuncidunt: non tanq̄ antiquū ſeruātes ritū, ſed vt religione illa Chriſtum imitētur. Enimuerò patres nunq̄ auſi ſunt id poſt paſſionem concedere, niſi ob cauſam Auguſtini. Et Concilium Florentinum ſimpliciter id negat licēre. Et Paulus ſimpliciter dicit: Si circuncidimini, Chriſtus nihil prodeſt. Et imitari in hoc Chriſtum, eſt imitari legem, cuius gratia id paſſus ipſe eſt. Neque excuſari poteſt quin habeat ſpeciem mali. Neque verò ad hæc abundè Caietanus reſpondet, Secùs ſi ſanitatis gratia pelliculam illam quis tolleret.

Sententia Caieta.

Prima ratio in Caie. Secunda. Tertia.

Poſtrema.

REſtat igitur ad argumēta in capite quæſtionis obiecta reſpōdere. Et quidē autoritas Baruch Prophetæ in tātùm ſibi vult ꝙ lex eſſet in ęternū ſecūdū moralia præcepta per ſe duratura: ſecundū verò ceremonialia, nō niſi per futuras veritates quas præfigurabāt. ¶ Factū autem Chriſti, qui leproſos â ſe mundatos ad ſacerdotes miſit, non probat poſt paſsionē legē fuiſſe permanſurā, ſed illuc vſq; duraturā: atq; adeò ante paſsionem, prædicante Chriſto, vnà cum euangelio curabat: quod à nobis iam ſuprà aſſertum eſt. ¶ Et ad tertium eiuſdem argumenti membrum reſpondetur ꝙ rationes literales ceremoniarum ad diuinum cultum referebantur: qui tamen cultus in paſsione Chriſti erat in alterum migraturus. Vnde circunciſio mutata eſt in baptiſmum, & ſabbathum (vt dictum eſt) in diem Dominicam: & feſtum Paſchalis agni in feſtum Reſurrectionis. Feſtum autem Pentecoſtes permanſit. Nam & eodem fuit nobis quodāmodò lex data, hoc eſt Apoſtolis facultas eiuſdē promulgandæ collata: ſicuti & antiquæ Moyſi. ¶ Ad duo autē priora mēbra ſecundi argumenti per ſententiam ſuprà expoſitam Auguſtini reſpōſum eſt. Illa enim ratione licuit Paulo Timotheum maternè Iudæū circuncidere, & ſeipſum purificare. nēpe nè videretur perinde legē atq; Gētilitatē abiectè conſepelire. Et nè teneris conuerſis nōdumq; ſatis inſtructis ſcandalum offerret. ¶ De tertio verò membro, puta de lite quam Paul. ad Gala. 2. commemorat ſibi interceſsiſſe cum Petro, diſcordes, vt diximus, fuēre proceres illi, diui Hiero. Auguſt. & hiſtoria notiſsima eſt & ſolennis quæ antiochiæ contigit, vbi Petrus cum Chriſtianis è Gētilitate neophytis cōmunicabat: non tantū colloquio, quia inde nullā ſcādali occaſionem nanciſcerentur Iudæi: ſed etiam menſa, veſcendo cum illis ſuillis carnibus aliiſq; cōmunibus cibis lege vetitis: quod iam in linteo ſibi oſtenſo cognouerat eſſe licitum. At cùm quidam illuc peruenisſent recentes ex Iudæis Chriſtiani, quos Iacobus ad illum miſerat, nè ſcādalū eiſdem obiiceret, ſubtrahebat ſe à commercio Gentiliū, abſtinebatq; eiſdē illegitimis cibis. Vnde cū tūc fortè cōtingeret vt illuc Paul. applicuiſſet, reſciuiſſetq; tumultū Chriſtianorū ex gentilitate, qui ex facto Petri colligebant, legalia in Chriſtianiſmo eſſe ſeruanda, in conſpectu omnium eum reprehendit: quia, inquit, reprehenſibilis erat.

Ad primū argumentū

Ad tertiū mēbrū eiuſdem argu.

Ad duo membra ſecundi argumenti.

Ad tertiū eiuſdē mēbrum. Paulus.

Hiero-

Hieronymus. Hieronymus ergo opinatus legalia protinùs à passione fuisse lethifera, negat Petrum illa seruasse: sed tãtùm ait simulasse: ac subinde ait Paulum non verè, sed simulatoriè eum in gratiam Gentilium obiurgasse. Augustinus autem contrà in vtroque opinioni Hieronymi reclamat. Primum in hoc quòd ait Petrum licitè potuisse seruare, seruasseque adeò legalia. Secundò & in hoc quoque quòd ait verè fuisse, tum reprehensibilem, tum perinde reprehensum. Sunt autem qui Hieronymi patrocinium suscipientes, inter quos est Adrianus in. 4. distinct. 1. adducunt in eius tutelam id quod Paulus ipse ait: scilicet Iudæos & Barnabam cõsensisse in illam Petri simulationem: quo verbo excludi videtur verã fuisse obseruantiam. Quocircà duplex, aiunt, vsu venit simulatio. vna quando fingitur aliquid fieri quod non fit: qualis est in comœdiis: vt si quis fingeret se circuncidere & non circuncideret. Et hæc si fiat intentione fallendi, est peccatum: quoniam mendaciũ. Alia verò accidit simulatio quando res verè fit: non tamen ea ratione qua alij putant: Vt si quis pelliculam sibi abscinderet sanitatis gratia: quam circunstantes abscindi crederent religione Iudaica. Et isto modo, aiunt, Paulus finxit circũcidere Timotheũ ad euitandum scandalum: & Petrus à communibus cibis abstinuit. Et ait Adrianus nunquam Augustinum à Hieronymo dissensurum fuisse si eum intellexisset. Ego verò dixerim minùs fuisse Augustinum ab hoc doctore intellectum, quàm ipse Hieronymum intellexerit. Augustinus enim non arbitratur culpam Petri fuisse, mendacium: nempè quòd simulauit id quod non fecit: Imò credidit absque simulatione verè potuisse seruare legalia, & seruasse, modo suprà exposito, sed quòd plus iusto illa seruasset. Et facit pro Augustino quòd Paulus non incusabat Petrum quòd legalia seruasset: sed quòd Gentes cogeret iudicare. Puta quòd vsque adeò nimiam in eorum obseruatione adhiberet diligentiam, vt cõuersos ex gẽtilitate in eam opinionem pertraheret, quòd essent seruanda ea ratione & fine quo in lege veteri, ac si non cessassent. Et primùm, quòd seruare legalia nullum esset crimen, probatur: nam aliàs re vera propter solum euitandum scandalum nunquàm Paulus circuncidisset Timotheum, neque se suasu Iacobi purificasset. Imò potiùs docuisset non esse licitum. Porrò autem quòd Petrus fuerit reprehẽsibilis, re vera citra grauissimam iniuriam scripturæ negari non potest. Enimuerò si tantùm Paulus eum simpliciter reprehendisset, potuisset vtcunque commentarii id fecisse simulãter: vbi autem tanta cum emphasi dixit, In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat: negare fuisse verè reprehensibilem ac proinde reprehensum, est sacræ scripturæ contradicere. Quod enim Ioannes Maio. in. 4. distinct. 3. q. 1. ait in scriptura non haberi quòd Petrus esset reprehensibilis, sed quòd hoc Paulus dixit, cauillus est nihilo minùs scripturæ iniurius, quàm scripturam abnegare. Nam cùm id fides catholica confiteri cogat, quòd quicquid Apostoli affirmârunt sit diuinum oraculum, fit vt tam verum sit, Petrum fuisse reprehensibilem, quàm est, Paulum illud affirmasse. Alioqui si permitteretur, vti ait Augustinus, negari scripturæ sensum, qui planè est literalis, tota eius autoritas illicò deperiret. Quòd si quis inferat, culpam Petri fuisse mortalem, nam pertrahere alios in tam falsam opinionem graue erat peccatum in fidem: quod tamen Apostoli post confirmationem committere non poterant: Respondetur quòd Petrus non putauit tantũ oriturum scandalum: & ideo inconsideratio illa fuit culpa venialis. ¶Quid ergo ad illud pro Hieronymo adductum respondebimus, quòd Paulus actionem illam Petri appellauit simulationem? Respõdetur non eam sic ideo appellasse quòd non fuisset verum opus Iudaicum, sed quòd non fuit factum intentione ac fine Iudaico, tanquàm futurorum signum retinẽs virtutem suam. Et est discernendus effectus quem petrus fecit in conuersis è iudaismo, & in conuersis è Gentilitate. Illos enim & Barnabam adduxit vt in eius simulationem consentirent, id est simul se subtraherent Gentilium consortio: Gentiles autem cogebat iudaizare: hoc est credere quòd tenerentur & ipsi abstinere à suilla, atque ab aliis communibus cibis. Quapropter exaggerationis gratia dixit, & Barnabam etiam secum duxisse. Nam cùm ille esset ad euangelizandum Gentibus segregatus, minùs ei licebat Gentilium se conturbernio subducere. ¶Vnus tamen ex his fit reliquus scrupulus. quòd distinctio. 15. can. Sancta Roma. Hieronymus honorificè suscipitur, eiusque dogmata approbantur quæ aduersus

Augustinus.

Adrianus.

Duplex simulatio.

Perperã intellectus ab Adriano Augustinus.

Inficiari neminem potest citra iniuriã scripturæ. Petrũ fuisse reprehẽsibilem.

Cauillus Mayoris.

Ratio in Maiorem.

Augustin⁹ obiectio.

Solutio.

Ad argumẽtũ retrò insinuatum Hiero.

Scrupulus

Ruffinum atque alios definiuit. Quomodò ergo Augustinus de hac re per censuram etiam Concilij Florentini præfertur? Respon
Responsio. detur nullatenùs secum ista pugnare. Etenim in Canone, Sancta Romana, meritissimè delata est Hieronymo Palma aduersus illos quos, ceu erantes in fide, debellauerat. Et ideo tanquàm solennis Ecclesiæ doctor receptus est. Haud tamen in his cunctis quæ contra August. cuius illic etiam do
Ad postremum membrum secundi argumenti principalis. ctrina simili honore suscipitur, disputauit, prælatus est illi. ¶Ad postremũ autẽ membrũ eiusdẽ secũdi argumẽti, quo sensus quęritur Apostolici cõcilij actu. 15. Diuus Tho. tres attulit solutiones. Prima est quorũdam
Triplex solutio D. Th. qui arbitrabantur sanctiones illas Concilij minimè in sensu literali intelligendas, sed in spirituali: vt scilicet in prohibitione sanguinis intelligatur prohiberi homicidium: in prohibitione verò suffocati inhiberi violentiã & rapinam: sed in prohibitione im-
Vna interpretatio eorum qui sanctiones apostolici cõcilij spiritualiter intelligunt. molatorum, idololatriã. Hic autem interpretandi modus, vanus est. Nam cùm illa crimina, tum apud Gentiles illicita habe-
Explodituꝛ secunda expositio. rentur, tum etiam in Decalogo essent explicita, non erat cur rursus super illis Concilium cogeretur. Secunda ergo erat aliorum opinio, quod in sensu literali sunt illic prohibita: non quidem ad legis obseruantiam, sed ad reprimendam gulam. At verò cùm alia essent maiora irritamenta gulæ, quorum illic non est habita mẽtio, nõ est credendum illam fuisse prohibitionis causam. Ecquod enim gulæ illectamentum in suffoca-
Vera interpretatio ex historia deprõpta. tis & idolo immolatis reperitur? Legitimam igitur solutionem historia nos ipsa docet. Enimuerò cùm conuersi è Iudaismo & præcipuè Pharisæi mordicùs contenderent circunciſionem & reliquas ceremonias vnà cum euangelio retinere, in Concilium Apostoli de re illa considentes decreuerunt circunciſionem & legalia non esse à Gentilibus obseruanda, neque honoris gratia sepulturæ synagogæ deferendi: sed tamen ob improbitatem Iudæorum quatuor illa eisdem Gentibus interdixerunt: non quidem quasi necessaria esset legalium obseruantia, sed vt posset inter Christianos vtriusq; populi iniri commercium. Prohibitum ergo illis est vt à carnibus idolis immolatis abstinerent: videlicet nè apud cõuersos è iudaismo in suspicionem venirent idololatriæ. Quare falsò nonnuli opinati sunt prohibitam illic esse idololatriam. Nam illam in cõfesso cunctis erat esse euãgelio execrabilem. Verùm tamen quia sacerdotes Gentilium mascellũ habebant immolatorum idolis, prohibiti sunt Christiani illis vti escis. Secundò prohibiti sunt vesci sanguine & suffocato: quęquidem adeò Iudæi exhorrebãt, vt nauseam illis facerent quicunque in eorum cõspectu talibus vterentur epulis. Fornicatio autem vetita illis est peculiariter: non quòd non esset lege naturæ interdicta, sed quòd illi caligine mentis obtecti nullam in libera Venere agnoscebãt culpam, neque erat in Decalogo expressa. ¶Contra hanc autem solutionem exiſtunt argumenta. Primùm q̃ si non erant illa ad legis obseruantiã prohibita, non satisfiebat quæstioni Iudæorum, qui contendebant vt legalia cum euangeiio simul currerent. Secũdò quia in ipso Cõcilio habetur: Visum est Spiritui sancto & nobis nihil vltrà imponere vobis q̃ hęc necessaria. Si ergo erãt necessaria, necessitas ex lege procedebat. Tertiò quia si illa ratione prohibebãtur sanguis & suffocatum, pariter deberet prohiberi esus suillarum carnium & aliorum communium. Ad hæc autem respondetur, Apostolos Pharisæis non ad eorum mentem respondisse: sed illa ad ipsorum pacandum seditionem ac tumultum indulserunt: atq; ad hunc finem censuerunt illa esse necessaria. Prohibuerunt autem illa duo, scilicet sanguinem & suffocatum, quæ magis erant Iudæis exosa: non autẽ suillas carnes atque alia venationum ac piscium genera: quia esset Gentibus per quàm molestum propter Iudæos illorum vsu priuari. Et ideo ait sanctum Concilium nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria. Atqui tota hæc doctrina ex verbis Pauli facilè colligitur. 1. Corinth. 8. vbi docet q̃ esus carnium idolis immolatarum non est de se illicitus, sed propter scandalum infirmorũ: quo pacto sanctionẽ Cõcilij declarauit. Idẽque edocet ad Roma. 14. vbi ait omnes cibos esse mũdos nisi propter scandalum aut conscientiam. Et Mat. 15. ait Christus. Non quod intrat per os coinquinat hominẽ. ¶Et ex his sequitur illã prohibitionẽ nõ fuisse in perpetuum factã sed in tẽpus, idẽq; perexiguũ dum Christianus populus coalesceret, & Iudæorũ gens horrorem illum ciborũ deponeret. Quare vel sæculo ipso Apostolorũ vel proximè vis expirauit illi⁹ Cocilij. ¶Huic nihilo minùs sentẽtiæ obstare videt Canon Concilij Gangrẽsis, si quis. dist. 30. vbi habe-

Primum argumẽtum, cõtra proximam solutionem. Secundum.

Tertium.

Ad argumenta facta.

Corollariũ.

Argumentum Concilium Grangense.

tur

tur omnia manducare licêre præter idolothyta: vbi glossa expressê tenet quòd nunquàm licuit, neq; modò quidem licitum est idolothytis vesci: quanuis nulla detur scã da li occasio. Imò nõ magis licêre eorũ esum, q̃ in Quadragesima carniũ. Et allêgat pro se dictum Augustin. in De bono cõiug. quod refertur .32.q.4.can. sicut satius. vbi inquit satius esse fame mori, quam idolothytis vesci. Ad textum autem Concilij respondetur illud fuisse habitum proximè tempus Apostolorum, quando nondum eorum concilium prorsus cessauerat: ob idq; glossator falsissimè inde intulit opinionẽ quod modò non licet illa edere. Imò Paul. 1. ad Timoth. 4. generaliter absque vllà exceptione cõdemnat eos qui in nouissimis temporibus loquẽtes mendacium, prohibituri erant â cibis quos Deus creauit abstinere. Et forsan tempore Augustini nonnulla durabat eiusdem concilij obseruantia: nisi dicere malueris quod fortè respexit ad elapsum tempus, quando vigor Concilij durabat.

Augustin⁹

Solutio.

Paulus.

¶QVAESTIO SEXTA
De iudicialibus mandatis.

S. Tho. 1. 2. q. 104. &. 5.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm præcepta iudicialia rectè àceremonialibus distinguantur.

Primũ argumentum

TErtium præceptorum genus, vt in superioribus cõstituimus, est iudicialium. De quibus primò quæritur q̃bus modis â ceremonialib⁹ distinguant. Et primò arguit nõ in hoc differre, vt suprà dictũ est, q̃ ceremonialia pertineãt ad diuinũ cultum: iudicialia verò ad pacificum conuictũ qui est inter ciues: tum q̃ iudicialia, vt nomẽ sonat, sunt illa quę in foro tractãtur coram iudice: & tamen extra forũ sunt alia quæ ad eundem pacificum statum conferunt: tum etiam q̃ sicut inter ceremonialia aliqua erãt quæ hominem ad seipsum ordinabãt, vt delectus ciborum & vestimentorum: ità & inter iudicialia decebat esse aliquã præceptionem quæ ad ipsum singulariter hominem pertineret: nõ ergo omnia ad iustitiam attinebant, quæ est vnicus ciuis ad alterũ. ¶ Secundò arguitur cõtra aliam differentiã, quæ inter hęc præcepta constitui solet: nẽpè q̃ ceremonialia cõstituta erant vt signa figura q; essent & vmbra futurorũ: iudicialia verò minimè: nam glossatores iudicialiũ, Exod. 21. & 22. cũcta etiã interpretãtur allegoricè & moraliter. ¶Atq; inde tertium colligitur argumentũ aduersus tertiã differentiam quę adhiberi cõsueuit: scilicet ceremonialia non licêre ampliùs obseruare: secus autem de iudicialibus: nã si erant futurorũ signa, pari modo debuerunt cessare sicut & ceremonialia. Vnde Apostolus generaliter ait ad Hebr. 7. Trãslato sacerdotio necesse est vt legis trãslatio fiat. ¶In contrarium autẽ est q̃ tres istas differentias interpretes legis solent inter eiusmodi præcepta internoscere.

Secundum.

Tertium.

Paulus.

HAEC fermè omnia in superioribus discussa sunt & definita: sed vt eorũ summa oculis obiiciatur, repetuntur. Supponamus ergo discrimen, nõ semel in præcedẽtibus explicatum inter moralia ex vna parte, atq; alia duo genera ex altera. Moralia eñ iam diximus esse illa quę ex principiis naturalibus per modũ illationis colligũtur: ceremonialia verò ac iudicialia quæ non nisi arbitramento quodam ex generali præcepto per modum specificationis cõstituuntur. vt si exẽpli gratia dicamus, Deus est colendus: ergo, hoc vel illo modo. Malefactor est puniendus: ergo, tali aut tali supplicio. ¶Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur, trinum exprimentibus discrimẽ inter ceremonialia & iudicialia. Prima conclusio. Ratio iudicialium præceptorum in duobus consistit: primùm vt non inferatur ex principiis naturæ tanquàm eorum conclusio: & in hoc differunt â moralibus, conueniuntq̃ cum ceremonialibus. Secundò vt ad cõuictum hominum inter se inuicem spectent: & in hoc à ceremonialibus elõgantur. Enimuerò sicut ex illo principio, quòd Deus est colendus, arbitratu diuino instituta sunt hæc & illa sacrificia, quæ natura sua nihil ad mores referebant: sic ex illo quòd pax est in republica pro viribus custodienda, collecta sunt iudicialia: vt qui vnam furaretur ouem, quatuor solueret: & quòd fur nocturnus in flagranti dilecto interficeretur: diurnus verò, minimè &c. Hæc autem

Prima conclusio.

conclusio adeò est hactenùs frequentata, vt permolestũ sit in ipsa, veluti in salebra diutiùs hærere. ¶ Secunda conclusio. Præcepta iudicialia secundò à ceremonialibus hoc discriminantur, quòd ceremonialia instituta erant in figuram vmbramq; futurorum: iudicialia verò non nisi ex consequenti. Discrimen nanque hoc ex prima conclusione originem ducit. Etenim cùm cultus ille priscorum patrum ad populi sanctitatem pertineret, quæ quidem sanctitas ex mediatore Christo dependebat, condecens erat ac necessarium, quod suprà expositum est, vt per easdem ceremonias eundem venturum profiterentur. Attamen cùm iudicialia non ad diuinum cultum, sed ad iustitiam & æquitatem inter ciues conciliandam instituerentur: ratio non postulabat vt prognostica essent eiusdem futuri Messiæ. Nihilo minùs quia totus ille status populi in expectatione erat eiusdem vẽturi Dei, ex consequenti eadem iudicialia aliquam eius præferebant vmbram: iuxta verbum Pauli. 1. ad Corin. 10. Omnia in figuram contingebant illis. Exempla. Decimarum solutio significabat perfectionem, quæ vltima denarij vnitate designatur, Christo tribuendam. Atq; illud Exodi. 21. quòd seruus Hebræus post seruitium sex annorũ esset septimo anno liber, figurabat post militiam huius mundi subsequuturam fore libertatem cœlestem quæ erit perfectum sabbathũ. Quapropter Gentilium iudicia, vtputa Græcorum & Romanorum, nullum recondebant mysterium, sicuti Hebræorum leges. ¶ Tertia conclusio. Etsi iudicialia præcepta sic prorsus fuerint euacuata & extincta vt post Christi resurrectionem nullatenùs sint obligatoria, differunt tamen & in hoc tertiò à ceremonialibus, quòd quanuis ceremonialia nullatenùs iam seruare licuerit, nihilo minùs liceat iudicialia iteratò instituere. Prima pars conclusionis huius iã satis suprà demonstrata est: vbi ostendimus totam prorsus legem quantum ad Mosaicam vim cessasse. Secunda verò pars ex secunda conclusione, sicuti secunda ex prima, colligitur. Ratio enim quare ceremonialia reuiuificare modò non licet, illa suprà assignata est, quòd cùm signa fuissent prognostica futurorum, præsente veritate, facta sunt falsa mendacia. Cùm ergo hæc ratio in iudicialibus non reperiatur, quia non per se instituta sunt ad significandum, nihil periculi inest si iterum constituantur in noua lege. Hac igitur ratione constitutæ ab Ecclesia sunt decimæ, quæ quantum ad quotam iudiciales erant: institutæque sunt quandoque talionis leges, & reddere quadruplum pro simplici furto, & similia. Hæc omnia facilima sunt, & ex superioribus liquida.

Secunda cõclusio.

Deducitur conclusio ex priore.

Tertia conclusio.

Probatio cõclusionis.

AD primum igitur argumentum respondetur, quòd licèt iudicialia à iudicio nũ cupentur, propterea quòd rempublicam instituere ad principem attinet, penes quẽ potestas est iudicandi, nihilominùs quia eidem principi incumbit non modò litigia dirimere, verùm & quæ ad spontaneos contractus attinent deliberanter sancire, fit vt non solùm illa quæ in foro tractantur, verùm & quæ in domo & in ciuium commerciis, iudicialia nuncupentur. ¶ Ad secundum autem membrum eiusdem argumẽti respondetur diuersam esse rationem ceremonialium ac iudicialium. Nam cùm cultus ad Deum pertineat, ad quem homo tanquàm in proprium finem ordinatur, fit vt ad eundem cultum referatur, vt minister ipse seipsum componat in cibo & vestitu: quare & de hoc erat ceremoniale præceptum: homo autem non ordinatur ad proximum sicut in finem, sed sunt sicut duo membra: & ideò nullo opùs erat iudiciali precepto hominis ad seipsum: sed omnia ipsum ordinabant in alterum. Aliorum autem solutiones satis ex superioribus clarescunt.

Ad primũ argumentũ

Ad secundum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm iudicialia præcepta conuenienter sint in quatuor genera dispertita.

POST distinctionem iudicialium à ceremonialibus subsequitur vt de ipsorum à se inuicem partitione dicamus. Vtrùm scilicet quadrifariàm fuerint distributa: nempè vt alia extiterint quæ principes in ordine ad subditos informabant: alia verò quæ inter se inuicem subditos: & tertia quæ populum in ordine ad exteras gentes instituebãt: atq; alia demum quæ domesticã inter se familiã conciliabãt.

Arguitur

primum argumentum Arguitur enim primò. Suprema potestas rei publicæ est in spiritualibus summus sacerdos cum alijs sibi assistentibus, & in temporalibus, rex: nam secundùm Aristot. 7. Polit. *Aristot.* hoc est regiminum optimum: vt pote quòd in vnitatem maximè resoluitur, atque adeò expressissimam diuinæ gubernationis similitudinem gerit: ergò circa has duas potestates debuerunt primùm omnium congruentes leges institui, hoc autem non sic institutum legimus in lege veteri. Nam sicut Aarõ Deus ipse per se elegit, vt patet Exod. 28. Leuitisq; decimas in eorum sustentationem solui iussit, vt Leuit. Vltimo scriptũ est: sic debuit & per seipsum regem creare: quod tamen non fecit, sed populo id commisit. Habetur enim Deuter. 27. Cùm dixeris, Constituam super me regem, eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit. Neque regibus stipendia designauit. Imò populus à Moyse vsq; Saulem quadringentis annis mansit cũ sacerdotibus absq; rege: quem tunc demum in malum ipsius populi Deus permisit: vt. 2. *Argum. 2.* Reg. 8. commemoratur. ¶ Secundò arguitur quòd neque de conuictu inter se ciuium cõgruenter fuerint iudicialia instituta. Præcipiebatur enim Num. 27. vt hominis absque filio defuncti hæreditas trãsiret ad filiam: & *Aristot.* tamen Arist. 2. Polit. cap. 7. ait, Regna inde & possessiones perditum iri, quòd ad mulieres transeunt. Et Leui. 22. habebatur quòd anno Iubilei omnes venditæ possessiones ad pristinos possessores remearent: quod firmitati contractuum obstare videbatur, sine quibus tamẽ mortales cõuiuere nequeũt. Et Exod. 21. instituta fuit talionis pœna: vt oculũ pro oculo reus redderet, ac dentem pro dente: cuius nimiam acerbitatem denotauit Christus Matth. 5. Atq; aliæ erant in illo populo legales sanctiones quæ videbantur absurdæ ¶ Tertiò & erga exteras gentes incongrua *Argum. 3.* videntur illa quæ illic extant iudicia. Habetur enim Deute. 23. Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum. Et tamen è conuerso subditur, Non abominaberis Idumæum: quod certè videtur ad respectum personarum attinere: qui tamen, vt habetur Actu. 10. non est apud Deum. Et Exod. 20. cautum est, Aduenam non contristabis, neq; affliges eum. Et nihilo minùs. 23. permittebatur idem populus pecuniam alienigenis ad vsurã mutuare: quæ quidem duo præcepta sibi inuicem videntur repugnare.

¶ Quartò neq; circa domesticas personas videntur iudicialia præcepta satis esse rationi consentenea. *Argum. 4.* Nam cum primis de seruis legitur Exod. 21. Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga, si vno die superuixerit, nõ subiacebit pœnę, quia pecunia illius est: permittere autem homicidam impunem, natura ipsa abhorret: quare leges humanæ etiam dominos seruorũ occisores grauiùs puniũt. Et de filiis videtur dura illa lex Deut. 21. videlicet quòd pater duceret filium suum ad seniores ciuitatis puniendum. Ac demum de vxoribus lex, quæ vt Deut. 24. habetur, libellum repudij permittebat, videtur in naturã matrimonij pernicios a: vt pote quòd ad educandas proles debet esse perpetuũ. ¶ In contrarium autem est quod sapien. diuina Prouerb. 8. ait: Isti sunt omnes sermones mei. Non est in eis prauum quid, neque peruersum. Et Dauid, Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.

QVæstionem istam nõ intelligas in hoc à nobis summotam, vt quàm amplè ipsa patet, sit nobis differenda: id enim diuino pene ingenio D. Thom. quod omnibus *S. Thomas* est in confesso, absoluit. 12. q. 105. Sed tamen nè filium dicendi nostrũ rumperemus, transitum per hæc summatim nos facere decuit. Vnica ergò conclusione duximus respondendum. Præcepta iudicialia legis veteris in *Conclusio & sponsiua.* quatuor oportuit membra distribui. Enimuerò cùm prudentia ferendarum legum, ars quædã sit illustrissima: ars autem ordine ac dispositione præluceat, condecens fuit vt iudicialium numerus quibus respublica instituebatur, secundum insignes eiusdem reipublicę partes atq; ordines disponerẽtur. Ordines autem isti quatuor sunt numero: Principis scilicet ad subditos, subditorumque inter se, totiusq; reipublicę ad exteros, ac partium inter se vnius familiæ: Igitur de principibus latæ sunt diuinitùs leges, quemadmodùm, tum creandi essent: tum etiam & se erga populũ gererent: ac subinde quemadmodùm vicissim à populo colerentur. Mox circa ciues latæ sunt leges emptionum & venditionum, aliorumq; cõtractuum qui liberè inter homines fiunt: decretaq; perinde iudicia in malefactores, qui iura violarent. Deinde leges adhibitæ quemadmodũ se populus tum in bellis gerendis, tum in suscipiendis peregrinis erga externas gentes deberent cõuersari. Ac demum circa domesticam familiam

ſuper additæ ſunt & aliæ de ſeruis, deq; vxoribus & filiis.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum reſpondetur quòd cùm in gubernanda republica duo ſint habendi reſpectus: prior ſcilicet, vt ciues omnes creandorum magiſtratuum gerendæque publicæ curæ participes fiant: Nam hac ratione vt. 2. Poli. author eſt Ariſt. æquitas conſtat, ac ſubinde pax in re-
Ariſt. publica. Poſterior verò, vt regimen eligatur optimum: quod ſecundum eundem Philoſophum. 3. Politic. ex tribus ſpeciebus, ſcilicet Ariſtocratia, Democratia, & regno, hoc vltimum eſt præſtantiſsimum, diuina Deus prudentia hæc omnia circa populi principes cuſtodiuit. Primum enim quia peculiarem curam illius populi gerebat, iuxta illud Deut. 7. Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris, ſibimet ipſi electionem regis reſeruauit. Vnde ſicut ſummum ipſe creauit ſacerdotem, ſic & de rege ait loco citato Deuter. Cùm dixeris, conſtituam ſuper me regem, eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Qua ratione diuino mãdato à prophetis vngebantur. At verò quoniam regnum, vt eſt optimum regimen, dum rex idoneis virtutibus pollet: ſic fit & peſtilentiſsimum dum in tyrannidem corrumpitur: & populus ille, tum crudelis erat, tum etiam auarus ac libidinoſus, quibus potiſsimùm vitijs rex corrumpitur, quadringentis annis diſtulit regem illis dare cum plenitudine poteſtatis. Gubernaui: tamẽ populum inſtar regni per vnum, puta per Moyſen, perq; eius ſucceſſores iudices: quouſq; populus, quaſi excutiẽs diuinum regimen, voluit ſibi creare regem. Vnde. 1. Reg. 8. ait Deus ad Samuẽlem, Non te abiecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos. Ecce quàm fuerit Deus ſolers in ſuſtinendo optimo regimine regni. Quocircà quàm cõtra eius voluntatem fuerit abſoluta regis poteſtas introducta, ipſe rei euentus oſtendit, Nam ſtatim ſub Roboam diuiſum regnum ſuijpſius deſolandi cauſam attulit, iuxta verbum Chriſti, Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. ¶ Quantum vero ad Ariſtocratiam, quæ eſt optimorum potentia iuſsit eligi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael: vt patet Num. 11. vnde Deut. 1. Tuli de veſtris tribubus viros ſapientes & nobiles, & conſtitui principes. Democratiam verò, quę eſt popularis potentia, eatenus ſeruari voluit quòd & totus populus magiſtratus crearet, & de omnibus tribubus eligerentur. Vnde Exod. 18. Prouide de omni plebe viros ſapiẽtes. Et Deutero. 1. Date ex vobis viros ſapientes. &c. Quòd autem ſacerdotibus decimæ fuerint adiudicatæ, non autem principibus, illa ratio fuit ꝙ ſacerdotes vt in maiori haberentur reuerentia decuit ex vna ſingulari tribu inſtitui, quæ ideo ab alijs alenda erat. Principes verò ſæculares ex omnibus promiſcue tribus eligebantur, quibus poſſeſſiones eran decretæ. Et præterea eorum ſtipendia pro bellorum indigentia creſcebant & tunc natura ipſa docebat populares contributiones eſſe illis augendas, ¶ Circa materiam ſecundi argumenti notandum ſequitur, iudiciales leges, ciuibus adhumanum cõuictum inſeruientes, in duos ordines ſecari, ſecundum duas, quæ in populo ſunt, cõmunicationes rerum ac commutationes. Alia enim communicatio fit publica authoritate principis: alia verò priuata cuiuſq; volũtate: homines quippe ſubditi ſunt principi: poſſeſſiones autem ad dominium priuatorum pertinent. Quare iudicia quibus homines iure ſeruare coguntur, & ſupplicia quibus maleficia vindicantur, principis authoritate inſtituuntur: donationes autem rerum & cõmutationes, priuata cuiuſq; voluntate celebrantur. Et de vtroq; ordine leges Deus optimas iudiciales edixit antiquo populo. Conſtituit enim quantum ad primum iudices & magiſtros, vt patet Deut. 16. ac teſtium numerum, pœnasq; diuerſas pro diuerſis delictis. Et quantum ad ſecundum vt pax firmiùs inter illos ſtabileretur, diuiſit eis terrã promiſſionis. Vnde Num. 34. Ego dedi vobis terrã in poſſeſſionem quam ſorte diuidetis vobis: pluribus dabitis latiorem: & paucioribus anguſtiorem. Sed quantũ ad vſum voluit quodammodò fructus eſſe cõmunes: ſecundùm illud Deut. 23. Ingreſſus vineam proximi tui comede vuas quantum tibi placuerit. Aliaq; deinde multa pulcherrimè conſtituit, vt eſt apud D. Thom. videre. ¶ Ad formam ergò argumenti reſpondetur quòd eatenùs in hæreditatis ſucceſſione legem Deus naturæ ſeruauit quòd noluit fœminas, niſi deficiente maſculo, ius hæreditarium adire. Succeſſio nanq; patrimonij ſequi naturã debet generationis, per quam ſpecies propagatur: generationis autem virtus in lumbis viri reſidet: cui vtique fœmina, ceu natura ſubſternitur. Quapropter ratio naturalis docet vt in maſculinam

Ad ſecũdũ argumentũ

Ad formã argumenti

sculinam prolem, in quam virtus generatiua traducitur, transeat hæreditas, quam cũ sanguine ad suos posteros transmittat. Et hanc arbitror omnium causarum naturalium primam quare iura primogenituræ in rebus publicis bene institutis masculina serie transfunduntur, neq; fœminæ nisi masculorũ defectu admittuntur. Cui accedit & ratio secunda q̃ viri prudentia, muliebri præstat: tum in alijs, tum etiam in augenda re familiari. Vnde Arist. 3. Polit. cap. 3. viri inquit est acquirere, mulieris autem seruare. Quo circà Ethic. 2 censuerat regna in manu fœminæ deperire Accedit tertiò quòd cùm virò competat substantiæ administratio, quando hæreditas filiæ obuenit, tunc gener nõ est tam solers ad augendam substantiam soceri eiusq; amplificandum nomen, quàm si esset filius. Quapropter dum res quæ transit in filiam, subinde transeat in generum, quodammodò censetur in alienum sanguinem trãsmigrare. In lege autem veteri illud fuit necessarium, vt possessionum partitio quæ facta est inter tribus non confunderetur. Quanuis tali euentu cautum erat nè hæres fœmina alij quàm viro suę tribus nuberet. Neq; verò inter Christianos vsq; adeò longè à successione eijci filiæ debent, vt neq; defecientibus filijs admittantur. Nam hac ratione longiùs solent ab alienari primogenituræ, quàm si mulieres succederent. ¶ Eâdem ratione adiecta fuit & lex alia anni Iubilei: Nam si venditiones in perpetuum fierent, non fuisset perpetua diuisio possessionum inter tribus. Quin verò & rario naturalis profectò ab hoc nõ abhorret: nã illa ratione, vt loco proximè citato admonet Aristote. nempè si possessiones in perpetuum deuidantur, solent diuitiæ in vnũ aceruatæ alios deserere pauperes. ¶ Lex autem talionis vidicatrici illi genti minimè fuit incongrua: vt per illam, quæ duriuscula videbatur, coercerentur, nè acriùs sese de hostibus vindicarent: licèt Christus docuerit benignitati Christianæ non competere. De reliquis autem vide apud S. Tho. ¶ Circa tertium argumentum itidem adnotandum est bifariam se rempublicam gerere posse erga extraneos: nempè aut iure pacis, si commercium cum illis nectat: aut iure belli, si sint hostes. Et iure quidem pacis tripliciter exteræ nationes ad Iudaicum populum accedebãt. Primò vt transitum quasi peregrini facerẽt: erga quos lex extabat Exod. 23. Peregrino molestus nõ eris. Secundo modo vt tanquã aduenæ apud illos habitarent: de quibus etiam cap. 20. præmissum erat, Aduenam nõ contristabis. Tertio modo quia volebant prorsùs in eorum ritum & consortiũ admitti. Inter quos secundùm naturalem rationẽ ordo dignoscebatur. Admonet enim tertio Polit. Philosophus, extraneos nõ esse temerè in rempublicã recipiendos. nisi sint vel abauo vel ab attauo oriundi: aliâs multa ab illis pericula imminerẽt reipublicę, Obidq; quia Idumæi ab Esau fratre Iacob descenderant, & ipsi Israelitæ apud Aegyptios peregrini plures ducentis annis egerant, iubebantur pacificè illos recipere, & proselythos qui vellent eorum religionem profiteri charactẽre circuncisionis insignirent. At verò quoniam Amalechitæ perpetui hostes eorum erant, secundùm illud Exod. 27. bellũ Dei erat cõtra Amalech à generatiõe in generationẽ: Et pariter Ammonites & Moabites de terra promissionis fuerãt expulsi, citra personarum acceptionem potuit eos Deus à sua republica abigere. ¶ Sed & de bello contra hostes tam offerendo quàm substinẽdo sanctissima erat scripta lex, Deut. 20. vt primò pacem eis offerrent. Secundò fiduciam suam in ipsum Deũ reijcerent. Tertiò vt in idoneos, qui impedimento esse possent, domum remitterent. Quartò deniq; vt victoria modestè vterẽtur: fœminis parcentes ac pueris. ¶ Ad quartum deniq; argumentum respõdetur quòd cùm familia In tribus ordinibus consistat, scilicet viri ad vxorem, parentis ad filios, ac domini ad seruos: de omnibus tribus sancitas Deus curauit optimas leges. Et primò de seruis, quod ad mitigandos eorum labores pertinebat, præceptum erat Deut. 5. vt die Sabbathi sicuti & domini requiescerent. Item in memoriam liberationis ex Aegypto, vbi ipsi seruierant, & in præsagium Christianæ libertatis, & præcipuè propter fraternam charitatẽ cautum erat Exod. 21. vt ex filiis Israel nemo esset perpetuò seruus: sed septimo anno egredetur liber, cum omnibus quæ asportauerant, adhibito insuper viatico: vt Deut. 15. legitur. Neque quantum ad eorum vindictam fuit Deus negligens: imò & eodem cap. 21. statuit vt Dominus qui seruum mutiliaret liberum dimitteret, & ancillã quam in vxorem duceret. Illud autẽ quod argumento obiectum est, scilicet occisorem serui impunem euadere, intelligebatur quando correctionis gratia virgula, non intentione vulnerandi percussisset: neq; posteà certum esset an ob

tale

potissima ratio quare ius primogenituræ masculina serie transfunditur.

Aristo.

Ratio legis anni Iubilæi

Ratio legis talionis.

Ad tertiũ argumentũ

Ad quartũ argumentũ

Leges seruorum.

tale vulnus obijsset mortẽ. Nam si protinus moreretur, tunc dominus reus fiebat. ¶Et erga filios etiam Exod.22. iubebantur parentes vt eos religiosè instituerent, quos etiam paternè castigare poterant, At verò quia, vt Philosophus.10.Ethicor.docet, patet vim nõ habet coerciuam in filium, quando eorum crimen id postulabat, iubebatur, vt argutũ est, filium publicæ potestati puniendũ permittere. ¶Sed & de vxoribus tam ducendis quàm gubernandis optimæ extabant leges Attamen libellus repudij ob eorum duritiã, qui perpetui erant odiorum memores: permissus illis fuit, vt per illud minus malum à maiori continerentur: videlicet nè vxores enecarent.

Leges filiorum.

Aristo.

Leges vxorum.

QVAESTIO SEPTIMA, De lege Euangelica quantũ ad eius substantiam.

S.Tho.1.2.q.106.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm lex noua sit lex scripta, an potiùs cordibus indita.

QVATVOR LEgum genera circa initiũ superioris libri distinctè monstrauimus: videlicet æternã: naturalem, atq; humanam: de quibus libr.1. differtum est ac demum diuinã, quam in hoc sumpsimus elucidandam. Hanc autem in veterem partiti sumus, ac nouam. Vnde cùm de priori hactenus dictum sit, subsequitur vt de noua quę Euangelica est, sermonem subtexamus Hæc enim, si æternã excipias, lex legum est, cuius gratia mundus creatus fuit, ad quam ferendã Deus ipse de cœlo descendit, quæq; eiusdem Dei digito scripta est in cordibus nostris, per quam deniq; solam vniuerso orbi & inferi clauduntur, & ad æternam fœlicitatem cœli referantur, Vt ergò hanc supra cœlestem legem de cunctis suis numeris ac dignitatibus perpendamus: Quæritur primò sitne scripta dicenda, vt leges humanæ & vetus diuina, an verò sicut naturalis, à natura, sic supernaturaliter mentibus nostris impressa. Nam q̃ sit scripta sunt argumenta nonnulla. Primum: lex hæc: ipsissimum est Euangelium: de quo tamen Ioan.20.cap. ait Hæc autem scripta sunt, vt credatis. ¶Secundò. Si lex hæc non esset scripta sed indita, nihil à naturali distaret: quippe de qua ait Propheta, Signatum est super nos lumẽ vultus tui Domine. ¶Tertiò. Lex Euãgelica, Christianorum est propria: lex verò indita vniuersis communiter nationibus patet. Legitur enim Sapiẽ.7. quod diuina sapientia per nationes in animas sanctas se transfert: amicos Dei & Prophetas constituit: ergò lex noua non est lex indita. ¶Contrarium autem attestatur Hieremiæ vaticinium capi.31. Vbi Deus nostram designãs legem, ait: Ecce dies venient dicit Dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iacob testamentum nouũ. Quod quidem testamentum declarans subdit, Dabo legem meã in visceribus eorũ. & in corde eorum scribam eam. Idq̃; Paulus ad Hebræ.8. ad hoc ipsum propositum allegat. Et. 2. ad Corinth.3. latiùs edisserit.

Primum argumentũ.

Argum.2.

Argum.3.

Hieremias.

Paulus.

QVæstio hæc ex his modò citatis scripturæ testimonijs inter catholicos doctores originem duxit, qua prima legis nostræ excellentia commendetur. Statuamus ergò conclusionem quæ cunctis est catholicis receptissima. Lex nostra hoc à veteri differt, q̃ cùm ipsa scripta esset in tabulis lapideis: nostra tamen in cordibus insculpta est. At verò conclusionis sensum patefacere, non est vsq; adeò peruium. Augustin. enim lib. de spiritu & liter. capi.21. huc tantum pertinere arbitratur, quòd charitas Dei, quæ secundùm Paulũ. & plenitudo & finis legis est, per Spiritum sanctum, vt ait idem Apostolus, diffusa est in cordibus nostris. Quem quidem D. Tho. secutus, sic cõclusionem interpretatur. Vnaquæq; inquit, res, vt.9. Ethicor. author est Arist. illud esse videtur, quod in ea est potissimum: hoc autem in lege noui testamenti est gratia Spiritus sancti, quę datur per fidem Christi: virtusq; est implendi legẽ: iuxta illud ad Rom.8. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis: cũ ergò gratia hæc intus infundatur à Deo in corda nostra, fit vt lex ipsa principaliter sit in cordibus infixa. Tametsi illa quæ credenda sunt & agenda in sacra nobis pagina proponantur. Qua ratione secundario potest dici scripta. ¶Opùs est tamen hæc locupletiùs

Conclusio catholica.

Augustin.

D. Thomas.

Aristo.

tiùs exponi: quoniam statim offerentur è regione argumenta. Primum quòd legis virtus est intellectũ instruere ac dirigere, mentesq; illustrare: hæc autem virtus per scripturam patescit in Euangelio, sicuti antiquis in suo canone, non est ergò cur nostra non dicatur scripta, sicut illa. Secundum argumentum est quòd & charitas & gratia tan antiquis quàm nobis diuinitùs infundebatur in corda, cuius virtute legem obseruabant: non est ergò cur illa minùs dicatur indita q̃ nostra. ¶ Ad huius ergò pleniorem intellectũ discernendæ sunt duæ legis virtutes: altera directiua: qua scilicet intellectus illuminatur, vt recta ire sciat, atq; altera voluntatis affectiua & motiua ad operandum. Et secundũ vtranq; lex Euangelica singulariter est intus menti insculpta. Doceri enim homo potest legem dupliciter. Vno modo scripturam legendo, atq; altero viuam audiendo vocem. Atq; hic est præstantior modus: quoniam auditus, vt libr. de sensu & sens. ait Philosophus, sensus est disciplinæ. Et quidem antiquis priori modo data est lex: nempè in lapideis tabulis scripta, quam illic subditi intuentes sequerentur: nostram verò non sic scriptam Deus nobis de cœlo misit, sed ipse inde delapsus viua voce in aures mortalium inuulgauit, mentiq; impressit: hoc est sermonis energia, miraculoruinq; potentia persuasit. Neq; verò humano tãtũ more illã nobis in dies insculpit, verũ & assensum fidei, quę superna nobis indicat, supernaturaliter nobis ingenerat. Itaq; cùm generanda fides duo exigat, scilicet, & vt proponantur credenda, & vt intellectus assensum illis præbeat, vtrunq; nobis Christus absq; scripto perfecit. Tametsi ad illud prius officium ad ministros sibi adiunxit: nempe Apostolos eorumq; successores, qui adminiculo illi essent ad prædicandam eandem fidem & legem. Et hoc est quod. 2. ad Corinth. 3. ait Apostolus: Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris: hoc est per charitatem cordibus nostris infixa. Quemadmodum autem essent epistola, explanans subdit: Manifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis. hoc est: Quanuis nos vobis credenda proposuerimus, Christus tamẽ est qui fidei assensum in vobis insculpsit, Igitur quantum ad intellectus illuminationem, quæ prima legis est virtus, propterea per se primo lex nostra scripta est nobis in mente, quòd assensio fidei opus est Dei. At quia illa quæ intellectui proponuntur in abstentia Christi & Apostolorum, labi memoria possent, per accidens est scripta. Si enim vox Domini semper auribus nostris insonaret, nulla nobis opùs esset scriptura. Quare vt Chryst. in prologo super Matth. author est, librorum vicegratia Spiritus sancti debemus vti: sed quia illam excusimus: literæ sunt inuentæ: Christus namq; nihil Apostolis scripto tradidit. ¶ Sed & quantum ad alteram legis virtutem, quę est voluntatem ad agendum afficere ac permouere, pariter scripta est intùs: quoniam legem ad finem præcipientis implere, nisi per gratiam & fauorẽ Dei, non possumus. Lex etenim tantũ ostendit quid agere debeamus: tollens subinde, vt suprà diximus, excusationem: qua ratione ait Paul. literam occidere: sed virtus operandi per gratiam nobis & charitatem suppeditatur. Qua de causa subdit, Spiritus sanctus viuificat. Et hoc est quod ait Ioãnes, Lex per Moysen data est, puta scripta in tabulis, in quibus nulla inerat agendi vis: sed gratia & veritas (ad purificandum corda, qui finis est legis) per Iesum Christum facta est.

Primum argumentum contra predicta.

Argumẽ. 2

Duæ virtutes legis.

Aristot.

Paulus.

HIS ergò constitutis facilimæ sunt argumentorum solutiones. Ad primũ enim respondetur quòd tam in lege veteri quàm in noua scripta ea sunt quæ ad fidem gratiamq; Spiritus sancti attinent: nempè tum illa quę ad cognoscendum diuinitatem Dei, & humanitatem Christi conducunt, quàm agẽda quibus charitas confouetur: quę quidem fides & charitas tam sub illo testamento illis donabatur in cordibus, quàm sub nostro imprimitur. Attamen cùm tã illic quã hic virtute vnius mediatoris illa fiebat impressio, differentia est quòd cùm illic nondũ ille mediator præsens esset, nempè neq; per se ipse prædicasset, neq; sacramenta illius legis virtutem passionis eius nondum exhibitæ ad conferendam gratiam iuuissent: nostram verò & ipse Christus tradidisset nobis & Spiritus sanctus Apostolis declarasset: ac perinde sacramenta eandem charitatem nobis & gratiam infundant: lex nostra meritò prę illa censetur in cordibus ingenita: sicutì illa erat in tabulis. Vnde Paul. non ait simpliciter in cordibus, sed in cordibus carnalibus vt alluderet ad lapideas tabulas, duritiem cordium illius populi significantes: cùm tamen per charitatem nouæ legis corda, vt carnea remolescant. ¶ Ad secundum autem argumentum respondetur quòd lex naturę indita

Ad primũ argumentũ

Secundũ argumentum

indita est in cordibus naturali via: lex verò gratiæ super naturaliter. ¶Atq; ad tertium iam responsum est quòd non solùm sub lege scripta, verùm neq; sub lege vnquam naturæ quispiam recepit Spiritus sancti gratiã, nisi per fidem Christi. Et ideò licet eadem sapientia fidei cunctos qui ab Adam vsq; iusti fuêre, iustificauerit: peculiariter tamen propter præsentiam eiusdẽ authoris gratiæ, censetur cordibus inscripta.

Ad tertiũ argumentũ

ARTICVLVS. II.

Vtrùm lex noua iustificet.

SECVNDA excellentia legis nostræ ab eius effectu petitur: atq; ideò quæritur vtrùm virtutem habeãt iustificandi. Arguitur nanq; à parte negatiua. Nemo nisi per diuinæ legis obedientiam fit iustus, secundum illum ad Hebræ. 5. Factus est Christus omnibus obtemperãtibus sibi causa salutis æternæ: Euangelium autem non id vniuersum præstat, vt ei obediatur, testante ad Rom. 10. Paul. non omnes obedire Euangelio: ergó lex noua nullam præ antiqua virtutem habet iustificandi. ¶Secundo per id Paul. ad Rom. probat legem veterem non iustificasse, quòd ea adueniente præuaricatio creuit. Ait enim capit. 4. Lex iram operatur. Vbi enim non est lex, neq; præuaricatio: sed multò peius lex noua præuaricationem aggrauat: eò quòd maiori pœna dignꝰ est, qui post legem nouam, diuinã voluntatem apertiùs notificantem, delinquit: secũdùm illud ad Hebr. 10. Irritã qui faciebat legem Moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit: ergo lex noua minùs quàm vetus iustificat. ¶Tertiò, iustificare minus est peculiare Dei, secundùm verbum Pauli ad Roma. 8 Deus est qui iustificat: lex autem vetus perinde ac noua Deo authore lata fuit: ergo non est cur noua excellentiùs quàm vetus iustificet. ¶In contrarium autẽ est idem ipse Apostolus ad Rom. 1. Non erubesco Euangeliũ: virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Vbi singulare quippiã in Euangelio agnouit: salus autem & iustificatio idem est: fit ergo vt virtus Euangelicæ legis sit iustificare, ac perinde saluos facere credentes.

Primum argumẽtum. à parte negatiua.

Argum. 2.

Argum. 3.

Paulus.

QVæstio hæc ditiùs locupletata est: apertiusq; explicata. q. 3. articulo vlt. cuius solutio tribus conclusionibus cõtinetur. Est enim in lege, secundùm id quod proximè docebamus duo considerare: nempè documenta ipsa, & mandata exteriùs ad credendum & operandum scripta: & præterea interna gratia fauorq; Spiritus sancti ad opera eiusdem legis exequenda, atq; ad eius assequendum finem, Quo habito prima cõclusio est Lex Euangelica, si pura documenta & mandata atque operum substantiam consideres, non magis per se iustificat quàm vetus, vel lex ipsa naturæ. Iam enim loco citato expositum reliquimus quemadmodùm verbum Pauli, Non ex operibus, sed ex fide & gratia hominem iustificari: non tantùm de operibus legis veteris, verũetiam de nostris intelligi. Sicuti & id quod ait, Literam occidere, Spiritum autem viuificare, interprete in De Spiritu & lite. Augustino, de Decalogo etiã ipso esse intelligendum. Nam de ipsa concupiscentia in Decalogo prohibita subiungit, Cõcupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces. Lex enim nihil aliud præstat quàm docere quid sit peccatum: mundare autem à peccato, quia virtus est supernaturalis, soli gratiæ per fidem Christo adscribitur, ¶Secunda conclusio. Lex Euangelica, si internam eius virtutem mediteris, hominem iustificat: At verò quoniam eadem virtus non solùm Euangelicos, sed & antiquos patres & qui sub lege naturę iustè viuebant, iustificabat, adhibetur Tertia conclusio. Lex Euangelica ob id præ aliis censetur iustificare quòd author ipse gratiæ cuius fide olim agebatur salus, lator fuit nostræ legis quam suo sanguine confirmauit, cuius pretio saluificam gratiam per eius sacramenta obtinemus. Hæc autem iam satis suprà expositæ sunt.

Prima conclusio.

Augustin.

Paulus.

Probatio conclusionis.

Secũda conclusio.

Tertia conclusio.

QVo circà primæ obiectioni conceditur nemini obuenire salutem nisi per obedientiam Euangelij: inde tamen solùm colligitur legem nouam quantum ad substantiã operum externaq; mandata & documenta non per se iustificare: sicut neq; antiquam, quod prima conclusione concessimus. ¶Ac perinde respondetur ad secundum. Gratia enim Euangelica eatenùs subditos iustificat vt tamen minimè illos sic confirmet, vt peccare nequeant: imò qui contra eandem gratiã legem violauerit, eo fit maioris reus supplicij

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secũdũ argumẽtũ.

plicij quo apertiùs nouit voluntatem domini sui. Nihilominùs hoc est adnotatu dignũ quòd verbum Pauli, scilicet, lex iram operatur, non perinde Euangelicæ cõuenit, atque Mosaycæ. Nam lex vetus communi nomine, non gratiam, sed meram literam significat: quæ tantùm ostendit quid sit peccatum atq; adeò occasio fit peccandi, vnde nascitur ira Dei. Lex autem Euangelica non tantùm literam, sed gratiam, eiusq; sacramenta comprehendit. Quare non est lex iræ, sed benignitatis ac misericordiæ. ¶ Ac subindè ad tertiũ eodem penè tenore respõdetur. Nempe quòd etsi idem Deus vtriusq; fuerit autor legis, diuersimodè tamẽ. Nam illam tantùm scripsit in tabulis: nostram verò, modo exposito, vt ait Paulus in cordibus carnalibus, Quare expositore eodem, lib. de Spiritu & lite. Augustino, legem illam extra hominem scriptam appellat idem Apostolus ministrationem mortis & damnationis: nostram verò, ministrationem spirius & iustitiæ.

Ad secũdũ argumentũ

Paulus.

Augustin⁹

ARTICVLVS. III.

Vtrùm lex noua debuerit dari à principio mundi.

SVbsequitur vt quemadmodũ de veteri disputauimus, sic de Euangelica inuestigemus, cur non fuerit statim in mundi primordijs posita. Arguitur enim id maximè condecuisse. Deus vt habetur ad Rom. 2. non est personarum acceptor: & tamen vt habetur statim cap. 3. Omnes homines peccauerunt & egent gratia Dei: ergò debuit Euangelico lumine, statim homine lapso, orbem perfundere, vt omnes viam salutis ingrederentur. ¶ Secundò arguitur. Legem Euangelicam non minùs congruit fuisse vniuersalem quo ad tempus, quàm quo ad locum: vult enim Deus omnes homines saluos fieri: voluit autem hac ratione, vt patet Matth. & Marc. vlti. Euangelium prædicari in vniuerso mundo: ergò debuit illud vniuersis sæculis notum facere. ¶ Tertiò deniq; arguitur. Consultius fuerat homini ad spiritualem vitam & æternam, quæ præstantior est, necessaria prouidere, quàm ad corporalem, quæ temporalis est: ab initio autem in tẽporalibus prouidentissimè homini prospexit, tradendo ei cuncta quæ creauerat in suam ditionem, vt patet Genes. 1. ergò debuit

Primũ argumentum

Argumẽ. 2

Arg um. 3.

& lege Euangelica, quæ maximè necessaria erat ad spiritualem salutem, mortales illicò ab initio mundi instituere. ¶ In cõtrarium faciunt Apostolica testimonia. Non prius quod spirituale est, sed quod animale. Et ad Galat. 4. Cùm venit plenitudo temporis misit Deus filium suum. &c.

Paulus.

AD quæstionem facilima negatione respondetur. Non decuit statim ab initio mundi Euangelicam legem mortalibus affulgere, sed multò fuit consultius per tot differri sæcula. Ad intelligentiam autem cõclusionis huius prænotandũ est, duplicem esse quæstionis sensum: vnum scilicet, suppositò quòd ædi non debuit nisi per Christũ, cuius sanguinis effusione erat cõfirmanda. Et tunc idem est quærere ac si quæratur vtrùm debuit Christus statim in mundi exordio carnem induere. Hunc autẽ sensum nonest præsentis loci discutere. Disputatur nanq; à Diuo Tho. 3. part. q. 1. Nosq; art. vlt. huius lib. rationes eiusmodi dilati tẽporis adducemus. Alter verò sensus est, vtrùm decuit legẽ Euangelicam dari ante Christi aduentum, vel ante eius redemptionem. Et in hoc sensu respõdetur non expediisse. Cuius tres rationes assignat D. Thom. Prima est: Lex noua, vt iam modò dicebamus, potissimum est gratia Spiritus sancti: quam scilicet, vt ait Paul. Spiritus sanctus abundè in nos effudit: abundantia verò gratiæ effundi non debuit nisi impedimento sublato quod per peccatum ei obstat: vnde Ioannis. 7. Nondum erat Spiritus datus (videlicet exundans) quia Iesus nõdũ erat glorificatus: impedimentum autem illud per Christi mortem sublatum est: ergò vsq; ad ipsum passũm non decebat legẽ gratiæ dari. Atq; hanc rationem Paul. ad Rom. 8. edisserit: vbi ait, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati de peccato, hoc est de carne, quæ licet non in suo supposito, infecta tamen erat peccato, damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Est enim illa mirabilis antithesis per quam diuina potentia patefit: nempè quòd Deus non quomodocunq; damnauit peccatũ, sed per carnem ipsam cuius natura peccatum, & commissum fuit, & serpebat in omnes. Lex ergò gratiæ, qualis est Euãgelica, à morte Christi debuit vigorẽ sumere. ¶ Secunda ratio sumitur ex perfectione legis. Siruauit nanq; Deus naturæ ordinẽ quæ ab imperfecto progreditur ad perfectũ sicuti

Conclusio responsiua.

Duplex quæstionis sensus.

Triplex ratio conclusionis.

D. Thomas.

Secunda ratio cõclusionis.

ſicuti per puerilem ætatem progreditur ad virilem. Ad quod alludit Apoſtolus in illo citato verbo, Non priùs quod ſpirituale eſt, ſed quod animale. Nam embryo, vti ait Philoſophus, priùs viuit vita animali quàm rationali. Et hanc rationẽ declarat idem Apoſtolus ad Galat. 3. Lex pędagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Itaq; ſicut magiſter præſtantior eſt pædagogo, ſic & lex noſtra lege veteri. Prædagogus quippe clientulum in tenera ætate quæ non eſt doctrinæ idonea, metu terroreq; arcet à malo: magiſter verò prouectiorem diſcipulum docendo veritatem allicit ad bonum.

Ariſto.

Paulus.

Tertia rõ.

Tertia ratio inde ſumitur quòd lex noſtra eſt lex gratiæ: & ideò oportuit vt homo ſub lege veteri relictus collabendo in peccatum ſuam agnoſceret infirmitatem, ac ſubinde quàm eſſet gratiæ indigens. Quam quidem cauſam aperuit nobis Pau. ad Rom. 5. vbi ait Lex ſubintrauit vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictum ſuperabundauit & gratia. At qui hæc ratio nõ ſolùm de Euangelio probat quòd eſſet differendum, verùm de ipſamet Chriſti redemptione.

Paulus.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur argumentum reſpondetur quòd cùm humanum genus per peccatũ Protoplaſti noſtri iuſtè fuerit auxilio gratiæ ſpoliatum: nihil ei ampliùs Deus debuit: & ideo quos non ſeruauit, ex iuſtitia perierunt: quibus autem per gratiam opitulatus eſt, pe miſericordiam ſuccurrit. Vnde Auguſt. in lib. de perf. iuſt. infert nullam eſſe perſonarum acceptionem apud Deũ: vt pote quod vbi nulla eſt ratio debiti, nullũ obtinet locum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur q̃ diuerſitas locorum, ſtatus hominum nõ variat: & ideò dum Chriſtus legem dedit, in omnem locum prolatari voluit: diuerſitas verò temporũ diuerſas diſtinguit in genere noſtro ętates: quorũ non omnes fuerunt Euangelij capaces. Tametſi ſuis ſingulæ legibus fuerint inſtitutę: quibus potuerunt obtinere ſalutem. ¶ Ad tertium deniq; reſpõdetur aliã eſſe rationem prouidentiæ in his quæ ad naturam pertinent: alia verò in his quæ ad gratiam. Bona enim naturę non ordinantur ad tollendum peccatum, ſed ad ſuſtentandã vitam: ideoq; homini ſtatim in eius creatione debuerunt conferri: at verò quoniam gratia ad tollendum peccatum confertur, lex abũdantis gratię dari non debuit niſi peccati impedimento ſubmoto.

Auguſtin.

Ad ſecũdũ argumentũ

Ad tertiũ argumentũ

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm lex noua ſit vſque ad finem mundi duratura.

CVM lex vetus aduentu nouæ fuerit repudiata, meritò quis dubitet vtrũ alia ſit præterea ſuperuentura, per quam Euangelica aboleatur. Et arguitur àparte affirmatiua. Dominus, Ioan. 16. pollicitus eſt diſcipulis venturum ſpiritum ſanctũ qui docturus eos eſſet omnem veritatem: at non dum eccleſia cuncta cognouit diuina myſteria: nam multa in dies ſanctis conciliis reuelantur: ergò expectanda eſt alia lex, per quã Spiritus ſanctus nos omnem doceat veritatẽ.

Argum. 1.

¶ Secundò, Matth. 24. ait Chriſtus, Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe: & tunc veniet conſummatio: ſed Euangelium Chriſti iam prædicatum eſt, neque tamen conſummatio peruenit: ergò aliud nobis eſt operiendum Euangelium Spiritus ſancti, aliaq; lex, qua peruulgata, continuò fiat conſummatio. ¶ In cõtrarium facit verbum eiuſdem Redemptoris eodem capi. 24. Dico vobis quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Quod Chryſ. de generatione fidelium interpretatur: quorũ ergò ſtatus ad finem vſq; mundi perdurabit.

Argum. 2.

Chryſoſt.

AD quæſtionem tribus cõcluſionibus reſpondetur, quæ ex hac diſtinctione dimanant. Duobus modis ſtatus mundi variari contingit. Vno ſecundùm legis diuerſitatem, atq; hoc pacto non ampliùs variabitur lex noſtra, ſed vſq; ad finem mũdi perſiſtet. Probatur concluſio. Si Euangelica hæc noſtra antiquę ſucceſsit, eò fuit quòd perfectior eſt illa: nulla autem eſſe poteſt hac Euangelica in hoc mundo præſtantior: ergò nulla eſt illi ſucceſſura. Prior præmiſſa iam ſatis ſuprà declarata eſt: lex enim tanto eſt perfectior, quanto ſuo propinquior fini: legis autem finis, vt habetur ad Rom. 10. Chriſtus eſt: & ideò quo lex vetus elongatior erat à Chriſto quàm noſtra, eo erat imperfectior: noſtra autem adeò eſt propinqua eidem fini vt ipſum habeat præſentem: ergò nulla eſſe poteſt perfectior. ¶ At nè quis cauilletur Chriſtum poſſe aliam perfectiorem ferre, arguitur ſecundò. Legis perfectio ex fine tandem vltimo exiſtimanda eſt: puta ex cœleſti fœlicitate ad quam lex omnis nos ducit: nulla autem

Prima concluſio.

Probatio.

Paulus.

Secunda cõcluſio.

tem

tem in hoc sæculo perfectiùs nos illuc ducere potest, quàm quæ homines omni labe purgat, quæ impedimento nobis est ingrediēdi regnum, Deique ipsius corpore pascit ac sanguine potat, subindeq; valuas eiusdē regni cunctis expandit: hęc autem est lex nostra: idq; Christi ipsi⁹ testimonio cōstat qui initio suæ prædicationis agentibus pœnitētiam regnum cœlorum pollicetur: ergò nulla restat alia præstolanda. Quòd si verbum huc nobis Apostoli obijcias. 1. ad Corinth. 13. Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, nihil obstat: quoniam illic de perfectione quæ nos in patria manet sermo habetur ab Apostolo: vbi fidē propter suam obscuritatem appellat cognitionem ex parte, quæ visionis fulgore euacuabitur. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciē. ¶ Secundo modo potest status hominū variari per hoc quod diuersimodè se habeant ad eandem legem. Et de hoc modo adhibetur secunda conclusio. Nihil vetat quo minùs status legis nouæ, perinde atquè status veteris, mutetur. Quod est dicere: Sicuti lex vetus quandoque accuratiùs obseruabatur, quandoque verò segniùs ac negligentiùs, sic & in statu Euangelico vsu venit. Aliquando enim latiùs multò ac fusiùs patuit Christianus cultus: quandoque verò idem Christianismus strictior fuit & angustior. Ratio autem huius conclusionis, non quidē Deus est, qui paratissimus est omnes homines saluos facere, sed humana libertas. Nam cùm gratia Euangelica, vt dictum est, habentes non confirmet in bono, sed suo relinquat arbitrio: vsu illis proinde venit vt eādem gratiam abijcientes ac despicientes carnalibus desiderijs mancipentur. ¶ Tertia conclusio. Et si status Christianismi latior patentiorque expectetur, nullus tamen futurus est, vbi gratia copiosior sit & abundantior quàm hactenus præcesit. Prior pars inde patet quòd, vt Christus testatus est, quousque Euangelium in vniuersum mundum prædicetur, non erit finis. Et ad Romanos 11. Apostolus ait cæcitatem in Israël contigisse vt plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Quo loco declaratum reliquimus quemadmodùm ante finem mundi ab omnibus sit lex Christi exosculanda. Posterior verò conclusionis pars probatur. Nam quando nulli antecessissent sancti præter Deiparam Virginem atque Apostolos, qui Spiritus primitias acceperunt, non est cur alios expectemus tam ingentis sanctitatis. Quibus nihilo minùs numerosissima Martyrum, Confessorumque atque Virginum copia adhuc per Dei gratiam successit. Quocirca etsi sub Antichristi tyrannide defuturi non sint sanctitate proceres, qui eius truculētissimam rabiem perpessi, pro fide Christi atrocissimas mortes oppetant: tamen priscorum excellentiam non adæquabunt.

obiectio.

Solutio obiectionis.

Secunda cōclusio.

Ratio cōclusionis.

Tertia conclusio.

Probatio prioris partis.

Paulus.

Probatio posterioris partis.

CIRCA primum igitur argumentum notandum est non defuisse hæreticos qui negarent missionē Spiritus sancti, quam Christus pollicitus est, completam fuisse in die Pentecostes. Vnde Manichæi aiebant in suo magistro fuisse completam: quem (vide blasphemiam) Spiritum paraclētum appellabant. Montanus autem & Priscilla non vsque adeò blasphemabant: dicebant nihilo minùs in illis fuisse completam: vt Augustinus contra Faustum meminit. Attamen inconcussa stat catholica veritas, in illis fuisse cōpletam: neque aliam deinde sperare licēre. Iussi nanque fuerunt sedere in ciuitate, donec induerentur virtute ex alto: vt patet Lucæ. 24. promissumque illis est, vt baptizarentur Spiritu sancto, vt Actuum. 1. legitur: quod completum est cùm illis idem Spiritus linguis igneis affulsit. Vnde Ioannis. 6. Nondum erat Spiritus datus, quia nō dum Iesus erat glorificatus. Vbi rerum consequentia denotantur: nimirum quòd protinus Christo per resurrectionem & ascēsionem glorificato, Spiritus fuerit plenissimè datus. Ad argumentum ergò vt respondeamus, negatur Ecclesiam nondum cognouisse omnem veritatem iuxta Christi pollicitationem. Intelligitur nanque promissio illa de omni veritate quę est ad salutem necessaria: quam quidem plenè fuerunt Apostoli docti, ipsique Christianam familiam docuerunt: secūdum illud, Ite & baptizate omnes gentes, docentes eos seruare quæcunq; dixi vobis. Quocirca vbi Petro Christus promisit quòd sua fides non foret vsque ad finem sæculi Ecclesiam defectura, illic pollicitus est quòd esset necessariam omnem veritatem cognitura. Vbi tamen illius cognitione indigeret. Quare non simul omnia nouit, sed nouis obortis hæresibus, temporum curriculo, sicut aurora consurgens, magis ac magis illu-

Manichæi.

Montanus.

Augustin.

Veritas catholica.

Ad primū argumētū.

gis illuminatur. Sunt tamen alia quæ non sunt de necessitate salutis. Et hæc non decuit Apostolos, aut doceri, aut docere. Vnde eodem capitu. Actuum. 1. Non est, inquit, vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate. ¶Ad secundum respondetur quòd cùm Christus Euangelium suum appellauerit Euangelium regni cœlorum, stultissima hæresis esset aliud præstolari. Verbum autem Christi Augustin. epistola. 3. ad Esyciũ, quæ est 80. multis modis exponit. Primùm enim Redemptor nihil aliud sibi voluit quàm quòd non esset finis mũdi venturus, antequàm Euangelium prædicaretur in vniuerso mundo: quãto autem tempore post eiusmodi prædicationem esset venturus, non declarauit. Secundò, vt Chrysostomus & alij interpretantur, non tam de fine mundi quàm de Hierosolymitana euersione illic loquebatur. Vnde statim subdit: Cùm ergo videritis abominationem desolationis. &c. tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes. Quocirca idem Chrysostomus ante illam subuersionem opinatur Euãgelium fuisse prædicatum in vniuerso orbe: secundùm Propheticum verbum quod ad Romanos. 10. citauit Apostolus: In omnem terram exiuit sonus eorum. Nam si non intelligeretur tunc iam completum, nullum esset argumentũ Pauli, quo volebat Iudæos excusatione denudare, quàm sibi prætexerint, quòd non receperint fidem, quam non audiissent. Tametsi Augustinus in eadẽ epistola cõtendat nondum tunc temporis Pauli impletum fuisse vaticinium illud quanuis per verbum præteritifuerit prolatum. Quoniam & Propheta similiter illud protulit: & tamen ætate sua nondum erat impletum. Cui simile & illud est alterius Psalmi, Foderunt manus meas & pedes meos. Et certè citra stupendum miraculum non potuisset in totum terrarum globum tuba Euangelica tam breui intonuisse: vt latiùs loco citato super Paul. scriptum curauimus. Hieronymus autem super eundem locum Matthæi item per hanc distinctionem conatur dirimere. Euangelium dupliciter intelligi potest diuulgari: vno modo ita vt fama Christiani nominis euolet. Et hoc modo fieri potuit, vt Apostolorum sæculo eadem fama à gente in gentem per ora delata in vniuersum permanauerit orbem: non tamen cum illa energia vt Christi fides vniuersis persuaderetur. Alio ergò modo contingit vt cum effectu sic prædicetur fides, vt in culpa omnes constituat, qui eam non recipiũt, Et hoc modo tenendum est cum Augustino quod nondum fuerit Euangelium vniuerso orbi euulgatum. Vnde infert sanctus Thomas, quòd si priori modo prædicatio Euangelij intelligatur, subintelligendum est cum Chrysostomo tunc subsequutum esse finem, hoc est, Hierosolymorum excidium. Postquàm verò posteriori modo vniuersum orbem compleuerit, tunc demum subsequetur mundi consummatio. Nam negari non potest, quin eodem loco Christus de vtroq; fine & termino promiscue loqueretur.

Ad secundum argumentum.

Augustin.

Prima interpretatio citati loci.

Cecunda. Chrysost.

Paulus.

Augustin.

Hieronym.

D. Thomas

QVAESTIO OCTAua, De collatione legis nouæ cum veteri.

Sanct. Thomas. 1. 2. quæst. 107.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm lex noua sit veteris complementum.

POSTQVAM lex diuina in veterem & nouam est distincta, scire expedit quibus modis hæc ab illa distinguatur. Et arguitur primò à parte negatiua q̃ nullo distinguantur modo. Vtraque lex data est colentibus Dei fidem: vtpote sine qua, vt ad Hebræos. 11. ait Paulus, impossibile est placere Deo: eadem autem est nostra antiquorum q̃ fides, vt suprà expositum est: ergò eadem est lex. ¶Secundò arguitur quòd noua non sit veteris complementum. Complere enim huic opponitur quod est euacuare, & inueterare: lex autem noua euacuauit antiquam, secundùm illud ad Ephesios. 2. Legem mandatorum decretis euacuans: eamq̃ inueterauit, hoc est antiquauit, secundum illud ad Hebræos. 8. Nouum testamentum veterauit prius. Quod præterea & Christus facto ipso monstrauit: nam multa contraria illi legi, tum

Primum argumentum

Argum. 2

tum docuit, tum etiam fecit: vt est illud Matthæi. 5. Audistis quia dictũ est antiquis. &c. Ego autem dico vobis: vnum autem contrarium non complet alterum: ergò noua vetera non compleuit. ¶ Tertiò: Si noua esset veteris complementum, sequeretur quòd in illa fuisset contenta tanquàm veritas in figura: multa autem credẽda nobis tradita sunt & agenda in noua lege, vti sunt sacramenta & consilia, quæ in veteri non extabant: ergò nostra nõ continebatur sub illa: atque adeò neque illam compleuit. ¶ Contrarium asseruit Christus Matthæi. 5. Non veni soluere legem, sed adimplere. Vnde & subdit Iòta vnum aut vnus apex non prẽteribit donec omnia fiant.

Argum. 3.

ET hæc quoque quæstio in superioribus tacta fuit & bona ex parte definita: Sed vt recentes adhibeantur rationes, tribus etiamnum conclusionibus secundùm argumentorum numerum diluetur. Prima. Lex Euangelica neque prorsus est alia ab antiqua, neque omninò eadem: sed sic ab illa distans, vt perfectum ab imperfecto. Probantur partes omnes. Cùm vnaquælibet lex finem habeat peculiarem, illæ sunt omninò diuersæ quę in diuersos tendunt fines: sicuti leges reipublicæ per Regem administratæ aliæ essent à legibus alterius quę per Aristocratiam gubernaretur, atque à legibus illius quæ regeretur per Democratiam. Illæ autem leges quæ ad eundem ordinantur finẽ, quarum tamen vna propiùs ad eundem accedit finem quàm altera, non latiùs differunt quàm sicut perfectum ab imperfecto sub eodem fine: vt leges quæ adultis perfectisque viris ponuntur, atque illæ quibus instituuntur pueri. Exemplum est in motibus naturalibus. Motus enim sursum alius est à motu progressiuo: sed tamen intensior calefactio non est omninò diuersus motus à remissiori. Ad propositum ergò, cùm lex noua & antiqua ad eundem tendant finem: nam idem est Deus vtriusque testamenti, qui illos vt pueros sub pædagogo ad vitam æternam educabat, nos verò tanquam viros prouectos ad eandem beatitudinem instituit, secundùm illud ad Romanos. 3. Vnus Deus est qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem: non sunt omninò diuersæ: sed differunt sicuti lex timoris, quasi ferula coërcens pueros, vt ad Galat. 3. significat Apostolus: & lex charitatis, quę est vinculum perfectionis, qua nos Christus peculiariter instituit, vt expositum est. Hanc conclusionem quæst. 1. artic. 1. huius libri fusiùs luculentiusq; expositam reliquimus: nempè quemadmodum lex nostra eo sit antiqua perfectior, quòd modò per eius sacramenta gratia conferatur, per quam solam supremum finem legis adipisci possumus. Nam illi non per legem, sed per fidem & gratiam eiusdem nostri authoris seruabantur. Et ideo non opùs hìc nobis est ampliùs immorari. ¶ At verò quia diximus illam fuisse legem timoris: nostram verò charitatis & amoris, qua breui differẽtia ait Augustinus contra Adaman. Manichæ. legem nouam à veteri diuersificari, non est id memoria prætereundum, quod in præcedentibus adnotauimus, non defuisse in illa lege quosdam, qui ducerentur amore. Nam illis etiam præceptum erat Leuit. 19. Diliges proximum tuum. Et Deutero. 6. Diliges Dominum Deum tuum. Et in nostra aliqui contrà trahuntur timore: nam & nobis comminatus est Christus ignem æternum. Discrimen ergò non est sumendum ex conditione singularum personarũ, sed ex conditione statuum ambarum legum in genere. Etenim quoniam ille erat puerorum status qui metu potiùs arcentur à malo quàm ratione ducantur ad bonum: noster verò status sit liberorum, quos Christus à lege & morte, vt habetur ad Romanos. 8. liberauit, & liberi amore potiùs filiali quàm seruili metu ducãtur, nostra dicitur lex amoris: illa verò, timoris. ¶ Ac pari modo de alia censendũ est differentia, quam idem Augustinus contra Faustũ libro. 4. inter easdem leges constituit: nempè quòd illud testamentum ideo dicatur vetus quòd præmia tantùm temporalia caducaque promittebat quæ senescunt: nostrum verò, nouum, eò quòd sempiterna pollicetur quæ semper virescunt: non inquam sentiendum est discrimen inter personas: nam & illic aliqui alliciebantur æterno præmio: & hìc vice versa nonnulli pelliciuntur temporali. Etenim & Marci. 10. promittitur relinquentibus domos & fratres, quòd centies in hoc tempore accipient, præter vitam æternam: sed hæc differentia inter status est dignoscenda. Nam pueri præsentibus munusculis inescantur, quæ ideo illic erant frequentissima: nobis autem rarissima: vtpote qui tanquàm viri ad absentia potiùs, sed tamen

Prima conclusio.

Probatio.

Qualiter discrimen positum sit accipiendum.

Paulus.

Augusti.

men sempiterna inhiamus. Horum etiã instar intelligendum est discrimen aliud quod Apostolus ad Romañ. 4. internoscit: vbi legem antiquam appellat legem factorum: nouam verò legem fidei. Haud enim denegandum est quin & illic locum etiam haberet fides Christi, per quam tam illi quàm nos iustificamur. Neq; vice versa negandum quin & lex nostra contineat facta, tam moralia, secundum illud Matthei. 5. Benefacite his qui oderunt vos, quàm ceremonialia: vt sunt sacramenta, secundùm illud Lucæ. 20. Hoc facite in meam commemorationem. Sed tamen quia lex illa plurimùm præsertimque in factis illis, puta in ceremonijs posita erat, quæ non, vt nostra sacramenta, iustificabãt: neque verò moralium opera, sed sola fides Christi salutem operabatur: nostra verò lex præcipuè, vt expositum est, consistit in interna fide & gratia, quàm abundè Spiritus sanctus in nos effudit, Lex illa dicebatur lex factorum: nostra verò per antonomasiam lex fidei & gratiæ. ¶ Secunda conclusio. Lex nostra fuit antiquæ complementum. Omne enim perfectum id quod imperfectũ est complet, eius supplendo defectus. Hunc autem supplendi modum in calce expositionis cap. 3. ad Romañ. super illo verbo, Legem ergò destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus, fusè dilucidauimus. Est enim in lege duo considerare: scilicet & finem & præcepta: finis autem legis illius duplex erat. Vnus communis illi & nostrę, qui est per iustitiam perducere in vitam æternam: alter verò illi peculiaris, puta futuras veritates præfigurare. Præcepta verò erant in triplici genere, morali scilicet, ceremoniali, ac iudiciali. Et quantum ad hæc omnia, absolutissimè lex nostra compleuit veterẽ. Primùm omnium quantum ad finem illum supremum, qui est, iustificare, illam compleuit, id quod illa non valebat, perficiendo. Nam cùm opera illa de se non iustificarent nisi in fide Christi: quare quotquot iusti vita defungebantur, in limbo, ceu in depósito tenebantur reconditi, aduentum eius præstolantes, qui aditum illis ad regnum panderet, & lator nostrę legis beneficium illud quod illi expectabant, exhibuit, meritò lex nostra hac ratione illam compleuit. Vnde Paulus ad Romanos. 8. Quod impossibile erat legi, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati damnauit peccatum in carne: vt iustificatio legis (id est, quam expetebat lex) impleretur in nobis. ¶ Deinde & alterum eiusdem legis finem, scilicet significare, quod proprium erat ceremonialium, impleuit, exhibendo veritatum lumina, quarum lex illa vmbram gerebat. Vnde ad Colossen. 2. ait Paulus ceremonias illas fuisse futurorum vmbram, corpus autem, Christi: hoc est eorum veritatem pertinere ad Christum. Ob idque lex illa dicebatur lex vmbrę & figurę: nostra autem lex veritatis. ¶ Secundò & præcepta ipsa perfecit compleuitque Christus lege noua, & facto & verbo: facto scilicet, seruãdo legem: nam & circunciśus est & oblatus templo, & alia persoluit legalia, iuxta illud ad Galat. 4. Factum sub lege. Verbo autem tripliciter eadem impleuit, hoc est perfecit præcepta. Primò scilicet legitimum intellectum depromendo: vt homicidij & adulterij, quorum sensus Pharisæi deprauauerant, docentes tantùm prohiberi illic manum, non animum. Christus nanque docuit animi etiam affectiones illic compesci. Secundò & cautelas adhibuit tutiùs illa seruandi: vt non iurare omninò, neque per cœlum, &c. nisi necessitate intercedente. Et tertiò superadderndo consilia: vt patet Matthæi. 19. vbi iuueni asserenti seruasse præcepta, consuluit vt si esse perfectus vellet, diuenditis quæ haberet, sequeretur se. Cùm ergò Christus his modis legem impleuerit, meritò illam absoluit, ac subinde ostendit per Euãgelium esse exclusam: nõ tamen destructam, vt ait Paulus: quia permanet in testimonium nostræ. ¶ Tertia conclusio. Lex noua continebatur in veteri: non quidem actu, sicuti locatum in loco: sed virtute, vt perfectum continetur in imperfecto, puta animal in embryone, & actus in potentia: videlicet species in genere, & arbor in semine. Conclusio ex dictis palàm fit manifesta. Quo quidem sensu intelligitur illud Ezech. 1. Rota erat in rota, hoc est, Gregorio interprete, nouum testamentum in veteri. Vnde Chrysostomus exponens illud Marci. 4. Vltrò terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentũ in spica, ad tria id genera legum accommodat. Lex enim naturæ tantùm herbescere valuit: Lex verò Moysi, spicas protulit, quas Euangelica pleno frumento compleuit.

Qua ratione lex vetus appellatur lex factorũ, noua verò lex fidei.

Secunda cõclusio.

Vide authorem in ca. 3. Epistolæ ad Romañ.

Quot modis lex noua fuit complementum veteris.

Paulus.

Paulus.

Tertia conclusio.

Gregorius. Chrysost.

AD primum igitur argumẽtum respondetur ꝙ licèt eadem fuerit fides antiqui & noui

Ad primũ argumẽtũ.

& noui testamenti, inde tamen solùm colligitur quòd fuerint vna lex ex parte finis: attamen quia fides eadem alterum tunc habuit statum, quo scilicet sperabantur futura: alterum verò in nostra, quo illis potitur præsentibus, quadantenùs sunt diuersæ leges. ¶ Ad secundum verò negatur impletionem, quemadmodùm expositũ est, euacuationi & antiquationi esse contrariam: imò ceremonialia per hoc quòd veritate impleta sunt, fuerunt euacuata: hoc est mendacia deinde facta: Moralia verò nõ fuerunt euacuata: sed neq; iudicialia sic quin instituì rursùs possint. Præcepta verò Christi, vt Augustinus Faustum docuit, non erant antiquis contraria. Lex enim, verbi gratia, libelli repudij, non præcipiebat vxorẽ repudiare. Tunc enim contraria esset ei repudiandi prohibitio: sed id permittebat: docens tamen, vt nõ facilè dimitterentur vxores. Cui quodam modo concinuit lex Christi, docens vt non dimitterentur nisi fornicationis causa. Correxit tamen antiquam legem vt non dimitterentur nisi quo ad torum. Pari modo dicendum de prohibitione iuramenti, & de mitigatione legis talionis: aliqua enim duro illi populo & peruicaci indulgenda erant quæ Euangelicis non decebat permitti..

Ad secundũ argumẽtum.

¶ Ad tertium deniq; respondetur quòd omnia quæ in nouo testamento proponuntur explicitè credenda, implicita latitabãt in veteri: imò & omnia quæ præcipiuntur agẽda, quanuis excelsiora videãtur quàm quæ illic palàm extant, quantum ad substãtiam illic omnia penè recondebantur. Sed quia non ab omnibus erant percepta, luculentiùs sunt ac locupletiùs per Christum exposita.

Ad tertiũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm lex noua grauior sit quàm antiqua.

Argum. 1.

POSTREMO comparando est lex nostra ad veterem in grauitate: & arguitur quòd sit grauior, tũ quòd nõ solum externos actus, verùm & internos prohibet in quibus comprimẽdis angor & labor est: tum etiam quòd illa accedentibus ad Deum prosperitatem temporalem pollicebatur, nostra verò tribulationes, secundũ illud. 2. ad Corinth. 6. Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patiẽtia, in tribulationibus, in necessitatibus & angustijs. In contrarium autem est testimonium Christi Matth. 6. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: nempe, secundùm expositionem Hilarij, oneribus legis, quorũ meminit Petrus Act. 15. Vnde & subdit, Iugum meum suaue, & onus meum leue.

Hilarius.

AD quæstionem supposita distinctione duabus conclusionibus respondetur.

Distinctio.

In lege enim duplicem est considerare difficultatem & laborem, scilicet tam ex parte obiecti, quàm ex parte modi agendi. Sit ergò prior conclusio. Si difficultas ex parte obiecti perpendatur, multò erat grauior antiqua lex quàm noua: nempè quæ non solùm Decalogum, verùm & numerosissimã importabilemque, vt ait Petrus, ceremoniarũ iudiciorumque farcinam humeris illius populi imponebat. Sic enim congruens erat indomitam illam gentem & ad nouitates procliuem exercere, nè otium eis malorum occasionem offerret. Cùm tamen nostra, præter ipsissimam naturæ legem non nisi sacramenta, eademque in bonum nostrum imperauerit. ¶ Posterior conclusio, Si difficultatem ex modo agendi existimes, & illa quæ Christus expressit animaduertas, grauior est quodammodo nostra: illis tamen præcisè qui non sunt virtutum habitibus imbuti. Expressit enim nobis vt animi etiam motus componeremus, quos vt. 5. Ethicorum autor est Aristot. reprimere carentibus habitu, quàm difficilimum est. Ait enim operari iusta, facile esse: sed tamen operari iustè, hoc est, animi promptitudine & alacritate, perquàm difficile, quousque per ingenitos habitus virtutes dulcescant. Vnde super illud Matthæi. 5. de minimis mandatis ait Chrysostomus, Mandata Moysi in actu facilia sunt: vt, Non occides, Non adulterabis: mãdata verò Christi, scilicet, Non irascêris, Non concupiscês, in actu difficilia sunt. At verò Augustinus super illud. 1. Ioannis. 5. mandata eius grauia non sunt. Grauia, inquit, non sunt amanti, sed non amanti sunt grauia. ¶ Circa priorem conclusionem hoc non est, quin ad moneamus, dissimulandum, quòd etsi in Euangelio facultatem Christus Ecclesiæ reliquerit superaddendi sanctiones nouas: eadem

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Probatio conclusionis Aristote.

Chrysost.

August.

Pulchra admonitio rectoribꝰ christiani populi suscipienda.

dem tamen facultate Antistites quàm temperatissimè & moderatissimè vti debent, nè Magistri iugum, quod leue suaueq; ipse esse voluit, molestum atque acerbum reddant. Quare primùm omnium in hisce legibus cõdendis id debet sanctissimè eis esse perspectum, vt nulla condatur lex nisi quam ad tutiorem custodiam Euangelij duxerint necessariam. Est enim Euãgeliũ murus Syon, quem Ecclesia circundare debet antemurali. Mox cauendum est nè legum multitudo ipsas vilipendio exponat, atque adeò causa sit vt non opere expleantur, sed pretio redimantur, ac subinde diruto antemurali concutiatur murus. Vnde Augustinus ad inquisitiones Ianuarij de eiusmodi legum multiplicationibus, Ipsam, inquit, religionem nostram quam in manifestissimis & paucissimis celebrationum sacramentis Dei voluit misericordia esse liberã, seruilibus premunt oneribus, adeò vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur.

Augustinus.

Illustratur posterior conclusio.

¶Circa posteriorem verò conclusionem & hic quoque notato quòd non adstruximus etiam quantum ad modum operandi grauiorem simpliciter esse legem nostram, sed quo ad expressionem, quàm antiquam: tum quòd etiã illa sanè intellecta internos quoque animos compescebat. Dum enim homicidium prohibebat & adulteriũ, affectiones quoq; eorum admonebat ex animo cõuulsas iri: tum maximè quòd qui incompositos corruptosque patitur animi motus, multò difficilimè potest à prauis operibus abstinere. Vnde licèt rigida videatur prohibitio interni motus, suauior tamen est ad cauendũ opus.

Lex Christi leuis ac dulcis.

¶In summa, vide quàm fuerit lex Christi leuis ac dulcis. Tria tantùm continet: moralia scilicet præcepta, sacramenta, & consilia. Et moralia quidem idcircò iussit, quòd cùm sint de iure naturæ, nequiuit non iubere: sacramenta verò, licèt superaddita videantur, in hoc tamen præcepta nobis sunt, vt per gratiam quam conferũt, opitulentur nobis ad implendum legem: quam porrò per nos implere non sufficimus. Quare & in hoc lex nostra leuior est quàm vetus: quandoquidem ad eleuandum legis onus, sacramenta nobis adhibuit, quæ illis erant onera. Sed consilia sic nos Christus docuit, saluberrima nobis esse, vt tamen nolue rit præcepti necessitatem habere.

Ad argumentum factum.

AD argumentum igitur in contrarium respondetur quòd aduersitates & angores quos lex noua diligentibus Deum offert, & spe regni iam nobis patẽtis & filiali amore dulcescunt.

Epilogus discrepatiarũ legis veteris ac nouæ.

¶Est igitur operæpretium in calce quæstionis præsentis quæ de differentijs inter legem veterem & nouam instructa est, omnium pro nostra facultate Epilogum colligere: quæ sunt numero duodecim.

Prima differentia.

Prima sumitur à dignitate legislatoris ministriq; legis. Vetus enim per Moysen data est: noua verò per Deũ ipsum hominem factum lata & inuulgata. Quare illa dicitur lex Moysi: hæc verò Christi.

Secunda.

Secunda attenditur ratione subiecti. Illa nanque, vt proximè dicebamus, extra hominem in tabulis scripta est: hæc verò intùs in anima. Quapropter illa dicitur corporalis & scripta: hæc verò spiritualis atque indita.

Tertia.

Tertia consideratur ratione temporis. Illa quippè temporalis erat, id est, per tempus duratura: nostra verò vsque ad finem mundi. Quocircà illa dicitur temporalis: nostra verò perpetua.

Quarta.

Quarta, ratione vniuersalitatis. Illa siquidẽ vni peculiari populo data erat: nostra verò vniuerso mundo: Quamobrem illa dici potest particularis: nostra verò vniuersalis.

Quinta

Quinta differentia patet rationæ figuræ. Quandoquidem illa, vmbra erat & figura nostræ: nostra verò, illius veritas: qua de causa illa vmbratilis erat: nostra verò patens.

Sexta.

Sexta ratione significationis: nam etsi eadem fides esset illis nobisque necessaria ad salutem: tamen quæ illi implicitè credebant futura, nos gesta iam explicitè confitemur.

Septima.

Septimum vtique discrimen idemque potissimum ex parte perfectionis atque effectus expenditur. Nam etsi neque nostra neque antiquorum opera sine gratia iustificent, tamẽ quia passio illis non erat exhibita, neque sua sacramenta gratiam, vti nostra, conferebant, lex Euangelica iustificat: quod illa de se præstare non poterat. Quapropter illa dicitur lex operum, nostra verò lex fidei & gratiæ.

Octaua.

Vnde octaua differentia sumitur ex natura præceptorum. Illa quippe grauior erat, nostra verò leuior ac suauior.

Nona.

Nona differentia. Lex nostra explicatiora atq; adeò ampliora continet præcepta quàm illa: vt puta. quæ actus interiores expressiùs prohibet

Decima.

Ac decima quòd consiliorum perfectionem illi superaddit.

Vndecima.

Vndecima quòd illa temporalia promittebat & comminabatur: quare dicitur

re dicitur Lex timoris & seruorum: nostra verò sempiternam hæreditatem nobis polli cetur. Quare dicitur Lex filiorum ac liberta tis. Sed duodecima suprema q; differẽtia est, q illa cœli portas nõ aperiebat: nostra verò id nobis præstat. Quocircà illa lex temporalium regnorum dicebatur, quæ Deus promisit contulitq; illi populo: nostra verò lex regni cœlorum.

Duodecima

QVAESTIO NONA, De his quæ in lege noua continentur.

Sanct. Thomas. 1.2. quæst. 108.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm lex noua actus exteriores sufficienti ordine instituerit.

POSTREMA QVAEstio de lege noua, atque adeò de tota legũ materia mouetur de his quę eâdem Euangelica lege constituta sunt: quorũ sunt tria genera: nempè præcepta, sacramenta, & consilia: quibus instituimur, tam quantum ad externa opera, quàm etiam quantũ ad internos animi motus. Quęritur ergò primò, vtrũ exteras actiones probè instituerit. Et arguitur à parte negatiua quòd circa huiusmodi actiones nihil debuit Euangelium constituere. Lex Euangelica est lex Regni cœlorũ, vt patet in Christi prædicatione, Appropinquauit regnum cœlorum. Et Matth. 24. Prædicabitur Euangelium regni: regnum autem huiusmodi nõ cõsistit in externis operibus, sed in intimis, secundùm illud Luc. 17. Regnum Dei intra vos est. Et ad Romanos. 14. Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Quare inter leges veterem & nostrã illa suprà posita internoscitur differẽtia, quòd illa cohibebat manum, hęc verò animũ. Accedit quòd & ad Rom. 8. dicitur lex spiritꝰ. Et. 2. Corin. 3. vbi Spiritus Domini, ibi libertas: non est autem libertas vbi homo ad exteriora opera vel facienda, vel cauenda obligatur: ergo nil debuit de exterioribus officijs decernere. ¶ Secundò principaliter arguitur cõtrario modo, quòd manca fuerit & minùs sufficiens circa eiusmodi exteriora opera. Lex enim Euangelica ad fidem pertinet quæ per dilectionem operatur: secundùm illud ad Gala. 5. In Christo Iesu neq; circũcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per charitatem operatur. De fide autem plura explicuit credenda quæ non erant explicita in lege veteri: ergò debuit etiam de charitate moralia superaddere mandata: quod tamen non fecit: quia solum Decalogum sicut illa nobis iussit. Item & circa ceremonias ad diuinum cultum pertinentes angustior videtur & breuior: quia tantùm sacramenta nobis tradidit: cultus autem Ecclesiæ reliquit instituendos, sicuti & cum iudicialia multa illic per se Deus edixerit: nulla tamen nobis tradidit, sed reipublicæ tam ciuili quàm ecclesiasticæ hoc permisit: est ergò circa exteriora minùs sufficiens minusq; prouida quàm antiqua. ¶ In contrarium est illud Matth. 7. Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domũ suã supra petram: sapiens autem ædificator nihil eorum prætermittit, quæ sunt ad fabricam conducentia.

Primum argumentum à parte negatiua.

Argum. 2.

IN hac quæstione altissima est meditanda Dei prudentia ac benignitas in condenda Euãgelica lege. Primùm igitur omnium ex superioribus hoc recolendum est fundamẽtum, quòd lex Euangelica nõ solùm altior est quàm humana, quippe quæ nõ ad finem tantùm naturalem, sed ad supranaturalem nos instituit: verùm & quàm Mosayca inde præstãtior quòd fidem & gratiam, quam illa præfigurabat, per Christi passionem exhibet: per quam gratiam introducimur in regnum cœlorum. Ex hoc enim fundamento colligitur, nihil de operibus nostris eandem legem stabilire, quàm quæ ad eandem gratiam ordinantur ac referuntur. Atq; eo gradu & ordine vnumquodq; prohibet ac consulit, quo ad eandem gratiam confert. ¶ Hoc præhabito, ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima est. In operibus exterioribus primùm omnium lex Euãgelica ceu fundamenta prouidentissimè iecit septem sacramenta. Tria enim operum

Fundamentum.

Prima conclusio.

genera in fronte quæstionis tetigimus: scilicet sacramenta, & moralium præcepta, & consilia. Probatur conclusio. Gratia in qua legis substantia consistit, bifariàm consideratur: videlicet quantum ad eius generationem & acquisitionem: & rursùs quantum ad eius vsum & exercitium: generatio autē eius & infusio, munus supernaturale est, quod nobis Deus per mediatorem, puta per filium suum, hominem factum communicat: quare ipse priùs secundùm humanitatem plenus fuit gratia absq; mensura: eandemque subinde per eandem humanitatem in pondere & mensura nobis impartitur: secundùm illud Ioannis. 1. cap. Verbum Caro factum est. &, Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. &, de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et quoniam Deus supernaturalia ipsa ea suauitate disponit vt ad modum naturæ nostræ nobis participentur, nostra autem cognitio à sensibus incipit, decuit eandem gratiam per exteriora nobis signa suppeditari: vt per illa tum certi pro captu nostro efficeremur nostræ salutis: tum etiam noster excitaretur animus ad diuinum cultum. Et hæc sunt septem sacramenta de quorum sufficientia non est præsentis loci dicere. Quapropter necessarium fuit vt Christus ipse tanquā autor gratiæ, per se, tum illa instituereet, vt Baptismū, Eucharistiam: tunc perinde crearet eorundem sacramentorum ministros: nempè Apostolos ac discipulos totumque subinde sacerdotalem ordinem. ¶Secunda conclusio. Non decuit maiestatem ac libertatem Euangelicæ legis vt alia sacra, & obseruantiæ, & ceremoniæ per ipsam instituerentur, quàm quæ eisdem administrandis sacramētis necessariæ erant: sed hoc debuit Ecclesiæ prudentiæ committi. Probatur conclusio ex differentia inter statum antiquæ legis & nostrum. Populus enim ille, vt identidem ex Apostolo adnotauimus, erat sicut in puerili ætate sub pædagogo, nondum virili prudentia præditus: & prætereà figuras vmbrasque gerebat futurarum veritatum: vtriusque ergò ratione condecens erat vt Deus per se illum de cunctis etiam minutioribus per suas leges erudiret, neque reipublicæ eorū institutiones committeret. Christiana verò familia, tum ætate & prudentia prouectior, atque adeò idonea cui traderetur hæreditas, tum etiam cui per suas ceremonias non alium Messiam deberet præfigurare, non erat cur de eiusmodi ceremonijs tam peculiariter erudiretur, sed id muneris Ecclesiæ concrederetur. Atque eò potissimum quòd munus illud Christus Spiritui sancto dimisit, quem venturum pollicitus est, vt eandem sanctam Ecclesiam doceret omnem veritatem. ¶Ecce de operibus quibus gratiam diuinam assequimur. Illa autem quæ ad eius vsum pertinent, sunt charitatis officia, quæ erga Deum & proximum exercemus, quibusque adeò per diuinum fauorem eadem nobis augetur gratia. Horum autem operum quædam sunt vel ad eius custodiam necessaria, vel eidem necessariò contraria: alia verò libera sine quibus in eadem Dei gratia permanere possumus. ¶Sit ergò tertia conclusio. Necessarium fuit vt lex Euangelica opera quæ necessariam habent connexionem ad gratiam per se præciperet, & quæ illi obstant prohiberet: hæc autem sunt quæ Decalogus nobis exhibet, & quæ ibi impliciter continentur: hoc est necessaria consequentia inde colliguntur, quorum quæstio. 3. tres gradus distinximus. Conclusio est manifesta: nam legislatoris prudentia in necessarijs nō debet deficere. ¶Quarta conclusio. In alijs autem quæ hanc non habent necessariā connexionē ad gratiam, non fuit congruēs Euangelicæ legi vt illa in particulari per se Christus definiret: sed, sicut dictum de ceremonialibus est, ità & iudicialia reipublicæ tam ciuili quàm Ecclesiasticæ committeret. Iam enim sæpè dictum est, ceremonialia & iudicialia à moralibus differre quòd non eliciuntur ex principijs naturæ, sed arbitramento quodam generale præceptum ad speciale contrahunt. Et sicut ceremonialia ad cultum diuinum attinent, ità & iudicialia ad quietum reipublicæ statum. Ratione ergò iam proximè assignata, nempè quòd Euangelicus populus prudentia progressus est, & quasi liber ad hæreditatem admissus, relinquendus in his iudicialibus erat suę reipublicæ: vt contractuum leges & malefactorum supplicia, quæ illic per se Deus constituebat, Antistites Euangelici & sæculares Principes suo arbitratu sancirent. Accedit & altera huius ratio quòd lex illa vni eidemque pusillo populo posita est: nostra verò vniuerso orbi: ille ergo populus cuncta illa seruare poterat: Christianis verò pro diuersitate temporum, regionum, atque hominum sunt iudicia constituenda. Quare Chri-

Probatio conclusionis

Secunda cō clusio.

Ostenditur conclusio.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.

Ratio cōclusionis.

Altera ratio conclusionis.

re Christus nihil nobis comminatus est neque pollicitus nisi inferna, & cœlestia, & sufficientiam vitæ: hoc enim illud sonat, Cētuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Alia verò supererogationis opera, neq; præcepit, neque omninò voluit vt cuncta ab Ecclesia præciperentur: sed aliqua: vt ieiunia quadragesimæ, & quędam festa. Reliqua verò consuluit & vniuscuiusq; optioni reliquit, vt art. 3. videbimus. ¶ Ex his ergo trina ratio colligitur cur legem nostram Iacob. cap. 1. appellauerit legem perfectæ libertatis. Primò, quia tanquàm adultis filijs & iam à pędagogia exeuntibus hæreditatis possessionem nobis tradidit. Secundò quòd neq; ad ceremonialia aut iudicialia Christus nos, vt antiquos, coarctauit: sed liberè illa reliquit præfectis ac magistratibus pro conditione locorum ac temporum instituenda. Sed tertiò quod illa noluit vt quasi serui metu impleremus: sed ex habitu gratiæ, vt liberi filij.

Trina ratio quare lex euangelica appellatur lex libertatis.

Ad primū argumētū.

AD primum igitur argumentum respondetur, quòd etsi regnum Dei in intimis cordiū præcipuè consistat, puta in iustitia pace, & gaudio spirituali: nihilo minùs ex consequenti & ad illud regnum illa pertinent exteriora opera, quæ vel extrinsecis motibus foras promānant, vt Dei cultus, & parētum: vel sine quibus cōseruari nequeūt eadē spiritualia, vt homicidia furta &c. Quo circā etsi lex nostra præcipuè prohibeat animum: eum nihilo minús cohibere debet ab illis actionibus quæ ipsum perturbāt. Sicuti vice versa prohibendo antiquis manum, ex consequenti prohibebat animum. Ea verò quæ necessariam non habent cōnexionem ad gratiam lex euangelica per se non constituit vt vetus. Qualia sunt esca & potus, de quibus Paulus loquitur: vt puta delectus ciborum & ieiunia: quæ non Christus sed Ecclesia, eius autoritate sanciuit. Ad aliud autē membrum eiusdem argumenti satis respondetur vbi explicuimus cur lex euangelica dicatur lex perfectæ libertatis. ¶ Ad secundum verò principale respondetur diuersam esse fidei rationem ac moralium præceptorum: nam cùm fides naturali rationi excellat, quam ideo nisi per gratiam apprehendere non possumus, necesse fuit vt lex abundantioris gratiæ cumulatiùs nobis expressiusq; mysteria eiusdem fidei detegeret: moralia autem præcepta sunt de iure naturæ: quæ ideo iactis in decalogo fundamētis potuit respublica Christiana intelligere. ¶ Ad aliud quoq; eiusdem argumenti membrum respondetur, q̄ cùm sacramenta nouæ legis gratiam conferant, necesse fuit vt autor ipse gratiæ illa institueret: sacramentorum autē ritus atq; ecclesiasticas ceremonias, quia nō sunt ad gratiam necessarię, ecclesię Christus commisit, cuius suprà rationē adduximus: Quòd si obijcias redemptorem ipsum ceremonias aliquas Apostolis tradidisse: vt patet Lucæ. 9. & 10. Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris. Respondetur illa ad ceremonias non pertinere sed fuisse vel permissiones, vel institutiones pro illo tēpore Apostolis necessarias. Permissiones, inquam, secundùm expositionem Augustini in lib. de consen. Euang. Nam cùm Apostoli & verbi prædicatores ius habeant exigendi alimēta, illud, Sine pera sine pecunia &c. non tam præcepti formā habet, secundùm Augustinum, quàm concessionis: hoc est, Non opùs est vobis viaticum prouidere, siquidem ius habetis alimēta petendi. Vnde subdit, Dignus est enim operarius cibo suo, Reliqui verò sancti dicūt esse præcepta, non ceremonialia sed moralia: necesse enim tunc habebant qui in discipulatu Christi recentes erant, neque in paupertate satis assueti, ad eandem mendicitatem erudiri. Vnde iam prouectioribus ait idem Redemptor Lucę. 22. Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calciamentis nunquid defuit aliquid vobis? & respondentibus, nihil, adiecit: Sed nunc qui habet saccum, tollat similiter & peram. Quasi iam tūc statum perfectæ libertatis essent ingressi, quando iam relinquendi erant arbitratu suo viuere.

Ad aliud mē brū eiusdē argumenti.

Ad secūdū.

Obiectio.

Solutio.

Augustin⁹.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm lex euangelica interiores nostros actus sufficienter composuerit.

POST actus exteriores subsequitur de interioribus cernere quemadmodùm per legem euāgelicam Christus illis prouiderit. Arguitur ergo de more q̄ non fuerint ab ipso abundè compositi. Primò, vt Matth. 5. videre est, etsi decē sint præcepta decalogi, tria tamen præcisè quantum

Primū argumentum

ad eorũ internas affectiones exactè expreſſeq; emendauit. videlicet homicidium, prohibẽdo iraſci in fratrem: atque adulterium, vetando mulieris conſpectum ad concupiſcendum eam, & circa periuria omnem reſecans iurandi voluntatem, Dico vobis nõ iurare omninò: igitur cùm ſeptem alia ſubticuerit, non ſatis hac parte compleuit perfecitq; abundantiam iuſtitię nouę legis ſuper illam veteris. ¶ Secundò arguitur. Præter *Secundum.* præcepta decalogi quæ moralia ſunt, erant & iudicialia & ceremonialia: deiudicialibus autem tria tãtùm eodem capite correxit, ſcilicet repudium vxoris, talionisq; pœnam, & inimicorum odium. ſed de ceremonialibus nihil meminit: ergo non ſatis humanos affectus compoſuit. ¶ Tertiò ad legitimam animi compoſitionem pertinet vt nihil homo *Tertium.* præter humanum finem faciat: ſunt autem alij humani fines præter inanem gloriã atq; mũdanum fauorem, item & alia multa opera præter ieiunium, orationem, & eleemoſynam: Chriſtus autem vt eodem loco videre eſt, hæc tantùm tria fieri cauit, ob inanem mũdi gloriam: ergo breuis nimis in eiuſmodi inſtitutione fuit. *Quartum.* ¶ Quartò, ſolicitudo humana circa ea quæ neceſſaria ſunt adeò eſt à natura indita, vt ſit etiam brutis animãtibus nobiſcum communis. Vnde Sapiens Prouerb. 6. ad fornicã mittit pigrum à qua doceatur prouidere in æſtate quæ ſibi ſint in hyeme neceſſaria: inſtitutio autem fidei naturam non tollit ſed perficit: non ergò debuit nobis Chriſtus tam ſolicitè humanam ſolicitudinem interdicere vt neque in craſtinum nobis proſpiciamus. *Quintum.* ¶ Quintò denique ac poſtremo arguitur quòd cùm iudicium ſit actus iuſtitiæ, ſecundùm illud Pſal. Quouſq; iuſtitia conuertatur in iudicium, nõ erat cur nos tantoperè abſterreret nè iudicaremus. ¶ In contrarium autem eſt ſententia Auguſtini in Sermon. Domini in mõte: vbi ſuper illis verbis, Qui audit verba *Auguſtinꝰ* mea hęc, ait, illis Chriſtum verbis ſignificaſſe, ſermonem illum diuinum omnibus præceptis quibus Chriſtiana vita formaretur, eſſe perfectum.

Cõcluſio reſponſiua. AD quæſtionem quanam alia concluſione reſpondeam quàm q; in illo Sermone quo Chriſtus leges vniuerſo orbi tulit, vniuerſos humanos mores intùs & incute perfectiſsimè informauerit? Singula autẽ verba ſingula de proſcebant capitula quibꝰ exponerent. Verũ cùm eorũ expoſitio tam latè apud ſanctos pateat, quibꝰ nos pro modulo noſtri ingenij in eorum commentarijs meditationes noſtras appendimus, perfunctoriè tenuiterq; hîc tranſibimus. Dominus *Explanatur concluſio.* enim illic vt ſapientiſsimus architectus primum fundamentum totius Chriſtianæ fabricæ iecit, qd' in moralibꝰ eſt finis quô cũcti referuntur mores. Finis autẽ noſtrorum morum eſt beatitudo & fœlicitas: quẽ ideo primùm omnium contra vanam philoſophorum opinionem conſtituit. Beati pauperes ſpiritu: contra illos qui fœlicitatem, vt. 1. Ethic. ait Ariſtote. in diuitijs collocauerunt. *Ariſtot.* Beati mites: contra illos qui illam ſtatuerãt in honoribus. Beati qui lugent: aduerſus eos qui illam poſuerant in diuitijs. Mox conſtituto fine, Apoſtolorum pectora inſtruxit, quos orbi præfecerat, vt tanquàm duces & lumina mundi ab vniuerſis terrenorum affectibꝰ tam eſſent abſtracti, quàm illis opùs erat, qui, ceu ſal terræ & lux mundi, vniuerſum orbem deberent, & ab infectione temporalium preſeruare, & ad cœleſtem patriã perducere. Deinde intus nros animos, vnde operũ radix procedit in ordine ad ſeipſos, quãtum ad duo q̃ virtuti ſunt neceſſaria, inſtituit. Primùm ex parte obiecti: nempè vt non ſolùm à malis operibus, qualia ſunt homicidium, adulterium & ſimilia, abſtinere mus: verùm & ad ipſorum affectibus ſimus perpurgati. Qui iraſcitur fratri ſuo: &, Qui, viderit mulierem &c. nam ſcrutator cordiũ Deus, interna pectora præ cunctis operibus habet grata. Præterea & intentionem finis, vnde laus maximè aut vituperium operis emãnat, rectificauit: nimirùm cauere iubens nè quid cauſa humanæ gloriolæ agamus, nè mercedem, quam ipſe nobis optat cumulatiſsimam conferre, ab hominibus preſtolantes, potiſsimo fruſtremur præmio. Præterea deſcendit ad imbuendum homines quibus officijs erga proximum ſe debeãt gerere. Primùm nè officium vſurpantes dei, de occultis eius geſtis iudicemus: quod quidem iudicium cùm cauſam nobis offerat proximum noſtrum aut odiendi, aut contemnẽdi, in iurium eſt ac nocuum. Mox vt neque inſacrorum iniuriam, quæ ad Deum pertinent, negligentes ſimus: nempe nè ineptis illa atque inidoneis, ceu porcis cõmittamus. Et ſuper omnia adeò curauit noſtram dilatare charitatem, vt vſque ad inimicos pertingeret. Poſtremò deniq; docuit quẽadmodùm abſq;

diuino

diuino fauore sanctissimæ legis mãdata implere nequimus. Vnde ait, Petite & accipietis: pulsate & aperiet vobis. Cautelãq; adhibuit, vt contendamus per angustam portam intrare. nã virtutis semita, quippe quæ media est inter duo extrema, angusta est: deuiandi autem campus, latissimus. Vnde Aristoteles scopum, inquit pertingere, vno tantùm contingit modo: aberrare verò, infinitis. Quapropter & à falsis prophetis cauere etiam nobis iussit, qui nos à recta diuertunt. Multa denique alia illic resplendent mandata, quæ angustia præsentis loci exponenda non capit.

Aristo.

Ad primũ argumẽtũ.

AD primum igitur argumentum respondetur, illa tria peculiariter præcepta ob id Christũ explanauisse, quòd illa perperâm Pharisæi populo interpretabantur. Censebant nanque in solo opere inesse culpam: non autem in effectu: eò (vti ait sanctus Thomas) quòd apparebat illis motus iræ ac Veneris esse naturales. Et præterea fortè (vt reor) quia cùm non viderent per internas animi commotiones, quæ in opus non prorumpunt, vllum irrogari proximo damnum, nullam in illis agnoscebant iniustitiam. Christus autem edocuit illas esse prauas: non modò quia causa sunt operum, verùm quia per se sunt iniuriosæ. Odio enim habere proximum, iniuria est. Prohibitioni autem periurij adhibuit etiam iurandi frænum: fortè quia iurare verum, nullum putabant esse peccatum: etiam si temerè & absque iudicio fieret: imò id pertinere ad reuerentiam Dei, vt aliqui nunc blaphemi autumant, inquientes quòd qui bene, id est, multùm iurat, bene credit. ¶ Ad secundum pari modo respondetur, supposito illo discrimine superiùs inter ceremonialia & iudicialia constituto: nempe quòd iudicialia non sic prorsus lex noua reiecit, quin rursum possint institui: sed ceremonialia sic consopiuit, vt nullatenùs valeant reuiuiscere. Hac enim de causa iudicialia quidem Christus correxit, ceremonialia verò minimè, sed ablegauit. Bifariàm autem Pharisæi circa iudicialia hallucinabantur. Primùm nanque non nulla, quæ permissiones erant, arbitrabantur esse per se iusta & imperata: vt repudium vxoris: & vsuras ab extraneis corradere. Quare vtrunque illos dedocuit. De repudio enim declarauit non esse præceptum, tanquàm æquum: sed obeorum duritiem permissum, quasi minus malum. Sed & vsurarum exactionem inhibuit Lucæ. 6. inquiens, Date mutuum: nihil inde sperantes, quem tamen locum lib. 6. emunctius sumus exposituri. Secundo modo errabant, existimantes quępiam quę lex facienda propter iustitiam instituerat eadem exequenda fore vel appetitu vindictæ, vel temporalium cupiditate, vel odio inimicorum. Quocirca tria præcepta in cõtrarium sensum Christus operęprecium duxit explanare. Iudiciale enim illud talionis, quod datum fuit vt iustitia seruaretur, ipsi vindictæ causa putabant exequendum: quem ideo Dominus errorẽ ex eorum animis reuulsit: docens paratos debere nobis esse animos vbi charitas poposcerit, nõ reddere malũ pro malo: sed percutienti vnã maxillã, alterã, si oportuerit, pbere. Pari modo iudiciũ aliud repẽdẽdi quatuor oues pro vna, animos eorũ ad cupiditatẽ irritabat: & ideo docuit vt prõpti simus animo volenti nobi scũ in iudicio de tunica cõtendere, pmittere & pallium. Tertiò deniq; ex legib⁹ illis quæ ipsis bella aduersus Chananęos & Iebusęos gerere pręcipiebãt, colligebãt odiũ aduersus inimicos, esse præceptum. Et ideo docuit leges illas iam cessauisse, sed inimicos potiꝰ esse diligẽdos. De ceremonialibus autẽ, causa iam dicta, nihil meminit: sed vnico verbo cũcta cõfodit. Nam vbi Ioã. 4. Samaritanæ dixit, Veniet hora quando neq; in mõte hoc neque in Hyerosolimis adorabitis patrem: sed veri adoratores adorabũt patrem in spiritu & veritate. docens templum destructum iri: docuit pariter omnia illa temporalia sacrificiorũ impedimenta in spiritualem cultum abitura. ¶ Ad tertium huiusmodi responsio subiungitur. Cuncta quæ in mundo expetere mortales possunt, ad illa tria reducuntur quæ Ioannes in .1. cap. 2. adnotauit, inquiens, Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, hoc est corporales deliciæ ac voluptates: concupiscentia oculorum, puta diuitiarum auiditas: & superbia vitæ, puta honoris ambitus, & gloriæ cupido. In antiqua autem lege non promittebãtur delitię: imò ab illis populus arcebatur. Quare Christus non opùs habuit populum ab illis absterrere. Promittebatur tamẽ honoris celsitudo, diuitiarũq; exuberãtia. Legitur enim Deuterono. 28. Si audieris vocem Domini Dei tui, faciet te celsiorẽ cũctis Gentibus. Et infrà, Abundare faciet te omnibus

Adsecũdũ

Duplex error Pharisæorũ circa iudicialia.

Ad tertiũ.

omnibus bonis. Hęc ergo duo cõsultũ Christo fuit corrigere ob idq; vanam gloriam à trib⁹ operum generibus expulit, ad quę cũcta officia reducuntur. Quicquid enim homo facit, aut sui ipsius gratia peragit: & id significatur ieiunij nomine, quo homo suas sedat voluntates: aut amore proximi cuius generis est eleemosyna: aut propter diuinũ cultum, qualis est oratio. Ex his enim trib⁹, eò quòd opera sunt supererogationis, solẽt homines mundi auram ambire. Nè autem aliquid facerẽt auaritiæ causa prohibuit statim dicens, Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. *Ad quartũ* ¶ Ad quartum respondetur, Deum nõ interdixisse nobis necessariam solicitudinem, sed superfluã: quæ inquatuor consistit: scilicet, dum quis finẽ in rebus temporalibus constituit. Deo propter tẽporalia seruiens, pluris scilicet ea æstimans q̃ ipsum. Et ideo ait, Nolite thesaurizare vobis. Nam qui thesaurizat, in thesauro finem constituit: ob idq; subdit, Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum: id est intentio, qui est actus circa finem. Secundò nè simus sic circa temporalia soliciti, vt de auxilio diuino diffidamus: cui cura est nostrî etiã in temporalib⁹: Ideoq́ue adiecit, Scit enim pater vester quid opùs sit vobis antequàm petatis eum. Tertiò nè homo sic sit solicitus quasi sibiipsi cõfisus: ob idque ait, neminem posse ad staturam suam quidpiam adijcere. Quartò nè plùs iusto, solicitudo nos futurorum præoccupans, angat. Propter quod ait, Nolite soliciti esse in crastinum. Pari modo neq; iudicium publicum prohibuit sine quo homines vitam transigere nequeunt: sed temerarium: puta nè de occultis sine causa leuiter præcipitetur

ARTICVLVS. III.

Vtrùm congruè lex euangelica consilia nobis quædam adiecerit.

VLtimum quod in lege euangelica considerare restat, est consiliorum ordo quo nos Christus super omnes mũdi nationes ad beatitudinis culmẽ euexit. Quęritur ergò vtrùm congruè sint consilia per legem euangelicam nobis adhibita. Et arguitur primò quod nulla sint consiliorum opera. *Primũ argumẽtũ.* Vniuersa enim quæ homo reddere Deo potest, eidem virtute præcepti dilectionis, quo ipsum super omnia tenetur diligere, debet: vt pote quòd ex nihilo nos condidit: qua ratione quicquid sumus, ac subinde possumus, illi debemus. Vnde. 1. Paralip. 29. Tua sunt, inquit Sapiens, omnia: & de his quæ de manu tua accepimus dedimus tibi: nullum ergo restat supererogationis opus, quod sit consilij. *Secundum.* ¶ Secundò arguitur. Si in rem mortalium erant cõsilia, non erat cur Deus non eadem antiquis traderet, sicuti nobis, in antiqua autem lege talia consilia non legimus: non ergo Christus ea debuit superaddere. *Tertium.* ¶ Tertiò. Consilia dantur de his quæ sunt ad finem expedientia: non autem eisdem hominibus omnia expediunt: ergo non debuit Dominus noster consilia determinare: sed vel cuiusque arbitrio relinquere, vel sapientũ prudentiæ, qui quos nossent idoneos, consiliorum opera admonerent. *Quartum.* ¶ Quartò. Si aliqua essent cõsilia, maximè illa quæ ad perfectionem vitæ pertinent: illa autem inter præcepta Christus posuit Matth. 5. vt inimicorum dilectionem, & præbere alteram maxillã vnam percutienti. ¶ In contrarium est illud Sapien. Prouerb. 27. Vnguento & varijs odoribus delectatur cor: & bonis amici consilijs anima dulcoratur. Christus autem, vt est sapientissimus ita & nobis maximè amicus: ergo eius consilia maximum nobis afferunt emolumentorum pondus.

SOlutio quæstionis tribus conclusionibus continetur. Prima est. Multa sunt consilia de iure naturæ, quæ non solùm sub lege scripta, verùm & ante illa semper fuerunt virtutis officia. *Prima conclusio.* Probatur: nam miseris, etiam citra casum grauis necessitatis occurere, semper fuit officium, & voluptatibus mũdi parciùs vti quàm lex permitteret ob aliquam bonam causam. In summa illis renuntiare quæ licitè homo posset facere, cõsilium semper sapientes duxerunt. *Probatio cõclusionis.* ¶ Secunda conclusio. Congruentissimè in lege noua non modò naturalia illa consilia explicita sunt, verùm & alia recenter adhibita quæ non erant in veteri. Probantur. Hoc inter consiliorum opera & ea quæ sunt in precepto interest, quòd præceptorum opera sunt de necessitate salutis: opera verò consiliorũ sunt supererogationis officia, per quę expeditiùs ad charitatis perfectionem peruenitur: cum ergo inter legem veterem & nouam hoc fuerit interstitium, quòd illa erat lex seruitutis *Secũda Cõclusio.*

&

& timoris: nostra verò, lex libertatis: fit cõsequens, vt & illi congruerit non ponere nisi præcepta: & nostræ, vt consilia adhiberet, quæ libere quisque exequi posset. ¶ Tertia conclusio. Consilia euangelica atque adeò omnia naturalia ad tria reducuntur genera: scilicet, paupertatis, continentiæ, & obedientiæ. Probatur. Consilia, vt proxima conclusione assertum est, sunt illa per quæ homo expeditiùs ad charitatis perfectionem progreditur: est autem homo inter spiritualia bona, quibus charitas comparatur, & temporalia, quibus eiusdem charitatis via impeditur, sic constitutus. vt quo illis propiùs accedit, à tẽporalibus longiùs absit: & vice versa: temporalium autem, vt nuperrimè adnotabamus, tria sunt genera: scilicet, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Quapropter qui in huiusmodi sic finem constituit vt regulas vitæ secundùm istorum affectum instituat, prorsus sit charitatis expers: ob idq; per præcepta instituimur vt debitè ac iustè illis ex præscripto vtamur: animos verò ab illis prorsus euellere, non est cunctis, imò neque multis in hoc sæculo possibile. Quare sub consilio Christus id cuicunque reliquit, vt qui capere posset, caperet. Per paupertatem autem abdicamus à nobis oculorum concupiscentiam, hoc est facultates ac diuitias: per continentiam verò concupiscibilia oculorum, hoc est tactus delitias: sed per obedientiam, oculorum superbiam, hoc est honores, & mundi fastus. Illa ergo tria in capite statim suarum legũ Christus proposuit: videlicet, Beati pauperes spiritu, Beati mites, Beati qui lugent. Quæ quidem Apostolis ratione status, vt super eisdem verbis scriptum reliquimus, necessaria erant: reliquis autem relicta sunt in consilio. Vnde, vt Matth. 19. legitur, ait Petrus: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Quam ob rem Apostolici viri, hoc est qui apostolicum institutum imitari contendunt, hæc tria vota suscipiunt: iuxta documentum Christi ad iuuenem, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da panperibus, & sequere me. Vbi verbo sequelæ, obedientiam expressit quæ votorum supremum est, atque aliorum finis. Ob hoc enim sæculo vale dicimus, vt Christum expeditiores sequamur. Hæc igitur simpliciter sub consilio collocantur: ad quæ capita cuncta reducuntur. Nam elee, mosynam extra causam necessitatis erogare, ad consilium attinet paupertatis: & licitis voluptatibus abstinere, ad consilium continentiæ: & aliquando hominem suam non sequi, vbi licuerit, voluntatem, ad consilium quodam modo obedientię: vt offensam remittere, cuius posses vindictam exigere.

Tertia conclusio.

Suadeturcõclusio.

¶ Quòd si interrogas quę sint noua illa quę adhibita sunt in noua lege? In primis virginitas vsque ad Deiparam virginem non legitur fuisse in consilio. Et prætereà vt prorsus homo cuncta confirmato voto relinqueret: quod cũ Christus iuueni obtulit, quasi de re noua stupuit. Quô alludit & illud Petri, Quid ergo erit nobis? quasi quid fecim⁹, quod nemo hactenùs fecit. Tametsi & in lege naturæ, licèt nõ religionis gratia, sed philosophandi, de Diogene & multis Pythogoreorum, historiæ tradunt opulentiam splendoremq; humanum abiecisse. Et vt nos super cap. 3. Math. in descriptione deserti quo Ioannes pœnitentiam prædicauit enarrauimus. Fuit etiam inter Iudæos Aessenorum collegium, quorum Iosephus lib. 18. antiquitatum meminit. Et Solinus cap. 48. qui à cõmuni hominum conuictu semoti, absque vxoribus anachoretarum vitam degebant. De his autẽ latiùs in lib. 7. sub titul. de voto.

Quæstio. Solutio.

Iosephus. Solinus.

AD primũ igitur argumentũ negandum est quicquid nos facere possumus Deo deberi ratione præcepti. Cõsultissimus nãq; & in nos pientissimus Deus in obligando nos suis legibus non tantum eorum rationem duxit quæ nos illi deberemus: sed eius quòd imbecillis nostra natura præstare posset. Vnde Paulus, De virginibus, inquit, preceptũ non habeo: consiliũ autẽ do. Quin verò præter sacramentorum præcepta nihil ampliùs nobis iussit. quàm quod in iure naturæ positum est: hoc autem iure nemo tenetur quantum potest semper facere: sed cõsilia non contemnere, & nihil animo admittere quod dilectioni Dei sit aduersum: hoc est enim diligere eum ex toto corde & ex tota mente. Et sic est intelligendum illud Eccles. 9. Quodcunque potest manus tua, instanter operare. Nam si sensum faciat consilij, nihil cõtra nos. Si autem vim habeat præcepti, intelligitur vt quicunque pro suo statu faciat quod debet: Neq; verò ex contemptu & consiliorum vilipendio omittat ad perfectionem tendere: vt sanctus Thom. 2. 2. q. 186. articul. 2. expositor est. Quocirca neque

Ad primũ argumẽtũ.

Paulus.

S. Thomas

neque qui consilia sequuntur ad altiorem gradum charitatis obligãtur quàm alij: sed præstantiori via secundùm suam professionem ad charitatem tendere: quæ est præceptorum finis. Sed hæc non sunt præsentis speculationis: lib. enim octauo, qui est de voto, iterum hæc presiùs attingemus. ¶ Secundum autem argumentum secunda cõclusio dissoluit: vbi reddita est ratio cur decentiùs lex euangelica quàm vetus consilia tradiderit. ¶ Ad tertium respondetur, quòd Christus proponens consiliorum opera ob id ea nemini præcepit, quòd videbat non cunctis expedire sed reliquit cuiusq; optioni, vt Matthæ. 19. Si vis perfectus esse, &c: Et rursus: Qui potest capere, capiat. ¶ Ad quartum demum respõdetur quòd illa consilia quæ sunt de iure naturæ sæpe accidit vt sint in præcepto. Ob idq; quantum ad animi præparationem, tenemur promptí esse, vbi necessitas exegerit, illa implere. Quam ob rem Christus præceptorum numero eadem adscripsit: sed tamen extra necessitatis casus sunt in consilio.

Ad secũdũ

Ad tertiũ

Ad quartũ

FINIS LIBRI SECVNDI
DE IVSTITIA ET IVRE.

LIBER

LIBER TERTIVS.

De Iustitia & Iure.

QVAESTIO PRIMA, De Iure.

S. Thom. 2. 2. q. 57.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ius sit obiectum iustitiæ.

ADIVSTITIAM, de cuius virtute præsens à nobis opus institutum est, ius pertinet: qua propter de Iustitia & Iure illud inscripsimus. Ius autem bifariàm, vt in fronte primi libri dicebamus, vsurpatur: videlicet & pro rationis regula, prudentiæque dictamine, per quam regulam æquitatem iustitiæ perpendimus: quales sunt leges: præterea pro æquitate ipsa quę obiectum est iustitiæ: nempe quam iustitia in rebus constituit. Igitur cùm de Iure priori modo, hoc est de Legibus duos hactenùs libros absolutos dederimus, subsequitur vt ad definitionem Iustitiæ propius accedentes, de iure dicamus, posteriori modo accepto nomine, vt pote per quod eadem constituenda est iustitiæ definitio. Continet enim liber præsens, ordine tertius, iustitiæ tractatum in genere, eiusq; diuisiones in legalem & particularē, inq; distributiuam & commutatiuam: prioremq; eius speciē, scilicet distributiuam: vbi de acceptione personarū disputamus. Quā materiam ediſſerit S. Tho. 2. 2. q. 57. & infrà.

Gemina acceptio iuris.

Partitio libri.

S. Thomas.

¶ Quæritur ergo primò vtrū ius sit obiectū iustitiæ? Et arguit à parte negatiua ex verbo Celsi Iurisconsulti lib. 1. de Iusti. & iure. Ius est ars boni & æqui, ars enim nō est obiectū virtutis iustitię, quæ est in voluntate: sed per se virtus intellectualis, vt. 6 Ethi. autor est Aris.

Primum argumentum partis negatiuæ.

Aristo.

¶ Secundò, Iustitia præcipuè nos Deo subijcit: secūdū illud Augustini in lib. de moribꝰ Eccles. Iustitia est amor tātū Deo seruiēs: & ob hoc bene imperans cæteris, quæ homini subiecta sunt: ius autē ad diuina nō pertinet sed ad humana. Sic enim Isid. lib. 5. cap. 2. distinguit inter fas & ius, q̄ fas sit lex diuina: ius autē, humana: ergo iùs nō est obiectū iustitiæ. ¶ In contrarium autem est tam idem Isidorus q̄ Philosophꝰ, Ait enim ille ibidē q̄ ius dictū est quasi iustū. Et refert dist. 1. can. ius. Et Philosophus in principio. 5. Eth. Oēs, inquit, talem habitum volunt dicere iustitiam, à quo operatiui iustorum sunt.

Secundū argumentum Augustinꝰ.

Isidorus.

Aristo.

IN vestibulo statim quæstionis primū omniū supponendū est, iustitiā vno modo accipi generali nomine pro omni virtute. Sic enim acceptā Philos. 5. Ethi. cap. 1. appellat illā, totā virtutem. Vnde & iustus idē est quod studiosus, quacūq; sit insignitus virtute. Et ratio amplissimi huius significatus est q̄ in omni virtute extat obediētię ratio, legi debitę. Quicquid autē rationem debiti claudit, iustitiæ formam induit. Quo vtique significato accepit Christus Mat. 5. & 6. iustitię nomē, Nisi abūdauerit iustitia vestra &c. Et attendite nè iustitiā vestrā faciatis coram hominibꝰ. & Paul. 1. ad Timot. 1. Iusto nō est lex posita. Atq; hoc pacto nō tractamus hîc de iustitia, neq; habet peculiare obiectū, sed suum cuiq; virtuti est propriū: nēpe id quod legitimū est: sed accipitur vt est particularis virtus moralis atq; vna quatuor cardinaliū, cuius officiū est facere iustū. Secūdò nè quis nobis ordinis peruersionem improperet, q̄ priùs de iustitia, quàm de iure dicendum nobis esset, nouerit doctrinam esse Aristote. 2. de anima, text. 33. quòd qui de potentia vel habitu tractaturus est, exordium auspicari debet ab obiecto: vnde habitus speciem sortitur & per quod describi debet: vt qui de sensibus disputationem init, priùs debet de sensibili disputare. Oculus enim non per hoc propriè definitur q̄ sit sensus sic aut sic compositus: sed q̄ sit sensus percipiēdi colores: & pariter auditus q̄ sit sensus percipiendi sonum: & serra est instrumentum secandi ligna: & temperantia, habitus quo rectè delectabilibus tactus vtimur. Pari ergò modo loco citato. 5. Ethico. Aristote. definit iu-

Diuisio iustitiæ.

Philosophꝰ.

Paulus.

obiecto

Solutio tertię obiectionis.

Aristot.

stitiam per iustum: nempe quòd sit habitus quo iustum volumus & iustum operamur. Et Vlpian. ff. de iustit. & iur. Iustitia est, inquit, constans & perpetua voluntas, ius suũ vnicuiq; tribuens. Cum ergo iustitia per ius definiatur, meritò à iure est nobis proficiscendum. ¶ His ergo præhabitis, ad quæstionẽ vnica conclusione respondetur: Ius est obiectum iustitiæ. Conclusio ex authoritatibus Isidòri, & Philosophi, & Iuris consulti modò citatis, appellantium ius, iustum illud, quod iustitia in rebus cõstituit, satis constat: nihilo seciùs ratione ampliùs demõstratur quæ sumitur ex differentijs iustitiæ à reliquis virtutibus. Sunt enim ordine tres. Prima: quòd cùm proprium sit omnium virtutum rectum perficere opus, rectitudo tamen reliquarum virtutum existimatur in ordine ad ipsum agentem: iustitia verò in ordine ad alterum. Et ratio est quòd iustitia est virtus ordinans habentem ad alium: reliquæ verò ipsum ordinãt ad seipsum. Exempli gratia. Temperantia versatur circa rectum vsum delectabilium tactus: & ideo ponit medium inter duas affectiones ipsius tẽperati: scilicet nè in ciborum venereorúmve vsu à ratione exorbitet: neq; verò minùs sumat quàm sustentatio vitæ postulat. Et pariter fortitudo inter timorem & audaciam modum constituit. Iustitia verò facit æqualitatem inter debentem & alterum cui quidpiam debet. Vt si vterq; nostrûm habebat quinq;, mutuo verò mihi dedisti vnum, cuius causa tantùm habes quatuor, egò verò sex, iustitia postulat vt tibi vnum refundam vt vterque nostrûm habeat quinque, quod est medium inter quatuor & sex. Pari modo si tuas mihi operas locasti, iustitia poscit vt merces mea easdem adæquet. Quocircà & res duæ iustificari dicuntur dũ adæquantur: vt puta cùm architectus lapidem adnormam iustificat, & sutor calceum ad pedem. Secunda ex hac nascitur differentia quòd in materia reliquarum virtutum nihil verè ac legitimè censetur rectum, nisi respectu agentis. Exempli gratia. Si auarus parca vtatur mensa, non vt temperatè viuat, sed nè pecuniam dispendat: opus illud non censetur rectum, neq; virtuti admensuratum. Si verò debitor quantum æris debet tantum creditori persoluat, finistra tamen intentione: nẽpe vt illud dilapidet: vel si gladium quem in depositò habet, domino restituat, sciens in malum vsum esse ab illo repetitum: tunc tale opus iustum simpliciter censetur: quia est debito æquale: licet nõ opus virtutis neq; q̃ soluit sit studiosus. ¶ Atq; ex hac rursus exoritur tertia differentia: nempe quòd meritò Doctores virtuti iustitiæ per se obiectum ascribunt, quod ius appellant & iustum: non autem reliquarum vlli: eò videlicet quòd in virtute iustitiæ iustum ipsum ex natura rei constituitur: in reliquis verò non nisi ex recta intentione agentis. Qua propter diuus Tho. (quod meditatè considerandum est) tractatus aliarum virtutum, nimirum fortitudinis aut temperantiæ, non ab earũ obiectis exorditur, sed à virtutibus quæ faciunt rectitudinem in opere: tractatum verò iustitiæ ab obiecto: quod in rebus ipsis consistit. Quin verò in alijs virtutibus non tam propriè dicitur obiectum quàm materia circa quam versatur virtus, vt materia fortitudinis est periculum belli: & materia temperantiæ, delectabilia tactus: in quibus virtus medietatem inter duos affectus constituit: sed virtutis iustitiæ propriè est obiectum, æqualitas ipsa rerum in quam virtus tendit, sicuti visus in colores. Habemus ergo conclusionem quòd ius est obiectum iustitiæ. ¶ Veruntamen non desunt qui hoc discrimen subtilitatis tenùs cernentes impugnent. Buridanus inquam. 5. Ethicor. q. 1. aduersus hanc doctrinã sic insurgit. Aut loquitur, inquit, diuus Thomas de rectitudine operis quatenùs est rectitudo virtutis, aut de eius rectitudine absolutè, licèt non fiat à virtute. Si prior modo, tunc vti officia aliarum virtutum, sic neq; opus iustitiæ rectum est, nisi in ordine ad agentem. Docet enim Arist. 2. Ethico. cap. 4. nullum esse opus virtutis nisi fiat ex electione propter legitimum finem: quare, vt modo dicebamus, qui gladium reddit vero dño vt homicidium faciat non est studiosus. Si verò loquatur de operis rectitudine absolutè, non quatenùs à virtute proficiscitur, tunc in materia quoq; aliarum virtutũ eiusmodi reperitur rectitudo sine ordine ad agentem: vt si quis per hypocrisin ieiuniorum legem obseruet, aut propter vanã gloriam strenuè se gerat in bello. Respondetur, tamen differentiam constitui in rectitudine absolutè considerata. Et est hæc, q̃ cùm rectitudo iustitiæ in reb⁹ ipsis natura sua sit reperibilis, qui soluit æquale debito mala intentione & fine, facit quidem opus iustum, cùm ius alteri suum tribuat, licèt non sit iustus, id est studiosus: quia non operatur quando

Cõclusio responsiua.

Ratio cõclusionis.

Primum discrimẽ iustitiæ singulariter dictæ à cæteris virtutibus.

Secunda differentia.

Tertia differentia.

S. Thomas.

Buridanus.

Ratio Buridani contra D. Thomã.

Aristo.

Solutio rationis facta.

quãdo,vbi,& quomodò oportet. In reliquis verò virtutib⁹, si vnãquãlibet tollas virtutis circunstantiã nulla restat moralis rectitudo: hoc est ieiuniũ illud nõ erit op⁹ tẽperatum: neq; aggr essus in bello, opus strenuũ: quia talia opera non habent aliam rectitudinem quàm in ordine ad virtutis habitum.

Ad primũ argumẽtũ. Buridanus.

IGitur,vt ad obiecta capitalia respõdeam⁹, circa materiã primi argumẽti idẽ Buridanus & nonnulli minùs nominis significatũ callẽtes,negant nomẽ ius accipi pro obiecto iustitię,sed aiunt idẽ esse q̃d legẽ:secũdũ verbũ Isidôri q̃d refertur dist.1. Ius generale nomen est,lex autẽ iuris species. At verò qui hoc negat,veritati se autoritate omniũ armatæ,contrarium obijcit. Enimuerò quod Philosophus appellauit iustum, vbi dixit iustitiam esse habitũ iustorum effectricem, Iurisconsultus planè nuncupauit ius,dicẽs, Iustitiam esse virtutem ius suũ cuiq; tribuẽdi. Si ergo iustitia facit ius & iustum,quis abnuat ius esse obiectũ iustitiæ? Imò crediderim per Apocopen,hoc est per amputationem syllabæ in fine dictionis,iustum,dictum esse,ius: sicut pro eo quod, potestis, dicimus, potes. Vnde Græcè Δίκαιον,idem promiscuè significat, quod iustum,& ius. Quare idem ipse Isidôrus eodem loco statim subdit, ius dictũ esse quia iustũ est, Quapropter lex ipsa ideo dicitur iusta,quia iustũ in rebus constituit. At verò quoniã opificiorũ artificiatorũq; nomina ad significandum quoq; artes trãsferuntur,sicuti nomen medicinę,quę est res per artẽ cõpositа ad artẽ ipsam accõmodatur,nomen iuris deriuatum est: primum ad significandum artem cognoscendi quidnam sit iustum: & exinde rursus ad significandum legem. Cauendum nanque tibi est idem esse censeas artem boni & æqui, & legem:ars enim non est dictamen,sed scientia potiùs moralis, qualis est in iureconsultis ad inuestigãdum quidnam æquum sit lege sancire. Lex autem est regula prudentiæ, seu dictamen practicum inde constitutum: puta,fac nè facias.quæ quidem est in principe,vt lib.1.q.1.declarauim⁹. Quocircà vbi ait Isidôrus legem esse iuris speciem, non accipit speciem quasi quid generi directè subiectum:vt est homo,animali: siquidem subdit,ius id esse quod iustum. Sed quia est regula præceptioque iuris scripta. Ius enim aliud est naturale, mẽti nostræ inditum, atq; aliud scriptũ,& secũdùm Isidôrũ lex est constitutio scripta. ¶ Et per hoc detegitur sensus verborũ Celsi: Ius est ars æqui & boni. Vbi hallucinatus Accursius ait non idem esse æquũ quod bonum: fingens nescio quid discriminis inter illa mẽbra: cùm tamen æquum & bonum,vt doctè illic Budęus adnotauit,& nos suprà lib.1.q.6.art.vlti. declarauimus, loco simplicis nominis accipiatur pro eo quod est epieikeia: puta legis interpretatio,casu quo palàm est legislatorem si adesset,noluisse legem secundùm scripturæ rigorem seruari:vt colligitur ex.l. nulla. ff. de legib. Nam leges nõ possunt in omnes singulares casus prospicere,vt habet.l. neq; leges. &.l.non possunt.eod.tit. Quo fit vt cùm ait Iurisconsultus ius esse artẽ boni & æqui,ius accipiatur,nõ pro scripto, sed pro naturali: vt pote q̃ epieikeia faciẽs contra verba scripti iuris mẽtẽ ei⁹ seruat illęsam,in qua ius naturale cõseruat. Quare ars æqui & boni idẽ est quod ars tuendi naturale ius vbi scriptũ apparet iniquũ. Habetur enim Instit.de succeſſ.libert.§.1.Prætoris edicto hæc legis iniquitas emẽdata est.&.ff.quod quisq; iu.&c. l.si quis.ait Vlpia.Si quis iniquũ ius aduersus aliquẽ impetrauerit, ipse eo iure vtatur. Vnde etiã illud emanauit axiôma, Summũ ius summa iniuria. ¶ Atqui ex his ipsis quę dicta sunt colligitur intellectus Vlpiani in eadẽ lege,vbi ait ius à iustitia appellatũ est. Enimuerò si ius pro obiecto iustitiæ, vt dictũ est,accipias,falsum quidẽ est. Nam potiẽ cõuersò iustitia dicitur à iure. Quandoquidẽ habitus ab obiecto sortiatur speciẽ. Præterq̃ q̃ per grammaticorũ regulam longior dictio à breuiori deriuatur. Accipit ergo Iurisconsultus ius pro arte & scientia de iure naturali iudicandi. Illa enim ob id nascitur ex iustitia,quòd ille solus qui iustus est prudẽtia viget,vt ait.6.Ethi. Aris.ad rectè de agẽdis iudicãdũ. ¶ Vt ergo dictorum faciamus epilogũ,ius est in rebus:ars verò æqui & boni in intellectu docente iustum operari,sicuti ars fabrilis. Sed lex est regula intellectus practici per prudentiã constituta: atq; adeò ratio iusti, hoc est factiua & constitutiua iusti: iustitia deniq;,virtus voluntatis quæ secundùm legem iustum in rebus constituit. Quo fit vt cùm dicitur ius alicui reddi, non aliter accipiatur quàm vt est obiectum iustitiæ. Tametsi sanctus Thom. nonnihil discriminis internoscat:nempe quòd ius reddere sit sententiam in fauorem alicuius pronuntiare,siue secundùm rei veritatem, siue

Refellitur. Buridanus.

Non sunt idẽ lex & ars boni & æqui.

Isidori mẽs

Acursij lapsus.

Budæus.

Vlpiani sensus.

Epilog⁹ antè dictorũ.

S. Thom.

secũdùm allegata & probata: etiã dũ secundùm veritatem iniquum sit. Quòd autẽ subdit, ius quoque accipi pro tribunalis loco, vt dum reus dicitur in iure comparere, fortè ex Paulo iureconsulto accepit, qui.l.pen.ff. de iusti.& iur. ait ius accipi pro loco. Nescio tamẽ an satis aptè dictum sit: nam quando quis dicitur de iure comparêre, eodem modo videtur ius accipi, quo quãdo dicitur in ius vocari: in ius autem vocari, vt ait Iurecõsultus.ff.de in ius vocan. est iuris experiundi causa vocari: nempe vt actor rei nomen deferẽs experiatur an ius sibi patrocinetur, Vbi ius accipitur pro iure ipso vel pro lege.

Ius nõ satis aptè accipitur pro loco tribunalis.

Ad secũdũ

¶ Ad secundum argumentum respondetur, Augustinum, vbi ait iustitiam esse amorem Deo seruientem, non denotare iustitiæ substantiam: Imò verò cùm Deo æquale reddere nemo possit, nulla est inter nos & Deum propria ratio iustitiæ: sed dicit iustitiam esse amorem, id est ex amore seruiendi Deo nasci, & ad eundem tendere finem. Quapropter, fas, idem est quod pium & religiosum: nempe fari dignum: quod quid excelsius est quàm iustum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm diuisio iuris in ius naturale & positiuum, sit generi congruens.

Primũ argumentum

POstquã visum est quidnã sit ius, sequitur de eius diuisione, vtrũ congruè hoc genus, ius, in has duas species, naturale.s.& positiuũ, diuidatur. Et arguit̃ à parte negatiua. Nullum est in hominib⁹ ius naturale ergo diuisio supponit falsum. Probat̃ antecedẽs: Ius naturale est immutabile atq; idem apud omnes, vt habetur distin.1.cano. ius naturale. in rebus autem humanis nihil est immutabile: quia omnia humana in aliquibus casibus deficiũt: ergo nullum est ius naturale. ¶ Secundò arguitur: Nullum est ius positiuũ: ius enim positiuũ est quod humana volũtate & arbitrio ponitur: vt.5.Eth. cap.7. ait Philo. & eâdẽ dist. Isidô. vbi inquit ius ciuile esse quod quisq; populus sibi cõstituit. Ex hoc autẽ quòd humana voluntate ponatur, nõ sequitur id esse rectũ, atq; adeò neq; vt sit ius: ergo nullũ est ius positiuũ, ¶ Tertiò, ius diuinũ neq; positiuũ est, cũ humanæ autoritati nõ innitatur: neq; verò naturale: quia naturã excedit: ergo diuisio nõ est sufficiens. ¶ In contrarium autẽ est autoritas Philosophi loco citato.5. Ethi.cap.7. vbi ius politicũ, puta ciuile, diuidit in naturale & positiuum quod appellat legitimum.

Secundum.

Aristot. Isidorus.

Tertium.

Aristot.

HIc primũ oĩm nosse oportet eisdẽ prorsus diuisionib⁹ ius distribui, siue illud pro lege accipias, siue pro iusto, q̃d est iustitiæ obiectũ: nã ex iure q̃d iustitiæ obiectum est, & iustitia rationẽ habet virtutis, & lex rationẽ regulæ. Quapropter cũcta quæ lib.1.q.5. de diuisionibus iuris accepti ꝑ lege dicta sunt, & in hũc quoq; locũ cõpetũt, ac perinde breuior hic erit disputatio. Secũdò & hic quoq; cautè obseruandũ ꝙ ius nõ statim ex æquo, vt ferè iurisperitorũ schola arbitrat̃, diuidendũ est in tria, scilicet in ius naturale, & gentiũ, & ciuile: licèt id Isidorus videat̃ cẽsere, vt sequenti articulo patebit. Neq;, vt alij putãt, in quatuor, scilicet in hęc tria & ius diuinum. Sed si artem diuidendi cõsulas, ius, vt cõmune est ad diuinum & humanũ, diuiditur in duo, scilicet naturale & positiuum: & pariter ius diuinũ: ac deinde ius positiuũ humanum, in ius gẽtium & ciuile. Vnica ergo conclusio ad quæstionem respondet. Ius primò diuiditur in naturale & positiuum. Probatur cõclusio. Ius seu iustum, idem est quod æquale & adæquatũ: hoc aũt fieri nõ potest nisi altero duorum modorum: videlicet aut ex natura rerum, aut ex condicto humanæ voluntatis: dimittamus enim tanti sper diuinã legẽ, de qua statim similiter cẽsendum est. Exempli gratia. Vt qui aliquid credito recepit, tantundẽ restituat, natura rerum docet: & ideo ius naturale est: sicuti & quòd fœmina viro generationis gratia adiungatur. ¶ Quòd autem frumenti modius quinque ficlis væneat, certè non natura fecit, sed humanum condictum: puta reipublicæ consensus aut principis. Nam cùm ad rationem legis vis requiratur coërciua, non omne condictum vim nanciscitur legis: sed quod est reipublicæ. Vnde quod priuatim inter ciues intercedit, non lex, sed pactum est. Pari modo quòd consanguinei in quarto gradu matrimonium ineant, natura non vetuit, sed humana voluntas, Cùm ergo his tãtũ duobus modis vsu venire possit ęquũ & iustũ, fit vt duo membra genus ipsum iuris absoluant. Igitur cũ audis ius naturale esse illud quod est à natura, bifariàm id intelligito: nempe & à natura id docente

Primũ fundamentum

Secundum.

Cõclusio rẽsponsiua.

Probatio.

cente.& ab eadē ad ipsum instigante. Vnde Vlpia.l.1.ff.de iust.& iur.Ius,inquit,naturale est cōmune omnium:eò q vbiq; instinctu naturæ nō cōstitutione habetur aliqua. Vbi è regione opponens naturalē instinctū & cōstitutionē, nostrā bimēbrem diuisionē insinuat.Eodēq; refertur Ciceronis diuisio, *Cicero.* lib.de Inuen.inquiētis : Natura ius est quod nobis nō opinio,sed quędā innatavis affert. Oēs itâq; definitiones istę per causam efficiē tē cōstituūtur.At verò Arist. 5.Ethi.cap.iam *Aristot.* citato per causam id formalē philosophico more definit,dicēs:Ius naturale est q̄d vbiq; eādem vim habet,& nō quia videt:id est q̄d vbiq; natura sua necessarium est, & nō quia humano iudicio & arbitramēto ponit. Etenim vt qui decē accepit,totidē reddat,nō est iustū quia hominib⁹ita existimatū:sed natura sua,sicut ignis est calid⁹ :q̄ autē frumētū tāti vēdatur,vinū verò tanti,atq; hoc vitiū tali vindicetur supplicio:& hoc aut illud offeratur sacrificiū:& similia nō natura,sed humana volūtas iustū fecit.Quare ait illic Philoso.iustū legitimum anteq̄ esset positū nihil referre,sed postq̄ positū est.In summa,diuisio hęc præsens in idē cum illa cōcidit,qua Doctores distingunt,alia esse vel iussa, quia bona:vel prohibita,quia mala, alia verò vel bona,quia iussa:vel mala, quia prohibita.

¶Offert se nihilo minùs nōnihil ambiguita *Prima obiectio aduersus definitionē iuris naturalis.* tis circa definitionē illā iuris naturalis per causam efficientē: Si enim ius naturæ est qd natura docet,nemo illud posset ignorare: & tamē multa sunt de iure naturæ quæ barbaræ gētes ignorāt.vt de fornicatione simplici ex cōcilio apostolico adnotauimus, Act. 15. quæ ideo ,phibita fuit cōuersæ gētilitati, nè per ignorātiā excusarētur.Rursus : si ius nature est illud ad quod natura instigat,fit ius *Secunda.* omne naturale esse necessariū: quod tamen videtur esse falsum,cùm super aliquo , vt suprà diximus,dispēsari possit. ¶ Ad horum *Ad primā obiectionē.* prius respōdetur q̄ nō quicquid natura docet,omnes capiūt,sed illi prorsus qui serenā habēt rationem & ab omni nebula liberā. Nam qui in vitia immersi, caligine i lam obduxerunt, naturæ radios non satis perspiciunt.Posterior verò dubitatio tacta est inter arguendum in fronte quæstionis.

Ad primū argumentū principale. REspondetur ergo ad primum argumentū vbi idem commouebatur scrupulus, concesso, ius omne naturæ esse simpliciter necessarium natura sua. Quapropter præcedenti lib. q.3. diximus esse indispensabile. Quin verò Scotus ipse quanuis cēseat præcepta secūdæ tabulæ dispensabilia esse, negare non debet quin sint natura sua necessaria. Sed fortè diceret q̄ De⁹ natura superior poterit super illis dispēsare: sicuti angeli & cœli licèt sint res natura sua necessariæ , possunt supnaturaliter annihilari. Tāetsi satis demō stratum sit neq; id de eisdem præceptis esse posibile.vt pote cū prorsus eorū naturæ repugnet esse licita,sicuti homini esse irrationalē. At verò id quod natura sua est necessārium,potest mutatis reb⁹ mutari.Necessitas quippe vniuscuiusq; rei secūdū eius naturā perpēdenda est.Si enim natura rei immutabilis est,tunc & ius eius erit simpliciter immutabile:vt, quia cœlū res est immutabilis, ei⁹ motus est immutabilis: sed quia aqua est res mutabilis,licèt simpliciter illi sit naturale infrigidare,nihilo min⁹ quā do est calida, calefacit. Pari modo q̄ depositū sit domino reddendū,per se cōsideratum est simpliciter necessariū:sed quia homo est mutabilis , dū dominus prauè affectus sūū gladium petit ad occidendum,non est illi reddēdū: quia sicut si sanus existeret,ius esset ei reddere , ita dū insan⁹ fit,ius est nō reddere. Eodē modo ius per se simpliciter necessariū est,quicquid debes vt soluas:quādo verò soluēdo non es, ius non te ligat. Hæc ergo mutatio nō tam fit in iure,q̄ in hominib⁹ ipsis. Atqui ex hac radice in fine primi libri rationem deduximus quare expedit leges humanas nōnunq̄ mutari: nempe quia res mutantur. Et lib.2. q.3.cōmonstrauimus,in illas leges quę rationem ipsam iustitiæ & finem continent dispensationem cadere non posse:in illas verò quæ non finem, sed media secum afferunt, cadere posse : hoc enim naturalium genus est quod Arist.loco citato ait posse mutari. *Aristot.* Nam etsi dextera naturaliter validior sit, ali quando deficit : & est sinistrum brachium robustius . ¶ Ad secundum respondetur, *Ad secūdū* concesso non esse regulam generalem vt quicquid voluntas constituat continuò sit iustum.Nam si quid contra ius naturę constituat,nunquàm vim legis obtinebit, vt suprà dictum est:reclamante propheta Isai.10. Væ qui condunt leges iniquas. Sed quādo res est non solùm naturæ non repugnās,verùm pro loco & tempore congruens: tunc voluntas humana,si publica autoritate polleat, id est potest constituere: quod quia cō stitutum est,fit iustum: &,vt ait Arist.quod

non referebat, iam inde refert. ¶ Ad tertium denique respondetur, vt suprà insinuauimus, quòd ius diuinum non condiuiditur eadem diuisione contra ius naturale & positiuum. Imò verò similiter diuiditur. ¶ Itâque, vt perspicua sit diuisio, primùm omnium diuiditur ius in diuinum & humanum, deinde vtrumque membrum eâdem prorsus diuisione subsecatur: vt ius diuinum alterum sit naturale, atque alterum positiuum. Vniuersum enim ius naturale est diuinum: eò quòd Deus est author naturæ, ac subinde cuiuscunque eius iuris: sed ius diuinum positiuum est quod supra naturam est ab ipso positum, vt sacramentorum iura Christianæ familiæ: & ceremonialia ac iudicialia antiquæ legis. Præcepta autem primæ tabulæ decalogi non simpliciter dicuntur ius diuinum positiuum, licèt, vt suprà dictũ est, per fidem sint explicita, quia ex rerum natura pullulant: licèt, nisi opitulante fide, non ab omnibus agnoscantur.

Ad tertiũ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm ius gentium sit idem cum iure naturali.

QVM duo tantùm membra in proxima diuisione posuerim⁹, dum genus iuris in naturale tantùm & positiuum distinximus, dubium de iure gentium restat: vtronam illorum membro comprehendatur. Et arguitur quòd cõtineatur sub iure naturali. Ius enim illud in quo omnes homines conueniunt, esse non potest nisi naturale, quod, vt proximè dicebam⁹, commune est omnibus: iure autem gentium omnes gentes conueniunt, secundùm illud Vlpian. l. 1. ff. de iustit. & iure: Ius gentium est quo gentes humanæ vtuntur. & Institu. de iure naturali &c. Ius gentium omni humano generi commune est, ergo ius gentium & naturale idem sunt. ¶ Secundò arguitur. Seruitus est de iure gentinm, vt habetur distinctio. 1. can. ius gentium, & Institutio, modò cita. &. ff. de iustiti. & iure. l. manumissiones. sunt autem, vt Philosophus ait. 1. Politicor. multi naturaliter serui: ergo ius gentium est naturale. ¶ Tertiò, Ius diuiditur per naturale & positiuum: sed nunquàm vniuersæ mundi gentes conuenerunt vt ius aliquod statuerent: ergo natura idem ius docuit, atque adeò est naturale. ¶ In contrarium autem est Isidôrus distin. 1. can. ius autem. vbi distinguit ius gentium à naturali, dicens, ius autem naturale est, aut ciuile, aut gentium.

Primum argumentũ.

Secundum.

Aristot.

Tertium.

Isidorus.

AD quæstionem vnica conclusione respondetur. Ius gentium & à iure naturali distinguit, & sub iure positiuo comprehenditur. Hanc conclusionem, etsi expresè hic sanctus Thomas non ponat, tamen argumenta eius quibus initio quæstionis arguit ius gentium esse naturale, insinuant eius esse mentem id negare. affirmareq; subinde esse ius positiuum. Præterquã quòd. 1. 2. q. 95. artic. 4. id planè affirmat: vbi ius positiuum diuidit in ius gentium & ciuile: quod nos lib. 1. q. 5. exposuimus. Et ratio quam hic adducit id ipsum patefacit. Probatur ergo conclusio. Ius naturale (vt art. proximo diximus) est illud quod ex rerũ ipsa natura adæquatũ est & alteri cõmensuratũ. Hoc autẽ dupliciter cõtingit. Vno modo secundũ absolutã rerũ cõsiderationem: sicuti masculꝰ & fœmina absoluta natura sua coaptantur in vnũ generationis officiũ: & pater curat filium alere. Alio modo quippiam est alteri commensuratum, non secundùm absolutam eius naturam, sed in ordine ad certum finẽ & per certas circunstantias consideratum. Exempli gratia. Quòd hoc prædium ab hoc proprio domino possideatur, & aliud ab alio, natura rerũ absolutè existimata nõ magis exigit q̃ vt omnia in cõmuni possideant. Attamẽ si ager idẽ consideretur, vt ad ferẽdos fructus colẽdus atq; in pace possidẽdus: & pro statu naturæ corruptę in quo homines segniores existunt, ad impendendas proprias operas⁹, quæ in cõmune bonũ cessurę sunt, & alienorũ sunt auidi, ratio statim colligit omninò conducere vt possessionũ diuisiones fiãt. Quẽadmodùm Philo. 2. Poli. docet: & lib. nos. 4. quæst. de rerũ diuisione, mõstraturi sumus. Ex hac ergo distinctione elicit cõclusionis ratio. Rẽ nãq; absolutè apprehendere non solùm hominibus, verùm & cæteris etiã animantibus naturali instinctu conuenit: & ideo ius quod simpliciter est naturale, vt societas masculi & fœminæ, ac prolium nutritio, cunctis est animalibus cõmune. At verò de rebus in ordine ad finem sub certisq; circunstantijs iudicare, nõ omnibus animalibus cõpetit, sed peculiariter homini virtute rationis, cuiꝰ est

Cõclusio responsiua.

S. Thom.

Probatio conclusionis.

Philosophus.

vnum

vnum ad aliud cõferre. Id ergo ius quod per talẽ collatiuam rationẽ cõstituitur: dicitur ius gẽtiũ, id est ius quod gẽtes vniuersæ, quatenùs rationales sunt, sibi cõstituerũt. ¶ Per horũ ergo intellectũ clarescũt Iuriscõsultorũ verba, ꝗrum explanatio morali philosopho incũbit. Ait enim Vlpia. l. i. ff. de iusti. & iur. ius gentiũ à naturali recedere: idq; inde licẽre facilè intelligere, ꝙ illud omnib⁹ animalibus, hoc solis hominib⁹ inter se cõmune est. Et Caius. l. omnes populi, ꝗd naturalis, inquit, ratio inter omnes homines constituit, id apud oẽs peræquè custodit: vocaturq; ius gentiũ. Non ait, Quòd simplex lux naturæ: sed, Quòd ratio, quæ hominibus ꝓpria est, cõstituit, id est ponit. Atq; hìc denuò argumentum sumitur aliud conclusionis. Ius em̃ naturale est simpliciter necessariũ, id est ꝗd nõ dependet ex humano cõsensu: ius autem gentiũ obligat, quia videt, id est, quia ab hominib⁹ sic iudicat: nunq̃ autẽ rerũ possessiones diuiderentur, nisi homines consentirent vt isti illas, alij verò alias possiderẽt: ergo ius gentium nõ est simpliciter naturale, sed positiuum. ¶ Quòd si conclusionem nostram hoc argumẽto cõcutias ꝙ inde fieret consequens, ius gentium idẽ esse quod ciuile: vt luculẽtior tibi fiat responsio, differẽtiam accipito inter has iuris species. Primùm omniũ ius gentium & ciuile à naturali differunt, eò quod naturale simpliciter est necessariũ secundùm absolutam rerum considerationẽ, vt dictum est: & ideo cunctis animãtibus cõmune: ius verò tam gentium q̃ ciuile humana ratione est positum. Ius autem gentium & ciuile in primis hoc basilari discrimine differunt, quod lib. i. q. 5. ar. 4. ex mẽte. D. Thomæ deprompsimus. Nempe ꝙ ius gentium ex principijs naturalibus rerũ cõsideratarũ in ordine ad aliquẽ finẽ & circũstantias per viã cõclusiõis elicitur: vt si dicas, Agri colẽdi sunt: & homines negligentiores sunt ad cõmunia q̃ ad propria, ergo priuatim possideã tur. Ius autẽ ciuile colligitur ex vno principio naturali, & altera præmissa arbitratu humano posita: & ideo non colligit per viam illationis, sed per determinationem generalis principij ad specialẽ legẽ: vt de ceremonialibus & iudicialib⁹ identidẽ dictũ est. vt si dicas, Res iusto pretio vendantur: iustũ autem tritici pretium pro ratione præsentis loci & temporis est quinq; siclorũ: minor enim nõ est de iure naturæ. Et pariter malefactor est plectendus: ergo suspẽdendus latro. Ex hac prima differentia sequitur secunda, ꝙ ad cõstituendũ ius gentiũ nõ requiritur hominũ conuentus in vnum locum: quoniã ratio id singulos per se docet, sed ad cõstituendũ ius ciuile requiritur reipublicæ cõciliũ, aut principis autoritas, vt vltrò citroq; habito consilio constituatur. Atq; ex hac rursus sequitur tertia, videlicet ꝙ ius gentium est gẽtibus omnibus cõmune, vt dictũ est: ius autẽ ciuile est, vt ait Isidõrus, quod quisq; populus vel ciuitas sibi ꝓprium constituit. Quare aliud est ius Athenienſiũ, aliud verò Romanorũ, &c. vt habetur Instit. de iure natu. & gent. §. sed ius. De iure autẽ gentium omnes penè contractus introducti sunt, vt emptio & venditio, locatio &c. sine quibus humana societas constare non potest, vt patet eodem, Institu. §. ius autem. & ff. de iust. & iur. l. ex hoc iure. Isidõrus ergo quia nouit ius gentiũ & à naturali differre, & à ciuili, nè tot faceret diuisiones, distinxit ius in hęc tria mẽbra. Artificiosiùs ergo diuidit in ius naturale & positiuũ, ac deinde ius positiuũ humanum, in ius gẽtium, & ciuile. ¶ Est autẽ admonito opùs nè quenquã diuisio Aristotelica fallat, lib. 5. Ethi. cap. 7. vbi ius politicũ diuidit in naturale & legitimum. Haud enim politicũ pro eo prorsus vsurpat quod iuris prudentibus est ciuile: nam ius naturale non est species ciuilis, sed illi cõtrà positum. Appellauit ergo generaliter ius politicum, ius omne quo ciuitas vtitur: quo nomine tam naturale quàm gentium q̃ etiã ciuile comprehenditur. ¶ At verò non omnes scrupuli extincti sunt qui ex hac conclusione succrescunt: videntur enim iura contrà extare. Ait quippe Pomponius. l. veluti. ff. de iust. & iur. religionem erga Deum, & vt parentibus & patrię paream⁹, esse de iure gẽtiũ. Et Florẽtinus. l. vt vim. iniurias ꝓpulsare ad idẽ spectare ius: hæc tamen omnia sunt de iure naturæ. Nam præceptũ religionis & honorãdi parentes in decalogo sunt: qui, vt suprà satis demonstrauimus, germẽ est naturalis iuris. Et propulsare iniurias, conclusio est illius principij, Vnaquæq; res appetit se conseruare: ergo ius gẽtiũ idem est quod naturale. ¶ Et secũdò id ipsum arguit. Lib. proximo hanc sępe repetiuimus differẽtiã inter moralia præcepta ex vna parte, & ceremonialia atq; iudicialia & ius ciuile ex altera, ꝙ moralia inferũtur ex principijs naturæ per modum conclusionis: nõ autem reliqua, vt modò declarabamus. Qua de causa diximus

Elucidãtur varia Iurisconsultorũ verba.

Alia ratio pro conclusione.

Scrupulus.

Solutio.

Primum discrimẽ iuris ciuilis ac gẽtium.

Secũda differentia.

Tertia.

Cõtract⁹ fere oẽs iure gẽtiũ introducti sunt.

Primũ argumentum contra prædicta.

Secundum.

decalogum esse de iure naturæ: si ergo ius gentium infertur ex eisdem principijs per modum conclusionis, sit vt sit pariter de iure naturæ. ¶ Ad primum argumentũ respondetur iuris prudentes nimium extendere ius gentium. Censent nanque tali appellatione comprehendi quicquid cunctis mortalibus est commune: & ius naturale id duntaxat esse quo etiam bruta cum hominibus conueniunt: cùm tamen multa sint naturalia iura quæ peculiariter conueniunt humanæ naturæ & non brutæ: vt est decalogus, & quæ ibi implicita sunt, Differentia ergo non est: sed quam nos posuimus: scilicet quòd ea quæ inferuntur ex absoluta rerum natura, & consequentia necessaria, pertineãt ad ius naturale: illa verò quæ non ex absoluta consideratione, sed modo exposito in ordine ad certum finem, sint de iure gentium. Quare Decalogus non de iure gentium, sed de iure naturæ est. ¶ Et ex hoc elicitur solutio secundi argumẽti. Quãdo enim diximus ius gentium elici ex principijs naturæ per viam illationis, non intelligitur quòd illatio sit omninò necessaria: sed rei naturæ in ordine ad talem finem conueniens. Haud enim ex necessitate colendi agros vel pacifice eorum possessionis consequitur tam necessariò dominiorum diuisio, quàm ex illo principio, Id nè facias alijs &c. elicitur, Non occides: sed quia est illi fini congruentissimum atque expedientissimũ. ¶ Hic autem aboritur postremum dubium vtrùm in ius gentium cadat dispensatio, an perinde atque ius naturale sit indispensabile. Respondetur sub distinctione: Aliqua enim sunt de iure gentium adeò conducentia ad humanum conuictum, vt nullatenùs fas sit super illis dispensari: imò forsan dispẽsatio esset irrita, vt diuisio rerum de qua modò dicebamus. Nanque, nisi inter religiosos, intolerabilis esset communis rerum possessio. Alia verò sunt eiusdem iuris quæ sunt pro causa dispensabilia. Seruitus enim est de iure gentium: & tamen dispensatum est nè Christiani capti in bello, pro seruis habeantur. Et nonnulli contractuum ciuilium, etiam qui sunt de iure gentium possunt dispensari. Est enim de iure gentium seruare fidem hostibus, vt seruare legatos in bello: tamen si causa fidei contrarium posceret, non esset seruandum: imò si corrupta dogmata disseminarent exurendi essent: Neq; dispensatione opùs esset.

Ad primũ

Ad secũdũ

Postremum dubium.

Solutio.

PRimum igitur argumẽtum capitale iam solutum est: negatur enim omne illud in quo omnes gentes conueniũt, esse ius naturale. ¶ Et ad secundum respondetur q̃ Philosophus quãdo ait homines esse iure naturæ seruos, non accipit ius naturę simpliciter: nam absolutè humana natura pensata, non est cur magis vnus seruiat q̃ alter: sed si perpẽdatur in ordine ad finẽ: puta vt doceatur quis ab alio, & vt seruet in bello. Et ideo potiùs est iuris gẽtiũ, tametsi seruitus illius qui rudior est, vt à sapientiori moribꝰ imbuaꝫ, non est libertati cõtraria, vt lib. 4. in propria quæstione dicturi sumus: & ideo est magis naturalis: id est naturæ indiuidui cõgruens. ¶ Ad tertium itidem respondsum est quòd licèt ad ius gentium requiratur consentus hominum, non tamen conuentus vti ad ius ciuile: nam dispersim vniuersæ gentes ratione naturali id iuris perdocentur

Ad primũ argumentũ capitale.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ius paternum ac dominatiuum & à iusto politico & inter se vlla ratione distinguantur.

REstat ex superioribus dubium circa quasdã iuris species, qualis est paterna & dominatiua, quæ non videntur sub rationibus superiorum prorsus cõprehendi. Quæritur ergo vtrùm ius paternum & dominatiuum & à politico & inter se diuidantur. Et arguitur vt moris nobis est à parte negatiua. Ad iustitiam in genere pertinet vnicuique quod suum est reddere: cum ergo ius sit obiectum iustitiæ, fit vt pari modo vnumquenque æqualiter aspiciat. Quare non est distinguendum aut inter patrem & filium, aut inter dominum & seruũ. ¶ Secundò: Lex quę, vt ar. 1. diximus, ratio est & regula constitutiua iusti, ad bonum cõmune totius ciuitatis spectat, non ad vllius personę priuatũ: pater autem & filius, dominusque & seruus ad priuatam pertinent familiam: non ergo distinguitur ius paternum & dominatiuum à politico. ¶ Tertiò: Si hæ species iuris essent discernendæ, pari ratione & dignoscendæ essent aliæ plures secundùm gradus diuersos qui sunt inter ciues: vt puta ius militore & sacerdotum &c. ¶ In contrarium autem est autoritas

Primum argumentũ è parte negatiua.

Secundum.

Tertium.

Aristot.

ritas Philosophi.5.Ethi.cap.6. distinguentis ius paternum ac dominatiuum à politico.

ARticulus hic in hoc solùm adhibitus est vt locus hic citatus Aristot.exponatur. Ad quem igitur tribus breuissimis conclusionibus respondetur,qbus sentẽtia Aris. summatim exponitur.Prima est,Inter patrẽ & filium non est simpliciter iustum politicum,sed secundùm quid. Et memento non vsurpare nos hic politicum pro eo quod est ciuile,vt distinguitur â iure naturali & gentiũ:sed,vt proximè dicebamus,pro eo quod est ius inter ciues custoditum. Sic enim accipit Aristote.vt etiam naturale comprehendat. Probatur ergo conclusio . Iustum , vt hactenùs dicebamus , idem est quod adæquatum & commensuratum alteri. Intercedit enim iustitia : non nisi inter duos aut plures:est tamen vnus homo alter ab altero dupliciter : Vno modò quia simpliciter ab illo distinguitur , vt ciuis quilibet ab altero ciue: Alio modo secundùm quid: nempe quia quodammodò est alter , puta alterum suppositum: quodammodò verò idem videlicet pars alterius . Filius autem non est simpliciter alter à patre,sed secundùm quid, vt pote pars eius:vt habetur Ethico.8. nempe semen ab illo decisum:ergo inter patrem & filium non est simpliciter iustum , sed secundùm quid : quod peculiariter dicitur iustum paternum , ¶ Pari ratione constituitur secunda conclusio . Inter dominum & seruum non est simpliciter iustum: Quoniam, vt.1. Politicor. ait Philosophus, Seruus non est simpliciter aliud à domino:imò quicquid est, domini est : puta instrumentum: ergo sicut inter instrumentum & artificem non est propria ratio iusti, neque artifex iniuriam facit instrumento si ad libitum suum illo vtatur: sic neque inter dominum & seruum, sed secundùm quid : id est herile . ¶ Tertia conclusio . Inter virum & vxorem maior est ratio iusti quàm inter patrem & filium , & quàm inter dominum & seruum. Conclusio hæc adiecta superioribus est ad conciliandum cum Apostolo Philosophum. Si enim Apostolum audias ad Ephes.5.inquientem , virum & vxorem ad idem pertinere corpus , secundùm illud Genes.2.Erunt duo in carne vna : facilè inde tibi colligere videberis minorem , rationem iusti interesse inter virum & vxorem quàm inter patrem & filium : eò quòd minùs videantur esse duo . Nihilo minùs Aristote.loco citato plus inter eos iusti inter no uit.Et ratio est quòd ambo,licèt non ex æquo,ordinem tamen habent ad communẽ familiæ dispensationem.Quare & filij & seruui eodem penè iure obedire tenentur matri familiâs quo & patri.Nam & si vxor obedire teneatur viro,cui ad eiusdem prolis generationem coniungitur , ob idque dicatur esse quodammodo idem corpus, id est idem corporale principium , qua ratione prima mulier de costa viri plasmata fuit : tamen non quæcũque singularis mulier eo modo pars est mariti quo filius patris.Imò, si ità loqui liceret,compars eius est:nam ambo sunt partes vnius carnis: ob idq; dicuntur duo in carne vna. Ac multò minùs se habet ad virum,vt seruus.Quare Philosop.1. Polit.barbariei tribuit vt fœmina & seruus eodẽ gradu habeantur: ob idque inter virum & vxorem œconomicum iustum est. ¶ Circa primam conclusionem in primis notandum qp cùm asseritur inter patrem & filium non esse simpliciter iustum,sed secundùm quid:illud secundùm quid, quanuis rationem iusti diminuat,non tamen minuit rationem debiti & naturalis virtutis , sed potiùs auget. Etenim cùm iustitia & ad alterum sit, & debitum insinuet, & æqualitatem constituat, ex defectu cuiusque illarum trium rationũ deficit à ratione iustitiæ. Nam inter patrem & filium deficit ratione prima:quia non est simpliciter ad alterum.Præterea ratione tertia,qui parentibus æquale reddere nõ possumus:non autem ratione secũda,quia plus patribus debemus quàm cæteris . Quocircà caue putes ius paternum minus habere naturæ q̃ politicum : imò magis naturale est: etsi minus habeat iustitiæ . Atqui rationes istæ multo iustiùs nobis competunt respectu Dei . Primùm quia quodammodò aliquid ipsius sumus,non quidẽ partes, sed tamen effectus : & ideo multo minùs sufficimus ei æquale reddere quàm parentibus. Liberalitas autem deficit à ratione iustitiæ, quia nõ versatur circa debitum. Fit ergo ex his consequens , illud secundùm quid iustum quod est patris ad filium , quippiam excellentius esse quàm est simplex iustitia,vt puta pietatem . ¶ Scisciteberis autem forsan vtrũ cùm diximus inter patrem & filium non esse simpliciter iustum , intelligatur ex vtroque termino : scilicet tam patris ad filium,quàm filij ad patrem . Respondetur

prima conclusio.

Probatio cõclusionis.

Secunda cõclusio

Ratio conclusionis.

Tertia conclusio.

Paulus.

Ratio conclusionis.

Aristot.

Explicatio prima conclusionis.

Quæstio.

Solutio.

tur vtrinque intelligi, licèt non æqua ratione. Filij enim ad patrem nō est iustum simpliciter: non solùm quia pars est, sed quia æquale reddere non potest: patris autem ad filium, non propter rationem secundam, sed propter primam: nempe quia se habet sicut totum ad partem. Vnde sicut inter hominem & sua membra non est propria ratio iusti: quia non sunt simpliciter duo: sic neque patris ad filium. Nam quicquid in illum confert, sibiipsi quodammodò confert & prosperitas atque aduersitas filii patrem ipsum attingit. Vnde Seleucus Locrensium monarcha, vbi filio vterque erat eruendus oculus, supplicium ex æquo partitus est, vt vtriq; alter erueretur, quasi quod vnus essent homo. ¶ Huic autem veritati forsan quis hoc obmoliatur argumentum. Esto ita sit quòd filius quandiu est sub cura parentum aliquid sit patris, tamen postquā emācipatus est, iam inde, sua quadra viuēs, fit ciuis sicuti est pater, cui deinceps publici magistratus pariter decernuntur. Imò quādoq; est patre superior, puta, vel prætor, vel consul, vel dux belli. Item inter patrem & filium possunt tunc celebrari contractus emptionis, venditionis, & alij, in quibus iuris ratio æqua libra vtrinq; pendet: ergo inter patrem & filium interuenire potest perfecta ratio iusti. Atqui huc annuere videt. D. Tho. in solutione secundi argumenti, vbi ait q̄ pater & filius, dominus & seruus, considerari possunt vt sunt homines: & vt vnus est aliquid alterius: & ideo etiam dantur aliquæ leges de patribus quomodò se debeant habere erga filios. Caietanus cōtendit quomodocunq; considerentur filij: non esse ius simpliciter inter ipsos & parentes, sed secundùm quid. Nā ius, inquit, quod est inter eos quatenùs homines, modificatur per illud quòd vnus est pars alterius. Et ideo fit ius secundū quid, puta paternum. At verò si meum iudicium vllius est momēti, distinguerem potiꝰ quòd quantum ad naturalia iura semper inter filios, etiam emācipatos, & parentes, manet ius paternum: puta quantum ad honores illis deferendos, & quantū ad aliqua obsequia & iuuamina, dum opùs illis fuerit filiorum opera: sed quantum ad ciuilia, ius simpliciter & iustum est inter illos.

ñ de Seleuco

Primū argumentum

Secundum.

S. Thom.

Caietani solutio.

Autoris responsum.

Ad primū argumentū

AD primū igitur argumētum, cōcedit ad iustitiā pertinere reddere vnicuiq; q̄d suum est: suppositò tamꝰ q̄ sit alterius simpliciter ad alterū. Cū enim quis sibiipsi quippiā tribuit quod sibi debetur, puta cibū aut vestitū, nō facit simpliciter iustū, ac perinde cùm pater alit filiū. ¶ Secundi quoque respōsio ex superioribus elicitur. Nā etsi iustitia ad bonū commune spectet, nō obstat quò minùs inter patrē & filiū non habeat rationē perfectā. Attamē quia partes domus ad bonū etiam cōmune referuntur, iustitia quoq; leges ponit tam patribꝰ respectu liberorū, q̄ dominis respectu seruorū. ¶ Ad tertiū nō negatur quin etiā in republica distinguat̄ ius militare, & ius sacerdotū, vt lib. 1. inter exponēdas legū diuisiones cōcessum est, & declaratum. Tamē illa iura nulla ratione deficiunt à perfecta iustitia: sicuti paterna: quia est alteriꝰ simpliciter ad alterū. Omnia enim reipublicæ mēbra immediatū ordinē habent ad bonū cōmune: & ideo tam iustū est inter principem & ciuem, & inter quemcunq; magistratum & subditum, q̄ inter reliquos ciues: sed differūt illa iura penes diuersa officia: vt loco citato delaratum est.

Ad secūdū

Ad tertiū

QVAESTIO SECVNda, de iustitia.

S. Thom. 2. 2. q. 58.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm definitio iustitiæ à iurisperitis sit rectè constituta.

IVRIS igitur natura præfinita, sequit̄ vt virtutem ipsam iustitiæ, de qua præsens opus cōstituimus, & definitione mōstremus, & omnibꝰ suis numeris circunscribamus. Quærit̄ ergo vtrū definitio Vlpiani ff. de iust. & iur. qua ait, Iustitia est cōstās & perpetua voluntas ius suū vnicuiq; tribuēdi, naturā iustitiæ absolutè declaret. Et arguit̄ à parte negatiua. Phil. 5. Eth. ait iustitiā esse habitū quo iusta operamur & volumus: nō ergo est volūtas quæ est potentia. ¶ Secundò: Sola Dei volūtas est perpetua: ergo vel iustitia nō est ppetua volūtas, vel nō est in hominibꝰ. ¶ Tertiò: Perpetuū & cōstans idē est: alterū ergo in definitione redundat. ¶ Quartò. Ius reddere, munus est principi propriū: non ergo id habitui iustitiæ competit. ¶ In contrarium est autoritas Iurisconsulti.

Primum argumentū Aristot.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Ad

Conclusio. responsiua. Probatio. Aristot.

AD quæstionem vnica respondetur affirmatiua conclusione. Definitio illa sanè intellecta bona est. Etenim cũ virtus omnis sit habitus electiuus, vt. 2. Ethicorum ait Aristot. & habitus ab actu sortiatur speciem, sicuti & actꝰ ab obiecto, illa est optima vniuscuiuslibet virtutis definitio, quę per propriũ actum & obiectum naturam rei exprimit. Quoniã sicut anima rationalis forma est hominis, sic & actus est forma habitus: iustitia autem, vt suprà sæpè dictum est, & inferiùs est demonstrandum, est virtus quæ habentem ordinat ad alterum inter quos æqualitatem constituit dati & accepti. Quare actus proprius iustitiæ est reddere ius vnicuique suum. Sunt autem & tres conditiones omni virtuti communes, quas Aristo. 2. Ethicorũ declarat: scilicet vt sciens quis operetur, atq; eligens propter finem. & tertio vt perpetuo & cõstanter in omnibus actionibus, vt oportet, operetur: nã vnus aut alter virtutis actus non facit studiosum: sicut neque vna hurundo ver. Vbi ergo Iurisperitus ait, Iustitia est volũtas, nõ accipit nomen pro potentia, sed pro eius actu: nã nomẽ potentiæ aliquando tribuitur actui, quemadmodum principiorũ cognitio dicitur intellectus. Neq; verò est prædicatio idẽtica, sed causalis: iustitia enim est habitus quo fit voluntarius actus: quem admodùm Augustꝰ. super Ioãnẽ ait. Fides est credere quod nõ vides: id est, est habitus credendi. Quare volũtas ponitur loco generis. Oratorio autem modo iurisconsultus vsus est nomine voluntas, ad exprimendũ in primis proprium virtutis subiectũ: sanè quod, vt illicò dicturi sumus, est voluntas. Deinde ad exprimendum virtutis opus, quod debet à sciente & eligente spõtanèe proficisci: nam quod per ignorantiam vel per violentiã fit, quia non est voluntarium, nõ est officium. Et eadem ratione. Anselmus quando in lib. de veritate, dixit, quod iustitia est rectitudo: non fecit propositionem quam dicunt identicam: sola enim diuina voluntas est sua rectitudo: sed vsus est propositione causali: propterea quod iustitia efficit in opere rectitudinem. Quod autem Vlpian. adiecit, perpetua, seruit ad depromendam tertiam conditionem virtutis. Perpetuum enim dupliciter sumitur: Vno modo ratione actus, qui nunquàm interrumpitur: atq; hæc perpetuitatis ratio soli Deo competit. Alio modo ratione obiecti, vt scilicet quisq; proponat in omni euentu debitè & secundùm legem operari & hæc conditio necessaria est omni virtuti. Sapienter tamen apposuit, constans, quod non est idem quod perpetuum. Nam perpetuum solùm dicit propositum atq; intentionem sic semper operandi: cõstans autem addit eiusdem propositi firmitatem: nempè vt homo tali proposito nõ nutet & vacillet, sed fixum id gerat. Quæ quidem constantia nemini obtingit antequàm omnẽ sit adeptus virtutem: scilicet vt neque propter auaritiã, neque propter metum, neq; propter aliquã voluptatem, aliàm ve vllam affectionem à iustitiæ rectitudine deflectat. Vnde, constans, idem est quod vndiq; quasi tessera quadratus stans. Quot enim reperias habentes propositum semper studioſè agendi, qui tamen quia firmis radicibus virtutis non nituntur, idendidem dilabũtur? Hactenus ergo genus virtutis iustitiæ definitum est. Quod autem adhibuit, ius suum vnicuiq; tribuendi, differentiæ locum obtinet, iustitiam à cæteris virtutibus discernens, atque adeò eius speciem complens. ¶ Ex quo fit Buridanum præter rationem. 5. Ethicorum. q. 2. negare prædictã definitionem congruere iustitiæ quantũ ad omnes suos actus. Subdit nanq; ibidem Iurisperitus: Iuris præcepta sunt hæc, honestè viuere, alterum non lædere, suum cuiq; tribuere. Ait ergo Buridanus definionem hanc soli tertiæ parti iustitiæ conuenire. Porrò autem hoc falsum est: imò exprimit totã iustitiæ substãtiã. Est enim propria eius functio ius cuique tribuere: ac perinde neminem lædere. Nam: Non occides, Nõ furtũ facies &c. rationes iustitiæ explicat. Prima autem pars Iurisconsulti, scilicet, honestè viuere, non est peculiaris actus iustitiæ, sed generalis omniũ virtutum. Nam iam dictum est omnem virtutem, generalem habere rationem iustitiæ, vt inferiùs hic ampliùs explicabimꝰ. Et ideo illa pars non includitur in definitione quæ particulari iustitiæ assc̃ribitur. Est ergo optima definitio Iurisconsulti, imò explicatior quàm illa Aristot. scilicet, Iustitia est habitus iustorum operatiuus: quia hæc non explicat specialem rationem iusti, quæ est, ius alteri reddere. Si autem conciliare ambas libet & luculentius elucidare, colligito cum sancto Thoma definitionem hanc, Iustitia est habitus quo quisq; perpetua constantiq; voluntate ius suum vnicuiq; tribuit. ¶ Neq; obstat quòd & hoc principi etiam & iudici cõpetat. Nam princeps ius reddit imperando & dirigendo tanquàm custos iusti: virtus autem

Aristot.

Anselmus

Dupliciter modus perpetuitatis.

Buridani hallucinatio

Absoluta definitio Iustitiæ.

Obiectio Solutio.

tem iustitiæ,cuiusq; animum promptũ red dit,siue princeps sit, siue subditus tanquàm obediens rationi & legi,vt reddat vnicuique quod debet. Per hæc ergò soluta restant argumenta in capite quæstionis obiecta.

ARTICVLVS. II

Vtrùm Iustitia sit virtus quæ habentem ad alterum ordinat.

CONstituta iustitiæ definitione subsequitur vt eius substantiam atq; innatas qualitates singulatim exploremus:idq; examinãdo singulas definitionis particulas. Quæritur ergo circa eius vltimam differentiam,quæ est ius suum vnicuiq; tribuere, vtrùm iustitia propriè sit ad alterum. Et arguitur à parte negatiua, ex illo Apostoli ad Romanos.3.Iustitia dei est per fidẽ Iesu Christi:fides nanq; non dicitur per comparationem vnius ad alterum. ¶Secundò,iustitia Dei est æterna,& tamen ab æterno non habuit à se alium ad quem eadem referretur:ergò iustitia non est ad alterum. ¶Tertiò, officia iustitiæ etiam si ad alterum sint, moderamine nihilo minùs egent & rectificatione in ordine ad agentem: nam auarus ægrè abse abdicat æs quod habet alienum.Quare vt est Prouerb.11.iustitia simplicis diriget viam eius:ergò iustitia nõ solùm circa ea quæ sunt ad alterum,verùm & in moderãdis affectionibus ipsius habentis versatur. ¶In contrarium est Cicero lib.de Offi.inquiens iustitiã eam esse rationem,qua societas hominũ inter ipsos & vitę communitas còtinetur.Qua porrò descriptione insinuatur ordo ac respectus vnius ad alterum.

Primum argumentum à parte negatiua.

Argum.2.

Cicero.

QVæstio facilima est,duabusq; cõclusionibus contenta.Prior est. Iustitia propriè dicta duo requirit diuersa suppositа,inter quæ æqualitatem constituat. Conclusio est Philosophi.5.Ethicorum. capit.vlti. quæ porrò ex ipso nominis significato dilucidè patet.Iustitia enim idem est quod æqualitas seu æqualitatis habitus: æqualia autem, nisi abusiuè aut per metaphoram, non nisi duo dicuntur, vt patet in quantitatibus ad eandem normã iustificatis. Rursus iustificari,si ad mores accõmodetur,nõ cõuenit nisi humanis actionibus: actiones verò, vt.2. de anima author est Philosophus, non conueniunt naturæ vel partibus,sed tãtùm suppositо humanitas enim inquit non net,neque verò digiti aut manus,sed mulier: neq; verò manus aut per iniuriam propriè percutit, aut per iustitiam debitum soluit, sed homo: nisi forte per similitudinem, seu tanquã instrumenta coniuncta. Consequens ergò sit vt iustitia nõ solùm inter duo qualitercunq; distincta: sed inter duo suppositа sua exerceat munera. ¶Posterior conclusio:Nihil vetat quo minùs iustitia metaphoricè dicta inter partes eiusdem suppositi existat. Et hãc quoq; cõclusionem subdit eodem loco Philosophus.Et patet exemplum inter duas hominis partes.Primùm enim iustitia est inter membra:dum scilicet oculi pedes suo lumine ducunt, & vicissim pedes sua opera illos portant,Præterea pars sensualis, puta irascibilis & cõcupiscibilis,dum rationi obsequio despotico obediunt, iustitiam custodire dicuntur:& dum rebellant,iustitiam perturbare.Vnde Augustin.in lib.de morib. Eccles.Ad iustitiam,inquit,pertinet ob hoc quòd quis Deo seruit benè imperare cæteris quæ sunt homini subiecta. Est autem rationi appetitus subiectus,secundùm illud Gen.4. Super te erit appetitus eius.scilicet peccati,& tu dominaberis illius. ¶Res est facillma quæ nullius eget amplificatiõe,nisi forsan si quis interroget an tanta sit ratio iustitiæ inter has partes eiusdem hominis,quãta inter patrem & filium.Apparet enim ita esse:nam quia filius est aliquid patris, diximus non reperiri inter illos iustum nisi secundũ quid.Respondetur tamen diuersam esse rationem. Nam cùm pater & filius duo sint suppositа, verè ac propriè constituitur inter eos ratio iustitiæ:licèt quodammodò minuens intra latitudinem eiusdem rationis: sed tamen inter rationem & appetitum, quippè quæ non sunt duo suppositа,non est iustitia nisi metaphorica.

Prima conclusio.

Aristot.

Ratio cõclusionis.

Aristot.

Vltima conclusio.

Explanatur conclusio.

Augustin.

Quæstio.

Ratio hæsitandi.

Solutio.

AD primum igitur argumẽtum respondetur,quòd cùm ait Paulus iustitiã esse per fidẽ,nõ accipit iustitiã,vt est specialis virtus moralis quæ facit opus iustum, id est,adæquatum alteri homini: sed vt hominem ipsum à peccato liberat rectificãdo appetitum,vt sit rationis obsequens. Et secundùm hanc rationem est iustitia metaphorica. Tametsi,vt suprà diximus,eadem pariter hominem iustificat respectu Dei reddendo eum illi subditum,gratum,& acceptũ:eiusq; voluntati

Ad primũ argumẽtũ.

voluntati cõmensuratum. Et secundùm hoc propriè etiam dici potest iustitia. ¶Ad secundùm verò argumentum respondetur iustitiam Dei esse æternam secundùm propositum, in quo eius substantia consistit: tametsi secundùm effectu ab æterno non habuerit in quibuseam iustitiam exercuisset, sed post quàm mundum condidit. ¶Ad tertium denique articulo. 4. patebit fulgentiùs responsio. Interim autem respondetur, quòd passiones quæ operibus iustitię obsistunt per alias virtutes reprimuntur, quibus mitigatis per iustitiam fit electio recta, vt loco citato eluci dabitur.

Ad secũdũ argumentũ

Ad tertiũ argumentũ

ARTICVLVS. III.

Vtrùm iustitia sit virtus.

Argumẽ. 1.

Ambrosius

Argumẽ. 2.

Argum. 3.

Aristot.

Gregorius.

CIRCA gen⁹ definitionis, quod dictum est esse habitum iustè operandi, quæritur vtrùm iustitia sit virtus. Et arguitur à parte negatiua. Ait Christus, Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus: opus autem virtutis non est inutile. Ait enim Ambrosius. 2. de Offic. vtilitatem nõ pecunialis lucri æstimationem dicimus, sed acquisitionem pietatis: ergo facere quod quis debet, in quo iustitia consistit, non est opus virtutis. ¶Secundò, quod fit ex necessitate non est meritorium: reddere autẽ cuiq; suum, quod est opus iustitiæ, est necessarium, ergo non est meritorium, atq; adeò neq; virtus: quando quidem virtutibus omnibus per Dei fauorem meremur. ¶Tertiò, omnis virtus moralis est circa agibilia: ea autem quę exteriùs constituuntur, non sunt agibilia, sed factibilia, veluti sunt artium opificia, vt. 9. Metaphy. author est Aristot. cùm ergò iustitiæ munus sit, exterius opus iustũ perficere, fit vt non sit virtus. ¶In contrariũ est Grego. 2. Moral. vbi quatuor cardinales virtutes distinguit: scilicet, temperantiã, prudentiam, fortitudinem, atque iustitiã. Quinverò & sapientia ipsa, vt patet cap. 8. easdem se virtutes docere prædicat.

Conclusio responsiua.

Probatio cõclusionis.

AD quæstionem vnica conclusione respõdetur. ¶Iustitia est moralis virtus. Probatur: Virtus secundùm Aristot. 2. Ethicorũ, est quæ bonũ reddit habentem & eius opus bonum: iustitia autem est huiusmodi: ergo est virtus. Probatur Minor. Bonum hominis est operari secundùm rationis regulam: nã cùm homo natura tua sit rationalis, secundùm rationem actiones nostræ probæ iudicantur: iustitiæ autem hoc ipsum munus incumbit vt secundùm rationis lineam æquitatem constituat inter duos: sit ergò vt sit virtus: eademq;, vt Aristo. ait, non qualiscunq;, sed tanto cæteris rutilantior, quanto Hesperus reliquis astris firmamenti splendore antecellit. Quod & Cicero. 1. de Offi. repetit, vbi ait in habitu iustitiæ virtutis splendorẽ esse maximum, ex qua viri boni nominantur. ¶Posset quis in præsentiarum hæsitare an à virtute iustitiæ aliter dicantur viri boni, quã â cæterarum qualibet. Virtus enim quæcunq; facit bonũ hominem simpliciter. Ars inquã pictoria facit bonum pictorẽ: & ars medica, bonum medicum: neutra tamen bonũ virum. Et virtus intellectualis, puta scientia, efficit virum doctum: non tamen pertingit vt constituat virum bonum: sed sola est virtus moralis, quæ cùm faciat hominem, cuius natura est rationalis, viuere secundùm rationem, constituit virum bonum. Sed præter hanc acceptionem, vsurpatur etiam bonitas vt idem sit quod benignitas & fertilitas, qua scilicet homo est alteri beneficus: sicut terra dicitur benigna & bona qnia fertilis. De iustitia ergo posset quispiam affirmare vtrâq; ratione hominem denominare bonum: eò quod iusti, non solùm studiosi sunt, sed & alijs boni & vtiles. At verò res medullitus inspecta non sic habet. Bonitas enim, hoc est benignitas & fertilitas, non est qnomodocunq; tribuere: sed tribuere non ex debito, quod liberalitati & magnificentiæ conuenit

Aristot.

Hæsitatio.

Cicero.

Quin verò Aristot. etiam prodigum, quod est nomen vitij, non veretur appellare bonũ hoc est benignum & frugi, quia sua effundit Iustitia verò non tam dat, quàm reddit. Vnde Cicero eodem loco, secundã bonitatem, non iustitiæ, sed beneficentiæ tribuit. Ait enim, Et huic, scilicet iustitiæ, coniuncta est beneficientia: quam eandem vel benignitatẽ vel liberalitatem appellari licet. Vnde iustitia solum facit bonum habentem, & bonum opus, bonitate eiusdem generis quo reliquæ virtutes. Et ideò vbi ait Cicero à iustitia bonos viros nominari, accepit iustitiam, vt est generale nomen omnium virtutum: licèt iustitia inter cardinales fastigiũ ob hoc teneat quòd ordinat hominem ad alios, atque adeò non potest non se protinus exerere, atq; in publi-

Cicero.

Vera solutio dubitatiõis propositæ.

publicum prodire. Et re vera qui iustus est, vt vnicuique quod suum est promptissimè reddat, is proximus est vt sit beneficus ac liberalis.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum optimè S. Tho. respondet, quòd qui facit quod debet nihil vtilitatis affert, hoc est nihil auget lucri ei cui debitum reddit, sed tantũ ab eius damno manus abstinet: at si sibi ipsi vtilis est, quatenus sponte sua faciens quòd debet, præmium meretur apud Deum. Sumus ergo respectu Dei nõ sicut serui respectu mortalium dominorum: serui quippe quicquid sunt, dominorum sunt: & ideò quicquid operis exequuntur, domino accrescit in lucrum Obidq; sunt vtiles: nam vtile est bonum propter aliud. Obsequia verò quæ nos Deo impendimus nihil ei lucri accumulant: quia bonorum nostrorum non indiget: sed in nos ipsos vtilitas redundat: Deo autem, non nisi gloria. Et ideo dicimur serui inutiles, hoc est nihil accumulantes Deo, propterea quod nõ facimus nisi id quod de iustitia debemus. At tamen quia id quod debemus, virtus iustitię est, quã Deus nobis præcepit, fit vt facientes quod debemus, apud ipsum promeremur præmium. ¶ *Ad secũdũ argumẽtũ.* Ad secundum respondetur duplicem esse necessitatem. Alia quippe est coactionis: & hæc tollit meritum & laudem ac pariter vituperium: vt in fine. 5. Ethicorum ait Aristo. Altera verò est necessitas precepti & finis, quem sine tali medio consequi non possumus. Et hæc rationem virtutis non extrudit: quatenus id homo quod debet suavoluntate agit, vnde ratio laudis exoritur. Excludit tamẽ meritum supererogationis, quale est in operibus cõsilij. Vnde Paul. 1. ad Corinth. 9. Si Euangelizauero, non est mihi gloria. ¶ *Paulus.* Ad tertium argumentum respondet S. Tho. quod iustitia non consistit circa exteriores res quantum ad hoc quod est eas facere: quod pertinet ad artem: sed quãtum ad earum vsum, qui alteri est debitus. Hæc autẽ verba quidã adeò multis elucidare satagũt, vt potius obnubilent: res enim est clara. Iustitia inquam non est ars factibilium: quia factio sua non est pecuniam cudere, aut fabre facere domum: sed vti pecunia, soluendo illam debitori. Vnde cùm architectus recepto pretio ædes ædificat, & si per artem eas extruat quales debet, tamen iustitia est quæ eum applicat ad ædificandum vt debitum soluat. *ad tertium argumẽtũ. S. Thomas.* *Mens sancti Thomæ.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm iustitia sit in Voluntate.

CIRCA aliam definitionis particulam, qua dictum est iustitiã esse voluntatem. quæritur vtrũ voluntas sit eius subiectum. Est enim argumentum quòd sit in intellectu. Subiectũ veritatis est intellectus: iustitia verò sepissimè dicitur veritas, vt in Psal Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatę sunt. Eò vel maximè quod iustitia, vt dictum est, dicit ordinẽ ad alterum: ordinare autẽ opus, rationis est. *Primum argumentum* *Argumẽ. 2.* ¶ Et secundò arguitur. Si non est in intellectu, illa est causa quod non est virtus intellectualis, sed moralis: at verò inde colligitur neque esse in voluntate, sed in appetitu irascibili vel cõcupiscibili, quos Aristot. 1. Ethico. docet esse sedes virtutum moralium: ergo non est in voluntate. ¶ In contrarium est Anselmus, qui definiens iustitiam, ait esse rectitudinem voluntatis propter se seruatam. *Aristot.* *Anselmus.*

AD quæstionem vnica cõclusione respõdetur. Iustitia est in voluntate tãquam in subiecto. Conclusionem hanc insinuat Aristot. in initio. 5. Ethicor. vbi ait iustitiam esse habitum quo homines iusta agũt. & volunt iusta. Et iurisconsultus, vt diximus, vbi ait: Iustitia est voluntas. designauit enim habitum per proprium subiectum. Et ratio est hæc, quæ per sufficientem exclusionem aliarum potentiarum procedit. Vnaquæq; virtus in ea est potentia cuius est actus quem rectificat: iustitia autem nõ rectificat actum intellectus aut alicuius alterius cognoscitiuę potentiæ. Haud enim iusti dicimur quia iusta cognoscimus: id siquidem etiam prauis commune est: sed quia iusta, vt ait Arist. operamur & volumus: in nulla ergo est potentia cognoscitiua. Fit igitur vt sit in aliquo appetitu, qui principium est proximum volendi & agendi: appetitus autem alter est sensitiuus, in irascibilẽ & concupiscibilem diuisus: atq; alter rationalis, qui est voluntas: in sensitiuo autẽ existere nõ potest. Iustitia nanq; ordinem, vt dictum est, ad alterum dicit: ordinem autem eiusmodi nullus sensus cognoscit, quem sequitur appetitus sensitiuus: colligitur ergo ex hac inductione nullam superesse potentiam in qua iustitia considere possit præter voluntatem. De hac conclusione *Cõclusio responsiua.* *Aristot.* *Ratio cõclusionis.* *Aristot.*

nemo

nemo est qui dissentiat: de hoc autem inter Doctores disputatur, vtrùm propriè sit iustitiæ inter cardinales virtutes, esse in voluntate: iustitiæ inquam & aliarum sibi annexarum: quales sunt religio, liberalitas, & similes. Scotus nanq; (quod in superioribus tetigisse meminimus) in 3. Sent. dist. 33. atq; Occham q. 10. quos neotericorũ pleriq; sequuntur, & præcipuè Burid. 1. Ethi. q. vltima mordicùs tenent, non modò iustitiam, verùm & fortitudinem & temperantiam in voluntate residere. Quorum ratio ea est potissima, q̃ cùm proprium virtutis opus sit rectam facere electionem circa finem, vt 2. Ethic. cap. 4. Aristot. docet, in illa potentia insidere debet cuius proprium est electionem facere: hæc autem est volũtas, ex qua laus vituperiũque operis proficiscitur: ergò illa est omnium virtutũ sedes. ¶ At verò quanuis disputatio hæc apud D. Thom. non hic. sed. 1. 2. q. 56. sita sit: tamen quantum ad rem attinet præsentem istorum doctrina Aristoteli è diametro obuersatur: qui quidem. 2. Ethi. cap. 3. ex professo demonstrare contendit virtutes morales, nempè fortitudinem & temperantiam in reprimendis voluptatibus ac doloribus & tristitijs versari: cuius fundamentum contrariũ illi est quo isti vtuntur. Enimuerò voluntas, cũ proprius sit appetitus hominis: & cuiusq; rei appetitus per se sit in bonũ ipsius rei, nisi aliũde impediatur, propensus: & rectè agere secundùm fortitudinem & secũdùm temperantiam, bonum sit proprium ipsius hominis: nullo ad hæc prorsus indiget virtutis habitu: sed cùm virtus sit circa difficile, illi est potentiæ necessaria, ex qua animi perturbationes oriuntur electioni virtutis obsistentes: quas quidem perturbationes ipsa per se potentia compescere nõ sufficit: ob id enim indiget opitulante sibi habitu: cùm ergo tota difficultas rectè aggrediendi expectãdiq; in bello à timore & nimia audacia existat, ira scibilis est quæ virtute indiget. Et pariter concupiscibilis ad reprimendas voluptates, quibus pacatis affectibus voluntas rectam faciat electionem. Negatur ergò istorũ maxima: puta in ea potentia debere esse virtutem quæ rectam facit electionem. Nam quando per se potentia id potest, nõ indiget virtute, sed illic est necessaria vnde nascitur difficultas atq; obstaculum rectè eligendi ac subinde agendi. Quo fit vt præter rationem negauerit illic Sco. habitus appetitus sensitiui mereri propriè virtutum nomen: cùm sint cardinalis. Quoniam per illam represionem sensualium affectionum sunt verè principia & causæ rectæ electionis. ¶ Et per hoc proditur omnium argumentũ fallaciæ quas Buridan. accumulat, quorum vnum est: Voluntas sæpe inclinatur versus appetitũ, neq; sine difficultate consentire potest rationi: ergo indiget habitu inclinante eam versus rationem. Negatur quippe antecedens: per se enim non vergit in appetitum, sed propensissima est in bonum ipsius suppositi, quod est bonum rationis. Quòd si quandoque sequitur appetitum, est quia ab eo prauè affecto pertrahitur: non ergo ipsa in se, sed in appetitu habitu indiget, affectionem extrudẽte per quam vincitur. ¶ Attentatur sentẽtia hæc isto argumento: Intellectus per se inclinatur ad verum, & nihilo minùs scientiarũ habitibus eget. Respondetur tamen, diuersam esse rationem. Propositio nanq; nostra intelligitur quando potentia inclinatur ad bonum per modum appetitus, hoc est per modũ potentiæ actiuæ, quia fertur in ipsum

Tunc enim quia per se propendet in obiectum nullo instigante indiget: potentia verò cognoscitiua non est actiua, vt feratur in obiectũ: sed passiua, id est, apta in se obiecti imaginẽ recipere. obidq; sicut cognoscere ipsum non potest nisi per species ab ipso profusas: ità neq; rectè iudicare nisi per habitus, veritatem rei demonstrantes, atq; adeò applicantes intellectum ad iudicandum. ¶ De iustitia autem diuersa est ratio, vt suprà diximus: nam per se voluntas non est perinde in bonum alienum propensa atque in proprium. Ob idq; quanuis nullam pateretur affectionum violentiam, indiget nihilo minùs habitu inclinante ipsam ad reddendum alteri quod suum est. Quocircà paulò inferiùs mõstraturi sumus iustitiam nõ versari circa passiones. ¶ Quòd si arguas, ius alteri tribuere est bonum proprium tribuentis: nam virtus est bonum studiosi, cùm bonum faciat habentem: ergò neq; ad hoc voluntas eget habitu. Respondetur quòd quanuis iustitia sit formaliter bonum habentis, tamẽ eius obiectum est bonum alienum: versatur enim circa hoc quod est reddere alteri quod suũ est. Et in hoc stat aliarum dissimilitudo.

AD primum igitur argumentum respondetur quòd iustitia non est veritas quæ dicit adæquationem rei ad cognitionem, sed vt significat rectitudinem, quam ratio, quæ

veritas.

Quæstio celebris.

Scotus.

Buridanus.

Ratio potissima Sco. atque Buridani.

Aristot.

D. Thomas.

Sentẽtia præfata. Aristoteli è diametro obuersatur.

Ad argumẽtum præfatæ opinionis.

Ad aliudargumentum Buridani.

argumentũ

Solutio.

Alia ratio.

Ad primũ argumentũ

veritas dicitur,in appetitu constituit,atq; imprimit:nam propter propinquitatē effectus ad causam,nomen causæ per Synecdochen effectui tribuitur. ¶Ad secundum respondetur. Ob id quod voluntas sequitur rationis ordinem,velle aliquid in ordine ad alterum: quare non obstat quin ordinare sit propriū actus rationis, & nihilo minùs competat iustitiæ quæ est in voluntate. ¶Ad tertium autem iam respōsum est quòd Philosophus loco citato.2. Ethic.solùm constituit, virtutem moralem esse in subiecto, quod est rationale per participationem : id autem nō solùm conuenit irascibili & concupiscibili, in quibus sunt fortitudo & temperantia:verum & voluntati quatenus rationi obedit, ad quod iustitia inclinat in ordine ad alterū modo expositō. Tametsi voluntas plus rationis participet:quia propinquiùs illi adiungitur.

Ad secundum argumentū

Ad tertiū argumentū

ARTICVLVS V.

Vtrùm Iustitia sit generalis virtus.

Primum argumentum

NON satis est constituisse iustitiam esse virtutem, nisi examinetur sit ne specialis virtus,an generalis. Et arguit quod nulla sit iustitia generalis. Iustitia est vna cardinalium virtutum ,vt patet Sapien.8.sobrietatem & iustitiam docet, prudentiam,& virtutem:hoc est fortitudinem: generale autem non cōdiuiditur speciebus. Et confirmatur : quia temperantia eò quòd est cardinalis virtus,nō est generalis,sed specialis. ¶Secundò arguitur. Iustitia est ad alterum:fortitudo autem & temperantia hominem componunt in ordine ad seipsum : istæ autem sunt rationes diuersæ : ergo iustitia non sic est generalis vt ad temperantiam & fortitudinem protendatur. ¶Tertiò arguitur. Si iustitia esset generalis virtus, esset omnibus eadem per essentiam,quod 5.Ethi. cap.1.insinuare videtur Arist.vbi ait, iustitiā esse totam virtutem : hoc est eadē omni virtuti:hoc autem est falsum:nam tunc iustitia diuideretur in fortitudinem & temperantiā, de illis q; prędicaretur sicuti animal de homine & equo:quod tamen absurdum est dictu quoniam ratio iustitiæ,quæ est, esse ad alterum,non potest sic esse per essentiam genus omnium virtutum,quæ non sunt ad alterū. Quare absurdissima esset diuisio iustitiæ in aliasvirtutes cardinales tanquàm in suas species. ¶Quartò arguitur . In virtutibus,vt pote quæ ex inclinatione naturę procedunt,nihil est superfluum,sicuti neque in alijs naturæ operibus: si ergo generalis iustitia abundè hominem in bonum commune refert,superflua erit particularis iustitia. Atq; eò potissimùm quòd vnum & multa non diuersificāt speciem:instituere autem hominem in ordine ad bonū commune, est instituere in ordine ad multa : instituere verò in ordine ad particularem personam, est ordinare ad vnum : non est ergo quòd duas iustitiæ species hac ratiōe distinguamus. Alioqui & tertiam effingere deberemus mediam,quæ partes eiusdē familiæ ad bonū domus instituat, quippe quod medium est inter commune & priuatum. ¶In contrarium autem est verbum citatum Arist.nempè, Iustitia est tota virtus hoc est.Omnis virtus est quædam iustitia.Cui sententiæ accedit non modò vulgaris sermo,verùm & Euangelicus: Nisi abū dauerit iustitia vestra.Vbi omnis virtus censetur institiæ nomine. Vnde fit vt omnis studiosus dicatur iustus.

Cōfirmatio.

Argum.2.

Argum.3.

Aristot.

argumen.4

Aristot.

AD plenam quæstionis responsionem quinque opùs est conclusionibus. Nā arbitrati sumus tres articulos S.Thomæ sub vno titulo luculentiùs ac subindè cōmodiùs posse decidi. Prima. Optimè iustitia primū omnium diuiditur in iustitiam generalem & particularem.Probatur cōclusio. Iustitia, quod identidem repetere oportet,est hominis virtus per comparationem ad alium: cōparatio autem hæc duobus modis fieri potest.Confertur enim homo vel ad alium,ceu singularem ciuem consideratum, vel ad alium consideratum, vt publica præditus est authoritate, qua bonum commune administrat.Nam respublica,ac princeps eam ad ministrās respectum habet ad omnes ciues, atq; ad ipsum singuli. Itâq; sicut in corpore humano membrum vnum cōparatur,& ad alterum & ad totum,ad quod partes ipsæ ordinantur:sic & in republica se habent ciues. Exvtraq; ergo comparatione sumi potest ratio iustitiæ.Quocirca iustitia quæ ordinat ciuem ad ciuem, tanquàm vnam partem ad alteram,est particularis:sub qua militant cōtractus omnes emptionis,locationis,restitutionis mutuati,solutionis mercedis.&c. Altera verò quæ ordinat ciues in bonum cōmune,est iustitia generalis: quæ quidem sic nomina

Prima conclusio.

Probatio.

minatur,tum ab obiecto & fine:nam bonũ commune est omnium generale: tum etiam ab effectu & proprio munere: nempè quòd virtutes omnes ordinat ad tale cõmune bonum: videlicet vt vir fortis strenuè agat in bello ob commune bonum,& vir tẽperatus abstineat ab alieno toro ob conseruationẽ eiusdem cõmunis boni. Et quoniã ordo iste partium ad commune bonum fit per leges quibus princeps vniuersos ad idem bonum instituit,eadem iustitia nominatur etiam legalis. *Dubitatio.* ¶ Restat autem dubium quod tertio argumento quærebatur, vtrùm scilicet hæc generalis virtus sit singulis virtutibus eadem per essentiam. Itaq; sicut animal quod est genus per essentiã prædicatur de singulis speciebus,sic & prudentia & fortitudo sit iustitia. Obidq; subiungitur secunda conclusio Iustitia legalis ac generalis nõ est eadem per essentiam singulis virtutibus, sed est specialis virtus,cunctas per proprium imperiũ referens in commune bonum. Dilucidatio cõclusionis abundè illam demõstrat. Bifariam enim res dicitur generalis : Vno modo per prædicationẽ,sicut animal est genus ad suas species:& quod hoc modo est generale, ad essentiam eorum pertinet,quibus est generale. Quare essentialiter de singulis prædicatur nam genus est de essentia specierũ. Alio modo quidpiam dicitur generale secundùm virtutem: videlicet quia causa est inferioribus influens:quemadmodũ sol respectu omniũ inferiorum causarũ. Et quod hoc modo est generale,non est particularibus idem essentialiter,neq; de illis prædicatur. Ignis nanq; non est sol. Ex hac diuisione colligitur conclusionis ratio. Iustitia generalis seu legalis nullatenus est genus respectu aliarum virtutum:sed hac duntaxat vi pollet vt cunctas referat in bonum commune: ergo nõ id idem illis essentialiter,sed est quædam specialis virtus cæteris imperans. Exemplum nobis accommodatissimum elucet à charitate, Hæc enim,virtus specialis est, secundùm propriã rationem à fide atq; spe distincta, nihilo minùs per eius imperium vniuersa aliarum virtutum opera refert in Deum tanquàm in finem supranaturalem. Dum enim quis aut strenuè agit in bello, aut cum moderamine tangibilibus vtitur propter naturalem honestatẽ,opus illud fit à solis virtutibus. Si autem eadem exhibeat opera propter Deum, relatio illa fit à charitate. Quemadmodũ vbi quis furatur propter fornicationem,furtum

Secunda cõclusio, qua satis fit dubitationi iã modo posita.

Dilucidatio cõclusionis.

Ratio cõclusionis.

elicitur ab iniustitia: imperatur autẽ à luxuria. Pari ergò modo,si quis in officijs particularium virtutum sese exerceat propter peculiares earundem fines,officia illa non excedunt limites illarum virtutum : dum verò eadem præstat officia propter custodiã & cultum boni communis, & vt publicis legibus obtẽperet, relatio illa fit à iustitia legali, quę ideò dicitur generalis. Quòd si interroges quidnam sit vnam virtutem alijs imperitare respondetur nihil aliud quã ceu causam vniuersalem illas ad opus admouere,atque vnà cũ ipsis ad idem opus concurrere. Tertia cõclusio. Iustitia hæc generalis & legalis potissimũ residet in principe quasi architectonicè, ac deinde in subditis, qua probè afficiuntur vt promptè legibus ac principi obtemperẽt. Enimuero sicuti architectus lapides omnes & ligna disponit qualiter ad fabricãest necessarium:sic debet princeps ciues omnes ad bonũ commune instituere ac referre. ¶ Quarta cõclusio. Vnaquæq; virtutũ cõsiderata vt à iustitia legali imperatur, potest denominationem suscipere,vt legalis dicatur:quemadmodũ omnis virtus secundũ rationem qua à charitate imperatur,dici potest quodammodò charitas. Hæc cõclusio ad interpretandũ Aristotelẽ adiecta est. Quod enĩ ait, Iustitiã esse totã virtutẽ,hũc exhibet sensum,q̃ quælibet virtus imperata à iustitia legali quodãmodò est iustitia legalis. ¶ Quinta cõclusio. Præter iustitiã legalem quæ modo exposito generalis est,requiritur particularis. Probatur sic. Virtutes,vt sæpè dictũ est,per obiecta discernuntur,præter rationẽ autẽ obiecti iustitiæ legalis,quę est reliquarũ virtutum opera in bonum cõmune referre,est alia particularis ratio reddendi vnicuiq; quod suũ est:ergo ad hoc necessaria est particularis iustitia. Et cõfirmatur hæc ratio. Præter legalem iustitiam requirũtur alię virtutes particulares,scilicet fortitudo & tẽperantia ad eliciendos actus circa sua particularia obiecta:nõ obstãte ijdẽ actus ab eadem legali iustitia referantur in bonũ cõmune: ergo pari iure requiritur institia particularis ex qua eliciatur opus circa suum obiectum:quod quidem aliquãdo imperatur ab eadẽ iustitia legali, aliquando verò minimè. Potest enim quis mutuatum reddere, aut mercedẽ soluere operario: non propter obedientiam legis,neu propter bonũ cõmune,cuius nullũ habet amorẽ: sed vt seruet suã fidem propter seipsum: & tunc talis actus emãnat à sola iustitia particulari.

Tertia cõclusio.

Probatur cõclusio.

Quarta cõclusio.

Quinta cõclusio.

Probatio cõclusionis.

Cõfirmatio.

Si autem

Si autem id faciat propter bonum commune,& vt legi auscultet, tunc imperatur à lega li. Qua ratione non solùm Philosop. locis su prà citatis duas species ponit iustitiæ:&.5. Ethico.cap.2.expresse ait sermonem facere. de iustitia quæ est pars virtutis: hoc est particularis iustitia:verùm & sacri Doctores eãdem vbique notant distinctionem. Vnde Chrysost. super illud Matth.5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam:aut vniuersalem virtutem ait illic designari,aut particularẽ,auaritiæ contrariam. ¶ Prima conclusio extra vllam controuersiam cunctis est doctoribus receptissima: nam omnia tam sacra quàm prophana appellant quẽcunque studiosum iustum, ac perinde quamcunque virtutem quodammodo iustitiam. De secũda autem non omnes neoterici D. Thomam auscultant imò ab ipso resilientes negant iustitiam generalem ac legalem,esse specialem virtutẽ: sed aiunt esse rationem quandam omni virtuti per essentiam communem.Inter hos est Buridan.qui.5.Ethico.q.4. hanc statuit sententiam aduersus S.Thomam. Itaque secundùm istos temperantia,quatenus hominem mouet vt moderato vtatur cibo & potu propter particularem honestatẽ aut ratione studij aut sanitatis,rem habet & nomen temperantiæ:sed quatenus ad idipsum hominem inclinat vt legi obediat & principi, est iustitia legalis. Et æqua ratione fortituto atque aliarum vna quælibet. Arbitrantur nanque singulas per se virtutes illam habere innatã rationem obediendi legi. Ptobationem suã Burid. ex penu Nominalium deprômit. Superfluè enim, inquit, mnltiplicantur virtutum habitus.vbi non sunt necessarij. Singulæ autem virtutum suopte ingenio appellãt hominem ad studiose agendum,non solùm ob particulares fines, verùm & propter bonum commune,& ad parendum legibus: ergo superuacanea est alia specialis virtus, cui hoc muneris tribuatur. Secundam præmissam videtur sibi ipse colligere ex Aristot. 2. Ethico.cap.4.vbi docet omnem virtutem id perficere vt fiat opus ex electione propter finem honestum: bonum autem cõmune & legis obedientia est honestissimũ:ergò quæcunq; virtus in illam rationem finis inclinat Mox omnis virtus perficit habentem,vt pertuò operetur,quando, vbi, & quomodò oportet:sed sæpenumerò occurrit agendum esse propter bonum commune,atq; ad obedientiam legis: ergo quælibet tunc virtus, si virtus est,id per se præstare poterit. Accedũt huc & Aristotelica testimonia:ait quippe.4. Ethico.cap.de Magnificentia, magnificum non esse in seipsum sumptuosum, sed in cõmunia.Et lib.3.de Fortitudine ait,illamvirtutem potissimùm versari circa pericula belli: bellum autem,vt iustum sit, geri non potest nisi ob commune bonum:ergo particulares virtutes rationem habent generalis iustitiæ, atque adeò nõ est alia specialis necessaria. ¶ At verò argumenta hæc non sunt tanti roboris quàm isti existimãt. Imò & ratio cum primis,& deinde Aristot. documẽta è regione illis obsistunt.Primùm enim hoc ipsi no biscum postulatum suscipiunt,quòd ratio legalis generalisque iustitiæ est agere propter bonum commune,& propter obedientiam legis.Ex hoc autem loco emergit cõtra istos manifesta ratio. Stat enim quempiã probè esse virtute affectum ad operãdum propter particularem finem,non autem propter cõmunem: & vice versa: vbi autem sunt difficultates diuersæ agendi,diuersis opùs est virtutibus: ergo iustitia legalis alia est à particulari, Antecedens experientia cõpertum est. Videas nanque abstinentem hominem qui propter honestum particulare bonum frugaliter viuit.& tamen nullo ducitur legis respectu. Imò forsan odium eius habet: quia odio habet prælatum.Ob idq; si opus aliam non haberet honestatis rationem,nunquàm propter legẽ illud exequeretur.Rursus,opus virtutis facere propter obedientiam,aliam rationem habet quàm illud facere propter aliũ honestum finem:sicuti & ieiunium frangere propter famem,aut ex contemptu legis, diuersa sunt vitia:ergò & obedientia & temperantia diuersæ sunt virtutes.Aliàs profectò si quam impugnamus opinionem vera esset, nulla opus esset speciali virtute obedientiæ: sed sufficerent virtutes aliæ in quarum materijs obedientia versatur.Accedunt & Arist. testimonia.Primùm ait.5.Ethico,complures in proprijs posse vti virtute, qua tamen nequeunt in ordine ad alterũ.Et.3.Polit.cap.3. ait non esse eandem virtutem viri boni & boni ciuis:bonus autem ciuis est qui bono publico probè inseruit. Alia est ergò legalis virtus,quæ ad hoc inclinat, ab alijs particularibus.Quin age Arist.expressè.5.Ethico.cap.1. duas distinguit iustitiæ virtutes, legalem & particularem ex diuersitate obiecti:quarum prioris obiectum dicit esse iustum legitimũ & legale:posterioris verò, æquum quod est ad pri

Aristot. — *Aristot.*

Chrysost.

Neotericorum sententia.

Buridanus.

Motiuum primum Buridani.

Aristot.

Secunda ratio eiusdem authoris.

Primum argumentum contra Buridanum.

Secunda ratio.

Aristot.

ad priuatã persõam. Sicuti in naui alia est virtus remigeri, puta induſtriè remigare, etiã ſi de ſaluta nauis nihil cogitet: alia verò gubernatoris eandem procurantis ſalutem: ergò iuſtitia legalis non ſolùm dicit rationem generalem omnium virtutum, ſed ſpecialem virtutem. ¶Vnde ad primum Buridani argumentum negatur particularem virtutem ad bonum commune per ſe ſuum referre opus, ſed hoc illi præſtat iuſtitia legalis: ſicuti particularis virtus nõ est charitas niſi quatenus à charitate refertur in Deũ. Et ad priorem Ariſt. authoritatem reſpondetur ipſum nõ affirmare q̃ magnificentia operetur ob bonum commune, ſed ait eſſe vtilem multitudini. Neq; verò fortitudo in idẽ per ſe inclinat commune bonum. Aliud enim est q̃ bellum nõ ſit principi indicendum aut ſuſcipiendum niſi propter commune bonum: aliud verò quòd cuiusq; militis fortitudo ad idem ſe referat bonum.

Ad primũ argumentũ Buridani.

ad aliud ex Ariſto.

EX his ergò facilis fit deſcenſus ad principalium argumentorum ſolutiones, Ad primum enim reſpondetur, iuſtitiã quæ numero ponitur cardinalium nõ eſſe legalẽ & generalẽ, ſed ſpecialẽ. Quòd autem aliarum nullam, puta neq; temperantiã neq; fortitudinem diuidamus in generalem & particularem ratio eſt q̃ ſunt, vt ſuprà diximus, in appetitu ſenſitiuo, qui non ſe extendit ad commune bonũ, ſed circa particularia verſatur: iuſtitia verò quæ eſt in voluntate intellectualem ſequente cognitionem, ad idem protenditur cõmune bonum. ¶Ad tertium reſpõdetur, q̃ quia peculiare cuiuſq; bonum referri in cõmune & publicum poteſt, fit vt legalis iuſtitia õnibus imperet ſingularibus virtutibus, ac perinde omnium opera dicant æquitates, ſicut & cuncta vitia, iniquitates: ſecundùm illud. 1. Ioan. 3. Omne peccatum eſt iniquitas. ¶Ad quartũ tripertitũ argumentũ reſpondetur q̃ etſi legalis iuſtitia abunde ſufficiat per ſuum imperium cuncta virtutũ opera referre in bonum cõmune, nihilo minùs requiritur iuſtitia particularis ad eliciẽdum actum reſpectu ſui proprij obiecti: ſicuti & requiruntur virtutes aliæ particulares. Neq; verò bonum cõmune & priuatũ ea ſola ratione differunt, qua vnũ & multa: ſed quia alia eſt ratio cõmunis boni, atq; aliaſingularis: ſicuti alia eſt ratio totius atq; alia partis. Quare Ariſt. 1. Poli. eos ſubſannat, qui putabant ciuitatem nõ aliter à domo differre, quàm differunt multũ & paucum. Attamen quia inter partes eiuſdẽ familiæ, vt ſuprà dictum eſt, non eſt propria ratio iuſti, non diſtinguitur tertia ſpecies iuſtitiæ.

Ad primũ argumentũ principale.

Ad tertiũ argumentũ

Ad quartũ argumentũ

Ariſto.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum Iuſtitia particularem habeat materiam, an vero circa aliarum paſſiones & materias verſetur.

QVONIAM dictum eſt particularem iuſtitiam eſſe ſpecialem virtutẽ, habet peculiarem rationẽ obiecti. Quæritur vtrũ peculiarem ſibi quoq; vendicet materiam. Et arguitur à parte negatiua. Auguſt. lib. 83. quæſt. vbi virtutes animi quibus in hac vita ſpiritualiter viuitur diſtinguit in quatuor, quæ ſunt temperantia, prudentia, fortitudo, iuſtitia, ſubdit q̃ iuſtitia per omnes diffunditur. cui conſonat gloſſa ſuper illud Geñ. 2. Fluuius quartus ipſe eſt Euphrates, quod interpretatur frugifer: quæ dicit ob id non meminiſſe ſcripturã contra quos perfluat, ſicut dixit de cætetis tribus, quòd iuſtitia quæ quartum locum inter virtutes tenet, ad omnes animæ partes pertinet. ¶Secundò arguitur. Si iuſtitia peculiarem ſibi vendicaret materiam, eò eſſet quod proprie circa operationes verſatur: reliquæ verò circa paſſiones. Attamen Philoſophus. 2. Ethicorum, moralem virtutẽ circa voluptates & triſtitias verſari docuit: ergò & iuſtitia verſatur circa eaſdem. Eò potiſsimum quòd operationes iuſtitiæ, vt ſuprà dictum eſt, corruptis affectionibus impediuntur. Nam turpis concupiſcentia originem & fomentum adulterio miniſtrat quod eſt iniuſtitia, & auidiras pecunię impedimento eſt virtuti iuſtitiæ nè debitum perſoluat: ergò iuſtitiæ non eſt aſſcribenda particularis materia. ¶In contrarium eſt quod Ariſtot. 5. Ethicorum, ponit iuſtitiam quæ eſt pars virtutis, hoc eſt ſpecialis virtus quæ verſatur in actionibus, puta in commercijs hominum emendandis.

Primumargumentum Auguſtin⁹

Gloſſa.

Argum. 2

Ariſto.

Ariſto.

QVæſtio hæc nihil ad legalem iuſtitiam .inet: nam ſi cunctis virtutibus imperat, inde fit conſequens vt omnium materiæ ſint ſibi ſubditæ: quanuis eius oculos ad operationes potiùs aſpiciat. Ait enim. 5. Ethicorum Philoſophus, quod lex fortia opera

Ariſto.

præcipit, & quæ temperari, & quæ mansueti. &c. Sed quæstio est de iustitia particulari. De qua duæ conclusionis statuuntur. Prior est. Iustitia non versatur circa totã materiã omnium virtutum, sed solùm circa externas actiones & res. Probatur. Vniuersa rerũ sylua quę nostro subsunt arbitrio atq; ad rationis normã emendari possunt, est materia moralium virtutũ. Inde enim virtus dicitur moralis, quòd morum est cõpositrix & cultrix. Sunt autem tria genera quæ nostræ subduntur voluntati: nempè affectus animi, actionesq; externæ, ac demum res ipsæ, quę in nostrum veniunt vsum: homo verò ad alterum per actiones tantũ ordinatur & res: nam passionum moderatio & mitigatio ad hominis in seipso propriè rectitudinẽ pertinet. Cùm ergò iustitia hoc à reliquis virtutibus distet, quòd reliquæ hominem in seipso componunt, iustitia verò inter plures æquitatem constituit, fit vt propria materia iustitiæ sint operationes & res: puta honorem debitum alteri deferre, & à contumelijs abstinere, & pecuniam vel quamcunq; aliam rem creditori debitam reddere. Posterior conclusio. Iustitia non versatur circa passiones internosq; animi affectus. Hæc ex superioris ratione colligitur: explicatur autem duabus aliis. Primo ex parte sui subiecti. quod est voluntas. Enimuerò voluntatis actiones neque rem habẽt neq; nomen passionum, vt. 1. 2. q. 22. ar. 3. inde S. Tho. ratiocinatur q̃ passio secum affert corporalem transmutationem, quæ propriè in solo est appetitu sensibili: cùm ergo iustitia non sit nisi in voluntate, non versantur circa passiones. Item quia materia iustitiæ, vt modò diximus, in eo posita est quod est erga alterum: cùm ergò latentes passiones non proximè ordinantur in alterum, fit vt hæc virtus non sit circa passiones. ¶ Conclusiones istæ non tantum apud Diuũ Thomam: verum & planè apud Arist. 5. Ethicorũ inuenias. Quare illorum qui eius doctrinam studio contemplati sunt, nemo est qui eas inficiatur. Nihilo minùs nonnulli Nominalium, vt Buridañ. 5. Ethicorum. q. 1 miratur quod Diu. Thom. talem constituat differentiam inter materiam iustitiæ & aliarum virtutum. Imò vt omnes, inquit, virtutes in voluntate sunt, ità & omnes ac pariter iustitia reprimere habent passiones quæ suã cuiusq; electionem impediunt. Et vice versa cæteræ virtutes circa operationes quoq; ac res versantur. De quo tamen doctore magis esset mirandum quòd tam in superficie legerit Arist. Turma autem argumentorum eius ad illud principium resoluitur cuius iam suprà falsitatem aperuimus. Principium verò est hoc, Cuicunque virtuti incumbit rectam facere electionem circa suum obiectum: sunt autem passiones multæ iustitiam perturbantes nè debitum cuiq; reddat: vt amor, odium, auaritia, turpis cupido, & similes: ergò iustitiæ munus est passiones has reprimere. Versatur ergò iustitia circa passiones. Et vice versa, fortitudo & temperantia non solum circa passiones, verùm & circa actiones ipsas exteriores & res versãtur: nam comedere ac bibere, quando & vbi oportet, sunt operationes exteriores: & tamen sunt temperantiæ. Atq; adeò esca & potus sunt res circa quas eadem virtus versatur: non ergò tantum circa internas illecebras, verũ circa operationes vice sua fungitur. Pari modo strenuè pugnare est exterior operatio, quæ tamen à fortitudine proficiscitur: ergo permista est materia iustitię & aliarum virtutum: atq; adeò defendi non potest, vt iustitia versetur circa operationes externas, aliæ verò circa passiones. ¶ Et arguitur præterea in gratiam istorum contra fundamentum sancti Thomæ, Si iustitia non versaretur circa passiones, maximè quia per illas homo ordinem non habet ad alterũ: hoc autem est falsum: quia ira & concupiscentia alienæ vxoris sunt iniuriosæ proximo, vt suprà diximus: ergò illa reprimere pertinet ad iustitiam. Par etiam argumentum currit de temperantia & fortitudine. Etenim si virtutes illæ non versarentur circa exteras operationes, maximè quia per illas non benè homo afficitur erga seipsum: hoc autem est falsum: quia cibo & potu ex virtutis præscripto vti, hominem respectu suijpsius adornant: ergò temperantia versatur circa illas operationes. ¶ Hinc ergo isti colligunt vnamquamque virtutem in duas esse secundam videlicet vt vna iustitia sit in appetitu ad reprimendum passiones, atq; altera in voluntate ad faciendam electionem. Et simili ratione vna sit temperantia in concupiscibili, & alia in voluntate: vnaq; similiter fortitudo in irascibili: atque in voluntate altera. At verò quàm isti pugnanter Aristoteli aduersantur, occultissimus quisque iudex esto. Etenim. 2. Ethicorum nullum adscribit subiectum temperantiæ & fortitudini nisi appetitum sensitiuum: & libro. 3. capitulo. 10. expressè

Prima conclusio. *Probatio cõclusionis.* *Ratio Buridani.* *Vltima cõclusio.* *Prima ratio conclusionis* *Secunda,* *Buridanus.* *altera ratio ins. Thomã* *Aristo.*

expresè id de temperantia cõfirmat. Et lib. 5. cap. 1. non aliud designat subiectum iustitiæ quàm voluntatem: vbi ait esse habitum volendi iusta. Sed quando Arist. id non docuisset, ratio ipsa efficax est, quam iam suprà declarauimus. Enimuerò temperantia vniuersas affectiones appetitus concupiscibilis reprimere sufficit, quomodocunq; illas consideres: siue vt sint impedimenta ipsius temperantiæ, siue iustitiæ, siue cuiuscunq; alius virtutis: quapropter superuacaneum est aliã illic ponere virtutem ad easdem sedandas. Et idem est de fortitudine respectu irascibilis: nulla ergò illic collocanda est iustitia: quandoquidem reliquæ ei satis ancillantur Quòd profecto nemo inficias ire possit, qui Aristotelem intellexerit. 5. Ethicorũ: vbi medium iustitiæ non ait esse medium rationis inter affectus: sed medium rei, vt illicò dicturi sumus. Item manifestissimè arguitur contra istos. Affectiones appetitus concupiscibilis sicut sunt virtuti iustitiæ impedimento, ità & nonnunquàm virtuti fortitudinis: ergò si illa ratione ponenda est iustitia in concupiscibile, eodem iure ponenda est & illic fortitudo: & æqua ratione in irascibili temperantia: quod esset cunctas indoctè commiscêre virtutum sedes, Igitur vt semel istorum Achillem in ipsos obuertamus, nihil in virtutum ordine admitti debet superuacaneum: temperantia autem sufficit in concupiscibili, & fortitudo in irascibili, ergò illic nulla opùs est virtute iustitiæ. Rursus, sedatis passionibus appetitus sensitiui voluntas se sola rectam facit electionem: quia per se inclinatur ad opus bonum: ergò in voluntate ad hoc munus non opùs est aut temperantia, aut fortitudine: sed tantùm iustitia respectu alieni boni. ¶ At verò nè vllus tibi reliquus fiat scrupulus, Quando dictum est nullas per se passiones ad iustitiam attinere, intelligitur tanquàm eius materiam: nam tanquàm eius effectum & quodammodò finem, certum est quòd illam sequitur gaudiũ, sicuti iniustitiam tristitia. Ait quippe Arist. 5. Ethicorum. Non est iustus qui non gaudet iustis operationibus. Et libro. 8. Delectatio, inquit, est virtutis finis, ob quam studiosi operantur: sicuti & qui prauè agũt, tristitia illicò primuntur. Ex quo fit illud. 2. Ethicorum quòd aduersarij nobis obijciunt videlicet moralem virtutem circa voluptates & iustitias esse, si intelligatur tãquam circa materiam, solis virtutibus appetitus sensitiui congruere: si tamen sic intelligatur quòd nulla sit moralis virtus quæ non lætitiam generet & mœstitiam pellat, iustitiæ etiam commune est.

ratio efficax contrà præfatam opinionem.

Altera ratio ad idem

VT autem solutiones argumentorum cõtrariæ opinionis clarescant, respondetur ex ordine ad vniuersa. Ad primum ergò in fronte quæstionis positum respondetur quòd iustitia particularis, licèt essentialiter ad vnam partem animæ, puta ad voluntatem in qua sita, est: pertineat: tamen quia voluntas reliquas partes mouet atque ad sua officia applicat, fit vt iustitia, non quidem directè, sed tamen per quandam redundantiã ad omnes effundatur. Et hoc quantum ad glossam, de Euphrate, qui comparatur iustitiæ ad omnia diffluenti. Nam Augustinus loco citato aliter secundùm intellectum Diui Thomę distinguit illas quatuor virtutes animi. Virtutes enim cardinales dupliciter vsurpantur: Vno modo vt sunt speciales virtutes, suis obiectis distinctæ: Alio verò vt quatuor designant modos vnicuique virtuti competentes. Ait enim quòd prudentia est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum: Temperantia verò est refrænatio cupiditatis ab his quæ temporaliter delectant: Fortitudo est virtus animi aduersus ea quæ temporaliter molesta sunt: Iustitia est quæ per cęteras diffunditur, dilectio dei & proximi. ¶ Secundi argumenti responsio materiam luculenter dilucidat. Enimuerò inter internos affectus atq; exteras actiones & res ipsas talis est ordo quòd actiones medio sunt loco inter affectus, qui earum sunt principia, & res quæ sunt earundem materia. Passiones ergò, scilicet ira, cupiditas, auaritia. &c. per seipsas neque prosunt quidem proximo neq; nocent, atque adeò sic consideratæ nihil atinent ad iustitiam: obidque diximus talium per se mitigationem affectuum ad ipsum habentem in seipso attinere: nocent autem aut prosunt proximo per externas operationes. At verò quòd quis alteri nocuus sit aut iniurius, ex duplici defectu oriri assolet: nempè vel ex voluntatis iniquitate, vel ex praua affectione sensitiui appetitus, Exempli gratia: Potest quis alteri rem aliquam surripere aut damnum dare, non quidem ex cupiditate habendi, sed ex voluntate nocendi. Imò posset quis isto modo violare alterius torum, non ob voluptatem carnis, sed tantùm vt noceat. Et è con-

Ad primũ argumentũ

Augustin⁹

Ad secundũ argumentũ

uersò, vt plurimùm consueuit, potest quispiam rem eripere alterius, non quidem ex animi iniquitate, quia mallet nō nocere: sed ex cupiditate. Discerne ergò virtutum officia, suumq; cuiq; tribue. Emēdatio rectificatioq; operationis quatenus æquitatem ad alterum important, functio iustitiæ est. Quatenus verò ex corrupto affectu iniquitas oboritur, pertinet ad alias virtutes: vt ad liberalitatem, quæ auaritiā moderatur: & ad tẽperantiam, quæ restinguit cupiditatẽ. &c. Attamen quoniam exteriores actiones nō sortiūtur speciem ab internis motibus, sed à rebus ipsis, fit vt eædem actiones potiùs sint materia iustitiæ, quàm aliarum virtutum.

obiectio. ¶ Quòd si demum sciscíteris quid opùs erat accumulare actiones & res: nā cùm in actione intelligatur obiectum, & per obiectum designetur actio, satis erat alterum ponere.

Solutio. Respondetur non esse otiosè dictum: nam aliquæ sunt actiones quæ non propriè versantur circa res, hoc est, circa possessiones: vt honoratio & dehonoratio, murmuratio, laudatio. &c. atq; aliæ quæ consistunt in rerum vsu sicuti pecunię donatio: ablatio, rerumq; quarumlibet restitutio, & omnia hæc sunt iustitiæ materia.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm medium iustitiæ sit medium rei: eiusque actus, ius vnicuique suum tribuere.

QVONIAM definitum est iustitiam esse virtutem, & virtus omnis consistat in medio quod suo actu constituit: consequitur vt perscrutemur an medium iustitiæ sit medium rei: eiusq; actus, ius suum

Argum. 1. vnicuiq; tribuere. Et arguitur à parte negatiua. Definitio generis, scilicet moralis virtutis vniuersis speciebus æqua ratione conuenit. Aristot. verò. 2. Ethico. capi. 6. definit virtutẽ esse habitum electiuum qui in mediocritate consistit ea quæ est ad nos definita ratione. Et subdit hanc mediocritatem consistere inter duo vitia, puta inter duas affectiōes quarum altera exuperans est altera verò deficiens: ergò & medium iustitiæ inter passiones constituitur.

Argum. 2. ¶ Secundo arguitur. In his quæ sunt simpliciter bona non est accipere superfluum aut diminutum, atq; adeò neq;

Aristot. medium: cuius exemplum Aristot. 2. Ethicorum in virtutibus ponit: virtus enim quo maior, eo melior iustitia autem, vt habetur 5. Ethico. cap. 1. versatur circa id quod est simpliciter bonū: hoc est absolutè in se bonum quales sunt honores ac diuitiæ: ergò tale obiectum iustitiæ non consistit in medio.

Argum. 3. ¶ Tertiò: in prædicta difinitione virtutis, propterea dixit Aristot. virtutem esse habitum in mediocritate consistentem prout in ordine ad nos ratio definierit, quod non respectu quorumcunque hominum idem est medium: nam quod alteri in cibis multum est, alteri est parùm: hæc autem discrepantia pariter iustitiæ conuenit: non enim eodem supplicio plectitur qui in principem manus coniecit, quo qui plebeium vulnerauit: ergo medium iustitiæ non est rei, sed rationis.

Argum. 4. ¶ Quartò denique arguitur. Si medium iustitiæ esset medium rei, maximè quia eius actus est reddere vnicuique quod suum est: hoc autem non est in vniuersum verum. Nam Augustinus. 14. de Trinitate, tribuit ei etiam subuenire miseris. Et suprà citatus Cicero libro. 1. de Offi. ait beneficentiam ac liberalitatem ad iustitiam pertinere: per misericordiam verò & per liberalitatem non ius tribuitur, sed beneficium impenditur.

Augustin⁹

Cicero.

Aristot. ¶ Contrarium autem docet Philosophus. 5. Ethico. cap. 3. & 4.

QVæstio hæc perfacilis est breuissimisq; diluitur duabus conclusionibus, quæ ex proximè dictis plane colliguntur. Prior est. Medium quod est obiectum iustitiæ nō est medium rationis vt in cæteris, sed mediū rei. Loquimur enim hìc de iustitia particulari: nam generalis nō ad hoc obiectū peculiariter angustatur, sed vastè adomnes diffundi tur virtutū materias, vt dictū est, Oportet autẽ priùs terminos intelligere. Sunt enim quires in præsentia distinguūt cōtra passiones. nempè q̃ cęterę virtutes moderentur passiones: iustitia verò cōstituat mediū in rebus. Attamẽ & si perparum ad rem referat, nō distinguitur nisi contra rationẽ: vt per probationẽ fiet liquidum. Probatur ergò cōclusio ex his quæ dicta sunt. Hoc nanq; discrimẽ inter iustitiã & reliquas passiones cōstitutum est, q̃ illæ versantur circa passiones: hæc verò circa actiones & res: inter passiones autem non constituitur medium virtutis ex ipsa natura rerum, sed rationis iudicio. Exempli gratia: Temperantia consistit in mediocritate passionum: nempè vt non plus minusve

Prima conclusio.

Aperitur titulus quæstionis.

Probatio cō clusionis.

sumas

sumas quam oportet: hoc autem plus & minus non perpenditur ex natura rerum, vt scilicet libram omnes sumant, aut tali certa hora. &c. sed prout expedit cuiusq; valetudini pro loco & tẽpore. Quare quod parcissimo Diogeni multum erat, voraci Miloni, qui, vt est in fabulis, integrum edebat bouem, erat parùm. Medium autem iustitiæ: quia consistit in rerũ æqualitate ad alterũ, nõ ex illo rationis perpendiculo & arbitramento: sed ex ipsa natura rerum sumitur. Emis domũ, verbi gratia, aut conducis operas alienas: debet preciuin rebus ipsis æquari. Sicut duæ quantitates natura sua sunt æquales. Deniq; iustitia nõ dicitur constituere medium rei vt res distinguitur contra rationem, eò quòd tale medium non sit rationi consonum: imò est maximè, Nihil enim magis docet aliud ratio q̃ vt debito æquale creditori reddas: sed quia ratio pendet à rerũ natura. Propterea inquã quòd constituitur æquale in rebus, illud fit rationi conforme. Neq; verò medium aliarũ virtutũ ideo dicitur medium rationis, quòd non constituatur in rebus: imò constituitur inter appetitum sumendi multum, & appetitum sumendi parùm: sed quia, vice versa, tale medium à ratione dependet tanquàm à causa. Non enim librã panis comedere est mihi medium, nisi quia ratio prudentiæ, pensata natura & conditione mea arbitratur hoc mihi congruere. Vide ergò quàm ex arte Diuus Thomas quasi mathematico more rem tractet. Videri enim poterat, sicuti impugnatoribus suis visus est, ineptè cõstituere differentiã quòd reliquæ virtutes versentur circa passiones: iustitia verò circa operationes & res: & tamen id necessarium fuit vt substerneretur via ad demõstrandum discrimen inter medium iustitiæ & medium aliarũ virtutum. ¶At vnum tamen posset quispiam ex Theologię tyronibus cogitare cõtra hoc argumentũ. Videtur enim temperãtia quandoq; constituere medium rei modo exposito: videlicet dum cõiunx operam dat liberis quando & vbi oportet: nempè vtendo sua & non aliena: nam in hoc seruat illi fidem quã debet, & vtendo aliena irrogat ei iniuriam, eandem frangendo fidem. Ex superioribus autem facilis est responsio, quòd dum quis alieno toro abstinet concupiscentiam refrænando, pertinet ad temperantiam: dum verò id facit, vt ius coniugi seruet, pertinet ad iustitiam. Hanc autem iustitiæ mediocritatem quæstio quinta latiùs explicabit, & ideò hîc supersedendum est. Illic enim elucidabimus quemadmodùm hoc medium rei aliter in distributiua iustitia constituatur, atq; aliter in commutatiua. Illa nanq; sequitur medietatem Geometricam: hæc verò Arithmeticam. ¶Posterior conclusio præsentis articuli est de actu iustitiæ: Propriusinquã eius actus est reddere vnicuiq; quod suũ est, Conclusio hæc annexa est, germanaq; superiori. Si enim obiectum iustitiæ est medium in rebus constituere, quo æqualitas inter homines constet: æqualitas autem idem est quod iustum, iustum verò, vt suprà diximus, idem prorsus quod ius, consequens apertissimè fit vt actus iustitiæ sit, ius suum vnicuiq; tribuere, vt Iurisconsultus in definitione suprà posita affirmauit. Cui & Ambrosi⁹. 1. de Offic. concinit: vbi ait, Iustitia est quæ vnicuique quod suum est tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat. Quod, vt in subsequentibus patebit, vtrique speciei iustitiæ particularis conuenit, scilicet tam distributiuæ quàm commutatiuæ: Nam iustitia generalis, vt suprà diximus: multò habet latiùs officium: quippe quę nõ habet peculiare obiectum: atq; adeò actus eius non est hic tantũ, sed, vt dictum est, virtutes omnes in commune bonum referre. ¶In hoc autem quod dicimus, ius vnicuique tribuere, includitur & hoc quod est, neminem lædere, quod Ambrosius ait, alienum non vendicare. Iustitia nanq; licet priùs conueniat commutationibus voluntarijs in quibus vterq; contrahentium alteri tribuit: deriuatur tamen ad voluntaria, quibus alter tantum ab altero inuito quippiam aufert.

Argumẽtum.

Solutio.

Secũda cõclusio.

Ratio cõclusionis.

Ambrosi⁹.

AD primum igitur argumentum principalium respondetur, quòd cùm mediũ rei, vt expositum est, sit etiam rationi consonum, hac ratione definitio virtutis moralis in iustitia quoq; seruatur. ¶Ad intellectum autem secundi, meditare priùs, bonum duobus modis simpliciter dici bonum. Priori scilicet, quia sic est omnimodè bonũ, vt nullam possit admittere rationem mali. Quem admodùm est gratia, & gloria, ac subinde virtutes. Et isto modo quanto bonum maius est, tanto excellentius. Quare sicut modus amandi Deum est ipsum sine modo deamare, quia amatur tanquàm finis: sic & ista bona concupiscenda sunt & procuranda. Id quod & Philosophi de sanitate sentiunt, quę

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secundũ argumẽtũ geminæ acceptio boni.

non, vt medicina præscripto modo sanitati commensurato, sed absolutè est deamanda. Quocircà virtus non dicitur sic simpliciter bona, vt in suo obiecto non possit contingere superfluum & diminutum: sed quòd augmentum ipsius habitus nunquam erit superfluum. Alio verò modo aliquid dicitur simpliciter bonum, quia absolutè secundùm suam naturam consideratum est bonum. Et hoc modo ait Aristot. iustitiam versari circa simpliciter bonum. Nam honores, & possessiones secundùm suam naturam sunt bona vtilia: nempè ad fœlicitatem conducentia. Attamen bonum vtile debet commensurari fini secundùm dispositionem subiecti: sicut medicus pharmacum ægroti commoditati admetitur. Hac ergò ratione res ipsæ, vt per se sint bonæ: tamen dum veniunt in nostrum vsum, excedere possunt ac deficere. Quamobrem iustitia medium in illis constituit: vt scilicet non minus reddas quàm debes: neq; verò plus repetas, quã est id quod tibi debetur. ¶Ad tertium respondetur quòd etsi iustitia medium rei consideret, tamen quia iniuria ratione personæ cui irrogatur crescit, qualitates etiam personarum contemplatur, vt secundùm quantitatem debiti repensatio fiat. ¶Ad quartum deniq; argumentum respondetur: quòd vbi August. iustitiæ ascribit subuenire miseris, nõ censet iustitię quatenus dicit rationem debiti, per se id prioriè competere, sed liberalitati & misericordiæ: quæ ea ratione qua sunt ad alterum, reducuntur ad iustitiam tanquàm partes eius potentiales: vt alibi suprà diximus, & libr. 8. explicatiùs dicturi sumus. Id quod Cicero loco citato significantiùs asserit, dicens iustitiæ coniunctam esse beneficentiam, quam eandem, vel benignitatem vel liberalitatem appellare licet.

Aristo. *Ad tertium argumentũ* *Ad quartũ argumentũ* *Cicero.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Iustitia inter morales virtutes sit eminentissima.

POSTREMO deniq; articulo quæstionis huius conferenda est iustitia cum reliquis moralibus virtutibus, quærendũq; adeò sitne oĩm præstantissima. Et arguitur à parte negatiua. Largiri hominem de suo id quod nemini debet præstantius est & rarius quàm id reddere cuius est debitor: tũ quòd vbi minus est obligationis, maior est virtutis vis ad conferendum: tum quòd in hoc maximè assimulamur Deo, qui non ex debito, sed ex benignitate confert: liberalitas ergò præstantior est quàm iustitia, ac potissimum magnificentia: quę vt. 4. Ethicorum ait Philosoph. omnium virtutum ac pariter iustitiæ ornamentum est. ¶Secundò arguitur quòd neq; cardinalium virtutũ sit iustitia illustrissima. Prudentia nanq; est vna quatuor cardinalium virtutum: & tamẽ est excellentior quàm iustitia: quod exparte obiecti perpenditur. atq; adeò exparte subiecti. Edocet enim ex professo Aristot. 10. Ethicorum. cap. 7. intellectum esse potentiarum omnium excellentissimam, atq; adeò voluntate excelsiorem, eòquòd, verum, dignius est obiectũ quàm bonum: nempè vniuersalius. ac subinde à materia abstractius. ¶Tertiò arguitur. Temperantia quæ vna est virtutum cardinalium, multò est nobis vtilior quàm iustitia: ergò & eminentior. Probatur antecedens. Nam plura nobis commoda affert: videlicet & corporis salubritatem, & mentis tranquillitatem, voluntatisque libertatem. Hæc enim omnia nobis intemperantia vitiat: quæ tamen tria commoda omnium virtutum fundamenta sunt: scilicet tam intellectualium ad contemplandum, quàm iustitiæ ad legibus obsequendum, quàm etiam aliarum omnium, quæ corporis exercitio exhibentur. ¶Quartò & de Fortitudine arguitur. Proprium nanq; virtutis ingenium, vt. 2. Ethicorum author est Philoso. est ad difficile ac bonum conniti: Fortitudo autem circa difficilius versatur quàm iustitia: nempè circa pericula mortis, quæ omnium est terribilium maximum: ergò Fortitudo iustitiæ prę stat. ¶In contrarium autem est loco citato Cicero, vbi ait, In iustitia virtutis splẽdor est maximus, ex qua boni viri nominantur.

Primũ argumentum *Argum. 2.* *Aristot.* *Argum. 3.* *Argum. 4* *Cicero.*

PRimùm omnium expendendus est quæstionis titulus. Haud enim iustitiæ vel ad omnes virtutes fit comparatio, vel tantùm ad cardinales, sed ad omnes præcisè morales. Primùm enim omnium virtutis amplissimum genus diuiditur in illas quæ ratione obiecti supernaturales sunt: quales habẽtur Theologicę: atq; alias, quarum obiectum est naturale. Et quidem theologicas, puta fidẽ, spem, ac charitatem, esse omnium optimas atq; maximas, citra controuersiam est cunctis confessum: quippe quæ Deum habent

prima virtutis partitio.

pro

Subdiuisio. pro obiecto. Sed naturalium virtutum aliæ sunt intellectuales, aliæ verò morales: quarũ moralium multitudo ad quatuor reducitur cardinales. Quæstio ergò ad sui elucidationem quatuor exposcit conclusiones. Prima est. Virtutes intellectuales dignitate moralibus antecellunt. Conclusio est S. Tho. 1.2. q. 66. arti. 3. Et probatur primò ratione subiecti. Nam cùm virtutis propriũ sit rationale actiones dirigere, illa quæ est in potẽtia, quæ per suam essentiã est rationalis, præstantior est illa cuius subiectum est rationale per participationem: intellectus autem est essentia ipsa rationis: voluntas autem eò est rationalis quòd rationem participat ei obediendo vt. 1. Ethic. planè Arist: docet: ergo intellectuales virtutes præstãtiores sunt. Secundò id patet ex obiecto. Etenim q̃ verum præstantiùs sit bono inde patet quòd verum abstrahit à rerum existentia: perficitur enim satis intellectus per veritatis cognitionẽ, siue res sint, siue nulla existat: bonum autem nemo appetit nisi vt habeat quod existentiam secum affert: existentia autem conditio est materialis: recipitur quippe natura in suppositũ esse incipit: quo autem quippiam defęcatius est ac purificatius à materia, eo præstantius est. Cum ergò verum, sit intellectualium virtutum obiectum: bonum autem moralium, sit vt intellectuales sint dignitate sublimiores. ¶ At verò hanc rationem, quia rari intelligunt, rari credunt. Haud enim negamus quin intellectus singularia etiam & rerum existentias cognoscere possit, neq; negamus quin vice versa voluntas possit quoq; appetere bonum in communi: sed in hoc positũ est discrimẽ, quòd cùm intellectus sit potentia apprehensiua & iudicatiua, in hoc perficitur quod est verum cognoscere: appetitus autem, quia fertur in obiectum, nihil appetit nisi illo fruatur, illudq̃; possideat. Fallax ergò argumentum est si arguas: Melius comparatiuum est boni: cùm ergò bonum sit obiectum voluntatis, sit vt suum obiectum sit melius quàm verum. Fallax inquam paralogismus est: quoniam verum ipsum est quoddam bonum, idemq; omnium præstantissimum. Quare in patria in illa intuitione Dei, qui est omnium veritatum abyssus, posita est nostra fœlicitas. ¶ Accedit huc & doctrina Philosophi. 10. Ethicor. cap. 10. vbi sex rationibus constituit supremam fœlicitatem in rerum contemplatione consistere: hallucinando nanque odorabatur legitimam beatitudinem: licèt rem punctim non attingebat. Probat inquam fœlicitatem in intellectualium fruitione consistere: quoniam virtutes intellectuales: primùm in potentia sunt nobiliori, nobiliorisq̃; sunt obiecti. Secundò, quia intellectualis operatio magis est continua: nam morales, quæ in rebus corporeis versantur, perdurare nequeunt. Tertiò. quia contemplatio suauiori dulcedine delectat quàm moralium exercitiũ. Item quia contemplatio perpetuò manebit in patria, non autẽ moralis virtus. ¶ Accedit præterea, quòd ob easdem rationes vita contemplatiua actiuæ præcellit, pulchriorq̃; adeò est, veluti Rachel quàm Lia, atq; adeò constantior atq; vberior, paucioribusq̃; indigens: cuius Maria sedens secus pedes Domini documento fuit, cùm Martha erga plurima disturbaretur. Conclusionem hanc eò tam multis cõfirmatã studuerim, quod mirari eos satis nequeo, qui plus dignitatis moralibus virtutibus deferũt, quàm intellectualibus. Quibus ansam opinio illa porrexit, quam Scot. in. 4 dist. 49. q. 4. asseuerare pertendit: nempè voluntatem potentiam esse intellectu præstantiorem. Vnde inferunt non modò morales virtutes esse anteferendas: ex quo palam sequitur neq; vitam contemplatiuam actiuæ præstare, neq; fœlicitatem in contemplatione consistere: verùm subinfertur & ex moralibus, iustitiam altioris esse gradus q̃ prudentiam. Cùm tamen corollarium nostræ cõclusionis sit, prudentiam inter morales virtutes primas obtinere, vt D. Tho. eadẽ quæstione. 66. art. 1. affirmat. Et profectò præter rationẽ generalium aliarum intellectualium virtutũ prudentia etiam sicõsideretur qua parte moralis est, pretiosior est alijs, Virtus enim moralis à ratione tanquã à primæua radice probitatem suam ducit. Cùm ergò prudentia rationem ipsam perficiat, cæteræ verò appetitum, optima omniũ est. Secundò prudentia est cęterarum omnium ductrix atq; imperatrix. Nam cæteræ virtutes etsi rectam pariãt. intẽtionem finis: vt fortiter temperatè ac iustè agere: tamen eundem finem solo prudẽtiæ officio, media disponentis, assequuntur: vt. 6. Ethi. cap. 12. autor est Arist. Excellit ergò alias ratione simili, qua dux cæteris militibus imperat. Imo verò adeò illi cæteræ sunt cõnexę, vt sine illa nulla obtinere possit virtutis gradum. ¶ Anteà verò quàm hinc progrediamur, operæpretium est conclusionem hãc argumentis tentare, minimè inidoneis:

Prima cõclusio. *S. Thomas.* *Prima ratio* *Arist. Secunda.* *Elucidatur proxima ratio.* *Argumentũ.* *Solutio.* *Arist.* *Scoti opinio* *Prudẽtia interněs virtutes morales primas obtinet.* *S. Thomas.* *Ratio sancti Thomæ.* *Primum argumẽtum.*

Primùm. propria ratio virtutis, vt vel de nomine ipso deprehẽditur, est applicare potentiã ad vsum: hoc autẽ nõ cõuenit intellectualibus, sed moralibus. Nam intellectualis virtus tantùm præstat facultatẽ agendi, puta cognitionẽ, vt. 1.2. q. 57. art. 1. scienter Doctor sanctus docuit: virtus autẽ quæ est in appetitu, applicat scientiã ad vsum, tam speculandi q̃ operãdi: habitus autẽ est propter vsum: nam sine vsu otiosus est & superuacaneus: ergò intellectualis virtus est propter moralem, atq; adeò moralis, vt quæ rationẽ habet finis, præstantior est. Secundò, virtus moralis est, vt ait *Aristot.* Arist. 2. Ethi. quæ bonũ facit habentẽ. Vnde, vt suprà diximus: neq; artes, neq; scięti ię simpliciter faciũt hominẽ bonũ, sed sola moralis virt⁹. Quare maiori est laude digna: vt pote p quã apud Deũ meremur, atq; ad beatitudinẽ gressus facimus. Cũ intellectuales virtutes esse possint sine vsu, pbisq; atq; in probis cõmunes. Et ergò virtus moralis intellectuali perfectior. ¶ Argumenta hæc eos quì rem in cortice summis labijs attingunt, permultùm mouent: est tamẽ peregregia D. Tho. distinctio in eadẽ quæstione citata, per quã facilè diluũtur. Ait enim nihil obstare quo minùs id quod simpliciter melius est, secundũ quid nõ sit alicui propter necessitatẽ meli⁹. Philosophari nanq; melius est simpliciter q̃ ditari: inopi verò melius est ditari. Pari ergò ratiõe, licèt virtutes intellectuales meliores sint ratione obiecti, p̃enes quod simpliciter excellẽtia gradus existimatur: virtutes tamen morales plus participant generalis rationis virtutis, quæ est in ordine ad actũ & vsum: propterea q̃ sunt in appetitu, cuius est alias potentias mouere appellareq; ad opus. Vnde. 2. 2. q. 47 art. 4. elicuit prudentiã præstantiorẽ esse hac ratione cæteris virtutib⁹ intellectualib⁹: nempè quia nõ tantũ verũ cõsiderat, quod est intellectus obiectũ: sed illud ordinat ad bonũ sub ratione boni, puta ad vsum operũ: quo homo fit bonus. ¶ At verò arguat quis forte: Si virtus moralis plus habet de ratione virtutis, fit vt sit nobilior virtus. Hoc enthymemate nõnulli discipuli D. Thomæ seducti, arbitrantur eius mentẽ fuisse, virtutes intellectuales esse nobiliora entia, nobilioresq; habitus: sed tamẽ morales esse nobiliores virtutes. Hic autẽ sensus manifestè reluctatur eius menti: quippe qui ait intellectuales esse simpliciter nobiliores virtutes: nam de virtutum substãtia & natura loquebatur. Et ratio est aperta: quia si sunt nobiliores habitus, cùm sint habitus virtutis, fit vt sint quoq; nobiliores virtutes. Respondetur ergò consequentiã hãc nullam esse, Ratio generalis virtutis plus cõuenit moralibus: ergò sunt simpliciter nobiliores virtutes: quoniam virtutis nobilitas nõ ex ratione virtutis simpliciter perpenditur, sed ex ratione obiecti. Exemplum tibi esto. Docet nos Arist. 1. de anima, scientiã de anima esse nobiliorẽ cęteris: quia de nobiliori obiecto: & tamẽ ratio scientiæ, quæ est euidentia, illustrior est in mathematicis: quæ ideo nõ simpliciter, sed secundùm quid sunt nobiliores scientiæ. Et pari ratione Theologia est nobilior simpliciter sciẽtia q̃ musica. ¶ Argumẽta ergò facta hoc tantũ cõcludũt q̃ virtutes morales plus habẽt de ratione virtutis: & ideo faciũt habẽtem simpliciter bonum: & sunt magis vtiles, ac subinde cumulatioris laudis. &c. ¶ Sed cõtrà: Dignitas simpliciter virtutis per ordinem ad supremã fœlicitatẽ perpendenda est: ad eam autem nos propinquiùs morales permouẽt: ergò sunt digniores. Concessa maiori cum minori, negatur consequentia: Nam etsi in ordine ad fœlicitatẽ sint virtutes æstimandę, tamen digniores sunt illę in quibus cõsistit fœlicitas q̃ illę per quas illuc tẽdimus. Et licèt per virtutes morales illuc pgrediamur, tamẽ contẽplatiõe Deo perfruimur. Itaq; in hac vita intellectuales sunt propter morales: nã cognoscere est propter operari: sed tamẽ simpliciter morales sunt media, quibus ad supremã cõtemplationem progredimur. Ob idq; etsi morales sint magis laudabiles, tamẽ intellectuales sunt prę illis honorabiles. Laus nãq; debetur vtilib⁹ medijs, honor verò fini. ¶ Ex quo fit q̃ cũ intellectuales moralib⁹ prę ferimus, intelligendũ est cõparãdo genus ad genus, supremumq; intellectuale, puta visionẽ Dei ad supremũ morale, videlicet ad amorẽ Sed si cõparatio in indiuiduo fiat, p̃tiosior est charitas, imò & iustitia, q̃, vna sciẽtia naturalis. ¶ Secũda cõclusio. Iustitia generalis & legalis earũ oĩm moraliũ est præclarissima quę in appetitu cõsidẽt. Quod appositum fuerim vt prudẽtiæ suus seruetur honos. Probatur ex illa sentẽtia Arist. 1. Eth. Bonũ cõmune diuinius est particulari: legalis nãq; iustitia, vt suprà dictũ est, omnes virtutes quę ad particularia bona hominẽ iustituunt refert in cõmune bonũ: est ergo architectonica virtus, perindeq; cęteras oẽs gubernãs atq; architectus ministros, duxq; exercitũ ac princeps rẽpublicã. Qua propter de illa loquit Cicero vbi ait

Ad argumentum. Distinctio. S. Thom.

Alterum argumentum

Solutio quorundam.

Refellitur proxima solutio.

A dargumẽtum.

Replica.

Responsio.

Corollariũ.

Secunda cõclusio.

Probatio. Aristo.

Cicero.

vbi ait ꝙ in iustitia est splendor maximus. Et Aris. vbi inquit quòd est sicuti Hesperus inter cætera astra. Quin verò ceu sol est inter humanas virtutes, instar charitatis inter vniuersas: nam vt sol reliquis lumen infundit, sic & iustitia legalis, per hoc quod ad bonum commune cunctas refert, ad quod oēs referendę sunt partes, maximè illas illustrat. Qua vtiq; ratione, vt suptà diximus, vniuersæ virtutes nomen sibi vendicant iustitiæ.

Opinio Buridani. ¶Ex quo fit vt extra rerum naturam philosophentur, qui conclusioni huic maculam impingere moliuntur: in quibus est Burida. 5. Ethi. q. 6. Contendit enim præstantiorem esse per se virtutem, quę hominem bene affi cit in ordine ad seipsum, q̄ illam quæ in ordine ad bonum cōmune eū instituit. Natura enim, inquit, & charitas plus inclinat hominem diligere seipsum q̄ commune bonū. Quòd si pars, puta manus, appetit conseruare totum, hoc, inquit, est quia inde depēdet

Exploditur Buridanus. sua ipsius conseruatio. Est enim hęc philosophiæ adulteratio. Imò sagax natura, cui maior incumbebat totius cura q̄ partiū, eas propter totius cōseruationē produxit, quibus adeò instinctum impressit conseruandi totum potiùs quàm seipsas. Vnde experientia docet, brachiū ictum excipere qui in caput dirigebatur, etiam si ipsius absciscio subsequat. Quo fit vt Deus sit à nobis plus q̄ nos ipsi diligendus: quia est totum respectu nostri: atque adeò in republica ciuili plus laudis meretur qui bonum commune curat, q̄ proprium: ac perinde illa virtus prestantior

Tertia conclusio. est & apud Deum & apud homines. ¶Tertia conclusio. Virtus iustitiæ etiam particularis omnium est moralium prestantissima, quæ sunt in appetitu: vt semper prudētiam habeamus exemptam. Probatur mediis q̄ plurimis. Primo ratione subiecti. Insidet enim rationali appetitui, puta voluntati, quę sensitiuo, cui aliæ insunt, supereminet. ¶Secundò ex parte obiecti: nam virtus est circa arduū ac difficile: difficilius autem est probè esse hominem affectum ad alienum bonum conseruandū, ad quod natura nostra non est adeò propensa, quàm ad custodiendum bonum propriū, ad quod, nisi vbi præpedita est, per se est inclinata. Cùm ergo cæteræ virtutes circa proprium versentur bonum, iustitia verò circa alienum, sit vt sit robustior ac præstantior. Vnde Arist. 5. Ethic.

Aristo. cap. 1. Complures in propriis inquit, vti quidem virtute possunt, sed in his quæ sunt ad alium nequeunt: quia res est magis ardua. Quapropter sententiam illam Biantis probat: Magistratus virum ostendit: eò scilicet ꝙ iam inde homo habet respectū ad alios. Experientia enim constat cōplures priuatā agentes vitam studiosos esse: qui tamen ad episcopales functiones, ad aliosue magistratus assumpti, vbi iustitiam administrare debent, indigni habeantur. Vnde infert Arist. illum esse pessimum qui ad seipsum & ad amicos vtitur prauitate: illum verò esse optimum, non qui ad seipsum tantùm, sed qui ad alių vtitur ipsa virtute: hoc enim, inquit,

Tertia. est opus difficile. ¶Tertiò id ostenditur ex effectu iustitiæ. Cùm enim homo sit politicum animal, natum scilicet in societate conuiuere, illa in eo fulgētiùs emicat virtus, per quā pax & tranquillitas publica tutiùs protegitur: hoc autem omnium maximè præstat iustitia, atq; adeò conuentorum pactorumq; fides: quæ, vt. 1. Offic. ait Cicero, eius

Cicero. fundamentum est. ¶Quocircà, vel ob hoc præcipuè iustitia Hespero assimilatur, ꝙ fulgentissimam reipublicę pulchritudinem affert. Enimuerò cùm lubrica hæc temporalia bona per exigua sint perq̄; angusta, possideri nisi per partes nequeunt, atq; adeò nisi auiditates humanæ legibus, ceu limitibus circūscribantur: vt vnusquisq; intra suū ius coercitus manus ad alienum non porrigat, ex quo legitimum possessorem deturbet. Facit ergo iustitia ceu quadratos lapides, sic homines dignitatibus, ordinibus, diuersisq; iuribus distinctos speciosissimam rempubli

Quarta rō. cam extruere. ¶Atq; hinc quarta eiicitur ratio. Illa est præclarior virtus, quæ omnibus atque in omni tempore est necessaria, q̄ alię magis particulares: iustitia autē, vt. 7. Poli.

Aristo. cap. 15. & 1. Rhet. ait Philosophus, necessaria est in bello & in pace: cùm fortitudo in bello tantùm suis fungatur vicibus. ¶Quintò,

Quinta. illa est nobilior ac magis necessaria virtus, qua seruata omnes possidentur: hæc autem potissimùm est iustitia. Nam cum temperātia & fortitudine necessaria nihilo minùs est iustitia. Si tamen hæc nullibi vulneraretur. oēs aliæ incolumes essent. ¶Sextò & illa est

Sexta. pretiosior virtus, & ex re maximè mortalium, cuius maior esse debet cura legislatoris in republica: hæc autem est iustitia, vt loco citato. 7. Polit. ait Philosophus. ¶Et quô

Cōfirmatio. summatim cuncta complectamur, inde maximè res confirmatur ꝙ in decalogo, vt suprà monstratū est, nullū Deus præceptum

posuit præterquàm iustitiæ. Et in republica ciuili nullis vitiis tanta sunt, tamque acerba supplicia decreta, quàm criminibus iniustitiæ, si hæresin modò nefandumque scelus excipias. *Scrupulus.* ¶ Vnus autẽ ex his scrupulus enasci potest, vtrùm scilicet eousq; cõstituamus iustitiã perfectiorem esse cæteris moralibus, vt quicunq; eius actus sit excellentior quocunq; aliarum. *Quorũdam placitum.* Nam multi ex nostris citra scrupulum ita censent. Quod profectò nulla probabilitate defendi potest. *Ratio inpræteritam opinionem.* Ecquis enim dicat q̃ vendere pisculos iusto pretio, aut misera holera, eò q̃ sit actus iustitiæ, maioris sit laudis & meriti, quàm maximus fortitudinis actus aut temperãtiæ: profectò ridiculus meritissimò habeatur. Quando ergo comparamus virtutem vnam ad aliam, collatio tãtùm fit, vt nuperrimè dicebamus, inter genus & genus: aut inter maximum actum vnius, & maximũ alterius. Quod tũ nihil vetat, quo minùs ꝑpter rei tenuitatẽ, id quod est genere superius, in indiuiduo sit inferius. *Quarta conclusio.* ¶ Quarta conclusio. Aliarũ duarũ virtutum moralium fortitudo est præstantior quàm temperantia. Cõclusio est S. Thomæ loco citato. 2.2.q.66.arti.4. *S. Thomas.* Quæ primò probatur ratione obiecti & subiecti. *Probatio cõclusionis.* Nam tẽperantia versatur circa delectabilia tactus, qui omniũ est sensuũ maximè materialis, vtpote omnium fundamẽtum. Præterea ex parte actus. Fortitudo nanq; versatur circa pericula vitę in bello, à qua cuncta temporalia bona promãnant: temperantia verò circa illa ex quibus quidem vita dependet, vel indiuidui, quantũ ad escas: vel speciei, quantũ ad venerea. Sed tamen quia in illis nõ imminet adeò præsens atq; horrendum periculum mortis, non inest tm̃ difficultatis, neq; virtutis, quæ circa difficile versatur.

Ad primũ argumentũ PRimum igitur argumẽtum trimẽbri responso diluit S. Thomas. Esto enim liberalitas hoc iustitiam exuperet, quòd liberalis id tribuit quod non debet: tamen iustitia propinquiùs accedit ad cõmune bonum: tribuit enim cuique quod suum est, quo seruatur publica pax, ad quam liberalitas nõ est tam necessaria, sed respicit bonum priuatũ, q̃d est diffusiuũ sui. Secundò: Iustitia latiùs extẽditur: nã respectu omniũ est necessaria: quod liberalitati non conuenit. Item quia liberalitatis fundamentũ, iustitia est. Nemo enim liberalitatis nomen meretur largiẽdo quod non debet, nisi iustus priùs sit soluẽdo quod debet. Et idem est de magnanimitate ¶ Dubium autem hic supereſt de misericordia: quæ etsi sit moralis virtus, præclarior tamen apparet quàm iustitia: vt sanctus ipse Doctor. 2.2.q.30.ar.3. confitetur: eo q̃ sit propria Dei virtus. Ad hoc autem respondetur q̃ si misericordia accipiatur vt est tristitiæ alienæ miserię moderatrix, inferior est quàm iustitia: quandoquidem in appetitu est concupiscibili. Si verò accipiatur vt nõ dicit ordinem ad sensualem affectum, puta ad commiserationem: sed tantũ voluntatem leuãdi alios à miseria, multò est præclarior quàm iustitia, eò q̃ est virtus suopte ingenio diuina: velle enim ac posse miseriis cũctis & defectibus tã publicis q̃ priuatis succurrere, subiectũ supponit, q̃d nulli esse possit calamitati defectui ve obnoxiũ, quod soli potest inaccessæ maiestati Dei congruere. Quã ob rem & eius quoq; effectus est omnium præclarissimus: nempe absq; vllo debito indigentias subleuare ac prorsùm tollere. Nam si liberalitatem inferiorẽ iustitia fecimus, ratio erat q̃ in iustitia fundatur, neq; ad cõmune bonum tam propinquè accedit, neq; ad omnes extenditur: misericordia autem in suo culmine, puta vt in Deo existit, iustitiam non præsupponit: imò priùs per misericordiam res produxit, quàm illis aliquid deberet, & ad publicum spectat bonum, ad totamque rempublicam prolatat. Et ideo cùm virtus sit diuina, comparatio iustitiæ non extendi tur ad illam. *Obiectio.* Quòd si obiicias iustitiam etiã esse virtutẽ diuinam, atq; adeo non excedi à misericordia: *Responsio.* negatur consequentia: nam iustitia sic est diuina, vt secundùm propriã rationem, puta debitum soluere, possit esse humana: misericordia verò quatenùs nullã secum patitur miseriam, ob id quòd omnes tollit, est Deo maximè propria, atq; adeò in ipso illustrior ac rutilantior quàm iustitia. *Ad scũd ñ* ¶ Secundo autem argumento sua est cõclusio concessa: nempe prudentiam dignitate esse superiorem. Comparamus enim tantũ iustitiã ad virtutes morales, quæ sunt in appetitu. *Ad tertiũ* ¶ Ad tertium de temperantia respõdetur, q̃ etsi illa nobis cõmoda afferat, quã ob rem Arist. 7. Politi. cap. 15. *Aristo.* tali ratione iustitiæ illam adæquet: vbi tẽperantia, inquit, sicuti & iustitia tempore belli & pacis est necessaria: simpliciter tamen propter allatas suprà rationes iustitia est anteferẽda. *Quæstio.* ¶ De fortitudine autem, quæ quarto argumento contendebatur iustitiæ præponi, maior *Quarto argumẽto prætacta.*

supereſt

Ratio prima dubitandi. supereſt ambigendi ratio. Habet enim ſtrenua hæc ingenuaq; virtus argumẽta multa, ſibi in hac cauſa patrocinantia. Primum, ſi à nomine eius encomiũ auſpiceris, fortitudo nomen virtutis videtur per excellentiã obtinere. Sic enim legitur Sapien. 8. Sobrietatẽ & iuſtitiam docet: prudentiam & virtutem,

Secunda, id eſt fortitudinẽ. Et ratio ipſa virtutis, quæ eſt animũ ad vſum applicare, eximio fulgore ſplendeſcit in illa: puta quæ hominem

Tertia. præſentiſsimę morti omnium horrendiſsimæ, obijcit. Et tertiò eius excellẽtiam ſplendor commendat, quo habetur in republica. Magnates enim & ſanguine præclariſsimi inde maximis facultatibus cumulãtur atq; honoribus ſuſpiciuntur, quòd fortitudinis virtute rempublicam tuentur. Ob idq; nunquàm proſapiæ conſueuerunt compendioſiori via in republica nobilitari, quàm per bellicam fortitudinem. Id quod vel Gentiũ, nempe Lacedemoniorum, Romanorum, & Græcorũ Hiſtoriæ perpetuæ memoriæ prodiderunt. Hæc enim virtus, vt Hercules, ac Theſeos, & quos poẽtæ fabulantur, mittamus: Alexandros, Cæſares, Scipiones, atque alios id genus toto orbe celeberrimos fecit.

Quarta. ¶Quin age vt profana miſſa faciamus, virtutis maieſtatẽ, vt paulò anteà dicebamus, ex maximo eius actu debemus perpẽdere: optimus autẽ fortitudinis actus, quale eſt martyrium, & laude & merito excellentior eſt quàm ſupremus iuſtitiæ. Nam maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ac potiſsimùm pro Deo in teſtimonium fidei: ergo

Quinta ratio. fortitudo faſtigium inter morales virtutes obtinet. Ad hæc cùm ſummum hominis bonum naturale, ſit libertas, illa erit virtus omnium maxima, per quam libertas præſertim vendicatur: hæc autem eſt fortitudo. Nã vt. 7. Polit. ait Ariſt. qui pericula belli nõ ſuperant, ſerui fiunt. Adde illam eſſe pretioſiſſimam quæ eſt rariſsima: hæc autem eſt fortitudo: rariùs enim fortes inuenias, quàm a-

Poſtrema. liis virtutibus præditos. In ſumma, fortitudinis ingenium & vis eſt alios vincere ſibique ſuppeditare, quod Dei virtutem & potentiã proximè præ ſe fert: vnde fortes atq; animi robuſtos cuncti pertimeſcunt, omneſq; venerantur ac reuerentur. ¶His veruntamen nihil obſtantibus, incunctãter eſt in ſententia perſiſtendum. Satis enim pro ſua laude fuerit fortitudini, iuſtitiam in litem de

Solutio propoſitæ concluſionis. prælatura vocaſſe. Quando enim rationes alias ſuprà cõmemoratas ſileremus, hæc pro iuſtitiæ victoria abũdat, quòd fortitudo nul latenùs eſt, niſi ad iuſtitiæ præſidium & cuſtodiam neceſſaria. Sciẽtiſsimè nanq; apud Plutar. Ageſilaus, dum ceu iudex hanc quę ſtionem interrogaretur, vtra ſcilicet harũ virtutum alteri præſtaret, reſpondit: nihil vtiq; fortitudine indigeremus, ſi omnes iuſti eſſemus. Enimuerò niſi iuſtitia violaretur, neutiquàm bellis daretur occaſio, in quibus fortitudo reipublicæ ſeruit. Reſpondetur ergo ad principale argumentum q̃ etſi fortitudo ſit circa difficilius, tamen iuſtitia eſt circa id quod eſt melius. Præclarius nanque eſt, vt pax & tranquilitas humani generis per iuſtitiam ſeruetur, quã vita priuati hominis. Quare iuſtitia, vt diximus, vtroq; tempore & pacis & belli refulget. Neq; ad pacem neceſſaria eſt fortitudo, niſi iuſtitia profligata Pari modo reſpondetur ad id quod de nomine obiectum eſt. Vẽdicauit enim ſibi fortitudo virtutis nomen, non ſimpliciter per excellẽtiam, ſed quia qualitas illa, ac vis virtutis, quæ animum robuſtum efficit, & conſtantem, præcellit in ipſa. Ad aliud autẽ de nobilium ſplendore, quibus nomina fortitudo fecit præclara: Reſpondetur, q̃ ſi fortitudo tales illis honores pepererit, id tamen non fecit niſi tanquã miles miniſtraq; iuſtitiæ: quia neq; virtutis rationẽ aſſequi valet, niſi quatenus eſt iuſtitiæ cuſtos ac ꝓpugnatrix. Enimuerò cũ honos ſoli virtuti, vt Ariſt. 1. Ethic. inquit, debeatur, ac potiſsimùm iuſtitiæ: vbi homines aliter q̃ iuſtitiam tuendo animi robur exercent, nõ ſunt aliter fortes, quàm truces tauri, ferocesq; vrſi, atq; immanes tigres. Cõſtituit ergo reſpublica magnates atq; illuſtres, vt ſacroſanctã iuſtitiæ virtutẽ ſua fortitudine ſtrenuè protegerent: nẽpe non vt ſua potẽtia iniuriam aliis offerrẽt, ſed vt vndiq; propulſarẽt. ¶Ad aliud autem quod de martyrum fortitudine maiori cum probabilitate obiectũ eſt, reſpondetur q̃ etſi actus martyrij, qui apud Deum præclariſsimus eſt, â virtute fortitudinis ſit elicitus, non tamẽ inde totam ſuã laudem nanciſcitur: ſed quia â ſupremo charitatis conatu imperatur, qua nemo maiorem habet q̃ vt animam ſuã ponat pro Deo ſuo. Quare & religionis virtus, quæ præſtantior eſt q̃ iuſtitia, ſuis illic vicib⁹ fungitur. Quo fit vt ponere vitã pro alio quolibet amico, nõ adæquaret ſupremum actum iuſtitiæ. Ad aliud negatur. fortitudini maximè eſſe proprium

Plutarchus.

Ad primũ argumentũ

Ad ſecũdũ

Ad tertium

Ad quartum.

Ad quintũ

libertа-

libertatem asserere. Imò hoc præ cunctis virtutibus iustitiæ competit, quæ, vt suprà diximus, parens est pulcherrimæ pacis: sed iustitia perturbata, necessaria est ad libertatẽ fortitudo. Ad aliud etsi concederem, hac ratione raram esse fortitudinis virtutẽ, quòd circa truculentissimam mortem, quam homines maximè extimescũt, versatur: tamẽ profectò si ingentissimam mortalium auiditatem honoris atq; splendoris spectes, quem per fas atq; nefas persequũtur, multò crediderim esse rariorem iustitiæ virtutem: quæ non modò in minimis aut in mediocribus, sed in his quę ad amplissimas dignitates maximè referũt constãtissimè vigeat. ¶Ad postremum deniq; negatur per fortitudinem maximè nos Deo assimilari: licet fortes victos suos suppeditent. Non enim hoc est in Deo summũ: sed cuncta per iniustitiã subiugare: ac potissimùm per misericordiam creare ac recreare.

Ad sextum

Ad vltimũ

¶QVAESTIO TERTIA de iniustitia.

S. Thom. 2. 2. q. 59.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm iniustitia sit speciale vitium.

Aristo.



VM contrariorum, vt 1. Topic. autor est Arist. eadem sit disciplina, opus hoc nostrum quod de iustitia & iur. inscripsimus, non solùm circa iustitiæ virtutem, sed plurimùm circa iniustitiæ vitia in subsequẽtibus versabitur. Ob idque post explicatam naturam iustitiæ, necesse est de cõtraria iniustitia proximum adhibere sermonẽ. Quæritur ergo vtrùm iniustitia sit speciale vitiũ. Et arguitur more nostro à parte negatiua. Omne peccatũ, vt. 1. Ioan. 3. habetur, est iniquitas: iniquitas autem idem est quod iniustitia: vtpote inæqualitas: ergo iniustitia nõ dicit speciale vitium, sed generalem omniũ conditionem. ¶Secundò arguitur: Nullum speciale peccatum vniuersis opponitur virtutibus: iniustitia autem opponitur cunctis virtutibus: nam iniustitia quæ in adulterio committitur, opponitur castitati: & quæ in homicidio, mãsuetudini: & quæ in cõtumelia, vrbanitati, &c. ergo nõ est speciale vitiũ. ¶Tertiò: Iniustitia opponitur iustitiæ quæ est in voluntate, sed omne peccatum, Augustino autore, est voluntariũ: ergo omne peccatum est iniustitia. ¶In contrarium est q̃ iniustitia contrariè opponitur iustitiæ: hæc autem est specialis virtus: ergo iniustitia. speciale vitium.

Primum argumentum

Secundum.

Tertio.

QVæstio quam facilima est. Nam per regulam topicam, quot modis dicitur vnum contrariorum, dicitur & reliquum. Quo fit vt sicut iustitia alia est generalis virtus ac legalis, alia verò specialis: sic & iniustitia alia sit generalis, alia verò specialis. Quapropter duabus conclusionibus ad quæstionem respondetur. Prior. iniustitia illegalis quæ iustitiæ legali è regione aduersatur, est vitium, speciale quidem per essentiam: intentione autem atq; imperio, generale. Vtraq; pars similima ratione patet qua idẽ est de iustitia demonstratum. Enimuerò sicut legalis iustitia bonum habet commune pro obiecto, ob idq; specialis virtus est per essentiam: nihilo minùs cæteris omnibus imperat, omnesq; ad suum refert finem: sic & de iniustitia censendum. Est enim illegalis iniustitia legũ inobedientia, boniq; communis despectio: & ideo est speciale vitium. Sed tamen per reliqua omnia grassatur. Potest enim quis adulterari ex contemptu legis, occidere, furari, &c. ¶Posterior conclusio. Iniustitia quæ æqualitatem, quæ ad alterũ est corrumpit, inq; inæqualitatẽ peruertit, puta prout homo plus habere vult aut rerum aut honorum, minusq; malorum: cariùs scilicet vendendo, aut viliùs emendo &c. speciale vitium est. Idq; inde patet quòd materiam habet specialem & obiectum. Conclusiones ambæ expressè apud Arist. 6. Ethi. cap. 1. constitutæ sunt: vbi bifariàm aliquem dicit esse iniustum: videlicet & qui â legibus exorbitat, & qui plus capit atq; iniquus est. sicuti & iustus quoq; dupliciter. & qui legitimè facit, id est legibus obtemperat, & ad cõmune contuetur bonum: atque ille qui æquus est: id est qui vnicuiq; quod suum est tribuit.

Prima conclusio.

Ratio conclusionis.

Secunda cõclusio.

Aristot.

REsponsio autem primi argumenti rem ampliùs elucidabit. Respondetur enim q̃ sicut iustitia legalis dicitur per comparationem ad bonum cõmune humanum, sic &

Ad primũ argumentũ

& iustitia diuina dicitur per cõparationem ad bonum diuinum: cui cùm omne peccatum repugnet, meritò in genere definitur q̃ sit dictum vel factum contra legem Dei. Atq; hac subinde ratione omne peccatum est iniquitas. ¶Dubitas autem an iniquitatis ratio illegalis formaliter conueniat vniuersis peccatis: Apparet nanque ita esse: quã doquidem peccatum nullum sit nisi contra leges fiat. Responsio nihilo minùs est, q̃ etsi commune peccatum materialiter sit illegalis iniquitas: non tamen id vniuersis eis conuenit formaliter. Exempla enim suprà iam sæpe posita sunt. Enimuerò si furtum facias, non ceu Dei leges despectui habens, sed vt cupiditati tuæ obsequaris: vel homicidium perpetres, non vt bonum perturbes, commune, sed quia potis non es tuæ cedere iracundiæ: materialiter quidẽ illegalis es, quia diuinæ legis transgressor: non tamen formaliter, quia id non habes in intentione: sed es nihilo minùs iniquus atq; iniustus contra particularem iustitiam. Si autem hæc scelera in contemptum legis & contra communem bonũ committeres, tũc illegalis esses ac peruersus ciuis. ¶Ad secundum respõdetur, iniustitiã, quia circa omnes, actiones, peculiari nihilo minùs ratione versatur, non quidem directè, sed tamen indirectè & materialiter omnes virtutes oppugnare: quippe quæ per diuersas corruptas affectiones, ius alienum violat. ¶Ad tertium deniq; respondetur, q̃ etsi voluntas, sicuti & ratio ad materiam omnium virtutum se dilatet, nihilo minùs iustitia suam habet peculiarem rationem: ideóque non omne peccatum est iniustitia.

Dubitatio. *Solutio.* *Ad secũdũ* *Ad tertiũ*

ARTICVLVS. II.

Vtrùm quicũq; iniustum facit, continuò censeatur iniustus.

QVM virtus, autore Aristot. sit quæ bonum facit habentẽ, scrutari decet vtrùm vice versa quicunq; iniustũ facit, cõtinuo sit cẽsendus iniustus & prauus. Et arguitur à parte affirmatiua. Habitus à suis obiectis nanciscuntur speciem: propriũ autem obiectum iustitiæ est iustum: propriũq; adeò iniustitiæ, iniustum: ergo & ex hoc q̃ quis iustum facit, iustus est habendus: & ex hoc quòd iniustum, iniustus. ¶Secundò arguitur. Omnis virtus eodem se habet modo ad propriũ actum: eadem ergo erit ratio de omnibus: vitijs: quicũq; autem facit aliquid intemperatum, est intẽperatus: ergo & quicũq; facit iniustum, erit iniustus. ¶Tertiò: Quicunq; iniustum facit, peccat genere suo mortaliter. Nam facit cõtra æquitatẽ. vel occidẽdo, vel adulterãdo, vel furando, &c. quæ omnia sunt genere suo mortalia: peccatũ autem mortale reddit hominẽ iniustum apud Deũ, sicuti gratia reddit eum iustũ: ergo quicũq; facit iniustũ, est iniustus. ¶In contrariũ est Philosoph. 5. Ethi. cap. 8. vbi edisserit quẽ admodùm cõtingat, vt quis iniustum faciat qui tamen non subinde fiat iniustus.

Primũ argumentum *Secundum.* *Tertium.* *Aristo.*

QVæstio hæc in gratiam Arist. mota est: nempe vt eius hic locus modo citatus exponatur. Cuius quidem doctrina vna bi membri conclusione summatur. Cui alterã adhibebimus, vt quartum articulum sancti Thomæ, huius germanum, simul absoluamus. Sit ergo prior cõclusio. Non q̃cũq; iniustũ facit dicẽdus est subinde per se iniust⁹: puta si vel ex ignorantia, vel ex passione id faciat: sed ille tantùm qui ex habitu & ex electione id audet. Quò autem conclusionis sensum tyrũculus etiam percipiat, meminerit ad rationẽ virtutis exigi vt quis sciens ex electioneq; faciat propter honestum & perpetuò, vt ex. 2. Ethi. suprà citatum est. Quare si quis vel casu vel quadã repentina affectio ne vnum de se præstet virtutis actum, non subinde studiosus est: quia non per se, sed per accidens bonũ facit. Id ergo ipsum Aris. docendũ duxit & in vitiis. Requiritur enim vt quis iniustus dicatur, non tantùm q̃ iniustum faciat, sed quòd id ex animi morbo efficiat, puta ex habitus corruptione. Patefacit autem rationem hanc diuus Thomas hoc modo. Sicuti obiectum iustitiæ est iustum, ita & obiectum iniustitiæ, iniustum: puta inæquale: radix autem propria, vnde iniustum oboritur, est habitus, quo potentia afficitur ad obiectum. Quare qui ex electione & habitu operatur, ille propriè iniustus est. Potest ergo duobus modis vsu venire vt quis iniustum patrando, non sit iniustus. Primo propter defectum relationis actus ad obiectum scilicet quia operans illud non intendit: nam actus ex intentione fit spontaneus, ac subinde humanus. Vnde quomodolibet quis non vltrò faciat excusatur nè sit iniustus: & cùm voluntariũ igno-

Prima conclusio. *Fundamẽtũ* *Ratio cõclusionis.* *Bifariã contingere potest quẽpiã iniustũ patrare neque tamẽ sit iniustus.*

ignorantia, visq; tollat, si quis, inquit Aristo. per ignorantiam iniustum faciat, vel vi compulsus, nemini iniurius est: vt si quis tuã manum moueat qua aliũ pulses: tunc enim neq; animus neq; verò actio refertur applicaturq; ad iniustum: sed fit iniustum per accidens. Quare nullum est vituperium: sicuti neq; quicquam cõparares laudis si illo modo iustum faceres. Secundo verò modo contingit vt iniustum faciens non sit iniustus ex defectu relationis actus ad habitũ: nempe q̃ licèt obiectum sit voluntarium & intentum, atq; adeò operatio referatur ad obiectum, tamẽ actio non nascitur ex habitu. Vt si quis alioqui mitis homo & probus subitanea iracundiæ procella alium vulneret, tunc non operatur ex electione: quippe quã necesse est vt deliberatio præcedat: atq; adeò neque ex habitu. Colligitur ergo ex his nostra conclusio: nempe, ad hoc quòd quis meritò nominetur iniustus, requiri, vt per se faciat iniustum: nam vbi id per accidens fecerit, non erit iniustus. Et cùm habitus per actionem referatur ad obiectum, duplex est relatio & applicatio necessaria vt per se faciat quisque iniustum, fiatque iniustus. Videlicet vt operatio per intentionem referatur ad obiectum hoc est q̃ obiectum sit volitum: & præterea vt eadem operatio per electionem referatur ad habitum, hoc est non ex passione sed ex habitu procedat. ¶Hic nihil ambiguitatis supereſt si modò mens Aristotelica pateſcat. Enimuerò q̃ qui aut ignoranter aut vi coactus quidpiam admittit, neque iustus sit, neq; iniustus, euidentiã rationis habet: quia actio, quæ spõtanea nõ est, minimè est humana. Attamẽ q̃ qui sciẽs & prudẽs ex animi ægritudine, puta ira vel alia passione delinquit, non sit iniustus, falsum apparet. Triplex enim peccatorum genus distinguitur: scilicet ex ignorantia vincibili, puta quæ non in totũ excusat: & ex passione, quod peius est: & ex malitia, puta studio & electione: q̃d genere suo pessimũ habeť. Arist. ergo male nõ admittit hunc tertium gradum. Respondetur, aliter Philosophum censeri de homine iusto atq; iniusto. quàm apud Deum existimatur. Deus nãq;, non habitus, sed actus põderat: & ideo qui cunq; delinquit, quantunuis alioqui iustissimus, fit, habeturq; apud ipsum iniustus. Sicuti quicunq; vnico actu bene faciat, etiam si nullo sit virtutis habitu præditus, bene de ipso meretur. Neq; verò Aristo. negat quin actus â passione profectus sit vituperandus: sed hoc tantũ censet q̃ nomina hæc, iustus & iniustus, nõ connotãt nisi habitus. Quocircà ait, id quod extra rationem, id est, per ignorantiam fit, infortunium esse: quod autem malum ex scientia procedit, sine tamen vitio, hoc est sine habitu, peccatũ inquit est vitium autem non actus sed habitus nomẽ est. Et profectò vulgari sermone ita loquimur. Etenim sicut vna hirundo nõ facit ver, ita neq; vno aut altero actu dicitur quis studiosus, aut prauus: sed quãdo ex habitu operatur, ac perinde studio & electione. Qua ratione & Theologorũ scholæ hunc dũtaxãt, cẽsent peccare ex malitia: atq; adeò propriè hunc solũ haberi diciq; malũ. ¶Ex his ergo colligitur posterior conclusio. Quicunque sciens ac prudens iniustum facit, hoc est nõ per ignorantiam quæ prorsus sit operis causa, quanuis ex passione id sine habitu faciat mortaliter genere suo peccat. Clarissima est conclusio. Est enim peccatũ mortale quicquid charitati aduersatur: peccatum autem iniustitiæ, quia virtutem iugulat, quæ ad pacem reipublicę necessaria est, charitati genere suo reluctať: est ergo suopte ingenio mortale. Dixerim, si non procedat ex ignorãtia quæ prorsus est causa operis: hoc est quæ omninò tollit culpam. Nam ignorantia iuris non tolleret, Neq; omnis ignorantia facti: licèt digna sit venia: vt. 5. Ethi. autor est Arist. Quin verò Paul. Misericordiam, inquit, cõsecutus sum, quia ignorãs feci. Adiecerim, genere suo, tũ ad differentiã prodigalitatis, & gulæ, atq; aliorum peccaminũ, quæ genere suo non sunt mortalia nisi ex circũstantiis: tum etiam ad denotandũ, contingere posse contra iustitiam ob materiæ tenuitatẽ, peccare venialiter. Horum autẽ examinatio ad alium pertinet locum. ¶Ac per ista quæ dicta sunt intelligendũ est quod illic ait Arist. cap. 9. nempe falsam esse eorum opinionem qui existimant in potestate hominis esse, vt statim faciat iniustum: videlicet ex electione: & quòd iustus nõ minùs quàm iniustus possit facere iniustum: scilicet per se. Errant, inquit, quoniã qui optimis est habitib⁹ imbutus, etiã si velit non potest facilè iniustum eligere, tametsi posset ignoranter aut subito motu iniustum facere. Vnde illud ortũ habuit axiôma, Nemo repẽte pessimus.

Argumẽtũ

Responsio.

Posterior conclusio.

Probatio.

Aristo.

Interpretatio Aristo.

AD primum igitur argumentum respondetur, habitus & actus speciẽ sortiri ex obiectis

Ad primũ argumentũ

obiectis formaliter,vt aiunt,ac per se volitis: quando autem materialiter ac per accidēs, hoc est ex accidenti ignorantia aut passione id fit,non sufficit actus hominem philosophorum idiomate aut iustum denominare aut iniustum. ¶Ad secundum respondetur latam esse differentiam inter iustū,quod est obiectum iustitiæ:& temperatū aut strenuum,quæ sunt obiecta aliarum virtutum. Iustum enim & iniustū, quia per se inuenitur in rebus,licēt per accidēs fiat, dicitur iustum & iniustum.Quapropter in hac peculiariter virtute in genioſè constituit Aristot. posse quenquam facere iniustum etiam si non sit iniustus:obiectum autem temperantiæ,quia non est in rebus secundùm earum naturam, sed per ordinem ad agentem,quãdo per accidens fit,nullatenùs dici potest tẽperatum:ob idque in illa virtute nulla opùs erat distinctione:sed quicũque facit temperatum, est temperatus: quia non erit opus temperatum,nisi per se sit intentum.Quare si quis casu abstineat, vt nõ est temperatus, ita neq; facit opus temperatum: quoniã nõ facit quando, &vbi, & quomodò oportet. Et pari ratione quando Loth, verbi gratia, præ ebrietate cognouit filias,vt non fuit intemperatus, ita neq; fecit opus intemperatum.In summa,distinctio hęc siue iusti siue iniusti materialis ac formalis locũ nõ habet in obiectis temperantiæ vel fortitudinis l.

Ad secundum.

Ad tertiũ

¶Tertium autem argumentum satis solutum est:vbi ostendimus quòd etsi quacunque actu iniustitiæ perdatur Dei gratia,atq; adeò apud ipsum fiat homo iniustus, hoc est peccator:non tamen inde sequitur, vt inter morales philosophos,apud quos formales denominationes non ex actu,sed ex habitu perpenduntur, dicatur omnis peccator iniustus aut prauus.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm quis possit iniustum pati volens.

Primum argumentum

POstquàm visum est de eo qui iniustum facit,sequitur vt de illo dicamus qui iniustum patitur:vtrùm scilicet quis possit in iustum pati volens. Et arguitur à parte affirmatiua. Iniustum idē est quod inæquale:recedit autem quisq; seipsum sua sponte lædendo perinde ab æqualitate ac si alium læderet:ergo & volens potest iniustū atq; adeò iniuriam pati. ¶Secundò. Nemo supplicio plectitur nisi ob iniustitiam. Plectuntur autem ciuitlier illi qui sibi mortem consciscunt. Ait enim Arist.5.Ethi. cap.vlti. ꝙ ignominia quædam instituta erat aduersus eos, nẽpe ꝙ sepultura interdicebantur: ergo volens quis patitur iniustum. ¶Tertiò, Facere patiq; iniustū relatiua sunt,atq; adeò nemo iniustum facit nisi alius iniustū patiatur. Contingit autem vt quis iniustū faciat volenti illud pati,vt si carius iusto vẽdat aut pecuniam sub fœnore mutuet: ergo potest quis volens iniustum pati. ¶In contrarium est ꝙ iniustum pati contrarium ei est quod est facere iniustum:sed vt præcedẽti arti. definitum est, nemo iniustū facit nisi volens: ergo nullus id nisi nolens patitur.

Secundum.

Aristot.

Tertium.

ET hic quoq; articulus gratia interpretandi Arist. adhibitus est,qui.5.Ethi.cap.9. & sequentibus cõstituit,neminẽ iniustū pati seu iniuriam dũ sua id sponte patitur. Doctrina autem eius per duas conclusiones patefit.Prior est.Nemo per se & formaliter loquendo iniustum neq; facere potest,nisi volens:neq; pati,nisi nolens. Cõclusio est quæ luculenta fulcit naturali ista ratione.Quẽad modùm de ratione intrinseca actionis est vt ab agente procedat,sic & de intrinseca ratione passionis vt ab alio fiat,passo non conferente vim.Ex quo Arist.3.&.8.Physic. colligit non posse idem esse omninò agens & patiens:imò omne quod mouetur, ab alio moueri.Principium autem hominibus agendi proprium est voluntas. Vnde illud propriè dicitur homo facere quod à sua egredit voluntate:idq; econtrariò pati quod renuente eius voluntate de ipso fit.Nam pati est vinci ac superari. Vbi autem quis volens patitur, vim ad id confert & causam, ac subinde agere potiùs dicitur quàm pati:fit ergo vt per se formaliter loquendo nullus nisi nolẽs quid piã patiatur. Imò hoc ipsum est pati quod violẽtiæ obnoxiũ esse. ¶Posterior cõclusio. Nihil vetat quo minùs quilibet per accidẽs ac materialiter loquendo volens patiatur iniustum:sicuti & nollens per accidens potest facere iustū. Probatur conclusio. Vt si quis ignorans id fieri de se consentiat quod sibi malum est vt cùm ebrius Loth à suisq; filiabus deceptus incestum perpetrauit:&Iacob ignorans stuprum admisit:aut cum necessitate coactus, mutuum sub fœnore recipit.

Prima conclusio.

Ratio conclusionis.

Aristot.

Probatio cõclusionis.

Secundacõclusio.

¶Circa

¶Circa has conclusiones primùm omnium adnotauerim, quòd licèt ius & iustum idem sit: tamen vsitato more loquendi, iniuriam pati, non eandem ferre videtur distinctionẽ quã iniustum pati. Non inquam ita propriè quis dicitur iniuriam pati materialiter sicut iniustum pati. Imò iniuriã pati semper pro eo vsurpari videtur quod est iniustum per se pati: puta nolentem ac renuentem. Atqui hinc originẽ duxit illud iuris axiôma, Sciẽti & volenti non fit iniuria. Sicuti neque iniuriam irrogare nemo dicitur nisi qui sciens ac prudens iniustum facit. ¶ Contra hanc autem conclusionem offert se illicò argumentum, quòd si nullus volens iniuria afficeretur, consequens inde fieret, vt nemo quanuis metu in aliquod pactum consentiret, posset de iniuria conqueri: quod tamen falsum est. Nam matrimoniũ quod per consensum metu mortis exortum contrahitur, iura propter iniuriam dissoluunt. Quòd si quis vim argumẽti repellere cogitauerit, dicens eum qui metu consentit sub cõditione id nolle, contra eum stare videtur Arist. qui 3. Ethi. ait, Eum qui in genere nollet, in particulari tamen vult, simpliciter velle: vt qui in naufragio merces eijcit, licèt nollet, nihilominùs simpliciter vult. Respondetur nihilominùs conditionem illam, quam Scholastici nolleitatem appellãt, satis esse vt quis censeatur iniuriã pati: tametsi simpliciter velit: dum modo consensus ille contra ius extorqueatur. Nam iniuriã pati idẽ est quod proprio iure priuari. Quocircà dum quis iure in supplicium rapitur, quantunuis sit nolens, nullam patitur iniuriã. Et si tunc optio illi offerretur, vt si vellet, exempli gratia, meretricẽ ducere aut triremibus addici, donaretur vita, nulla ei fieret iniuria, etiam si mallet mortem absque illa conditione euadere. Ex quo rursus fit vt qui astu & fraude seductus iniustum patitur, iniuriam quoque per se patiatur, ac si vi consentiret: quia non facit vltroneus.

Argumentum.

Solutio.

Replica.

Responsio.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur argumẽtum respondetur q̃ nemo sua sponte sua erogãs bona, quæ non debet, vllam facit iniustitiam neq; inæqualitatem: nam cùm sua sit voluntate suorum dominus, eàdem potest & donare sua, & pati vt expolietur. Sed arguis: Si quis bona sua decoquat: videlicet si alendã habẽs familiã prodigè suã substantiã effundat, illi qui accipiũt iniuriam ei irrogare videntur: & tamen ipse absolutissima voluntate eam elargitur. Respõdetur q̃ quanuis prodigus ille delinquat, nihilo minus accipiens nullam illi facit iniuriam, sed fortè familiæ ad quam quodam modo illa bona pertinebant. At verò non his præsius tractandis locus est hic accõmodus. ¶ Secundi autem argumenti vulgata respõsio est, singularẽ personã bifariàm posse considerari: vno quidẽ modo secundũ se absolutè. Qua vtiq; ratiõe nullam sibi potest iniustitiam facere. Cùm enim seipsum quispiã, vel infamat, vel mutilat, vel occidit, facit quidem contra charitatem, qua seipsum diligere tenetur: minimè tamen contra iustitiam: tum quòd iustitia non est nisi ad alterum, tum quòd sciẽs ipse ac volens patitur. Secundo modo potest cõsiderari in quantũ est reipublicæ mẽbrum, Deiq; figmentum & imago. Atq; hac ratione qui seipsum occidit, iniuriam irrogat, tũ ciuitati, tũ præcipuè Deo. Ac proinde tam ciuili quàm diuina lege supplicium pendit. Sententia est Arist. 5. Ethic. cap. 11. Attamen non inde inferendum est, rempublicam dominium habere vitæ & mortis perinde ac Deum: neminem nanq; ceu dominus occidere potest, quemadmodùm vnusquilibet sine causa suum potest armentum aut pecudem mactare: sed tanquàm iudex propter culpam: de quo latiùs lib. proximo sub titulo, de Dominio, & rursus lib. 5. sub titulo De homicidio. Eodem modo qui alium, id quidem optãtem ac deprecantem, interfecerit. cuius exẽplum in armigero habes, qui Saũlis iussu ipsum interemit, iniuriam etiam facit, non id iubenti, sed Deo qui vitæ dominus est: & reipublicæ, quæ custos est vitæ. Sed nũquid poterat Rex ille alteri iubere, vt se occideret? quandoquidem supremam habet potestatem. Respondetur neutiquã principem potestatem habere interficiẽdi innocentem, ac multò minùs præcipiendi homicidium sui: si tamen tantam exercuisset tyrannidem, posset iudicem super se constituere, qui se iure perimeret. ¶ Ad tertium deniq; respondetur q̃ agere patiq; iniustum, si materialiter accipiatur, vbiq; se vt correlatiua consequuntur. Nemo enim facere iniustum potest, nisi alicui qui id patiatur: neq; verò pati, nisi ab aliquo qui id faciat. At verò si locutio sit formalis: quoniam hoc perpendendum est ex voluntate agentis & reni tentia patientis, potest contingere, vt quispiam iniurius alteri sit, & tamen alter nullam

Replica.

Solutio.

Ad secũdũ

Quæstio patua.

Ad. tertiũ

lam patiatur iniuriam. Vt si quis, verbi gratia, aliquid alteri faciat animo lædendi & nocendi quod tamen alteri nihil nocet: vt si alteri vēdas rem pluris quàm valet animo fallendi: tamen alter sciens & prudens vult ex sua liberalitate illud dare. Nam si ex egestate emere cogitur, aut ad vsuras accipere, licèt simpliciter dare velit, tamen quia dare nollet, iniuriam, vt dictum est, patitur.

QVAESTIO QVARTA, De iudicio.

S. Thom. 2. 2. q. 60.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm iudicium sit actus iustitiæ.

QVandoquidem de habitu iustitię dictum est, deque eius cōtrario iniustitiæ: habitus verò sit propter habitum: subsequitur vt de eius potissimo actu dicamus, qui est iudicare, vtrùm sit actus iustitiæ. Et arguit à parte negatiua. Vnusquisq;, inquit 1. Ethic. Aristo. bene iudicat quæ cognoscit: ergo iudicium ad vim cognoscitiuam attinet: Vis autem cognoscitiua in moralibus per prudentiam perficitur: ergo iudicium, functio est intellectualis prudentiæ potiùs quàm iustitiæ, quæ est in voluntate. ¶ Secundò Apostolus. 1. ad Corin. 2. Spiritualis, inquit, iudicat omnia: homo autem per charitatem fit spiritualis: quæ per Spiritum sanctum cordibus nostris infusa, illa à terrenorum affectu perpurgat: ergo iudicium officium est potiùs charitatis quàm iustitiæ. ¶ Tertiò: vniuscuiusq; virtutis proprium est rectum in sua propria materia iudiciū perficere. Nam, vt 3. Ethi. cap. 4. ait Philosophus, studiosus quisq; est regula eorum quæ faciēda sunt. Illæ nāq; res, inquit iustæ ac tēperatæ dicuntur, quæ tales sunt quales vir iustus agit ac temperatus. Non ergo iustitiæ proprium est iudicare. ¶ Quartò iudicare non nisi ad iudices & principes spectare videtur: iustitia autem vniuersalis etiam subditis cōmunis est: ergo iudicium nō est propriè iustitiæ munus. ¶ In cōtrariū est illud Psalm. Quousq; iustitia conuertatur in iudicium.

Primum argumētū. Aristot.

Secundum.

Tertium.

Aristot.

Quartum.

QVæstio vnica dissoluitur conclusione: Iudiciū actus est maximè proprius iustitiæ. Cōclusio ex ipso nominis sonitu & cōpositione fit manifesta. Iudiciū em̄ idē est q̄d dictio iuris: & iudicare, idē q̄d ius dicere: & iudex, idē quod ius dicens, Quo fit vt iudicare propri⁹ sit actus circa ius. Ius autem, vt suprà dictū est, est obiectum iustitiæ, puta iustū illud quod per iustitiam cōstituit in rebus: ergo iudicare secūdū suam primæuam ac natiuā significationē, idem est quod decernere ac definire id quod iustum est & ius rectè autem censere ac definire rem aliquam procedit ex recto affectu atque habitu, quo quis se habet erga eandē rem. Nam vt. 3. Ethic. cap. 5. ait Philosoph⁹, qualis vnusquisque est, talis sibi videtur finis: vt qui castus est, bene iudicat de venereorum abstinentia: & qui sobrius, de abstinentia ciborum: ergo eàdem ratione proprius actus iustitiæ est iudicium rectum, hoc est recta determinatio iusti. Vnde Aristo. 5. Ethic. cap. 4. ait, omnes ad iudicem tanquàm ad iustū animatum confugere. Est enim iudex quasi viuens ac loquens iustitia.

Cōclusio responsiua. Probatio.

Aristot.

NVlla in conclusione latet dubitandi ratio præter illas quas argumenta facta petunt. Primùm igitus sciolos atq; ex Dialecticis emergentes fallere posset: vt pote quibus re in cortice aspecta apparere posset iudicium secūdùm suam genuinam significationem esse potiùs actum rationis, quàm iustitiæ: eo quod iudicare idem est quod ius dicere: dicere autem est loqui, quod non volūtatis, sed intellectus munus est: voces enim sunt signa conceptuum: atq; adeò quales loquutiones voce proferunt, tales intellectus priùs format. At verò res penitiùs inspecta aliter se habet. Enimuerò cùm nomen iudicij à iure descendat, fit vt primū fuerit impositum, ad significandum rectam definitionem iustorum. Sed deinde deriuatum est ad significandam in vniuersum rectam definitionem aliarū virtutū circa propria obiecta, tam in speculatiuis, q̄ in practicis. Puta rectā definitionē in materia temperantiæ ac fortitudinis &c. Ac perinde in scibilibus id q̄d dicit adæquationem obiecti ad intellectum. In omnibus autem ad rectū iudicium duæ sunt virtutes requisitæ, scilicet & quæ iudicium proferat, & quæ potentiam iudicantis disponat vt idonea sit atque apta ad iudicij rectitudinem. Prius autem proprium

Ad primū argumentū.

Duæ virtutes requiriūtur ad rectū iudiciū

est rationis, cuius est loqui, vt modò ostẽdebamus: posterius verò proprium est habitus bene afficientis potẽtiam ad obiectum. Qui quidem habitus de rebus speculatiuis est speculatiuus existens in intellectu: in practicis autem est habitus afficiẽs appetitum. Nempe in materia temperantiæ, habitus temperantiæ: in materia fortitudinis, habitus fortitudinis. Nemo enim rectissimè iudicabit aggredi quando oportet, esse bonum, nisi qui fortis est: neque censebit meliùs, moderamine ciborum vti quàm illis immergi, nisi qui temperatus sit. Eâdem ergo ratione iudicium est opus iustitiæ tanquàm inclinantis hominem ad rectum iudicium: prudentiæ autem, tanquàm proferentis. Hæc enim virtus in omnium virtutum materijs iudicia profert. Ad verò vt recta sint, habitus morales affectum prẽparant. Quòd si rursus sciscitaris, vtri ergo harum virtutum magis est proprium munus iudicare? Respondetur quòd propinquiùs conuenit rationi & prudentiæ à qua profertur: sed tamen potissimùm conuenit iustitiæ, vnde habet vt sit rectum. Quocircà Philosophus. 6. Ethic. cap. 12. Virtus, inquit, moralis est quæ propositum ipsum efficit rectum: prudẽtia verò quæ circa media negotiatur. ¶ Atqui per hæc ratio claret cur omnes virtutes prudentiæ connectuntur. Nam cùm prudentia sit, recta in omni materia morali iudicia prferre: quam rectitudinem à morali virtute recipit: non potest esse prudens nisi qui sit omnibus virtutibus præditus: neque, vice versa, vlla moralis virtus statum habebit virtutis sine prudentia: quippe sine qua nequit suum exequi propositum. ¶ Secundũ argumentum, hoc euincit quòd charitati cõpetit rectè iudicare circa diuina, erga quæ affecit appetitum, vt per donum sapientiæ rectum feratur iudicium: iustitia verò afficit erga iustum naturale & humanum voluntatem, vt iustus per prudentiam idoneum quoque proferat de ipsis iudicium. ¶ Ad tertium verò respondetur, quòd etsi omnibus sit virtutibus cõmune affectum parare ad rectũ iudicium circa sua propria obiecta: est tamen differẽtia q̃ cùm reliquę virtutes, vt crebrò dictũ est, hominẽ ordinent ad seipsum: iustitia verò ad aliũ: & vnusquisq; sit suorũ dominus, nõ autẽ eorũ quæ sunt ad alterũ: fit vt in cęteris virtutib⁹ nõ sit requisitũ iudicium nisi particulare ipsius studiosi: in materia autẽ iustitiæ necessariũ sit præterea

Quæstio. Solutio.

Philosoph⁹.

Ratio quare virtutes cunctæ prudentiæ connectuntur.

Ad secũdũ

Ad tertiũ

superioris, qui inter duos litigatores dijudicet. Quapropter iudicium peculiariùs virtuti iustitiæ adscribitur: q̃ aliarum cuipiam. ¶ Ac perinde respondetur ad quartũ, q̃ etsi priuatim iudicare etiam conueniat subditis iustitia pollẽtibus: tamen quia hæc virtus architectonicè in principe præsider, in suisq; ministris, eis propriè cõgruit eiusdẽ virtutis potissim⁹ actus, qui est iudicare, iusq; dicere.

Ad quartũ

ARTICVLVS. II.

Vtrùm iudicare sit licitum:

COnstituto cuiusnam sit virtutis iudicare, subsequitur vt per scrutemur an sit licitum. Et arguitur à parte negatiua. Pœna non infligitur nisi pro culpa: decernitur autem iudicantibus ea pœna quòd iudicabuntur, secundùm illud Matthæ. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini ergo iudicare illicitum est. ¶ Secundò: Peccatori iudicare non licet, secundùm illud ad Roman. 2. Inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas, Nemo autem est à peccato immunis. Nam si dixerimus, ait Ioannes, quòd peccatum non habemus, nosipsos seducimus: nemini ergo licitum est iudicare. ¶ Contrarium nos autem cohortatur illud Deutero. 16. Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populũ iusto iudicio.

Primum argumentũ.

Secundum.

CVm articulo proximo definitũ fuerit, iudicium esse actum iustitiæ, inde fit cõsequens iudicare esse licitum. At verò non ideò otiosus est præsens articulus: quippe qui non tam adhibetur ad id demonstrandum, quàm ad enarrandas constituendasq; cõditiones, quæ ad iudiciũ requisitæ sunt vt sit rectũ. Quapropter cõclusio nõ tã titulo ad formã respõdet, q̃ ad æquitatẽ recti iudicij. Cõclusio autẽ est. Vt vnũquodlibet iudiciũ rectũ sit, tria exiguntur: nempe vt procedat & ex iudicis autoritate, & ex iustitiæ affectione, & ex prudentiæ rectitudine: quorũ quolibet deficiẽte iudiciũ erit vitiosum, ac subinde illicitũ. Probatur cõclusio. Iudiciũ, vt dictum est, eatenùs est rectum ac perinde licitum, quatenùs actus est iustitiæ: ad hoc autem vt sit actus iustitiæ, tria hæc commemorata

Cõclusio responsiua.

Probatio cõcl.

morata requiruntur: ergo eadem omninò sunt ad rectum iudicium necessaria. Probatur posterior præmissa. Propria enim iustitiæ vis est coactiua: cogere autem nemo potest alterum nisi illi sit subditus. Quod naturalium exemplo constat. Agens nanq; passum non vincit nisi sit sibi intra suæ actiuitatis periodum subiectũ: requiritur ergo principis iudicisque autoritas. Vnde Paulus ad Romañ. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? domino suo stat aut cadit. Atque adeò cùm sit vniuersalis omnium Domin⁹, nemo inter mortales legitimus est iudex, ni si qui ab ipso iudicandi autoritatem recepe rit. Quocircà ad Roman. 13. Non est, inquit, potestas nisi à Deo: &, qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Et infrà quemcunq; iudicem ait esse Dei ministrum, vindicem in iram ei qui malè agit. Quomodò autem hæc potestas à Deo in homines per legem naturæ deriuetur, Libro proximo sub titulo De dominio elucidabitur. Secũdum, vt proximè dicebamus, quod ad rectitudinẽ iudicij requiritur est vt proficiscatur ab affectione & inclinatione iustitiæ: quod nulla alia indiget probatione, quàm quòd iudicium est proprius huius virtutis actus, tanquàm animum ad iustum afficientis. Quocircà si quis iudicũ iuri alterius partis quippiam adimat, quod alteri tribuat, substantiam iustitiæ subuertit. Tertiũ autem quod iudicij rectitudo postulat, est officium prudentiæ: cuius munus est iudicium proferre. Quapropter qui ius dicit, iustũque inter litigantes constituit, non tamen quando, vbi & quomodò secundùm leges oportet, hac parte demolitur iustitiæ virtutẽ. Vnde iudicium, cui autoritas deest præsidentis, dicitur vsurpatũ: cui autem iustitiæ substantia, nuncupatur iniquum: sed quod fit absque prudentia: si absit iuris ordo censetur suspectũ: si verò ex leuitate & absque legitimis probationibus proferatur, est temerarium. ¶ Circa harum autem conditiones singulas hoc primùm animaduertito q̃ singularum defectus genere suo facit mortale peccatum: Iudex inquam qui vel nullam habens autoritatem vel alienam vsurpans, eum iudicat qui sibi non subditur, lethaliter peccat: vt si iudex sæcularis in clericorum causas se inferat: etiam si à iure excommunicatus non esset, ipso facto mortali culpa commacularetur, perinde ac si priuata esset persona: Imò & eò grauiùs, quòd obtentu publicæ autoritatis id facit: Et si clericum bonis suis priuaret, verè esset latro: etsi, occideret, verè homicida. ¶ Secunda etiam conditio est oculatè perpendenda. Assertum enim illud quòd iudicium debet ex affectione & inclinatione iustitiæ procedere, amphibolum est, trinumque potest exhibere sensum. Primus est vt non fiat contra iustitiam. Atque hic est legitimus: vt scilicet vnicuique syncerè tribuatur quod suũ est. Cuius idcircò defectus reddit iudicium iniquum. Secundus est vt iudicium procedat ex affectu iustitiæ. Atqui huius defectus nunquàm est peccatum mortale. Enimuerò si iudex iustam ferat sententiam, licèt hoc non faciat ex habitu vel amore iustitiæ, quia improbus homo est, non peccat mortaliter, sed esset veniale delictum. Nam iudex cùm sit iustitiæ custos, eius affectu debet semper iudicare. Tertius denique sensus est vt iudicium non feratur ex alio prauo affectu, scilicet odio, amore, vel cupiditate. Atque huius defectus, peccatum erit secundùm affectum ex quo procedit. Exempli gratia. Si iudex eum qui verè latro est, ac legitimè talis comprobatus patibulo affigit ex odio, non quidem peccat contra iustitiam, sed tamen contra charitatem: & si cupiditate pecuniæ id faciat, non quidem iniquus, sed auarus erit: & si cupidine inanis gloriæ, tunc erit vanus, & venialiter peccabit. Quocircà licèt ex odio occidat, non censebitur homicida: sicuti si esset priuata persona: quandoquidem ius habet occidendi. ¶ Defectus etiam tertiæ conditionis erit peccatum mortale. Vt si regulas & circunstantias iuris prætermittat: & dum persona priuata leuiter ac temerè de occultis iudicat. Potest autem fieri veniale ex leuitate materiæ: vt si iudex leues aliquos terminos iuris missos faciat: aut si quis quempiam de re leui leuiter iudicet: vt in articulo proximo dicturi sumus.

Paulus.

Documẽtũ.

Aliud aduertendũ.

AD primum igitur argumentum variè à sanctis patribus respondetur. Augustinus enim in sermone Domini in mõte, ait illic prohiberi iudiciũ temerariũ: quod est de cordium intentione, aut de rebus incertis & occultis: de qua temeritate articulo proximo ineundus est sermo. Hilarius verò ait prohiberi diuinorum iudicium: quę cùm captum exuperent nostrum, non sunt à nobis humanis regulis iudicanda, sed simplici-

Ad primũ argumentũ Augustin.

Hilarius.

Chrysost. ter credenda. Sed Chrysostomus ait prohiberi iudiciũ ex animi amaritudine, de quo modò dicebamus. Et quanuis istæ omnes expositiones osculandæ sunt, illa tamen Augustini genuina esse censetur textui. ¶ Ad secundum argumentum diuus Thomas distinguens respondet, videlicet iudicem qui est in graui peccato publico non posse iudicare alios qui similium aut minorũ rei sunt: præcipuè quando illa peccata sunt publica. Et allegat pro se Chrysostomum id exhortantem super illud Matth.7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Si verò iudicis peccata occulta sint, poterit quidem similes peccatores condemnare si id cum humilitate faciat. Quod sententia Augustini confirmat, qui in libro de Sermone Domini in monte, ait: Si inuenerimus nos in eodem vitio esse, congemiscamus & ad pariter conandum nos inuitemus. ¶ In hac autem responsione primùm adnotandum est fuisse Vuicleff eiusque asseclas qui asseuerauerũt per quodcũque mortale peccatũ vnà cum Dei gratia amitti & rerum dominium & omnẽ iudicandi potestatem: quæ Dei largitate recipiuntur: de qua hæresi libro sequenti sub titulo de Dominio, nonnullam sumus facturi mentionem. Sed hac tamen prætermissa hæresi, fuerunt, suntque catholici, qui aiunt ei iudici qui delictis sordescit, crimen esse sententiam in alium ferre peccatorem: non solùm si in peccato sit publica propter scãdalum, verùm etiam si sit in occulto: quia officium iustitiæ ex affectu eiusdem virtutis non præstat. Qui enim in vno est scelere, omnibus orbus est virtutibus, atque adeò iustitiæ habitu caret. Vnde citatus Paulus, Inexcusabilis es ô homo (scilicet peccator) ois qui iudicas, &c. Et secundò ad idẽ arguitur: Cùm iudex sit Dei minister, debet ei dum alium iudicat, assimilari: secundùm illud Leuitic. 19. Sancti critis, quoniam ego sanctus sum. Imò & ratiõe naturali id ipsum constabilitur. Docet enim Philosophus. 2. de anima, visum qui de coloribus iudicat ab omni esse colore alienum: aliàs colorem quo inficeretur in nullo posset obiecto percipere. In summa, quicunque sacerdos in peccato existens, quantunuis occulto, si munus sacerdotale in adminstrandis sacramentis exerceat, mortaliter peccat: vt cum alijs Theologis diuus etiam Thomas consentit. 3. part. q. 64. articu. 6. ergo eodem modo qui in peccato potestatem iurisdictionis exercet. Nam sicut potestas ordinis, ita & iurisdictionis, vt ait Paulus ad Roman. 13. à Domino Deo est. Accedit & cap. quæsitum. de temporibus ordinandorum. vbi id admoneri videmur. Fuit ergo adeò celebris hæc opinio vt etiam sanctus Thomas ei aliquando subscripserit: nempe in. 4. distinct. 19. q. 2. articu. 2. vbi indiscriminatim siue peccatum iudicis publicum sit, siue occultum, asserit peccatum esse mortale alium peccatorem solenniter condemnare. Quapropter & Caietanus quolib. 2. q. 14. de hac re disputauit. Veruntamen his nihil obstantibus meritò diuus Thomas sententiam in summa emendauit: hic scilicet & loco citato. 3. part. q. 64. vt occultum peccatorem qui iudex est, non censeat mortaliter delinquere iudicando. ¶ Colligimus ergo sentẽtiam hisce propositionibus. Prima: Iudici qui occulto irretitus est scelere: quãtũcunq; grauissimo, nisi excommunicatus sit vel suspẽsus, subditos cõdemnare, siue de eodẽ crimine siue de alio dissimili, licet. Ratio est, quòd nihilo minùs eiusmodi iudex habet iudicandi titulũ. Est enim hæresis id negare, Itẽ potest habere prudentiam, & animũ seruandi vnicuiq; ius suũ: nihil ergo illi deest quo minùs potestate iudicãdi vtatur. Secùs si esset hæreticus qui ratione excõmunicationis iudex sedere non potest. Neq; est simile de sacerdote qui in peccato sacramẽta administrat: nã ad hoc mun⁹ requiritur potestas ordinis, in cuius collatione confertur gratia per quam dignus efficiat atq; idoneus administrãdi sacramẽta, quib⁹ gratia confertur. Et ideo sanctitate, vt aiũt, quam alijs præstat, vigere debet. Et hoc præcisè decretũ est in cap. quæsitum. Aliter autẽ censendũ de potestate iurisdictionis. ¶ Reliqua verò argumenta id tantùm euincunt ꝙ sit quędam decentia vt qui alios iudicat talem se gerat quales subditos vult esse quos condemnat: & ideo forsan erit veniale peccatum cùm peccator peccatorem condemnat. Nam, vt suprà diximus, facere iustum non ex habitu iustitiæ non est peccatum, si fiat ex affectione eiusdem virtutis, perque eius actum: & peccator quanuis careat iustitia infusa, potest tamen habere acquisitam. Sed erit veniale peccatum, eò quòd cùm quis alium iudicat, profitetur se mũdum esse à crimine: & ideo si nõ est talis, est quodammodò hypocrita: quẽ taxat illic Christ⁹: Quid vides festucã in oculo fratris tui, & trabẽ in oculo tuo nõ vides:

Ad secũdũ S. Thom.

Vuicleff.

Opinio quorundam.

Ratio prĩa proximæ opinionis.

Secunda.

Tertia. Philosoph⁹.

Quarta.

Paulus. Postrema ratio.

S. Thom.

Caietanus.

Prima propositio de mẽte. S. Th.

Ratio prefatæ assertiones.

Solutio q̃rti argumenti.

des? Hypocrita, eijce priùs trabem de oculo tuo, &c. Sed quia iniuriam non facit, nõ peccat mortaliter. Illud autem Apostoli ad Roma. 2. In quo alterum iudicas, teipsum condemnas: non sic intelligitur (vt ait sanctus Thomas) ac si simile peccatum committat: sed quòd alium condemnando ostendit se dignum esse qui simili sententia condemnaretur, iuxta verbum Domini, Luc. 19. Ex ore tuo te iudico serue nequam. ¶ Postrema propositio sancti Thomæ est, quòd publicus peccator alios condemnans mortaliter propter scandalum peccat: nam tunc iustitia in vilipendium venit apud populum: nempe qui videt non habere eandem vim in iudice quã exercet ipse in subditos. At verò licèt genere suo peccatum mortale, potest nihilo minùs fieri veniale ex leuitate materiæ. Et ideo adiecit. S. Tho. si sit in grauioribus criminibus: & præcipuè si sit in similibus: vt si esset ipse publicus latro, & nihilo minùs latrunculos persequeretur: Aut si publica admitteret adulteria, & adulteros nihilo minùs iudicio premeret. Nam si esset, verbi gratia, fornicarius, & latrocinia homicidiaq; vlcisceretur, non esset mortale scandalum: imò quando crimen non esset infame, nullum esset scandalum: vt si præauaritia non esset eleemosynarius quando deberet.

Ad alterũ argumẽtũ eiusdẽ opinionis.

Postrema propositio.

Ratio.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm iudicium temerarium, puta ex suspicione procedens, sit licitũ.

IN superioribus articulis de iudicio iudicis, quẽadmodũ sit licitũ, disputatũ est. In hoc autẽ sequitur vt de iniquo iudicio, qd nõ solũ publico iudici, verũ & priuatis vniuersis cõtingere vbiq; assolet, dicendũ sequit, vtrũ scilicet dũ temerè ex suspicione procedit sit illicitũ. Stant em̃ à parte negatiua argumenta. Primum. Suspicio videtur esse opinio incerta de aliquo malo. Ait em̃ Philolophus. 6. Ethic. suspicionem se habere & ad verum & ad falsum: de singularibus autem contingentibus haberi à nobis opinio nequit nisi incerta. Cùm ergo humanum iudicium de humanis actibus singularibus & contingentibus concipiatur, si nullum licitum est iudicium ex suspicione, nullatenus iudicare licèt. ¶ Secundò. Per omne iudicium illicitum irrogatur alteri iniuria: nam cùm iudicium rectum si: actus iustitię, fit vt corruptum, sit actus iniustitiæ: per suspicionẽ autem quæ intus in mente latet, nulla proximo irrogatur iniuria: ergo non est illicita. ¶ Tertiò. Si iudicium ex suspicione esset illicitum, atque adeò, vt modò dicebamus, actus iniustitiæ: cùm iniustitia genere suo sit peccatum mortale fieret vt omne temerarium iudicium esset genere suo lethale crimen. Consequens tamen est falsum, nam vt glossa Augustini habet super illud. 1. ad Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare: suspiciones vitare non possumus: ergo iudicium ex suspicione non est illicitum. ¶ Contrarium autem vnanimiter Doctores cõfitentur cum Chrysostomo super illud Matth. 7. Nolite iudicare, &c. vbi ait, Dominus hoc mandato non prohibet Christianos beneuolentia alios corripere, sed nè per iactantiam iustitiæ suæ Christiani Christianos despiciant, solis plerunque suspicionibus odientes cæteros & condemnantes.

Primum argumentũ Aristot.

Secundum.

Tertium.

Glossa.

Chrysost.

QVæstio hæc præcipua est & ad humanos vsus intellectu necessaria: quam ideo vt perspicuè definiamus, animaduertendum est, temerarium iudicium multis nominibus esse existimandum. Primùm de sua ipsius substantia: scilicet vtrùm de alterius malo addubites: an verò suspiceris per incertam opinionem, vel fortè certam sententiam feras. Secundò de causis quibus ad sic iudicandum affectus es. Terciò ex coniecturis quæ in talem te suspicionem pertrahunt. Et quartò denique ex obiecto: nempe ex quantitate illius mali quod alteri iudicando impingis. Hæc ergo vt lucidè euoluamus, rem ab ipsa iudicij substantia exordiamur. Igitur etsi. D. Tho. tres dũtaxat dignoscat: tamen, quò perspicatior sit oratio, quatuor gradus operę pretium est discernere temerarij iudicij: si tamẽ dubietatem illi annumeres. Primus est dubietas, dũ scilicet animus pendulus est, neutri parti contradictionis assensum perhibens. Vt si anceps hæreas, an proximus tuus aliquo sordescat crimine, nullum tamen proferens assensum aut affirmatiuum aut negatiuum. Quare gradus hic non eò attingit vt sit iudicium temerarium, quoniam nullum secum affert iudicium. Secundus gradus est suspicio, quæ est assensus vnius

Fũdamẽtũ diluẽdæ q̃stioni apprimè vtile.

Quatuor gradꝰ temerarii iudicii.

partis contradictionis cum formidine alterius: quam Dialectici cum Philosopho. 6. Ethicor. appellant opinionem. Attamen in præsentiarum tria connotat suspicionis nomen. Primum, vt dictum est, assensum cum formidine, id est quòd ita assentias vni parti vt non sis omninò firmus, sed vacilles circa alteram. Secundò qualitatem obiecti. Nam etsi opinio indifferens sit ad bonum & malum, tamen suspicio Latinè in malum sonat. Dicitur enim quis in suspicionem venire, aut suspicione laborare: quando siniſtra de illo concipitur habeturve opinio. Etenim si sit de re bona, potiùs dicitur bona existimatio. Tertiò connotat eandem nasci ex leuibus causis: puta cùm de secretis cordium aut de occultis tenues coniecturas habemus, quæ suspicionem generare per se non possunt nisi ob nostram leuitatem, aut infectum animum: quæ ideo suspicio lineam iam inde ingreditur temerarij iudicij. Temerarium enim prudentiæ opponitur: ob idque idem est quod sine legitima causa inconsultò conceptum iudicium. At verò diuus Thomas hos duos gradus absque discrimine sub primo complexus est. Discernit nanque, vti dicere cœpimus, tres solos suspicionis gradus. Quorum primus, inquit, est dum homo ex leuibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipit. Et hoc ait esse veniale peccatum. Veruntamen inter dubitare & suspicari, p fectò non parùm interstat interualli: nam dubitare est pendulum absque vllo assensu habere animum: suspicari autem, si Philosophum. 6. Ethic. auscultes, est vni assentiri cõtradictionis parti cum alterius formidine. Dubitamus nanque certum astrorum numerum: de quo minimè suspicamur. Igitur sanctus Thomas eò non tam anxiè verborum rigorem obseruauit, quòd cùm neutrũ sit peccatum mortale, idem est vtriusq; morale iudicium. Atq; adeò siue nullus habeatur assensus, siue formidolosus sit, vtrunque & dubitationis & suspicionis appellatione denotauit. Tertius ergo gradꝰ, qui apud sanctum Tho. secundus habetur, est cùm quispiam pro certo malitiam alterius æstimat ex leuibus indicijs. Atque hunc gradum, quãuis generali nomine appellet diuus Thomas suspicionem, plus tamẽ est quàm suspicio. Quartus deniq; gradus, qui illi est tertiꝰ, peculiariter ad publicum spectat iudicẽ, nẽpe dũ ex tali suspicione absq; legitimis testimonijs sententiã condemnationis in quẽpiã profert. ¶ His ergo præmissis, tribꝰ cõclusionibus, vt literã. D. Tho. non egrediamur, ad quæstionẽ respõdeꝫ. Prima. Suspicio primi ac secũdi generis, vt nomine suspicionis dubietatẽ, breuitatis gratia cũ. S. Tho. cõplecta mur, est genere suo peccatũ: nõ tamen peius q̃ veniale, nisi ex suis causis vel aliunde vsq; ad mortale procedat. Etenim q̃ sit peccatũ, inde patet q̃ vnusquisq; iure hoc gaudet naturali, vt bonã apud quosq; habere debeat sui existimationẽ, quousq; legitima testimonia sua prodant delicta. Quare eiusmodi suspicio, quippe quæ tale ius quadãtenùs, hoc est sub dubio, violat, nõnihil habet iniuriæ: etiã dũ citra assensum dubitas: vt inferiꝰ fiet euidentius. Adde q̃ est etiam & quodã modo nocua: tum q̃ causa est vt minoris æstimes proximum quàm decet: & quem despectui habes, periculũ est nè & odio prosequaris: tum etiam quòd periculosa est vt eundẽ infames. Alias autẽ causas inferiùs subijciemus. Quod autem genere suo nõ sit mortale, ex his liquet, primũ quòd genere suo non expellit charitatem: mox q̃ ad humanã tentationem pertinet, sine qua vita nostra non ducitur: vt glo. citata habet super illud. 1. ad Corin. 4. Nolite ante tẽpus iudicare. Vnde Augustꝰ. infert eiusmodi suspiciones vix nos posse vitare. Quapropter leuioris est culpæ sine assensione hæsitare, q̃ per illam suspicari. ¶ Quòd autẽ ex causis fieri possit mortalia, probatur. Triplici enim de causa eiusmodi suspiciones quas legitimæ cõiecturæ non generãt, oriũtur in homine. Primùm ex sua ipsius prauitate. Qualis enim quisque est, tale fert de alijs iudicium: nimirum de sua conscientia alios æstimans: secundùm illud Ecclesiast. 10. In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. Secunda radix eiusmodi suspicionis esse potest odium, quo quis alterum habet. Est enim ingens vis qua voluntas in intellectum viget ad ipsum labefactandum. Quemcunq; enim in quem vel odio, vel ira vel inuidia affectus sis, continuò spernis: cõtemptus autem paratissima est causa vt sinistrum quodlibet de illo facilè credas. Tertia deniq; causa sic suspicandi est lõga experientia. Qua vtiq; ratione Philosophus. 2. Rhetoric. ait senes impendiò esse quàm suspiciosissimos: eò q̃ multoties sint hominum defectus experti. Et quãuis tertia hæc causa non tantùm habeat culpæ, pro eo q̃ experien-

Quid suspicionis nomẽ designet.

D. Thom.

Prima conclusio.

Prima probatio.

Secunda.

Triplex radix vñ vniuersæ suspiciones oriuntur.

Philosophꝰ.

tia

tia certitudinem auget, quæ est contra suspicionis naturam: nihilo minùs leui saltem culpa non caret. Attamen aliæ priores ambæ manifestariam cõtinent peruersitatem. Atque adeò secunda potissimùm sæpenumerò facit vt suspicio sit peccatum mortale, quale est odium, vel inuidia, vel ira quæ illi fomentum ministrauit. An verò etiam ex obiecti grauitate peruenire etiam possit ad mortalem culpam, statim disputabitur.

Secunda cõclusio. ¶ Secunda cõclusio. Suspicio tertij gradus, quã diuus Thomas secundo loco cõstituit, *Ratio conclusionis.* genere suo est peccatum mortale si sit de re graui. Probatur. Quoniam eiusmodi certus assensus, si temerarius est, hoc est ex leuibus indicijs emanans, non infirmam affert iniuriam: pro quanto qui certò de aliquo malè iudicat non potest non ipsum contemnere ac subinde odisse. Et confirmatur mortale *Cõfirmatio.* esse crimen eò q̃ suspicio prioris generis tentatio sit quàm ægrè recutere valemus: firmi tatem tamẽ assensus facilè vitare possumus quando coniecturę non nimiũ vrgent. Vnde Augustinus in cõmemorata glossa: Etsi suspiciones, inquit, vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamẽ. id est definitiuas, firmasq; sententias cõtinere debemus. Ob idq; tale iudiciũ suopte ingenio ad uersaṫ charitati, ĩ quo cõsistit ratio mortalis criminis: & nonnihil præterea præ se fert la*Tertia cõclusio.* tẽtis iniustitiæ. ¶ Tertia conclusio. Suspicio tertij gradus apertissimũ est peccatum mortale iniustitiæ, tantoq; grauius quanto iudici, qui custos est iustitię, scelestius est quẽpiã nisi legitimis testimonijs condẽnare. ¶ Circa has autem cõclusiones etsi veridicas, ni*Dubitatio.* hilo minùs primũ omniũ ambigitur, vtrùm testimonio euãgelico satis apertè corroborẽ*Ratio dubitandi.* tur. Afferunt enim in hanc sententiam pleriq; Doctorũ illud Matt. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Qui tamẽ locus nõ ita multũ perspicuus est ad condẽnandum internum iudiciũ temerariũ, de quo in præsentiarũ sermonem habemus. Illic nanq; Dominus eos tantũ subnotare videtur, qui cũ maioribꝰ illaqueati sint criminibus, suos ꝓximos minorum redarguunt. Subsequitur enim protinus, Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo nõ vides? Hypocrita, eijce priùs trabẽ de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Infamat ergo illic hypocrisin eorum qui cæteros repræhendentes profitentur se virtutibus pollere, quas con habent. Vnde Hieronymus: De his, inquit, loquitur qui cùm ipsi mortali crimini sint obnoxij, minora peccata fratribus nõ concedunt: culicem quidem liquantes, camelum verò deglutientes. Profectò si Doctorum sententias per ustres, hunc sensum omnes agnoscunt: tamẽ conclusiones nostræ aduersus iudicia temeraria, non solùm sensum illum, sed & hunc faciunt quòd iudicare de occultis in vniuersum peccatum est, etiam illis qui non sunt hypocritæ: sed alioqui ꝓbi. Imò verò Chry- *Chrysost.* sostom. Opere imperfect. (si illius fuit Diui) ait eo loco euangelij iudicare, pro eo accipi quod est, iniurias vindicare. Quod quidem nõ abs re asseruit, si verba attentè ausscultes, Nolite iudicare, & non iudicabimini, quibꝰ non iudicanti præmium proponitur quòd non iudicabitur. Enimuerò si iudicare illic, vt nos volumꝰ, vsurparetur pro eo quod est non suspicari, non cohæreret tunc premiũ: scilicet q̃ nec de nobis habebitur suspicio. Egregiũ nanq; quippiam videtur ibi Christus polliceri: nempe q̃ si nostras iniurias remiserimus, condonabuntur etiam nobis & nostræ. Vnde apud Lucã simul componuntur. Nolite iudicare, & nõ iudicabimini: Nolite condemnare, & non condẽnabimini: Di*Solutio.* mittite & dimittemini. ¶ His tamẽ nihil obstantibus, conclusio non solũ verissima est, etiam extra hypocrisin, verùm eodem loco asseritur: qui etsi alias permittat exposi- *Augustin.* tiones, tamen August. lib. 2. de sermone Domini in monte expositore, & hunc quoq; gratanter admittit. Ait enim id ipsum illic præcipi vt facta quæ dubiũ est quo animo fiant in meliorẽ partẽ interpretemur. Quin verò & hoc ipsum verba ipsa, Nolite iudicare, & nõ iudicabimini: ostẽdũt. Iudicare eĩ condemnationẽ includit. Exhortatur ergo nos Christus vt neminẽ cõdemnemꝰ, nè in iudicio finali nosipsi cõdẽnemur. Imò si ab hoc iudicio abstinuerimus, misericordiam promereamur. Adiungitur & illud ad Rom. 14. *Paulus.* Qui non manducat, manducantem non iudicet. Vbi non solùm hypocritæ qui in maioribus sunt criminibus, verùm & vniuersi aliàs probi iudicare prohibentur: id enim sonat nõ mãducãs nõ iudicet. Et vt cõnexionẽ denotaret horũ quæ sunt iudicare, & cõtẽnere. Priùs dixit, Is qui manducat, non mãducantẽ non spernat: deniq; subiunxit, Et qui nõ mãducat, mãducantẽ nõ iudicet. Quãuis non sine causa in priori loco dixit, spernere & in posteriori, iudicare: vt illic adnotaui-

mus. Accedit deniq; & in eodem sensu illud 1. ad Corin. 4. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus qui illumina bit abscondita tenebrarum: vbi causam, nè iudices, non illam designat q; & tuipse delictor sis: sed quòd incerta sunt & obscura quæ tu pro certis ducis & claris. Fulcitur ergo conclusio non solùm rationibus quas de rerum natura deprompsimus, verùm & sacrorum oraculis. ¶ Supersunt autem circa singulas conclusiones dubiola minoris momenti. Et primùm circa secundam, qua assertum est iudicium temerarium genere suo esse peccatum mortale, animaduertendum est tria esse ad id requisita. Primum vt sit certum: secundum, vt ex leuibus colligatur coniecturis: & tertium, vt sit de re graui. Certum autem iudicium vnam tantùm conditionem in speculatiuis dicit, vt puta quòd nihil prorsus habeat formidinis aut ambiguitatis admixtum, quoad scientiam spectat & ad fidem tam humanã quàm diuinam: in moralibus autem, parùm pro nihilo reputatur: & ideo vbi ita firmus es in sententia vt ferè nihil dubites, quasi certum iudicare censeris: ob idque mortaliter peccas. Dum tamen tale iudicium non sit repentinum, quod certè in moribus etiam est perpendendum. Enimuerò si cùm vides iuuenem cum puella absque arbitris colloquentem, subitò ad iudicandum raperis, nõ est cur culpam mortalem timeas: sed quando sedato animo & facta reflexione eandem deliberando sentẽtiam confirmas. De causarum autem leuitate quæ culpam facit mortalem, nulla potest stabiliri certa regula. Et quidem sanctus Thomas in solutione ad primum, nullas alias causas videtur approbare excusantes iudicium à culpa, nisi quando quis per idoneos testes probatur malus: tunc enim ait licitè iudicare quempiam posse, alterum esse malum. Ad verò id intelligendum est respectu iudicis, qui non debet rei euidentiam expectare: sed humanam certitudinẽ, quæ habetur per idoneos testes: citra quam tamen neutiquàm debet præcepitare sententiam. Nihilo minùs citra talia testimonia potest quisque tam iudex quàm priuatus excusari à culpa, etiam dum mente apud se certum fert iudicium. Laudi nanq; Salomoni tribuitur. 3. Reg. 3. quòd ex verbis mulierum quarum altera annuebat puerum medium discindi, altera verò renuebat, iudicium elicuit, vtra illarum puerum

Tria requirũtur vt iudicium temerariũ sit peccatum mortale.

D. Thom.

peperisset. Haud iamen ob tale iudicium alteram puniuit, sed veræ matri suum natum tradidit. Nulla ergo regula dari potest certior quàm quòd illæ coniecturæ & indicia à culpa excusant, quæ virum prudentem & probum ad sic iudicandum perducerent. Video hominem noctu scala fenestras conscendere, profectò absque culpa possum de illo certò malum iudicare. Vides etiam iuuenem & puellam secreto obscuroque loco petulanter se amplexantes: nulla est culpa sinistrum de illis ferre iudicium. Nam vti. 2. de anima author est Aristoteles. Cogitare possumus cùm volumus, opinari verò non: hoc est, abstinere à iudicando non est semper in nostra potestate. Tametsi iudex ex tali iudicio, quanuis vt priuatus homo possit illud absque culpa concipere, non debeat ad punitionem procedere: sicuti nec Salomon processit. Poterit tamen princeps atque prælatus abstinere nè talem suspectum ad magistratum & ad Ecclesiæ administrationem assumat. Quo fit vt quanto coniecturæ sunt leuiores, tanto cæteris paribus peiùs ingrauescit peccatum: & quanto sunt ipsæ grauiores, tanto magis attenuatur. Atque inde fit rursus consequens quandoque non posse certò definiri vtrùm iudicium, mortale sit an veniale. ¶ Pari modo censendum est de grauitate illius mali quod alteri iudicando inuris. Etenim Sumnistæ illud solùm iudicium esse censent de graui malo, quando quis iudicat quempiam esse in peccato mortali. Ad verò quanuis regula plurimùm vera sit, non tamen est omnimodè certa, sed potiùs aspiciendum est ad infamiam. Nam inde perpenditur iudicij grauitas. Quocirca vbi peccatum non esset tam infame, iudicare quempiam esse in illo, non esset mortale, vt si facilè certoq; iudicares aulicos vel alios perditos iuuenes turpes amores cũ mulierculis gerere: aut militẽ duello aliũ interfeciisse. Quoniam ipsos hæc cõmisisse nullatenùs pudet. Et econuerso quãuis malum illud nõ esset peccatũ, sed naturale, nihilo minùs iudiciũ illi⁹ posset esse delictũ. Vt si deuiro qui egregio loco & existimatione habeť, leui de causa certo iudicares esse infami sanguine natũ. Nã & in hoc grauiter illi iniuri⁹ es. Quare neq; de hoc potest certa cõstitui regula, sed speculãdũ est an tale sit malũ, q̃d alter ęgri⁹ ferret de se audire q̃ si esset peccatũ mortale. ¶ Ex his ergo gradũ retrò facia-

Aristot.

summistarum regula non est vniuersalis.

Altera dubitatio.

mus

mus ad primã conclusionẽ:inuestigãtes vtrũ vsque adeò sit verum,suspicionem citra certitudinẽ non esse genere suo mortale crimen, vt nũquã illuc vsque possit crescere. D.enim Thom.sic sentire videtur,& Caiet. sic sentit, dicens nullum iudicium citra certitudinem esse nisi veniale.Porrò autem contrariumvidetur persuadere ratio:nam etsi id pro regula merito sit habendum,est nihilo minùs excipiendum quãdo gratiissimum malum de honestissima persona suspicaris. Regulæ ẽm morales non sunt tenore metaphysico expendendæ:sed ex iniuriæ quantitate. Et re vera si prudentium iudicium consulas, plus iniuriæ irrogas Petro si cum formidine opineris incestuosum esse cum matre, aut cum filia, aut cum sorore,quàm si certò crederes esse fornicarium:multoque vilius eũ sperneres,qui apud te in suspicione mã veniret hæreticæ prauitatis, aut proditionis reipublicæ, aut alius immanis sceleris,quàm eum quem certo crederes minoribus criminibus irretiri. ¶Denique postrema dubitatio est de illo qui citra assensum de bonitate alterius dubitat,quem in prima cõclusione complexi sumus sub nota peccati venialis. Nulla enim apparet huius sententiæ ratio:quando quidẽ ille nullũ fert malũ iudiciũ. Imo verò virtuti potiùs dandum est quod quis animũ suspensum teneat,vbi aliquæ coniecturæ proximũ notant.Respondetur nihilo minùs quod etsi non sit tanta culpa quàm suspicari, imò sæpenumero, vbi coniecturæ ad prauum iudicium inclinant, laude dignum sit iudicium suspendere:tamen tam leues esse possunt vt illa etiam animi suspensio sit culpa.Nam,vt suprà diximus, ius habet quisque non solũ vt non habeatur de illo sinistra suspicio, verùmvt quisque de illo existimationẽ habeat bonam. Et cõfirmatur hoc inde,quod certè si Petro qui de Ioanne bonam habet existimationem,eandem illi adimeres, malefaceres:malum ergo est & te ex leuissima causa mere neganter habere circa proximũ.Quin verò posset nonnunquam esse peccatũ mortale. Ecquis enim ambigat quin si videntes honestatem vitamq; integerrimã Ioan.Bap. sacratissimæ Virginis,vt de Deo eius filio fileamus, de eius bonitate dubitarent, graue committerent peccatum? re vera non est in dubium reuocandum.

D. Thomas Caietanus.

Solutio.

Postrema dubitatio.

Responsio.

Ad primũ argumentũ AD primum igitur argumentum iam responsum est, quòd licèt humanum iudicium non possit de singularibus omnino esse certum:potest tamen quisq; humano more,scilicet dum idonea sunt testimonia, citra iniuriã male de altero iudicare. ¶Ad secundum respondet.D.Thom.nihil aliud quàm quòd iudicium temerarium, licèt non prodeat in publicum,nihilo minùs in mente est pernicioſum:quia est causa contemptus. At verò quo res apertiùs pateat,causas perscrutemur malignitatis eiusmodi interni iudicij,vtrũ quãdo est certũ genere suo,sit per se peccatũ mortale. Apparet enim pars negatiua inde vera quod cùm proximus per illud nihil detrimẽti patiatur,neq; in sua persona neq; in rebus suis,nõ est cur tãta nota condemnetur. Reperias respondentes satis esse vt sit mortale peccatũ quod est à Deo prohibitũ: qui pro sua libertate potuit quæcunque voluerit prohibere. Isti autem non perpendũt hoc non esse malum quia prohibitum, imò eò prohibitum quia malũ. Est enim ex his quæ sunt contra ius naturæ, quæ quidem in Euangelio præter sacramenta quæ ad religionẽ pertinent Christus nobis dũtaxat præcepit.Neq; satis est si respondeas, iudiciũ esse illud malũ,quia ordinem habet ad exteri⁹ damnum,puta ad infamandum. Enimuero cùm sit speculatiuum, non habet ordinem proximum ad opus: & ideò respondetur q̃ quanuis nunquam exiret foras, in suis latebris per se malum est mortale. Primùm,vt diximus,quia causa contemptus & odij. Secundò id patet,quia per ipsum infamas proximum tuum apud teipsum: quandoquidẽ malam de ipso concipis existimationem.Ex quo subsequitur argumentum ad id tertiũ. Si enim suspicio quam de Petro habeo sinistram,peccatum mihi nunquàm esset mortale,sequeretur quod neq; illam in aliorum mentes dispergere,dum modò nullum aliud consequeretur damnum:nam si mihi mentalis suspicio non est peccatum, neque illis esset sua,atq; adeò nec mihi esset peccatum illã seminare.Quod tamen falsum est. Præterea est argumentum quod iudicare de occultis est id vsurpare quod est Dei propriũ:secũdùm illud Pauli,Tu quis es qui iudicas alienum seruum? ¶At verò dubium restat si tale iudicium,peccatum est genere suo mortale,vtrùm sit contra iustitiam, an verò solùm contra charitatem. Quod quidem D.Tho. tractat in solutione tertij argumenti: quo quærebat an genere suo sit mortale: & respõdet subobscurè. Ait enim quod cùm iniusti-

Ad secũdũ

Quæstiũcula circa materiã secundi argumenti.

Suadetur pars negatiua.

Solutio quorundam.

Reprobatio

Solutio vera

Alterũ dubium.

S. Thomas.

tia sit circa exteriores operationes, tunc iudicium suspicionum directè ad iniustitiam pertinet quãdo ad actum exteriorem procedit: & tũc est, inquit, peccatum mortale. Subdit verò, Iudicium autem interius pertinet ad iniustitiam secũdùm quod comparatur ad exterius iudicium: vt actus interior ad exteriorum: puta sicut concupiscẽtia ad fornicationem: & ira ad homicidium. Manet ergo obscura ac subinde dubia hæc litera: quia non clarè ait, iudicium quod non procedit ad exteriora esse peccatũ mortale. Nihilo minùs proculdubio tenendum est eiusmodi iudiciũ esse genere suo mortale peccatum, idque contra iustitiam. Distinguit autem D. Tho. duo illa membra quod iudiciũ imperatiuũ actus exterioris, scilicet infamandi aut condemnandi, est directè contra iustitiam, vt in tertia conclusione expressum est. Sicuti vositio efficax occidẽdi reducitur ad homicidiũ. iudicium autem speculatiuum quo non imperatur exterius opus non pertinet directè ad iniustitiam exteriorem. Et in his stat differẽtia, videlicet, directè, & indirectè. Sed nihilo minùs est peccatum mortale, vt in secunda conclusione dictum est. Sicuti ira & concupiscentia vxoris alienæ cum consensu in delectatione, licèt non procedatur ad opùs, est mortale. Enimuerò non solum efficax vo litio occidendi, mortalis est, verùm & internum desiderium mortis proximi aut grauis detrimenti: licèt tu nolis damna illa dare.

Explicatur S. Thomas.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda.

NON satis est nosse, iudicium temerarium iniquum esse, sed explorare oportet vtrùm dubia debeamus semper in meliorẽ partẽ interpretari. Et arguitur

Primum argumentum a parte negatiua.

â parte negatiua. Iudicium cùm sit rationis opus, cuius perfectio in veritate consistit, de illis potius ferri oportet, quæ plurimum accidunt, vt rarius fallamur: sed pluries accidit homines improbè agere, quàm probe: nam cùm sensus hominis ad malum ab adolescẽtia sua proni sint, vt Genes. 8. legitur, fit vt, quemadmodum habetur Eccle. 1. stultorum infinitus sit numerus, consultius ergo est dubia in malũ quam in bonum interpretari.

Argumẽ. 2.

¶ Secundò: Ille piè & iustè viuit, authore Augustino, qui rerum integer est æstimator, in neutram partem declinando: ille autem qui rem dubiam in partem saniorem decernit, in alteram inclinat partem: ergo minime id licet. ¶ Tertio: Homo eo modo debet diligere proximũ, quo seipsum: sed circa seipsum salubrius est dubia in deteriorem partem iudicare, secundũ illud Iob. 9. Verebar omnia opera mea: ergo & pariter nos debemus erga proximũ gerere. ¶ In contrarium autem est illud ad Romanos. 14. Qui nõ manducat manducantem non iudicet: cuius glossa est, dubia in meliorẽ partem esse interpretãda.

Argumẽ. 3.

Paulus.

ARticulus hic adeò est superiori annexus, vt per illũ sit plurimùm intellectus. Respondetur ergo vnica cõclusione quæ ex superioribus colligitur. Vbicunq; manifesta iudicia non apparent, quæ malum proximi indicent, debemus cuiusque bonam habere existimationem, atque adeò in meliorẽ partem id quod dubium est interpretari. Conclusio inquam ex superioribus colligitur. Vnusquisque ius habet vt bona de se vbiq; habeatur existimatio, quousq; sua delicta cũ legitimè probant: ergo qui citra idonea testimonia siniſtrã alterius concipit opinionem, iniurius illi est, atq; adeò in meliorẽ partẽ tenemur ambigua signa decernere. ¶ Conclusio nulla præter superiorem indiget disputatione, nisi hoc forsan scisciteris, vtrùm dubia teneamur in meliorem partem positiuè interpretari, id est assentiri meliori parti: an satis est negatiuè, id est non male iudicare. Enĩ uerò cùm aliqua experior ambigua indicia alieni vitij, difficile profectò est contrarium habere assensum. Si autẽ dicas satis esse animum suspendere, in contrarium emergit statim argumentum, quod intellectum cõtinere difficile quoque est. ¶ Caietañ, hic arbitratur satis esse negatiuè nos habere. Nihilo minùs id nemini suadere auderem. Imò vix potest regula constitui certa, sed confugiendum est ad prudentiam. Distinguendum in quam in primis an illum cuius dubia signa apparent, anteà noueris, an verò sit tibi ignotus. Si enim in bona est apud te existimatione, peccatũ esset propter signa dubia illã mutare, maius scilicet minusve secundùm signorum conditionem. Si autem eum nõ noscis, tunc arguit hic Caietañ. ꝙ non est prudẽtia in tali casu assensum melioris partis concipere: eò quod illa neutra signa natura sua talẽ assensum nõ generant: & ideo nulla, inquit, est

Conclusio responsiua.

Probatio cõclusionis.

Dubitatio.

Caietanus.

Solutio propositæ dubitationis.

est obligatio bene assentire. Quare consultò ait, negatiuè dixit Christus, Nolite iudicare: & nō dixit, bene semper iudicate. ¶ Attamē contrarium citiùs crediderim, responderiq; illi quod & si tales coniecturæ bonum assensum non generent, ius tamen naturæ nos cogit non solùm nè male de homine vllo opinemur propter dubia signa, verùm vt de omnibus, non obstantibus amphibolis indicijs, opinemur benè. Igitur conclusio intelligenda est positiuè, nisi casu quo indicia vsq; adeò vrgerent in sinistram partem, vt satis esset vtriusq; assensum cauere: Tunc enim cōsilium est mentem ab eiusmodi cogitationibus dimouere. Quando verò indicia iā non sunt dubia, sed eousq; efficacia vt virum prudentem & probum mouerent, nulla est obligatio in meliorem partem illa interpretari Christus ergo non ideo dixit negatiuè, quia satis sit assensum suspendere, sed quia bonā existimationem quā iure naturæ tenemur de vnoquolibet habere, non debet in nobis leuibus causis extingui.

Reprobatio Caietani.

Ad primū argumētū.

AD primum igitur argumentum respondet S. Thom. quod etsi qui dubia in meliorem partem interpretatur frequentiùs fallatur, tamen melius est frequentiùs falli per bonam opinionē de aliquo malo homine, quàm rariùs falli habendo malam de aliquo bono: quia ex hoc nascitur iniuria: ex illo autē, nulla. ¶ Sed cōtra, Falsitas est malū intellectus: vt puta qui ad omnium veritates iudicandas natus est: nemo autem tenetur malū sibi proprium, seu procurare, seu incurrere ad euitandum malum proximi: ergo consultius est in sinistram partem iudicium deflectere. Caietañ. putat se per hoc satis respondere, quod S. Tho. non absolutè ait eum qui in partem saniorem iudicando propendet, in pluribus casibus falli: sed quod pluries fallitur quam si in sinistram partem vergeret: cum quo stat quòd non frequenter fallatur bene iudicando. ¶ Hanc ergo tamen solutionem non intelligo. Nam ad vim argumenti satis est id quod ipse cum D. Tho. concedit: nempè quod pluries fallimur bene iudicando quam falleremur iudicando male: & ideo responsio est quod bonū virtutū moraliū non est pensandum secundùm bonū intellectus simpliciter, sed in ordine ad agendum, cuius proximum principium est appetitus: homo enim, vt suprà diximus, non dicitur bonus propter virtutes intellectuales absolutè cōsideratas, sed propter morales quæ circa actiones versantur: Quo fit vt nonnunq; iudicium falsum speculatiuū generet verum dictamen practicum: veluti Iacob ex illo falso, Hæc est Rachel, intulit illud verum, Hæc est à me cognoscenda: quod quidem ob ignorantiā inuincibilem verū fuit. Quocirca dū iudico Petrū esse bonū, licèt speculatiuè fallar, tamen quia iudicium est cōforme appetitui recto, fit vt moraliter atq; adeò simpliciter bonum sit. Obidq; cùm homo secundùm moralem regulam iudiciū intellectus informat, nō eligit simpliciter malum, sed secūdū quid: simpliciter autem bonum. Hanc enim ob causam suprà diximus iudicium esse actum potiùs iustitiæ, bene afficiētis animum ad proximum, quàm rationis illud proferentis.

Replica.

Solutio Caietani.

Refellitur Caietanus.

Solutio authoris.

Quocircà nō satis digna responsio illa mihi apparet Caietani & iliorum, quod quia ex duobus malis minus est eligendum: etsi falsa opinio malum proprium sit, nihilo minùs quia minus est, ea est eligenda. Non inquam verum est esse simpliciter minus malū. Nam bonum intellectus, puta intellectualis virtus, vt suprà demōstrauimus, simpliciter est melior bono voluntatis: sed tamē quantum ad mores attinet, iudicium cum periculo falsi ratis formare ad cauendam iniuriam, nō solùm minus est malum: imò simpliciter non est malum, sed secundùm quid: scilicet malum speculatiuum. Eò potissimùm quod error circa singularia contingentia nō est simpliciter malū intellectus: sicuti neque ad eius perfectionem simpliciter attinet cognoscere eorum veritates, sed vniuersalium, quibus non potest subesse falsum: vt statim ait S. Thom. in solutione secundi. Adde quod neque eligitur tale malum. Nam quando iudicia sunt clara, non est prudentia bonum formare iudicium: sed quando sunt dubia, id tantùm est verum, quod intellectus exponitur falsitatis periculo. ¶ Ad secundum respondetur diuersam esse rationem iudicandi de rebus ab illa quæ est iudicandi de personis. Cùm enim de rebus speculatiuè iudicamus, nihil nocumenti imminet proximo: obidque simpliciter est tunc veritas indaganda, quæ bonum est intellectus. Ac perinde in rebus dubijs suspendendum est iudicium, nè præcipitio falsitatis intellectum obijcias. Et de hoc loquitur August. Quando autem iudicium est de personis, tunc quia bonū malumq; attenditur secundùm illū de quo iudicatur: nempè de eius honore

Noua ratio in Caietañ.

Ad secundum argu.

Augustin.

aut

aut contemptu, ad cauendam citiùs iniuriã debemus esse attenti: Præsertim quod error circa singularia, vt iã modò dicebamus, non è regione opponitur bono simpliciter intellectus. Ex his prudentiam collige, qua discernas iudicium rei merè speculatiuum, nõ esse morale peccatum, nisi dum illud ad personã applicas: licèt enim dum videas cadauer occisi hominis, iudices mortale fuisse peccatum illum occidere: & quanquàm dum audis talem propositionem, quæ hæretica est, fuisse assertam, iudices peccatum fuisse illam ex animo asseruisse, nullum tamen peccatũ admittis: sed quãdo sine causa legitima iudicas hunc fuisse aut homicidam aut hæreticũ

Ad tertiũ argumentũ

¶ Tertium argumentum peregregiam regulam qua sibi respondeatur expostulat. Interpretari nanq; quippiam in deteriorem partem, suspicando scilicet ex leuibus causis, bifariam vsu venit: scilicet, vel definitiuè vel suppositiuè. Prior modus est quem dicimus esse illicitum. Posterior verò scilicet nõ definiendo sententiam, sed ex suppositione, si fortè ità est: non ad lædendum, sed ad obuiandũ periculo vel proprio vel proximi: non iniustitiæ, sed prudentiæ opus est. Vides hominem quem suus habitus subindicat esse furẽ etsi non debeas definitiua sententia id credere, neq; verò suspicari ad nocendum, licet tibi tamen non illi tuam domũ credere. Sicuti dum filiam habes virginem, licet tibi iuuenes ab eius colloquio abigere. Et pari modo in re propria. Dum videntur tibi opera tua nitida esse in conspectu Dei, quæ quidẽ opinio periculosa semper est, debes illa timere nè aliqua macula sint infecta. Aliena verò opera, bona iudicare, nulli nos offert pericu-

Corollariũ.

lo. ¶ Ex his sequitur quod etsi dum male de aliquo suspicaris qui in promptu est vt ad aliquam dignitatem eligatur, posses tu illi refragari tuam subticendo suspicionem: tamen illam in aures aliorum disseminare vt hominem infamia respergas, minimè fas est nisi suspicio legitimis de causis esset tibi certa, & videres in perniciem reipublicæ talem electionem vergere: tunc enim, nisi secretum esset sacramentalis confessionis, liceret illam impedire. Et vice versa, tam leuis esse potest tua suspicio vt neque teipsum debeat cohibere quo minùs eũ eligas si aliàs idoneus est.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm semper sit secundum leges scriptas iudicandum.

QVVM iudicium, vt dictum est actus sit iustitiæ: regulæ autem iustitiæ sint leges: meritò quæritur vtrùm semper sit secundùm leges scriptas iudicandum. Et arguitur à parte negatiua. Iudicium iniustum vbique cauendum est & vitandum, quando que autem scriptæ legis iniquitatem continent: secundùm illud Isa. 10. Væ qui condũt leges iniquas, & scribentes, iniustitias inscripserunt: ergo non semper est secũdum scriptas leges iudicandum. *Primum argumentum*

¶ Secundò, Iudicium oportet esse de singulis euentibus: lex autem scripta, vt Philosophus. 5. Ethi. cap. 10. author est, non potest singulos comprehendere: ergo quandoque necesse est contra legis verba agere. *Argumẽ. 2. Aristot.*

¶ Tertiò: Lex ad hoc scribitur, vt legislatoris mens fiat subditis manifesta: quandoque autem vsu venit vt si legislator præsens adesset, aliter iudicaret: ergo tũc licet contra scripturam mentem legislatoris sequi. *Argumẽ. 3*

¶ In contrarium est sententia Augusti ni in lib. de ver. relig. vbi ait, In istis temporalibus legibus, quanquàm de his homines iudicent cùm eas instituerint: cùm tamen fuerint institutæ & firmatæ, nõ licebit iudicibus de eis iudicare. *Augustin.*

QVæstionem hanc plenariè lib. 1. discussimus. q. 6. ar. 8. Sed quoniam præsenti loco congruenter iterum eam mouet S. Tho. opùs est ad idem respondere: quoniam non deerit quod præter illic definita adnotari etiam hic possit. Respõdetur ergo per distinctionem duabus conclusionibus. Supponẽdum nanq; in primis, iudicium nihil aliud esse quàm quãdam iusti definitionem & cõstitutionem. Est autem iustum duplex, vt in superioribus sæpè dictum est: & Aristot. 5. Ethicor. cap. 7. docet: scilicet aliud naturale, nempe quod ex natura rerum absolutè consideratarum pullulat. Aliud verò positiuum quod Philosophus appellat legitimum: nempè quod humano condicto & arbitramento positum est. Sit ergo prior conclusio. Quando lex scripta ius naturale continet, nequâquam licet neq; principi neq; subditis cõtra illam agere, sed semper est secundùm eam iudicandum. Et ratio est in promptu. Quoniã eiusmodi *Distinctio. Aristot. Prima conclusio. Ratio cõclusionis.*

ciusmodi leges non sunt illius iusti constitutiuæ,sed tantùm declaratiuæ. Quare earum iustum,non ex legibus,sed ex rebus ipsis totũ suum habet robur. Vt patet in præceptis Decalogi,& in his quæ necessaria consequẽtia illic implicantur: ideoq; adeò sancta sunt & firma,vt neq; Deus, quatenus legislator, super illis valeat dispensare:vt lib.1.q.3. disputabamus. Atqui hac de causa nõ huc simpliciter in quæstionem profertur,vtrùm sit semper secundùm leges iudicãdum. Nam de naturalibus quarum lumen Deus consignauit in mentibus nostris, nequâquam hæsitare licet,quo minùs sit semper secundùm illas iudicandum:sed peculiariter quæsitum est de legibus scriptis inter quas connumerantur humanæ. ¶Subditur ergò posterior conclusio. Quando lex scripta, est humana, necessarium nihilo minùs est tam principi quàm subdito secundùm illam iudicare, quatenus iuri naturæ non repugnat. Probatur: quoniam leges ciusmodi etsi non sint declaratiuæ naturalis iusti, sunt tamen constitutiuæ iusti quod humano condicto secundùm regiones temporumq; conditiones visum est expedire. Et ideo inquit Arist. quòd quãuis anteà quàm ponerentur nihil referebant, tamen postquàm positæ sunt, iam referunt. ¶Conclusiones istæ nõ solùm inferiores iudices, sed & principem ipsum comprehendunt:qui quidem secundùm leges iudicare tenetur:non solùm secundùm naturales, verùm & secundum illas quas ipse suiq; maiores sanxerunt: quandiu causa non incidit vt mutentur. Tametsi discrimen intersit, quòd inferiores iudices neq; dispensare in legibus possunt,neq; illas interpretari. Quod tamen in facultate principis positũ est. Vnde quo casu potest super legem dispensare, potest etiam & contra legem iudicare. Vt si capitis condemnatus, quàm commodissimus esset reipublicæ, posset ob illam publicam commoditatem illum donare vita. Hæc autem omnia libr.1.satis ac super pro captu nostro, tum discussa sunt,tum etiã definita. ¶Quod autem hic dubium Theologicũ, ceu in proprio loco dirimendum restat, est vtrùm sententia iniusta,hoc est contra leges lata, obliget in conscientia:hoc est vt tam reũ verè absoluat,quã actorẽ iure suo despoliet. Est enĩ argumentum à parte negatiua,quòd cùm index sit iusti custos,ad quẽ.5. Ethico. ait Philosophus tanquã ad viuentem loquentemq; iustitiam confluitur:& hæc omnia quæ in foro exteriori peraguntur ad pacem reipublicæ ac perinde ad pacandas cõscientias referantur,cõsequens fieri videtur, vt solennis sententia eius qui publica pollet autoritate, tutas sedatasq; reddat easdẽ conscientias. Eò vel maximè quod sæpè humanũ ius in conscientia obligat,tametsi mera lex naturæ nõ obligaret:vt patet in lege præscriptionis,qua dominiũ transfertur in possessorem. ¶Nihilo minùs respondetur, nullam sententiam quæ contra leges iustas profertur obligare in conscientia. Conclusio est manifesta,& iuris etiam doctoribus confessa,vt apud Inno. & Panor. videre est.c.quia pleriq;.de immunit.eccles.i. quia cùm sententia nullum habeat robur nisi quia est iuris declaratiua, vbi non est recti iuris interpres,nulla est in conscientia. Dixerim iniustam cõtra leges: nempè quæ ab vno aufert quod re vera suũ erat, & alteri tribuit cuius non erat. Nam si alicui id adiudicetur quod verè erat suum, licèt alter prætermisso toto ordine iuris fuerit priuatus,bona conscientia possidebit quod sibi adiudicatũ est:siquidẽ re vera suum erat. Et prætermissio ordinis iuris,quanuis peccatum sit in iudice,& iniuriosa parti,tamen nõ constituit in mala cõscientia eum qui quod verè est suum possidet. Idq; planissimo exẽplo patet. Si tu quod tuũ est aut fraude surripias,aut vi auferas à possessore, quãuis delictũ mortale fortè cõmittas dum priuata authoritate exequeris quod publica deberes,nihilo minùs ad restitutionem non obligaris illius quod accepisti. Reuertamur ergo ad principale assertum: quòd iniusta sententia ius neque tollit neque confert. Fit enim ex illa consequens vt etiam si dum litigabas bona id fide faciebas, nihilo minùs cùm primũ certò resciueris sententiam in tuum fauorẽ latam non fuisse iustam, restituere teneris quod tibi adiudicatum est:licèt non expensas,si bona fide litigasti:idq; siue reus fueris, siue actor. Et dico iniustam contra rei veritatem, etiã si iudex secundũ allegata & probata in foro exteriori rectè iudicauerit. ¶Quid autem si pars læsa non appellauerit? Videtur enim eo ipso consensisse,atq; adeò suum à se ius ablegasse: quapropter posteâ nõ admittitur in iudicio ad repetendum. Respondetur quod etiam si non appellauerit non censetur renũtiare iuri suo. Sed hoc tantùm patitur quòd in foro exteriori non amplius repetens audietur. Atq; hæc veritas non solum ratio naturalis cõprobat,verum & ex.l.

Iulius

Vltima conclusio.

Probatio cõclusionis.

Explanatio superiorũ conclusionum.

Dubium Theologicũ

Ratio hæsitandi.

Solutio.

Argumẽtũ

Responsio.

Iulius.de condict.indeb.colligitur. Quòd au tẽ nõ appellans præscripto tempore à tribunali postea repellatur, sunt qui dicant causam esse in pœnam eius negligentiæ. Ego verò nõ hanc tantùm crediderim,verùm illam potiorem,quę est ad obuiandum litibus: ad quod leges sanctissimæ fuerũt semper attentæ. At verò si quis rem sibi aut suis maioribus iniusta sententia adiudicatam, bona fide legitimoque tempore præscripserit,bona deinceps conscientia possidebit: quia titulũ habet legitimum,hoc est lege præsumptum.

Dubium alterũ de beneficiis Ecclesiasticis.

¶ Dubium autem molestius est in beneficijs ecclesiasticis:quando quis scilicet per iniustam sententiam expoliatur sacerdotio q alteri cõfertur,vtrùm possessor deinceps tuta conscientia possideat.Id quod inter cæteros iuris interpretes Panormita.ca. 1.de cõst. præbend.&Innocen.cap.quia plerisque. de immunit.Eccles.scienter tractant. Distinguendùm ergo est de sententia: nam altera est declaratiua: nempê dum inter partes de iure aliquo, aut alia de re, aut de præbenda litigatur: & sententia declarat vtrius illorũ sit.Et tunc citra dubium, sicuti neque in alijs sæcularibus rebus, sententia non ligat.

Panormitanus.

Innocentius

Solutio dubii.

Et ideo dum possessor sciuerit non fuisse iustam,tenetur renuntiare.Alia verò est sententia priuatiua quando prælatus officio propter crimen quempiam sacerdotio multat, quod alteri confert: & tunc censent præfati doctores quod si reus nõ appellauerit, quia eo ipso consentire videtur,alter tuta cõscientia possidet. Secùs si reus appellauerit: nam tunc licèt iniustè non fuerit auditus, nõ censetur consensisse.Ego verò profectò,salua eorum existimatione,non sit absolutè credide rim,sed cum distinctione. Si inquam prælatus sciens & prudens illum iniquè: condemnauit,arbitror sentẽtiam non tenere.Et ideo quotiescunq; possessor id intelligit,renuntiare tenetur,& prælatus alteri restituere.Si verò bona fide secundùm allegata & probata illum condemnauit,etiam si falso fuerit accusatus,sententia tenet,ac perinde alter tutò possidet:nisi tamè ille fuerit criminator qui falso accusauit. Nam tunc omnes doctores Canonici iuris meritò tenẽt inhabilem esse ad possidendum. Item hoc solùm crediderim in beneficijs ecclesiasticis quæ Prælatorum authoritate conferuntur. Nam in alijs etiam si secundùm allegata & probata sententia sit iusta, si tamen processit ex falsa præsumptione,non ligat in conscientia, vt Innocent. probè adnotauit in eodem cap. quia pleriq;. Quo fit vt si cuius nomen de hæresi falso defertur,suis bonis priuetur: cùm primùm fiscus resciuerit,per calumniam fuisse delatum ac comdemnatum, tenetur eum in suorum possessionẽ restituere. Hæc ergo de hac re satis dicta sint.

AD primum igitur argumentum respondetur, quod sicut lex scripta nihil roboris præstat naturali iuri,imò ab illo ipsa vim accipit:sic neque potest eius robur quoquo Pacto diminuere:nũ homines, qui easleges scripserunt,non sunt naturæ domini. Quo fit vt quando lex scripta legi naturæ aduersatur,nullam habeat vim, atq; adeò neq; sit secundùm illam iudicandũ.Quare tunc non leges,sed legum corruptiones censentur. At verò quando lex scripta à iure naturæ permittitur,scilicet quia ei non obstat, tunc iudicãdum est secundùm leges,etiam si forsan meliusesset contrarium esse lege positum. Hoc enim maximè notandum est,vt loco sũ prà citato explicauimus: nempè quod non est necessarium ad vigorem scriptæ legis,melius id esse quod ipsa decernit, quàm contrarium. Hoc enim pensandum est & consilio agitandum quando ponitur: sed quando posita est,& vsu firmata,nõ debent hoc subditi arbitrari:sed secundùm illam agere, quo usque princeps aut respublica illam mutet. Imò verò neq; mutandæ sunt leges, vt suprà diximus,quacuuq; de causa quæ meliorem rationẽ præ se ferat.Est posita lex, verbi gratia,nè merces foras euehantur è regno, & forte esse iam cessat causa,quare posita fuit, tunc etsi principi incumbat illam mutare, tamen subditis non licet contra facere, dum ius naturæ id permittit:nisi iam esse inciperet contra ipsum aut contra religionem,scilicet,si legibus Ecclesiasticis aduersaretur. ¶ Ad secundum pari modo respondetur, quod sicut potest lex quandoq; iuri repugnare naturæ, & tunc non est seruanda:sic quãquàm rectè sit posita, si tamen in euentibus particularibus est contra ius naturæ,licet contra illam facere.Nã,vti ait Modestinus. ff.de legibus & se. con.nulla ratio iuris aut æquitatis benignitas patitur,vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducta sunt, ea nos duriore interpretatione producamus ad seueritatem. Tunc enim legislator si adesset, aliter censeret quàm scripsit.Et per hoc dissoluitur argumentum tertium,

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secundum argutum.

AR-

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm vsurpatum iudicium sit semper peruersum.

RIA suprà diximus ad rectũ iudicium esse requisita, & iudicis authoritatẽ, & iustitiæ æquitatem, & prudẽtiæ ordinem. Et quidem de hoc tertio, puta de ordine & processu iuris, nihil ad Theologũ, sed res est causidica. Igitur cùm de secũdo in proximis articulis dictũ sit, subsequitur vt de primo disputemus: Vtrũ vsurpatum iudiciũ, scilicet ab eo qui non est iudex, sit vbique peruersum. Et arguit̃ à parte negatiua. Iustitia est quædã agendorũ rectitudo, nihil autẽ veritati deperit à quocũq; pronũtiet̃, sed à quocunq; est ad amplectenda: ergo neque quicquam iustitiæ officit à quocunque sententia proferatur. ¶Secundò: Bona pars iudicij est peccata punire: cum laude autem referuntur nonnulli priuati qui peccata aliena vindicârunt: vt Moyses qui, vt legitur Exodi. 2. Aegyptium interfecit: & Phynees Eleazari filius qui Zambri occidit, vt Nume. 25. scriptum est. quod, vt habetur Psam. 115. reputatum est ei ad iustitiam: ergo licet priuatis citra authoritatem publicam iudicare. ¶Tertiò: Potestas spiritualis quæ à temporali distinguitur nonnunquam se ingerit ad iudicandum sæculares: ergo vsurpatum iudicium non est vbique prauum. ¶In contrarium est illud ad Romanũ. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum.

Primum argumentum *Argumẽ. 2.* *Argum. 3.* *Paulus.*

Conclusio responsiua. AD quæstionem vnica conclusione respõdetur. Iudicium vsurpatum, hoc est, absque legitima authoritate super eum in quẽ fertur prolatum, non solùm peruersum est, verùm & nullum. Probatur. Iudicium est legis ad personas applicatio cum vi coactiua: hæc autem fieri non potest absque publica authoritate: ergo si aliter fiat, vitiosum est & nullum. Probatur Minor. Eiusdem est legem condere atque eam interpretari & declarare: sed applicatio legis ad personas est quædam eius interpretatio, id est, declaratio, quod talem personam in tali casu ligat: ergo sicut lex ab illo solo condi potest qui publica pollet authoritate ad cogendũ ciues, ita & eius solius est, habentisque eius authoritatem, ius dicere. Conclusio clara est, & 1. libro, quæstio 1. decisa. ¶Hoc tamẽ est hîc animaduertendum, quòd inter ea quæ ad rectum iudicium publicum exigũtur, primum est authoritas iudicantis. Nam etsi alia deficiant, nempe prudentia & iustitia, nonnunquam sententia tenet, saltẽ dum fertur secundum allegata & probata, vt proximè dicebamus, & semper timenda est: & tamen si emãnet à non iudice, adeò nulla est vt neque sit timenda. Vnde scitè Gregorius: Sententia, inquit, pastoris siue iusta siue iniusta, timenda est. 11. quæstio. 3. Duo enim ponit vt sit timenda, etiam si sit iniusta: videlicet vt sit pastoris, & vt sit sententia, id est quæ non manifestarium intolerabilemque errorem contineat. ¶Ex quo fit primùm quod qui per tyrannidem regnum inuasum occupauit, neque legem ferre vllam potest, neque ius dicere quod vllo pacto ciues in conscientia obligent, nisi forsan præscriptione aut reipublicæ consensu legitimi fuerint tandem principes: vt de Francis apud Gallos legitur, & apud Hispanos de Gothis. Secundò subsequitur, quòd qui semel legitimè magistratum adeptus est etsi posteà crimen commiserit ob quod meritò sit illo abdicandus: tamen quousque iuris ordine priuetur sententia eius ligat, nisi sit ipso facto excommunicatus. Vt quanuis prætor crimen læsæ maiestatis admiserit, ob quod à magistratu expellendus iure est, nihilo minùs quoadusque iuridicè priuetur, sententia eius tenet. Secùs si esset hæreticus: nam tunc ipso facto est excommunicatus, atque adeò licèt non priuatus officio, tamen eius functione suspensus. ¶De arbitris autem forsan quis dubitet: nam iudicium eorum ligat tam in foro exteriori quàm in conscientia. Tamen nulla videntur pollere authoritate publica: quia non habent nisi quã à partibus acceperunt: quæ tamen non habebant nisi priuatam. Respondetur autem quodammodò habere publicam. Nam cùm vnusquisque teneatur fidem alteri seruare, iure gentium conditum est vt qui sequestri fuerint ab aliquibus cõstituti, vim habeant per suam sententiam ligandi, licèt executio ad principem pertineat, qui vim habet coactiuam, & eius ministros.

Gregorius. *Primum corollarium.* *Secundum.* *Dubium de iudicibus arbitrariis.* *Solutio.*

Ad primũ argumentũ AD primum igitur argumentum respondetur, quòd et si pronuntiatio veritatis à quocunque sit suscipienda: tamen vis coactiua

actiua non nisi à principe, quam iudicium importat. Et ideo nisi ab habente autoritatẽ proferatur, liberum est vnicuique eam susci-
Ad secundum argumentum. pere aut repudiare. ¶ Secundum argumentum. Quantum ad historiam Phinees, nullã habet difficultatem. Nam cùm Moyses, vt illic legitur, authoritate diuina iussisset vt vnusquisque fratrem suum quem reum sciuisset interimeret, eâdem ille autoritate vsus est. Historia verò Moysi anceps est. Legitur enim quod cùm vidisset Aegyptium percutientem quendam de Hebræis, eum enecauit. Quocircà cùm illum Aegyptium in flagranti delicto occuparet, potuit eum occide re per modum defensiònis: nam vnusquisq;
Ambrosi⁹. ius habet vim vi repellendi, non solùm à seipso, sed à fratre suo. Et hac via Ambrosius libro de Offi. Moysen excusat à culpa. Si autem vel iam cessauerat Hebræum percutere, vel occisio non erat ad defensionem necessaria, necesse est dicere quòd in vindictam illũ occidit. Et re vera huc gratius annuere videtur historia. Sed tunc cum publicam non haberet authoritatem, nõ potest â culpa excusari: nisi dicatur id reuelatione diuina fecisse. Atque hanc rationem approbare videtur illud Act. 7. quòd percusso Aegyptio existimabat Moyses intelligere fratres suos, quoniam Dominus per manum ipsius daret salutem in Israel. Et quanuis non expressè dicatur percusionem illam iussisse, sed Moysen sic existimasse seruaturum populum: tamen profectò videtur illic percusio excusari: quare vtraque istarum solutionũ
D. Thomas Augustin⁹. potest optimè defendi. Ad verò sanct. Tho. Augustini sequacissimus eum libentiùs amplexari videtur, qui in quæst. super Exod. non excusat illum a culpa, sed eum potiùs confert cum benignissimo nouali, quod cũ primò feritur, de herbarum quoque inutilium luxurie ac fertilitate laudatur, propter spem quam promittit futuræ frugis. Et sic interpretatur illud Act. 7. quod cùm animo plenus esset, ad liberandum populum, illa
Ad tertiũ argumentũ ratione arbitrabatur rem perfecturũ. ¶ Ad tertium denique respondetur, quod cùm spiritualis potestas supereminеat sæculari, potest Ecclesiasticus Prælatus sæculares iudicio cogere in his quæ ad gratiam & ad gloriam pertinent.

QVAESTIO QVINTA, De diuisione Iustitiæ.

Sanct. Tho. 2. 2. q. 61.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm particularis iustitia rectè in distributiuam & commutatiuam diuidatur.

POST QVAM DE Iustitia in genere, deq; suo cõtrario, iniustitia, atque de eius annexis, iure scilicet & iudicio, quantum res postulabat, dissertũ est: superest vt ad illam eius celeberrimam diuisionẽ descendamus, qua in distributiuam & commutatiuam dispartitur. Et ergo quæstio ordine quinta huius libri, vtrùm particularis iustitia rectè in distributiuam & commutatiuam diuidatur. Quæstio hæc autẽ quatuor articulis absoluetur. Quorum primus diuisionis rationem doceat: secundus, vtriusque medium: tertius, materiæ diuersitatem: quartusq; tandem formam. A parte ergo negatiua quęstionis arguitur primò. Cùm tres sint *Primum argumentum* reipublicæ ordines: nempè totius ad partes, partium ad totum, & partium inter se, pulchrius atq; ad artem propius fieret ex æquo trimembris diuisio: nimirum in legalẽ, quæ primum instituit ordinem: & distributiuã, quæ ad secundum spectat: & commutatiuã, quæ circa tertium versatur: ineptè ergo fit bi *Argumẽ. 2.* membris. ¶ Secundò arguitur. Si vlla esset huius diuisiõis ratio, ea vel inde oriret quod habẽt distincta subiecta: nempè quòd distributiua est in principe, cui incũbit bona publica distribuere: cõmutatiua verò in subditis, quorum pax & tranquillitas hac ratione continetur quòd quisq; ius suum alijs seruat hoc nanq; discrimen prima fronte videtur hæc diuisio insinuare: at verò quęcunq; iustitiæ species tam in subditit est quàm in principe, in hoc nimirum ad gubernãdum, atq; in illis vt gubernentur, vt quæst. 1. de legali dictum est: nam commutatiua eadem ratione est in omnibus: ergo ex hac differentia non potest sumi diuisionis ratio. Quòd si dicas differentiam inde sumi, quòd distributiua iustitia pensatur in ordine ad plurimos quibus fa

bus facienda est distributio: cõmutatiua verò est vnius ad alterũ: contrà facit, q vnũ & multa specie non mutãt. Eiusdẽ quippe speciei est vnus hõ cum duobus atq; cũ tribus.

Argum. 3. ¶Deinde arguitur tertiò q diuisio mãca sit. Iustitia enim vindicatiua neq; sub distributiua neq; sub cõmutatiua comprehendi videtur: nã si respõdeas cõtineri sub distributiua eò q princeps, vt præmia probis, sic & supplicia reprobis decernit, in contrariũ est: tũ q & persona particularis potest licitè vindictam petere, tũ etiã q vindicta debet fieri ad æqualitatẽ delicti, quod officiũ est cõmutatiuæ iustitiæ. Quòd si hac rõne victus pertinere dixeris ad cõmutatiuã, reclamare hęc ratio videtur q soli principi incũbit, pœnas exigere pro culpis, q̃d specimẽ gerit distributiuæ iustitiæ. ¶In contrariũ est autoritas Philosophi. 5. Eticho. distinguẽtis duas iustitiæ species, quarum altera est distributionũ directiua, altera verò commutationum.

Aristo.

QVO respõsio quæstionis lucidior fiat, â terminorum expositione proficiscamur. Cùm iustitia in genere, autore Aristotele. 5. Ethi. sit virtus qua quisq; iustus dicitur, fit vt iuxta nomina sua, iustitia distributiua dicatur particularis iustitia, qua hõ in bonorum cõmunium distributione iustus fit. Commutatiua verò sit illa itidem particularis, qua quisq; in cõmutationibus iustus est.

Conclusio respõsiua. His facilè intellectis tali respõdetur affirmatiua conclusione. Iustitia particularis suapte natura in hæc duo dissecatur membra, specie differentia, quæ sunt commutatiua & distributiua.

Aristot. Conclusio est Arist. 5. Ethi. cap. 2. cuius ideo authoritate fulcitur.

Probatio cõclusionis. Probatur nihilo minùs & ratione. Distinctio habituũ, si specifica sit, ab obiectorum natura deriuatur: nam habitus distinguũtur per actus, & actus per obiecta: est autem in republica, in qua iustitia æquitatem cõstituit, duplex ordo, idemq; particularis ac diuersus: videlicet totius ad partes, & partium inter se: ergò per illos duos ordines duæ etiam species iustitiæ discernuntur. Illa autẽ quæ est totius ad partes, puta quæ communia bona ciuibus bene dispensat, nominatur distributiua: altera verò quæ æquitatẽ seruat inter partes, nuncupatur cõmutatiua: sunt ergò duæ distinctæ species. At licèt conclusio hæc non solùm S. Thomæ, verùm & Aristotelis sit plana confessio, nõ desunt Aristotelis interpretes qui contrarium opinentur. Buridanus enim in eundem locum. 5. Ethic. q. 7. non arbitratur virtutes has specie distare. Neq; vllo prorsus argumento vtitur præterq̃ quod rationes, in quit, partis contrariæ non sunt satis validæ. Hæc autẽ argutio nullũ philosophũ hominem contra Aristotelẽ mouere deberet, nisi validioribus ipse niteretur. Præterq̃ q rõ hęc facta abundè rẽ mõstrat in philosophia morali, â qua non est expetenda mathematica demõstratio, vt statim in principio Ethico. Arist. docuit.

Buridani sententia.

Secunda rõ in Buridanum. ¶Arguitur autẽ secũdò ad eandem conclusionẽ. Iustitiæ munus est debitũ vnicuiq; reddere: est aũt diuersa ratio debiti in distributiua iustitia ab illa q̃ est in cõmutatiua: ergò virtutes ipsæ specie differũt. Minor patet. Dupliciter aliqua dicit hominis. Vno mõ simpliciter, quia ppria eius possessio: altero verò secũdùm quid, vt aiunt: quia scilicet nõ est sua propria, nisi quatenus est totius, cui⁹ homo est pars. Etenim quæ sunt totius, quodãmodò sunt partium. Et ex his nascitur diuersa ratio debiti: alia quippe rõ est, quia res propria erat creditoris: alia verò, quia erat totius reipublicæ. Igitur cùm commutatiua iustitia circa debitũ posterioris generis versetur: distributiua verò circa prius, fit consequens esse virtutes diuersas.

Tertia ratio ad idem. ¶Et ex hoc secundo argumento informatur tertiũ. Illic opùs est distincta virtute specie, vbi operãdi difficultas est etiam specie distincta: sed experimur alium esse gradũ difficultatis in effundendis bonis communibus, quæ princeps habet in sua potestate, neq; vnquã fuerunt ciuium, q̃ sit in refundẽdis illis quæ ab aliis recepimus: ergo distinctè exiguntur virtutes. Minor patet: nam quòd quisq; reddat quod ab alio accepit, ratio, hæc protinus & inclinatio naturalis deprecatur: Non erat tuũ, sed alter tibi dedit, pessimus esses si non redderes. Attamen quãdo princeps aut cõmunium dispensatores penes se habent illa bona, ægerrimè adduci possũt vt distribuãt si sibi vsurpare possunt. Hoc porrò nos longa experientia edocet in principibus & in præfectis. Et confirmatur hæ ratio autoritate Aristotelis. 2. Polit. dicentis, homines propẽsiùs affici ad bona propria q̃ ad cõmunia. Altera ergo virtus est distributiua, & altera commutatiua.

Cõfirmatio Arist.

Ad primũ argumentũ AD argumentum ergo primũ ante quæstionẽ sic respõdetur. Diuisiones vt ex. actè fiant debere fieri in pauciss̃ima mẽbra, atq; adeò inter se oppositа. Obidq; cũ obiectum

ctum iustitiæ sit bonũ, idq; primò diuidatur in cõmune & particulare, sit vt iustitia primùm omniũ diuidatur ab Aristotele in legalem, quæ est vniuersalis, & particularẽ: vt iustitia legalis sit illa quæ respicit ordinem partium ad totum, ordinando ciues in cõmune bonũ: particularis verò quæ versatur circa particularia bona. Et hęc est quę subsecatur in distributiuã & commutatiuam. Sed nunquid distributiua iustitia nõ versatur etiam circa cõmune bonũ? Respondetur, q; etsi circa illud versetur, tñ nõ habet illud proobiecto vt legalis, quæ illud curat augere, Sed materia distributiuæ est, illa bona distribuere ac diffundere inter particulares ciues: & quia habitus denominat à termino ad quẽ sicut calefactio à calore qui gignitur, nõ à frigore quod abiicitur, ideo distributiua iustitia est particularis: vtpote quæ cõmunia bona facit particularia: legalis nanq; particularia ordinat in cõmune. Atqui veluti legalis iustitia non solùm in principe est ad regendum, verũ & in subditis ad obtẽperandum: sic & distributiua est etiã in ciuibus, vt citra responsationem sint contenti. Præterq; q; potest & priuato cuipiam, puta patrifamiliãs alicui⁹ amplæ familię vsũ venire, vt ipse etiã inter suos distribuat bona sua. ¶ Ad secundum autem quo indagabatur differẽtiæ radix inter has species, per hæc quæ dicta sunt satis responsum est. Haud enim differentia hæc colligit vel ex parte subiecti, vel ex parte numeri: sed illam præscrutamur, tum ex ordine diuerso, vt dictum est, tũ ex diuersa ratione debiti: quia commutatiua reddit id quod est simpliciter debitum: distributiua verò id quod est quodammodò debitum. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, bifariàm contemplari posse iustitiam vindicatiuam: vno videlicet modo quatenus ad publicam iustitiam pertinet, quę ciues ordinat in bonum cõmune. Et hac ratione actus est â cõmutatiua iustitia elicitus: imperatus autẽ à iustitia legali quæ est in principe, eiusq; ministris: Iudex enim nõ tantùm accusante reo, verùm ex proprio (vt aiunt) officio ob tranquilitatem reipublicæ crimina vlciscitur. Aio autem esse hoc munus iustitię commutatiuæ, propterea q; nulla fit ibi bonorũ distributio: nec propriè malorũ: quia mala nõ sunt depositavt distribuantur: sed fit vindicatio ad æqualitatem sceleris infligendo supplicium: quæ quidem forma est commutatiuæ iustitiæ, vt confestim videbimus: licèt hanc habeat imaginem distributiuæ, quòd nequiores acriùs puniuntur. Imperatur aũt à iustitia legali, cuius est per leges & beneficiorum collationem, pœnarumq; inflictionem rempublicam administrare, & particularibus virtutibus in hunc finem imperãdo vti. Si autem vindicatio cõsideretur respectu particularis personæ ad tollendum eius nocumentũ qualiter vindicatiua nõ solùm est in principe, sed & in particulari ciue iniuria affecto, cui licitum est more & ordine vindictam petere: nõ vt malum pro malo reddat, sed vt repensatio sibi fiat, quanq; illam, nisi per publicam potestatẽ exequi nequeat: tũc vindicatio nõ est iustitię actus, sed specialis pse virtutis, quę ad cõmutatiuã iustitiã reducitur. Doctrina est S. Th. 2.2. q. 108. ar. 2. ¶ Sed interrogas, cur vindicatiua ob cõmune bonũ, cõmutatiua est iustitia, siue in principe siue in ciue: illa aũt vindicatio quę ad bonũ particularis pśonæ referr̃, sit specialis virtus. Respõdetur. Quòd respublica per vltionẽ ęqualẽ crimini, & reddit malefactori quodammõ æquale, & suũ recuperat honorẽ, q̃ vera est iustitię cõmutatio. Quãdo verò pśona particularis vindicatur, nihil pro amisso honore vel fama recipit: sed alter patit̃ sicuti & ipse fuerat perpessus: ideoq; nõ attingit metas iustitiæ cõmutatiuæ: sicuti attingit cũ virtute restitutionis resarcit̃ eis honor, vel eius loco repẽditur vel alius fauor vel pecunia. Vnde S. Tho. cõparat hãc virtutẽ alteri speciali virtuti gratiarũ actionis p beneficio suscepto. Illa nãq; neq; simpliciter liberalitas est, quia aliqua illic subest imago debiti: neque verò simpliciter iustitia, qa non est debitũ legale, sed morale: ob idq; est virtus specialis quę iustitiæ adhæret. ¶ Est hic demũ principibus adnotãdum circa distributiuã iustitiã, q; cũ sit virtus inter duo extrema, vtrinq; coarcta tur. Quare neq; tãtã sinit bonorũ effusionẽ, vt publicũ ærariũ, q̃d q̃ maximè necessariũ est, exhauriat̃: neq; verò pmittit principẽ ea esse parcitate in bonis distribuendis, vt nullã habeat apud ciues gratiã, quibus necesse est sæpissimè indigere. At verò hoc cum primis cauẽdũ vbiq; esset, nè publica tributa & vectigalia quæ in publicos vsus statuta sunt & populo decreta, abalienarẽtur. Inde nãq; tũ respublica grauiter periclitatur, tũ etiam & miser populus molestissimè aggrauatur & premitur: quippè cũ illud in causa sit, vt tributa in dies auctiora exigantur. Sed hoc in fine quæstionis sequentis latiùs.

Scrupulus.

Solutio.

Ad secũdũ argumẽtũ.

Ad tertium argumentũ

AR-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm idem sit medium distributiuæ ac commutatiuæ Iustitiæ.

SEquitur hoc secundo articulo de medio inuestigando harum virtutũ: vtrùm videlicet eodem modo in vtrâq; accipiatur. Est enim argumentum à parte affirmatiua quòd cùm moralium virtutũ medium secundùm rationem inter duo extrema limitetur, vt in fortitudine & prudentia cernitur: & iustitia sit earum potissima, consequẽs esse videtur & ipsum eodem pacto in omni iustitia designari. ¶Mox cùm vtraq; tã distributiua quàm commutatiua sit particularis iustitia, vtpote quæ ad particulares personas refertur ac terminatur, apparet medium in vtraq; sumi secundùm æqualitatem rei ad rem, puta in distributiua meriti ad præmium, & in commutatiua rei quę redditur ad eam quæ recepta fuit. ¶Tertiò deniq; arguitur. Distribuere communia bona idem esse videtur officium, quod collatis beneficiis compensare obsequia & seruitia quæ ciues in rempublicam impendunt, hoc autem iutitiæ commutatiuæ munus est: vt eodem loco. 2.2.q.108. astruit Diuus Doctor: eò quòd fieri debeat secũdùm æqualitatem rei ad rem sicuti & suppliciorum inflictio, licèt vtrunq; per imperium fiat iustitiæ legalis: ergo nihil restat quo differat iustitia distributiua à commutatiua. ¶Contraria est Arist. sententia, eodem loco cõstituentis medium in distributiua secundùm proportionem Geometricam, & in commutatiua secundùm Arithmeticam.

Primum argumentum

Argum. 2.

Argum. 3.

Arist.

AD quæstionem hanc respondetur duabus conclusionibus. Prior est. Vtriusq; iustitiæ tam distributiuæ q̃ cõmutatiuæ medium secundũ æqualitatẽ, quæ in reb⁹ exterioribus fit, cõstituitur. Conclusio est Aristo. 5. Ethico. cap. 3. & 4. Hanc enim differentiam q. 1. huius libri inter reliquas morales virtutes & iustitiam secundùm earũ naturam meditati sumus: ꝙ cùm reliquæ mores componãt hominis in ordine ad seipsum: iustitia verò in ordine ad aliũ, mediũ aliarũ virtutũ inueniatur inter duas extremas affectiones, quas virtus moderatur & rectificat. Vt fortitudo inter timores & audacias: & temperantia inter exorbitantes concupiscentias & tristitias, quæ de absentia delectabilium tactus oboriũtur. Iustitia verò, quia in voluntate residet, vbi nullæ sunt passiones, nõ est earum moderatrix, sed solùm illi incumbit mediũ ponere in rebus quæ aliis debentur. Etenim licèt quandoq; cupiditas & auaritia impedimento sint officiis iustitiæ, non tamen ad ipsam pertinet illam auaritiã reprimere: sed ad liberalitatẽ, quæ circa tales versatur affectiones. ¶Posterior conclusio est eiusdem Arist. eodem loco. Aequalitas quæ medium est iustitiæ distributiuę nõ est eiusdem prorsus rationis atq; in cõmutatiua: imò in distributiua est Geometrica: & in commutatiua Arithmetica. Aequalitas enim Arithmetica sumitur secundùm excessuum æqualitatem numerorum: sumiturq; minimum in tribus terminis: quorum tamẽ medius bis resumitur. Habet siquidem respectum duplicem. Qualis em̃ est proportio Arithmetica duorũ ad quatuor, talis est quatuor ad sex: quoniam excessus sunt pares, licèt maior sit proportio Geometrica quatuor ad duo, quàm sex ad quatuor: nam illa est dupla: hæc verò sesquialtera. Et dicitur proportio Arithmetica, quia est inter numeros tanq̃ inter proximos proprioſq; terminos: nã arithmos numerus est: licèt sit pariter inter cõtinuas quãtitates. Aequalitas autem Geometrica attenditur per æqualitatem proportionũ: vt proportio quæ est inter octo & quatuor, æqualis est illi quæ existit inter quatuor & duo: quia vtraque est dupla tametsi excessus sint inæquales. At quoniã medius terminus bis sumitur, ait Aristo. hanc proportionũ habitudinem consistere minimũ in quatuor terminis: vt qualis sit proportio. a. ad. b, talis sit c. ad. d. Nam Arithmetica proportio inter tantùm duo fit, vt inter vnũ & duo: licèt proportionalitas, hoc est, proportionum æqualitas (vt dictum est) tres postulet. Vnde in cõmutationibus per rerum duarum æqualitatem æquantur duæ personæ. Patefit ergo cõclusio hoc pacto. Vbi princeps decreuerit decẽ talẽta ciuibus distribuere, debet in tot partes illa partiri, quot sunt ciues: tali tamen ratione, vt qualis sit proportio meritorũ Petri ad merita Pauli, talis sit & proportio præmij illius ad prẽmium huius. Si enim merita Petri sunt vt sex, & Pauli vt tria, quæ est dupla proportio, & cõfertur Paulo præmiũ vt duo, debetur tunc Petro prẽmium duplum, scilicet vt quatuor. Nam tunc fiet, vt qualis sit proportio meriti Petri ad suũ prẽmiũ, puta sesquialtera, talis sit quoq; meriti Pauli ad

Prima cõclusio.

Arist.

Ratio cõclusionis.

Posterema conclusio.

Aperitur cõclusio.

suũ præmiũ â permutata proportione. Videlicet, si a. se habet ad. b, sicut. c. ad. d. tũc sicut. a. se habet ad. c, se habebit &. b. ad. d. Fac a. &. b, esse merita. c. verò &. d. præmia. Et hoc est inuenire mediũ geometricũ. Sed quæris cur non statuimus talia exempla vt præmiũ esset æquale merito? Respondemus hoc nos cõsultò fecisse: quoniã accidẽtariũ est iustitiæ distributiuæ, &, quod aiũt, impertinens, vt præmium sit merito æquale: Aliter hac rõne non differret à cõmutatiua. Enimuerò nõ semper æqualis bonorũ summa distribuitur ciuibus, etiam si semper haberent paria merita: quoniam respublica humana quandoq; in bonis plus, quandoq; minus habet: Nunc enim, verbi gratia, distribuit triginta talenta quam a b hoste prædam eripuit, alio tempore viginti, atq; alio decem. Et ideo nõ potest semper militi obuenire æquale præmium suo merito. Atq; idem comperitur in publicis fructibus, qui nunc benigniùs, nũc verò maligniùs proueniunt. Et in lege Agraria de diuidundis agris. Quocirca nõ debet haberi respectus nisi ad geometricam æqualitatem. At verò in distributione diuinorum bonorũ quæ à Christo in die iudicij futura est, quia infinita illa sunt, & quæ exhauriri nequeunt, distributio fiet, non solùm secundùm proportionem geometricam, vt quo quisq; longiùs antecellet alteri meritis, excedat & præmio, verùm etiã secundùm Arithmeticam, vt quisq; tantũ recipiat in præmio quantum habuit in meritis, quæ ex diuina gratia processerũt. ¶ Ecce de distributiua iustitia. In commutatiua verò alia est habẽda ratio: nempè vt sit æqualitas inter rem acceptam & eã quę redditur. Verbi gratia. Ante quã duo mercatores societatẽ inirent vterq; habebat quinq;. Petrus verò per cõtractum aut mutuò aut quomodocũq; dedit Paulo vnũ, habet ergo tunc Paulus duo plura q̃ Petrus: itaq; est proportio Arithmetica: puta quatuor quæ habet Petrus, ad quinq; quæ ambo habẽt: & quinq; ad sex quæ modò habet Paulus: quorũ mediũ est quinq;: est ergò faciẽda per cõmutatiuam iustitiã taliter restitutio vt Paul⁹ quoq; reddat Petro vnũ, qua ratiõe ambo sint in medio: nulla personarum qualitate aut cõditione existimata. Enimuerò siue inter magnatem & plebeiũ, siue inter probũ virum & reprobum, siue inter amicos, siue inter inimicos contractus & conuenta more & lege celebrentur, nihil subinde cõmutatiuę iustitiæ variatur. ¶ Hac præmissa declaratione probatur conclusio. Medium iustitiæ cuius munus est, debitum cuiq; suũ reddere, attendẽdum est & perpendendũ per formalẽ rationẽ debiti, à qua virtus speciẽ sortitur: rationẽ verò debiti distributiuæ & cõmutatiuæ variam esse monstratum est: ergo secundùm illam varietatem variatur & medium. Varietas autẽ hæc est, q̃ id quod debetur in distributiua, nõ debetur quia propriũ possessum fuit à ciue: sed quia pars ille est reipublicæ: & quod est totius, quodammodò est partis: ergò quo quisq; principalior est pars, eâdẽ proportione plus debet bonorum recipere. Exemplum nobis natura perhibuit in stomacho, qui cõmune est corporis mẽbrum: haud enim idem alimentũ subministrat pedibus, quod oculis: neq; idẽ iecori, quod spleni: sed vnicuiq; pro sua natura & dignitate. Debitũ autẽ in commutatiua inde exurgit, q̃ res fuit possessio alterius: ergo nullo habito meritorũ personarũ respectu, debet vnicuiq; tm̃ referri quãtum ipse cõtulerat. ¶ Quòd si contrà sic arguas: In cõmutatiua iustitia perinde atq; in distributiua pensatur nonnunq̃ personarũ cõditio & dignitas. Nã sicuti qui alapa percutit principem, maiori per vindicatiuã iustitiã supplicio plectitur quã si percuteret popularẽ, vt Arist. quoq; adnotauit. 5. Ethic. cap. 5. ità dum per restitutionem cõpensatio fit, plus debet qui honestũ ciuẽ & nobilem cædit, q̃ qui simili plaga plebeiũ læderet: ergo hac parte nõ differũt istæ iustitiæ. Respõdetur, qualitatem personæ in vtraq; iustitia perspici: attamen in distributiua per se: vt scilicet per augmentũ personæ augeatur proportio ad aliũ: cumulatiorisnanq; meritiest in viro ingenuo comitas & humilitas, q̃ in hoïe inferioris sortis: sed tamen in iustitia cõmutatiua dũtaxat attẽditur persona quatenus inde augetur quantitas iniuriæ, quæ ad æqualitatem resarcienda est.

obiectio. *Solutio.* *Suadeturcõclusio* *Argumẽtũ* *Aristo.* *Responsio.*

PER hæc ergo superiorum argumentorũ solutio claresçit. Ad primum enim priori cõclusione responsum est secundùm differentiam iustitiæ à reliquis virtutibus. Et pariter secundũ solutũ est cõclusione posteriori. Concedimus enim vtriusq; iustitiæ medium constitui secundùm æqualitatẽ in rebus quæ inter duas personas vel plures cõponitur: diuersimodè tamen: quia medium in distributiua attenditur secundùm æqualitatem inter duas proportiones, scilicet

Ad primũ argumẽtũ *Ad secũdũ argumẽtũ*

cet meritorũ inter se inuicem,& pariter præmiorum: cõmutatiua verò secundùm equalitatẽ inter res acceptam & redditam. ¶Ad tertium autem respondetur q̃ beneficiorũ collatio nõ fit nisi pro receptis obsequiis & laboribus: obidq; habet quãdam mercedis rationem,atq; adeò cõmutatiuę iustitiæ munus est. Vt cũ quis strenuè egit in bello seu egregium consilium principi dedit, vel insidias coniurationesve detegit.Is nanq; etiam si nullum talibus constitutum esset stipendiũ,dignus est cui iusta beneficia pro obsequio conferantur.Distributio verò bonorũ communium nõ est compensatio,sed nuda attributio eorum quæ totius corporis sunt ad partes.Quapropter partium merita non eodẽ pacto in omnibus rebus publicis æstimãtur,vt Aristot.loco citato meminit:Nam vbi respublica per Democratiam,id est, per popularem potentiã gubernatur, nulla alia merita librantur quàm libertas, vt. s. quia omnes æqua libertate fruuntur,æqua suscipiant. Nisi forsan libertinis, qui mancipia erãt,minùs:illis autẽ qui ingenuitate clariores sunt,plus obtingat. Sed in Oligocratia, hoc est,paucorũ potentia,secundũ diuitiarũ quantitatẽ fit æstimatio:vt quo quisq; plus habeat,eo plus recipiat:quæ iniquissima est omniũ distributio. At verò in Aristocratia, hoc est,optimorũ potentia,vsus distributionis est secũdùm virtutum merita. Et talis debet in regno perspici,quod rex optimus regit.Nam cùm honos alat artes,nullum inter mortales valentius est virtutum incitamentũ & fomentũ,q̃, cuiq; pro meritis honores deferre.Etenim qui solo virtutis amore,futurum inspectantes sæculum,ad officia accenduntur,impendiò q̃ rarissimi sunt. Ob idq; Cato admonere Patres Cõscriptos cõsueuerat,vt benè consultarent quibus virtutibus præmia ponerent:quoniã non aliàs poterat iuuentus persequi, q̃ quibus possent statos sibi honores assequi.

Ad tertium argumentũ

ARTICVLVS. III.

Vtrùm eadem sit materia distributiuæ & commutatiuæ.

DE materia autem harum specierum quæritur hoc tertio articulo,vtrùm eadem sit vtriusq; iustitiæ, quæ in has tantùm species specialissimas diuidit. Apparet enim primùm esse eandem materiam: aliàs essent vsq; adeò virtutes ipsę diuersæ,vt non cõtinerentur sub vna cardinali virtute iustitiæ:diuersitas enim materiæ temperantiæ,& fortitudinis,constituit duas per se virtutes cardinales:consequens autẽ est falsum & contra Aristot. sententiam,atq; omnium quatuor duntaxat discernẽtium cardinales virtutes.Mox arguitur cõtra id quod quæstio latenter etiam interrogat.Iustitia cõmutatiua diuiditur in species multas: ergò istæ non sunt specialissimæ atq; atomæ.Antecedens patet.Aristoteles cõnumerat diuersas materias,quin verò formas cõmutatiuę iustitiæ,altera quippe est cõmutatio voluntaria, atq; altera inuoluntaria:quæ rursùs diuiditur in inuoluntariã per vim,& in inuoluntariã per fraudẽ: nõ ergo vtraq; specialissima species est. ¶In cõtrarium est Aristo.co loco vbi ait distributiuã distributiones dirigere: cõmutatiuam verò cõmutationes:cuius tamen cõmutatiuæ nullas distinguit species.

Aristo.

QVæstio duas habet particulas, ad quã perinde duabus operæpretiũ est conclusionib⁹ respõdere.Prior sit hæc.Materia quam remotam appellãt eadem est vtriusq; iustitię:proxima vero,diuersa.Prior pars sic ostenditur.Materiæ remotæ harum virtutũ sunt tam personæ inter quas,q̃ res in quibus fit distributio & commutatio: hæc autẽ eadem sunt:fit enim tam distributio q̃ cõmutatio exteriorum rerum, nempè frumẽti,vini,olei,& pecuniæ inter eosdem ciuis. Posteà itidem conclusionis mẽbrum est etiam liquidum.Materia siquidẽ proxima est, rerum vsus: & constat distributiuam iustitiã dirigere vsum illũ, qui est res adiudicare ciuibus ratione debiti:nõ quòd propriũ erat singulorũ: sed quòd erat totius reipublicæ: ad quam (vt diximus) functionẽ alia ratio exigitur,aliaq; existit difficultas q̃ in cõmutatiua.Facultas autem cõmutatiuę est vsum rerum moderari in reddendis debitis singulorum peculiaribus. ¶Vnde patens fit ad prius argumentũ respõsio:hęc nanq; vsũ diuersitas.etsi diuersitatem specierum virtutis constituat:nõ tamen tantam quò minùs ambæ contineantur sub specie iustitię particularis,quæ in rebus versatur extrinsecis,earumq; vsibus circa particulares personas. Secùs autem de temperantia & fortitudine: quippè quarum altera versatur circa tactus delectationes,eorum sensibilium, quæ nos ad se alliciunt & pertrahunt:altera verò circa obie-

Prima conclusio.

Probatur prior pars cõclusionis.

Probatio partis posterioris.

Primum argumentum

ca obiecta irascibilis appetitus, quæ sua nos arduitate & horrore conterritant & à seipsis auersantur. Est enim hæc tanta diuersitas vt diuersos constituat cardinales virtutes.

Secunda cõclusio. ¶Posterior conclusio est. Materiæ varietas quæ cõmutatiuæ iustitiæ subijcitur, neutiq; eãdem virtutem in species plures disiungit: sed est vnica eademq; atoma. Huius autem veritatem cõclusionis hac diuisionum serie venari sanè possumus. Prima enim diuisio

Duplex cõmutatio. sumitur ex commutationũ diuersitate per ordinem ad voluntatem. Commutationum nanque altera est voluntaria: altera verò inuoluntaria. Inuoluntaria quippe commutatio est quando quis rem sibi alienam vsurpat, vel personam, vel opus inuito domino: vt in furto: voluntaria verò quando quis rẽ â domino volente & consentiente suscipit: vt in mutuo. Vbi adnotandum subinde est commutationis nomen non simplicem denotare, vel dationem, vel receptionem: vbi enim res gratis datur, donoq; recipitur, nulla est commutatio: sed tunc datio propriè est cõmutatio (vti nomen clamat) quando alter dat vt recipiat, alter verò recipit vt reddat: vt patet in mutuo, in deposito, in vẽditionibus, conductionibus, reliquisq; id genus ciuilibus pactis. Quocirca commutatio in vniuersum spontaneam quampiam atq; voluntariam actionem ex vtràque parte significat: videlicet tam conferentis quàm recipientis. Cõtraria ratione inuoluntaria cõmutatio inuolũtariam supponit actionem, tam ex parte patientis quàm ex parte auferentis. In furto nanque neque dominus dat vt recipiat, neque fur capit vt reddat: sed ille contra suam voluntatem patitur: hic autem liberè accipit quod nollet vnquã rependere, Attamen dum postea restituit, nihil refert, vltrone reddat pœnitentia ductus, an à publica potestate cõpulsus. A priori nanque radice acceptionis, puta ab inuolũtaria ablatione nuncupatur commutatio inuoluntaria vel voluntaria. Nam & vbi fuit acceptio voluntaria, potest etiam redditio esse inuoluntaria: vt puta quando infidus emptor vi cogitur pretium soluere. ¶De donatione autem dubium est vtrùm vtriusq; partis exigatur assensus, videlicet non solùm dantis, verùm & accipientis. an scilicet si Petrus animo suo vel verbo insscio Paulo quippiam donaret. donatione illa teneretur ante quàm alius acceptaret. Et videtur teneri: quia cùm quis Deo apud se quippiã vouet,

Dubitatio.

illicò obligatur: pariformiter ergo ligari videtur qui donauit. Respõdetur tamen quòd cùm datio relationẽ dicat ad accipientẽ, nõ videtur oriri obligatio anteq; alter acceptet. Et ideo reuocari fortè potest, etiã absq; vlla iusta causa. Secùs de voto Deo facto: quia ipse, si iustum est, semper acceptat. Si autem solẽniter coram testibus donatio fiat absenti, tunc standum est iuri ciuili. Arbitror eñ absq; donatarij consensu vel legitima causa iura reuocationẽ non sinere. Quòd si ita est nec cõscientia id permittit. ¶At verò quoniam Aris. 3. Ethic. duabus de causis accidere docet inuoluntarium: scilicet aut vi & metu, aut ignorãtia: subdiuidit in. 5. lib. inuolũtarias commutationes in duo: scilicet in eas quæ occultè & ignorante domino per fraudem fiũt, & eas quę per violentiã manifestè. Atq; vtrasq; denarrat illic Aristot. locupletiùs autem S. Thom. 2. 2. q. 61. ar. 3. vtraq; enim cadere potest, aut in rem tuã aut in tuã personã, aut in tuos, scilicet in eos qui aliqua sunt tibi necessitudine coniuncti. Res igitur tuæ aut subdolè tibi & occultè surripiuntur, q̃d vocatur furtum: aut manifestè, & id appellatur rapina. In tuam autem personæ substantiam committi potest homicidium, læsiò vel alia: aut occultè, vt per veneficiũ seu per insidias: manifestè autem per apertã vim. Et rursùs personæ dignitas impeti potest aut clanculùm: vt per falsa testimonia, perq; latentes detractiones quibus fama æstimatioq; deteritur: & corroditur: manifestè autẽ aut per calumniã in iudicio, aut per cõuitia quibus honori detrahitur. In persona aũt sibi cõiuncta potest cuipiam iniuria fieri, vel in vxore per occultũ adulteriũ, vel in seruo, qui vt fugiat seducitur. In quibus etiã põt & manifestariis quis iniuriis onerari. Tametsi quod de seruo dictum est, rapinæ habeat aut furti rationem. ¶Commutationes itidem voluntarię per sua quoq; mẽbra articulatim subsecantur. Enimuerò primùm dum quis rei suę dominiũ in aliũ trãsfert non animo quicq̃ recipiendi, vt puta dono aut legato, non est propriè commutatio, vt iam modò dicebamus. Quapropter neq; ad iustitiam commutatiuam hæc actio pertinet, sed ad virtutem liberalitatis: quoniã nulla illic subest rõ debiti. Commutationũ ergo diuisio quę spõte fiũt, sic in genere habet. Aut enim est mutuatio, puta vbi quis rei vsum gratis alteri concedit pacto recuperandi rem: nam si præter rem aliquid pro vsu recipiat, tunc in his

Solutio.

Diuisio spõtaneæ cõmutationis.

Aristo. S. Thomas.

Multiplex genus cõmutationum.

quæ

quæ vsu consumuntur, vt pecunia, frumento, & similibus, vsura est, ad rapinam pertinens: in his autem quæ vsu non consumuntur, locatio aut cõductio. Si autem quis rem suã tradit non ad alterius vsum, sed vt ipsam rursùs recipiat, tunc si id fiat conseruationis gratia, depositum est: si autem vt alterũ tutum reddat, tunc aut impignoratio est aut fideiusio. Dum aũt quis rem suã in alterius dominiũ transfert, nõ animo eam rursùs recipiendi, sed eius tantũ pretiũ tunc est vendi tio. ¶ His ergo præcursis probatur secunda cõclusio. Species virtutũ, vt dictũ est, distinguuntur per obiectorũ ratiões & formas: ratio autẽ debiti, quod obiectũ est iustitiæ cõmutatiuæ, eadẽ in his oĩbus materiis existit: ergo vnica est species iustitiæ ad omnes patẽs. Probatur minor: quoniã iustitia cõmutatiua tantũ hoc respicit in radice debiti q̃ res sublata, propria fuerit possessio domini: hoc enim differt à distributiua: quod autẽ resilla iustè vel iniuria, per fas aut per nefas fuerit sublata, nihil ad ipsam. Etenim quãtũ ad restitutionẽ spectat, ad eãdem æqualitatẽ fieri debet. ¶ Et per hoc patet secundi argumenti solutio. Negatur enim antecedẽs. Neq; Aris. ait voluntarium & inuoluntariũ in cõmutationibus duas discernere species iustitiæ, sed duas partes. Nã etsi illę differentiæ duas species distinguãtin genere morũ respectu volũtatis, eò q̃ inde nascitur distinctio inter iniuriam & iustitiam: tamen ratio iustitiæ cõmutatiuæ minimè in illam diuersitatem fertur.

probatio cõclusionis.

Ad secũdũ argumentũ

ARTICVLVS. IIII.

Vtrũ eadẽ sit vtriusq; Iustitiæ forma.

VTrum verò deniq; vt quarto loco exploremus an forma iustitiæ perinde ac remota materia, eadẽ sit in vtrãq; virtute. Id q̃d potissimũ in gratiã Aristot. interrogamus: quippe qui. 5. Ethi. cap. 5. disputat an iustitiæ forma sit quædã repassio. Et arguit̃ â parte affirmatiua ex finali iudicio, vnde maximè sumenda est regula. Illic em̃ (vt ait Paul.) debet vnusquisq; recipere, put gessit in corpore: & Christus Matth. 7. in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mẽsura mensi fueritis, remetiet̃ vobis. Quibus verbis colligitur vnũquenq; repassione plectendũ secundũ quantitatẽ actionũ quibus prauè egit. ¶ Item arguitur secundo loco. In vtrãq; iustitia attẽditur repensio quædã. s. in distributiua præmij ad meritũ & dignitatẽ personę: & in cõmutatiua rei ad rẽ: siue iniuria aliqua interceſſerit siue nulla: vt in superibus dicebamus: idẽ aũt esse videt̃ repassio, quod repẽsio, siue boni siue mali, pro eo q̃d quisq; recipit, seu vi abstulerit, seu dñi voluntate: consistit: ergo cuiusq; forma iustitiæ in repassione: vel quod minùs latine dicitur in cõtrapassione. ¶ Cõtrarius est Aris. eod. 5. Ethi. cõtra Rhadamanthũ asserẽs quodlibet iustum in simplici repassione consistere.

Argum. 1.

Argum. 2.

Aristo.

VT responsio quæstionis huius lucidiùs instituatur, prẽmeditanda cum S. Tho. est nominis significatio repassionis: seu vt ipse ait, cõtrapassionis, Primẽua enim huius verbi significatio ad id tantũ accõmodatur quod quis cõtra suã volũtatem patitur: pati enim, violentiã sonat: est aũt violentũ, secũ dùm Aristotelem Ethi. 3. cui passum nõ confert vim. Obidq;, in moribus iniuriã significat: quã quis inuitus accipit. Quapropter repati idẽ est quod tantundem pati quantum quis vi aut fraude alteri intulit: siue fiat in persona, quod maximè propriũ est: siue in rebus, quod suã etiã propter inuoluntarium proprietatem habet. Id quod antiqua lege vtroq; modo iustũ erat, secundũ illud Exod. 21. Reddet animã pro anima, oculũ pro oculo. &c. Et cap. sequenti. Si quis furatus fuerit bouẽ aut ouem, & occiderit vel vendiderit, quinq; boues pro vno boue restituet, & quatuor oues, p vna oue. repassio ergo furis nõ erat reddere simplũ: nã hoc simplex restitutio postulabut: sed vt pro iniuria pœnã lueret. De hac autẽ propria significatiõe nomẽ ad spontaneas cõmutationes decidit: in quibus nomẽ passio nõ seruat suã iustam significationem: sed est abusus quidã, disputationis tamẽ gratia vsu receptus. His leuiter præhabitis, Aris. vnica respõdet cõclusione qua negat iustitiã vniuersim sub repassionis forma seruari. ¶ At verò explicatiùs tribus conclusionibus fiet quæstioni satis. Prima, In distributiua iustitia nulla est repassionis forma: quoniam (vt dictũ est) non habetur illic ratio, vt ciuis quantum cõtulit recipiat, aut quantũ iniuriæ intulit, luat: nã etsi ciues nihil in rempublicã cõtulissent, præterq̃ q̃ viri sint probi, confertur singulis secundùm proportionẽ suorũ meritorũ (vt expositum est) nulla pẽsata qualitate inter rem & rem. Secunda cõclusio. Neq; in cõmutatiua iusti

Quid repassio significet.

Aristot.

Conclusio responsiua & mẽte Aris.

Altera conclusio.

Secunda.

...t semper iusta repassio, vbi idem prę... perpeteretur reus quod auto... ab illo per... fuerat: potest nihilo minùs vtriusque ...timata qualitate fieri iusta. Conclusio est Aristot. vbi sententiam Rhadamanti corrigit. Aiebat enim ille.

Si quæ fecerit, hæc etiam patietur & ipse: Iudiciũ fuerit perrectũ, atq; exitus ęquus. Redarguit eum tamen Arist. q̃ si quis magistratũ gerens percusserit quempiã, aut si rex etiam cõtra iustitiã ciuem vulnerauerit, non est rationi cõsentaneũ vt idem ipse vulnus accipiat. Et cõuersim vbi priuatus homo temerarias manus in regẽ coniiceret, non satis supplicij solueret si par illi plaga infligeretur: sed qui regi, verbi gratia, manum amputaret, capite plectendus esset: & si quem ipse capite truncaret, non ideo corporis deberet vllo mutilari membro: nõ ergo iustum commutatiuæ iustitiæ in eiusdem recõpensatione consistit. At verò forsan Rhadamanthus nõ iret huic æquitati inficias. Enimuerò res ipsa quę auferetur, qualitate personę augmẽtũ suscipit aut decrementũ. Etenim vt atrocior iniuria est quæ principi irrogatur, ità leuior est corã hominib⁹ quã ipse infert. Quapropter cùm iustum in æqualitate cõsistat, augeri debet supplicium in percutiente principem: in ipso autem principe pęna diminui. Neq; in iniuriis tantũ corporalib⁹ res sic habere debet, verùm & in exterioribus rebus. Qui enim vi alteri in suis rebus incõmodauit, nõ facit satis idem simplũ reddẽdo, ac si per eiusdẽ domini voluntatẽ res suscepissẽt easdẽ: sed lege insuper in ipsum agendũ est pro iniuria: quemadmodũ fit in furę. ¶ Tertia cõclusio. In cõmutationibus voluntariis (eo modo q̃ illic repassionis vtimur noie) nõ seruabitur iustũ si quis cõferens rẽ suam aut suũ propriũ opificiũ, recipiat ab altero id simplũ quod ipse habet vel quod sua arte præstare põt. Conclusio etiam est Arist. nam fieri potest vt res diuersorũ ciuium & artificũ nõ sint æqualis pretij. Exempli gratia: Sutor indiget domo quã alius sibi artifex ędificat: non satis est pro ædiũ fabrica vt reddat vnũ duóve calceorũ paria, sed deberet tot illi accumulare quãti erat domus fabrica. Pari modo: indiget vnus agricola, qui frumento abundat, vino vel oleo alterius: non semper vsu venit vt modius frumenti eiusdẽ sit æstimationis cum modio vini: debent ergo illa quæ vilioris sunt æstimationis, per multiplicationẽ adæquare rei quæ præstabilior est.

Aristo. *Ratio Arist. pro conclusione.* *Tertia conclusio.* *Ostenditur conclusio.*

Atq; hac ratione poterit iustũ in repassione cõsistere: aliàs minimè. ¶ Ex his ergo inquit Arist. orta est nummorũ necessitas. Est enim nummus seu numisma quasi id quod lex & norma: νόμος enim græcè idẽ est quod regula & lex. Duo ergo sunt numismatis vsus: prior vt sit mẽsura, res oẽs adæquãs. Nõ poterat fabrica vnius dom⁹ ad amussim calceis vel caligis vel aliis opificiis ęstimari: vẽdit ergò tot calceos sutor vt pecuniã cõficiat qua possit domũ coẽmere. Prætereâ iste qui modo reb⁹ alteri⁹ nõ indiget forsan indiget aliis, vel egebit eisdẽ futuro tẽpore, vel in alio loco: nummus ergo illi est ꝑ vade qui ei fideiubet. Nã vbicũq; & quã docunq; talẽ exhibueris nũmũ, rẽ habebis indigẽtię tuę accõmodã. Quapꝑ & moneta dicit quasi monitoria lex: & pecunia â pecude, quã Romani autore Plinio li. 33. pecudũ notas ignârũt: eòq; pecuniæ (vtait Sapiẽs) oia obediũt: & in mũdi primordiis mobilia bona & cõmutabilia plurimũ pec⁹ & pecora, armẽtaq; erãt. Ex his rursus consequi⁹ nummi valorẽ (vt eodẽ loco Philosophus ait) non prorsus ex natura rei æstimandũ esse, sitne videlicet æs, argentũ, an aurũ, sed statuto & signo reipublicę, aut principis, qui suã in tali nũmo sculpit autoritatẽ: tanq̃ fideiussor pro oĩbus. Vnde necessitatis tẽpore in quacũq; materia, etiã vilissima, vt in ferro, & in corio cudi põt, aut sculpi. Tametsi pro regionis natura & facultate metallũ illud deligẽdũ huic muneri est, quod solidius sit & quadam vigẽs perpetuitate. Hac enim ratione Plinius lib. eodẽ selectũ esse aurũ asserit inter metalla: nõ quidẽ rõne coloris, qui in argẽto, inquit, clarior est, magisq; dicit similis: neq; rõne ponderis, aut materię facilitate, cũ cedat per vtrũq; plumbo: sed quia rerũ vni nihil igne deperit, tutò etiã in incendiis rogisq; durãte materia. Hæc ille, Etenim cùm ignis sit qui inter omniũ maximè actiuorũ, edax vorax q; sit rerũ, eo præstãtius est aurũ quo ab hoc periculo tutius est. Fit etiã cõsequẽs (quod Arist. illic prudenter adnotauit) vt quanuis vlla ingruẽte necessitate augeri minuiq; possit nummorũ æstimatio, id tamẽ impẽdiò q̃ rarissimè fieri fas sit. Quin verò hac ratione debet pecunia legis naturã imitari: vt fixa semper firmaq; sit. Enimuerò cùm per nummũ (vt diximus) respublica & princeps cunctis fideiubeat, nõ parùm deteritur eiusdẽ principis ac reipublicæ fides, quùm ciues huiusmodi summutationibus absque ingenti necessitate defraudantur.

Numismatũ origo. *Duplex pecuniæ vsus.* *Vnde dicta moneta.* *Plinius.* *Aristot.* *Nummorũ æstimatio ad modum legis fixa et firma esse debet.*

AD

Ad primũ argumentũ S. Thomas.

AD primum igitur argumẽtum quod definali iudicio factum est, respõdet sanctus Tho. arti. 4. q. 61. futurum esse secundũ rationẽ commutatiuæ iustitiæ prout scilicet recompẽsat præmia meriti, & supplicia peccati. Caietanus autem obijciens argumentum ad hominem, videlicet qui 1. p. q. 21. ar. 1. & 4. sen. dist. 46. ar. 1. negat in Deo iustitiam commutatiuam, respondet tam punitionẽ quàm remunerationem illic fieri secundùm iustitiam distributiuam: nam (vt legitur de Iuda, Actu. 1.) Vnusquisque illic mittetur in suum locum. Habebit autem, inquit, & formam quandam commutatiuæ iustitiæ pro quãto res pro re datur: puta præmium pro merito, & pœna pro offensa. Veruntamen non idem ego, nisi fallor, arbitror sentiendũ, neq; secundum sanctum Thomam, neq; secundùm veritatem de remuneratione bonorum, & de malorum vltione. Collatio nanq; præmiorum procul dubio iustitiæ distributiuæ functio est: tametsi vt art. 2. dicebamus, hæc illic conspiciatur ratio commutatiuæ q̃ cum diuina bona infinita sint, ita redditur omnibus secundùm proportionem meritorum geometricam, vt adæquetur quoq; ad vnguem præmium merito, quod in republica humana, vbi curta nõnunquàm sunt bona, obseruari semper nequit. At verò non idem est de iustitia vindicatiua in delinquentes. Talis enim iustitia neutiquàm ad distributiuã pertinet. Id quod expressè affirmat sanctus Thomas. 2. 2. q. 108. ar. 2. elicitur enim vindicta à iustitia commutatiua: imperatur: autem à legali: vt art. 1. huius quæstionis nos supra adnotauimus. Nam punitio non est: sicut bonorũ distributio. Distributiua nãq; iustitia non attendit quid ciues contulerint vt repẽdatur eis, sed quid in se quisq; mereatur: punitio verò per se aspicit quam quisq; iniuriam irrogauerit vt pari plectatur supplicio. Quare non primùm attendit ad delictorum proportionem: sed ad cuiusq; quantitatem: quod munus est commutatiuæ iustitiæ: ex consequenti autem seruatur in supplicijs eadem proportio quæ erat in criminibus. Itàq; vindicatio (vt loco citato ait sanctus Tho.) respondet non distributioni bonorum. sed collationi beneficiorũ pro susceptis seruitiis, quæ actio pariter est iustitiæ cõmutatiuæ, imperatæ tamẽ à legali. Quapropter diuersa est ratio remunerationis & punitionis: illa nanq; per se seruat proportionem geometricam inter proportionem meritorum & alteram præmiorum. Sed ex consequenti, vbi est bonorũ copia, quemadmodùm in Deo, custoditur æqualitas rei ad rẽ: scilicet præmij ad meritum: punitio autem è diuerso priùs vbique respicit æqualitatem supplicij ad delictum: ex consequenti autem seruat proportionum habitudinem geometricam. Atq; huic consonat quod ait Paulus, In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ: quã reddet mihi in illa die iustus iudex: scilicet per iustitiam legalem, quæ cùm sit generalis virtus, imperat cæteris: atque adeo tam commutatiuæ iustitiæ quàm distributiuæ. At verò probè denegat S. Thom. iustitiam commutatiuam esse propriè in Deo, pensata eius formali ratione: idcircò q̃ nihil ipse à nobis accepit, quod illi accrescat. Nam quis prior, inquit Ioãnes, dedit illi & retribuetur ei? neq; nos quicquam ab ipso qui immutabilis est, propriè adimere possumus. Sed si boni sumus, nobisipsis, inq̃; rem nostram boni sumus ad gloriam Dei. ¶ Ad secundum autem argumentum satis perspicuè per conclusiones responsum est. Prima enim declarauit quemadmodum in iustitia distributiua nulla est repasio, propterea quòd nulla illic habetur consideratio ciuis, an quicquã præstiterit aut egerit, cuius æquale recipiat, In commutationibus autem potest seruari repasionis figura, modo iam expositio.

Obiectio Caietani aduersus S. Thom.

Solutio Caietani.

Explodituꝛ Caietani responsio.

S. Thomas.

Paulus.

Ad secũdũ

QVAESTIO SEXTA, de acceptione personarum.

S. Thom. 2. 2. q. 63.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm personarum acceptio iustitiæ distributiuæ contraria, crimen genere suo sit mortale.

POST diuisionem iustitiæ in distributiuam & commutatiuam, rectus ordo poscit vt de iniustitia priùs, quæ distributiuæ aduersatur, disputemus. Nam iustitia distributiua, vt pote quæ in principe potissimum prominet, qua bona cõmunia singulis

gulis ciuibus adiudicat, præstãtior est quam commutatiua. Quapropter ab ordine diui Thomæ digressi sumus. Habebit autẽ quæstio articulos septem. Primus ac præcipuus est de hac iniustitia quam acceptionem personarum appellant, sitne genere suo mortale crimen. *Primum argumentum* Et primùm omnium vt à diuina lege, quæ fons nostrarum est exemplar, exordiamur, Deus in gratia & gloria dispensandis videtur personas respicere: nam personarum respectus tunc accidit, dum nullus meritorum habetur. Deus autem neminem ob nostra merita in gratiam suam recipit, vt Pelagij impietas cogitauit: Vnde Matth. 24. Duo erunt in lecto, & vnus assumetur & alius relinquetur: ergo neq; inter homines vitium est personas respicere. ¶ *Secundò* arguitur. *Secundum.* Paupercula quæ duo minuta in gazophylacium contulit, ideo cæteris, ampliora mittentibus, ore Christi prælata est, q̃ in diga erat: & qui publicum magistratum gerens, præcipuè spirituale, idem admittit crimen quod populares, acriori erit supplicio dignus ob suam ipsius dignitatem: personarum ergo acceptio non est ceu iniqua vituperanda. ¶ Contraria est Dei sententia Deutero. 10. de seipso Deus magnus, fortis, & terribilis &c. qui personas non accipit neq; munera. & Paulus ad Rom. 2. *Paulus.* Non est acceptio personarum apud Deũ. Vnde & Deus ipse (vt eodem lib. Deuter. cap. 1. patet) idem cautum etiam esse voluit hominibus, dicens Nulla erit distantia personarum. Itâq; audietis paruum sicut magnum: neque accipietis cuiusque personam.

NOmen hoc, personarũ acceptio, tametsi Ciceroni & priscorum Latinis non sit itatsu frequẽs, est iam nihilo minùs apud sacrorum interpretes latinitate donatum. Neq; verò à Græca compositione abborret: est enim Græcè προσωπολημψία, à λαμβάνω seu λήβω, quod est acceptio. Vnde ad Gala. 2. Deus personam hominis non accipit. vbi idem est verbum Græcum. Quãuis cùm idem quoq; polleat, præsertim in compositione, quod, respicio, optimè dicitur personarum respectus vt persona pro facie accipiatur. Est ergo decôra metaphora dum iudex inhibetur faciẽ personarũ in iudicio spectare, vt super Pau. Rom. 2. adnotauimus: nempe nè vel à genere, sexu, ætate, alijsve id genus qualitatibus suum sinat animum affici in iudicio. Eôdẽq; alludit illud Leuit. 19. Non consideres personam pauperis, neq; honores vultum potentis. Et de Areopagitis refert in Hermotimo Lucianus, ideò noctu & in tenebris iudicare fuisse solitos, nè ad dicẽtes respicere possent *Lucianus.* sed ad ea quæ dicerẽtur. Et Socrati ad æquitatis cumulum apponitur q̃ neque vxorem neq; liberos in iudiciũ voluit adducere ad excitandam iudicum commiserationem. Et Arist. Rhet. 1. illam Oratoriæ partem quæ ad *Aristot.* commouendos affectus exposita est, condemnat: Areopagum Atheniẽsium hac maximè ratione cõmendans, q̃ illam partem à suo iudicio relegatam haberent. Ex his ergo de nomine prænotatis colligitur acceptionis personarum descriptio. Est enim iniustitiæ crimen quo in distributione non causæ ad rem pertinentis, sed personę aliarumque eius qualitatum habetur ratio. *Definitio acceptionis p. sonarum.* Quô alludit glossa super illud Ephe. 6. Personarum acceptio nõ est apud Deum. Deus iustus iudex, causas, non personas discernit. *Glosa.* Et ratio nominis est q̃ cũ iustitia distributiua nuda syncerag̃; meritorũ momẽta suis bilãcibus perpendat: merita autẽ sint quę ex voluntate rectè instituta procedunt, quicquid ad huiusmodi meritorum cumulum nihil cõfert, ad natiuas personæ conditiones attinere censetur. Itaq; personæ nomine: natura intelligitur contra rectam volũtatem distincta, atq; adeò actiones aliàs quæ extra causam sunt. Conclusio ergo quæstionis sit. ¶ Acceptio personarum genere suo est peccatum mortale. Probatur. *Conclusio responsiua. Probatio.* Quicquid aduersatur iustitiæ est genere suo lethale scelus, vt suprà. q. 34. huius libri cum sancto Thoma definitum est: nã cùm iustitia necessaria sit virtus, quicquid illi obsistit, contrariũ est charitati, atq; adeò genere suo mortale: acceptio personarum obsistit iustitiæ: quippe quæ impedit legitimam seruari rationem debiti: ergo est mortalis. Quo circà licet sanctus Thom. q. 63 *S. Thomas.* ar. 1. tantum asseruerit personarum acceptionem esse peccatum, relinquerat tamen. q. 69 art. 4. constitutum, peccatum iniustitiæ censeri in mortalium genere. Tametsi in rebus exigui momenti contingat esse tantum veniale: vt si quis amicum minus dignum præstantiori præferret in electione ad officium quod parùm reipublicæ refert. Nam & qui minutam pecuniam furaretur, non subinde esset mortalis criminis reus. Qua vtiq; ratione temperamẽto hoc vsi sumus genere suo. Hinc fit consequens, cunctas causas & qualitates quę nihil ad dignitatem referũt illius *Corollariũ.*

rei

rei, magistratus, vel sacerdotij, aut præfecturæ, quæ per distributionem conferuntur, connumerari cum personis, vt ad earū acceptionem attineant. Potest nanq; eadem causa in vni distributione legitimè animaduerti, quā in distributione alius rei minimè pendere licet. Qui enim consanguineis ratione generis aliquid bonorum suorum donat aut legat, non est personarum respector: qui autem illa causa sacerdotium ei conferret, in tale crimen impingeret. Pari modo qui virum egregiè doctum, non tamen vsq; adeò compositorum morum, sanctoviro, ignaro tamen, in optione ad Cathedram anteferret, non haberetur personarum acceptor: velutisi illum præferret in alia electione vbi vir exigeretur probitate cōspicuus. Sed de huiusmodi meritis in sequentibus articulis emunctiùs.

Ad primū argumentū

PEr hæc ad primum argumentum patet responsio. In Dei nanq; distributionibus altera habenda est consideratio dum hominē (siue in puris cum naturalibus cōtemplemur, siue peccati labe maculatum) in suam gratiā primùm recipit: altera vero dum iam in eandem admisso eius perpendimus virtutum officia. In priori nanq; modo cùm nulla illic subsit ratio debiti, nullum locum habet iustitia distributiua, quæ (vt dictum est) debitum quodā pacto præsupponit: & ideo neq; illic subnotari potest personarum acceptio: sed est mera liberalitatis donatio: sicut si princeps bona sua propria quibus libèret impartiret. Nemo enim (vt ait Ioānes) prior dedit Deo vt retribueretur ei. Vnde in euangelica parabola Matth. 20. An non licet mihi quod volo facere? Tolle quod tuum est & vade. Quod quidem Paulus in altitudinem incōprehensibilem diuitiarum scientię Dei refert. In posteriori autem modo iustitia effulget distributiua: de qua ideo ait Paulus, *Paulus.* Qui reddet vnicuique secundùm opera sua. Et alibi: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Nam qui per Christi gratiā eius facti sunt mēbra, bene subinde de Deo merentur. Quapropter neque illic Deus est personarum acceptor: sed reddet vnicuiq; secūdùm meritorum pretium quę de diuina gratia promanant. *Ad secundum.* ¶ Ad secundum autem respondetur quòd quando personæ qualitas meritum auget aut crimē, tunc nulla est acceptio personarum illam inter causas præmij adscribere. Paupertas enim illius euangelicæ viduæ in causa fuit vt tenuis eius elemosyna maioris esset precij quàm si diues tā tundem largiretur: ob idq; cumulatiori præmio digna fuit. Et vice versa quoniam delinquentis præeminentia & locus culpam delicti aggrauat, fit vt dignitatis illius consideratio nihil vindici Dei iustitiæ officiat si acriùs in eum animaduertat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in spiritualium dispensatione possit acceptio personarum contingere.

PRæmissa natura & qualitate acceptionis personarū, quæ cùm iustitiæ sit cōtraria delictū mortale est sub sequitur vt videamus in quibusnam materijs versetur. Et primo in hoc secundo articulo, vtrùm in spiritualium dispensatione locum habeat. A parte eñ negatiua arguit. Sacerdotia & spirituales præfecturæ nō tam sub iustitia sunt distributiua quàm sub commutatiua: acceptio autem personarum, vt dictum est, distributiuę aduersatur: nō ergo in huiusmodi spiritualibus locum habet. Prior assumpta probatur: quoniam sacerdotia hæc & ecclesiasticæ præbēdæ, &, vt aiunt, personatus nō habent rationem præcisam bonorum communiū, sicuti prouentus reipublicæ, qui eò quòd sunt totiùs, sunt quodammodò partium: sed sunt stipendia populi ministris ecclesiarum constituta: debentur ergo personis dignis non propter seipsas, sed quia personæ tales debentur ecclesijs: hoc est dispensantur personis in mercedē pro seruitio per eam iustitiam qua dignus est operarius mercede sua: hęc autem iustitia, non distributiua, sed planè commutatiua est. *Primū argumentum* ¶ Secundò arguitur: Christus redēptor noster visus est in suorum Apostolorum optione: quæ ad vitam spiritualem quàm maximè referebat, personas respexisse & accepisse: quoniā nulla eorum merita perpendens, à piscatoria: & campsoria, alijsq; id genus vilibus artibus, veluti infirma abiectaq; huius mundi, vt ait Paulus, eos euocauit. Quin verò in hoc præterea visus fuit personarum acceptor, q̄ non nisi Galilæos ex patria sua, cognatosq; suos assumpsit: nam vt legit Act. 1. de hoc turbæ mirabantur quod varijs linguis loquentes Galilęi

Galilæi essent: Christi autem opera exempla nobis sunt: nullum ergo hoc vitiũ est. ¶ Tertiò arguitur: Iure etiã Canonico videtur nõ solũ permissa, sed iussa in electionibus, per sonarum acceptio: vt patet eod. titul. cap. cũ nobis olim. vbi licèt electus nõ esset eminẽtis literaturæ, probatur electio. Et capit. cùm dilectus, pariter approbatur, licèt fuissent in eadem ecclesia (vt illic legitur) alij digniores. ¶ Quartò arguitur: Ecclesiasticis etiam decretis sancitum est vt non fiat electio nisi ex personis eiusdem ecclesiæ, dummodò illic dignus inueniatur: etiam si alibi foris inueniãtur digniores: vt patet dist. 61. cap. nullus. & cap. obitum. & dist. 63. cap. metropolitano. Quin verò, vt ait glo. in cap. cùm inter canonicos. de elect. non valet postulatio ex aliena ecclesia nisi duabus partibus consentientibus. Et debet fieri à Põtifice Maximo, vt latè patet in titu. de postu. præl. Non ergò explorandi sunt semper digniores, etsi facilè in alienis ecclesiis inueniri possent. Adhæc & nobis hoc vsus ecclesiasticus palàm facit. Cernimus enim in Episcoporum electionibus non tam meritorum quàm personarũ, aut generis, aut potẽtiæ rationem duci. Adde q; & in suprema electione Pontificis Maximi iam pridem vsus inoleuit vt nemo nisi è reuerendissimis Cardinalibus assumatur: cùm tamen possent quandoque extra illum ordinem alij disquiri: quorum fortè electio gratior Deo esset & est acceptior. Quintò ac postremò arguitur. Papa, vt aiunt, est beneficiorum, bonorumq; ecclesiæ dominus: ergo non arcetur digniores eligere: sed potest quibus libuerit eadem elargiri. ¶ In contrarium autem est Iacobus Apostolus. 2. capi. suæ Canonicæ: Nolite in acceptione personarum habere fidem Domini nostri Iesu Christi.

Tertiũ. *Quartũ.* *Cõfirmatio.* *quintum.*

AD quæstionem hanc decem conclusionibus respondetur. Si tamen priùs adnotemus quid hic nomine spiritualiũ intelligamus: qđ lib. sub tit. de simonia emunctius: delucidabim⁹. Haudẽ intelligim⁹ cuncta q̃ in intellectu sunt: nam scientia & artes doceri pretio possunt: sed intelligimus illa quæ gratis nobis à Deo donantur: non peculiariter tantùm in vtilitatem recipientium, sed in vtilitatem cõmunem: de quibus ait Christus, Gratis accepistis, gratis date: vt sunt sacerdotia, sacerdotales ordines, & sacrorum vsus. Priùs ergo circa materiam primi argumenti prænosse oportet, ista ecclesiastica sacerdotia non solùm ratione distributiuæ iustitiæ pendenda esse verum commutatiuę lineam ingredi. ¶ Sit ergo prima conclusio: Negari non debet quin sacerdotia & ecclesiæ prefecturæ specimen habeant distributiuæ iustitię pro eo q; illis honorificentiora & pinguiora debẽtur, qui præstãtioribus sunt meritis: & ideo in nona conclusione adstruẽdum nobis est in huiusce modi electionibus digniorem esse cæteris anteferendũ. ¶ Huic nihilo minùs cõclusioni subtexitur secũda. De ecclesiasticis beneficijs sacerdotalibus q; muneribus, ac dignitatibus quæ ad ecclesiarum obsequia pertinent, per iustitię cõmutatiuæ regulas præcipuè cẽsendum est. Probatur. Decimæ quas populus Christianus persoluit non cõtribuit vt prẽmia sint meritorũ personarũ, instar bonorũ quæ in reipublicæ depositio existunt: sed vel ad hoc solùm, vel adhoc præcipuè institutæ sunt, vt stipendia sint ministrorum ecclesiæ. Itaq; religio Christiana, nisi ecclesias haberet necessarias, nunquàm Christicolas cogeret decimas contribuere. Idemq; inferiùs dicturi sumus de sæcularib⁹ tributis, vt inter q̃ & sacerdotia hoc solùm discriminis interstat, q; illa stipendia sunt pro sæcularibus administrationibus iustitiæ: hæc autem pro spiritualibus ecclesiarum functionibus. Fit ergo ex hoc consequens rationem illam distributiuæ iustitiæ, quæ in hisce dispensationibus reperitur, ad commutatiuam ordinari quæ est inter pontifices tam maximum quàm reliquos dispẽsatores ac prouisores bonorum ecclesiæ ab vna parte, & ecclesias ex altera. Enimuerò: quia ob id ciues decimas pẽdũt vt sibi sacramenta administrẽtur, Verbũ Dei exponatur & ecclesiastica iustitia seruetur: per iustitiã cõmutatiuam debentur eis idonei horũ munerum administri, veluti operarij vineæ Domini. Neq; obstat decimas (non dico quotã) esse de iure diuino. Nam censendũ hic arbitror instar principis qui certa stipendia perpetua statuit famulis ac ministris dom⁹ suæ: præcipiens vt digniorib⁹ qui haberi possent dispensarent. Hic enim profecto plus cõmutatiuæ iustitiæ subest q̃ distributiuæ. Sicut facta beneficij collatione, eadem iustitia constituitur inter ministrum & suam ecclesiam, Itâq; vt explicationis gratia dicam ratio distributiuæ iustitiæ in istis habet se materialiter ad rationem commutatiuæ. Nam ideo electores tenentur secundùm merita personarum sacerdotia distribuere: non quia præ-

Prima conclusio. *Secunda conclusio.* *Probatio cõclusionis.*

mia

mia sunt meritorum ipsorũ, sed quia & electores tales ministros debent ecclesijs, & ministri talia eisdem obsequia, pro stipendio sibi repẽso. ¶Conclusio hæc sic exposita nõ solùm ratione, quæ manifesta est, verùm & sacris oraculis comprobatur. Et primò, vt à lege veteri initiũ sumamus, Leuitis simili ratione decimæ erant decretæ. Sic enim legitur Num.18. Filijs Leui dedi omnes decimas in possessionem pro ministerio quo seruiũt mihi in tabernaculo fœderis. Sic & paulò inferiùs de decimis subditur. Quia prętium est pro ministerio quo seruitis in tabernaculo testimonij. Et Luc.10. dum Christus Apostolos tanquàm operarios & messores dimisit in orbem, subiũxit: In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: Dignus est enim operarius mercede sua: Merces autem per iustitiam cõmutatiua in redditur. Et Apostolus.1.ad Corint.9. in eandem sentẽtiam ait, Neminem suis stipendijs militasse vnquàm: citans illud Deutero.25. Non alligabis os boui trituranti: dicens propter nos illud fuisse scriptum: vnde subdit, Si nos vobis spiritualia seminamus, magnũ est si nos carnalia vestra metamus? Quibus verbis commutatiuã iustitiam insinuauit. Et.1.ad Timo.5. Qui bene, in quit, prę sunt presbyteri, duplici honore digni sunt. Non ait, qui boni sunt: nè quis fallatur quòd personis ipsis ob sua merita per iustitiam tãtùm distributiuam debeantur honores ac præbendæ: sed qui bene præsunt, vt discam⁹ beneficium dari potissimùm propter officium: quasi ad normam commutatiuæ iustitiæ: secundùm verbum eiusdem eodem loco, Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: & qui altario deseruiunt: cũ altario participant. ¶Idq; confirmatur ex iure Canonico. Nam cap. secũdùm Apostolũ. de præben. Innocen.iij. hæc fermè Pauli verba citans, ait: Cùm secundùm Apostolum, qui altari deseruiũt, de altario viuere debeãt: & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede: patet à simili, vt clerici viuere debeant de patrimonio Iesu Christi, cuius obsequio deputantur. Accedit & verbum iam modò citatum toto iure solemnissimuũ, scilicet, Beneficium nõ dari nisi propter officiũ. de rescrip. cap. fin. Igitur ecclesiæ bona non intuitu personarum vt ipsis tanquàm præmia suarum virtutum ac literarum instituta sunt, ceu per meram distributiuam iustitiam illis deputanda: sed revera tãquàm ministrorũ merces pro obsequio ecclesijs impẽso. Ex quo infrà illaturi sumus eligendorum qualitatem, meritorumq; momẽta non absolutè, sed in ordine ad prouinciam suam & functionem esse pensanda. ¶Accedit & huc proximè q̃ Christus in ecclesia (vt habetur ad Ephes.4.) quosdam dedit Apostolos, alios autem Pastores & doctores &c. in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi: ergo ecclesiastici ceu ministri recipiunt subsidia stipendiaq; populi. Atqui conclusio hæc reuisenda est, dũ libr.seq. sub titul. de restitutione, in dispensationem protulerimus, is qui prætermissis dignioribus aut dignis per acceptionem personarum sacerdotia cõfert, cui debeat damnũ restituere, ecclesijs ne an personis ipsis prætermissis. ¶Tertia conclusio ad quæstionis titulum: Acceptio personarum in spiritualibus genere suo peccatum mortale est, tantoq; grauius ac pestilentius quanto spiritualia temporalibus antecellunt. Conclusio hæc clariùs liquet, quàm vt multis egeat testimonijs. Spiritualium enim nomine censentur ecclesiastica sacerdotia quib⁹ Christiana respublica ad sempiternam fœlicitatem promouetur: sacerdotum ẽm ministerio sacris Christiani initiãtur, per quæ diuinã gratiã, tum ineũt, tum etiã recuperant eorumq; ope & auxilio eandem gratiam colunt. Igitur cùm nihil nobis tanti referat quàm per eandem gratiam ad Dei gloriam promoueri, nihil nobis in exitium esse potest præsentius crimine illo per quod in hoc progressu vel impedimur vel remoramur, quale est personarum acceptio in huiusmodi sacerdotibus & ministris optandis. ¶Attamen quoniam non satis est huiusmodi personarum acceptionem condemnare, nisi eligendorum merita explicentur: Notãdum est cum diuo Thoma duob⁹ modis cõsiderari posse cuiusque merita ac dignitates excellẽtiam: videlicet aut absolutè & simpliter secũdùm indiuiduam personam: quemadmodùm Arist.5. Ethi.cap.3. considerat virum bonum. Secundo modo quemadmodùm illic considerat bonum ciuem: vt puta si personam contempleris in ordine ad munus illud & magistratum ac functionem ad quam assumitur. ¶Sit ergo quarta conclusio. Dignitas personæ perpendenda est & exigenda in ordine ad talem finem qui electionis scopus est. Hoc clarissimum est: quia à fine sumenda est mediorum ratio: &.1. Corint.12. ait Apostolus, Vnicuiq; datur manifestatio

Suadetur cõclusio testimoniis sacrarũ literarũ.

confirmatio secunda.

Tertia conclusio.

Cõfirmatio prima.

documentũ S. Thomæ.

Aristot.

quarta conclusio.

festatio spiritus ad vtilitatem: scilicet ad commodum Christianæ reipublicæ. ¶Adnectitur autem conclusio quinta. Primum ac potissimũ quod in eo qui in spiritualibus præficiendus est populo, æstimandum venit, est morum compositio, virtutumque ornamentum. Hanc eandem conclusionem de reliquis ciuilibus magistratibus in subsequentibus cõstituemus: est enim omnibus communis: at verò præcipuum robur habet in ecclesiasticis prælatis, cuius ratio patẽtissima est. Enimuerò finis proximus ciuiliũ magistratuum est tãtùm naturalis: nempe tranquillo statu & pace rem publicam conseruare: licèt ille ad diuinam quoq; fœlicitatem ordinem habeat: finis autem & scopus proximus prælatorum spiritualium est sempiterna fœlicitas, ac subinde eorum munus, auxiliares esse Christi ministros, iuxta verbũ Paul. Sic nos existimet homo sicut Dei ministros. Quibus idcircò vna cura esse debet, Christi sanguinem colere, eiusq; redemptionem promouere, atq; ad diuinũ amorem subditos prouocare, & ad Dei Charitatem referre omnia: nihil eorum cogitantes, quæ cum mũdo dispereunt, sed sempiterna illa quæ nos in cœlis manent. Hæc autem nemo curare potest & pro dignitate administrare, nisi in quo idem Christi sanguis feruescat, idemq; inardescat amor. ¶Sexta conclusio. Præter charitatem & honestatem morum requiritur statim sacrorum scientia, prudentiaque, & solertia, & reliquę animi vires, ac dotes ad gubernandũ necessariæ: iuxta verbum domini, Quis putas est fidelis seruus & prudens? Matthæ. 24. Adeò vt liceat nonnunquam expediatq; huius gratia, eo qui simpliciter moribus præstantior est posthabito, alterum vita inferiori præeligere: dum tamen prauus non sit & corruptis moribus: nam cui refragatur vita, nulla alia ratio satis suffragatur vt fas illum sit ad ecclesiæ gubernaculũ admouere. Hoc planè constat. Est enim primũ prælati sacra docere, & per eorum doctrinam & exempla subditos ad diuinorũ amorẽ allicere ac promouere. Mox quia regimen, opus est prudentiæ: vt. 6. Ethic. Arist. autor est: & vt ibidẽ subdit, cùm prudentia vittutes omnes connectuntur, cunctis huiusmodi dotibus præstare debet. Enimuerò vt nisi quod ignitum est calefacere nequit, ita nisi qui charitate ardet vel lucẽre alijs potest vel virtutum calorem excitare. ¶At verò quoniam ex his dubium hoc loco præcipuum relinquitur, an

Quinta conclusio.

Ratio conclusionis.

Paulus.

Sexta cõclusio.

Probatio cõclusionis.

scilicet vt ab hoc crimine acceptionis personarum caueatur, necessarium sit præstantiorem digniorem q; semper eligere, statuitur septima conclusio. Acceptio personarum tũc affert manifestarium crimen, quando prætermisso idoneo eligitur indignus: tũc enim impudenter, & contra iustitiam cõmutatiuã in ecclesiam peccatur, & contra distributiuã in eum qui dignus est. Conclusio est omnibus extra controuersiam in confesso. Vnde de præbẽ. cap. graue. Alexand. 3. in concilio, Graue, inquit, nimis est & absurdum q̃ quidam ecclesiarum prælati cùm possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promouere, assumere non verentur indignos: quibus neq; morum honestas, neq; literarum sciẽtia suffragatur: carnalitatis sequẽtes affectũ, non iudicium rationis: vnde quãta ecclesijs dãna proueniant, nemo sanæ mentis ignorat.

Septima cõclusio.

Probatur cõclusio.

¶Subtexitur deinde huic octaua conclusio. Ad hoc vt secundùm exterum ius fori canonica solidaq; sit habenda ac valida electio, satis est eligere dignum. Conclusionem hanc confirmant Canones tertio argumento ante quæstionem adducti: eorum autem rationem S. Thom. & Doctores hanc reddunt, q̃ aliâs vnaquælibẽt electio calumniam patere tur: haud enim tali foro facilè expendi possunt liberariq; meritorum momenta, vt constet quis est optimus. Vnde dũ Rex aut quius alius iure patronatus eum eligit dignum cui iura non refragantur, nequit vel Papa, vel inferior Prælatus electionem in fauorem dignioris perimere. Addiderim hic, q̃ qui dignum elegerit, nõ tenebitur ad restitutionẽ nec digniori. nec ecclesiæ: vt lib. sequenti sub titul. De restitutione, videbimus. ¶Nona conclusio. Quo ad culpam, in foro conscientiæ & poli præceptum est eligere digniorem Et primùm nè quis existimet solius esse opinionem S. Tho. qui eam incunctanter, veluti rem constitutissimã adstruit. 2. 2. q. 63. art. 2. & in quotlib. q. 6. &, 8. quem sui sequuntur. Fuit quoq; Alexan. de Hales. 2. p. q. 136. membro. 2. & Nicolai de Lyra, Ioan. 21. Neq; verò Mendicãtiũ vtriusq; ordinis, verùm & Hẽri. & Godofr. in suis quodlib. Fuitq; Hadrian. posteà Papæ in materia de restitu. & ex Doctorib. iuris Can. Arch. & aliorũ. Hos deniq; Maioris postmodùm in. 4. distin. 24. q. 8. & 9. sequitur. Patroni autem contrariæ sententiæ, si tamen contrariam tueantur, sunt Hugo & Apparat⁹ super cap. licèt ergo. 8. q. 1. & cap. Monasterium. 16. q. 7. quibus, referente Adriano

Octaua conclusio.

Nona conclusio.

S. Thomas.

Alexander Halen.

Nicolaus Lyranus.

Henricus.

Adrianus.

Archidiac. Maioris.

Hugo patrocinatur contrariæ opinioni.

Adriano, accesit Ioānes Andreas. Dixerim si cōtrariam tueant: quia illi forsan id dunta xat cōtendunt, q̄ in foro exteriori non sit e lectio refellenda: nam de foro interiori nihil decernere debuissent. Quòd si sententia diui Tho. vera est, per nullā potest desuetudinem vel cōtrariā cōsuetudinē abrogari. Est em̄ de iure diuino: cōtraqđ vsq; adeò nullo tēpore p̄scribit, vt quo lōgior fuerit eius abusus, eo fiat delictū grauio. Neq; in his satis est autores numero æstimari, aut dicere, hoc tenent Canonistæ, hoc verò Theologi: sed ausultādæ sunt sacrorū autoritates, rationesq; examinandæ. ¶ Arguitur enim primò ex iure naturæ: Ecclesiastica beneficia (vt secunda conclusione asserebam) ex bonis cōmunib⁹ populi, veluti stipēdia, instituta sunt, & ecclesiæ ministris proposita: ex hac ergo parte cōtra iustitiā cōmutatiuā fidē populo & ecclesiæ frangit qui nō optimū ei ministrū absq; fraude & dolo prouidet. Mox peccat & contra iustitiā distributiuā: eadē enim virt⁹ quæ iubet seruare in præmiis proportionē quæ est in meritis, subinde admonet vt optim⁹ q̄ rationabili diligētia inueniri potest, cæteris præferatur. ¶ Deinde accedit tertiò q̄ Antistites tenētur beneficia gratis cōferre: qui autē meliori posthabito cōfert minùs digno, ille certē alia causa mouetur humana: alioqui illud non faceret: atq; adeò neque dat gratis: neq; ab acceptione personarū manet incolumis. ¶ Ahæc qui ex duobus sacerdocijs pinguio cōfert sacerdoti minùs digno manifestè iustitiā distributiuā acceptione personarum præuaricat: nā id patrare nō posset nisi respiciendo personā, puta qualitatem extra causam, ergo eādem labe cōtaminaretur, qui vnicum beneficium minùs idoneo adiudicaret. ¶ Præterea horum collatores munerū, dispensatores sunt, vti ait Paulus. 1. ad Corin. 4. ministeriorū Dei: in quibus, vt inibi subiungit, fides syncera requiritur secūdū verbū Dominicum citatū: Quis putas est fidelis dispēsator & prudens? principis autē œconomus & dispensator qui quos posset optimos seruos eodē stipendio non ascisceret in seruitiū domini, reus profectò esset aut defractæ fidei, aut neglectæ prudentiæ. At verò ius diuinū est quod huic cōclusioni firmiorem adstruit fidem. Atq; in primis exemplum Christi. Ioann. 21. in electione Petri quod abundè rem patefacit. Ille quippe qui nemini iniuriam irrogare potuit, nempe qui non merus dispensator, sed dominus rerum erat, non alium selegit qui suus sibi vicarius succederet quam omnium tūc temporis Apostolorum optimum. Neq; vero satis duxsit eum instituere quem ipse nouerat esse prestantissimum sed id priùs voluit vt omnibus innotesceret Hac enim, vt arbitror, tantùm de causa ter publicè Petrum rogauit an se plus cæteris diligeret (qui numerus iudicialibus monitionibus solennis est) vt cunctis liquidum fieret, iure & ordine optimum eligere: doceretque perinde eos vt eandem legem in similibus electionibus sanctissime custodirent. ¶ Quapropter absque vlla cunctatione asserere soleo illo tunc tēporis articulo quo Petrus electus est in Christi vicarium: omniū fuisse Apostolorum optimum: neq; tantum arbitror hoc denegare: Liquet enim solam Dei Charitatem, esse normam per quam iudicare licet bonitatis gradus apud Deum: præterea neq; hoc negari licet, quin eo gradu quo quis diligit Deum, diligitur ab illo. Si ergo Petrus Christum plus tunc cæteris Apostolis amabat, plus & ab ipso amabatur atque adeò optimus erat. Quodenim præ cęteris tunc Christum diligeret, ambigi nequit quoniā Christi interrogatio non oriebat ex dubio, quippe quo ipse nō tenebatur: sed erat velut assertio. Et quāuis Petrus ad comparationem respondere citra temeritatem non valuit, eò quòd neque suorum erat, neq; alienorum meritorum pōderator: tamen suum respōsum, Tu scis quia amore, Christus pro comparatiuo iuxta suam ipsius interrogationem accepit: & ideo à tertio responso continuò subiunxit, Pasce agnos meos. Dico, stetisse optimum tunc simpliciter: quia nihil obstat quo minùs Ioannes indulgentiùs diligeretur, alioq; fortè tēpore fuisset melior: nam de intemerata Virgine hæsitare nefas esset, longè meritis cunctos antecessisse Apostolos. ¶ Secundo loco accedit & apostolicum testimonium. 1. ad Thimo. 3. Qui episcopatum desiderat, bonum opus opus desiderat: hoc est sibi consultè videat, quantū sibi oneris imponat: quia omniū est optimū munerum quæ in ecclesia sunt: atque adeò gubernatu difficilimum. Vnde subdit, Oportet enim Episcopū irreprehensibilē esse, &c. Vbi tā amplā tanq; diuitē virtutū suppellectilem ab Epō desiderat, vt licèt nullā faciat cōparationē, vix illæ possint nisi in eo qui præstantissimus est, aceruari. Quapropter inferiùs capit. 5. eundem admonet discipulum vt nemini citò manus imponat. Vbi porrò docet

Ioā. Andre.

Prima ratio ingratiāprimæ opinionis.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Paulus.

Secundus locus ad idem

docet quantum debeat examinis precedere antequam huiusmodi sacerdotia distribuãtur: vt pote quæ illam finalis iudicij imitari pro humana fragilitate deberet, vbi æquissima meritorũ trutina vnicuiq; remetiendum est. ¶Accedit tertio loco Ius canonicũ sanctorumq; decreta. Est in primis Hieronymꝰ super Leuit. cap. 8. qui refertur. 8. q. 1. capi. licet ergò. Refert nanq; illic Leuitica historia quòd quando Aaron iussu Dei in sacerdotẽ vnctus fuit, congregata fuit omnis turba ante fores tabernaculi. Superquibus verbis ait Hieronymꝰ q; licèt Dominus de constituendo principe præcepisset, singularemq; elegisset, tamen conuocatur etiam Synagóga: requiritur ergo, inquit, in ordinando sacerdote etiam populi præsentia: vt sciãt omnes & certi sint q; qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium: & hoc attestante populo: secundùm illud Pauli, Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt. Hæc Hieronymus. Et est allusio ad exẽplũ Christi qui in præsentia Apostolorum testimonium tulit excellentiæ Petri. Hac tamen non obstante verborum inculciatione Hieronymi: temperat illic eius sententiam, imò denegat Hugo, dicẽs satis esse eligere dignũ Cui Apparatus adhæresceit. Veruntamẽ nisi intelligant in foro duntaxat exteriorinõ sunt contra textum audiendi. Sunt & verba acerbitissima Augustini super verbo Iacobi citato, dicentis, Non est putandum leue esse peccatum in q; personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris gloriæ ecclesię contempto paupere institutiore & sanctiore? Auscultà verbũ, ad sedem honoris gloriæ ecclesiæ. Consentit & Leo Papa, can. Metropolitano. dist. 63. vbi docet q; sit eligendus optimus, Sed est Chrysost. sententia. lib. 2. de sacerdotio, quàm maximè meditanda. Admonet enim de suo nomine ecclesiasticos pastores, q; tanto debẽt meritorum interualo antestare gregi, quanta præstat excellentia pecorii pastor. In cuius sententia Bernar. De consideratione ad Euge. pm̃ multa, eadẽq; peregregia cõgerit. His vnicum illustreque adiũgitur capitulum, extra, vt ecclesiastica benef. sine dis. conf. vbi in reprehensionem Episcopi apponiturq; non ex affectu carnali, sed stricto iudicio debuit ecclesiastica beneficia in persona magis idonea dispensare

Hieronymꝰ

Augustinꝰ

Leo papa.

Chrysost.

Bernardus.

Atqui in pragmat. consil. Basilien. habetur hæc forma iuramenti eligentium. Ego. N. iuro & promitto omnipotenti Deo & sancto, cuius nomini dedicata est hæc ecclesia, eum eligere quem credam esse in spiritualibus & temporalibus meliorem. Neq; tantùm Canonicum, verùm & Ius Imperatorium idem sanctissimè admonet, vt est videre in Authẽ. de monachis. §. ordinationem. Iubet quippe eum Imperator qui priùs optimus inter monachos apparuerit, prẽfici in pastorẽ. Quòd si monachus optimus est præficiendus, profectò multò est sanctiùs eadem regula in episcopis obseruanda: vt quorum ordo sit instituto monachorũ excellentior. Atqui argumenta hæc si in primordiis etiam ecclesię, & & quando illustribus pollebat personis vim suam tenebant, quãto nunc maiorẽ, quando illa laboramus personarũ inopia, vt vix optio permittat: imò citra dignissimũ vix possit reperiri dignus. Tempore Augusti. Ambr. Marti. Nicolai, atq; id genus mortalium, nõ esset immane scelus non perquirere dignio rem: modò autem vt digno conferas, dignissimum debes inquirere: adeò omnia iacent. ¶Et quando eorũ quæ facta sunt argumenta nullum existeret, hoc rem ineluctabiliter conuincit, quòd postquàm in dispẽsatione beneficiorum non habetur exacta meritorum ratio, nemo est qui literarum studia sequatur, nemo qui aliis imbuatur moribus, quàm qui ad Curiã fuerint aptiores. Vnde quanta detrimenta ecclesię Christi eius sanguine fundatæ succreuerint, & hæresum pestes & animarum neglectus apertissimè testantur. ¶At verò antequam decimam cõclusionem statuamus, operę pretium est nõ nulla dubiola quæ hinc emergunt diluere. In primis non cõtendimus in has angustias timoratos animos conijcere, vt quando munus ad quod persona eligitur exigui nomẽti est, censeatur peccatum mortale dignioręprætermittere. Mox neq; est tale peccatum timendum etiam in rebus maioris momenti quando meritorum excessus non est tantus, vt videatur adrem multum referre: quoniam & furari exiguam monetam non est peccatũ mortale: neq; nos Deus cogit tam anxiè personas explorare, sed secũdùm prudentiam pro rei qualitate & conditione. ¶Præterea maximè adnotandum, non esse attendendum ad causas metaphysicæ possibilitatis: sed vt materia moralis exigit, ad id quod secundum prudentiam speratur futurum.

Conciliũ Basilien.

Posterema ratio.

Prima limitatio cõclu.

Secunda.

rum. Enimuerò licet occurrat vir literis clarissimus & prudẽtia cõspicuus, est tñ vecors, vel alijs implicitus negotijs, de quo nõ est tã ta spes q̃ prædicabit aut gubernabit secũdũ suas dotes: vel fortè etsi sit optimè moratus, publicis tamẽ est negotijs ineptus: huiusmodi certè hominib⁹ ille præferẽdus est, qui licèt huiusmodi dotibus nõ sit tã potẽs, speratur tamẽ curã solicitiùs habiturũ, diligẽtiãq; adhibiturũ ad suum exequendũ munus. Euentus autẽ rei qui præter eligentiũ spẽ subsequũtur, nihil electionẽ vitiant: vt si negligens postmodũ reperiatur, qui diligens credebat. ¶ Emergit autẽ ex superiorib⁹ contra hanc nonã conclusionẽ argumentũ primũ. Dictũ est iustitiã distributiuã in his sacerdotijs ad cõmutatiuã referri: dũ autẽ prælatus tribuit ecclesiæ curatũ vel aliũ ministrũ pro ratione suarũ decimarũ dignũ, quia scilicet habet exilia subsidia, per illũ satisfacit iustitiæ cõmutatiuæ: nõ ergo tunc tenetur alium eligere qui cumulatiorib⁹ meritis polleat. Respõdentur duo. Primũ non seruaretur tũc ratio distributiuæ iustitiæ, nisi fortè in breui expectaret locupletior præbẽda pro illo digniori. Deinde quãtũ ad iustitiam cõmutatiuã, cũ dignitas personę nõ habeat certã præscriptã mẽsuram, fit vt vbi alius est dignior, vix inferior censendus sit dignus. Prẽterquã q̃ fides dispẽsatoris ministeriorũ Christi ex postulat vt cuicunq; ecclesiæ ascribat ministrũ optimũ illorũ qui illo stipendio haberi potest: nam ecclesia si loqueret, talẽ eligeret: licèt hæc culpa non sit tanta vt ad restitutionẽ obliget, si secundũ existimationẽ dignus eligat: vt suprà diximus. ¶ Hinc autẽ exurgit argumentũ secundũ cõtra eandẽ nonam cõclusionẽ, quod seq̃retur ex ea nõnunquã vt electo esset perplexus. Verbi gratia. Duobus vacãtib⁹ beneficijs quorũ qđ vberius est & pinguius nullã habeat animarũ curã: alterũ vero qđ fructib⁹ est sterile, eandẽ habeat annexã, vel plures habeat sub se parœcios, plusq; doctrina indigẽtes: vt ecclesia nũc Toletana, quæ locupletissima est, vacante: & simul Granatẽsi, quę licèt sit pauperior, habet tamẽ multos ex Mahometismo neophytos, perplexus tũc esset & Papa & Rex. Nã si distributiuã iustitiam spectes, debet tunc illud quod est ditius digniori attribui: si autẽ publicã ecclesię necessitatẽ, potiùs deberet illi maior cura animarũ demãdari. Ad hoc respõdetur, pluris semper esse habendã rationẽ publicæ necessitatis, ad quã nos Christi charitas arctiùs astringit. Et ideo animarũ cura digniori est cõmendanda, neq; inde dãnum de sua dignitate reportare cẽsetur. Nam etsi bene præsidẽtes presbyteri, authore Paulo, duplici sint honore digni: ille tamen qui apud Deũ nos manet in primis æstimandus est: eò vel maximè, q̃ (vt dictũ est) hæc sacer dotia in ecclesiarũ commodũ sunt instituta. An verò ille dignior acceptare teneretur, alterius disputationis est. Et tãta esse posset necessitas vt teneretur. ¶ Verum ex hoc tamen aliud enascitur dubiũ, vtrũ lex hęc eligẽdi digniores vsq; ad illos etiã extendatur qui iam sunt suis ecclesijs collocati: videlicet vtrùm vacante pinguissimo beneficio vel episcopatu debeat Rex & Papa quospiam suis locis dimouere, vt omnes per gradus euehat. Videtur enim nonæ cõclusioni concors. Respõdetur de hac re nõ posse certã stabiliri regulã. Enimuerò mutationes istæ & ascẽsus quã fieri possit maximè cauendi sunt: tũ q̃ fomẽtum ambitioni subministrãt: sunt enim in causa vt episcopi semper sint animi pendentes: &, sicuti prima materia, nunquã sua forma contẽti: Quare neq; charam habere possunt sponsam, neq; iustam illius gerere curã: tum quòd non est pastori ætas in cognoscẽdis summutandisque nouis ac nouis gregibus transigenda. At verò neque hoc nimiũ cauendum est: quandoquidem expediens nonnunquam sit & condecens vt episcopus ad aliam sedem commigret. Nõ enim vanus est titulus de postula. prẽlat. ¶ Sequitur post hæc dubium de electionibus, siue dum religiosi & Canonici prælatũ eligunt, siue dum Scholastici publicum prælectorem Cathedræ, vtrùm teneatur quisque semper eligere meliorem: etiam si videat nihil se suo suffragio profuturum. Ad hoc respõdetur, semper in electionibus animaduertẽdum fore, opus vanum non esse opus charitatis: omnesque ideo leges ad mores, prudentiæ iudicio esse applicandas. Sit ergo prima responsio. Indigno nemo debet suo calculo suffragari: etiam si constiterit illum à reliquis omnibus optari: quoniam talis non nisi per nequitiam obtruditur, cui nullo colore fauendum est, neque assentiendum. Si tamen qui eligendus speratur, dignus est, tunc licet ac decet dignissimum qui eligi non potest prætermittere, vt dignior eligatur. Sunt tres, quorum Petrus dignissimus est, Paulus medius, Ioannes verò infimus. Quòd si ego in Petro persisto, neque ipse

Primum argumentum

Solutio.

Secũdũ argumentum

Responsio.

Dubium.

Dilutio.

Dubium alterũ de electionibus.

Responsio.

neque Paulus, sed Ioannes eligetur: me autem accedente ad Paulum, ipse vincet: hoc ergo consilium sequi debeo: etiam si iure iurando me astrinxerim eligere digniorem. Intelligitur nanque iuramentum inter possibiles. Hoc autem, similique cessante casu, semper eligendus est dignior: nam præter quàm quòd ei seruandus est honor, & legi dignitas, ad hoc etiã prodest, vt electus admoneatur æquos electores non ei fauisse. Sic enim fiet in regendo cautior. ¶Contra hæc tamen cõtinuò se offert argumẽtum: q̃ si semper dignior eligẽdus esset, sequeretur quòd si minùs dignus electionem acceptaret, perinde peccaret atque collator: quoniam videtur causa esse rei illicitæ. Ad hoc autem respondetur non esse rationem parem: nam recipienti non incumbit conferendi cura: ob idque neque censetur iniquæ collationis causa, perinde atque conferens. Et maximè si sit dignus. Quin imò in re dubia non tenetur ipse seipsum examinare: sed ille qui confert. Quare licèt episcopatum ambire, delictum sit: oblatum tamen citra culpam suscipi potest. Enimuerò licèt quis prætermisso charitatis ordine eleemosynam porrigat, non patri indigenti, sed extraneo: vel preteritis pauperibus prodigat iu histriones, ob idque delictum faciat: illi tamen qui recipiunt non irretiuntur eodem delicto. ¶Mox alia via arguitur ex cap. monasterium. 16. quæst. 7. quo habetur quòd vbi quis dominus instituerit Oratorium vel Capellaniam, possit cuicunque presbytero dare. Arguitur ergo. Potest quis ea lege sacerdotium instituere, vt solis suis agnatis aliùsve designatę prosapię in perpetuum obueniat: nam quicunque quorumlibet bonorum dominus potest ea pro suo libito dispẽsare: ergo tali casu non est necessarium, imò non licet digniorem exquirere. ¶Sunt qui dicant etiam in tali casu inquirendos esse digniores, si opùs fuerit, extra illam familiam. Attamen & vsus & ratio in contrariũ reclamant: satis enim est inter illos designatos & vocatos præstantiorẽ eligere: nisi vnus sit tantum, vt puta sanguine proximus appellatus. Nam cũ tali institutori ac fundatori nõ incũbat munere suo & officio distributionẽ facere, & illa sint sua bona, non stringitur rationem habere dignioris. Haud tamen erat cur Hostiensis & Abbas ex hoc dissimilimo textu inuitum argumẽtum traherent ad distributiones bonorum cõmunium ecclesiæ: nẽpe quòd satis semper sit eligere dignum. Duo hic tamen illius textus moderamina recolenda sunt. Prius quòd si qui designatus est, fuerit omninò indignus, alius substituẽdus venit: quia nemo neque de sua substantia potest sacerdotium contra naturale ius ac diuinum creare. Secũdum est, quòd si institutio illa annexam habeat curam aliquã animarum vel gubernationem, tunc iniquissima est, & non ferenda, quatenùs obstiterit vt dignior eligatur. Vt si quis prouentibus suis monasterium fundaret eo vinculo, vt Prior vel Abbatissa non nisi ex suo genere aut patria crearetur, non est in cõtumeliam Euangelij lex illa seruanda. ¶Enascitur autem hinc præterea dubium de beneficijs patrimonialibus, ad quæ non recipiuntur nisi ciues, vel qui inde sunt oriundi. Videtur enim sententiæ nonæ cõclusionis derogare: siquidẽ possent præstantiores aliundè quandoq; acciri. Respondetur leges illas æquissimas esse, quas vtinam de beneficijs saltẽ parœcialibus, quibus annexa est animarũ cura, vbiq; sanciret ecclesia: quemadmodùm & in Tridentino Cõcilio summo omniũ consensu, me præsente, cõsultabatur. Esset enim illis decretis conforme quæ in quarto argumento accersita sunt, decernentibus vt electio ex eadẽ ecclesia fieret. Nam vt modò dicebam, nõ paruo æstimandus est ingenitus amor quẽ quisq; ad natiuum solum habet. Præsertim q̃ licèt possent nõnũquã inueniri extranei meritis præstãtiores, multò esset tamẽ ecclesiæ conducentius, vt ambitionib⁹ & litib⁹ sibi molestissimis ac pestilẽtissimis obuiaret: præterea vt incolę spe illa animarentur, liberos & literis & moribus informare. ¶His ergo absolutis dubijs ad decimã cõclusionẽ descẽdamus, qua ad illã triuialẽ respõdeamus quæstionẽ, vtra scilicet facultas alteri prę̃ferenda sit in deligendo ep̃o, Canonici scilicet iuris, an Theologiæ. Neque verò erat cur assertio hæc in controuersiam vocaretur: sed Hostien. cui Abb. Panormi. subscripsit super cap. 1. de consan. & affinit. fuit qui nescio quo iure hanc contestatus est litem. Aiunt enim q̃ vbi hæreses pullulant, præferendus est Iurisc õsulto Theologus: alibi verò è cõuerso. Et quanuis mea me professio in suspicionẽ de hac re adducere possit, haud tamen idcircò his maximè tẽporibus, dissimulanda est rei veritas: ego enim minimè de me ipso ignoro quàm sim talium meritorum expers. ¶In primis si mea opinio illius esset

Primum argumentum

Solutio.

Secundũ argumentum

Solutio quorundam.

Reprobatio

Hostien. Abbas.

Duo moderamina textus citati.

Alterũ dubium.

Responsio.

Quæstio triualis.

esset momentī, quæ in consilium admitti deberet, mallem vt post morum honestatem prudentia viri, roburque animi mansuetudine insignitum, atq; in agilibus dexteritas perpenderetur, quàm scientię eminentia: dū modò illa doctrinæ mediocritate polleret, quæ pōdus ei authoritatis adiungeret. Itâq; persona æstimanda cum primis est, non hæc aut illa scientiæ facultas. Tametsi ille in quo hæc omnia excellentia doctrinæ illustraret, maiori iure esset super ecclesiæ candelabrū erigēdus. ¶ Sed tamē quòd cæteris pariter cō currentibus Theologia sit peculiaris Episcopi scientia, quā hīc conclusionem decimā faci mus, nescio quis ambigat. Nā vt ab ipso pastoris nomine, quod Episcopi proprium est, exordium sumamus, ecquis dubitet præcipuū pastoris munus esse sacrorum eloquia reuoluendo recolere ac meditari, vnde doctrinæ pabulū gregi subministret. Sententia est Hierony. in Leuitico. 36. dist. can. si quis. vbi ait: Duo sunt pōtificis opera, vt à Deo discat legēdo scripturas diuinas, & sæpiùs meditādo: vt populū doceat. Et dist. 38. can. oēs. admonetur Antistes vt in prōptu legem habeat: videlicet tā sacros Canones & sanctum Euāgeliū, q̄ diuinū apostolorū librū & oēm diuinā scripturā. Canones scilicet Cōciliorū, vt statim subdit. c. placuit. Vnde Augustin. in epistola ad Paulinū, quę est. 59. illud Pau. ad Ephe. Quosdā autē dedit pastores & Doctores, pro eodem vsurpat: nempe q̄ Epī eò sint pastores, q̄ doctores. Quid ni? nunquid non Apostolorū successores sunt? ergo propriū eorū est vt quā fidē ipsi diuulgârūt, populū doceant: eiusq; mores secundū euangelicas normas cōponant, & veluti canes cōtra vitia indefessē oblâtrent. Sed quid in re nō dubia testibus vtimur nō necessarijs? Nō interrogabātur olim dum insula insigniebātur an ius nossent vtrūq;, sed an vtrūque scirent testamentum: vt Richard. quodlib. 4. & Sylvest. in verbo, Epūs, adnotârunt, licèt iam collapsis rebus, non interrogentur nisi an velint se diuinæ scripturę sensibus accōmodare, & quæ inde hauserint, plebē docere. In cuius signū cōfertur eis euangeliū: quod admonētur populo sibi cōmisso prędicare. ¶ Adde q̄ ex priscis Epīs nemi nem nisi theologū comperias. Nam iura canonica theologi in cōcilijs sanxerūt, & pōtifices maximi ex sacris collegerūt oraculis. Quapropter si nominis etymologiam inspicias, quā Augustin. (vt refertur. 8. q. 1. c. qui episcopatū.) interpretatus est: nēpe vt idē sit episcop⁹ quod superintēdēs: in hoc etiā deberet superintendere canonico iuri, licèt non illud memoria retineret. Enimuerò cū ex Theologia ius ecclesiasticū promanauerit, per eandē facultatē debēt legitimi sensus canonū examinari. Præsertim q̄ illa iura quę ad munus episcopale quicquā referunt, Theologi, si modò secūdū nomē scientia polleāt, oculati⁹ emūctiusq; callere debēt. Quòd si minùs calleant, multò est Epō dignius, vt veluti de Moyse, Exo. 18. legit, viros idoneos audiendis sæcularibus causis exponat, quò ipse sacrosanctæ meditationi & Christianæ doctrinę incūbat, q̄ vt, vice versa, à dulcedine scripturæ auulsus sęcularib⁹ cōplicet ¶ Vide ergo quā lōgè ab scopo aberrēt qui epī munus nō aliud existimēt q̄ hæreses extirpare: cū alia præterea sint multò illis magis peculiaria, q̄ causas audire. Eò vel maximè q̄ si tūc sunt necessarij quādo hæreses pullulant, fit subinde vt magis sint semper necessarij; nè vnquā serātur. Chirurgi sunt & causidici, qui cū litibus victitēt, nollent iurgiorū causas præscindi. Cura autē episcopalis lōgè alia esse deberet: nēpe vt populus adeò esset semper fide instructus, moribusq; cōpositus, vt neq; hæresibus neq; litibus vlla relinqueret ansa. Quapropter nō solū vbi hæreses pullulant, sed vbi litiū desidia serpūt, illic optatior esset Theologus epūs, aut certe vir probitate insignis, qui lites absq; prolixis terminis iuris cōponeret ac rescinderet. Video em̄ proh dolor plures foueri lites in foro ecclesiastico q̄ in ciuili: cū totus conat⁹ epī esse deberet in ternas hominū cōscientias sarrire, discordiarū graminaq;, cōuellere, & nō illuc curā extēdere, vt pueros poma ficusq; hortorū suffurātes (quia hęc est officialiū sagina) excōmunicationis internecione ferire: quòd adeò est absurdū vt excusare se iam ecclesiastici iudices nequeāt nisi affirmātes propositū nō gerere ligādi. Sed & ob hoc deberēt esse Theologi vt cognoscerent quanto illis esset habēda maior ratio nè populus inobediētiæ crimine q̄ excōmunicatione ferirēt: nā quāuis iudices tale nō habeant propositū, populus tamē qui illud nescit, nihilo minùs conscientiā sibi vulnerat, dū fictæ non paret excōmunicationi. Sed de hoc satis in præsentia. Nā & Theologos epos eandem video ire viam.

Decima cōclusio.

Hieronym⁹

Augustin.

Prima ratio pro conclusione.

Richardus.

Sylvester.

Secunda.

Augustin.

Postrema ratio.

AD primum ergo argumētum quæstionis prima conclusio respondit: nimirū cōcedēs personatus istos, quos vocāt, & sacerdotia plùs commutatiuæ iustitiæ respe

Ad primū argumētū.

ctu ecclesiarum habere, quàm distributiuæ.

Ad secundum. ¶ Ad secundum inter probandã nonã cõclusionem responsum est: vbi commonstrauimus, vsq; adeò à Christo abfuisse personarũ acceptionẽ, vt Petrũ tunc Apostolorũ optimum, atque ad regimen accõmodatissimũ, elegerit: & matrem filiorũ Zebedæi petentẽ filijs suis sedes ad dextrã & ad sinistrã repulerit. Quòd autem plebeios homines & literarũ rudes ad functionẽ euãgelicã asciuerit: bina fuit causa. Prior q̃ ipse eos & docere potuit, & tales efficere quales ad rem docebãt: electores autem humani, quia dignos eos facere nequeunt quos eligũt, eos debẽt ad eligendũ conquirere, quos dignos inuenerint. Mox q̃ expediebat supranaturalẽ fidem nõ ab hominibus promulgari, qui essent humana doctrina illustres, nẽ in suspicionẽ veniret q̃ de humana scientia procederet. Ideo enim iussi sunt corã regibus ac præsidibus nõ cogitare quomodò aut quid loquerẽt: sed quæ Spiritus sanct⁹ suggereret, illa diuulgarent. Quòd autẽ Galilæos cęteris mortalib⁹ prętulerit, mysteriũ fuit, de quo fuerat Isaias vaticinat⁹: cuius ideo prophetiã Matt. c. 4. citauit: Terra Zabulon & terra Neptalim, &c. Galilææ gẽtiũ. Populus q̃ ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnã. Et Dauid: Principes Zabulon & principes Neptalim (hæc enim erat Galilæa) duces eorũ.

Ad tertiũ ¶ Ad tertiũ, quod aduersus nonã cõclusionẽ intẽdi videbat, itidẽ satisfactũ est dũ cõcessim⁹ secundũ forũ exterius satis esse digno cõferri ad succidẽdas calũnias, sec⁹ autẽ in foro interiori.

Ad quartum. ¶ Ad quartũ respõdetur, iura sanxisse, dignitates & prębẽdas personis eiusdẽ ecclesiæ cõcedi ob hãc

Cœlestinus. causam (vt ait Cœlestin⁹ eo. c. nullus. 61. dis.) q̃ vnusquisq; suũ fructũ militiæ habeat in ecclesia in qua suã per oĩa officia trãsegit ætatẽ. Cui & alterã. S. Th. causam subnectit, quę

S. Thomas. mihi est probatissima: videlicet q̃ plurimũ vnusquisq; propẽsiorẽ habet animũ ad suã propriã ciuitatẽ & ecclesiã in qua nutrit⁹ est: qua vtiq; ratione vtilior esse poterit. Vnde Deut. 17. Nõ poteris alterius gentis hominẽ facere regẽ, qui nõ sit frater tu⁹. Et ideo licèt nõ exquirat extraneus dignior, per hæc fit

Ad quintũ argumẽtũ. cõpẽsatio. ¶ Quintũ autẽ argumẽtũ oĩa quæ dicta sunt cõcutit. Etenim si vera est quorũdam opinio, nẽ dicam assentatio, cui sanctissimus Papa nunq̃ assensisse credẽdus est, videlicet q̃ est dñs beneficiorum, pugnantissimũ extruitur inde argumentũ q̃ non teneatur digniores eligere: imò quòd possit super hoc cum inferioribus prælatis dispensare. Respõsio ergo non est alia quàm quòd nullatenùs est dominus. Aliàs profectò sicuti de illo dictum est qui de suis proprijs bonis sacerdotium creat, liberum ei esset tanquàm vero domino cõferre cui mallet: quod nemo auderet assecuerare. At nullo opùs est argumento vbi apostolica tuba canit: Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. 1. ad Corinth. 4. Quin verò & Christus Lucę. 12. Quis, inquit, putas est fidelis dispensator & prudens quẽ constituit Dominus super familiam suam? ¶ Neq; verò sacri Canones transuersum vnguem ab hoc euangelio discrepant: quia neque discrepare possunt. Quare non pigebit iuris hìc verba audire. De præbend. libro. 6. cap. 2. sic habet, Licèt ecclesiarũ, personatuũ, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur pontificem pertinere. Non dicit dominiũ, sed plenaria dispositio. Et Cle. vt lit. pend. nihil inno. cap. si duob⁹. hoc modo, Salua tamen in præmissis omnibus Romani Pontificis potestate: ad quem ecclesiarum, personatuũ, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plena & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere. Perspice ergo quò pertingit pontificiæ potestatis plenitudo: certè nõ vt dominus sit, sed vt plenariam habeat dispositionem. Nam, quod ait, libera, hoc tantùm significat quòd nullum agnoscit in terris superiorem. Idem patet ex superioribus. Commostratum enim reliquimus hæc bona ecclesiastica, stipendia esse populi pro ministris, quorum idcircò Papa merus est dispensator. ¶ Imò arbitror illos qui dominum beneficiorum eum appellant, propriam vocem ignorare. Nam si dominus est, retinere sibi potest, & in proprios vsus conuertere, ac pro libito eis vti: quod tamẽ nemo sanæ mẽtis admittet: si autem pro libito non potest vti, sed tenetur ratione dispensare, non est dominus. Quocircà sanctus Thomos. 2. 2. q. 63. ar. 2. vbi ait prælatum ecclesiasticum non esse dominum, sed dispensatorem, Pontificẽ etiam maximum complectitur: vt Cardinalis etiam Caieta. Lateralis Papæ scitè adnotauit. Sed heu quanta mala ex contrario, eodemque falso principio ecclesia quotidie patitur! Cùm tamen quo sanctissimus Papa cæteris honore & dignitate in Ecclesia Dei præstat fortiori nexu teneatur digniores

S. Thomas.

Caietanus.

semper

semper optare. Nisi fortè (vt ad calcē quarti argumenti respōdeamus) Cardinales in Pōtificis electione ob eandem summam vicarij Christi dignitatem sanctiori fide perstringuntur optimum eligere. Quapropter nūquàm rumorem illum persuadere mihi potui: videlicet statutum illis esse, nō posse deligere nisi ex suo gremio. Et tandem ab ipsis Dominis Cardinalibus audiui, falsum esse. Enimuerò quòd actiuas voces ad ipsum sacrum senatum ecclesia retulerit, decentissima ratio persuasit. 23. distin. cano. In nomine Domini. & cap. licet. extrà, de electi. &, vbi periculum. eod. lib. 6. videlicet, nè tantus episcoporum cœtus à remotissimis regionibus Romam ad eligendum cogeretur. Attamen cùm tanti referat optimum episcoporum orbis ad summam sedem euehere, quòd intra paucos vrbis pasiua electio coërceatur, licèt sit credibile inter eos nunquàm defore dignum, certè synceritas euangelica nō permittit. Vnde in eo cap. In nomine Domini. si in Romana ecclesia non inueniatur idoneus, ex alia sumi iubetur. ¶Igitur conclusio noua suis radicibus fixa perstat, quæ nō solùm in antistitibus creandis, verùm & in alijs dispensandis sacerdotijs quibus iniuncta est animarum cura, sanctè seruanda est: nam in alijs qui tali cura vacant, licèt præteritis dignioribus contra iustitiam distributiuam delinquatur: non tamen subest tantum periculi. Atqui eam ob rem aut nunquàm aut perquàm rarò peccatū illic mortale committitur: dum modò non concedantur indignis. ¶Ex hac autem definita conclusione dubia nonnulla suboriri videntur, quæ idcircò necesse est vt per ordinem examinem⁹. Primum est q⁹ proximis verbis de beneficijs cura animarum carētibus appendet, an scilicet pensiones annuæ quæ à quinquaginta hinc annis percrebuerunt in ecclesia, tutò & imponantur beneficijs, & recipiantur ab ijs quibus exhibentur. Ad hoc primùm omnium respondetur, pensiones huiusmodi non habere annexos ecclesiasticos titulos: quia pensionarius nō fit beneficij possessor: sed tantùm posiditi imponitur onus soluendi. Et potest imponi vel personæ quandiu posiderit, vel quod multò est vsu frequentius, ipsis fructibus beneficiorum. Qua de re neque aliā habent annexam curam, neque canonicum persoluendi officium. Atque hac vtique ratione huiusmodi reditus tutissimi existimā tur: nempe quòd nulla sint cura onusti. Ego verò, licèt de plenaria Pontificis potestate in dispensandis beneficijs nihil ambigam, semper tamen arbitratus sum hæc esse periculosissima omnium beneficiorum: idque propter eandem rationem qua alij censent esse tutissima. Nam si verum est quòd paulò ante commonstrare nitebamur: nempe summum pontificem non esse dominum, sed dispensatorem beneficiorum, quæ sunt ecclesiarum stipendia: consequens inde fit, vt illa adiudicare nequeat nisi pro altaris (vt ait Paulus) ministerio: vel tanquā mercedē pro aliquo seruitio ecclesiæ, etiā si non esset spirituale: vt puta duci aut militi, qui ecclesiā tēpore necessitatis propugnat: qua de causa decimarum tertiæ Regi Hispaniæ tributæ sunt. Et congruentiùs possent illi concedi qui negotia ecclesiæ gereret, vel in concilio, vel in curia, vel alibi: sicuti olim mos erat his qui prælatis in adiutorium adhibebantur, prouentuum quotam impertiri. Præterea quando dubia lis super aliquo sacerdotio dirimi aliter non posset, liceret aliquam portionem parti cedenti in bonum pacis addici: de quo vno pensionū genere vnic⁹ est text⁹ in toto iure. Nisi essent. de prębē. At quòd citra hunc casum absque vllo titulo & obligatione bona ecclesiæ posint hoc modo dispendi, non apparet quomodò intra limites dispensationis contineatur. Et re vera reinouitas eam in suspicionem vehementer adducit. ¶Alterum dubium est de illis qui neque eligunt neque beneficia conferunt, nihilominùs sunt causa vt vel dignitate inferioribus vel prorsus indignis conferantur, vtrū delictum illis sit. Et peculiariter fit interrogatio de resignatoribus. Resignat quis sacerdotium suum in manibus Prælati, sed tamē in fauorem consanguinei, vel alterius certæ personæ indignę, & non aliàs: videtur ille extra culpam esse: nam Prælatus est cui collatio incumbit. Respondetur tamen Prælati delictum non excusare resignantem, vtpote qui verè est causa iniquæ collationis.

¶Vbi de hoc maximè admonere nō præteribo, videlicet quàm sit cauendum nè pueris beneficia præbeantur: nam etsi contingat, vt optima sint indole, non solùm ius Canonicum, verùm neq; naturale reputat eos dignos. Dignitas enim non spem, sed rem dicit. Atqui plurimùm vsu venit, vt qui de se pueri bonam fecerunt spem, quam, si absq; diuitijs ecclesiasticis manerent, ad vberem

Falsum est nō posse eligi pontificē nisi è cardinalīū cœtu.

Prima dubitatio de annuis pensionibus.

Autoris lima de proposita quæstione.

Dubium alterum.

Responsio.

Beneficia pueris minimè cōferenda.

frugem: perducerent, cùm primùm ditãtur, superbire ac ferocire incipiunt. Permulta alia dubia in præsentiarum præterimus, nè extra rem & causam distrahi videamur.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm beneficiorum pluralitas sit iure permissa.

SVperiori articulo annexum est in hoc tertio de beneficiorum pluralitate disputare, vtrum sit quoquo pacto iure permissa. Pugnant enim à parte negatiua Canones plurimi, tam conciliorum quàm sanctorum patrum. In primis est decretum Synodi.7. Constantinopolitanæ, vt refertur 21.q.1.cap.clericus. Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus ecclesijs: negotiationis enim hoc est & turpis lucri proprium commodum, & ab ecclesiæ cõ suetudine alienum. Vbi citatur verbum Domini, Nemo potest duobus dominis seruire. Et.70.distinc.cap.sanctorum. ait Vrbanus, Omninò in duabus ecclesijs aliquem intitulare non liceat, sed vnusquisque in qua intitulatus est, in ea tantùm canonicus habeatur. vnde extrà, de præben.cap. quia. perhibetur præbendarum multitudinem canonibus esse inimicã. ¶Secundò allegantur à sancto Thoma quoli.9.art.15. sanctorum dicta. Ait enim Chrysostom. Quòd tenebrarum erubuit, lumen erubescat: quod figuræ non fuit concessum, rei reor esse illicitum: figuræ autem, hoc est, legi veteri, non fuit inter Leuitas concessum vt qui capiebat in Bethlehem, caperet in Hierusalem: cùm nos ergo perfectiores esse debeamus, qui capit in Tyro non capiat in Damasco. Hęc Chrysostomus. & Bernard. Qui non vnum sed plures est in beneficijs, non vnum sed plures erit in supplicijs. ¶Item id esse videtur contra rationem, & ius naturale, & diuinum iam modò citatum: Nemo potest duobus dominis seruire. Cui insuper accedit iuramentũ quo quisque iure antiquo fidem suam astringit seruire ecclesiæ, cui se mancipare constituit. ¶In contrarium faciunt iura quæ plura beneficia eidem personæ indulgent: vt tum alibi, tum.21.q.1.frequentes Canones docent.

Primum argumentum

Secundum.

Chrysost.

Bernardus.

Tertium.

QVæstionem hanc differit diuus Tho. quolibet. 9. citato articul. 15. At quia rei huius abusus nimiùm in perniciem ecclesiæ obrepsit, non erit superuacaneum rem denuò ac sedulò examinare. Nam cùm (vti ait illic sanctus Thomas) ius hìc naturale ac diuinum implicetur & humanum, quantum ad duo priora, rei huius definitio ad Theologos pertinet: licèt quantum ad tertium, spectet ad iurisconsultos. Placet ergo veluti primum fundamentum distinctio illa sancti Thomæ: Triplex est actionum ordo: scilicet aut quæ deformitatem habent inseparabilem, vt mendacium: aut quæ indifferentes sunt, vt deambulare: aut tertiò quæ licèt per se nudè & absolutè consideratæ, deformitatem quandam repræsentent: circunstantijs tamen vestitæ licitè fieri possunt: vt hominẽ occidere, quod iudici, & defendenti se licet. ¶His præiactis respondetur ad quæstionem septem cõclusionibus. Prima, Habere plures præbendas non est res primi ordinis. Hęc conclusio inde fit liquida, quòd multis casibus super hoc sancta iura dispensant, vt statim patebit. ¶Secunda. Neque est secundi ordinis. Non enim est perinde indifferens atque habere plures vestes: hoc quippe absolutè consideratum, nullam implicat aut malignitatem aut indecentiam: habere autem plures præbendas, si nudè spectetur statim sonat quasdam ordinis peruersiones. Primùm, quia ratio docet vt vnicuique ministerio suus propriè deputetur minister: aliàs vnus plurium personas induit. Secundò, cultus diuinus detrimentum patitur. Et tertiò, cùm bona hæc (vt diximus) stipendia sint ecclesiarum, suo defraudantur iure. Id quod rerum vsus & experientia docet. Aggeratis siquidem præbẽdis multis ad personarum paucitatem, vix vlla restat ecclesia, cui pro ratione suarum decimarum seruiatur dignè. Et quartò inde sequitur distributiuæ iustitiæ præuaricatio, videlicet vt digni multi egeant: alij verò exundent. Quintò esca & fomentum ambitionis inde subministratur: nam interdicta præbendarum accumulatione, sacerdotes non tam auidè sitirent atque ambirent bonis ecclesiæ ditari. Et sextò id in causa est: vt literarum studia neglecta iaceant: vtrinq; etenim spes bonorum debilitatur: scilicet & quòd meritorum ratio non habetur, & quod auida ditiorum auaritia impedimento est nè inopes promoueantur. Quin verò septimò, & transgressio quædã est illi⁹ Paulini

D. Thomas

Prima conclusio.

Suadetur cõclusio.

Secunda.

Probatio.

lini præcepti, Vnusquisque in ea vocatione qua vocatus est maneat. Atq; illius præterea ad Rom. 12. Sicut in vno corpore multa mẽbra habemus: quod Gregor. ad hoc propositum citauit. 89. distin. cap. singula. vbi ait, Singula ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis sigillatim committi iubemus. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autẽ membra nõ vnũ actum habent: ita in ecclesiæ corpore multa mẽbra sunt: & ideo distincta officia esse debent, & ecclesiæ diuersis personis commendandæ: aliàs totum corpus esset oculus: aut totũ auditus: aut vnus multorũ corporũ oculus. ¶ Tertia cõclusio. Habere plures præbendas reseſt tertij ordinis: scilicèt q̃ licèt per se absolutè librata in malũ sonet, vt proximè nunc rationes comprobabant: potest nihilo seciùs talibus circunstantijs exornari, vt fiat licitum. Ad huius autem lucidam intelligentiam distinguere de beneficijs operæpretium est. Alia enim sunt quæ residentiam habent annexam: alia verò quæ liberiora sunt, vt simplicia sacerdotia quæ præstameræ vulgò dicuntur. Atque illorum quibus residentia annectitur, alia sunt quibus iniuncta subinde est animarum cura: vt episcopatus & parœciæ: aliæ verò quæ hoc onere sunt immunes. De his ergo non arbitror eodem esse pacto censendum. Hoc suppositio sex casus notantur. 21. q. 1. in Summa, iuridici, quibus licitè compati se duæ præbendæ valent in eadem persona. ¶ Primus ratione tenuitatis: quia non possunt singulæ singulos alere sacerdotes, vt habetur. 10. q. 3. vnio. Qui quidem casus verus est etiam in his sacerdotijs quæ curæ subduntur animarum. Quinetiam posset idem & in episcopatibus licêre. Possent inquam esse adeò tenues (quales frequẽter sunt in Italia) vt neuter posset episcopum pro sua dignitate sustentare: possentque esse tam proximi, vt ab eâdem valerent persona administrari. Et est textus. 21. q. 1. cap. illud. vbi conceditur vt idem sit Archiepiscopus Tarraconeñ. & Episcopus Fundeñ. ¶ Secundus casus, quando vna est ecclesia ab altera dependens: vt legitur cap. eam te. extrà, de ætat. & qualita. & ordi. præfici. Quomodò autem fiat ecclesiarum vnio, patet extrà, de rel. dom. c. quia monasterium. Neque quis fallatur, arbitratus in eundem casum recidere: nam primus intelligitur etiã vbi ecclesiæ non sint vnitæ. Potest siquidẽ Papa sine vnione adiudicare duas ecclesias propter tenuitatem vni sacerdoti: etiam cum titulo vtriusq;. Est tamẽ hic consultè animaduertendum quòd in hac tenuitate meditanda, non est respectus habendus personæ, sed cõmunis vtilitatis ecclesiæ in quem cuncta hęc referenda sunt. Enimuerò si persona supra dignitatem suam & conditionẽ cõtendit amplam familiam splendoremque vitæ sustẽtare, non illa lãce æstimanda est prouentuũ tenuitas, sed ad hoc spectãdum quid ecclesiæ cõducat. Præterea cauendum maximè nè præbẽdarum vnio in fauorem personæ fiat, & fraudẽ ecclesiæ. Est illustris quispiã pluralitate beneficiorũ pressus, qui ad eximendũ sibi scrupulum cõscientiæ procurat per annexionẽ cũcta in vnũ coadunare. Profectò is arbitratu meo, dum hoc sophismate fascinare cogitat diuinos oculos, grauiùs turpiusq; delinquit, quã si pluriũ figurã retineret: debet enim vnio ecclesiarũ in emolumẽtũ ipsarum absq; dolo malo fieri, vt sit legitima. ¶ Tertius casus est propter paucitatẽ clericorũ. vt. 21. q. 1. c. clericus. adnotat. Quãuis illic nõ dicatur nisi propter inopiã hominũ, quòd referri potest ad incolarũ raritatẽ. Veruntamẽ raritas etiã sacerdotũ, necessitatẽ inducit demandandi vni plures ecclesias. Atqui iudicãda est paucitas quando rari sunt digni. Qua porrò de causa nõ inhiberẽ in prouincijs p̃bitate & doctrina sacerdotum destitutis, vnũ pluribus ecclesijs deputari, etiã cum cura animarũ: quippe q̃ in rẽ ecclesiæ fœliciùs cederet, q̃ sacerdotes penitùs inidoneos populo Christiano præficere. ¶ Quartus casus pluralitatem excusans occurrit, quando quis vnã habet præbendã in titulo, atq; alteram cõmendatitiam: vt habetur eadem causa &. q. cap. qui plures. Admonendum tamen est de intellectu huius textus. Enimuerò iuris prudentes, qui ad forum iudiciale penitùs attendunt, tutam forsan arbitrantur cuiuslibet cõscientiam hoc pacto possidentis duas præbendas: at verò qui penitiùs iudicium diuinũ introspiciunt, aliter censebunt. Etenim eædem causæ, imò (vt reor) iustiores coire debent vt quis dignè in conspectu Dei altera fruatur præbenda sub titulo: altera verò sub commendatione, quàm si ambas haberet in titulo. De commendationibus quippe loquor petuis, quæ hoc ætatis habentur in vsu. Est lex prohibens nè Cardinales qui Romæ residẽt, fiant Episcopi: & nè huius fiat præuaricatio legis, commendantur illis eccle-

Gregorius. *Tertia conclusio.* *Distinctio.* *Sex casus.* *Secundus.* *Adnotatio* *Tertius casus* *Quartus casus.* *Qualiter præfatus casus sit intelligendus.*

siæ perpetuò, nihilo differentiùs quàm si titulus illis inscriberetur. Profectò si fas esset ita loqui, hic commendationis prætextus præuaricatio est legis, etsi personata: & fortè eo criminosior, quo sit magis in fraudem legis. Nam in fraudem legis facit, qui saluis legis verbis, sententiam eius circunuenit. l. contra. ff. de legibus. & C. eodem titul. Non dubium est in legem committere eum qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. l. non dubium. Etenim si causa ferendæ legis fuit necessaria Episcopi residentia in sua ecclesia, quidnam quæso refert commendatariúsne absens sit, an verus Episcopus? Ratio nanque quæ iustam faciat ac legitimam commendationem, hæc esse debet, quòd haberi tunc persona non potest cui legitimè sub titulo adscribatur: non autem commendatarium ditare.

Haud quidem inficias ierim quin possit Episcopus Romam à Pontifice Maximo ob publicas causas acciri: tamen quòd illic perpetuò maneat, nihil obmurmuro: sed tamen neque ambigo quin multò sanctiori fide & diuino mandato teneatur Episcopus Cardinalis præsens esse ecclesiæ suæ quàm Romæ: siquidem Episcopi iure diuino instituti sunt: Cardinales verò post Apostolorum sæculum creati. ¶Quintus casus est quando Papa pluralitatem concedit: vt habetur eâdem quæst. cap. relatio. Et sextus si dispenset episcopus: vt habetur. 70. distin. canon. sanctorum. Hi autem duo casus ad normam quarti modò expositi auscultandi sunt, videlicet quòd quantum ad forum exterius censentur legitimè posidere: tamen vt Deo dispensatio sit accepta, debet legitimis causis circumuestiri. Quanuis iam non est in vsu vt Episcopus possit super prębendarum pluralitate dispensare: quia cap. dudum ecclesiastica. extrà, de election. videtur ius antiquum abrogatum: nempe vt solus Papa dispensset: vt illic notauit Panormitanus. Tametsi hoc intelligendum sit sub ambarum titulo: quia commendare ob necessitatem bene potest Episcopus dum non patet ad curiam aditus. ¶Septimus casus additur extraordinarius propter sublimes & literatas personas, quæ maioribus beneficijs sunt honorandæ: vt verbis vtamur. cap. de multa. de præbend. sublimes enim (vt aiunt) refertur ad sanguinem. Attamen neque illud ad illustrium commodum est referendum, sed ad ecclesiæ splendorem. Ecclesia enim dum vagiebat in cunis, & potentia sæculari premebatur, opùs habebat illustrium viribus suffulciri: qua de causa indulgebatur vt aliquanto plus stipendiorum fortirentur. Iam verò hoc ætatis, si fas est dicere verum, nescio an eadem dispensationis causa tam legitima existat: porrò cùm rerum vsus palàm doceat sublimium potentatum ita grassatum esse in ecclesiastica sacerdotia, vt hæc fuerit non minima causa ruinæ in qua modò iacet ecclesia. Tametsi nunquàm negabo, quin si ingenui & natalibus præclari, moribus sint cũ primis, mox literis ornati, plurimùm splendoris ac roboris reipublicæ ecclesiasticæ afferant.

Quintus casus.

Septimus casus.

Dubitatu.

¶Subsequitur hìc tandem dubitandi ratio, an præter hos casus licitum sit Papæ dispensare, & compatibiles facere plures præbendas & personatus. Hoc in disputationem produxerim propter multa & varia quæ à doctoribus iuris Canonici affirmantur: vt videre quisque poterit apud Syluestrum, in verbo, beneficium. 4. Ait enim in primis Archidiacon. casus istos superiores coërcendos esse ad præbendas quæ absque cura sunt animarum, sed profectò nulla hoc ratione probatur: quin verò episcopatus pro causa, vt suprà citauimus, cap. illud. 21. q. 1. possunt eidem permitti, nè dum paroeciæ si proximæ sunt & tenues: quanuis tũc decentius esset vniri. Alij dicunt extra hos casus nemini licêre plures habere præbendas. Intelligendum est tamen absque legitima dispensatione: alioqui dubitari non licet, quin eadem potestas quæ superioribus casibus dispensauit, si occurrerint alij nondum cogitati, æqui tamẽ & iusti, possit dispensare. Consule si lubet de hac re Syluestrum & alios Summistas. ¶Duo tamen hìc restant dubia. Prius, vtrum absque dispẽsatione duo possint beneficia ab eodem possideri: Posterius, vtrùm vbi dispensatio requiritur, ille qui absque legitima causa dispensationem nactus est, tutam habeat conscientiam. De priori dubitatione distinguẽdum est inter beneficia, quantum ad residentiam & curam: qua distinctione præhabita statuitur conclusio quæ sit huius articuli ordine quarta: nã tres suprà præmisimus. In beneficijs simplicibus, scilicet, neq; habẽtibus curam, neque residentiam exigentibus, qualia sunt præstameræ, nulla est necessaria dispensatio, vt plura eadem persona obtineat. Scio glossas sacrorum Canonum multas

Sylueſter. Archidiaco.

Solutio.

Alterum dubium.

Distinctio.

Quarta cõclusio.

multas in contrarium ire: sed tamen non solùm iam receptus vsus verùm & ratio nostrã conclusionem edocet. Est enim adnotandũ fundamentum quod ex sancto Thoma suprà desumpsimus: videlicet in his spectãdũ esse trinum ius, scilicet diuinum, naturale, & humanum: quorum hoc vltimum per desuetudinem legis aut contrariam consuetudinẽ abrogatur: quod autẽ quis duo habeat simplicia beneficia, non est vsq; adeò contra naturale ius & diuinum, vt cõsuetudo illud nequeat abrogare. Hoc patet quoniam licèt habendus etiam oculus in istis sit ad iustitiam distributiuam, potissimùm tamen ad cõmutatiuam, per quam ecclesijs de ministris prouidendum est: vbi autem residentia non est requisita, ibi ecclesia non læditur ob prębendarum pluralitatem: Verum est Adrianum mitigare verbum, dicendo hanc nõ esse propriè abrogationem, sed derogationem: propterea q̃ talis prouisio non potest fieri absq; vlla prorsus causa, sed aliqua interueniente, At verò iam nunc profectò licèt nulla interueniat ratio, cõferuntur ab inferioribus Prælatis sine vlla dispensatione. ¶Quinta propositio. In his quæ residentiam requirũt, sed curam nõ habent, vt sunt canonicatus, nondum ius abrogatum est: sed manet vsus vt absq; dispensatione non aceruentur eidem: faciliùs tamen potestin istis procurari concedi; dispensatio, quàm in habentibus curã. Quin verò in beneficijs canonicatu minoribus quæ seruitio etiam interessendi sacris obnoxia sunt, nullus est dispensandi vsus. ¶Addiderim autem conclusionem sextam, quòd huiusmodi beneficiorum coaceruationes, siue per dispensationem fiant, siuè secùs, carere non possunt culpa etiam quandoq; mortali, atq; graui scandalo, in ecclesiarum detrimẽtũ: idq; potissimè vbi nimium accumulantur, & personis deputantur indignis. Conclusio hæc inter probandam conclusionem secundam constitit. Iam enim nulla spectantur aut desiderantur merita, sed perinde, quinetiam turpiùs atque impudentiùs quàm sæcularia & profana, ambiuntur, cambiuntur, væneunt, hæreditantur, regressantur, profanantur, ac dilapidantur. ¶Septima conclusio. Parœciæ & id genus sacerdotia quæ in animarum curam instituta sunt, vsq; adeò nõ possunt absq; legitima dispensatione ab eâdem obtineri persona, vt si legitima non fuerit, nequeant tutò in foro conscientiæ apud Deum possideri. Non solùm sententia est sancti Thomę quolib. cita to, atq; Adriani in De plural. beneficio. verùm & sacri Canones id insinuãt, eiusq; interpretes apertè pronuntiant. Quin verò doctores conclusionem non moderantur, vt de illis solis intelligatur, sed de cunctis (quod verissimum est) quæ dispensatione indigent vt possideantur. Est tamen enormitas turpior in his quę curam habent animarum Itâq; & Papa sine legitima causa dispẽsans grauiter delinquit, & eius delictũ non liberat ambiẽtem, obtinentem, & retinentẽ, à culpa. In primis quòd Papa delinquat sententia est Apostoli suprà citati: Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et subdit: Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Quin verò Christus Lucæ. 12. Quis putas est fidelis dispensator & prudens? Et re vera nul libi tanta fides exigitur quàm in committẽdis cõcredendisq; animis, Christi sanguine redemptis, illius curæ, qui presęns semper gregi suo prospiciat. Vnde Bernar. de consi: ad Eugenium lib. 2. cap. 6. ait, potiùs Pontificem summũ, qui spiritualis est, omnes iudicans & à nemine iudicatus, debere non sua voluntate pro lege vti: sed Christũ præ omnibus imitari, qui non suam, sed patris voluntatem venit facere: vt omnia non pro suavtilitate, sed pro communi commodo dispenset. Aliâs vt dissipator cẽsendus est. Nam et si iura suprà citata plenariam ei tribuant potestatem dispensandi, id tamen intelligunt quia non habet superiorem in terra à quo possit iudicari: mittimus concilium in causa hæresis. Attamen apud Deum exactissimè respondere tenetur si fidem in dispensatione defregerit. Ratio ergò cõclusionis est hęc, Sacerdotia quæ curam habent annexam, rectè nequeunt administrari sine præsentia: tãta est vigilantia quæ animabus curandis ac prospiciendis necessaria est: residere autem simul nemo potest in ecclesijs pluribus: ergò sine vrgentissima causa eadem q̃; ecclesię necessaria non potest citra atrocem culpam super hoc dispensari. Sed ait fortè ille cum quo dispensatum est, Papa dispensauit: ipse sibi viderit: ego immunis sum. Hic tamen cauillus securos multos reddit, tutum verò neminem: quoniã Papa non est dominus, vt idem dictum est, sed dispensator: ideoq; qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est: & qui ea vtitur, eadem semper irretitur iniquitate. Accedit ius Concilij Latera-

probatio cõclusionis. *Quinta cõclusio.* *Sexta cõclusio.* *Contra abusum in eam biendisbeneficijs.* *Septima cõclusio.* *D. Thomas.* *Adrianus* *Papa delinquit si necaudispẽsans Paulus.* *Bernardus* *Sensus illi, Papa plenariã habet dispensandipotestatem.* *Ratio cõclusionis.* *Inanis ac stulta obiectio.*

Concilium. Lateranen. nen, de quo extrâ, de præben. cap. De multa. & cap. Dudũ eccleſia. de election. vbi nulla tenùs permittitur duas ſimul poſſideri pa-
Hoſtienſis. Panormita. rœciales eccleſias. Et Hoſtien. & Panor. & re liqui ſuper cap. extirpandæ de præben. indu biè conſentiunt, reſidentiam ſimilium cura-torum non poſſe per vicarium ſuppleri. Et ratio eſt, quia cùm beneficium cõferatur in
Ratio ſecũda concluſionis. tuitu perſonæ, ob ſuam ſcilicet ipſius digni-tatem, illa ſuppleri non poteſt per pauperem mercenarium, qui plurimùm indignus eſt. Et quamlibet dignus eſſet vt locum ha beret mercenarij, non tamen pro ratione fructuum beneficij. Soluit eccleſia iuſta ſti-dendia pro viro docto & graui, qui ſi præſens adeſſet, ſuis eleemoſynis, conſilijs, fauo-ribusq; & authoritate poſſet ſuo gregi pro-ſpicere ac deſeruire: non ergò hæc poſſunt per mercenarium perfici. Miraculum eſt quòd liceat curato ob eam ſolum curam & onus quod vicarium vilius quàm potuit ſi-bi ſubſtituit amplitudinem fructuum perci pere: reclamante Paulo, Qui non laborat, nõ
Paulus. 2. Timoth. 3. manducet. Sed ais, ſatis eſt laborare per ali-
Qui per aliũ laborat per alium man ducet. um: profectò ſi non debet manducare niſi qui laborat, fit vt qui non perſe ſed per aliũ laborat, non debeat ipſe manducare, ſed cõ-tentus eſſe ſi loco illius alius manducet. Ait fortaſſe parœcius, beneficij poſſeſſor, ſa-tis eſt huic eccleſiæ hunc vicarium ſubſtitue-re. Reſponderet autẽ Eccleſia fi fari ſciret, Er gò ſatis eſt ei hæc quam tu illi tribuis, mer-ces: cur ergò reliquum ex me abſque vllo ſer uitio ſurripis? Inſinuabat ſe huc de reſiden-tia Epiſcoporum ſermo: ſed hic adeò am-pluseſt, vt illo totum ferè librum nonum cõ-
Sentẽtia au thoris de reſidentia Epiſcoporum. pleuerimus. Audiant ergò interim ſupre-mum Paſtorem ſuum, qui animam ſuam dedit pro ouibus ſuis, eos admonentem, quemadmodùm mercenarius & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lu pum venientem & dimittit oues & fugit.

Ad argu-menta. AD argumenta ergò in contrarium con-cluſiones reſpondent. Commonſtrant enim illa iura naturã & ingeniũ rei, vbi nudè præbendarum aceruus conſideretur: vt ſecunda concluſione explicitum eſt: cui tamen tertia non repugnat: nempè vt ob le-gitimas circunſtantias id fieri poſſit licitè. Et pariter reſpondetur ad ſanctorum do-gmata, ac ſubinde ad rationem tertio loco adiectam.

ARTICVLVS. IIII.

Vrùm in collatione ſæcularium ma giſtratum ſubieciſſe poſſit crimen acce-ptionis perſonarum.

POST hæc quæ de Eccleſiaſti-cis bonis dicta ſunt, continuò in hoc quarto articulo ſimilis ſe inſinuat diſputatio de ſæculari-bus magiſtratibus, publicisque officijs à muneribus, quæ adminiſtrandæ iuſtitiæ creari conſueuerunt in republica: nempè vtrum in illis conferendis ac diſpen-ſandis ſubeſſe quoq; poſſit crimen acceptio nis perſonarum. Arguitur enim primò à par *Primũ ar gumentum à parte ne gatiua.* tenegatiua. Bona hęc (veluti de eccleſiaſticis diximus) ſunt ſtipendia erecta & ſtãta mini ſtris rei publicæ: qui illa mercede ſua quisq; obſequia impendit: ergò non pertinent ad diſtributiuam iuſtitiam: ſed reſpublica vel rex in quem publica poteſtas tranſlata eſt, veluti propria bona poteſt cui libuerit elar-giri, veluti cõductis operarijs: ac ſubinde fit cõſequens vt nullum ibidem locum habeat perſonarum acceptio. ¶ Imò apertiùs ex ea dem radice ſecundò arguitur. Res publica *Argumẽ.* atq; adeò rex non ſolùm illa publica ſtipen dia, verùm & iura quę quisq; ſoluit miniſtris iuſtitiæ pro ſuo placito inſtituit: ergò nulla ratio vetare videtur quin magiſtratus ipſos & officialium loca vendere poſſit tãtum ab eſt vt in eorum prouiſione peccare poſſit perſonarum reſpectu. ¶ In contrarium recla mat vox populi.

QVęſtio huius articuli per ea quę in pro ximo dicta ſunt per quàm facilè defi *Prima cõ cluſio.* nitur. Eſt enim prima cõcluſio ſecũdæ ſuperioris ſimillima. Bona hęc ſęcularia mi-niſtrorũ iuſtitiæ, licẽt imaginem, & rei nõ ni hil gerant iuſtitię diſtributiuę, nõ tamen ta-li ſolum ratione ęſtimãda ſunt, ſed velut ma teria iuſtitiæ commutatiuæ. Enimuerò non ſunt ea lance librãda ac ſi eſſent rei publicæ bona: ea tantùm ratione applicãda ciuibus quòd ſint prouẽtus publici: aut tali ratione ac ſi ſint præmia propoſita honeſtis viris, probis, & ſapientibus, pto ſuis virtutibus & exhauſtis laboribus per literarũ ſtudia: ſed tanquàm ſtipendia publicis miniſtris iuſti-tiæ decreta, pro ſuis obſequijs quæ reipubli-cæ impendunt. Hæc cõcluſio potentior etiã eſt quàm quæ de eccleſiaſticis bonis aſſere-batur. Enimuerò niſi neceſſaria eſſet iuſtitię

admi-

administratio, nunquàm ob præmiũ virtutum aut literarum contributa essent à populo, vel impensa ex ærario regis. Qua propter rex per iustitiam commutatiuam debet tales ministros regno pro tributis quæ populus illi numerat. Debet enim suis ciuibus protectionem ab extero hoste: mox iustitię custodiam aduersus internos malefactores.

Secũda conclusio. ¶Hinc subsequitur conclusio secũda. Licèt in collatione huiusmodi magistratuũ atq; officialium illa inspicięda sit facies distributiuæ iustitiæ, vt dignioribus maiora conferantur: illa insuper seruanda est iustitia commutatiua vt tantum stipẽdij cuiq; reddatur quanti penditur eius labor, cura, & functionis qualitas. Conclusio hæc compertior per superiorem sit quàm vt alio præterea egeat testimonio. *Tertia conclusio.* ¶Tertia conclusio superioribus agnata. Personarum merita quibus publicæ administrationes & munera demandantur, non sunt estimanda præcisè ficut in distributiua iustitia secundùm eorum absolutam consideratione in ordine ad seipsos: sed respectu finis & functionis ad quam assumuntur. An scilicet sint ad subditos accommodi, & ad magistratum illum gerendum idonei. Ex his fit cõsequens, q; si indigna sit assumptio huiusmodi classis hominum, nõ tam pensanda est iniuria quæ fit dignioribus, quàm illa quæ fit ciuitati, vel genti cui talis persona præficitur, vel toti regno, si sint Regiæ curiæ, vel prę sidentes, vel assistentes. Etenim sola (vt inculcãter repetam) populi necessitate instituti illi sunt honores, & stipendia decreta quæ illis obueniunt: & non propter personas ipsas quibus deferuntur: si cuti bona quæ per distributiuam iustitiam communicantur. ¶Ex hoc ergò consequitur quarta conclusio, Quandò digni nõ obtinent istos honores & stipendia, acceptionis personarum crimen committitur, vinculumq; inde adeò restitutionis oritur: non tamen quæ facienda sit ipsis qui obtinere deberent, sed certè populo qui damnum accepit & incommoda. Hæc inquam conclusio ex superioribus liquidò patet quia in populum tunc peccatur contra commutatiuam, quæ militat sub legali vniuersalique iustitia principis. Licet denegandum non sit quin contra iustitiam distributiuam iniuria fiat etiam & dignioribus: porrò qui cum illo intuitu literis virtutibusq; insudent, quodam pacto defraudantur. Benè enim consulteq; & Solon & Democritus aiebant duo hæc diuina numina cuncta gubernare, præmium scilicet & pœnã, quibus ideo omnis respublica cõtinetur. Secũdũ quos philosophos. Vlpianus. Vlpian. de Iusti. & Iure. lib. 1. Bonos, inquit, nõ solũ metu pœnarũ, verũ etiã pmiorũ quoq; exhortatione efficere cupimus. Illud tamen personarum qualecunq; ius non inducit restitutionis ligamen quę illis sit facienda. Habet nihilo minùs (vt dicebã) locũ & in istiusmodi distributionibus personarũ acceptio. Vt verbi gratia, si Rex Salmãtinos tantũ ad publica munera accerserit aut ad alias præbendas, ea tantũ ratione q; Salmantini sunt. Secùs autẽ si hoc argumento vteretur ad explorandũ eorũ merita. ¶Sed roger quis fortè quæna merita librãda sunt & cõquirenda tam in publicis magistratibus q; in alijs ministris inferioris ordinis: vt sunt scribæ, & alij huius classis: vtrũ sola eorum probitas. Hãc interrogationẽ perneceſſariã hîc diximus, cuius ideo gratia hãc appẽdimus lõgiusculã meditationem. Statuitur ergò quinta cõclusio. *Quinta cõclusio.* Nemo qui improbis est moribus, quacunq; vel scientia vel prudentia, quæ potiùs in viro prauo erit astutia, præpolleat, ad huiusmodi prouincias est promouẽdus. Enim *Ratio cõclusionis.* uerò artis quæ solo intellectu considerẽt, potest quidem vir nequam probè exercere: vt fidibus dulciter canere, pulchrè pingere, ad fabrè sculpere: illam verò practicam quæ in iustitiæ administratione posita est, nemo nisi virtutum vniuersitate præditus exequi valet iustè. Cuius ratio in prõptu est quòd *Illustrat̃ sa tis cõclusio. Aristo.* (vt. 6. Ethico. Arist. autor existit) regere atq; imperare prudentiæ munus est: prudentia autem secũ habet cũctas virtutes connexas: & potissimùm prudentia iudicis. Est nanq; (vt. 5. Ethico. docet) iustitiæ custos: haud tamen iniquitates omnes reipublicæ exagitare potest, ac secundùm leges vindicare, nisi fuerit virtutum omniũ decõre perornatus: nam qualis vnusquisq; est talis sibi finis esse videtur: obidque de officijs non potest quis iudicare bene qui malignè illis affectus est. Quin verò (vt rerum vsu & experientia constat) corruptus animus non potest nõ æquitatem iustitiæ labefactare. Qua vtiq; de causa Arist. Polit. 3. postquàm disseruit nõ idem esse, vt quis bonus sit ciuis, atq; bonus, exceptionem statim subdit: videlicet eum ciuẽ qui præsidẽs est & princeps virtutibus omnibus viri boni indigere. Quin age hac ratiõe 5. Ethico. asseruit magistratum ostendere virum, quòd cùm virtutes reliquæ hominem in seipso

Propter populi necessitatem instituti sunt magistratus.

Quarta conclusio.

Solon. Democritus

Aristo.

in seipso componant: iustitia verò ipsum ad alios ordinet, facilius est virtutes reliquas colere quàm iustitiam obidq; : non satis virtus dignitasq; personæ habetur explorata, quo usque magistratum ineat. Ahęc cùm iustitię ministri, membra sint principis in ipsis debet suam ipsius pulchritudinẽ exhibere ciuium oculis. Nulla enim de re certiùs perpẽditur qualis sit princeps, quàm de ministrorum integritate aut corruptela. Neque enim quicquam illi aliud, seu diuinum ius spectes seu naturale seu humanum. arctiùs iniunctũ est, quàm vt iustitiam custodiat: quæ non tã legum vi quam ministrorum prudentia, & cum primis charitate & probitate custoditur, tuetur, & vegetatur. Adde quòd dũ hominis iniquitas authoritate publica coarmatur, nihil esse reipublicæ pestilentius potest. Ecquid enim iniquius atq; peruersius quàm eãdem authoritate quæ in custodiã iustitiæ diuinitus creata est, in eius exitium & interniciem abuti? Quàm hæc omnia prudenter *Aristot.* vnico verbo. 5. Ethico. Arist. concluſit: vbi iudicem pronunciauit debere esse iustũ ipsum viuens, hoc est iustitiæ spiritu cuncta disponens. Quare leges vt sint ipse sanctissimæ, tamen sine recto iudicę cadauera sunt defunctæ rationis. Præterquàm quòd dum subiectus populus videt iustitie custodem impunè delinquere, nõ solùm iustitiam despectui habet, delinquendiq; ansam inde nãciscitur verùm in odium virtutum pertrahitur, quã sic pessum ire videt. ¶ Inter iudicis autem *Auaritia inter iudicis delicta primas tenet. Iustinian⁹.* vitia auaritia est pestilentius. Quod auct. Iustitiani, vt iudices sine quoquo suffragio fiant disertissimè pandit. Vbi ait imperator se nõ sufficere considerare & exponere quã ta ex furto prouincialium iudicum fiãt pessima. Sanctissimũ Oratoribus fuit vt nemo in illũ ordinem admitteretur, nisi imprimis vir bonus esset, ac mox dicendi peritus: quã to ergò Christianis hoc debet esse sanctius in iudicibus creãdis? Scopum profectò optimè ille coniectauit Moysi socer, dum gene *Iethro.* ro huiuscemodi consiliũ dedit, Exod. 18. Prouide ex omni plebe viros potentes & timentes Deũ inquibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitues eos tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, *Sexta cõclusio.* qui iudicent populũ omni tempore. ¶ Huic autem propositioni sextã adhibeamus. Nõ salùm præter morum honestatem scientia, prudẽtia, & solertia, atq; in primis animi robur necessaria sunt ei qui sessurus est iudex verùm etiã expedit nonunquàm eum qui non est tam ornatis moribus, alteri qui illis abũdat anteferri propter alias dotes quibus præditus est, ad regendum accõmodas. Atq; hoc suo gradu in inferioribus etiam ordinibus ministrorum iustitię obseruandum est. Qnin verò in magistratibus nonnullis creãdis & generis nobilitas æstimanda est, quæ non solùm splendorem, verùm & authoritatis pondus secum affert.

PER hæc solutum restat argumentum priusConceditur enim stipendia publica ministrorum iustitiæ, esse reipublicæ, vbi seipsa gubernat, atq; adeò regis vbi regnum est nihilo minùs rex debet rei publicę per iustitiam commutatiuam idoneos ministros propter tributa quæ illi contribuunt: quos si non dederit, tenetur illi damna sarcire. *Ad primũ argumẽtũ.*

¶ Sed ingerit se statim dubitatio secundi argumenti non facilis, an videlicet rex possit huiusmodi magistratus & officia vendere: Obijcere se enim videtur statim verbo ioso venditionis, horribilis quędam turpitudo ac deformitas: quęstionẽ igitur opùs est euoluere, de suisq; principijs deducere. Est enim Diuus Thomas qui (vt legitur opusculo, quod inter sua est. 21.) interrogatus â fœmina Duce Brabantiæ an liceret illi huiusmodi officia vendere, vel mutuo à Baliuis & Officialibus aliquid certũ recipere donec ex officijs suis eandẽ summã reficeret: respondit, licêre quidem, minimè tamẽ expedire aut decêre. In quam sententiam Caietañ. propendet in Summa, verbo, vænalitas. At quia solutio quæstionis huius in diuersa extrema trahitur, dum alij existimãt ex natura rei esse illicitam venditionem, ac si stipendia illa iuraq; officialium sua essent propria iure hæreditario acquisita vel acquirenda. Alij verò rem nimium relaxantes eadem officia vænalia perinde arbitrãtur, atq; prædiorum fructus. Mediam sententiam, nescio an falsus, constituere curabo: quæ subiectis conclusionibus patebit. ¶ Prima. Si munia hæc, magistratus & officia perse nudè absq; circunstãtijs, quę vsuveniunt speculatiuè tantùm, vt aiũt, existimentur, scilicet vt verè dignis personis venderẽtur, qui iustitiam recta, bonaq; fide administrarẽt, neq; vllum eis offerretur periculum petendi quicquã aut recipiendi præter ius suum, nihil in se habent quo minùs licitè vænalia sint. Probatur. Venditionis huiusmodi iniustitia aut inde existeret quòd spiri- *Dubiũ circa secundũ argumentum Argumẽtũ à partenegatiua. D. Th. interrogat⁹ à Duce Brabantiæ. Caietanus. Prima cõclusio. Probatio cõclusionis.*

ſpiritualia ſunt, & ideo veluti eccleſiaſtica beneficia gratis cõferenda: impedimentum autem hoc palàm eſt nihil loci in præſentiarũ obtinere: ſi quidem merè ſęcularia ſunt, Aut quia ſunt bona communia, veluti præmia eorum qui literis & probitate pollent, atque adeò illis propter ſeipſos peculiariter debita, ſicuti prouentus rei publicæ, vel ſicuti in die iudicij bonis debentur præmia. Et hoc iam modò excluſum eſt: nimirum dum mõſtrauimus non eſſe niſi ſtipendia & mercedem pro ſeruitijs & obſequijs eorum qui reipublicæ inſeruiunt, Alia autem ratio non apparet iniquitatis huiuſmodi venditionis, ſi nullus aliarum circunſtantiarum habetur reſpectus: ergò eſt per ſe licita. ¶ Secundò & maioris claritatis gratia arguitur. Demus rempublicam quæ ſeipſam, verbi gratia, per conſules regit. Illa facultatem habet & arbitrium cõſtituendi ex ſuo ęrario ſingulis magiſtratibus & officialibus ſtipendia, tãta vel tanta ergò quando perſonã quamlibet huic aut illi officio deputat, cùm illa perſona nullum prorſus habeat acquiſitum ius, poteſt ei ſtipendiũ vel augere vel minuere: ergò eâdem ratione poterit illi imponere in tributum quotam partem eiuſdem ſtipendij quã ſoluat reipublicæ. Et eâdem ratione poteſt illam quotam pretio taxare, atq; adeò officiũ illi vendere. ¶ Poſſet autem hanc noſtrã cõcluſionẽ quis hoc pacto inficiari: Reſpublica debet ęqua iura cõſtituere ciuibus quę ſoluãt officialibꝰ. Verbi gratia, pro tali ſcripto tantũ, pro ſigillo tantũ, pro ſubſcriptiõe. &c. Quòd ſi pretiũ exuperat qualitatẽ officij imperare debet ciuibus minora iura: & ideo nihil eximere poteſt ab illo ſtipẽdio, atq; adeò neq; illud vendere, ſed remittere ciuibus. Porrò autem exceptio hęc & reſponſio nõ eneruat argumentum noſtrum. Enimuerò contingere poteſt vt expediens ac decens ſit tanta iura imponere litigantibus ad reſecandas lites atq; ad arcẽdos à tribunalibus ciues: vel quia illud eſt vnum iuſtum tributum pro republica. Hoc autem ſuppoſito fortè ex altera parte nimium creſcunt ſcribæ, verbi gratia, aut prætoris prouentus, ita vt pro dignitate perſonarum redundent, Illo ergò caſu non video cur nequeat reſpublica inſuã propriam vtilitatem quotam illorum ſtipendiorum vertere, atq; adeò vel locare officiũ, vel vendere. Exemplum in hiſce noſtris ſcholis patet. Iura ſcribæ amplia ſunt, & aucta Vniuerſitate decet illa per ſolui: factum eſt tamẽ plus nimio fructuoſum officiũ: obidq; conſtituit Vniuerſitas ſibi capere iura illa, & tabellario certam conſignare pecuniam. Profectò non video dum officium prouidetur, quidnam iniuriæ ſit, illa cõditione miniſtrũ ſuum recipere, Si vis tãtũ: ſin verò, abi: alius accipiet. Quòd ſi hoc licitum eſt, licuit etiã totum officium cũ ſua amplitudine, vel locare, vel vendere. ¶ Aliam verò præterea exceptionem forſan quiſpiã obijciat. Eſto reſpublica quę perſe regitur hoc poſſet, rex tamẽ non item quoniam merus eſt diſpenſator officiorũ. Et ideo nõ poterit quaſi ſua illa vendere, ſed tenetur quaſi reipublicę officia diſpenſare. Attamẽ obiectio hęc niſi fallor, nul latenùs cõcluſionem noſtrã expugnat. Rex enim non tanq; diſpenſator, ſed tanq ipſa eadem reſpublica reputãdus eſt. Enimuerò nõ eſt æſtimãdus tanq; reipublicę vicarius, ſicuti Venetorũ Dux, qui ſemper eſt è republica pendens, ſed tanquam pleniſsimã habens poteſtatem reipublicæ, eandem ſcilicet quã ipſa habebat. Sic enim expreſsè habet Lex illa, Quod principi. ff. de cõſt. prin. Quod principi placuit, legis habet vigorẽ: vt potè cùm Lege regia quę de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum omne ſuũ imperiũ & poteſtatem cõtulerit. Hac enim lege atq; hac decauſa nõ poteſt illum vllo pacto dimouere, neq; filios iure hęreditario regnandi expoliare, ſi illud ſemel illi cõtulerit, niſi vbi aperta tyrannide regnũ peſſundaret. Et tunc ſolo beneficio naturalis iuris quo vim vi repellere licet. Itaq; regnum eſt ſuũ ſicut cuiuſq; ciuis ſua eſt domus: atq; adeò quæcũq; facultas & ius rei publicę penes ipſum eſt: licèt nõ reſpublica propter ipſum, ſed ipſe propter rempublicẽ ſit inſtitutus: & ideo omnia debet in publicũ cõmodũ referre. Hinc ſit q magnates & domini qui ſub ditiõe regia ſunt nõ habeãt ex natura ire eandẽ facultatẽ officia venden di: quia Ducatus, verbi gratia, vel Marchionatus non cenſentur tanq; perſe reſpublica: neq; ad illũ abſolutè pertinet iura quę ſubditi ſoluunt inſtituere, ſed dependenter à rege. At tenentur miniſtros iuſtitiæ decenti ſtipendio conducere. Verum eſt quòd opida & Vaſalli ſunt vera eorum poſſeſsio: & ideo ſi expedierit in bonum commune populi ſui quotam aliquam eximere ab illis officijs, nulla eſſet iniquitas. Sed eſt differentia inter regem & illos, quòd quicquid rex reciperet vel exciperet ad iſtis officijs reputatur eſſe in bonum publicum: ſiquidem

Argumẽtũ princeps pro authore.

obiectio.

Dilutio obiectionis.

Alia obiectio.

Soluitur dubitatio.

Qui poſſunt vẽdere hæc officia.

Diſcrimen inter regem & alios proceres. reſpublica

siquidem illi incumbit regnum protegere si cuti si ipse esset respublica: secùs autē dñi inferiores: nō enim quicquid sibi vsurparēt ex huiusmodi officijs reputaret cedere in bonū publicū, nisi ipsi ad tale bonū applicarēt: puta ad reparationē murorū aut pontium. &c. Igitur nullam iniustitiam deprehendere inde valeo si dum rem nudè speculemur, rex iura officialium probono publico vēderet: vt præturam verbi gratia, aut scribæ officium suis aulicis donaret, qu possunt alios substituere à quibus aliquam partem susciperēt, si fructuū vbertas idferret: dum modo cunctis incōmodis bona fide obuiaretur: scilicet vt qui officium administrarent digni essent, neq; fraudes neq; latrocinia facerēt, quibus precium quod impenderant corraderent.

Secūda conclusio. ¶ Secunda conclusio. Si res hæc non ita speculatiuè, sed practicè & per applicationem ad vsus atq; ad effectuum absurditatem, qui fermè necessario inde sequuntur, consideretur: non solùm nūquàm aut expedit, aut decet verùm secundùm moralem prudentiam neq; licet. Conclusio hæc multis modis demonstratur. Primùm eo ipso quòd officium res fit venialis, non penditur persona cui vēditur meritis, sed pecunia quo nihil potest iniquius esse. Obueniunt enim tunc plurimùm magistratus viris ambitione & auaritia corruptis, sanguine infimis, absque prudentia & literis: quo nihil in republica pesti lētius est. Præterquā quòd magistratus inde vilescunt. Mox & hac ratione via sternitur ad diripienda ciuium bona: nam eādem de causa auaritiæ vitium palliatur, Etenim qui gratis officium receperunt, nisi impudentia insignes fuerint, non audent vltra suum ius pro suo ministerio petere: qui verò coēmerunt, occasionem, saltem fucatam habent dicendi quòd quæ priùs emerant vendere iure possunt ad redimendam vexationem suam: Quanuis re vera nullam habeant excusationem. Nam cùm iure taxata sint, sua culpa est si officium emunt, ex quo legitimè non possunt & pretiū & victum cōficere. Quòd si officiales huiusmodi & iustitię ministri repetundis pecunijs ac rebus, quas contra ius extorquent, sint populo graues, quomodò audebit qui læsus est principē aut dominū cōquesturus adire? imò quomodò dominus nō erubescet ministrū corripere, à quo ipse pecuniam priùs expressārat, quam ille à plebe deprædatur? Existit præterea & aliud damnū quod huiusmodi venditiones afferunt porrò quòd homines diuertit ab alijs artib⁹ quas exercere possent vt splendidiùs de rapina viuāt. ¶ Præterea & leges ipsę & iura hac ratione violantur & pessum eunt. Nam scriba, aut prętor, aut quiuis alius officialis qui pretium empti officij extorquere debet à miseris ciuibus, quònam putas modo non violabit fidem suam? quam non iniuriam intētabit, vt miserorū pecuniam emungat? ¶ Præter hæc demum, quando hæc scilicet cūcta cessarēt, cūprinceps inferioresq; domini pro stipendijs quę à populo recipiunt, iustitiam administrare teneantur, ita se gerere, vt non solùm non eam gratis administrent, verùm neq; contenti litigatorum contributionibus pro ministris imperare: nouū quoq; lucrum ex administratione iustitiæ sibi extorqueāt: profectò nō potest culpę absurditate vacare. ¶ Hæc oīa sanctissimè Imperator Iustinianus in Authen. illo aureo. Vt iudices sine quoquo suffragio fiāt. quo maximè ambæ nostrę cōclusiones irroborantur, luculentissimè disseruit. Illic enim persanctè iubet vt personæ quę publicis officijs adducuntur, singula sine mercede percipiant: nihil omninò dantes neq; occasione suffragiorum. Verba sunt Authentici. Tamen in causam nō adducit quòd illa, natura sua vēdibilia nō sint, sed omnibus, inquit, manifestum est: quoniam qui aurum dat & ita administrationem emit, non hoc solùm, sed & aliud extrinsecùs addit amplius occasione commodi. Et sic vno principio illicito dato, multę subsequūtur rapinę. Legitur prętereà iure communi eadem ptohibitio. l. Hęc lex. ff. ad. l. Iuli. de ambi. Quapropter & secundùm ius commune Catholici Hispaniarū Reges lege etiam prohibent (vt inter eorum Pragmaticas extat) nè electiones officiorū & potissimùm scribarum, pretio fiant: eademq; Pragmatica, authoritate etiam Inuictissimi Cæsaris confirmata est. ¶ Tertia cō clusio. Cunctis alijs hoc esset pestilentius de cōrem reipublicæ turpiùs offendens, atque adeò scandalosum si iudicatus venderentur, aut loca eorum qui regi sunt à publicis consilijs: vt audiui in quadam prouincia extra Hispaniam fieri: nam inde præsentissimum periculum existeret iugulandi præuaricandiq; omnia iura. In locis autem Senatorum vendendis, quos vulgò Rectores vocant, eò minus absurditatis apparet quòd nō vsque adeo sunt iustitiæ ad ministratores. Atverò quia & vrbem suo ordine regunt, & multa publi-

Ostenditur conclusio.

Authēticus aureum Iustitiani.

Reges Catholici.

Cæsar. Tertia conclusio.

Quæ officia turpius vēdantur.

publica munia gerunt, aliaq; diſpenſant, & nõ nunquam in cõſilium iuſtitiæ adhibentur: non poteſt non eſſe incongruum, ſi non meritorum ſed precij ęſtimatione eligantur. ¶ Hoc autem eſt hîc apprimè conſiderandum, quòd etſi neceſsitas, legis neſcia, principem quandoq; compulerit huiuſmodi loca diuendere: emptores tamen neq; vllus alius vendendi ius habet. Hoc enim eſſet munus eligẽdi ſenatorem vſurpare: quod rex nemini committit. Quapropter niſi facultate regis obtenta, ad quem electio pertinet, nemini licet quantouis pretio emerit, in alterum, vel nũmis vel gratis transferre. Neq; tranſlatio, niſi pòſt regis aſſenſu rata haberetur, vlliusue eſſet valoris. Quòd ſi quis à rege facultatem trasferendi locum ſuum petierit, non explicando venditionem, arbitror ſic peccare vendendo vt ad reſtitutionem pretij teneatur: quia nemini fas eſt vẽdere niſi regi. Vbi autem rex eadem largiatur facultatem, ceſſat reſtitutionis obligatio: non tamen ratio peccati: poſtq̃ venditio nõ fit in bonum publicum. ¶ Subiecerim præterea quartã concluſionẽ: Senatores vrbiũ, quibus cõceſſum eſt ſcribarum functiones eligere, non ſolùm propter incommoda quæ ſecunda ac tertia concluſione expreſſa ſunt, nequeũt vllo pacto pretio ſuffragia vendere, verùm naturæ & conditioni ſuę functionis illud repugnat. Itaq; etſi regi iuxta tenorem primæ concluſionis aliquando fortè liceret, illis tamen ne quàquam pretium recipere faseſt. Ratio eſt, quia ipſi non ſunt in quos reſpublica poteſtatem publicam tranſtulit, veluti in regem: ſed ſunt meri diſpenſatores, & ex priuilegio ſimpliciter electores: quorum ideo ſingulariter talẽ auſum cohibet Pragma. illa regni citata. Ex quo fit vt neq; poſsint ſtipẽdia iuraq; ſcribarum per modũ penſionis diſpertiri: aut cogere ſcribam vt tantum alteri ſoluat. Itâ enim ſolet inter iſtos ſenatores cõuenire: Eligamus tuum hominem, qui tamen meo aliquid rependat. Re vera nõ auderem tutas aſſerere talium conſcientias: hoc enim eſt pretio æſtimare ſuffragium. Quapropter tota pecunia reſtituẽda eſt electo ſcribæ, tãquàm per iniquitatem extorta. ¶ Quinta poſtremaq; noſtra cõcluſio ſit. Inter hos omnes iniuſtiſsimè ac fœdiſsimè eccleſiaſtici Antiſtites huiuſmodi munia vęnundãt. Nã pręter abſurda quę ſuperiùs numerata ſunt, ſcandalo Chriſtianos oculos offendũt. Gratis enim acceperunt, gratis dent: non ſolùm ſpiritualia, ſed ſæcularia quæ ad cuſtodiam ſpiritualium inſtituta ſunt. Haud equidem melatet, neq; verò negauerim, quinaliqua iura & munera Antiſtitibus obuenire poſsint quæ antiquiſsima cõſuetudine bonafide firmata ſunt: vt cap. ſtatutum Clem. de electio. adnotatur: vbi habetur, quicquid emolumẽti epiſcopo prouenerit ex iuriſdictione & ſigillo curiæ Eccleſiaſticę vel ſęcularis, futuro ſucceſſori fideliter reſeruandum. Neq; dene gandum quin fortè litigantibus etiam in curia eccleſiaſtica ęquum ſit aliqua minutiſsima iura imperare ad obuiandum litibus, Id tamen multò eſt moderatiùs faciẽdum q̃ in foro ſęculari. Fieri enim nõ poteſt citra ſcandalum, imò forſan neq; citra iniuriam vt ſigilli prouentus & ſubſcriptionũ tam immodici ſint: cùm illa teſtimonia, ſiampli epiſcopatuum fructus ſpectentur, epiſcopi videãtur gratuitò debere ſubditis. In illos enim multò vehementiùs militat argumentũ ſuperius, quòd cũ gratis debeãt adminiſtrare iuſtitiam, contenti ſint exiguam pecuniam pro miniſtris à litigãtibus extorquere, abſq; eo quòd inde ſibi aliud lucrum augeant. In calce deniq; quęſtionis poſtremum hoc verbum adhibuerim, quòd auctiora iura litigãtium vel imponere vel diſsimulare & permittere eo intuitu vt officium pluris vendatur, ſceleſtius eſſet iniuſtitiæ crimen. ¶ Ex his ergò ſolutum reſtat argumẽtũ ſecundũ.

Pragmatica regni.

Quinta cõcluſio.

Adſecũdũ argumentũ

ARTICVLVS. V.

Vtrùm in iudicijs dicundis interuenire poſsit perſonarum acceptio.

POST hæc quæ de magiſtratibus, deq; alijs reipublicæ muneribus, atq; adeò de iudicatibus inſtituendis ac diſpenſandis dicta ſunt, cõſequitur in hoc qnin to articulo vt examinemus an etiã in iudicijs dicũdis crimẽ quoq; acceptionis perſonarũ committi accidat. Videtur enim nullũ illic locum attingere. Nam dictũ eſt vitium hoc iuſtitiæ diſtributiuæ contra pugnare: dictio autem iuris ad iuſtitiam cõmutatiuam pertinet, ſiue illam partem ſpectes qua inter particulares perſonas æquitas ſeruatur, vt quisq; quod contulis recuperet, ſiue alteram malorum vindicatricem quæ ad æqualitatem vlciſcitur mala, vt ſuprà quæſtione proxima. declarauimus. ¶ Præterea ſecundò arguitur.

Primũ argumentum à parte negatiua.

Argumẽ. 2

Ariſt.

Arist.5.Ethi.præcipit vt iniuriæ magistratibus irrogatæ acriori animaduersione vindicentur,quàm quę in personas inferioris classis inferuntur.Et Eccl.4.iubetur,In iudicando esto pupillis misericors. Vtraq;autē prę ceptio videtur personas respicere:non ergò in huiusmodi personarum acceptione vitiū æstimatur. ¶ Tertiò si in iudicijs acceptio personarum versari posset,nunquàm deberet quicquam illuc admitti quod ad gratiā attineret:nā certè cùm iudex gratuitò quid piam concedit alteri partium, videtur personæ respectu illud facere: consequens tamen falsum apparet: nam primùm videtur ratio postulare vt vbi iudici compertum est inno cētem dolo malo deferri,possit in eius fauorem multa tum indulgere,tum dissimulare, quæ in fauorem nocentis non posset legitimè.Adde quòd &extra hunc casum in arbitrio iudicis apparet esse positum vt infra latitudinem iuris possit terminos quādoq; protendere,quandoq; perstringere hisq; & alijs modis, & parti vni præ altera fauere in his quæ lex non vetat.Et tertiò,supremus princeps potest vitam nonnunquam vni reo donare,quam alteri simili denegat: esto vterq; comdemnatus esset capitis.¶Quartò demū arguitur.Occurrit nonnunquam ius dubiū de quo variè inter doctores opinatur :tūc ergò facultatem videtur iudex habere vt amicitiæ causa nunc secundùm vnam opinionē sententiam ferat, pôst verò contrariè secundùm alterā,intuitu etiam personæ: ergò personarum acceptio non semper est in iudicijs illicita. ¶ In contrarium autem est illud Prouerb. 18. Accipere personam in iudicio non est bonum.

Argumē.3.

Argumē.4

Vnica conclusio.

QVæstio hęc facilis expeditionis est:porrò quæ vnica absoluitur conclusione. Acceptio personarū in iudicijs dicūdis sæpenumerò cōmittitur:eademq; scelus est, & immane crimen. Probatur. Iudicium est recta iudicatio iusti atq; iniusti,puta qua rei duntaxat causis, syncera & cādida ratione perpensis, æqualitas tam inter personas quæ per dationem & receptionem inæqualia habebant constituitur,quàm inter crimina atq; supplicia.Hoc autem iudicium corrumpi consueuit quoties non adcausam,sed ad personam,eiùsue preces aut pretium,aut ad odiū vel fauorem conijcitur oculus : sed hoc est personam accipere seu respicere: potest ergò tale vitiū in huiusmodi iudicatus obrepere. Quocircà præiudiciū inde nomē trahit,quod iudicium ante causarum legitimam cognitionē prępcipitatur. Immanitas autem huius criminis inde proditur, quòd cùm iudex(vt.5.Ethico.author est Arist. vn de id Cicero lib.de Legib.desumpsit)custos sit vsq; adeò iusti,vt eūdem iustitiam ipsam appellauerit animatā:nulla esse potest portentosior peruersio quàm à iudice iustitiam corrumpi.Est enim perinde acsi ipsa se iustitia suis manibus dilaniaret,aut certè si ratio ipsa contra seipsam ageret. Debet enim iudex(vt ibidem ait Cicero)non vt homo,sed vt ratio dominari:vt pote adquem ita cōcurritur, vt ad viuam ipsam rationē, atq; adeò ad loquentem æquitatis normam.Ob idq; (vt in art.1.ex eodem Aristotele dicebamus) neq; admittēda est in iudicium ratio illa cō mouendi affectibus iudicis animum,neque ille debet nisi clausis corporeis oculis iudicare:nē personarum aspectus eum cōmoueat. Tantū abest vt vel aures precibus, vel largitionibus manus ei liceat aperire. Quapropter nulla est bene instituta respublica, in qua non sint acerrimæ pœnæ in iudices decretæ, qui largitionibus vitiari se corrumpiq; sinunt.

Immanitas criminis huius.

Aristot.

Cicero.

Probatio cō clusionis. Iudicium quid sit.

AD primum ergò argumentum respondetur cū D. Thoma, quòd iudicium,si rē ipsam iudicatā spectes,vtriusq; iustitiæ rationi cōmune est:potest enim iudicio definiri & quemadmodū bonorū cōmuniū faciēda sit restitutio,&quo quisq;pacto alienа repensет : sed tamē si formā cōsideres, & ipsa etiā iustitia cōmutatiua imaginē quandā distributionis gerit:quatenꝰ iudex ab altero capit quod alteri tribuit:&ideo illic potest acceptio personarū latitare. ¶Secundū autem argumentū iam superiùs dilutū est: nā acerbior vindicatio iniurię,principi magistratui ve illatę nihil cū acceptione personarū habet cōmune:imò cū personę dignitas quātitatē iniuriæ augeat, æquitas est, vt suppliciū cumulatius sit.Sētētia verò Ecclesiastici per alteram Exod.23.moderanda est. Debet enim iudicem cōmiseratio pauperū n ō nihil mouere:hoc tamen intra iustitiæ limites:nempè vt tāta sit misericordia in pauperē,quanta sufficit eum à potentia diuitis protegere.Sed quia potest etiā cōmiseratio exorbitare,admonemur Exod.23. Pauperis quoq; non misereberis in iudicio.¶Solutio autem tertij argumenti meditatiorē desiderat con-

Adprimū argumētū. D.Thomæ.

Adsecūdū argumētū.

Adtertiū argumētū.

rat cõsiderationem: haud enim dubium est quin vsq; ad gratuita valeat nõnunquã inferpere personarũ acceptio. Gratuita nãq; appellamus illa quæ iudici iure licẽt. Sunt autẽ huiusmodi nonnulla: nẽpè quę cùm lege nõ sint determinata, suo arbitrio relinquuntur.

Ad primũ membrum. Prima propositio. Igitur ad primum membrum illic designatum respondetur primùm quòd re dubia an accusatus, innocens sit, nõ licet iudici in eius fauorem contra tenorem iuris propendêre: tum q; aliàs periculo se errandi exponeret: tum etiam q; esset ansam iudicibus porrigere ad libitum suum arbitrandi, ac subinde callidè innectendi fraudẽ. Vbi verò rei innocentia in propatulo illi sit, nõ solùm poterit, sed enim decebit in gratuitis, quæ iure non sunt cohibita, innocẽti quã fieri maximè poterit, citra scandalum tamen, fauere. Non tamen liberum illi erit legis necessaria prætermittere aut dissimulare: propterea q; cùm sit legũ custos, debet secundùm allegata & probata iudiciũ ferre.

Secũda propositio. ¶Adiecerim tamen huic secundam propositionem, q; prætermittendo aut violãdo iura in fauorem manifesti sibi innocentis, licèt delinquat & nõnunquã mortaliter, tum contra officium suũ legem præuaricando, tum etiam propter scandalũ: ad restitutionem tamẽ nequàquam tenetur actori: quia nihil quod suum esset illi abstulit.

Tertia propositio. ¶Tertia propositio. Nunq; neq; in gratuitis inclinare liberum est iudici contra innocentem: hoc enim esset iniquitatem fouêre. At verò vbi iustitia vtrinq; dubia sit, tũc nõ est apertum vitium in his quæ merè sunt gratuita alteram partium alteri anteferre: dummodò citra scandalum fiat, & citra alterius damnum. Nam si in fauorem amici tempus probationis, aut alios terminos prorogauerit, vt alter expensas maiores faciat, aut temporis diuturnitate lassatus lite abeat, iniuria est. Quòd si gratuitũ huiusmodi beneficiũ pecunia vendat, hoc quidẽ, prẽterquã q; semper est iniquum, insigniter fœdum est. Quin verò addiderim, nisi id quod lege cõceditur temperatissimè fiat, illicò in acceptionẽ personarũ vergere. Quòd si cõtrà arguas, huiusmodi vitium non existere nisi contra iustitiam: id negatur: imò & cõtra æquitatem cõmittitur: & iniquitate non caret q; gratuita omnia in fauorem vnius partis congerantur: restitutio autem non habebit locum nisi vbi lex concutiatur.

Obiectio. *Dilutio.*

Ad tertiũ membrum. ¶Ad tertium deniq; membrum respondetur, neq; carere semper acceptione personarum vbi princeps gratis quibuspiam condemnatorum vitam, aliudue supplicium remittit, quod similimis denegat. Enimuerò quanuis non iustitiæ rigor, æquitas tamen violatur, atq; id cõsideratiùs prælatis præfectisq; Ecclesiasticis, & maximè in religionibus animaduertendum est, nè in legum dispensationibus etiam quæ iure illis licent, aut in pœnis relaxãdis sint personarum acceptores: nam profectò & in his quoque culpa hæc obrepere assolet.

Ad quartum mẽbrũ ¶Ad quartum argumentum eodem fermè pacto respondetur: haud enim dubiũ quin & vsus ille impingere possit in acceptionem personarum. Igitur in primis necessarium semper est, sententiam secundũ probabiliorem opinionem subscribere, etiam si altera sit probabilis. In speculabilibus nanq; scholarum disputationibus nullum inde conflatur periculũ quòd quispiam minùs probabilia ingenii gratia defendat: in practicis verò quæ aliena iura respiciunt, nefas est iudici infirmiorem opinionem sectari: sicuti & medico in practica ex qua salus pendet infirmi: ac multò magis Theologo in his quæ sunt fidei. Quin verò iudex aliter faciẽs, restitutioni fieret obnoxius. Ex quo fit, pessimè sibi communiq; bono consulere iudices, atque etiam medicos, qui postquàm semel vnam opinionem imbiberint, nulla ratione possunt ab illa dimoueri: cùm tamen nè iniuriam alijs intentarent, possi habere tenerentur honorem proprium: & alteram, cùm primùm probabilior appareret, cõmigrare.

Prior propositio.

Posterior positio. ¶Secũda propositio sit: Vbi pariles esse ominò contigerit opiniones, non est apertum scelus nunc vnam nunc alteram opinionem amplecti: vix tamen carere potest scandalo. In his autem cunctis vigilanter cauendum est nè vel amicitia vel quicũq; alius affectus caliginem intellectui offundat, vt eam opinionem probabiliorem iudicet, quàm pro sua libidine mallet.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm in priuatis honoribus deferẽdis interuenire possit personarũ respectus.

NON satis est de publicis cõmunibusq; honoribus dixisse, nisi in hoc sexto articulo de illis etiã sermonẽ subijciamus, qui à priuatis personis sibi inuicem deferuntur. Videtur enim nulla in his posse vsu

Primum argumentum

venire personarũ acceptio. Enimuerò cùm hoc vitium solius sit iustitiæ inimicum, videtur non protendi vsq; ad gratuita: qualis est vrbanitas & comitas in multis honoribus. Quoniam si quis dignis honorẽ deferat, nemini iniuriã facit: dum tamen eosdem honoris nutus ac titulos erga indignos quoq; vrbanitatis gratia ostendat. *Argum. 2.* ¶Secundo arguitur. Etsi honor, vt omnis philosophia proclamat, soli debeatur virtuti: tamen multi sunt praui quibus honor lege defertur: vt prelati, parentes, senes & illustres: etiam si corruptis sint moribus. ¶Cõtra hæc nihilo minùs nos Iacobus 2. cap. suæ Canonicæ, sub hisce verbis instituit: Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste cãdida: intrauerit autem pauper in sordido habitu: & intendatis in eum qui indutus est veste præclara. &c.

HAnc quæstionem ob hunc præcipuè locũ Iacobi submouimus, vt exploremus quale peccatum sit indignis personis ob humanas seculares sq; causas honorẽ exhibere. *Prima conclusio.* ¶Sit ergò prima cõclusio. Etsi honos reuerẽtia sit cuiq; ob suã excellentiã exhibita, tamẽ id cui ꝓpriè & singulariter honor debetur, est virtus. Huius sententiæ. 4. Ethic. cap. 3. au*Aristot.* thor est Arist. vbi ideo subiunxit, honorem, maximũ esse externorũ bonũ quo re vera solus bonus dignus est. Atq; eandem ob rem, lib. 1. docuerat â viris probis elegãtes honorem expetere in testimoniũ virtutis. Ob idq; honor à voce, honestum, descendit: honestas autẽ vni cõpetit virtuti. Quapropter Roma*Marcus Marcellus.* nꝰ ille Marcus Marcellus ea lege Honori in media vrbe templũ erexit, vt nemini illuc nisi per ædes Virtutis patêret aditꝰ. Et de Chri*Paulus.* sto præcinit regius Psaltes: Gloria & honore coronasti eũ Domine. Et Paul. 1. ad Timo. 1. Regi sæculorũ, immortali. &c. honor & gloria. Atq; eisdẽ duobus mẽbris Romañ. 2. sempiternę illius fœlicitatis qualitatẽ expressit dicens: His qui secundùm patientiam boni*Secunda cõclusio.* operis, gloriam & honorem. ¶Secunda cõclusio. Nihilo seciùs præter virtutem sunt quoq; aliæ excellentiæ, quarũ ob causas hoc sæculo mortalibus honores debentur: nempè primũ propter diuinã repręsentationem: veluti principibus & magistratibus qui Dei*Aristot.* personam gerunt. Vnde Aristo. eodem loco 4. Ethi. cap. 3. honore digni censentur, qui in potestatibus sunt constituti. Et lib. 5. cap. 6. Honor est merces & præmium magistratus. Eundemq; dominis serui debent: iuxta verbum Pauli ad Timoth. 6. Quicũq; sunt sub-*Paulus.* iugo serui, dominos suos honore dignos arbitrentur. Mox debetur honor in testimonium alienæ virtutis. Qua ratione honoramus illustres & sanguine ingenuos: quippe quorum maiores arbitramur virtutis gradibus sublimem conscendisse locum. Et multò iustiùs parentibus qui nos genuerunt, & senibus: Nam Leuit. 19. præcipitur, Corã cano capite consurge: &, Honora personam senis. Tametsi legamus Sapientiæ. 4. Senectus venerabilis est, nõ diuturna, neq; annorum numero computata. Cani autẽ sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita est immaculata. His igitur honorem deferre, etsi virtus eisdem absit, nulla est personarum acceptio: quia causa non deest honoris. Quocirca Pro*Explicatur locus Prouerbiorum elegantissime.* uerb. 26. sicut qui mittit lapides in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorẽ. Id quod non modò. S. Tho. verùm & alij sui ordinis egregij authores sic interpretantur, vt aceruus Mercurij calculorum congeries censeatur, quibus in subducẽdis rationibus dati & accepti negotiatores vtũtur: propterea quòd eiusmodi rationum Mercurius habebatur Deus. In huiusmodi nanq; suppputationibꝰ pro libito, imò casu vt manui occurrerit, lapillus qui modò valet vnum, instituitur in denarium, ac subinde vt centũ valeat aut mille. Sic licèt quispiam absq; meritis ad magistratum euehatur, locus tamen facit eũ honore dignum. Tametsi secundùm Hebraicam lectionem sensus longè sit diuersus. Ha*Altera explicatio mira elegans.* betur enim apud Hebræos. Sicut qui mittit lapidem in palma fundæ, videlicet vt vi eum sursum contra eius naturam eijciat: sic qui insipiẽti, hoc est meritis vacuo honorem tribuit. ¶Tertia conclusio, quæ mentis Iacôbi interpres sit. Etsi diuites ratione loci ho*Tertia conclusio.* norare quem in republica sublimem habẽt, officium sit: tamen intuitu tantùm diuitiarum eisdem honorem deferre peccatum est acceptionis personarum. Prior pars tum ex*Prior pars probatur.* superioribus colligitur, tum etiam & Aristo.*Aristot.* assertio est. 4. Ethicorum cap. 3. vbi coniunctim affirmat honore dignos censeri eos qui in potestatibus sunt, & diuites. Secunda ta-*Posterior pars probat D. Thomas* men particula asseritur â Diuo Thom. 2. 2. q. 63. articulo. 3. vbi tamẽ nullam subiunxit causam quàm quòd ei elici videtur ex verbis Iacôbi, licèt quotli. 10. ar. 12. emunctiùs eã exponat. Sed revera neq; ratio deest naturalis quę illi patrocinetur. Enimuerò diuitię seorsùm existimatæ

existimatæ nullam præ se ferunt excellentiã honore dignã: honorabile enim & laudabile (vt. 1. Ethi. cap. 12. Arist. differit) penes hoc differũt, q̃ sola illa quę sunt per se bona, quippe quæ honesta dicũtur, honore sunt digna: vtilia verò, sunt illa quæ nõ per se, sed ad aliud relata, bona sunt: & ideò laudari quidẽ possunt: honorari verò, nõ itẽ: diuitiæ autẽ nihil boni obtinẽt præter vsum. ¶ At verò expedit acerbitatẽ cõclusionis temperare. Intelligẽda quippe est nõ de his extrinsecis quibuslibet honoris signis, sed de veris honorib⁹. Honor enim legitimus est quãdo signa hæc extrinseca, vt capitis detectio, & humiliatio, tãquã testimonia exhibentur intrinsecæ existimationis: atq; hæc esset personarũ acceptio: videlicet si diuiti aliorũ omniũ meritorum vacuo, taliter ex animo haberemus honorẽ. Et hoc est quod Iacobus cõdemnat. Vnde subdit. Nónne iudicatis apud vosmetipsos, scilicet dũ pauperibus diuites præfertis, & facti estis iudices cogitationũ iniquarũ? Ecce ergò peccatum, iudicare diuitem ob suas diuitias pauperibus vera dignitate præstare. Ostendere autẽ diuitibus extrinsecùs citra internũ iudicium talia signa, vt loco cedere, caput aperire, inuitare. &c. nullã habet rationẽ culpæ: sed est triuiali vrbanitati conniuere. Quod nisi faceres, insolens habereris. Vnde Augustini glossa ibidẽ, Si hanc distantiã sedendi & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, vt diuites pauperib⁹ (in cõferendis scilicet sacerdotijs) anteferant, nõ est, inquit, putandũ leue esse peccatũ. Et infrà: Si autem de quotidianis cõfessibus loquitur, q̃tis nõ id peccat? Non tamen peccat nisi cùm apud semetipsum intùs ita iudicat, vt ei tanto melior quanto ditior videatur. Hoc enim videtur significasse, subdendo, Nónne iudicatis apud vosmetipsos. &c. Hæc in glossa.

Aristot. In quo differũt laudabile & honorabile.

Temperatur posterior pars cõclusionis.

Augustin. Explicatur plane locus Diui Iacobi

Ad primũ argumẽtũ.

AD primũ ergo argumentũ respondetur primò q̃ nõ est in gratuitis habendum, sed contra iustitiã interpretandũ, q̃ diuites vel alios quoslibet in quibus nihil virtutis aut legitimæ excellentię existit, quispiã animo reputet secundũ rei veritatẽ alijs anteferẽdos, qui virtute pollent, aut alia dignitatis excellentia. Secundò, & hoc quoq; mente speculandũ est, q̃ & in gratuitis honorib⁹ acceptio cõtingere potest personarũ. Nam illos honoris titulos qui dignis debentur, sic euulgare ac demittere vt indignis quoq; ascribãtur, non caret iniuria quæ dignis irrogatur. Enimuerò cũ honor in excellentia cõsistat, quãdo honoris nomen ex æquo in cõmune oĩbus inuulgas, facis tũc illud nõ esse honoris nomen, ac subinde dignos iure suo depellis. Verbi gratia, si eodẽ titulo & Antistitẽ salutares quo simplices sacerdotes: eodẽq; magnatẽ atq; plebeiũ, magistrũ ac discipulũ, nobilẽ & ignobilẽ. ¶ Secundũ autẽ argumentũ cõclusio secũda abundè dissoluit. An verò regi honores pro libito inter ciues impartire liceat, & quartus partim articulus declarauit, & subsequens id faciet pleniùs.

Ad secundum argumentum.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm in tributis exigendis peccari possit acceptione personarum.

SVpereſt postremò in hoc. 7. ar. de tributis verbũ adijcere, Vtrũ & in illis quoq; vsu venire possit personarũ acceptio. Existit enim à parte negatiua primũ argumentũ. Acceptio personarũ in bonorũ distributione cõmittitur: tributorũ autẽ exactio bonorũ cõmunium collectio est & accumulatio: potiùs ergo (vt nomen sonat) est cõtributio quã distributio. Atque adeò illic nulla esse videt personarũ acceptio. ¶ Secundò arguitur: Cap. licet multũ. extrà, de cẽsib. iubetur rationẽ haberi cæci, nè tributorũ iugo afflictetur: & ff. eodẽ titul. l. ætatem. sancitur quoq; & ætatẽ esse considerandã. Nempè vt neq; pueri, neq; senes census soluant. ¶ Et tertiò arguitur. Nobiles tributorũ exactione liberantur, quos rex pro suo arbitratu creare potest: ergo acceptio personarũ nõ est in huiusmodi tributorũ exactionibus illicita. ¶ In contrariũ tamen est q̃ principes populũ tributis vexantes, neq; tam ob causas legitimas quam propter odia vel fauores eadẽ exigentes, nõ solũ apud philosophos & seculares historiographos, verùm & in sacris pessimè audiũt. Hanc enim ob rẽ (vt. 3. Reg. 12. sacra refert historia) Roboã maxima fuit regni portione mulctat⁹, quòd præ patre suo moliebatur plebi graue iugum imponere.

Primum argumentum à parte negatiua.

Argum. 2.

Argum. 3.

Roboam.

QVàm plurima tributorũ nomina iuris prudentes multiplicãt: quæ inter alios Sylvest. sub verbo, Gabella, propemodũ connumerauit: vt pẽsio, quæ dicitur à pẽdendo, hoc est soluendo: guidagiũ. &c. Quatuor tamen ad rem spectantia huc accersiuimus

Sylvester.

Quatuor tributorum nomina. Census.

mus. Primũ est census, quod à censendo deriuatur: eò q recenseri facultates debẽt, quò inde tributa pro earum ratione soluãtur: vt habetur. l. forma. de censib. At verò vt peculiare nomen sit ab alijs distinctum, pensionẽ illam singulariter significat, quã ciues viritim pro capite principi pendunt. Hoc enim est de quo Iudęi Christum sciscitabãtur, vbi quærebãt, an liceret Cæsari censum soluere.

Quod tributum erat à quo se Iudæi exonerare cupiebant.

Tributa enim quæ pro defensione & gubernatione reipublicæ imperabant, nihil tribuere recusabãt: sed illud quod iugũ subiectionis designabat, à qua ipsi se liberos arbitrabantur tanq̃ filij Abrahæ. Vnde alibi, Nos sumus filij Abrahæ, & nemini seruiuimus vnquã. Huiusmodi autem cẽsus inter Christianos principes non est vsu frequens, eò q ad superbiæ tumorẽ potiùs & ad auaritiæ sitim attineat, quàm ad publicorum sumptuũ necessitatẽ. Satis nanq; se ciues subditos profitentur, cùm alia iussa capessunt. Illam ergò ob causam Cæsares describi orbem iubebãt

Dauid.

Vnde Dauid (vt. 2. Reg. 24. memoriæ proditum est) inde tam acerbas dedit pœnas numerati populi. Atque huc referebatur quod Christus interrogauit, Cuius est imago hęc? scilicet numismatis, quasi solùm in signum subiectionis & adorationis Cęsaris, illud exoleueretur.

Tributum.

¶ Tributũ autem (vt nomẽ ipsum sonat) à tribuendo seu cõtribuendo dicitur: eò q quisq; stipem tribuat. Et quoniam antiquitùs illa stipum contributio non fiebat nisi ad alendum publicũ militem, inde etiã stipẽdium deriuatum est. Vtrunq; habetur lege, Ager. ff. de verb. & rer. signif.

Differentia inter tributum & censum.

Differt ergo tributum à censu tam ratione materiæ q̃ ratione finis. Tributũ enim de terræ nascentibus in subsidium regis vel reipublicæ contribuitur: census verò de capite ad profitendam subiectionem.

Vectigal Interstitiũ inter vectigal, cẽsum, atq; tributũ

¶ Tertium autẽ genus pensionis est vectigal, ab vtroq; differẽs fine pariter & materia. Soluitur enim de mercimonijs quæ vehuntur negotiationis gratia, ad murorum, pontium, aliorumq; id genus publicorum operum refectionem.

Vectigal à vehendo dicitur. Cicero.

Dicitur ergò à vehendo vectigal, idemq; à portu, portoriũ: quia portitori soluitur. Quare in oratione de prouincijs consularibus vtrũq; Cicero cõiungit, vectigal ac portorium: indeq; Hispanè Portazgo.

Pedagium.

¶ Quartum tributum est pedagium, materia idem vectigali, quia ex mercimonijs soluitur: fine tamen distans: quia custodiæ viarũ, quæ latronibus aut hostibus sepiuntur, dicatum est. ¶ De his ergò cunctis sit prima conclusio. Hæc omnia pensionum genera si ob prædictas causas imponantur, iustæ sunt, debenturq; adeò principibus â ciuibus in conscientia, iuxta verbum Pauli ad Romañ. 13. Ideo necessitati subditi estote, non solùm propter iram, sed etiã propter conscientiam. Ideo enim & tributa prę statis: ministri enim Dei sunt. Reddite ergo omnibus debita: cui tributũ, tributum: cui vectigal, vectigal. Et refertur ad hoc propositum in decreto Augustini, extrà, de cẽsib. c. Omnis. Adiecit ergò Paulus Dei esse ministros: vt intelligamus ab eius numine deriuari legem soluendi tributa ad alendos principes. At verò (vt illic bene diuus Thomas adnotauit) nihil in prẽmium debent expetere: sed solùm ad sustentationem status & necessarios sumptus. Nam (vt ait Aristo. 5. Ethico. cap. 6.) proprium prẽmium principis est honor, quo qui nõ est contentus, tyrannus est. Honorem autem illum Christiani nõ ad humanum, qui vanus est, sed ad diuinum, qui in cœlis nos manet, referre debent.

Prima conclusio.

Paulus.

Augustin.

D. Thomas

Aristot.

¶ Secunda conclusio est. Si tributorũ onera non pro ratione cuiusq; facultatis & substantiæ, aut pro ratione vecturæ aut negotiationis, aliúsue legitimæ causæ: sed aliùs intuitu quæ ad rem non pertinet exigatur: acceptio est personarum. Id quod non tam crebrò principi contingere potest, quàm ciuitatis quæstoribus & senatoribus: qui ideò restituere tenentur si fraude aut vi vtantur vlla. Principi enim aliud periculum imminet: nempe auctiora exigendi quàm pro regni necessitate. Hæc enim semper pensanda est, vt cessante tributi causa cesset & tributum.

Secunda cõclusio.

¶ At quò aliquod specimen legitimæ formæ tributorum exhibeamus, sit tertia conclusio. Tributa facultatibus potiùs, possessionibus, ac negotiationibus imponenda sunt, quàm personis: nempè vt quo quis bonis locupletiùs abundat, aut plus lucratur, plus soluat: non quo plus indiget.

Tertia conclusio.

¶ Causa autem huius explicandæ conclusionis, illud tributi genus, quod non modò Hispaniæ, verùm & in alijs quoq; prouincijs in vsu est, explicem. Id nostrates Alcaualã vocãt. Hęc enim tributi forma à centũ paulò plus vel minùs hinc annis ortũ apud nos habuit: idq; iusta de causa: nimirũ Rex Alphõsus regnũ Granatę bello petebat. Pòst verò non modò durãtibus, verùm crescentibus bellorũ malis, factum est perpetuum. Et habet quidem nõnullam vectigalis imaginẽ pro eo q ex mercimonijs quoq;

Tributum quod apud Hispanos Alcauala vocitetur.

Rex Alphõsus.

soluitur

Interest inter hoc tributi genus & vectigal.

soluitur. Differt tamen latiori materia: quia nõ solũ ex illis quæ à loco in locũ trãsuehuntur, sed ex rebus quibusq; venditis corradit: à cuius prætereà solutione neq; nobiles eximuntur. Quin & fine quoq; differt. Quoniã nõ tantũ reficiendis muris ac põtibus ascriptũ est, sed publicis regis sumptibus. Haud tamẽ inde iniquitatis cõdemnandũ est, q̃ nouũ sit. Nam dum tributa alia facultatibus ciuiũ & negotiationibus imposita alendo regi sustentandq; rei publicę nõ sufficiũt, necesse est alia via id prouidere. Neq; verò ideò arguendũ est iniustitiæ q̃ nobiles etiã cõprehẽderet. Enimuerò cùm plebs reliqua potis nõ sit tã immodicos ferre sumptus, æquitas sit vt nobiliũ auxilio eleuetur. Hoc tamẽ iniustitiæ specimẽ præ se fert, quã lex. Vniuersi. C. de vectiga. cauere in tributis iubet. Nẽpe nè pro his rebus quæ ad vsum proprium pertinẽt exigãtur. Enimuerò q̃ coëmptores, qui vt reuendãt coëmũt, quotam vẽditionis exoluãt, rationi profectò consentaneũ est. Illis enim idẽ est lucrũ, quod agricolis, fructꝰ: sed tamẽ q̃ qui vt propriè necessitati succurrat, domũ suã, aut rẽ aliã vẽdit, tributũ pẽdat & lex illa, & ratio reclamare videntur. Nam tũc nõ qui plus habet plũsue lucrat, sed qui pluris eget ampliùs soluit. ¶ Cæterũ re vera nisi bellorũ necessitas in causa fuisset vt fructus huius tributi diuenderentur, via erat paratissima sustentãdi regni, regisq; ærariũ. Id tamẽ nõ potest nõ mõstrũ apparêre q̃ ciues ciuibꝰ tributũ soluãt, illudq; maximè quod regi penditur in cõmune bonũ. Cui & aliud adiungitur incõmodum: videlicet q̃ miseri ciues, quibus seruitia imperãtur, inde grauibꝰ premũtur. Nam quantũ venditur, tantũ ipsi replere cogũtur. Etenim cũ sumptuũ necessitas in dies magis ac magis regi crescat, necesse est populũ multis nominibꝰ in dies molestiùs vexari. Adde q̃ dñi quibꝰ huiusmodi tributũ vẽditur, ad rigorẽ illud exigũt, vt de cimũ quenq; nummũ exactissimè exposcãt: cũ tamẽ rex vix vnquã vigesimũ percipiat. Et profectò quãuis decima sit cõsignata, tamen nisi vbi vrgens regni necessitas illud postularet, nimis graue esset, tributũ hoc ad rigorem exigere. Quod quidẽ rex sanctè animaduertẽs, de huiusmodi quota solet cũ regno cõponere ac paciscì, vt remissior fiat pẽsio ac tolerabilior: quod tamẽ inferiores domini nõ faciũt. Huic autem & aliud accedit damnũ q̃ cùm leges exigendi huius tributi, si regij tantùm quæstores existerent, tolerabiles sint: tamen reliqua quæstorũ turba in fraudẽ populi illis abutitur, vt illa vexatione nõ decimã tantũ, sed plusquã octauã extorqueãt. Nihil contra regũ necessitatẽ obmurmuro, quæ legẽ nõ habet, & eorũ iustos animos cogere potest: sed rei tantùm naturã explico, vt si possibile esset alijs vijs publicę necessitati prospici, ab huiusmodi alienationibus publici ærarij caueretur. Puteus em̃ quotienscũq; opùs fuerit exhauriẽdus est: venas tamen fontiũ prę̃scindere, hoc ius naturę nõ finit. Quòd si quis instantiùs scisciteturan hæc tributa sic in conscientia debeantur, vt quisq; neq; à quæstore neque à portitore requisitus teneatur vltrò ea offerre: Respondetur primùm, nemini licêre latenter exactorem eludere, nisi vbi patentissima esset vectigalis iniuria. Secundũ membrũ respõsionis sit, q̃ dum hæc magno cũ rigore exiguntur, satis est q̃ quisq; dum tributũ petitur soluat obediẽter. Maximè vbi debitũ nõ est magni momenti. ¶ Quarta cõclusio. Nulla est personarũ acceptio si nobiles & id genui à tributorũ solutione eximãtur: tũ ob maiorũ clara gestorum stemmata, tum quia reipublicę tuendę designati sunt. Quin verò & assertioni huic subiecerim, q̃ potest rex vrgente regni necessitate huiusmodi honores vendere si tamẽ duo caueãtur. Primũ nè adiunctã habeãt iustitiæ functionẽ aut administrationẽ aliã, aut gubernationẽ: vt arti. 4. de senatoribus dicebamꝰ. Mox nè id fiat in aliorũ iniuriã. Potest inquã tali ingruẽte necessitate rusticos & humiliter natos pretio tributorũ libertate donare. Nihil enim inde iniustitię cõtrahitur. Et fauere videt. l. hoc iure. ff. de donati. &. l. si pollicitus. ff. de pollicit. quibus permittitur pollicitatio quæ gratia obtinendi publici honoris fit: sed tamen hoc cauendum est, nè tributum quo vnus leuatur, onerentur reliqui opidani: sed excipiatur à summa quam opidum soluit.

Intereſt inter hoc tributi genus & vectigal.

Iniuſtitia huiꝰ tributi.

Perquam apta ſimilitudo.

Dubitatio.

Solutio.

Quarta cõcluſio.

PEr hæc ergò solutum est primũ argumẽtũ in frõtispicio ante q̃stionẽ obiectũ. Em̃ uerò vt in distributionibus, sic & in cõtributionibꝰ existere potest personarũ acceptio. Ac subinde diluta sunt reliqua duo argumẽta: quoniã æquitas misericordię cęcis ac trũcis patrocinat, nè miserisafflictio addatur. Et de nobilibus quarta conclusio respõdit:

Ad primũ argumentũ

Ad alia duo argumenta.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QVARTVS
De Iustitia & Iure.

PROOEMIVM.

DE altera iustitiæ specie quæ è regione ad distributiuã ponitur, nempè de iustitia cõmutatiua sermonẽ nobis ineuntibus operæpretium priùs est de duobus eius præambulis, videlicèt primùm de rerũ dominio, mox de earum restitutione hoc quarto libro disserere. Enimuerò dominiũ huiusmodi rerũ, eorumq; diuisio, basis fundamentumq; est omniũ contractuũ conuẽtorumq; & pactorum, quæ per commutatiuã iustitiam celebrantur. Ac perinde cuncta quæ huic virtuti aduersantur vitia, violationes quædam sunt & corruptelæ dominiorũ, rerumq; possessionũ. Quæ subinde iniuriarum genera cõtractaq; debita restitutionis beneficio repensari debent. Quinque ergò conuenit de rerum dominio disputare quæstiones. Primã de re ipsa, deq; eius subiecto. Secundã de eius obiecto: nempè quotuplex sit & quarum rerum. Tertiam de dominiorũ diuisione ac legitima trãslatione. Quibus subinde de singularibus quorundam dominijs quarta adhibetur disputatio. Ac demum quinta de dominiorũ trãslationibus. Sit ergò primus quæstionis titulus.

Partitio libri.

QVAESTIO PRIMA,
De dominio in genere.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm dominium idem sit quod ius & facultas rerum.

QVAESTIO præsens in duos articulos secari se postulat: quorum alter definitionẽ dominij, alter verò subiectũ nobis cõstituat. Quæritur ergo an dominiũ idẽ sit quod ius facultasq; rerum. Et arguitur à parte affirmatiua. Ius idẽ est quod facultas disponẽdi de rebꝰ. libereq; illis vtendi: idem autem prorsus vi detur esse dominium. Secundò, mendicantes monachi quoniam ius habent vtendicibis, vestimentis, atque alijs vtensilibus vsque ad rerum ipsarum consumptionem, dicũtur esse earundem rerũ domini, vt Ioan. 22. in Extrauagant. ad conditorem, cõcludere sibi videtur: nulla ergò restar ratio discriminis inter ius & dominum. ¶In contrarium autẽ est quòd dominus & seruus sunt correlatiua: Institut. autem de iure personarum, distinguuntur homines in liberos & seruos: ergò illic denotatur quòd qui liberis præest, licèt habeat ius illis imperandi, non tamen habet eorum dominium.

Primum argumentum.

Argum. 2.

Ioan. 22.

DVO proposita argumenta duo nobis membra designant. Est autem illicò in quęstionis introitu adnotandum, hanc vocem, dominium, non esse tam vsu frequentem apud oratores & priscos Latinos, quàm dominatus, ac dominatio, quæ quidem duæ voces in malùm crebriùs apud illos, quàm in bonum vsurpãtur. Significãt enim quandam tyrannidis effigiem: videlicet quando quis in rem suam abutitur sibi subditis. Vnde Cicero Tuscul. quæst. lib. 5. de Dionysio: Dum, inquit, duo & viginti natus annos dominatum occupauisset. &c. Et libr. 2. de Oratore: Brutus populum Romanum dominatu regio liberauit. Nam illa quorum homines domini sunt, facultates dicuntur Latinè, ac substantiæ, & possessiones. Sed iurisco sulti sunt qui hac voce vtuntur, ad significãdũ id quod pariter vocãt proprietatẽ rerum: quæ ab earum possessione distinguitur, atq; ab vsu & vsufructu. Neq; verò vox hæc secũ dùm hũc significatum, ceu barbara aut inuisitata habenda est. Versatur nanq; inter illustres Latinos: vt apud Varron. de re rustica, lib. 2. In mercando & in emptionibus & traditionibus dominium mutant. Et habetur in sacris literis, vt Thobiæ. 8. Fecit hanc scripturam vt pars dimidia quæ supererat Thobiæ dominio deueniret. Et. 1. Macchab. 11. Rex Ptolemęus obtinuit dominiũ ciuitatum. In iure autem vsurpatissimum verbum

Dominium dominatus dominatio.

Cicero.

Varro.

est.

est. Extant quippe in Digesto Nouo, libr. 3. distincti tituli, de acqui. rerum dominio. & de acquirend. vel amit. possessione. ¶ At verò circa vocis descriptionem plus operę insumunt iuniores quàm opùs esset: vt puta Gerson de Potestat. Eccle. considera. 13. & tracta. tu De vita spirituali, lect. 3. cui plurimũ astipulatur Conrad. tract. 1. de contract. & aliorũ nõnulli in. 4. dist. 15. Primũ enim omniũ aiũt isti, ius bifariàm accipi. Primò pro lege: quo significatu dicimus, Ius Ciuile, & Canonicum. Secundò pro legitima potestate, qua quis fungitur in personam aliquã vel rem. Deinde aiunt dominium idem esse prorsus quod ius secũdo modo acceptum. Quapropter dominium, inquiunt, est potestas seu facultas propinqua assumendi res alias in suã facultatem vel vsum licitum secundùm iura rationabiliter instituta. Sic isti de dominio loquũtur: an verò propriè, id perpendamus. Primò pro eodem vsurpari iuris nomẽ ac dominij, re vera voces ipsæ ægrè ferũt. Ius nãq; (vt suprà visum est) idẽ est (vti ait lib. 5. Isid.) quod iustum. Est enim obiectũ iustitiæ: puta æquitas quam iustitia inter homines constituit: dominium autem facultas est domini (vti nomẽ sonat) in seruos vel in res quib⁹ suo arbitratu, ob suumq; cõmodum vtitur. Fit ergò vt ius non conuertatur cum dominio, sed sit illi superiùs & latiùs patẽs. Habet enim vxor ius quoddam in maritum: iuxta illud Pauli. 1. ad Corint. 7. vir sui corporis potestatem nõ habet, sed mulier. Et filius in parentes, qui curam suorum habere tenentur: ac serui in dominos, à quibus pasci sustentariq; debẽt. Et eadem ratione subditus ius habet in prælatum à quo est instituend⁹ & gubernandus: & tamen nullus istorum quantumuis nomẽ extendas, dominus est, appellarive potest sui superioris. ¶ Sed ait Conr. Saltem negari non debet quin propriè ius quodcunq; superioris in inferiorem, dominium sit censendum: ita vt dominium vltra ius præcisè addat superioris rationẽ. At profectò neq; hoc ego istis facilè cõcredã. Enim uerò pater ius habet in filios: dominium autem, si propriè fandum est, non item. Est inquam æquum & iustum atq; adeò ius vt pater filijs imperet ob suum ipsorum bonum, quos propter ipsos diligit, instituit, & educat. Dominium autem non quodcunq; ius & potestatem significat, sed certè illam quæ est in rẽ qua vti pro libito nostro possumus in nostram propriam vtilitatẽ, quamq; ob nosipsos diligimus. Id quod palàm nomen ipsum auribus exhibet. Domini siquidem correlatiuum est seruus: qui quicquid est, totum est domini, veluti pecus. Nisi q⁹ seruus occîdi nõ potest: quia solus Deus est vitę dominus. Vnde Aristo. 1. Polit. cap. 3. distinguit inter imperium ciuile seu regium, & despoticum, quod est dominicum: dicens animam habere in corpus dominicum principatum: mentem verò in appetitum, nõ nisi ciuile & regium: quod non est dominium. Et. 5. Ethi. cap. 6. distinguit inter ius herile & paternũ: pater nanq; possidet filium ante legitimam ætatem, non tanquàm dominus seruum, sed tanq̃ partem sui: & ideo ius illud non est dominicum: herus autem possidet seruum tanquàm instrumentum quo vtitur. ¶ Arguit verò contrà Richardus. Si quis aut filium patri, aut marito vxorẽ raperet, diceretur fur: furtum autem non committitur nisi inuito domino, ergò & pater filij domin⁹ est, & maritus vxoris. Ad hoc tamẽ lib. sequenti, quæstione de furto respondebitur, raptum filiorum, aut vxoris nõ esse propriè furtum: sed captiuitatem, vel aliam iniuriæ speciem: sed seruum surripere, propriè est furtũ. Præterea satis est ad rationem furti, quòd fiat vel inuito domino, vel eo inuito ad quem respertinet, etiã si non sit dominus, sed alio iure possidens. Quapropter Institut. de iure personarum, distinguuntur statim homines in liberos & seruos: quoniam ius in liberos nõ propriè dicitur dominium, sed in seruos. Princeps enim licèt dominus sit vrbium ac possessionum, ciuium tamen non est dicendus nisi Rex, aut Dux. &c. Imò verò cùm dominatu agit in subditos, vtendo scilicet illis ad suã propriã vtilitatẽ, tyrãnus fit. Quare neq; iudex neq; prælatus, etsi ius habeat in subditos, dicitur propriè eorum dominus. Et hoc notauit Christus Matth. 20. Principes gentium dominantur eorum. &c. non ità inter vos. Etenim (vt in summa iam dicamus) domini ũ solùm est ius, quo quis vtitur ad suũ proprium commodum: ius autem non hoc solùm significat, sed amplectitur ius etiam quo superior ac præfectus in subditorũ rem & bonum ipsis vtitur. Quocirca ius tanquã superius genus ponendum est in definitione dominij: tantum abest vt conuersim dicantur. ¶ De viro autẽ respectu vxoris mouere quempiam fortè posset illud Genes. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Haud tamen hoc ad dominium ciuile re

Quid sit dominium. Gerson. *Conradus.* *Aliena dominii definitio impugnatur.* *Paulus.* *Obiectio.* *Dilutio.* *Definitio propria dominii.* *Aristo.* *Obiicit Richardus.* *Solutio.* *Dominium* *Dubitatio.* *Solutur.*

ferendum est. Imò Arist. loco citato illud ius viri in vxorem innominantũ esse ait. Sed dicitur dominari, primùm quantum ad vsum coniugalem: quia cùm natura integra sine vlla fuisset turpitudine laborisque molestia: post peccatum, quia in dolore paritura mulier erat, dicta est esse sub viri potestate. Præterea quia innocentia superstite nullus esset ignorantiæ locus, vt pote quæ peccatum sub sequuta est: ideo quantum ad regimen dominari dicitur vir vxori, quã docere debet: sicut infrà dicturi sumus, elegãtiores rudibus dominari: nõ quidem legali dominio, in bonum proprium dominorum: sed vrbano, in rem ipsorum, disciplinæ egentium. ¶ Hinc sequitur neque istorum definitionem, quam dominio ascribunt, legitimam esse, neq; exactè cõstructam. Et quia (vt. 1. de Anima tex. 85. author est Arist.) recto ipsum & obliquũ cognoscimus, rectam pro captu nostro statuamus definitionem, per quam de altera iudicemus. Dominium ergo, si secundùm artẽ describas, est propria cuiusq; facultas & ius in rem quamlibet, quam in suum ipsius cõmodum vsurpare potest quocunq; vsu lege permisso. Positum est ergo loco generis, facultas, potiùs quàm, potestas: non vtiq; ratione illa Ioã. Gerson cap. 3. De vita spirituali, videlicet quia facultas dicitur à fas, quare potestas latronis vtendi aliena re, non est facultas: Etenim facultas non à fas, sed à facile deriuatur: vt sit quasi facilitas. Sunt etenim contraria, facultas & difficultas. Ob idq; potestas genus est plura comprehendẽs, quàm facultas. Potest quippe tyrannus abuti ciuium bonis, non tamen habet facultatem id est, facilitatem: quia id sine licentia & facultate domini aut iusta intercedente causa, nõ potest. Quare minimè opùs est addere, propinqua: nam facultas hoc ipsum sonat. Potestas siquidem remota vtendi aliena re, nõ est facultas. Addiderim autẽ, propria, vt dominium distinguatur à mera possessione, vsu, & vsufructu. Etenim qui tantũ habet vsum, aut vsum fructũ, nõ habet propriam facultatem, sed dependentem à vero domino, vel à iudice id permittente. Itaq; ꝙ nõ soli barbari, verùm & latinissimi iuris prudentes more iam proprietatem dicunt, id magis latinè dicitur propria facultas. Neq; opùs est addere cũ Gerson, assumendi res alias. Nam & homo per propriam voluntatem, quæ motrix est omnium potentiarum, vtitur etiam suis proprijs membris: in quæ (vt paulò antè ex Arist. citatum est) habet anima dominicum imperium. Adiectum tamen est definitioni, ꝙ dominium sit facultas ad proprium vtentis cõmodum, quò differat ab alijs iuris speciebus, quibus superior inferiores ob suũ ipsorum bonũ gubernat. At dictum est deinde vniuersaliter quemcunq; vsum, vt distinguatur dominium ab vsu & vsufructu. Est enim dominium facultas non solùm vtendi fruendiq; re, verùm & ipsam distrahendi, donandi, vendendi, negligendi. &c. Verùm tamen adhibitus est modus, vt vsus ille sit lege permissus ad dissoluendam obiectionẽ, qua quis tentaret infirmare definitionem. Enim uerò pupillus ante ætatem legitimam dominio rerum suarum pollet: quarum tamẽ potiundiliberam facultatem non habet, cùm talia bona neq; donare valeat, neq; vendere: quoniam lege humana prohibetur ea dilapidare. Nam cùm dominiũ fundetur in libertate, licèt ante vsum rationis verè sit dominus, qui a verè liber, & non seruus: vsus tamẽ dominij ei ob bonum suũ interdicitur, quoadusq; rationis lux illi affulgeat. Vnde vt ait Paul. quãdiu hæres paruulus est nihil differt à seruo: non quidem quãtum ad dominiũ, sed quantum ad vsum: & ideo est sub tutoribus. Et simile fit argumentũ de illo cuius bona vinculo primogenituræ obligata sũt: qui cũ sit verè eorũ dns, illa tamẽ nõ potest ratione aliqua alienare, eò ꝙ ciuili sit lege prohibitus. Nã ꝙ verè sit dns, inde patet ꝙ aliàs illa bona carerẽt dño. Præterea cũ rex, cuiusp̃ia postulatiõi annuẽs, bona eiꝰ vinculo primogenituræ alligat quæ prius erãt libera, nullũ ei adimit dominiũ: neq; postmodũ quando possessori facultatẽ cõcedit alienãdi, nouã illi cõfert proprietatẽ aut dominiũ: ergò semper est dns, prohibitus tamẽ sicut pupillus. ¶ Absit autẽ de illis hîc nænijs meminisse vtrùm dominiũ sit res ipsa quæ possidet, an dns, an potiùs relatio. Hoc verũtamẽ admonere nõ p̃teribo, vt philosophi caueãt barbaras illas Terministarũ loquutiones. Ecquis eñ audire ferat, dominiũ equi, esse, vel equũ, vel equitẽ? Est eñ dominiũ illa rerũ habitudo inter possidentẽ & possessũ: puta facultas possidẽtis in rẽ possessã. Ob idq; definit ꝑ suũ actũ: qui quidẽ modus definiẽdis potẽtijs peculiaris est. Etenim vt visus est potẽtia sentiẽdi colores, & auditꝰ potẽtia sentiẽdi sonos: sic dominiũ est facultas vtẽdi re, fruẽdiq;. &c. ¶ Ad hæc adnotãdũ est diuersam rẽ esse titulũ dominij ab ipso dñio: id qđ negligẽtiùs quidã

Statuitur ac declaratur dominij definitio.

Facultas vnde deriuetur.

Obiectio cũ sua dilutione.

Titulus à dominio distat bis per omnia.

Parisien-

Parisienſiũ conſiderant: arbitrantes cũ ſuo Cãcellario eandẽ facultatẽ quę eſt dominiũ, eſſe & titulũ. Enimuerò titulus, baſis dominij eſt: ſeu radix ex qua pullulat. Eſt autẽ dominiorum titulus, vel natura, vel lex, vel contractus, vel electio, &c. Exempli gratia: Titulus dominij naturalis quod homo habet in terræ naſcentia, eſt naturalis vita, quæ ſine illis conſeruari nequit, ratione cuius Deus & natura homini dedit vnâ cum appetitu ſeruandi ſe ius etiam vtendi neceſſario alimento: veluti titulus iuris (non dicã dominij) qd' parentes habent in ſuas proles eſt naturalis genitura. Titulus autem quo quiſq; propria poſsidet eſt ius gentium, quo facta eſt rerũ diuiſio. Titulus verò epiſcopi eſt electio. Et titulus quo quis poſsidet domum eſt, vel natiua hæreditas, vel emptio, vel præſcriptio, &c. ¶Ex hac conſtituta definitione dominij colligitur differẽtia inter ipſum, & vſum, atq; vſum fructum. Dominium enim eſt facultas inſubſtãtiam rei: vſus fructus verò nõ niſi in eius qualitate & accidentia. In ſubſtãtiam inquam rei quia ſi eſt vſu cõſumptibilis, veluti cibus & veſtitus poteſt eam dominus cõſumere: ſin minus, poteſt illam donare & vendere, vt domum & ſeruum: quin verò & occidere, vt pecudem. At verô vſus fructus eſt ius alienis vtendi ac fruendi rebus, ſalua eorum ſubſtantia: vt habetur. ff. de vſu fruct. & Inſti. eod. tit. Nam qui habet vſumfructum agri vel hortorum poteſt non ſolũ fructus edere, verùm etiam & vendere: quin verò & agrum alteri locare. Nudus autem vſus eſt ius rebus alienis vtendi ſalua earum ſubſtantia, non tamen fruendi, Quocircâ vt habetur Inſtitut. de vſu & habi. minus iuris eſt in vſu, q̃ in vſufructu. Fruitur enim ille re qui in fructus habet plenam poteſtatẽ: quos ſcilicet non ſolùm edere, verùm quomodocunq; alienare poteſt: vtitur autem, cui tantũ illis veſci licet: vel ſua alere armenta: haud tamen illos aliter diſtrahere: vt qui habet nudum vſum agri poteſt illuc intrare, comedere poma, & fœno iumenta ſua & pecudes paſcere: vendere tamen fructus aut locare non item. Quapropter in vtrâque definitione dictum eſt alienis rebus, quoniam verus dominus nõ dicitur vſuarius aut vſu fructuarius ſed ille qui præciſum habet vſum vel vſumfructum. Tãetſi emphyteuta dicatur habere dominium vtile ad differentiam dominij directi, quod ſimpliciter eſt dominium. Hęc autem nõ ſunt noſtræ modò ſpeculationis.

Quid ſit titulus.

Diſcrimẽ inter dñium vſum ac vſum fructũ

Vſus fructꝰ

Vſus nudus

Emphiteuta.

¶Attamen quoniam mendicantium religionem profitemur, inſtitutio nos admonet noſtra circa hanc conſtitutam definitionẽ qua dantenùs diſputare, an in rebus vſu cõſumptibilibꝰ poſsit vſus à dominio diſtingui. Res enim vſu non conſumptibiles ſunt, quarum vſus non eſt cõſumptio veluti prædium, domus & huiuſmodi. Res autem vſu conſumptibiles ſunt illę quarum vſus nõ eſt niſi diſtractio rei vel conſumptio: veluti eſt pecunia cuius vſus eſt illam in alienum dominiũ transferre: & panis. cuius vſus eſt ipſum comedere. De his enim quæ vnico actu conſumuntur (vt grauius ſit dubium) ſermo nobis eſt in propoſito: nam in veſte, licèt vſu atteratur, tamen quia non vnico actu contrita perit poſſet vtcunq; diſcerni vſus à dominio. Mouemus autem potiſsimè dubiũ propter inſtitutum eorum qui ſub ſancta Regula diui Franciſci degunt, & eorum qui ex noſtris in eodem inſtituto perſeuerant. Aiunt enim Minores omne abdicaſſe dominium: adeò vt neq; pecunię, neq; panis, neq; eduliorum quibus veſcuntur dominio fungãtur vt poſsint dici (ſi ſuo vti licet verbo) proprietarij. Neq; verò tantùm inter Theologos lis hæc controuerſa eſt & conteſtata, verùm & à Summis Pontificibus variæ ſunt de hoc pronuntiatæ ſententiæ. Extat enim Conſtitutio Nicolai. iij. in cap. exijt qui ſeminat, de verbor. ſignifica. lib. 6. vbi declarando dicta Gregorij aliorumq; Pontificũ luculenter affirmat, permultisq; adiectis verbis confirmat, Fratres Minores nullum habere dominium, neq; in cõmune, neq; in particulari vtenſilium, aut victualium: ſed meros eſſe vſuarios. Dominium autem pecuniæ ſemper apud erogantes remanere, cibariorum verò & vtenſilium apud Summum Põtificem. Eadem ferè extat ſententia Clementis. v. Clement. Exiui de paradiſo. eod. titul. Contrariam verò ſententiã his obiecit Ioannes. xxij. in Extrauagantibus, Ad cõditorẽ. &, cùm inter nõnullos. &, quia quorũdam. de verbo. ſignifica. vbi indubius aſſerit, in rebus vſu conſumptibilibus vſum minimè diſtingui à dominio: neq; vllo pacto poſſe ab illo ſeparari. Res certè eſt difficilis. Et promùm, vt ab ipſa natura rerũ initium contrà arguendi ſumamus, apparet quòd cũ vſus huiuſmodi rerum ſit earum conſumptio, nemo poſsit re vti niſi tanquàm verus dominus. Verum enim dominium, ſi eius definitionem ſuprà conſtitutam reſpicias, in hoc

Quæſtiogratuis.

Nicolaus. 3.

Clemens. 5.

Ioannes. 22.

Primum argumentum aparte affirmatiua.

consistit q̃ in omnem vsum res possit assumi: postquàm autem consumitur, nullus fit eius reliquus vsus. Vnde sanctus Tho. 2.2.q. 78.ar.1. pro cõstãti habet, in vino, & in pecunia, & in rebus huiusmodi neutiquàm computari seorsum posse vsum præter rẽ ipsam: sed cu icunq; conceditur vsus, eidem concedit rem, atq; adeò eius dominium. Et tamẽ si vsus huius generis rerum à dominio secerneretur, fieret inde apertè consequens posse locari vsum distincto pretio ab illo quo res æstimatur, vt quis mihi daret pro esu tantũ, & insuper pro capone quantum valet. ¶ Secundo loco iuris autoritate arguitur: nam ff. de vsufru. earum rerum quæ vsu consu. l. 2. cautio fit, pecuniæ vsumfructum non posse legari absq; ipsa pecunia, neq; aliorum rerum, puta vini & olei, quæ vsu consumunt: quia nemo potest his vti nisi consumendo: ob idq; quantum ex illo titulo syncerè colligitur, vsus fructus harũ rerũ ad genus quoddam mutuationis spectat. Ille enim cui vsus fructus pecuniæ vel frumenti legatur, tenetur cautionem dare quòd totam rem restituet legitimo hæredi. Et. ff. de vsufr. & quẽad mod. quis vtatur. l. omnium. §. constituitur, prohibetur vsumfructum perpetuum esse, nè inutilia sint dominia: nã frustra esset rei dominium, qua nunquàm liceret vti. Ex his ergo sumitur argumentum: Si panis & vini mendicantium vsus est apud illos: & talis vsus vt nunquàm rem teneantur restituere: compertissimum fit & dominiũ esse penes eosdem. Respondent autem hac distinctione vsus. Aiunt inquam, vt habetur in dicto cap. exijt. duplicem esse rerum vsum: alterũ videlicet iuris: atq; alterum facti. Vsus iuris est concessio legis: & hic in hisce rebus non separatur à dominio: hoc tamen aiunt carere mendicantes. Vsus autem facti est actio ipsa comedendi & bibendi: atq; hic tantùm illis concessus est. Sic ait Nicolaus Pontifex eodem cap. exijt. At verò distinctio hæc nõ est intellectu tam facilis, quàm dictu. Nam vsus iuris non alius intelligitur quàm quod ius ex voluntate domini permittit: Legauit mihi quisquam vsumfructum pecuniæ, inde fit vsum esse mihi legitimum. Si ergo legitimus, est ergo iure concessus. Pari modo si erogas mendicanti panem, cur vsus ille mendicantiũ non erit iuridicus? Accedit huc qd' eodem loco ait Papa, perinde illis concedere vsum, ac si essent verè domini: quin verò Ioãnes. 22. palàm ingenueq; fatetur nullum se habere dominium rerũ mendicantium: & si quod habet, libẽtissimè renuntiare. ¶ Hisce tamen minimè obstantibus, si quæstio non tantùm de nomine est, statuitur cõclusio in gratiam Mendicantium, quæ sit huius articuli secunda. Vsus rerum comestibiliũ & vtensilium distinguitur quodam pacto à dominio: ita vt mendicantes absq; vlla (vt aiũt) proprietate illis vtantur. Probatur. Ad verũ dominium non sufficit vt cui liceat rem cõsumere: sed requirit præterea vt possit ipsam (quod in definitione positum est) in omnẽ vsum absumere: puta alienare, vendicare in iudicio, legare negligere, &c. Minoritę autẽ non possunt neque conuentu iuncti talibus modis rebꝰ fuit vti. Quin verò qui pecunias illis largiuntur, possunt pro libito amouere quoties libuerit tanquàm veri domini. Alio rum verò vtensilium, atque alimẽtorum Papa se dominum pronuntiat. Itâque quemadmodùm dum quis amicos conuiuio excipit non facit eos dominos esculentorum & poculentorũ, quibus mensa extruitur: quia neq; illis facit facultatem illa surripiendi vt in proprias domos importent: sed tantùm vt sedentes vescantur illis: eodem pene modo Papa inuitat quotidie fratres quibus tantùm facit facultatem edendi ac bibendi, vestiendi. &c. Quare etsi eis illa de medio tolleret, nullam eis faceret iniuriam: neq; esset habendus tanquàm fur & latro, sed tanquã dominus qui sua repetit. Facit in fauorem huius conclusionis illud Act. 2. vbi habetur, Omnes credentes habuisse omnia communia quod de illis intelligendum est qui Hierosolymis agebant: omnia ergo vsq; ad alimenta erant illis communia, & gerebant se veluti conuiuæ ad mensam conuiuatoris.

¶ Præterea egomet mihi hac ratione idem adstruxerim. Fatentur namq; impugnatores huiusmodi pauptatis, posse monachos habere proprium in communi, licèt nemo illud habeat in particulari. Vtamur ergo confessione sua: Possum ergò particularis monachus vesci cõmunibus quanuis non sim particularis eorum dominus: potest ergo pari modo totus conuentus & totus ordo, eisdẽ vti, tametsi omni careat dominio. Neq; multùm mouere debet verbum Ioannis. 22. dicentis se abdicasse tale dominium. Primũ quia id non fecit legitimè. &. si fas est dicere nec iustè: sed certè in odium forsan Occhã & aliorum sui ordinis qui fuerunt ei infestissimi. Deinde quia suam renuntiationẽ successores

S. Thomãs.

Secundũ argumentum

Ioannes. 22.

Secunda cõclusio

Probatur cõclusio

Similitudo quãappositu

Secũdaratio cõclusionis.

cessores eius in eâdem sede nondum probârunt: sed exemplo suorum anteceſſorũ idẽ retinent dominium. ¶Eandem conclusionem corroborat Lex, Deutero. 23. qua ingredientibus vineã proximi permittebatur vuarum vsus absq; dominio. Ait enim, Ingressus vineam proximi tui comede vuas quantum tibi placuerit, foràs nè efferas tecũ. Nõ ergo faciebat vuarum dominum, vt posset vendere aut pro alia re cambire: sed tamen vt tanquàm conuiua pasceretur. Item Insti. de vsu & habita. ei qui fundi nudum habet vsum, nihil vlteriùs conceditur quàm vt holeribus, pomis floribus, &c. ad vsum quotidianum vtatur: videtur ergo vsum illic distingui à dominio. Ad idem pertinet quòd qui extrema laborat necessitate potest alieno pane sibi succurrere. non tamen vt illum vẽdat: quare profectò non videtur illic transferri dominiũ, sed alieno legitimè vti. Tametsi vbi quispiã laboraret inopia panis, posset rem aliam capere quam cum pane permutaret. Et sumitur coniectura quòd non transferatur dominium in extrema necessitate, ex eo quòd aliâs ille qui sub illum articulum misero non succurreret, maneret restitutioni obnoxius: nam si tenebatur transferre dominium in alterum perinde habuit ac si retineret rẽ alienã. ¶Hæc profectò rem faciunt multùm probabilem, ex quibus modo aliquo clarescit id quod ait Nicolaus Para: scilicet q̃ Minores habent vsum facti, & non iuris: puta vsum in actu, & non in habitu. Vsus enim iuris seu in habitu est quãdo talis vsus non potest à domino impediri: qualiter non est apud Mendicãtes: sed tantũ dũ actu vescuntur. Secùs autẽ res habet in pecunia: nã cùm talis vsus sit illã alienare, assumit in omnẽ vsum: atq; adeò nemo ea legitimè vtitur nisi verus dñs. ¶Et per hęc respõdetur ad rationes in cõtrarium. Ad primum enim dicendum, q̃ etsi post cõsumptionem harũ rerum nullus alius restet vsus, non tamẽ continuò sequitur vt assumatu in omnẽ vsum quod ratio dominij desiderat. ¶Sed arguis instantiùs. Si mẽdicãtes nõ possunt illas alienare, illud est quia sunt lege prohibiti, sicut pupilli & primo geniti, non ergo obstat quo minùs sint veri domini sicuti illi. Negatur antecedens: quoniam nulla ciuili lege prohibẽt illa vendere vel donare, &c. Sed quia verus dominus eiusmodi facultatem eis nõ permittit. Ad iura autem superiùs allegata, & ad autoritatem diui Thomæ, negantis in hisce rebus posse seorsum cõputari vsum ac dominium, respondetur, solùm illis iuribus constitui quòd non possit seorsum pretium sumi pro vsu aliud à pretio rei. Haud tamen negant quo minùs dominus possit vsum restringere vt alter illo duntaxat modo vtatur, & non omnibus modis quirequiruntur ad verum dominium.

in extrema necessitate nõ trãsfert dominium.

Vsus facti: Vsus iuris.

Ad primã rationem.

Obiectio.

Dilutio.

Adsecũdã rationẽ & ad. D. Tho.

ARgumenta in capite quæstionis obiecta satis liquidò soluta sunt. Primi enim secunda præmissa, falsa est nempe dominiũ & ius æquipollêre: imò ratio dominij plus ponit quàm ratio iuris: & inde, ius, generalior vox est, Et pariter respõsum est ad aliud nempe non sufficere ius illud Mendicantium in cibos & vtensilia, vt sint eorũ domini. ¶Secũdi autẽ vtraq; præmissa vera est, vt secunda conclusio ostendit: scilicet mẽdicantes alimenta vestimentaq; consumere, quorũ tamen non sunt dñi: non tamen inde fit consequens definitionem nostram nõ esse legitimam. Imò per eandem docetur non esse illarum rerũ domi nos: quippe cùm nequeant illa abalienare.

Ad premũ argumentũ principale.

Adsecũdũ argumentũ

ARTICVLVS. II.

Vtrùm tantùm Deo, intellectualibusque ac rationalibus creaturis cõpetant rerum dominia.

PRæfixa ergo dominij definitione subsequitur articulo secũdo eius subiectum explorare: videlicet inquirere quibus propriè competat rerum dominium: an scilicet solis post Deum angelis atq; hominibus. Arguit enim q̃ brutis animalib⁹ suo ordine cõgruat dñium, vt puta herbarũ, quę, vt legit Genes. 1. cõcessæ illis sunt in pabulum. Quin videtur Dux apum dominiũ in suum gregẽ obtinere: & inter grues illa quæ aciem ducit apparet cæterarũ esse regina. Et inter feras ferocissimus Leo dominari videtur reliquis bestijs: & accipiter dominatum pariter gerere in miseras aues. ¶Secundò ad idem arguitur de inanimis cœlis qui huic sublunari mundo dominantur: vt pote cui calorem, virtutemque influunt quibus fouetur ac vegetatur. Vnde Aristotel. 1. Meteôr. Necesse est mundum huic inferiorem subiectũ esse lationibus superioribꝰ, vt eius inde virtus gubernetur. Vnde Gene. 1. creatꝰ legitur esse sol vt præsit diei, lunaq; vt præsit nocti.

Primũ argumentum parte negatiua.

Secundũ argumentum

Aristo.

nocti. ¶ In contrarium tamen est quod eodem loco Gene.1. solis hominibus adiudicatur orbis dominiū. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostrā: & præsit piscibus, &c.

Ioan. Gers. DE hac quæstione Neoterici, Gersōnē ducem sequuti, multa comminiscuntur rationi parùm consona. Ille nanq;, grauis alioqui autor, cōplures dominiorum species locis suprà citatis multiplicauit. Inter quas & multa tribuit dominia brutis, multaque subinde insensilibus rebus vt argumētis suprà formatis explicatum est. Hæc autē (bona venia dixerim) an tam ratione & iudicio inuenta sint, quàm pro libito asserta, examinare oportet. Etenim rerum naturam cōsulentibus illicò fiet compertum rationem dominij non tam latè patere. ¶ Sit ergo hæc prima conclusio. Solis illis qui intellectu & libero arbitrio vigent, conuenit dominādi ratio: illisq; adeò solis habere rerum dominium nempe cum primis Deo, mox intellectuali naturæ angelicæ, deinde rationali homini. Deus inquam, cuius (vt ait Psalm.) terra est, & plenitudo eius, iure creationis dominium gerit ac principatum rerū omniū, quas ipse condidit: vt habet Sapientis illa cōfessio: Dominus vniuersorū tu es. Fuit quidem ad æterno, potestate Dominus: ab orbe tamen condito, vsu & actu. Nam anteà nullæ erant res quæ illi parērent. Est enim nefas eousq; abuti nomine (quod quosdam non depudet) vt dominiū inter diuinas Personas nominetur: quippe cum nihil in Deo sit eodē ipso inferius, sed quicquid illis est, infinitū existit. Neq; verò filius vllo pacto subijcitur patri: vtpote cui summè æqualis est: Ob idq; tota trinitas par habet dominium, idemq; absolutum creaturarum: non solùm quantum ad vsum, verùm & quantū ad eorum naturas: vt puta cui nō modò pro suo arbitratu cunctis vti liceat, verùm & earum naturas creare, annihilare, ac præter naturę leges alterare: vt ignem nè calefaciat impedire: aquam absq; igne calefacere: & tanquàm dominus vitæ & mortis, non solùm reliqua animalia, verùm & hominem vita priuare. Angeli autem dominium habent suarum tantùm naturalium actionum: mundi verò huius nō perinde atq; homines. Quandoquidē propter ipsos, qui nullo egent corpore, nequâquam creatus est: sed propter solos homines quibus angeli sunt administratorij spiritus. Tametsi ipsorum Hierarchiæ per suos Principatus ac Dominationes sint distributæ: alijque adeò alijs imperent. Hoc autem perparùm ad rem nostram attinet.

Prima conclusio.

Quarum rerū Deus habeat dominium.

Angeli quibus rebꝰ dominentur.

Descendamus ergo ad genus nostrum, cuisoli competere demonstremus sublunariū dominium. Primò: Dominus, nisi ineptissimà voce abutamur, ille solus est in cuius facultate est situm, re sic, aut aliter in suum cō modum vti: hoc autem nisi per intellectum ac voluntatem nemini congruit: solus ergo homo in terris dominij ratione fulget. ¶ At quò res clariùs eluceat arguitur secūdò: Dominium exterarum rerum nemini nisi hac ratione conuenit, quòd sit ipse suarū actionum dominus: dominiū enim quod quisq; habet in suos actus causa est & radix eius quod habet in alias res: est autem solus homo suarum actionum dominus (vt.1.2. q.1 autor est sanctus Thom.) per intellectum & voluntatem: eâdem ergo ratione ius illi soli conuenit vt dominus sit aliarum rerum. Minorem huius argumenti præter S. Tho. vel vsus ipse loquendi hominum demonstrat. Dum enim quis mente capitur, dicitur non esse sui ipsius dominus, sed sui impotēs. Maior autem in ratione naturali posita est. Etenim qui suî non est dñs, esse nequit aliorum. ¶ Sed & testimonio suprà citato scripturæ sacræ, quæ interpres naturæ est, eadem conclusio tertiò comprobatur. Dixit enim Deꝰ Genes.1. Faciamus hominem ad imaginē & similitudinem nostrā: & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, &c. Hoc est, in hoc eum faciamus ad nostram imaginē, vt reliquæ creaturarum vniuersitati, quę nostra caret imagine, dominus cōstituatur: fieri autem hominem ad imaginem & similitudinem Dei, est fieri intellectu & voluntate liberum: hæc enim est facies Dei. In reliquis nanq; creaturis vestigium eius tantùm relictum est, sicuti humani pedis relinquitur in puluere, per quod eiusdē hominis facies agnosci nequit. Igitur quia duæ istæ potētiæ, intellectus & voluntas, communicatæ sunt homini, per hoc conditus est ad imaginē Dei: indeq; adeò ius sortitus est dominandi in cæteras animantes, rationis expertes.

Conclusio ostenditur.

D. Thomas

Tertia ratio cōclusionis.

Haud equidem ignoro quosdam distingere inter dominium regale & naturale: dicentes ad priorem speciem libertatem requiri: non autem ad secundam. verùm tamen hoc gratis dictum est: quia natura ipsa nemo est dominus rerum, nisi qui dominus est actionum.

num suarum, & ideo neq; rerum. ¶ Quartò arguitur Dominium quempiam rei gerere (vt suprà ostendimus) est ipsa vti: brutæ autem animantes vti neutiquàm possunt: ergo neq; vllum habere dominium. Minor est S. Thom. 1.2. q. 16. vbi docuit brutis non cõpetere vsum, secundùm illud August. lib. 83. q. Vti aliquod non potest animal, nisi rationis particeps. Et ratio est, quòd vti est rem in finem ordinare, quandoquidem volũtas est finis: vsus autem mediorum ad finem: & pecudes nihil agunt propter finẽ, quippe quẽ non cognoscunt: sed aguntur potiùs naturę instinctu. ¶ Et simili insuper ratione id confirmatur. Domini enim est imperare: hoc autem idem est quod rem in alium finem ordinare: quod ideò à brutis alienissimum est, vt idem sanctus Thom. q. 1. statim. 17. commonstrauit. ¶ Quinto ad eandem conclusionem arguitur. Quicunq; dominiũ habet cuiuslibet rei, iniuria afficitur dũ illi auferetur. Bruta autẽ animalia neq; iustitiæ capaces sunt, neq; iniuriæ, neque quam non cognoscunt fœlicitatis. 10. Ethico. cap. 8. Cuius ratio est quòd cùm non sint libera, non sunt sui iuris: sed quicqd sunt, hominis sunt, propter quẽ Orbis conditus est. Et ideo qui iumento & atmento vel pabulum sustulerit, vel vitam, nullam ei irrogauit iniuriã, sed domino: & qui equo regis loco cedit, nullum ei honorẽ defert, sed regi: nullum ergo pecudes habent dominium neq; ius in herbas, sed tãtùm appetitum naturalem: atq; etiam potestatem. Quòd si brutis nullum potest dominiũ competere, liquidò fit multò minùs cœlis acreb⁹ inanimis conuenire posse. Est ergo homo hac ratione medius inter Deum & bruta. Nam irrationale animal nullum habet dominium. Deus verò supremum: nempe & quantum ad vsus, & quantum ad naturas rerum: sed homo quantum ad vsus: attamen quantum ad naturam, minimè: vtpote quas mutare non potest, nisi applicando actiua passiuis.

Quarta ratio conclusionis. *S. Thomas.* *August⁹.* *S. Thomas.* *Aristo.*

Ad primũ argumẽtũ.

AD primum igitur argumentum respondetur perimendo totũ antecedẽs. Haud enim bruta vllũ habẽt herbarum dominium, quod eàdem ipsa Gene. autoritate cõtra citata comprobatur. Haud enim leguntur ibi herbæ pecoribus & iumentis concessæ, sed solis hominib⁹. Ecce enim, inquit, dedi vobis herbam afferentem semẽ super terram, &c. vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ. Ius ergo herbarum non est concessum brutis, sed nobis pro illis quę nobis seruiũt. Neq; in apibus est nisi metaphoricus rex: quia neque examen in finem ordinat, sed ĩstinctu naturę vna præit, reliquusq; exercitus sequitur. Multoq; minùs aut feræ bestiæ aut rapaces aues dominãtur cæteris, licèt illis velut alimento vtantur. ¶ Mox ad secundum patiter respondetur, cœlos longè minùs propriè dominium habere eo significatũ quo nomen in præsentiarum vsurpamus: sed dicuntur prædominari: quia eorũ influxu hæc inferiora alescunt. fouentur, alterantur, ac summutantur. Sicuti & in singulis elementis illa qualitas dicitur prædominari, quæ alteri præeminet.

QVAESTIO SECVNda, de rebus quàrum homo est dominus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm rerum omnium quæ sunt in mundo, sit homo iure aliquo dominus.



POstquàm constitutũ nobis est homini solũ in creaturis corporalib⁹ dominiũ rerum cõgruere, consequẽs est vt disputemus quotuplici quarumq; rerũ dominio fruatur. Et habebit quæstio duos articulos. Prior erit generalis: posterior verò de duob⁹ dominijs peculiaris. ¶ At arguit à parte negatiua, quòd nõ omniũ prorsus quę cõdita sunt interrarũ orbe sit homo dominus. Etenim aut illi naturali iure cõueniret, aut diuino, aut humano. Nõ naturali: quia vniuersale dominiũ cõcessum est ei à Deo in eius creatione. Neq; prorsus diuino: quoniã tũc iure charitatis esset homo dominus cuiuscũq; rei indigeret: eadẽq; charitate amissa, eodẽ decideret iure nã Deũ solis amicis suis cõdecet bona sua elargiri. Consequens autem est falsum & cõtra humanum morem, etiam Christianorũ, in quibus multi iusti rerũ egestate premuntur, omnium dominio orbati: multiq; contrà iniqui & praui bonis huius mundi, secundùm

cũdùm leges, que à diuina regula non exorbitant, potiũtur. Quòd autem iure merè humano nonsit homo dominus, patet: quoniã antequã leges essent humanæ, Deus nostro generi indulserat rerum dominium, quod fundamentum est humani iuris quo earum dominia diuisa sunt. ¶Secundò arguitur. Homo noneſt dominus elementorum neq; cœlorum: quia illa non sunt nominata Genes. 1. vbi homo constitutus est rerum dominus. ¶In contrarium est quòd omnia facta sunt propter hominem: vt. 1. Politi. autor est Aristo. Et Dauid Psalm. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius.

IN hac quæstione illi recentiores Magistri, quorum superiori quęstione meminimus: quàm plurima confarcinant dominiorum genera. Ioannes enim Gerson sex connumerauit: alij verò vsq; ad nouem. Sed Conrado tractat. 1. q. 6. vigintitria colibuit recensere. Aiunt enim aliud esse dominium beatificũ, quo beati potiuntur gloriæ: & aliud gratificum, quòd habẽt iusti in res omnes creatas, vt illis iure charitatis vti possint: iuxta illud ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et aliud est naturale: & aliud euangelicum, &c. Isti autem (vt salua eorum existimatione dixerim) duplici siniſtra causa hæc dominiorum genera gratis multiplicant. Primò, quia perseuẽrant credentes, idem esse dominium, quod ius: mox, quòd dominia ex parte materialium obiectorum dissecant: quæ quidem sectio, quia arte caret, in infinitum posset abire. Discerni quippe debent dũtaxat secundùm titulos exquibus oriuntur. ¶ Sit ergo prima rei huius conclusio. Dominiũ quadruplex tantùm est: scilicet naturale diuinum, & humanum: quod diuiditur in duo, scilicet in illud quod de iure gentium oritur & alterum quod acquiritur iure ciuili. Conclusio hæc firmior perse apparet, quàm vt pluribus cõfirmari indigeat. Dominia enim iure aliquo introducta sunt: ius autem (vt superioribus libris ambobus visum est) non est nisi naturale, & gentium, & ciuile: quibus & diuinũ additur positiuum: hoc est, quod non conuenit homini ex debito suæ naturæ, sed est ei diuinitùs ad naturam superadditum. Hoc enim dicitur diuinum positiuum contra naturale distinctum: cuius etiam Deus autor est. Igitur quòd nõ sint plura quàm hæc dominiorũ genera, inde patet quòd nullo præter hæc potest iure quispiam vllum obtinere dominium. Nulla ergo ratio permittit distinguere dominium originale, & beatificũ, &c. Nam ius quo Adam defunctus est in lignum vitæ, quòd isti vocant originale, diuinum erat positiuum, hoc est supra naturã cõcessum. Tametsi statui illi naturale quodammodò existebat: nẽpe quo possent homines non mori. Multò autem debiliori occasione noua species fingitur dominij Gratifici: operum enim gratiæ non habemus dominium: quia nõ per nos, sed Dei fauore supernaturali ea exequimur. Et idem est de iure beatorum. Nam primùm, licèt ius habeãt gloria perfruendi: illud tamen non propriè est dominium, sed ius merum concessum à Deo, qui dominus est gloriæ. Aliàs cùm gloria in Dei visione consistat, eâdem facilitate diceretur beatus dominus esse Dei. Secũdò & ius illud, quando permitteretur dominiũ dici diuinum est positiuũ. Ius enim huiusmodi diuinum in rebus præcipuè est supernaturalibus: vt hoc nunc dictum: & ius euãgelicum, quo ministri ecclesiæ habent absoluendi à peccatis, conferendiq; alia sacramenta, docendiq; fidem. Quod reverà ineptè dicitur dominium, sed est ius ministrorũ Dei. Quis enim mortaliũ dicatur sacramentis dominari Extenditur etiam ius diuinum positiuũ ad res naturales. Quale est ius decimarum, quod ijdem habent sacerdotes: scilicet metendi (vt ait Paulus) temporalia pro spiritualiũ seminatione. Quanuis & hoc ius fundamento innitatur narurali, ꝙ dignus est operarius mercede sua. Ideo nanq; exemplũ à triturãte boue apostolus attulit. Ius item ac dominiũ quod Dauid habuit ad regnũ, diuinum etiam fuit positiuũ: quippe cùm à Deo fuerit electus, non sicut cæteri Reges à republica. Et dominium quo populus Israël in terram promissam positus est. Quin verò & in angelos sunt qui cogitẽt nos dominio fungi, propter assertũ Pauli ad Heb. 1. Nõne omnes sunt administratorij spiritus, in ministeriũ missi propter eos qui hereditatem capient salutis? At verò abusus esset vocis homines angelorum dominos appellare, quod vni homini Christo propriũ est: sed fungũtur hac parte ministerio Dei. Sicuti neq; inferorum dæmones tam domini sunt animarũ quas cruciant, q̃ diuinæ iustitiæ executores per supplicia quæ ipsi quoq; perferunt. ¶Secũda conclusio. Homo dominiũ habet naturale, non solùm in omnes terræ fructus, verùm

Prima conclusio.

Dominiũtã tũ quadruplex.

Secũda conclusio.

verùm etiam quodam pacto in elemẽta cœlestes q̃ orbes, qui velut tectũ sunt sui domicilij. De terrenorum dominio patet Genesis. 1. Faciamus hominem vt præsit, &c. Et rursus: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam: & dominamini piscibus maris, &c. Illud enim dominium non censetur positiuum diuinum, sed naturale. Hæc enim iura & dominiorum genera non differunt ratione autoris: nam hac de causa omnia dominia dicerentur diuina: cũ omnis potestas à domino Deo sit: sed differunt per hoc quòd naturale, est naturæ debitum: alterum verò, super naturam adhibitum & dominium rerum congruit homini priori modo. Nam quatenus homo, corporeus est, debentur illi ea quæ ad vitam eius sunt necessaria. Hac enim ratione collegit Aristoteles, omnia corporea esse facta propter hominem. Itaque quem admodùm licèt Deus per miraculum creauerit homines nihilo minùs membra & potentiæ naturales naturæ suæ debita sunt: sic illa collatio dominij rerum fuit explicatio quędam naturalis iuris, veluti debiti humanæ naturæ, supposita eius existentia, quã ei per creationẽ gratis cõtulerat. Et pari ratione dominium habet quodam modo in cœlos, qui sunt veluti tecta suarum ædiũ: atque in elementa, inque solis calorem, & lucem qua vtitur: & in alias influentias: atque in pluuiam & niuem quæ illi naturali iure seruiunt ad vitam seruandam, atque ad alimenta terrena ope paranda. Dictum est autem cum moderamine, dominium nos habere in cœlos, & elementa: quia non possumus, aut illa consumere vt terræ nascentia, aut eis vti vt animalibus. ¶ Tertia conclusio. Iure etiam humano, quod superiori libro in ius gentium & ciuile partitum est, multis abundat homo dominijs. Iure enim gẽtium (vt paulò post dicemus) propria dominia diuisa sunt: vt meum & tunc audiretur in orbe. Iure autem ciuili, hoc est cuiusq; ciuitatis seu regni proprio, multa quoque mortales possident: vt iure prę scriptionis, iure hæreditario, iure primogenituræ, &c. Hæc autem omnia clara sunt & patentia.

Tertia conclusio.

Gersonis opinio impugnatur.

¶ Illud autẽ quod Gerson, & latiùs Richardus tractat. 1. q. 2. de dominio gratificò differunt, animaduersione opùs habet. Bifariàm enim & per vtrunque extremum peccare de hac re contingit. Illi quippe nominati autores aiunt, eos qui in amicitiam Dei per eius gratiam recipiuntur dominio fungi in res, quæ alio ab ipsis titulo non possidentur: vt puta in res oẽs cuiuscunq; possessoris, quia iure charitatis possint omnibus vti. ¶ Contra hos autem statuitur quarta conclusio. Qui est in gratia Dei nihilo plus habet aut dominij aut iuris vtendi re aliena, quàm qui est in peccato: vterque enim in extrema necessitate vti potest rebus sibi necessarijs, cuiuscunque sint possidentis: neuter tamen citra illam. Cuius porrò contrariũ & falsum est & assertu periculosum. Enimuerò titulus quo mortales dominio rerũ donati sunt, non est charitas, vt Vuicleff: & lib. 10. Armachanus, falso arbitrati sunt: sed ius (vt diximus) naturale aut humanum. Deus nanq; solem suum oriri facit super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos: & ideo quantunuis quisque charitate polleat, nullum tamen ius nouum in res has caducas & lubricas acquirit sed in regnum cœlorũ: de cuius tantùm hæreditate ait Paulus, Si filij, & hæredes per Christum, Neq; mos & vsus reipublicæ Christianæ admittit vt charitatis titulo quis valeat aliena rapere: imò verò per hoc ab eâdem charitatis virtute decideret. Quin etiam Christus hæc omnia contemnere nobis iusit. Neq; Paulus ipsis sanctis euangelij cõtionatoribus alio titulo concedit posse temporalia metere, quàm velut laboris mercedem, quia spiritualia seminãt. ¶ Illud autem quod pro se illi adducunt, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum nullo colore eis patrocinatur: quoniam Paulus nihil aliud voluit quàm quòd diligentes Deum, nullis superantur turbulentis incursionibus huius mundi, sed cunctis vtuntur ceu virtutum suarum adminiculis. Et quòd adijciunt, amicis omnia esse communia: hoc tantùm cõuincit quòd amicis Dei communia sunt eius sempiterna bona. Nam hæc tẽporalia non sunt digna quæ velut præmium ipse charis suis impartiatur. Tametsi iustos (vt ait Psaltes) in necessarijs: non derelinquat. Hoc autem per eleemosynas prouidet, aut alia via legitima. Nã si charitatis titulo ius cuipiam faceret vsurpandi res alienas, paci tunc & tranquillitati reipublicæ offendiculum poneret. Horum enim temporalium tituli debent esse in foro exteriori patentes: vt quisque palàm sciat quid à se iure, quidque iniuria petatur. Charitas autem in pectore delitescit. Parũ profectò hæc abest opinio ab illa

Quarta conclusio.

Charitatem nõ esse rerũ possessarũ, titulum.

Luthe-

Lutheranorũ,quam.c.4.ſuper epiſtolam ad Roma.impugnauimus: ſanè qui ex illo verbo Pauli de iuſto Abraham & ſemine eius, vt hæres eſſet mũdi,illum exprimũt ſenſum ꝙ liceat iuſtis quocunq; mundi cibo,& veſtitu,ornatuq; ac delicijs frui. Sed de hac falſitate nihil ad præſentem locum. ¶ Ex eâdem radice ,nempe charitatem eſſe rerũ poſſeſſarum titulũ , Vuicleffiſtæ inquos(vt dicebamus) Armachanus lib.10.cap.4.impegit,illũ exprimũt ſenſum,ꝙ nemo extra charitatem vllũ retinet vel ſpiritualium ius , vel temporalium dominium.Eſt autem hæc fatua hæreſis,ſæpe ac ſepiùs condẽnata. Nam licèt iniquus per modum meriti non ſit dignus pane quo veſcitur , neq; qua viuit vita (vt Auguſtinus & reliqui ſancti aiunt) perſtat tamen in eo naturæ ius, vt ſole fruatur, quem Deus oriri facit etiam ſuper malos. Celebrat enim ſcriptura ſacra multos reges etiam dum erant inpeccato,nõ ſolùm,Gentiũ,vt Nabuchodonoſor, & alios tam Chaldæorum quàm Perſarũ: verùm & Hebræorum,vt Saũlem,Salomõnem,quin& ipſum Dauidem.Miſſum præterea facimus quanta incertitudinis nebula obtenebratam ſanctam eccleſiam ſuſq; deq; veſania hæc confunderet. Nam huiuſmodi oppugnatio nõ eſt præſentis loci . Haud tamen eadem nota Gerſoni & Richardo inurenda eſt , qua denotantur hæretici :quoniam ſecũdùm illos, licèt ille qui gratia Dei decidit,ius charitatis amittat fruendi alienis rebꝰ: retinet tamẽ naturæ ius , quo ſua propria poſſidet , atq; alia iura,ſiue eccleſiaſtica, ſiue ciuilia.

Ad primũ argumẽtũ. ARgumenta igitur nõ alia noua indigẽt reſpõſione.Iam enim negata eſt illa cõſequẽtia primi argumẽti:videlicet, Dominiũ rerum fuit homini à Deo donatũ:ergo non eſt ei naturale:quoniam fuit,nõ tanquàm naturæ adhibitũ, ſed tanquàm naturæ debitum.

Adſecũdũ. ¶Et ad ſecundũ etiam reſpondetur ,quòd licèt ſubſtantiæ cœlorum non ſit homo dominus,vt poſsit eos alterare: eſt tamen dominus,quia eis vtitur tanquàm domicilio ,& ad alia naturalia cõmoda. Et multò meliùs eſt elementorum dominus.vt aëris ad reſpirationem ,& maris ad nauigationem,& terræ ad culturam,& ignis pariter ad meteòras impreſsiones.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm homo homini dominus eſſe poſsit.

COnſequitur in hoc ſecundo articulo dehac ſingulariter domi nij ſpecie dicere : an videlicet eſſe poſsit homo alterius homi nis dominus. ¶Et arguitur contra affirmatiuam partem. Nullum ius poteſt naturali derogare: naturali autem omnes homines naſcũtur liberi : id legis ipſis Iutoribus planè confitentibus,Inſtitu.de iure perſo. &.ff.de ſta . homi.l.libertas , quod ſeruitus ſit qua quis dominio alieno contra naturam ſubijcitur.Et Gregorio idem aſſerente.vbi ait contra naturam eſſe homines hominibus dominari: rarioneque idem mõſtrante:nam homo eo cæteris animantibus præſtat quòd ratione viget & libertatis arbitrio:ergo nullo iure ingenus noſtrum obtrudi ſeruitus potuit:Fecit enim Deus hominem rectum,vt habetur Eccleſiaſt. 15. & poſuit eum in manu conſilij ſui . Atque hac de cauſa homo, cùm primum creatus fuit,cæteris ore Dei prælatus eſt creaturis : non autem homini.¶Secundò id præcipue confirmatur in Chriſtianis. Haud enim decet vt quos Chriſtus in filios dei adoptans libertate donauit,ſerui eſſe permittantur:nam vt ipſe Dominus intulit Matth.17.Liberi ſunt filij . ¶Contrarium decernunt iura titulis citatis de ſtatu homin.& in Inſtitu .& præterea Ariſt.Poli.1.quibus locis multiplex ſeruitutis ſpecies diſtinguitur & approbatur.

Primum cluſio. *Duplex ſeruitꝰ ex Ariſt.*

AD hanc quęſtionem quatuor cõcluſionibus reſpondetur·Prima eſt Homo tã iure naturæ ꝙ iure gẽtiũ poteſt eſſe alterius hominis dominus. Duplicem enim ſeruitutẽ ſcitè Ariſto.dignouit.1.Poli.Alteram quidem naturalem alteram verò legalẽ.Naturalis eſt qua homines elegantioris ingenij reliquis hebetibꝰ ac rudibꝰ dominant.Enim uerovt in eodem homine anima corpori:ita & in toto humano genere,homo homini(vt ait Comicus)longe præſtat.Quocircà ſagax ipſa natura alios homines ingenio ad imperãdum dotauit ,alios verò corporeis neruis ac membris irroborauit ad ſeruiendum . Et ꝙ iſta dominatio naturalis, recta ſit,probatur: nam hominis natura eſt vt ſecundùm rationem viuat , eique adeò eidem obtemperet:

peret: ergo sicut perfectio appetit9 sensitiui in homine est rationi parêre: ita & inter homines perfectio agrestium scientiarumque rudium est, sapientium gubernatui subdi. ¶Altera est seruitus legalis. Et hæc est duplex, vt Institu. de iure person. refertur. Alij enim sunt serui qui liberè cùm ætatem viginti annorũ excesserint, vendunt sese, causa participandi pretium. Cuius quidem seruitutis vsus fuit in lege veteri. Legitur enim Exod. 21. Si emeris Hebræum, sex annis seruiet tibi: in septimo autem egredietur liber. Et Leuitic. 25. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non opprimes eum seruitute famulorum. & infrà, Seruus & ancilla qui in circuitu vestro sunt, hoc est ex Gentilibus, hos habebitis famulos & hæreditatis iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Fratres autem vestros, filios israël, non opprimatis per potentiam. Interiectum ergo erat discrimen quòd serui ex gentibus esse poterant perpetui, Hebræi verò minimè, sed temporarij. ¶De hac ergo seruitute ponitur secunda conclusio. Talis seruitus est licita. Nam etsi homines facti sunt à Deo liberi: tamen tam innatum est animantibus cunctis desideriũ ac ius seruandi vitã, vt possint se eius gratia miseri in seruitutem adigere. Nã licèt Non bene pro toto libertas venditur auro: vendi tamen pro vita fas est, quæ omni est pretiosior auro. Imò & parentes egestate cõpulsi, liberos suos antiquo iure vænundare permittebantur: vt eodem loco Leui. 25. memoriæ proditum est. Et cap. de patribus qui filios suos distraxerunt. l. 2. & Insti. de patria potest. in glossa: licèt iam inter Christianos huiusmodi leges non sunt in vsu. ¶Aiunt tñ apud Aethiopes eundem adhuc vigere morem: quô ad eorũ mercatum Lusitani adnauigant. Quod si liberè vęneunt, non est cur mercatura illa crimine vllo denotet. Verũtamen si, quæ iam percrebuit, vera est fama, diuersa est ferenda sententia. Sunt enim qui affirmant fraude & dolo calamitosam gentẽ seduci: inescariq; nescio quibus iocalibus, & astu pellici versus portũ, & nonnunq; cõpelli: & sic neq; prudẽtes, neq; quid de illis fiat opinantes, huc ad nos transmitti & vęnũdari. Quæ si vera est historia, neq; qui illos capiunt, neq; quia captoribus coëmunt, neq; illi qui possidẽt tutas haberevnq; conscientias possunt, quousq; illos manumittant: etiã si pretium recuperare nequeant. Nam si quirem alienam possidet, etiam si mercatu vel alio iusto titulo eam acquisierit, cùm primũ alienam esse resciuerit, tenetur cum pretij etiam dispendio domino reddere: quãto magis liberum natum hominem, per iniuriam manu captum, astringitur in suam restituere libertatem? Quòd si quis id sibi prætexere cogitauerit, q̃ præclarè cum illis agitur dum pro seruitute beneficium eis Christianismi repẽdimus, iniurium se nouerit esse in fidẽ, quæ summa est libertate docẽda ac persuadẽda: tm̃ abest vt eorũ excusationẽ Dº admittat. ¶Tertia seruitutis species est etiã legalis. Vnde (vt lege citata & ff. de stat. ho. l. libertas. docemur) seruitutis nomen deriuatum est. Videlicet quòd Imperatores bello captos vendere, neq; occidere solent, sed seruare. Et isti dicuntur mancipia: quia victores, quos gladio transfigere possent, manu capiunt, vt seruent. ¶Ac de ista seruitute subditur tertia cõclusio. Non modò est licita, verũ de misericordia profecta. Si enim quis gratia sustinendæ vitæ libertate se priuare potest, satius quisq; ducere debet seruituti q̃ morti tradi. ¶Est autẽ latũ inter has seruitutis species interuallũ. Nam genus illud dñij seruitutisq; naturalis non plenã attingit rem, quã nomẽ sonat, secundũ ea quæ præcedẽti quæstione explanata sunt. Seruº enim secundæ ac tertię speciei, quia liber nõ est, quicquid est, domini est: neq; dñs eo vtitur in bonum ipsius serui, sed ad suam propriã vtilitatẽ, sicuti iumento. Vnde Institutio. Per quas perso. nobis acqui. §. itẽ nobis. & de acquirẽdo rerũ dominio. l. etiam inuitis. quicquid seruus acquirit, adiudicat dño. Quãuis & inter duas istas seruorũ species nõ nihil mihi videar discriminis inspicere. Illi enim qui se inopia pressi seruituti mancipârunt, quia libere se pretio vendidêre, fugere iure nequeunt: sicuti neq; furari quem vendidissent equũ: seruos autẽ bello captos non auderem in hos cogere angustias. Est quidẽ glossa super. c. ius gentiũ. d. 1. quæ ait seruos in genere non posse aufugere: quam sententiam elicit ex cap. si quis seruus. 17. q. 4. sed tamen illud caput solùm prohibet nè quis seruum vt recedat solicitet: quod de emptitijs intelligi potest. Neq; (vt reor) discrepãtia est inter Christianos atq; infideles: quoniã ius gẽtiũ gentibus cũctis æquale est. Quãuis Christianis etiã à Christianis captiuis congruẽtiori ratione fugere liceat: nisi pollicitº quis nõ fugere, fuã impignorauerit fidẽ: quã

seruitus legalis duplex.

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

Quando liceat seruis fugere.

porrò seruare constringitur. Pariformiter mihi videor verè ac legitimè inter has seruorum species distinguere quantum ad ea in quibus tenentur dominis seruire. Christiani nanque à Christianis bello capti, non tenentur vt mancipia seruire: neque eorum bona, nisi quæ tunc in bello in prædam deuenerint, sunt dominorum. Imò neq; mãcipia quæ ab infidelibus Christiani iure belli arripiunt, sic arbitror quicquid sunt dñorũ esse, vt quicquid vel dono susceperint, vel hęreditario iure, vel licito ludo fuerint lucrati, reneantus in conscientia dominis exhibere: quoniam cùm non sua spõte in illam conditionem inciderint, non est eorum miseria tãta afflictione coërcẽda: quandoquidẽ, vt est in Regulis iuris, Fauores ampliãdi sunt, pœnæ verò restringẽdę. De illis autẽ qui seipsos vẽdiderint, aliquantulò est ratio apparẽtior, q̃ quicquid sint, dñi sint, iuxta præscriptum legũ, quas nuperrimè citauim⁹. Tãetsi de horũ omniũ iudicio, iuris prudẽtibus deferẽdũ est, ¶ Verũtamen de prima specie seruitutis lõgè aliter speculandũ est. Etenim qui natura est dñs, nequit natura seruis veluti rebus possessis in suum ipsius cõmodũ vti: sed tanquã liberis suiq; iuris hominibus in rem ac bonũ ipsorũ: eos scilicet docẽdo moribusq; instituẽdo. Quapropter neq; illi tenent, veluti mãcipia eis seruire: sed æquitate quadã & honestate naturali, nisi vbi essent mercede conducti. ¶ Et per hæc satisfieri illis debet, qui sciscitantur vtrũ iure naturalis dñij possimus Christiani infideles armis infestare, qui pro suorũ morũ ruditate, naturales vi dentur esse serui. Nullũ enim inde ius cõtra eos acquirimus vi illos subiugandi. Eò q̃ seruitus illa libertatem non tollit, veluti illorũ conditio, qui vel se vendiderunt, vel bello capti sunt. Et cùm fundamentum dominij sit libertas, nullum amittunt suarum rerum ius. Aristoteles enim non solùm constituebat illam seruitutem inter vnam nationem & aliam: verùm inter personas eiusdem vrbis, & eiusdem domus. Sunt enim in eadem Christianorum vrbe natura serui, qui tamẽ non subinde possunt suis expoliari: etsi parẽre natura dominis renuant. In eo autem quod idem ait Aristoteles eodem, 1. Politico. cap. 3. scilicet quòd sicut bestias venari, ita contra eos homines qui ad parendum nati sunt possumus bellum moliri: eatenùs audiendus est, quòd illos qui ferarum more palantes oberrant, nulla seruantes gentium fœdera, sed aliena petentes quocunque grassantur, possumus vi abigere & subigere, & in ordinem cogere. Sed de hoc latiùs in libello nostro De ratione promulgandi Euangelium: vbi de dominio & iure quo catholici Reges in Nouum Orbem oceanicum funguntur, amplior patebit dicendi locus.

Quib⁹ reb⁹ possint serui vti tanq̃ pprijs: & qui serui hoc possint.

AD argumentum ergo in contrariũ respõdetur per seruitutem non contra iri aut propriè derogari naturali iuri. Haud enim ius naturæ prohibet seruitutem, tanquã peccatum, aliãs nunquàm esset licita. Sed (vt. 4. senten. dist. 36. author est sanctus Tho.) bifariã aliquid est à natura intentum: Vno modo secundùm intentionem primam, quem admodùm generationem intendit, corruptibilis naturæ conseruatricem: Altero modo quantum ad secundam intentionem: quo pacto corruptionem intendit vt generet. Vnde Arist. 2. cœli, tex. 37. senium ait esse præter naturam. Simili ergo ratione aiunt iura, seruitutem esse contra naturam: nempe cõera xrimam naturæ intentionem, qua cupit omnes homines secundùm rationem studiosos esse. Attamen illa deficiente intentione, ex culpa subsequuta est pœna, quæ est conformis naturæ corruptæ. Atque inter pœnarum genera vnum est legalis seruitus. Nam ex peccato originali subsequuta est egestas & bellorum turba, quæ homines in seruitutem adigunt. ¶ Quare neq; Christianis eiusmodi seruitus repugnat. Christus enim liberos à lege nos tantùm peccati & mortis fecit, vt ad Roma. 8. ait Paul. Nulli tamen nos iuri gentiũ exemit. Imò ad Titũ. 3. admonet seruos obedire dominis: & Petrus addit, etia dyscolis: scilicet infidelibus, qui extra ecclesiam vagantur. & 1. ad Corint. 7. monet vt qui seruus vocatus est, seruus maneat. Verum est tamen quòd propter decentiam Christianæ libertatis consuetudo iam pridẽ obtinuit nè Christiani bello capti more mancipiorum seruiant: vt Barto. adnotauit. l. hostes. de capt. & postl. reuer. Seruitus autem naturalis nõ incidisset in statum innocentiæ, vti modò existit: quia nulli essent rudes & ignari. Tãetsi infantes & pueri nõ oĩa scirẽt q̃ adulti. Neq; fuissent oẽs eodẽ ingenij acumine nati. Fuit ergo seruit⁹ per idẽ peccatũ ingressa, p q̃d (vti ait Paul.) introiuit mors. Quòd autẽ Amb. ait (vt referẽ. d. 35. can. sexto die.) per ebrietatem obrepsisse seruitutem

Ad argumentum.

Intentiõ distinctio.

uitutem in orbem, fateor me nõ intelligere: nisi seruũ appellet ebrium, qui rationis vsu ra orbatus, fit sicut iumẽtum. ¶ Videri autem cuipiam possunt iura suprà citata secũ pugnare. Asserunt quippe ex vna parte seruitutem iure gentium esse constitutam: ex altera verò Imperatorum esse sanctionem. Haud tamen vllam habent contra pugnantiam. Existit enim seruitus de iure gentium. vt expresse habet Canon Gregorij: cùm Redemptor. 12. q. 2. vbi ait, homines quos ab initio natura liberos protulit, ius gẽtium iugo substituit seruitutis. Dicitur enim ius gentium, propterea quòd ratio naturalis omnes gentes illud ius docuit. Dicitur verò & imperatoria constitutio, eò quòd Imperatores tum ratum illud habuêre, tum more & vsu confirmârunt.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm homo sit vitæ suæ ac famæ dominus

REstat in hoc tertio articulo de dñio proprię vitæ ac famæ tãtil lũ sermonis adijcere. Vtrũ scilicet homo suæ propriæ vitæ ac subinde honoris & famæ dñio fungat. Arguitur em̃ de vita q̃ sit suæ quisq; dñs, ex illo Ecclesiasti. 15. Deus ab initio constituit hominẽ, & reliquit eũ in manu cõsilij. Relinquere nanq; in manu cõsilij sui nil aliud esse apparet q̃ facere eũ dñm sui, atque adeò suæ propriæ vitæ. ¶ Secundò. Propter q̃d vnũquodq; tale (vt est in Poste. Analyticis) & illud magis: est autem homo dñs reliquorũ bonorũ propter vitã: ergo excellẽtius est dñs vitæ. ¶ De fama autẽ arguitur tertiò à parte negatiua, q̃ nõ sit homo suę proprię dñs, ex illo Sapiẽtis præcepto, Eccles. 41. Curã habe de bono noĩe. vbi custodes instituti videmur famę: nõ dñi, vt pecuniæ. Cui & illud accinit Prouerb. c. 22. Melius est bonum nom̃ẽ q̃ diuitiæ multæ. ¶ Quartò arguitur autoritate Augustini de bono viduitatis: ca. 20. quod refertur. 11. q. 3. c. Non sunt audiẽdi. vbi in reprehensionem eorum qui propriã negligunt famam, subdit, Quia nobis necessaria est vita nostra, alijs verò fama nostra. Quib⁹ verbis insinuare videtur dominium famæ nostræ non esse penes nos, sed penes rem publicam. Item. 1. de Ciuita. Dei. cap. 20. ait, illo præcepto, Non falsum dices testimonium, prohiberi quẽq; aduersum se falsè testari, sicuti aduersus proximum. Quemadmodùm alio præcepto, Non occides: vnà & proximi homicidium & proprium prohibetur. Ex hoc ergo arguitur. Pariter hæc duo præcepta prohibent tã testimonium aduersus propriam famam, quàm propriũ homicidium: & ex hoc secundo colligitur hominem non esse dominum vitę: ergo ex altero pariter elicitur neminem esse dominum suę propriæ famæ. ¶ Contra partem autem affirmatiuam prioris membri extat illud Sapien. 16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatẽ: & deducis ad portas mortis, & reducis. vbi solus Deus insinuatur vitæ dominus. De fama autem in contrarium facit, quòd ipsa & honor connumerantur in bonis proprijs acquisitis, quibus ad fœlicitatẽ vtimur: ergo sicut quisque vti potest facultatibus suis & possessionibus, sic vt in alienando nemini faciat iniuriam: ita vti potest honore & fama: atque adeò simili modo talium bonorum homo est dominus.

ETsi duo hæc quæsita cõtrarijs respõsionibus dissoluãtur: coniugauimus tamen ambo sub vna disputatione, vt contrarię ipsorũ rationes è regione oppositæ apertiùs res ambas elucidarent. Ad quæstionem ergo respondetur quatuor conclusionibus.

Prima conclusio.

Prima est. Homo non est suæ vitæ dominus. Probatur primò tam autoritate Sapientiæ modò citata, quàm ex illo Deuteron. 22. Ego occidam, & ego viuere faciam. Quibus locis probatur dominium vitæ nostræ Deũ sibi reseruasse. Deinde ab effectu probatur ratione quæ à definitione dominij suprà ex posita colligitur. Dominus rei cuiusque ille est qui citra iniuriam quæ cuipiam irrogetur, potest illa, vt libuerit, vti, etiam vsque ad eius dispendium & consumptionem: homo autem occidere se non potest, lege iustitiæ id vetante: ergo nemo est suæ vitæ dominus. Meminerim legis iustitiæ, nè quis obijciat legem etiam prohibere, nè quis bona sua exteriora absque vllo fructu dilapidet, quorum nihilo minùs est dominus. Enimuerò licèt lex charitatis, qua se quisque & sua diligere tenetur, id prohibeat: non tamen lex vlla iustitiæ: & ideo citra iniuriam potest talia bona effundere tanquàm verus dominus. Præterea pupillus alienare vetatur bona quorum est dominus: non tamen lege iustitiæ, vt qua prohibetur aliena furari: sed vt propria custodiat. Secùs autem de

vita:lege enim iustitiæ prohibetur homo se occidere,sicut & alios:quia nō est magis dñs suæ q̄ alienæ vitæ.Sed ais, hoc est principiū petere.Vnde enim monstratur,præceptum nè se homo interficiat, esse præceptum iustitiæ prohibentis rem alienam auferre: dicere enim quis potest esse tātùm iusionem charitatis similem alteri qua prohibemur bona nostra per prodigalitatem decoquere. ¶ Arguitur ergo secundò nè petitio principij cēseatur.Si homini dominium concessum est propriæ vitæ,hoc esset vt aliquando posset illam dispendere & à se alienare,sicut potest iustis de causis alia bona,nam frustra est potentia & facultas quæ nunquàm exire potest in actum, homo autem nullam ob causam,quouis colore censeatur iusta, potest se vita priuare: ergo signum est non esse dominum. ¶ Tertiò arguitur à priori & à legitima causa. Si aliquo iure homo esset vitæ dominus,id esset naturale, aut diuinum, aut humanum: naturale autem non, quoniam primum naturalium appetituum: atque adeò temporalium summum est, quo vnaquæque res appetit se conseruari in esse: iuxta illud dæmonis, sed tamen verū apud Iob,Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit homo pro anima sua. Quare nulli rei natura tribuit,seu qualitates seu instrumēta quæ in suam essent interniciem: sed illa quibus conseruaretur:vt igni calorem, & aquæ frigiditatem: & cunctis animantibus suas debitas qualitates: ergo ius naturæ neutiquàm permisit homini se interimere,atque adeò nec ei tribuit vitæ dominium. Cùm autem ius naturæ effectus munusque Dei sit,fit vt nec iure diuino positiuo concessa sit talis facultas.De iure autem humano clarum est.Eò vel maximè quòd nec diuinum nec humanum de re hac vsquàm legitur verbum.Nam Genes.1.vbi factus est homo omnium dominus,etiam animaliū,quæ ideo in suos vsus mactare potest: non simul tradita ei est suæ vitæ potestas. Ecce conclusionis origo.Cùm vita sit fundamentū bonorū omniū temporaliū,quā quidē vitam homo nō p̄ se acquirit, sed Dei bēficio parentūq; opera recipit:nō decuit illi cōcedi eius dominiū,sed vt Deus eius autor id retineret:vt nefas hoī esset,iniussu ipsius de vita, in quam ipse per se non ingredit,exire. Id quod & lumine naturali notū fuit.Sic enim ait Lyric⁹, Nemini iniussu Regis de vita exeundū. Sed de hoc iterū lib.sequenti, sub titulo De homicidio. Cōstitutus ergo iure naturali ac diuino homo est suæ vitæ custos:porrò quā sustentare tenet,nō autē dñs. ¶ Quod si cōtrà obijcias,hominē posse etiā priuata autoritate vitā pro amicis exponere, imò etiā ad defendendū sua propria bona: possēq; mēbrū salutis gratia abscindere,cùm tū mēbra sint pars vitæ: quæ omnia atteſtari vident dñiū penes hominē esse suæ propriæ vitæ. Respō detur,nequâquā id cōsequi:nam mēbra abscindere non licet nisi in custodiam vitæ: & vitam exponere pro amico vel bonis tēporalibus nō adhoc reducit quod est hominē se occidere,id quippe illic nō intēditur: sed ad hoc quod est mortē perpeti, nè homo deserat virtutū officia quod tam diuinū q̄ naturale ius approbat. ¶ Secunda cōclusio. Nō solū homo priuatim, verùm nec respublica nec princeps absolutū habet dominiū vitæ subditorū,sed solus Deꝰ. Hoc patet, quoniā princes nō potest innocētes vlla ratione interficere,sed solū nocētes:aut qui tales fuerint legitimo testimonio p̄bati ad vindicāda crimina:id quod nō arguit principē esse dñm vitæ,sed iudicē malefactorū.Potest prętereà in bello ciues obijcere periculo mortis ad defensionē reipublicę: sed nec hoc indiciū est dñij vitæ,sed huiꝰ prorsus q̄ sit reipublicæ custos.Igit quoties audieris qui se vel alterū necauerit iniuriā facere reipublicę,q̄d Aristo.ait lib.5.Ethi.c.11. neutiq̄ id eò referas q̄ dñium vitę sit penes rempublicā: sed eò q̄ ei custodia ac tutela vitæ ciuiū cōmissa est: ipsaq; sola potest hoīes vita multare. ¶ Tertia cōclusio.Deꝰ est absolutus vitæ dñs,nēpe qui nō solū tāq̄ :udex puniēdo,vt tāq̄ custos defendēdo:sed absolutè tanq̄ humanæ vitæ autor potest hoīes morti tradere,sicut vnusquilibet iumentū suū. Sua tū inenarrabilis misericordia est,q̄ nunquā hac absoluta dñi potestate vsus est,nec in vitam nostram,nec in reliqua bona.Etenim si Hebræos iussit vt expoliarēt Aegyptios,iusto id iudicio fecit: quoniā Aegyptij mercedē eis debebant pro seruitio luti ac lateris.Etsi Oseæ præcepit vt ex meretricē filios tolleret, quod tanq̄ dñs corporū poterat:credibile tamē est Prophetam illam priùs duxisse in vxorem, vt eam iure etiam humano cognosceret. Etsi Abrahæ tanquàm dominus vitæ præceperit vt filium in sacrificiū immolaret, id tū pōst non pmisit.Et si Exo.32.precepit per Moysen vt vnusq̄sq; occideret fratrē suū: id iussit tāquā vindex cōflati vituli. Vide ergo q̄ contra naturam

Secunda cōclusio.

Solus Deus est dñus vitæ.

Respublica tantùm vitæ custos.

Tertia conclusio.

turã sit immanitas illa (si vera fama est) Turcæ, & quorũdam barbarorum principum: qui in ea sunt cæcitate, vt se dominos existimẽt vitę subditorũ: ita vt possint illos absq; vlla vel culpa vel causa, veluti pecora, trucidare. ¶ De fama aũt, quia id copiosius in nostra relectione tegẽdi & detegẽdi secretũ, tractauimus, vnica hic cõclusione, quæ sit ordine quarta, satis est respõdere, cõtraria illi q̃ asserta est de vita. Homo dñium obtinet honoris sui & famę: nẽpe vt possit illis veluti pecunijs vti, licet pretio sint maiori æstimãda. Scio equidẽ multos, etiam ex nostris, vt Caieta. diuersam. 2.2.q.73. & in sua Sũma, sequi sententiam: semper mihi tñ hæc gratiùs arrisit. Ad intelligentiam autem huius conclusionis adducenda est in iudicium contraria sententia, vt oppositа iuxta se posita magis eluceſcant. Triplex est nostrorum bonorũ genus: Primum est vita, postremũ temporalia bona, mediũ honor & fama. Et quidẽ de exrremis nulla est disceptatio, quin omniũ est cõfessio, neminẽ esse vitæ suæ dominũ, vt possit se vllam ob causam citra iniuriã necare: sed esse iniustitiæ scelus. Et per contrarium extremum fatentur esse quęcunq; bonorum exteriorũ dominũ: sanè quæ potest citra cuiuspiã iniuriã alienare ac dispendere. Opinio Cai. Opinio ergo nostræ cõtraria, collocat honorẽ & famã in ordine vitę, nos autem in ordine bonorum exteriorũ. Opinio authoris. ¶ Et ratio nostra prima est superiori contraria. Homo verè ac legitimè est suorũ bonorum omnium dominus, vt citra cuiuspiam iniuriam, quæ, ppriè sit cõtra iustitiã, possit illa dispendere ac negligere, illisque vti: honor & fama sunt propria hominis bona, ei iure naturali cõcessa, atq; ab ipso acquisita & aucta: neq; vlla iustitiæ lege, si est priuata persona, prohibẽt illa dispẽdere: ergo nemini iniuriã facit, si illa rejiciat, atq; adeò est verè eorum dñs. Dixerim nulla iustitiæ lege, quo verbo res tota detegitur. Prohibemur enim charitatis lege, quanos & nostra diligere tenemur, prodigos esse honoris & famę (sicuti & externarũ facultatũ) nè absq; causa ea negligamus, vt patet locis suprà citatis, Curã habe de bono nomine, &c. nulla est tamẽ lex iustitię q̃ nos vetet eadẽ expẽdere tanq̃ aliena. Atq; hoc est q̃d probare intẽdimus. Enimuerò de vita extat (vt nuperrimè dicebamus) Deu. 23. Ego occidã, & ego viuere faciã. & Sapi. 16. Tu es Dñe, qui vitæ & mortis habes potestatẽ. Ex quibus colligit minimè nos esse vitæ dños. Atq; his accedit naturalis ratio. Vita nãq; fundamentũ est omniũ bonorũ tẽporalium, quã homo ipse non acquirit, sed diuino beneficio, parẽtumq; opera recipit. De honore autẽ & fama nullibi tale legitur. Imò ratio naturalis cõtrariũ docere videt. Honorem enim & famã, vt proximè dicebamus, nosipsi post receptã vitã acquirimus & cõparamus. Adde quòd honor, vt. 1. & 10. Ethic. ait Arist. præmiũ virtutis est: virtus autẽ naturalis saltem proprium opus est nostrum, per cõcursum generalẽ Dei: sicuti & virtus supranaturalis, quodãmodò etiã nostra per eius singulare auxilium. Item honor & fama, vt ibidem ait Arist. pars sunt fœlicitatis: fœlicitas autem proprium nostrum bonũ est: sumus ergo eorum domini, vt si velimus illa prodigere, nemini faciamus iniuriã. Nisi quis persona esset publica. Loquimur enim secundũ rei naturã omnibus circunstantiis nudam. ¶ Et cõfirmatur hæc nostra sentẽtia autoritate diui. Tho. 2.2.q.64.art.5. vbi ait quòd occidens seipsum non solùm facit contra charitatẽ, sed contra iustitiam respectu reipubicæ, cui? est vita hominis. De fama autem nihil simile subinfert. Quin vero in solutione ad tertium contrarium de ipsa sentire videt. Ait quippe licitè posse hominem de seipso disponere quantum ad ea quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur: sed transitus de hac vita ad aliam fœliciorem non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati diuinæ: & ideo nemini mortem oppetere licet. Videtur ergo vniuersa hominis bona subiecisse eius dominio præter vitam. ¶ Secundò conclusio hęc lucidiùs probatur ex his proximis verbis sancti Thomæ: Si non essemus aliter domini famæ & honoris quàm vitæ, sequeretur quòd nullo fine neque propter ipsam vitam spiritualem ad euitandum peccata & consequendum vitam æternam possemus honorem famamque postponere & abijcere: quod planè absurdum est. Cõsequentia patet, quoniam (vt loco modò citato autor est diuus Thomas, & lib. 1. de Ciuit. Dei. cap. 20. Augustin.) nec causa fruendi æterna fœlicitate liberum est homini mortem sibi conscisce re: atq; adeò neq; qui cognosceret vitã tẽporalem esse sibi pestiferam ad salutem animæ, manifestamq; inferni causam, posset se illa priuare. Longè tamen secùs de honore & fama. Ecquis enim ambigat quin si persona priuata resciscceret famam sibi & hono-

rem impedimento esse ad vitam æternam, posset talia bona subterfugere, & oblata negligere? Quin verò etiam si esset persona in dignitate cõstituta posset magistratu excedere, honoresq; ac famã posthabere: ergo est homo dominus honoris & famæ, aliter q̃ vitæ. Iam idem diuo Ambrosio teste cõfirmatur: si eius vera est historia, vbi legitur fœminas in cubiculum inclusisse vt per illam infamiã eriperet se nè in antistitem eligeretur. Et Augustin. multa suorum peccatorũ detegit: & Ansel. amissam virginitatem lamentabiliter deplorat. q̃d illis profectò nefas esset, nisi propriæ essent famæ domini. ¶ Tertiò idẽ patet: quia vitam nemo potest, vbi inuaderet, sibi adimi permittere, saltem vbi illã seruare posset sine alterius detrimento: puta fugiẽdo vel alia simili via: famam verò quiuis potest, modò sit persona priuata, cùm sibi aufertur relinquere ac deserere: etiam vbi illam posit tueri. Sententia est sancti Thom. 2.2.q.37.artic.4.ad primum, vbi ait quòd in cuiusque arbitrio est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum. Nequiuerat profectò apertiùs affirmare hominẽ esse dominũ suæ famæ. ¶ Quartò arguitur. Et si fama & honor præstantiora sint bona quàm pecunia, tamen ingens aceruus pecuniæ pluris æstimatur humano vsu quàm tenuis honor & fama: quare potest repensatio honoris & famæ fieri per pecuniam: ergo si homo est pecuniæ dominus, est etiam & famæ. ¶ Quintò id confirmatur Redemptoris autoritate, qui nos splendorem omnium bonorum temporalium, honorum scilicet & gloriæ humanæ, despectui habere admonuit: nempe vt honores, & primas sedes, & sæcularem fastum fugeremus: tantum abest vt nos illa obligaret seruare, perinde atque vitam. ¶ Hunc articulum in hac materia dominij adhibere operæpretium duximus, qui esset plurium aliorum locorum huius nostri operis fundamentum. Hinc enim quæstione. 6. elicienda est responsio illius quæsiti, an liberum sit homini restitutionem remittere suæ famæ, quod contra aduersam sententiam concedemus. Item libr. sequenti in materia de detractione, per hoc examinabimus quale quantumque committat crimen qui seipsum infamat: & vtrùm id aliquando liceat. Enimuerò vt perfunctoriè in præsentiarum hæc prælibemus, cùm persona priuata per sui criminis detectionem se infamat, nullatenus contra iustitiam, peccat. neque vlli iniuriam irrogat: quare genere suo non est nisi veniale contra sui ipsius charitatem: licèt grauius quàm pecuniam prodigere: quia fama pretiosius bonum est. Potest tamen fieri mortale si de sua se iactando turpitudine id faciat. Vnde Dauid, Quid gloriaris in malitia? &c. Et Esaiæ, 3. obiurgantur qui peccata sua sicut Sodoma prædicant. Item si sit persona publica, qui famam suam & bonam existimationem in bonum subditorum obligatam habet, contra iustitiam mortaliter peccaret. Attamen qui non in vanum, sed bona causa tale occultum crimen suum propalaret: vt si latro quò acerbitatem tormentorum euaderet, certè nihil delicti committeret, quin fortè probè id ageret. Imò verò si mentiendo se tunc infamaret, quanuis culpa mendacij admitteret: non tamen esset pernicioſum, atque adeò neque genere suo mortale. Secludimus tñ semper personas publicas: præterea absurdissima nefandaq; flagitia quę aures exhorrescunt: nam de illis se hominẽ infamare, vix posset à lethali scelere excusari.

Fatẽ Am. dubium.

Priuatus potest famã relinqre, & eã tueri potest.

AD primam igitur Ecclesiast. autoritatem respondetur sensum esse, q̃ Deus fecerit hominẽ dominũ suarum actionum: hoc est enim relinqui in manu sui cõsilij: non tamen inde sequitur esse dominum vitæ. ¶ Ad secundum negatur illud axiôma Philosophi, Propter quod vnumquodq; tale, &c. aptè ad rem præsentem accommodari. Esse enim nos rerum dños propter substẽdandam vitam, solũ arguit nos esse custodes vitæ non autẽ dños. Sumus etenim domini actionũ propter amicitiam Dei cõparandã: tamen non sumus eiusdem gratię diuinæ & amicitiæ Dñi. ¶ Authoritas autem Eccles. tertio loco allata de fama id prorsus cõuincit q̃ tenemur præcepto charitatis nostri curam habere, honoris, & famæ, nõ tamẽ q̃ cõtrarium delictum in persona priuata sit iniuria contra iustitiam, sicut si quis se occiderit: quo vtiq; scelere & in Deum iniurius esset, penes quem dñium est vitæ: ac subinde in rem publicam, quæ eiusdem est custos. Adde q̃ modus procurandi bonum nomẽ, ille est penitùs vt curam habeas colendi virtutes, quas, veluti vmbra sequit honor & fama. Et ideo in bonũ virtutis possumus illa, si opùs est: dispendere, tanquàm veri illorũ dñi. ¶ Authoritas autẽ prior argumẽti nihil

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ

Optimus inquirendi bonoris modꝰ.

Ad priorẽ argumenti locum.

nos

nos oppugnat: nam si ex illo secũdo mẽbro quòd fama nostra est alijs necessaria, inferre contẽderes dominium eius non penes nos, sed penes rempublicam esse: pariter ex priori quo ait vitam nostram esse nobis necessariam, inferes dominium vitæ nostræ penes nos esse, quod Augustinus non concederet. Hoc ergo præcisè nos admonet vt nõ simus negligentes propriæ famæ, qua possumus reipublicæ seruire, vt sine legitima causa illam despiciamus. Et maximè quando sine scandalo non possumus illam prodigere. Loquebatur enim mulieribus quibusdam quæ cùm egregio sanctitatis loco haberentur in populo, moliebantur humilitatis præ textu sinistram de se suspicionem generare vt vilius æstimarentur: per quod scandalum dabant. ¶ Posterior verò eius autoritas. 1. de Ciuitat. Dei, quæ paulò vrgentior est, hoc solùm cõuincit, quòd illo præcepto, Non falsum dices, prohibemur testimoniũ aduersus nosipsos dicere: quia hoc est cõtra charitatem, vt subiuncta eius verba docent: non tamen inde consequitur vt sit perinde peccatum iniustitię, ac si te occideres, aut falsum testimoniũ proximi proferres, detegeresve secretum crimen. Quocircà ex illa precisa forma præcepti, Non occides, non colligitur proprium homicidium esse contra iustitiam, sed esse peccatum. Aliæ nãq; nos rationes erudiunt, quas suprà instruximus, nõ esse nos dominos vitæ: ex quibus concludimus esse contra iustitiam.

Ad posteriorẽ argumẽti locum

QVAESTIO TERtia, De rerũ diuisione.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm humano iure rerum dominia fuerint olim diuisa.

POST constitutũ tam subiectum quàm obiectum dominiorum, ordo postulat vt tertio loco de eorum diuisione disseramus. Atq; à parte negatiua more nobis consueto arguitur vt suprà de seruitute. Iuri naturali nullum humanum contrauenire potest: quòd autem bona huius mũdi in cõmune possideantur, constitutio est naturalis iuris, vt patet Gen. 1. vbi homini in commune concessa est rerũ possessio. Idẽq; affirmat Isidõrus. lib. 5. quod refertur dis. 1. c. ius naturale. Neq; verò tũc tantùm integra natura, verùm & posteà iam corrupta, simile legimus Gen. 9. Noë dictum & filijs eius: Crescite, & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam. Vbi Deus nihil videtur voluisse fore diuisum. ¶ Secundò id apertiùs confirmatur sententia Clemẽtis in epistola. 4. quæ refertur 12. q. 1. can. dilectissimis. vbi legitur, Communis vsus omnium quæ sunt in hoc mundo omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc dixit esse suum, & alius istud: & sic inter mortales facta est diuisio: iniquitas autem contraria est iuris æquitati. ¶ Tertio loco accedit & charitatis ratio. Nam si omnia in commune possiderẽtur, multò esset firmior inter mortales amoris nexus. Nã cùm vbi est thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum, si nihil haberent diuisum, nihil restaret cur animis diuiderẽtur. Vnde in primordijs Hierosolymorum ecclesiæ, quò feruentiùs omniũ amor coalesceret (quod in Acta Apostolorum relatum est) in communi viuebant: atq; hoc exemplo monachorum vitæ institutæ sunt. Quare August. in Regula, Sit nobis anima vna & cor vnum in Deo, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Innuens cordium vnitatem non aliter vegetari posse quàm ablegatis, meum, ac tuum. Id quod nec Christianum illum Poëtam latuit, qui ait,

Si duo de nostris tollas pronomina rebꝰ,
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Atq; hac de causa illud axiõma celebratissimum semper fuit, Amicorum omnia sunt communia. Qua vtiq; ratione sancti patres illo idiomate semper loquuntur, vt omnia sint communia: vt August. super Ioan. tract. 6. & habetur dist. 8. can. quo iure. Et Ambr. 47. dist. sicut hi: Nemo dicat propriũ, quod commune est. Chrisosto. super Lucam. c. 6. A Deo percepimus omnia: quod autem dicimus, meum & tuum, mendacij sunt verba. Neutiquàm ergo licuit diuisionẽ rerum facere. ¶ Contraria est sentẽtia Christi Redẽptoris nostri, Matthæ. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

DE hac quæstione etiã inter philosophos depugnatum olim fuit. Enimuero Pla-

Vxores & liberos communes esse voluit in republica Platonis.

to (cui Aristot. hanc rempublicam in fronte 1. Polit. ascribit) omnia contendebat debere esse communia: non modò possessiones, verùm & vxores & natos. Quanuis Socrates apud alios feratur talis reipublicæ primus autor, quem Plato in Timæo inducit loquentem: idemque ipse Aristoteles statim cap. 4. insinuat. Meminit quoque idem Plato de huiusmodi republica. 5. dialogo de republica. Hanc autem nimiã rerum communitatẽ ea ratione conabantur persuadere, quam modò nos formabamus. Nempe vt omniũ corda in vnum maximè coadunarent ac cõpingerẽt. Isti autẽ eò non erant digni qui audirentur, q̃ naturam nostram in ea prorsus innocentiæ synceritate cõtemplabantur, in qua â Deo per misericordiam creata fuit: ne scientes à parẽte nostro per iniustitiã fuisse inde depulsam. ¶ Responsum ergo huius quæstionis quinq; conclusionibus constat.

Prima conclusio.

Prima est. Vt statui innocẽtię cõcors erat rerum possessio in cõmuni, præterq̃ vxorum, quã possessionis figurã ius naturæ docebat: sic & conditioni naturæ corruptæ vsq; adeò congruens est dominiorum diuisio, vt citra miraculum neutiquàm posset aliter genus humanũ lõgo sæculo durare. Prior pars per se ipsa liquet. Tunc enim temporis, terra, vel inculta, sua sponte fructus tulisset: vel illa indiguisset perparua cultura, quam refugisset nemo: vt sic illud intelligamus Gen. 2. Tulit Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illũ. Et præterea neminem rerum tunc auiditas exercuisset. Nã post peccatũ dictũ est, In labore vultus tui vescêris pane tuo. Illũ quippe ætatis florẽ olfaciebat illic Ethnicus ille,

Ipsa q̃q; ĩmunis, rastroq; intacta, nec vllis
Sauciavomerib⁹, p se dabat omnia tell⁹:
Contentiq; cibis, nullo cogente, creatis.

Quapropter nullum extitisset periculũ aut quòd fructus terrę deficerent, aut quòd vlla inter fœlices illos oriretur discordia. ¶ Posterior autem pars ex duabus contrarijs radicibus probatur. Illam enim seu Socraticam seu Platonicam vxorum natorumque communitatem non opùs est multis hic concuti, vt eius appareat absurditas. Primùm enim eadem charitas quæ per illam curabatur fulciri, per eandem labefactatur. Aiebant enim illi Philosophi quòd tunc omnes viri vocarent quancunque mulierem, mea vxor: & pueros omnes, mei filij: & iuuenes seniorem quemlibet, meus pater. Id autem optimè Aristoteles redarguit. Si enim intelligerent nomen, omnes, collectiuè, verum esset: complexim nanque omnes senes essent patres illorum filiorum. Attamen perparum id ad charitatem referret. Esset enim tunc tenuis exilisque ille amor in tota republica, sicuti mellis tãtillum in multa aqua, quam dulcorare nequiret. Imò inde citiùs langueſceret amor, quòd nemo cognosceret suum proprium, seu filium, seu patrem. Si autem intelligerent diuisiuè de singulis: nempe quòd singuli essent singulorum filij, id certè plurimùm ad amorem conduceret: sed tamen est impossibile: quia vnus nequit esse nisi vnius matris filius: & fortè nisi vnius patris. Quin etiam inde fieret neglectus filiorum: quòd rarò quis cognosceret suum proprium. Ad hæc sæpe de lineamentis vultus deprehenditur proles, cuius sit patris: ob idq; tũc non posset non esse propẽsior animus illius hominis in suos liberos q̃ in alienos. Itâq; natura ipsa illi cõfusæ cõmunitati reclamabat. Præterq̃ q̃ post collapsam naturã fieri non posset minus quin inter hoĩes iurgia oborirent: ac subinde inter incertos patres & natos, tum impiæ fierent cædes, tum nefandi inirentur amores & coitus. In summa, adeò est naturale vxorum natorumque distinctio, vt etiam natura integra, vbi nullus patebat locus prauis istis affectibus, nõ fuisset intrusa absurda illa vxorum permistio, sed quisque haberet suam. Nam erunt, inquit, duo in carne vna. Expediebat nanque etiã tunc, vt quisq; nosset qua esset necessitudine & sanguinis glutino cum alijs coniunctus. Et quãuis lex prisca, gratia propagandi peculiarem Dei populum in hoc dispensauerit: nunquàm tamẽ vt vna vxor duobus nuberet viris: sanè vt caueretur prolium incerta turba. ¶ Hac ergo delira communitate prætermissa, reuertimur ad demonstrandum quàm sit congruens naturæ corruptæ possessionum diuisio. Idque ex duab⁹ corruptis radicibus: nempe ex humana negligentia: & ex cupiditate. Etenim dũ terra ex vna parte ob hominis rebellionem ei ipsi rebellans, spinas & tribulos ferre cœpit, sudoreq; humani vult⁹ indigere, vt hoĩem ipsũ aleret: atq; homo ex altera post esum ligni vetiti tã multis fuit cupiditatibus oppletus: ea fuit rerũ possessio necessaria, q̃ rei vtriq; cõmodissimè seruiret. s. & terrę colẽdę, nè fructus deficerẽt: & reprimẽdæ humanę auaritiæ

tiæ quæ vix satiari potest: talis autē possessio esse non potuit in communi: ergò necessaria fuit diuisio. Probatur hæc postrema subsumpta. Nam (vti ait loco citato Arist.) trifariam intelligere possumus hanc in communi possessionem: nempè quod vel fundi essent proprij, fructus vero cōmunes: vel contrà, vt agri essent communes, post verò fructus diuisi: aut quod & agri & fructus essent cōmunes. Si primū largiris, tunc ansam porrigis discordijs: quia tunc labores essent impares: nam qui plus haberet soli, plus laboraret, fructus tamen pariter cunctis pro cuiusq; necessitate obuenirent: & tamen nemo æquanimiter ferret, non tanto plus fructuum percipere, quāto plus hausisset laboris. Si autem agros vellent esse communes, inde occasionem homines nanciscerentur ignauiæ & socordiæ: nam ineffabile est quàm sit ardens amor ad propria, quamq; deses & languens ad cōmunia: sicuti dum multi sunt serui, eò peiùs seruit: quod quisq; alios expectat vt faciat quæ ipse erat facturus. Hunc quippè in modum tali reipublicæ vsu veniret. Qua vtiq; ratione malignè prouenirent fructus. Idemq; sequeretur incommodum si & fructus & fundi essent communes. Ac subinde alter quod præ humana rerum siti tunc pro se quisq; contenderet, quantum posset fructuū arripere. Per quam viam necesse erat pacem & tranquilitatem ciuium, &, quam illi philosophi fouebant, amicitiam perturbari. ¶ Secunda ratio sumitur ex debito ordine in republica, qui aliter nequiret cum decoro seruari. Necessarij quippè sunt diuersi ordines, diuersæq; classes hominum, vt Socrates ipse agnouit. Tres enim ordines constituebat: scilicet agricolarum, quibus cōnumerandi sunt opifices: & custodū, nempè militum ac nobiliū, tutamini reipublicæ adscriptorum. Et tertiò legum prudentum, qui ius dicāt, & de rebus dubijs respondeant. Hinc ergò arguitur. Si omnia essent communia, vnusquisq; recusaret agricolarum onus, anhelaretq; vt esset miles. At imminēti bello, nisi propria essent stata præmia, omnes se periculo subducerent: quotquot deniq; possent ad gubernacula inhiarent. Mox cum isti supremæ classis pluribus indigerēt, succederet vt alijs maiora onera, alijs verò maiores honores decernerētur. Quod, nisi essent domini diuisa, non posset non vehementer rempublicam inquietare. ¶ Tertiò eadem patet conclusio. Quemadmodùm concessa vxorum communitate tollitur temperantiæ virtus, qua quis abstinet ab alieno toro: sic concessa possessionum cōmunitate tollitur & virtus liberalitatis: quod non infimū est rei publicæ lumen. Qui enim proprium non habet, liberalis esse non potest: & qui omnia possidet, alienæ liberalitatis non eget. Et sic periret virtus suscipiendi hospites, & peregrinos, succurrendiq; miseris: ac subinde animorū gratitudo pro susceptis beneficijs. Est ergo assertio diuisionis rerum eo gradu certa, vt eius negatio hæretica sit: vt ait August. in lib. de hære. Vbi. 40. loco Apostolicorum hæresin refert, qui illo se nomine iactabāt, eò quod in suam communionem non reciperent vtentes coniugibus, & res proprias possidentes. Et in Concilio Constañ. de hoc etiā damnatus est Ioannes Hus: qui clericos posse negabat proprium quippiam possidere. ¶ Quod si arguas, per rerū diuisionem nō satis itum fuisse obuiā huiusmodi malis ac reipublicæ incommodis: nam & sunt modo propter hominum ignauiam incultæ terræ: & homines ambitione, ac rerū siti inferentes se in aliena iura: & id genus reliqua mala. Respondetur non esse necessariū ad æquitatem legis vt perfectè finē assequatur suum: satis quippe est illa pro sua facultate stabilire quæ ad illum finem accommodātur: nam effrænis hominum libertas nullis potest habenis in totum cōpesci. ¶ Secunda conclusio. Etsi cōueniat res quantum ad proprietatem & dominium diuisim possideri, vt suum quisq; iustitiæ lege cognoscat, ab alienoque manus abstineat: tamen quantū ad vsus, debent per misericordiæ & liberalitatis benignitatem esse communes: vt qui abundat, det egenti: & qui eget, gratias illi referat. Hac enim ratione mortalium amicitia facilius coalescit quàm si omnia communi dominio possiderētur. Hinc nanque elicitū illud axioma est, Amicorum omnia sunt cōmunia. ¶ Tertia conclusio. Prima rerum externarum diuisio facta fuit iure gentium: licèt posteà iure ciuili plures accesserint. Iam enim. 1. lib. q. 5. ius humanum in hæc duo sectum est. Patet hac ratione conclusio. Porrò dominium ab orbe condito (vt suprà diximus) cœpit. Tunc enim primùm Deus habere cœpit quibus dominaretur, ac perinde tunc tam angeli quàm homines suapte natura & iure cœperunt esse domini suarū actionum, vt illa libertate creatori seruirent. Quo fit vt aliqua dominiorum diuisio iure naturali facta fuerit, nempè hæc actionū, & quod

Triplex rerum cōmunitas impugnatur.

Hæresis est negare rerū diuisionem.

Secunda cōclusio.

Tertia cōclusio.

Dominium cœpit à principio orbis.

Dominiorū diuisio iure naturæ constans.

Tres hoīm ordines secūdum Socratē necessarij

homo habet proprij honoris & famæ. Haud enim iure gentium, sed naturali factum est cuiq; proprium. Possessionum autem (vt prima conclusio docuit) non fuit facta distributio ante peccatũ, sed post statim: nam inde (vt diximus) enata est ratio diuisionis. Quocirca confestim legimus inter duos fratres diuisa esse peculia: obtulit quippe Cain de fructibus terræ, & Abel de optimis sui gregis. Quod si sua non essent cuiq; propria, nullã mereretur, vel Abel laudem, vel Cain vituperationem. ¶ Dicitur autem diuisio facta iure, nõ naturali, sed gentium: propterea quod ius naturale nulla indiget ratiocinatione, sed scriptum est in cordibus: vt coniunctio maris & fœminæ: ius verò gentiũ est aliud quod collatis principijs ratio cuiusq; infert. Et ideò dicitur gentium, id est hominũ: quibus proprium est ratiocinari. Enimuerò ex principijs naturæ corruptæ docta fuit statim familia Adæ ac deinceps in vniuersum gentes, vt suum quisq; possideret. ¶ Quod si quæras quis primùm huiuscemodi diuisionem fecit: sunt qui respondeant, Adam primum fuisse diuisorem: verùm tamen alij cõtra arguunt, ipsum non habuisse regiam potestatem, authoritatem ve rei publicæ coercuam: sed tantùm fuisse patrem familiâs, qui non potuit filijs distribuere nisi proprium peculium. Attamen argumentum hoc nõ est ita multùm vehemens: tum quod forsan (licèt nullibi legatur) authoritatem habuit principis, ipso forsan iure quod fuit primus solusq; parens humani generis. Nam verisimile non est vt aliquo esset tempore mundus absq; humano principe, qui posset malefacta vlcisci: tum etiam quod iure etiam paterno potuit suas facultates, quibus amplissimis affluebat, distribuere filijs. Imo neq; esset absurdum dicere, fuisse dominum totius orbis: quandoquidem mundus propter hominem factus est, & tũ ipse fuit solus. Neq; erat mundus tam frequens hominibus, quin posset illos per suos ministros regere. At verò quantum ad diuisionem de iure gentium, non est nobis necesse hisce angustijs coërceri. Illa enim quę tali iure statuũtur, neque indigent principe, neq; vllo rei publicæ conuentu. Hac nanque ratione ius gentium differt à ciuili, quod scilicet ratio ipsa singulos seorsum homines illud docet. Quare ex condicto poterant fratrum singuli, ac deinceps nepotes ac pronepotes singulos fundos & agros occupare, & peculium augere: ipsa docente ratione, vt res dominorũ nesciæ, primo occupanti cederent, ab eisdemq; alij abstinerent: vt habetur Inst. de iure pers. §. feræ. Quod enim, inquit, ante nullius fuit, id naturali ratione occupãti conceditur. Et in hoc quod dicit, naturali ratione, intelligit ius gentium, id ex principijs naturalibus colligentium. Sic enim legitur, Cain vrbẽ ædificasse & Genes. 10. dispersam esse propaginem Noe ad diuersas regiones & insulas orbis. Sic statim cap. 11. disgregatam progeniem Nemrod, & eorum multitudinem, qui cum eo conspirauerant vt turrim extruerent. Sic & statim Genes. 13. legitur diuisio pacto facta inter Abrahã & Loth Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistrã pergam. Ex quo fit non solùm diuisionem in genere, verùm & quòd istæ nationes hanc regionem possideãt, & aliæ aliam, esse de iure gentium. Contra quam Caietan. 2.2. q. 99. arti. 2. opinatus est. Etenim quia S. Tho. dicit in solutiõe ad primum, quod diuisio rerum pertinet ad eius positiuum. Et tamẽ quæstione. 57. dixerat esse de iure gentiũ: existimans Caie. diuersa esse dicta, intulit quod diuisio in genere est de iure gentium: appropriatio tamẽ in particulari, de iure positiuo, hoc est ciuili, Attamen S. Tho. ius positiuum extendit ad omne ius humanum, vt includat ius gentium. ¶ Secundum autem conclusionis membrum, nempè iure postmodùm ciuili, hoc est singularium ciuitatum & regnorũ, multa esse adiudicata particularia dominia, clarissimũ est. Inde nanq; temporum lapsu respublicæ imperium suum & regnorum dominia in reges transtulerunt, vt habetur. l. Quod principi placuit. ff. de const. princip. Atq; inde per legem Agrariam communes agri diuisi: & iure diuino positiuo (vt suprà diximus) promissa est, donataq; Chananæorum regio Israelitis ac Sauli Dauidiq; regnũ. Et post Leuitis decimæ: & nũc Ecclesiasticis. ¶ Quarta cõclusio. Complura manserunt cõmunia iure naturæ, quorũ dominia ius gentium dispertiri nequiuit: Puta locus, vt ait illic Arist. nempè ciuitas, itinera. &c. Et (vt refertur eodem. Insti.) elementa: videlicet aer, aqua, littora, & portus, pisces, feræ, aues, &c. Iure enim naturali, & permissione iuris gentium, piscatio & venatio cõmunes sunt: licèt iura postea ciuilia, forsan non tam æquitate q̃ licentia & cõsuetudine, plus nimio interdictæ sint. ¶ Quinta conclusio eademq; facilis est.

Quid ius gẽtium.

Adam princeps eo ipso iure quo & primus parẽs: quin et dominus totius orbis.

Quarta conclusio.

Quinta conclusio.

lis est. Translatio dominiorum omni iure fieri potest. Primùm enim suppositis per rerũ diuisionem peculiaribus dominijs & possessionib⁹, iure naturali libertatis, quo liber est homo, suorum dominium in alium trãsfert. Tum spontanea donatione, tum etiam quacunque alia libera commutatione: scilicet vẽdendo, cambiendo. &c. vt lib. proximè præcedenti adnotauimus: & in subsequentibus fusiùs expandetur. Prætereà & hæreditariã successionem filiorum in bona paterna iure gentium arbitror fuisse cõstitutam. De hoc enim ratio naturalis statim vniuersitatem gẽtium erudiuit: scilicet vt in filijs & substantia quodammodo patris permaneret, & nomẽ, & bonorum ius. Deinde ius ciuile particulariũ regionum adhibuit iura primogenituræ, præscriptionis, & alia, quibus dominia transferuntur. Prætereà contra domini voluntatẽ transferuntur dominia in vindictam & vltionem criminum. Priuantur enim homines suis bonis, ob hæresis impietatem, ob crimẽ læsæ maiestatis, & ob alia id genus multa. Item causa rescindendarum litium, vt in præscriptione.

Ad primũ argumentũ AD primum argumentũ varij existunt respondẽdi modi. Sunt enim qui axioma illud. Iure naturali omnia sunt cõmunia, nõ vniuersaliter, sed strictim intelligant: scilicet aut in necessitate extrema, aut inter amicos. Huic autem sensui neque res ipsa neq; Iurisconsulti applaudunt. Intelligunt enim illud de illa generali cõmunitate, quæ posteà iure gentiũ diuisa fuit: vt patet loco citato apud Isidorũ, & dist. 9. cap. differt. apud Gratianũ.

Scotus. Scotus autem. 4. dist. 15. q. 2. scitè illud vniuersaliter recipiens, ait post naturam corruptã idem ius naturæ derogatum esse. At verò, salua Doctoris autoritate, minùs hoc rationi cõgruẽs apparet. Primùm, quia naturale ius immobile est: vt patet per Isido. dist. 6. can. Non est peccatum. §. Is itaq;. Inde enim colligit præcepta Decalogi esse immutabilia, q̃ sunt de iure naturæ. ¶ Item aut fuit præceptum iuris naturæ quod res in cõmuni possiderẽtur: aut nullũ fuit tale. Si prius dederis membrũ, tunc vel illud præceptum vniuersale fuit pro quocũq; statu: & hoc nemo sanæ mentis fatebitur: nã error esset sic dictare, vt in natura collapsa perseueraret idem possessionis modus: aut fuit particulare pro illo statu innocentiæ, & illius nulla est facta derogatio: nam quod diuisio fiat in nostro statu, illi æquitati non derogat, vt perdurante innocentia cõmunis possessio perduraret. Respõsio ergo legitima extat apud S. Thom. q. 66. ar. 2. licet emunctiùs per distinctionem respõdebitur. Est enim in rebus considerare & dominium, & vsum. Et quantum ad dominiũ, ius naturæ nũquam præcepto inhibuit rerũ diuisionem, quod per contrariam legem fuerit derogatum: sed eo sensu negatiuo dicitur cõmunis possessio de iure naturæ, quod nunquã lex naturalis eãdẽ præcepit diuisionem, sed permisit hoc vel illo modo posideri, quo pacto diuersis hominum statibus cõmodius esset & expeditius. Quare ius naturale nõ est mutatũ, sed res. Sententia est Augustini lib. 1 conf. quam optimo exemplo clarificat. Est inquit, medicinalis regula, vinum esse hominibus cõgruum: hæc autem minimè derogatur dum infirmo potus vini interdicitur: sed mutatio fit in homine, cui perpetua illa regula non congruit. At verò quantum ad vsum, potest quodammodo affirmari ius naturæ præcipere omnia esse communia in necessitate. ¶ Ad secundùm argumentum, quod ex dictis Clement. in can. Dilectissimis, factum est, mirabilis est expositio glossæ Ioannis Teuthonici. Ait textus vsum omnium rerũ omnibus esse debuisse communem, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud. Ait verò gloss. per iniquitatẽ, id est per consuetudinem iuris gentium, æquitati naturali contrariam. Profectò si ius gentium iniquitas esset, neutiquã iuris appellatione ceneretur. Planus ergo sensus est, per iniquitatem, id esse, quod per originale peccatũ: quo dissoluta libertas contineri non potetat, nisi facta rerum diuisione. ¶ Ad tertium negatur quod corrupta natura, firmior fuisset amoris nexus inter mortales rebus in communi possessis, vt conclusionum serie satis liquet. Exiguus enim monachorum numerus, monasteriorum claustris circunseptus, potest quidem pacifice in communi viuere: vastæ tamen mortalium respublicæ, quarum ciues ad res sæculares tam anhelant auidè, nõ itẽ. Dictum autem Poetæ, quod duo pronomina, meum ac tuum, litium præliorumq; semina existunt & fomenta, ingenuè fatemur: multò tamen oborirentur plura si omnia in communi posiderentur. Sancti verò loquuntur de rerum vsu quando proximi pauperes indigent: tunc enim iam dictum est, vsum debere esse communem, quatenùs ad liberãdam miserorum inopiam satis fuerit.

Ad secũdũ argumentũ

Ad tertiũ argumentũ

QVAE-

QVAESTIO QVARTA, De peculiari quorundam dominio.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm hominum quispiam totius sit orbis dominus.

POST disputationem de dominio in genere, sequitur vt peculiariter de singulariũ quorundam dominijs disseramus. Primùm enim de Christo Seruatore nostro arguere pro parte affirmatiua possemus. Extat enim Ioãnis authoritas Apocalyp. 9. Qui vidit in vestimento & in fœmore sedentis super equũ album: hoc est super eius innocẽtissimam, eãdemq; candidissimam humanitatem, cuius virtute veluti fœmoris, filios progenuit cœlestis regni hæredes: scriptũ, Rex regum, ac Dominus dominantiũ. Mox & de Põtifice Maximo idem sentiẽdum apparet: vt pote quem idem Redemptor vicariũ in terris sibi substituit, qui sua fungeretur potestate. ¶ Attamẽ quia in præsentia de Imperatore peculiariter disputatio instituitur, arguitur primò quod nullus sit legitimus rex. Deus (vt ex Ecclesiastico citatũ est) reliquit hominẽ in manu cõsilij sui, hoc est liberum: quem vtiq; ab initio constituit rerum dominum, nemini autem subiectum: ergo nemo esse legitimè potest aliorum princeps. Mox arguunt, qui hoc sequuntur commentum: Neque ante diluuiũ, neque post aliquo tẽpore vllius sit memoria principis vsq; ad Nemrod, qui per tyrannidẽ & vim, potestatem regnandi obtrusit in orbem: nulla ergò regnandi est via legitima. Quare eos qui Reges Roma exegerũt, & qui Iulium Cæsarem enecârunt, laudibus Romani Annales efferunt. ¶ Accedit, aiunt, deinde quod præter Saulem & Dauidem, quos Deꝰ creauit reges, atque Dauidis successores, nemo legitur diuino iussu ascitus in regnum: intrusi ergo sunt omnes cõtra ius. Adiungũt deniq; in suũ patrociniũ peculiariter de Christianis illud Christi, Matth. 17. Reges terræ à quibus accipiũt tributũ vel cẽsum? nã respõdẽte Petro, ab alienis, intulit Dñs: Ergo liberi sunt filij. ¶ In contrariũ autem est ad Ro. 13. Paulus: Omnis potestas à Domino Deo est.

IN hac quæstione de tribus esset nominatis personis disputandum: nempè de Christo Redẽptore nostro, deq; eius vicario Pontifice Maximo, ac demum de Imperatore. Enimuerò de Christo, qui rem superficietenus cogitant, inficias ire non audent, quin fuerit in quantũ homo in temporalibus orbis dominus. Neque tamen alia ratione mouentur, quàm quod erat Deus. Sic habet Ioãnes Faber egregius autor super leges, Cũctos populos. C. de sum. Tri. Et Burgẽ. additione 3. super cap. 1. Matthæi. Ex quo principio doctores plurimi canonici iuris idem Summo Pontifici tribuunt temporalium dominium ac plenissimam potestatem: addentes insuper eundem Imperatorem ab illo imperialẽ susc ipere, ac subinde reges omnem regalem. Attamen de Christo hic non disputabimus, neque de eius vicario: eò quod in commentarijs nostris super Matthæum suis (vt reor) numeris eadem quæstiones pro exiguitate nostra absoluimus. Nempè de Christo super cap. 1. & de Summo Põtifice super. 20. In præsentiarum autem non de spiritualibus illis quæstionibus. quæ Euangelij commentarijs aptius accommodatur, sed de sæcularibus disserendum instituimus. ¶ Quod si iudiciũ nostrum, quod illic abundantiùs ac locupletiùs patefecimus, summatim audire libet: Persuadere ibi contendebamus vtriusq; quæstionis, scilicet tam de Christo, quam de Papa, negatiuam partem. Primùm inquam supposuimus fidei confessionem, porrò quod Christus in quantum Deus, dominus sit, nõ modo terræ & plenitudinis eius, tam in spiritualibus quàm temporalibus: verùm & cœlorum cœlestiumque spirituum: eo iure quo cuncta ex nihilo condidit, & in nihilum redigere potest. Deinde quantum ad eius humanitatem pariter secundùm eandem fidem catholicam agnouimus, eundem quatenùs hominem iure redemptionis vnicum fuisse regem regni cœlorum: quippe cui incumbebat cuncta, quæ ad sempiternam hæreditarem attinent, dispensare, administrare, ac disponere: tempè ecclesiam fundare, sacramenta instituere, magistratus ecclesiasticos creare, leges condere: ac demũ omnes iudicare, & & cuiq; pro meritis præmia æterna ac supplicia decernere. Subideq; reges vniuersos, vt suis legibus parerent, cogere: eorumq; leges, qua parte suis aduersarentur, abrogare: vniuersa deniq; temporalia, quoties ad suum spiritualiũ finem opùs esset, in suum vsum assumere.

An Christus fuerit totius orbis dominus.

Neq; Christus neque Papa est totius orbis dominus

Exponitur quomodo Christus fuerit rex in quãtum ho

mere. Cæterùm quantum ad sæcularem potestatem contrarium arbitrati sumus: videlicet, quatenus hominem, nõ fuisse regem: nõ quod nõ potuit: erat quippe Deus: sed quia neque eũ decuit, neq; subinde voluit. Enimuerò cùm non venerit in mundum (vt confessio habet catholica) nisi tanquàm Redemptor propter nos homines, & propter nostrã salutem, nullam huius mundi potestatem assumpsit, nisi quæ illi negotio deseruiret, nihil enĩ honoris illi qui Deus erat, futilia hæc & lubrica regna accumulabant: sed omnia contempsit vilipensaq; abiecit. ¶Regnum autem quod illi tribuunt hæreditarium, per Dauidis prosapiam descendens, illud quidẽ particulare erat super tribus Israel, idq; iam prorsus in Ioacim filio Iechoniæ, seu in eius patruo Sedechia cessauerat, iuxta vaticiniũ Hierem. 22. Deinceps nanq; non in regibus, sed in sacerdotibus, & in Macchabæis perstitit sceptrum Iuda vsq; ad Christum atq; hac ratione (vt illic meminimus) impleta est prophetia Iacob, Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux. &c. (dux inquit non rex) donec veniat qui mittendus est. Constat præterea nullam talem potestatem vsu exercuisse, vt cõtrarij fatentur: in vanum ergo eam assum psisset. Et ideo in Psal. 2. Ego, inquit constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius: id est super ecclesiam: prædicans præceptum eius. & Matth. 28. Data est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes. &c. Regnum ergo eius fuit prædicare & docere fidẽ. Vnde ad Pilatum, sic non negauit se regem, vt tamen fateretur, non esse regem veluti reges mũdi. Regnum enim, inquit, meum nõ est de hoc mundo. Docens (vt Isaias cap. 9. prædixerat) regnum suum in sempiternum duraturum: & (vt est in Psal.) regnum omnium sæculorum: nullum ergo habuit caducum ac temporale. Erat nihilo minùs (vt ait Ioãnes) Rex regum, & Dominus dominantium: quia spiritualis eius scopus fini temporali omniũ regũ præeminet, & ideo cunctis poterat ad illum finem vti. ¶Quod si ipse tale regnum non assumpsit, citra controuersiam certissimũ est neq; illud reliquisse vicario suo Pontifici Maximo, sed illam prorsus potestatem qua ipse functus est, illi commisit. Nempè vt quoties ad illum finem necessarium esset, regibus cunctis imperaret, leges eorum corrigeret, vniuersa deniq; temporalia vsurparet. Sunt nihilo seciùs spiritualis, sæcularisq; potestates vsque adeò distinctæ, vt sæcularis nõ deriuetur ab spirituali, sed illa præcisa ratiõe ab illa deprẽdeat: quod si ab illa per rebellio nẽ exorbitauerit, possit coerceri ne diuinas & ecclesiasticas præuaricetur leges: quod quã proxime declarabitur. Et hæc est plana sententia ipsius Summi Pontificis eodem cap. Solitæ. vbi ait se esse Solem, qui spiritualium diei præest: Imperatorem verò Lunam quæ præest sæcularium nocti. Quare in spiritualibus asserit se illic superiorem: præcellere autem Imperatorem fatetur: in temporalibus. Et idẽ ferme habetur. 96. dist. can. Duo sunt. Horum omnium fundamenta, cui placuerit, vbi prædictos commentarios nostros in Matthæum citauimus, fusè firmiterque corroborata potest inspicere. ¶His ergo non tam in præsentiarum prætermissis quàm alibi pro virili nostra constabilitis, duobus articulis quæstio hæc absoluetur, Prior est vtrũ ciuilis, tam Imperialis scilicet quã Regia potestas diuinitus sit instituta: posteriori autẽ explorabimus, vtrùm Imperator vniuersale dominium habeat totius orbis. Et quidem quantũ ad primũ, duę sunt inter se per extrema diuersæ sibi opiniones, de quibus nõ est cur hic latè disputemus. Sunt inquã qui Imperatori non solùm iurisdictionem orbis tribuunt, verùm & dominium ac proprietatẽ bonorum omnium, eumq; adeò appellãtes proprietarium dominum. Quin verò Hostiẽn. in titulo de præscripti. §. quæ autem. omnes principes facit hoc modo proprietarios. Et afferunt pro se verbum. l. Bene à Zenone. C. de quadri. præs. Omnia sunt principis. Et aliud in Authen. vt de cætero. &c. colla. 5. vbi habetur quod Imperium potest aliquando aliquid accipere venerabilium domuum dum voluerit. Est tamen inopinabilis opinio. Quare, vt bene adnotauit Ioãnes Fab. super eadem. l. Codicis, communis opinio est in contrarium. Et hæc sit prima hic nostra cõclusio. Neque Imperator neq; principũ vllus est hoc pacto proprietarius. Turca enim est qui, vt fertur, illa dominatur tyrannide, vt cunctas subditorum substantias, tanquàm suas proprias sic possideat, vt prolibito, vniuersa sibi, vt putat, possit vsurpare. Iure autem naturæ, etsi rranstulit respublica in principem potestatem suam, & imperiũ, ac iurisdictionem: non tamen proprias facultates: quibus ideo princeps vti nequit, nisi quando eidem reipublicæ tuendæ & administrandæ necesse fuerint. Quòd autem lex

Spũalis, et se cularis diferunt. Spũales sunt potestates omnino, licet hæc illi vt cũq; subsit.

Articul⁹. 1.

Prima conclusio.

ait,

ait, omnia esse principis: de his quæ fisco aut publico ærario obueniũt, intelligitur. ¶ Alio rum præterea Christianorum opinio est per aliud extremũ. Quod principes omnes per tyrannidem respublicas obtinent: Illis scilicet rationibus argutantes, quas à parte negatiua quæst. obiecimus. ¶ Hic autem, nõ opinio, sed manifestarius error est, totiusq; reipublicæ peruersio. Quin verò contraria veritas vt meridies lucida est, quam secundã hic ideo conclusionem statuimus. Nempè regiã Imperatoriamque potestatem, cæterorumque principum authoritatem non hominũ esse inuentum, sed Dei sanctissimam ordinationem: aliam tamen à potestate spirituali. Hanc enim per se ipse Christus immediatè instituit, cui ceu caput vicarium suum præfecit, eidẽque subinde vicario potestatem suã contulit, perpetuo in ecclesia duraturam.

Secunda cõclusio cõtra secundã opinionem.

Itaq; potestas illa neq; facta est à re publica, neq; per rempublicã deriuata, sed à solo per se Christo. Potestatẽ autẽ ciuilem Deus per legem naturalem, quæ suæ sempiternæ participatio est, ordinauit. Hoc autem sic patet. Deus per naturam dedit rebus singulis facultatem se conseruandi, suisq; resistendi contrarijs: non modò quãtum ad incolumitatẽ temporalis salutis, verùm & per eius gratiam quãtum ad prosperitatem spiritualis. Hanc autem homines facultatem cùm exequi cõmodè disperſi nequirẽt, adiecit eis instinctũ gregatim viuendi, vt adunati alij alijs sufficerent: congregata verò respublica neutiquàm se poterat gubernare, hostesque propulsare, malefactorumque audaciã cohibere, nisi magistratus deligeret, quibus suam tribueret facultatem: nam aliàs tota congregatio sine ordine & capite, neq; vnum corpus repręsentaret, neq; ea prouidere posset quę expedirent ergò eadẽ ratione doctæ diuinitusq; instructæ respublicæ, aliæ annales Consules, aliæ alias publicarum administrationum formas sibi instituerunt. Atq; eodem iure quælibet potuit ac debuit, vbi expedire cognosset, totam suam potestatem & imperium in vnum regem (qui secundùm Arist. optimus genere suo est principatus) transferre: vt lege sæpè citata, Quod principi placuit, sancitur: penes quem summa esset rerum. Ecce quemadmodùm publica ciuilis potestas, ordinatio Dei est. Non quod respublica non creauerit principes, sed quod id fecerit diuinitùs erudita.

Potestatẽ ciuilẽ lege naturali cõstare optime probatur.

Vnde illud Sapient. 14. Tua Pater prouidentia ab initio cuncta gubernat: per leges naturales intelligendũ est, tã per illas quas rebus irrationalibus ingenuit, vt mari & vẽtis, quã per illas quas indidit hoĩbus. Et ideo Paul. ad Rom. 13. authoritatem principum non in rem publicam tantùm, sed in Deum ipsum refert. Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et ad Titum. 3. Admone illos, principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedientes. Neq; verò potestates tantùm Christianorum principũ: verùm & quę sunt penes infideles, à Domino Deo sunt: qa fides naturam non destruxit, sed perfecit. Et per illas potestates gubernare possunt plebes in his quæ sunt naturalis iuris. Sic enim Dañ. 2. legitur, Deum cœli regnum & imperiũ tradidisse Nabuchodonosor. Sic & Christus ait ad Pilatum, Non haberes potestatẽ aduersum me vllam, nisi tibi datũ esset desuper. Vnde etsi in primordijs Ecclesię omnes fermè principes, infidelitate tenerentur, præcipit nihilo minùs Petrus Christianis. 1. Pe. 2. vt subiecti essent omni humanæ creaturæ propter Dominum: siue regi, inquit, quasi præcellenti. &c. Et infrà: serui subditi estote in omni timore dominis: non solùm bonis & modestis, sed etiam discolis. Atq; hinc fit, vt lib. 1. q. 6. dicebamus, principem potestate fungi ferendarum legum quibus rempublicam coerceat. Fitq; præterea vt nõ solùm singulis reipublicæ mẽbris superior sit, verùm & totius collectim corporis caput: totique adeò sic eminens, vt totam etiam simul punire valeat. Quare neq; per rẽpublicam Rex potest regni iure expoliari, nisi fuerit in tyrannidem corruptus. ¶ Per hæc demum id quod suprà diximus clarescit: videlicet potestatem ciuilem nõ sic dependẽre ab spirituali, vt ab illa instituatur, suamq; accipiat facultatem: ab illa ve posit, vel amoueri rex vel cogi, vel corrigi, nisi quando à diuinis legibus fineque spirituali rebellaret. Nam etsi ambæ à Deo procedant, non tamẽ altera per alterã sed modis varijs: prior scilicet à Deo immediatè: posterior verò mediante lege naturæ per ciuilem rempublicã. Atq; hoc pacto intelligendum est verbum Authent. de instru. caut. & fid. coll. 6. Imperium Deus de cælo cõstituit. Atq; aliud Authẽt. quomodò oportet episcopos. &c. vbi legitur, sacerdotium & imperium dona esse Dei à superna collata clementia. Hæc ergo non animaduerterunt

Respublica nõ potest regem regno spoliare nisi ob tyrannidem.

qui

qui aiunt rempublicam ciuilem ab spirituali, scilicet à Summo Pontifice facultatem suã mendicare. Quorum est Bart. super Extrauagan. Ad reprimendum.

ARgumenta ergo in contrariũ nullo sunt ponderenam etsi homines naturaliter liberi creati fuerint: eiusdem tamen naturæ instinctu, ceu ciuilia animalia, quo se pro naturali appetitu conseruent, Reges ac Principes sibi præficiunt, quibus obtemperantes, tutiùs fœliciusque viuant. Et quanuis in Biblijs ante Diluuium nullus legatur princeps est tamen verò proximum illos Patriarchas illic recẽsitos, monarchas extitisse, vt lib. 15. de Ciuitate Dei, ait de Cain August. qui ciuitatem condidit: vel gentes illas Aristocratiã aliamvel gubernationem habuisse. Quod autem de Nemrod subijcitur, fatemur & a tyrannis inuasas respublicas. Nam etsi potestas principium, ordinatio Dei sit: vsurpatio tamen earum, quando violato iure fit, non est à Deo præcipiente, sed tamen id in punitionem subditorum permittẽte. De quibus per Oseam cap. 4. ait Deus: Regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Et Iob. 34. Qui regnare facit hominẽ hypocritam propter peccata populi. Et Prouerb. 28. Propter peccata terræ, multi principes eius. Quemadmodum & potestatis vsus, quando legitimè fit, inspiramen Dei est. De hoc enim vsu peculiariter illud intelligitur Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: nam de alijs (quod libr. 1. citauimus) lamentatur. Isaias cap. 10. vbi ait, Væ qui cõdunt leges iniquas: quæ re vera Deo non authore, sed permissore instituuntur. ¶ Ad aliud de Saule & Daui de conceditur, quod etsi illos tantùm diuino iure positiuo Deus instituerit, ordinauit tamen iure naturæ vt alij à republica eligerẽtur. Quod autem de Christo afferunt, qui a seruit filios esse liberos, neutiquam sic audiri potest, vt Christianos omnes principum potestate liberauerit: quando quidem eius Apostoli nos admonitos curauerint vt eisdẽ obsequeremur: sed id peculiariter sacerdotibus competit: quod ad præsens nihil attinet negotium.

Ante diluuium fuit etiã aliqualis principatus

ARTICVLVS. II.

Vtrùm imperator sit dominus orbis.

POstquàm fundamenta reipublicæ ciuiles perfunctoriè iecimus, sequitur vt hoc articulo secundo ad id quod de Imperatore proposuimus descendamus: an scilicet sit dominus totius orbis. Et arguitur à parte affirmatiua. In primis (vt extrà de maio. & obed. c. solitæ. habetur) Sũmus Pontifex & Imperator duo sunt in orbe lumina ria magna. Summus autẽ Pontifex vnus est totius orbis in spiritualibus: quia decuit vniuersæ corporis Ecclesiæ vnum esse caput: ergo eâdem fuit ratione congruens vt in temporalibus esset vnum caput: quod nequit aliud fingi quam Imperator. ¶ Accedit huc tam ius canonicum quàm ciuile. Est enim tex. Hiero. 7. q. 1. can. In apibus. vbi ait, quod sicut in apibus vnus est princeps, & inter grues dux vna: sic Imperator vnus. Et cap. de bonis quæ lib. & c. l. cũ multa. Imperialis fortuna omnes supereminet alias. Et ad. l. Rhodiam de iactu. l. deprecatio. ait Antoninus, Ego mundi dominus. Et Extrauagan. Ad reprimendum. quomodo in læsæ maiest. &c. ait Henricus Cæsar: In tranquilitate Romani Imperij totius orbis regularitatem requiescere. ¶ In contrarium autem facit lex, Conctos populos. C. de sum. Tri. & fide catho. vbi Iustinianus ait, Cũctos populos quos clementiæ nostræ regit Imperium, quibus verbis limites Imperio suo circunscribit.

DE hac quæstione bipertiti sunt vtriusq; iuris doctores. Nam Hostiẽ. & Ioã. Andreas, & (vt fertur) Itali opinionem sustinent q; sit vniuersalis orbis dominus. Et peculiariter Bal. super lege citata, cunctos populos. Et Bart. l. Hostes. ff. de capt. & postli. reuers. Vbi addit, forsan qui negauerit, hæresin incurrere: eò quod Lucæ. 2. legitur edictum à Cæsare Augusto exisse vt describeretur vniuersus orbis. Et in frõte trac. super Extrauagan. Ad reprimendũ. idem repetit veluti de fide. At verò Faber super eandẽ. l. Codicis & Vltramontani, contrariã tuentur sententiam. Verùm tamen quia de re hac sola legũ citatione controuersantur, quæ amphibolis loquũtur verbis, op⁹ est, ratiõib⁹ earũ mentẽ eruere. ¶ Est ergo hui⁹ articuli cõclusio. Licèt imperatoria maiestas donũ institutioq; Dei sit: tñ q; toti⁹ orbis imperio fulgeat, nulla fit ratiõe credibile. Prius mẽbrũ satis suprà cõfirmatũ est: posterius ergo cõmõstrare restat. Et nè verbi significatio ancipites nos teneat, orbẽ appella

Sententia authoru.

mus totũ terrarũ aquarũq; globũ & ambitũ: nam orbem Romani appellabant illam terræ portionem sibi cognitam, quam suo Imperio subiugauerãt: de quo alia est quęstio: sed in sensu quem verba faciunt probatur conclusio. Et loquimur (vt suprà diximus) de dominio iurisdictionis: nam de rerum proprietate iam id priore conclusione superioris articuli negatum est. Igitur quanuis neganti hanc imperij infinitatem, opinionem suam probare nõ incumbat: sed qui asseruerit, prouinciam subeat tale ius demonstrandi: nihilo minùs pro asserta conclusione arguitur. Si Imperator esset vniuersi dominus: aut id sibi iure diuino competeret, aut naturali, aut humano, gentiũ videlicet aut ciuili: nullo autem istorum: ergo. Primùm quo de iure diuino positiuo vt à naturali distinguit arguamus. Sauli quidem, Dauidiq;, & eius prosapiæ sacra referunt oracula cõcessa fuisse regna: quippe quos Deus ipse ore suo instituit: præterea nemini. Ius autem naturæ nudè consideratum nullum mortalium cæteris dominio prætulit. Omnes enim nascuntur liberi, vt iam monstratum est. ¶ Confirmatur autẽ hæc veritas. Si vagi homines dispersiq; viuerent, nullus esset cæterorum dominus: dum ergo in vrbes & opida sese receperũt, nullus iure naturæ erat reliquis superior legali domino, quo reliquos posset legibus cogere: sed tantũ naturali, quo ingenio præstantes rudibus dominãtur: qui (vt dictũ est) vi non vigent coerciua: ergo si aliquis est dominus orbis, is creatus est authoritate & concessu reipublicæ: quo pacto dictum est diuinitùs esse ordinatam potestatem ciuilem.

Quod autem hoc modo non fuerit creatus, probatur. ¶ Ad hoc quod aliqua respublica Regem sibi vel Imperatorem instituat, in quem suam trãsferat potestatem, requiritur publicus eius cõuentus vt saltem maior pars in talem consentiat electionẽ. Vniuersus autem terrarum ambitus nunquàm talem fecit conuentum, nec verò pars decima, si mentis oculis Antipodas, cunctasq; nationes ingyrum lustraueris: ergo nunquã vnus extitit dominus orbis. Neq; Romanorum Cæsarum nomẽ & fama vsq; ad Antipodas & Insulares à nobis repertos vnquam penetrauit. ¶ Secundò arguitur: dato, vniuersas mundi nationes vel in vnum locum conuenire possent, vel per literas conueniri vt vnum eligerent Monarcham: id tamen minimè iure naturæ expediebat. Arist. nanq; Polit. 7. cap. 4. docuit rempublicam non esse meliorem eo quod maior: sed tantã debere sub vno principe agere quantam ipse per se vel per suos posset commodè administrare. Veluti nauis neque iusto minor nauigationi apta est, nec si duorum esset stadiorum posset commodè gubernari. Et Augu. lib. 4. de Ciuita. Dei. cap 15. Iniquitas, inquit, ampliora fecit regna. Et perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur fœlicitas, bonis necessitas: nempè q̃ hostium iniquitas cogit: vt bello suppriman tur, nostroq; adhibeantur Imperio. Hæc ferme ille. Est enim Rex anima regni: vnde sicut authore. 2. de Anima, eodẽ Philosopho, non potest quæuis anima quantumcunque animare viuificareque corpus: sed quorum cunque natura cõstantium præfinita est methodus & mẽsura: quia neque formica ad hominis proceritatem augeri potest, neque homo ad illam quæ est elephantis: sic neq; princeps calore suo totam potest rempublicam nationibus ac regionibus vastissime dispersam fouere, vt valeat, quæ quaque prouincia fiunt, nosse, emendare, corrigereq; ac disponere: vnus nanq; non potest vndecunq; orbis nuntios breui tempore suscipere: neque quocũque gentiũ prętores suos ministrosq; alios dimittere, & quæ vbiq; fiunt castigare: imò neque eius metus ad tam vasta locorum spatia potest pertingere. Igitur cùm potestas sit propter vsum, si vsus amplissimæ huiꝰ potestatis non est possibilis, fit vt vana fuerit talis institutio: Deus autem & natura nihil faciunt frustra. ¶ Sed sit qui contra hoc insurgat. Christus prouidẽtissime instituit vniuersalem vicarium mundo, vt in primo argumento dicebamus: cur ergò non potuit per vnum idem mũdus in temporalibus gubernari, sicuti in spiritualibus? Respõdetur multo esse rationẽ disparem. Nam Christus fuit vniuersalis Redemptor, ac subinde Rex vnicus Regni cœlorũ toto orbe diffusi: qui sua infinita virtute cuncta disponit. Et ideo potest per vnum vicarium totũ regere orbem.

Eo vel maxime quod sub illo vicario instituit ordinarios Patriarchas, Archiepiscopos, aliosq; Antistites, ac sacerdotes qui affla tu Spiritus sancti spiritualia administrarent: de quibus rebus non est necesse tam crebrò in vnum vniuersale Concilium omnes coire, sed satis est eius sanctiones quocunq; dimitti. Reges autem quia à suis regnis potestatem recipiunt, non est cur ab vno omnes dependeat in toto orbe. ¶ Tertiò arguitur. Si vnus est orbis

Princeps in eos tantũ re Ele imperat quos cõmodè administrare potest

Notãda differentia inter prĩcipatũ Ecclesiæ & Ciuilem

est orbis vniuersalis in temporalibus monarcha, vel hoc introductum fuit iure naturę ante Christianismum, vel iure Euangelico: nam primum, quia ante natum Christum viguerunt tres illæ monarchiæ, scilicet, Chaldæorum, Persarum, & grecorum: quibus, seculo propemodū Christi succesit quarta Romanorum: has quippe in illa statua inspexerat Daniel. vt legitur cap. 2. suę prophetię. Nulla autem illarum fuit totius orbis domina, sed nationum quæ certis erant limitibus circūseptę. Christus autem in euangelio de ciuilibus monarchis nihil disposuit, aut mutauit: quare neq; Papæ hoc commisit, nisi ratione prædicta in quantum spiritualium finis id exigeret. ¶Quartum ego mihi sumo validū argumen. ex capit. per venerabilem. qui filij sunt legit. Vbi Innocentius Tertius fatetur, Regem, superiorē in temporalibus minimè recognoscere. q licèt glos. id de facto intelligat, non autem de iure, profectò nō probat: quia caput quod citat, In apibus id non cōcludit: vt cōfestim patebit. Et quanuis interpretes verbum peculiariter intelligant de Rege Franciæ, textus tamen hunc non patitur limitem: nam absolutè de rege loquitur quatenus rex est. Haud quidem negauerim Imperatorem Christianis regibus esse superiorem. Est enim fidei protector ac propugnator, per Pontificem ad hoc coronatus: & ideo in causis fidei, scilicet tam ad inimicos crucis arcendos & abigendos, quam ad restinguenda schismata, potest Christianos Reges conuocare. Quod autem in ordinarijs causis ad illum fiat prouocatio, non est in vsu nisi in ciuitatibus: nationibusq; ac prouincijs imperialibus: ¶Existit autem argumentum quod cæteris vrgentius censetur contra hanc (quam arbitror) veritatem: idq; sumitur ex Augustin. libr. 5. de Ciuitate Dei, cap. 12. & 15. Vnde multi existimant elici de iure diuino Imperatorem esse mundi dominum. Ait enim quòd cùm diu fuissent regna Orientis illustria, voluit Deus & Occidentale fieri, quod tempore esset posterius: sed Imperij latitudine & magnitudine illustrius idque Romanis contulit, qui pro suo modo boni erant. Deus ergò illis dedit Imperium (vt etiam Opusc. u. de regimin. princip. libro 3. ait Sanct. Thom. (ob suas scilicet morales virtutes, quanquàm illis non promeruissent fœlicitatem æternam. Potissimùm propter amorem patriæ, zelumque iustitiæ: ac ciuilem beneuolentiam, Accedit autem, veluti huius sententiæ robur, quòd neque Sylvest. Christianissimo Constantino, neque Theodosio Ambrosius scrupulum iniecerit vllum, vt imperium abdicassent. ¶Ad hoc autem non vno respondetur modo. In primis sæpe adnotaui quam fuerit August. hoc loco sinistrè vulgo intellectus: haud enim asserere cogitauit quòd Deus quasi præmium suarum virtutum Imperium Romanis adiudicauerit. Ex professo nanque ambobus capitulis citatis monstrare contendit, quicquid illi faciebant, intuitu mundanæ gloriæ, suique nominis ampliandi gessisse: quare aut neminem aut vnum aut alterum censet fuisse verè studiosum: pro eo quòd appetitus ille peccatum erat, saltem veniale. Quapropter licet Catonis, inquit, virtus propinquior esset veræ virtuti quàm virtus Cæsaris: neutra tamen fuit propriè virtus: ob peccatum autem Deus nullum repensat præmium. Sed ait Deum illud iusto iudicio permisisse, eo modo quo ait Christus eos qui iustitiam suam faciunt coram hominibus, recepisse mercedem suam: nempè ab hominibus ipso permittente ac res naturali cursu disponente. Vnde post verba citata in calce capit. 12. ait: Quia pro vno isto vitio, id est amore laudis, pecuniæ cupiditatem & alia multa vitia comprimebant, concesit illis Deus illud Imperium: si ergò pro vitio, non aliter intelligitur concessisse quàm permittendo. Denique ad idem propositum capit. 15. sic concludit. Non est quòd de summi & veri Dei iustitia conquerantur: quia perceperunt mercedem suam. Ad Euangelium nimirum alludens: de his qui ob vanam gloriam operantur. Haud ergò eos Deus fecit dominos, vt Saūlem aut Dauīdem reges: sed vel iure belli, vel per suam tyrannidem id permittente. ¶Præterea quanuis praue super hoc intelligeretur Augustinus ac si vellet Deum tanquàm legitimarum virtutum mercedem contulisse Romanis Imperium, non de alio loquebatur Imperio quàm de illo quod anteà fuerat Orientale, in Chaldæis scilicet, & Persis, & Græcis: illud autem nunquàm fuit vniuersale totius orbis, sed regionum quarundam. Et ideo subdit Romanorū Imperium fuisse extensius: nō tamen totius globi. Scio Bart. tracta. illo citato suprà. extrà Ad reprimendum. contrariam tenere sententiam, scilicet, regem Nabuchodonosor, regem fuisse vniuersalem orbis: citans illud Danie. 2. Tu-

Nemo superior regem in tęporalibus

Quomō Imperator sit Christianis regibus superior.

Vndeelicitā quidam Imperatorē esse mūdi dominum iure diuino.

Romanorū dotes.

rex regum es. Deus cœli regnum,& fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi. Illud autem hoc tãtùm significat quòd erat regum tunc cognitorum maximus, vti ait Nicolaus. Haud tamen quòd dominium, & Imperium in totum haberet mundũ. ¶Profectò si fundamentum Imperij Christiani firmius non esset q̃ quod Orientales subindeq; Romani vsurpãrunt in orbe, exilius esset & infirmius, quàm vt tutas reddere posset Imperatorum cõscientias. Ambigere nanq; nemo potest quin ius potissimum habuerint in armis, atq; adeò potentatu potius q̃ iure perterritas gẽtes suppeditauerunt. Nam etsi aliquæ nationes legantur ob fœdera rupta, bello ab ipsis lacessitæ: fuerant tamen fœdera illa extorta, quæ frangere nefas non erat. Quid enim iuris habebant in remotissimas gentes? & vt alias mittamus, in terram Israel? quam Deus illis promiserat & concesserat,& quibus lege prohibuerat (vt legitur Deu.17.) nè regem facerent alienigenã. Neq; verò Christi verbum, Quod est Cæsaris, date Cæsari: in contrarium vllo aculeo pugnat: illic enim non approbauit Cæsaris dominatũ sed eximere se volens ab illo iudicio, iust antùm naturæ retulit: Si quid Cæsari debetis, soluite: sed in primis Deo. quod illi debitum est. Sed hoc est quod multi non animaduertunt: nempè quòd cùm ob peccata forsan illarum nationum permisisset eas Deus sub iugum Romanorum venire, inferãt iure ipsos illas subegisse: cùm re vera nulla sit cõsequẽtiæ vis. Tradidit enim Deus sæpè Israeliticũ populũ in man° Philistinorũ & Chaldæorũ: & tamen error esset apertissimus affirmare ius factum fuisse illis debellandi illum populum, & in captiuitatem redigendi, Adhęc Iulius Cæsar priuata authoritate rempublicam peruasit, ac subinde per iniuriã eius obtinuit dominatũ, de quo supplicium capitis pertulit. ¶ Ius ergò ligitimũ Christiani Imperij, hoc est quod vel in Augustũ, vt fertur, vel in Christianos post successores, vt in Constantinum respublica consensit: cuius cõcessu legitimus est Christianorum Imperator. Hic ergò priùs à Grẽcis eligebatur: posteà verò anno Domini septingentesimo sexto põtificia autoritate translata est electio ad Germanos: vt ad perpetuam memoriam scriptũ est, cap. venerabilem. de electio. Igitur vt rem summatim concludamus, iure optimo est vnus Christianorũ Imperator, fœlicissimus & inuictissimus. Quod tamen totius sit orbis dominus, neque ratio neq; ius patrocinatur: nam pars quæ consensit perexigua erat respectu totius orbis. Quare iure reclamante naturæ nõ potuit illa antipodibus reliquisq; regionibus Imperatorem præficere. Papa verò, quia vt arti. proxi. dicebamus, authoritate Christi non est rex in temporalibus, nisi quatenus ad finem spiritualem sunt necessaria, nusquàm legitur tale Imperium ampliasse.

Ius imperatorum antiquorum potissimum in armis fuit.

Christus nõ probauit dominatum in Iudæos.

Iuli⁹ Cæsar per iniuriã dñatus est.

Ius Christiani Imperii.

Imperatoris electioâ Grecis in Germanos trãsfertur.

A Dargumenta in contrarium, vt doctoribus respondere incipiamus, re vera Bal. (si quæ dicta sunt respexeris) nequicquàm conatus est cõtrariam sententiam in iure naturæ fundare: neq; verò mirum hoc est, cùm ad iuris prudentes non attineat ius naturæ perpendere. Sed multò (vt cum bona venia dixerim (absurdiùs Bar. ad ius Euangelicum supra suam facultatem gressum fecit: vbi hæ res in censuit, negare: propter verbum Lucæ, Imperatorem esse dominum orbis. Euangelista n anque hanc tantùm historiam nudè retulit quòd exierit edictum à cęsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis: nullatenùs tamen affirmat edictum illud legitimo iure prodijsse. Perinde est ac si inferas: Regius Psaltes affirmauit, Dixit insipiẽs in corde suo, non est Deus: ergò affirmauit, nõ esse Deum. Quin imò si mysterium mediteris, apertiùs videtur Euangelista edictum illud condemnasse. Apparet nanq; spumosam illam Augusti insolentiam in hoc retulisse, vt admoneret, non ipsum (vt se iactabat) sed illum qui nascebatur, esse orbis Dominum: quippe quem, & legibus vniuersum obligauit, & in iudicium est demum cõuocaturus. Præterea neque illic nomine vniuersi orbis intelligitur totus globus. Haud enim tam fuisset Augustus mentis inops, vt iuberet describi Antipodes atque alias, tot miliaribus à se distantes, sibiq; inauditas nationes: sed vocabant vniuersum orbem vniuersam ditionem suã quæ latissimè patebat. Quo idiomate & nos Insulas & continentem vastissimis spatiis iacentẽ, Nouum orbem, Nouumq; mundũ appellamus. Sic enim frequẽti erat Latinis in vsu appellitare orbẽ, orbis portionẽ: Vt Lucanus in.3. Ignotũ vobis, Arabes, venistis in orbẽ. Peius autẽ in supradicta Extraua. idẽ Bar. ad reprimẽdũ, impingit in Paulũ. Ait enim Apostolus Ro.13. nihil aliud q̃, Oĩs aĩa potestatibus sublimiorib⁹ subdita sit. Refert verò ipse eos q Romano Imperio

Ad argumenta.

non

non obtemperant,diuina præcepta demoliri:vt pote quibus iubetur.Omnis anima Romanorum principi sit subiecta.Paulus enim non loquebatur de Romano principe,sed in genere de omnibus potestatibus, vt suis singuli præfectis obtemperarent:adiectio ergò illa, præuaricatio fuit sacræ scripturæ. ¶Ad illud autem in fronte quæstionis citatũ,cap. solitæ.iam satis responsum est,Vbi explicuimus quomodò potestas spiritualis,ac ciuilis duo sunt luminaria : Sol tamen totius orbis immediatè à Christo oriens diuino iure positiuo.Luna verò ab eodem Deo mediãte iure naturæ per rempublicam dimãnans:quæ tamen nõ potuit vnũ eligere totius orbis , sed Christianissimi.Illud autẽ Hieronymi.can. in apibus.hoc tantum docet q̃ sit vnus Imperator vnius reipublicæ, Haud tamen affirmat vniuersum orbem sub vno imperatore degere in tẽporalibus: sed quòd in toto Christianissimo est vnus.ad quem etiam Imperia Turcarum &Sarracenorum regna,quę Christiani iuris fuerint,attinẽt. Quia neq; inter apes vnicus est dux omniũ quæ sunt in orbe: sed cuiuslibet aluearis vnus. Quòd autem ex.l. cùm multa.citatur Imperialem fortunam cęteris antecellere,idfatemur ingenuè:quia est omnium præstantissima : haud tamen inde fit cũctis totius orbis vnicum dominari. Est enim regalis dignitas excellentior Ducatibus,ac Marchionatibus omnibus:nõ tamẽ Rex vnicus cunctis prę̃est ducibus orbis,sed illis qui in regno suo vitam viuũt. Verbum autẽ Antonini in.l. deprecatio.negari nõ potest arrogãtiam redolere: quis enim citra talem notam dicere potuit. Ego mundi dominus? vni nãq; Deo est illud propriũ. Et ideo illius assertio nullam facit fidem.Modestiùs na nq; longè ait incontrariũ citatus Iustinianus : Cunctos populos quos clementiæ nostrę regit Imperium:qui quicquid glossema tum cõminiscantur interpretes, syncerus tamen sensus est q̃ voluerit suũ Imperium nõ solùm de iure,sed de facto limitibus circunscribere.Et.l.In noïeDomini.C.de offi.pręf. prę̃t.Afri.terminos quoq;nominat regionũ suarũ.Et inst.qui. mo.ius patr. potes.solu.§. si ab hostibus.ponitur limen imperij , vnde deriuatur nomen postliminium.&.l.Mercatores.C.de commer. distinguit inter suos & regis Persarum subiectos.Et Clem.Pastoralis.de sententia & re iud. videtur Papa præscribere terminos Imperij. Illi ergò qui respondent quosdã aut præscriptione aut priuilegio esse exemptos, deberent priùs fũdare vniuersale eius dominium in totũ orbem vt inde inferrent quotquot modò extra Imperium agũt,particulari iure esse exẽptos. Super alia verò lege citata in Extraua.Ad reprimendum.multa Bart.comminiscitur:Imperatorem affirmans esse vniuersalẽ Orbis dominum:atq; hoc per Pontificis summi institutionem: quod profectò neq; vnq̃ vllus Cæsarum admisit neq; docet ratio:nam , vt suprà dictum est,p electionem ciuilis reipublicæ descẽdit ciuilis potestas.Sed eodẽ modo intelligendus est hic totus orbis,quo suprà dictum est:scilicet amplitudo portionis illius mundi tunc notæ,quę Romano Imperio parebat. Vel fortè vult dicere Cæsar q̃ per regularitatem Imperij Romani non solùm eius subditi in tranquilitate erãt:verùm & extranei reges metu eius deterriti cõquiescebant. Haud enim oculatè inspexit Bart. quemadmodùm ciuilis potestas per ius naturæ,perq; ideo reipublicæ constitutionem à Deo descenderit,atq; adeò neq; ante aduẽtum Christi vnum fuisse totius orbis monarcham: neque verò eundem Seruatorem nostrum ius gentium hac parte demutasse.De poscere hic series videbatur, vt de singulari dominio quod Catholici Reges erga infideles illos occidẽtales à quinquaginta hinc annis inuentos habent,quæstio adhiberetur: fuisset tamẽ nimis longa:quã ideo in libello de Ratione promulgandi Euangeliũ, quem paratũ habemus.disputãdam reposuimus.

QVAESTIO QVINTA, De traslatione dominiorum.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm sua quisq; voluntate,naturali iure valeat rei suæ dominium in alterum transferre.

QVAESTIO hæc demum postrema de dominiorum transl atiõe, ad materiam iam restitutionis proxime appropinquat.Obligationanq; restituendi ex ratione & modo quo translatum fuerit dominium

nium dependet. Quęritur ergò primò vtrùm
sua quisq; voluntate naturali iure rei suę do
minium valeat in alterum transferre. Et ar-
Primum argumentum. guitur à parte negatiua primò. Si pro sua
quisq; voluntate transmittere posset domi-
nium, sequeretur actu quoq; solo mentis in-
terno id posse: quia mentalis conceptus vera
loquutio est, cuius voces secundùm Aristo. 1
Periher. sunt signa: qua vtiq; ratione votum
Deo mente factum validum est: si ergò voce
quisq; donare potest, fit vt & mente possit:
consequens tamen videtur falsum: nam ma
trimonialis cõsensus per quem vterque con-
iugum alteri se tradit, nisi voce extrà aut nu-
tibus explicetur, minimè solidus est. ¶Se-
Argum. 2. cundò. Si id vnicuilibet ius naturale indulge
ret, vt suæ esset arbiter voluntatis in rerum
suarum dominiis transferendis, sequeretur
eiusmodi voluntatem neutiquàm ciuili lege
posse cohiberi: nam humanæ leges, vt libr. 1.
& 3. monstratum est, nullum obtinent con-
tra ius naturæ vigorem: consequens autem
creberrimus vnicuiusq; bene instituteę reipu
blicæ ostendit esse falsum. Prohibentur nãq;
minores ætate vigintiquinq; annorum sua
alienare bona: vt patet. ff. eodem titulo. l. 1.
Item legibus quorundam regnorum partic-
larib⁹ sic sunt maiorat⁹ tũ iura instituta, vt
eorum possessores nequeant vinculata bona
dispendere. Item neq; ecclesiæ bona alienare
pro libito potest aut Prælatus, aut Capitulũ,
nisi certis de causis, certisq; præscriptis mo-
dis, vt patet ex decreto Leonis. 12. q. 2. can. si-
ne exceptione. & toto titulo de reb. Eccles.
Argum. 3. non alien. ¶Tertio: Si vnusquilibet posset
suo arbitrio rem suam alienare, sequeretur
eundem perinde posse pretij mercedisq; do-
minium pro re turpi in alterum traducere.
Consequens tamen est falsum. Nam qui cor
rumpendo iudici aut assassino vt hominem
occidat, aut per vsuram, aut per Symonias
quicquam confert: etiam si vltro id faciat, do
minium non transfert: vt iura sanctè decer-
nunt: ergo ius naturæ non est vt quisq; pos-
sit libere sua donare. Neque verò desunt qui
idem de meretrice sentiant quæ merito sui
corporis nullius potest mercedis dominium
Argum. 4. recipere. ¶Quartò arguitur: Iura nonnul-
la particularia in Hispania atq; in aliis qui-
buspiam regnis animum cohibent parentũ
ac præcipue sacerdotum nè spuriis suis filijs
quicquam suorum bonorum impertiantur:
& tamen si ius naturale libertati cuiuscun
que concederet suam distrahere substantiã,
leges illæ nulla se æquitate protegerent: er-
gò libera alienatio non est iuris naturæ.
¶In contrarium est iuris authoritas, Institu.
de rerum diuis. §. Per traditionem. & .ff. de
acquirẽ. rerum domi. l. qua ratione. §. literæ.
qua habetur, nihil esse tam conueniens na-
turali æquitati, quàm voluntatem domini vo-
lentis rem suam in alium transferre, ratam
haberi.

QVæstio, vt dicebamus, per quàm neces-
saria est cognitu ad materiam, nõ mo-
dò restitutionis, verùm & totius iustitię com
mutatiuæ. Ad cuius ihitur intellectum pri-
mùm omnium nosse operæpretium est, duo
bus tantùm modis posse transferri domi-
nium: nempè aut domini voluntate, aut le-
ge. Dico duobus tantùm, nam loquor, non
de acquisitione quacunq; dominiorum, sed
peculiariter de trãslatione. Dominium nan-
que non solùm per translationem ab vno in
alterum transit, sed iure quoq; gentium per
diuisionem atque per inuentionem, vt ti-
tulis modò citatis. ff. & institu. patet. Enim-
uerò res quæ primo occupanti cõceduntur
non acquiruntur per translationẽ. Quapro-
pter nullam hic mentionẽ facturi sumus de
rebus inuentis, in cuius veniant dominium:
sed vsq; ad quintũ librum, sub titulo de fur-
to, id nobis est differendum. Translatio ergò
dominij est transmissio rei ab eo qui priùs le
gitimè possidebat in alterũ: qui perinde inci
pit esse dominus. Hæc ergò nõ fit nisi aut vo
lũtate legitimi domini, aut lege in ipsum po
testatem habentis. ¶Secundo notandum q⁹
lex non solùm diuina, verùm & humana du
plicem vim habet in translationem dominio
rum. Potest enim translationẽ impedire tam
cohibendo domini voluntatẽ, nè det, quàm
adimendo alteri facultatem, nè recipiat, Et se
cundo potest trãslationem facere inuito do
mino, tam in pœnã criminis, quàm in subsi-
dium tuendæ reipublicæ. De his itaq; tribus
membris dicendum est quæstione præsenti:
videlicet de voluntaria translatione, deq; le-
gali impedimento, ac de trãslatione itidẽ le-
gali. ¶His ergò præhabitis, duabus cõclusio
nibus ad quæstionem respondetur. Prior.
Vnusquisque mortalium ius habet natura-
le donandi & quomodocunq; alienandi res
quarum verè ac legitimè dominus est. Con-
clusio hęc ex superioribus elicitur. Diximus
nanque fundamentum dominij rerum na-
turale ac diuinum esse humanam rationem
ac liber-

Domini voluntate, aut lege trãsfertur dominium: aliùs verò titulo acquiritur de nouo.

definitio trãslationis dominii.

primacõclusio.

ac libertatem. Enimuerò quia Deus hominem ad suî imaginem condidit, hoc est rationalem ac liberum, per quam rationem & voluntatem dominium habet suarum actionum: inde factus est rerum dominus: secundùm illud Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris. &c. Qua vtique de causa soli homini demonstrauimus inter sublunares creaturas competere vt sit rei alicuius dominus. Si ergò per voluntatem constituitur dominus, per eandem potest dominium ab se quodcunque abdicare. ¶ Secundò id probatur. Res vniuersæ propter hominem cõditæ sunt, atq; adeò illis quas ipse possidet ad libitum potest vti. Quin verò, vt in definitione dominij suprà posita videre est, nihil aliud est dominium rei quàm facultas & ius eâdem vti, quocunque vsu lege permisso: puta donandi, vendendi, consumendi, & quomodocunque alienandi, Res est clarissima: Quin verò non modò res quisque suas, verùm & seipsum potest vendere, vt supra assertum est. Nam etsi nemo sit vsq; adeò suî dominus, vt vita se valeat iure priuare: est tamen eius custos, vt quò vitam seruet, seipsum vendere queat. ¶ Posterior conclusio. Eodem naturali iure nihil obstãte, lex potest tum voluntatem domini cohibere, tum etiam ipso inuito suorum dominio priuare, Conclusio hæc nihilo obscuriùs quàm superior ex naturæ principijs colligitur. Est enim homo naturaliter animal ciuile: coalescere autem in vnum mortaliũ vita non potest, nisi à publica aurhoritate in pace contineantur: quæ quidem authoritas tum custos est rei publicæ, tum & iustitię iudex, Adlegitimam verò custodiam primum necessarium est, vt ciuibus prospiciat, nè antequam eorum libertas pleno iudicio rationis ducatur, sua bona dilapident. Quam ob rem prohibentur pupilli de bonis suis disponere: sic vt eorum alienatio irrita sit & nulla. Secundò & necessarium est sumptus eidem reipublicæ necessarios à ciuibus colligere. Nam iure naturæ, partes sunt propter totũ. Ac demum tãquàm iudex custosq; iusti ad eum spectat maleficia vlcisci, Quare sicuti vita, ita & bonis potest quemlibet ciuiũ expoliare. Vide ergo duas conclusiones quæ primo aspectu secum pugnare videntur, quâm sint eodem naturali iure parente progenitę Est inquam ius naturale, vt quisq; sua voluntate possit de suis bonis disponere, Sed tamẽ quando voluntas possit ratione duce nõ errare. Quocircà ead. l. 1. de minoribus. Prætor inquit naturalem æquitatem secutus. &c. cauit, nè pueri quorum consilium infirmum est, multorumque insidijs expositum, suam dispensarent substantiam. Quare etsi. l. 1. de pact. idem Vlpian. æquitatem quoq; naturalem appellasset, vt pactorum fides seruaretur: subdens, Quid enim tam congruum fidei humanæ quàm ea seruare quæ inter homines placuerunt: non est tamen veritus & æquitatem quoq; appellare naturalẽ: vt qui in tenera ætate de rebus suis paciscuntur, fidei suæ stare non obligentur.

Secunda cõclusio.

Quare respublica ciues in rectis vsibus contineat.

AT verò quanuis cõclusio vtraq; liquidò constet: argumenta tamen in contrariũ ambiguitate non carent. Et quidem primò dubium est quo fortè quispiam moueatur, vtrùm per actum interiorem possit trãsferri dominium: hoc autem lib. 8. sub titulo De voto, vbi Di. Thomas ait promissionem nõ fieri inter homines nisi per actus exteriores emunctius examinabitur. Iterim autem per hæc dicta ad argumentum respondetur. Primùm translatio est duplex, Alia scilicet quę per trãsactionem fit & contractum, nempè quo, vt ait Iurisconsultus. l. Labeo. 2. ff. de verbo. signi. vltrò citroq; nascitur obligatio. Et de hac nemini dubiũ quî absq; extera significatione fieri non possit: quandoquidem illic non est simplex datio, sed hypothetica: mutua scilicet, do vt des: vt patet in emptione & venditione, & simílibus. Ac præcipuè in contractu matrimoniali, cuius ideo consensus nullus est nisi extrinsecùs explicetur. Alia verò est simplex translatio, qualis est donatio quæ nullam ab altera parte obligationem expostulat. Et de hac est dubium. Etenim si ego firmato cõsensu mente do aut polliceor rem aliquam, postquam illa est vera assertio videtur hominem ligare. Quare nullum est quorundam argumẽtum (inter quos est Almayn in. 4. distinct. 15. quæsti. 2.) qui ex hoc quòd coniugalis consensus expressionem externam requirit, inferunt nullum posse dominium per mentalem donationem in alterum traduci. ¶ Sed arguis: Dare, correlatiuum huius est, quod est accipere: ergò vsquequò alter accipiat, nulla fit trãslatio. Respondetur, argumentationem hãc verisimè concludere: hoc tamen est de quo controuertimur, vtrùm qui mente apud se dixit, Do tali inopi puellæ hanc dotalẽ elee

Dubium.

Ad primũ argumẽtũ.

mos; nam, aut tali hospitali tantam pecuniã: teneatur postea illis quibus interest mentem patefacere suam: quam si acceperint, obligetur implere. Nam si votum fieret Deo, nõ est dubium quin teneret: vnde aliquãta cum probabilitate infertur vt teneatur etiam patefacere hominibus, qui illis pollicitus est. Teneatur inquam lege naturæ in conscientia. De iure nanq; ciuili palàm est neminem cogi posse per actum interiorẽ quoadusq; foris explicitus sit. Tametsi perquàm probabile quoq; sit vt talis mentalis donatio anteà quàm alteri innotescat, possit mutari fortè pro libito. Id quod loco citato, li. 8. pluribus rationibus vtrinq; disputauimus. ¶ Ad secũdum secunda cõclusione responsum est: vbi reddita est naturalis ratio cur expedierit nè in ætate pupillari committeretur puero suorũ dispensatio. Sed neq; de primogenituris ratio deest naturalis, cur fuerint illo vinculo colligatæ nè dispendi possent. Nam etsi ex vna parte argumentum sit haud infirmum iuri naturæ repugnare, propterea q; omnes liberi eorundem parentũ æqua sorte nascũtur, ac perinde æquo iure nutriri debent atq; educari: propter quam rationem multæ respublicæ iura primogenituræ non sic augẽt: vt in totam substantiam paternam primogeniti succedant: tamen ex alia parte id non solùm in decorem reipublicæ: verùm & in eius emolumentum & firmamentum cedit. Haud ergò arbitrentur magnates ipsorum causa maioratus esse institutos: scilicet vt eorũ prosapiæ perpetuò durarẽt, sed in bonũ reipublicę. Expedit nanq; vt eius commune corpus ossa habeat & neruos quibus fulciatur. Obidq; decretum est vt tanquàm reipublicæ robora aliquæ persisterẽt illustres domus, tùm vt à consilijs essent, tùm etiam vt tempore belli eius essent sustentacula. Et quoniam, vt ait Lyricus,

Et genus & virtus, nisi cũ re vilior alga est:

visum meritò est regibus, domorum perpetuitati sic consulere, vt domus in primogenitum descenderet: reliquæ verò proles suis essent alimentis contentæ. Similis nanque est agricolarum prudentia qui arbori & viti minores ramunculos circunquâq; amputant, vt præcipuũ germen in truncum excrescat. Fit ergò vt tam primogeniti, quàm illi qui legitimam non sunt ætatem ingressi, sic iure & meritò cohibeantur bona sua abalienare vt alienatio irrita nullaq; sit: vt pote per quã nullum transfertur dominium. ¶ De Ecclesiasticis autem bonis aliæ sunt non inferiores rationes: nam cùm Ecclesiasticum seruitium, non minùs necessarium quàm religio sum, sine bonis quæ hominum pietas huic muneri mancipauit perdurare nequeat: & ex vna parte Capitulum & Prælatus non tantam illorum curam gerant, quàm si essent propria: sed ex altera sæcularis auiditas quocunque se inferat, consultissimum fuit arctissimè cauere, nè eiusmodi facultates Ecclesiasticæ, nisi iustissimis causis, consultissimisque formis alienarentur. ¶ Ad tertium paulò differentius respondetur: Princeps enim sicuti quia reipublicæ custos est cogere potest ciues vt vbi opus fuerit contribuant: sic quia iustitiæ iudex, potest & propter crimina tum dominos bonis suis priuare, tum alios, ne recipiant, inhabiles efficere. Atque hac ratione & qui vel corrumpendo iudici vel assassino pecuniam offert, eãdem mulctatur: & quibus offertur, inhabiles meritissimò fiunt, nè eius dominium acquirant. De qua re quæstione septima explicatior habebitur sermo. Et idem censendum de Symoniacis, nisi quòd ratio restituendi paulò est differentior, vt in calce sexti libri disputabitur. De lucro autem meretricio, quæstione eãdem. 7. idq; diuersa ratione dicendum nobis restat. ¶ Quartum autem argumentum præcipuam mihi ambiguitatem offert, saltem de filiis sacerdotum. Sunt enim spuriorum atque eorum qui non ex legitimo matrimonio nascuntur quatuor genera: quæ notantur capitul. Nisi cùm pridem. de renuntiatione, sunt inquam manzeres, qui ex ignoto scorto, puta ex vaga meretrice, quæ omnibus exposita est, nascuntur. Spurij autem qui ex peculiari concubina sustolluntur. Et isti dicuntur naturales: quanuis si Etymologiam græcam sequamur, spurius idem est quod sine certo patre natus: atque adeò melius conueniret illis qui vago concubitu generantur. Nothus verò, vt Quintilian. libro. 3. inquit, est ille qui ex vxore non legitima natus est, nempè ex adulterio. Nam quia Latinum nomen non habemus: peregrino vtimur. Græci nanque quicquid illegitimum est, id est legem non seruat, nothum appellant: vt febrem notham dicunt illam quæ legitimam periodum & terminum non seruat. In præsentiarum autem manzeres & spurij eodem gradu æstimantur, quantum ad successionem hæreditatis, Enimuerò eiusmodi spurij

Ad secũdũ argumentũ

De primogenituris.

Institutionis maioratuum ratio.

Horatius. 2. Serm. Sati. 5

De bonis ec clesiasticis non alienandis.

Ad tertium argumentũ

Ad quartũ argumentũ

Spuriorum quatuor genera.

ſpurij non ſuccedũt in hereditatẽ neq; patris neq; matris, ſi filios habeãt legitimos. Nam teſtator nõ videtur alienas ſucceſsiones proprijs anteponere. l. cùm acutiſsimi. ff. de fide cõmiſ. vnde. l. 9. Taurioriginẽ duxit: quę ſpurios ab hæreditate repellit. Poteſt tamẽ illos mater ex quinta parte aſsis hęredes inſtituere. Si autem mater legitima careat prole, ſuccedunt illi ab inteſtato: nõ tamen patri, quia nõ eſt certus. Si verò ſint ex damnato cõcubitu nati ex parte matris, puta ex inceſtu, aut ſtupro, & potiſsimum ex adulterio, non ſuccedunt neq; ex teſtamẽto neq; ab inteſtato, Non tamen prohibetur quin tam mater q̃ pater poſsit illis quintam etiã partem legare. Hæc autem extra vllam ſunt cõtrouerſiã. ¶ Quod autẽ in litẽ huc vocamus eſt, vtrùm pater vel mater extra teſtamentũ poſsit illis aliquid in conſcientia relinquere cõtra legis prohibitionem: vel amici fidei cõmittere qui illis poſteà tradat, Et de vtroq; reſpondendũ eſt, ſcilicet an ſit peccatũ mortale, tam patri q̃ amico, quã etiam filio recipienti. Et vtrùm eiuſmodi bona ſint reſtituẽda: & cui. In eiuſmodi ergo caſibus diſcernendũ eſt naturale ius à ciuili. Si enim ad merum ius naturale ſpectemus, dubium nõ eſt, quin pater poſsit ſua bona notho filio, ſicuti cuicunq; donare citra culpã: & alter etiam poteſt illa abſq; culpa poſsidere: niſi forſan alios haberet liberos quos illa cauſa in pauperiem adigeret: quod ad præſens negotiũ nihil attinet. Sed dubiũ eſt vtrùm lex ciuilis ſic fecerit inhabiles eiuſmodi nothos ad fruendũ paternis bonis, vt nullatenùs poſsint dominium acquirere: vel vtrùm ſolùm per modũ pœnæ eiuſmodi bonis illos priuet. Permultùm enim refert: nam ſi inhabiles fiunt quemadmodùm pupilli ad dandum, & ſimoniacus ad ſuſcipiendũ: nulla ſpectata ſententia tenentur illa reſtituere. Si verò lex tantùm eſt pœnalis, tunc, vt lib. 1. latiſsimè diſputauimus, ante latam in iudicio ſententiã poteſt ea filius cũ bona cõſcientia poſsidere. ¶ Et nè lõgiùs diſputationẽ protrahamus, arbitror ſub diſtinctione reſpondendum de filijs nothis ſæculariũ, & de filijs clericorum aut religioſorum. Enimuerò de iure cõmuni nihil expreſſum reperitur quo prohibeantur parentes extra teſtamentũ aliquid illis, aut viuentes donare, aut moriẽtes relinquere. Sed leges particulares regni ſunt quæ rem in dubium reuocant. In legibus autem regni nihil arctiùs contra filios nothos ſæcularium decretum inueniturq̃ quod lege 3. definitur, titu. 15. par. 4. Nempè q̃ non poſſunt hæreditario iure ſuccedere in bona paterna. Et. l. 1. fori, titulo de hæredit. ſucceſsi. itẽ prohibentur nè poſsint in hæreditatẽ ſuccedere: quod & lege. 9. Taur. citata cõfirmatur, De iſtis ergò aſſeruerim q̃ ſi pater aliquid fidei amici cõmittit quod det ſuo filio ex adulterio ſuſcepto, amicus ille tenetur ius naturale ſeruare, hoc eſt dare filio: & filius poteſt recipere perinde ac ſi eſſet extraneus. Itaq; oĩa ſua bona poteſt illi pater dare, ſi filius nõ habet legitimos: ſi autẽ legitimos habet, nõ poteſt illos exhæredare, niſi vſque ad quintam. Neq; arbitror vllũ interuenire peccatũ. Cùm autẽ fiſcus petierit, ſtandũ eſt iuri exteriori. Concluſionẽ hanc mihi eò perſuadeo q̃ lex illa, cùm ſit in odium filiorũ, non eſt vlteriùs dilatanda q̃ ſonat: nõ autẽ prohibet niſi eſſe hæredes: ergò pater extra teſtamentũ bona ſua donãs nõ facit cõtra rigorẽ legis: neq; verò in eius fraudẽ: quia lex pœnalis tantũ ad id obligat quod ſonat. ¶ Dubium autẽ intricatius reſtat de filijs clericorũ, hoc eſt ſacris initiatorũ, & de filijs religioſorũ. De his nãq; licet nõ in iure communi, tamen in iure particulari regni verba habentur multò ſignificantiora atq; ſtrictiora. Extat enim lex. 22. li. 1. titu. 3. & l. 2. titu. 3. lib. 5. regalium ordinamẽti. in hanc formam: Quo nulla offeratur occaſio vt vlla mulier clericorũ cõcubinatui addicatur: ſi clericorum filij in eorum bona hæreditario iure ſuccederent, conſtituimus & præcipimus vt eiuſmodi clericorum filij (& l. 9. Tauri extenditur perinde ad filios religioſorum) neq; habeant, neq; hæreditent neq; hæreditare poſsint bona ſuorum parentum, neq; aliorum cõſanguineorum. Et ſequitur, Neque ſuſcipiant. Hoc enim Hiſpanè ſonat vox, Ni ayan: neq; potiri poſsint quocunq; legato, aut donatione, aut alia collatiõe quæ illis fuerit facta. Quæ quidẽ verba nõ ſolùm eos excludũt nè hæredes eſſe poſsint, verùm etiam videntur eos facere inhabiles & incapaces ad vllo pacto poſsidenda paterna bona: niſi peculiari regis conceſsione, Et q̃ tam ſtrictã legem rex poſsit facere, non eſt ambigendũ: nam vt lib. 1. deciſum eſt, leges humanæ obligant in foro cõſcientiæ quando ſunt iuſtæ: eiuſmodi verò odium in clericorum ſobolem, æquum eſt. Quare profectò mihi eſt probabile, eandem legem nõ modò eſſe pœnalem, verùm impeditiuã tranſlationis dominij, ſicut ſi vel pupillus donaret, vel Simoniacus vel aſſaſsinus ſuſciperet. Nihilo minùs

Quid poſsit pater iure naturæ cum filiis nothis.

Quid lex eiusmodi de filiis nothis ſæcularium ſtatuat.



De filiis clericorum & religioſorũ.

nùs pater teneatur eum alere quãdiu viuit & educare: quia ius illud naturæ nõ est reuocabile. Potestq; adeò ei viuens donare vnde vitã sustentet. ¶ Ad casus ergò cõsuetissimos vt respõdeamus, nempè cùm sacerdos vel clericus in sacris bona sua amici fidei concredit vt det suo filio, primùm quantum ad culpã fortasse mortaliter peccat contra legem illo rigore obligantem. Secundò pro captu meo censuerim, illum fideicommissarium nullatenùs teneri eadem bona filio clerici adiudicare: etiam si pollicitus fuerit id facere. Nam fidem contra ius ciuile impignoratam, lex naturæ seruare non cogit. ¶ Quæritur ergo quantum ad restitutionem quid de illis bonis agendum sit: Respondetur, si meum iudicium vllius est momenti, q̃ si clericus amico det, nõ sub conditione vt reddat filio, sed absolutè: neq; alter sub illa conditione recipiat loco filij, sed tanquàm sua: etiam si clericus fiduciam certam conceperit quòd amicus esset traditurus filio, & aliàs non illi relinqueret, nihilo minùs ille amicus potest tutò in conscientia bona illa possidere tanquàm sua. Et ratio nostra est quòd etsi lex filium inhabilem fecerit ad suspiciendum illa quæ nondum possidebat: priuare tamẽ clericum suis bonis non potuit nisi in pœnam, quæ aute iudicis condemnationem, vt libro. 1. dictum est, non obligat: & ideo donatio facta amico tenet quoadusque per condemnationem priuetur. Imò nec per fiscum cõdemnari ille potest nisi probetur præsumptio quòd recepit vt redderet filio clerici. Quòd si tunc amicus tanquàm propria bona vult donare eidem filio clerici, etiam tenebit donatio. Si verò clericus dedit amico non absolutè, sed sub conditione vt daret filio: neq; ille suscepit nisi sub illa conditione: tunc neq; donatio facta amico tenuit: quare ipse retinere nõ potest, neq; verò ipse potest dare filio clerici. Arbitror ergo de illis bonis antequàm condemnatio fiat, in conscientia cẽsendum esse ac si ab intestato relinquerentur: nam fiscus non habet ius quoadusq; fiat condemnatio Et ideo si clericus hæredem ab intestato legitimum reliquit, sua sunt: sin minùs, eroganda essent in pios vsus: si modò ille fideicommissarius tutus esset, nunquàm id in notitiam fiscalis peruenturum: nam si id metueret, cõsultius esset fisco patefacere. Hæc tam multis expresserim, quia creberrima de hoc consilia petuntur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm per ludum dominium transferatur.

CIRCA hoc membrum ciuilis potestatis, qua dominiorum translationem irritare potest, disputandum sequitur de his quæ ludo acquiruntur. Videtur nãque nullum earum rerum acquiri dominium: sed nulla expectata sententia restitutioni esse obnoxias. Est enim ludus, potissimùm alearum: ac perinde quicunq; id genus fortunæ subiectus, vtroq; iure prohibitus clericis, videlicet iure canonico, vt patet, De vita & honest. cleric. capit. clerici. 2. & distinct. 15. can. episcopus. vbi & laicus iubetur aut à ludis desistere, aut communione priuari. & in Authentica de sanctissimis episcopis. §. interdicimus. Ac perinde laicis iure ciuili: vt videre est. l. alearum vsus. C. de religio. & l. solent. ff. de aleatoribus. Et præterea à particularibus regni legibus. Hęc autẽ prohibitio eiusdẽ arguitur esse generis quo pupilli vetantur sua alienare bona, & quo, vt proximo articulo dicebamus clericorum filij adeundis hæreditatibus redduntur inhabiles. Nam pariter in odiũ ludi illæ sancitę sunt leges. ¶ Secundò id cõfirmatur. In ludo tot coeunt vitiorum genera vt meritò sit dominiorum per ipsum translatio interdicenda. Quoniam vt habetur eadem. l. alearum, licet res esset antiqua, prodit tamen pro tempore in lachrymas: nam quidam ludere nescientes, proprias substãtias perdiderunt: consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare conantur. Et præter illa quę illic cõmemorantur: ille qui ludit, tam suorum profusus est ac prodigus, q̃ alienorum auidissimè cupidus: generat enim ludus insatiabilem lucrandi sitim: quod adeò ad auaritiam attinet, vt in furtum vergere videatur: Vnde Aristot. 4. Ethicorum, capit. 1. aleatores cum latronibus cõponit, deq; auaritia infamat & illiberalitate: quippe qui ab amicis eripiunt, quod potiùs illis deberent elargiri. ¶ Denique tertiò arguitur ex verbis legis citatæ, Alearum, C. de religi. vbi habetur quòd si contrà factum fuerit, id est, si quis ludo fuerit quidpiam lucratus, nulla sequatur condemnatio qua scilicet cogatur qui perdidit soluere: quòd si soluerit, solutum reddatur. ¶ In contrarium autem est

quòd

quòd iure naturæ quisq; potest per ludum sua bona alteri tradere: quare non est ciuilis cohibitio latiùs extendenda q̃ ratio persuadet, & legum verba sonãt, & iudiciorũ vsus habet. Hæc autem non aliud videntur contendere, q̃ q̃ qui perdidit, repetitionem habeat in iudicio, vt illicò monstrabitur. Ob idq; dum ille non repetit, lucrator legitimè possidet, atq; adeò verũ habet dominium.

Prima conclusio.

AD quæstionẽ hãc, de qua plus fortè Docto. iusto reperias cõtrouersos, quatuor cõclusionibus respõdeo. Prima: Ludus, si in genere nomen accipias, rem de se licitã iure naturæ sonat: quin & virtus esse potest, vt sanctus Tho. 2.2. q. 168. autor est: Enimuerò etsi homo ad laborẽ natus in sudore vultus vesci debeat pane suo: haud tamen, cùm corruptibilis sit, in labore durare potest nisi animi nonnunquàm recreatio laborem interpolet, sudoremq; abstergat: licet ergo animi leuandi gratia nonnunquàm ludere: dũmodò moderamen non absit. Quo fit vt sicuti alias animi recreationes moderato pretio licet pro cuiusq; statu procurare, vt venationem, & similia: sic nonnunquàm liceat, quin verò & virtus etiam esse possit in pecuniam ludere. Hoc patet: quia sicut in cibos honestos quibus corpus refocillaꝛ licet sumptus erogare: sic cũ & lusibus quoq; & animus vegetetur & corpus, nõ est cur & in illis non liceat aliquid expẽdere, quod maiori necessitati non subtrahas. Vnde Aristo. 2. Ethic. cap. 6. vt in cæteris virtutibus, sic & in ioco mediocritatem constituit, quam eutrapeliam vocat: nos autem iucunditatem dicere possumus: quare & deficere quoque censet nonnunquàm homines à lusibus: quos ideo agrestes appellant. Et Cicero libr. 1. de offi. ait, ludo & ioco vti quidem licêre, sed sicut somno & quiete: quæ ob seipsa nõ sunt necessaria, sed vt recreati vegetiores ad labo-

Secunda cõclusio.

rem resurgamus. ¶ Secunda conclusio. Ludus vt ex multis accidẽtibus honestatur, sic & ex plurimis vitiatur. Prior pars probatur. Primùm, vt ea mittamus quæ in solennitatibus ecclesiasticis, vt in festo sacratissimi Corporis Christi, instar Dauîdis corã Arca Domini saltantis, quod. 1. Regum. 6. legitur, permittuntur, leges etiam ipsæ id cõtestantur. Lex enim citata, Solent. qua ludus in pecuniã prohibetur, permittit hastiludium, luctamina, atq; alia pugnæ simulachra, bellorũq; meditationes: quod virtutis, inquit, hoc est fortitudinis exercẽdæ causa fiunt: quæ quidem exercitia. l. alearum. nominibus Græcis iterum referuntur. Quare & pila ludere nulla respublica prohibuit. Quin verò ad neruorum consolidationem membrorumque agilitatem comparandam nobilibus decori est. Hæc autem ad rem modò nihil attinẽt. ¶ Accidentia verò quæ ludos illicitos constituunt, quam plurima sunt. Primum est periculum: qua ratione prope titulum de homicid. adhibiti iure Canonico & alij sunt quibus torneamenta & sagittariorum ars sub anathematis interminatione vetantur. Secũdò præcipuè ludus dehonestaꝛ ex gestibus aut verbis turpitudinem præ se ferentibus: quales potissimùm gẽtibus in vsu erãt. Qua vtique ratione in sacris literis malè audiunt ludi. Vnde Thobi. 3. Nunquàm cum ludentibus miscui me. & Hieremi. 15. Non sedi cum ludentibus in consiliũ. Quare passim apud sanctos conuitia legas quibus ludos vituperant. Adeò vt Chrysostom. hom. 6. super Matth. in hæc verba proruperit, Nõ Deus dat ludere, sed diabolus: sedit enim, inquit, populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Tertiò accidit vt ludus sit peccatum propter scandalum personæ: qua ratione clericis ob eorum honestatem interdicti sunt ludi alearum: debent nanque esse ludi qui potiùs dediti quàm effusis gaudijs. Hęc autẽ atq; his similes circũstantias, puta loci, vt si in ecclesia fiant: aut temporis, veluti ad rem præsentem parùm attinẽtia, missa hinc faciamus. ¶ At id quod modò in controuersiam ascimus, non est nisi vt de ludo acquisitis examinemus, quidnã iuris in se habeant. Aliud ergo accidens quod ludos facit esse reprobos, est, quod & homines facit & sua propria prodigere & alienis inhiare. Vnde multa alia suboriuntur mala: atq; id potissimùm vbi nihil artis aut exercitamenti inest, sed multum desidię, & secundum humanum iudicium fortunæ plurimum. ¶ De hoc ergo ludi genere fit ad nostrum propositum tertia cõclusio. Alea ludere reliquisq; lusibus lege prohibitis quæ à populo recepta est, neq; per consuetudinem abrogata, est peccatum. Probatur conclusio. Nam lex iusta nihil, vt libr. 1. diximus, prohibere potest, nisi quod ita decêre iudicatur: quod ergo lex prohibet, illicitũ facit, atq; adeò culpam ad quam absq; dubio lex ciuilis obligare potest. Huiusmodi autem ludi prohibiti sunt, quia pernicioſi reipublicæ iudica-

Quæ ludũ honestant.

Tertia conclusio.

ti ergo peccatum est huiusmodi leges violare. Neq; obstat quòd pœnæ sint transgressoribus positæ: quin verò, vt illic abundè, vt reor, commonstrauimus, pœna si id nominis mereatur, poni nō potest nisi pro culpa. Et quāuis iure cōmuni cartharū lud' nō sit interdictus: prohibet tamē iure regni, vt patet eo. ti. de colluſorib'. ¶ Anverò genere suo sit peccatum mortale, nō facilè decreuerim. Hoc enim ex natura & grauitate operis, vt eodē lib. dicebamus, p̄ crpēdendū est. Et qui dem eiusmodi ludi, si cūctis suis prauis qualitatibus eos denudes, cùm non sint genere suo aut contra charitatem aut contra iustitiam, non apparēt mortali charactēre denotandi. Quin verò vel ad conuiuia ludere, vt habetur. l. quod in conuiuio. de alea. vel in paruam pecuniam, virtus esse potest. Vix tamē dum ampla pecunia exponitur, absq; prauitate exerceri possunt: puta absq; litibus, periurijs, atq; blasphemijs. Præterquā quòd illa vna est omniū paratissima via ad dilapidanda bona, demoliendasq; illustres domos. Vnde Lyricus.

Quē dānosa Ven', quē præceps alea nudat.

Quam ob rem vsq; adeò receptores aleatorum inuidiam in republica odiumq; cōtrahere, vt olim qui eos, aut verbo, aut verbere, aut alio damno dato læsissent, impunè id facere permitterentur: vt habetur. l. prætor. de aleator. Sacerdotibus autem vix citra mortale vti licet ludis vetitis: ac præsertim religiosis, & Antistitibus: quoniā ludus illis nō qua ratione sæcularibus, sed quia contra eorum est honestatem, prohibitus est. ¶ Vt autem simul ambæ mutuò se dilucidēt, subiungitur quarta conclusio. Illa quę ludo acquisita sunt, in dominium lucrantis transeunt: quapropter antequām qui perdit repetat, non sunt restitutionis vinculo alligata. Ad conclusionis euidentiam ius priùs naturale consulendum est: vt inde fiat ad ciuile descensus. Enimuerò quòd iure naturali vnusquisq; possit per viam ludi bona sua in alterius dominium traiicere, nemini potest in dubium cadere. Nam vt suprà diximus, nulla est dominiorum trāslatio, naturę germanior, quām quæ libera domini voluntate fit. ¶ Sed secundò id explicatiùs probatur. Si eiusmodi dominij tradūctio iure naturali esset inhibita, id maximè vel ex forma, vel ex obiecto, vel ex affectu, vel aliūdè. Primùm ex formā non vitiatur iure naturę: nam præterquā quām posset vterque ludentium gratis donare, illa non est simplex donatio: sed quædam pactio, Do vt des Nempe meā pecuniā periculo expono, vt tu vicissim exponas tuā. Et tanti æstimat periculū vnius, quanti alterius. Neq; verò condēnanda est: quia res ancipiti fortunæ committitur, hoc est euentui, cuius causa nescitur nisi à Deo: hoc enim modo nihil absurdi sonat inter Christianos fortunæ nomen. Enimuerò multa sunt alia humana negotia licita quæ dubię illi varietati committūtur. Primùm diuisoriæ sortes, videlicet cùm qui de re qualibet diuidunda cōuenire non possunt, rem sorti committunt: quod sanctus Thomas ex sententia Augustini. 2.2. q. 95. licitum censet. Mox & depositiones, videlicet dum de aliqua re decertantes sequestrū faciunt, quòd illi obueniat à quo steterit veritas. Atq; aliud sortium genus dum pecunia multorum congestia iocala coēmuntur, quæ inter eos sors prolata distribuit. Et (de qua lib. 6. dicturi sumus) contractus assecurationis maritimarum mercium vno Doctorum consensu tanquàm licitus habetur: in quo tamen plurimùm dominatur humano loquendi more fortuna. Neq; obstat quòd in ludo ille qui perdit nihil recipit emolumē ti pro sua pecunia. Nam, vt diximus, illud sua sponte dedit pro spe si sibi alea caderet. ¶ Quod autem rem quibusdam magis facit dubiam, est auaritia: puta immanis cupiditas rei alienæ. Sed neq; ista peccati per se est causa mortalis: tantum ab est vt oneri restitutionis lucrantem subiiciat. Auaritia nāq;, vt diuus Thom. 2. 2. q. 118. doctè admonuit, duplex est. Altera quæ opponitur iustitiæ: videlicet quando quis contra ius appetit alienum. Et hæc genere suo mortale est. Altera verò, quæ opponitur liberalitati, Latineq; dicitur illiberalitas: scilicet ardens illius cupiditas, qui tamen nihil contra ius vult recipere: & hæc non est genere suo peccatum mortale, nisi eousque animum occuparet vt opera charitatis necessaria impediret. Ad propositum ergo quòd collusor lucrari exoptet, nullum est peccatum, non solùm eò pugnanti victoria dulcis est, verùm & amore lucri. Neq; si ardentissimè id cupiat, dum tamen iustitiæ iura non violet, peccatū mortale est: vtpote dum cum illo non ludat, qui sui iuris nō est, ad alienandū bona sua: neq; vim inferat, nec fraudem nectat: vt S. Tho. 2.2. q. 2. arti. 7. autor est. Quocircà non aliter necesse est moderari cupidinē quām secundùm

Quarta cōclusio.

Iure naturali potest quis bona sua p ludū in alium transferre.

Diuisoriæ sortes licitæ.

Assecurationis contractus licitus secundūm Doctos.

Auaritia duplex.

Lucri cupiditas si citra fraudē se contineat non est mortalis.

dùm iustitiæ limina, vt non sit genere suo lethale crimen. Quanuis eximia sitis bonorũ temporalium de se sit peccatum veniale.

secũdũ ius naturæ ĩ ludo nec peccatũ est mortale nec restituendi obligatio.

Neque verò ludentium prodigalitas genere suo est peccatũ mortale, nisi ea prodigãtur quæ vel alẽdę familiæ necessaria sunt: vel ad implendum præcepta Dei. ¶Igitur secundùm merum ius naturæ, neq; peccatum est mortale ludere, neq; vlla inde nascitur restituendi obligatio. Quocircà seculares, si qui sunt imperialibus legibus exempti, ludendo non peccant. Nam, vt ibidẽ sanctus Thomas de hac ipsa re loquens, ius ciuile non omnes obligat: neq; illi apud quos ciusmodi leges per contrariam consuetudinem abrogatæ sunt. Quo fit vt si aliquod interueniat peccatum au restituendi vinculum, hoc à iure ciuili pendeat, vel communi, vel particulari. De quibus igitur videndum est quomodò prohibeant ludum. Etenim si traductionem dominij vetant, clarum est eum qui lucratur perinde ac vsurarium nulla expectata sententia, restitutionis lege teneri. Si autem lucrans non nisi per modum pœnæ lucro priuetur, aut ad alterius repetitionem: tũc ad nullam anteâ restitutionem tenetur: quia verè acquirit dominium. Et quidem q̃ prohibitio illum faciat priorem sensum, hoc vnicum inuenio verbum iuris quodammodò insinuare in citata. l. alearum. quod inter arguendum retulimus: videlicet si contrà factum fuerit, nulla sequatur condemnatio scilicet perdentis vt soluat: sed solutum reddatur. Si ergo reddendum est: videtur dominiũ non transferri. ¶ Hoc tamen verbo nihil obstante, certò credo non esse tantũ rigorem legis. Primùmquia hoc quod dicit, solutum reddatur, statim Imperator exponit, subdens: & actionibus competentibus repetatur ab iis qui dederũt: debet ergo reddi si petatur: aliàs qui perdidit, verum dominiũ transtulit. Et ratio id profectò egregiè persuadet. Nam cùm illic nulla interueniat vis aut fraus, sed libera pactio, non est cur cohibendi essent animi colludẽtium nè possent in se mutuò transferre dominiũ. Satis enim est q̃ dẽtur perdẽti inducię ad repetẽdũ. Itẽ si lucrans teneretur ad restitutionem, vel teneretur domino qui perdidit, vel pauperibus. Paludanus in. 4. dist. 15. q. 3. astruit q̃ debet restituere pauperibus anteq̃ sit â iudice condemnatus. Nam iure, inquit, naturali tenetur pauperibus: & solo iure ciuili repeteti. Quare si priùs dedit pauperibus, postea in iudicium vocatus excipere coram iudice, se iam ius naturæ seruasse. Quòd autem iure naturę teneatur indignis, probat ipse: quia colludentes dant operam rei illicitæ: & ideo qui perdidit amisit dominium, & alter nõ acquisiuit. Verũtamen opinio hæc nullius est prorsus probabilitatis: Imô iure naturæ nemo prohibetur illla via omninò alienare sua bona. Quare lucrans nulli teneretur restituere. Et si teneretur, id deberet facere vero domino: nam mẽdici iure naturæ non succedunt, nisi vbi nõ haberetur copia domini. Cùm ergo ipse sua sponte dederit, nulla restat restitutionis obligatio, nisi idem ipse iure ciuili repetat. ¶Hæc demum omnia liquidò confirmantur, tum lege particulari regni, tum etiam vsu. Extãt enim leges titu. 10. regalium ordina. qui est de colluforibus: nempe prima de militibus dum sub vexillis agunt: q̃ quicunq; ab illis quicquã tunc lucratus fuerit, teneatur eisdem protinùs restituere: vbi certè insinuatur impediri translationẽ dominij qd' non videtur ab æquitate longè distare, in fauorem militis agẽtis in bello. De alijs autem generaliter sequitur secunda lex Ioannis secundi, verbis à priori deferens sub hac forma: Præcipimus vt quicunq; aliquid ludo perdiderit, possit illud ab eodem repetere qui fuerit lucratus: dum tamen id faciat intra terminum octo dierum: q̃ si illo termino non petierit, possit quicunq; aliusid petere: atq; alio deficiente, iudex ipse & prætor officio suo id repetat. Et hæc est lex quæ vsu habetur. Ex quo fit vt si non repetatur, optimè, qui lucratus est, possidere potest, neq; restituere tenetur. ¶Restat hic tamen ambiguitatis nonnihil ex verbis sancti Thomæ loco iam bis citato 2.2.q.32.ar.7. Ait quippe quòd circa illa quę per aleas acquiruntur, aliquid est illicitum iure diuino & naturali: scilicet q̃ aliquis lucretur ab his qui rem suam alienare nõ possunt: vt sunt minores & furiosi: & quòd aliquis trahat aliquem ex cupiditate lucrandi ad ludum: & q̃ fraudulenter ab eo lucretur. Et in his, inquit, casibus tenetur lucrator ad restitutionem, ¶Adnotandum hic tamen primũ de minoribus & pupillis: quia id Scholaribus sæpe vsu euenit, q̃ illi quos partes in studio vel in curia sustentant, credibile est posse paruam aliquãdo quãtitatem respectu sui status ludere: vt qui centum ducatos quotãnis exponit, si quatuor aut quinque ludo dispendat, vero similimum est patrem

Sententia Pal. de restitutione lucri.

Quãdo pauperibus rei alicuius dominium acquiritur.

Leges quæ de colluforibus extant.

Dubium ex verbis sancti Thomæ.

trem suum habere ratum: nam probè sciunt vix iuuenes posse sine illis dispēdiis viuere. ¶An verò Scholastic⁹, hoc est scholarū magister, qui est non solùm cōstitutionum, sed legū omniū custos, possit rē hāc arctiùs constringere: prohibet quippe, verbi gratia, nè cui vltra duos argēteos ludo ꝓdere liceat, vtrū obliget. Ad hoc non simplex, sed multiplex est respōsio. Primū enim penes huiusmodi magistratū nulla est potestas cōdendi leges: hoc enim ad solam pertinet Vniuersitatem: sed hoc tantū iuris habet, vt leges, tam Vniuersitatis quàm alias custodiri ab Scholarib⁹ faciat. Quo fit vt non possit ipse nouam legem facere de ludo: nempe prohibere nè Scholaris qui sui iuris est, vltrà quā ipse præscribit, dominiū ludēdo transferat. Imò si iure communi, & regni id licet, nō ob obstante eius lege fiet translatio: etiam si bona sua cūcta ludat. Habebit autē repetitionē. At verò potest per suā legem nouas pœnas legibus tam Vniuersitatis quàm aliis adhibere: vt cautiùs seruetur (puta excōmunicationes atq; alias pecuniarias). Quare si qs vltra eius præscriptū ludat, ad solam tenebitur pœnam si condemnetur: qu ãuis & non nullam contrahet inobedientiæ culpam. Et quidem mortalē, si pœna adhibeatur excōmunicationis: sed tamen qui lucratur quantāuis maiorem quantitatem, ad nullam tenetur restitutionem, nisi fiat repetitio: aut nisi ille qui ꝓdit fuerit filiusfamiliâs. ¶Aliud dubiū est, vtrū si filiusfamiliâs aliqd ab alio lucret plus quām ipse ꝓdere poterat, teneatur ipso facto ad restitutionem? Apparet enim non teneri: nam scienti & volenti nō fit iniuria: quare cùm ille qui cū illo ludebat probè sciret se non posse quippiam à filiofamiliâs legitimo iure lucrari, & nihilo minùs ludere voluit, visus est sua sponte donationem illius facere quod ipse perderet. Et ita forsan res potest sustineri. Nihilo minùs probabilius est quòd nisi re vera alter extra cōditionem ludi donationem fecerit, filiusfamiliâs non acquirit dominiū illius quod lucratur. Debet enim colludentium vtriusq; cōditio par esse: quare nulla est æquitas vt filiusfamiliâs plus possit in conscientia lucrari, q̃ perdere. ¶De illo autem qui alium ad ludū trahit, an restituere teneatur, licèt id D. Thomas affirmet, meritò ambigitur. Vnde Adrian. qui in. 4. in materia de restitution. ca p. quia in superioribus, hactenus nobiscū consentit: videlicet quòd lucrans non tenea-

Adriani sẽtẽtia D. Th. aduersa.

tur ad restitutionem: in hoc tamen deserit diuū Thomam. Quoniam qui aliū trahit, nihil facit contra iustitiam. Respondetur autem sanctū Thomam non id censere de quocunque tractionis genere. Nam propterea quòd quis alium inuitet, & quadātenùs ad ludum moueat, nullo se grauat restituendi onere, dū modò alter sua sponte veniat: vtpote qui aliās paratus erat, vel facili negotio adductus est. Sed tractionis nomine intelligit quando quis alterum inuitum trahit: sci licet aut vim ei infert aut fraude eum inescat. Tunc enim clarū est ad restitutionē teneri: quia ab inuito lucratur. Neq; solus censendus ille est inuitus trahi qui simpliciter vi illata ludit: sed ille etiā qui improbis precibus & verbis eousq; instigatur, vt nisi luderet pudore suffunderetur, & haberetur, tanquam inurbanus & ignobilis. Est verbi gratia ingenuus quispiam vel optima existimatione habitus, & homo qui aliquo splendore vitæ viuit, quem alter cum verborum improbitate pudore suffundit nisi ludat: qui tamen constitutissimum habebat non ludere: profectò tenetur tunc tractor ille ad restitutionem. Nam ludus debet esse prorsus liber, vt qui perdit, trāsferre dominiū videat. ¶Aliud verò verbum quod illic subdit sanctus Thom. scilicet q̃ qui legibus ciuilibus sunt astricti, tenentur restituere, contrarium videtur nostræ quartæ conclusioni. Attamē vel intelligit quando lex ciuilis exprimeret non transferri dominium. Aut intelligit q̃ restituat si repetatur. Aliās profectò durissimum verbum esset. ¶Vnum autem non est hic in calce silēdum, videlicet vtrùm qui non in præsentem pecuniam, sed in absentē & creditā impignorata fide ludit, teneatur soluere. Apparet enim pars affirmatiua vera iure naturæ: postquā pollicitus est: neq; verò lege ciuili prohibitus dare. Respondet nihilo minùs q̃ dū nō nisi simpliciter pollicit⁹ est, nō est cēsendus renūtiare iuri suo, q̃d habet beneficio ciuilis legis, repetēdi. Et iō sicut si soluisset nihilo minùs potuisset repetere: ita q̃ pollicitus est pōt in cōscientia iudicio se defendere vt nō soluat. Neq; facit contra ius naturæ, licèt inter nobiles daret ei opprobrio. Si aūt expressè pollicitus est se non vsurū beneficio legis repetēdi, credo potuit sua spōte ab suo abscedere iure: ad min⁹, si iurauit, tenet stare iuramēto: nisi tāta esset bonorū iactura, vt posset dispensationē petere. ¶Sit autē postremū verbū: Est verbi gratia qui

Expositio sententia D. Thom.

Dubium de his qui ludunt in absentem pecuniam de fide.

Dubiũ notandum. qui amplã pecuniã ludo perdidit, veretur tũ publico iudicio id repetere: vtrũ posset latẽte via id ab altero subtrahere aut recõpensatione sibi facere aliorũ debitorũ quæ aliàs illi forsan debet? Et quidẽ loco citato Adrianus id licẽre censet: nã postq̃ ille põt publico iudicio petere, põt, inquit, & alia via recuperare. Nescio tñ, salua autoritate viri, an adeò sit certũ vt ipse arbitratur. Nam postq̃ vera fit trãslatio dñi, non potest alia via recuperare q̃ vtendo beneficio legis: in primis infra terminũ lege prescriptum: puta infra octo dies in Hispania. Nam q̃ lege alearũ iubetur vt horũ præscriptio ante quadragesimũ annũ non fiat, nullibi est ĩã in vsu. Deinde forsan debet repetere in iudicio. Aliàs alter in conscientia nõ teneretur: quia leges nihil aliud decernunt, quàm q̃ detur illis iudicialis actio. Quanuis de hoc nõ sum vsque adeò certus.

Additio auctoris. Hæc scdm leges hactenus relatas. Nã ædita fuit postea lex matriti, vt nemini liceat in credità pecuniã ludere: qua nõ mõ prohibetur executio cuiuscũq; obligationis, & ꝓmissionis, verũ eiusmodi permissiones & obligationes ꝓnuntiãtur oĩo nullę & cassæ. Vbi nõ solũ in foro exteriori, verũ interiori ꝓhibetur, vt reor, trãslatio dñij, sicuti in actiõe pupilli. Quare q̃ promisit nõ teneť soluere, etsi soluerit, alter in cõscientia ante repetitionẽ teneť restituere. Neq; valeret si ludẽs legi renũtiaret: quoniã data est nõ solũ in fauorem illius sed in bonum cõmune. Posset tñ fieri libera donatio: quãuis semper suboleret fraudem.

Ad primũ argumentũ AD primũ igitur argumentũ: nẽpe ad iura, iã satis respõsum est quomõ id prohibeãt. Neq; clerici, si lucrẽtur, neq; alij q̃ lucrãtur ab illis, aliter teneri vidẽtur ad restitutionẽ, q̃ fit inter sæculares. Nã etsi propter scandalũ ac propter suã honestatẽ grauiùs peccẽt: tamen obligatio restitutionis non est alia q̃ inter seculares. Quæ enim sacerdotes ludẽdo perdũt, facultatẽ habent perdẽdi: etiam Episcopi, vt libr. 9. patebit. Sunt enim suorũ bonorũ dñi. De religiosis autẽ diuersa est rõ. Negať ergò leges prohibẽtes ludere perinde prohibere trãslationẽ dñij atq; pillis & symoniacis. ¶Ad secũdum autẽ respondetur, q̃ etsi illa vitia quæ ludis permiscentur mortalia esse possint, nulla tñ inde oboritur restituẽdi obligatio, nisi mõ exposito. Enimuerò licèt prodigalitas nonnullũ peccatũ sit prodigus nihilo minùs dominiũ transfert. Et ad verbũ Aristotelis coniũgentis aleatores cũ latronibus, respõdetur, non id feciſſe quasi eadẽ sit vtriusq; ratio: sed qa aleatores, illiberales sunt, & cõtra ius amicitiæ delinquẽtes. Debet enim homo cũ amicis ludere: quibus potiùs debet elargiri sua, quàm eorũ bona ab illis corradere. ¶Ad tertium deniq; etiam respõnsum est, vbi exposuimus verbum illud iuris: solutum reddat: scilicet si repetatur. *Ad tertiũ.*

Sacerdotes, Epi etiã possunt rem ludere, vt alij

Ad secũdũ

ARTICVLVS III.

Vtrùm per contractum qui nullus est iuri ciuili, tranferatur dominiũ.

QUIRCA Idem mẽbrum ciuilis potestatis quo volũtas dñi cohibetur transferre dominiũ, examinare pertinet, vtrùm contractus qui est nullus iure ciuili, sit etiam in cõscientia nullus: ita vt verè dominij translationẽ impediat. Et arguitur à parte negatiua. Vbi finis ciuilis legis cessat, lex ipsa vim suam amittit, atq; adeò stãdum est tunc naturali iuri: finis autẽ legum, contractuum solennitatem iubẽtium est, vt fraudibus & dolis eatur abuiàm: ergo vbi constat nullam interueniſſe fraudem, contractus tenebit in conscientia. ¶Secundò ad declarationem prioris præmiſſæ arguitur. Lex diuina cessante fine non obligat: ergo tanto minùs humana, quanto inferior est. Probatur antecedens in præcepto correptionis fraternæ: q̃, vbi nulla est spes correctionis quæ correptionis finis est, non obligat. Ait quippe Augustinus de pœnit. distinct. 7. canon. si quis. 2. si scirem non tibi prodesse, non te terrerem, non te admonerẽ. Pari ergo modo, vt exempli gratia dicamus, vbi ciuilis solennitas testamento defuit, constat tamen testatoris voluntas, standum est iuri, non ciuili, sed naturali, vt eadem impleatur voluntas. ¶Tertiò arguitur. Si illo rigore seruandum esſet ciuile ius, vsu sæpe veniret, vt nulla tenùs morti proximus suam posſet explere voluntatem: vt puta si legitimi testes haberi non possent. Quod tamen concessu videtur absurdum. ¶In contrarium tamen est quòd leges ciuiles, vt libro. 1. dictum est, obligant in foro cõscientię: per quas tamen absolutè stabiliuntur contractuum solennitates, sub illo verborum rigore, vt aliàs cõtractus pro infecto habeatur: vt de testamento patet. l. hac consultiſsima. C. de testamen.

Quæstio

QVæstio præsens non est magnoperè inter Doctores agitata: sed Innocentius in. c. quia plerique, de immun. ecclesia. vnũ ait obiter verbũ, scilicet ꝙ qui per contractum, cui deficit solennitas iuris, aliquid possidet, tenetur ad restitutionem. Vbi docet contractum minùs solennem esse nullũ in conscientia. Subdit autem exemplum de contractu qui per voluntatem pupilli sine assensu tutoris factus est. Panormi. verò super eodem capitulo, Antonio de Butrio adhærens, contrariam est sententiam amplexus: videlicet quòd vbi fraus abest & dolus, standũ est naturali iuri, vt contractus teneat, non obstante ciuili lege. Atq; in hanc sententiã subscripsit Sylvest. in verbo, Alienatio. §. 12. & verbo testamentũ. 1. §. 5. Et posteà Adria. quotlib. 6. ar. 1. propter rationes quas modò in frõte quæstionis recitauimus. Et quidem Antonius de Butr. sic asserit consuluisse vt legata illegitimi testamenti nihilo minùs seruentur. In quorum consequentiam addit in suo tractatu Minoritano, quòd legatum minoritæ factum, licèt iure humano inhabilis ille sit ad recipiẽdum, est nihilo minùs persoluendum in cõscientia. Hæc ergo est opinio communis. ¶ Sunt tamẽ profectò argumenta in contrarium adeò multa, eademq; non infirma, vt contrariam sententiam maiori cum probabilitate confirment. Audiui ergo iam pridem in his nostris scholis contrariam sententiam, ceu multò probabiliorem defensari: nempe cõtractum nullum iure ciuili, esse etiam in conscientia nullũ. Haud tamen ego tam absolutè opinionẽ hanc asserere audeo, vbi casus huiusmodi mihi occurrunt. Sed mediam sententiam vtrinq; temperatam pro captu meo amplector. Ad cuius explicationem notandum est, rempublicam & principẽ sæcularem bifariàm posse dominiorum translationem impedire. Vno quidem modo absolutè: cuius exempla in pupillo ante legitimam ætatem & in maioratus possessore produximus: per quos idcircò procul dubio dominium nõ transmittitur. Altero verò modo non simpliciter & absolutè, sed modum contractus ad obuiandum fraudibus præscribendo: sicut respublica ciuilis iubet testamentorum solennitates: & ecclesiastica, formas contractuum quibus ecclesiæ bona alienantur. Et de istis ad quæstionem hac conclusione respondetur.

¶ Contractus cui deest essentialis solennitas iuris, licèt in conscientia non sit ipso facto simpliciter nullus, velut iille qui fieret à pupillo illegitimæ ætatis: eatenus tamẽ est nullus, vt bona conscientia possit quisque legis beneficio in tali casu vti. Exponitur conclusio. Vbi frater meus liberis orbus per testamentum minùs solenne, puta cui ea solennitas iuris deest, cuius defectu in iudicio meritò pronuntiabitur tanquàm nullum (nam cui minor solennitas defuerit, pro legitimo est habendum:) vbi inquam frater meus, cuius ego ab intestato hæres sum, per tale testamentum extraneum nuncupauit hęredem: ego tuta conscientia possum hæreditatem adire, & defendere me nullitate testamenti, quanuis sciam absq; fraude id fratrem meũ aliter disposuisse. Ac proinde dum mihi in foro exteriori adiudicabitur, possum optima fide hæreditatem possidere. Eodem modo si pater meus per huiusmodi testamentum legata fecit (pia modò missa faciamus) ego nõ teneor in cõscientia legata implere. Cur autem fuerim conclusionem sic moderatus ꝙ non penitùs translatio dominij in his euentibus ipso facto irritatur & annullatur, dicam in calce probationum conclusionis. Neq; verò cõclusionem sic audeo asserere vt contrariam omninò existimauerim improbabilem: quoniam vbi assertionem nostram apud alios non inuenio, paulò soleo esse cunctantior ad asserendum. Nihilo minùs argumenta subijciam quæ mihi profectò multò probabiliorem hanc faciũt opinionem, quàm est contraria. Etsi ego inter theologos vllius essem autoritatis, profectò iudicium iuris naturalis, ac potissimùm conscientiæ, non alijs quàm Theologis est deferendũ. Supponamus ergo ciuiliũ legũ tenorẽ. In testamento, verbi gratia. nũcupatiuo, puta vbi sine tabellionis subscriptiõe verbo nuncupantur hæres & testes, requiruntur septem testes: vt habetur Instit. de testa. §. fina. Et pariter in testamento subscripto, sed tamen occluso & obsignato: vt habetur l citata, Hac consultissima. C. de testament. & l. peculiari regni. 3. Tauri. Tametsi in testamento apertè scripto sufficiãt tres testes cum tabellione, & quinq; sine illo. Quanuis antiquo iure quandoq; requirantur plures, quandoq; pauciores: vt in testamento Imperatoris, & in testamento militis, & in testamento cæci &c. vt in glosis super eisdem titulis Institu. & C. & ff. latè à Doctoribus adnotatum est. Requiruntur etiam testes legitimi: puta vt neq; mulier, neq; surdus, neque mutus,

Sententia In no.

Sẽtẽtia Pañ. cõtraria In noc. quæ cõmunis est.

Documentum authoris.

Sententia authoris.

Solennitas testamentorum describitur.

mutus,neq; infamis admittatur: vt in eodē Institutio.§.testes cauetur. Quanuis de hoc nihil hîc definimus:sed id ad iudicium sæcu lare deferimus.Similiter iure pontificio cau tissimum est nè res ecclesiæ sine tribus con tractib⁹ distrahātur: vt. 10.q.2.can. ea em̄. & 12.q.2.can.sine exceptione. & de reb⁹ eccles. non alien. à Doctoribus adnotatur. Ait er go contraria opinio q̄ etiam si in foro exte riori testamentum pronuntiaretur nullum, standum tamen est in conscientia voluntati testatoris.vbi non interfuit fraus. Et pariter dum in alienatione bonorum ecclesiæ de fuerit contractum solennitas. ¶Nos autem *Opinio anto ris patet.* in contrarium hæc subiicimus argumenta: Supponamus em̄ primò ex lib.1. leges ciui les obligare in conscientia: vt ipse idem Pa normi.eodem loco cum eodem Innocentio planissimè consentit. Tunc inquam argui tur sic. Leges eiusmodi nullam prorsus ex ceptionem faciunt, sed absolutè aiunt, vbi cunque defuerit talis solennitas nullum esse contractum.Sic enim cōcludit dicta lex Co dicis, Hac consultissima. vbi testamentum non fuerit subscriptum, pro infecto haberi conuenit. Et rursus. Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti nō volumus: nisi inter solos liberos à parenti bus vtriusq; sexus habeatur:videlicet nisi li beri in sola diuidunda hæreditate voluntā tem habeant patris:vt ait glossa. Et Institu. quib.mod.test.infirmentur.§.ex eo.ait Iusti nianus: Imperfectum testamentum sine du bio nullum est. Et posteâ ait se velle cisdem ll.viuere.Et.l.regni citata.3. Tauri, habetur quòd vbi testium numerus iustus non fue rit, testamentum nullum fidem faciat, neq; in iudicio neque extrà.Et in can. citato,sine exceptione, habetur quòd alienatio incon sultò facta rerum ecclesiasticarum, sit irrita: cùm ergo lex eandem vim habeat quam ver bis personat, fit vt sine vllo interpretamēto sit illi obediendum.Sed ais, Leges non adhi bent verbum,in conscientia. Hic autem ca uillus est:nam nō est in more legislatoribus talia adiicere verba: sed ex natura legum se quitur obligatio in conscientia. ¶At quò *Ratio secun da.* reipunctum patentius fiat, arguitur secun dò sic. Lex,vt solennissimum habet Docto rum axioma,accidentarios casus non respi cit: sed ea quæ plurimùm contingunt.Iura enim, vti.ff.de leg. Pomponius ait, cōstitui debent in his quę accidūt, & vsu venire pos sunt:non tamen in his quæ prę̄ter opinionē & insperatò contingunt. Igitur licèt ratio istarum legum fuit vt fraudibus dolisq; ob uiaretur,nihilo minùs etsi in aliquo casu fi nis ille deficiat, lex suum retinet vigorem. Exempla sunt frequentissima ac patentissi ma, quæ demirandū est Panormitanum & suos non inspexisse.Prohibet lex,vt art.1. di cebamus, pueros sua propria sponte bona sua alienare:cuius vtiq; finis est nè per eorū imprudentiam malè dilapidentur. Contin git esse puerum decem vel duodecim annō rum qui sapienter & in rem suam posit de suis bonis disponere, vtrùm propterea con tractus inconsulto tutore ab ipso factus, te nebit in conscientia? Profectò non tenebit. Item legis ieiunij finis est corporum mace ratio: Vtrū propterea quòd quis illa macera tione non indigeat,fiat exemptus à lege?mi nimè gentium,Prohibet etiam lex arma no cturna: vtrùm qui pacificus est possit illa deferre? Nequâquam. Eodem ergo modo in proposito, licèt in aliquo casu nullus in terfuerit dolus, nihilo minùs vis legis non extinguitur. Et ratio huius est patentissi ma: quia alioqui leges scrupulos pusillorū conscientiis iniicerent. Sæpe enim obscurū & ambiguum esset vtrùm tanta esset fraus vt sufficeret ad parendum ciuili legi:an verò tam parua vt propēdendum esset in ius na turæ. Noluit ergo legislator ciues esse horū iudices, sed quòd syncerè auscultarent legi quandiu non esset contrarius naturæ. ¶Sed ais: Contra ius naturæ est vt si quis sic vo luit disponere de suis bonis propter defectū solennitatis non impleatur eius voluntas. Profectò non est.Imò quàm maximè eidem naturæ cōsentaneum:nempe vt fraudes tol lantur & deceptiones,quas in defunctos hu mana fallacia extrueret. Hac enim de causa artic.1.dictum est,posse rempublicam natu ralem voluntatem ciuium cohibere in suis dispensandis rebus:atque adeò modum illis præscribere. Imò verò arbitror quòd si ex occulto modo soluendi debita fraudes cre brescerent, posset princeps leges sancire vt solutio quæ coram testibus non fieret non valeret: adeò vt in conscientia posset, quod contra leges solutum esset,iteratò peti. Sed quicquid hoc veritatis habeat, ambigendū non est quin posit in conscientia pro infe cto haberi illegitimus contractus, etiam si fraus non interfuerit. ob id quod interesse potuit,Quòd si id potest, nescio quāquā ef ficatiùs verborū significatione efficere po tuit

Solutio.

Potest lex so lutionib⁹ mo dū statuere.

tuit quàm istorum: Sit testamentum nullũ: habeatur pro infecto. Et si fuerit imperfectum, voluntatem defuncti non teneat, sit irritum, nullam fidẽ faciat, neq; in iudicio neq; extrà. ¶Tertiò arguitur. Qui testamentum reliquit illegitimum, perinde decedit ac si absq; vllo prorsus moreret: quãdoquidem iure illud nullum est: ergo sic prorsus de tali defuncto censendum est ac si intestatus decessisset, Si autem quis absq; vllo testamento legata fecisset, aut hæredem nuncupasset, profectò hæres ab intestato non teneretur in conscientia illa implere, etiam si nulla interfuisset fraus: ergo neq; vbi testamentum non est iuridicum. Exempli gratia. Si quis absq; liberis moriẽs præsente fratre diceret, Ego constituo talem hæredem extraneum, aut tale facio legatum, quod non esset donatio: frater tamen non polliceretur id ratum habere: imò renueret, & haberi nõ posset copia tabellionis neq; testium vt secundùm leges conderetur testamentũ: profectò ille frater legitimus hæres licèt optimè nouisset defuncti voluntatẽ, neq; vllam iniectam fuisse fraudem, non teneretur in conscientia aut alteri hæredi cedere, aut legata implere. Non obstante iure naturæ: Nempe quia lex iustè ad euitãdas fraudes voluit nè defuncti voluntas vlla esset nisi per testamentum constaret. Quin verò & id iustè potuit facere in pœnam negligẽtiæ testatoris, vt statim de præscriptione dicemus: ergo vbi testamentum non fuerit iuridicum, idẽ erit iudicium. ¶Quartò arguitur. Idem est penitus iudicium in foro conscientiæ quod in foro exteriori vbicunq; res gesta constat, vt iudicium exterius non procedat ex falsa præsumptione: si quis autem intestatus decederet, licèt legitimus hæres ab intestato fateretur in iudicio alium fuisse institutus hęredem: aut talia defunctum fecisse legata, sine testibus tamẽ: talis hęres ab intestato nõ cõpelleretur hęreditatẽ alteri cõcedere, neq; legata implere: ergo idem debet iudex pronuntiare quando testamentum est illegitimum: quandoquidem iure est nullum: atq; adeò ille ab intestato hæres manet tutus in conscientia: quandoquidem sententia non emanauit ex falsa præsumptione, Scio equidem de hoc variatum nonnunquàm esse inter iudices: quando scilicet hæres fatetur voluntatem defuncti, sed profectò crediderim perinde pronuntiandũ esse ac si nihil defunctus disposuisset. Sed ais, tales sententię solũ tenent in foro exteriori, non autem in foro conscientiæ. Imò verò si non obligarent in conscientia, tunc leges illæ conscientiarum essent illaqueatrices, nec deberent ab ecclesia tolerari: secundùm verbum illud in cap. quoniam. de prescript. Quod absq; peccato mortali non potest obseruari, derogandum est. Enimuerò si dum iudex nõ ex falsa præsumptione procedens, sed secundùm eius cõfessionem qui reus sit eum absoluit, nõ manet in cõsciẽtia tutus, iniqua est lex: cùm tamen meritò non sint abrogatæ, sed approbatæ. ¶Quintò arguitur. Ex contraria huic nostrę opinione consequitur vsu venire posse, vt quispiam absq; vlla sua culpa nullaque alia illata vi, sed ob solum tenorem legis eui tare aliter peccatũ mortale nõ posset, quàm grauissimam faciendo suorum bonorum iacturam. Sit enim pupillus ab intestato defuncti hæres, qui alium extraneum per testamentum illegitimum hæredem nuncupauit. Tunc tutor si hęreditatẽ pro suo pupillo non petat, reus ipse fiet in iudicio: & ob negligentiam condemnabitur vt pupillo refundat quæ sua causa perdidit. Si autẽ petat, manifestè peccat secundùm opinionẽ nobis aduersam: quadoquidem sciens & prudens petit quod non est pupilli. Supponimus enim ei constare nullam interfuisse fraudem. Hoc autem non est concedẽdum. ¶Sextò deniq; ac postremò arguitur. Nisi eiusmodi leges in conscientia obligarent, nõ satis esset illi fini prouisum ob quem institutæ sunt. Prouidit exẽpli gratia ecclesia nè eius bona nisi tali solẽnitate & cautione alienarẽtur: si ergo ab illo qui aliter emit non possent rursus clerici ac religiosi bona cõscientia repetere, frustranea fuisset cautio legis. ¶Nunc igitur explicato opûs est, cur dixerimus, non prorsus per tales contractus impediri dominij translationem. Causa enim est quòd tunc si ille nuncupatus hæres per inualidum testamentum fortè hęreditatem possideret, deberet absq; vllo iudicio & petitione illa restituere hæredi ad intestato. Et pariter si legatarius legatum possideret, deberet illud protinus eidem hæredi reddere: quod tamen esset nimio rigore leges intelligere. Crediderim ergo quod qui possidet rẽ aliquam per contractum minùs solennem sibi acquisitã, dum modò fraus omnis, vis, & dolus abfuerit, nõ tenetur restituere nisi vocatus in iudicium & condemnatus. Et eodẽ modo si qs iusto pretio emit bona ecclesiæ

Tertia ratio

Quarta rõ.

Quarta. rõ.

Quarta rõ.

Postrema ratio.

sine

sine dolo & fraude, licèt nõ interuenisset solennitas contractus, iustè potest, ecclesia tacente, possidere, sed & ecclesia etiam potest bona conscientia repetere. Et ratio mea est q̃ iura humana nihil aliud volunt q̃ q̃ in iudicio tales contractus habeantur nulli: non autẽ q̃ ipso statim facto translatio sit nulla. Quare etsi ille cui cõpetit repetitio ob ignorantiã non petit: nẽpe quia nescit testamentũ aut contractũ non fuisse legitimum, quãuis possessor id sciat, nõ tenetur ei reuelare. Si autẽ exempli gratia (de quo casu ego ipse cõsultus fui) defunctus per illegitimum testamentũ nũcupauit extraneũ hæredẽ, & neq; ille neq; frater ab intestato succedens possessionem adiuit, sed vterq; est ea probitate vt nolit possessionem capere nisi sibi ius faueat, absq; dubio nuncupatus hæres debet cedere & post haberi: & succedens ab intestato hæreditate potiri. Hæc etsi nõ pro demonstratis duxerim, crediderim tamen esse verisima. Si quis autem contraria teneatur opinione, illam aut resputat, aut sequatur: quoniã qui cõtra conscientiam agit, prauus est, secundùm illud, Quod non est ex fide, peccatum est. ¶ Verũtn̄ nihilo minùs huic nostræ assertioni nõ nihil ambiguitatis obmoliri quispiam posset. Primùm Panorm. pro se in contrarium adducit regulam eiusdem Innocentij, cap. quod sicut. de electio. Vbi ait electionem quæ iuri naturæ consentit, licèt non seruentur iuris solennitates, tenere. At verò ꝓfectò, salua existimatione solennis Abbatis, eius sequacium, non est ab illis syncerè & candidè intellecta neq; verò citata, regula Innocentii. Ipse enim nõ loquitur vbi electio nulla est iure positiuo: sed vbi esset infirmanda, vt ait text. si in iudicium deferretur. Subdit enim exemplum, vt si aliquis electorum ex contemptu non fuisset vocatus: tunc enim si electio fit à maiori parte, illo connumerato, tenet quidem iure tam humano, quàm naturali. Quanuis contemptus ille possit agere ad infirmãdam electionem. In tali inquam casu ait electum tutũ esse in conscientia quousq; quassetur electio. Quæ quidem sentẽtia adeò nõ nõ contra nos vt sit etiã pro nobis: nam licèt iuræ naturæ fateatur Innocentius electionẽ valere, dicit quòd potest iure humano infirmari. Haud ergo credẽdus est Innocentius sibiipsi contradixisse. ¶ Neque alia regula eiusdem illic Panormitani quippiam cõtra nos in præsentiarum agit: nempe q̃ quando ius ciuile aliquid disponit contra ius naturæ, standum est iuri naturæ. Hæc enim legis dispositio non est cõtra ius naturæ, sed ei⁹ moderatio & restrictio pro bono pacis. ¶ Quod autẽ omniũ vehementissimè cõtra nos pugnare videt, est cap. cũ esses. de testa. vbi Alexander. iij. videtur contrarium decernere. Fuit enim de consuetudine interrogatus quæ erat in episcopatu Hostiẽs. vbi nullum testamentum nisi secundùm leges humanas, puta septem aut quinq; testibus subscriptum, admittebatur: & respondit, tales leges à diuina lege, & sanctorum patrum institutis, & à generali ecclesiæ consuetudine esse alienas, & ideo standum esse contra illas iuri naturali, secundùm quod in ore duorum vel trium stat omne verbum. Et ideo vbi quis parœcianorum coram presbitero suo & tribus vel duobus alijs testibus testamentũ ediderit, valere decreuit. ¶ At verò, vt cum debita reuerentia ad textum respondeamus, licèt ius naturæ sit vt duo vel tres testes sufficiant: nam vbi homines naturali syncritate viuerent ille sufficeret numerus: tamen nullatenùs negari potest quin vbi humanæ fraudulentiæ rempublicam inserperent, neque tutæ esset fides, sanctissimum sit numerum testium lege augere. Nam ius naturæ non est prohibituum, scilicet nè plures exigantur testes, sed syncritatis humanæ expressiuum: nempe quòd vel tres sufficiant: qui ideo numerus, licèt plurimùm in causis tam ciuilibus quàm ecclesiasticis sufficiat, tamen meritò in aliquibus requiruntur plures, vt libr. nos. 5. tractabimus. Vult enim eadem ipsa ecclesia, vt patet. 2. quæstio. 5. cano. Præsul. in nonnullis causis plures testes esse necessarios. Nempe ad cõdemnandas personas Curiæ insignes: vt puta Cardinales, presbyteros, &c. ergo cadẽ sancta ecclesia quæ ob personarum dignitatem quorum crimina difficilè creduntur, voluit augeri testiũ numerũ, nõ est cur leges repellat ad confirmandam defuncti voluntatem: qui, si calletur: pro se loqui nõ potest: ampliorem quoq; numerũ requirit: præcipuè vbi testamenta aut non sunt subscripta, aut sunt occlusa: nam in apertis ius naturæ seruatur trium testium cum tabellione. Igitur illic Pontifex summus non est credẽdus leges ciusmodi abrogasse, quia nõ habet autoritatem in leges principũ nisi quatenùs sunt cõtra ius diuinũ, vt ipse Papa fatetur, can. cũ ad verũ. & can. duo sunt. 96. d. neq; abrogationis

Argumẽtũ cõtra sentẽtiã autoris.

Secundum.

Tertium ex c. cũ esses, d' testamen.

Exponitur illud, in ore duorum vel trium, &c. Respõdetur ad. cap. cum esses.

Personæ in dignitate cõstitute nõ facilè criminibus notãdæ.

tionis verbo illic vtitur, neq; talis abrogatio recepta vnquàm à principibus fuit. Igitur licèt alijs prætereà duobus modis glossa illic textum interpretetur, satis sit nobis altero duorum modorum respondere, scilicet aut quòd id restringendum est ad pia legata, vt explicatur cap. Ita tim proximo, relatũ. quæ quidem legata minorem exigunt solennitatem. Vel fortè meliùs quòd cùm episcopatus Hostiensis esset in territorio ecclesiæ, potuit Papa præcipere vt non seruarentur leges ciuiles. Nam profectò neq; in pijs causis vbiq; admittitur iure legatum illegitimi testamenti. Tametsi hæredes de honestate illa doceat implere.

Aliæ solutiones. c. cũ esses.

Ad primũ principale i principio. cõclusionis.

ARgumenta autem in capite quæstionis obiecta nullius sunt ponderis. Respondetur enim ad primum, finem legis dupliciter cessare posse: scilicet aut generaliter in republica, aut in particulari casu: & quando cessat primo modo: cessat lex: quando verò non nisi in particulari, non cessat, vt latè expositum est. Quod autẽ Adrianus subdit de correptione fraterna, nulla similitudine pugnat. Præceptum nanq; correptionis fraternæ non habet pro fine commune bonum, sed particularem emendationem fratris: & ideo quando ille cessat, superuacanea esset correptio. Finis autem legum annullãtium illegitimos cõtractus, est bonum commune: quod nunquàm cessat. Item præceptũ correptionis fraternę, est affirmatiuum: quod non obligat nisi quando & vbi oportet: leges autem illæ sunt generales. ¶ Ad tertium demum respondetur nullũ esse inconueniens vt quis citra suam culpam & negligẽtiam ob fortuitum euentum cohibeatur de suis bonis disponere, vt pax tuta sit in republica. Leges nanque non valent singularia cuncta cauêre.

Ad tertiũ

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm præscriptio dominium in possessorem transferat.

EXpediuimus membrum prius publicæ autoritatis, quæ cohibere potest legitimum dominium nè sua bona pro suo libito dispendat. Sequitur ergo secundum, quod est ad auferendum quoque ciuibus eadem ipsa bona. Et peculiariter id disputabimus in præscriptione: de qua quæritur vtrũ præscriptio dominiũ ab inuito domino auferat, & cõferat possessori. Et arguit̃ de more à parte negatiua. Respublica, nisi qñ ipsa indiguerit, neminẽ ciuiũ expoliare potest inuitũ sua substantia, præterq; ratione delicti, vsu autem venire potest vt absque vlla prorsus dñi culpa aut negligentia quispiã triginta quadragintaq; annis possideat alienũ: ergo tunc nulla est causa cur eiusmodi possessor dñium acquirat. ¶ Secũdò, Si præscriptio tãta pollêret vi, sequeret vt possessor malæ fidei præscriberet. Nã si causa legis fuit dñm ob negligentiã punire, non est dignus minori pœna dum possessor mala fide possidet, q̃ dũ possidet bona. ¶ Tertiò arguitur. Si mala fides intra tẽpus præscriptionis ad restitutionẽ obligat, sequit̃ q; etiã qñ possessor dubitat an res quã possidet sit aliena, ius præscriptionis impediatur. Cõsequẽs tñ videtur esse cõtra Augustinum. 34. q. vnica: can. si virgo. vbi ait, Tam diu quẽq; possessorem bonæ fidei rectissimè dici, quàm diu se possidere ignorat alienum. ¶ In contrarium autem est autoritas Gelasij. 16. q. 3. can. Præsulũ. & can. quicunq;. can. placuit. 1. quibus decernit, præscriptionem triginta annorum, etiam inter episcopos & ecclesias vim obtinere.

SEcũda pars humanæ potestatis qua princeps reipublicæ tã ecclesiasticæ q̃ ciuilis potest ab inuitis tum bona sua auferre, tum etiam in aliorum trãsferre dñium, Primum ratione subueniendi reipublicę, vt ar. 1. dictũ est, vim suã exercere potest: nẽpe vt dum ei opùs est ciuium subsidio, eos ad cõtributionem cogat: quoniã sumus, vt ait Paulus ad Rom. 12. mẽbra vnius corporis: & ideo tenemur succurrere corpori nro: Secũdò prætereà ratione delicti potest malefactores bonis suis multare. Etem quod per quodcũq; peccatum mortale ipso facto delictor suis sit priuatus bonis, iam suprà tanquàm hæreticum reiectum est. De alijs autem modis quibus princeps hac fungitur potestate nihil ad præsentem locum, solùm enim de præscriptione nobis est quæstio. ¶ Igitur præscriptio nomẽ iuris est: idem nimirũ significans quod, per possessionem præscripto à lege tẽpore protractam dominium rei acquirere. Et quãuis nõ solũ inter Doctores, verùm & quandoq; in iuris eõtextu explicationis gratia, distingui consueuerit inter præscri-

Quibus titulis possit respublica ab inuitis ciuibus bona auferre.

Præscriptionis definitio

præscriptionem & vsucapionem, quòd præscriptio sit rerum immobilium, vsucapio vero mobilium: tamen crebrò etiam iura ambabus promiscuè vtũtur vocibus. Vsucapere enim nihil aliud est q̃ vsu vendicare: hoc est per vsum legitimo tempore continuatũ rei dominium acquirere, vt legitur. ff. de vsucapi. l. vsucapio. idq; ipsum est p̃scribere. Loquendum autem est vt plures, & sentiendũ vt pauci: & ideo non est cur non eâdem vtamur distinctione. Itâque vsucapio duobus modis differat à præscriptione, scilicet & ratione materiæ, vt modò dicemus: & ratione temporis, vt dicere pergimus. ¶ Igitur quoniam hîc tantùm de foro conscientiæ disputamus, supponamus tam Imperatorum q̃ Pontificum leges. Vsucapio nanque rerum mobilium triennio fit, aut quadriennio: vt habetur Institu. de vsucap. & C. eod. l. quas actiones. Præscriptio verò altera est longi temporis: altera verò longissimi. Præscriptio longi temporis per decennium inter præsentes, & per viginti annos fit inter absentes: vt eod. Insti. subsequiẽ: & eâd. l. C. & C. de præscrip. lõgi tẽp. l. malæ fidei. Ratio enim postulat vt p̃sentiũ negligẽtia, nẽpe, q̃ in eâdẽ prouincia, vel in eâdẽ vrbe cõmorantur, breuiori tẽpore puniatur, q̃ absentium, ad quos nõ tam citò penetrare potuit rerum notitia.

Quãto tẽpore fiat vsucapio.

Præscriptio lõgi tẽporis & lõgissimi.

Præscriptio autẽ longissimi temporis est triginta annorum inter præsentes, & quadraginta inter absentes, quæ in rebus ecclesiasticis est necessaria. De qua ideo præscriptione plura extant capitula. 16. q. 3. Et. l. citata, quas actiones. hæc omnia distinguntur: scilicet quòd decennalis & vicennalis præscriptio in sæcularibus sufficiat, tricennalis autẽ & quadragenalis competat religiosis rebus. Vsucapio verò triennio fiat inter præsentes, aut quadriennio inter absentes. Atque hoc propr. è loco vsucapio à præscriptione distinguitur. Romana verò ecclesia, vt illic subiungitur, gaudere debet tempore centum annorum: itâque contra illam breuiùs non præscribitur. Quocircà etsi Imperator præcedẽti lege, Vt inter, omnibus ecclesijs hoc tempus centum annorum indulsisset: modò tñ sola ecclesia Romana illa gaudet, iuxta tenorẽ eiusdẽ authẽtici, quas actiões. vt habeť. 16. q. 3. cap. nemo. ¶ His ergo prænotatis quæstio nostra est an in conscientia qui præscriptis tẽporibus rem possedit, quãuis postea resciuerit eam esse alienam, tutò illam possideat. De qua re tres sunt diuersæ opiniones: duæ nimirum extremæ: quarum altera tenet quòd semper est iudicandum secundùm leges concedentes præscriptionem cũ mala fide. Et hæc est glossa cap. finalis de præscriptionib. Altera verò quòd quanuis bona fide toto tempore legis quis rem possideat, nihilo minùs quotiescunque resciuerit eam esse alienam, etsi in foro exteriori res sibi possessa adiudicetur: tamen in conscientia nunquàm est tutus quousque eam restituat. Et hæc est Summa Rosellæ, in verbo, præscriptio. ¶ Inter has ergo nos media via incedentes, duabus conclusionibus ad quæstionem respondemus. Prior est. Nemo beneficio humanæ legis sana conscienti a præscribit, nisi toto præscriptionis tempore bona fide possideat. Conclusio est expresè asserta in illa regula Iuris, Possessor malæ fidei non præscribit. Est autem recolendum, secundùm ciuiles leges olim possessoribus etiam malæ fidei rem possessam fuisse adiudicari solitam, vt gratianus adnotauit. 16. quæsti. 3. cano. dilectio. §. potest. Et expresè habetur cap. vigilanti. de præscrip. vbi refertur Ephesinum legislatorem propter vitandam miserorum segnitiem, & longi temporis errorem & confusionem, primum omnium tricẽnalem vel quadragenalem præscriptionem lege sanxisse. Alexand. verò tertius. eod. cap. eadem leges vel confutat, vel saltem moderatur, quãtum ad hoc quòd possessoribus malę fidei non faueant: eandemque reuocationem seu moderationem Innocentius tertius in Concilio Lateraneñ. confirmauit eod. titu. cap. fina. Et ratione probatur. Possessor malæ fidei dicitur ille qui conscius est aut dubius rem quam possidet non esse suam. Accipitur enim hîc fides pro conscientia, secundùm illud Pauli, Quod non est ex fide, id est conscientiæ cõcors, peccatum est. Qui autem contra cõsciẽtiam rem alienã possidet, in peccato perdurat: & qui addubitat, scrutari tenetur veritatem: peccatũ autẽ nemini suffragatur: ergo eiusmodi possessori nullum patrocinatur ciuile ius. Atq; hanc rationem huius cõclusionis assignat eod. cap. Innoc. Quare glo. quæ dicit non credere Papam potuisse leges illas reuocare, nullius profectò est probabilitatis. Nam etsi potestas Imperialis distincta sit à Pontificia, neque sit, vt illi aiunt, quos suprà refellimus, simpliciter & absolutè illi per omnia subdita: tamen quia quantũ ad animarum regimen, spiritualis temporali

Opiniones duæ extremæ.

Prior cõclu.

Olim possessor malæ fidei præscribebat secũdùm leges.

Corrigitur ius antiquũ

Quis possessor malæ fidei.

Quod in rebus ecclesiæ locũ nõ habeat nisi q̃dragenalis præscriptio.

Cõtra ecclesiam Romanam nõ præscribitur nisi centũ ãnis

diuinitùs est prælata, potest leges ciuiles delictorum fautrices de medio tollere: qualis certè est q̃ possessoribus malæ fidei faueret. ¶ At quò res patentior fiat, vel glossa illa vult leges ciuiles possessoribus malæ fidei in conscientia tradere rem possessam. Et iste esset intolerabilis error: esset enim contra naturam quòd latro aut qui mutuum accepit, propterea quòd decem aut viginti annos in mora sit soluendi, dominium acquirat. Aut vult id tantùm, vt sentire videtur, & sanctus Thomas quotl. 12. ar. 25. interp̃tari, quòd negligenti domino post illud tempus non detur petẽdi ratio: quemadmodùm decepto citra dimidium iusti pretij denegatur in iudicio actio, licèt alter teneatur in conscientia excessum iusti restituere. Sed neque hic sensus vlli est æquitati consonus: quoniam in emptionibus & venditionibus præsumptio legis est quòd cùm pretia rerum non sint ita planè omnibus cõperta, possit quis ignoranter & bona fide sesquialtero pretiorem vẽdere vltra iustum: & ideo denegatur altèri actio ad rescindendas lites. Quòd autem nefarius latro, aut vsurarius, aut qui mutuum accepit, per manifestũ diuturnũq̃ peccatum ius acquirat, vt legum beneficio protegatur nè cogatur soluere, nulla fert ratio: etiam si alterius negligentia id commereretur. ¶ Posterior cõclusio. Possessor bonæ fidei elapso legitimo tempore, tuta conscientia rem tanq̃ propriã possidet: quoniã lex ciuilis dominum ipsum re vera cõstituit. At, ne per ignota vlteriùs progrediamur, explicare congruit quænam sint ad bonam fidem requisita. Ad quod respõdetur, exacta esse quatuor. Primùm omnium requiritur substantia ipsa fidei: hoc est scientia vel credulitas quòd res sit tua. Vbi enim fundamẽtum hoc non adest, tota præscriptionis machina labascit, ¶ Secũdò requirit possessio. Nam vt habet regula iuris. sine possessione nõ præscribit, neq; vsucapitur: vt. ff. de vsuc. l. sine possessione. Quapropter cũ ius spirituale laicis nõ cõpetat, licèt laicus ius allẽget possediisse exigẽdi decimas quadraginta vel quinquaginta annis, nunq̃ præscribit: quia non est possessionis capax: neq; res illa est præscriptibilis. Potest inquã laicus decimas recipere ex concessione, non tamen q̃ penes ipsum sit ius exigẽdi. hoc est imperãdi earũ solutionem. Pariter neq; seruus, neq; Mẽdicantiũ religiosus possidere potest: atq; adeò neq; præscribere. ¶ Tertiò deposcit titulus vel naturalis, vel iure legitimus, vel præsumptus. Qua ratione fur, & vsurarius nullo tẽpore præscribit, quia possidet sine titulo per vim. Eâdẽ ratione neq; mutuatari⁹. Nã licèt titulo mutuationis acquisiuit dñium, illo tamẽ pacto vt redderet. Si autẽ latronis filius bona fide hæreditatem paternam adiuit: nimirum credens bona illa legitimè fuisse acquisita, & toto tempore præscriptiõis illa fide possidet: transacto illo, quanuis innotescat fuisse aliena, tutus manebit in conscientia. Et pari modo qui à latrone bona fide rẽ alienam emit: vt habetur. ff. de vsucap. l. si aliena. Nam licèt ille titulus non sit verè naturalis, est tamen lege præsumptus. Eâdem ratione in calce superioris libri diximus, q̃ cũ sententia iniqua nemini in conscientia ius auferat aut conferat, fit vt qui per talem sententiam mala fide rem acquisiuit: nempe quia quando lata fuit: sciebat esse iniustam: nullo tempore præscribat. Nam perinde recipit ac latro. Si autem arbitratus esse iustã, possidere cœpit: sed tamen infra tempus præscriptionis in notitiam sibi venit sententiam fuisse iniquam, tenetur restituere. Attamen vbi legitimum tempus præscriptionis transierit, licèt posteà id nouerit, non tenet. Nam postq̃ legitimo titulo, hoc est lege præsumpto rẽ bona fide possedit, factus est eius dominus. ¶ Quartò requiritur eandẽ bonã fidem toto tempore absq; interruptione cõtinuari, vt expressè habetur. c. fina. de præscrip. Nam si interrupta fuerit: nempe quia dñs petijt, aut alia via: tũc tẽpora illa interrupta non censentur vnum legitimũ cõstituere. An verò qui de re illa quam possidet ambigit sitne sua, præscribat, quia longiuscula est disputatio, post conclusionis demonstrationẽ adiunget. ¶ Reuertamur ergo his suppositis ad secundã cõclusionem, quã, vt dicebã. Summa Rosella simpliciter negat in verbo. præscriptio: & vt Syluest. eodem verbo, §. 13. refert: Anton. quoque de Bu. in cap. vigilãti. quia credere nequeũt, leges vero dñio legitimos dños priuare posse eò, q̃ in leui fint negligentiæ culpa: esset enim, vt arbitrã tur, cõtra ius naturæ: sed tantùm denegatur eis petitionis actio. Et aiunt isti more suo hanc esse opinionem Theologorũ: quos tamen si vidissent, secùs pronũtiassent: cùm diuus Thomas quotlib. 12. articu. 25. & Scotus. 4. dist. 15. & omnes conclusionẽ à nobis assertam meritissimò teneant. Adria. autem eo modo ꝓcedit quo superiori articulo: nẽ-

Posterior cõclusio.

Quæ requirũtur ad bonã fidem.

Laic⁹ nõ potest præscribere ius exigendi decimas.

Mẽdicãtiũ religiosus non potest

quicq̃ præscribere.

Qui à latrone rẽ emit potest illam præscribere.

Negant. ll. secũdũ alios veros dños dñium priuare ꝓpter negligentiam petendi.

opinio Adriani.

pe

pe q vbi negligẽtia veri domini ad culpam pertingit mortalẽ, tunc qui præscripsit tutus est in conscientia, etiã si posteà intellexerit rem esse alienam. Cui quidem iuri illud supponit fundamentum, quòd Imperator est dominus orbis: & ideo potest dominium ab vno in alterum transferre. Attamẽ si ille non fuit mortaliter negligens, tunc licèt in foro exteriori res præscribenti adiudicetur, tenetur tamen in conscientia restituere. Ratio eius est illud suum axiôma peràm intellectum: Cessante causa legis, cessat subinde eius vinculum: cùm ergo lex prę scriptionis in culpa negligentis rem suam fuerit condita, illa cessante, cessat præscriptionis causa. ¶ His veruntamen non obstantibus absolutè asseritur conclusio, quòd qui bona fide præscripserit, siue dominus negligens fuerit, siue secùs, tutus manet in conscientia, quanuis transacto præscriptionis tempore, resciuerit alienum esse quod possidet. Conclusio probatur non solùm authoritate diui Thomæ, & Scoti, & Theologorum, vt modò dicebamus: verùm & sacrorum Canonum Gelasij & concilij Toletani. 16. quæstio. 3. & Augustini loco citato, cano. si virgo. 14. quæst. vnica. & de præscription. can. sanctorum & multis alijs. Et quod dictæ leges non solùm approbentur à Pontificibus in foro exteriori, sed etiam cõscientiæ, solidissimum sumitur argumentũ ex cap. vigilanti. & cap. fina. de præscriptio. Nam postquàm illic consultissimi Pontifices præscriptionem duntaxat malæ fidei irritauerint, à contrario sensu illam cõfirmant quæ bona fide subnititur. ¶ Sed quò ad rationes descendamus, nulla est illa Adriani, nempe quòd Imperator sit dominus orbis: tum quòd illud falsum est, vt suprà cõmonstrauimus: tum q etiam si dominus esset regnorum orbis, non tamen rerum habet dominium, vt pro suo libito possit res alienas vsurpare: quod suprà quoq; ostensum est. Pręterea quia non solùm Imperator, verũ & reges & inferiores principes possunt facere leges de translatione dominiorũ, etiã si non sint rerũ domini. Ratio ergo est quam art. 1. declarauimus: nẽpe q reipublicæ princeps. tanq̃ pacis custos, vt potest criminosos suis bonis multare, ita & ab ipsis inuitis pro bono pacis suorum dominia in alios traducere, idque lege, vt suprà diximus, in foro poli cogente, atque adeò possidentis conscientiam pacante. Alioqui, vti suprà arguebamus, si conscientiam possidentis eiusmodi leges non quietarent, tum frustraneæ essent, tum etiam iniquæ quãdoquidẽ ei rem adiudicarent, qui tamen eam tuta conscientia possidere nequiret, idemq; per sententiã, quæ, non ex falsa præsumptione, sed ex certa scientia procederet. Isti enim talem principibus negantes in conscientia facultatem tanti faciunt hæc bona exteriora, vt arbitrentur esse ceu supremum reipublicæ finẽ: cùm tamen nos Christus tantoperè contra admonitos curauerit, vt ad redimendum tẽpus contendentibus nobiscum de tunica, re linqueremus & palliũ. Hæc quippe sancta meditatio antiquis legislatoribus altiùs in corde insidebat quàm iudicibus modò: & ideo huiusmodi condiderunt præscriptionis leges. ¶ Hinc ergo gradum aduersus Adrianum faciamus. Quatuor enim inter alia argumentis eius opinio confutatur: hæc scilicet q si dominus non fuit mortaliter negligens, dominium non amittit. Primum, quod in iure nulla eiusmodi legitur exceptio: quam tamen sancti Pontifices conscientiarum consultores, non prætermisissent. Secundũ, q etsi vulgò non alia præscriptionis dausa circunferatur q̃ culpabilis dñi negligẽtia: si iura tamen & rationes consulas, non hæc est potissima, sed certè bonũ publicũ, vt scilicet certa sint dominia, & error longi temporis tollatur, & tranquilla sit rerum possessio. Audi legem primam. ff. de vsucap. Bono publico introducta est vsucapio, nè scilicet quarundam rerum diu & ferè semper incerta dominia essent: cũ sufficeret dñis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. Et cap. vigilanti. de præscriptio. Ephesinus, inquit, legislator, solùm propter vitandam miserorum segnitiem, & longi temporis errorem & confusionem, primus tricennali & quadragenali præscriptioni vigorem legis imposuit. Non ergo lex punitiua fuit alienæ culpæ, sed consultiua communis boni. Atque adeò non ille, sed hic fuit potissimus finis. Quapropter illo cessante, nihilo minùs lex præscriptionis ius tribuit in conscientia. ¶ Tertiò, in coroborationem huius arguitur. Si culpa domini finis fuisset legis, profectò vel iniqua fuisset, vel q̃ rarissimè suum assequeretur effectũ. Nam culpa negligentis bona sua per q̃ rarissimè, quod isti nõ aduertũt, est peccatũ mortale. Enimuerò prodigalitas, vt omnibus in cõfesso est genere suo non est mortale. Oõ idq; neque

Sententia authoris.

Respondet Adriano.

Quatuor argumẽtis cõfutatur sententia Adri.

qui sua bona negligit, mortaliter vnquã peccat, nisi accidẽtarie nẽpe in casu grauis necessitatis familiæ aut pauperum quos sibi alere iucũbit: ergo propter illã culpam raro cõtingeret præscriptionis iustitia: nõ ergo illa fuit causa. ¶ Quartò deniq;, vt superiùs arguebamus, etsi ille fuisset finis, nihilo minùs illo in cuẽtu particulari cessante, nõ subide legis vigor extinguit: sed si in cõmuni cesset. Est ergo tutus in conscientia qui legitimè præscribit, etiã si posteà illi innotuerit rem possidere quæ fuit aliena. ¶ Supereſt ergo tandem id examinare quod suprà in lite reliquim⁹. Diximus enim ad bonã fidem exigi, vt neq; possessor dubitet rem esse suam: sed id certò credat: aliàs possessor esset malæ fidei. Enim uerò glos. cap. fina. de præscriptio. aliter sentit. Nempe quòd dubitans. etiam si iustam habeat dubitandi causam, nihilo minùs est in bona fide. Et citat pro se. §. bonæ fidei. l. qui scit. ff. de vsur. Eôdemque vergit Panormitañ. quòd ait ad literam probari, ex cap. si virgo. suprà citato. 34. quæst. vnica: vbi ait Augustin. tamdiu bonæ fidei possessorem rectissimè quenquam, dici quàm diu possidere se ignorat alienum: cùm verò sciuerit, tunc esse malæ fidei. Qui enim dubitat, vt cẽ set Panor. ignorat. ¶ Et arguitur præterea in fauorem huius opinionis. Qui dubitat rem quam possidet esse suam, potest illam bona cõscientia in iudicio defendere, donec â se euincatur: hoc est iudicio subtrahatur: manet ergo semper in bona fide. ¶ At verò absq; dubio cõtrariã sentẽtiã crediderim: nempe q̃ tempus quo quis, non quidem tenuiscrupulo, sed probabili coniectura dubitat rem esse suam, non annumeratur præscriptioni: imò tempus eius legitimum interrumpit. Et ratio est quòd iam habet conscientiæ vulnus, atque adeò fides eius non est bona: nam bona idem est quod sana & quieta: atque adeò ille iam non ignorat rem esse alienam, vt vult Augustinus, quod re vera Panormitan. vt probè Adrian. in. 4. in quæsti. de præscriptio. ait, non attentè animaduertit: quia non erat dialecticus. Ignorantia enim, altera est puræ negationis, id est carentia scientiæ, quæ stat cum dubio: altera verò prauæ dispositionis, quæ est contrarium iudicium. Augustinus ergo non loquitur de hac posteriori, vt putat Panormitanus, sed de priori. Haud inquam vult possessorem in bona fide manere quàm diu ignorat, hoc est quàm diu non certè iudicat aut opinatur rem esse alienam, sed quã diu ignorat, id est, nullam habet vel probabilitatem vel coniecturam, sed certò credit esse suam. Id enim sonat bona fides, id est illæsa conscientia. Neque illud. §. citatum. ff. de vsuris. contrarium insinuat. Illic enim tantùm habetur, quòd si quis fundum bona fide ab vsurario emit, sed anteqàam fructus perciperet agnouerit esse alienum, hoc est probabiles habuerit coniecturas, potest quidem fructus percipere quoadusque fundus euictus sit, hoc est publico iudicio sublatus. Non autem habetur quòd illa conscientia tempus præscriptionis legitimæ continuet. ¶ Ad rationem autem quam nos adiecimus Adrianus respondet, nemini esse licitum rem illam possidere quam dubitat esse suam, nisi quantum temporis sibi conceditur ad inquirendam veritatem. Quin verò subdit paulò inferiùs regulam, videlicet quòd sicut iniustè quis capit rem de qua dubitat an sit sua, ita & iniustè tenet & possidet. At verò profectò regula hæc in primis falsa est, totique iuri aduersa. Enimuerò cùm melior sit possidentis conditio, non tanta scientia requiritur ad retinendum id quod possides, quanta ad capiendum priuata authoritate id quod non possides. Et ideo sub dubio tueri possum quam habeo possessionem rei, quam sub eodem dubio non possem ab alio suscipere. Quando ergo rem habeo de qua dubito, hoc est sub formidine iudicio esse alienam, si nemo ex me petat, explorare teneo veritatem: quã si assequi neutiquàm possum, non ideo teneor totam dimittere, sed pro ratione dubij vel cum illo diuidere quem dubito esse dominum, vel partem erogare in pauperes. Ratio ergo quare dubium tollit bonam fidem, non est quia sub illo non possum rem in iudicio defendere, vel illa vti: sed quia, vt diximus, saucia tunc conscientia non meret nomẽ bonæ fidei ad pscribendũ. ¶ Post hæc autẽ nõ est filẽtio prætereũda opinio quam Adrian. ex his modò dictis sibi elicit: nẽpe vxori quæ hæsitat an vir cui coniungitur verè ac legitimè suus sit, non solùm non licere officium debitum ab illo exigere, verùm neque ipsi exactum reddere. Et ad cap. dñs. de secund. nuptijs. vbi præcipitur reddere, respondet id intelligendum esse in foro exteriori: cogetur enim habitare cum illo. tamen ei non licet cum ipso se amplexu maritali

Opinio, q̃ iure dubitans an res sit sua bona tamen fide possidet.

Contraria sentẽtia au toris.

Ad argumẽtũ & primã opinionẽ.

Regula Adrian.

Regula impugatur.

Quare dubium tollit bonã fidẽ.

Opinio Adria. de reddit ione debiti.

maritali commiſceri: perinde ac ſi poſt clan cularias nuptias, viuente priore viro cogeretur habitare cum ſecundo. Ratio verò eius eodē ſemper peccato delinquit. Putat enim quòd ſicut dubius de re ſua non poteſt illā poſsidere: ita & dubia illa nō poteſt ad virū accedere. Quæ profectò cōcluſio, ſicuti & ratio falſiſsima eſt: & illi. c. dominus. planiſsimè contraria. Illic enim nō dubitatur de foro exteriori, ſed de conſciētia. Obidq; diſcrimen interponitur inter debitum reddere & poſtulare. Et ratio eſt plana. Nam maritus legitimam habet poſſeſsionem vxoris: qua ideo nō poteſt vxor eum expoliare per hoc quod habeat dubium quouſq; ſit certa: ſicuti ego nō poſſum ſurripere ab alio ſua bona per hoc quod dubitem eſſe mea. Et ideo illa legitima poſſeſsio vxorem excuſat à fornicatione dum debitum reddit. Idq; expreſsè habetur cap. laudabilem. nè lite pend. longeq; apertiùs cap. inquiſitione. de ſententia excō. à quibus profectò capitulis Adria. in omne ſe vertens latus, neutiquàm extricare valet. Quòd enim in cap. inquiſitioni. de ſedandis cōſcientijs habeat ſermo, planè inde colligitur quòd ſit trimembris diuiſio: nempe vt qui coniugū certus eſt, coniugium non eſſe legitimum, potiùs ſententiam excommunicationis humiliter ſuſtineat, quàm vt reddat vel petat: qui verò leui temerariaque credulitate id credit, confeſſario ſuo parens, reſputo ſcrupulo, & reddat & petat. Qui verò probabili credulitate laborat, non reddat, ſed petat. ¶ Hoc autem mihi profectò maiorem inijcit ſcrupulum quòd in illis capitulis, Dominus. &, Inquiſitioni. ille qui dubius eſt, petere cohibetur. Ex quo ſtatim fit conſequens, vtroque hæſitante neutrum poſſe debitum petere. Et ratio ſcrupuli mei eſt, quòd ſi qui dubitat indagandæ veritati diligentiam adhibuerit ſufficientem, neque tamen illam poſsit aſſequi, non eſt cur arceatur à petendo: aliàs maneret abſque ſua culpa ſemper ligatus, vt neque præſente coniuge vti poſſet, neque ad alterum tranſmeare. Quòd conceſſu durum eſſet. Et ideo exiſtimo dicta cap. ſic intelligi, quòd ille qui probabiliter dubitat, dum non facit diligentem inquiſitionem, reddere quidem poteſt, ſed non petere: quia eſt in mala fide: illa tamē facta, arbitror, ſub aliorum cenſura, poſſe etiam petere: quia iam eſt in bona fide. Nam tūc vanum eſt habere poſitiuè aſſenſum, virum illum non eſſe ſuum. ¶ Argumenta ergo omnia in aſſertis cōcluſionibus planè ſoluta ſunt. Primi enim antecedens negatur: nēpe non poſſe rempublicam quenquā niſi propter crimen ſuis bonis priuare: imò poteſt propter Pacem. Et quantum ad ſecundum iam ſatis explicatum eſt quēadmodùm poſſeſſor malæ fidei non præſcribat. Et circa tertium pariter quemadmodùm dubitatio bonam etiam fidem interrumpat.

Impugnatur opin. Adri.

Ad argumēta in prīcip. concluſionis.

QVAESTIO SEXTA, de reſtitutionis ſubſtātia.

S. Tho. 2. 2. q. 62.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm reſtitutio ſit actus commutatiuæ iuſtitiæ

ALterum præambulum quod vitijs pertractandis, iuſtitiæ commutatiuæ contrarijs debet quiſq; prænoſcere, eſt reſtitutiōis neceſsitas, eiuſdemq; legum modus & forma: nempe vt quę in ſubſequentibus libris oſtēderimus aut ſublata p̄ iniuriā eſſe aut retineri, conſtet qua lege ſint redhibenda. Prima ergo quæſtio eſt de reſtitutionis ſubſtantia: in cuius primo articulo interrogatur an reſtitutio ſit actus commutatiuæ iuſtitiæ. Primum enim quod ad inueſtigandam, definitionem inquiritur, eſt genus. ¶ Arguitur ergo à parte negatiua: Primò ſic. Reſtitutio nihil à ſatisfactione diſtat: promiſcuè nanque vtimur vtroque nomine: quin verò & iura pro eodem vtrunq; videntur accipere: vt extrà, de iniur. & da. dato. c. ſi culpa, vbi cùm iubetur tam pro dāno dato quàm pro iniuria ſatisfactionem fieri, vtraque eodem nomine, ſcilicet tam damni reſtitutio, quàm ſatisfactio pro iniuria, comprehenditur: ſatisfactio autem eſt pars pœnitentiæ pro offenſa in Deum cōmiſſa: inter Deum autem & nos nō eſt ratio iuſtitiæ cōmutatiuæ: quia (vt. 5. Ethic. Ariſto. autor eſt) Dijs & parentibus æquale reddere nō valemus: reſtitutio ergo nō propriè ad cōmutatiuā attinet iuſtitiā. ¶ Secundò arguitur. Reſtitutio non tantū locū habet in commutationibus, verū etiam in diſtributionibus: vt dum quis non diſtribuit præmia ſecundùm

meritorum pōdera,refundere ei tenetur qui minùs iusto recepit: ergo nō tantùm cōmutatiuæ,sed & distributiuæ etiam actus est.

¶ In contrarium est q̄ restitutio ablationi opponit:ablatio autē alienæ rei, peccatū est iniustitiæ circa commutationes: restitutio ergo eiusdem est iustitiæ actus quæ in commutationibus dirigendis versatur.

Restitutionis etymologia.

PRo solutione quæstionis notandum est, restituere(vt nominis compositio præ se fert) idem esse quod iterum quempiam in suum locum & ius statuere : haud enim huiusmodi nominum allusiones & etymologiæ vilipendendę sunt:quoniam cùm nomina sint conceptuum notę,talia curare debēt linguarū conditores rebus indere, qualibus rerū natura explicetur,primū imitantesparē tem nostrū,qui idem obseruauit, secundū illud Gene.2.Omne quod vocauit Adam animæ viuētis, ipsum est nomē eius.Est autem restitutio, verbum Latinis celebre . Dicitur enim quisque in suum locum , dignitatem ac ius restitui,perinde atque homini restitui bona sua.Vnde.ff. de verb. & rer. signific.l. plus est habetur plus esse in restitutione q̄ in exhibitione. Nam exhibere est præsentiam corporis præbere:restituere est etiā possessorē facere,fructū reddere, &c. Vt si quis vi raptus est.aut per iniuriā in carcerem intrusus,suisq; bonis expoliatus, non restituitur,licèt exhibeaṫ,hoc est,liberè permittatur ad proprios lares remeare,nisi in locum suū pristinū statuaṫ. ¶ Hinc ergo colligitur cōclusio huius quæstionis.Restitutio est actus iustitiæ cōmutatiuæ.Probatur. Cōtraria ad idē genꝰ pertinēt, vt in Præd.c.8. Aris. docet auferre autē rem alienā inuito dño,est vitiū iniustitiæ circa commutationes: restitutio autem est recompensatio contraria:est ergo eiusdem generis iustitiæ. Secundò. Restitutio,vt legitima sit, fieri debet ad æqualitatē rei quæ ablata est : siue per iniuriam sublata sit, vt furto & rapina : siue per dominivoluntatem:vt mutuo & cæteris contractibus: æqualitas autem rerum(vt.5.Ethico. Aristo. docet)per iustitiam commutariuam constituitur:hac nanque ratione à distributiua distat, q̄ illa non constituit æqualitatem, nisi inter proportiones meritorū & proportiōes præmiorū:est ergo restitutio actus cōmutatiuæ iustitię.Ex quo fit vt restitutio propriè locū nō habeat nisi vbi ratio debiti intercedit . Si enim quis dono mihi dedit cētū:post verò ego,vt gratiā illi referā, tantundē redōno:nō est cēsenda hæc mea gratiæ relatio restitutionis nomine.Nā etsi similitudinē quā dam restitutiōis habeat materialē, vt aiunt: idcircò quòd res eadē redditur : deest tamen restitutionis forma,puta obligatio à qua restitutio & speciē & nomen sortitur. Ob idq; donatio illa nō ad iustitiam commutatiuā, sed ad liberalitatem potiùs spectat.. Neq; verò opùs est ad restitutionis naturam vt eadem numero aut specie res quę accepta fuit, reddatur:tametsi primæua eius significatio id videatur auribus exhibere:sed satis est q̄ tantundē valeat.Enimuerò sicut commutationis appellatio: quæ propriè in rebus fit, vt commutatio vini pro oleo, & merces pro pecunia, ad actiones & passiones est more & vsu translata:sic & restitutionis nomē extensum est. Vt si quis mihi contumelioso verbo iniurius fuit, quem ego postea fuste cæcidi,quædam fieri potest commutationis compēsatio.Et pari ratione qui iniuriam irrogauit,potest eam pecunia resarcire.

Conclusio.

Iustitia commutatiua & distributiua quomodò differāt.

Restitutio non est vbi debetū non erat.

ARgumenta verò in cōtrariū obiecta non nihil afferunt difficultatis. Ad primū ergo respōdetur, q̄ etsi nōnunq̄ duo hæc nomina,satisfacio, & restitutio, vsu confundātur, quādo scilicet res in controuersiam nō veniūt : lōgo tamē interuallo actiones ipsæ differunt. Ad verò quæ differre monstranṫ, ostendi priùs debent quo pacto cōueniant, nam(vt initio huius ex Aris.5.Ethi. c.1. citatū est)quo res æquiuocæ viciniores sunt & propinquiores,eo magis æquiuocatio latet. Sit ergo primū nostrū assertum. Satisfactio perinde atq; restitutio ad iustitiam pertinet cōmutatiuam: nam vtraq; fit secundū æqualitatem rei ad rem,in quo commutatiua iustitia à distributiua seiungitur, qua præmia secundū dignitatē personarū distribuuntur. Enimuerò qui iniuria alium læsit, ad æqualitatis mēsurā debet ei satisfacere . Scio equidem Scotum in.4.dist.14.q 2.cōstituere pœnitētiam sub iustitia vindicatiua,quam speciem esse putat distributiuę. Consideratēm pœnitentē nō solū tanq̄ reū,verū tanq̄ ministrū iustitiæ Dei:qui quidē pœnitēs de se ipso suppliciū sumit.Quapropter cum satisfactio sit pars pœnitētiæ, subsequēter cōcederet ad eādē iustitiā pertinere:vt puta cū quis ieiunijs & vigilijs se affligit.Atq; hanc sentētiam amplexus videṫ.S. Thom.4.dist.15.q.1. art.1.Attamen multò fortè congruētiùs pœnitens

Ad primū argumentū

Opinio Scoti de pœnit.

nitens non consideratur ceu minister iustitiæ vindicatiuæ, sed tanquàm offensor, qui de iniuria lata se accusat & pro eadem satisfacit ei in quem cõmisit: offensam puta Deo, vel homini, vt iudicis vindictam effugiat.

Opinio diui Tho. de pœnitẽtia alia ab Scot. sententia.

Quam ob causam idem S. Doctor. 3. p. q. 85. ar. 3. pœnitentiam sub iustitia commutatiua collocat: etiam quantum ad satisfactionem si bene inspiciatur articulus: nã afficere quẽquam iniuria, eodem redit, ac si rem illi abstuleris: & ideo satisfacere pro offensa eiusdem est iustitiæ, ac si rem ablatam rependas.

Septem differentiæ inter restitutionẽ & satisfactionem.

At: verò quoniam Deo corporeum aliud post contritum animum reddere gratius nõ possumus quam corporis castigationem, apparet in satisfactione respectu ipsius quædã punitionis forma: secundùm famosam illã Augustini definitionem, Pœnitentia est quę dam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse. ¶ Huic igitur ratio in qua restitutio cum satifactione conuenit, subijciuntur septem differentię inter easdem duas virtutes. Atqui prima sumitur ex parte materiæ: quã differentiam cõstituit S. Tho. 4. dist. 15. q. 1. ar. 5. Inæqualitas nãq;, quæ iustitiæ commutatiuæ contraria est, duobus modis vsu venit. Vno in rebus exterioribus, vt dum quis rem alienam occupat: altero verò in actionibus & passionibus iniuriosis, vt cùm quis ciuem violenter verberat, aut conuitijs aspergit. Modus prior restitutionẽ exigit, qua in rebus ablatis æqualitas constituitur: posterior verò expostulat satisfactionẽ: vt videlicet de commissa culpa fiat proximo compensatio. Itaq; satisfactio nõ est nisi vbi iniuriosum crimẽ adfuit: restitutio verò etiã vbi nulla inter fuerit ablationis culpa. Hoc autem discrimen vel ex ipsis vocibus innotescit. Restituere nãq; est reddere quod ablatũ est: satisfactio verò quia pars est pœnitentiæ, est iniuriam resarcire. Consequitur ergo ex hac propositione tanta disgregatio inter satisfactionem & restitutionem, vt licèt quãdoq; ambæ concurrant, possit tamen altera absq; altera reperiri. Exemplum accipe. Latrones & fures qui vi aut furto alienam domum compilauerint, tenentur in primis ad restitutionem eorum quæ rapuerint: & præterea de illata iniuria satisfacere: puta aut petendo veniam, aut alia via. At vero cùm quis nihil surripuit, sed tamen aut conuitio aut manuum iniectione iniuriam fecit, satisfacere potest per supplicem submissionem, vel per alia grata officia citra restitutionem. Et

De quibus restitutio et de quibus satisfactio.

ecõuerso qui æs creditori debet quod ab illo mutuatus est, restituere quidẽ tenetur: satisfacere verò non item: quia nullum commisit crimẽ, quoadusq; in mora est soluendi. ¶ Secunda differentia ex hac prima enascitur, respectu illorum quibus fit satisfactio & restitutio. Illa enim non solùm hominibus, verùm & Deo, eidemq; præcipue fit: restitutio vero proprie solis hominibus. Prior pars est certa. Quoniam licet in proximos contingat etiam peccare, quos diligere vt nos ipsos tenetur, atque adeo illis ratio vlla satisfactionis debeatur: propriè tamen in Deum solum peccatur: dicente Augustino, peccatum esse dictum vel factum &c: contra legem Dei & regio Propheta confitente. Tibi soli peccaui. Haud enim proximorum læsiones scelera essent, nisi Dei autoritate fuissent inhibita. Nam etsi lex naturæ obliget, illa etiam obligatio ab authore Deo dimanat: sicut & lex humana: nam per me, inquit Sapientia, Prouerb. 8. Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Ex quo fit consequens vt ei proprie debeatur ad iustum satisfactio: quæ vel hic vel in purgatorio persoluenda est. Vnde Leuit. 6. cautum erat vt ille qui vi aliquid extorsisset, aut fecisset calumniam, aut quidpiam simile commisisset, omnia integra primùm restitueret: mox pro peccato offerret Deo arietem immaculatum. Fit ergo propriè satisfactio Deo. Haud quidem negandum, vt quidam contendunt, quin suo quoque gradu fiat hominibus, sed tamen maximè fit Deo. Restitutio verò non illi, sed solis hominibus, Et ratio est in promptu: quia Deo nihil proprie auferimus, neque auferri vllo modo potest: licèt per analogiam ad nos, dicamus illi per peccatum honorem adimi: sicuti ait Paulus Romañ. 2. Tu autem Iudæus cùm sis, Deum inhonoras? Prætereà neque ei possumus quicquam reddere quod illi ac crescat. Etenim quia Deus est, nostrorum bonorum non indiget. Quanuis per eandem analogiam satisfactio quæ illi fit, dicatur esse honoris restitutio. ¶ Ex his rursus sequitur tertia differentia inter has virtutes, ab effectuum diuersitate percepta. Per restitutionem non remittitur peccatum, sed tãtũ cessatur à peccando: per satisfactionem verò remittit quantũ ad pœnã, remissa culpa: eò q; est solutio pro peccati debito. Hũc aũt effectũ sortitur virtute passionis Christi. Quo id circò caret si extra eius gratiã fiat. Restitutio

Secunda differentia.

Quibus fiat restitutio quibus itidẽ satisfactio.

Propriè in solũ Deum peccatur.

Omnis obligatio legũ authore deo est.

Tertia differentia.

Extra gratiam, per se

tisfactionē nil pœnæ remittitur.

autem legitimè fieri inter homines extra gratiam Dei potest, quin etiam extra amicitiã humanam: quod satisfactioni repugnat. Et

Quarta differentia.

hæc est quarta differentia. Enimuerò qui inimico, quod ab illo mutuo receperat, integrũ reddit, perfectè restituit: licèt eum in suam amicitiam non recipiat: ei autem qui iniuria affectus est non fit satis, nisi per amicitiæ reconciliationem: nisi fortè per ipsum quo minùs fiat, stetur. Hæc quippe ex diuersis debitorum radicibus pensanda sunt. Restitutionis inquam debitum non nascitur ab iniuria, sicuti satisfactionis. Et ideo licèt illa non habeat pro fine amicitiam: hæc nõ fit legitimè nisi illa recuperetur, quæ amissa fuit, gratia. At verò etsi ob satisfactionem quæ Deo fit, pœna ab ipso condonetur peccatori: non tamen ideo censenda est propriè restitutio: vt in. 4. dist. 15. ar. 5. placet Richardo. Arbitratur enim quod peccator restituit quod Deo debet. Est enim hæc verbi abusio: quia, vt diximus, neq; Deo quicquam adimimus, neq; illi acquiritur quod in remissionem culpæ ei

Quinta differentia.

offerimus: Imò fit tũc debiti remissio. ¶Huic ergò quartæ subnectitur quinta intercapedo: videlicet restitutionem non esse pœnitẽtiæ partem, veluti est satisfactio: sed dũtaxat est præambulum vt quis à peccato desistat. Etenim si quis alienum æs contraxit, quod dum est soluendo, inuito domino, retinet: vel iniuriam quam illi intulit diluere recusat: non potest digne ad pœnitentiam accedere, nisi ab illo delicto per restitutionẽ euelatur. Itaq; restitutio contritionem, quę ordine prima est pœnitentiæ pars, antecedit: satisfactio verò et iam cõfessionem, quæ secunda est: subsequitur. ¶Ex quo deniq; colligitur sextum discrimen. Satisfactio arbitrio

Sexta differentia.

sacerdotum virtute clauium constituitur, eademq; in illis tribus generibus, scilicet in oratione, ieiunio, & eleemosyna: restitutionem

Septima differentia.

verò ad æqualitatẽ quisque tenetur sua sponte facere, vel sententiæ parere iudicis. ¶Septimum præterea si libet interuallum accipito. In purgatorio nulla fit, fierive expectatur restitutio: sed tantùm fit satisfactio, seu potiùs

Nulla hic restitutio facienda homini in Purgatorio remoratur.

satispassio. Hoc dixerim ad depellendum errorem vulgi, quod arbitratur defunctos in purgatorio remorari quousq; restitutiones quas hic suis cõmendarunt, executioni mandentur. Est enim deridiculum. Haud siquidem lex esset digna Deo si sanxisset vt quis pro ea culpa pateretur quæ nullatenꝰ in sua est iam libertate. Alioqui si hæredes nunq; restituerent, nunquã miser ille exiret illos purgatorios carceres: qua vtique ratione purgatorum verteretur in infernum. Viderit sibi scilicet quisq; quomodo in hoc sæculo restituere mandauerit. Nam si negligens fuerit, etiam si culpa remittatur, luet in purgatorio pœnas: quanuis post eius obitum illicò fiat restitutio: illis autem pœnis persolutis, etiam si nũquàm restitutio fiat, liberabitur, Ineptissimè enim in contrariũ adducitur, quod ego meis auribus audiui, illud Augustini, quod statim articulo proximo audiemus, Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, Illud nanq; de remissione culpæ intelligitur in hoc sæculo: quia qui non restituit, reus est semper culpæ. Ecce quanta intercapedine satisfactio & restitutio distent. Ex qua dilutio colligitur prioris argumenti. ¶Ad posterius autem probè respondet S. Tho. quòd restitutio illius quod per iustitiam distributiuã conferri omissum est, ad iustitiam spectat commutatiuam. Nam quanuis illud nunquam fuerit ab illo cui dandum erat possessum, fuit tamen debitum: & ideo quodammodo sublatum: ac subinde functio commutatiuæ iustitiæ est, idem rependere. Quo fit (vt scitè Caieta. colligit) quod si princeps aut dominus aliquot annis distributionem prætermiserit, quam inter conscriptos ciues facere tenebatur, & posteà pœnitentia ductus restituere constituerit, non debet præsentibus tunc ciuibus restitutionem facere: sed eorum defunctorum hæredibus, quibus viuentibus debebatur.

Ad argumenta.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm sit ad salutem necessarium, rei quæ ablata est, restitutionem fieri.



SECVNDO articulo, qui apud S. Tho. primus est, supposita restitutionis interpretatione, de eius est necessitate respõdendũ. Vtrùm scilicet ablatire stitutio sit ad salutem necessaria. Et arguitur ad negatiuam partem. Ad salutem animæ, hoc est ad vitam æternam consequẽdam, satis est seruare mandata: secundùm verbum Domini, Matthæi. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quod si quis in culpam fuerit collapsus, satis est quod per pœnitentiam quæ secunda est tabula post naufragium, conscientiam abluat: restitutio autem neq;

inter

inter præcepta neq; inter partes pœnitẽtiæ, vt suprà dictũ est, cõnumerãtur: ergo non est hoĩbus necessaria. ¶Secũdò arguitur. Si restitutio esset necessaria, maximè qa aliquo est præcepto imperata: id autẽ in Decalogo nullũ extat, præter illud, Nõ furtũ facias, hoc verò negatiuũ est: præceptũ autẽ restitutiõis affirmatiuũ esse deberet. vt nomẽ ipsum sonat ergò nullũ est tale præceptũ. ¶In cõtrariũ est Augustin. in epist. ad Macedo. quę refertur. 14. q. 6. Si res aliena propter quã peccatũ est, reddi posit & nõ redditur: pœnitẽtia nõ agitur sed simulatur. Si autẽ veraciter agitur, nõ remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

QVæstio hæc nemini dubia esse potest. Vnica ergo conclusione absoluitur.

Conclusio. Ablatorũ restitutio sic necessaria est, vt absq; illa durare nemò posset in gratia Dei, illam ve recuperare. At verò in gratiã S. Tho. expo nẽdi sunt termini: eò q hic secũdus articulus subobscurus, quin truncatus etiã nõnullis videt. Ait em̃, id quod iniustè ablatũ est restitu

Exponitur D. Thomas tioni esse obnoxium: quod verò iustè, minimè. Cùm tamen tã mutuatũ, quod quisiustè sustulit, q̃ pretiũ rei credito emptæ sit etiã restituendũ. Notandũ ergo est quemadmodũ nos. S. Tho. proprias rerũ locutiones docuerit. Illius enim quod quis vel mutuo vel quo

Quãdo quis in tempore reddit quod ex cõtractu aliquo ciuili debet, nõ dicitur restituere. libet ciuili contractu accepit, nõ propriè ad restitutionẽ cõuincitur, quoadusq; sit in mora & culpa: nã mutuũ vel pretiũ ante statutũ tempus reddere, nõ est necessariũ. Et dum in tẽpore redditur. non dicit propriè restitutio eò q cũ creditor illucvsq; sua sponte carcere: illa re, nondũ cẽsebatur minùs iusto habere, aut suo iure & statu esse deiectus: sed dicitur illa vel simplex redditio mutui, vel solutio pretij. Quãuis largo modo restitutio dicatur

Restitutio solum locũ habet in rebus iniustè ablatis vel retentis. Nomen igitur restitutionis strictè solùm in rebus ablatis locum habet, puta quæ vel per iniuriã surreptæ sunt: vel si iustè fuerint acceptæ, iniustè tamen vltra cõstitutum tempus retinentur. Et ideo ait Augustin. non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatũ. Quod autem ait D. Tho. id quod iustè ablatum est, in æqualitatẽ esse restitui, non intelligas de mutuato, aut de pretio rei futura moneta vendi tę, aut de similib⁹ quæ iustè accipiũtur, sed vt reddantur: at de illo quod quis, quia suum erat accepit: vt depositum suum, aut laboris mercedem, aut dono datum, aut quid simi-

Iam probatur conclusio. le. His præhabitis probatur conclusio. Iustitia commutatiua est ad salutem obseruatu necessaria: restitutio autem importat reddi-

tionem illius rei quæ iniustè vel aufertur vel retinetur: quæ quidem redditio opus est iustitiæ commutatiuæ: ergo illa est necessaria. Hinc fit cõsequens, præceptũ extare restitutionis, idque sub reatu mortalis culpæ obligans. Aliter non esse ad salutem simpliciter necessaria. Etenim qui rem detinet alienam inuito domino, & iustitiam violat, & subinde proximi charitatem. ¶At pro exactiori eiusdem conclusionis examine intelligamus in primis quo gradu certitudinis habenda est: an scilicet sit pro veritate Catholica reputãda. Hoc pro eo interrogauerim quod Guido Carmelita inter Græcorum alias, hanc quoque hæresin connumerat, quod eorum sacerdotes nullam furibus & latronibus restitutionem pro manifesta rapina iubebãt: sed oleo simplici illos inungentes absoluebant. Illa duntaxat iniuncta pœnitẽtia, vt sibiipsis furtorum partem impartinent. Nescio tamẽ qua essent insania illi correpti, qui ita desipe rẽt. Lutherani nanq; (vt est ar. 35. Lutheri ad Leonem videre) satisfactionem inficiantur: hoc tamen colore quod Christus abundè delictis totius mundi satisfecit: nesciẽtes discernere inter satisfactionem quo ad sufficientiam, & quo ad efficaciam. Quod autem restitutio non sit necessaria, non solùm hæresis, verùm phrenesis est. ¶Hic autẽ lectorem ad monitum facere non præteribo, vt si inciderit in Erasmi adnotationes, vsq; ad quartam editionem, caueat ab illo adnotamẽto quod Luc. 11. super verbo illo, Quod superest, date eleemosynam. subiecit tale: Illud adnotandum, cùm modò fecerit mentionem rapinæ, non fieri in remedium mentionem restitutionis: tantùm pollicetur eleemosyna data, omnia fore munda. Quo sanè loco visus est restitutionis necessitatem, vel infirmare, vel negare. Post tamen æditione quinta, notam hãc, quam sibi ipse inusserat abrasit. Ad rem igitur vt redeamus meritò dicebam huiusmodi hæresim in phrenesim incidere. Cautũ enim in Decalogo est: Non furtũ facies: qui autem rem alienam inuito domino retinet, perinde habet ac si furtum faceret, pro eodẽ enim prorsus recedit, rem alienam subripere eandemq; retinere. Vnde Paul. ad Rom. 13. Reddite oĩb⁹ debita: cui tributũ, tributũ &c. Et vt cũcta expressiori emphasi cõplecteret, subdit negatiue: Nemini quicq̃ debeatis, nisi vt inuicẽ diligatis. Huius autẽ vocula, nisi, ille nobis sensus placuit, qui non est exceptorius, sed potiùs expositorius. Nam cùm rem

Græcorum amentia ex Guidone.

Lutherani satisfactionem inficiãtur.

Erasmi documẽtũ reiicitur: quod & ipse reiecit.

alienam

alienam vsurpare dilectioni proximi obuersetur,admonet nos vt nihil debeamus, videlicet vt syncerè diligamus. Tametsi Chrysost. & Augustin. veneranter sint auscultandi: qui exceptionis gratia illud Pau.aiũt addidisse. Quasi admonuisset vt dilectionem semper deberemus: quippe cuius debitum quantũcunq; soluatur,nunquam cessat. Item Christus Matth.22.Reddite quæ sunt Cæsaris,Cæsari:& quæ sunt Dei,Deo. Imò verò qui rem non abstulit,sed bona fide possidet,quoties constiterit esse alienam,naturali ratione doctus,tenetur illam domino tradere. Vnde Thobias, vt eius tradit historia, cap.2.cùm vocem balantis hedi, quem vxor attulerat, audisset: Videte,inquit,nè fortè furtiuus sit: reddite eum dominis suis:quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.In summa, Deus Ezech.33.nemini pœnitentium veniam pollicetur, nisi priùs pignꝰ rapinamq; reddiderit. Adde quod eodem iure quisquis rem nouit furto sublatam, tenetur eam domino indicare. Sic enim intelligendum est verbum Hieronym. super illud Prouerb.26.quod refertur extrà, de furtis c. qui cum fure. vbi ait,qui cum fure partitur: vel secundùm aliam literam,participat, scilicet,in crimine,occidit animam suam. Nõ ergo fur solus, verùm & ille reus tenetur, qui furti conscius,quærente possessore non indicat. Haud tamen tenetur occultũ furem prodere,sed furtum pandere.

Ad argumenta. PER hæc ergo ad primum argumentum contra quæstionem respondetur, concessa priori assumpta:nempè satis esse ad salutẽ si quis innocenter viuat per expletionẽ mandatorum:posterior vera perimitur. Etenim qui furto commisso aut illata iniuria corruerit in culpam, nunquàm inde resurget nisi præuia restitutione:nam aliàs semper tenebitur reus furti,aut illatæ iniuriæ:quod est contra Decalogi prohibitionem. ¶Contra hanc autem solutionem non desunt argumenta. *Arguitur cõtra solutionem.* Primum enim statim præforibus extat huiusmodi. Nemo reus est furti aliusve detentionis,cui constat legitimum dominum consentire,aut consentire debere: lex autem charitatis hoc vinculo videtur mortales & maximè Christianos conglutinare,vt corporalia hæc & temporalia quisque propria saluti spirituali proximi posthabeat:ergo quisque cõsentire tenetur vt alius possideat bona sua nè iniustè alius retinendo occidat propriam animam. Hoc argumentum sunt qui arbitrentur alicuius esse ponderis:cùm tamẽ nullius sit prorsus. Respondet enim Adrianus quod etsi dominus rei fortè consentiat, hoc tamen non constat ei qui iniustè possidet:& ideo contra conscientiam retinet. Solutio autem non eneruaret argumenti vires, si vllas haberet: nam satis esset quod illi constaret, debere dominum consentire. Respondetur ergo facilimè quod quanuis quisq; teneatur salutẽ animæ proximi ordine charitatis pro prijs bonis corporis & vitæ etiam temporali anteferre(vt S.Tho.2.2.q.26.arti.5. autor est) attamen hic charitatis ordo solùm obligat exponere corporalia bona pro tuenda salute animæ proximi, quando vel talia bona sunt illi simpliciter necessaria,vel quis ex proprio officio curam gerit animæ illius. Alioqui solùm ad perfectionem charitatis hoc pertinet. Vnde cùm ille qui alienam rem iniuste vsurpat,nõ id propterea facit quod extremam necessitatem illorum bonorum patiatur:sed ex sua libidine & corrupta voluntate,non tenetur dominus consentire in illã iniustam possessionem. Simile est in mortis articulo cùm quis alium inuadit occidendi animo. Aiunt enim quidam nimirum misericordes,quod inuasus potiùs debet permittere sui occisionem, quam alium mortaliter delinquẽtem interficiat,vt sua tẽporali morte æternam euitet in proximo. Sed re vera nulla hoc ratio probare poterit: quia vita illius qui inuaditur,non est inuadenti necessaria:& ideo quia iniustè illã petit, potest alius illam defendere:etiam si sciat alterum in peccato mortem obire. An verò sit consilium suam ipsius mortem permittere pro salute alterius, non est præsentis negotij disputare:maiorem enim charitatem nemo habet quam vt animã suam ponat pro amicis suis.

Ad secũdũ argumentũ Dub.an ex præcepto prohibeat furtum & præcipiatur restitutio. ¶Secundo argumento petitur dubitationis solutio,quæ forsan non ad rem tantum spectat,quam ad nomen. Videlicet an diuersa sint præcepta,quo furtũ prohibetur, & quo restitutio præcipitur. Etenim quod eadem sit præceptio,est argumentum primũ,quod idem pollere videtur:Non furtum facies. &, Non retinebis alienũ. Sic enim negatiue ait Paul.nemini quicquam debeatis,Et S.Tho. 2.2.q.66,ar.3.detinere,inquit, id quod alteri debetur,eandem rationem nocumẽti habet cum acceptione iniusta. Et ideo sub iniusta acceptione intelligitur etiam iniusta detentio. Mox arguitur:quod si præceptum restitutionis

tutionis singulare esset, non posset nisi affirmatiuum existere: præceptum autem affirmatiuum non obligat pro semper: restitutio verò facienda est absque mora: nam quãdiu quis in ære alieno manet inuito domino, quasi fur reputatur. Vnde fit vt semper & pro semper teneatur restituere. Nihilo seciùs exactior loquutio erit si dicamus duo esse quodam modo præcepta. Illud scilicet abstinendi à furto, merè negatiuum: hoc autem restitutionis, affirmatiuum, implicans in se negationem, quo prohibemur rem alterius detinere: vt. 2. 2. q. 62. ar. 8. author est S. Tho. Et hoc patet ex obiectorũ diuersitate. Actiones enim malæ prohibentur negatiuis præceptis: bonæ autem affirmatiuis mandãtur: furari autem malum est: restituere verò, bonum. Idem patet ex forma Christi: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Quare Paulus ambo copulauit, scilicet, Reddite omnibus debita: & nemini quicquam debetatis. Falsum erigo est idem esse prioris vel obiectum vel præceptum: reducitur tamen hoc ad illud Decalogi, Non furtum facies. Et per hoc responsum est principali argumẽto. ¶ Ad illud autẽ q̃ modò de præceptis affirmatiuis subijciebamus, respondetur, quod licèt mandatũ restituendi affirmatiuũ sit, nihilo minùs propter id negationis quod includit non habet circunstantiam temporis, sicuti alia, definitã sed sua substantia est vt statim & absque mora fiat. Hæc autem mora accipienda est secũdùm ciuiliũ morem. Dicitur enim quis esse in mora cùm rei opportunitatem nactus, non statim operatur, Quapropter (vt postremo articulo huius libri repetẽdum est) obligatio huius præcepti quantum ad actum animæ interiorem, est, vt cùm primùm cuiq; cõstiterit rem possidere alienam, animo proponat reddere: non tamen est in culpa si statim non reddat, quousque habita tum creditoris copia, tum opportunitate soluendi, soluere amplius distulerit. An verò quam diu quisque in mora durat, tã diu crescat culpa: & an aliquando eadem innouetur: ad eũdẽ postremum articulum huius libri pertinet satisfaciendo respondere.

Solutio dub.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm omnia in vniuersum quæ quis vel ab alio abstulit, vel inuito domino retinet, teneatur restituere.

POST substantiam necessitatemq; restitutionis videre tertio loco restat amplissimam eius obligandi vniuersalitatem. Quæritur ergo vtrùm omnia in vniuersum ablata & retenta, teneatur homo restituere. Et arguitur à parte negatiua. Duo sunt bonorum genera in quibus quis alteri nocere potest, scilicet spiritualium, & temporaliũ: spiritualium autem non est necessaria restitutio: ergo cùm sint tẽporalibus præstantiora, fit vt neq; temporalium sit necessaria. Minor exemplo monstratur. Enimuero qui alterum ad peccandum induxit, nihil illi restituere tenetur: tum quod ille libere fecit. tũ quod & ipse se potest in pristinum statum restituere. ¶ Secundò. Si quis â monachatus professione vel cohibuit, vel abstraxit, eisdẽ prorsus rationibus modo adductis, nihil ei restituere cogitur: ergò neq; in hoc casu restitutionem facere est operæ pretium. ¶ Tertiò In bonis temporalibus maximum est vita: sed qui vitam alteri, vel membrum abstulit: nulli restitutioni manet obnoxius: quia ad impossibile nemo obligatur: quale est vitam aut membrum restituere. ¶ Quartò. Nemo ad peccatum obligatur: quandoq; autem fieri nequit restitutio citra culpã. vt puta cùm quis alienam famam reuelatione occulti criminis denigrauit: ergo eiusmodi restitutio neutiquam est necessaria. ¶ Quintò. Honor quem quis alteri contumelijs deturpat, nullatenùs restitui potest: quia ad præteritum non est potentia: ergo illic locum non habet restitutionis vinculum. ¶ Sextò. Dum quis cuipiam impedimento est nè aliquod spirituale sacerdotium assequatur, auferre id illi censetur: nam (vt Philoso. 2. Phys. text. 56. author est) quod parùm distat à re, nihil distare videtur: & tamen nullo innodatur restitutionis nexu: quia præbenda non debet ab altero auferri, vt priori conferatur: ergo nõ est omnium in vniuersum necessaria restitutio ¶ In contrariũ est diuina sententia, Ezech. 33. Si impius egerit pœnitentiam à peccato suo fecerit q̃; iudicium & iustitiam, & pignus restituerit, rapinam q̃; reddiderit. &c. vita viuet. vbi omniũ insinuatur necessaria restitutio.

QVæstionis huius conclusio statuitur affirmatiua. Omniũ in vniuersum quæ quis vel iniuste sustulit, vel iusto aliquo ciuili contractu accepta retinet, præceptum est, restitutionem fieri. Neq; verò nouis opùs est re-

Conclusio.

est testimonijs aut rationibus post ea quæ proximo articulo dicta sunt. Enimuero vt prohibitio furti, sic & restitutionis præceptio, generalis est, vniuersa complectens. Et ideo nisi aliqua de causa excusatio contingat, aut attenuatio culpæ, semper est mortalis eius transgressio. Excusatio autem fit aut per ignorantiam, aut per impossibilitatem: absolutio verò ab obligatione per domini voluntatem, illam remittentis: sed attenuatio contingit ratione tenuitatis materię. Nã qui parũ retinet, nihil retinere videtur, ideoque leui tangitur culpa.

Tria hoĩm bona.

AT verò argumenta quæ obiecta sunt nõ parùm cõsiderationis postulant. Et quoniam tria sunt mortalium bona (vt. 7. Polit. cap. 1. Arist. meminit) scilicet animæ & corporis: atque illæ facultates quæ extrinsecùs possidentur, decere existimauimus secundum eorum dignitatem ordinem sequi dicendi.

Bona animæ subdiuidũtur.

Bonorum autem animæ alia sunt naturalia vt intellectus: alia verò acquisita, sed tamen temporalia, vt scientia: alia denique simpliciter spiritualia, vt virtus & gratia. At verò de prioribus nulla est necessaria peculiaris disputatio: sunt enim simpliciter temporalia bona: & idcirco qui hominem (vt exemplũ ponam) vel præstigijs vel alia via dementaret, vel per vim aut fraudem à literarum studio diuerteret, teneretur ad arbitrium prudentium damnum, sicuti in alijs temporalibus, reficere. Restat ergo vt ab spiritualibus exordium capiamus, qualis est gratia, & quibus ipsa nutritur, virtutes. De his enim primum argumentum propositũ est. Ad quod Scotus. 4. dist. 15. q. 3. art. 1. & Richardus eadẽ dist. ar. 4. q. 2, quem ibidem sequitur Paludanus: & in materia de restitutione Adrianus: respondent affirmando quod quicunque alteri est causa peccati, ipsum scilicet inducendo, obligatus sit restitutioni, sic vt cõmodiori qua poterit via eum teneatur in Dei gratiã reuocare, suadendo illi vt resipiscat, orandoq; pro eo, eũque pro posse iuuãdo. Quin vero addit Adrianus neminem posse suorũ restitutionem bonorum spiritualium remittere veluti corporalium: vt pote quorum nemo prẽter Deum dominus est. Et quidem si iacturam tantùm inspexeris quam homo facit cùm de diuina gratia decidit, hoc certissimũ est quod tanto exitialiùs perniciosiusq; nocet qui proximum cõsulto in talibus bonis nocet, quàm si noceret in corpore, quanto anima pretiosior est corpore, & gratia Dei vniuerso orbe. Vnde Gregorius, quod refertur. 6. q. 1. cap. ex merito. Deteriores, inquit, sunt qui vitam, moresq; bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. ¶ Attamen licèt alij prudẽtiùs me forsan iudicent, nihilo minùs nullam mihi videor rationem videre quæ hanc sententiam confirmet, quam præfati doctores affirmant. Et primùm omnium quãtum ad culpam. Qui dedita opera idq; ex odio contendens proximum procurat de gratia Dei expellere, & in eius inimicitiam conijcere, enormiùs peccat quàm si vitæ temporali pararet insidias, quia longè nocentius malum intendit. At verò cuius propositum non est proximo sic enormiter in spiritualibus nocere, sed vel suum commodum assequi, vel suam explere voluptatem: non tanta grauitate delinquit, quàm si eius diriperet bona temporalia. Ecquis enim asserat eum qui liberam mulierculam corruptam, absque vlla vi & fraude solicitet, etiam si vel precevel pretio vrgeat, tã graui crimine cõplicari, q̃ si bonorũ eius copiã deprædaretur? Re vera nulla est in tali assertione apparentia rationis. Fallax ergo est argumentum: Plus nocet: ergò grauius peccat. Cætera enim non semper sunt paria. Enimuero qui aliena bona surripiunt, id faciunt inuito domino: vnde iniuria ac subinde culpa suscipit incrementum: qui verò alium allicit ad malum, nullam infert vim aut necessitatem, atque adeò neque iniuriam. ¶ Sit ergo secunda conclusio superioris expositoria. Qui alterum in crimen conijcit vi aut fraude, tenetur eatenùs illi restituere, vt quem seduxit veritatem doceat: & si vim intulit, liberum relinquat vt in bonam redeat mentem. Decepit quis fortè hominem, docens non inesse culpam vbi erat: puta quempiam contractum non esse vsurarium, qui tamẽ erat, ob quam deceptionem exercet ille talem contractum: in tali casu tenetur fallax ille homo docere alium veritatem, nè falsus male agat. Quapropter hæresiarcha qui hæreses seminauit, tenetur recantare palinodiam, & quantum in se fuerit conuellere iniqua semina. Eodem iure si ego quempiam induxi vt inimicitias gereret cũ inimico meo, & mea causa illas exercet, teneor illum liberum relinquere nè simili causa mali. Conclusio manifesta est: quoniam ego sum causa nõ solùm ob quam deliquit, verùm ob quam in delicto persistit. ¶ Tertia conclusio.

Ad primũ argumentũ Scotus.

Adrianus.

Nonsemper qui plus nocet grauius peccat.

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

conclusio. Si quis alium absq; vi & fraude in duxit in peccatum, etiam si consulto & ex animo induxit, alius autem scit se esse in peccato, estq; ei liberũ exire dum voluerit: tunc inducens non tenetur peculiari præcepto iustitiæ commutatiuæ restituere, sed generali præcepto correctionis fraternæ sicut cæteros. Prior pars probatur. Primùm, iste inducens propriè loquendo nihil ab altero sustulit: nam aufert nemo quidpiam nisi ab inuito: qui autem sciens & prudens peccat, quantumuis precibus alterius succumbat, non facit inuitus: aliter non peccaret, dicente Augustino in De vera relig. & 1. lib. retract. Peccatum adeò est voluntarium vt nisi sit voluntarium, non sit peccatum. 15. q. 1. c. quod autem Respondent autem Scot. & sui, quod licèt taliter inducens non sit tota causa peccati, exigit nihilo minùs pars causæ & occasio, & ideo manet quodã pacto restitutioni obnoxius. Contra hoc tamen est argumentum. Quando ego precum improbitate donũ alicuius quod ab amico citra vim & fraudem extorqueo, nullatenùs illi teneor vt restituã vi iustitiæ: nisi mea liberalitate illi decreuero esse gratus: pari ergò iure qui à muliere vel prece vel pretio consensum expressit in malũ, postquam illa vltrò consenserit, liber est qui extorsit à restitutione: scienti enim & consentienti non fit iniuria: de regul. iur. in. 6. Et facit ad idem tex. cod. titulo, cap. nullus. eodemq; titulo. ff. l. cõsilij. quibus nimirum docetur neminem ex consilio quod fraudulentum non sit, restitutioni obligari. ¶ Secundò aliter idẽ comprobatur. Nemo ei restituere tenetur, in cuius potestate non est restitutionem fieri: Deus autẽ solus est author gratiæ: homo ergo eodẽ vinculo est solutus. Quod si vrgeas saltẽ obligari ad id quod potest, aliter arguitur. Nemo ei adstringitur restituere, qui sua sponte condonat quod sibi ablatũ est: sed ille qui non vult resipiscere à peccato, virtualiter cõdonat quod ablatũ sibi est: quoniã cũ in sua potestate per solius Dei auxiliũ positũ sit diuinã gratiã recuperare, si nõ recuperat, videtur illam sua culpa negligere: atq; adeò alter sit à debito liber, qa nõ retinet alienũ. Etenim si ego furto sustuli auri põdus quod ex positũ manifestumq; reliquo domino, vt quãdo ei libuerit possit sine meavllius ve alterius opera capere: profectò si nõ capit, censetur illud renuere: atq; adeò ego non amplius teneor facere. Etenim neq; obligor illũ admonere vt capiat, ueq; rogare: Ecce quod tuum est: aut cape, aut abi. Ad nostrum propositũ. Vnde quæso obligor iniquum in bonã mentẽ reuocare, si cùm ipse absq; opera mea possit, minimè vult emẽdari? ¶ Accedũt & argumẽta alia minora: nam secundùm authores contrariæ sententię consequens sit primum, vt si quis mulierẽ quę in sordibus iacebat ad sordidum actum induxit, teneretur eã emendare: quod nulla suadet ratio. Itẽ quod qui non potest eum qui corrumpit inviam reuocare teneatur saltem pecunia pro posse ei satisfacere: licèt diuina gratia nulla sit existimatione pẽdenda. nam in honoribus ita vsu fit: quod tamen in spiritualibus nusquã obseruatur: nulli enim confessariorum tales restitutiones iniungunt. Tertio sequeretur vt qui publicè peccauit singulis eorum quibus fuit occasio ruinæ teneretur restituere. Et accedit profectò (vti ait Sylvest. in verbo, restitutio) non debile argumentum in fauorem huius sententiæ, q̃ cum S. Tho. solertissimus omniũ scrutator de hoc genere restitutionis nihil vspiã meminerit, nullaten⁹ iudicauerit esse necessariũ. ¶ Adiecimus autem in secundo membro quod ligamine correptionis fraternę, quod est charitatis, tenetur talis homo corripere fratrem, & forsan arctiori vinculo quã reliquos, cæteris paribus: nã alioqui quẽ in maiori periculo video, citiùs teneor corripere. Atq; cũ maximè quem quis illata vi in peccatum compulit: vt puta si quis mortis comminatione virgini stuprum obtulit. At neque vinculũ hoc exit lineas correptionis fraternæ. Non inquã ingreditur iustitiæ limites: vnde Exo. 22. solũ sancitur vt qui dormierit cum virgine dotet eam, ducatque in vxorẽ quod autem procuret eam emendare, nõ adhibetur. Hæc dicta sunt non vt habenas perditis hominibus laxemus: est enim enorme scelus hominem alienos mores veluti iniquitatis magistrũ dæmonisque administrũ deprauare. Nam etsi postmodum tãta adhiberetur cura, vt errantem in viã reduceret, peccatum tamen ipsum & tempus quo in peccato quis durat resarcirivix potest. Sed tamẽ admonita sunt vt quisque intelligat quousque Lex restitutionis obligando pertingat.

De secundo argumento.

In secundo argumẽto tãgitur aliud dubiũ huic affine de illo qui quẽquã à religiõis professiõe retraxit, aut inde detraxit. De hoc eñ pari iure, vt eis apparet, isti suprà citati authores pronũtiãt. Palud. nãque eodẽ loco citato adstruere nõ formidat eũ qui alteri propositũ religiõis sic dissuasit vt nẽ intraret persuaderet,

Palud.

deret, vel aliavia eũ vitę monasticæ subduxit teneri ad restitutionẽ in integrũ: nẽpè aut illi ingressum rursus persuadẽdo, aut alterũ ei⁹ loco sustituẽdo, aut, si neutra istarũvia patuerit, obstringitur, inquit, idem ipse intrare. In eandem sententiam subscribit Antonius Florentinus 3.2. parte, titulo. 2. cap. 2. Et nè opinio hæc monachorũ tantùm censeatur propria, sequitur eandem Adrianus in. 4. in eadem citata. q. de bonis animæ restituendis. Et præterea Maior. q. 17. & adducit Palud. exemplũ Raimundi celeberrimi generalis ordinis nostri, qui eadem de causa habitum nostrum induit. Argumentum isti venantur ex cap. si seruus. primo, dist. 54. vbi iubetur episcopo ordinanti seruum nesciente domino duplũ eidem reddere. Inde ergo & fortiore (vt putant) ratione colligunt obligationem restituẽdi religioni in eo exurgere, qui eidem religioni monachum subtraxit. Verum est tamen Adrianũ & alios sententiã mitigare, dicentes tunc esse veram, quando quis vel religionis odio vel alio malo animo id fecit: secùs autem si amicitia ad id adductus est, aut parentum commiseratione. Nam tunc & si peccatum committatur, restitutionis tamen lex nõ ligat. ¶ At verò neq; opinio hæc multum probabilitatis habet. Prima ergo cõclusio sit secundùm moderationẽ Adriani. Qui bona intentione impedimento est volenti monasticum institutum capessere nullam facit religioni iniuriam: quippe quæ nullum dum ius acquisierat. Cui præterea accedit ꝙ licèt monachatus professio in genere, adeò sit Euangelicum consilium, vt nullo sit alio opùs particulari: tamẽ quod hic & modò & cum cæteris circunstantijs tale institutum suscipiat, res est quæ citra iniuriam in consultationem potest ascisci. ¶ Sit autem secunda cõclusio. Nemo qui alteri, etiam iniquo animo monachatum dissuaserit, vel alia illi ratione obstiterit quo minùs monachus fiat, obnoxius subinde fit restitutioni vel eidem faciendę vel conuentui de rigore iustitiæ: sed tantùm tenetur charitatis lege & correptionis fraternæ. Conclusio hæc perinde atq; superior, quin verò firmiùs demonstratur. Primũ enim illi qui à religione retractus est nulla debetur restitutio, quia neq; vi cohibitus est, neq; fraude seductus, atq; adeò neq; iniustitiam passus: nam vbi non inuenitur inuoluntarium: sed spontanea concessio, nulla subest iniustitia: atq; adeò neq; iustitia restitutionem iniungit. Sed tantùm esse illic potest peccatum contra charitatem: quæ ideo charitas postmodùm admonet correptionẽ fraternè fieri. Enimuerò qualem radicem habuit peccatum, scilicet vel contra charitatem, vel contra iustitiã, talis est & virtus cui emendatio competit. Secundùm argumẽtum est superioris simile. Ille qui à religione est impeditus, in sua post habet libera potestate suũ prius propositum exequi: si autem nõ vult, tñc ille qui eum adduxit exoneratus est onere restitutionis. Et sunt argumenta hæc inde fortiora quod pernicioſius est hominem in peccatum contra legem adducere, quam à consilio religionis reducere. ¶ Neque verò restitutio necessario est religioni faciẽda. Nam nullo pacto vrget argumentum quod religio illa & ordo ius quoddam habebat, saltẽ proximum. Enimuerò illud semper dependebat à voluntare illius qui poterat à proposito retrocedere. Quod si sua sponte mutauit, nulla restat obligatio restituendi. Imo eadem ratione addiderim quod etiam si quis à professione neophytũ, puta qui habitu indutus est & catechumenus, absque vi & fraude adduxit, licèt graue committat peccatum, tamen dùm non sit nisi contra charitatem, nulla iustitia eum obligat ad restitutionẽ. Nam si ego istum iam adornantem intrare hanc religionem ad aliam diuerterem, non fio debitor priori cõuentui: ergo nullum habebat ius quod me obligaret etiã si simpliciter extraxissem. Quin verò neq; ille qui iniquissimo animo professo persuaserit exire, planè video quo iure ad restitutionem teneatur. Neque argumentum quod à serui similitudine deducitur prorsus in contrarium cogit. Etenim quicquid de seruo sit, de quo idem iudicium erit in conscientia, quod secundũ leges ciuiles fuerit, non tamen eadem apparet ratio de monacho. Mancipium enim dominus in suam propriam vtilitatem veluti equum suum possidet: de monacho autem non sic censendum. Nam qui se diuino obsequio manciparunt, etsi astrictissimi sint religionis voto, non tamen possidentur vt serui ob Prælatorum temporale commodum, sed ob suum ipsorum spirituale. Quare seruitus illa libertate plena est. Qua licèt monachus abutatur, habitũ exuens, tantùm obligatur lege obedientiæ redire, vt dignus efficiatur regno cœlorum. Et ideo si sua sponte exierit, nulla inde nascitur ciuilis obligatio ad restitutionem. ¶ Tertia conclusio est. Si quis aliũ vi, vel minis, vel fraude, seu retraxerit seu

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Adargumẽtum aliorũ

Tertia conclusio.

rit seu extraxerit à vita monastica: vt pote dicendo non esse bonam: ille, quia contra iustitiam fecit, inuoluntarium hominem permouendo, tenetur, fateor, detecta fraude veritatem docere, & vim amouere, vt liberè possit redire: teneturque forsan propter illatam iniuriam procurare vt iterum in cõuentum recipiatur. Si tamen nõ redit, nullum tamen super est restituendi ligamen. ¶Quarta conclusio. Quãuis quis iuuenem vel impedierit vel abduxerit, vel vi à monasterio expulerit etiam illum qui fuerat professus, neque tenetur alium loco ipsius subrogare, neq; ipse intrare. Hanc conclusionem præterq; superioribus rationibus, hac præsertim mihi persuadeo. Cõsilium religionis nemo nisi cũ omni libertate sequi tenetur. Est enim religio, quippe qua homo ab se abdicat propriam libertatẽ, perdifficilis: obidq; lege sanctè decretus est annus integer probationis. Nullo ergò aut metu aut cõmissione delicti potest quis in religionem obtrudi, etiam si quis monachos plures vt exirẽt peruerteret. Neq; vllus potest casus dominicum illud verbum mutare, quo ait: Si vis perfectus esse, vade, &c. sed vniuersum hoc relinquendum est libero cuiusq; arbitrio. Nemo ad fidẽ nisi spontaneus admittitur: qua ergò lege possumus ad opera consilij inuitum cogere? Contrariũ porrò nos canonicę leges docẽt, quę licèt vel adulteras, vel hęresiarchas, vel scelestissimos alios intra monasteriorum septa atque in arctissimas cellulas occludant, neminem tamen ad professionem religionis cogũt. Isti ergò qua ratione putant institutis monasticis fauere, sunt fortè in religionis vota, quæ liberrima esse debent, iniurij: eaq; dum homines eò cogunt, odiosa reddunt. Accedit huc, quòd forsan retrahenti alium, minimè illud congruit institutum religionis: neq; fortè conuentui expedit. Hac enim de causa statutus est professionis annus: ergò si ante ingressum scit sibi non esse salutare, neutiquam intrare tenetur. ¶Pugnat in super aduersum istos validũ argumentum. Sequitur enim ad eorum opinionẽ q̃ qui professum monasterio ademit, profiteri cogatur. Consequens tamen est cõtra ius concedens probationis annum: quo quis expertus fuerit nõ sibi ex re esse tale institutum, liberè recedat. Accedit præterea q̃ non semper est personarum paritas. Vtrùm vir illustris aut egregiè doctus teneatur ideo religioni se mancipare q̃ religioni vel parũ vel nihil vtilem extraxerit? Extat deinde argumentum q̃ restitutio in foro conscientiæ non obligat nisi illis casibus, quibus si veritas publicè constaret, obligatio secundùm leges oriretur in foro exteriori: at verò neque Papa neq; Prælatorum vllus talis reũ criminis compelleret illo pacto restituere: nulla ergò est obligatio in conscientia. ¶Quinta nihilo seciùs adhibenda est conclusio. Qui conuentum aliquem aut religionem persona aliqua expoliauit, quę religioni erat frugi (nam de inutilibus nullus subesse potest scrupulus) fortè teneretur de damno dato: neq; verò in integrum, sed ad prudentium arbitriũ: vt qui rectorem Cathedræ vel fraude dementaret, vel vi exire constringeret, teneretur de damno cessantium prouentuum. Haud tamen hoc tanq̃ mihi cõpertissimũ statuerim. Imò standũ arbitror tũc foro exteriori: nam (vt dixi) nõ eadem est hìc prorsus ratio quæ de seruo. Hæc autẽ disputata sint de iustitia: nam de cõsilio aliud est. Peregregiè nanq; fecit Raymundus, per suũ ipsius ingressum damnum cõpensando, quod religioni dederat.

Quarta conclusio.

Quinta conclusio.

plicat quando inconsciẽtia quis ad restitutionẽ tenetur.

¶Tertium argumentum iam nos in consiederationem mittit restituendorum temporalium bonorũ, Hæc autem triplici sunt differentia. Alia quippe sunt corporis, alia verò exteriores facultates, ac tertia inter hæc media, puta honor & fama, Quod Ioãnes in sua Canonica dixit: Omnia quæ sunt in mũdo, aut sunt cõcupiscentia carnis, aut cõcupiscẽtia oculorũ, aut superbia vitæ. Inter hæc autem illa sunt nobis congenita penitiùs ac natiua, atq; adeò potiora, quæ ad corpus attinent. In quibus primum est vita quæ per homicidiũ tollitur. De qua S. Tho. ac Theologi summo consensu respondent in tali casu, quia æquiualẽs restitui nequit, sat esse vt fiat possibilis repensatio: veluti quia Deo & parentibus reddere ad iustum non valemus, vt potè à quibus suscepimus vitã, sufficit eis reddere quantũ possumus. ¶At verò operæ precium est hoc presiùs explicare. Atqui in primis recolendum est ex superioribus necessãriam esse homicidæ & restitutionem facere damni dati, & satisfactionem de iniuria: & ideo de vtraq; est dubium in foro conscientiæ: nam in foro exteriori posita est talionis pœna: vt iuxta verbum Domini, Qui gladiũ acceperit, gladio pereat. Hoc autem nihil ad nos: qui tantùm instituimus confessarios ad pœnitentias iniungendas. Dicamus ergò priùs de damno dato. De quo est omnium conclusio, quod si occisus familiam

De tertio argumento, Tria bonorum temporalium genera.

Qualis debeat fieri p vita ablata cõpensatio.

Optime excusat.

sudore proprio alebat, tenetur tunc homicida illud damnum compensare, alendo eandem familiam. Et ratio fit illis comperta ex natura commutatiuæ iustitiæ. Sustulit ille viduæ & orphanis alimoniam: reddat ergò. Sic enim decretum est. c. fin. de iniur. & dam. dato: Si tua culpa datum est damnum, iure superhis satisfacere te oportet. Hi autem ser-
Dubium. mones vniuersales, sunt magis veri & minùs vtiles. Opùs est nanque respondere an quicunq; sit ille homicida: & quanta cunq; fuerit defuncti familia, debeat illā perpetuò sustentare. Maioris. 4. distin. 15. q. 19. dubio po-
Opinio. stremo
Maioris. ait teneri homicidam tantum reddere hęredibus defuncti quantum ipse iudicio prudentium lucratus fuisset tota vita: deductis laboribus, quia non tantum, inquit, debetur quiescenti homini, quantū laboranti.
Impugnatio Hoc autem nihil est dicere: quoniam si illi qui suis manibus victitat laborem ademeris, nihil relinquis: cessans quippe ab opere nihil lucraretur. Item argumentum est contra hoc vrgentissimum. Si enim quis quenquā ab opere & labore cohibet, in integrum tenetur de damno, ac si ille laboraret: nam ille accinctus est operi. Si tu ergò illi obstas, adstringeris ei quod ipse lucraretur refundere.
Scotus. Et ideo Scotus dist. 15, q. 3. ait talem homicidam teneri ad sustentationem familię defuncti: non solùm vxoris & liberorum, verùm si ille matrem quoq; & propinquos nutriebat, vniuersos quoq; cogitur ipse pascere. Et sequitur eum Adrian. eādem distin. citatq; in eandem sentētiam Speculatorem & Panor. dicentes q; quisq; hæredem potest agere pro operis defuncti, quas posset exercere toto
Improbatio. suæ vitæ tempore. Hæc autem regula nō est ad amussim certa, sed dura valde circunspectorū cōscientijs. Sequeretur enim q; homicida ante iudicis condemnationē in summā pauperiē rediget deberet, & talē deberet imponere cōfessarius pœnitentiā. Vnde si homicida pauper est, qui tantum lucratur quantū ille lucrabatur defunctus, teneretur totum dare, & nihil sibi reliquum facere. Quòd si forte ille occisus erat mercator, cui ampli prouentus prouenie bant, & homicida itidem est mercator, teneretur tantundem hæredibus refundere. Adrianus concedere videtur: Maioris verò negat. Nam dicit quòd postquàm familia habet aliunde victum, non tenetur homicida illum ei suppeditare. At verò hoc nihil refert: nam si nudam commutatiuam iustitiam consideres, nil interest sinne hæredes diuites, an pauperes. Etenim (vt 5. q. superioris libri dicebamus) nō hoc attendit: sed præcipit vt quantum ablatum est, reddatur, modo qui abstulit soluendo sit: His ergò prætermissis: certissima quæ hic pōt conclusio stabiliri, est hæc. In his quæ secundùm speciem reparari nequeunt, restitutio est ad arbitrium prudentium facienda. Neq; particularius aliud S. Thomas respōdet: nimirum intelligens nihil posse certius constitui. In hoc autem arbitramento habenda est ratio personarum, tam occisi quàm occidentis, quàm etiam hæredum: nam (vt modò disputabamus) nulla aliarum regularum est solida. Qua propter hæc est quæ prudentibus habetur in vsu. Atq; a deò plus huc conducit prudētum sententia, quàm Theologorum scientia, vel Iurisconsultorum. Quando enim homicida est diuitijs prępotens, maior est ei restitutio iniungenda, quàm si egeret. Et si occisus inutilis erat suis, minor quàm si erat frugi. Est præterea in hisce iniurijs considerandum quòd qualitas defuncti nō tantum pensari habet ex vtilitate ipsius, indigētiaq; suorum, verùm etiam ex valore & dignitate personæ. Namqui virum ingenuum literisve aut alia ratione insignem occidit, ad maiorem multò restitutionē tenetur quàm si personam inferioris classis trucidaret. Falluntur ergò qui arbitrantur ob id quòd non reliquit familiam inopem non esse restitutionem necessariam: quoniā talis persona multò pluris erat quàm alia. Quin verò & occidendi modus, si per insidias, aut fraudē, aut per insignem atrocitatem homicidiū perpetratum est. Hęc inquā omnia venire debent in consilium vt restitutio legitimè fiat, dum modò hęc omnia iniurius possit soluere, etiā cū graui detrimento suorū bonorū. Tamesi, vt ad superius quod dā verbū respōdeamus, nō sit propter restitutionem in foro cōscientiæ in extremam aut grauem necessitatem quisquam cōijciendus. Sed & restati insuper in huiusmodi casibus animaduertendum, id quod in spe est tantùm, non æquipollere ei quod est in re: nam poterat defunctus citò mori, aut languere, ita vt non posset familiam substentare. Idem prorsus dicēdum de mutilatione membri: vt qui manum alteri abscidit tenetur soluere operas medici. & damna, cessantesque labores in integrum: ad arbitrium tamen sapientum virorum. Quòd si quis sententiæ huic obijciat illud Exod. 21. quod iure etiam Canonico de

Conclusio thoris.

iniur.

iniur.& dam.dat.cap.si rixati.pro lege susceptũ est:nempè quòd si percusserit alter proximum suum lapide vel pugno,& ille mortuus nõ fuerit,ille qui percusserit,opera eius & impensas in medicos restituat, cæterùm innocens erit. Respondetur quòd erit innocens respectu homicidij:& si ille qui læsus est,plenè conualuit,euadet tunc & percussor prorsus liber. ¶ Ex his fit consequens quòd non debet æstimari pretiũ huiusmodi læsionum adhibitum illis qui damnum accepit. Amputauit quis manũ alteri,aut eruit oculum:vtrùm teneatur tantum reddere quantum ipse peteret, si ante mutilationem ipse vellet vendere membrum suum? Minimè gentium. Est plebeius qui pro mille aureis nollet orbari oculo:& tamè postquàm iniusus ei est,non tenetur qui eum eruit tantum reddere. Non enim est eadem hîc habenda ratio quæ in rebus recuperabilibus. Si furto surripui equum, debeo vel ipsum reddere: vel simpliciter quantum valet: at quia membra non possunt eadem restitui, non debent tanti æstimari quanti homines illa faciunt quando habent. Quanuis etiam deformitas quæ in mutilo restat, sit etiam repensanda. Sed est tandem adnotandũ quòd inter illustres istæ restitutiones non petuntur. Nam damna facilè condonant:iniuriæ enim sunt, quas nunquam obliuioni tradunt. ¶ Secundò, præter damna data tenetur iniurius satisfacere pro iniuria, sed de hoc quoq; diuersæ versantur opiniones, Est inquam Scoti grauis seueraque sententia loco citato. Ait inquam quòd vbi lex talionis iure sancita est illa est sancta & legitima: & ideò iustè inquit debet illic homicida patienter soluere illam pœnam. Quòd si intelligat dum captus fuerit supplicioq; destinatus debere patienter tolerare,verissimum est. Attamen si intelligat quòd ipse se debeat offerre prætori, hoc profectò nulla probabilitate sustineri potest quoniam nemo reus esse tenetur, ac simul actor, vt sponte se patibulo obijciat: esset enim hoc contra ius naturæ, quod tam truces leges, & præcepta non admittit. Haut tamen credibile est grauem doctorem ita sensisse. Id quod ex subiunctis statim verbis conijcitur. Subdit nanq; quòd vbi lex talionis non fuerit statuta, reus non tenetur sibi eam inferre: quia nullus debet esse homicida sui. Hinc enim colligitur q̃ neque vbi statuta fuerit teneturreus obijcere se iudici. Hoc enim eòdem recideret,ac si eam sibi inferret. Adijcit nihilominùs expedire tunc tali homicidæ vt exponat vitam suam in causa iusta, vt pote in bello contra inimicos ecclesiæ pro restitutione facienda illi cuius vitam abstulit. Et subdit quòd si neque tantam restitutionem velit facere, non potest omninò esse immunis à restitutione. Est satis seuera & rigida censura: quam videtur sibi satis corroborare verbo Christi: Qui gladio occidit,gladio peribit. Et Adrianus cõsentit cum illo. Ego verò fateor quòd neminem possem sic obligare. Christus nanque de vindice gladio reipublicæ loquebatur,quo malefactores pereunt. Imò vero probo viro qui ira succensus vnum homicidiũ fecit,non subinde consilium esset illa de causa committere se bello:secùs si esset cousque perditis moribus vt esset velut publica pestis. Aliter ergo faciẽda est satisfactio pro iniuria, petendo videlicet suppliciter veniam, vel arbitraria pœnitentia. ¶ Quando verò nulla alia patet restituendi via,commoda restitutio est si interfector orationibus & præcationibus mortuum suum apud Deũ adiuuet. Idque salutare est vt in sacramentali confessione pœnitentiæ loco iniungatur. Tametsi,vt verum fatear,iustitiæ obligationẽ de huiusmodi spirituali restitutione planè non video. Neq; S. Thom. illius memi nit. Quamlibet Scot. loco citato necessariam existimet. Neque verò in foro iudiciali compulsio fit nisi de dãno temporali dato, deq; compensiõne iniuriæ. Sed est nihilominùs saluberrimum cõsilium,quando interfectus indiget-Nam si à fide catholica alienus vixisset,ridiculũ esset talis restitutio. ¶ Restat autem dubitationis nonnihil, qui sint illi hæredes quibus faciẽda est restitutio de necessitate. Ait enim Scot. quòd si ille defunctus alebat parentes & alios cognatos & propinquos, omnes tenetur interfector pariter sustentare. Et eum sequitur Adrianus,& alij. Respõdetur tamẽ per temperamentũ huius sententiæ. Sunt enim aliqui hæredes necessarij:nempè qui tale ius habent vt nequeant in totum ab hereditate excludi:sicut sunt vxor & maritus,parentes & filij:hos enim teneba tur pater sustentare si egerent. Qua propter & hic hæredum ordo succedit in ius defuncti: quibus ideo de iustitia facienda est restitutio. Et ratio est quòd homo est quoddam bonum,non solùm suum,sed vxoris,& prolium,& parẽtum. Et ideo qui hominem gladio sustulit, illis sustulit. Alij verò sunt hæredes

præterdãna etiã iniuria cõpensanda Scotus.

Nemo reus esse tenetur & actor.

Improbatio

Quomodò facienda satisfactio iniuriæ.

Dubiũ quibus debeat fieri restitutio.

Sententia authoris.

des solùm ab intestato, qui tamen non sunt necessarij: vt fratres, & inferiores cognati. Et his rigore iustitiæ in conscientia non tenetur homicida: nam licèt defunctus sua liberalitate illos aleret, non ideo illa obligatio transit in homicidam. Alias teneretur pariter alere amicos & famulos, & quoscunque ille in domum receperat. Verum est tamen quòd in foro exteriori fratribus & reliquis agnatis, quia ius habent agendi de iniuria, solet, vt eam remittant, pecunia rependi: non tamen quòd pro damno dato illis quicquam debeat. ¶ Quòd si super his percõteris, vtrũ hæredes homicidæ si ipse viuens non satisfecit, teneantur de damno in conscientia? Respondetur ipsos teneri si defunctus bona reliquit: aliàs minimè. Iniuriam autẽ compẽsare, nõ item conuincuntur. Nisi viuens homicida cõdemnatus esset transiret q; in rem iudicatam vt pro iniuria tantum solueret.

Dubiũ, an obligatio restituẽdi trãseat ad hæredes.

De quarto argumento

SEquitur vt in quarto argumento de fama & honore læsis, quomodò debeant restitui. Qualiter autem fama & honor differant, libro sequent. quæstio. 9. vbi eorum tractatus proprium habet locum, explicabitur. Nunc autem satis est nosse famam, quæ bona est existimatio de homine publicitùs habita, per detractionem denigrari: ob idq; infamator commodiori aptioríque possibili modo, restituere, resarcireque eam tenetur. Est enim in bonis temporalibus pòst vitam præcipuum. Neque verò est, sicuti ablata vita, irrecuperabilis: potest enim in integrum restitui. Attamen præstituẽda est statim in fronte regula, Quòd læsa fama non est de necessitate salutis restituẽda, nisi quãdo cõtra iustitiam aufertur. quæ regula vniuersalis est in omnibus bonis: Vnde cùm S. Thomas tres assignet infamandi modos: Primus, inquit, cùm quis scilicet verum dicit & iustè non obligat ad restitutionẽ. ¶ At quia de hac re variæ circunferuntur opiniones, nè tanta authorum citatione stylum obnubilemus, subiectis notabilibus rem aperiamus. Primùm, vt obligatio restitutionis famæ oriatur, requiritur vt verè fuerit ablata, vel obscurata: nam quandoque ratione obiecti apparet auferri, quæ tamen re vera non aufertur. Id quod quatuor modis contingere potest. Primò, si qui diffamatur talis homo est, cui secundùm humanam reputationem illa non est infamia. Dixisti aulicum hominem seruire, vt ipsi aiunt, aulicæ etiam fœminæ: licèt suspicio inde oriatur si modò fœminam nullatenus infamares: profectò viro non teneris ad restitutionem. Neque si diceres descendisse in duellum cum alio: quanuis hoc secretum esset & forsan mendacium: quia tali hominũ ordini nulla aut perquàm exilis oboritur ex his infamia. Secundò neque aufertur fama quando persona iam publicè erat infamis. Mentitus es, verbi gratia metricem tali nocte admississe lenonem, quem non admiserat: re vera non esset peccatum mortale non restituere ei famam: quia nullam inde maculam ipsa contraxit. Tertio si infamia est de re leuissima. Vt si quis alium infamaret quòd esset negligens in studio: & quod non ieiunaret Quadragesimam totam, quanuis mendacium esset: si persona illa erat vulgaris, pro nihilo ducit. Quartò si infamator vel non est fide dignus, vel ioco videtur dixisse: quoniam cui nulla datur fides, etsi delictum incurrat, quia tamen nullam generat infamiam, nullo se illaqueat restitutionis nexu. ¶ Præterea requiritur vt alius famam obnubilet per iustitiæ delictum. Etenim qui more & lege verum crimen propalat, nihil aufert quo restituere teneatur. Vt si quempiam in iudicio rectè accusasti: aut si per fraternam correptionem ad maiorem emendam prudenter plures accersisti testes, quibus proximi delictum patefaceres: aut si bono amici tui consulens, qui criminosum aut male fidum seruum recipere in suam familiã adornabat, id nè faceret admonueris: nullus istorum casuum iugo restitutionis hominem subdit. Mox si quis quempiam infamet contra charitatem non violando iustitiam, neque sic innectitur restitutionis necessitate. Detulisti criminosum in iudicium qui re vera dignus erat supplicio, & testibus conuinci poterat, non tamen ad bonum suspiciens, sed iniquo animo, puta ex odio aut ex auaritia, vt illi in sua dignitate per ambitionem succederes. Deliquisti quidem contra charitatem & liberalitatem: non tamen restituere conuinceris: quia non fecisti contra iustitiam. Pari ratione si prælatus proderet reum quem licitè condemnauit: proderet autẽ quibus illud erat ignotum. Impnigit quidem in charitatis iura: haud tamen restituere tenetur. Neq; verò qui legitimè diffamatũ in vno loco traducit in alio, vbi res nõdũ erat audita. ¶ Ad hæc requirit tertiò q; læsus est nõ alia via famã recuperauerit: nã tunc immunis fit ille

Regula de fama restituenda.

Primum notabile.

Qnatuormodis obiecto crimine homo non diffamatur.

Secundũ notabile.

Tertium notabile.

ille qui infamauit à restitutiõe, quippe cùm alter iam habeat quod perdiderat. Vt si ille quem de concubinatu traduxi, adeò se compurgauit vt nulla mihi ampliùs habeatur fides: onere sum restituendi exoneratus. Ecce ergò tres conditiones ex quibus obligatio conflatur ad restitutionem: scilicet vt auferas famam, & contra iustitiam, & quam alter non iterum in integrum reparauit.

Duobus modis quis contra iustitiã infamatur.

¶ Post hæc ergo ad singularia descendentibus dicendũ restat quòd duobus modis (vt ait sanctus Thomas) vsu venit contra iustitiam infamatio: scilicet quando quis falsum crimen imponit atq; iniustè: secundò quando imponit verum, sed iniustè. Sed nunquid fieri potest vt impositio falsi criminis sitvnq; nisi iniusta? Quid ergò opùs erat post falsum, addere iniustè, Respondetur fuisse necesse: nam (vt libr. sequent. quæst. 4. visuri sumus) iudex ante cuius tribunal ille legitimè probatur nocẽs, quem ipse nouit esse innocentem, tenetur ipsum supplicio addicere: quo vtiq; casu falsum illius crimen facto ipso affirmat, iustè tamẽ: & ideo ad nullam cogitur restitutionem. Ad verò neque iudex extra illum casum, neque vlla priuata persona sciens ac prudens falsum de alio crimen adstruere valet citra iniustitiam. Tunc ergò ille non faciet idoneam restitutionem antequàm asserat se esse mentitum, nisi forsan inter illos conuenerit, vt alia sit remuneratione contentus. De quo statim verbum alterum adhibemus. Quin verò & hoc obseruandum est documentum, quòd nõ satis est coram eisdem, quibus mendacium dixeras, te mentitum asserere: verùm teneris contrariam quã feceras fidem facere: videlicet quia homines procliuiores sunt ad credendum mala quàm bona, iureiurãdo si opùs fuerit, adhibitisq; insuper testibus, mõstrare te debes falsum dixisse: vt qui tua culpa fuerat infamia respersus, tua quoq; diligentia repurgatus euadat.

Dubium.

Solutio.

Notãdũ documentũ in restitutione famæ.

Secundus modus.

¶ Secundo modo, obscuratio alienæ famæ fit contra iustitiã, quando quis verum crimen detegit: tamen contra iuris necessarium ordinem. Vt si quis occultum crimen vel extra iudicium propalauit, vel in iudicium accusando detulit, quod tamen probare nequiuerat. Quando verò aliâs prætermisit ordinis minutias, non fit subinde restitutioni obnoxius, vt puta si accusauit die festo, aut loco indecenti, aut non seruatis alijs ceremonijs, quæ rei substantiã non mutant.

¶ Veruntamen hic restitutionis casus, perq; difficilis est, si fieri ritè debet ac rectè. Enimuerò hoc certum est non licere illi infamatori dicere se fuisse mentitum: esset enim hoc ipsum mendacium: quod pro salute totius mundi nuntiquàm dicendum est. Atqui id quod Sanctus Thomas & Scotus & pleriq; Doctorum aiunt, debere scilicet illum tunc dicere se perperàm illud dixisse, atque iniquè proximum diffamasse, neque esse sibi adhibendam fidem. vsque adeò vel parùm vel nihil ad restitutionem confert, vt citiùs ac sæpiùs noceat. Alij ergò recentiores aiunt infamatorem tunc debere vti amphibolis verbis, vt sic ipse non mentiatur, vt tamen alij arbitrari possint, fuisse mentitum. Sed re vera præterquàm quòd hoc, genus esset mendacij, nihil vtilitatis afferret. Ob idque satius mihi semper visum est, quod & hic Caiet. ait, non ampliùs talem detractorem coram eisdem de re illa fari debere: sed bonam vbique eiusdẽ hominis existimationem dispergere, videlicet quantũ citra mendacium valet. Et quãuis inde alij quòd non se ipse retractat, colligant verum dixisse, nõ tamen ipse ampliùs facere valet. At verò tenetur ei, cuius infamiam vulnerauit de damno dato, nempè si causa illius iniuriæ aliquam iacturam suorum bonorum fecit. Nõ tamen in integrum, ac si per mendacium eum diffamasset, sed ad arbitrium sapientum prudentumq; virorum.

¶ Verùm tamen in his restitutionibus faciendis pensanda est rei possibilitas. Ecquis enim restituere valeat si ei quem diffamauit impedimento fuit nè episcopatum aut egregiam cathedram ampiamve dignitatem obtineret? Debet ergò in hisce casibus consilium teneri sapientum.

Tertius modus infamãdi iniustè.

¶ Tertius verò modus qui ab Scoto & Richardo & cæteris adijcitur iniustè infamandi, vsu venit quãdo quis negat occultum suum crimen, quod alter iniustè detegit, siue in iudicio siue extrà. Vt dum occultus concubinarius aut fur præterius denuntiatus, ait denuntiantem fuisse mentitum. Dubium enim est teneaturne illi restituere famam quam ei sauciat, dicendo illum esse iniquum delatorem. Et quidem Caietañ. hic: & in Summa, in verbo, restitutio, vtrunque eorum ait teneri alteri restituere: quandoque mutuò sunt sibi inuicem iniurij: & nullus, vt ipse arbitratur, potest suam famam remittere. Scotus verò & Richardus mitiùs respondent: nempè illum concubinarium non teneri sic denuntiatori re-

Caietanus.

Scotus.

ſtituere famam, vt occultum ſuum crimen fateatur: ſed alijs verbis eũ excuſando: nempè dicendo bona intentione & zelo illum fuiſſe adductum. ¶ Crediderim tamen, ſi meũ eſt auſcultandũ iudiciũ, quòd licèt hoc quod Scotus admonet ſalubre ſit cõſilium: tamen ſecundùm iuſtitiæ rigorem ille iniuſtè infamatus nullatenùs tenetur denuntianti vel accuſanti reſtituere: etiam ſi ſuum crimen negauerit, ex qua negatione colligatur alium fuiſſe vel mentitum, vel falſum locutum. Id quod & ante nos Sylueſt. adſtruxit, in verbo, reſtitutio. 3. §. 3. Nam qui ſuo vtitur iure nemini iniurius eſt, atq; adeò rigore iuſtitiæ non cogitur illi quippiam reſtituere: ille autem qui tali caſu ſuum celat crimen, ſuo vtitur iure, Quòd ſi arguas, illum dum negat crimen quod fecit, mentiri: & ſi cũ iuramento id negat, peccare mortaliter: ex quo conſequens apparet, alteri ad reſtitutionem teneri. Reſpondetur primùm quòd poteſt celare tacendo, ſcilicet neque affirmando neq; negando. Secundò reſpondetur quòd etiam ſi negando citra iuramentum peccet, non tamen mortaliter: quia nõ pernicioſè mentitur: quandoquidem ius habet celandi. Et quanuis deierans mortaliter peccet contra Deum, non tamen iniuſtitiam contra reuelatorem committit. Neque verò, vt Scotus putat, contra rem publicam: quoniam quandiu ipſe habet ius ſuum contegendi crimen, non eſt inobediens iudici: atque adeò neque ad reſtitutionem cogitur. Eſt enim alta mente, illa ſuprapoſita regula ſeruanda, Nullum peccatum ad reſtitutionem obligat niſi ſit contra iuſtitiam.

Sententia authoris

Caietanus.

Quocirca metaphyſica hæc diſtinctio Caietani, ſcilicet quòd accuſator poteſt conſiderari vel tanquàm iniuſtè accuſator: & tunc alter crimen negando, non facit ei iniuriam: ſed tamen poteſt etiam conſiderari tanquã homo, & tunc fit illi iniuria. Metaphyſica inquam hæc diſtinctio, profectò nihil ad mores refert: nam cùm ipſiſsimus homo ſit qui accuſat, nullam ei irrogat iniuriam, qui ſe ſuo iure ab illo tuetur. Præterea inanis eſt ille modus mutuæ reſtitutionis. Nam ſi qui accuſauit non poteſt dicere falſò ſe accuſaſſe, quia mentiretur: ſed accuſaſſe iniuſtè: per hoc non reſarcit alterius famam: imò potiùs confirmat rem veram affirmaſſe. Itẽ poſtquàm alter non tenetur crimen ſuum occultum confiteri, ſi diceret, vt vult Caietanus, alterum non fuiſſe calumniatorem, illa eſſet quaſi confeſsio proprij criminis. Ille ergò infamatus non tenetur reſtituere accuſanti: ſed ſi alteruter, potiùs accuſator qui priorem intulit iniuriam tenetur accuſato. ¶ Præter hęc quãdo vterq; teneretur certum eſt, contra quam Caietanus cenſet, locum habere compenſationem: vt ſcilicet iniuria pro iniuria remitteretur. Poteſt em quiſq; ſuam famã & remittere & commutare, vt ſtatim videbimus. ¶ Quartus deniq; modus iniuſtè infamandi eſt tanto pernicioſior, quanto vſitatior & minoris æſtimatus. Nẽpè dũ quis quę audiuit retulit. Audiſti ſcilicet vicinam tuam amicum receptare: id autem, vt ingenium eſt hominum, ſtatim in aures viciniæ hiſce verbis ſuſurras: Hoc autillud audiui: ego quidem non credo, ſed audita refero. Eſt profectò ingenioſus, ſed peſtilens detrahendi modus. Nam quo tu teipſum ſanctiùs iuſtificas, maiorem tibi arrogas fidem, & ideo peiùs infamas. Sic enim fama, vt ait ille, vires acquirit eundo. Quare etſi Scot. loco citato diſtinct. 15. q. 4. Caietañ. 2. 2. quæſtione. 73. articu. 2. illam cenſeant non eſſe directè infamationem, quia ex natura rei non aufert famam, neque obligare putant ae reſtitutionem niſi ratione ſcandali: profectò ego non ſic auderem tutas reddere conſcientias. Imò qui ſic infamat, licèt non teneatur dicere ſe eſſe mentitum, quandoquidem id audiuit: tenetur tamen non ſolum dicere leuiter ſe eſſe locutum, verùm & operam dare, vt opinionem quam alij conceperũt illis adimat. Niſi fortè res ſit tam publica, vt alia via inſerpſerit. Cauendum ergò eſt maximè ab huiuſmodi ſuſurris. ¶ Præter hæc autem de hac famæ reſtitutione multa doctores controuerſantur dubia, quæ ſunt ordine diſcutienda. Primum eſt vtrùm cum detrimento propriæ famæ reſtituenda ſit aliena. Apparet enim id non eſſe neceſſarium: tum quòd vnuſquiſque debet potiùs ſuæ famæ conſulere quàm alienæ: tum etiam quòd fama quam ego alteri abſtuli, non mihi accreuit. Debeo inquam quos deprædatus ſum nummos cò reſtituere, quòd mihi accreuerunt: ob id autem quòd famam alterius obſcuraui, mea non fuit facta clarior. ¶ Reſpondetur, nihilo minùs procul dubio cum propriæ famæ detrimento eam tenemur, quam lacerauimus, reficere. Nam licèt noſtræ propriæ quàm alienæ accuratiùs debeamus proſpicere: haud tamen vlli

Quartus modus infamãdi iniuſtè.

Scotus & Caietanus.

Primum dubium.

licet

licet cum alterius iniuria sibi cõsulere. Neq; dissimile est in alijs bonis temporalibus. Si enim alienam domum incendio absumpsisti, aut hominem coëgisti suas merces in vndas iactare, licèt nihil tibi accreuerit, teneris nihilo minùs restituere. Vnde acutè profectò Aristo. 5. Ethicorum docuit in huiusmodi iniurijs, licet non proprium, tamen metaphoricum esse lucrum: nempè quòd tuã explens voluntatem aliũ deuicisti: ob idq; perinde teneris restituere ac si quod abstulisti tibi esset appositũ. ¶ Hoc autem dubium, alterum parturit: vtrùm scilicet vsq; adeò hoc sit verũ vt nullam exceptionem admittat. Est enim prægraue, vt si Antistes, vel alter egregię existimationis, famam priuati hominis maculauerit, teneatur cum tanta iactura suæ alienam reficere: dicendo se esse mentitum vel quid simile. Respondetur leges has morales nõ esse tanto cum rigore auscultandas, sed vt sapientissimus quisq; ponderata personarum qualitate censeret: & ideo personæ illustri satis est si quam obtenebrauit alterius famam, pecunia, vel alia ratione compenset. Quòd si alter noluerit, non tenetur infamator amplius facere: nam etiam in pecunijs si debeo decem, quæ soluere non possum nisi cũ miliũ detrimento, profectò differre possum solutionem, vel aliam viam indagare soluendi. ¶ Grauius autem dubium huic affine, est, vtrùm fama sit cũ detrimento propriæ vitæ restituenda. Caiet. nanq; 22. q. 62. ar. 6. quem iuniores nõnulli sequuntur tres rerum ordines distinguit: nempè pecuniam, honorem ac simul famam, & tertiò vitam. De quibus hanc constituit regulam. Rem inferioris ordinis nemo tenetur cũ detrimento rei superioris restituere: vt pecuniam cum detrimento seu famæ seu honoris: nec famam vel honorem cum detrimento vitæ: sed rem cuiuscunq; ordinis cum detrimento rei eiusdem ordinis. ¶ Regulas autem huiusmodi ex visceribus metaphysicæ expressas, multò plus nimio Caietanus ad morum philosophiam accommodauit, quę ideo non possunt non esse fallaces. Profectò non est quòd ambigi possit, quin pecunia debeat nonnunquàm cum detrimento famæ restitui. Primùm enim nemini fas est cum detrimento & iniuria alterius suũ protegere honorem & famam: neque alter qui læsus est tenetur iuri suo etiam pecuniario cedere, vt qui iniuriam intulit, suam protegat famam, Suffuratus es, verbi gratia, amplam pecuniam: haud dubium quin debeas omnem adhibere diligentiam vt secretò restituas. Si tamen neutiquàm sine famæ & honoris periculo potes, non ideo debet alter sua denudari substantia: maximè cùm damnum illius graue est. Haud enim negamus quin debeat respectus haberi famæ & pecuniæ: sed tamen, cæteris paribus, maius est ius innocentis, qui à te iniquè læsus est. Secundò, quanuis metaphysicam rationem inire velimus, & si fama genere suo præstantior sit quàm pecunia, tamen tantum potest æris accumulari, vt cumulus ille multò sit pretiosior fama tua. Est quidem aurum suo genere argento pretiosius, sed tamen tantum esse potest argenti pondus, vt multò æstimetur pluris, quàm minus auri. Porrò ergò illa regula valde pernicioſa est in rem publicam: quam idcircò absit vt vllus credat qui suæ studet conscientiæ consulere. ¶ De vita autem quòd quis cum eius periculo aliquam teneatur restitutionem exequi, vrgentius dubium est. Etenim cùm, vt supra diximus, non modò nemo sit dominus vitæ, verùm neq; ob vllum delictum teneatur se morti offerre, vt libro proximo dicturi sumus, aut mortem sibi ad quam condemnatus est ascisere: consequẽs esse apparet vt cum eius periculo nemo ad restitutionem teneatur. Respondetur ergò quòd secundùm communem legum ordinem & morem nullus tenetur cum periculo mortis restituere, non solùm pecuniam aut famam, verùm neque vitam quàm alteri abstulit, etiam si insignem virum occiderit, Et in hoc etiam fallit regula posita, scilicet quòd res debeat semper restitui, etiam cum periculo rei eiusdem ordinis. Secundò nihilo minùs, saluo meliori iudicio, crediderim singularem posse euentum contingere quo quis cum periculo propriæ vitæ teneatur restituere, non solùm famam & honorem, verùm etiam fortèrem pecuniariam Exempli gratia. Si quis illustrem familiam de hæresi aut de crimine lęsæ maiestatis mẽdaciter diffamasset, ita vt nisi mendacium retractasset, eadem prosapia perpetua illa labe maneret infecta: deberet quidem omnem adhibere diligentiam vt vitam propriam in tuto constituendo testimoniũ per emisset. At verò etiam si non posset sine periculo vitæ, credo nihilo minùs teneretur. Veruntamen prudenter discernendum est, delictumne & damnum iam transierit, an

Alterũ dubium

Tertium dubium.

Bonorũ distinctio.

Regu. Caie.

Reprobatio

An cũ periculo vitæ teneatur quis restituere.

verò sit semper dependens. Occidisti hominem,vt dicebam, quem iam in lucem restituere non potes,non teneris vt pecuniã ꝓ illo restituas periculo te mortis exponere: neque si famã denigrasti quam infamatus recuperare non potest. Sed tamen de illo casu loquor quando ex te fama actu pendet vt recuperari possit.Idem censuerim de vita:vt si ob tuum solum falsum testimonium vinctus quispiam est qui morti addicitur: profectò tenereris etiam cum periculo tuæ vitæ illum morti eripere, in quam tu illum adigis.Secùs si tu crimen cõmisisti ob quod ille falsò condemnatur. Enimuerò si tu illi non imposuisti, nihil tua refert: ob idque nulla lex teipsum tũc prodere cogit. ¶Quid autem dum quis famam restituere non potest? Diuus Thomas ait debere aliter recompensationem facere:idemq; Scotus in.4. distinctio.15.secundum tenorem illius glossulæ super cap.ecclesia.vt lite pend.nih. innoue.Cùm res restitui non potest,in alio æquivalenti fieri debet restitutio.Sylvest.verò in verbo, detractio.§. 4. affirmare audet contrarium:illa nimirum similitudine ductus, quòd sicut pecuniæ debitor dum nõ est soluendo,nõ tenetur honorem aut famam exhibendo recompensare:ita neq; qui famam restituere nequit tenetur pecunia satisfacere. Et habet probabilitatis nonnihil. Nam aliâs qui neque per pecuniam potest restituere,deberet eam orationibus vel alia via repensare. Nihilo minùs non est ab opinione regia diuertendum. Enimuerò cùm pecunia pretium sit omnium rerum, illa æstimatur & honor & fama. Et ideo per illam aut per aliud pecunia æstimabile,facienda est horum restitutio, Quando verò illa deest,non est cur per orationes vel per honores restituatur:quia hæc nõ sunt rerum pretia. ¶Super his autem omnibus potissima hic quæstio de hoc disputatur, vtrùm fas cuiq; sit suæ remittere famæ restitutionem. Cuius vtiq; partem negatiuam tuetur Caiet.2.2.quæst.73.articulo.2.& in sua summa,verbo,detractio:cui non desunt alij recentiores sequaces. Atqui fundamentum eius est hominem non plus esse famæ suæ & honoris dominum quàm vitæ:atq; adeò sicuti occidere se non potest,neq; eandem facultatem alteri facere, ita neque famæ suæ restitutionem remittere. Sed tamen hæc quæstio nõ est ꝙ magnum nobis negotiũ hic facessat: quippe qui suprà quæst.3. contrarium fundamentum iecimus,& vt arbitror constabi liuimus:nempè quòd homo est honoris sui & famæ dominus sicuti pecuniæ. Tametsi in eodem ordine pluris habenda sit quàm pecunia :secundùm illud Prouerb.22. Melius est bonum nomen,quàm diuitiæ multæ.Ex quo quidem contrario fundamẽto contrariam modò elicimus conclusionem : videlicet remittere famæ restitutionem atq; honoris, genere suo non esse peccatum mortale: nisi circunstantia personæ,scilicet quia est in publica dignitate aut magistratu constituta: aut fortè alia ratio mortale illud efficiat, At si absq; vlla causa illã quis remittat,aut se nõ grauiter infamet,erit ei peccatũ veniale:sicuti prodigalitas pecuniæ quæ genere suo nõ est mortale:vl̃ saltẽ in eodẽ ordine paulò deformius. Et ratio est:quia eiusdem ad seipsum in his quorum homo est dominus nulla intercedit ratio iniustitiæ : sed erit peccatum præter charitatem qua quisque tenetur se & sua diligere: quod quidem in temporalibus non attingit ad mortale. ¶Ex qua quidem conclusione subinfertur secunda:scilicet quòd si quis aliqua bona & honesta causa ei qui se infamauit citra aliquã restitutionem parcat: nempè vt illius qui aliâs probus est, honori consulat: aut propter aliam pietatis rationem:non solùm nullam contrahet culpam, verùm & officium præstabit charitatis. Loquimur enim semper absque circunstantia personæ publicæ. Conclusio est non solùm nostra,verũ Adriani,authoris non infimæ notæ,in.4.quæstione penultima, de restitut.quinetiam Sancti Thomæ expresè,quicquid Caietan. contrà conetur. Ait siquidem.22.quæstione.64. articulo.5.hominem esse constitutum dominum suiipsius per liberum arbitriũ,& ideo licitè de seipso disponere posse quantum ad ea quę pertinent ad hanc vitam.Neq; quicq̃ excipit præter transitum huius vitæ ad aliã. vbi palàm asserit omnium præter solam vitam esse hominem dominum.&.q.73. ar.4. absq; vllo ænigmate explicatissimè ait,in arbitrio hominis positum esse detrimẽtũ suæ famæ pati:nisi hoc vergat in periculum aliorum:vt pote si quis persona sit publica: secũdũ illud Greg.homi.9.super Ezech.Linguas detrahẽtiũ sicut nostro studio nõ debemus excitare, nè ipsi pereant: ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat . Quin verò non solùm ex doctoribus, verùm ex Euangelio

Notãda distinctio.

D.Thomas & Scotus.

Sylvester.

Sententia authoris

Caietanus.

Solutio dn. Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Gregorius.

q. 2. ar. 3

gelio id non est illatu difficile. Haud enim Christus tantam honoris & famæ curã nobis commendauit, vt declararet non habere nos illorum dominium. Imò Matth. 5. & alibi sæpe, honores omnes cum splendoribus huius mundi impendiò nos admonet vt abijciamus. Et alibi, nè optemus primas cathedras. Et de fama ait Paulus, pro minimo habere, iudicari ab hominibus. Non ait pro nihilo, sed pro minimo: quia fama aliquod bonum est, sed nõ de præcipuis. His adiecimus loco citato sanctorum exempla: puta Ambrosij, Augustini, & Anselmi, qui seipsos in suis scriptis humilitatis gratia diffamârunt. Quod certè non fecissent nisi intra limẽ virtutis id illis licuisset. At si fundamentum illic satis demonstrauimus, quod arbitror demonstrasse: nempe hominem esse dominũ suæ famæ: nulla est ratio cur hîc in confirmandis his cõclusionibus immoremur sanè quæ inde planè colliguntur. At verô quãdo infamia esset hæresis aut apostasiæ quæ contra fidem & religionem è regione militant: talis infamia non est ferenda, sed omni nò repellenda, & quàm fieri maximè potest abstergenda. Exemplo Christi, qui, vt legit Matth. 4. cùm alias sibi illatas à dæmone iurias æquanimiter tulisset, vbi de idololatria eum tẽtauit, acerbitate vsus in eum est. Istæ autem conclusiones aperiùs etiãnum dilucidabũtur lib. proximè sequenti, quæst. 10. Vbi ex eodem fundamento collecturi sumus non esse homini contra iustitiam seipsum infamari permittere: quin verò quandoq; virtutem. Et re vera contraria huic nostræ opinio turpiter derogat iuribus amicitiæ. Possum enim pro amico vitam exponere, quanuis illius non sim dominus: cur ergo non possim exponere famam & honorem? ¶ At verò non desunt in contrarium nonnullæ obiectiones. Prima videlicet quæ ex Sapiente asciscitur, Curam habe de bono nomine: bonum enim nomen melius est quàm diuitiæ multæ. Respõdetur tamen curam q̃ habenda est boni nominis eãdẽ esse, q̃ nobis virtutis incũbit: vt pote cuius præmium est bonum nomẽ. Debemus ergo bonum procurare nomen insequendo virtutẽ. Est enim eius vmbra. Quapropter sicut eũ qui recta pergit ad solem vmbra sequitur: sic & qui virtutem colit subsequitur honor. At quia, vt ait Aristot. honor non est in potestate honorati, sed honorantis: non est tãta cura facienda per se boni nominis. Propter quod dicebat Paulus, perparui facere iudicari ab hominibus. Et Augustin. 11. q. 3. Can. senti. ait Secundino Manichæo: Senti de Augustino quicquid libet: solame in oculis Dei conscientia non accusẽt. Imò qui bonum nomen nisi per virtutẽ procurat, nunquàm illud attingit: sicuti qui Soli tergaverstit, vmbram quam persequitur nũquàm assequitur. ¶ Quòd si nobis eundem Augustinum obijciamus. 11. q. 3. can. nolo. vbi homines crudeliter ait propriam famam contemnere. Nam vita, inquit, nostra est necessaria nobis, sed fama nostra necessaria est alijs. Respondetur non insinuasse Augustinum dominium famæ nostræ non esse penes nos ipsos. Imò id potiùs de vita debuisset asserere, cuius nõ sumus domini: & tamẽ ait quod vita nobis est necessaria. Sed tantũ ait quod licèt fama res sit propria nostra sicut nostra pecunia: vbi tamen opùs illa fuerit reipublicæ, debemus per bonam nostram famam ei seruire: sicuti qui diues est, suis pecunijs. Attamen inde hoc tãtum fit consequẽs quod homo in dignitate cõstitutus, aut reipub. necessarius, famã propriã suæ functioni mancipatã habeat & obligatã: vt pote sine quæ gubernare nequit subditos: & ideo non ita possit eam negligere. Haud tamen inde sequitur quòd priuatus homo teneatur suam seruare famam, sicut neq; alia bona temporalia. Præterquàm quod Augustin. loquebatur quibusdam mulierculis, quæ consultò humilitatem venditantes, diffamabant sese, admittentes ad se viros: quod certè non erat licitum. ¶ Hinc ergo ad præfectos gradũ faciamus. De quibus prima sit nostra assertio, quòd prælatus quãdiu prælatus est contra iustitiam mortaliter peccaret, si in repræcipui momẽti suam negligeret famam: quoniam, vt modò dicebam, habet illam officio mancipatam. Attamen si non esset persona adeò egregiè vtilis reipublicæ, & vellet magistratum abdicare, nõ magis teneretur seruare famam quàm persona priuata: secùs si vult in loco publico perseuerare. ¶ Ex his autem plerique colligunt, eum qui prælati famam dilacerat: non illi tãtùm obligari ad restitutionem: sed etiam subditorum collegio. Nam fama, inquiunt, non sua est tantũ, sed & collegij. At verò absq; moderatrice distinctione non id crediderim. Fama enim prælati sua est propria, ac si persona esset priuata: licèt ad suam functionẽ illa indigeat. Ob idq; dum infamia, de prælato tantùm di-

Argumentum contra conclusionẽ.

Colenda virtus quam sequitur honor

Prælatus negligens famam peccat mortaliter.

Quorũdam opinio.

sperſa eſt, putà quòd cõcubinam habet, vel aliud crimen in quo ſubditi cum illo nõ participant, illi ſatis eſt reſtitutionem fieri: licèt maior ſit faciendi obligatio quàm ſi perſona eſſet priuata. Si tamen ipſe ab reſtitutione infamatorem abſoluat, profectò credide rim, licèt ipſe malè faciat, aliũ nihilo minùs tutum manere: neq; quidpiam ampliùs debere collegio: ſicuti ſi ſuam prodigeret pecuniam, qua egebat vt erogaret in pauperes. Nam ipſe eſt dominus ſuæ famæ, licèt malè diſpenſet. Secùs ſi crimen totum collegium ſubnotaret: vt puta ſi infamaretur de ſymonia, aut de hæreſi, vnde ſubditi infamiã participij contraherent. Tunc etenim & collegio debetur reſtitutio. ¶Ex his quæ dicta ſunt dubiolum aliud ſolutum euadit. Nempe vtrùm poſsit compenſatio fieri in fama. Planè enim colligit fieri poſſe. vt ſi tu meũ de re aliqua corroſiſti nomẽ, atq; ego viciſsim tuũ, nõ ſolũ conuenire poſſumus vt vterq; cum ſuo maneat vulnere, ſi perſonæ ſumus priuatæ: verùm etiam mihi licebit non tibi velle reſtituere niſi eandem tu mihi ſolutionem facias. Probatur: quoniam, vt diximus fama poteſt per pecuniam repẽſari: & ideo ſicut in nummis, ita & in fama locum habet huiuſmodi cambium. Haud tamen infamatus poteſt per modum vindictæ infamatoris nomen lædere: ſed tunc duntaxat vt vim vi repellat: prodendo ſcilicet aliquod verum eius crimen, quod ad labe factandũ illius teſtimonium neceſſarium eſt. ¶Quintũ argumentum: Vbi de honoris reſtitutione inquiſitio fit, nõ eſt tantæ ambiguitatis. Differũt autem honor & fama, vt. q. 9. latiùs dicturi ſumus, quod bona fama eſt bona exiſtimatio & opinio quæ de homine habetur: quæ ideo per detractionem denigratur: nempe aut per impoſitionem criminis falſi, aut per veri propalationem. Honor verò eſt reuerẽtia quæ alteri fit propter aliquam excellentiam, aut virtutis, aut generis, aut magiſtratus, aut doctrinæ, &c. qui quidem honor deteritur auferturq; per conuitia aut contumeliam. Ob idq; faciliùs reſtitui poteſt quã fama: ſcilicet per contrariã reuerentiã. ¶Sed de hac tamen reuerẽtia hæſitari aſſolet, vtrũ adhonorẽ repẽdẽdũ ſatis ſit veniã petere. Ad quod Caieta. q citata. 22. q. 72. art. 3. impertinentem eſſe cenſet ad honoris reſtitutionẽ, veniam petere. Haud tamẽ tam abſolutum verbum proferre auſim: ſed per hæc documenta potiùs ineunda eſt reſponſio. Primũ petere veniam, decentiſsimus eſt & rei accõmodatiſsimus modus honoris reſtituendi: quandoquidem reſtitutio per antidotũ fieri debeat: hoc eſt per contrarium: vnde cùm contumelia & conuitium ſigna ſint cõtemptus, videlicet quod contumeliator vt ſuperiorẽ ſe gerit, alterum ſubigẽs: proprium antidotum eſt cõtraria humiliatio: etiã corporis inflexio. Secundum aſſertum eſt, hoc neque ſufficere ſemper, neq; ſemper eſſe requiſitũ: ſed prudenti arbitramento opùs eſſe. Quòd enim nõ ſemper ſufficiat, patet: nam aliquãdo contumelia eſt tanta vt id non ſufficiat ſed alia ſit cõpenſatio requiſita. Quod autẽ neq; id requiratur, liquet ex regula beati Auguſtini, qui ait, non decere prælatos venia à ſubditis petere. Quare neq; plebeius homo iuſta ratione àviro illuſtri tantam humiliationem exigeret: ſed aliter fieri poſſet reſtitutio. Quin adde cùm mos inter nobiles & illuſtres non ſit huiuſmodi venias petere, non ſunt à confeſſoribus ad illas cogendi: ſed more ſuo, qui tamen ab euangelico non exorbitet, eiuſmodi reſtitutiones facere. ¶Ad hæc diſcerniculo quoque opùs eſt quantum ad illos qui ſunt contumelias paſſi, quomodò ſit eorum conſcientia ad remittendum iniuriam ſtringenda. Tenentur enim non habere animum vindicandi ſe priuata autoritate. Nam, vt habetur Deutero. 32. & ad Roma. 12. Mihi vindictam, & ego retribuam. ſed tamen non tenentur aut dãnũ acceptum aut iniuriam remittere: dum tamen more & ordine per publicam poteſtatem eam exequantur.

Primũ documentum.

Secundum.

De his qui paſſi ſunt iniurias.

Infamando vim vi repellere licet

De quinto argumento

Differentia famæ & honoris.

Dubium.

Opinio Cai.

AD ſextum argumentum de eo qui obſtaculum eſt alteri nè beneficium adipiſcatur, ſanctus Thomas reſpondet tribus dictis. Primum. Si quis iuſtè, puta intendens honorem Dei, vel eccleſiæ commodum, minùs dignum impediat, vt ſacerdotiũ digniori conferatur, nulla inde emergit reſtitutionis obligatio: quia nulla interuenit culpa. Secundum dictum eſt. Si quis iniuſtè, odio ſcilicet eum, conſilio, vel alia via qui dignus eſt & idoneus impediuerit, antea tamẽ quã prælatus aut electores firmatum habeant animum ei conferendi, tenetur ei compenſationem aliquam facere, conditionibus perſonarum perpenſis & propinquitate in qua erat ad obtinendum, ſecũdum Sapientis arbitrium. Non autem tenetur in totum, eò q̃ prouiſio illa impediri poterat. Tertium aſſertum

Ad ſextũ argumentũ

Tertium.

sertum. Si autem eum quis impediat nè beneficium obtineat cui prælatus firmiter iam conferre cõstituerat in totum, per regulam Aristotelicam argumẽto citatam: Quod parùm distat à re, nihil distare videtur: secundùm tamen posibilem facultatem. ¶ Anteà verò quàm ad istorum examen descendamus, quæ de impediente asserta sunt, explorandum est de conferente, an si non conferat digniori, aut saltẽ digno ad restitutionem teneatur, & cui sit illa facienda. Hoc enim hic à diuo Thoma desideratur cùm tamen inde res tota pendeat. Et quidem Caietan. hic, art. 2. in dubio tertio pro indubitato habet, quòd non conferens digniori teneatur eidem ad restitutionem. Nam peccat, inquit, contra iustitiam distributiuam: & certum est huiusmodi iniustitiam obligationẽ parere restituendi: nam distributor tenetur id quod est totius reipublicæ, partibus applicare. Quare si alicui pro merito non conferat, deinceps distributiua iustitia vertitur in commutatiuam, secundum quam restituere ei tenetur: vt planè diuus Thomas ar. 1. huius quæstionis in solutione tertij docuit. Et quidem si Caietani fundamentum esset veritatis germanum, indubitabilis esset conclusio. Arbitratur nanq; bona ecclesiastica perinde omninò habere ac bona reipublicæ, quæ sola distributiua iustitia debẽtur ciuibus: vt pote quæ in bonum eorum instituta sunt. At verò fundamentum hoc pro nostra virili falsitatis redarguimus libr. proximo, quæs. vltima. vbi & sacris oraculis & bonis rationibus contrarium constabiliuimus nempe quod quãuis negandũ non sit quin beneficiorum collatio instar fieri debeat distributiuæ iustitiæ, finis tamen eius est æqualitatem constituere commutatiuæ. Eò quòd decimæ non sunt institutæ in præmium personarũ pro eo quòd literis & moribus pollent. Nam si ecclesiæ non essent nobis necessariæ, nũquàm fuissent Christianis decimæ imperatæ. Sunt ergo mera stipendia ecclesiæ, ministris pro eorum ministerio institutæ: quæ dãtur illis nõ quia boni sunt presbyteri, vt illic adnotauimus, sed quia bene præsunt: iuxta verbũ Christi, Dignus est operarius mercede sua. Et illud Pauli, Si nos vobis spiritualia seminamus, non est magnum si carnalia vestra metamus. 1. Corin. 9. Eâdẽ ratione imperatæ fuerunt olim Leuitis. Hæc autẽ omnia iam illic satis explicauimus: quę ideo repetitione non indigẽt. Meditanda ergo hîc est potissimùm cõmutatiua iustitia per quam pontifices electoresq; ministrorũ ecclesiæ debent eisdem ecclesijs idoneos ministros pro ratione stipendiorum quæ singulæ illis persoluũt. Contemplandus enim est Christus tanquam institutor Christianę familiæ, qui ministeria ecclesiæ instituit & ministris decimarum mercedem proposuit, & fidelitati prudentiæq; dispensatorum cõmisit: vt idoneos ministros suis prouiderent ecclesijs. ¶ Ex his ergo planè, ni fallor, duæ colliguntur conclusiones. Prior. Prouisor tenetur per iustitiam commutatiuam dignũ ecclesiæ prouidere: quod ideo qui non facit, sed illo repulso præfert indignum, tenetur, non illi quẽ prætermisit, sed ecclesiæ restituere. Atqui hoc ipsum Adrian. posteà Pontifex cẽsuit in illa restitutionis quæstione quæ est De collatione beneficiorũ. Tam etsi rem non vsq; adeò disseruit. Conclusio est nota: quia ille non peccat contra iustitiã commutatiuam nisi in ecclesiam quæ stipẽdia soluit. Nam dignus nullũ habet ius acquisitum, neq; eius causa, quæ præcipua fuerit, institutæ sunt decimæ. ¶ Et confirmatur similitudine iam insinuata. Si enim pater familias œconomum suum conductum operarios mitteret, ille autem illos studio cõduceret qui non essent ad operas idonei: restituere profectò teneretur, nõ illis idoneis, quos prętermisit, sed domino cui damnum dedit. Atq; huic porrò sententiæ communis animorũ conceptio applaudit. Si enim Rex aut Põtifex inidoneo atq; indigno ecclesiã aliquam desponsaret, consensus populi non censeret eum teneri ad restitutionem illi cui nõ dedit, sed re vera ecclesiæ. Cui idcircò deberet alium episcopi adiutorẽ adhibere: vel alia ratione prospicere vt damnum illi in detrimentum animarum datum, alleuiaret.

¶ Posterior conclusio est, quod vbi digno sacerdotium confertur, digniore prætermisso, quãuis grauiter electo aut prouisor peccet, tamen non est q̃ rigore iustitiæ ad restitutionem condemnetur. Prior pars iam satis illic à nobis demonstrata est: vbi malorũ turbam protulimus quæ inde nascuntur q̃ digniores non eliguntur. Posterior tamen inde veritatem sortitur, quod tunc non peccatur contra iustitiam commutatiuam: appellamus enim dignum pro ratione præbẽdæ. Si ergo ecclesiæ minister applicatur pro quantitate sui stipendij, non fit ei iniuria cõtra rigorem iustitiæ commutatiuę, vt debeatur

An qui nõ confert digniori ei dignò teneat adrestitutionem.

Opinio Cai.

Prior cõclusio.

Adrianus.

Fundamentum Caieta.

Posterior cõclusio.

tur ei restitutio. Dixerim contra rigorem: quia semper fit ei aliqua iniuria contra fidelitatem, postquàm alius dignior poterat ei prouideri. ¶ Contra hæc autē est argumentum quod vulgus nobis obmoliri potest: isti nanque qui ad hæc sacerdotia anhēlant, sibi potius cum Caietano arbitrantur faciendā esse restitutionem: quia peccatur contra iustitiam distributiuam. Eisdem autē non sic est respondēdum vt negetur iniustitiam distributiuam obligari ad restitutionem illis faciendam quibus malè distribuitur. Sed tamen id intelligitur quando illa est mera iustitia distributiua: scilicet qua distribuūtur bona quæ ciuibus ob suā ipsorum causam sunt instituta. Hæc autem iustitia nō est in proposito, vt expositū est: quoniam etsi sacerdotia & præbendæ debeantur dignis: & ditiora dignioribus: hoc tamen non est propter ipsos, sed propter ecclesias quibus ministeria debentur. Haud tamen diffitendū quin ob violatam distributiuam iustitiā debeat prælatus illius dignioris prætermissi, vbi alia electio occurrerit, accurationem rationem habere. ¶ Idem affirmatiùs & clariùs asseruerim de cōferendis magistratibus sæcularibus, qui administrandæ iustitiæ seruiunt. Debentur inquam dignioribus per distributiuam iustitiam: sed tamen si illi prętermittantur, restitutio non est facienda prętermissis, sed populo qui stipendia contribuit, & damnum accipit iniuriaq; afficitur. ¶ At verò statim contra hæc insurgit argumētum: nimirū quòd si hæc vera sunt, inferri inde protinùs apparet, vt neq; qui alterū à consecutione beneficij per iniuriam impediuit, teneatur eidē ad restitutionem: cuius tamen contrarium & S. Thom. & vniuersi Theologi docent. Respondetur nullam esse cōsequentiā. Nam etsi qui malè eligit, commutatiuam iustitiam aduersus ecclesiā violat: nihilominus qui capax est sacerdotij, atq; ad illud idoneus, ius habet peculiare petendi & procurandi: atq;, si ei cōcedatur, possidendi: ob idq; qui contra hoc ius illum obtinere cōantem impedit, eidem fecit iniustitiam, atque adeò restituere debet. Quocircà falsa est illa regula ac seductrix Geraldi Oldonis, quam recitat Adrian. illo cap. de restitutione. Consequēter quęro, videlicet quod impediens aliquem ab eo quod nondum erat sui iuris, sed dependebat ab alterius mera voluntate, non fit ei ad restitutionem obnoxius. Falsa inquam est: Nam etsi in arbitrio prælati sit dare huic vel alteri, nihilo minùs alter expoliatur iure particulari quod habet petēdi. Sicuti qui pauperē pervim aut fraudem impediret eleemosynā petere, tenetur illi ad restitutionem. Nam licèt alij gratis cōferant, ille tamen ius habet petendi.

Quomodò teneatur prælatus dignioripræterm issō.

Regula Geraldi falsa,

¶ Hæc ergo præmeditati ad literam sancti Tho. descēdamus. Atqui circa primum eius assertum, scilicet quòd qui alicui impedimē to est vt detur dignori, restitutionis funiculo non ligatur: dubitas fortè an idem de illo sit pariter intelligendum qui digno obstat, vt detur alteri digno. Respōdetur idem esse iudicium: quia cùm ambo habeant ius petendi, possum ego ei fauere cui voluero. Eo vel maximè quod tunc distributiua iustitia nō violat. ¶ In his tamen omnibus hæc apprimè regula meditāda est, nè vis aut dolus interueniat. Si enim ego vim ītulero aut fraudem digno nè obtineat, haud dubium quin iniuriam illi irrogauerim: atq; adeò ad restitutionem illi tenear: quāuis si in gratiam alterius digni id fecerim, fortè nō tenear in totum. ¶ Neque refert vtrùm alium impedias vt detur alteri digno, an vt tibi ipsi, qui etiā dignus es. Quicūque enim ius habet pro se petendi illa quorum dignus est. Et quanuis procurare beneficia quæ habent annexam curam animarum peccatū sæpenumerò sit, non tamen ideo restitutionis nexum inijcit. ¶ Illa tamen sententia Scoti. in. 4. distinc. 15. ibidēque Richardi non est hìc absq; examine prætereunda. Aiunt enim quod si quis sibi vel alteri præbendā procurās sit alteri obstaculo nè obtineat: idq; faciat non vt alteri noceat, sed vt sibi vel amico profit, ad nullā tenetur restitutionem. Si verò facit alterius procurans nocumentum, tunc tenetur. Cui quidem sententiæ & Caieta. in dubio hìc secundo videtur subscribere. Atq; in eandem sententiam citant. l. 2. de noui oper. denunt. quæ tamē illic non est, sed est. l. 2. ff. de aqua pluuia arcend. §. idem Labeo. 2. vbi habetur quod qui non animo nocendi aquæductū qui per suum fundum ad vicini possessionē deriuatur rumpit, non est iniurius. Si verò id faciat non vt sibi prosit, sed vt obsit vicino, iniurius est illi. At profectò regula illa iuris malè ab istis intellecta est. Animus enim nocendi potest quidem esse peccatum contra charitatem: sed tamen obligare ad restitutionem, vt suprà sæpe diximus, nō potest nisi vbi fuerit contra iustitiam. Videndum ergo est quantum ad restitutionem res attinet,

Litera sancti Tho. exponitur.

Dubium.

Regula.

Sententia Sco. & Richard.

Caietanus.

net,non quo animo id facias, sed quo iure. Et sic est intelligenda lex: nam qui non vt sibi prosit aquam vicini arcet, videtur non facere iure proprio: & ideo potest in foro prohiberi. Si autem vult fundamentum muri ducere per aquæ ductum, qui per suum transit fundum, ob idque venas aquæ rumpit, licèt ex odio faciat inimici & charitatem violet, nihil ei tamen restitutionis debet. Ad propositum igitur nostrum qui suo vtens iure præbendam absque vi & fraude sibi vel amico procurat, etiam si ex odio alterius id faciat, & contra charitatem delinquat, ad nullam tenetur restitutionem.

Explicat se cũdũ dictũ. s. Thomæ. ¶Et per hoc claret ratio secundi dicti sancti Thomæ: nempe quòd qui impedit eum qui in via erat ad obtinendum, si iniustè id faciat, tenetur ad restitutionem: puta quia intendit eius nocumentum propter odium aut vindictam. Facere enim ex odio aut vindicta, non te onere restitutionis grauat, sed facere iniustè: scilicet nullo tuo iure, sed violando alienum: facere tamen ex odio, est signum aliquod nullo tuo te iure vti.

Explicatur tertium. ¶In tertio verò dicto explicando multũ operis Caieta. insumit: nempe ad explicandam illam regulam Aristo. 2. Physic. text. 56. Quod parum distat à re, nihil distare videtur. Obijcit nanq; exceptiones multas in materia morali. Qui enim parùm abest vt peccet, nõ ideo peccat. Et multò minùs qui parũ abfuit vt hominem occideret, non punitur tanquàm homicida, neq; ad restitutionem tenetur. Sicut neq; ille qui parùm abfuit vt furaretur: sed qui re vera furatur. Quẽadmodùm si parum abfuit vt rex in insidias incideret, licèt fortunatus ipse fuerit: non tamen qui illaste tenderant, tenentur ei ad restitutionẽ. Hisce ergo, nisi ego fallor, obiectionibus falsus plane Caie. aduersatur menti sancti Tho. immeritò regulã eius inficians. Has verò omnes exceptiones potuisset excusare, si mentem diui Thomæ tantisper fuisset speculatus. Laborauit enim amphibologia. Lõgè quippe aliud est parùm abesse vt damnum des, q̃ dãnum dare, in eo quod parũ abest vt sit. Et diuus Tho. non somniauit q̃ qui parũ abest vt dãnum det teneatur ad restitutionem, vt Caieta. putat: sed qui re vera damnum dedit in re quæ parũ abest vt sit, Exempli gratia. Est vinea aut sunt fata quorum fructus iam iam matureſcẽt: si parùm abfuit vt venator cum suo comitatu circum currẽs illa pessundaret, ad nullã tenetur restitutionẽ: qui nullum dedit damnum: sed si medius transiens illa pessundedit, tenetur in totum: quia damnũ dedit in fructu qui perparũ aberat vt esset. Pariter in proposito. Si parùm abfuisset vt impedires hominem à præbenda, certè nulli esses restitutioni obnoxius: quia nullum dedisti damnum. Si tamen re vera impedimento fuisti quare ille non est assequutus, damnum dedisti in re quæ parùm aberat vt ipse haberet: atq; adeò secundùm tuã facultatem teneris in totum. Addidit tamen prudenter hoc verbũ diuus Tho. secundum suam facultatem: quia profectò in huiusmodi impeditionibus vix potest contingere vt fieri possit in integrum restitutio.

¶At verò quoniam hæc in vsum venire possunt, nõ te pigeat si rem vrgẽtiùs exprimamus. Quãdo ait sanctus Tho. tunc impeditorem tenere in totum quando firmatus est animus electoris huic dare: aut intelligit quãdo iam dedit: & hoc non esset impedire, sed auferre. aut intelligit quando nondum dedit: & tũc apparet quòd non est perinde ac si dedisset vt impeditor teneatur in totum: nam poterat elector mentem mutare. Quin verò iustè, si alter posteà occurreret dignior aut æquè dignus. Respondetur non esse intelligẽdum quando iam dedit. Tres enim grãdus discernit diuus Thomas. Primus est quãdo elector nondum animo cõstituerat huic dare, sed erat tamen in via: & tunc restitutio est faciẽda ad arbitrium prudentis. Tertius est quando iam contulit, & de hoc nihil meminit: quia hoc non esset impedire, sed tollere. Quare si quis collatione facta possessionẽ iniustè impediret, manifestũ est teneri in totũ. Medius autẽ casus est de quo S. Tho. loquit, qñ scilicet prælatus cõstituerat illi dare. Et tunc ait Caie. in quarto dubio, ideo impedientem teneri in totũ, quia iã elector tenebat dare illi. Hoc autem nescio vnde intuleritex S. Tho. neq; secundũ veritatem. Nam diuus Tho. radicem restitutionis non illic collocat quòd elector tenebatur dare, sed q̃ cõstituerat iam dare. Quare licèt ille non fuisset dignior, sed dignus: si impediens per vim vel fraudem mutauit animum collatoris, profectò tenetur in totum. Nam licèt collator suã spõte conferret, neq; teneret isti dare: nihilominus ipse ei p fraudẽ abstulit quod iã penè habebat. Et istud significat D. Tho. qñ dicit, iniustè & propter indebitã causam. Ex quo ego infero q̃ si non per vim aut fraudem id impediens faceret, sed precibus patefacien-

Caietanus.

Explicatio authoris.

Caie. expositio.

Reprobatio.

Corollariũ primum.

do

do veritatem: licèt mutaret eius voluntatem in fauorem alterius digni, non teneretur ad restitutionem. ¶Atq; inde secundò infertur idem esse censendum in legatis testamentorum. Caietanus enim & nõnulli alij discrimen constituunt inter impedientem aliquem à consequutione beneficij, & impedientem legatarium nè testator illi faciat legatum: dicentes quod impediens legatariũ nullo modo tenetur ad restitutionem. Mihi autem, ni fallor, diuersa arridet dicendi ratio. Vtendum inquam arbitror distinctione posita, an videlicet per vim & fraudem impedias, an precibus. Si enim vim facis aut fraudem nè ille qui paratus erat legare sua bona Petro id perficiat, restituere teneris. Nam licèt testator sua sponte id faciebat, tu tamen per iniuriã abstulisti ab illo ius quod habebat recipiendi: id est facultatem, & capacitatem, & proximam aptitudinem. Si tamen neque vim intulisti neq; fraudem creasti, non teneris. licèt id precibus feceris.

Corollariũ secundum.

De Scholaribus suffragia præstantibus.

¶Postremùm denique in gratiam nostrarum Scholarum operæpretium est verbum in presentiarum adhibere. Quomodò scilicet aut Scholares qui suffragia præstant, aut alij aliter quempiam impedientes nè cathedram assequatur, teneantur ad restitutionẽ. Ad cuius vtique ineundum responsum hoc primùm omnium nõn est cur in dubium re uocetur, quin Scholares suffragia præstantes non testes, vt aliqui opinantur, sed verè electores sint. Etenim si essent testes, non opùs esset vniuersos auditores accersere, sed satis esset iustum numerum scisciatari: neque opùs esset suffragiorum numero stare: neq; per secretos calculos sententias rogare. In summa, non solùm suffragãdi forma, sed ratio ipsa ostendit esse electores: quandoquidem Rector stare omninò tenetur eorũ suffragiis. Quo fit vt compelli ceu testes nõ possint ad suffragandum, sed possunt renuntiare iuri eligendi: nisi quãdoq; Rectori, & qui ei sunt à cõsilijs: vel propter paucitatem, vel ad rescindendas alias fraudes ratio appareret vt cõpellerentur. Hoc suppositio sic de illis omninò censendum est, ac de præbendis diximus: nempe quòd qui prætermisso digniori dignum eligit, licet moraliter contra iustitiam distributiuam peccet: nullo tamẽ restitutionis nexu illa queatur: quia Vniuersitati dat quod ei de rigore iustitiæ commutatiuę debet. Sint verò prætermisso digni eligat indignum: atq; ea, q̃d arbitror, vera sunt quæ suprà diximus, restitutioni tenetur: nõ illi prætermisso digno, sed Vniuersitati, si id modò posset restituere. Nam stipendia Vniuersitatis non sunt instituta in rem ipsarum personarum, sed sunt mera stipendia quæ Vniuersitas soluit suis ministris. Vnde sicut Rex qui non præficit dignum ministrũ reipublicæ, nihil debet digno prætermisso, sed reipublicæ: ita qui eligit indignum, dãnum non dedit nisi reipublicæ, quæ suum soluit stipendium, Et ideo elector licèt Cathedrã debeat digniori, hoc non est propter ipsum: sed quia per iustitiam cõmutatiuam debet Scholis talem ministrum. Haud tamen negauerim quin aliquam ei faciat iniuriam: & ideo teneretur in alia Cathedra, cæteris paribus, illi fauere. De impedientibus autem alia est ratio. Qui enim per vim vel fraudem aliquem impediret nè obtineret Cathedrã: non dico alteri suffragium suum præstãdo, sed si arceret eum nè Cathedrã peteret, quã certum erat se alioqui obtenturum: aut si deciperet electores nè illum eligerent: quia spoliat ipsum eo iure quod ad petendum habet, tenetur ei vel in partem vel in totum pro ratione fraudis aut vis. ¶At de priuatione sufragantium, lib. 1. tetigimus: & nũc ampliùs dicere repetimus. Bifariàm nanque Scholares iniustitiam faciunt suffragando. Vno modo dum furtim se ingerũt, cùm nõ sint eiusdem Cathedræ auditores: atque isti si damnum dent, statim restitutioni tenentur: quia re vera nullum habẽt suffragandi ius. Alio modo quia auditores sunt: tamen suffragandi iure propter dilectum, verbi gratia, ambitus, &, quod aiunt, subornationis, sunt priuandi. Et tunc antequàm condemnentur, suffragari vtique possunt. Quo circà si Rector eos delictum non interrogat, non sunt suffragando iniqui: si autem interrogantur, fateri tenentur veritatem: maximè si sunt suspecti: & condemnati: tenentur parêre. Nam si nulla infamia aut indiciis laborant, iuiuriosa est interrogatio: & ideo, dum citra mendacium id valent, tacere possunt. Si autem iustè interrogati veritatem celant, tunc perinde ac si condemnarentur iniquissimè faciunt, & contra iustitiam si suffragium præstant: quãdoquidem per iniuriam rectum iudicium suffugerunt. Et idem de illis censendum qui Scholarium albo non sunt adscripti. Haud enim ipso facto suffragandi iure carent, si re vera sunt ordinarij auditores. Et ideo nisi per sententiam

Notãda distinctio.

tiam priuentur, eodem possunt iure vti. ¶De his quæ ludo acquiruntur quemadmodùm sint restitutioni obnoxia si petantur, aut si vis dolùsve interuenerit, satis quæstione præcedenti dictum est. De inuĕtis autem, lib. sequenti quæst. de furto dicendum.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm satis sit id simplum restituere quod iniustè sublatum est.

NON satis est definiisse omnia quæ ablata sunt restitutionis onere esse grauata, sed & id quoque perscrutãdum vtrùm satis semper sit simplũ restituere. Et arguit à parte negatiua. Legatur nãq; Exod. 22. Si quis furatus fuerit ouĕ aut bouem, & occiderit aut vendiderit, quinq; boues pro vno boue restituat, & quatuor oues pro vna oue. Illud autem fuit iudiciale: cuius instar similia sunt sub lege gratiæ à principibus constituta. Simile enim dixit Zachæus, vt se apud Christum commĕdaret, Lucæ. 19. Si quid fraudaui, reddo quadruplum. Similisque est fori exterioris praxis: quippe qua fur non ad simplum tantùm condemnatur, sed vt multiplicatum reddat, vel supplicium pendat: cùm ergo leges ciuiles obligent in conscientia, fit vt non semper sufficiat simplum restituere. ¶In contrarium autem est ꝙ restitutionis obiectum nõ est nisi inæquale illud quod per ablationem factum est, per æqualitatem ad iustum reuocare: quod fit si quantum abstulisti, tantundem reddas.

Duo in ablatione rei alienæ considerãda.

AD quæstionem duabus conclusionibus respõdeĕ, iuxta duo huius distinctionis mĕbra. Duo nanq; in ablatione rei alienæ est considerare. Primum scilicet substãtiam ipsam ablationis ex qua inæqualitas resultat, vt min⁹ ille habeat à quo res sublata est: plus autem ille qui sustulit. Et hoc ipsum cõmune est tam iustis quàm iniustis ablationibus. Nam siue rem mutuato, siue furto accipias, siue credito emas: tanto alter minus habet, quanto tu plus. Secundum quod in ablatione consideratur, est modus ipse auferendi: puta si quis per fraudĕ aut vim quidpiam vel aufert, vel auferre conatur. Et hoc vbique habet conuolutam iniustitiam: seu re vera rem auferat, seu nihil auferat: vt ille qui in conatu suo quo præualere nõ potuit succubuit. ¶Sit ergo prior conclusio. Quantum ad naturam attinet ac finem restitutionis, satis in vniuersum est illud simplum restituere quod sustuleris: siue per fas id feceris, siue per nefas. Enimuerò restitutionis nomen officium est præcisè iustitiæ commutatiuæ, nil attinens ad vindicatiuam. Ob idq; nihil ei refert iustãne fuerit ablatio, an verò iniusta: sed solùm æqualitatem constituere. Accepisti quatuor siue per mutuũ siue per furtum: totidĕ ergo via restitutionis debes. Conatus autem es furtum facere, nihil tamĕ potuisti surripere, nihil via restitutionis debes. Quo fit vt restitutionis obligatio quando debitum certum est, nullam expectet iudicis sententiam: sed ex lege ipsa oriatur. De hac autem auctuaria restitutione, nempe si aliquando quis plus secundùm cõscientiam debeat restituere quàm abstulit, lib. sequen. sub titulo de furto redibit sermo. ¶Posterior conclusio. Ad pœnam quæ debetur ratione iniustæ acceptionis nemo ante iuris condemnationem tenetur: sed tunc quando facta fuerit condemnatio. Conclusio hæc in latissimum hîc nos campum disputãdi mitteret, nisi tam longa tamq; accurrata disputatione lib. 2. q. 6. fuisset à nobis pertractata. Illic enim eius veritatem longa rationum acie cõstabiliuimus, vbi declarauimus quĕad modùm si sententia sit pecuniaria, illicò sit à reo soluenda: si autem sit corporalis supplicij, nõ teneatur se offerre, sed satis fit si absq; illata ministris iustitię iniuria, eam patiatur. Quocircà de hac secunda conclusione nullum hîc verbum addendum nobis est, nè simus nostra repetitione molesti. Illic enim cuius interfuerit inspiciat. Sed neq; de priori conclusione dubium restat vllum post illa quæ hactenùs dicta sunt. ¶Quod ergo ad hunc articulum spectat, id tantùm est vt discernere discas quando res ad meram attineat restitutionem: quando verò ad pœnã iuris. Illa enim illicò nulla spectata sententia restitutionis oneri subijcitur: hæc verò non nisi post latam sententiam. Exĕplum vnum pro pluribus esto. Dicebamus enim illic ꝙ dum lege frumento, aut vino, aut cuiuis aliarum mercium pretiũ statuitur, tunc qui cariùs vendit, statim ceu fur tenetur ad restitutionĕ excessus iusti pretij: ad pœnã verò non nisi condemnatus. Pari modo qui ouem aut bouem furatur, statim tenetur valorem pecoris restituere. Quadruplum verò aut septuplum non nisi cõdemnatus. Per quod vtiq; satisfa-

Prima conclusio.

Secũda conclusio.

Distinctio notanda.

satisfactum est primo membro capitalis argumenti. Horum ergo instar de cæteris conijcito. Perspiciendum inquam est an leges, pœnales sint: & tunc non obligant nisi post latam sententiam: secùs autem si alius generis extiterint. Quo fit vt vectigaliũ leges & tributorum quę publicitùs regi tãquàm stipendia contribuuntur, in conscientia obligent ad soluendum ante sentẽtiam: quia nõ sunt pœnales. Dico dum tributa iusta sunt. Atqui vbi res est dubia, tunc iudicium non pertinet ad subditos sed recurrendũ ad principem, & interim seruandę sunt leges: nisi apertissimam præ se ferrent tyrannidẽ. ¶De illo autem tributo quod nostri Alcaualam nuncupant, iam in calce superioris libri disputatum à nobis est: vbi quanta polleat iustitia, pro captu nostro diximus. Est enim, si cum moderatione exigatur, æquum & iustum. Diximus tamen inter alia hoc forsan moderamine vti in conscientia licêre, quòd dum res venduntur quæ non sunt grandis pretij, non tenentur venditores publicanos ad soluẽdum quærere: satis enim est soluere dum ab illis petitur. Dum modò vendito res non vtantur fraude & dolo vt se occultent. ¶Leges autẽ quibus transitus merciũ prohibetur è regno, pœnales sunt: & ideo neq; si frumẽtum, equos, vel aurum efferas, pœnam teneris soluere nisi captus. Quanuis, vt in superioribus tetigimus, peccatum sit mortale eiusmodi res quæ in regni commodũ cuehi vetantur, forãs asportare. Neq; in contrarium vrget q̃ publicani qui sua pecunia eiusmodi fiscales pœnas redimunt ius habent recipiendi: & ideo qui non soluit, damnũ illis dat. Non inquam hoc vrget: quoniam illa se conditione intelligere debẽt eas dem redimere fiscales pœnas, vt ab eis præcisè, quos ceperint extorqueant. Quin verò hoc in præsentiarũ obiter addiderim, quòd in regnorum confinibus quæ eiusdem sunt regis non deberent hæ mercium extractiones & cõmercia prohiberi: quippe quæ non tam in regnorum bonum prohiberi videntur, quàm in quæstum. Sed nolo in publicas leges oblatrare. ¶Dubium autem hîc proprium est de his qui furtim in alienis nemoribus ligna cedũt: aut in alienis pascuis furtim oues suas pascũt. Putat eñ vulgus ob id quòd qui capiuntur pecunia multantur, quæ pœnali lege decreta est, eos qui euadũt ad nullam teneri restitutionem. Quod tamẽ manifestè falsum est: imò eâdem regula vtendum est, scilicet vt pœnam à pretio rei furto sublatæ discernas. Hac enim ratione claritatis gratia vti pro meo captu soleo. Aut enim cędua sylua, eiusdẽ vrbis aut castri propria est: cuius qui ligna cędunt, sunt ciues aut incolæ. Et tunc arbitror nisi insignem stragẽ faciãt, ad nullam teneri restitutionem, neq; pœnæ neq; pretij nisi capiantur. De pœna enim res est certa, sed & de pretio: indeid mihi suadeo q̃ oppidũ videt suis oppidanis illa lege ligna distribuere, vt qui capiatur pœnam luat: qui verò euaserit, gratis sibi prædam acquirat. Idque censuerim si vtrunque duorum oppidorũ quæ propinqua sunt nemora habeat: tunc enim videntur etiam & sibi mutuò illa lege ligna condonare. Quare non tenentur ad restitutionem nisi insignẽ aliquam deprædationem, vt dicebamus, faciant: sed si capiantur, tenẽtur subire pœnã. Aliter verò contingit ligna furtim ex nemoribus euehere quæ prorsus aliena sunt. Nempe quæ neq; sunt tui oppidi, neq; alterius vicini, cuius oppidani vicissim nemora tui oppidi participant, vt modò dicebamus: quia fortè tuum castrũ nullum possidet nemus. Et hoc est quod in quæstione versatur. Sunt enim qui illam amplexi regulam, quòd vbi lex pœnam adhibet non obligat ad peccatum, securas eorum conscientias reddũt, qui ligna furantur, vt nisi capiantur, non sint restitutioni subiecti. Hæc tamen, vt libr. 1. latè discussimus, deceptoria est regula. Imò propterea lex pœnã imponit, quòd culpa subest. Pœna enim nisi pro culpa nõ potest poni: ob idq; qui ligna ab eiusmodi nemoribꝰ deprædantur, tenentur omninò ad restitutionem pretij lignorum. Nam verè committunt peccatũ furti, genere suo mortale. Atq; idem de pascuis censendum. Ad pœnam autem non, nisi capiantur & condemnentur. Secùs si fortè qui nemus vetat suam explicet voluntatem, quòd sub illa lege & conditione vult dare ligna: quod tamen nũquàm audiui contigisse. ¶Nõnulla autem in præsentiarum admonito opùs est. Primùm licitum esse cæsionem sylua vetari in bonum reipublicæ: nempe nè in eius perniciem dissipetur. Secundò est notandum quôd domini quibus rex opida cum nemoribus elargitur non possunt alia ratione illa custodire quàm rex fecisset. Non enim aliud eis ius cõcedit quàm habet. Et ideo, si nemora hoc ferunt, non sunt oppidanis vetanda ad necessarios vsus. Imò verò etiam si nemora propria

Leges vectigaliũ obligant in conscientia.

Nota.

Dubiũ de cædentibus ligna in alienis nemoribus.

Distinctio.

Regula aliquorum.

Notabile primum.

Secundum.

pria sint domini, non sunt eo rigore vetanda vt corporalis infligatur pœna: neq; verò grauis pecuniaria. Enimuerò arbores & ligna quæ absq; cultura terra progenuit, iure gentium communia esse deberent. Nequit enim vita humana sine quotidiano lignorũ vsu transigi. Ob idque eorum furtum non est ea lance æstimandum ac si quis ab arca tua, aut de tua domo nummos aut supellectilem furaretur tuam. Quocircà qui ligna cædunt, nusquam gentium infamia latronum aut furum denotantur. Satis ergo est moderatas exigere pœnas. Et re vera vbi dominitam acerba animaduersione miseros subditos à nemoribus arcerent, vt prægrauem paterẽtur inopiam, fortè sine mortali culpa possent illa suffurari ligna quæ quotidianis vsibus saltem foci essent sibi necessaria. ¶ Pari fermè modo est de venatione arbitrandum. Venatio enim primùm omnium iure gentium communis est: nempe vt fera & auis quæ à nemine capta priùs fuerat in ius transeat capientis: vt patet Institũ. &. ff. de rerum diuisio. Vnde Aristoteles. 1. Politico. cap. 5. venatoriam, partem esse vult rei bellicæ. Et fundatur hoc ius in illo dominio Gene. 1. hominibus datum in cuncta animalia terræ, & volatilia cœli, atque aquarum natatilia. Nihilo minùs verò triplicide causa iure venatio vetatur. Primùm etsi venationis locus communis sit ciuitatis aut opidi, vetari licitè potest à principe, & à domino per viam gubernationis: nam feræ ac pisces non solùm ornamento sunt & decòri reipublicæ, verùm & necessitati seruiũt. Ob idque non est vulgi temeritati venatio committenda: sed debet ordine ac lege fieri, nè dispereat. Secundò, princeps etiam cõmunia loca reipublicæ potest aliquot proprio vsui dicare: neq; ad hoc, vt quidam autumant, requiritur consensus populi. Iustũ quippe est vt pro sua dignitate gratia recreãdi animi venationem habeat paratam. Præterea quoniam apros ac ceruos, & id genus bestias, non condecet à plebeis venatu impeti: sed vt reseruentur ingenuis, qui præliorum simulacra aduersus eas meditentur.

Aristot.

De venatione quib⁹ cau sis vetetur.

Prima.

Secunda.

¶ Hoc autem non est hìc absq; admonitione silendum, quòd non est eadem ratio in magnatibus ad custodiendam sui gratia venationem, quanta in principe: etiam si cum suis iuribus ea fuerit ipsis largitus. Nam Rex potest, exempli gratia, in toto regno decem aut duodecim loca sibi reseruare: & forsan non posset bis aut ter centum. Si autem magnatum singuli in suis opidis aut territorijs plura haberent loca custodita, grauamen regno fieret intolerabilius. Sunt enim feræ aues & pisces de iure gẽtium communes: vt locis Insti. &. ff. de rer. di ui. citatũ est: & ideo non est nimiũ populus à venatione cohibendus, quandoquidem libertatem etiam habeat illo modo tum animum recreandi, tum & quæritandi victum.

¶ Sed tertio modo, quod ad rem pertinet, custoditur venatio: nempe quia est in loco, non communi opidi, sed proprio ipsius domini, quo suam custodit venationem. Nam, vt habetur locis proximè citatis de rerum diuision. potest fundi dominus prohibere nè quis venationis gratia illud ingrediatur. At verò in his omnibus primùm omnium, vt de syluis dicebamus, cauendum est nè pœnæ acerbæ statuantur: quia illud nõ existimatur furtum aut latrocinium, perinde ac dum domus aut bursæ compilantur. Quare profectò crudele est pœna corporali plecti ingredientes loca vetita venationis gratia: sed satis est si duplũ aut triplũ soluerent. & plagas instrumẽta q; perderent. Præterea hoc sanctissimè admonendũ, vt qui feras custodiũt dãna data in integrũ soluãt: quod q̃ rarissimè fit. ¶ At quò tandẽ prętermissis pœnis, q̃ absq; dubio ante cõdẽnationẽ non debẽtur, ad restitutionẽ valoris bestiolæ aut piscatus descẽdamus, dicendũ q̃ vbi venatio in loco cõmuni seruaẽ, & qui venaẽ ciuis est, arbitror ad nullã restitutionẽ teneri: tametsi fortè aliqua culpa sit facere cõtra legẽ: quoniã cũ venatio illa sit totius reipublicæ, non prę sumiẽ lex obligare ad restitutionẽ, sed ad pœnã si cõdemneẽ. Id enim iustius sanè est, q̃ quod de lignis diximus. Quando verò locus est proprius dñi, si locũ ipsum ingrediaris species est furti: & tũc maximè dũ muro est cinctus: & ideo ad restitutionẽ dãni teneris. Dixerim, si locus muratus fuerit, quoniã si fuerit patulus, non video cur restitutionis obligatio emergat. Enimuerò etsi fundi dñs id iuris habeat illic venãdi, vt alios inde arcere valeat: nõ tamẽ inde fit cõsequens dñium habere ferarũ, quæ illic nutriuntur, perinde atq; arborũ aut terræ nascentium. Primùm q̃ feras terra nõ fert, vt cæteros fructus, sed ipsæ se animãtes progignũt: tũ etiã q̃ eadem animalia, vaga sunt, & ad quocũq; diuagandũ libera: si ergo dñs fundi nõ est syluestriũ animalium dñs, fit vt qui illa occiderit, non

Tertia.

ubi

Qui feras custodiunt ad dãna data tenẽtur.

fiat restitutionis reus. Atq; huic definitioni maximè consonat. l. 16. Partit. 3. titul. 28. qua sancitur, vt qui â dño fundi non prædmonitꝰ quippiam fuerit in fundo alieno venatus, sibi quod cepit acquirat. Quod certè iniustũ esset, si id sub dominio esset dñi. Qui autem prædmonitus bestiolam ceperit, non sibi, sed domino fundi obueniat: in pœnam scilicet qꝰ ingressus est alienum fundum. Quare forte ante condemnationem in nihilũ tenetur. Si autem extra domini locum feram transfixeris, aut laqueo ceperis, certum est te ad restitutionem nõ teneri: præsertim si in prædio tuo illam fueris venatus: ac multò minus si feram damnum tibi dantem repereris. Nisi forsan inter opidanos ac dominum conuentum stato preto fuerit, quod dominus constituit, vt nullibi venatione nocerẽt, sed suo venandi, quod gentium est, iuri renuntiarent. Fortè quia dñs & damna bona fide soluit, & tributorum remissionem illis nonnullam facit, vt eidem iuri renuntient. ¶ Aues autem in triplici sunt differentia: nã aliæ sunt merè syluestres: & harum aucupium defendere, etiam in fundo proprio iniquitas est: quandoquidem nullibi nisi per modum transitus commorantur. Præterquàm si pretiosissimę essent, vt accipitres: de quibus plusculum dubij esset. Sed tamen nec auderem ad istam restitutionem obligare venantes. Aliæ sunt in alio extremo cicures ac domesticæ. Quas surripere absque

De colũbis. vlla controuersia, furtum est. Sed aliæ sunt mediæ: vt columbæ: quæ nec prorsus domesticæ sunt, nec prorsus syluestres. Et de his haud dubito, quin standum sit municipialibus legibus sicuti de aluearibus: nempe quòd si lege præscripta est periodus, vt scilicet intra tot passus nemo illas capiat, censendum est vsq; ad illam lineam esse domesticas. Quare extra illam potest eas quisque captare: modis tamen lege permissis. Nam potest etiam Rex vetare nè certis laqueis aut plagis irretiantur, tunc autem non emerget restitutionis obligatio, sed pœnæ. post cõdẽnationẽ. Si autem infra spatiũ lege præscriptũ capiant, fortè nõ sunt captores à restitutione immunes: quandoquidem vsq; ad limitem illum factæ sunt columbæ domesticæ. Tametsi nec summo sunt rigore vrgendi ac si de ipso columbario illas furaretur. Vbi autem nullæ extant ciuiles leges, si solùm naturale ius consulas, apparet nemini reclamantibus illis qui fata circum circà habentes damna sunt accepturi, licitũ esse columbariũ extruere. Quin verò si Caietanum in sua Summa auscultes, peccatum est mortale columbas in aliorum perniciem alere. At verò licèt quando ingens esset detrimentum id fortè verum habeat, si tamẽ domini pabulum sufficiens pro columbarum numero in columbario suppeditent, nõ tantum agnosco criminis. Est enim hoc genus auis non solùm in escam, verùm ratione stercorationis reipublicę vtilis: quare nõ est cur prorsus à ciuili republica abigantur.

ARgumenta igitur in fronte quæstionis obiecta, solutione non indigent: sed attẽtione eorum quæ dicta sunt. Lex enim illa quadrupli aut quintupli, iudicialis erat: & ideo furẽ, quantum ad restitutionem: satis erat reddere simplum: sed condemnatus deberet soluere pœnam. Zachæus autem inter alia supererogationis opera hoc ponebat quòd reddebat sua sponte quadruplum, si quid furaretur: non quòd ante condemnationem obligatus esset. Ad tertium verò mẽbrum negatur consequentia: iustè enim iudex in vindictam condemnat reum ad aliquid quod anteà non tenebatur.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm debeat aliquis id quod non abstulit restituere.

IN quinto articulo, q apud diuum Tho. quartus est, quæritur, vtrũ id debeat quispiã restituere q̃d non abstulit. Et arguitur à parte affirmatiua. Primùm de illo qui semina effodit nè venirẽt ad messẽ: qui videtur grana debere quorũ dãnum dedit, quæ sibi tñ non vsurpauit. ¶ Secũdò de illo qui mutuatum æs aut aliter debitum vltra præfixum terminum retinet: qui tenetur tam de lucro cessante quàm de damno dato: cùm tamen id sibi ipse non acceperit. ¶ Et tertiò arguitur autoritate Redemptoris, Matthæ. 25. Sciebas quòd meto vbi non semino, & cõgrego vbi non sparsi. Vbi insinuatur quòd Deo debemus plus quàm ab illo accepimus: & cùm humana iustitia à diuina deriuetur, id etiam videtur inter homines obseruandum. ¶ In contrarium autẽ est quòd restitutio ibi perficitur

vbi

vbi æqualitas constituitur inter acceptum & datum: si ergo quis plus rependere tenere tur quàm accepisset, restitutio illa à iustitia exorbitaret.

Prima conclusio. QVæstionis respõsio tribus facilimis cõclusionibus cõstat. Prima est ceu superiorum repetitio. Vnusquisq; tenetur damnum quod alteri dedit ad iustum restitue re. Probatur. Damnum quẽpiam alteri dare idem est quod quippiam ab ipso auferre: siue pecunia sit, siue aliud bonũ illa æstima bile: nam damnum quempiam accipere, vt ait. 5. Ethi. c. 4. Arist. nihil aliud est q̃ minus habere quã habere debuit: qui autem alteri quippiã abstulit, virtute iustitiæ cogitur tan tũdem, neq; plus, neq; minus reddere. ¶ At

Distinctio. verò bifariàm contingit vt quis quid alteri auferat: nẽpe aut illud q̃d ille actu habebat, aut quod habebat in potẽtia. Est ergo secun

Secunda cõclusio. da conclusio. Quicunq; id alteri adimit q̃d actu habebat, tenetur ad æqualitatem idem repensare, vt si domum abstulisti, teneris de iusto pretio: & si honorem & famam, eandẽ, vt dictum est, secundùm facultatem tuam re ficere. Res est iam in superioribus liquida.

Tertia conclusio. ¶ Tertia conclusio. Quicũq; alteri in eo damnũ dat qnod nõdum actu, sed potentia habebat, non tenetur id ad æqualitatem restituere ac si actu illud habuisset, sed ad æquali tatem illius potẽtiæ: pensata scilicet q̃ esset actui proxima, perpensisq; personarum atq; negotiorũ cõditionib⁹. Vt si fata tuis equis conculcans effodisti semina, pensari debet potentia vsq; ad messem. Si autem iam albescentes segetes disipasti, tãto plus debes. quãto iam fruges propinquiores erant. Probatur conclusio. Id enim quod nondũ actu est, sed in via & virtute, non tanti æstimatur, quanti si esset in actu: quare si secũdùm illum actus valorem reddendum esset, non simplum, sed præter iustitiam auctum resti tueretur: ad quod vtiq; ratio iustitię nõ obli

Argumẽtũ contra tertiã cõclusionẽ. gat. ¶ De duabus prioribus cõclusionibus nihil est quod in dubium vocari possit. Por rò autem contra tertiũ argumentũ se statim offert, non vtcũq; validum. Enimuerò si ille qui rem habet in spe, non vult illã in sola spe vendere, sed expectare pericula oĩa vsq; ad rem: tunc ille qui contra eius voluntatẽ rem illam diriperet, non solùm teneretur restituere quãtum in spe valebat, sed, vt apparet, quãtum erat res ipsa valitura, ergo cõclusio falsa. Accipe antecedentis exempla. Est miser agricola qui semina sua terræ cõcredidit, & mauult omnia cœli terræq; pericula subi re, & euẽtus expectare, q̃ iacturã seminis certo pretio facere. Et meritò quidẽ. Nam vt habetur Ecclesiast. 11. Qui obseruat vẽtũ, nõ seminat, & qui considerat nubes, nunq̃ metet: ergo si isto inuito fata eius tu destruas, certè ratio persuadere videtur q̃ tenearis in totũ. Est verbi gratia totum vnum opidum aut castrum, quod, si semina omnia effoderent, aut cùm herbescerent eradicarentur, nõ possent non graui posteà inopia laborare: quæ si non destruerentur, locupletissimas meteret messes: & volunt opidani pericula expectare: cur ergo priuandi sunt inuiti illa sua expectatione. Item habet quis tenerrimum pullũ equinũ, qui de se magnam promittit spem: tunc verò non æstimatur nisi decem, valiturus tamen centũ: re vera non apparet iustitiæ cõsonum, vt res tunc sit compẽsanda solùm secundũ potẽtiam, & nõ secũdum actum. Respõdetur ergo q̃ cõclusio S. Tho. est intelligenda, primùm quando damnum datur casu, & non consulto per iniuriam, renuente domino. Tunc enim deducendæ in primis sunt impensæ quas facturus erat dominus: quãdoquidem illæ non sunt ei sublatæ, sed penes ipsum manẽt. Et deinde pericula pẽsanda si q̃ sunt ad arbitriũ prudentiũ qui bona fide id iudicent. At verò quando renuente domino damnũ per iniuriam datur, multò est auctior æstimatio facienda: & maximè quando damnum est graue: vt si latissimum vinetum destrueres aut vastissimum segetum campum, ita vt prouincia vel ciuitas graue detrimentum pateretur.

Exponit cõclusio. S. Th.

De secundo argumento

PER hæc ergo liquet solutio primi argumenti. Circa secundum verò dubitationem nobis offert doctrina Caietani. Ait enim diuus Thomas quòd qui in mora est soluendi mutuum, aut alia ratione debitum, tenetur non solùm quod accepit refun dere, verùm & damnum quod creditor ex dilata solutione patitur, & quod illi cessat lucrum. Quod quidem iustitia præcipit postquàm alteri inuito totum illud auferatur. Caietanus autem inde infert eãdem ratione & à principio posse inter mutuantem & mutuatarium conuenire de lucro cessante. Quod quidem si intelligat à temporis articulo quo in mora cœperint esse, bona fortè est illatio. Mutuo, verbi gratia, tibi vsque ad festum Ioannis decem: quæ si tunc non

Sẽtẽtia Cai. de restitutione lucri cessantis.

Distinctio authoris.

nota hoc

solueris, quia me inuito deinceps retinebis, & sum ego mercator, cui tua culpa cessaturum est lucrum: dabis ergo mihi tantum. Si autem intelligat lucrum cessans statim à tempore mutuationis persoluendum, profectò illatio nulla est. Tota enim ratio quare ab illo qui est in mora potest negotiator lucrum cessans exigere, non est ea præcisè, quòd pecunia negotiatoris in virtute plus valet quàm si non esset negotiationi exposita: sed hæc iuncta cum alia causa, quòd præter voluntatem ipsius mercatoris retinetur. Quare dum sua ipse sponte alienatā à se habet pecuniam, pernicioſum est concedere vt possit lucrum cessans exigere. Hoc autem libr. 6. sumus fusiùs disputaturi. Et ideo de hoc modò satis. ¶ Solutio tertij argumenti, expositio est illius loci euangelici, Sciebas q̃ meto vbi non semino, & congrego vbi nō sparsi. Cuius duplex est expositio. Primùm enim hoc nos certissimū catholica fides docet, quòd radix nostrorum omnium meritorum est gratia Dei, per quā illi sunt accepta: & ideo quicquid illi meritorum offerimus, ipse in nos priùs seminauit. Vnde alibi, seminanti semen suum sese comparauit. Et ideo prior expositio est, q̃ verbum Christi nō intelligit̃ secūdùm veritatē, sed secundū existimationē illius serui nequā, qui ex odio arbitrabatur Deum petere quod seminauerat: & ideo ait Christus, ex eius ore eum iudicare: quasi non ex rei veritate. Posterior verò solutio est quòd aliquid prẽter gratiam quā ipse nobis confert, exigit à nobis, scilicet assensum nostrū vt sinamus nos ab illo moueri: & prætereà vsum eiusdem gratiæ, quo per meritorū incrementa ipsa augetur. Porrò autem syncerior apparet prior solutio. Nam & ipse nos mouet ad assentiendū: & fruges meritorū nostrorū ipse in nobis seminauit per gratiam. Vnde Paulus: Ego plātaui, scilicet prædicādo, & Apollo rigauit: Deus autē incremētum dedit. ¶ Est hic autem ab illo Lutheranorum dogmate cauendum, quod nos lib. 3. de Natu. & grat. cap. 8. expugnauimus. Aiunt em̃, opera nostra non esse nostra merita, sed Deum per nos mereri. Qua quidem falsitate nihil ineptius dici potuit. Meritum enim non dicitur nisi vnius ad alterū. Quare cùm mereri non sit nisi in Deo & erga ipsum, non potest ipse mereri. Decipiuntur autē falso intellectu verbi Augustini in De gratia & liber. arbit. quo ait Deum in nobis coronare dona tua. vbi Augustin. non dicit q̃ opera nostra sunt merita Dei, sed q̃ sunt dona Dei: & simul vtrunq; verum est, q̃ sunt & dona Dei, & merita nr̃a. Nam quia nō sunt merita nisi quatenùs è radice gratiæ Dei pullulāt, eius dona dicūtur, & sunt. At quia quatenùs ex consensu libero voluntatis nostræ diuinitùs motæ fiūt, sunt merita nostra. Coronat ergo De⁹ merita nostra, quatenùs dona eius sunt, & ideo quodāmodò illi damus quod nō accepimus, puta auctum quod in radice accepimus, sed tamen nihil damus q̃d ipse non seminauit & incrementum dedit.

Cur liceat lucrū cessās exigere.

Ad tertiū.

Paulus.

Dogma Lutheranorū.

QVAESTIO SEptima, de circunstantijs restitutiōis.

S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 5.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm semper oporteat ei restitutionem fieri à quo res sublata fuit,

QVoniam quæstio præcedens substātiam nobis restitutiōis patefecit, decet vt ī hac septima circunstantias eiusdē exploremus. Nēpe cui, quis, quomodò, quando restituere debeat. Est ergo primus artiulus qui apud. D. Thom, est quintus: vtrùm sit semper restitutio ei facienda, cui res sublata est. Apparet nanq; id non semper oportēre. Primū quia restitutio nō debet illi esse nocua, cui fit, neq; alteri iniuriosa: Si autē ei cuius res est, esset semper restituenda, vsu quandoque veni res, vt in eius perniciem esset vel aliorum: vt puta dum domino petenti suum gladiū vt homicidium faceret, redderetur: ergo nō semper est vero domino restitutio facienda. ¶ Secundò: quæ quisq; iniustè prauoque fine dat, indignus sit qui eadem recipiat: solent autē homines aliquid symoniacè dare, vel ad corrūpendū iudicem, vel ad hominē enecandum: quæ quidē largitiones iniquæ sunt: ergo non est illis facienda restitutio. ¶ Tertio. Nemo ad id cogitur quod impossibile est, quandoq; autem restitutio non est

factu posſibilis, ſi ei fieri debeat à quo res ablata eſt: nẽpe vel quia eſt vita defunctus, vel peregrè profectus, vel prorſus ignotus: ergo tunc nõ eſt neceſſe reſtitutionem eidem fieri. ¶ Quartò. Iuſtiùs homo cogitur ei beneficium repenſare à quo maius accepit, q̃ ei à quo recepit minus: ergo ingruẽte ſimul parentum inopia, dum tempus reſtituendi alteri occurrit, ſi vtrunq; ſimul non eſt poſſibile, citiùs rependendum eſt parentibus beneficium quàm debitum extraneo reſtituẽdum. ¶ Quintò. Fruſtraneũ eſſet ac perinde vanum id reſtituere quod rurſus in poſſeſſionem reſtituentis eſſet reuertendũ: dum autem prælatus quippiam eccleſiæ debet, ſi eidem eccleſiæ reſtituatur, in ſuam ipſius regreditur poteſtatem: quãdoquidem ipſe eſt bonorum eccleſiæ adminiſtrator & cuſtos: ergo tunc non decet reſtitutionem eccleſiæ fieri. Atq; adeò non ſemper ei debet fieri reſtitutio à quo res ablata eſt. ¶ Contrariũ autẽ nos Paulus admonitos curauit ad Roma. 13. inquiens, Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal, &c.

Paulus.

QVæſtio huius articuli pręcipua eſt in materia reſtitutiõis: ad quã pleriq; Doctorũ concluſionũ multitudine reſpõdẽt: nẽpe q̃ bona defuncti reſtituantur hæredi: & quæ ignoto debẽtur, reſtituãtur pauperibus: & horum inſtar fiat de alijs. At verò licèt forſan ad rem nõ ita multùm differat, tamen ſi loquendi proprietatem obſerues, multò ſynceriùs & ad rem propiùs vnica cõcluſione diuus Tho. reſpondet: quæ ſit vniuerſalis hæc, Neceſſarium vbique & ſemper eſt reſtitutionem eidem fieri à quo res ſublata eſt. Enimuerò hæredes perſonam defuncti gerunt, & ideo quod eis confertur datur defuncto: & quod reſtituis pauperibus, vero domino reddis: nam illi per ſe nullum ac quirunt dominium niſi quia loco veri domini ſubrogantur. Probatur ergo concluſio. Reſtitutio, vt ſuprà dictum habemus, eſt actus cõmutatiuæ iuſtitiæ, per quam æqualitas cõſtituitur inter perſonas quæ inæqualia habent: hæc autem rerum adæquatio legitimè conſtitui non poteſt niſi eidem ipſi id reddas quod ei abſtuliſti: ſi quidẽ ille eſt qui propter tuam ablationem minus habet: ergo vero domino facienda eſt ſemper reſtitutio. ¶ Anteà tamen quã ad argumentorum ſolutionem deſcendamus explicanda eſt concluſio. Conſultò quippe dictum eſt reſtitutionem fieri debere vero domino. Nam ſi rem ab eo ſuſtuleris qui eius non erat verus dominus: vt pote à latrone, non eſt ei reddenda, ſed domino, cui ipſe ſurripuerat: ac perinde rem filiofamiliâs ademptã, ſuo patri: & quam monacho eripuiſti, eius prælato. Enimuerò vt articulo proximo dicturi ſumus, duplici ex fonte oritur reſtitutionis obligatio: nẽpe & ratione acceptionis, & ratione rei acceptæ. Ob idq; in hiſce caſibus, etſi nihil ab eiuſmodi dominis acceperis, nihilo minùs quia eorum res penes te ſunt, teneris in eorum poteſtatem tradere. Eſt autẽ operæpretium tria in eiuſdem reſtitutionibus obſeruare. Primum, vt tibi citra vllam dubietatem cõſtet rem quam Petro eripuiſti, nõ eſſe ſuam, ſed Pauli. Nam dum res tibi dubia eſt, tũc quoniam melior eſt conditio poſſidentis, eidem debes reddere: vt ipſe videat cuius eſt. Quandoquidem in foro iudiciali, niſi tu planè probaueris rem non eſſe illius, eidem à quo abſtuliſti compelleris reddere. Et cõſultò dixerim, non eſſe illius, puta quia nunquàm eius habuit dominium, ſed per iniuriam ſurripuit. Nã ſi ille à quo ſuſtuliſti ratione mutui vel alius legitimi contractus rem illam debet alteri, non tu potes priuata authoritate ei reddere, ſed ei ipſi debes qui dominium habet. Secundò vt tenearis dare domino, requiritur q̃d id poſſis abſque magno tuo detrimento facere. Quoniam ſi latronem timeas, aut filiumfamiliâs, à quibus niſi eis reddas vapulabis, aut graue aliquod damnum accipies, non teneris cum tuo incommodo reddere niſi eis. Et tertiò, quando reſtituis vero domino teneris tam latronem admonere quàm etiam dominum: illum ſcilicet nè poſteà pœnitentia ductus iteratò reſtituat quod ſemel reſtitutum eſt: hunc autem, nè alia via procuret illud recuperare. ¶ Arguitur autem contra ſecundam moderationem, nempe quòd res tunc reſtituenda eſt domino, ſi fieri illud poteſt ſine reſtituentis detrimento. Ille qui rem ſuſtulit à latrone tenetur reſtituere vero domino, non ſolùm charitatis iure, verùm & iuſtitiæ rigore: ergo non ſolùm abſque detrimento, verùm etiam cum illo debet talis reſtitutio fieri. Probatur primò antecedens. Nam qui rem alienam habet inuito domino, res ipſa accepta, vt modò dicebamus, in cauſa eſt vt reſtitutio iuſtitiæ vinculò fiat. Item verus dominus poſ-

Aliorũ ſententia.

Concluſio.

Explicatur concluſio.

Tria in reſtitutione obſeruanda.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Argumentũ cõtra ſecundam moderationem

set possessorem in foro iudiciali compellere vt sibi conferat: ergo tenebatur de iustitia. Nam ad id ad quod sola charitate tenemur, nō possumus in iudicio cogi. Itē quia, vt articulo proximo dicturi sumus, etiam qui furtum à latrone emisset, teneretur illud domino restituere: ergo quomodocunque accipiat. Consequentia autem prima inde probatur quòd iustitia etiam cum detrimēto restituere obligat: vt suprà diximus. Ad hoc respondetur quòd non solùm charitas, sed iustitia obligat ad reddendum vero domino, quomodocunque ab iniquo possessore acceperis. Negatur tamen consequentia, qua infertur etiam cum detrimento esse restitutionem perficiendam. Quādo enim teneris ratione acceptionis: nēpe vel quia iniquè à domino eripuisti, vel mutuato: tunc restituere etiam cum aliquo detrimento, vt diximus, cogeris: haud tamen cum detrimēto vitæ. Quando verò non ratione acceptionis, sed tantùm ratione rei acceptæ: tunc nullum cogeris subire periculum: si re vera periculum est alicuius momenti: sed satis est tūc vt eidem reddas à quo accepisti: admonendo, si potes, verum dominum. Quandoque autem egregium officium præstabis amico si periculo te obijcias vt rem suam seruet. De hoc autem iterùm expressius articulo proximo.

Ad argumentum.

Ad primū principale

AD primum igitur argumentum respondet diuus Thomas, quòd casu quo restitutio grauiter ei nocet cui fit, vel in nocumētum alterius vergit, non ei tunc fieri debet, eò quòd restitutio in vtilitatem eius fit cui debetur: sed debet in tempus cōgruum prolatari: vel apud alterum res deponi, qui tutiùs custodiat. Hæc autem responsio nonnullas parturit dubitādi ratiunculas. Et quò omnibus fundamentum subijciamus, quæritur quo iure depositarius teneatur in tali casu seruare depositum, atq; id domino denegare: charitatisne an iustitiæ: multum enim refert. Nam si iustitia illud seruare cogit, cōsequens fit vt si restituat, teneatur ad restitutionem damnorum quæ ipse intulerit, sin autem sola charitatis vinculo, nullinde fit restitutioni obnoxius. Responsio huius in distinctione posita est. Aut em̄ ille qui petit vult re sua in iniuriam sui vel aliorū abuti: & tunc de iustitia teneor ei illam negare. Vt si gladium à me insanus petat vt se vel alterum occidat. Si modò tamē id sine meo incōmodo possum. Non enim teneor subire periculum quod mihi ille offert si non reddo. Sicuti non teneor exponere me periculo ad defendendum vitam proximi, & quòd qui potest sine periculo teneatur de iustitia negare, inde patet, tum quòd reddēdo causam dat iniuriæ, tum quòd si reddat condemnabitur in iudicio: licèt non ad totum. Missam hic semper faciamus ignorantiam quæ homines potest excusare. Et eâdē ratione, imò maiori denegare debeo quando in præiudiciū reipublicæ id petitur: vt qui amplam pecuniā deberet tyranno, quā ipse vt exercitū in interniciem reipublicæ armet petit, tenetur ei tunc temporis de iustitia denegare. Si verò dominus rem suam petat in aliquem abusum qui non habet annexam iniuriam: vt si pecuniam quam illi debeo ad scortandum, vel ad ipsam prodigendum ex me reposcat, tunc de iustitia non teneor non reddere: quandoquidem reddendo nullius sim iniuriæ causa: imò ipse petit sū vtens iure. Teneor tamen ex charitate rei proximi consulere, atque adeò, si possum restitutionem differre in aliud tempus.

Dubium.

Responsio sub distinctione.

Secunda pars distinctionis

¶ At verò emergit à contraria parte argumentum. Nemo habet ius peccandi ergo quomodocunque ille petat ad peccandum, etiam citra aliorum iniuriam, denegandum illi est de iustitia. Quòd si respondeas licitū illi esse dare scorto pro re illicita: & ideo petere vt vtatur iure suo, instruatur argumentum de datione quæ intrinsecè est peccatum. Vt si petat ad exercendam symoniam, quæ quidem datio intrinsecè mala est. Caietanus hic ingenuè fatetur tunc etiam non licère ei dare. Nam dicit non licère pecuniam depositam domino reddere vt Cardinalatum emat: & multò minùs illi pecuniam in talem vsum mutuari. Sed re vera, quicquid sit de mutuatione, in quo maior cōtrà esse videtur ratio culpę: quia mutuās cùm minùs compellatur, magis videtur esse causa, depositum tamen tunc reddere, nullam videtur iniustitiam afferre. Nam ipse petit quod suum est, non ad irrogandam iniuriam alicui tertio, neque sibi, sed solùm ad peccandum: sicuti si peteret vt mala causa daret amicæ. Et ideo alij volunt eludere argumentum propter vitium appellationis. Non enim sequit, nemo habet ius peccā di: & iste petit pecuniā suā ad peccādum: ergo nō petit vt vtat iure suo: quia petit ad dā dū ad quod habet ius: licèt non ad culpam

Argumētū cōtra secūdā partem distinctiōis

Responsio Caietā.

quæ

quę rationi adiũgitur. At verò profectò illo modo quo non habet ius ad peccandũ, neq; ius habet ad dandũ, si datio ipsa sit peccatũ. Secùs de meretricia mercede: quia dare non est peccatum: licèt fornicatio sit peccatum.

Prima solutio. Duobus ergo modis congruentiùs respõdetur. Primò quicquid sit de illo vsu ad quem suam à me pecuniam petit, tamen petẽdo vtitur iure suo: quia petit suum. Sed ais, Petit tamen vt ea vtatur contra ius suum. Respõdetur ergo

Solutio secunda. secundò, quòd vti quęq; iure suo, bifariàm intelligitur. Si enim ius accipiatur pro lege, nemo habet ius peccandi: quoniã neminẽ lex peccare permittit. Si autem ius vniuscuiusque accipiatur pro eo quod est suũ, scilicet quo citra iniuriã vtitur: tunc ille qui dat pecuniam simoniacè, vel ad corrumpendum iudicem, vtitur iure suo: hoc est dat quod suum est: atq; adeò nemini iniuriam facit, sed legi: quam quidem ego qui habeo eius depositum, non teneor vitare.

Ad secundum. Illicita datio duplex. AD secundum argumentum respõdet diuus Tho. sub distinctione. Bifariàm enim contingit aliquem quippiam illicitè dare. Vno modo quia datio ipsa est contra legem: sicut simoniaca: & tunc, quia dans meretur dominium perdere, quod alter nihilo magis acquirit, restitutio fieri debet, non ei, sed pauperibus. Si verò datio ipsa non sit illicita, sed causa propter quam datur, vt scorti merces: non est restitutioni debita. ¶Et quidem secundum membrum adeò liquidũ est vt nullo indigeret examine, nisi quidam nuperrimus autor Complutensis hanc sententiam sancti Thomæ, quæ omnium ferè est Theologorũ, inficias iuisset. Ait quippe meretricem nihil in pretium & mercedẽ suæ turpitudinis recipere posse: sed tantùm donationis via. Itâq; si in pretium reciperet, restituere teneretur. At verò salua egregij Doctoris existimatione, ratio eius tam debilis est, quàm cõclusio falsa. Inquit enim duo esse rerum genera quæ diuersa ratione non sunt pretio æstimabilia: nempe spiritualiũ, quæ ideo pretio non æstimantur, quòd omne excedunt pretium: & operum quę delicta sunt, quę propter eorum vilitatem nullo sunt pretio digna. Porrò autem vtrunq; mẽbrũ falsum est. Spiritualia nãq; nõ illa ratione iniustè vendũtur. Nam et si supranaturalia sint, nihilo minùs quantum ad humanos vsus attinent, emerent illa homines quanto pretio possent. Vita enim omne pretium excedit: & tamen homicida condemnatur, vt vitam quam abstulit ad arbitrium prudentum restituat. Præterea spiritualia quę habent fructus temporales annexos possent tunc illa ratione emi: vt sunt sacerdotia. Ratio ergo quare spiritualia vęnalia non sunt, non est nisi quia gratis sunt diuinitùs collata. Et ideo dispensatores illorum cùm non in peculiare suum commodum, sed in bonum commune ea receperint: debent quæ gratis acceperunt, gratis dare, vt libro nono latiùs patebit. Quare scientia quam quis propriè acquirit, vendibilis est. At verò de peccatis, licèt ratione culpæ non solùm vilia sint nulloque pretio digna, imò abhorrenda & execrãda nihilo minùs ratione cõsensus illi⁹, qui suas locat operas, ratiõeq; voluptatis illi⁹ q cõducit, quatenùs ad humanos vsus accõmodanť, possunt mercede & pretio redimi. Quapropter mulier quæ sui corporis copiam facit, mercedem recipere potest pro voluptate quam vir captat, sicut posset vt prolem illi gigneret. Imò vtraque ratione posset etiam masculus à fœmina pretiũ recipere: quin verò æquiùs quia plus præbet. Sicuti Alexander iure naturę potuit à duce illa Amazone quę illum gratia recipiendæ prolis inuisit, quod & prece & pretio, vt fertur, impetrauit. Nã illi fœminarum generi in more erat pretio accersere viros qui ad illas ingrederentur. At verò quia fœminis maior inest pudor, ob idque rariores sunt quę illi turpitudini vacent quàm viri, pretium ipsæ iustiùs recipiunt. Item si causa salutis quispiam emissione illa egeret, posset amplexũ illum pretio coẽmere: non obstante innatum haberet flagitium. ¶Et quòd non solùm donationis via, sed loco pretij id possint recipere, manifestè probatur: quia, respublica non solum miseras illas fœminas permittit, sed & pretium eis taxat: id quod nomen ipsum meretricis admonet. Dicitur enim à merendo. Et qui illis statum pretium non persolueret, cogeretur in foro iudiciali: quod non contingeret si donatio esset. Idque. l. idem si ob stuprum. ff. de cond. ob turp. caus. adstruit: quippe quæ ait meretricem iustè recipere id quod pro iniusto actu accipit. Meretrix enĩ, inquit, turpiter facit, quod sit meretrix: non tamen turpiter accipit, cùm sit meretrix. ¶Item arguit contra huius Doctoris assertum, quo ait: si prostituta quidpiam animo recipiẽdi pretium

Sententia Ioan. Medinæ

Impugnat Medina.

Quare spiritualia vęnalia non sunt.

Potest vir à fœmina p tiũ recipere.

Alexãder & Amazon.

accipiat,ad restitutionem teneri:si verò animo recipiendi donationem, minimè teneri. Arguitur inquã:quia non tam eius mens existimari debet quàm ipsa traditio:& reuera consuetissimo vsu nemo illis donat, sed pretium soluit:atq; ipsæ id planè intelligũt, quare semper tenentur ad restitutionem.

¶Neque contra nos quidpiam facit.l.syncera.C.de donatio,inter vir.& vxor.vbi miles donare prohibetur quidpiam meretrici.Illic enim non iustum precium prohibetur, sed larga donatio:idq; in fauorem militis.Nam alij donare etiam illis possunt:vt patet.l.affectionis.ff.de dona. ¶Maiori tamen apparentia obijci nobis illud posset Deutero.23. Non offeres mihi turpe lucrum nempe meretricis.Sed tamen neque hoc quicquam euincit.Ibi enim non condemnatur meretricis precium,sed propter fœditatem prohibebatur in templo offerri. Sicuti & pretiũ canis:quia nõ erat animal vtile. Vel,quod veri similius est,vt ait illic Iosephus,in more erat vendere coitum canis ad impręgnandũ caprã:ad nullã ergo meretrices restitutionẽ tenẽtur. ¶Maius autẽ dubiũ est an aliæ quæ non sunt publicitùs expositæ,sed maiori cũ verecũdia copiã sui faciunt,possint pretium recipere. Sunt enim qui hoc propterea negent,q; lex non permittit nisi illas quę sunt in fornicibus,neque alijs pretiũ taxat. Porrò autẽ crediderim has multo iustiùs posse recipere precium:quippe quæ ob maiorẽ honestatem pluris sunt æstimandę. Quòd si de alijs etiã scisciteris q̃ neq; publicitus sunt prostitutæ,neq; se tradere cõsueuerũt:sed sunt puellæ aut maritæ quæ semel aut bis collabuntur.De his enim maior est apparẽtia q; nõ possint pretiũ recipere sed teneãtur ad restitutionẽ:eò q; non modo nõ sunt lege permissę,verũ lege agitur cõtra illas,aut de stupro,aut de adulterio, neq; in iudicio audirẽtur,si promissum sibi precium peterent.Nihilo minùs& illis quoq; liceret pretium recipere:tenebitq; in foro cõsciẽtiæ qui illis promisit soluere:nisi excessus iustæ æstimationis pro ratione personarum immodicus esset.Et ratio est eadem sancti Thomæ. Nam licèt flagitia illa sint lege vetita,datio tamen non est prohibita.Et ideo iuri naturali standum est:quo vtique iure concessio illa corporum æstimabilis est pecunia. Atque ad hoc facit.l.suprà citata,idem.ff.de condi.ob turp.causam.vbi ei qui aliquid ob stuprum obtulit denegatur repetitio. ¶ Sed tamen quantum ad forũ iudiciale est differẽtia inter has mulierũ species,q; meretrici datur in iudicio actio petendi pretium: ei autem quę non est publico loco exposita,denegabitur: quia illis solis lege decreta sunt pretia.Vxores autẽ & virgines nonsolũ à iudicio arcent nè petant,verũ in pœnam sui criminis priuantur acquisito pretio:sed tamẽ ante condemnationem iure naturę illis debeť.Quod autẽ adduci potest ex.l.Lucius Titius.ff.de iure fis.vbi mulier quæ marito venenũ propinauerat cõdemnatur vt quæ turpiter in adulterio receperat fisco applicẽtur, nihil ad rem facit.Primũ q; ante cõdemnationem iure naturæ poterat id recipere: deinde qd' cõdẽnata est,nõ solùm in odium adulterij, sed homicidij. ¶Vtrùm autem marita teneatur pretium reddere viro si id saluo pudore suo posset,& filia patri:respondetur idem esse iudicium atq; de alijs quæ operis manuũ suarum acquisierint.Potest enim clam marito, & filia clam patre,illa in suos vsus vertere:ni si amplã supellectilẽ illa via acquisiuisset q̃ idcircò in vsum maritivenire deberet.Haud ergo eiusmodi mulieres ad restitutionem tenentur:nisi ab eo receperint qui nõ erat sui iuris,vt tam amplã pecuniã possit illis vsib⁹ expendere.Nam si res est modica pro qualitate personæ,etiã si à filio familiâs recipiat retinere potest. Nam præsumitur pater scire, rataque subinde habere eiusmodi expẽsas. ¶An verò, vice versa, qui puellam vitiauit teneatur in cõscientia in totã dotẽ:Respondetur quòd si ipsa consensit non tenetur de rigore iustitiæ ad aliud nisi ad id qd̃ pollicitus est.Nam scienti & volenti non fit iniuria. Tametsi æquitas honestatis sit, vt si illã ob causam nuptui tradi nõ potest,aliquid elargiat.Neq; verò si sit subcura parentum tenetur illam dotare: secus si inuitam rapuit. ¶Adiecit tamen præterea hoc verbum sanctus Thomas, quod si mulier superfluum per fraudem & dolum extorserit, tenetur amasio restituere. Vbi notãdum q; etiam si superfluum recipiat, dum tamen neq; fraus adsit neq; dolus,nulla est necessaria illi restitutio.Fraus autem est si,verbi gratia, diceret se esse viro incognitam:aut non nisi semel, idque à magnate: qua fraude plus extorqueret: restituere profectò teneretur. Sed si falsò dicat se perditè illum deamare: aut facetijs & illecta-

Iosephus.

Aliquorum sententia.

Sentẽtia autoris.

Aliud dubiũ

Solutio.

An marita teneat̃ pretiũ sui corporis viro reddere.

De eo qui puellã vitiauit.

Idem haud naturro

mentis quidpiam extorserit, fraus illa non obligat ad restitutionem: quoniam probè

omnes

omnes nôrũt illas esse meretricum technas.

Dubium. ¶An verò contrà, si quis illis superfluum ali quid polliceretur, teneatur promissum solue re: Respondetur teneri in conscientia: quia ius hoc naturale docet: nisi excessus ad prodigalitatẽ pertingeret. Nam tunc, male promissum esset, in quo rescindenda esset fides: etiam si cũ iuramento esset promissum: nam iuramentum de re illicita non obligat. Neq; simile est de illo qui iurauit latroni pecuniã se largiturum ad redimendam vitam: quoniam illud licitè potuit iurare. Consultius est tamen in eiusmodi euentibus relaxationem iuramenti procurare.

Iuramentũ de re illicita non obligat.

¶Retrocedendum ergò est ad prius responsionis membrũ: quando scilicet datio ipsa est illicita, cui nam sit restitutio facienda: vt in Symonia. Harum ergò quæ illicitæ sunt, dationũ triplex est differẽtia. Vno enim modo datio potest esse mala solùm ex parte recipiẽtis: vt si cuipiam pecuniam porrigeres, nè peccatum committeret. Et tunc ille qui dat, potest repetere: eò q; alter tenebatur id gratis facere. De quo extat. l. vt puta. ff. de cond. ob tur. cauſ. Ex qua infert gloſſ. quam Summistæ ſequuntur, illũ qui recipit ad restitutionẽ teneri. Haud tamen consequentiæ vim intelligo. Imò crediderim tali esse distinctione vtendum. Aut inquam vitium à quo illũ donario meo cohibere procuro, pernicioſum est alteri: aut nullam habet annexã iniuriam. Si enim est iniurioſum ac pernicioſum: vt puta cũ amico munus aliquod offero nè homicidiũ aut furtum faciat: tunc mihi posteà repetitio dabitur. Atqui hoc tantũ exemplũ est in lege. Nihilo minùs si ego non repeto, crediderim ad nullam illum teneri restitutionem. Nam & si ille gratis teneretur abstinere, nihilo minùs quia in gratiã meî abstinet, alioqui mala illa facturus, potest iure naturæ pro ſua illa voluntate pretium ex me recipere. Quare lex translationem dominij nõ prohibet, ſed repetitionem concedit: vt in ludo diximus: idq; in odium illius criminis, nè homines iniurias quas in alios meditantur pretio venderent. Quando verò vitium non est contra iustitiã: vt si ego amico quid piam darem nè scortaretur, profectò non solùm ille recipere potest, neq; ad restitutionem tenetur: verũ, vt credo, neq; daretur mihi repetitio: quoniam lex illa pœnalis restringẽda est ad ſuũ ipſius exemplum: quod non profert nisi in vitijs habentibus iniuriam annexam.

Triplices dationes illicitæ.

Primus modus.

Distinctio notanda.

Secũdus modus.

¶Secundus ergò modus dationis iniustę ſumitur ex parte vtriusque: ſcilicet tam dantis quàm recipientis: nõ quidem quia actio pro qua munus offertur non ſit natura ſua pretio æſtimabilis, ſed quia habet annexam iniuriam contra iuſtitiam. Vt ſi litigator aut iudici, aut ſcribę, aut teſti corrumpendo munera offerret: aut aſſaſino vt hominẽ interficeret. Tunc enim vterq; delinquit: & ideo tam qui dedit quàm qui recepit eodem pretio iure mulctatur: ac proinde largitio illa fiſco iure addicitur: vt patet. l. Mulcta. C. de mod. mulct. Nõ quòd actiones illę, puta hominem occidere, aut ſententiam in tuum fauorem proferre, non ſint natura ſua pretio æſtimabiles: ſed quia actiones iniurioſę sũt, indignus iure fit ille qui accipit vt dominiũ acquirat. Qua perinde ratione intelligenda est lex illa. ff. de verb. oblig. Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius esse momẽti. Intelligitur inquam quando vtrinq; iniuſta est (vt lex ſtatim proxima declarat:) veluti ſi quis homicidium vel ſacrilegium ſe facturum promittat: quia homicidiũ & ſacrilegium sunt delicta contra iuſtitiam. De quibus etiam restitutionibus habetur iure Canonico. 14. q. 5. can. Non ſanè. qui est Auguſtini.

Turpes ſtipulationes nullius esse momẽti, exponitur.

¶Interrogas autem cùm leges istæ, pœnales ſint, vtrùm qui recepit teneatur ante ſententiam restituere. Videtur enim ex his quæ diximus lib. 1. non teneri. Respondetur nihilo minùs, teneri. Et ratio est, quia lex facit eum inhabilem ad recipiendum in odiũ delicti, quod est contra iuſtitiam: & ideo nullum acquiſiuit dominium. Haud tamẽ tunc tenetur restituere fiſco: nam etſi ille, inhabilis fieri potuit ad recipiẽdum quod nõ erat ſuum, alter tamen qui dedit, non potuit re ſua, niſi per iudicis ſententiam expoliari: ob idq; antequàm condemnatio fiat, restitutio debet fieri domino qui dederat. Nihilo minùs facta etiam restitutione vbi fiſcus reſciuerit, recuperabit. Quando verò delictũ non est iniurioſum, optimè trãsfertur dominiũ: quia, vt ſuprà diximus, datio nõ est illicita. Vnde, vt ſuprà citatum est. l. Idem. de condi. ob turp. cauſ. danti ob ſtuprum pecuniam, non conceditur repetitio.

Dubium.

Dubium.

¶Sed nunquid licebit munera iudici aut alteri iuſtitiæ miniſtro ad redimendã vexationem largiri: apparet enim id licêre, eò quòd cuiq; fas est ſuũ protegere ius. Respõdetur autem nemini id licére: quoniam iuſtè quod iuſtum est exequeris: & quoniã lex eiusmodi largitiones vetuit, ſubinde cohibuit illa via redimere

vexationem. Illo enim palliamento multæ fierẽt corruptiones. Nam cùm quisq; in propria causa iniquus sit iudex, cuique appareat ius habere certum, atq; adeò suam vexationem redimere: quæ quidem in litibus maxima pernicies est: nempè dum vterq; litigantium vt vexationem redimat, vexando prẽuenit alterum: datq; illi causam vt & ipse suã redimat. Idq; vtinam nõ vsq; ad principum palliandas discordias procederet. ¶ Tertio modo dationem contingit esse illicitam, etiã ex parte vtriusq;, tam dãtis quàm recipientis: tamen ratio non est ei similis quę in proximo membro signabatur, videlicet quòd actio quæ emitur est iniuriosa: sed quia non est pretio æstimabilis, qualis est datio simoniaca. Quòd enim mihi detur ptio sacerdotium si sum dignus, non est alterius iniuria: veruntamen quia res illa quæ emitur, nõ est pretio æstimabilis, propterea quòd Antistites gratis acceperũt vt gratis dispẽsent, fit vt qui pretium pro re spirituali recipit, nullum adipiscatur dominium: obidq; statim tenetur ante sententiam id relinquere. ¶ At verò vtrùm tunc teneatur restituere pauperibus, an ei qui dederat, dubiũ est. Nã à priori parte facit q̃ iura in pias causas iubẽt fieri restitutionem: vt can. Qui habetis. 14. q. 5. & can. De hoc. de simo. eautum est. Et in foro exteriori eodem modo fieret condemnatio: eò q̃ qui dedit, meretur dominio priuari: imò iustiùs quàm qui dedit ad labefactandum iudicem. Sed ab altera parte est argumentum quòd nemo ex poliandus est re sua nisi per iudicis sententiam. De hac ergò re, loco proprio, lib. 9. differendum est. Interim tamen stando in iure naturali, dicendum quòd ante condemnationem facienda est restitutio ei qui dedit. Caueat sibi tamen restituens, nè posteà cùm in notitiam venerit ecclesiæ, denuò condemnetur.

Tertius modus dationis illicitæ.

Dubium.

Aduert iũ argum.

SOlutio tertij argumenti trimembris est. Aut enim creditor cui restitutio debet de functus est, aut absens, aut prorsus ignotus. Et quidem loco defuncti hæredes subrogantur. Qui in triplici sunt differẽtia. Aut enim sunt necessarij: vt puta quos testator: nisi legitima rarissimaq; de causa, exhæredare non potest. Quales sunt parentum filij, ac filiorũ parẽtes. Alij verò succedunt ab intestato: vt fratres & consanguinei. Sed alij ex testamento: vt alieni. Et quomodocunq; quis sit alterius hæres, eidem est faciẽda restitutio. Quin imò, vt dicebamus, in hærede fit ipsi defuncto. ¶ Pulsare autem cuipiam conscientiam potest, an qui inuestigatis heredib⁹ nulloq; inuento, restitutionem in pios vsus confert: posteà reperto hærede qui inuentus nõ fuerat, eidem nihilominùs debeatur restitutio. Apparet enim id ratio poscere: quoniam ille nõ debet inscius & inuitus priuari iure suo. Ad hoc respõdetur quòd quando restitutio alicuius est ponderis, hæresq; non inuenitur coram publica potestate, debet fieri diligẽtia: & penes ipsam deponendum est debitũ. Si autẽ eius authoritate vel in pauperes vel in pios vsus dispendatur, tunc restitutor tutus manet, tam in conscientia quàm in foro iudiciali. In rebus autem leuioris momenti non est tam anxia indagatio necessaria.

Hæredes triplices sunt.

Dubium.

¶ Quando verò creditor absens est, tunc quo commodiùs fieri posset, trãsmittenda illi est restitutio. Quid autẽ si transmissio sine magno sumptu fieri nõ potest? Scotus quidem & Richard. in. 4. distin. 15. aiunt quòd quando ingentibus opùs est sumptibus, non tenetur debitor illos facere: sed potest tunc in pauperes quantum debet erogare. At verò S. Tho. de sumptibus nihil meminit: sed consultò id conticuit: quia simplicem constituere regulam non poterat. Est ergò discretione opùs: nẽpè perpendẽdum vtrum id quod debes per iniuriam retinuerit, an verò per cõtractu licitum puta aut venditione, aut mutuato. &c. Si enim per cõtractum licitum in tuum ius res illa venit, & ante solutionis tempus ille recesit, nullas teneris facere expensas ad restituendum: quia non plus debes q̃ acceperis. At si sine illis trãsmittere nequis, vel custodire debes, vel apud iudicem deponere. Nam in pios vsus non licet dispendere, nisi lõgo expectetur tempore. Si autem per iniuriam id illi debes, puta si furatus es aut si q̃is iustè accepisses: tñ ante solutionẽ peregrè profectus in mala es fide: absq; dubio teneris sumptib⁹ tuis restitutionẽ illi mittere: quãdoquidem eũ stringeris indemnẽ seruare: quia absq; sua culpa suo caret iure. ¶ De illo verò qui prorsus ignotus est, grauius est vsitati⁹ que dubium. Hic enim articulus ad istos coẽmptores, & negotiatores, ac falsamẽtarios spectat: qui minutatim quoslibet defraudant, atq; expilant: ac subinde ad illos qui vrbem aliquã iniusto bello in prædam dederunt. Præterea ad illos qui inuenerunt thesauros: de quibus sub titulo De furto dicturi sumus. Huiusmodi nanq; debitoribus ignoti sũt sui creditores. Primũ ergò omniũ admo

Dereſtitutione creditoris abſenti facienda. Scotus & Richardus. Sententia authorũ.

Dubiũ quãdo creditor ignotus eſt.

admonendi isti sunt quisnam dicatur ignotus. Haud enim quicunq; censendus est debitori ignotus, qui in sua non est notitia, neq; memoria: sed ille prorsus qui facta pro ratione debiti solerti diligentia, inueniri nō potuit. Quapropter antequam hæc fiat indago, nō licet in pios vsus restituenda dispensare: neq; compositionem facere authoritate Cruciatæ Bullæ, Illa enim præcise dicuntur debita incerta, quorum domini post vigilantem indaginem quæ bona fide fuerit facta inueniri non possunt. Quin verò qui per iniustam acceptionem æs alienum cōtraxerunt, suis proprijs sumptibus tenentur eandem facere inuestigationem. Quocircà vbi sub dubio compertum fuerit, isti aut illi certò deberi: nempè cùm duo ad tuam tabernam accesserint, & certus sis alterutrū defraudasse: licèt scire nequeas vtrum eorum: teneris nihilo minùs inter illos aut suos hæredes debitū æs dispertiri: quoniam tunc creditor non est omnino ignotus. Qua vtiq; ratione sunt q censeāt eum qui certus est cuius ciuitatis fuerit ille cui restitutionem debet, si ille neq; hæredes haberi possunt, restitutionem debere pauperibus eiusdem loci. At verò nulla apparet huius necessaria ratio: sed forsan distinguere est operæ pretium. Dum enim exercitus ciuitatem communi nomine fuerit deprædatus, tunc fortè si ignoti sunt domini, facienda est vrbi restitutio, vt respublica ipsa eam distribuat. Quando verò nō illo modo per iniuriam toti reipublicæ illatam contractum est debitum, sed per iniuriam singularium ciuium: non est necessarium in eodem opido fieri. Est ergo conclusio doctorum omniū, quod ignoto dño, faciēda est pauperibus restitutio: vel potiùs ipsi in pauperibus, vt suprà dicebamus. ¶ Verùm tamē quo modus hic restituendi de sua radice innotescat, quæritur quo iure pauperibus elargiēda sint quæ incertis dominis debētur. Vtrū sit naturale, diuinumve: an humanū. Quis inq illos fecit huiusmodi creditorū hæredes? Et arguit sic. Obligatio restituēdi iure naturę vniuersos obligat mortales, siue Christiani sint, siue sola lege naturæ viuētes: natura autē nō docet, ignoto dño, pauperibus id deberi: imò videt tunc res transire in ius possidentis. Habetur enim Inst. de rerū diuis. q̄ res cuius nō est dominus, occupanti cōceditur: quando autē dñs non cōparet, perinde habet ac si nō esset. Præterea q̄ restitutio fiat pauperibus, sola lege canonica introductū est: vt patet cap. Cū tu. de vsur. & can. Non sanè. &, Qui habetis, 14. q. 5. Pontifices autē non potuerūt inuitis dominis præter ius naturæ debita incerta in vsum pauperū addicere. Nam ante illa sancita decreta, non apparet eiusmodi restituendi modus fuisse necessarius. ¶ Ad hoc primùm omniū respondetur, eiusmodi incerta debita si ius tantū cōsulas naturale, in vsus communes reipublicæ cedere. Nam cū res vniuersæ, vt lib. præcedenti dictū est, traditę in cōmuni sint humano dominio, quarū diuisio iure gentiū facta est, fit vt dū expectatus legitimo tēpore dominus nō cōparet, iterato veniant in vsum publicū. At verò quoniā Christi vicarius toti reipublicæ Christianæ curā pauperū gerit, iure & merito potuit hæc bona quasi cōmunia reipublicæ pauperib⁹ applicare: qui eiusdē reipublicæ sunt egena membra. Idq; Alex. sub anno Domini. 1170. faciendū Salernitano Archiepiscopo iussit: vt patet dicto cap. Cùm tu de vsur. Non tamē q̄ ipse fuerit primus rei huius autor: sed exēplo adductus est antiquissimorū sanctorū, Augustini scilicet, vt can. citatis. 14. q. 5. constat: atque aliorum. Quin verò & naturali iure edoctus & Euangelio. Nam quod cuiq; superest, erogandū est in pauperes: eiusmodi autē bona redundare censentur in republica. ¶ Ex quo sequitur primò dominiū harum rerum non transire in pauperes, ac si creditorū hæredes essent: sed dū ipsis datur quasi creditoribus ipsis soluitur. Et tunc per dationē ipsam acquirunt verū dominiū: quasi Papa tunc dominorū nomine illis tribuat. Subsequit dein de secūdo q̄ dū respublica in alios vsus pios illis debitis eguerit, cessat tunc ius erogandi pauperibus. Et potest respublica illa in tales vsus cōsumere. Nam ius positiuū nō potuit naturali derogare. Ob idq; princeps tūc sæcularis fortè potest incerta ipsa debita exigere & cōpositionē facere: puta pro certa quota reliquū remittere, vt facit Papa: vt illicò dicemus. ¶ Quod si sciscitaris an quisq; priuatī possit illa quæ debet, vt libuerit, in pauperes diffundere: D. Tho. nihil hīc de hac re fassus est: tū in. 4. dist. 15. q. 1. ar. 5. ait debere fieri restitutionē secūdum arbitriū ep̄i, vel illorum ad quos pertinet cura ciuitatis. Vbi insinuare videtur rēpublicā ipsam talē habere facultatē. Sco. verò eādē di. q. 2. negat id esse necessariū: imò ait per se quēq; id exequi posse quē Richar. ibidē sequit, ar. 5. q. 4. Crediderū tū, vbi modica est restitutionis quātitas, per se quēlibet restituere id posse. Cūverò resest cumulatioris

Bulla Cruciata.

Distinctio.

Dubium.

Responsio.

Dubium.

D. Thomæ

Scotus.

Richardus & Sentētia authoris.

tioris pretij, consiliũ est vt arbitrio prudentis cõfessarij fiat: imò posset tam ingẽs esse, vt cõsulendus etiam esset episcopus, vt eius prudentia commodiùs restitutio fiat. Haud tamen id ceu de necessitate salutis asseruerim.

Dubium.

Neq; S. Thom. diuersum docuit. Maximè cùm in Summa de hac re siluerit. ¶ Vtilior autem erit responsio, vtrùm ipse qui æs habet ignoti domini posset sibi partem capere

Caietanus.

dummodò sit pauper: vel suis consanguineis & familiaribus elargiri. Caietañ. quidem id absolutè affirmat: ergo verò absq; temperamento nõ auderem. Si enim hanc facias vni cuilibet licentiã, illicò sibi suisq; effinget paupertatem pro ratione sui status, vt aiunt. Igitur vbi necessitas non fuerit patentissima & clarissima, nemo tutò potest sibi vsurpare dd' restituere debet: licèt possit restitutionem differre. At si cogitat sibi capere, id debet facere authoritate epi, aut sui paroeciani curati, aut cõfessarij, si prudens est & sapiens. Idque, tunc fieri licebit quando gtauiores aliæ miseriæ pauperum non se oculis obijciant. Quando verò authoritate prælati aliqua sibi eleemosyna ex ijs quæ debebat applicatur, verè fit eius dominus: neq; veniẽs in pinguiorem fortunam tenetur id ampliùs restituere. ¶ Percontaris autem de compositionibus istis quas nuperrimè nominauimus, sintne licitæ, vt Cruciatæ forma habet: nempè vt qui incerta debita contraxerit, certam soluens portionem liber fiat â reliquo debito. In huius respõsione interrogationis illud semper optima fide cauendũ est, nè quispiã se ipsum seducat, arbitratus quippiam cẽseri incertum antequam diligẽs peragatur indagatio ad comperiendum debitorem. Hoc autem supposito nulla esse videtur ambigendi ratio, quin si legitima adsit causę possit Summus Pontifex eiusmodi compositiones facere: quandoquidem iure naturæ, vt dictũ est, illa bona sunt reipublicæ: quæ tunc in tales vsus illis indiget. Quin verò vt proximè insinuabam, quando reipublicæ necessitas esset apertissima, rex quoq; fortè posset id facere. Tametsi quia Summus Pontifex iustior est eleemosynarũ iudex, neque causa ita semper est euidens, ille adeundus est, cuius authoritate id fiat. Quod si quis arguat, ignotos creditores forsan nõ consentire: id negatur, imò cõsentire videntur: quia illa habẽt pro amissis: & liberiùs quisq; ac gratantiùs cõtribuet centum quæ pro perditis omninò ducit, q̃ quatuor quæ habet in crumena. Et quanuis non cõsentirent, respublica id potest facere. Sed rursus arguis: quanuis illa Papa colligere possit, quam tamen habet facultatem remittendi partem? Respondetur quod tanq̃ legitimus iam tunc bonorum administrator propter ingruentem instantemq; publicam necessitatem, vt faciliùs expeditiusq; fiat collectio, potest partem cõdonare vt reliquum soluatur. ¶ Hactenus de iure. De facto nanq; & executionis modo nihil loquimur. Aequitas enim iuris huius hæc est vt per eiusmodi compositiones tanta conficeretur pecunia publica, quæ vel alia tributa vel bonam eorum partem posset excusare: idq; sic fieret, vt non offerretur iniquis suæ iniquitatis ansa: & tamen ex centum & quinquaginta argenteis quæ reipublicæ pauperibusq; debentur, tantùm colligere duo, ac remittere reliqua, plus detrimenti offert pauperibus, quorum Papa est pater, rexq; patronus, q̃ emolumenti in bonum publicum conferat. Præterea præsentissimũ creatur periculum istis coëmptoribus & raptoribus, vt huius fiducia nihili faciant quoscunq; passim defraudare. Atq; idem periculum fit inde præsenti⁹, quod certi sunt tertio quoquo anno eiusmodi indulgentias prouenturas. At verò bellorum frequentias quæ non tantùm ab infidelibus nobis indies ingruũt, huius inter alia nobis sunt causa mali, vt in cõquirendis vndiq; subsidijs modum non permittat. Quocirca neq; nos in quẽquã obloquimur: quia neq; nostra est authoritas tãta neq; audacia. Sed tamen postquàm ius probamus, admonere subinde cogimur fraudatores istos publicos, coëmptores inquam ac negotiatores nè fiducia istiusmodi immodicæ remissionis freti cõtrahere fraudibus pergant æs alienũ: quod si fecerint, restituere nõ tardent. Nam qui propositum non habet restituendi quouis q; veniat indulgentia, in peccato mortali se sciat persistere: quoniam habita restituendi opportunitate, per nullum tempus licet alienum retinere.

Ad quartũ argumentũ

AD quartum argumentum respondetur vnũquenq; de his quæ sibi propria sunt arctiùs stringi parentibus succurrere, q̃ alijs: ea verò quæ aliorũ sunt, potiùs illis sunt rependenda quam impendenda parentibus nisi forsan, vt ait S. Tho. in casu necessitatis extremę, in quo posset & deberet quisq; etiã auferre aliena, vt patri subueniret. ¶ Contra hoc autem postremum verbum de tempore extremæ necessitatis dubia existũt nõnulla.

Atqui

Atqui vt inde exordiamur, vbi patentior
Dubium. est dubitandi ratio, quæritur vtrùm debitore & creditore extrema necessitate coactis teneatur debitor creditori præ seipso succurrere, an potiùs sibi ipsi illo neglecto? Et quidē
Scotus. Scotus. 4. dist. 15. q. 2. hac vtitur distinctione. Si creditor in necessitatem priùs incidit, tenetur tunc debitor illi soluere: si verò priùs debitor, tenetur sibi prouidere. Atqui ambo hæc mēbra adeo sunt certa vt de neutro possit vllus dubitare. Nam etiam si nihil extrema patienti deberes, cogeris illi succurrere: & quādo tu eādem necessitate strangularis, quanuis nihil tibi alius deberet, teneretur tibi. Quando autem simul cadē necessitas ambos occupat, tunc ait Scotus debitorem, vita propria posthabita, debere creditori quod suum est reddere: quare homicida, inquit, esset, si sibi tunc, vsurparet. Neque desunt alij, quorum est Richard. qui in eius sententiam subscribant. Et ratio eius est hæc, quod cùm ambo necessitate pares sint, hoc iure creditor debitorem superat, quod res illa necessaria, nempè cibus aut pecunia quam debitor retinet, ipsius est, scilicet, creditoris. Et potuisset suam prætereà opinionem inde suffulcire quod in tali necessitate neuter posset ab altero quod ei necessarium erat eripere. Ex quo fieri videtur consequens vt neque debitor tunc retinere id posset quod alterius est. Idem enim esse videtur ac si ab ipso id eriperet, ¶Nihilo minùs contraria sententia nō solùm multò est probabilior, verùm proculdubio complectenda. In primis S. Tho. licèt nō id expresè asserat, insinuare tamen illam videtur: quando quidem absq; vlla exceptione ait quod casu extremæ necessitatis, citiùs debitor deberet præsidio esse parentibus: & â fortiori, sibi Quare Caieta. eandē amplexus est sententiam. Ratio autem est hæc, ab illa Scoti diuersa. Ambo sunt necessitate pares & possidentis cōditio quę melior semper est, plus debitori fauet, quàm fauebat creditori rem sibi esse debitam: ergo sibi potiùs debitor consulere debet, saltem, potest, quàm creditori. Enimuerò tam intimè innatū est homini generalissimum illud rerum omnium desiderium, ac subinde ius seruandi sese, vt nulli quicquam tunc plus debeat q̄ sibijpsi. Quocircà siue per contractum licitum id ab altero acceperit, siue per furtum aut rapinā: siue in mora sit soluendi, siue secùs: in summa, quomodocunq; illud alteri debeat, ius sibi retinendi natura ipsa concedit. In tali enim casu vniuersa cessant alia debita. Quare etiā si iure iurādo te astrinxisses soluere illa die, iure naturæ intelligebatur facta exceptio extremæ necessitatis. ¶Et confirmatur sententia hæc ratione, ni fallor, manifesta. Iure naturæ, vt dictum est, omnia sunt communia, sed iure gentium, rerum dominia diuisa sunt: ius autem gentium nequit extremæ necessitati præiudiciū facere: atque adeò illa præsente, quantū ad vsum, omnis cessat vis peculiarium dominiorum, ac subinde debitorum. Quocircà etsi dominus priùs in necessitatem illam extremam impegisset, qua ratiōe sub reatu homicidij tenerer illi quod debebam soluere. Si tamen non solui, & posteà ego in eandem incidi necessitatem, iam tunc nō teneor. ¶Respondetur ergo ad argu-
Ad argumētum. mentum quod faciebamus, diuersam esse rationem, tunc rem possideas quādo extremè pateris, an alter qui simile patitur. Si enim ille possidet, tu non posses illi surripere: eò q̄ tunc surripere esset occidere: quia esset vera actio, qui vitam alteri directè adimis, ac si hominem strangulares. Quando verò tu possides, id est penes te rem quomodocunq; habeas, non agis, sed tantùm cessas succurrere cùm possis. At vero non succurrere cùm possis, non est directè occidere: neq; verò per accidens, nisi quando teneris succurrere: & in tali casu non teneris. Sic enim intelligendū
Ambrosi⁹. est Ambrosianum verbum, Quem pascere potuisti, si nō pauisti, occidisti. Intelligitur
Dubium. enim quādo nō te aliud ius excusabat. ¶An verò parente tuo ac tuo pariter creditore in eandem extremam necessitatem conijctis te nearis potiùs patri quàm creditori, arbitror
Problema. problema esse in vtranq; partem probabile. Et qui dixerit, creditori, bona quidem ratione tuebitur. Nam solū illud ius quod vnusquisque habet seipsum seruādi, videtur in tali casu vsum alienæ rei debitori vendicare.

Qui verò crediderit parenti potiùs, & ipse quoque pietatis officium prætexere sibi poterit. Nam ferè idē est: patris ac tuam ipsius vitam seruare. Sed tunc idem crediderim de vxore & filio. Nam ad fratres minimè liceret
Dubium. idem protendere ius. ¶Vtrùm verò qui extrema suppressus egestate rem insumit quā alteri vel antea debebat vel tunc arripit, debito absoluatur: an verò post ditior soluere nihilo minùs obligetur, decidere superest. Nā quod prorsus absoluatur, argumentum est: quod si tunc ab altero eriperet, non teneretur. Ad hoc scitè Scotus loco citato per hanc
Scotus. distin-

an ille qui supra[illegible] extrema egestate [illegible] consumit quam [illegible] antea debebat ten[illegible] restituere

distinctionem respondit. Si ille virtute alius contractus rem illam ante extremam necessitatem debebat,nõ fit à restitutione immunis:sed si tunc accipiat,nõ fit restitutioni ob noxius.Et ratio est in promptu:quia cùm in extrema necessitate omnia sunt communia, tunc qui capit nullum contrahit debitum. Nihilo minùs si debitum erat contractum, non est cur dissoluatur præcedens vinculũ: manebit ergo. ¶At verò Adrian. in materia de restitu. huiusmodi disiunctionem nõ admittit:sed absolutè tenet,illum qui extremæ subditus necessitati aliena capit pinguiori ar ridente fortuna ad restitutionem teneri.Cui & sui assectæ non desunt.Quin verò eius opinionem corroborant. Et pondus suorum argumentorum huc propendet quod in extrema necessitate non omnia sunt communia, quantum ad dominiũ. Nam aliàs qui tunc indigenti non succurreret, ad restitutionem posteà teneretur: quod re vera nõ est credendum:eò quod succurrendi præceptum non est iustitiæ,sed charitatis. Sunt ergo nõ aliter communia quam ad vsum: quo fieri videtur vt transacto vsu, tenearis ad restitutionẽ rei. ¶Secundòarguitur.Extremè indigenti abũ dè subuenitur per rem mutuatam:nemo ergo tenetur simpliciter dare: atque adeò qui rem consumit,subiectus manet restitutioni. Et tertiò.Extremè indigenti nõ tenetur medic⁹ suas gratias impẽdere operas,neq; pharmacopolæ sua donare pharmaca.Satis enim est si solutionem expectent. Accedit & tex. can.si quis.de furt. Vbi habetur quod qui propter necessitatẽ famis aut nuditatis aliena occupauerit, si posteà oblatũ reddiderit, non cogatur ieiunare.Vnde à cõtrario sensu colligitur quod si non reddiderit, ieiunare cogatur. ¶His nihilo minùs nihil obstantibus persistendum est in priori sententia: dũ tamen rectè explicetur. In primis quãdo res est parui momenti omnes fatentur nullam restare restituendi obligationem: sed si res qua extremè ille indiget maioris est existimationis,considerãdum est sitne ille simpliciter indigens:nempè qui nullibi habeat vnde soluere possit:an verò licet id hic non habeat, forsan habet alibi,vel ei debetur. hic enim non est censendus simpliciter indigẽs: & ideo satis est si quis ei credito mutuet vnde suæ necessitati occurrat. Sola enim absoluta necessitas ius in tali casu accipiendi alienum facit:Si autem sit simpliciter indigens, citra controuersiam esse debet quod ille nulli manet obnoxius restitutioni si rem qua indigebat ĩsumpsit.Enimuerò licèt ita sit quod tunc solùm sint omnia communia quantũ ad vsum tamen quia in his quæ vsu consumuntur,ad vsum lege naturæ sequitur dominium:vt puta si sit cibus,aut potus,aut pecunia:qui accipit,fit dominus. Et in hoc,si nos non fallimur, contraria opinio suos decipit. Esse enim communia omnia quo ad vsum, est quod tunc possit indigens res alienas insumere ac sic suæ essent. Atq; adeo non tenetur creditor recipere, sed alter tenetur gratis dare. Si verò res esset quæ non vsu consumitur,tunc cessante necessitare teneretur illam reddere. Vt si quis equo alieno vteret vt periculum mortis effugeret:aut si indigeret lecto tempore infirmitatis. Per hoc respondetur ad argumentum de Medico, deq; Pharmacopola.Porrò nanq; si alter extremè indigeret sua operavel sua medicina,teneretur sub peccato mortali: licèt circunstantes tenerentur nihilo minùs eodem ligamine contriburre,si res esset adeò pretiosa. Tametsi in his medicinis subtrahendis nõ adeò sequẽs contingit culpa sicuti in cibo, ac in alijs rebus:quia non ita esse solent necessariæ: neq; misericordiẽvinculum obligat vt morti pauperis admodùm pretiosa medicina occurratur,tantave medici solertia. ¶Quod autẽ ex cap.si quis.de furt.adductum est, nihil sanè ad rem pertinet:planũ quippe est illic mentionem non fieri necessitatis extremæ,vt bene ait gloss.sed leuioris. Ait siquidem tex.Si quis propter necessitatem occupauerit, &c. pœniteat hebdomadas tres. & liquidum est quod cùm in extrema necessitate alienũ occupare, nulla sit culpa, nulla imponeretur pœnitentia.

Adrianus.

Explicatur opinio Scoti

De Medico & Pharmacopola.

SOlutio quinti argumenti in longam nos hinc transmitteret disputationem de restitutione bonorum clericorum, quæ non ritè expenduntur, sed in malos vsus dissipantur: nisi latissimus esset de hac nobis habendus sermo,libro.9.&.10.à quo ideo in præsentiarum supersedendum est. Quod autem ad rem præsentem attinet,trifariam prælatus res ecclesiæ vsurpat. Vno quidem modo si res illa non sibi deputata est, sed alteri: puta capitulo:Et tũc qui res illas ab illo præfectoreceperit,siue dono siue pretio,tenetur eas ratione rei acceptæ restituere vero domino. Si verò res ecclesiæ quæ sub sua sunt administratione vt si exemplum ponamus in fabrica,vel in alijs, alienauerit in consanguineos

De quinto argumento

Trifariam potest prælatus res ecclesiæ occupare.

guineos vel in alios, illi tenentur restituere, non episcopo: nè illas iterum disipet: sed ecclesiæ, vt in depósito essent vsque ad futurum possessorem. Sed si penes se illas retinet & veluti proprias posidet, satis est vt animũ illum deponat.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm ille qui accepit, teneatur semper restituere.

POST circunstantiam cui, sequitur quis: de qua sunt duæ quæstiunculæ. Prior huius secundi articuli est, vtrùm vniuersim qui accepit, quisquis ille fuerit, teneatur restituere. Et arguitur â parte negatiua. Restitutio (quod idem repetimus) est æqualitatis constitutio: qua scilicet ab eo subtrahitur qui plus habet, & ei apponitur qui habet minus. Vsu autem sæpenumerò venit vt qui rẽ sustulit, citra suam culpam sit illa priuatus: vt si quis ab eo eandem surripiat: ergò tunc non tenebitur eandem restituere. ¶Secundò. Nullus tenetur suum prodere crimen: secundùm illud Chrysosto. Non tibi dico vt tẽ prodas. contingit autem quandoque vt debitor citra suam infamiam restitutionem facere nequeat: ergò tunc iugo restitutionis liberatur. ¶Tertiò. Vna res vna simplici restitutione contenta est: cõtingit autem nonnunquam vt quàm multi furati sunt, vnus in integrum restituat: ergo alij tunc ad nullam ampliùs restitutionem tenentur: atque adeò non omnis qui rem sustulit, ad restitutionem obligatur. ¶In contrarium autem est quod ille qui peccat satisfacere pro culpa tenetur: culpa autem, vt ait Augustinus, non dimittitur nisi restituatur ablatum: ergo eidem incumbit restitutionẽ facere.

QVæstio hæc in materia restitutionis egregium obtinet locum. Ad quam ideo distinctione præmissa quatuor conclusionibus respondetur. In eo nanque qui rem occupat alienam duo est considerare: scilicet & actionem quę eam accepit, & rem ipsam. Est ergo prima conclusio. Quicunque penes se rem habet alienam, ratione rei ipsius quæ accepta est, tenetur eandem vero domino restituere. Probatur. Quicunque enim habet vltra id quod suum est, debet illi reddere cuius est: hoc enim ratio iustitiæ commutatiuæ exigit: quippe cuius officium est æqualitatem inter eum constituere, qui minus habet, & eum qui plus. ¶At verò acceptio ipsa triplex esse consueuit. Quãdo que nanque est iniuriosa: nempè quæ inuito domino fit: qualis est furtum & rapina de quo membro statuitur secunda conclusio. Quicunque rem per iniuriam accepit, tenetur eandem ratione acceptionis restituere: etiam si illam iam apud se non habeat, sed fortè sibi furto sublata sit. Probatur.

Distinctio.

Prima conclusio.

Acceptio triplex.

Secunda cõclusio.

Quicunque alteri iniuriam intulit, tenetur eandem resarcire: etiam si nulla sibi fuerit inde lucri accessio facta: eò scilicet quòd alteri vel famam vel honorem abstulit: ergo eâdem ratione qui rem iniustè eripuit: quandoquidem in re illa damnum dedit, restituere iure cogitur. ¶Secundo modo: actio illa citra donationem accipiendi iusta esse potuit, atque in vsum & commodum ipsius qui accepit: vt cùm quis rem suscepit mutuatam, vel credito emptam: de quo subijcitur conclusio tertia, superiori similis. Quicũque hoc modo rem accepit, tenetur eam vel pretium restituere: non solùm ratione rei acceptæ si apud se perseueret, verùm & ratione acceptionis: etiam si illam qualitercunque amiserit. Conclusio est clara: nam qui alienam rem iustè citra donationem in vsum suum accepit, non solùm propter beneficium acceptum, sed de iustitia obligatur illum indemnem seruare. ¶Tertio modo:

Tertia conclusio.

Acceptio etiam iusta esse potest ex voluntate domini: quæ tamen non vergit in vtilitatem recipientis: sed in rem ipsius qui dedit. De quo adhibetur quarta, eademque bimembris conclusio. Nemo qui ceu depositarius rem alienam seruat, tenetur ratione acceptionis illam restituere: sed ratione rei quam habet acceptam. Quare si citra suam culpam illam perdiderit, nulli restat restitutioni subditus: secùs autem si magna sua culpa illam amiserit. Probatur prior pars cõtrario modo quàm tertia. Qui illo modo rem accipit, nisi pretio custodiæ suscipiat, vel aliter se seruare constrinxerit, non fit eiusdem rei custos ratione iustitiæ: sed ex gratia & beneuolentia: & ideò si absque sua culpa res perdatur, non ipsi sed domino perijt. ¶Secundæ vero partis probatio est. Quòd iure naturæ (vt regula habet iuris) qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Quare si tua grauis culpa in causa fuit

Quarta cõclusio.

vt res

vt res periret, reus inde fis damni repensandi. ¶ Vt autem conclusiones istæ suo ordine examinentur ex duabus prioribus regula cum primis colligenda hæc est. Omnis restitutionis obligatio ex altero duorum capitum enascitur: videlicet aut ratione acceptionis, etsi rem non habeas, & ratione rei acceptæ quam habes, licet illam non acceperis, Quare si accepisti & habes, vtroque es funiculo colligatus. Nomine autem acceptionis quæcunq; actio intelligẽda venit per quam damnum dedisti, aut iniuriam irrogasti: etiã si nihil fueris lucratus: vt si incendisti alienas ædes, aut cõtumeliatus es. ¶ Quo fit rursus vt quomodocunq; res in tuam potestatẽ venerit, scilicet iuste, aut iniuste pretio aut gratis, cùm primùm resciueris esse alienam, teneris domino reddere, non solùm charitatis iure, sed etiam iustitiæ. Vt si ab illegitimo possessore: verbi gratia, à latrone, vel furto, vel dono, vel mutuo, vel in depositũ receperis, vel pretio emeris, reperto domino teneris illi cõ ferre: nisi ius tibi fortè fauerit præscriptionis. Probatur cõclusio. Duobus tantùm medijs quæstione. 5. diximus rem legitimè possideri: scilicet aut domini voluntate, aut legis permissu: quomodocunq; autem ab illegitimo possessore rem susceperis, neutra istarũ causarum interfuit: quia neque verus dominus annuit, nec lex concesit: nullatenùs ergo dominium nactus es, atq; adeo reddere domino cogeris. Quod si nõ feceris, cùm fine tuo magno detrimento, vt suprà diximus, id exequi possis: sed illegitimo reddideris possessori, restitutioni manes obnoxius: quãdo quidem de iustitia tenebaris. Crediderim tamẽ in hisce restitutionibus accidere posse ignorantiam iuris: quæ si excusat à culpa, excusabit subinde à restitutione. Haud enim tenetur plebeius quisq; has iuris subtilitates scire. Et ideo qui id quod à latrone receperit ignorãs, & bona fide eidem reddiderit, non est in conscientia restituere cogendus. Excesserim præterea ius præscriptionis: quoniam postquam emptionis titulo aut donationis, qui legitimus est, rem bona fide, iusto legis tempore possedisti, licet tibi posteà innotuerit esse alienam, immunis es à restitutione. Secùs si furto eam sustuleris: quia semper caruisti titulo, ideoq; nunquàm præscripsisti. ¶ Ratio hinc tamen dubitandi exurgit, quidnam hic rei nomine sit intelligendum: vtrùm scilicet res ipsa præcisè, an vero etiam fructus. Et loquamur, exẽpli gratia, de illo qui non ratione acceptionis: sed solũ ratione rei acceptæ tenetur. Emi fundũ à latrone qui mihi fructus tulit: vtrùm teneat etiam fructus restituere. Ad hoc respondetur per regulam iure solen nem ac celeberrimam. Quicunq; solùm ratione rei acceptæ restitutioni subijcitur, tenetur rem, seu id quod illius habet, & quicquid quo per ipsam factus est ditior, restituere: nõ tamen illud quod bona fide cõsumpsit per quod non est factus locupletior. Regula est iuris. ff de peti. hæred. l. item veniunt. §. Præter hæc. qua regula ait glos. nullã esse veriorem. Et. l. sed & si lege. eodem titulo. Exempli gratia, teneris restituere fructus arui alieni: non solùm quos habes, sed quos illis consumpsisti vsibus: in quibus nisi illos haberes fructus, alios insumpsisses. Deductis tamen expensis & laboribus. Si tamen illos ideo cõsumpsisti quod, verbi gratia, amplius fundi tibi donatus est, cuius donatione ductus statum mutasti & splendidiùs vixisti: tunc sanè non teneris nisi in eo quod aliàs consumptu rus eras. Pari modo si vestem sericam vili à latrone emisti, qua ratione illam vsu attriueris: cùm aliàs non induereris serico: non teneris nisi ratione vestis quàm indui solebas: Similiter si donato tibi à latrone equo vsus es nõ in necessarijs casibus ad quos equũ vel emisses vel conduxisses: nihil pro vsu teneris restituere: quia non es factus locupletior. Secùs autem si eius operas locasti, quibus factus es ditior: tunc enim deductis sumptibus in reliquum teneris. Pari modo si furtiuas escas in uitatus à latrone bona fide insumpsisti, in nihilum posteà teneris, nisi domi eras aliquid insumpturus. Ex quo fit quod si rem illam quam ab illegitimo possessore bona fide accepisti citra magnam culpam tuam amisisti nulli manes restitutioni subditus. Vice versa, si rem furtiuam quã dono receperas, pretio vendideris, teneris posteà idem pretium restituere: vt pote per quod factus es ditior. Intellige autem si factus es locupletior ex re ipsa: nam si ex tua industria id tibi accreuerit, ad illud restituendum non perstringeris. Vt si pecunia aliena negotiando tuã auxisti substantiam, de solo capitali teneris. Per hæc ergo de cæteris conijcito. ¶ De illo autem qui per iniuriam rem alienam retinet, alia est ratio: tenetur quidem de damno emergente, & de lucro cessante: vt sub titulis de furto & de vsur. iterum videbitur: atq; de omnibus fructibus quomodocunq; illos consumpserit. Non autẽ de illo lucro quod per suam

Regula notanda.

Regula notandaiuxta.

Quis excusetur à restitutione.

Dubiũ quid rei nomine intelligatur

De retinente per iniuriam rem alienam.

suam in dustriam per furtiuam pecuniã ac quisierit: vt locis citatis locupletiùs mõstrabitur. ¶Contra hanc autem decisionem est argumentum, illum qui rem à latrone bona fide emit, non teneri gratis reddere verò domino. Dictum enim est articulo præcedenti ratione rei acceptæ neminem ad restitutionem cum magno suo detrimento obligari: nemo ergò tenetur sine sua culpa secundùm conscientiam dispendium pati pretij quod expẽdit. Si furto inquam, vel mutuo, vel dono accepit, bene quidem: de emptore autẽ alia esse videtur ratio. Ob hoc fortè nõ deerit qui arbitretur licêre tũc emptori rem latroni reddere vt pretium recuperet: Nihilominùs id falsum est. Licitum quidem ei est si fieri potest latronem conuenire, & capere à quo pretium extorqueat: tamen periculo rem exponere vt in manus domini non veniat, non est licitum. Res enim ipsa in cuiuscunq; potestate sit, reum eum facit reddendi legitimo domino: quòd si nõ faciat ad restitutionem obligatur: vt suprà dictum est. Et confirmatur hæc veritas. Nam si latro dispariuisset, vt cõparêre non posset, tunc qui rem emit debitor esset domino: eiq; in foro iudiciali compelleretur rem cum iactura pretij exhibere: quod, vt suprà diximus, signum est teneri illũ de iustitia: ob id autem quòd reperiri latro possit, idem dominus nullum ius amisit: ergò etiam tunc tenetur domino. Et confirmatur: nam si in foro iudiciali compertum esset illum emptorẽ postquàm certò sciuit rem esse alterius domini tradidisse latroni, cõuinceretur domino soluere. Quo circà quando diximus non teneri possessorem rei alienæ, ratione solùm rei acceptæ restituere cum suo detrimento, intelligitur de illo detrimento quod ab alio timet, videlicet quo impeditur ipsa restituendi actio: non autem de iactura quam ipse fecit emendo. Quicunque enim sibi videat dum emit: sciens illo periculo emere, vt si res aliena sit pretium amittat. ¶Quid autem iuris si ille qui à latrone rem mercatus est alteri bona fide vendidit: vtrùm sciens posteà esse alienam, contractum teneatur rescindere, reddereq; pretium suo emptori & rem domino. Apparet enim non teneri quandoquidem neque tenetur ratione acceptionis: quippe cùm neque ipse rẽ accepit, nec fraude vendidit, neque ratione rei acceptæ: si quidem neque eam habet, neque per eam factus est ditior. Supponamus enim tanti vendidisse quanti fuerat mercatus. Nam si pluris vendidit, haud dubium quin illum pretij excessum tenetur domino reddere: cò q; pars illa rei penes se est. Argumentum sanè est quòd posset multos decipere. Nam si res illa, vt suprà diximus, primo emptori citra suam culpam fuisset furto sublata, vel bona fide consumpta, taliter vt non esset factus ditior, in nihilum teneretur: cùm ergò bona fide vendidit: idem apparet iudicium. Nihilo minùs respondetur quòd etsi domino eiusdem rei non maneat obligatus, vt argumentum conuincere videtur: tamen tenetur emptorem suum indemnem seruare. Et ideo cùm sciat nullum in eum transtulisse dominium, sed iure restituendi periclitari, iure cogitur suum ei restituere pretiũ. Perinde ac si à latrone vitrum pro pretiosa gemma magno emisset, eodemque pretio bona fide rursùs venderet: sciens nanque tum posteà rei falsitatem, teneretur contractum rescindere. ¶Ex quo sequitur quòd si emptor ille secundus non compâret: neque vllus sit metus quòd fit ab illo exigenda res illa: tunc ille qui bona fide illi vendiderat, licèt tunc sciat fuisse alienam, ad nullam restitutionem tenetur: quoniam à domino rei liber est, postquàm nec rem habet, nec factus est per eam ditior: & alteri nullum dedit damnum. ¶Horum instar censendum de illo est, qui bello iniusto res depredatus est: bona tamen fide: quia putabat esse iustum. Tunc enim sciens posteà non fuisse iustum, tenetur illa restituere quibus factus est ditior: non autem ædes quas incendit, aut animalia quæ occidit. ¶De negotiatoribus autem qui crebros fecerunt contractus, quos legitimos esse censebant, posteà verò intelligunt fuisse vsurarios, vtrũ satis eis sit illam præcisam pecuniam restituere quam per vsuram lucrati sunt: an verò etiam illam quam rursùs negotiatione eiusdem pecuniæ acquisiuerũt, sunt qui dubitant. Apparet enim eis pecuniam vsurariam cum lucris etiam esse restituendam: illo adducti simili quòd res aliena cum fructibus est restituenda. Sed absq; dubio satis est si vsurariam pecuniam restituant. Nam cũ pecunia de se non sit fructifera, sed per negotiantis industriam, nulla à rebus adduci potest similitudo quæ per se fructificant. De hoc autem rursus libro. 6. Atque hactenus de primis duabus conclusionibus. ¶In tertia verò exiguum latet dubium. Designabatur

Argumentum cõtra.

Dub. de rẽdẽte bona fide rẽ à latrone emptam.

Solutio dub.

De prædæ belli iniusti.

Dub. circa. 3. cõclusionẽ

tur enim secunda acceptionum species, quã do quis iustè quidpiam recipit in suum pro prium commodum & vsum: vt mutuum: & assertum est tunc ratione acceptionis, etiam si res citra culpam perdatur, necessariam esse restitutionem. ¶Apparet tamen contrarium esse cap. vnicum. de commod. vbi habetur quòd qui sine sua culpa commodatum perdidit, ad nihilum tenetur. Res tamen est facilima. Commodatum quippe & mutuum differunt, si ad nomina spectes, quòd illud restituendum est in propria specie: vt si equum vel vas commodato receperis quæ vsu non consumuntur: mutuum autem non est necesse in eadem specie restitui: vt si pecuniam, aut vinum, aut grana mutuo receperis, quæ vsu consumuntur, satis est reddere pretium. Reale tamen discrimen est quòd rei commodatæ non transfertur dominium, sicuti rei mutuatæ. Et per hoc detegitur spiritus legis. Rem nanque tibi commodatam non debes ratione acceptionis: quandoquidem non es eius constitutus dominus: ob idque dum sine culpa tua perit, non tibi sed domino perit: sicuti si penes ipsum deperijsset. At verò commodationis iure teneris, etiam de leui culpa, vt text. ipse ait. Non quidem in totum, sed in partem pro ratione culpæ. Et quod de accommodato dicimus, de locato quoque intelligito. Nam si mihi vel domum vel equũ locasti, quanquàm in communem vtriusq; vtilitatem cesserit, si tamen res sine mea culpa perditur, nihil debeo. Illi enim se periculo locator subijcit: teneor tamen de leui culpa, in partem & de graui, in totum. Quando verò res tibi mutuatur, quia dominus eius constitueris, ratione acceptionis efficeris restituendi debitor. Quare licèt citra tuam culpam pereat, tibi, qui dominus es perijt, onereq; adeò restitutionis non exoneraris.

Differt inter cõmodatum & mutuatum.

Alia differentia.

De quarta conclusione.

¶Atq; hinc commodè transitus fit ad quartam cõclusionem de deposito. Nempè quòd depositarius non tenetur rem restituere, si citra magnam suam culpam illam amiserit. Ità. ll. habent. 1. & 2. de deposito. Itaque inter accommodatum & depositum differentia est quòd commodatarius tenetur de leui culpa: eò quòd in suum commodum rem petierat: atque adeò de iustitia tenebatur eam custodire. Depositarius verò non nisi de magna: quia non in suam vtilitatem illam custodiebat: & ideo solùm charitatis beneficio tenebatur eam seruare. Intelligendus ergò est depositarius, vt suprà diximus, qui mere est depositarius, hoc est qui nõ pretio se obligauit custodire: nam huiusmodi custos etiam si citra suam culpam rem perdat, de iustitia tenetur: sicuti qui contractu assecurationis, periculum mercium subit. Quòd autẽ magna culpa eum obligat ratio est quòd causam damni dat: & ideo Iurisconsulti appellant eam latam culpam: & aiunt talem teneri de dolo. ¶Dubium autem est quænam culpa dicatur leuis, quæ verò grauis. Et quidem primo aspectu videtur culpa leuis, illa censeri, quæ apud Deum venialis est: atque illa grauis quæ apud ipsum est lethifera. At verò nõ est isto Theologo more differentia hæc pensanda, sed iuridico, secundùm humanum arbitramentum. Credi derim nanq; in foro conscientiæ leuem culpam commodatarij non obligare eum ad restitutionem, nisi sit mortalis apud Deum: nam à venialibus vix homo liberari potest: quare propter illas non est homo tanta pœna plectendus aut mulctãdus: sed dicitur arbitratu humano & iuridico leuis, respectu alterius qui in depositario cumulatior requiritur vt condemnetur. Hæc autem omnia existimanda sunt secundùm iudiciale forum: cuius sententiæ in conscientia standum est.

Dubium.

AD primum igitur argumentũ respõsum est q̃ qui tenetur ratiõe acceptionis, nõ solùm æqualitatem tenetur facere: quia plus ipse habet, sed quia alter habet minus. Quocircà etsi quomodocunq; rem amiserit, debitor nihilo minùs manet. ¶Secundum argumentum exquirebat quomodò sit faciendа ab eo restitutio 'qui secreto delicto rem vsurpauit alienam: nam ille non se tenetur prodere. Ad quod D. Thom. nil ampliùs respondit quàm quòd tũc id per cõfessarium secretò peragi debet. Si autem illo fieri non potest secreto modo, quid tunc faciendũ superfit, nil respondet. Caietanus autẽ arbitratur nunquã cũ periculo famę necessariã esse restitutionẽ. Hanc autẽ suã vniuersalem regulã superiori quæstione planè ac plenè arbitror esse confutatam: imò verò prudenti discretione vtendum est, vt pretium famæ cum iniuria & damno quod datum est conferas, ac perinde iudices an aliqua sit facienda famæ iactura vt restitutio fiat: tum præcipuè quando res pendens, & (quod aiunt) in fieri est vt possit recuperari. ¶Dubium autem inter Doctores vulgatissimum est de adultera

Ad primũ argumentũ

Ad secundũ argumẽtum.

S. Thomas.

Caietanus.

Dubium de adultera.

adultera quæ nothum filium marito suppo
suit, vtrùm se prodere teneatur nè legitimos hæreditate defraudet. Multa enim tam Theologi doctores in. 4. distinct. 15. quàm iuris interpretes eademq; varia de re ista cõmentantur. Extat enim casus in cap. officij. de pœniten. & remiss. Et quidẽ vt à certioribus rem aucupemur, operæpretiũ est distinguere. Aut enim mulier illa, vel dotẽ vel bona alia habet propria, eademque libera quibus damnum compensare possit vero hæredi: & tunc communis confessio est quòd ne quaquã se infamare tenetur, sed satis est alia via restitutionẽ facere. Si verò nõ habet vnde restituat, tũc subdistinguendũ. Aut enim credit se reuelando profuturam, aut secus: si enim nil ipsam prodesse speratur, certissimum est nullatenùs teneri: quoniam opus vanũ, neq; opus est charitatis neq; iustitiæ, quare temeraria esset tunc illa infamatio, quia frustranea: sed reputanda illa tunc mulier est ac debitor qui non est soluendo. Ait nihilo minùs Scot. eâdem dist. quæst. 2. quòd debet tunc quantum potest facere vt hæreditas spurio filio non obueniat: vt puta cõsulendo ei religionis ingressum. At verò de iustitia non est cur ad hoc teneatur. Si verò putat se profuturam quia nothus filius ei fidẽ perhibens hæreditatem recusabit, vel fortè probare taliter poterit vt in iudicio faciat fidem: tunc si id potest sine aliquo detrimento aut vitæ aut famæ, cõstantissimum est teneri: si autem non potest sine periculo famæ & honoris, Scot. tunc huc inclinat quòd nõ tenetur: & Caieta. in sua perseuérans regula id certò asseuérat: Adrian. verò. 1. q. de restit. contrarium censet: nempè ipsam teneri cum detrimento famæ. ¶ Attamen iudicio meo (si vllius est ponderis) per prudentiã librãda est tunc adulteræ fama cum iactura quã verus hæres facit. Si enim pretiosior est mulò fama mulieris, aliàs nobilis & honestæ, quàm hæreditas, quæ fortè tenuis est, consulendum illi est vt taceat. Si autem hæreditas contrà maioris æstimatur: nempè si est illustris maioratus, & illa nõ est tanti nominis, detegere se tenetur: saltem sub mortis articulum vt periculum homicidij non subeat. Cæteris tamen paribus, melior est conditio legitimi hæredis. Hoc tamẽ contrà quã Adrian. censet, arbitror. Ait enim ille nunquàm esse desperandum quin adultera rem detegendo prodesse possit: & ideo plurimùm in hanc partem inclinandum esse, vt se prodat. Ego verò contrarium pro meo tenui captu credi derim: videlicet nũquàm eiusmodi detectionem quicquam prodesse, nisi tunc quando euidens est tempore conceptionis abfuisse maritum: aut quãdo probari alia via possit, tunc non fuisse ab illo cognitam: vt habetur l. filium. ff. de his qui sunt sui vel ali. iur. Nã spurius nullam tenetur matri, quamlibet iurãti adhibere fidem: sed in iudicio existimãdus est legitimus: vt eâdẽ iubetur lege. Neq; suam alleganti turpitudinem vlla debetur fides: ob idque vix offerri potest necessitas vt ipsa se teneatur infamare. Nam in casu prædicto euidenti, non opùs est sua confessione: & in alijs nihil prodest. ¶ Tametsi & hoc non est in præsentia silentio prætereundum, quòd tam vehemens esse possit matris persuasio, vt adulterinus filius credere intus mẽ te conuincatur: & tunc licèt in foro exteriori sibi adiudicetur hæreditas, crediderim nihilo minùs secundùm conscientiam teneri à se illam abdicare: nam tunc sententia fundatur in falsa præsumptione. Neq; in contrarium vrget argumentum, quòd si quis mihi legasset centũ, credens me esse suum filium: sua tamen leuitate deceptus, vel ab alio citra meã culpam: ego possum iure optimo illa possidere. Vnde à simili videtur colligi quòd licèt relatione matris ego sciam me spurium si pater mihi sua bona relinquat, possum possidere. Haud inquam argumentum solidè vrget, neq; adducit simile: quoniam in illo allato casu ego nõ tui per iniuriam causa illius ignorantiæ: in nostro autem præsenti, pater non sua me spõte hæredem instituit. sed lege coactus: nimirum putans me esse legitimum. Et ideo quod legis vigore agit, nil mihi suffragatur, sciẽti non esse legitimum. ¶ Grauius autem exístit dubium an teneatur eadem adultera etiam cum periculo mortis se prodere. Ad hoc Innocent. Hostien. & Panor. super dicto. cap. officij. incunctanter negant illam teneri: nam reuelando, periculu & animarum excitat, puta mariti qui de eius nece meditabitur. Atqui secundùm cõmunem legis rationisq; ordinẽ ita indubiè censendum est. Nam, vt suprà diximus, vita non est pro restitutione temporalium bonorum morti offerenda. Nihilo minùs egregius extraq; ordinarius casus contingere potest, vt aliud forsan cõsulendum esset. Enim verò si regnum aliquod aut præclarissima domus silente adultera ad alienos deberet transire, vix posset aut deberet eiusdem adul

Distinctio. *Scotus.* *Scotus. Caietanus. Adrianus.* *Sententia authoris.* *Nota.* *Quãdo adulterinus tenetur à se hæreditatẽ abdicare.* *An cũ periculum ortus teneatur adultera se prodere.* *Quãdo cum periculo mortis tenetur, se prodere.*

terę conscientia pacari, si res esset certa quòd esset omninò suo testimonio profutura, nisi se etiam cum periculo vitę proderet: dummodò priùs nullus non lapis esset motus vt tale periculum caueretur: nam peccatum mariti ipsa non tenetur cum tanta iniuria veri hæredis euitare. ¶ Capitulum ergò officij citatum ad hæc applaudit quę dicta sunt. Delatum quippè illic est ad Pontificem, mulierem quandam sterilem, veritam nè mariti hæreditas ad alienos transmigraret, sese grauidam finxisse, alienumque pro legitimo suppositisse marito filium, consultus ergò Innocent. an deberet absolutionis beneficio gaudere antequàm fraudem detegeret, affirmando respondet, scilicet absoluendã. Et subditur exẽplum de adultera cum qua similiter est agendum. Cogitauit enim Pontifex aut quòd nihil esset reuelando profutura, aut quòd sibi fortè periculum mortis immineret, aut quòd non erat egregius casus in quo deberet se pro hæreditate infamare. Eò præsertim quòd cùm maritus legitima careret prole, non offerebatur tantum periculum si effictus filius succederet. Iubetur nihilo minùs vt competens illi satisfactio per confessarium iniungatur. ¶ Sed molestior atque vtrinque vrgentior fuit mihi semper in præsentiarum dubitandi ratio de adultero: nempè de illo qui ex aliena vxore prolem sustulit, vtrùm teneatur tum eius marito ea restituere quæ in alendo educandoq; supposititio filio expendit: tum etiã legitimo hæredi eam, qua defraudatur, hæreditatem. Pugnat enim à parte affirmatiua hæc ratio, quòd ipse causam aliquam illius damni dedit: à parte verò negatiua quòd ipse non suppositum filium marito. Faciomus enim eum nunquã mulieri suasisse vt maritum de re illa deciperet, dicẽs esse suum. Ad hoc igitur pro captu nostro respondemus, adulterum huiusmodi nõ tãto restitutionis vinculo illigari, quanto adulteram, de qua fassi sumus: præsertim si ipsa sua sponte in adulterium consensit. At quò rem à prima linea exordiamur, si soluta mulier cum duobus conuersetur, neuter eorum tenetur credere ex se habuisse in vtero. Imò licèt Petrus suum esse credat, & Paulus eum suscipiat, & nutriat, & ditet: non tenetur Petrus rem detegere: quandoquidem alter vel sua leuitate, vel mulieris impostura deceptus est: neque ipse eum decepit. Pari ergò ferè iure se potest adulter defendere nè credere adduc atur suum esse filium. Haud enim scit an alium secum illa admiserit: quæ enim vnum recipit, absque iniuria credi potest alium pariter admittere. Quocircà, vt lege, Lucius. scriptum est. ff. de conditionibus & demonstrationibus. nemo cuius patris filius sit, satis probare potest. Hæc ergò prior est ratio cur adulter non vsque adeò restituere teneatur sicut adultera. Posterior verò est quam proximè faciebamus: nam etiam si de facie vel alia via ei constiterit prolem esse suam: tamen ipse non suppositum marito. Enimuerò etsi fuerit causa remota, quia adulterium commisit, ipsa tamẽ sibi vidisset, postquàm sua sponte fuit adultera, quid sibi esset de suscepto filio disponendum. Quo circà si domi nutrit, sibi imputetur. Re vera non planè video cur adulter ad aliquam de iustitia teneatur restitutionem. Nihilo minùs adiecerim quòd dum certissimum est filium genuisse, potensque est aliquam facere aut marito aut hæredi cõpensationem: aut filium citra periculum atque scandalum nutrire: tenetur id ob honestatem ac decentiam facere. ¶ In tertio argumento postulatur regula modi restituendi, dum plures in idem furtum coiuerũt. Diuus enim Thomas solùm respondet quòd vno restituente cæteri non tenentur domino, sed illi pro rata qui restituit. Indiget hoc tamen ampliori explicatioriq; responso: quippè quod non simplex, sed multiplex est. Attamen quia articulo proximo eadẽ regressura est materia, illic exactiùs decidetur.

Dubium de adultero ipso.

Responsio.

De tertio argumento. D. Thomas.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm illi etiam qui nihil acceperunt restituere teneantur.

DE CIRCVNSTANtia, quis, non solùm examinare oportet vtrùm quicunque accepit restitutionis lege teneatur: verùm etiam vtrùm & ille quoque qui non accepit. Arguitur enim à parte negatiua. Restitutio, quædam pœnæ species esse videtur: pœnæ autem nemo subditur nisi ratione culpæ: ergò qui nihil accepit, nihil debet. ¶ Secundò. Lex restitutionis non exigit vt plus refundatur, quàm fuerat sublatum: si autem qui nihil accepit nihilo minùs teneretur, vsu venire posset vt

auctior

auctior quâm fas esset fieret restitutio: tum quòd sæpè plures eum qui accepit vel cõsilio vel fauore iuuãt, à quibus ideò pluries deberet fieri restitutio: tum etiam quòd nonnũquàm dare id damnum connituntur, quod re tamen dare non possunt. Quare si tunc necessaria esset restitutio, cõferret alteri quòd non fuerat ei sublatum. ¶Tertiò. Si ille qui non accepit propterea quòd aliquam dedit causam, restitutioni esset obnoxius: pari modo & qui iniurioſæ acceptioni non obstat, dum potest, restituere cogeretur. Hoc autem falsum est: quia nemo propter seruandum rem alienam tenetur se periculo obijcere: & tamen sæpè se obijceret si in latrones proclamaret, aut illis se contrà opponeret. ¶In contrarium tamen est illud ad Romañ. 1. Digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiã qui consentiunt facientibus. Enimuerò si cõsentientes digni sunt pœna, pariter & alij quomodolibet iuuantes.

Prima conclusio. AD quæstionem quatuor cõclusionibus respondetur. Prima sit generale cæterarum fundamentum: Quicunq; causa est iniustæ acceptionis, ad restitutionem tenetur ratione eiusdẽ acceptionis: licèt nullatenùs fuerit acceptæ rei particeps. Conclusio iam suprà probata est: vbi ostendimus ex duplici radice oriri obligationem restituendi, scilicet ratione acceptionis & ratione rei acceptæ: qui autem causa est acceptionis, fit eiusdem reus. *Secunda cõclusio.* ¶Secunda cõclusio. Nouem modis accidere potest vt quis sit acceptiõis causa: qui hoc versu explicari solent.

Iussio, consiliũ, cõsensus, palpo, recursus,
Participãs, mut⁹, nõ obstãs, nõ manifestãs.

Distinctio. Numerus quippe iste hisce distinctionibus colligitur. Bifariàm potest esse quis causa, vt alter quid agat vel accipiat, videlicèt directè & indirectè. Et quidem directè tripliciter, videlicet aut ex parte acceptionis: mouendo scilicet ad ipsam vno quatuor modorum: nempè præcipiendo, consulendo, consentiendo, & factum laudando. Secundo modo ex parte accipiẽtis: nempè quia ipsum quis ad se recurrentem receptat, alióve modo fouet ac protegit: quod vno recursus nomine significatur. Tertio id modo contingit ex parte rei acceptæ: nempè dum eiusdem furti vel rapinæ particeps fit, vel maleficij socius: & hoc significatur voce, participans. Indirectè verò quis dicitur esse causa, cùm quem impedire potest ac debet, non impedit. Et hoc tripliciter, scilicet quia præcipere cessat, aut nè faciat consulere, vel quia auxilium quo obsistere posset subtrahit, vel factum occultat. *Tertia conclusio.* ¶Tertia conclusio. Ex his nouem modis quinq; genere suo ad restitutionem obligant. Primus scilicet ac potissimè iussio. Enimuerò qui iubet, princeps cau sarum est, ac subinde præcipuè restitutionis legi se subdit. Secundo loco est illius consensus, sine quo res nõ fieret: vt si domus custos furem intus admittat. Tertiò, recursus: qui enim latronũ receptator fautorq; est & protector, magnam damni causam dat: quippe quibus latrones potissimùm confisi, suam nutriunt audaciam. Et quartò, qui vel in crimine, vel in pręda participat. Ac deniq; quintò ille qui cùm obstare deberet, non obstat: vt princeps, aut ei⁹ minister: sanè qui in hoc tributa stipendiaq; recipiunt, vt malefactoribus rempublicã expurgent. Conclusio hæc pro suis omnib⁹ partibus vnica ratione innititur, quòd isti omnes iuxta tenorem primæ conclusionis verè sunt actionis causæ. *Quarta conclusio.* ¶Quarta conclusio. Ex alijs quatuor recensitis casibus non semper restitutionis vinculum emergit, eò quòd non perinde atq; superiores in causam actionis semper veniunt. Qui enim consilium præstat, non semper est actionis causa: sicut neq; ille qui adulatur & laudat. Quare nisi quando causa verè extiterint, nõ fiunt restituẽdi debitores. Pariterq; & de muto, qui dum res fit non clamat: & de non manifestante postquàm factum est, sentiendum: quia nõ semper manifestare tenentur. *De primæ cõclusione.* ¶Ad examen autem accuratius harum conclusionum descendentes, primùm circa basilarem primam conclusionem exploremus, quisnam sit actionis causa censendus. Et quia id dupliciter cõtingit, scilicet directè atq; indirectè, de ambobus dicamus modis: Idq; à participãtibus exordientes, in quibus res est clarior. *Distinctio.* Adrianus nanq; illa quæstiuncula de concurrẽtibus cũ fure, quo Sylvest. in verb. restitutio. 3. cum quibusdam Iurisco sultis super cap. sicut dignũ. de homicidio. alludit, hanc sibi habet regulam persuasam, q̃ ille tantùm sit acceptionis causa sine quo illa non fieret. Vnde isti inferunt, q̃ si fur nihilo minùs sine vllo socio facturus erat furtũ, ille quem sibi adiunxit, nõ tenetur in solidum, sed pro parte quę sibi obuenit: quia nõ fuit alteri causa furti. Addit autẽ eorum interpres Adria. q̃ si alter nõ erat nisi cum alĩ. quo socio facturus, licèt absq; isto feciſſet cũ

Adrianus. Sylvester.

alio: nihilo minùs iste comes tenetur in solidum: quia verè est causa. Sed profectò nulla isti probabilitate tueri se possunt: quod bene Caieta. hic ante nos agnouit. Sequeretur enim in primis eâdem ratione, q; si quis plures habẽs seruos qui sibi essent ad nutũ obsequi paratissimi, cuipiam illorum homicidium aut furtum iuberet facere, quod per se ipse paratissimus erat facere: vel si seruus videns herũ iam iam scelus adornantem eum sua sponte præuenisset, tunc patrator ille sceleris non teneretur in solidũ, neq; in partem: quoniam herus per se solus fecisset: quod tamen cõcessu absurdissimum esset. Quod autem cõsequentia concedẽda sit, patet. Nam perinde est te pro alio facere quod ipse per se iam iam erat facturꝰ: ac si cum ipso tali casu concurras: quare si concurrens non tenetur, certè nec faciens. Igitur siue alter cum quo Petrus concurrit facturus fuisset sine illo cũ alio, quia sine comite non fecisset, siue omnino esset absq; vllo socio facturus: nihilo minùs Petrus si concurrit, tenetur in solidum. Quare in huiusmodi moralibus cuentis nõ requiritur illum qui ad restitutionem tenetur fuisse causam sine qua res non fieret. Quocirca nulla regula ab huiusmodi negationibus sumenda est, quòd sine socio fecisset: sed ad affirmationem tãtùm perspiciendum est: nempè vt quicunq; ceu causa efficax cum altero concurrit vt vnam efficiant causam, censeatur causa vt teneatur in solidũ. Id quippe ratio naturalis ostendit. Dum enim duo ignes eidem admouentur passo, licèt vterq; per se illud exureret, nihilo minùs dum simul coëunt vterq; est causa. Idq; inde præcipuè cõfirmatur, quòd in foro iudiciali nulla auditur eiusmodi exceptio, si alter esset facturꝰ nécne: sed vterq; in solidũ cõdemnatur: cùm ergò leges obligent in foro cõsciẽtiæ, fit secundùm illas de conscientiæ securitate iudicandum esse. Præterea conditionales istæ nihil ad mores attinent: videlicet neq; virtutes augẽt, neq; attenuãt peccata. Forsan domus quã diruisti, casura statim erat: & quas destruxisti segetes, turbo statim trãsiens erat euulsurus: nihil te tamen à restitutione liberat. Atque eòdem pertinet illud Matthæ. 18. Necesse est vt veniant scandala: sed væ homini per quem scandala veniunt: id est, quanuis scandalũ per aliũ venturũ esset: ille tamẽ solus per quẽ venit in culpa est. Ratio ergò qua percipiẽdũ est an aliquis sit alteri auxiliaris causa, hæc sola est, si fecit aliquid quod alicuius esset momẽti ad rẽ pertinentis. Obuios noctu habuisti fures, quibꝰ admouentibus muro scalã tu quoq; illã tetigisti: nihil tamen ex te illud pendebat: nam ipsi iam faciebant: non es ergò secundũ conscientiam causa censendus. Sicuti neq; vsurarij famulus qui non aliter quàm tangendo vel seruando pecuniam est causa: quia nihil moraliter loquendo illud ad rem attinet. Illi autem qui sunt eorum agentes, qui scilicet contractus peragunt & negotia tractant, verè sunt causa: vt libro. 6 patebit. ¶ Dixerim dum ambo vel dum plures coëunt in vnam causam: nam si seorsum, exempli gratia, furati sunt: vnus scilicet vnum scutum, & alius posteà alium, & sic ærarium expilassent, nemo tenebatur in totum: vt habetur. l. Vulgaris. ff. de furt. ¶ Contra hanc tamen sententiam aduersarij obijcere nobis possunt verba eiusdem legis. §. qui furti. quæ etiam habentur. l. ita vulneratus. ff. ad legem Aquil. Nempè quòd si duo aut plures simul eandem trabem, aut tignum, aut quiduis aliud ponderosum furtum important, quod singuli baiulare non possent: tunc vnusquilibet tenetur in solidum actione furti. Ex cuius contrario sensu eliciendum videtur, quòd si singuli totum portare possent, nemo teneretur nisi pro parte: nempè quia nemo videtur totum capere voluisse, sed partem. Respondetur non hanc esse textus mentem: imò contrariam. Studuit enim Iurisconsultus tacitæ obiectioni respondere. Enimuerò dum pondus singuli portare non possunt, non singuli sed collectim omnes sunt causa: nè ergò quis inde eliceret non singulos, sed omnes simul teneri pro rata ad restitutionem, exit obuiàm Iurisconsultus, admonens singulos nihilo minùs teneri in solidum. Quare licèt quisque per se portare posset, arctiori vinculo teneretur quisque in solidum. ¶ Ecce ergò de participante in crimine quomodò sit causa, teneaturque in integrum. Nam si non in crimine, sed solũ in præda bona fide participat, iam suprà dictum est, non teneri nisi ratione rei acceptæ: pro eo quòd habet, & factus est ditior. Et per hoc de militibus censendum est qui bello injusto simul domum deprædantur. Nam etiam si singuli per se id facerẽt: imò mallet vnusquisq; solus domum aggredi, vel duo, vel tres: quia nõ pluribus indigẽt auxiliaribus: nihilo minùs quotquot ceu vna manus eã expoliãt, tenẽtur in

Argumentũ contra.

Quando aliquis sit alteri auxilio.

tur in solidum. Neq; contrarium, quicquid alij dicant, assertu tutum est. ¶Dubium autem restat de illis qui non simul vt vna causa, sed disiunctim magnum damnum dederunt, quomodò culpę labem, restitutionisq; obligationem contrahant, si adeò minutatim furati sunt vt nulla eorum actio fuisset peccatum. Exempli gratia: Singuli transeuntium diuersis diebus prope vineam acceperunt duos aut tres racemos: tandem verò totam illo modo præmaturè vindemiârunt: vtrùm posteà singuli in integrum ad restitutionem teneantur. Videntur enim sic teneri: quia si restitutio sub pœna excõmunicationis tũc præcipiatur, tenentur ad illã sub reatu mortalis culpę. Cùm tamẽ si nullus teneretur nisi pro sua parte, nemo peccaret mortaliter nõ restituendo: quia rẽ tã paruã furari nõ est mortale. Respondetur eiusmodi furatiunculas nõ fuisse peccata mortalia. Neque propter damnũ quod posteà ingẽs emersit, vllius actio fuit facta mortalis. Nihilo minùs cùm posteâ ratione enormis nocumenti restitutio sub pœna excõmunicationis præcipitur, quicunq; sub pœna peccati mortalis tenetur vel respondere, vel soluere id tantùm quod accepit. Quare qui partem suam soluerit, non tenetur se prodere. Quòd si arguas, excõmunicationis comminationem non esse licitam nisi pro peccato mortali: Respõdetur id esse per se verum ratione culpæ: secùs autem ratione emergentis damni quando fit graue. ¶Hactenus de causa directa: ad hoc autem quòd quis indirectè sit causa quã vocant etiam per accidẽs, tria sunt requisita. Primum, vt malo non obstes: Secundò, quòd obstare possis: & tertiò, quòd obstare tenearis: vt. 1. 2. quæst. 6. articu. 3. Diuus Thomas cum Aristot. docuit. Ad hoc enim quòd alterius actio mihi indirectè fiat volũtaria, requiritur, quòd cùm debeam impedire non impediã. Nauis quippe gubernator dum illam seruare potest quę sub sua est cura, causa est eius submersionis. Attamen si altera quæ sibi commissa nõ est, submergatur, licèt ei potuisset succurrere, non cẽsetur eius naufragij causa. Quin verò adde nõ satis esse vt malum quod non cohibes cohibere debeas, vt restitutionis nexu irretiaris: sed requiritur vt ad id te iustitia obliget: nam solum charitatis præceptũ, vt sæpè in superioribus admonuimus, ad restitutionem non obligat. ¶His igitur præhabitis examinãdum restat discrimen quod tertia quartaq; conclusione positum est, nempè quinq; causarum species ad restitutionem obligare: reliquas verò quatuor, minimè. Videtur enim neq; iubentem neq; consentientem semper ad restitutionem esse cogẽdos: quia nõ semper sunt efficax causa. Respõdetur ergò, per prędictas cõclusiones illud discrimẽ. S. Thom. duntaxat constituisse, quòd est de per se: cui ideo non obstat: quin & illa, quandoq; non obligent. Exempli gratia, dictum est participãtem in crimine, hoc est cum altero cõcurrentem per se teneri: nihilo minùs quando non est efficax causa, non tenetur. Similiter iubens per se quidem est causa motiua: imò omnium potissima: applicãs ministrum ad opus: nihilo minùs nõnunquàm contingere posset vt iubens nihil ad rem faciat. Primùm quando non subsequitur damnũ. In his enim omnibus hæc est infallibilis regula obseruanda, quòd vbi re vera iussio, & consilium, & reliquæ causæ non sortiuntur effectum: licèt peccatum committatur: nulla tamẽ oritur restitutionis obligatio. Item quãdo alter sic est certus rem facere, & in procinctu est operis vt impediri non possit. Tunc qui diceret: Abi ergò & fac: non esset causa efficax quæ ad restitutionem obligaret. Secùs si iubendo moueret. Prudentia enim hoc perpendendum est. Nam etsi nequam meus seruus certus esset homicidium facere, nihilo minùs si ego qui impedire possem iuberem, aut iubendo quodammodò mouerem, non sum â restitutione liber. Pari modo receptans per se sonat causam. Neque obstat quin verè sit causa: licèt alius receptasset, vt dictum est. Sed tamen si illa receptatio non esset efficax causa: quia tantùm hospitio recipio latronem: neque illum moueo: imò dissuadeo, neq; quicquam furti participo, & sunt circùm multa diuersoria paratissima illum recipere, non sum in foro secreto conscientiæ condemnandus. ¶Similiter iudicandum de consentientibus & non obstantibus, & tacentibus. Si enim non possunt obstare, vel de iustitia non tenentur, non sunt causa. Quapropter illi cui ex officio incumbit, vt princeps & prætor, consentiens in malum & non obstans, semper est in causa, & tenetur ad restitutionem. Pariter famulus qui custos est domus, vel ex qua latro exit ad furandum, vel quã adit, si consentiat, siue vnus vt exeat, siue alter vt intret, verè causa est: nam de iustitia tenetur resistere. At verò si vicini domum

Dubium.

De iubente & consentiente.

Regula notanda.

De tacentibus & non obstantibus.

latronibus impeti vides, aut à furibus perforari, licèt non obsistas dum possis, peccas quidem grauiter contra charitatem: nulli tamen secundum conscientiam te subiugas restitutionis iugo. Si autem quispiam prauo animo faciat: nempè quia odio vicinum habet, cuius ideo nocumentum gratum ei est: *Richardus.* Richardus & quidam ex Summistis arbitrantur eiusmodi hominem tenere. *Scotus.* Melius tamen Scotus & reliqui id negãt, Persistendum nanque est in illa superiùs asserta regula, quòd sola contaminata charitas, nisi iustitia violetur, necessitatem restitutionis non inducit. *Nota.* Imò verò censuerim quòd etiam si latro tunc in flagranti delicto munus vicino offerret, qui de iustitia non tenetur inclamare, vt taceret, non fieret ille secundùm conscientiam restitutionis reus. Tametsi in foro exteriori propter præsumptionem condemnaretur. Dico non fieri reum in conscientia si non pecuniam furto sublatam, sed aliud pretium reciperet. Et ratio est: quia iste non facit contra iustitiam, sed duntaxat contra charitatem. Quinimò etsi posteà interrogatus sit priuatim ab eo qui damnum accepit, an latrones vel vidisset vel audisset, non tenetur de iustitia respõdere. Secùs si interrogetur à iudice: tunc enim si negat, ad restitutionem tenetur: vt sequenti libro sub titulo de testibus, dicturi sumus. ¶ Ad hunc ordinem restituendi reducuntur illi quorum culpa aut damnum datur aut irrogatur iniuria: vt extrà de iniur. & damno dato, cap. fin. iubetur. Vndè Exo. 21. Si quis aperuit cisternam in quam bos aut asinus cecidit, reus damni fit. Cui consonat. l. qui foueas. ff. ad. l. Aquil. Et Exod. 22. Si egressus ignis inuenerit spicas. &c. reddet damnum qui ignem succenderit. ¶ At verò de alijs causarum speciebus: nempè de *De eo qui laudat. D. Thomas.* illo qui malefactorem laudat, deque alio qui consulit, ait Diuus Thomas non semper ad restitutionem obligare: quia non semper sunt efficaces causæ. ¶ Veruntamen de consiliario dubium se offert non dissimulandum, vtrùm scilicet qui minus consuluit malum ad illud euitandum quod nocẽtius est, laqueo restituendi innodetur. Vides latronem pretiosum equum furãtem, quem nullatenùs cohibere vales: consulis vt strigoso alio minoris pretij sit contentus: vtrum tenearis illum restituere. De iure quidem & culpa, an vlla scilicet sit, minus malum consulere quando ad obuiandum grauiori ne- *De eo qui cõsulit minus nocumentũ volẽti maiꝰ inferre.*

cessarium mediũ iudicatur, libro sexto, sub titulo de vsur. disputaturi sumus: atque in illam partem propensuri quod nulla sit culpa: imò sit quandoque virtus. Modò autem quicquid sit de culpa, dicendum de restitutione existimo ad nullam prorsus consulentem teneri. Id quod & Adrian. meritò opinatur: nam consulere minus malum, non est consulere simpliciter malum: sed cõparationem illam quæ habet rationem boni. Neque intentio tunc fertur in malum quod minus est: sed in hoc quod est maius impedire. Quare nõ solùm non est nociuũ, imò est commodum. Et hoc profectò ex communi animi consensu patet. Quisenim eiusmodi hominem ad restitutionem obligaret. Quin verò neq; rei dominus talem restitutionem reciperet: quippe cuius negotium optimè gestum est. Intelligenda enim responsio hæc est quando tam res minoris pretij quàm res maioris, eiusdem sunt domini: nam tunc citra vllius alterius iniuriã rem eius seruas. Etenim si ad euitandum damnũ quod Petro datur consulis vt minus detur Paulo, citra dubium teneris: quandoquidem illum læsisti. ¶ Circa hanc totam materiam disputandum hic fuisse quis cogitet quomodò teneantur aut fures aut testes secreta debita detegere quando sub generalis excommunicationis comminatione præcipitur. Sed tamen de hoc libro proximo. q. 6. & 7. latiùs habendus est sermo. *Adrianum.*

PRimum igitur argumentum iam satis solutum est. Haud enim ille tantùm qui in scelere princeps est, delinquit: verùm & quicunq; illum vel iussu mouent, vel consensu, vel consilio, vel alia quacunque ope iuuant: & ideo homines eodem restitutionis nodo complicantur. ¶ Circa solutionem autem secundi notandum est, quòd dum plures ad idem damnum aut iniuriam cõcurrunt, ille præcipuè ac præ omnibus qui princeps fuit, & alios mouit, restituere obligatur. Præcipuè inquam quantum ad culpam: hoc est grauiùs peccat si non restituat: siue iussor fuerit siue quomodocunq; aliter mouens. Nihilo minùs illo non restituente, singuli, vt dictũ est, tenentur in solidum. Illo autem vel quouis alio restituente, cæteri nõ ampliùs tenentur vero dño, sed illi. ¶ Indiget hoc tamen, vt suprà insinuauimus, ampliori explicatione. Vbi notandũ est ꝙ non eodẽ modo cæteri cõplices tenentur primo restituenti, quo oẽs anteà *Ad primũ argumentũ.* *Ad secundũ argumẽtum.*

anteà tenebantur domino: nam illi debitores erant, non solum ratione rei acceptæ, verùm & ratione acceptionis, etiã si rem iam non haberent: restituenti verò nihil ratione acceptionis debẽt: quoniã ab illo nihil acceperũt: sed ratione rei aceptæ, scilicet pro ea parte qua quisq; potitus est. Sint igitur, verbi gratia, latrones tres, quorũ primus pœnitẽtia ductus totum restituit: tũc clarũ est nihil alios in cõscientia debere domino postq; ei redhibitum est quod ei fuerat ablatum: & ad pœnam non tenentur nisi condemnati. Vtrùm verò cæteri teneantur pro rata ei qui restituit, distinguendum est. Si enim eorum quilibet parte prædæ potitus est, citra dubiũ singuli tenentur pro sua præcisẽ parte. Quo fit vt si ille qui restituit: totum insumpserat, reliqui nihil illi debent. Si verò ille nullum furti perceperat fructum, sed alius vel alij, ille qui consumpsit debet ei totum ratione rei acceptæ. At verò si nulli eorum quicquam ex illo damno dato accreuit lucri: nempe quia diruerunt domum, aut quam eripuerant prædam proiecerunt in flumen nè caperentur: tunc etiam discernere oportet, an ille qui restituit alios prorsus sic adduxerat vt sine suo persuasu illi non fecissent: & tunc existimauerim, vt hîc ait Caieta. reliquos nihil ei debere: quia *Caietanus.* non ratione rei acceptæ, postquàm nullum perceperunt fructum: neque ratione acceptionis quia ille fuit tota causa. Tametsi & hoc negandum non sit quin si ille absque sociorum comitatu rem non aggrederetur, teneantur etiam ei de aliqua portione. Si denique omnes sua sponte sese sceleri obtulerunt, tunc singuli aliorum debent primo restitutori singulas tertias partes. ¶ Ex dictis colligitur solutio al- *Soluitur ad-* terius dubitatiunculæ: vtrùm duobus qui *liud dubiũ.* furtum commiserunt in solidum obligatis, possit dominus alteri remittere, & ab altero totum exigere. Planum enim est id in præiudicium restituentis non posse. Si enim totum ab vno extorquet: facere non potest quin alter teneatur restituenti pro rata, modo expositio. Si ergo alterutri donare libuit, debuit tanto minùs ab altero ex- *Ad tertiũ.* trahere, quantum alteri condonauit. ¶ Ad tertium demum respondetur, illum qui nõ de iustitia, sed ex charitate aut resistere malefactori tenetur, aut eum prodere: neque teneri, vt diximus, se periculo obiicere: neque si non resistat, restituere cogi. Secùs autem de illis quibus ex officio incumbebat: vt iã explicatum est. ¶ De istis autẽ forsan scisciari pergis, vtrùm ad id etiam teneantur cũ periculo mortis. Vt si prætor noctu latronibus domũ inuadẽtibus occurrit, vtrùm teneatur illos aggredi etiam si aggressu ipso periclitetur ei vita. Videtur enim ratio id postulare: cùm istis ex officio incumbat custodia. Sed nihilo minùs respondetur pẽsandum esse damnum, & cum periculo conferendum. Haud enim semper tenetur prætor quocunque casu obijcere morti vitam: sed vbi detrimentum reipublicæ id exposcit, & ipse iustum recipit stipendium, & vbi citra temeritatem potest obsistere. *Dubium.*

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm qui debet, statim restituere teneatur.

POstrema restitutionis circunstantia est, tẽpus, de quo idcircò quæritur, vtrũ statim teneatur quisque restituere. Et arguitur à parte negatiua. Præcepta affirmatiua non obligant pro semper, vt aiunt: sed præceptum restituendi est affirmatiuum: ergo non obligat nisi occurrente temporis circunstantia: atque adeò non semper. ¶ Secundò: nullus ad impossibile obligatur: sed accidit quòd qui debet non statim potis sit restituere: ergo tunc non tenetur. ¶ Tertiò: restitutio est actus virtutis: tempus autem est vna circũstantiarum, quæ sunt ornamenta virtutum: fit ergo, vt quemadmodùm reliquæ circunstantiæ non sint lege designatæ, sed per prudentiam reliquantur determinandæ: ita neque lex sit vt statim fiat restitutio, sed quatenùs fuerit per prudentiam vbique definitum. ¶ In contrarium est quod eadem est ratio generis restitutionis quæ in aliqua eius specie: opus autem mercenarij statim reddendum est: iuxta illud Leuitic. 19. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane: ergo omnis in vniuersum restitutio illicò facienda est.

AD quęstionem vnica respondetur conclusione. Vnusquisque tenetur quàm *Conclusio.* primùm sibi fuerit possibile, vel restituere, vel tẽporis indicias ab eo cuius interest de-

poscere. Probatur conclusio, Quemadmodùm rem alienam surripere peccatũ est contra iustitiam, ita & eam inuito domino detinere. Nam similiter impeditur eius vsus, qui finis est dominij: in peccato autem remorari neq; per minimum tempus fas est, imò licêre esse in peccato, implicatio est contradictionis: vnde Ecclesiast. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum: est ergo res aliena, vbi primùm adsit possibilitas, restituenda.

Præceptũ restituẽdi nõ omninò affirmatiuũ est.

¶ Iam suprà, quæstione præcedenti, artic. 2. explicuimus quemadmodùm præceptũ restitutionis, quanuis formam habeat affirmatiuam, vti hic in solutione primi ait sanctus Tho. nihilo minùs negationem includere non retinẽdi, quæ ad illam reducitur quæ est, Nõ furaberis. Et hac ratione nõ perinde atq; alia affirmatiua præcepta aliquã fert circũstantiã temporis puta vt fiat quãdo oportet, vt honorare parentes: imò sicut cætera negatiua omne excludit tempus: ac subinde nullam permittit moram. Vnde Paulus vtrunq; coniunxit, Reddite omnibus debita: & nemini quicquam debeatis. Illic ergo si lubet reuise.

Exponitur quomodò statim restituendum.

¶ Ex quo fit vt hoc quod dictũ est, statim aliter de actu mentis interno intelligendum sit: aliterque in extremo opere arbitrandum. Nam quantum ad internum propositum, cùm primùm in mentem cuiq; venerit, in debito esse rei alienæ, proponere debet habita opportunitate restituere. Quoniam si, doctore Augustino, non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum: absque tali proposito nulla esse potest vera pœnitentia. In actu verò exteriori id quod est, statim, non est iudicandum mathematicè, quasi in puncto indiuisibili: sed moraliter ac ciuiliter. Dum enim in lecto tibi iacenti, aut ad mensam recumbenti occurrit te aliquid debere, non iure perstringeris statim surgere: sed expectare potes absq; fraude & dolo opportunitatem: qua transacta incipies esse in mora, ac subinde in culpa. ¶ Quòd si arguas: ergo habet hoc præceptum circunstãtiam temporis, sicuti cætera affirmatiua: Negatur consequentia. Nam materia honorandi parentes, aut audiendi Missam, non semper occurrit: & pariter contingit in actibus fortitudinis, & in præceptis misericordiæ: & ideo non obligant pro semper: sed secundũ prudentiam arbitranda in illis est circunstãtia temporis. In materia verò restituẽdi, semper existit necessitas per legem posita: sed quia requiritur actio, quæ subito fieri non potest, permittitur opportunitatem expectare.

Dubium.

¶ Ad perspicaciorem autem rei euidentiam quæritur quo sensu intelligendum sit restitutionem esse statim necessariam. Potest enim esse duplex: scilicet vel quòd sit necessaria ad exeũdum à priori peccato, vel ꝙ sit necessaria sub reatu noui peccati. Et quidem in primo sensu nulla est controuersia quin sit statim necessaria, vt modò dicebamus, quantum ad propositum. Enimuerò si cut qui in proposito persisteret furandi, semper esset in peccato: sic & qui sciens se habere alienum, non statim proponeret restituere. Quod inde etiam confirmatur, ꝙ si dominus statim peteret, statim reddere tenereris. Præterea quòd si non statim esses reddere obligat⁹, eâdẽ ratione neq; tenereris cras, neq; postridie. De hoc ergo sensu nulla restat dubitatio.

An peccet no uo peccato qui nõ restituit cum potest.

¶ Sed tamen de altero est dubium. Et arguitur ꝙ fur, verbi gratia, præter peccatum quod eripiendo commisit, recens quocunq; momento committat quo restituere nõ proponit. Diximus enim quæstione præcedenti præceptũ restituendi esse distinctum à prohibitione furandi: quod patet tam ex obiecto quàm ex forma. Nã prohibitio furti est prohibitio mali: præceptum autem restituendi, est iussio boni: est enim bonũ restituere, sicuti & satisfacere. Quare Christus affirmatiuè dixit, Reddite q̃ sunt Cęsaris, Cęsari. & Paulus. Reddite omnibus debita. Ex hoc ergo arguitur. Hoc præceptum est affirmatiuum, cuius circunstantia est, statim: ergo quocunq; momento tenetur quisq; id proponere aut tale continuare propositum. Aliâs nouum semper erit peccatum omissionis. Ad hoc, concesso esse distinctum præceptum, vt loco citato expositum est, respõdetur primum, præter peccatum furti dum fit, non illicò committi nouum omissionis si nõ fiat restitutio: illud tamen ipsum continuò crescit quando maior est restituendi mora. Etenim quòd non statim committatur peccatum omissionis, patet primùm: quia nõ protinus debet homo, imò neq; moraliter loquẽdo, semper ad peccatum attendere: tum etiam quòd quanuis attendat, si continuat antiquum propositũ retinẽdi, illud impedit contrarium restituendi: atq; adeò non est aliud nouum peccatũ omissionis boni propositi, quàm sit illud cõtinuationis antiqui. Et cõfirmatur hoc: quia neq; Deo tenetur homo statim sub reatu noui peccati mortalis per pœnitentiam satisfacere:

Paulus.

cere:sed manet in priori reatu. Quòdautem peccatum crescat liquidum est, tum quòd peccatum eo peius quo diuturnius : tum etiam quòd damnum ſemper in dies datur maius ac minus domino: quippe quem vsu rei suæ diutiùs tenet priuatum. Quin verò tanta esse potest restituendi mora vt sit de necessitate confessionis. Nam licèt peccatū continuatum, in esse naturæ non mutet speciem: tamen in genere moris grauiter augetur: sicuti augeri potest ex parte obiecti. Qui enim decem milia Ducatorum furatus est, non legitimè confitetur nisi quātitatem exprimat. At verò hoc grauitatis augmentum non fit per quæcunque momenta. Perparū enim refert si rem detineas duas trèsve horas aut certè dies, nisi grauis sit domini necessitas. ¶ Petrus quidem de Palude in 4. distin. 15. q. 2. ait, quòd qui per annum retinet alienum grauiùs peccat, licèt vnū sit induratum peccatum, quàm si pluries identidemq; per annū pluribus actionibus id furaretur. Nam in priori casu semp est in peccato: at in posteriori, aliquando cessat. Attamen quāuis hoc probabilitate nō careat, cōtrarium tamen est probabilius. Primū quia, vt modò dicebam, non quæcunque horaria aut diurna habitualis cōtinuatio auget culpam augmento notabili: tum etiam quòd illiterati multiplicatiq; conatus ad furandum, peiores esse videntur q̄ habitus continuatio, quæ sæpe ex desidia & negligētia cōtingere potest. ¶ Secundò nihilo minùs addiderim, quandoq; nouum committi peccatum contra præceptum restituendi, quatenùs affirmatiuum est. Primùm scilicet quoties proponis non restituere: ille enim actus prauus est. Mox quoties creditor legitimè petit. Imò verò dum eum vides graui premi necessitate. In his inquam casibus nouum peccatum est nō restituere. ¶ Post hæc proximè sequitur vt videamus an liceat quandoq; restitutionem differre. De hac enim re varia apud Doctores inuenias. Multa enim hīc pēsanda sunt antequàm id permittatur. Et quidem Scotus in. 4. distin. 15. & aliorum pleriq; pro regula habēt, quòd vbi debitor absq; ingenti detrimento suo restituere nequit, differre eam possit. At verò prudenter quidem in præsentiarum distinguere mihi videt Caieta. de detrimento triplici. Si enim detrimentum id appellaueris quòd ingens substantia est restituenda, nihil hīc prorsus iuuat vt proroganda sit restitutio. Aliàs melior esset conditio eorum qui æs alienum ingentius per iniuriam contraxerunt, quàm qui minora debent. Secundum detrimenti genus est lucrum quod debitori cessabit si rem soluat. Et re vera neq; hoc excusat quominùs illicò sit facienda restitutio. Nam nemo ius habet lucrandi aliena pecunia inuito domino. Tertius ergo detrimētorum ordo est damnum emergens: nempe si qui centum debet, restituere non potest quin plurium insuper dispendium faciat: quin scilicet merces vilissimo pretio intempestiuè distrahat: aut domum fundùmve vendat vnde viuit: idq; cum maiori iactura quàm sit ęs quod alteri debet. Atque hoc est, ratione cuius, si quando licitum est, differre licet restitutionem. Et ratio inquit Scot. est, quia dominus malle debet ingens dānū debitori cauere, q̄ vt sibi debitum restituat. At verò hęc causa non prorsus rem conuincit: quoniam nemo tenetur iuri suo cedere ad euitandum alterius damnum, nisi in extrema necessitate, aut tam graui vt deberet id quod habet porrigere: & ideo graue debitoris detrimentum non iure stringit creditorem solutionē expectare. Ratio ergo si vlla est prolatandi tunc restitutionem, aliunde sumenda est: inde videlicet quòd debitor pro illo temporis articulo non est simpliciter soluendo : quia moraliter, quod fieri nisi cum tāto detrimēto non potest, nō reputat possibile. ¶ Quin verò pluribus est vestienda circunstantijs tunc prorogatio, vt sit iusta. Animaduertenda enim in primis est acceptio, fuerit ne iniqua an iusta: nam si per latrocinium aut per vsuras, aliàsvè iniurias debitor ille in ære est alieno, profectò qualecunq; citra extremam necessitatem patiatur detrimentum, tenetur illicò restituere etiam si statum perdat. Hoc enim non est de suo statu cadere, imo in suū ab illo descendere qui non erat suus, Si autē per acceptionem iustam debita contraxit, tunc etiam existimādum est, qua via in paupertatem incidit: nam si citra suam culpam aliqua eū aduersa fortuna suis nudauit bonis, faciliùs indulgenda illi est restitutionis prorogatio. Atq; id demum etiam librandum, an creditor ferre dilationem possit, an verò etiam ipse inopia laboret. Nam citra extremam necessitatem melior est multò creditoris conditio quàm debitoris. ¶ Vnum hic autem silendum non arbitror, quod Syluest. verbo, restitutio. 5. §. 5. affirmat, quod, bona eius venia non crediderim. Ait enim inquam

Paludanus.

An liceat restitutionē differre.

Scotus.

Caieta. egregia distinctio.

Ratio protrahēdi restitutionem

Circūstātiæ huius prorogationis.

Syluester.

inquam quòd in huiusmodi arbitrandis casibus deferendum est cõfessario. Quod opinionem Directoris sequutus affirmat: videlicet si creditor non vult restitutionem expectare: & debitor induci non potest ad restituẽdum, statim tunc inquit sacerdos potest eum absoluere, si cautionem capiat, q̃ certo pòst tempore soluet. Et ratio inquit est, quia tunc vtiliter gerit creditoris negotium: nam si pœnitens non absolueretur, forsan ille nũ quàm debitum suum recuperaret. Et adducit. l. soluendo. ff. de nego. gest. & alias nescio quas. Attamen regula hæc quòd vtiliter geratur creditoris negotium, licèt in foro exteriori iuuet, tamen in cõscientia, nulla est. Sacerdos nanq; non est inter creditorem ac debitorem sequester, aut creditoris procurator: sed nomine Dei conscientiarum expurgator. Et ideo in hoc tãtùm debet esse intentus: vt secundùm causas & merita quæ modò explicabamus, perpendat an debitor sit soluendo necne: nam si soluendo est nullatenùs inuito creditore est absoluendus, nisi restituat. Quanuis periculũ immineat vt nunquàm sit restitutio facienda. Ipse enim pœnitens sibi viderit. Potest tamen accidere, vt satisfaciat, si per partes statis temporibus restituat. Quin verò, vice versa, in casibus implicatis & iure dubijs non est necesse vt semper pœnitens confessario auscultet, nisi doctrina polleat. ¶ Ex his ergo facilè colligas in quàm aperto versentur periculo, imo in quam manifestario iaceant peccato, qui restitutionem vsq; ad mortis articulum procrastinant. In primis enim hoc certum est q̃ quicunq; pro comperto habet se ære grauari alieno, & non habet propositum restituẽdi vsq; ad mortem, licèt firmissimum illud habeat tunc restituẽdi, aut restitutionem in testamento præcipiendi, perdurat in peccato mortali: neque est absolutionis beneficio donandus. Et ratio est; quia habita opportunitate: per nullum tempus licet retinere alienum inuito domino. Quare si subita fuerit morte correptus, qualis plurimùm eiusmodi hominibus accidere solet, in statu discedit damnationis. Et idem est censendum de illis qui ambigentes an id quod habent alteri debeant, nolunt superstite illis vita in iudicio decernere: sed satis ducunt si proponant in testamento id hæredi suo demãdare. Atq; idem omninò de illis iudicandum, qui sub mortis articulum, cùm ipsi per se possint restitutionem facere, id renuunt: arbitrantes satis esse id hæredibus iubere: quoniam illi re vera non habent syncerum & candidum animũ restituendi: nam qui tũc nõ restituũt indicium apertum perhibent, q̃ neq; si vixerint restituent: atq; adeò restituendi intẽtio non illis est nisi conditionalis, si moriantur: quæ profectò ad pœnitentiam non sufficit. Atq; hoc potissimùm periculum magnatibus imminet, quorum testamenta nunquã, aut vix vnquàm hęredes complent: sed satis se fecisse arbitrantur, vt quam restitutionem auus patri, & pater sibi testamento præcepit, eandem ipse, alijs recentibus onustam, si lio iubeat, quàm ipse postea committat nepoti. Nescio ergo an hîc sit legitimus illius verbi euangelij sensus: Impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum.

Director. *mpugna sylues.* *Procrastinãtes restitutionẽ in quãto versentur periculo.*

PRimum igitur argumentum satis solutũ est, vbi exposuimus præceptum restitutionis includere negationem: ratione cuius restitutio prorogari non potest. *Ad primũ argumentũ*

¶ Ac perinde soluitur tertium. Haud enim eodem modo præfinitur circunstantia temporis in restitutione, atque in alijs pręceptis affirmatiuis. *Ad tertiũ argumentũ*

¶ Secundum autem est quod nonnullas secum affert ambiguitates. Conceditur nanque ad impossibile neminem obligari: ideoq; qui nũc non potest, ius habet prorogandi: & qui nullatenùs potest, oĩnò est absolutus. Subdit autem diuus Tho. q̃ debet nihilo minùs debitor aut dilationem petere à creditore, aut omninò remissionem. Contra hoc autem statim se offert argumentum q̃ eiusmodi inops nullatenùs teneatur: nam impossibilitas eum in conscientia absoluit. Quare licèt creditor remittere abnuat, tamẽ ipse non tenetur ampliùs facere: su peruacanea ergo est illa postulandi ceremonia. Respondetur, diuum Thomam non sentire id esse necessarium quando impossibilitas est patens. At verò quoniam rarissimè est ita liquida, salûbre consilium est, vbi quidpiam dubitationis supereſt, illo vti remedio. *Adsecũdũ argumentũ* *S. Thomæ. Obiectio cõtra S. Tho.* *Dilutio.*

¶ Interrogas autem quænam cautela necessaria est, vt qui remissionem efflagitat, tutus in cõscientia maneat. Respondetur vnico breuissimo verbo. Ea prorsus, vt remissio sit verè libera: itaq; neq; requiritur vt sit liberrima, neq; sufficit si sit coacta. Cauẽdum ergo est nè vis intersit aut fraus. Si enim creditorem decipis, aut persuades minus debere, quàm debes, aut non tanta te æquitate in illa debita esse collapsum, aut maiori te multò egestate *Interrogatio.* *Solutio.*

ſtate comprimi quàm premeris, donatio nõ eſt libera. Aut ſi aliquid comminaris, niſi ti bi remittat: aut licet non commineris, id tamen ſubſignificas, pariter eſt coacta. Idque cauere quàm maximè debent magnates à ſubditis remiſsionem petentes. Cautio tamẽ illa quã aliqui ſcrupuloſi putãt eſſe neceſſãriam, vt ſcilicet debitor pecuniam priùs in poteſtatem creditoris tradat, nimia eſt. Nã præterquàm quòd rarò accidat vt debitor eam habeat, vt bene adnotauit Caieta. præſens aurum & oculos faſcinare ſolet, & animas ſubinde mutare. Penſandę ergo ſunt rei circunſtantię, vt remiſsio ſit libera.

Caietanus.

Dubitatio. ¶Poſtremum hic denique dubium eſt de hac impoſsibilitate: quando ſcilicet reſtitutio arbitrãda eſt impoſsibilis. Quod eſt quę rere, vtrùm debeat homo in quãcunque neceſsitatem citra extremã adigi vt reſtituat Nam quòd in extremam nemo ſit inijciendus, nõ eſt qui ambigat: quoniam (vt ſupra diximus) in tali neceſsitate omne debitũ ceſſat. Sunt autem qui aſtruãt, citra illam in quancunque eſſe debitori deſcendendum, vt ſoluat. Ita vt debeat etiam ille qui eſt nobilis manibus laborare: & ſi opùs eſt, etiam mendicare: Quia vt nemini citra extremam neceſsitatem fas eſt alienum rapere ita neq; alienum retinere. ¶Attamen quia hæc moralia ſunt, ciuili more ſunt arbitranda. Perſpiciendum inquãm in prin.is id quod nuperrimè dicebamus, quibus modis & artib⁹ fuerint debita conflata. Nam qui per iniuriam, videlicet per latrocinium & fraudes illa fecit, profectò ad inopiam redigendus eſt. Qui verò bona fide negotia contrectabat: neque ganeis & luſibus átq; immodicis põpis ſua dilapidauit bona, ſed reflante fortuna factus eſt non ſoluendo, non eſt ita rigidè cogandus. Neque ſi nobilis eſt manuales operas debet exercere, neq; mendicare: ſatis eſt vt viliùs viuat & abiectiùs, denique miſerè, atque omnem deponat pompam: nam etſi in tali neceſsitate non poſſet aliena rapere, non inde ſequitur vt nequeat particulam illius retinere: vt viuat, quod bona fide acquiſiuit. ¶Vltimum autem miſerorum remediũ, quod leges miſerabile ac flebile vocant, eſt bonis cedere. De quo ſciſcitatur quis forſan, vtrùm tuta conſcientia poſsit quiſque bonis cedere, idque à republica permitti, Ad hoc cum eâdem prorſus diſtinctione reſpõdendum eſt. Etenim qui negotiationes ſubdolè & vafrè vel ingrediuntur vel exercent, re vera non eſſent permittendi. Sunt enim qui cùm nihil in bonis habeãt, credito vndiq; corradunt, vnde fidem aliquam ſibi arrogent, & (quod ipſi vocãt) creditum. Neq; ea fraude contẽti, viuere lautè atque in dies lautiùs perſeuerant. Qua ratione æs alienũ ingens conflant, quo poſteà preſsi in ſacrũ aliquod ſe recipiunt. Hoc profecto peſtilentiſsimum eſt latrocinij genus: neq; eſſent iſti à republica ferendi (vt libr. 6. iterum dicturi ſumus) ſed ceu latrones plectendi. Qui autẽ bona fide negociantur, ſed calamitoſè ſunt in pauperiem reiecti, optima cõſcientia poſſunt legum beneficio vti, nè carceribus abſumantur: ob hoc enim beneficium inſtituta eſt ceremonia cedendi bonis, vt habetur l. 1. C. qui bon. ced. poſſ. Ac ſubinde poſſunt licitè illa retinere quæ ſibi leges permittunt: puta inſtrumẽta ſuæ artis, quotidianaque alimenta, & menſtrua, atq; annua: vt habetur. l. qui bonis. ff. eod. tit. Eſt enim habenda ratio nè egeant: vt ſanctè cauetur. l. in condemnatione. ff. de regu. iur. Quocirca bona etſi aliqua poſteà lucrentur, quæ quotidiano victui ſibi ſunt neceſſaria, retinere illa poſſunt: quandoquidem eadem lex: Qui bonis. iubet non eſſe illis vendenda. ¶Vtrùm verò veniẽs ad pinguiorem fortunam teneatur ſecundùm conſcientiam reſtituere, fortè dubitas. Apparet nanque per illam ignominiam, legi, ac ſubinde creditoribus ſatiſfeciſſe. At verò leges ipſæ eandem dubitationem abſtergunt, decernentes omnino tunc teneri: nam beneficium illud eatenùs (vt dictum eſt) illis ſuffragatur nè carceribus ſint intruſi. Vnde. l. 1. citata in. C. Qui bonis, inquit, ceſſerint, niſi ſolidum creditor receperit, nõ ſunt liberati. Et. l. cùm & filij. eod. tit. ſi quid pinguius poſteà eis acceſſerit, hoc iterũ vſq; ad modum debiti poteſt à creditoribus legitimo modo auelli. Idemque. l. is qui bonis. 2. ff. eod. titul. ſancitur.

Cedere bonis quando liceat.

Quãdo tenẽantur reſtituere quibonis ceſſerũt.

FINIS LIBRI QVARTI

DE IVSTITIA ET IVRE.

LIBER QVINTVS
De Iustitia & Iure.

PROOEMIVM.

EXpeditis libro quarto duorũ disputationibus, scilicet dominij ac restitutionis: quæ ad cõmutatiuam iustitiã, eiq; subin de contrariam iniustitiam cognoscendam viam cõmuniunt: iam nunc ex ordine de vitijs dicere aggredimur eiusdem iniustitiæ, Portò autem Aristo. 5. Ethic. cap. 2. humana cõmercia in duo partitus est: scilicet in ea quæ homines sua sponte faciunt, atque ea quæ ipsis inuitis fiunt. Et quoniam in hoc secundo cõmutationum genere plus multò inest iniustitiæ, cõgruit vt Quintus hic liber de huiusmodi vitijs, per quæ inuitis hominib⁹ iniuria eis fit, instituatur. Quẽ sextus ac subinde septimus subsequẽtur de iniustitia quæ in liberis spontaneisque contractibus vsu venire solet. Irrogatur autem homini iniuria quoties illi contra ius nocumentum infertur: idq; aut facto vel in perso nam suam, vel in sibi coniunctam, vel in res suas: aut denique verbo. Et quoniam bonorum omnium temporalium primum maximumque est vita, prima quæ interrogatur quæstio, est de homicidio.

Aristot. Bipertita humana cõmercia.

Ordo librorum.

Partitio libri.

QVAESTIO PRIMA
de homicidio.

Sanct. Thomas. 2. 2. quæst. 64.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm aliquod Viuentium quæ perfecta sunt occidere liceat.

S. Thomas.



QVONIAM diuus Tho. Peripatetico vbique more ab vniuersaliorib⁹ rem auspicatur in ingressu statim tractat⁹ de homicidio minimè ineptum ducit disputare vtrùm liceat brutas animantes interimere: perfectas scilicet: nam de his quę per corruptionem generãtur, quid opùs est meminisse? Haud enim desunt à parte negatiua argumenta. Horum autem primum est hoc. Vita est nobis cum cæteris animantib⁹ communis: quam ob causam commune pabulum nobis ipsisque initio statim Genes. Deus contulit: vbi ait, Ecce dedi vobis omnẽ herbam &c. vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terrę, omniq; volucri cœli: ergo & natura ipsa, & eius autor Deus, prohibuisse videntur cunctorum animalium occisionem. ¶ Secundò arguitur. Si illa fas esset occidere, vnus eorum vsus foret, vt nobis essent in cibum: hoc autem videtur crudelitatem quandam ac fœditatem animorũ arguere: vt scilicet carnibus, in quibus fuit anima viuens, vescamur: nam hac de causa fertur ante diluuium nõ fuisse talis vsus permissus: quia neque in principio Geneseos cõcessus alius esus legitur, quàm herbarum: ergo non omni culpa vacare videtur, animalia in talem vsum interficere. ¶ In contrarium est quod Gene. 9. ait Deus Noe: Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: in cibum autem nisi mactata venire non possunt.

Primum argumentum partis negatiuæ.

Secundũ argumentum

AD quęstionem hanc duabus conclusionibus, iuxta numerum argumẽtorum, respondetur. Prima. Licita est tum naturali iure, tum adeò concessione diuina animaliũ brutorum occisio. Conclusio primùm statim patet ratione, ordineq; naturæ, quẽ Aristote. 1. Politico. agnouit, vbi docuit inferiora creata fuisse propter ea quæ sunt perfectione præstantia: scilicet herbas propter animalia: reliquos verò fructus terræ, & animalia ipsa propter hominem. Nempe quæ & viuentia adiumento nobis sint, & mortua in cibum. Adde & in vestitum & in alios vsus. Seruiunt enim nobis & lana, & corio, & elaboratis ossibus, ac multis alijs quæ nobis sunt vsui. Vnde. 2. Ethi. docuit idem Philos. hominem esse finem omnium. Quapropter citata illa Genes. 9. diuina concessio, Omne quod

prima conclusio.

Aristot.

quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: perinde est explicatio naturalis iuris, atq; al tera Genes. 1. Ecce dedi vobis omnem herbã & vniuersa ligna fructifera vt sint vobis in escã: nam tam naturales cibi nostri sunt carnes, q̃ terrę fructus. Vsq; adeò hæc vera est cõclusio, vt sit etiam verissima, & fidei catholicæ confessio: cuius adeò contraria fuit Manichæorum hæresis, vt Augus. 1. de ciui. Dei, cap. 20, refert, & .6. contra Faustũ Manichęũ edisserit. Aiebant enim vesanii illi, animaliũ animas membra esse Dei. Et ideo impietatẽ esse carnibus earũ vesci. Ait ergo contrà Augustinus eodẽ. 1. de Ciuit. cap. 20. Nunquid cùm audiuimus, Nõ occides, virgultũ vellere nefas ducimus? & Manichęorũ errori insanissimè acquiescimus? Et infrà: Non illud accipimus de frutetis, neq; de irrationalibus animalibus. Nam iustissima ordinatione creatoris, & vita, & mors eorũ nostris vsib⁹ subditur. Hæresis ergo hæc loco citato, Gene. 9. cõdemnatur: Omne quod mouetur erit vobis in cibum. Atqui erat iam tẽpore Apostolorũ oborta. Illos enim Paulus. 1. ad Timot. 4. vetare aiebat, abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiẽdum cum gratiarũ actione. Et actu. 10. Petro formidãti animalia comedere quæ ostensa illi fuerunt in linteo, responsum cœlitùs est, Quod Deus purificauit, tu commune nè dixeris. De hac igitur conclusione nemini dubitare licet. ¶Hoc autem in quæstionem acciri potest, vtrum ante diluuiũ fuerit esus carnium in vsu. Videtur nanque pars negatiua ex loco illo Genesis. 9. colligi. Cùm enim tunc Noe è diluuio emergenti Deus in alimoniam indulserit omne quod mouetur & viuit, grande argumentum est anteà nondum id fuisse concessum. Eò vel maximè quòd Genesis. 1. solas herbas legimus, & terræ nascenti a pariter hominibus ac iumentis concessa. Mox accedit coniectura ex eodem cap. 9. Nam post citata verba continuò subditur: Quasi holera virentia tradidi vobis omnia. Ac si dixisset, Et si hactenus nõ nisi holera vobis in escam permiserim, iam hinc perinde atque indulta holera, trado vobis animãtia in edulium. Accedit insuper & subiunctũ verbum, Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis. Enimuerò si anteâ in more erat carnium victus, aut illas cum sanguine deuorabãt, aut secùs. Si prius dederis, respondeq; quæso cur non illucusque horridum illud facinus fuerit per mille sexcentos annos prohibitum? Si autem posterius concesseris: quid rogo tunc demum monito opùs erat? Fit ergo coniectura quòd anteà nullus erat vsus carnium: ob idque tunc primũ indulto docuit Deus homines quẽadmodùm eis sine sanguine, hoc est elixis vel assis vterentur: non crudis, vt feræ. Fuit enim & gentibus Pythagorico dogmate im butis solenne â sanguine abstinere: eò quod animarum sedem arbitrabantur: semperq; & vniuersis mortalibus horror fuit sanguinẽ sorbere. Arguitur deinde ratione, Nam ante diluuium virtus in herbis vigebat ad alenda, vegetandaq́ue, & irroboranda mortalium corpora: quia nõdum erat terra alluuione illa stagnata: tunc ergo non erat carnium vsus necessarius, vt posteà. Atque hæc apparet ratio quare tunc temporis fuerint concessæ, sicuti & vinum: quia neque herbæ, neque aquæ pristinum vigorem retinebant, & humana corpora languere cœperãt, & in vitam breuiorem ire. Quare de illo omnium primo sæculo ait Naso,

Contentiq; cibis nullo cogente creatis.

¶Præterea esus carnium præ se antiquis ferre videbatur nescio quam animi crudelitatem ac feritatem. Vnde idem Poëta libr. 15. eiusdem Metamor.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges, &c. Et infrà,
Carne ferę sedant ieiunia: nec tñ omnes:
Quipqe equus & pecudes, armentaq́; gramine viuunt. Et inferiùs,
Heu quantum scelus est in viscere viscera condi!
Congestoq́ue auidum pingue scere corpore corpus!
Alteriusq́; animãtẽ animãtis viuere letho!

Communis ergo ferè opinio est, ante diluuium nullarum fuisse vsum carnium in cibis. Tametsi sanctus Thomas. 1. 2. quæst. 102. articu. 6. cunctabundus dixerit. Videtur esus carnium post diluuium introductus. Nicolaus verò Lyranus Genesis. 9. incunctanter id asserit. Sed Abulensis, Genesis. 1. non id tantùm, sed insinuat in super prohibitum fuisse tunc tale nutrimentum. Ait enim deum taxasse omnibus herbas in cibum. Caieta. verò eodem loco Gen. 9. mediũ se interponit dicens, neq; fuisse prohibitum carnibus vesci, neque tamen fuisse in vsu. ¶Ego tamen mihi (vt sub aliorum censura id asseruerim) suadere videor hãc, q̃ sit huius articuli

Manichæi. Augustin⁹ *Vesania Manichæorum.* *Augustin⁹* *Paulus.* *Dubitatio.* *Pythagorici* *Ouidius.* *D. Thomas.* *Lyranus.* *Abulensis.* *Caietanus.* *Sẽtẽtia auctoris qua dissoluitur dubium.*

Secunda cõ clusio. articuli secunda conclusio. Ante diluuium non solum non fuit prohibitum carnes edere, verùm est valde probabile illas post naturam lapsam illicò inter humanos cibos vsurpatas. Diuus enim Tho. neq; de prohibitione meminit, neq; asseuerãter vsum negauit Dixerim autẽ, post naturam lapsam: Nam in statu innocentium facilimum creditu est ꝙ quantóuis sæculo durasset, nũquàm vsurpatæ fuissent carnes in escam. Et ratio est ꝙ fructus paradisi fuissent tum affluentissimi tum & virtute solidissimi ad nutriendos, vegetandosque homines. Et cùm in illa fœlicitate nullus esset vitiatę affectionis locus: nullus vteretur superfluis: sed fuissent necessarijs contenti. Atq; eò præsertim quòd esus ligni vitæ eos valebat incolumes seruare, vt

Probatio cõ clusionis. possent non mori. ¶ Verũ tamẽ de statu naturæ corruptę probatur nostra conclusio. Esus carnium est vitæ humanæ post naturæ lapsum eius q̃; incolumitati quàm maximè naturalis: adeò vt Medici nihil salubrius in cibis ponãt, tam ad vonam valetudinem q̃ ad virium robur: hanc autem naturam statim à sua conditione carnes habuerunt. Arguitur ergo. Si mortales illi nunquàm carnes degustârunt, aut hoc fuit quia fuerant illis interdictæ: aut quia earum salubritas & sapor nunquàm eis fuerãt cognita aut quia non erant necessariæ. Prohibitio autem nulla scripta legitur, neq; ratione naturali doceri poterat: imò (vt iam dicebam) contrariũ natura docet. Quòd autem earum naturam ad cibum accommodatissimã in mille sexcẽtis annis nunquàm speculando agnouerint neq; experiendo deprehenderint, nullatenꝰ fit credibile: tantoq̃; minùs quanto illas gentes circa ortum humani generis credibile est ingenio & sagacitate præ suis posteris valuisse. Si dicas non fuisse talem cibum necessarium propter fructuum radicumq̃; abundãtiam, virtutem ac salubritatem: hoc satis euincere concedam ꝙ si status innocenciæ durasset, nũquã in vsu fuissent, propter humanam tunc frugalitatem ac modestiam. Attamen vitiata natura, nullum est argumẽtum, quòd si carnes non erant necessariæ, ideo non essent in vsu. Corruperat enim omnis caro viam suam. Quapropter cùm homines illi ad malum proni peioribus se voluptatibus immergerent, fit impendiò probabile & talibus etiam escis, atq; eduliorum delitijs ac lautitijs sese dedisse. Et maximè propè ante diluuium, quando (vt ait lib. 1. antiquitatum Iosephus) nulli parcebatur vitio aut flagitio. ¶ Mox arguitur. Cuncta animalia facta sunt propter hominem: sunt autem complura quę non aliter illis hominibus vsui esse poterant, quàm comesta: velut sunt pisces, perdices, gallinę, & alia id genus, Præsertim quòd venatio (vt ait. 1. Politicor. Aristo.) naturalis est homini: atq; adeò agrestibus illis hominibus non dubiũ, quin fuerit in vsu. ¶ Tertiò arguitur. Offerebantur tunc Deo animalium sacrificia, vt de Abel legitur: quam ob causam Noe dicitur clausisse in Arca de animalibus mundis septena & septena: sacrificia autem non fiebant de rebus inanibus, & que non possent sacerdotibus vsui esse: ergo sumebantur in cibum. Ecquid enim laudis commeruisset Abel ꝙ opima & pinguia gregis sui Deo litasset, si tantùm pelles & lana in rem essent sacerdotum, non autẽ carnes? Prætereà credibile est vsos illos homines fuisse lacte: cur ergo non carnibus? Iam cùm tot animalium corpora in dies pellibus nudassent vt corio induerẽtur & lana, non est credibile, carnes canibꝰ ac volucribus proiecisse. Imò fit maximè verisimile, igni tandem vt gustarent admouisse: nam & panẽ & herbaceos cibos igne apparabant. ¶ Neq; verò ad locum Genes. 9. respondere operosum est: imò dicendum ꝙ cùm Gene. 1. herbæ tantum modò declaratę à Deo fuissent in cibum propter ligna paradisi, in quo hominẽ Deus collocauerat, quæ illi statui affatim sufficiebãt: & post natura vitiata humanum genus naturali iure carnes adhibuisset in cibum: & fortè prope diluuium eò hominum feritas euaserat, vt crudis carnibus cum sanguine vterentur: Deus à diluuij periculo emersis concesit, tanquàm naturale ius, vt pisces & carnes ederent, excepto sanguine: hoc est vt non crudas, sed igne paratas intelligerent in cibum humanum cedere. Ob idq; Hebręi plus nimio carnes sanguine euacuabant. Et ideo horror illis erat vel in farciminibus vel in ferculis sanguinem gustare, quod gentibus erat in vsu. Atque eapropter in eorum gratiam, Actuum. 15. indicta abstinenentia fuit à suffocato & sanguine.

Aristot.

Ad primã argumentũ

ARgumenta verò in contrarium facilimę solutionis sunt. Ad primũ enim respondeur, ꝙ etsi vita nobis cum cæteris animãtibus cõmunis sit: non tamen æquo iure: sed sua est propter nostram. & ideo neque qui

suam

ſuam occidit pecudem vlli facit iniuriã neq; qui occidit alienam, vllam irrogat pecudi, ſed poſſeſſori: neq; Deus pecora paſcit niſi propter nos. ¶Ad ſecundum verò ſatis reſponſum eſt, neq; vllam eſſe feritatẽ aut crudelitatem carnibus veſci: tametſi illa Poẽtæ ingenij gratia decatarent. At Manichæi erãt quos Auguſt. libr. 6. contra Fauſtum cucurbitarum homicidas appellat: eò quòd arbitrabantur nefas eſſe mortificare viuentia.

Ad ſecũdũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm liceat maleficos occidere.

A Brutis pecoribus, primus gradus in hoc articulo ſecundo fit ad improbos homines, qui à ſua degenerantes, in iumentorum naturam, Dauidis teſtimonio deſciſcũt. Quæritur ergo an illos liceat â viuentium cœtu morte reſecare. Videtur enim nefas, hominem, quantunuis ſceleroſum vita multare. Exempla enim Chriſti amplectenda nobis ſunt: prohibuit autẽ Apoſtolos, vt Matthæ. 13. legitur, extirpare zizania: hoc eſt filios nequam: nè vnà conuelleretur & triticum: ergo id nobis præceptum putandum eſt. ¶Secundò. Deus (vt Ezechielis ore ipſe teſtatur) nõ vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat: ergo eius exẽplo neminem peccantium debemus extinguere: ſed ad pœnitentiam animare: tunc præcipuè dum conſtat ſupplicium illi periculum creare perditionis æternæ. ¶Accedit tertio loco, q̃ id quod genere ſuo malum eſt, nulla de cauſa, vti ait. 2. Ethico. Ariſt. fieri poteſt bene. Vnde Auguſtinus in lib. contra mendacium, probat ipſum nunquàm eſſe licitum: occidere autem hominem per ſe eſt malũ: adeò vt ſicut libr. 2. diximus, ſit omninò indiſpenſabile: ergo nunquã eſt licitum. Eò vel maximè q̃ Chriſtiana charitas non ſolùm ad amicos, verùm & ad inimicos & malos protenditur. ¶In contrarium autem eſt citatum illud Exod. 2. Maleficos non patieris viuere. Et Exo. 21. Si quis per iniuriã occiderit proximum ſuũ & per inſidias ab altari meo euelles eum, vt moriatur: quod citatur in. c. 1. de homici.

Primum argumentũ. partis negatiuæ.

Secundũ argumẽtum.

Tertium argumentũ. Ariſtot. Auguſtinꝰ

Scrupus. Dilutio.

QVæſtio præſens alicui fortè poſtulaſſe videatur vt de prohibitione homicidij ſtatim in fronte diceretur, At verò animaduertere oportet hic nõ de iuſtitiæ præceptis initi tractatũ: is nãq; libr. 2. vbi Decalogũ interpretabamur abſolutus eſt: ſed agimus de contrarijs iniuſtitiæ vitijs. Ad quæſtionem ergo citra cõtrouerſiã reſpõdetur affirmatiua concluſione. Iuſtum eſt malefactores interficere. Cuius rationẽ pulchrè diuus Thomas ex ſuperiori articulo deduxit. Definitũ quippe eſt ob id animalia brutalicitè mactari, q̃ in noſtrũ vſum ordinata ſunt: ſicuti imperfectius propter id quod perfectius eſt. Pari ergo iure cùm omnis pars à natura facta ſit propter totum corpus, atq; adeò vbi ſaluti hominis neceſſarium eſt membrum putridum reſecatur, nè contagione cætera, ac demum totum perdat: ſinguli autem ciuium totius ſint reipublicæ partes: conſequens fit vt vbi incolumitati reipublicæ expediuerit, ius eadem ipſa habeat ciuẽ morte reſecandi, nè totam inficiat. Nam vt ait. 1. Corint. Paulus, Fermentum modicum totã maſſam corrumpit. ¶At verò hoc occurrere cuique poteſt argumentum contra hanc veridicam aſſertionem. Prohibitio hæc, Nõ occides, eſt diuina, eadẽq; generalis, quę cunctos mortales nemine excepto occidere vetat: nemini autẽ inferiorũ facultas ſuppetit diſpenſandi in lege ſuperioris: ergo nullo humano iure cõſtitui poteſt vt homo quantũuis peccator occidat. Hoc argumẽto Scotus in. 4. d. 15. q. 3. perſuaſus, quatuor aſſeruit. Primũ. Illud præceptũ eſſe generale. Nam Exo. 20. abſolutè ponitur. Et Matt. 5. ſub eâdẽ forma refertur, Non occides. Secũdò ex hoc infert q̃ nullũ nocentium hominẽ priuata publicáve autoritate interficere licet, niſi in caſib⁹ veteri lege exceptis à Deo. Neq; verò lex humana vllũ poteſt aliud crimẽ morte vlciſci. Illud probat eodẽ argumento. Nam cum hoc ſit præceptum diuinum, nulli poſſunt homines ſuper eo diſpenſare. Tertiò infert non eſſe licitum furem interficere diurnum: ſcilicet illum q̃ui latenter furatur. Hoc probat: quia vt patet Exod. 21. vbi denarrantur crimina & ſcelera quæ erant capite plectenda caſus iſte non connumeratur: quin verò cap. ſtatim. 22. exprimitur vt nocturnus fur in flagranti delicto captus morte opprimatur: diurnus verò minimè. Et bullã, inquit, ſuper hac exceptione nullam audiuimus. Quartò demũ infert, q̃ neq; inter Chriſtianos adulteram interficere fas eſt: quoniam licèt olim, Leuitic. 20. id præcipiebatur, tamen Ioannis. 8. Chriſtus idem præceptum

Concluſio vnica.

Ratio concluſionis. S. Thom.

Paulus. Obiectio.

Scotꝰ lapſus eſt in explanatione huius præcepti Nõ occides.

reuocauit: vbi adulteram impunitam dimisit. Quare secundùm Scotum, leges quæ cõtrarium præcipiũt non sunt iustæ. ¶ At verò salua exiſtimatione celeberrimi autoris, ex falso fundamento non potuit nõ falsas elicere concluſiones. Falsum inquam est, præceptum illud, Non occides, ea esse generalitate intelligẽdum, vt cunctas in vniuersum hominũ occisiones cõprehendat. Primũ enim inuasorẽ inculpata tutela trãsfigere, nullat enùs illo præcepto prohibetur, aliâs cũ in lege veteri nõ sit exceptum, secũdum eius regulam nõ esset licitũ. Neq; legitima est respõsio, q̃ inuasus non intendit alium occidere, sed se defendere. Nam etsi ita sit q̃ superior finis sit defensio, nihilominus tanq̃ mediũ sumitur aggressorẽ occidere: potest nãq; qui se defendit hostis iugulum recta intentione petere. Neque rursus solida est aliorũ respõsio, q̃ ille non occidit priuata autoritate, sed publica aut diuina: quoniam profectò non alio, sed eo priuato iure quo quis potest ad seruandam vitam comedere, potest aggressorem interimere. Vnde qui ait publica autoritate occidi inuasorem, deberet dicere, publica etiam hominem comedere. ¶ Secundò arguitur cõtra id quod secundò infert: nempe non licêre reipublicæ alios occidere quã qui lege veteri excepti sunt. Primum enim si præceptum illud, Non occides, adeò erat generale, nõ erat cur Deus in tot casibus super illo dispensaret. Imò verò cùm præceptũ esset decalogi, idq; negatiuũ, neq; Deus potuit in illo dispensare, vt lib. 2. ostẽdebamus. ¶ Mox arguitur. Aut præcepta illa occidẽdi malefactores, legalia erant, aut naturalia: si legalia, prorsus cessarunt: quare neque liceret modò homicidas occidere: neq; aliorum vllum qui illic capitali supplicio subditur. Si autem fuerunt, vt verè fuerunt, naturalis iuris interpretamenta: ergo lumine ipso naturali illi casus excepti erant ab illo præcepto, Non occides: vel potiùs non erant illo comprehensi. ¶ Et confirmatur ratione, ad quam mirandum est Scotum non animaduertisse. Ante legẽ scriptam respublicæ gentium scelera iure & merito, capitis supplicio vlciscebãtur: & tamen id non faciebant: quia excepti illi casus essent à lege scripta, quæ nondum erat. Imò verò seculo illo legis scriptę illa non tenebantur: & nihilo minùs cædibus autoritate publica vindicabant scelera, idq; iustissimè: ergo ratio quare id reipublicæ licet non est exceptio scriptæ legis, sed ius ipsum naturæ. Id quod manifestissima demum ratione hac patefit. Tam naturale est vt nocentes homines & in rempublicam pestilentes rescindantur, quàm quòd non occidantur innocentes: ergo potestas hæc reipublicę non pendet ex illa exceptione legis antiquæ, sed iure sibi naturæ conceditur. ¶ Ad hæc si respublica modò ciuilis facultatem nõ haberet naturalem alios interficiendi malefactores quàm eos qui lege veteri excepti erant, neque liceret illos alijs excogitatis mortibus interimere, neque alios vllo corporali supplicio afficere, puta fures flagellis cædere: neque alia enormia delicta mortis comminatione prohibere: consequens tamen absurdissimũ est, & contra tenorem Legis, capitalium. ff. de pœnis. vbi incendiarijs atque alijs pœna capitis decernitur: & parricidæ in dolium occlusi submerguntur: & hæretici exuruntur: & læsores maiestatis meritissimò dilaniantur: & alij flagellis vapulant: atque alij in exilium relegantur: quæ tamen pœnæ illic non erant positæ. ¶ Igitur nè rei explicationem diutiùs prolatemus, præceptum hoc, Non occides, sicuti cuncta Decalogi, vt libr. 2. ostensum est, id quod neque Scotus negare potest, præceptum est iuris naturalis: ex illo scilicet principio elicitum, Id nè facias alijs, &c. Quocircà legitimum eius sensum, ratio nos naturalis docet: atque adeò eousque generale est quousque natura vitam vult humanam seruare. Quo autem casu ratio naturalis hominis occisionem, aut iubet, aut permittit, idem casus eodem præcepto non comprehenditur. Ex quo fit vt aggressoris interfectio non sit eiusdem præcepti exceptio: quia neque tale homicidium vetitum à natura est, neque subinde vetari potuit. Atque eâdem, imò æquiori ratione, neque malefactorum extinctio quæ publica fit authoritate, exceptio est eiusdem præcepti: quoniam neque illo fuit vnquàm comprehensa. Imò ipsa eadem natura nihilo minùs id iubet: quàm innocentium sospitatem. Quo enim se quisq; iure tueri potest cùm hostis internicie, & quo potest sibi mẽbrum amputare vt ipse sit sospes, potest respublica se incolumem per ciuis necem seruare. ¶ Sequitur subinde secundò, casus illos antiquæ legis non omnes fuisse merè legales: sed interpretatiões iuris naturæ. Tam etsi ingenio illius gentis congruens fuerit vt

Impugnat Scotus.

Calligatin hac re Scotus nimis.

Explicatio elegantissima illi⁹ præcepti, Nõ occides.

vt aliqua tunc adhiberentur acerbiora legalia: vt fuit talionis pœna, & lapidationis adulteræ, atque alia id genus quæ non in tota Christiana familia perdurant.

Pœna ratio nis.

¶Sequitur tertiò quòd præter illa supplicia potuit semper, potestque quisque princeps iusta ratione doctus, leges nouas facere mortis infligitiuas: quoniam illud præceptum, Non occides, manus reipublicæ, quatenùs ratione ducitur, non alligat. De tertio Sco. asserto, scilicet an liceat fures occidere, commodiùs quæstio. 3. disputabimus sub titulo de furto. ¶Quartum verò quod de adultera asserit, nempe Christum reuocasse legem illius occidendæ, nescio qua consequentia potest ex Euangelio colligi. Redemptor enim illic non induit iudicis personã: imò negare visus est sibi, quatenùs homini, illud competere sæculare iudicium: sed tanquàm minister ac rex regni cœlorum admonitos illos curauit accusatores vt si in aliquo essent crimine, resipiscerẽt: intelligentes cuiusq; iudiciũ à seipso inchoãdum esse. Hoc enim erat institutum regis regni cœlorum: non autem sæculares causas iudicare. De adultera verò iterum articulo proximo. ¶Per hæc demum aliorum opinio secũda recutitur: Sunt enim qui contra Scotum in alterum extremum impingunt. Aiunt enim dictum præceptum non solùm non esse generale, sed hoc modo particulare, Non occides innocentem. Nam licèt Exod. 22. absolutè positum sit, tamen statim cap. 23. subditur: Insontem & iustum nõ occides. At verò neque hic modus dicendi tutus est: quoniam & qui priuata autoritate sontem hominem & iniquum occidit, cõtra idem præceptum peccat, vt articulo proximo patebit. Imò & autoritas publica si eundem prætermisso ordine iuris occidat, similiter contra idem ipsum peccat. Igitur nullis opùs est moderaminibus illum præceptũ onerare: quia si opùs illis fuisset, in Decalogo fuissent expressa. Neque oportet sub illa forma explicare, Non occides, nisi vbi causa fuerit iusta. Nam hæc forma quædam appareret petitio principij: sed absolutè est intelligendum vt iacet: attamen quatenùs ratio id naturalis explicat. Similem enim effigiem præfert totus Decalogus, Nolite iurare omninò: & tamen subintelligitur nisi ratio naturalis contrarium exegerit. Et pariter interpretabimur illud, Non furtum facies. Et hoc est quod docet diuus Thomas. 1.2. quæstio. 100. articu. 8. vbi ait, homicidium quod in Decalogo prohibetur habere rationem indebiti. Neque hæc est petitio principij. Est enim sensus q̃ prohibetur id quod iure naturæ indebitum est: nempe id quod genere suo est malum: sed nihilo minùs ex causa vsu venire potest vt sit bonum. Causæ verò explicandę sunt dum quis inculpata tutela se defendit, & quando iudex lege ait in malefactorem. Vn de cum homicidium rem dicat intrinsecè malam, illæ hominum occisiones non sunt nuncupandæ homicidia.

Sensus præceptorũ negatiuorum Decalogi.

D. Thomas.

REstat nihilo minùs argumenta diluere quæ non sunt prorsus ambiguitate vacua. Ad primum quidem respondet sanctus Thom. cum sanctis interpretibus. Quorum prima solutio est, quòd vbi improbi absq; proborũ periculo interfici nequeunt, abstinendum est. Id autem dupliciter vsu venire potest, Primò si praui adeò sunt cum iustis commixti vt dignosci nequeant. Quare si constaret in ciuitate maiorem eius partem hæresi esse infectam, non liceret ad puniendum crimen totam incendere. Secùs in aggressu hostilis vrbis: tunc enim licèt sulphuris iactibus illam petere cum innocentum periculo. Secundò, si puniri non possunt nocentes sine grandi commotione innocentum, qui scilicet sanguine vel alia necessitudine illis sunt coniuncti. Atque hæc est Augustini expositio contra Parmenianũ. Quin verò aliud nobis documentum dedit Redemptor, vt potiùs sit propter bonos parcendum malis vti angeli pollicebantur Abrahæ, vt si decem iustos Sodomis inuenirent, toti ignoscerent genti: quàm propter malos bonis incommodandum. Tametsi prudenter regula hæc ad humanam facultatem accommodanda est, Humanus enim princeps non tam absoluta viget authoritate quam Deus. Ille enim omnia ad postremum iudicium reseruat: principi autem non licet quacunque de causa delictoribus parcere. Hoc enim in clades reipublicæ cederet. Qua propter quanuis multi scandalum accipiant, nihilo minùs si id commodè exequi potest non debet à malorum punitione cessare. Hanc enim ob causam vti ait Paulus, gladium portat, vt tumultus ac seditiones exequutioni iustitiæ obsistentes placare possit: & vbi opùs fuerint, etiam conterere. ¶Ac pa-

Ad primũ argumentũ S. Thomæ.

Augustinus.

Paulus.

Ad secũdũ argumentũ

riformi modo respondetur ad secundum. Deus nanque arcanorum cordium scrutator atque humanæ salutis auidus, longanimi expectatione, vt ait Paulus, malos adducit ad pœnitentiam: idque consulit sanctus Thom. & humanam iustitiam pro posse imitari debere. Ait tamen, pro posse, quãdo peccata non sunt publica, atque in aliorum perniciem vergentia. Nam aliàs, vt diximus, non habet tam amplam facultatem quàm Deus. Quod dixerim ad obuiandum vulgarium interrogationi. Dubitare nanque quis posset, vtrùm dum iudex aut princeps indicijs conijcit, si reum supplicio afficiat, perditum eum ire in infernum: si autem ei ignoscat mentem mutaturum progressurumque adeò per viam salutis, debeat ei parcere: hoc enim ratio eò suadere videtur quòd vita corporalis in spiritualem est semper ordine charitatis referenda: cuius vtique charitatis, iustitia non est inimica. Respondetur primò quòd iudices, quatenùs leges ferunt, multò esse debent in clementiam propensiores, quàm in rigorem iustitiæ. Nihilo minùs tamen quanuis per reuelationem etiam constaret, supplicium reo causam esse damnationis æternę, non est illi indulgendum. Alioqui facile cuicunque esset illa vti vafricie, vt se impœnitẽtem fingeret. Et ratio est quòd punitio publica non refertur in emendam neque in bonũ ipsius qui punitur, sed in bonum publicum, vt alij terreantur: & quoniam bonum publicum præstantius est particulari, ordine charitatis prę illo diligendum est: nam & ista via etiam consulitur saluti spirituali reipublicæ. ¶ Ad tertium denique respondetur, quòd hominem occidere non est eo modo intrinsecè malum, vt mendacium: puta ita generale: sed quando est contra naturam: tunc autem est contra naturam quando homo dignitatem suam seruat: hoc est secundùm rationem viuit: per hoc enim est liber ac propter seipsum existens: quando autem inde decidit, tunc in vilitatem seruitutemq; brutorum animalium degenerat: secundùm illud Psalmi, Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis. &c. Ob idq; perinde atq; brutum licet eum occidere. Est enim corruptus homo, vt. 7. Polit. & 1. Ethi. ait Arist. tanto fera bestia peior ac nocentior, quanto per ingenium & voluntatem pluribus abundat nocendi modis.

Paulus.

S. Thomas.

Cauillum vulgarium tollitur.

Punitio in bonũ publicũ ordinat.

Ad tertiũ argumẽtũ.

Arist. Homo improbus fera bestia peior

ARTICVLVS. III.

Vtrùm scelerosum hominem vnicuilibet priuato occidere liceat.

HAVD satis est definijsse licitũ esse homines nequam interficere, nisi & modũ exploremus nẽpe an id cuiq; liceat priuato ciui. Arguit em̃ primũ à parte affirmatiua, ex illo Mosaico mãdato, Exod. 32. Vnusquisq; fratrẽ suum amicũ & proximum occidat. ¶ Secũdò arguit ex eo q̃ articulo proximo corruptũ hominem ac perditum cum bestiis conferebamus: sylueſtrem autem bestiam, ac prę sertim si nocua sit, vnicuiq; liberum est occidere: pari ergo ratione & brutum hominem. ¶ Tertiò, laude dignum est vt homo id etiam priuatim faciat, quod in commune cõmodum est: occisio autem malefactorum vtilis est reipublicæ: ergo illa etiam si priuatim fiat, iusta est & sancta. ¶ Contrà stant illa verba Augustini. 1. de Ciuit. Dei: Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur. Et tanto ampliùs, quanto sibi potestatem à Deo non concessam vsurpare non timuit.

Primum argumentũ partis affirmatiuæ.

Secundũ argumẽtum.

Tertium argumentũ.

Augustinus

QVæstio facilis est, quę hac vna negatiua conclusione dissoluitur. Soli reipublicæ, principiq;, ac publico magistratui licitũ est maleficos occidere. Conclusio in primis elicit̃ ex verbis Pauli ad Ro. 13. vbi solũ publicũ iudicẽ appellat in hoc Dei ministrũ, atque eâdẽ causa gladium portare, vt vindex in irã sit ei qui malũ egerit. Et probat̃ ratione. Nocẽtium hominum interfectio non est per se bona, sed quatenus in bonũ publicũ refertur ergo illi præcisè incumbit, cui cura cõmissa est & custodia cõmunis boni: quẽadmodum amputatio mẽbri, quæ proficua est corpori, medico precisè incumbit: cui cura infirmi demandat̃, vt iudicio secundũ medicas leges id fiat. Cũ ergo cura communis boni solis principib⁹ eiusq; ministris sit cõmissa, nisi vbi se respublica per seipsam regit, fit vt illis tantùm id competat, maleficos occidere. ¶ Hic primùm omniũ accuratiùs meditanda est ratio cur nulli priuatim fas sit alterum occidere, neq; in vindictam sui ipsius, vt vulgaribus respõdeamus qui vix id sibi persuadere possunt. Audies enim passim non solũ blatero-

Conclusio vnica.

nes

nes quosdã, verùm & ingenuos alios tãtum suo protegendi honori tribuentes, vt iniustũ arbitrẽtur cohibitos esse hoïes proprias vindicare iniurias. Memini cuiusdam hanc audiisse blasphemiã, Neq; id Deũ prohibere posse. Cùm tamẽ etsi Deus id non prohibuisset, ipsissimũ naturę ius vetaret. Imò diuina prohibitio explicatio est naturalis iuris. Et ratio est in promptu. Si enim eidẽ ipsi qui iniuriam passus est, vindictam natura commisisset, nemo non se vltra iustũ vindicasset. Dolor enim illatæ iniuriæ & rationẽ obnubilat, & affectum in rabiem inflãmat, atq; adeò nemo se q̃ iustè deberet, sed q̃ posset maximè vindicaret. Documento nobis est manifesto pernicios⁹ abusus nobilium, qui honoris ceremonias tan superstitiose persequũtur, vt pro minima iniuria in mortem homines euocent. Igitur cùm præclarissima iustitiæ virtus non animo perturbato, sed integro iudicio mandari debeat executioni, iuxta illud diuinum oraculum Deute. 16. iustè quod iustum est exequêris: impendiò quàm maximè necessariũ fuit vt nõ pars læsa, sed cõmunis persona, omniq; affectione libera iniurias vlciscerẽt. Quin verò neq; hominibus id debuit prorsus concredi, vti Aristot. ait. 5. Ethic. cap. 6. sed rationi legibus instructæ. Qui hanc veridicam sententiam non plenè deprehenderit, non de re hac iudicet dum iniuria ipse affectus est, iracũdiaque illi dominatur: sed quando eãdem ipse alium affecit, & ratio libera est ad iudicandum. Tunc enim non iustum censebit vt hosti suo modus committatur vindictæ. Quam ob rem neque correptionis gratia, licet patribus aut dominis filios aut seruos vel occidere vel certè mutilare: vt quæstio. 3. dicturi sumus. ¶ At verò conclusione hac nihil obstante, dubia nihilo minùs existunt particularia. Primum de tyranno, an cuiuis ciuium liceat eum priuatim extinguere. Apparet enim id esse, natura magistra, legitimum. Nam vnicuique conceditur ius defendẽdi sese. De hoc diuus Thomas. 2. sententia. Distinctio. 44. quæstio. 2. articu. 2. & opus. 20. de regimi. princi. cap. 6. optimè. disserit. Summa autem disputationis secũdum quosdam eius interpretes, atque alios Doctores, hæc est. Bifariàm quempiam contingit esse tyrãnum, videlicet aut potẽtatus acquisitione, aut sola eiusdẽ administratione quem iustè adeptus fuit. At qui in hoc secundo casu communis consensus est neminiliçere ipsum priuatim interimere. Et ratio est quòd cum ius habeat ad regnum, non est illo nisi per publicum iudicium expoliãdus, vt scilicet audiatur. Lata verò in eum sententia, quisque potest institui executionis minister. Prætereà dum particulariter ciuem quempiam aggreditur, vt vel ipsum trucidet, vel sua rapiat, potest ciuis ille vim vi repellendo eum interimere: dũ tamen constãtissimũ sit esse tyrannũ. Nam si qui aliàs bonus est princeps, subito motu id semel inceptet: nõ perinde ac priuata persona periculo mortis obijciendus est. Igitur vt ad rem reuertamur, quando secũdo modo princeps tyrannidẽ exercet, tunc verũ habet illud monitum Petri, vt etiam dyscolis dominis obtẽperetur. Hæc enim, inquit, est gratia, si propter conscientiam Dei patiatur quis: tristitias patiens iniustitiæ. Quare si respublica superiorem habet, ille adeundus est vt remedio succurrat: sin verò, illa potest in ipsum coarmari. Dũ autem potẽs non est, tũc Deus est orãdus, in cuius manu cor Regis existit: quiq; & propter peccata populi sinit nõnunquàm hypocritam regnare. Atque in hoc casu intelligenda est sanctio Concilij Constantinen. sessio. 15. vbi tanquàm hæresis condemnatur eorum error qui affirmabant cuilibet licêre tyrannum occidere. Si verò tyrannide inuasam rempublicam obtinuit, neque vnquàm ipsa consensit, tunc quisque ius habet ipsum extinguẽdi: nam vim vi repellere licet: & quandiu ille rempublicam sic obtinet, perpetuum gerit in ipsam bellum. Adducitur exemplum de Aiod, Iud. 3. qui in viscera tyranni Eglon sicam abdidit. Eâdemq; ratione Tullius lib. de offic. quem diuus Thomas loco citata auscultat, interfectores Cæsaris laude cõmendat: quippe qui per tyrãnidem dominatum fuerat adeptus. Et pariter Decius Brutus commendatur, qui extincto Tarquinio Reges exegit. ¶ At verò etsi forsan summo rigore iuris hoc liceat, non tamen consilium est semper: nisi vbi respublica nulla alia patẽte via, tum in extrema sit necessitate, tum præcipuè in promptu habeat, vt illo extincto liberetur: quia aliàs huiusmodi interfectiones non solent prosperos habere successus. Imò interfectores quando id priuata antoritate exequuntur, peiùs pestilentiusque in rempublicam debaccari solent, quàm prior faciebat tyrannus. Qua ratione Anus illa Syracusana incolumem Dionysiũ opta-

Blasphemia hominis turpissimi.

Pernicios⁹ abus⁹ nobiliũ vindicãdi iniurias.

Aristot.

Dubia particularia.

Primum dubium.

S. Thom.

Tyrãnus duplex.

Bifida addubiũ respõsio.

Cõciliũ Cõstantien. explicatur.

Aiod.

Cicero.

S. Thomas.

Decius Brutus.

Limitatio huius opinionũ.

Anus Syracusana.

aptabat, nè sicut ipse durior alteri tyranno succesſerat, ita & immanior tertius illi succederet. Frequentiſsima ſunt paſsim ſcripta exempla. Et re vera hiſtoria Aiod parũ ad rem facit: tum quòd ille diuinitùs fuit ad illud facinus electus, tum quòd & à populo etiam fuerat ad id miſſus. Et prætereà non ſolùm tyrannus ille erat gubernator, ſed actu hoſtis. Qua ratione & Mutius Scæuola eatenùs laude dignus eſt quòd Porſenæ exitium aggreſſus fuit: licèt quòd flammis brachium admouerit, non fuit virtutis opus: ſed, vt ait Auguſtinus, inanis gloriæ cupiditas.

Mutius Scæuola.

AD primum igitur argumentũ cum Auguſtino. 1. de Ciuitat. Dei, reſpondetur: quæ etiam Dionyſij doctrina eſt. 11. cap. cœleſtis Hierar. quòd dum quis quidpiam per miniſterium, quod iubenti debet, facit, non ipſe propriè facit, ſed alter qui iubet. Et ideo cùm Moyſes legitimus eſſet loco Dei iudex ad vlciſcendam immanẽ illam idololatriam conflati vituli, & tanta eſſet facienda cædes, nempe vigintitrium milium, neceſſe habuit plures inſtituere executores miniſtros. Quare id quod ait, vnuſquiſque fratrem ſuum, &c. occidat, non eſt intelligendum quòd temerè ac promiſcuè vnuſquilibet quemlibet occideret: fuiſſet enim illa truculẽta Andabatarum pugna: ſed condemnatis illis qui fuerant in culpa numeroſam copiam miniſtrorum deſtinauit: quibus ideo neceſſe erat vt amicus amicum, & frater fratrem occideret. Præterquàm quòd fratres appellabantur, non ſolùm eodem parente geniti, ſed omnes eiuſdem populi. ¶Ex hac autem ſolutione dubium enaſcitur, vtrùm princeps poſsit quibuſcunque priuatis facultatem facere occidendi malefactores. Reſpondetur id non licêre, niſi certis moderaminibus. Primùm enim non poſſet generalem facultatem ciuibus facere, vt vnuſquiſque quem obuium haberet nocentem, abſque alia condemnatione interficeret. Eſt enim contra ius naturæ vt contra inauditam partem, indictaque cauſa, ſententia feratur: ſed quicũque quantumuis perniciosus, audiendus eſt, vt actuum. 25. habetur: ni forſan publicus eſſet reipublicæ inuaſor aut Regis: nam tunc liceret vnicuique vim in rempublicam illatam repellere. ¶Secundum aſſertum. Poſt latam ſententiam licet quoſque miniſtros inſtituere. Primùm in publicos latrones apertiſsimoſque reipublicæ hoſtes, qui alia via comprehendi nõ poſſunt. De quibus habetur cap. pro humani. de homicid. volũ. lib. 6. Et prętereà filijs & fratribus concedi ſolet miniſteriũ occidendi interfectorem patris aut fratris. Attamẽ hanc facultatẽ nõ valet inferior iudex concedere, ſed tantùm princeps. Imò neque id fieri paſsim debet, ſed quàm rariſsimè & in caſibus egregijs. Nam prætereà quã ꝙ eiuſmodi executores vix expurgare conſcientiã poſſunt odio atque iracundia, quare vt inſidias condẽnatis tendãt alia accumulant peccata, vſu ſæpe venit vt ſine ſacramentaria cõfeſsione occidantur. Quocircà profectò nõ omnibus ſatis probatur Venetorum mos qui cùm complures à patria exules habeant condemnatos, ſingulis facultatem faciunt, vt qui alium eorum interfecerit, vita ac libertate donetur. ¶Subſequitur & de viro qui vxorem in flagrãti adulterio enecat, de quo nemini aut Theologorum aut Iuriſprudentum in dubium cadit, quin contra prohibitionem homicidij moraliter peccet ratione iam dicta: quia nemo antequã iudicetur adiudicandus eſt morti, & eo caſu intelligẽdus venit Canon Nicolai Papæ. Interfectores. 33. q. 2. vbi eiuſmodi homines cenſentur homicidæ. At verò lege non puniuntur propter doloris grauitatẽ quem tunc ferre difficilimũ eſt: vt habetur. l. Gracchus. C. ad. l. Iuliã de adul. & l. Marito. ff. eo. tit. ¶Grauius autem dubium eſt, vtrùm marito liceat vxorem ſibi à iudice permiſſam occidere. Sunt enim qui hoc negãt, propterea quod permiſſio illa nõ eſt præceptum, quali cogitur carnifex ad executionem iuſtitiæ. Accedit citatus canõ, Interfectores. qui abſq; exceptione illos cenſet homicidas: & expreſsè canõ proximus, Inter hæc. explicat ꝙ quanquã liceat marito ſecundùm mundanam legem vxorem interficere, tamẽ ſancta eccleſia nõ ſtringitur eiſdem legibus: vbi gloſſa annuere videtur ꝙ ſemper eſt peccatũ. ¶Duplex autẽ hic implicatur quæſtio. Prior de lege, an ſit licita. Antiquitùs enim licebat patri filiam in adulterio captam interficere: vt patet. l. patri. & l. neque in ea. ff. ad. l. Iuliam de adulter. & l. caſtitati. C. eodem titulo. Poſteà verò mutata eſt lex, vt pater. C. eodem titul. in Auctẽ. ſed hodie. vt ſcilicet verberata in monaſterio occluderetur. Et iſta lex in vſu eſt nunc in Gallijs, & in alijs multis prouincijs reſpectu mariti: nam illa patris iam

Ad primũ argumentũ Auguſtini & Dionyſius.

Andabatæ.

Dubium ſecundum.

Solutio.

Venetorũ cõſuetudo non probatur.

Nicolaus.

Tertium dubium.

Duplexque quæſtio.

iam aboleuit ab vsu. Sed tamen lex Hispaniarũ sequitur antiquam: non quidem cum illo rigore vt adultera necessaria morte dãnetur, sed traditur marito cui facultas fit, si eã velit occidere. Et quòd lex sit iuste, non est cur dubitetur. Nam præterquàm quòd crimen id videtur mereri, profectò Hispanorum de hac re ingenio vix fieri aliter posset satis. Neque vt paulò anteà inter respondendum Scoto dicebamus, Christus illam legem reuocauit. Posterior verò sensus quæstionis est, vtrùm eâdem concessa marito libertate secũdùm conscientiã liceat ei id persequi: & re vera de hoc minor est dubitandi ratio. Nã etsi non instituatur vt necessarius minister iustitiæ, instituitur tamẽ liber: quare ius ei fit vt illam occidat. Quapropter licèt opus fuerit misericordiæ illi parcere, tamen iustitiam neque coram hominibus violat, neque coram Deo. Et est porrò efficax argumentum, quòd si marito citra peccatum non liceret eam iugulare, peccatum esset principi & iudici illam facultatem illi facere. Neque valet solutio si quis dicat, non illi permitti tunc vxoricidium, sed vt impunè id faciat: quoniã illo priuilegio iam fruebatur, etiam si absque iudicio in flagrãti delicto illam interficeret. Cùm ergo solẽni forma iudicij condemnata illi traditur, testimonium apertum est fieri illi ius occidendi ceu ministro iustitiæ. ¶ Ad secundum principale argumentum respondetur, quòd etsi homines à sua natura degeneres cum brutis conferantur, differunt tamen quòd bestiæ natura sua sunt tales: ideoque & syluestres quisque citra iniustitiam occidit, & domesticas citra ipsarum iniuriam, licèt dominis inferatur: peccator autem quia non est per naturam pecus, non debet nisi publico illius iudicio cui id incumbit damnatus interfici. ¶ Solutio autem tertij argumenti saluberrimum est documentum. Etenim vbicunque proximo citra alterius nocumentum & iniuriam prodesse quis potest, laudabile officium est eius commodum procurare: vbi autem nocumentum alterius sese offert, quale est mors peccatoris, nõ debet nisi iudicio illius ad quẽ functio illa pertinet intentari.

Dilutio vtriusq; quæstionis.

Ad secũdũ argumẽtũ.

Ad tertiũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm clericis etiam maleficos liceat interficere.

POST decisionẽ illi⁹ q̃ publicæ potestati nõ solũ licitum, verũ & sanctũ est maleficos extirpare, cõsequit̃ vt videamus an præfectis etiã ecclesiasticis idẽ sit licitũ. Exiſtit enim à parte affirmatiua argumẽtum, q̃ secundũ Paul. 1. ad Corin. 4. imitatores eius ac perinde sanctorũ esse debemus, sicuti ipsi fuerunt Christi. Deus autẽ maleficos perimere solet, secũdùm illud Psal. Qui percussit Aegyptũ cũ primogenitis eorũ. Et Phinees quanuis sacerdos interfecit Israëlitã cum Madianitide coëuntem: vt legitur Nu. 25. Et Samuel Propheta interfecit Agag regem Amalech. Et Helias sacerdotes Baal. Denique Petrus Ananiam & Sapphiram. ¶ Secundò. Cùm potestas spiritualis superior sit temporali, Deoque coniunctior, non est cur habeat minorem facultatem occidẽdi eos malefactores qui sibi subduntur quàm sæcularis. ¶ In contrarium est illud 1. ad Timotheum. 3. Oportet Episcopum sine crimine esse, non violentum, non percussorem. &c.

Primum argumentũ partis affirmatiuæ.

Secundũ argumẽtum.

QVæstio est solutu facilis, quæ hac vna conclusione neganter deciditur. Minimè clericis, quacunq; sint ecclesiastica potestate cõstituti, fas est vllum quãtunuis criminosum morti addicere, aut mutilare. Probatur duplici capite. Primò propter repræsentationẽ. Cõsecrãtur enim altaris ministerio: vbi iugis fit memoria Passionis Christi: qui cùm in ara crucis occideretur, percussus, vbi ait Petrus, non repercutiebat: cuius ergo imitatione non debẽt esse percussores. Nam vt Ecclesiast. 10. cõmonefit: secundũ iudicem populi, sic & ministri eius. Secũdo id inde cõfirmatur q̃ in Euangelio, cuius clerici sunt ministri, nullũ capitis suppliciũ aut mutilationis membri vlli vindicando crimini decretum est. ¶ Hic primùm omniũ animaduertendũ quo iure clerici sanguinis effusione interdicantur. Haud enim interdictum hoc, iuris est naturalis. Imò si merum illud consideres, non obstat quo minùs episcop⁹ subditos suos patibulo adiudicare possit. Dubium autem est, an sit de iure diuino. Ad hoc enim sunt qui distinguentes respondeant. Aiunt inquam duobus modis præceptum aliquod censeri posse de iure diuino. Vno modo, quia in sacra pagina scriptũ est: altero verò, quia est à Deo ipso positum

Conclusio vnica.

Ratio cõclusionis.

Responsio quorũdam.

tanquàm de re supranaturali: qualia sunt sacramentorum mandata. Sic enim. 1. ad Corin.7. distinguit Apostolus, dicens vxorem *Paulus.* à viro non discedere, præceptum est Dei: ꝙ autem fidelis ab infideli vxore secum habitare cõsentiente non discedat, ego dico, non dominus. Prohibitio ergo clericorũ nè sanguinẽ effundant, licèt non posteriori, tamen priori modo, aiũt isti, est diuinum: quia ex tat apud Paulum loco citato. 1. ad Timoth. 3. *Obiectio.* Quòd si hæsites, num quicquid Paulus iussit pro præcepto habendũ est Dei? quandoquidẽ quicquid Apostoli tanq̃ apostoli loquebãtur quasi diuina organa proferebant: *Solutio.* Respondetur ꝙ in assertione fidei immediata reuelatione mouebant. Quare enũciationes eorũ, vt diuina fides habentur: tamen in legibus aliquibus ferendis, licèt Spiritus sanctus eis assisteret, sicut nunc ecclesiæ, nihilo minùs tales leges non sunt propriè iuris diuini, sicuti neque modò Papæ, & Conciliorum iussa. Vnde Actuum. 15. Visum est, inquit Petrus, non tantùm Spiritui sancto, sed Spiritui sancto & nobis: quia tunc in Concilio non vtebantur immediata reuelatione, sed humana cõsultatione, Spiritu sancto, nè errarent, assistẽte. Secùs in fide proferenda: de qua admoniti sunt nè cogitarẽt quomodò aut quid loquerent, sed sola vterent reue-

Excludit responsio illa ad dubium. latione. ¶ At verò quanuis distinctio hæc ex re ipsa perspectè fiat, nescio tũ an ad propositum satis queat applicari cõmodè. Paulinũ enim illud verbum, attente perspectũ, non huc spectare videtur, vt clericos inhibeat nè tanquàm publicæ potestates malefactores occidant: sed nè tãquàm priuatæ personæ sint percussores. Vnâ enim cõposuit, sobrium, prudentem, &c. non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum. Præterquàm ꝙ illic tantùm cum episcopis sermo illi erat. Neq; verò inibi sæculares iudices eiecit, nè in sacerdotalem ordinẽ admitterentur: quod tamẽ ecclesia facit. Quapropter si huic tantùm loco insistas, profectò neutro superiorum modorum prohibitio hæc est de iure diuino.

Cauillum. ¶ Aliud autem argumẽtum posset validius ad propositum adduci: nempe ꝙ Christus, vt præcedenti lib. q. 4. meminimus, non assumpsit sæculare potestatẽ iudicandi, sed spiritualem regni cœlorũ. Vnde fieri videt consequẽs vt nec clerici possent illam exercere. Attamen neq; argumentũ hoc rem demonstrat: sed hoc tantùm, ꝙ potestas ecclesiastica, qua ratione spiritualis est, non se extẽdit ad iudicia sæcularia ferẽda: nisi quatenùs ordinem habent ad finem spiritualem. Huic *Solutio.* tamen minimè repugnat quo minùs clerici possent esse secularium principum ministri, vt eorum nomine nocentium sanguinem effunderent. Imo verò neque repugnat quo minùs episcopi eos possent gladio ferire qui spiritualem ipsum finẽ perturbarent.

¶ Ex his ergo sequitur (quod certò crediderim) prohibitionem hanc solùm esse de iure mere positiuo ecclesiastico. Neque verò sanctus Thomas verbum adduxit apostolicũ ac si esset habendũ pro lege, nè clerici in causa sanguinis iudices sederent, sed solũ per viã consequentiæ & exẽpli, nempe quòd postq̃ admonentur nè sint ꝑcussores, meritò ecclesia cauit vt ab omni percussione abstinerẽt. Et in eodem sensu citat idem verbum Gratianus in fronte dist. 45. vbi ca. neminem. & can. episcopum. eadem habetur prohibitio. Et expresè cap. sententiam. nè cleri. vel mona. Et in titu. de cleri. percus. Ratio ergo huius ecclesiæ sanctionis non fuit nisi decentia & honestas duplex, quæ ad cõclusionem allata est. Et præterea mundities quæ esse debet non solùm in sacerdotibus, verùm in vasis etiam sacris. Quapropter qui sacris initiantur, vt votum emittunt nè se semine polluant, ita & lege prohibẽtur nẽ contaminentur sanguine. Quæ quidem duæ sordium species, si in templo fundantur, illud quoq; pollutum relinquunt, & suo modo irregulare. ¶ Nomine autem clericorum in eiusmodi prohibitione oẽs promiscuè cõprehẽduntur tã minoribus ordinibus q̃ sacris initiati. Tametsi quantũ ad culpæ gradum nõ sit eadem omnium ratio. Nam qui in minoribus constitutus iudicatum sæcularem vsq; ad sanguinis effusionem exerceret, non peccaret mortaliter: quia ordines illi non sunt propriè sacri: qua tamen lethali culpa inficeretur qui esset in sacris: siue tanquàm iudex, siue tanquàm iustitiæ minister se cruentaret. At verò etiam in minoribus ordinibus nonnullum esset peccatum. Nam omnibus interdicta est sanguinis effusio.

¶ Sed de irregularitate iure patentissimum est, occisores ac mutilatores fieri omnes irregulares, siue post susceptos ordines id fecerint, siue antè: vt patet can. Episcopum. distinct. 45. & distinct. 51. cano. aliquantos. & 23. q. 8. can. 1. & can. clerici. & can. quicunque. & de homi. volun. cano. de cætero. & can.

Solutio vera principalis dubij. S. Thomæ.

Quos cõprehendat ista sanctio.

Quando incurratur irregularitas

ca. ad audientiam, & multis alijs locis. Quod latè Sylueſt. tractat, verbo, homicidium. 3.

Sylueſter. Sola ſanguinis effuſio non eſt irregularitatis cauſa.

¶ Sed eſt notandum, q̃ licèt citati canones, percuſſores omnes, imò & arma ſumentes, vt habetur dict. capi. clerici. irregulares eſſe decernant, intelligunt tamen doctores eos tantùm comprehendi qui occiſores fuerint, aut mutilatores. Quare Panor. in cap. 1. qui cleri. vel vouen. Sola, inquit, ſanguinis effuſio nõ inducit irregularitatẽ, Et ità expreſsè habet gloſſ. Clem. vnicæ de hom. iuxta tenorẽ textus, Occidit aut mutilat. Sed de hoc ſtandum eſt mori eccleſiaſtico. ¶ Caue tamen nè excõmunicationis cenſuras cũ irregularitate permiſceas. Hactenus enim de clerico percuſſore au ſæculari dictum eſt. Qui verò, vice verſa in clericum man⁹ violentas iniecerit, licèt neq; mutilator ſit neq; ſanguinis effuſor, ſententiam excõmunicationis incurrit ſecundũ Canonem. Si quis ſuadente. Quòd ſi fuerit ſacerdos & celebret, tunc fit irregularis, & pariter qui ſemen aut ſanguinem in ſacro loco effuderit: ſi modò effuſio notabilis, vt aiunt, eſſet. Etenim qui pueri cùm ſe inuicem pugno cædentes, parùm ſanguinis de naribus mittunt, non ſubinde ſunt excommunicati. ¶ Homicidiũ autem etiam citra ſanguinis effuſionem irregularem facit homicidã. Neq; requiritur vt eiuſmodi actiones peccata ſint vt ſint irregularitatis cauſa. Imò etiam ſi ſint virtutes, dum modò ſint liberæ, id ipſum efficiunt: vt iudex eiusq; miniſtri, qui iuſtè iniquum interficiũt, irregulares fiunt ad ſacros ſuſcipiendos ordines, atq; omnes miniſtri iuſtitiæ: quos gloſſa refert ſuper dicto can. aliquantos. ¶ Dixerim autem, Dummodò ſint actiones liberæ & voluntariæ: quoniam, vt in articu. 8. dicturi ſumus, per homicidium caſuale & per alias actiones quæ præter homiſis voluntatem accidunt, nulla incurritur irregularitas. Imò cùm quis ſe aut ſua inculpata tutela defendendo alteri aut mortem infert, aut cauſam mortis: vt habetur Clemen. vni. de homi. & eodem titulo, lib. 6. capi. præ-

Irregularitas non eſt culpa.

latis. ¶ Ex his ſit conſequens irregularitatem non eſſe culpam: imò neque ſemper propriè pœnam: vt lib. 1. q. 6. adnotauimus: quia vbi nulla eſt culpa, nihil propriè habet rationem pœnæ: ſed eſt inhabilitas quædam & indecentia propter immunditiẽ ad ſacrorum ad miniſtrationem. Quapropter cùm in pontificis Bullis confertur facultas abſoluendi à quibuſcunq; peccatis & cenſuris, cenſurę nomine non venit irregularitas. ¶ Quòd ſi quis forſan ambigat, vtrùm Pontifex Maximus ſuper hac lege diſpenſare poſsit, tam quantum ad culpam quàm etiam quo ad irregularitatem: facilimè colligitur exſuperioribus affirmatiua reſponſio. Enimuerò cùm lex ſit merè poſitiua, non ſolùm quia, vt diximus, verba Pauli nõ faciunt illum ſenſum, verum etiam quòd quanuis eum facerent, non eſſet lex diuina illius generis, quòd non cadit in diſpenſationem Pontificis: colligitur poſſe eundem pontificem iuſta de cauſa diſpenſare, vt ſacerdos, iudex ſæcularis eſſe poſsit, & in bello miles: quibus functionibus annexa eſt ſanguinis effuſio.

Ad primũ argumentũ

POſt hæc nulla reſtat difficultas ad argumenta quæſtionis reſpondẽdi. Primi igitur reſponſio eſt, quòd Deus vnicuiq; ſecundùm ſuã cõgruentiam imitandus eſt. Enimuerò neq; liceret ſic totam vrbem punire vt ipſe puniuit Sodomam: Neq; verò (vt ſuprà diximus) omnibus parcere quos ipſe ad pœnitentiam expectat, Sed vnicuiq; agendum eſt ſecundùm præſcriptam ſibi legem: quæ in hac parte congruenter clericis legis gratię poſita eſt. Sacerdotes nanq; veteris teſtamenti non tractabãt ſpiritualia, ſicut noſtri: neq; miniſteria occiſi innocentiſsimi Chriſti. Sed erant legis miniſtri, qua corporalia ſupplicia, etiam mortis, maleficis decernebantur. Quod autem de Petro adductũ eſt, nihil ad rem facit: quoniam neq; ipſe coniuges illos occidit, neque eius iuſſu interfecti ſunt: ſed quaſi ore Dei promulgauit ſententiam, qua audita exanimati corruerunt. ¶ Ad ſecundum reſpondetur quod poteſtas ſpiritualis clericorum non in hoc debet poteſtati principum præcellere vt corpora interficiat, ſed vt animarum conſulat ſaluti. Qua vtiq; ratione dicuntur principes terræ. Et per hoc ſoluitur tertium.

Ad ſecũdũ argumentũ

Ad tertiũ argumentũ

ARTICVLVS. V.

Vtrùm alicui liceat ſeipſum occidere.

QVanuis articulo tertio concluſum fuerit, nemini ptiuata authoritate licitum eſſe quenquã occidere, quia id eſt contra iuſtitiam: reſtat nihilo minùs ſcire vtrùm cuipiam id liceat in ſeipſum. Primum enim argumentum à parte affirmatiua eſt, quòd prohibitio homicidij eſt prohi-

Primum argumentum

bitio iustitiæ: vnde cùm iustitia non sit nisi ad alterum, fit (vt quemadmodùm ostendit 5. Ethico. Arist.) nemo sibi faciat iniustitiam, etiam si se occidat. ¶Et accedit secundo loco quòd quando iudex qui alios habet interficiendi potestatẽ, ea est ipse dignus morte qua alios meritò condemnaret: apparet tunc & sibijpsi eandem inferre posse. ¶Tertiò arguitur. Licitum est cuicũque periculo minore maius euitare: sicuti membrum sibi infectum resecare, vt vitam seruet: contingere autem posset, vt quis seipsum occidendo à maioribus se malis eripiat: videlicet ignominia, aut periculo, aut turpitudine alicuius flagitij: ergò tunc id erit licitum. ¶Quartò, Samson, vt legitur iudicum. 16. seipsum ruina templi contriuit. Et Razias vt. 2. Maccha. 14. refertur, seipsum interfecit: eligens potiùs nobiliter mori, quàm iniquorum fieri subditum: quod & de Catone memoriæ proditum est. ¶In contrarium est verbum August. 1. de Ciuitate Dei: quod refertur. 23. q. 5. si non licet priuata potestate hominem occidere, profectò etiam qui seipsum occidit homicida est. Et paulò post: Præstat vt de homine intelligamus illud quod dictum est, Non occides, neq; alterum: ergò neq; te. Neq; enim alium quàm hominẽ occidit, qui seipsum occidit.

Aristot. Argumẽ. 2

Argumen. 3

Argum. 4

Vnica conclusio.

AD quæstionem vnica conclusione respõdetur. Nemini fas est seipsum occidere & qui contrà facit grauissimi peccati mortalis reus fit. Idq; tribus rationibus comprobatur. Primò quòd si homo secundùm seipsum consideretur, contra suam ipsius naturalem inclinationem atque amorem, quem sibijpsi naturaliter debet, facit, dum sibi vitam adimit. Secundò quòd si consideretur vt pars totius reipublicæ, in bonum totius ordinatur: atq; adeò, vt. 5. Ethic. cap. postremo ait Arist. qui seipsum enecat, iniuriam irrogat reipublicæ, Tertiò quòd si consideretur vt effectus est Dei, vita humana diuinum donum est, à Deoq; subinde pendens: tanquàm eius possessio: ob idq; qui seipsum perimit, perinde in Deum peccat, cuius est seruus, atq; ille qui rem alienam vsurparet. Ad solũ enim ipsum pertinet iudicium vitæ & mortis: secundùm illud Deu. 23. Ego occidam, & ego viuere faciam. ¶De conclusione nemo est qui dubitare possit: adeò est contra vniuersalem naturam vt sibi quisque mortem consciscat per quam vita priuatur, quæ omnium est fundamentum bonorum. Circa rationem autem

prima ratio conclusionis

Secunda ratio.

Tertia ratio

discrimen priùs perpendendum est, q; si hominẽ absolutè in seipso cõsideres, nõ est propriè cõtra iustitiã vt se occidat, sed cõtra amorem quo res quælibet seipsam diligit. Si autẽ cõsideretur velut opificiũ Dei, ac reipublicæ membrũ: tunc quia ordinẽ habet ad alios, in iustus respectu eorum fit qui se occidit. ¶De eâdem tamen prima ratione dubium existit haud enim efficax satis apparet illatio, quòd si homicidium fiat contrà propriam inclinationem naturalem, fit protinus peccatũ mortale. Inclinatio nanq; naturalis, non omnis est bona: imò contra illam facere nõnunquã officium est. Enimuerò inclinatio humana in bonum delectabile naturalis est, quinetiã genere suo bona. Appetitus enim animalis suapte natura fertur in id quod est delectabile, Qua vtique ratione natura necessarijs officijs conseruandi, tam indiuiduum, quàm speciem delectationem immiscuit, vt essent appetibilia. Et nihilo minùs eadem inclinatio sæpenumerò est mala: eidemq; adeò resistere bonum. Quapropter virtus temperantiæ ac fortitudinis secundùm Arist. ad moderandũ reprimendumq; naturales affectus nobis inseruiunt: ob idque virtutis opus, laboriosum est ac difficile: nempè quòd eius conatibus cõtra naturalem inclinationem pugnamus, quæ superatu difficilis est. Adde quòd & iustitia originalis ad easdem infrenandas naturæ affectiones donata primis parentibus fuit. Qua ratione videlicet quia illæ naturales erãt, iustitia ipsa fuit super naturalis. Hac enim de causa Paul. ad Rom. 7. conquerebatur aliam in membris legem præsentiscere repugnantem legi mentis. Quodnam igitur argumentum est, fit cõtra inclinationem naturalem, ergò est peccatum? Quòd intelligas illam inclinationem esse bonam, id tibi restat probandum: quandoquidem exhoc quòd sit naturalis, non cõuincitur. ¶Ad hoc iam aliàs me dixisse memini. Habet enim homo duas, easdemq; ambas naturales inclinationes: alteram ratione generis, alteram verò ratione speciei: quarum ideo prior materialis est, secunda verò formalis. Habetq; subinde hoc inter omnem creaturam corporalem singulare, quòd istæ inclinationes post naturam corruptam sint sibi inuicem contrariæ, Caro enim inquit Paul. concupiscit aduersus spiritum: & spiritus aduersus carnem. At verò quia id simpliciter rei naturale est, quod formaliter & secundum speciem congruit: illud autem quod competit, materialiter competit

Obiectio cõtra primam rationem.

Dilutio. Duplex inclinatio naturalis inhomine.

Paulus. Quæ dicat absolutè ecliuatio naturalis hoĩs.

petit secundùm quid: fit vt secundùm rationem contra materialem, hoc est, contra sensualem inclinationẽ facere, ad hominis perfectionem pertineat. Igitur quando dictum est inclinationem naturalem ad vitæ conseruationem ferri, atq; eius amorem esse naturalem: intelligitur secundũ rationem: obidque facere cõtra illam inclinationem peccatum est, non solùm inhumanum, verùm & contra totum fundamentũ naturæ. Quòd enim viuere sit rationalis inclinatio, inde patet, q̃ rationalis natura est per rationis opera fœlicitatem consequi: quæ quidem opera nisi à viuente exerceri non possunt. ¶ Posthæc circa alias duas rationes explicandũ esset quomodò homo non sit suæ vitæ dominus, nisi hæc conclusio superiori libro. q. 3. satis fuisset à nobis demõstrata. Recolere autem id opùs est quod ibidem demonstrare etiam curauimus: nempè rempublicam non propriè habere dominium vitæ ciuium, sicuti Deum. Haud enim princeps pro libito, velut ille, potest innocentem in mortem adigere, quod ad rationem dominij esset necessarium: sed tantùm vt reipublicæ propugnator, iustique custos: vt inibi satis expositũ est. Atqui huc applaudit exemplum totius, respectu partium. Homo enim non fungitur absoluto membrorum dominio, vt possit ea dum libuerit sibi amputare: sed vt custos vitæ potest illa obijcere ad defendendum totum: ac pariter dum putrescunt, rescindere. Sic ergò intelligendus est Aristot. 5. Ethico. capi. 11. *Aristot.* vbi ait homicidam sui, iniuriam irrogare rei publicæ. Disputatio se hic longa ingerebat, an liceat quempiam damnare vt seipsum occidat: nempè vt venenum epotet, aut fame pereat, aut de carcere non fugiat: hæc autem proprium locum inferiùs habent. q. 6. vbi de remedijs quibus rebus vti potest, artic. 4. latè disputandum est.

RElíquas ergò quæstiunculas huic principali adhærentes, inter soluendum argumenta dissoluere restat. Ad primum autem iam responsum est: nempè quòd homicidium, peccatum est tum contra iustitiam, tum etiam contra charitatẽ. Quare qui mortem sibi conscisçit, respectu sui non facit contra iustitiam, sed contra charitatem: respectu verò reipublicæ ac Dei, facit cõtra iustitiam. *Ad primũ argumentũ* *Ad secũdũ argumentũ* ¶ Ad secundum autem quod adijcitur dum iudex simul est morte dignus: Respondetur quòd nemo constituitur sui ipsius iudex: quia nemo de seipso rectè iudicare potest. Quare sicut ægroto medico non est committenda suijpsius curatio: ità neq; malefactori iudici seipsum condemnare. ¶ Ad tertium argumentum Diuus Thomas respondet id quod præcedenti libro à nobis citatum meminimus: nempè quòd cùm homo constitutus per liberum arbitrium sit suijpsius dominus, hoc est suarum actionum: de omnibus quæ eidem libero arbitrio subsunt disponere potest: non autem de vita, quæ Dei potestati, à quo illam recepit, tantùm subditur. Et ideo ob nullam prorsus causam licitum vlli est sibi vitam adimere. Argumentum est quod locupletissimè Augusti. disserit li. 1. *Augustin⁹.* de Ciuit. Dei: à cap. 17. vsq; ad. 26. Quare neq; qui illo Pauli desiderio arderet dissoluendi, *Paulus.* vt esset cum Christo: potest se illa causa necare. Neq; vt extremas mundi huius calamitates suffugiamus. Nam cùm secundùm Philosophum. 3. Ethico. vltimum sit temporalium *Aristot.* malorum, mors: qui illa se orbaret vt malis alijs careret, maius tunc contra naturam eligeret malũ vt euitaret minus. Neq; summa quis immanissimi criminis pœnitudine perculsus, potest in se nefarias manus inijcere vt se absumat. Neq; verò ad euitandum atrocissimum scelus id licitum est. Quapropter Lu- *Lucretia.* cretiæ per mortem, quam sibijpsa inferret, non licuit adulterium cauere: & multò minùs postquàm illam passa est iniuriam, vt Liuius lib. 1. refert, ignominiã morte contegere vt illic autor est Augusti. Nam si resistendo, se à culpa liberauerat, non erat digna quę se occidere: & si in culpam consenserat, nõ erat suijpsius iudex. Occidit ergò sese ex pusilla nimitate: quia ferre infamiam non valuit: sicuti & Cato, qui Cæsaris dominatum subire potens non fuit. ¶ Quòd si hìc obiter quæras quid ferre debeat pudica puella antequã in stuprum consentiat? Re vera quodcunq; genus mortis. At verò vtrum si nõ pro virili sua cõtrà pugnet, membrisq; resistat, sed immota manẽs nihil agat, cõsentire censeatur. Respondetur: In foro exteriori si immobilis tacensq; maneret, rea stupri iudicaretur, Sic enim iubebatur, Deut. 22. vt puella quæ in vrbe comprimeretur, quia tacuerat, lapidibus obrueretur. Tamen in foro conscientiæ tantùm tenetur non consentire, neq; se sceleri accommodare, Quare si metu tacet, nõ peccat mortaliter: dummodò nullum præbeat consensum. Neque verò manus in alterum tenetur inijcere. Tametsi quæ honesta est & ingenua *Cato.* *Quæstio.* *Solutio.* *Alteraquæstio.* *Responsio.*

nua, non debet facere quantum debet, sed quantum potest. Quæ autem inuita patitur virginitatem non amittit: quia, vt Lucia aiebat, non inquinatur corpus nisi de consensu mentis. Vnde quæ se occideret vt stuprum caueret, maius peccatum faceret vt euitaret minus. ¶Ad quartum de Samsone sunt qui respondeant per virtutem fortitudinis ei licuisse ad hostium cladem cum proprio periculo sese accingere. Ad hoc tamen iam lib. 2. q. 3. arti. 8. respondimus, quòd cùm ille ausus nō fuerit humanus, sed supernaturalis: quia iam illi coma creuerat quam Deo dicauerat: dicendum est potiùs cum Augustino quòd id diuina reuelatione fecerit. Id quod eius oratio testatur, qua diuinitùs suppetias petebat. De Eleazaro autē qui legitur. 1. Maccha. 6. vt elephantē occideret, ab eodem oppressus, facile, vt illic dicebam, crediderim virtute ac robore animi id aggressum fuisse. Razias autem non est cur excusetur, vt bene ait S. Tho. nam animi mollities fuit & lāguor proprio gladio malle occumbere, quàm vinci: Quod & Saulivituperio datur, & Catoni. Vnde quòd historia addit, maluisse nobiliter mori &c. non dicitur secundùm rei veritatem, sed secundùm eius existimationem. At verò de Apollonia, cuius historia refert quòd carnificū operas pręueniens exiluit in flammas. Augustin. non est omninò certus. Si autē id verum fuit, vel dicēdum est quod erat iam tam rogo admota vt penè esset coniecta: vel quòd cùm esset fœmina, acuminisq; adeò iuris inscia, per inuincibilem ignorantiam sit excusanda: vel adhoc cum eodem Augustino recurrendum, quòd id diuino instinctu egerit.

Adquartū argumentū Samson.

Eleazarus.

Razias.

S. Thomas.

Apollonia.

Augustin.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm liceat vitam, pro defensione amici aut cuiuscunque virtutis, exponere.

ARTICVLO proximè præcedenti operæpretium duximus hunc sextum adhibere: licèt D. Thom. silentio hîc eum præterierit. Sunt enim apprimè affines & germani. Quæritur ergò vtrùm vitam propriā liceat pro amico aut pro quacunq; virtute morti offerre. Arguitur enim à parte negatiua. Vitā periculo mortis obijcere eōdē recidit ac si quis seipsum occidat: nam gubernator nauem nō seruare dum potest, perinde habet si illam submergeret, occidere se autem nemini licet, cùm non sit vitæ suæ dominus, sed custos: ergò neq; vitam pro alio exponere. ¶Secundo. Ordine charitatis plus se quisq; diligere tenetur, quā alterum: saltem nō licet alterum plus deligere, mandante nobis Deo vt proximos sicut nos ipsos diligamus: qui autem propriam pro vita amici exponit, plus alium diligit quàm se ipsum, vt lib. de mend. cap. 6. arguit August. ergò id non licet: vt ipse ibidem concludit. ¶Tertio. Sicut vita spiritualis ad spiritualem sic & temporalis ad temporalem: nemini autem spiritualem propriam licet pro spirituali totius mundi amittere: ergo neque temporalem propriam pro temporali amici. ¶In contrarium est verbum Christi, Ioannis. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis.

Primum argumentum à parte negatiua.

Argumen.

Augustin.

Argumen.

QVæstio est egregia: neq; solùm Philosophis digna, verùm & Theologis: tametsi nō pro eius dignitate viderim ex professo disputatam, Tribus ergo cōclusionibus absoluendam duxerim. Prima est. Ponere vitam pro Deo, atq; in testimonium eius fidei, catholica fides iubet: cuius perinde cōtraria assertio, hæresis est manifestaria. Hoc patet ecclesiæ testimonio, quæ ob hanc præcipuā virtutem martyrum ordinem, ceu inter diuos præcipuum, vsque adeò colit, vt censeat per actum martyrij omnia condonari peccata. De hoc ergò non pertinet ad prę̄sentem locum disputare. Sed adiungimus eidem cō clusioni, pariter pro tutela cuiusq; virtutis id ipsum licēre. Ob id enim Ioannes Baptista martyrum catalogo adscribitur, quòd de iniquitate incestuosum Herōdem redarguebat. Neq; solùm in præceptorum tutamen, verùm & ad defendendum consiliorum veritatem id ipsum laus esset: nempè vt quis defenderet consilium esse, vota religionis suscipere. Hæc enim omnia in custodiam propugnationemq; fidei referuntur. Neq; verò est qui negare possit quin etiam pro republica liceat periculum subire mortis: quandoquidem, vt anteā sæpè diximus, respublica ad id potest ciues suos cogere: sicuti totum, membra, adsui defensionem. Hęc ergò citra disputationem iacta sint fundamenta. ¶Quò autem alterum, quod patentisimū etiam est, extremum, cum hoc ipso componamus, sit secunda

Prima conclusio.

Secunda cōclusio.

secunda conclusio. Nullatenùs licet aut vitam spiritualem, hoc est Dei gratiam, amittere: aut minimam eius iacturam facere pro salute spirituali totius mundi. Imò, vt absit blasphemia verbo, si casus per impossibile accidere posset, neq; pro sanctorum defendenda gloria. Memini enim quosdam hoc in dubium reuocare: nihilo minùs cõclusio adeò per se nota est, vt cõtraria manifestam complicet repugnantiam. Enimuerò optare de gratia Dei cadere, vt alij in ipsa persistant est eligere esse in odio Dei: quod autem hoc sit virtus, implicatio est contradictionis. Nã quòd est virtus, licet: per id autem quod licet, non perditur gratia. Item optare odium Dei est optare id quod intrinsecè est malum. Imò & minimum veniale peccatum licère admittere pro salute spirituali totius mundi contradictionem inuoluit. Sed neq; optare minùs diligi à Deo vt alij magis diligantur, fas esse potest: nam qui minùs diligitur, minùs diligit: optare autem minùs diligere, est quid optare contra naturam ipsam charitatis: atq; adeò implicatio contradictionis est illud esse opus charitatis. ¶ Contra hanc nihilo minùs veritatem arguitur. Sequeretur neq; licitum esse vitam spiritualem periculo obijcere pro salute animarum: nam si illam neutiquàm licet perdere, videtur sequi, neq; eius periculum subeundum esse. Consequẽs tamen est falsum: quoniam prudens charitatis feruor nonnunquàm hominem animat vt ad conuertendas perditas mulieres cum aliquo suo periculo earum colloquiũ adeat: vel aliquò ad prædicandum pergat, vbi in maiori versabitur periculo vitæ spiritualis, q̃ si intra claustra se monasterij contineret. Respondetur, primam consequentiã nullius esse valoris. Nam iacturam facere gratiæ, detrimẽtum est ipsius charitatis: exponere autem illam periculo, adeò non est charitatis remissio, vt ex nimio eius ardore procedat.

Obiectio. *Solutio.* *Tertia conclusio.*

¶ Tertia conclusio, ad cuius veritatem explorandam præsens mouetur quæstio, sit. Licitum est, & sæpissimè officium, vitam corporalem exponere, non solùm pro vita spirituali amici, verùm & pro temporali: quin verò pro eius honore, & fama, & pro eius bonis temporalibus. Atqui de hac quæstione Diu. Augustin. diuersè locutus est: loco nanq; inter arguẽdum citato visus est ad partem negatiuam annuere. Tamen lib. de Amicit. cap. 10. expressè ait vitam corporis ponendam esse pro amico: vt sanxit, inquit, diuina authoritas. Nimirum ad verbum Christi alludens à nobis citatum, Maiorem charitatem nemo habet. &c. Et re vera nunquã mihi in dubiũ venire potuit, quĩ certò crediderim peregrinũ hoc esse amicitiæ, ac subinde virtutis officiũ. Et primùm autoritas Christi, si meditate perpẽdatur, hunc planè sẽsum facit: tametsi nõ desint qui cauillantes dicãt Seruatorẽ nostrum hunc tantùm docuisse. q̃ liceat vitam corporalem pro spirituali amici, sicut ipse fecit, exponere. Enimuerò quanuis ipse ad hoc propositum illud citauerit, nihilo minùs dicterium illud vulgò inter philosophos circũferebatur: illud nimirũ vbiq; docentes, Amicus est alter ego. Quare eorum sensus nõ ad vitam spiritualem referebatur, sed ad hoc q̃ius amicitiæ sit cũ periculo propriæ vitæ bona amici etiam temporalia tueri. Quocircà Christus vulgatum allegans axioma, eundẽ sensum approbauit. Videlicet q̃ cùm charitas sit, dispendium cæterorum bonorũ amici gratia facere: hæc tamen sũma sit, vt etiã vitam ponas. ¶ Adde q̃ Christus pro vita tẽporali nostra propriã posuit. Nam sicut per peccatum, vt ait Paul. mors introiuit in orbẽ: ita & redemptoris munus fuit liberãdo nos à peccato liberare etiam à temporali morte, donando nobis immortalia corpora. Quare eodem cap. 5. Paul. concludit: sicut regnauit peccatũ in mortem: ita & gratia regnat per iustitiam in vitam ęternam. Et cap. 8. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à peccato & lege mortis. ¶ Prætereà illo verbo. Christus voluit mortalium amicitiã sibi maximè conciliare. Ob idq; illud absq; vlla exceptione absolutè citauit: scilicet quòd in hoc maximè ostendatur charitas q̃ quis ponat vitam pro amicis. Non enim ait pro hoc vel illo bono amici, sed pro amico. vbi tua ipse vita indiguerit. ¶ At verò vt ad rationes naturales descendamus, illa qua quidã vtuntur, non est satis firma. Arguunt enim ob id licère vitam exponere pro amico, quòd iustum est illam ponere pro virtute, & vera laude: & ponere vitam pro amico est virtus. Hęc nanque ratio principium petit. Nam hoc ipsum est in cõtrouersia. Amicitia enim nõ est virtus, sed virtuti proxima. vt ait. 8. Ethic. Philosophus: Sum enim alteri amicus, quia studiosus est. Sed de hoc est quæstio, vtrùm ius amicitię hoc permittat vt vitam cuius tu non es dominus, possis pro illo exponere. Eò præsertim quòd cùm vita sit bonorum omnium temporalium maximum, & amicitia

Maiorẽ charitatẽ nemo habet, &c. *Christus pro vita temporali nostra propriã posuit.* *Aristo.*

citia non sit nisi temporale bonum, videtur vita non esse pro amicitia commutanda. Ratio ergò conclusionis sic efformatur. Vita nihil altius est quam quoddam temporale bonum, quod nō est supremus finis in quo nostra consistit fœlicitas: sed est tantùm mediū ad ipsam consequendum & conseruandum: bonum autem vtile licitum est in defensionem alterius boni exponere, quod pars est nostræ fœlicitatis, etiam si per se consideratū minoris esset pretij. Potest enim iure optimo quisq; vitam periculo obijcere ad defendendum bona sua temporalia: eò quòd bona ipsa rursùs ordinantur in cōseruationem eiusdem vitæ, atq; in statum eius fœlicem: vita autem amici mei est proprium meum bonum, ad meam etiam fœlicitatem pertinens: ergò eâdem ratione mihi licebit, imò multò decentiùs: propriam vitam pro illa ponere: nam meritò illam pluris facio quàm bona mea: quandoquidem per ipsam fœlicem statum vitæ meę conseruo. Quin verò eâdem ratione sequitur, vt possim illam exponere ad protegendum eius honorem & bona temporalia, si fuerint vsque adeò ampla. ¶Secundò arguitur exemplo Christi. Certum enim est vitam eius etiam temporalem præstantiorē fuisse nostra spirituali: nam erat vita Dei, per quam scilicet homo verè erat Deus: & tamen quia vita nostra æterna in eius redundabat gloriam, illam in pretium nostræ dispendit: ¶Tertiò arguitur. Iure naturæ omnes mortales sumus eiusdem corporis membra: ergò sicuti membrum eiusdem corporis vnū pro alio exponitur vt inuicem se custodiant: sic licitum est inter homines. ¶Quartò. Sicut pro republica debitū est vitam ponere, quia partes eius sumus, quam ideo conseruare tenemur: sic & pars se potest periculo alterius partis exponere: quandoquidem salus reipublicæ ex salute partium cōstat. ¶Adde quòd negare filium cum proprię vitæ periculo debere vitam patris tueri, feritas profecto esset & barbaries: cum eandem vitam à parentibus receperimus. Concesso ergò semel quòd iure charitatis hoc liceat, non est descensus difficilis, vt etiam pro vxore, pro filio, pro patre, atq; adeò pro amico id liceat. Nam pro rege, nemo dubitat. ¶Præterea nullus philosophorum sapientūq; physicorū non laudat facinus Pyladis atq; Orestis, siue historia fuerit siue fabula, vt Cicero lib. de Amicitia, insinuat. Tametsi mentiri vt alter pro altero haberetur, non fuit virtus, ¶Sed quid in re non dubia moramur? vox populi, vox naturæ est: & tamen nulla fuit, seu barbara natio, seu sancta, etiam si Christianā intelligas, in qua nō egregiæ laudi daretur, ac detur, q; qui hominē in periculo mortis coniectū viderit, eidem se offerat periculo, vt proximi vitam, dū possibile apparet, eripiat. Dum possibile, inquā, apparet: nam alias, temeritas esset. Exempli gratia: qui gladijs se inuicem impetentes aspectat, & potēs cum aliquo suo periculo litem dirimere, non se medium infert etiam si non teneatur: profectò vt ignauus & infamis habetur: tantum abest vt si id fecerit perperàm feciſſe iudicetur. Idemq; ferè iudicium est de protegendo amici honore, atque alijs magnis bonis, quibus vita eius sustentatur & honor. In summa, qui hoc negat officium esse eximium amicitię, ornamē tum profectò eius præcipuum de media republica tollit.

Ratio efficax conclusionis.

Pyladis atq; Orestis memorabile facinus.

Vox populi, vox naturæ.

AD primum igitur argumētum negatur idem esse, vitam quempiam pro amico ponere, quod seipsum occidere: iamenim suprà diximus, occidere se quēpiam bifariàm contingere. Vno modo directè & per se: & hoc nunquā licet neq; pro amico, neq; pro virtute ipsa. Haud enim poterat martyr strā gulare seipsum pro fide. Altero verò modo id contingit per accidens: scilicet quando quis propriam vitam non seruat, quam seruare potest: & hoc non reputatur homicidium nisi quatenus ipsam seruare tenetur. Et quāuis homo non sit suæ vitæ dominus, sed custos: tamen nō tenetur eam omni possibili modo seruare. Potest quippe eam, vt diximus, nō solùm pro virtute, verùm & pro bonis temporalibus exponere. Quin verò etiam potest non vti optimo cibo ac regimine, aut optima medicina ad ipsam seruādā: eâdem ergo ratione potest illam exponere pro amico. Sed tunc peccaret quando illam prodigeret: hoc est, pro nullo bono fine aut pro exiguo illam dispenderet, vt si ad defendendum valorem vnius scuti, periculo illam obijceret. ¶Ex hac aūt solutione oritur scrupulus, vtrùm in naufragio vbi tantùm vna est tabula quæ duos seruare nō potest, liceat vni alteri cedere: Et fac esse filiū & patrem, Ex cōclusione enim videtur sequi id esse licitū: ex hac autē solutione apparet cōtrarium colligi. Nam qui tabulam desereret, perinde haberet ac si se in mare proijceret: quod est se directè occidere. Profectò res est dubia. Respondetur

Ad primū argumentū

Occidere se bifariamcō tingit.

Qui teneatur seruare vitam propriam.

Scrupulus.

ſpondetur ergò quòd antequàm tabulam filius capiat poteſt illã relinquere patri: quia nõ hoc eſt poſitiuê ſe occidere, ſed permittere ſe mori: poſtquàm verò eidem inſidet, re vera non apparet licitum eſſe vt ſe in fluctus deiiciat. ¶Ad ſecundum reſpondetur, q̃ ordo charitatis quo homo tenetur non plus proximum quàm ſeipſum diligere, attendendus eſt ſecundum vitam ſpiritualem: cuius ideo detrimentum homo nõ debet pati pro toto orbe: ſed quantum ad temporalia non eſt ille ordo neceſſarius: quoniam temporalia per ſe non pertinent ad perfectam fœlicitatem: ſed ſunt tantùm media, vt diximus. Vnde S. Thom. 2.2. q. 26. ar. 5. in ſolutione primi, ait, quòd cùm vnumquodq; id ſit quod in ipſo præcipuum eſt, magis eſt proximus diligendus quantũ ad ſpiritualia quàm corpus proprium: vt ſi ſimpliciter fuerit neceſſaria vita noſtra pro ſalute ſpirituali eius, tunc ſit nobis expẽdenda: vbi explicat ordinem qui eſt ex neceſsitate præcepti. Sed tamen inferius in ſolutione tertij ait, quòd licet non ſit de neceſsitate charitatis quòd homo propriũ corpus exponat pro ſalute proximi, niſi in caſu quo tenetur eius ſaluti prouidere: tamen quòd aliquis ſua ſe ſponte ad hoc offerat, pertinet ad perfectionem charitatis. Vbi non diſtinguit de ſalute ſpirituali & corporali, ſed vtrunq; videtur intelligere. ¶Poſtremum deniq; argumentum ſõlutum eſt, vbi monſtrauimus non eſſe eandem rationẽ de ſpirituali & temporali ſalute. Quare falſum eſt eandem eſſe rationem ſpiritualis ad ſpiritualem quæ temporalis ad temporalem.

Ad ſecũdũ argumentũ

D. Thomas.

Ad tertiũ argumentũ

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm liceat in aliquo caſu interficere innocentem.

POST nocentis homicidium, quod quemadmodum lege fiat dictum eſt, ſubſequitur in hoc ſeptimo articulo, qui eſt apud S. Tho. ſextus, diſputare vtrùm liceat in aliquo caſu innocentem interficere. Arguitur enim à parte affirmatiua. Abrahã hac laude inter cætera commendatur, quòd innocentem filiolum aræ deſtinauerat. ¶Secundò. Si id licet quod maius nocumentum infert, & id licebit quod infert minus: nam de illato nocumẽto exiſtimatur peccati gratuitas: licet autem peccatore moccidere, etiam ſi periculo perditionis æternæ nõnunquàm exponatur, vt ſuprà dictum eſt: ergò & innocentem quem certius creditur miſerijs huius ſæculi ſolutum ad æternam fœlicitatem aduolare. ¶Tertiò: quod ſecundum ordinem iuſtitiæ fit, nullum eſt peccatum: ſed quandoq; iudex ſecundũ allegata & probata innocentem in mortẽ adigere cogitur, quem ſcit falſis teſtimonijs delatum: & pariter miniſter qui eius dicto audiens eſſe tenetur: ergò licitum eſt quandoq; innocentem interfi cere. ¶In contrarium autem eſt illud Exod. 23. Inſontem & iuſtum non occides.

Primum argumentum

Argumẽ. 2

Argumẽ. 3

QVæſtionis titulus de duplici innocente, intelligi poteſt, Primò de eo qui non ſolùm re vera eſt innocens, verùm etiam legitimè: quia non probatur nocens: & de hoc præſens intelligitur interrogatio. Alius verò eſt, qui licèt re quidẽ ſit innocens, tamẽ legitimè probatur nocens: de quo, cùm grauior ſit abſtruſior q̃; dubitandi ratio, inferiùs. q. 4. articulo. 2. mouebitur peculiaris quæſtio. Hæc ergò facilimè vnica concluſione expeditur. Nullatenùs licet hominẽ innocentem, cuius nulla habetur ſiniſtra opinio, interficere. Probatio eſt peruia. Homoenim, vt ex dictis patet, & ſecundùm ſeipſum conſideratur, & præterea in ordine ad bonum commune. Et quidẽ ſecundũ priorẽ conſiderationẽ, ſcilicet quatenùs eſt rationalis naturæ, neminẽ interficere licet. Nam & iniquiſsimi etiam peccatoris natura, quatenus Dei figmentum, diligenda eſt: ob ſolam ergò cauſam communis boni peccator occiditur: in innocente autem nihil eſt cur ius rei publicæ fiat ipſum occidendi: quoniã præcipua eſt reipublicæ pars, atq; ad eius ſalutem præcipuè cõferens. ¶De hac concluſione non eſt cur multùm dubites: offeruntur nihilo minùs nonnullæ, licèt tenues, dubitãdi rationes. Prima dum in obſeſſa à tyranno ciuitate ciuis innocens eſt, cuius caput tyrannus ille petit: eò forſan quòd ſibi eſt aduerſus. Hiſtoria eſt de Demoſthene, quem, dum Athenien. ciuitas obſidione opprimeretur, tantum dux ille hoſtis petebat, vt in columẽ relinqueret ciuitatẽ. Tunc enim ille in ſenatu fabulam illam luporum retulit, qui ab ouibus canes depoſcebant, illa vafricie vt ſecuri poſteà poſſent in inermem pauidumq; gregem irruere. Dubium ergò eſt vtrùm tunc pro ſalute totius reipublicæ liceret innocentem in manus hoſtis perdendum

Titulus quæſtionis illuſtratur.

Duplex innocens.

Vnica concluſio.

Probatio.

Demoſthenes.

dendum tradere. Apparet enim fuisse licitũ. Primùm quia respublica ius habet exponendi ciues patenti morti pro salute totius: vt patet in bello: sicut totum, suas partes. Deinde quod & ipse tunc innocens, cuius morte salus totius ciuitatis agitur, tenetur se hosti dedere: ergò ad id potest respublica ipsum cogere. Nihilo minùs respondetur nequâquam id esse tunc licitum. Quare D. Tho. generalem statuit conclusionem. Nam, vt ad primum argumentum respondeamus, tunc respublica potest exponere ciuem quando necessarius ad pugnandum est & resistendũ hosti: quia tũc est per se necessariũ mediũ: nõ autẽ quando tantũ est necessarius ex malitia alterius. Quoniã cũ homicidiũ per se non sit bonũ, nunq̃ fit licitum nisi ex fine cuius est per se medium. Et innocentis mors nunq̃ est hoc modo reipublicæ necessaria. Quare sicuti, vt paululò antè meminimus, non licet tibi iubente tyrãno eruere tibi ipsi vnum oculum, vt alterum serues: ita neq; tunc reipublicæ innocentem morti tradere. Nam, vt superiùs dictum est, non est absolutè domina vitæ ciuium, sicut Deus: & ideo in innocentis vitam solus Deus potestatem habet. ¶ Sunt qui licèt diffiteantur rempublicã tunc iussu tyranni posse eum occidere, fatentur tamen posse ipsum eidem tradere ad occidendum. Porrò autem idem est vtrunq; prorsus: atq; adeò neutrum licet. Posset nihilominùs eum illo casu nõ defendere: quia respublica cum suî periculo nõ tenetur defendere priuatum ciuẽ. ¶ Quòd si contrà similitudine arguas: Si quis mihi mortẽ cõminaretur nisi manũ aut linguam abscindendã illi offerrem, possem membrum tradere vt vitam seruarem: licèt medium illud non sit necessarium nisi ex malitia alterius: ergò similiter posset respublica ciuem suũ tradere. Negatur consequentia: quoniam membrum non habet esse distinctum ab esse totius: neque vllo modo est propter se, sed propter totum: neq; per se est capax iuris vel iniuriæ. Homo autẽ quanuis sit pars reipublicę, est nihilo minùs & suppositũ propter seipsum existens, atq; adeo per se capax iniuriæ, quam respublica nõ potest illi irrogare. ¶ Vnde ad secundũ suprà obiectum argumentum respondetur, q̃ quanuis ipse teneatur tunc proprio se offerre periculo vt publicum caueat: non tamen ad id iure cogi potest: quoniam tenetur non de iustitia, sed de charitate. Sicut stat me in graui necessitate ad eleemosynã teneri adquam cogi non possum.

Solutio. S. Thomas.

Obiectio â similitudine.

Dilutio.

Soluũtur rationes cõtra obiectæ.

¶ Alius dubitandi casus est in bello: & quidem in communi aggressu, vbi permixti sunt innocentes cum nocentibus: non est dubium quin liceat hostes inuadere cum innocentum periculo. Sed dubium est in singulari certamine. Videomilitem in me irruentem q̃uem scio innocentem esse: puta qui certò credit bellum iustum cõtra me gerere. Videtur ratio suadere quòd tunc non possim illum occidere. Nam bellum non potest esse iustum ex vtrâq; parte. Si ergò ille iuste contra me pugnat, non possum ego iustè me defendere. Respondetur nihilo minùs licére. Primùm quia iustè ambo pugnare possumus ex ignorãtia, quando vterq; putat se iustam defendere causam. Præterea licèt tũc in conflictu vni militum constaret iustitiam ab alterius parte stare, potest se defendere: quia non tenetur illam pati mortem. Quare non solùm tunc ex falsa præsumptione (vt quidam aiunt) nempè quia vterq; putat alterum esse nocentem: sed etiam si sciat esse innocentem, licitè tunc pugnat. Non posset autem alterũ occidere nisi in suam defensam. Sed rogas, vtrùm miles possit alterum aggredi quem scit esse innocentem. Respondetur quod si bona fide credat: iustũ se gerere bellum, etiam si alium putet esse innocẽtem, putà quia vel idẽ ipse credit, vel inuitus in exercitu retinetur, potest illũ aggredi: tum quòd aggressus ipse in bello est defensio: tum etiã quòd vnus princeps ius habet aggrediendi alterum. Qui autem miles crederet bellum se gerere iniustum, aggredi non posset.

Secundus scrupulus.

Submouetur dubium.

Tertius scrupulus.

AD primum autẽ argumentũ in contrarium. lib. 2. satis responsum est. q. 3. artic. 8. Deus nanq; non tanquam legislator, vt Scotus putat, dispensare valet super homicidio: sed tanquã vniuersalis vitæ dominus, potest cuiuis potestatem facere alterum occidẽdi: sicuti fecit Abrahæ: cuius ideo obedientia laude digna fuit. Tametsi pro sua clementia id nõ permiserit executioni mandari. Nemo autẽ mortalium hoc absoluto vtitur vitæ dominio. ¶ Solutio autem argumenti secundi notanda est apud D. Tho. nempe peccatorum grauitatem de se primo attendendam esse, non penes illatum nocumentũ, sed penes obiectum. Quapropter innocentis occisio scelestior est & maiori digna supplicio quàm occisio impuri ac perditi hominis. Primò, quia huiusmodi occisor præstantius bonum lædit, quod magis est per se diligendũ: qua

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ argumentũ D. Thomæ.

quapropter peiùs cõtra charitatem peccat. Secundò, quia & illi iniuriam facit qui minùs erat illa dignus: atq; ideò iniquiùs iustitiam violat. Et tertiò, quia rem publicã meliori priuat bono, ac subinde in bonum cõmune est pestilentior. Postremò & Deum ipsum impudentiùs spernit, qui iustos chariores habet, secundùm illud Luce.10. Qui vos spernit, me spernit. Quòd autem iusto mors in bonum æternæ gloriæ cedat, occisioni accidentarium est. ¶A solutione autem tertij argumenti quod de innocente legitimè probato nocête addebatur, supersedendum est vsq; ad locum citatum.q.6.

Ad tertiũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm ius sit vnicuiq; proprium inuasorem suî defensam occidere.

VM suprà definitum sit nemini priuata authoritate licêre malefactorem occidere, explorandum supererat vtrùm saltem liceat aggressorem per modum defensionis interficere. Sunt enim nonnullæ sanctorum authoritates quæ id vitare videntur. Ait quippe Augustin. ad Publi. De occidendis hominibus, nè ab eis quisq; occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro alijs acceptà legitima potestate. vbi negare videtur, cuipiam nè occidatur licêre priuatim occidere. Et in.1. de libe. arbit. Quomodò, inquit, apud diuinam prouidentiam à peccato liberi sunt qui pro his rebus quas cõtẽni oportet, humana cede polluti sunt? Et censet illas res in vniuersum esse cõtemnendas, quas homines inuiti amittere possunt, in quarum numero est vita. ¶Et Nicol. Papa, can. de his clericis, dist.50. ait. De his clericis quibus consuluistis, scilicet qui se defendendo paganum occiderant, si posteà per pœnitentiam possunt ad pristinum statum redire, aut ad altiorem ascendere, scitote nullam nos occasionem dare, neq; vllam tribuere licentiam eis quemlibet hominem quolibet modo occidendi. Cui quidem legi cùm ad mores pertineat, videntur & laici esse subiecti. ¶Quartò. Homicidium est grauius quã simplex fornicatio: sed nemini hæc ad seruandam vitam est licita: ergò neque homicidium facere. ¶Postremò. Si arbor est mala: ergò & fructus, vt habetur Matth.7. sed defensio ipsa videtur illicita contra illam Pauli monitionem ad Romañ. 12. Non vos defendentes charissimi: ergò & aggressoris occisio erat peior. ¶In contrarium autem est illud Exod.22. Si effringens fur domum siue suffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: licet ergò æquiori ratione vitam propriam vsq; ad mortem inuasoris defendere.

Primũ argumẽtum à parte negatiua.

Argum.2.

Argum.3.

Argum.4

Argum.5.

AD quẽstionem tribus cõclusionibus respondetur, Prima. Nemini licet aggressorem occidere nisi id fuerit necessariũ medium: nempè si alia via se non potest defendere. ¶Secunda. Vbi medium illud fuerit necessarium, licitum est vim vi secundùm iura repellendo, cum moderamine inculpatę tutelę illum occidere. Probantur simul ambæ cõclusiones. Ad quarũ probationem supponitur contingere posse vt vnius actionis duo existant effectus: quorum alter ex intentione agentis proferatur, alter verò accidat præter eius intentionẽ. Vt dum quis fodiẽs vt vitem plantet thesaurum reperit. Morales autem actus exeo speciem sortiuntur quòd in intentione & proposito agentis extiterat: abeo autem quod accidentarium est, nihil laudis vel vituperij recipiunt: vt si venator intendens sagittam in feram dirigere, hominem transuerberet, non est censendus homicida. Ad propositum ergò nostrũ, vbi quis se defendit, duos est considerare effectus, scilicet & propriæ vitæ conseruationem, & exitium alienæ: quorum prior fuit intentus, posterior verò accidentarius. Ille autem per se effectus ex quo actio speciem sortitur, nullam habet rationem rei illicitæ: quippe cũ hoc sit ius naturale vnicuiq; proprium: ergò inde nullatenùs vitiatur actio. Ex accidentario autẽ effectu qui ex illo subsecutus est fine, vitiari nõpotest, nisi vbi medium illud proportionem non habuit legitimam ad finem, hoc est non fuit necessariũ. Fit ergò vtraq; cõclusio ex eodẽ syllogismo consequens: nempè q vbi illud medium nõ fuit necessarium iniusta fuit occisio: vbi verò fuit, nõ fuerit nisi licita. Nam cùm quisq; potiùs teneatur suæ propriæ consulere vitæ q̃ alienę, nemo tenetur iuri suo cedere, vt alienam vitam propriæ anteferat. ¶Tertia cõclusio. Nemini priuata authoritate licet ex intẽtione hominem occidere, vt propriam

Prima cõclusio.

Secunda cõclusio.

Tertia cõclusio.

vitam seruet: sed illud tantùm munus est publicæ potestatis, quæ talem occisionem in publicum bonũ refert: vt patet in principe edicente alteri bellũ: & in ministro malefactorẽ capiente. Probatur: quia occidere aliũ ex intentione, non est nisi publicæ potestatis ad conseruandum bonum commune.

¶Hic in primis notandum est, conclusionẽ secundam quæ princeps huius quæstionis existit, in corde esse iuris naturalis. Vnde distin. 1. can. ius naturale. inter alia eiusdem iuris ponitur, violentiæ per vim repulsio. Idq; patet. ff. de vi & vi arm. l. 1. Et. ff. de iust. & iure. l. vt vim. ait Florent. Iure hoc euenit vt quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. &. l. iniuriarum. ff. de iniur. Iuris exequutio nõ habet iniuriã: cùm quisq; ergò habeat ius se defendẽdi, nemini tunc iniuriam facit. In summa, cap. significasti. 2. de homicid. & cap. si verò. 1. de sententia excomm. Vim inquit, vi repellere, leges omniaq; iura permittunt. Et. ff. ad. l. Aqui. l. sed etsi. expresse habetur q̃ qui alium ferro se petentem occiderit, nõ videtur iniuria occidisse. Adeò enim naturale est cuiq; rei existere, vt in id quod sibi noceat statim insultet.

Declarant cõclusiones. S. Thomas.

¶Exigit autem istarum conclusionum declaratio vt à tertia inchoẽtur. Dubiũ nãq; statim existit, quid nam sibi D. Tho. voluerit vbi ait, nemini licêre hominem ex intentione occidere vt se ipsum defendat. Videtur nanq; negare illud medium esse licitũ, atq; adeò sibiipsi contradicere. Nam si intelligit quando illud non est necessarium, iam id docuerat in prima atq; adeò repetitione vtitur inutili. Si verò quando est necessarium, contrarium dixerat in secunda.

Caietanus.

¶Huius solutio apud Caiet. nisi ampliùs explicetur, metaphysicam obscuritatem præfert. Ait enim licêre cuiq; vt se defendat, hostem occidere: non quidem vt occisio illa eligatur tanquã medium, sicuti medicus ex intẽtione pharmacum porrigit ad cõsequendam salutem. Et hoc est quod asseritur in tertia conclusione. Sed vt sit defensionis effectus: quemadmodùm debilitas infirmi nõ est in intentione medici: sed est curationis effectus qui prẽter intentionem sequitur.

Impugnat Caietan.

¶Hac autem regula nisi acutè legatur, multi decipientur. Arguitur enim contrà: licitum est inuaso, dum videt aliter inuadentis manus euadere non posse, directo spiculo iugulum eius ex intentione petere, vt illum priùs consternat ergò regula falsa. Patet antecedens. Docet nanq; Arist. 6. Ethico. ad efficacem voluntatem finis perinde sequi electionem medij, quod iudicatur necessarium, atq; in speculabilibus sequitur ex præmissis conclusio: potest autem ille iure velle illum finem: quem rectè iudicat aliter assequi non posse: ergò & illud eligere medium. Inuenias aliquos etiã ex nostris hæc omnia negantes antequàm concedant licêre in conflictu illi qui inuaditur eligere alterius mortem. Sed profectò si licita est defensio, & iudicatur illud necessarium, nescio cur nõ liceat in hostis iugulum rectà dirigere ensem. Quin verò qui videt hostem in se rectà euaginato gladio tendere, & timet consertis manibus defendere se non posse, potest sagitta eminùs iacta, vel globulo illũ solo sternere. Hæc enim est defensio cũ moderamine inculpatæ tutelæ. Mens ergò S. Tho. clara est, & planè physica: censet enim tunc duntaxat homicidium ex intentione fieri propter defensionẽ, quando quis alterum aggreditur ipsum præueniens: vel ad vindicandam præteritam iniuriam: vel ad cauendam futurã. Et ideo optimè ait in tertia conclusione id tantùm licêre publicæ potestati, vel per bellum respectu exterorũ hostium: vel per executionem iustitiæ respectu pestilentium ciuium, per quorum punitionem respublica sese defendit. At qui hoc prioriè censetur, medium eligere ad illũ finem: quod quidem priuatę personę non licet. At verò quãdo quis inuaditur, tũc quomodocunq; inuasorem occidat inculpata tutela: puta quia videt aliter non posse eius manus euadere, etiã si directè sagitta aut alio iaculo iugulum aut cor petat, censetur id nõ intendere, sed solùm sui defensam. Et hoc sensu bene potest teneri quòd illa occisio nõ est medium, sed cõseruationis effectus. Tametsi consueto sermone rectè etiã appellatur medium eodemq; nomine vtitur Diuus Thomas in prima & secunda conclusione.

Aristot.

Mens D. Tho. apta.

D. Thomas semper sibi constat.

Inculpata tutela.

¶At verò de tutelæ moderamine quidnam requiratur vt sit inculpata, dubitari etiam potest. Nam sunt qui aiũt illum qui inuaditur debere summum adhibere iudicium, an possit aliter quàm per illatam mortem se defendere: nempè vel fugiendo, vel pacem deprecando, vel leuiter hostem cædendo, antequam ei liceat illum transfigere. At verò licèt ita sit quòd haberi debet horum ratio si commodè potest: tamen quòd in conflictu agonizantem tãto negotio obligemus, nulla iubet ratio: tum quòd melior est conditio illius

tio illius qui inuaditur, postquã alter illi offert iniuriam: tum etiam quòd illo temporis articulo metus non sinit iudicium liberum. De fuga autem pòst dicemus. Hoc dixerim quantum ad forum conscientiæ: De foro enim iudiciali iuris prudentes iudices sunto.

Obiectio cõtra tertiã cõclusionẽ. ¶Existit autem nihilo minùs argumentum permolestum, quippè quod rem valde facit ambiguam. Apparet inquam licêre priuatę personæ hostem occidere, idq; tanq̃ medium eligendo: nempê ipsum præueniendo & aggrediendo: quod in tertia conclusione negatum est: Faciamus enim eum qui per inimicitias diuexatur, occlusum esse in aliquo opidulo vnde nullatenùs effugere potest, vel in eisdem ædibus vbi est hostis: qui & certissimus absq; vllo dubio est eundem hostem eum decreuisse occidere: sed expectare horam, vel socios vel aliam iam iam instantem opportunitatẽ. Apparet enim eiusmodi miserũ posse aliũ præuenire, & dũ securus est, eũ opprimere. Vel fac innoxiã mulierem cum marito eodem lecto iacentem euidenter scire eundem sub ceruicali abdidisse gladium, quo ipsam dormientem iugulet: neq; patêre miseræ su ffugiũ aliud: nunquid non ipsa posset eundem gladium furtim arripere, & fabulam anteuertere? Profectò res

Dilutio. est dubia. Ad quam aliud responderi non potest quàm quòd dum actus ille, aggressio est, nulla tenus est licitus. Si tamẽ est defensio, nõ est cur condemnetur. Vtrum autem eorum sit, non est lege aut scientia definiendum, sed arbitrio prudentis quocunque casu iudicandum. Seruit autem hoc ad pacandas cõscientias post factũ. Haud tamẽ est in publico hæc licentia prædicãda, nè rude vulgus, quod discernere nescit quãdo est aggressio, quãdo verò defensio, eã per abusum amplificet. ¶At verò cõtra secũdam conclusionem exiſtit argumentum huiusmodi. Ne-

Argumentum contra secũdã cõclusionẽ. cessarius ordo charitatis exigit, vt modò dicebamus, vitam spiritualem proximi propriæ corporali præferre: quando quidem spiritualis non solùm perfectior est, verùm & finis ipse ad quem temporalis refertur: quisquis autem priuata authoritate alterum vi aggreditur, est in peccato mortali quia id nemini licet: ergò alterũ idem ordo charitatis stringit vt mori se citiùs permittat, quàm alterum in infernum obtrudat: atque adeò neutiquàm licet eum occidere. Argumentum est quod non modò sciolos multos cogit vt eius conclusioni fidem adhibeant, verùm & Gersonem, grauem alioqui authorem: qui tract. de Eucharistia eam habet pro confessa. At verò hoc esset non solùm naturale ius peruertere, verùm & Christi iugum, quod suaue est & leue, acerbum facere: atq; importabile. Quænam enim iustitia esset in lege quæ subditos cogeret, vt vitam quam mortales tanti æstimant, cuiuscunq; temeritati & audaciæ dono darent? Si me tyrannus ad malum vrgeret, vitam pro virtute deberem ponere: sed tamen quòd cuicunq; volenti me iniquissimè occidere id permittere cogar, intolerabilis res esset. Imò non solùm vitam non cogor illi dare, verùm neq; honorem, neq; famam, neq; bona mea. Est, verbi gratia, impurus homo & peruicax qui iurat nisi dedero ei pondus auri patraturum sese graue aliquod scelus, vtrùm propterea ego

Gerson.

Solutio.

Charitatis lex quãdo obliget.

stringar petitionem suam illi concedere? minimè gentium. ¶Ad argumentum ergo conceditur ordine charitatis magis esse diligendam salutẽ spiritualem proximi quàm nostram temporalem. Hæc autem charitatis lex solùm obligat, vt quoties ad eiusmodi spiritualem salutem mea fuerit temporalis simpliciter necessaria, debeam illam periculo offerre. Exempli gratia. Laborat ciuitas aliqua vel persona ignorantia vincibili, quam ego solus possum tollere: deberẽ certè ordine charitatis cum periculo vitæ veritatẽ detegere. Item si mihi incumbit ex officio. Nam tempore pestis tenetur prælatus, & tempore belli princeps non deserere populum: quia hoc secundo casu non sola charitas, verùm & iustitia concurrit. Vbi autem vita mea non est necessaria, sed ipsi sciunt se malè agere, & possunt cessare, & sua culpa non cessant: ego non teneor: sed ad perfectionem charitatis quandoq; id pertineret. Et hoc expressè docet sanctus Thomas in loco nuperrimè citato, in solutione ad. 3. &. q 25. eâdem. 22. ar. 8. ait, quòdlicèt dilectio inimici in præparatione animi sit necessaria, quando necessitas occurrerit: tamen extra talem necessitatem diligere inimicum non est, nisi de perfectione charitatis. ¶Ad propositum ergo vt descendamus, qui me vi armata priuatim adoritur, sua culpa id facit: quare mea vita nõ est illi necessaria: & ideo nec teneor illi succũbere. Aliâs occasio porrigeretur nefandis hominibus iustos inuadendi: nempè dum certi essent ab illis non se esse occidẽdos. Simili enim audacia Machabęorum hostes Sabbathis eos adorie-

D. Thom.

bantur, arbitrantes tunc eos non posse pugnare. Quare vt legitur. 1. Machabæo. 2. decreuerunt etiam diebus illis sanctis sese armis defendere. Haud ergò est consequẽs: Teneor diligere salutem proximi spiritualem præ mea corporali: ergò teneor illam extra casum necessitatis plus seruare. Vnicuiq; nanq; mandata est cura suæ vitæ suorumque bonorum: non autem alienorum, etiam si preciosiora sint. Sicuti seruare pater tenetur magis filium suum quàm extraneum longè meliorem. ¶Hactenus de libertate quam quis habet defendendi se. De necessitate autem, vtrùm scilicet quisque ad id teneatur, ab aliquibus dubitatur. Imò sunt qui id affirmant propter hoc quod à nobis modò asserebatur. Hoc autem dubiũ articulo. 6. decisum est: nempè demonstratum, licitum esse vitam ponere pro amico. Vnde palã consequitur posse inuasum permittere se occidi, ne occidat. Quin verò quãdoq; tenetur. Quare tres ordines statuendos de hac re arbitror in præsentiarũ. Est enim vnus quo inuasus teneretur, vt reor, potiùs mortem perpeti quàm inuasoremi nterfice re, etiã vbi aggressio iniurioſa esset. Et enim si aggressor esset rex, vel dux, vel alia persona quæ valde esset rei publicæ necessaria: inuasus autem esset persona vilis, cuius vita ad bonum commune nihil referret: profectò crediderim tunc inuasum illum charitate cogit vt lethum potiùs ferat, quàm alteri inferat. Atqui per alterum extremum contingeret casus vt teneretur inuasus sub pœna peccati mortalis defendere se: vt si vice versa princeps aut quæuis alia persona reipublicæ perquàm commoda ab impuro aliquo & nefario impeteretur: tunc enim proculdubio prodigalitas esset vitę nõ se illum iniuria lacessitũ defendere: etiam dum opùs esset lacessentem occidere. In reliquis verò medijs casibus & ius habet inuasus quisq; defendendi se: & nihilo minùs ei liberum est propter charitatem iuri eiusmodi renuntiare. ¶Quid autem si quis me iniuria lacesseret, non armis, sed vi alia aut fraude? vt si scirem iudicem decreuisse me per iniquitatem ad mortem adducere, aut testes iniquis testimonijs: idque mihi esset certissimum, remq; iam esse in proximo, nunquid non possem illos occidere sciens me aliter non posse mortem fugere? Apparet enim idem ius esse, ac si me gladijs inuaderent. Respondetur nequâquã licere, neq; idem esse iuris: quoniam solùm licitum est vim vi repellere: vis autem non est nisi in præsenti aggressione. Aliâs (vt suprà diximus) si tu præuenires, tu esses qui aggredereris. Quare tũc alia tibi iuris remedia exquirenda sunt. Si autẽ prætor aut alij ministri iustitię vellent in me manus inijcere, constaretque mihi per iniquitatem id facere, liceret mihi profectò perindè vim vi repellere ac si essent personæ priuatę. Secùs tamen si id bona fide & lege tentarent: nempè quia sunt indicia vel aliqua legitima accusatio. Tunc enim licèt ego essem innocens, non mihi liceret, quò me eriperem, ministros vulnerare: vt infrà quæstione. 4. dicturi iterum sumus. ¶De bonis autem temporalibus dubium est, vtrùm in eorum defensam licet etiam latronem occidere. Apparet enim hoc non licêre: quia bona hęc temporalia lubrica atq; adeò necessariò peritura non sunt tanti facienda, vt vita eorum gratia homo multandus sit. Eò præcipuè quòd omnia hæc in vitę humanæ subsidium mortalibus collata sunt. Atq; ad id facit authoritas Augustini ex. 1. lib. de lib. arbi. secundo argumento citata. Quin verò & illud Exod. 22. quod cap. 1. de homicid. citatur de fure nocturno: adiuncta gl. Augustini quæ citatur cap. si perfodiens. de homicid. Glossa enim est, propterea licêre furem nocturnũ in flagranti delicto morte opprimere, nõ autẽ orto iam sole, quod noctu discerni nequit, veneritne ad furtũ faciendũ an ad homicidiũ, sicuti luce solis deprehẽdi potest. Vbi significat August. solũ metu mortis licere furem occidere, non autem metu amissionis bonorum. Respondetur nihilo minùs citra dubium licêre furem etiam diurnũ in defensionem bonorum temporalium interficere si aliter illa eripi ab ipso nequeunt. Et ratio est quòd bona mea, media sunt ad vitæ sustentationem, & status, atque honoris. Quapropter sicut vita fundamentum est omnium bonorum: ita est & eorum tutrix. Ad August. autem respondetur, aut q illius forsan fuit sententiæ q ob solùm bona temporalia non licet furi vitam haurire: vel meliùs q locutus est vti philosophus moralis: quia vix accidere cõsueuit, quin possint bona eripi à diurno latrone citra ei⁹ mortem. Et quando id fieri posset, certè iniquum esset illum occidere: sic enim habetur. l. furem. ff. ad. l. Corn. de sica. furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impunè feret, si parcere ei sine suo periculo nõ potuit: parcere

Quando sit necesse occidere aggressorem.

Tres ordines aggressionis.

Dubium.

Dilutio.

Alterũ dubium.

Augustin.

Solutio.

Augustin. explicatur.

cere scilicet liberando res suas. &. l. sed & si. ff. ad. l. Aquil. si quis cùm furem apprehendere posset maluit occidere, iniuriam fecisse videtur. Idemq; habetur cap. Interfecisti. extrà, de homicid. Vnde iurisconsulti inferunt quòd etiam dum spes est via iudicia recuperandi furtum: nõ licet furem occidere. Et certè si spes esset certissima q; facilimo negotio recuperari posset, verum apparet, Vbi autem res esset dubia, posset liberum esse domino iure vti suo. Vnde eodem cap. interfecisti subditur: Si autem sine odij meditatione tuaq; liberãdo huiusmodi diaboli membra interfecisti, si ieiunare volueris bonum est tibi. Quasi dicat, non teneris. De tempore autem defensæ, quandiu duret, preterea fortè dubitas. Nempè vtrùm tunc tantùm liceat resistere quandiu fur rem non arripuit, an verò etiam tunc dum tuis rebus onustus fugit, liceat tibi eum armis insequi, & si aliter deprehendi nequit, etiam iacto telo sternere. Respõdetur toto illo tempore flagrantis delicti licêre vim vi repellere, etiam dum fugit: postquàm verò aliquô se iam recepit, non licet eum vi aggredi, sed tenere quousq; iudex eum capiat. Attamen cùm hæc licêre astruimus. nempè furem telo prosternere, sic intelligimus si bona aliquanti sint pretij. Nam pro re vili, nempè pro valore duorum triùm ve ducatorum, vt vitam periculo exponere delictum esset, sic & alium interficere. Nam licèt te tuaq; tuendi ius habeas, conferendũ tamè est damnum quod tibi caues cum illo quod das. Quanuis innocentis cõditio melior sit. ¶ Superest autem de honore videre, vtrùm ob eius defensam liceat aggressorem occidere. Est verbi gratia ingenuus vir aut illustris, qui vidêns hostem ad se gladio appropinquare, fugiendo posset liberare vitam, vtrùm fugere cum suo dedecore teneatur ne suam vel hostis periculo mortis obijciat. Apparet enim secundùm ea quę dicta sunt neutiquàm expectare posse: quãdo quidem moderamen inculpatę tutelæ requirit hostis necem necessariam esse ad seruandam vitam: quod in illo casu nõ est. Respondetur nihilo minùs nõ tenere se in pedes conferre: quia moderamen hoc adhibendum est citra honoris detrimentũ quod alicuius sit momenti. Quapropter sacerdotes & monachi fugere omnino in tali casu tenerentur: vt potequorum honor nõ est conflictum illum expectare: quippè quos armorum vsus nisi in extrema necessitate nõ decet. Et idem est de plebeio infimæ sortis, qui nullã prorsus honoris iacturam fugiendo faceret. ¶ Quòd si hinc quispiã contra nos intulerit, licêre tunc etiam lacessito & in duellum prouocato exire: quoniã sine honoris iactura aliud nequit facere. Respondetur nullam esse consequentiam. Nam tũc nulla vis infertur, sicuti dum præsens est hostis. Et ideò qui exit in duellũ nõ repellit vim vi, sed cooperatur ad iniusti tiam qua alter ipsum prouocauit. Præsertim quòd secundùm rei veritatem & sapientum iudicio, non exire, non est dedecus quia vbi virtus nõ defenditur, nullus est honor: quippe qui eius est præmium. Ob idq; cùm exire ad occidendum priuata authoritate, non sit virtus: fit vt neq; verè sit honor, nisi secundũ vulgus. Et nomine vulgi quicũq; intelligũtur, qui non secundum rei naturam, sed secũdùm popularem opinionem de rebus iudicant. Sed de hoc nihil ad præsens. ¶ Vnũ autem hic quispiam meditabitur fortè sophisma. Videtur nãq; nobili qui in cõflictu vulnus accepit licere hostem cessare iam volentem repercutere: nõ quidem in defensam vitæ, sed honoris quem ei abstulit: nam si licet expoliato bona fugienti latroni vi eripere, cur non & isti eripere honorem? Respondetur disparem esse rationem: nam latro importat tua ipsa bona quæ ab illo eripis: in casu verò præsenti ille quite dehonestauit non secum portat tuum honorem: quare nõ potes illum iam vendicare nisi per vindictam quæ soli publicæ potestati licet. ¶ Ex his suprà dictis fit q; si quis quempiam aggredere tur: vt eum fuste leuissimè percuteret, posset id alter etiam hostem interimẽdo repellere. Præsertim in Hispania vbi tam atrox illa iniuria reputatur. ¶ Vtrùm autem eadem sit ratio de clericis quæ est de laicis. Respondetur quantum ad ius naturę idem esse prorsus nisi quòd de defensione honoris non est par ratio: vtpote qui illum nõ habent in armis. De iure autem Ecclesiastico, statim.

Quandiu tẽpus defensa duret.

Dubium aliud.

Excluditur alterum sophisma.

PRimum igitur argumentum pariter & secundũ eãdem solutione diluũtur. Loquitur enim planè Augustin. in casu tertiæ nostrę conclusionis: nempè nemini ex intentione, puta per viam agressionis & præuentionis licere priuata authoritate se defendere, neq; sua. Et ideo ait, pro his rebus, directam significans intentionem: excipiens nisi sit miles. ¶ Ad tertium verò respondet Diuus Thomas, quod cùm irregularitas incurratur prę

Solutio.

Submotio cauilli.

Ad primũ & secũdũ argumẽtũ.

Ad tertiũ argumẽtũ.

ter culpam, vt patet in iudice, fit vt clericus etiam si se defendendo aliquem interficiat fiat irregularis. Loquitur tamen secundū ius quod suo sæculo erat in vsu. Postmodùm nanq; Clemen. vnica de homi. prouidentet cautum est vt qui mortem aliter vitare non valens suum occidit vel mutilat inuasorem, immunis sit ab irregularitate. Præter q̄ q̄ in dict. cap. de his. nihil aliud habetur q̄ q̄ clericus ille qui paganum defendendo se occidit multùm sibi consuluit si ab officio sacerdotali recessit: quasi non esset necessarium. Ad de quòd fortè loquitur vt in præcedēti. cap. Clericū. de eo qui in militia, nēpè obsidiōne inclusus paganum occiderat, debuerat enim in obsidione non manere: Vnde can. Interfecisti. de homi. volun. præsbyter qui se & sua defendendo inuasorem occidit, non deponi tur, sed ad pœnitentiam admonetur: forsan propter exemplum, aut propter aliquam præsumptam culpam. Sed de irregularitate statim articulo proximo: vbi hæc verba S. Thom. emunctiùs examinabuntur. ¶Quartum argumentum nullius est ponderis: quoniam neq; fornicatio neq; adulterium media sunt ad defensionē quemadmodùm homicidium. ¶Quintum verò super eodem nos loco Pauli tractauimus. Verbum enim Pauli, Non vos defendētes, idem est Græcè quod, Non vos vindicantes: vt eius verbale nomen statim subiunctum ostendit, Mihi vindictam, & ego retribuā. Licet enim vim dum infertur repellere: non tamen illatam iniuriam, nisi per publicam authoritatem, vindicare.

Adquartū argumētū.

Adquintū argumētū

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm qui casu alterum occiderit, fiat homicidij reus.

Primū argumētū.

POST voluntarium homicidiū sequitur de casuali, vtrùm reum faciat homicidā. Sunt enim in partem affirmatiuā, testimonia tā sacra quā sanctorū patrū. Legitur enim Genē. 4. de Lamech q̄ virū in vulnus suum occiderit. Et historia secundū sanctos interpretes fuit quòd cū in venatu credens interficere bestiam, hominem interfecerit, nihilo minùs homicidium ei imputatum fuit. ¶Secundò legitur Exod. 21. Si quis percusserit mulierem prægnantem & abortum fecerit: si mors eius fuerit subsequuta: reddet animam pro anima: abortus autē ille præter percutientis intentionē accidere poterat: ergò casuale homicidium non est absq; culpa. ¶Tertiò. Dist. 50. & extra de homicid. quàm plures extant canones quibus qui clerici casu homicidia fecerunt, irregulares habentur: irregularitas autem vbi in pœnam ponitur, nō nisi propter culpam incurritur. ¶Contrarius autem obuiam occurrit ad Publi. August. vbi sic ait, Absit vt q̄ propter bonum aut licitum facimus, si quidem propter hoc præter nostram voluntatē quic quā mali acciderit, nobis imputetur, homicidium autem casuale est cùm ei qui bonū intendit, malus accidit effectus.

Lamech.

Argum. 2.

Argum.

August.

AD quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima est bimembris, eademq̄; cæterarū basis ac radix. Nihil casuale quatenus casu accidit peccatū est: sed quatenus quidpiā habuerit voluntarij, eatenus erit peccatū. Conclusio probatur secundùm Augustinum contra Faustum: peccatū nō est nisi quatenus voluntarium: casus autem secundùm Aristot. 2. Physicor. est causa præter intentionem, atq; adeò præter voluntatem agētis: ergò casualia secundùm illam rationem nihil secum afferunt culpæ. ¶Secunda cōclusio. Nemo dans operam rei licitæ, neq; siniſtram habens intentionem, dum modò debitam adhibuerit diligentiā nè noceat, q̄uis ex actione sua sequat homicidiū, reatum illius incurrit. Conclusio hæc præcedentis appendix est & corollaria. Nam eiusmodi homicidium nihil prorsus habet volūtatis, sed est simpliciter casuale. ¶Tertia conclusio. Si quis dat operam rei illicitę, vel dās operam rei licitæ debitā non adhibet diligētiam, non est à reatu homicidij immunis, q̄ ex eiusmodi actione fuerit subsequutū. Probatur conclusio. contingit id quod actu per se neq; volitum est neq; intentum, per accidens esse volitum atq; intentum: quatenus id non impedit quod impedire tum poterat tum etiā debebat. Nam causa quæ prohibēs remouet, dicitur accidētaria. Quo fit vt qui causam vel actionē non remouet atq; impedit quā tollere debebat, si sequatur homicidiū, reus eius cōstituatur. Hoc autē fit dupliter. Vno modo quando operā nauat rebus illicitis, q̄s vitare debebat: altero verò q̄n vacans rebus licitis diligētiam nō adhibet: ex cuius cōtraria negligētia subsequitur homicidium. Atq; hæc est asserta nostra cōclusio.

Prima con.

Augustin.

Arist.

Secunda cō clusio.

Tertia con clusio.

Illustratur conclusio.

¶Ad planam verò rei intelligentiam recolê dum est, bifariàm aliquid esse volũtarium. Vno modo directè, quia intentũ: & hoc simpliciter nuncupatur voluntarium, opponiturq; simpliciter casuali, vbi nihil est voluntarij: & alio modo contingit esse voluntariũ per accidens: quia non impeditur: & hoc est medium inter simpliciter voluntariũ ac simpliciter casuale. Sed nihilo minùs ob carentiam directæ intentionis dicitur casuale. Requiritur ergò ad casuale homicidium primò q̃ non sit intentum: secundò vt imputetur q̃ re vera sequatur ex actione quæ tolli debebat: vt habetur cap. ad audientiam. de homi. & cap. presbyterũ. Nam si aliunde sequatur, nullatenùs imputatur agẽti vt eod. cap. Ioãnes. Vt si quem imprudenter incauteq; castigans vulnerasti: & homicidium, vel non est subsequutum: vel non ex vulnere, sed ex maligna curatione, vel alio accidente ille occubuit: non es in cõscientia homicidij reus, sed tantũ incautæ pulsationis. Tertiò requiritur q̃ nõ solùm posses talem actionem euitare, verùm quòd deberes: licèt enim venator excusare posset venationẽ, atq; adeo iactum teli quo præter intentionem factum est homicidium, nullam inde contraxit culpã. Similiter, vt paulò antè dicebamus, dum latro ex te pecuniam petit, comminatus nisi dederis, furtum aliunde se facturum: licèt non dederis & faciat, nõ est cur tibi furtum imputetur quoniam non tenebaris. ¶Atq; ex hoc sequitur quæstiũculæ solutio in præsentiarum moueri solitæ. Dubitatur nanq; vtrùm homicidiũ casuale quod per accidens est volũtarium, sit in vniuersum peccatum mortale. Apparet enim tale ex obiecto. Respondetur nihilo min⁹ nõ habere eiusmodi homicidia plus culpæ quàm fuit in causa: siue causa fuerit datio operæ rei illicitæ, siue negligentia in re licita. Exempli gratia: Prohibitus est clericus equum equitare, illum tamen ascẽdit casũ quo nõ erat nisi venialis culpa, & hominẽ infortunio pessundedit, vt habetur in cap. Dilectus. de homicid. non esset nisi veniale peccatum. Pariter si dans operam rei licitæ: vt miles venator ex negligentia, quia non satis circunspexit occidit hominem, si negligentia non fuit nisi venialis, homicidium non erit nisi veniale. Haud enim diligentiam adhiberi semper necessarium est quàm maximè potest, sed quàm fuerit pro qualitate negotiorum congruens. Quòd si causa culpam habuerit mortalem, leuiorem tamen quàm est genere suo homicidium, nõ erit in ipso homicidio culpa grauior. Sententia est Augustini. 22. lib. contra Faustum: vbi ait, Loth, qui ebrius incestum commisit, nõ fuisse reum incestus: eò quòd crimen illud non habuit plus culpæ, quàm in ebriatione præfuerat. ¶At verò de irregularitate est dubium: & primò contra secundam conditionem suprà positam est argumentum. Dictum enim est quòd si quis lethaliter incautè & ex graui negligẽtia quempiam percussit, qui tamen vel per egregiam curationem vel fortè per miraculum mortem euasit, tũc percussor ille nõ est reus homicidij. ¶Arguitur verò contrà. Si ex intentione illum tam grauiter vulnerasset, eâdem culpa inficeretur ac si esset homicida: ergò & si id incaut⁹ ac negligens fecerit. Respondetur in primis irregularitatem non incurri, quæ homicidis posita est, nisi re vera sequatur homicidiũ. Quare etiam si miraculosa sit mortis euasio satis est vt percussor non habeatur irregularis. Præterea quantum ad culpam est differentia. Nam qui ex intentione hominem vt occideret percussit, statim, quicquid sequatur reus est apud Deum homicidij: qui verò non ex intentione, sed ex cautelæ defectu alium sauciauit, non fit reus maioris culpæ quã quę fuit in causa, vt modò dicebamus. ¶At contra alterum membrum eiusdem cõclusionis quo dictum est, etiã si sequatur homicidium, non tamen ex vulnere, sed aliunde, tunc non imputari: arguitur. Si vulnus erat re vera graue, quanuis infirmus nõ sibi satis caueret, vel non fuerit adhibita illa curatio, quæ si adhibetur euaderet: nihilo minùs dum moritur, re vera ex vulnere moritur: ergò quanuis negligentia vel infirmi vel medici fuerit etiam in causa, ille nihilo minùs est reus homicidij. Et confirmatur hoc inde, quòd neq; infirmus tenetur tanta cautela sibi cauere, neq; optimũ exquirere medicum, neq; verò medicus tam solertẽ adhibere curationem: & ideo licèt non simpliciter ex vulnere, sed adiunctis alijs negligẽtijs sequatur mors, nihilo minùs percussori imputatur qui per iniuriam causam dedit. Adde q̃ forsan neq; chirurgorum copia haberi potuit, neq; alterius qui sanguinis exitũ restingueret qua de causa ille mortem obijt: tunc enim cùm nullus præter percussorem fuerit in culpa, ille erit verè reus. Respõdetur ad hoc q̃ quando homicidium subsequitur iudicio medicorum standũ est: vt cap. signi-

Tres conditiones requisitæ ad hoc quod casuale homicidium imputetur.

Dubitatio. submouetur.

Quod peccatũ sit casuale homicidium.

Augustin⁹

Impugnatur secundæ cõditionis prior pars.

Posterior pars oppugnatur.

Solutio.

ficas.titul.2.admonetur. Vtrùm re vera vulnus, lethale erat, quo plurimũ homines mori solent: & tunc non obstante à parte infirmi negligentia, homicidium vulneranti imputatur. Si autem non erat eiusdem generis, tunc quantum ad percussoris culpam nihil fortuitus euẽtus refert, quando quidem tota præfuit in actione: sed quãtum ad irregularitatẽ si citra alterius culpam sequuta est mors, homicidium ei imputatur. Si verò ob culpã vel infirmi vel medici, excusatur. Nã vulneratus postquàm semel vulnus accepit iure naturæ tenetur suæ vigilanter saluti cõsulere, & Chirurgus etiam ob fidem sui muneris eidem prospicere. ¶His præhabitis descendendum nobis restat ad irregularitatis modos. In primis enim quòd q iuxta tenorem secũdæ conclusionis operam dat rei licitæ, prudentemque adhibet diligentiam quempiam occidit, nullo irregularitatis notamine fordescat, multi sunt textꝰ, extrà, de homicid. vt cap. lator. & ca. dilectus filius. & c. significasti. & c. Ioannes. & cap. ex literis. extrà, de homicid. atq; alij, dist. 50. Quoniã illic non solùm nulla est culpa, verùm neq; voluntaria occisio. Ex hac ergò cõclusione collige, infirmorũ custodes atq; infirmarios dum infirmum in lecto mouẽt vt vel aptiùs ei cibum ministrẽt vel quietiùs iaceat, etiam si inde mors tantillùm accelaret nullam irregularitatem incurrere: quia dant rei licitæ operam. Nisi tam immodica esset negligentia & iactatio illius, vt prudentũ iudicio cẽseretur occisio, atq; adeò mortalis temeritas. Audiui de Confessario qui cùm reũ quẽdam ad patibulũ comitaretur, & casu iumẽtum quo ille vehebatur pepulisset, inde scrupulum irregularitatis conceperit, quòd sua causa properãtiùs eum morti obtulisset. At verò hæc ridicula sunt. ¶In tertia autem cõclusione duas causas irregularitatis posuimꝰ quarum prima erat dum quis dat operã rei illicitæ. Et quidẽ Caiet. hîc & Syluest. in verb. homicidium. §. 2. & Doctores iutis Canonici vniuersalẽ regulã astruunt, q omnis qui dat operã rei illicitę, quomodocũq; ex illa datione sequatur homicidiũ fiat irregularis. Attamẽ regula hæc in primis nõ habetur in iure sed eius interpretes illam inferunt excõtrario sensu: nempè ex prefatis capitulis quibꝰ qui dãt operã rei licitæ excusantur. Et potissimùm ex cap. ex literis. 2. & ex cap. dilectus filius. vbi habetur q qui nõ dat operam rei illicitæ, si nõ est negligens nõ est irregularis.

Qui incurrunt notãm regularitatis.

Factum ridiculum.

Explicatur tertia cõclusio.

Inde nanq;, tum alij tum etiam S. Tho. intũlit, quòd qui rebus vacãt illicitis fiant ex eo homicidio irregulares. Debet ergò suis moderaminibus temperari vt verũ habeat vniuersaliter. In primis si clericus in adulterio deprehẽsus inuaditur, & cum moderamine inculpatæ tutelæ inuasorem occidit, quãuis operã daret rei illicitę, non debet irregularis censeri: quia homicidiũ illud nõ est tunc voluntariũ. Nam quanuis adulteriũ fuerit voluntarium, nõ tamen fuit per se causa homicidij: sit vulneratio quæ nõ fuit voluntaria. Rursùs in dicto cap. ex literis. excusatur ille monachus ab irregularitate q cũ campanã de campanili deponeret, cadẽs lignũ puerũ oppressit. Fac opus illud fuisse seruile, & forsan in die festo, aut cõtra præceptũ Prælati deliquisse illo opere monachũ: vtrùm propterea esset irregularis? profectò minimè credendũ est. Irẽ in dict. cap. dilectus. excusatur clericus qui sanitatis gratia ascendens equũ inopinatò alterũ interimit, vtrũ si equitatio illa eidẽ clerico fuisset nocua & cõtra iussum medici, deliquisset propterea esset irregularis? profectò nulla est ratio vt credas. Nã peccatũ q fuit in causa ex natura sua, nihil ad homicidiũ referebat. Sed ais, neq; hoc dicũt Sũmistę. Imò verò id asserit Syluest. in verbo, homicidio. 2. dub. 18. videlicet q si qs cædẽs arborẽ quæ erat sua optimè circũspexit nè quenquã opprimeret: quanuis postea cadens arbor transeuntẽ fortè cõpresserit non est irregularis. Si tamẽ arbor nõ erat sua, fiet irregularis: quoniã dabat operã furto. Et pariter habent dicere q si nobilis secularis in proprio nemore venat, & merè casualiter hominẽ occidit, nõfit irregularis ad suscipiendos ordines: fiet tñ si nemus est alienũ, & cõtra domini voluntatẽ illic deprędatur feras. ¶Hec autẽ profectò minimè credẽda sunt: sed sic intelligẽda est res illicita cui dat opera vt scilicet genere suo res illa causa esse soleat homicidij. Vt si clericꝰ dat operã rei bellicæ: licèt imprudẽs & nescięs aliũ prętęr suã intentionẽ occidat, est irregularis & pariiure si torneamenta atq; alia pugnę simulacra exerceat, quæ clericis vetita sunt. Itaq; vt homicidiũ casuale ratione rei illicitæ causa sit irregularitatis, requritur q opꝰ illud cui cõsulò operã dabat genere suo sit periculosum. Quãdo verò illa opera nõ sunt clericis ideò prohibita, neq; adeò illicita quia periculosa, sed aliã ob causam tũc homicidiũ quod merè est casuale nullius est irregularitatis causa

Sylueſter.

Quando debeat irregularis cenſeri qui dat operam rei illicitæ.

Qua pro-

Quapropter Caietani hic sentẽtia, quòd clericus qui inter venandum homicidium casuale fecit, similiter excusatur ac sæcularis, nescio an sit vsquequâq; vera: nam si est venatio talis q̃ clericis non ob id vetatur, ꝙ periculosa est: verũ habet: si autem propter periculum prohibetur: vt est venatio aprorum quæ armis, & telis, & ferocibus canibus fit: profectò fiet clericus irregularis: vbi sæcularis non fieret. ¶Et per hanc decisionẽ arbitror explicari cũcta capitula q̃ de nauãte operã rei illicitæ adduci possunt. In primis in c. continebatur. de homic. vnde suam isti regulam colligunt, Diaconus irregularis censetur nõ ob id quod operam dabat rei illicitæ: nam iacere baculos leuãdi laboris gratia neq; clericis interdictum, neq; erat periculosum: sed propterea quòd dum alter in eum insiliuit, debuisset cauere nè falce qua ipse erat accinctus vulneraretur: nam statim cap. lator. clericus qui alterũ in terrã proiecit, ꝙ opus de se magis videbatur illicitum: quia non ex sua negligentia cultellus eius in alterum incidit, non condemnatur irregularitatis pœna. Casu autem capituli: Suscepimus. non idcirco fit ille monachus irregularis ꝙ latrones in defensam propriæ vitæ occidit, sed ob id quod pro rebus tẽporalibus, quarum monachi non debent esse adeò cupidi, eos ligauerat, ac perinde causam dederat homicidio. Sed & casus capituli, Tua nos. eidẽ nostro asserto patrocinatur. Illic enim decernitur clericũ qui Chirurgię pietatis gratia in curanda quadã muliere operam impẽderat, & præter eius intentionem mortua est, non fuisse irregularem. Vnde à contrario sensu colligitur ꝙ si quæstus causa id feciſſet, fuisset irregularis: eò videlicet ꝙ propterea clerici ab illa arte arcẽtur: ꝙ est genere suo periculosa. ¶Secundus modus quo casuale homicidiũ imputatur est negligẽtia: quæ quidẽ si absq; vlla fuerit culpa, nulla est irregularitatis causa: vt capitulis suprà citatis habetur: quibus secundã cõclusionem diui Thomæ suffulsimus. Nã etsi irregularitas citra culpã incurrit, vt patet in seculari iu dice, debet tamen vt diximus, esse volũtaria: & vbi negligentia extra omnem est culpã, effectus non censetur volũtarius: quãdoquidem inuolũtariũ, vt dictum est in his quę causę sunt per accidens, non est nisi vbi homo id facere omittit quod facere debuit. Quapropter, vt suprà diximus, prudenter cautũ est Clemẽ. vnica de homicidi. vt qui aliter mortem euadere non valens inuasorem occidit, aut mutilat, liber ab irregularitate sit. Et pari iure etiam clerici sacerdotes petentes in iudicio sæculari malefactorum emendam, & eorum quibus expoliati sunt restitutionem, dummodò protestentur se id ad vindictam non facere, neq; ad sanguinis effusionem, quanuis patibulo illi affigantur, ab irregularitate sunt immunes: vt habetur de homicid. volũ. lib. 6. cap. Prælatis. ¶Id autem forsan scisciteris, vtrùm vbi causa culpam non habuit nisi venialem: incurratur irregularitas. Caieta. in præsentiarum ad partem annuit affirmatiuam. Ait quippe casuale homicidiũ semper imputari danti operam rei illicitæ, quo ad pœnam irregularitatis, & culpam aliquam: sed non semper quo ad mortalem culpam. Vbi docet citra mortalem incurri irregularitatem propter aliquam culpam. At verò quanuis hoc aliquam præ se ferat probabilitatem, pro eo quòd iam tunc homicidium est quadantenus voluntarium, nescio tamen an omninò sit verum. Difficile enim est creditu quòd irregularitas, quę ceu pœna propter culpam imponitur, incurratur ex sola veniali culpa. Quare ego vix illud credere queam. Exempli gratia, Decernit Clemen. modò citata clericum qui se defendendo hostem occidit, non esse irregularem: quòd ergo qui per leuissimam culpam venialem, causam dedit homicidio, scilicet quia non vsque adeò perspexit an citra illud poterat se defendere irregularis fiat, nescio quis credat.

explicatur multa capita de homicidio.

Quando incurratur irregularitas propter negligẽtiã.

Dubitatio.

Caietanus.

Solutio.

PRimum igitur argumentum erat de Lamech, qui Gene. 4. fatetur occidisse virũ in vulnus suum: nempe qui, vt omnes habẽt interpretes, inter venandum, Cain latẽtem, putans se feram occidere, iaculo infixit. Ad hoc igitur respondetur, non satis circunspexisse: vel, vt alij aiunt, cùm oculi iam sibi caligarent ducatu pueri id incautè feciſſe: ea scilicet ignorantia quæ ipsum in culpam cõiecit. ¶Ad secũdum respondetur quod qui mulierem prægnantem pulsat, idem iudiciũ subit, vbi periculum est abortus, atque homicida. nempe quòd si ex intentione faciat mortaliter peccat: & si casu, tanta delinquit culpa quãta fuit in causa. Quòd si fœtũ erat animatus, fit verè homicida, atque adeò irregularis. ¶Ad canones autẽ adductos in tertio argumento, satis superque responsum est. Neminem enim irregularitatis sen-

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secũdũ argumẽtũ.

Ad tertiũ argumẽtũ.

tentia eõdemnant, nisi eum qui vel operam rei illicitæ dederit, vel in re licita fuerit negligens.

QVAESTIO SECUNDA, de mutilatione membrorum.

Sanct. Thomas. 2. 2. quæst. 65.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm quempiam suo mutilare mẽbro sit licitum.

Primum argumentum à parte negatiua.



VOniã animalis vita ex ea quæ in mẽbris est cõstat: post homicidiũ sequitur de mẽbrorũ mutilatione, vtrùm sit vllo casu licita. Et arguitur à parte negatiua. Peccatũ per hoc cõmittitur, vt lib. 2. ait Damas. ꝙ receditur ab eo quod est secundũ naturã, in id quod est cõtra naturã: secundùm autem naturam, autore Deo corpus decet esse suis membris integrum: ergo contra naturam est illud mutilare. ¶ Secundò. Sicut anima ad totum corpus, sic & animę partes ad partes corporis: vt. 2. de Anima autor est Arist. anima autem hominem priuare nisi publica potestate non licet, ipsum occidendo: ergo neq; particularia membra nisi eâdem publica potestate licebit suis animę partibus, hoc est potẽtijs, orbare. ¶ Tertiò. Salus animæ saluti corporis præferenda est: nemini autem propter animæ salutem licet sibi membrum, abscindere: puniuntur enim secundùm: prisca Niceni Concilij statuta qui se causa conseruãdæ pudicitiæ castrauerunt: ergo ob nullam aliam causam amputatio vlla membri licita est. ¶ In contrarium est quod Exod. 21. iubetur, Oculum pro oculo, dentem pro dẽte, ac manum pro manu reddi.

Secundum argumẽtũ.

Tertium argumentum.

Cõciliũ Nicenum.

Sensus quæstionis.

QVæstio hæc duobus sensibus decidenda est: quatenùs amputatio membri aut publica authoritate fieri potest, aut cuiusq; priuata. Nam & abscisionis causa, vel morbus esse potest spiritualis, puta voluntarium crimen, vel naturale corporis vitium. Respondetur ergo tribus cõclusionibus. Prima. Sicuti publica potestate quis licitè ob graue crimen priuari potest vita: ita & propter leuius truncari potest membro. Probatur. Sicuti partes eiusdem humani corporis membra eius sunt, atq; adeò in eius seruitiũ atq; adminiculum creata: sic & singuli ciues membra sunt totius rei publicæ ad eandem relata & ordinata: ergo sicut de mẽbris eiusdem corporis eo modo disponendũ est qui saluti totius corporis est cõgruentior: sic & de ciuibus singulis quatenùs saluti rei publicæ est expedientius: membrum autem sanũ absque detrimento corporis abscindi nõ potest: quia toti cõmodum est sed tunc quando infectum nocet. Igitur si ciuis nocumentum intulit rei publicæ, sicut posset respublica illum prorsus dum crimen id meretur extinguere: sic dum peccatum non est tam graue: potest ipsum mutilare: etiam si membrũ ꝙ abscindit corporali sanitate vigeret, essetq; personæ vtile. ¶ Secunda conclusio. Rursus dum membrũ aliquod naturali morbo corruptum fuerit, ex voluntate ipsius ægroti abscindi potest ad eius seruãdam vitam. Probatur. Nam vnusquisque ius habet propriam seruandi vitam: ergo dum abscisio membri necessaria est, tunc perinde atq; alia medicaminũ genera potest illam quisq; sibi optare. Quare & autoritate etiam parẽtis, aut alius gerentis eius curam, citra publicam facultatẽ id fieri potest. ¶ Tertia conclusio. Extra hos duos casus nulli per publicam autoritatem, neq; per consensum priuatæ personę licita est mutilatio. Probat: quia vita totius ex membris constat. Quare sicut homicidium nemini licitum est, ita neq; mutilatio. ¶ Adnotandum ergo discrimen est quòd propter spirituale vitium licet quidẽ reipublicæ hominem mutilare, non tamen ipsi priuatæ personæ: sed vice versa, ob corporalem morbum licet infirmo sibi membrũ consilio medici abscindi permitti, nõ tñ hoc reipublicæ munus est vt eũ cogere possit. Et ratio est: quia vnusquisq; est suæ vitæ custos: respublica verò boni cõmunis. Quo fit vt licèt homicidium non nisi ob culpam fieri possit: mutilatio tamen licita etiam sit propter corporalem salutem. ¶ Sed nunquid non potest respublica, aut pater, aut prælatus filium aut subditum cogere, vt dũ ad salutem fuerit necessarium, membrum sibi permittat abscindi? Respondetur ꝙ respublica in hoc nullum habet ius: prælatus verò cogere posset subditum propter singularem

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

Tertia conclusio.

Adnotãdũ discrimen.

Rogatio.

Solutio.

rem obedientiam illi promissam, vt medica mina admittat quæ commodè recipere potest. At verò quòd ingentissimum dolorem in amputatione mẽbri aut corporis incisio ne ferat, profectò nemo cogi potest: quia ne mo tenetur tanto cruciatu vitam seruare.

Vox Marij Neque ille censendus est sui homicida. Imò vera est illa Romani vox dum crus illa aperiretur, Non est tanto dolore digna salus.

¶Tertia demum conclusio absque alia exceptione generalem continet veritatem. Nulla enim de causa, præter iam exceptas vlli licet à se membrum truncare. Summa enim videri potest ad extirpandos carnis agones: quam ob causam Origenes in Histo.

Origenes. Eccleſiasti. lib. 6. cap. 6. fertur sese castrasse: quo ad literam, vt fortè arbitrabatur, verbum impleret euãgelicum de eunuchis qui se castrauerunt propter regnum cœlotum. Quod tamen flagitium illi fuit, vt decretum habet Concilij Niceni: cano. si quis à medi-

Marcus. cis. distinctio. 55. licet zelus & castitatis indicium, laudi sit illi tribuendum. Neque verò Marci factum qui, vt eius habet historia, pollicem sibi ex nimia humilitate resecuit, nè inuitus sacris initiaretur, laude dignum est, nisi reuelatione aliqua protegatur. ¶Hoc autem restat haud dissimulandum dubium, vtrùm qui, vt exem-

Dubium. pli gratia dicamus, ferro manum haberet aut quoduis aliud membrum muro illigatum: si ignis flammam ipsum iam iam inuasuram, aut irruentes hostes aliter effugere non posset quàm membrum sibi amputando, id sibi liceret. Apparet enim nequâquã id iure posse. Perinde enim casus huiusmodi habere videtur atque ille quem suprà refutauimus. Videlicet si quis tibi mortem minaretur, nisi tu tibiipsi membrum resecares. Diximus enim id tibi non licêre. Respõdetur nihilo minùs non esse similes imò in

Dubij exclusio. præsenti euentu, nisi meũ me fallit iudiciũ, ius illi misero fauet vt illo modo mortem euadat. Nam quando alter tibi minatur mortem, ab extrinseco est abscisio membri necessaria: & ideo tibi non licet: quando verò alligatus es, iam est ab intrinseco. Quare sicut si te canis dentibus teneret posses partem illam inscidere: & si occlusus esses, exilere de feneſtra posses, cum periculo frangendi membri. Simile ius est

Quando incurrat irregularitas in casu nostro. ¶De irregularitate verò tam mutilantium quàm mutilatorum vt dicere pergamus, certum est mutilantem irregularitatem cõtrahere. Nam cùm tot capitulis citatis in titulo de homicid. constitutum sit, homicidium irregularitatem inducere: & membrum quodcunque pars sit vitæ: consequens fit vt mutilator quadantenùs homicida censeatur, hoc est membri occisor, atque adeò irregularis: vt optimè doctores notant post glossam supra citatam in Clementin. de homicid. vbi ambo componuntur verba, occidere & mutilare. Quare non sufficit ad irregularitatem quòd quis membrum debilitet: imò fortè neque quòd ipsum citra detruncationem mortificet. Nam pœnæ sunt restringendæ, & iura non loquuntur nisi de mutilatore.

Opinio iuris prudẽtiũ. ¶Adnotauit autem eadem gloss. intelligendum esse mutilationem membri principalis: atque hactenùs rationi consonat. Exẽplũ autem quod subdit, nempe quòd abscisio digiti irregularitatem non inducat, non vsq; adeò veritatem continere videtur: tametsi plerique Iurisconsultorum in eâdem persistant sententia, cum hac moderatione, quòd digitus ille non sit index aut pollex, quibus diuinum corpus apprehẽditur. Et ratio eorum est q̃ cæteri digiti non sunt principalia membra: vt pote qui præcipua non habeãt officia: iuxta verbum Apostoli ad Roman. 12. vt est oculus, & manus, &c. At verò fortè

Caietani opinio probabilior. probabilior est contraria Caietan. assertio: nam re vera digitus quisque officium habet licèt nõ ita præcipuum sicut pollex aut ndex. Qui autẽ particulam tantùm digiti vel sibi vel alteri abscinderet, cò non esset irregularis, quòd parùm pro nihilo reputatur. ¶Quo autẽ ad mutilatos & truncos descendamus, id primùm adnotandum, ob aliam rationem eos haberi irregulares quàm mutilantes. Illi enim quia se cruentârũt, inhabiles facti sunt: isti autem quia suo ipsorum corporis habitu inepti, ac perinde indecentes exiſtũt, vt sacris altarib⁹ administrẽt. Nã & antiquitùs vt Leui. 22. memorię prodi-

Cõciliũ Niceenum. tum est, nullum animal quod cæcum esset, aut truncum, aut fractũ, aut testiculis sectis aut tũsis, licebat offerre Domino. Et enim si ad principum mensas tales non admittuntur administri, multò min⁹ eos decet diuina mysteria tractare. Hac enim ratione in cõcilio Niceno eiusmodi corpore vitiati ab eccle-

Concilium Arelatẽse. Gelasius. siastico munere abacti sunt vt can. si quis à medicis. 55. d. referť. Postquã sanctionẽ subsequutæ sunt aliæ tam concilij Arelatensis quàm Gelasij, atque aliorum pontificum: vt eâdem

eâdem distin.can.Hi qui.atque alijs,legitur. Atqui illi præcipuè à sacris functionib⁹ inhibentur,qui siniſtrè Euangelium audientes,quo carni resisterent, volentes secti sunt: quibus canonibus pòst subscripsit Alexã.3. toto titu.de corp.vitiat.Imò & deformitas si grauis sit in oculo, q̃uis sit natiuitatis vitiũ, promotionem prohibet. Qui autem sanitatis gratia medicorum consilio secantur,non ideo reddũtur inhabiles ad sacerdotium: vt habetur eâdem distinctione.can.si quis pro ægritudine.&de corpo.vitiat. vtroq; cap.ex parte. Neq; solùm mẽbri principalis abscissio,qualis est manus, irregularitatẽ inducit: vt habetur cap. exposuisti.eo.titu q̃ imò & si quis partem digiti sibi abscidit: vt habet can.qui partem.55.distin. Sed intelligitur q̃ sit tanta vt sine scandalo tangere sacrosanctum sacramentum nequeat: vt exponitur de corp.vit.cap.1.& cap.vlt. Et forsan leuior causa requiritur in mutilante vt fiat irregularis, quàm in mutilato. Nam in mutilante abscindere digitum,vt diximus,forsan suffi cit quia membrum occidit:in mutilatove rò requiritur quòd sit vel insignis deformitas:siue à casu,siue à natiuitate proueniat.

Alexãd 3.

Ad primũ argumẽtũ.

AD primum igitur argumentum principale respõdetur, id quod est contra particularem naturam fieri posse secundùm vniuersalem:vt ascensus aquæ ad replendum vacuum: testimonio nobis est. Quare etsi membri amputatio deformis sit corpori:cõ gruere tamen potest tum saluti eiusdẽ: tum etiam bono communi. Verum est tamen quòd respublicæ bene institutæ, quàm possunt maximè abstinent ab huiusmodi supplicijs.Primùm nè pœnam talionis à malefactoribus antiquo more exigant: scilicet oculum pro oculo,& dẽtem pro dente.Deinde nè dexteras amputent:quæ quidem detruncatio inutilem hominem reddit. Blasphemis autem optimo iure lingua abscindi tur,& falsis testibus euelluntur dentes.

Ad secũdũ argumẽtũ.

¶Ad secundum respondetur, quòd cùm vita non ordinetur ad alium finem ipsius viuẽtis sed solùm ad bonum publicum, nullatenùs se homo potest illa priuare: sed sola respublica illàm habet potestatem: membra tamen ordinantur ad vitam: & ideo persona ipsa quæ suæ custos est vitæ, potest mem brum causa vitæ resecare. ¶Ad tertium de niq; respondetur,quòd abscisio mẽbri corporalis eò est licita quòd necessaria esse solet vitæ seruandæ. At verò ad salutem spiritualem nunquàm est necessaria. Nam peccatum per quod anima moritur,vbiq; & semper voluntati subiacet: aliàs no n esset peccatum. Et fidelis Deus,vti ait Paulus,maiorem homini tentatiõnẽ non permittit, quã ipse per eius gratiam superare potest. Quapropter verbum illud, Si oculus tuus scandalizat te,erue eum:& si dextera manus tua scãdalizat te,abscinde eam:nõ eò dictum est quòd esse possit vnquàm necessarium: sed vel hyperbole est,vel alium sensum facit moralem de occasionibus amputandis, vt sancti interpretãtur: & nos etiam pro modulo illic nostro expositũ reliquimus. Vnde super illud Matthæ.19. Sunt eunuchi qui seca strauerunt propter regnum cœlorum: ait Chrysosto.Non per membrorum abscisionem, sed per malarum cogitationũ interemptionem.

Chrysost.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm liceat patri filios, aut dominis seruos verberare.

POST mutilationem sequitur de alijs verberibus illi annexis dicere. Et quia non dubitatur quin reipublicæ id sit licitum, inquiritur de patribus an liceat verberare filios. Ait enim Phil.10.Ethico.c. 11.q̃ patris præceptio vires non habet, neq; cogendi necessitatem, neq; vllius prorsus vi ri nisi sit princeps: verberatio autem quædam est coactionis species: ergo id patribus non conuenit, neque verò dominis. ¶Secundò arguitur. Si id parentibus ac dominis licitum esset, cùm ad fraternam correptionem pertineat,cuicunq; personæ idem suffragaretur ius, vt quẽlibet verberare corripiendo posset. ¶In cõtrarium autem est illud Prouerb.13.Qui parcit virgæ, odit filiũ suum. Et infrà cap.23.Noli subtrahere à puero disciplinam.Et Eccles.13. seruo maleuolo tortura & compedes.

Primum argumentum partis negatiuæ ex Aristo.

Secundum argumẽtũ.

AD quæstionem respondetur vnica conclusione. Patribus tantùm ac dominis, aut paternam gerentibus curam, puta magistris ac pędagogis verberare licet subditos & flagellare: nequâquam tamen mutilare. Vtraq; conclusionis pars hac ratione probatur. Inter mutilationem ac verberationẽ hoc interest q̃ mutilatio vsq; adeò est maius

Cõclusio vnica.

ius verberatione nocumentum, vt sit irrecuperabile: quale non est verberatio: vt pote quæ sensui duntaxat dolorem incutit: igitur cùm vita totius ex vita membrorum cõstet, fit vt ad eundem præcisè legitima mutilatio pertineat ratione criminis, qui in vitam ipsam habet potestatem: quæ quidem functio penes solam est rem publicam. Verberatio autem ad faciliorem castigationem, promptioremq; correptionem spectat: nihilo minùs & hæc quandam autoritatẽ exigit, quam verberãs in eum qui vapulat exercet: hanc ergo cum primis pater habet in filios: pòst verò dominus in subditos: ac demum in discipulos & pupillos magister ac pædagogus. Nam de prælatis, quia publica vigent potestate, ambigi non potest. ¶Res est facilima. At quanuis de patria potestate, scilicet quanta sit in filios, lib. 1. q. statim prima dictum sit, nihilo minùs hìc forsan studiosus roget quonam iure negatiua cõclusionis pars fulciatur. Apparet enim iure naturæ liberum esse patribus, non solùm verbere, sed etiam mutilatione, & si opùs esset, cæde etiam in filios animaduertere. Nam illo iure illis incumbit liberos educare, & moribus instituere: quæ quidem institutio sæpissimè exposcit mutilationis mortisque vindictam. Secũdò arguitur. Statim in mũdi primordijs nõ erat alia respublica quàm domestica: nempe dum sola familia Adæ orbem possidebat: tunc ergo cùm necessaria esset publica scelerum vindicatio, consequitur vt patri id incumberet munus. Enimuerò Cain dignus erat supplicio capitis nisi ei Deus peperciſſet: quod & reus ipse metu illo maximo, Qui inuenerit me, occidet me, testabatur. Illud ergo supplicium nemo ei poterat infligere præter patrem. Ad hæc, si aliqui essent mortalium sic dispersim viuentes, vt sub nullo agerent principe, sed vnaquæque domus seorsum viueret, tunc profectò ratio ipsa docere videtur vt eos qui cõmeriti essent mortem, pater posset vel auus eidẽ supplicio addicere. ¶His veruntamen non obstantibus respondetur ius ipsum naturæ parentibus eiusmodi vltiones interdicere, soliq; publicæ potestati tribuere. Idque iure gentium esse confirmatum. Vita enim humana vsq; adeò non debet absq; meditatissimo iudicio & iuris ordine extingui, vt idnon debeat tantæ multitudini committi quanta est parentum, qui neq; leges sciunt, neq; causarũ merita perpendere omnes possunt. Quocircà sic parentibus educare filios natura concessit, vt tamen lineam præscripserit quousq; sua facultas procederet, & vnde publica inciperet: vt. l. si filius. cautũ est. C. de patri. potest. & l. Prætor. ff. de iureiur. §. præterea. Et ad secundum argumentum iam loco citato lib. 1. q. 1. respõdimus Adam habuisse publicam potestatem iure dominij orbis quod penes se tunc temporis erat: aucto verò mortali genere, orbeq; iure gentiũ per familias distributo, vna q̃q; habuit suũ principem. Quapropter, vt ad aliud respondeamus, qui vagi nunc viuerent, seorsumq; & priuatim absq; republica, contra hominis naturam degerent vitam: quippe qui suapte natura animal ciuile est, & gregatile. Quare ab illis nullum sumitur contra præsentem veritatem solidum argumentum. ¶Mutilare ergo parentibus non licet, neq; mortalium vlli præter publicam potestatẽ, sed fuste cædere aut ferula. Id enim est illis iure naturæ concessum. Homo nãq; tribus vijs ad virtutem instituitur: nam & ratione ducitur, & metu cogitur, & allicitur præmio: anteà ergo quàm rationis fyd⁹ eluceat, natura prouidit vt puer & metu cogatur & afficiatur munusculis. Quapropter institutio paterna, quæ prima omniũ est, his duobus vtitur. Vbi verò iam ratio suo fruitur lumine, lege tunc incipit & ratione viuere: atq; adeò sub publica potestate. ¶At verò parentum verberatio nõ vsq; adeò atrox est ve permittitur vt habetur citatis legibus. C. &. ff. Quare Paulus ad Ephes. 6. Vos, inquit, patres nolite ad iracũdiam prouocare filios vestros. Et infrà, Et vos domini eadem facite seruis remittentes minas. Vbi tam parẽtes, quàm domini admonentur, tum nè minis suos acerbis exterritent: tum præcipuè, vt dum bili correpti acerba minantur, non se obligatos adimplere arbitrentur: sed potiùs quæ perturbato animo cõminati sunt, sedatò post condõnent. ¶Ex quo fit patrem inter corripiendum filium posse letha liter peccare: nempe si iracundia non illi fit rationis miles, sed dux, quæ illam suppeditet, & ad eandem iracundiam prouocet filium. Imò verò si ex odio in filium animaduertit, acriùs hac ratione peccat quàm extraneus. Est enim apprimè animaduertendum discrimen inter patrem & iudicem. Publica enim potestas, vt suprà dictum est, nõ tam reo ad emendam consulit, quàm communi bono ad vindictam: patri verò, ac domino

Obiectio cõtra cõclusionem.

Ratio altera.

Solutio.

Qualis sit parentũ potestas in filios.

Paulus.

Discrimẽ inter patrẽ & iudicẽ.

mino, & pædagogo non alia ratione verberare suos fas est, nisi quo ad eius emendationem salubriùs ei consulitur. Quare & pro ætate, & pro cõditione, & ingenio pueri corripiendus est. Imò & Quintili. & qui de educatione puerorũ scripserunt, non consulunt vt nimio rigore parẽtes in suos natos inuehantur. Nam si sint bene nati, solent eos illo rigore ignauos facere ac meticulosos: si verò duri sint ingenij, duriores illos efficiunt.

Quintilianus.

¶Sequitur ex his secundò solutio dubitatiunculæ, an liceat parentibus vulnerare filios: aut dominis seruos. Quatuor enim sunt læsionum genera: scilicet interfectio, mutilatio, verberatio, & vulneratio, hoc est vulneris inflictio: quæ & fuste fieri potest, & gladio, per dyscrasiam & discontinuationem membri citra mutilationem: quare ad atrocẽ verberationem pertinet, quę neque parentibus licet, neque verò dominis.

Solutio' alterius dubitationis p' tactæ.

¶Post hæc verò rogitas vtrùm liceat etiam eisdẽ œconomicis præsidentibus filios aut discipulos verberare etiam clericos, & an incurrãt canonem, Si quis suadente. De hoc loquitur Sylvest. verb. excommunicatio. 6. §. 4. Et quidem Panormita. super cap. cum voluntate. de sent. excom. distinguit, quòd si sint in minorib' ordinibus licet eos verberare correptionis gratia. Atq; id videtur colligi ex eodem cap. §. si verò. Nam dicitur quòd possunt clerici seniores, zelo deuotionis adolescentes in minoribus ordinibus turbantes diuinum officium leuiter percutere: tamen statim sine dilatione subditur quòd possunt etiam obtẽtu prælationis & magisterij subditos scholares percutere: & expresse, ca. ex tenore. habetur q̃ Prælato liceat verberare inferiorẽ, etiam si sit subdiaconus. Ex quo infert Sylvest. quòd si prælato id licet, eodem iure liceat patri. Et sic dissecantur iurisconsulti de his subditis, qui sunt in sacris. Nam de minoribus nemo dubitat, quin verberari possint.

Sylvester. Panormi.

Altera quæstio.

¶At verò his non obstantibus de prælato, nulla tenùs in dubiũ venire potest quĩ possit subditos etiam sacerdotes flagellis cædere more cõsueto: vt patet in Decretis, distin. 45. per totum. An verò ex bili arrepto fuste possit eos ferire, nescio an liceret: quia cùm modus non sit consuetus, minimè apparet tam castigatio quàm iniuriosa læsio. Attamen consequentia à prelatis ad parentes nõ est tam liquida quàm Sylvest. arbitratur. Nam prælati habent publicam potestatem ac iurisdictionem cum vi coërciua: parentes verò ac reliqui non nisi œconomicam. Nihilo minùs non esset omninò condemnandum, quin magistri possint etiam discipulos ferula verberare, etsi essent in sacris. Sed de hoc stãdum est vsui & foro ecclesiastico.

Legitima solutio pro posita quæstionẽ.

¶Si verò dubitas vtrũ dũ corripiendo excesserit, seu prelatus sit seu pater, canonis sententiam incurrat: Respondetur quòd quanuis aliquo modo excedat, etiam vsque ad sanguinis effusionem, dum tamen id præter suam intentionem accidat, non est censendus incurrere: postquàm dat operam reiicitę. Neque potest homo tam attentus esse quo minùs virtutis limitem transgrediatur. Quãdo verò vsque adeò esset excessus enormis, vt odij indicium existeret, tunc sanguinem fundens, canonem incurreret. Quapropter eâdem distinctione, cano. cùm Beatus Paulus, & can. disciplina. admonentur lenitatis prælati: nempe nè tam immodicis verberibus quàm salutiferis verbis suos subditos instituant.

Scrupulus.

Responsio.

¶De marito autem vtrùm vxorem verberandi ius habeat, respondetur non esse illis denegandum: quandoquidem vir, vti ait Paulus, caput vxoris sit: vti tamen eodem iure dedecus est, atq; adeò nefas, nisi grauissima ingruẽte necessitate. Sunt enim barbari qui vxoribus vt mancipijs vtuntur: vt. 1. Politic. autor est Aristo. Cùm enim duo sint in carne vna, æqualitate quadã esse decet complexos.

Aristot.

AD primum igitur argumentum respondetur, quòd etsi secundùm Philosophũ pater vim non habeat coërciuam: quia domus non est perfecta respublica sicut ciuitas: id tamen duntaxat fit inde consequens quòd non possit aut occidere, aut mutilare aut alia irrecuperabilia nocumenta infligere: haud tamen vetatur quin leuioribus verberibus possit vti.

Ad primũ argumẽtũ.

¶Ad secundum respondetur q̃ etsi vnicuilibet licitum sit disciplina alios instituere & fraterna correptione admonere si sua ipsi spõte audire velint, ad id tamẽ cogere nemo potest nisi qui curam alterius gerit: quales sunt parentes, domini, ac pædagogi: quibus ideo solis pertinet verberibus castigare. Adde quòd etiam iussu istorum potest eorum minister idem facere: sed prætereà id nemini licet. Quare etiam si in flagranti delicto latronem tua deprædantem occupes, tantùm tibi licet resistendo eum percutere, non tamen fugiẽtem per modum vindictæ: nisi adeò esset leuis verberatio vt pro nulla duceretur.

Ad secũdũ.

Artic.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm licitũ alicui sit carceri quẽpiam mancipare.

POST cædes, vulnera, & verbera sequitur vt de carcere etiã dicamus, vtrùm licitum sit hominem in ipsum includere. Arguitur enim à parte negatiua. Homo suapte natura est liber: secundùm illud Eccles. 15. Deus reliquit hominem in manu consilij sui: libertati autem incarceratio obuersatur: humanæ ergo naturæ repugnat, atq; adeò nemini licet. ¶Secundò. Si hominem carcere coërcere liceret, id maximè ad cohibendum illum nè malefaceret: si autem illo fine licitum esset, idem cuicunque cõpeteret ius: nam cuiq; licet proximum suum à malo cohibere. Consequens tamen est falsum: nã inter alias iniurias connumeratur: quæ quidem eo grauiores sunt quo in personam inferuntur quæ plures habet coniunctas: nam tunc iniuria quæ vnum tangit, multos attingit: ergo id nequâquam licet. ¶In contrarium est historia Leuit. 24. vbi quidam legit in carcerẽ de peccato blasphemiæ intrusus.

Primũ argumentũ.

Secundũ.

AD quæstionem duabus cõclusionibus respondetur. Prior est. Publicæ potestati, eidemq; soli fas est subditos in carcerẽ occludere, siue ecclesiastica sit, siue ciuilis. Probatur pars vtraque conclusionis. In bonis corporis tria per ordinem considerãtur. Primùm eius integritas, cui per occisionem ac mutilationem nocetur. Secundum, sensualis delectatio ac voluptas quæ per verberationem impeditur. Tertium: membrorum vsus qui per carceres, perque alia quæcunque ligamina cohibetur. Primum autem nocumentum propter eius grauitatem soli reipublicæ, vt dictum est, reseruatur. Secundum verò, quoniam leuius est, parẽtibus ac dominis permittitur: Tertium ergo, cùm non modò via sit ad primum, verùm & quædam eius inchoãtio: nam ob id reus carceri mancipatur vt vel auditus supplicio deputetur, vel ob leuius crimen illam luat pœnam: condecens est, vt eidem soli reipublicæ sit deputatum, penes quam potestas est vitæ & mortis. Quocircà neque parentibus neque dominis id licet. ¶Hinc fit carcerum duplicem esse vsum in republica. Seruiunt nanque & ad conseruandum malefactores dum eorum causæ tractantur ac deciduntur, & præterea in pœnam: qua plurimum ecclesiastica potestas vtitur, dum ad verbera procedere non potest. Et quod de carceribus dictum est, idem & de exilio censendum. Pariter enim libertati contrapugnat. Quin verò vt perpetui carceres, ita & exilium morti iure æquiparantur: atque adeò parentes non possunt in exilium mittere filios: licèt possint ab eo loco eos elongare, qui eorum moribus pestilens est. ¶Posterior conclusio. Qui eiusmodi iniurioſas lęsiones præter iuris ordinem illis intulerint personis, quæ alias sibi habent coniunctas, ex natura rei, si cætera sint paria, grauiùs delinquunt, quàm si alijs quæ consanguineis careant & necessarijs, eadem obtulerint. Tametsi aliunde, nempe ex qualitate personæ possit etiam aggrauari peccatum. Personas coniunctas in præsentiarum appellamus in primis consanguineos & affines: vt patrem, filium, generum, leuirum, &c. vel alia necessitudine œconomica copulatos: vt maritum, vxorem, patronum, & similes. Quin etiam & extra domum amicos atque alios necessarios. Conclusio est clara. Nam quanto iniuria & detrimentum in plures profunditur, tanto grauior est: omnes autem coniuncti quodam modò eandem repręsentãt personam. Nam filius est aliquid patris: & vxor aliquid mariti: quinetiam amicus alter ego. Quapropter q vnũ lædit, in omnes iniurius est. Adde quòd etiam dum illi personæ cum qua delinquis iniuriam non infers, potes & coniunctam lędere. Nam dum tibi vxor in adulterium sua sponte consentit, aut puella in stuprum, licèt volentibus iniuriam non facias, illam tamen infers marito ac patri. Quòd autem aliunde possit excessus fieri, patet. Primùm ex dignitate personæ: vt si principem vel optimum virum, vel viduam, vel orphanum, iniuria lacessas, inde grauiùs peccas. Vnde Ecclesiast. 35. Non despicies preces pupilli, neque viduam si effundat loquellã gemitus. Hic autem diuus Thomas nil de illo in præsentiarum meminit, qui in alterũ sibi coniunctum iniurius est: vt si patrem occidas aut fratrem (hæc enim scelera iam speciem mutant:) sed loquitur de personis coniunctis ipsi læso: vbi species delicti non mutantur sed per accidens crescit culpa.

Prima cõclusio.

Probatio.

Duplex vsus carcerũ in republica.

Exilium.

Posterema conclusio.

Ratio conclusionis.

S. Thomas

Ad primum

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum respondetur quòd licet homo suapte natura liber sit, tamen dũ delinquit per abusum eiusdem volũtatis ius perdit quod habet ad mẽbrorum vsum: & ideò merito carceri mancipatur. Exemplo nimirum Dei, qui licèt fecerit liberum hominem, quandoq; eum arcet: iuxta illud Iob. 5. qui dissipat cogitationes malignorum nè possint implere manus eorum quod cœperant: licèt quandoq; permittat eos suis obsequi animi morbis. Pariter nanq; respublica non de omni culpa carcere tenet reum, sed de grauioribus. ¶Ad

Ad secundum. secundũ respõdetur quòd solummodò parentes retinere filios possunt, ac domini seruos occlusos in parum tempus, tam in pœnam, quàm ad eos cohibendos: nam inclusio illa non habet rationem carceris. Alijs autem priuatis id non licet. Quoniam etsi cohibere quisq; possit fratrem à malo fraternè corripiendo, neutiquàm tamen inferendo vim. Quin verò priuati carceres pro enormi delicto iudicantur puniunturq; in republica: sed tãtum licet vnicuiq; delictorẽ qui sibi iniuriam irrogauerit ad horam detinere, dum eum tradat iustitiæ ministris.

QVAESTIO TERtia, de furto.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm furti definitio sit bona.

SEcundum rerum ordinem, si pretium earum ac dignitatem ęstimes, post homicidium quo summum bonorũ temporalium adimitur, dicendum statim erat de detractione ac murmuratione, quib⁹ honor famaq; lædit̃r. Hæc enim pluris habentur, quàm bona externa. Melior est enim, inquit Sapiens, nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Attamen lucidior fiet dispositio si nõ hunc, sed alium cum sancto Thoma insequamur ordinem: nẽpe si priùs iniurias expediamus quæ facto committuntur, ac deinde ad alias discurramus quæ committuntur verbo. Nam ratione operis criminosior iniuria inest in facto, quàm verbo. Atqui sanctus Thomas. q. 66. duos hìc articulos de dominio præmittit, quod nos ceu primum fundamentum materiæ iustitiæ atq; iniustitiæ commutatiuæ, superiori lib. pręiecimus: vbi per omnes suos numeros dominiorum materiam deduximus. Primus enim articulus diui Thom. est de rerum possessione in genere: quæ homini statim condito diuinitùs cõcessa est. De qua quidem re. q. 1. disputantes constituimus soli Deo in primis rerum dominium iure creationis competere: non modò quãtum ad earum vsum, verùm etiam quãtum ad earum naturas: quas vtiq; creare, annihilare, & alterare præter leges naturæ potest. In creaturis autem corporalibus solum hominem ostẽdimus esse rerum dominum: ea scilicet ratione qua libertatem suarum habet actionum ac dominium: Brutum verò minimè: ac multo minùs rem vllã insensibilem. Secundum autem. S. Thom. adiecit articulum de dominiorum diuisione, quam. q. 3. factam esse monstrauimus iure gentium: rationesque latè subiecimus ob quas collapsę naturæ ac prauis affectionibus subditæ diuisio talis congruat. Cùm ergo tam copiosè illic discussa hęc reliquerimus, non est quòd sit hic nobis de his articulis verbum aliud faciendum. ¶Primus ergo articulus præsentis quæstionis, est de nomine ac definitione furti: quia apud diuum Thomam est tertius. Et arguitur à parte negatiua, ꝙ furti difinitio quam sanctus Tho. ac Theologi cõstituunt, curta mancaque sit: videlicet, Furtum est occulta acceptio rei alienæ. Furtum non solùm in acceptione cõsistit: sed in retentione: quandiu enim quod surripuisti non restituis, furti teneris: ergo non satis est dicere acceptio. ¶Secundò. Potest quis non modò alienam rem, verùm & propriam quam penes alium deposuerat vel impignorauerat furtim capere: quod si alterum celauerit, iniuriam illi irrogat: ergo ad rationem furti non requiritur acceptio rei alienæ. ¶Tertiò. Id quod peccatum minuit non constituit rationem culpæ occultè autem delinquere peccatum minuit: tum quòd indicium sit verecundiæ, tum ꝙ scandalum illa ratione caueatur. ¶In contrarium est quòd definitio debet esse breuis cõpendiosaq; oratio: sed tribus illis vocibus satis furti natura depromitur: ergo definitio pluribus onerata redundaret.

Primũ argumentũ.

Secũdum.

Tertium.

De

DE furti tam nomine quàm definitione nonnullam inter Doctores varietatem reperias. Isidôrus nanque libr. 10. eò q furtum clancularia acceptio sit, putat fur à furuo dici, id est à fusco & atro: nempe quòd nocturno vtitur tempore. Idem ait Varro de re rustica. libro. 14. Neque verò Iurisconsultus. ff. de furtis. l. 1. hanc reiecit etymologiam: quanuis & alteram subijciat: vt scilicet à ferendo siue ab auferendo dicatur. Nam & Græci fures, φῶρας appellant à φέρω. Perparùm tamen refert. Attamen de definitione longiùs iuris interpretes à philosophis discrepant. Ait enim Paulus eâdem. l. furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere. Et addunt alij quòd sit contrectatio rei mobilis: propterea quòd Institu. de vsucapio. §. quòd autem. habetur furtum non fieri loci, aut fundi: ac tandem adijciunt, inuito domino. Est tamen iuris Doctoribus in more dum genus aliquod definiunt species omnes in definitione subnotare: philosophi verò compendio rei naturam exprimunt, quam pòst diuisionibus explicatiùs euoluunt. Quare definitio autore Aristotele debet esse breuissima oratio quæ rei naturam compendio explicet: qualis illa est, Furtum est occulta acceptio rei alienæ. In primis enim cùm contrectatio solum rei contactum significet, accõmodatiùs dicitur, acceptio, hoc est, vsurpatio. Mox amplo nomine rei alienæ, copiosiùs res omnes furto captas comprehendimus, quàm si dicas, rei mobilis. Haud enim tantùm res mobiles, verùm & immobiles furto capiuntur, dum subdolè possidentur. Quocirca nihil opùs est exprimere, rei vel vsus: nam qui re aliena inuito domino vtitur, rem quodammodò alienam capit: hoc est vsurpat. Atqui in hoc quod dicimus, occulta, satis significatur fraudulentia: nam qui clam domino rem capit, fraudem nectit. Atque eodem verbo designatur acceptionem fieri inuito domino: nam ignorantia causa est inuoluntarij. Id autẽ quod adijcitur, lucri faciendi gratia: non solùm superfluè, verũ falsè adhibitũ est: qui enim rem capit alienam, quam in flumen proijciat aut incendio tradat, furti reus est: tãetsi dum id facit non lucri cupidus, sed vt iniuriam inferat id faciat. Igitur ad rationem furti tria requiruntur. Primùm quòd rationem habeat iniustitiæ in cuius genere constituitur. Et hoc exprimitur cùm dicimus acceptio. Intelligitur enim inuito domino, quæ contrariatur iustitiæ tribuenti vnicuique quod suum est: extenditurque adeò ad detentionem. Secundum est q differat ab alijs iniustitiæ speciebus. Et hoc in specie designatur dum dicitur, rei alienæ: puta ab eo possessæ, qui eius est verè dominus. Nam qui vel membrum alteri abscindit, filiamve aut vxorem rapit, quibus abutatur: nõ fur sed mutilator est, aut raptor, aut adulter. Tertiũ est q̃d propriã rationem furti cõplet, ac demũ illud à rapina & latrocinio seiungit: videlicet q clanculò fiat. Oratio ergo horũ triũ explicatrix, genuina est definitio furti: videlicet, Occulta acceptio rei alienæ. ¶ Hinc fit ineptè diuidi furtum in fraudulentam occultamq; acceptionem & rapinã: Furtum quippe nõ est genus ad rapinã, sed species illi opposita. Iniuriosa ergo acceptio rei alienæ est quæ primò diuiditur in furtũ & rapinam seu latrocinium: vt articu. proximo patebit. Vtraque tamen species ex parte obiecti in quatuor subsecatur. Nã si quod furto rapitur res est sacra, sacrilegium dicitur: si verò est possessio reipublicæ, dicitur peculatus. De vtroque legitur. 23. q. 4. cano. quid ergo, si autem furtum fit de grege dispersо, dicitur abigeatus. Et qui pecora sic vel armenta abigit, nuncupatur abigeus. De quibus extat titulus. 47. libr. digestorum Quarta denique species est plagiarium siue plagium: puta furtum hominis vt vendatur. De quo etiã extat titulus ad. l. Flau. de plag. Etenim qui seruum vel ancillam domino suo aufert, verè fur est: possidetur enim seruus vt pecus. Nisi ancillam in tempus caperet, turpitudinis gratia: nam ille fornicator esset, non fur. Sicut raptor est qui ea de causa rapit virginem. Quid autem si quis filios aut vxorem alicui auferret, vt venderet? vtrũ esset furtum: iam superiori libr. responsum est, q cũ pater non sit verè dominus filiorũ neque vxoris, illud non est furtum, sed plagium vel captiuitas. ¶ Contra hæc autem forsan quis arguat. Dum filius clam patre, vxorve nesciente marito aliquid ei surripit, accipit rem alienã: & tamen neuter censetur fur. Respondeẽ q vbi res nõ est tãti pretij nõ censetur, filij acceptio, furtum: eò q non fiat inuito domino. Quicunq; enim parentũ iure præsumitur pro cõditione sua & statu indulgere

Scitctia Isidori de origine nominis.

Definitio furti secundũ Iuris cõsultos.

Vitiũ Iurisconsultorũ in definiendo.

Reprobat̃ p̃ terita definitio.

Tria requisita ad rationem furti.

Furtũ nõ cõplectit̃ sub se rapinã sed est spẽs illi oppositа

Obiectio.

Solutio

dulgere filio minutiores sumptus, & multò iustiùs maritus vxori. Quãdo verò res esset magni ponderis, ita vt meritò pater aut maritus censeretur inuitus, profectò verè esset furtum, vt bene adnotauit, Syluester verb. furtum. §. 11. & teneretur filius ad restitutionem si peculium haberet castrense: hoc est militaria stipendia, vel alia bona libera: vel saltem posteà in diuidunda hæreditate id patefacere. Et pariter de vxore censendum. Tametsi quantum ad excommunicationis censuras nunquàm præsumendus est pater tam acri spirituali mucrone aut vxorem aut filios fauciare.

Syluester.

Ad primũ argumentũ PEr hæc ergo clarent argumentorum responsa. Ad primũ nanq; respondetur q̃ peccati occultatio esse potest aut causa ipsius aut circunstantia. Causa scilicet quando delinquens occultatione vtitur vt tutiùs delinquat: vt patet in fraude & dolo. Quare tunc non diminuit peccatum, sed suam per se constituit speciem, puta furti (vt dictũ est) vt distinguitur à rapina. Tunc autem occultatio est circũstantia quando is qui peccare decreuit ob verecũdiam aut ob cauendum scandalum in tenebras se abdit vt suam expleat libidinẽ: & tunc diminuit rationẽ peccati. *Ad secũdũ* ¶ Ad secundum argumentũ respondet diuus Tho. detinere alienũ inuito domino, eandẽ habere rationem nocumenti atq; iniustam acceptionem: ac perinde ad rationẽ furti reduci. super quo responso multa Caietañ. cõmentatur. At verò cùm bis lib. præcedenti, nempe. q. 6. art. 1. & q. 7. art. vlti. hoc satis fuerit à nobis discussum, non opùs est plura hic adhibere. Sed recole, præceptum restitutionis affirmatiuum esse, præcipiens bonum opus: includit tamen negationem retinendi quæ est prohibitio mali: qua ratione affinitatem habet cum furto. Igitur hoc quod est detinere, non adhibet peccatum nouum illi quod est accipere: sed est illius continuatio tanto grauior, vt illic diximus, quanto diuturnior. Si autem nouus adhibeatur positiuus actus, scilicet si proponas non reddere, aut si re aliena ad consumendum vtaris, non proponẽs damnum soluere, illi actus sunt multiplicata delicta, contra eandem negationem non retinendi inclusam in eodem præcepto. At verò contra affirmationem restituendi recenter peccatur quoties retinens alienum aut videt dominum egere, aut eum petere audit: nam tunc nouo iuris merito restituere tenetùr.

¶ Ad tertium argumentum subobscurè idẽ S. Doctor respõdet. Sensus eius tñ est, q̃ qui rem suã quæ penes aliũ est, videlicet penes illum qui illã vel rapuit vel in depositio custodit, furtim rapit, fur ob id censendus est: quòd licèt simpliciter sit sua, est tamen alterius secundum quid: scilicet vel quantum ad custodiam, vel quantum ad detentionem. *Ad tertiũ S. Thomæ.*

Videtur autem hæc solutio nonnulla complicare falsa. Primùm quòd res rapta nullatenùs raptoris est: res enim illius tantùm esse dicitur, qui iure possidet, quod latroni nõ competit: imò detinendo mortaliter peccat. *Prima obiectio aduersus solutionẽ S. Tho.*

Secundò hæc solutionis sententia falsa est: nempe q̃ qui rem capit suam furtum faciat: quandoquidem nõ solùm vulgari sermone non reputatur fur nisi qui alienum capit, verùm & iura in decernunt: vt patet. l. si is qui rem. 1. ff de furtis. vbi habetur quòd qui rem quam commodauit surripit, non est fur. *Secunda.*

Quapropter si postquàm res quispiam ex me sustulit, vi statim ab eodem extorqueã, non ero furti reus. Respondetur mentem sancti Thomę legitimam esse, quam ipse statim art. 5. eiusdem quæst. patefacit. Si enim ego apud quendam rem meam deposui, vel ille mihi eripuit, & clam illo accipio, propterea censeor fur: quia ille nesciens me accepisse tenebitur ex conscientia mihi restituere, & eâdem ratione si auferã à latrone ipso insçio. Atq; hac de causa ait rem illam quodammodò esse illius seruantis depositum: nempe quantum ad ius custodiendi: quinetiam & illius qui rapuit: quia debet illam seruare ad restituendum. Quare ego non possum priuata autoritate vi aut fraude illam capere. *Solutio.*

ARTICVLVS. II.

Vtrùm furtum & rapina specie differant.

QVanuis ex precedenti arti. solutio huius quæstiũculę facilè colligatur: maioris tamen claritatis gratia de eâdẽ differẽtia rursus quæritur. Nẽpe an inter furtum & rapinam sit specifica differentia. Arguitur nanq; à parte negatiua. Primũ q̃ non videtur differre nisi tanq̃ occultũ & manifestum: quæ quidem qualitates in alijs peccatorum generibus non variant speciem: *Primum argumentũ.*

vt si in publicum peieres aut in secreto.

Secundum. ¶ Secundò, quia differentia specifica à fine & formali obiecto sumitur, quod furti & rapinæ idem esse videtur: nempe vsurpatio alienæ rei. *Tertium.* ¶ Tertiò, sicut rapitur pecunia ad vtendum ea, ita & puella ad abutendum: raptus autem puellæ siue publicè fiat, siue secretò, speciem non mutat: ergo neque raptus pecuniæ. *Aristot.* ¶ In contrarium autem est Philosophus 5. Ethico. cap. 2. vbi furtum & rapinam diuersas species constituit.

Cõclusio responsiua. Probatio cõclusionis. AD quæstionem breuissima conclusione respondetur. Furtum & rapina differunt specie. Probatur. Differentia specifica actuum attenditur penes formalem, eandemque proximam differentiam obiectorum: hæc aut in furto & rapina est specifica: ergo eiusmodi crimina differunt specie. Probatur minor. Vitia hęc ambo in hoc conueniunt quòd sunt commutatiuæ iustitiæ aduersa, quatenùs per vtranque istarum acceptionum iniustum fit, puta ius alienum violatur iniustum autẽ, vt illic habet Aristoteles, nemo nisi inuitus contraq; suam voluntatem patitur: inde ergo actiones istæ iniurioſæ sunt quòd contra voluntatem domini fiunt, qui ideo inuoluntarium patitur: at verò inuoluntarium, vt. 3. Ethicor. author est Aristoteles, dupliciter *Aristot.* fit: nempe aut per ignorantiam aut per violentiam. Furtum autem ex sua ratione dicit acceptionem ignorante domino: rapina verò eodem conscio ac vim patiente: ergo furtum & rapina differunt specie. Itaq; non ad rationem alieni aspiciendũ est quæ est materiale obiectum, sed ad rationem inuoluntarii. ¶ Differentia est quam non solùm morales philosophi, verùm & Iurisconsulti qui ex eâdem philosophia suas leges elicuerunt, agnoscunt: vt patet. l. sed nouo iure. C. de seruis fugiti. & apud Vlpianum. l. fur. ff. de furt. Elt autem nè quis decipiatur meditatè consideranda. Cogitare enim quispiam posset aut in hoc consistere quòd furtũ fiat in tenebris: vt Exod. 22. habetur: rapina verò sub lucem diei. Aut quòd furtum in absentia domini committatur: rapina verò in eius præsentia. Cùm tamen in neutra istarum ratione discrimen consistat. Sed differentia est quòd furtum fit absque violentia: rapina verò & latrocinium violenter. Hinc enim vt articu. vltimo videbimus, augescit rapinæ culpa præ illa quæ est in furto. Ex quo fit vt præsente domino furtum fieri possit: sicuti & eodem absente, rapina. Exempli gratia, si præsente patrono impurus homo in ædes insultet, illumque vel resistentem opprimat, vel nè resistat alliget, aut in cellam includat, aut talem ei incutiat metum, vt taceat: quanuis inermis id faciat, habetur raptor & latro: quia vim infert. Si verò patronus etsi non consentiat, tamen ob suam modestiam taceat, latronis parcens vel honori vel vitæ, non erit rapina: ser furtum. Eâdem ratione si ædes quis vi aggrediatur, licèt nemo sit intùs, erit rapina. Quo fit vt latrones qui vias publicas obsident non fures modò sint, verùm & raptores. Distinctio autem quæ habetur. l. 2. de furtis. vbi distinguuntur duo furtorum genera, quorum alterum est occultum, alterum verò manifestum: nihil facit ad rem. Non enim accipitur illic manifestum pro rapina, sed pro eo casu quo fur in flagranti delicto comprehenditur, vt continuò exponitur l. tertia.

OMnia igitur argumenta soluta restant. *Ad primũ argumẽtũ.* Ad primum enim respondetur quòd peccata alia ab iniquitatibus iniustitiæ non habent pro obiecto inuoluntarium alterius, sicut furtum & rapina: & ideo ex diuersa ratione voluntarij non variantur specie, sicuti hæc. ¶ Et per hoc responsum etiam est ad secundum, quòd etsi circa idem versentur obiectum materiale & remotum scilicet alienum: tamen formale & proximũ non est idem. *Ad secũdũ.* ¶ Ad tertium respondetur quòd raptus puellæ quantuncunque respectu aliorum occultè fiat, puellæ tamen semper est notus: & ideo quia illa semper præsumitur restitisse, dicitur raptus. *Ad tertiũ.*

ARTICVLVS. III.

Vtrùm furtum sit genere suo peccatum mortale.

POSTQVAM dictum est quid sit furtum, quomodoque à rapina differat, quæritur de vtriusque natura, an sit genere suo mortale delictum. Et quò historiam filiorum Israël expoliantium Aegyptios toties iam expositam missam faciamus, arguitur primùm. Qui *Primũ argumentum*

rem suam vel penes alium depositam vel furto sublatam furtim capit, vt fur iure habetur: & tamen non peccat, postquàm iure vtitur suo: ergo furtum non est peccatum.

Secundum. ¶ Secundò arguitur: cùm id quod quis inuenerit aut casu repererit nulli restituit, furtum committere videtur: & tamen si ad naturalem æquitatem spectes, nullum est peccatum: nam, vt habetur Institut. & ff. de rerum diuision. quod nullius est, occupanti conceditur. & re vera quarum rerum dominus non compâret, nullius esse censentur.

Tertium. ¶ Quòd autem non sit genere suo mortale, tertio loco probatur. Tum ex illo Prouerb. 6. Non grandis est culpæ dum quis furatus fuerit, tum quòd si est rei modicæ, non est cur sit mortale: tum maximè quòd si mortale esset, cum sit contra iustitiam & pacis quietem, dignum esset pœnæ mortis: illa autem non appâret digna quæ furibus infligatur, sed satis est vt multiplicatum restituat furtum, secundùm illud Exod. 22. Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. Idque habetur. l. sed nouo iure. C. de seruis fugiti. ¶ In contrarium autem est quòd nemo secundùm diuinum iudicium, nisi ob mortale delictum, vehemẽti percellitur maledictione: fures autem acri animaduersione damnantur verbis illis, Zachariæ. 5. Hæc est maledictio quæ egredisur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur.

Cõclusio responsiua. AD quæstionem vnica conclusione respõdetur. Furtum, fortiorique ratione rapina, peccatum est, idque genere suo mortale. *Ratio conclusionis.* Probatur. Delictum mortale, vt identidem dicere consueuimus, inde perpenditur quòd charitatem extinguit, quæ vita est animæ: furtum autem est huiusmodi: ergo est mortale. Probatur minor. Illud delictum quod virtuti aduersatur, reipublicæ necessariæ, per quam scilicet pax quiesque eius seruatur, extinguit charitatem: furtum autem aduersatur iustitiæ, in qua tota mortalium fides: humanaque societas salua consistit. Nam per furtum ciues expelluntur iure suo, atque adeò pax ciuitatis perturbatur: est ergo contra charitatem: sed tñ tanto grauior rapina, quãto vis peior est fraude. Dictum autem est, genere suo, propter rationem explicari solitam in leuitate materiæ quæ culpam attenuat. ¶ Conclusio clarissima ac perinde omnibus compertissima est: sed tamen de furti comparatione ad alia crimina posset quis, neque immeritò dubitare, vtrùm *Dubitatio.* sit genere suo omnium peccatorum contra Decalogum minimũ, an peiorem obtineat gradum. Primùm enim de fornicatione affirmat Martinus tract. de Tempe. quæ- *Martinus.* stio. 2. minoris esse culpæ genere suo quàm furtum. Cuius potissimum fundamentum *Prima ratio Martini.* est, quòd fornicatio non est natura sua mala, & ideo prohibita. Imò verò ob id tantùm est mala, quia prohibita: nempe lege veteri, Deuterono. 23. Non erit meretrix ex filiabus Israël: & noua, ad Ephes. 5. Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus non habebit hæreditatem in regno Christi. Et eôdem applaudit Durandus. 4. Sententi. distinct. 33. quæsti. 2. Præterea quia *Secunda.* furtum est contra iustitiam, fornicatio autem non nisi contra temperantiam: nam qui fornicatur, vti ait Paulus, in corpus suũ peccat: iustitia verò præstantior est: quin verò, vt libro. 3. definitum est, omnium moralium præstantissima. At verò diuus Tho- *S. Thom.* mas. 2. 2. quæstio. 154. articu. 3. contrariam habet sententiam: nempe fornicationem genere suo grauius esse flagitium, quàm furtum. Nam de adulterio nemo dubitat, propter iniuriam quæ fit alteri coniugi. Et re vera hoc nemo sanè doctus negare potest. Et primùm ratio Martini ac Durandi *Ad primũ argumẽtũ Martini.* peior est multò quàm eorum conclusio. Dicere nanque fornicationem non esse contra ius naturæ, error est hæresi proximus, Nam consequens inde protinus fieret, gentibus ante legem scriptam non fuisse delictum: quin verò neque post scriptam: quia lege Mosaica non tenebantur. Ratio ergo, *Ratio sancti thomæ.* vt fornicatio genere suo grauius sit peccatum, est quòd peccati grauitas potissimùm ex obiecto est perpẽdenda: malum autẽ fornicationis est nocumentum vitæ futuræ, prolis. Nam quę ex vago concubitu nascitur, si ad rei naturã spectes, neq; educari rectè potest, neq; verò ali commodè: vita autem præstantius bonum est exterioribus bonis quæ furto auferũtur: quare fornicatio nõ solũ natura sua est mala, verũ & furto iniqor. Neq; verò ratio quam contrà idẽ author obmolit digna esse morali philosopho. Ait quippe hoc est accidentarium fornicationi quod

malè educetur alaturque proles: nam potest fornicarius tum facultatem habere maiorem, quàm coniugatus: tum etiam propositum firmius alendi: quin verò ditandi suos liberos. Non inquam hæc ratio digna est philosopho. Quin verò id quod ipse dicit accidentarium est: hoc autem quod nos dicimus, conditioni vagi concubitus natiuũ. Nam ex natura rei, qui non sunt matrimonio iuncti non possunt bene alere prolem. Et re vera si argutia Marti. vllius esset momenti, tunc sequeretur matrimonialem coniunctionem non esse vinculum naturale. Inde enim hoc habet quòd natura eius est, vt sit bene educatiua prolium. Et tamen vsu nihilo minùs accidit vt sæpe coniuges neque facultatem habeant neque verò voluntatem eas educandi. Est ergo existimandus actus ex natura & non ex accidente. Cùm ergo dicimus bonam educationem, naturalem esse matrimonio, non autem fornicationi, non de actione loquimur. Nam illa aliunde impediri potest: vt iam modò dicebamus, sed de naturali potentia. Quin verò & simplex per mollitiem pollutio, eo turpior est ac peior, non modò furto, verùm & fornicatione, quòd seminatio nemini licita est nisi ad fructus ferendos: quare illa, quia frustranea est maiorem habet iniquitatem. ¶ Ad aliud verò Martini argumentum responderi posset quòd quanuis fornicatio non esset contra iustitiam, non tamen inde sequitur nõ esse grauius, quia neque si iustitia sit præstantior virtus, sit consequens vt omne opus iustitiæ excedat quodcunque temperantiæ. quoniam satis est fornicationem esse contra melius bonum puta contra vitam. Sanior autem solutio est quòd fornicatio est etiam quodammodò contra iustitiam quæ erga futuram prolem seruanda est. Constituitur autem principaliter in specie intemperantiæ, non ex eo vt quosdam audiui, quòd præcipuè in illo actu consideretur delectatio: nam & eadem est pariter in adulterio præcipua: & nihilo minùs est contra iustitiam. Sed quia ille actus non est contra personam actu existentem: neque verò quæ præcesserit, sed contra illam quæ est tantùm in potentia.

Ad secũdũ argumẽtũ. Martini.

Obiicit rursus cõtra p̃fatam veritatem.

¶ Aliter tamen nos possumus contra nosipsos arguere. Vitium furti expressè prohibitum est in Decalogo: non autem fornicatio: ergo furtum est peius. Mox. Nulla fuit vnquàm tam barbara gens quæ ignoraret furtum esse peccatum, quatenùs iniuriosum est: & tamen multæ ignorauerunt in lege naturæ fornicationem esse peccatum: imò verò vsque adeò aliquæ poterant esse agrestes, vt talis ignorantia esset illis inuincibilis: patentior ergo est culpa furti atque adeò grauior. Deinde. Furtum etiam nũc maiori infamia denotatur q̃ simplex fornicatio: est ergo fœdius ac perinde atrocius. ¶ Ad primum tamẽ respondetur consequentiam esse nullam. Ponũtur enim, vt suprà dixim⁹, in Decalogo præcepta quæ apertam habent iniustitiam: sicuti adulterium, nihilo minùs fornicatio, quæ ad illam reducitur, peior est quàm furtum. Alioquin probares etiam furtum esse peius nefando crimine, quod illic non exprimitur. Ad secundum respondetur, quòd quanuis furti nequitia apertior sit, non tamen inde sequitur esse peiorem. Nam etsi ratio iniustitiæ latentior sit in fornicatione, militat tamẽ contra maius bonum. ¶ Ad tertium denique negatur maioris infamiæ esse furtum quàm fornicationem: nam honestę mulieri pudentius est fornicationem quàm furtum fecisse, sed viri propter corruptissimam consuetudinem minoris illam æstimant. Et quanuis minoris esset infamiæ, non inde fit consequens vt sit minus peccatum: quoniam Gregorio autore peccata carnalia sunt minoris culpæ & maioris infamiæ quàm spiritualia. Et blasphemia citra dubium peior est furto: & tamen non de illa tam pudefiunt homines quàm de furto. ¶ Hac autem veritate nihil obstante, nempe quòd fornicatio genere suo grauius sit peccatum, esse tamen potest in indiuiduo furtum quod sit lõgè fornicatione scelestius: vel ratione quãtitatis, vel ratione iliatæ vis: quin verò grauius quàm adulterium: vt si decem milia ducatorum quis deprædaretur. Quin imò & qui amplissimam domum ac familiam expoliaret, grauius peccatum committeret quàm si faceret homicidium plebei hominis. Est enim fallacissima regula, collationem quæ est inter species virtutis aut vitiorũ ad singula indiuidua applicare: quippe in quibus possunt esse aliæ qualitates augentes aut minuentes rationem virtutis ac vitij. Pari modo infamatio & contumeliatio genere suo grauior est furto ex obiecto. In summa, cùm bona externa sint inferiora quàm fama & vita, furtum ge-

Ad primã obiectionẽ.

Ad secũdũ

Ad tertiũ.

Pulchra limitatio p̃te ritæ cõclusionis.

nere suo minimum est peccatorum Decalogi.

INter argumenta cõtra hanc conclusionẽ primùm facit diuus Thomas de furto filiorum Israël in Aegypto, quòd nullum fuit peccatum: sed iam lib. 2. satis dictum est illud nullam habuisse rationem furti. Nam præterquàm quòd Deus tanquàm rerum dominus citra vllam dispensationem potuit illos eiusmodi bonis donare, tanquàm rectus iudex soluit illis mercedẽ insumpti laboris in luto & latere. ¶ At verò vtrùm liceat principibus Deum in hoc imitari vt aliquid occultè præcipiant quod citra publicum tumultum ministri teneantur exequi: Verbi gratia: Si princeps præciperet aulico aut bonis aut vita quẽpiam priuatim expoliare, vtrũ teneretur ille exequi. Respondetur quòd si dicta causa lataque condemnationis sententia id faciat, citra dubium parendum ei est: quoniam expedit quandoq; eiusmodi executiones, secretas esse. Et tunc illud non esset furtum, sed executio pœnæ. Quòd autem citra iudicij formam & ordinem id imperet, nefas est: neq; parendum est illi: quoniam & princeps tenetur iudiciario ordine procedere. Siquidem non est Deus, qui errare non potest. Nisi forsan, quod quàm rarissimè accidere solet in aliquo casu: qui cùm patentissimam haberet iustitiam, neq; moras ferret, neq; strepitum publicum. Quando verò publicitùs indicitur bellum, tunc nisi iniusti tia causæ manifesta esset, iussio principis pacare debet militũ conscientias, vt Aug. 23. q. 1. can. quid culpatur. admonet. ¶ Ad aliud verò quod primo loco posuimus argumentũ de illo qui res suas proprias vel furatur vel rapit, ar. 1. partim dictũ est, & partim modò dicendũ superest. Restat enim dubiũ illic prætermissum vtrùm liceat cuicunq; autoritate priuata id quod sibi debetur recuperare. Ad quod. S. Tho. respondet negatiuè: nã si rem illam apud illũ depositam quã ipso nescio furaris, aggrauas illũ, vt tibi nescius furti restituere teneatur. Si verò ille contra ius vsurpauerat, inde peccas quòd trãsgrederis iuris leges, priuatim vsurpando iudiciũ quod publicæ potestati conuenit: quod quidem mortale delictũ est: idq; ciuili lege acerrimè prohibitum. ¶ Sed tamen operę pretiũ est hoc locupletiùs explicare. Quid enim faciet miser qui nullatenùs res suas via iuris recuperare potest? Est nanque in regulis iuris lib. 6. q nemo re aliena ditari debet. Respondetur ergo tam de culpa, q̃ de restitutione. Licèt nãq; cuiq; priuata autoritate sua capere, dũ modò istę adsint cõditiones. Prima, vt omnĩ procul dubio certissimus sit rem sibi esse debitam: nam vbi quippiam est dubietatis, ne quâquam id licèt iuris ordine prætermisso. Quapropter famuli siue principum siue inferiorũ dominorũ nullo iure possunt quippiam furtim à suis heris surripere: eo obtentu quòd non satis pro suo seruitio & famulatu repensum est illis. Solent enim creberrimè hæc sibi apud confessarios obtendere. Quibus tamẽ respõdendũ est, q̃ si pretium illud de quo inter ipsos conuentum est non possunt alia via extorquere, possunt quidẽ id latenter eripere: illud autem auctarium quod famuli ipsi putãt sibi insuper adhibẽdum, nequâquam: nisi vi aut fraude coacti à dominis fuerint seruire. Volẽti nanq; nõ fit iniuria. Et ideo si nõ vis illo pretio seruire, abi. Secũda conditio est, vt omnia expertus certus sis te nõ posse via iuridica rem tuã recuperare. Nam aliâs publicæ potestati iniuriam faceres. At verò in tali casu distinctione opùs est. Aut enim impossibilitas illa inde nascitur quòd testibus instrumentisque cares, quibus ius tuum probare possis: & tunc nequâquam licet per vim res tuas surripere: nam vim inferre nemini priuatim licet, nisi vt vim vi in flagranti delicto repellat. Quare si alia via rem tuam acquirere nequis, nullum tibi restat remedium: potiùs nanque publicæ quieti consulendum est, quàm tuo priuato cõmodo. Quare vnusquisque sibi prouideat qua cautela res alienet suas. Si verò via latenti citra scandalum potes eiusmodi tibi debitum surripere, aut tibi cõpensationem facere, licebit quidem: dummodò periculum caueas nè debitor ille tuus restitutionem iteratò faciat. Et hoc quantum ad excusationem culpæ. Nam quantum ad restitutionem, dum modò tibi euidenter cõstet rem esse tuam, licèt contra ius non expectata publica autoritate etiã perviolentiam illã debitori eripias, nihil restituere teneris. Neque ad excommunicationis cẽsuras respondere cogeris: sed pœnas duntaxat condemnatus luere. Secundo modo contingere potest occludi alicui viam recuperandi rem suam, non quòd probationes non sint legitimæ, sed propter iudicis iniquitatem qui renuit causam decidere: tunc enim ratio apparentiùs euincere videtur, licêre etiam per vim vnicuique rem suam

Scrupulus.

Solutio.

Augustin. Ad primũ argumentũ

D. Thom.

Dubitatio

Cõditiones quas adesse oportet vt liceat cuiq; priuata autoritate sua recuperare.

suam capere: nam princeps hac ratione potest alteri bellum indicere: nempe quia alium non habet iudicem qui ius sibi reddat suum. Nihilo minùs respondetur, neque tunc fas esse rem per vim patenter aggredi. Sed si latenti via eripi nequit, vel adeundus est superior, vel si nullum aliud remedium supereſt, potiùs ferenda est bonorum iactura, quam vi rempublicam perturbare: vt in hac quæst. arti. 8. docere videtur diuus Thomas. Eô potissimè quòd simílis casus vir contingere potest. Vbi tamen tam barbara esset respublica aut tanta tyrannide oppressa, vt nemo posset ius suum obtinere: tunc si citra armorum stridorem posset quis etiam cum aliqua violentia in suum se ius restituere, non prorsus esset iniquitas. Dico in ius externorum bonorum. Nam vindicare se, nullo casu liceret. Vt si iniuriam passus es, etiam si obtinere ius nequeas, nequâquã tibi licet illam priuatim vindicare. Neque simile est de principibus. Nam ille penes quem est summa reipublicæ, non solùm est eius iudex, verùm & externorum hostium ad iniurias non modò propulsandas, verùm etiam vlciscendas.

Ad secundũ argumẽtũ. S. Tho. Duplex genus rerũ inuentarum.

SEcundum autem argumẽtum materiam tangit inuẽtorum, ad quod sanctus Thomas per hanc distinctionem respõdet. Sunt quædam inuenta quæ nullius vnquàm fuerunt propria: vt lapilli & gemmæ quas maritimum littus procreat. Et talium inuentores nulli restitutioni subduntur: quoniam quod nullius vnquàm fuit, occupanti conceditur. Instit. de rerum diuisio. §. feræ. &. ff. eodẽ titu. Atque eadem est ratio de inuentione vetusti thesauri: videlicet cuius domini nulla extare potest memoria. Nam iam tum ille thesaurus perinde habet atque auri fodina quam terra nutrit. Præterquàm q legibus ciuilibus medietas domino agri adijcitur, perinde ac si eius fructus esset. Quod quidem ciuile ius vetutissimum esse ostendit Euangelica Parabola de inuentore thesauri in agro alieno, cui ad prudentiam apponitur, quòd illud priùs coëmerit quàm thesaurum proderet: vt integer sibi obueniret. Sed aliæ sunt res inuentæ in terræ superficie, vel alibi recenter perditæ, aut depositæ, quarum idcircò domini aut hæredes superstites esse censentur. Et istæ, ait sanctus Thomas, accipi non possunt animo retinendi, nisi constiterit dominum pro derelictis eas abiecisse, secundùm verbum Augustini. 14. q. 5. si quid inueneris & non reddideris, rapuisti. ¶ Est tamẽ exponẽtibus nobis per singula discurrendum. Et primùm quod in littore maris lapilli inuenti, sint inuentoris, expressa est iuris definitio, Instit. de rerum diuision. §. lapilli. &. ff. eodem titu. litem lapilli. Et ratio est, quia littora iure gentium manserunt communia. Atque idẽ est iuris naturæ iudicium de auri aliorumq; metallorum venis, quæ sunt in viscera terræ. ¶ Dubitare hic tamen quis posset propter nostrates qui ad Occidẽtalem continentem auri gratia aduolant, an liceat cuicunque vnius nationis ad aliam quæsitum aurum peregrinari. Apparet enim id vnicuique eâdem ratione licère posthac iure gentium nõ fuerint res istæ diuisæ. Respõdetur tamen hoc duntaxat iure non esse omninò licitum, nisi incolæ ipsi consentirent: aut pro derelictis eosdem thesauros haberent: nam regiones iure gentium diuisæ sunt: & ideo licèt gentibus illius regionis sint res illæ communes, tamen non possunt aduenæ incolis inuitis easdem res vsurpare. Neq; enim valẽt Galli hac de causa ad nos penetrare, neq; nos ad illos ipsi inuitis: sed hoc alius est loci disputare. ¶ De thesauris autem, vt bene ait Sanctus Thomas, eadem est ratio naturalis. Thesaurus enim est, vt habetur in. l. nunquàm. ff. de acquirend. rerum domin. vetus dispositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam domi num non habeat. Quapropter illos thesauros capere nullam habet rationem furti: vt habetur. l. falsus. ff. de furtis. Et ratio eiusdem legis est quòd non fit furtum, nisi sit cui fiat. ¶ Quapropter qui in fundo suo eiusmodi thesaurum inuenit, inuentori conceditur: vt habetur Instit. de rerum diuisio. §. thesauros. &. C. lib. 10. de thes. l. vnica. At verò si quis id in alieno agro dedita opera in consultoq; domino illud quæritando inuenerit, iure ciuili, vt habetur eisdem proximis citatis legibus, totus thesaur⁹ est domini fundi, quia inuẽtor fur reputatur. Si autem fortè aliud agens repererit, dimidiam partem, inquit lex, retinebit, atque alteram dabit domino. Idque forsan ad seruandam pacem. Atq; idem est ius de illis qui in ædibus quas emit thesaurum eiusdem generis inuenit: licèt sint qui id negent. Nam profectò eadem est ratio: etiam si eandem ob causam

Augustin.

Dubitatio.

Ratio dubitandi.

Responsio.

De inuẽtione thesauri

ædes emerit, eâdem vsus prudentia quam Christus in Euangelio laudi tribuit. Secùs aut si in muro domus, aut in eius penetralibus pecuniam aut aliud quippiam reperit, quod antiquus possessor illic posuisset & per obliuionē reliquisset: tunc enim eiusdem possessoris est aut suorum hæredum: vt habetur in l. à tutore. ff. de rei vendicatio.

Paludanus. ¶Hinc fit opinionem Paludani in. 4. distin. 15. quæst. 3. dicentis iam ex consuetudine vniuersos thesauros, vbiuis reperiantur, esse principum, non esse auscultandā: vt bene ait

Syluester. Syluester in verb. inuentum. §. 13. quoniam talis consuetudo in republica bene instituta non est introducta. In Hispania nanque istæ leges citatæ ad literam seruantur: quare si contraria consuetudo alicubi obtinuit, est per vim, contra ius naturæ & gentium. Habetur enim Institut. & l. citata, quòd Adrianus naturalem æquitatem sequutus, ei concesit qui thesauros inuenerit. Et l. illa Codicis, de thesaur. Inuentori, inquit, libe ram tribuimus facultatem, nè vlteriùs Dei beneficium inuidiosa calumnia persequatur. ¶ Vtrùm verò princeps quotam aliquam ab inuentore exigere valeat, quis fortè dubitet. Respondetur autem nullam in tali exactione apparere iustitiam: & ideo in hispania non est in vsu: neque vbi esset crediderim conscientias obligare, sed inuentorem secundùm ius commune posse bona conscientia possidere. Nam dictus titul. Institut. nihil meminit principis: sed vbi ait quòd qui repererit in loco alieno medietatem det domino, subdit quòd pari ratione si inuenerit in loco Cæsaris, dimidium det Cæsari: & si in fiscali loco vel publico det etiam medietatem fisco. Et idem legitur. l. non intelligitur. ff. de iur. fisc. §. si in locis. Quæ quidem leges non loquuntur nisi vbi loca sunt propria principis aut ciuitatis. Quocircà princeps tanquā dñs non potest quippiam exigere quando thesaurus infossus est in loco ciuis: nisi forsan ingruenti grauī necessitate publica, tanquàm gubernator potuerit id genus tributi petere: quod

De metallorū venis. nescio an satis probarem. ¶De metallorum autem venis vsus iam obtinuit, vt pars quinta obueniat principi: eò quòd venæ illæ sunt res naturales, quæ quodammodò in bonum publicum metalla progignunt. ¶Multo autem maius dubium est de rebus inuentis quæ non sunt thesauri, sed præsumūtur habere dominos. Est quippe ferè vnus consensus tam Theologorum quàm Iurisconsultorum, vt Summistæ aiunt, verbo, inuentum: quòd sunt pauperibus restituendæ. Hoc autem primùm rei huius vt confessum supponamus, quòd inuentor sedulò tenetur dominum perquirere bona fide: & præconio publico, atque aliis viis pro rei quantitate commodis: alioqui furti reus habebitur. Illa autem adhibita indagine, licèt ego non audeam contra communem opinionem asseueranter quippiam affirmare, sunt tamen mihi grauissima argumenta quòd inuentor possit sibi in conscientia retinere. Probatur: iure naturæ & gentium illa sunt inuentoris: & nullum est ius, aut Euangelicum, aut Ecclesiasticum, quod illa tribuat aut pauperibus aut cuiuis alteri: ergo potest inuentor sibi capere. Probatur prior præmissa. Res, vt libr. 3. dictum est, ius naturæ non diuisit, sed permisit in communi possideri: ius autem gentium, id cuius nō extat dominus, primo occupāti permittit: res verò illa cuius dominus post legitimam diligentiam non compāret, perinde habet ac si nullius esset: ergo qui inuenit perinde acquirit eius ius ac si thesaurus esset antiquus. Enimuerò antiquitas nihil aliud præstat quàm quòd indicium est rem carere domino: hoc autem quod dominus non reperiatur, eodem modo est causa nè alicui fiat iniuria: quia non apparet cui furtum fiat. Quoòd autem non sit positiuum ius quod hoc pauperibus tribuat, probatur. Nam Iuris prudentes nullum afferunt nisi cap. cùm tu. de vsuris. & similia, quibus vsuraria pecunia & simoniaca adiudicatur pauperibus. Iura autem huiusmodi non loquuntur nisi de rebus malè partis & acquisitis: vt habetur canon. Non sanè. 14. quæstio. 5. Inuentio autem nō est iniqua acquisitio, sed licita: neque est clarum debitum sicuti quod mutuato aur credito recepisti. ¶Secundò arguitur: Ante legem Euangelicam iure naturæ verisimilimum est res inuentas fuisse inuentoris: sicuti antiquos thesauros: nam iura nō faciunt aliam differētiam quām quòd si inueniātur res quæ dominos habere præsumū tur, nō capiantur nisi animo reddēdi dominis: quod quidē ius solùm cogit vt dominus diligēter disquiraī. Hic enim est sensus legis, falsus. ff. de furt. quæ ait furti reum esse qui inuētum accipit animo non reddendi: etiā

Opinio communis de re inuenta quæ nō sūt thesauri.

Prīa ratio authoris in proximam sententiam

Secūda rō

si

si dominum ignoret:nempè quia tenetur illum disquirere:quo vtiq; non inuento nihil loquitur de pauperibus:non ergò est cur in lege Euangelica debitum fiat iustitiæ illis cõferẽdi.¶Sed eis eiusmodi res venire in ius cõmune reipublicæ,& ideò applicari pauperibus eius.Hoc autem profectò non satis probatur,Nam illud illic tantùm suprà ostendimus habere verum,vbi manifestũ est quempiam aliquid debere ignoto domino: nempè quia iniustè accepit, vel sub fide reddẽdi: inuentio autem non est huiusmodi:imò beneficium est Dei,vt ait lex,rem aliquam reperire.Et profectò si eiusmodi res in ius commune reipublicæ vel pauperum cederent, non video cur non etiam & antiqui thesauri.Neq; obstat si dicas illum qui inuenit nõ amittere ius suum, sed velle vt des pauperibus,vt in eius bonum spirituale cedat. Nam si eo ipso quòd reperiri nõ potest,nulla ei fit iniuria,eo ipso caret executione iuris petendi.Item si constat mihi eum qui perdidit esse Turcam, quid illi proderit dari pauperibus?non ergò succedit ius pauperũ propter bonũ perdentis, poterat enim esse iniquus: sed aliunde scilicet,quia sunt bona redundãtia in republica. Quod tamen non satis probatur, cùm non probetur esse debita. Et est porrò mihi magnum argumentum, diuum Thomam nihil hìc de pauperibus meminisse:sed id tantùm ait, quòd inuentor qui bona fide credit res haberi pro derelictis, non committit furtum sibi retinendo: & certè facta deligentia,pro derelictis habentur. Nam loquitur iam tunc non de thesauris, sed de illis rebus quæ de propinquo dominum habuerunt.Argumenta verò quæ ex Augustino & Hieron.14.quæst.5.afferuntur, nihil cõuincunt.Ait inquam August.si quid inueneris & non reddidisti,rapuisti. Et Hieron. cã. multi.Peccatum,inquit, simile rapinæ est si quis inuenta non reddat. Planè tamen intelligunt quãdo dominus haberi potest: & mala fide non inquiritur.¶Concludamus ergo primùm quod vbi inuentor indigens esset, capere tutò potest vel totum inuentum vel partem pro sua necessitate:id quod & fauto res contrariæ opinionis etiam fatẽtur:vt patet apud eundem Sylvest.loco citato: dummodò id faciat de consilio prælati aut confessarij.quanuis neque id forsan sit necessarium.Secundò, si qui inuenit est diues,consilium est saluberrimum res inuẽtas quarũ domini haberi nõ possunt, in pauperes aut in publicos piosq; vsus erogari. Nam vti ait Greg.Timorati animi est,ibi culpã agnoscere,vbi culpa non est. At verò an sit necessaria præceptio,non satis audeam affirmare. Qui autem id adstruxerit,per hoc suã tuebitur opinionem, quòd iure naturæ illa quæ in republica redundãt sunt indigentium, vt statim articulo proximo dicemus: quòd autem illa redundent inde quodammodo apparet,quòd non habent certos dominos:præsumuntur tamen habere aliquos:quod antiquis thesauris non conuenit.

Alterio ratio ad idem

Sẽtentia authoris.

Ad tertiũ argumẽtũ.

AD tertium argumentũ respõdetur, quod furtum censetur non grandis culpæ dupliciter.Primò ex parte subiecti:quia ex necessitate furantis alleuiatur. Præterea quia sicut proximè diximus,genere suo est minimum respectu aliorum mortaliũ.Vnde ibidem subditur,fur deprehensus reddet centuplum:qui autem adulter est perdet animam suam.¶Ad secundum autem membrum respondetur,tam tenue tamq; exile posse contingere furtum vt nõ sit mortale: propterea enim dictum est,genere suo esse mortale.Ratio hinc autem dubitandi resurgit, quomodò sit perpendenda furti quantitas quæ culpam non habet nisi venialem; respectiuéne, an absolutè. Enimuerò cùm grauitas furti ex damno dato sit perpendenda, & indigo, verbi gratia, plus noceas vnum suffurando quadrantem,quàm prædiuiti à quo ducatũ eriperes,consequens fieri videtur vt respectiuè sit æstimanda.In cõtrarium autem arguitur,quod si id verum esset,consequeretur,furari à Cæsare centũ aureos nunquã esse mortale delictum:quoniam lõgè minùs damnũ inde ipse accipit, quã misera vetula cui duo minuta raperes: quãdo quidem & in Euangelio ob id cumulatius cõmendata est eleemosyna illius anus, quòd plus respectu suæ facultatis in gazophylacium misit. ¶Lis tamen hęc sic per distinctionem dirimitur.Est enim aliqua pecuniæ quantitas tanta, quæ per se absq; vllo personæ respectu causa est in furto peccati mortalis. Vt si verbi gratia dicamus duo trésve aurei ducati: quare etiã si à Cæsare surripiantur,licèt illos ipse flocci pendat,nihilo minùs crimen est.Sed alia est tam exigua summa quæ secum ipsa non habet tantùm culpæ:sed nihilo minùs ob paupertatem possidentis fieret mortale: vt si argenteũ nummum aut duplum à misero surriperes.Augescit autem præterea damnum,

Dubitatio.

Ratio hæsitandi.

Distinctio.

etiã si per se parùm sit, dũ causa est maioris: vt si lora boũ rumpasquã ob causam agricola diurnas operas perdit: aut aliud vile instrumentum ab artifice detrahas, cuius causa ab opere cessat. ¶ At verò forsan quis arguat. nunquã quantitatẽ furti tã pusillã esset posse, quin crimẽ sit mortale. Primò ex iure canonico, puta ex Hierony. 14. q. 6. can. fin. vbi ait furtum non solũ in maioribus, sed in minoribus etiã iudicari. Deinde iure ciuili ex Inst. de rerum diui. §. Gallinarũ. Vbi de gallinæ furto etiam datur actio. At verò ad Hieroñ. respondetur quod loquitur quãdo animus adest nocẽdi in maioribus: sic enim cõtinuò subdit, Non enim quod furto ablatũ est, sed mens furantis attenditur. Ius autem ciuile nihil aliud habet, quã quod aucupiũ domesticarum auiũ sit furtum: sed tam parũ esse posset, vt ridiculus haberetur qui de illo ageret in iudicio. ¶ Adiecit autem in calce solutionis D. Thom. quod qui habet animum furandi & inferendi nocumentũ pròximis, etiam in talibus minimis potest peccare mortaliter: sicut in solo cogitatu per cõsensum. Sunt tamen amphibola verba, & ideò anceps sententia. Ait ergò Caieta. non esse sensum D. Tho. vt particula, in minimis referatur ad nocumẽtum, quasi docuerit vt qui animo intendit in minimis nocere, mortaliter peccare posset. Est enim talis sensus, vt ipse putat, rationi dissonus: sed ait id tantùm voluisse quòd qui habet animum nocẽdi simpliciter, etiam si noceat in minimis peccat mortaliter propter extendentem se animum ad maiora. At verò etsi mens Diui Tho. non sit adeò perspicua, id tamen quod Caiet. refũtat crediderim ego contrà esse verũ. Etenim si noui pusillanimi hominis ingenium qui minimis maximè offenditur, atq; animo perturbatur & affligitur, & fortè ad iracundiam cõcitatur, profectò si haberem ego animũ ei nocendi per illa minima, charitatem violarem, & amicitiam: nam de hoc esset ille mihi inimicus, atq; adeò mortaliter delinquerem: idq; non solùm re eum læden do, verùm etiam verbo & gestu. Dico minima, quibus homines angusti cerebri vehementer offendi consueuerunt: nam tam pusilla esse possent, vt ludibrio haberet qui inde se reputaret offensum: & tunc eiusmodi læsio non esset culpa. ¶ Sed aliud præterea argumentum restat, quod rem hanc furtorum paruularum rerum facere potest dubiam. Si paruum furtum non esset mortale, sequeretur quod neque si multoties iteraretur ad tãtam culpam posset ascendere, vt esset mortale: nam peccata venialia quantumuis multiplicentur, vt sana habet Theologorum opinio, efficere nequeunt mortale. Cõtingeret enim tunc trãsitus de genere in genus. Consequens tamen est falsum. Nam et si famulus nunquã nisi minimum quadrantem ab hero vno furto surripiat, tamen dũ cẽties id mutiplicat, reus furti iudicatur. Ad hoc respondetur consequentia perempta.

Nam etsi pluralitas peccatum venialium nunquam sit mortalis, nihilo minùs quando summa rerũ incipit esse magna, tũc actꝰ ille, etiam si non sit nisi acceptio vnius quadrantis, quia accessio damni est ad præcedẽtia, fit mortalis. ¶ At verô videor studiosum lectorem contra hãc solutionem sic resurgentem. Sequeretur saltẽ quod si eiusmodi furta idem fur nõ ab eisdem personis faceret, sed à diuersis ita vt ab vno caperet obolum atq; ab alio, ac subinde ab alio quadrantem aut aliam paruam monetam, nunquã mortaliter peccaret. Probatur: quia nemini dat graue damnum. Neq; verò vlla est redargutio quod ipse recipit grande lucrũ: nam furtum non est æstimandum ex accedente furi lucro, sed ex damno dato. Si autẽ consequentia cum consequenti cõcedas, admittis posse furẽ aliena substantia citra peccatũ mortale ditari: atq; adeò patrociniũ prę stares istis publicis coëmptoribus qui diuersos in paruis defraudant. Nam secundũ tuã opinionem nõ peccarent mortaliter. Respõdetur ergo quod quanuis à diuersis exigua quis sufferetur, tamen cùm summa incipit crescere, actus iam vnus furãdi præcedẽtibus accedens efficitur mortalis: nam, vt modò dicebamus, quantitas quæ per se est magna absq; vllo personarum respectu, siue a diuite accipias siue à pluribus, per se constituit peccatũ mortale. ¶ In quarto argumento tã gitur an capitale supplicium quod furibus decretum est, sit licitum. Et potest quæstio vel de potestate interrogari, vel de vsu. Scotus nanq;, quem quæst. 1. titulimus, arbitratur talem potestatem nõ esse penes rem publicam: quia non valet, inquit, quenquam morti addicere, nisi in casibus expressis antiqua lege. Hoc autem satis illic me arbitror expugnasse. Potest enim iure naturæ, quod nusquam diuinitùs reuocatum est, publica vlcisci scelera prout viderit salubrius expedire. De vsu tamen, an videlicet furti grauitas

Obiectio. *Hierony.* *Solutio.* *D. Thomas.* *Caietanus.* *Mẽs sanct. Thom.* *Obiectio altera.* *Solutio.* *Replica.* *An fures sit cite suspendi dantur.* *Scotus.*

id me

id mereatur,alia est quæstio: nã cùm bona exteriora non sint tanti habenda præcipuè inter Christianos,quos Christus admonuit vt petenti pallium relinquant & tunicam, non apparet ratio,vt pro furto vita exigat. Accedit & ius commune.Nam cùm antiquitùs pœna illa in legibus extaret, posteà visa est atrox:quare cautum est nè vllus de simplici furto capite plecteretur: vt habetur.l. sed nouo iure.C.de seruis fugit.& in Authẽ. vt nulli iudici liceat habere.&c.colla. 9. Sed publici tantùm latrones digni illa morte cẽsentur.Et re vera sæculo sancti Thomæ non erat in vsu simplices fures,sed tantùm latrones ad furcas suspendere. Nam ait non esse infligendam pœnam pro quolibet peccato mortali, sed pro eo quo damnum datur irreparabile:quale non est furtum.Quinvero in Hispania ius olim istud seruabatur:vt patet par.7.titulo.14.l.18.sed tantùm suspendebãtur sacrilegi qui sacra deprædabãtur, atq; alij id genus. Posteà verò crescente perditorum hominum audacia, auctæ sunt pœnæ.

Sententia Baldi. ¶Et arbitror Bal.in causa fuisse huiussupplicij:qui super eâdem lege,Sed nouo iure.duo asseruit.Primùm quòd etsi pro simplici aut geminato furto non sit fur morte dignus,tamen triplicatum iam reputatur latrociniũ.

Prima obiectio aduersus sententiam Baldi. Secundò inde infert quòd quando vnũ ingens est,tunc tribus æquipollet. ¶Porrò autem vt nihil ego cõtra leges obmurmurem, tamẽ ratio Baldi nulla est. Primùm enim latrones non sunt censendi ex actuum solùm frequẽtia,sed ex modo:nempè quia vim inferunt & rapinis perturbant rempublicam, atq; illi duntaxat iure deputantur neci: fur autem licèt identidem peccet,si tamẽ id semper latenter,ita vt neque publicas vias obsideat,neq; irruptionem in ædes faciat,nec cẽdem offerat,non censetur latro.Quare gaudere debet priuilegio ecclesiastico si se in sacrum recipiat.Atq; adeò multò minoris probabilitatis habet secundum assertum: quòd quia ingens furtum æquipollet tribus, dignum sit morte. Nam licèt æquipolleat in quantitate,non tamen in modo: vt reputetur latrocinium.Quanuispropter insignem audaciã imaginẽ eius gerat. Id autẽ quod tãdem pro ratione asserti sui adducit:videlicet propter enorme delictum licêre leges transgredi,indignum est iurisperito: nam transgredi leges peccatũ est:& peccatũ licere non potest:sed forsan transgressionem appellat dum fit aliquid contra verba legis, non tamen cõtra mentem.Id veruntamen insuper adnotandum hîc est,q; Baldi aut cuiusuis alteri⁹ doctoris assertio nullatenùs haberi potest pro lege:imò verò neq; dictum ipsorum Iurisconsultorum:nisi aut principis authoritate aut reipublicæ more & vsu eorum documenta pro legibus recepta sint: quippe cũ, vt lib.1.demonstratum est,sola autoritas publica valeat legem condere,quę vim habeat coerciuam. ¶Est ergò iam receptissimumvt fures pro simplici aut geminato furto, si nõ est magnum,aut flagellis cæsi,aut aures reciси,seu ferro inusti relegentur. Pro trino verò aut pro vno enormi ad furcas suspendantur.Quæ quidem lex etiam Hispanis in more est:vt patet in lib.4.regalis for. titu. 15.l.6. qui furatus fuerit.40.dipondia, nouies tantundem soluat.Quòd si iteratò simile committat furtum,occidatur.Tametsi sub illo rigore nõ sit nũc eadem lex in vsu,vt pro decima parte vnius ducati quis suspendatur. Pluris enim tunc fortè æstimabatur illa quota,quàm nunc duplus ducatus.

Vsus iam recepit sententiam Baldi.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ei qui egestate premitur furari liceat.

POstquã tam stricto iure ostẽsa est iniquitas furti, disputare conuenit an aliquis sit inde excipiendus casus: saltem vbi extrema necessitas ingruit.Et arguitur primo à parte negatiua,de illo cap.suprà citato si quis.extrà,defurt. vbi habet quòd si quis propter necessitatem famis furatus fuerit vestem,cibarium,vel pecus, pœniteat hebdomadas tres: quod nõ iuberetur nisi furtum tunc illicitũ esset. ¶Secundò idem arguitur ex Arist.2.Ethicor.vbi ait quædam esse quæ confestim nominata conuoluta sunt cum malitia:& subdit exemplum in furto:vbi significat esse intrinsecè malũ,atq; adeò nullo fine nullaq; de causa reddi posse licitum: cuius est in mendacio similitudo. ¶Tertiò: homo debet proximum sicut seipsum deligere:nemini autem ad succurrendũ per elee mosynam proximo licitũ est furari,vt lib.cõtra mẽdacium admonet August. ergo neq; ad subueniendum sibi. ¶In contrarium autem est quod in necessitate, vt axiôma habet vulgare,omnia sunt communia.

Primum argumentum. à parte negatiua.

Argumẽ.2

Argumẽ.3

AD

Cõclusio responsiua. Ambrosij.

AD quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Res quę homini redundant, pauperum sustentationi iure naturæ debentur. Authoritas est Ambrosij quę inter decreta refertur, distin. 47. esurientium panis est, quem tu detines: nudorũ indumentum est, quod tu recludis: miserorũ redemptio & absolutio est, pecunia quã tu in terra defodis. Ratio autẽ naturalis sic colligitur. Nullum ius gentiũ aut humanũ naturali potest aut diuino derogare, cùm hæc superiora sint: iure autem naturæ, diuinaq; prouidentia institutum est vt res inferiores hominum necessitati subseruiant, propter quos conditæ sunt: ergo vbi res huiusmodi redundantes possessori non seruiunt, nullo humano iure vetari potuit, quo minùs in egentium vsum veniant. ¶Secunda conclusio. Hoc tamen nõ obstante nemo citra extremam necessitatem ei cui affluunt, eripere sua bona potest. Probatur: quoniam & si locuplex ille eadem teneatur bona diffundere, sunt tamen multi egeni, diuersis locis & temporibus occurrentes, quibus ideo charitatiuam illam erogationem per possessorẽ fieri conuenit. ¶Tertia conclusio. In extrema necessitate, puta vbi euidens & vrgẽs est, tunc calamitosus ille licitè potest alienis rebus sibi succurrere: siue clam sublatis, siue palàm. Conclusio sæpe iam est à nobis asserta: quoniam tam innatũ est homini ius seruandi sese vt illi alia cuncta cedant. ¶Primã istarum conclusionum non intelligas obligationem sonare iustitiæ, sed tantùm miseri cordiæ: vt libr. 4. q. de diui. rerum adnotauimus. Nam postquàm diuisæ sunt res, quisq; est suarum dominus: eatenùs tamẽ persistit naturale ius commune, vt qui abundat, esse debeat in egenos beneficus. Qua ratione in de enascitur veritas conclusionis secundæ: nempè vt nemo quanuis grauiter patiens, possit à diuite furari. Neq; valet argumentũ Diues in tali casu (nempè grauis necessitatis) tenetur egenti erogare, iuxta illud Ioan. in sua canonica, Qui viderit fratrem suum necesse habere & clauserit viscera sua ab illo, quomodo charitas Dei manet in illo? ergo ille potest sua authoritate eripere: quoniam obligatio illa non est iustitiæ, sed charitatis, ad quam nemo inuitus cogi potest. At verò materia hæc de eleemosynarũ obligatione non est præsentis loci. Tractat enim eã Diu. Tho. 2. 2. q. 32. ¶Circa tertiam autem conclusionem, quæ ad rem attinet præsentem, dubium est quænam necessitas sit extrema iudicanda. Vtrùm ea tantùm cùm quis iam iam aut fame strãgulatur, aut frigore aliãve calamitate absumitur. Videtur nãq; nomẽ ipsum, extrema, id designare. Respondetur tamen non eam, vt vulgus arbitratur, expectandam esse. Sunt enim qui eam vocãt extremam necessitatem cuius impossibile est tunc remedium: ille ergo censetur articulus necessitatis extremæ quando vides fratrem periculo appropinquari incurabilis infirmitatis, aut alius miseriæ quę homines solet cõficere. ille inquam dum præueniri potest caueriq; summa miseria. Necessitas verò quæ in periculo hominem constituit honoris, licèt non censeatur extrema, est tamen profectò grauis: quæ eum quæ facultatem habet opem ferendi sub reatu mortalis culpæ obligat. ¶Quid autẽ si puella in periculo versetur amittendi pudoris ob victus inopiam?

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

Primæ cõcl. declaratio.

Quænã extrema necessitas dicat.

Responsio.

Videtur nanq; & illam censeri extremam: quippe qua non modò honor, verùm & salus animæ periclitatur. Respondetur nihilo minùs quòd quanuis illustre sit misericordiæ officium eiusmodi miseris in orphanitate periclitantibus subuenire: non illa tamen cẽsetur extrema vt possit puella alienum rapere: quoniam nulla est necessitas quæ cogere possit illam vt sui copiã alteri faciat: aliàs consensus ille non esset peccatum: sed perire potiùs debet quàm delinquere. Sunt autem ciuilia iura quibus iubetur vt extremè patiens ab publicum magistratum anteà recurrat quàm aliena prinatim capiat. Hoc autẽ intelligendum est quando commodè id fieri potest. ¶At verò non deerit forsan qui contra nos in præsentiarum insurgat. Diximus enim tũ aliàs sæpe, tum paulo ante, neminem ad id cogi posse ad quod sola charitate tenetur: sed ad id tantùm ad quod de iustitia obligatur: extremæ autem necessitati nemo tenẽ succurrere nisi ex charitate: nã si obligatio esse iustitiæ, ille qui tunc non succurreret, teneretur ad restitutionẽ, quod non conceditur: ergo neque publica potestas cõpellere tunc quempiam iure potest: neq; qui in periculo est quippiam alieni priuatim capere. Respõdetur parùm referre an dicas in tali necessitate aliquam iustitiæ rationem intercedere: propriè tamen profectò non est nisi misericordia: strictissimè tamen obligans. Quòd autem coactio tunc locum habeat, est propter singulare ius quod cuipiam competit suam seruandi vitam. ¶Appẽden-

Obiectio aduersus respõsionem.

Solutio.

pendada hîc erat disputatio, an qui in articulo necessitatis alienum rapit, arridente fœliciùs posteà fortuna, teneatur id restituere: nisi iam satis libro præcedenti sub titulo de restitutionem, eadem à nobis absolute esset disputatio.

Ad primũ argumentũ

AD canonẽ igitur adductum in primo argumento responsum illic est quòd intelligitur de necessitate quæ nõ est extrema: vbi aliqua est culpa furari. ¶Ad secũ-

Ad secũdũ argumentũ.

dum cõcedimus ingenuè, furtum esse actionem intrinsecè, malã: imò talem, vt lib. 2. diximus, in qua Deus, vt legis naturæ lator, dispensare non possit. At verò sicuti de prohibitione homicidij diximus quod illa generalitate, Non occides, eò quòd præceptum est naturale, non includũtur casus quos ipsa natura includere non potest, neque in illa, Non iurare omnino: sic neque prohibitione furtivetari potuit acceptio rei alienæ quã natura ipsa hominibus indulsit. Quocircà

Ad tertiũ argumentũ

eiusmodi acceptio non est furtum, sed acceptio rei à natura concessæ. ¶Ad tertium denique respondetur cuique pari iure licêre in eâdem necessitate alienum rapere vt indigẽti succurrat. Sed citra illã vetat August. eleemosynas de rapinis fieri.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm rapina vllo pacto fieri possit citra peccatum.

Primum argumentum

ETSI furtum in extrema necessitate licitũ sit, tamen quia rapina atrocius est crimen, videre restat vtrùm & illa quoque aliquãdo sit licita. Arguitur enim à parte affirmatiua. Præda illata vi fit, quòd rationem habet rapinæ: prædam autem accipere ab hostibus licitum iudicauit in lib. de Patriar. Ambro. vbi ait: Cùm præda fuerit in potestate victorum, decet militarem disciplinam vt regi seruẽtur omnia: scilicet tam ad belli sumptus quàm ad militum præmia: ergo rapina est aliquo casu licita. ¶Secundò arguitur. Terrarum principes multa à suis subditis inuitis extorquẽt, quod effigiem præ se fert rapinæ, & tamen graue

Argum. 2.

Argumẽ. 3.

est illos delictores censere: ergo rapina non est vbique mortale crimen. ¶Tertiò arguitur. Id quod possessoris non est, licitè ab illo aufertur: infideles autem iniusti sunt suarum rerum possessores: secundùm illud Augustini in epistola ad Vincẽt. Donatist. Res falsò appellatis vestras, quas neq; iustè possidetis, & secundùm leges terrarum legum amittere iussi estis: ergo licitum apparet ab ipsis eadem eripere. ¶In contrariũ est quod tanquam de re iniquè parta prohibetur sacrificium vel oblatio de rapina fieri: secundùm illud Esa. 61. Ego Dominus diligens iudicium, & odiens rapinam in holocaustum.

Prima conclusio.

AD quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Rapina nullatenùs est licita, neq; priuato neq; publicæ potestati: itaq; sicut furtum nunquàm est licitum: & vbi acceptio rei alienæ licita est, non habet rationem furti: sic, imò efficaciori ratione de rapina censendum est. Probatur: quicquid nomine suo innatam habet rationem iniustitiæ, est sic intrinsecè malum, vt bene fieri nequeat: rapina autem idipsum sonat quod violenta acceptio contra iustitiam: sicuti furtum, id quod fraudulenta: ergò rapina neutiquàm esse potest licita. ¶At verò

Secunda cõclusio.

ad maiorem huius explicationem adhibentur aliæ duæ. Secunda ergo conclusio est. Sola respublica & princeps qui eius gerit vices per violẽtiam potest citra iniuriam aliquid à suis ciuibus extorquere: quicunq; verò priuata authoritate per violentiam aliquid rapit, raptor est & latro, atq; adeò huius iniquitatis reus. Probatur vtraq; simul pars. Violentiam inferre proprium est publicæ autoritatis munus: nam violentia idem est quod coactio: vis autem coactiua solùm in republica residet atq; in principe qui eam repræsentat: sicuti non nisi totum animal potest cogere membra. Est enim hæc potestas ab ipsissima natura concessa ad cohibendos homines à malo, adducendosq; in bonum: quę quidem concessio, vt suprà diximus, nõ expediebat priuatis fieri, propterea quòd permaturo iudicio mandari debet executioni. Ex quo fit vt violentia in principe, si via & ordine fiat, non habeat rationem rapinæ: nempè si vel contra externos hostes, vel contra internos maleficos illa ex legis præscripto vtatur: in persona vero priuata semper eiusmodi violentia rationem habet rapinæ. Atque hac de causa, articulo tertio etiam illi cui constat rem ab alio possessam, suam esse, idque legitimè probare potest: tamen præ iudicis iniquitate nequit obtinere: negauimus per vim posse rẽ

aggredi

aggredi. Quòd si eum saltem obieceris, qui extrema patitur, illum arbitror iure ipso naturæ exceptum esse ab hac lege. Adeò enim vitæ conseruatio naturalis iuris fastigium tenet, vt violẽtia tũc non sit rapinæ charactẽre denotanda. ¶Tertia cõclusio. Si princeps, aut iudex, aut alius quiuis magistratus sua abusus potestate per violentiam quidpiam à ciuibus rapuerit, insigne rapinæ scelus cõmittit: & ad restitutionem tenetur. Tanto enim impudẽtiùs ac sceleſtiùs eiusmodi potentatus peccant quanto sanctiori fide iustitiam, cuius custodes existũt, erga omnes deberent immaculatam seruare.

Tertia conclusio.

DE cõclusionibus istis nulla est ambiguitas præter illas quæ per proposita argumenta insinuantur. Et quidem ad primum de bellica præda respondet diuus Tho. si iustum est bellum prædam esse licitam, neque ad restitutionem obligare. Tametsi peccatum cupiditatis contra charitatem committi etiam tũc possit: dicẽte Augustino in lib. de verb. Domini. propter prædam militare, peccatum est. Si verò bellum est iniustum, rapina committitur. ¶Bellum autem iniustum, sicuti lib. 3. de iudicio diximus, ex triplici capite contingit. Primùm ex autoritatis defectu: nam soli principes habentes merum imperium ius habent bellum aut indicendi, aut gerendi: reliqui verò magnates & potẽtatus regibus subditi, non item: sed tantùm violentia possunt vti in malefactores sibi subditos. Quare si extraneos armorũ vi impetant, ceu priuatæ personæ censendæ sunt, & rapinam committunt: quanuis alioquin iustã haberent causam. Mox ad belli æquitatem requiritur causa, non qualiscũq;, sed digna pro qua tam ingentia pericula subeãtur, tamq; calamitosæ atque exitiosæ rei publicæ perturbationes cõcitentur. Bellorũ nanque tumultibus non solùm prophana omnia, verùm & spiritualis reipublicæ salus & sacra omnia, & fides ipsa, periclitantur. Tertiò requiritur forma iuris, eademq; tanto exactiùs quàm in priuatis iudicijs, quanto periculosiùs de summa boni publici agitur: nempe vt nisi cunctis pacis rationibus priùs oblatis, nõ indicatur, neq; vlteriùs proferatur, quàm fert æquitas. Sed de hoc aliâs. Præda ergo belli iusti nõ solùm ad resarciendã damna, verùm vt inter milites distribuatur licita est. Et quanuis principi cura præcipua incumbat merita perpendendi iustitiæ belli: qua vtique ratiõe licèt ipse iniustũ bellum conflet, milites nonnunquàm excusantur: tamen tam aperta esse posset iniustitia, vt etiam ipsos subditos excusatione nudaret. ¶Ad secũdum argumentum de principibus & magnatibus conclusiones ipsę satis respondent: nempe quod si violẽtia vtuntur ad extorquẽdum ea quæ ad bonum cõmune conferunt, non est rapinæ crimen. Si autem vltra ius aliquid insuper exprimant, non sunt à crimine liberi: imò tãto nequiùs delinquũt quanto eorum potestati non est qui resistere possit. Vnde August. 4. de Ciuita. Dei: Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt nisi parua regna? Et Ezechiel. 22. Principes eius in medio eius quasi lupi rapientes prædam. Quo fit vt etiam ad restitutionem teneãtur. ¶Tertium argumentum latissimam, & his temporibus, nescio an dixerim necessariam disputationem offerebat de iure bellandi contra infideles: propter illum Occidentalem Orbem, quem nostrates nostro sæculo repererũt: sed bona causa, vt præcedẽti libro sub titulo de dominio diximus, in hoc opere ab huiusmodi disputatione supersedimus. Dabimus autem, si Deo dante nobis licuerit, libellum de Ratione promulgandi Euangelium: vbi hæc, si nõ pro rei dignitate, pro nostro tamẽ captu tractare adornamus. Interim tamen ad interpretandũ Augustinum satis fuerit adnotare triplicem esse infidelium ordinẽ. Quidam enim sunt qui iure & facto sub ditione Christianorum principum vitam degunt: quales olim erant in Hispania Sarraceni & Hebræi: & nunc in Italia & Germania perseuerant Iudæi. Et de istis nemini in dubium venit, quin valeant Christiani principes lege in eos agere, suisq; adeò priuare bonis. Veritas enim hæc latè patet, tam in Decretalibus sub titu. de Iudæ. & Sarr. quã in Decretis, dist. 54. His proximè accedũt hæretici qui ex nobis, vti ait Ioãnes, exierunt. Ac de his propriè loquebatur Augustinus. Erat enim eis sermo cõtra Donatistas: quos quidem vniuersim hæreticos patẽtissimum est tam canonico quàm ciuili iure suis multari bonis: vt patet cap. Cum tu. de vsur. lib. 6. ¶Alij sunt infideles qui licèt non de facto, tamen de iure Christianis principibus subduntur: saltem quantum ad regnorum suorum possessionẽ: nempè qui terras vi possident, quæ olim sub ditione nostra fuerant: vt sunt Afri, Sarraceni, ac Turcę Græciam

Ad primũ argumentũ S. Thom. respondet.

Augustin⁹

Bellum iniustum ex triplici capite. Primum.

Secundum.

Tertium.

Ad secũdũ

Ad tertiũ

Infidelium duplex. Primus.

Secundus.

Græciam tyranni de possidentes. Et de istis certum etiam est posse bello à nobis lacessiri, atq; adeò eisdem regionibus expoliari. Nihilo minùs priuata authoritate nullus nostrùm per eos transitum faciens eorũ bona aut depredari aut diripere valet. Tum quod præter regiones bona domestica quæ sua in dustria lucrãtur, sua sunt: tũ præcipuè quod ad subigendum illos authoritas publica requiritur. Quare nemo nisi facultate & concessione principis potest illis molestus esse.

Tertius ordo.

¶ Infideles autẽ tertij ordinis sunt, qui neq; iure neq; facto nobis subditi sunt: neq; verò nobis infesti: quales sunt illi qui vel Christianum nomen non audierũt, vel quod eôdem recidit, per obliuionem omni memoria superiorem excusantur. Tametsi propriè excusatur nemo: quia cùm vniuersus orbis teneatur fidem dum eius prædicationem audierint, suscipere, si rectè seruassent naturæ legem, Christus illis via aliqua sua irradiaret fide: licèt excusari dicãtur eò quòd dum nihil de ea audiunt, sua infidelitas nõ est peccatum. Et de istis cõtestari lis solet, vtrùm liceat nobis illos bello petere. Et quidem Caietañ. hîc inter interpretandum sententiam

Caietanus.

diui Thomæ negat vllum Christianis fauere ius illos de suis sedibus ac possessionibus deturbandi. Quoniam vt S. Tho. 2.2. q. 10. arti. 10. ait, Fides naturam non tollit, sed perficit: atq; adeò possessiones quarum mortales iure gentium potiũtur nemini aufert: eò potissimùm quòd species infidelitatis negatiuæ, scilicet eorum qui de Christiano nomine nihil audierunt, neq; est peccatum, neq; adeò vllo supplicio digna. Imò verò ait q̃ neque olim filios Israël vllis infidelium bellũ indixisse legitur: eò solùm quòd infideles essent. de quo apud aliquos malè intellectus malè audit. In primis enim non negat licitũ eis fuisse infideles propter idololatriam Dei iussu debellare: sed tãtũ negat eò solũ quod infideles essent, nempè negatiuè: hoc est, eò solũ quod fide carebant debellatos: secùs ob idololatriam. Præterea si de bello cõtra possessores illos terræ promissæ gesto loquatur sanum etiam potest habere intellectum. Video nanq; nonnullos digladiari vtrùm gentes illas Deus pellere suis sedibus iusserit ob sua ipsarum scelera atq; idololatriæ impietatem, an verò solùm vt pollicitationem impleret quam Abrahæ fecerat & semini eius, tradendi eis regionem illam. Cùm autem proculdubio certo certius sit, vtranq; fuisse causam. Est enim illic & gentium expulsionem cõsiderare, & introductionem diuini populi. Et quidem expulsionis causa iustissima, fuerunt sua crimina: introductionis autem, promissio illa populo facta. At verò cùm Deus vniuersos idololatras totius orbis eodem iure potuisset extinguere, illos tamen singulariter inde expulit vt illic suum plantaret populum. Quare fortè non solùm ob idololatriam, sed vt Deus impleret promissum, illud imperauit bellum. Atque hunc arbitror legitimum sensum illorum verborũ Deuteron. 9. vbi ambæ copulantur causæ: Quia illæ (scilicet gentes) egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt: & vt impleret verbũ suum Dominus quod cum iuramento pollicitus est patribus tuis. ¶ At verò quæstionis punctum, vtrùm nobis liceat infideles tertij ordinis qui nihil contra nos moliuntur bello petere, non in hoc consistit, quòd impietas idololatriæ, aliorumque suorum scelerũ immanitas digna sit morte. Hoc enim nemini potest non esse confessum: quandoquidem Christiana respublica meritissimò eadem crimina morte vlciscitur. Quare incassum sese discruciant qui de hoc concertant. Veruntamen cùm, vt lib. 3. dicebamus, ad rectum iudicium duo sint requisita: nempè & iusta causa in crimine, & legitima facultas in iudice, ex hoc tota disputatio pendet, vtrùm nos legitimi simus eorũ iudices, suorumque criminum vindices. Nam ex hoc quòd Deus, totius orbis Dominus, quæcunque voluerit, fuerit vnquàm vltus crimina, arguere quòd nos idipsum in omnibus insidelibus possimus, perinde est acsi arguas, q̃ cùm rex possit in toto suo regno vniuersos maleficos extirpare, possit pariter vnusquilibet magnatum qui sub illo iurisdictionem habent territorium alterius ingredi ad id exercendum munus. Aliunde ergo demonstrandum est, si verum habet, nos talis facultate pollêre. Attamen, vt præcedenti libro sub titulo de domi. diximus, ab hac disputatione in hoc opere bona causa duximus supersedendum. Si nobis forsan diuino fauore licuerit libellum de ratione promulgandi Euangeliũ ædere, illic disputatio hæc pro captu nostro suis numeris absoluetur.

ARTI-

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm rapina sit grauius furto.

QVONIAM de furto & rapina quæstione præsenti locuti sumus, quas duas cõmonstrauimus esse species: quærere in calce disputationis cõuenit, vtrũ istorum vitiorum alteri grauitate præcellat. Et arguitur. Furtũ esse peius, tũ quòd supra rapinam addit fraudẽ & dolũ, quæ per se rationẽ augent peccati: tum etiã quod verecũdia & metus ex actus turpitudine nascitur: magis autem pudefiunt homines de furto quã de rapina: ergo illud est scelestius. ¶Accedit demũ quod delictũ quod pluribus nocet, eo est iniquius: per furtum autem pluribus nocumentum infertur, nempè non solùm magnatibus, verum & plebeis & cuiusuisclassis hominibus. Violentia autem & rapina non nisi illis infertur potentatibus qui resistere possunt: grauius ergo est furtum quàm rapina. ¶In cõtrarium autem est quòd leges acerbiùs in latrones atque raptores animaduertunt quàm in fures.

AD quæstionem vnica eademq; facilima conclusione respondetur. Rapina grauius peccatum est furto. Conclusio per ea q̃ dicta sunt liquidò constat. Dictũ enim est hæc duo in hanc vnã rationẽ obiecti cõuenire, quòd vtrunq; est acceptio alieni contra domini voluntatem: nisi quòd furtum tollit voluntatem per ignorantiam, rapina verò per violentiam. Violentia autem è regione magis opponitur volũtati quã ignorantia. Nam violẽtia aperto Marte pugnat cõtra actum nolendi: ignorantia verò efficit inuolũtariũ per absentiã actus. Qui ignorat enim non vult: sed qui resistit, cõtrariè vult. Hac ergo ratione rapina peior est. Accedit & ratio iniuriæ quæ in rapina cumulatior est. Nam fur pluris facit rei dominum, quẽ scilicet per metum non audet apertè aggredi, sed latenter. Raptor verò multò eum minoris estimat: si quidem absq; metu eũ adoritur. Quare nõ solùm in bonis lædit, verùm & in honore per ignominiã. Qua etiam ratione contumelia (vt infrà dicturi sumus) peior est quàm murmuratio. Quin verò accedit tertiò quòd non solùm in bonis externis atq; etiam in honore iniuriam infert, verùm & vitæ periculum offert. Raptor enim & latro armis vtitur quibus resistẽtem perimat. Fur autem pauore & metu semper est pallidus. Atque hac de causa iura ipsa communia quæ furibus vitam indulgent, latrones morti omnino adiudicant: adeò vt neq; perfugium ad sacrum illis suffragari concedant. ¶Et per hæc, argumentorum solutiones clarescunt. Nam etsi in furto aliqua sit fraus, peior est tamen audacia iniuriaque rapinæ. ¶Ad secundum autem respondetur quòd audacia vulgò apud sensuales homines pro indicio fortitudinis reputatur: & ideo fit vt etiam dum facinoribus perpetrãdis exhibetur, minùs de illa homines pudefiant: cùm tamen argumentum minoris culpæ sit in sceleribus metus, qualis est in fure. ¶Ad tertium denique respondetur quòd & si pluribus per furtum soleat nocumentum inferri, grauiora tamen per violentiam inferuntur.

QVAESTIO QVARTA, De iniustitia iudicis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm liceat iudici eum qui sibi non subditur iudicare.

IVSTITIAE quæ facto seu in personam, seu in res cõmittitur, proxima est species illa quę verbis fit. Huius autem generis illa est iniquior, quæ in iudicijs versari consueuit videlicet tã iudicũ culpa, quã testiũ, reliquorumq; iustitiæ ministrorũ. Sunt enim personæ quinq; videlicet Iudex, accusator, reus, testis, & aduocatus: q̃ quinq; deposcũt quæstiones. Sed ex istis Iudex est cuius crimina grauiora existimantur. Quatuor autẽ in iudice sunt necessaria: videlicet iudicandi potestas, veritas, & forma, & executiõis vis: quæ quatuor articulis explicabũtur. Primũ ergo vitium est si iudicandi, quam non habet, facultatem vsurpet. Igitur vt istud hoc primo articulo examinemus, Quæritur vtrùm possit quispiam eum qui sibi non subditur iudicare. Et arguit à parte affirmatiua.

Christus

Primum argumentum Christus, quippe qui Rex Regũ erat, & Dominus dominãtium, nulli erat creaturarum subiectus: & tamen Pilati iudicium pertulit, qui de hoc reprehendi non solet, quòd non subditum iudicaret, sed quòd innocentem condemnaret: potest ergo quispiam in *Secundum.* alienum ciuem ius dicere. ¶Secundò: Daniel (vt eius historia cap.13. refert) seniores illos falsi criminis testes iudicio condemnauit, qui tamen non perhibetur fuisse iudex: ergo. ¶Tertiò: Iura sæpe iudici facultatem *Tertium.* tribuunt castigandi ratione delicti eos qui, licèt non sint sibi subiecti, delinquunt tamen intra limites sui fori: ergo eum iudicare qui iudici non est subditus, non semper est illicitum. ¶In contrarium est *Gregorius.* Gregorius super illud Deuteronomio.23. Si intraueris segetem &c. vbi ait: falcem iudicij mittere nemo potest in eam rem quæ alteri videtur esse commissa.

QVæstioni huic, licèt pro argumentorũ ratione pluribus videri possit indigere: duæ tamen conclusiones satisfaciunt. Prior *Prima conclusio.* est. Nemini fas est quempiam iudicare nisi eum qui sibi, vel simpliciter, vel tali casu subditus sit. *Probatio.* Probatur. Sententia iudicis est quasi quædam lex particularis de singulari reprobata: lex autem (vt suprà mõstratum est) vim debet habere coactiuam: ergo & sententia: aliàs frustranea esset, nulliusque efficacię: hanc autem vim habere non potest nisi vel princeps, vel respublica eiusque ministri, quibus ciues veluti partes toti subduntur: ergo illum quisque solùm legitimè iudicare potest, qui sibi subijcitur: quippe in quẽ vices gerit reipublicę. Idem enim prudentiæ genus quod ferẽdis legibus necessarium est, scilicet præceptorium, necessarium quoque est vt secundùm illas ius dicatur. Nec quicquam siquidẽ vis legib⁹ inesset coerciua, nisi in earũ applicatiõe persisteret. Hinc iura illa dimanârunt, extrà, de iudi. c. at si clerici. sentẽtia à nõ suo iudice lata, nõ tenet. Et de consti. lib. 6. c. vt animarũ. Extra territoriũ ius dicenti, non paretur impunè. Vnde iudex idẽ est quod ius dicẽs. c. forum. de verb. sig. & iurisdictio, tam facultas q̃ territoriũ quod illa cõprehenditur. Neq; Paulus nos iubet subiectos esse nisi potestatib⁹ sublimioribus⁹: hoc est illis qui nobis loco & potestate præfecti sunt. Et enim sicut orbis cœlestis nõ in superiores substãtias influit, sed in corpora quæ sibi sunt loco subiecta: sic neq; homo potest nisi sibi subditos legib⁹ ac iudicijs gubernare. Hac enim de causa (vt suprà diximus) homo ciuile animal in societate viuit. ¶Posterior conclusio. Quatuor modis contingit vnum esse alteri subditũ: Primò ordinariè, veluti illi qui per se potestatem habet sicut oẽs Christiani Papæ subduntur, & in sæcularib⁹ totum regnum regi. Secundo modo quia potestatem habet legatam: sicuti prouincia proconsuli subijcitur & prætori ciuitas. Tertiò eò quòd quis sua sponte alterius se iudicio submittit: vt ille qui arbitrum eligit, & qui iudicium quod retractare posset, subire mauult. Et quartò si quis in alieno territorio &, quod aiunt, districto delinquat: vel alia via alienam iurisdictionem subierit. *Vltima conclusio.*

PEr hæc ergo, obiectiones facilè diluuntur Ad primũ nihil aliud respondet S. Tho. q̃ q̃ sua se volũtate Christ⁹ submisit Pilato à quo iudicatur, exemplo eorũ qui arbitrum eligunt cuius arbitrio parêre stata pœna, obligatur. Est tamen in exemplo nonnihil ambiguitatis. Nam si ad viuum similitudo existimetur, videtur tum S. Tho. sensisse quòd Christus constituerit sibi Pilatum iudicem conferendo ei nouam potestatem, quam nõ habebat ordinariã: sicuti qui priuatam personam sequestrem sibi præfecit. Hoc autem falsum est. Nam Pilatus potestatem illam à Cæsare receperat, atque ideo ab ipso Deo, illa ratione qua libr. 4. q. 4. monstratum est, ciuilem rempublicã per legem naturæ & gentium à Deo deriuari. Idq; Redemptor significauit Ioannis. 19. dicens, Non haberes potestatem aduersum me vllã nisi tibi datũ esset desuper. Hinc etenim sumitur argumentum aduersus illos qui dicunt potestatẽ ciuilẽ descẽdere à Papa tanq̃ à vicario Christi. Enimuerò non ait, Nisi tibi datum esset à me: sed, desuper. Christus enim, vt superiori libro diximus, non assumpsit temporale regnum, sed temporalium vsum qui ad suum cœlorum regnum esset necessarius. Solùm ergò *Solutio.* vult sanctus Thomas quòd ea ratione qua erat rex regni cœlorum, ac perinde rex regũ & dñs dominantium, exẽptus erat ab omni humano iudicio: in qua vtiq; exẽptione reliquit vicarium suũ Pontificẽ maximũ, eiusq; subinde inferiores sacerdotes, secundũ illud Matth. 17. liberi sunt filij. Et ideo quãuis potuisset retractare Pilati iudiciũ, ob nostram tamen salutẽ sua se libera voluntate illi subiecit, adigendum morti. Hinc Caiet. sibi colligit, Pilatum nõ peccasse vsurpatione iudi- *Caietanus.*

Ad primum argumentũ D. Thomas.

Obiectio.

cij (nam quòd peccauerit innocentem condemnando, dubium esse nequit) ego tamen non id tam facilè colligerem. Sed si Augustus legitimus rex erat Iudæorum, non peccauit hac ratione Pilatus: quia Christus voluit vt vnus ex Iudæis haberi. Si vero tyrannus erat, eodem modo deliquit iudicando Christum, quo iudicando Iudæos: quia Redemptor noster non indulsit ei peculiarem aliam facultatem. Neque in hoc eum cogitauit S. Thom. cum illo conferre qui eligit arbitrum: Hic enim potestatem iudici confert qui ea ante carebat. Christus autem nihil aliud fecit quàm quicquid de illo fieret libẽter pati. ¶Ex hoc Christi exemplo fit consequens, Papam eius vicarium qui similiter exemptus est, posse nihilo seciùs subdere se alterius iudicio: idque non modò in foro pœnitentiæ (quo res est comperta) verùm in foro iudiciali: quod fecit Leo Papa. iiij. qui, vt legitur. secunda quæstio. 7. can. Nos si. submisit se iudici Ludouici Imperatoris de rebus quibusdam iudicandus vt seipsum iustificaret. ¶Duplex tamẽ de hac re nascitur dubium. Prius quòd sequeretur generaliter de quibuscunq; causis posse alius sententia cogi, etiam anathematis: nam eadem apparet omnium ratio: consequens tamen doctores in quarto senten. consentiẽter negant: vt S. Thom. distin. 19. q. 1. artic. 3. & Richard. distin. 18. articu. 5. & Petrus de Palud. q. 2. Posterius dubium est de subiectionis modo. Videtur inquam quòd sic se posset alteri subijcere, vt eum sibi superiorem aut æqualem cõstituere: id autẽ falsum esse inde mõstratur, quòd cùm sit Christi vicarius nõ valet alterum eodem loco statuere. Consequentia verò probatur. Autenim libera sua subiectio in necessitatem trãsit, ita vt cui se semel subdiderit, subducere durante iudicio nequeat: & tunc planum fit illum cui se subdidit esse superiorem: vt pote cuius potestas à Papa non pendet. Si verò subiectio nõ sit necessaria, superuacanea est. ¶Ad prius istorum perempta consequentia respondetur. Haud enim cõsequitur, vt quicquid in aliquibus potest, possit in omnibus: sed est regula, quòd quancunq; facultatem in seipsum in foro exteriori exercere potest, valet alteri committere. vt si fort asse inter se & alterum lis contestetur: qua scilicet debitum aliquod, vel alter ab ipso, vel ipse ab altero petit: vel de aliqua sententia quam ipse protulerit ad eundem ipsum prouocatio fit, tanquàm ab iniusto grauamine: sicut potest tunc ipse de illis causis iudex sedere, sic potest & eadem alteri committere, seque submittere. Et hoc facit in di. can. Nos si. Excommunicare autem seipsum nequit, neq; suspendere, neque seipsum propriè punire: & ideo neque valet constituere sibi iudicem qui se excommunicet, suspendat, aut puniat: sed solùm qui sibi iubeat restitutionem facere, aut reuocare sententiam. ¶Alterius argumenti pariter interimitur consequentia. Haud enim potest superiorem sibi aut æqualem constituere. Quapropter cùm duplex sit necessitas: altera scilicet iustitiæ, atque altera simpliciter coactionis, subiectio sua potest priori modo fieri necessaria: non autem posteriori. Potest inquam subiectionem suam pœna vallare & stabilire: sicuti qui sequestrem eligit: teneturque adeò subire sententiam, etiam in foro Dei. Itaque esset peccatum mortale nõ stare fidei suæ: obligareturque pœnam soluere: quocircà non est vana subiectio. Attamen necessitate coactionis, ita vt potestas iudicis non dependeret à sua, nemini se potest subiugare: imò quoties vellet alterius sententiam retractare, illiusque reuocare potestatem, etsi male faceret, teneret factum. ¶Existit tamen ingens argumentum quòd possit Papa alteri se submittere, non modò in minoribus causis, sed etiam vt anathemate aduersus illum procedatur vsq; ad depositionem. Supponamus enim ex capitu. si Papa. dist. 40. quod dum hæreseos labe fordescit, potest à Concilio conueniri & deponi: & cum deponendus nequâquam sit nisi auditus, poterit sub anathematis censura, vt compareat, cogi. Fac ergò ipsum vehementi infamia de hæresi laborare, sic vt Concilium iam iam de illa re indicatur. Videtur ratio persuadere q; possit iudicium circunspectis viris & grauitate insignib⁹ delegare. Arguitur enim sic. Iam tunc iure potest fieri reus & cognita causa deponi, idque fieri nequit sine magno episcoporum dispendio: ergò quò illam caueat iudiciorum turbam, potest illis negotiũ cõmittere, qui rem expeditiùs trãsigant. Secundò arguitur: Lite in concilio contestata possunt & cõcilium & ipse iudices delegare qui rem peragant: cur ergo ipse non poterit seorsum cõmittere? ¶Respõdeturneutiq; hoc Papã posse. Enimuerò potestas illa cogendi tunc Pontificem nõ est penes ipsum, quippe qui nõ potest vim coerciuã in seipsum exercere: sed duntaxat penes concilium: & ideo nõ est in

Corollariũ.

Prima dubitatio.

D. Thomas. Richardus. Petrus de Palud.

Postrema dubitatio.

Ad primã dubitationẽ

Ad alterũ dubium.

Argumẽ.

Argumẽ.

Solutio.

est in arbitrio Papæ talis commissio: quia quam non habet potestatem nemini valet dare: neque depositio per suos commissarios facta vllius esset valoris. Concilium autem potest & causam cognoscere & alteri delegare. ¶Posset quis forsan idem & de inferioribus sacerdotib⁹ hæsitare, An scilicet possent sibi sequestres iudices sua sponte præficere: pro eo q̃ iure vsq; adeò vetitum est in sæculare forum pertrahi, vt illis sit adempta potestas renuntiandi iuri suo: vt patet extrà, de foro comp. c. si diligenti, & latiùs. 11. q. 1. inolita. & can. Placuit. Respondetur nihilo minùs liberum esse quibuscunq; sacerdotibus iudicem sibi arbitrũ constituere, cui parêre tenea tur. Quod enim illis interdicitur non est nisi vt non consentiant in sæcularium tribunalibus sisti. ¶In secundo argumento de Daniele nihil est difficultatis, quoniam ipse instinctu afflatuq; Dei sententiam illam pronuntiauit. Legitur enim ibidem dominum suscitasse spiritum iunioris. ¶Neque in tertio argumento difficultas vlla est, quæ nunc debeat pertractari. Satis ergo hic fuerit concedere quòd qui in alieno territorio & foro delinquit, ratione delicti fit illius subditus: vt extrà, de raptori cap. 1. & ff. de accusa. l. Alterius. Sed præter delictum sunt etiam aliæ causæ quæ ius faciunt iudici cõprehendendi castigandiq; alienum subditum, vt de foro cõpe. cap. licet ratione. Excipiuntur autem clerici qui in iudiciũ sæculare deferri nequeũt: de quibus latior pateret nunc campus disputandi si proprius esset hic locus.

Alterũ. dubium.

Responsio.

Ad secũdũ argumentũ principale.

Ad tertiũ argumentũ

ARTICVLVS. II.

Vtrùm iudici liceat cõtra veritatem quam certò nouit, iudicare, quando legitimè probatur contrarium.

POST autoritatem iudicis secundo loco ab illo exigitur iudicij veritas. Et idcircò secundò loco quæritur vtrùm iudici liceat contra veritatem quam certò nouit iudicare, quando legitimè probatur contrarium. Et arguitur à parte negatiua. Legitur enim Deutero. 17. Venies ad sacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresq; ab eis, qui iudicabunt iudicij veritatem. Vsu autem venire solet vt innocens, cuius palàm iudici innocentia constat, testimoniis falsis ad eius tribunal deferatur: ergo ob talia testimonia non debet veritatem deserere. ¶Secundò arguitur. Homo debet iudicio suo diuinum imitari: diuinum autem semper fit secundùm veritatem. Reuelabitur enim ex hoc iustitia iudicij Dei (vt ait ad Romañ. 2. Paul.) quòd reddet vnicuiq; secundum opera sua. Et de Christo ait capitul. 11. Isai. Non secundùm visionem oculorum iudicabit: neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: non ergo licet iudici falsis testimonijs à veritate abduci.

Primum argumentum à parte negatiua.

Argum. 2.

¶Tertiò: testimonia in hoc sunt necessaria vt veritas constet: quando autem res est manifesta, nullis opùs est testimonijs, secundùm illud Pauli. 1. ad Timothe. 5. Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium: ergo quando iudici res est manifestè comperta non opùs habet alienis testimonijs. ¶Quartò arguitur: Iudex condemnando innocentem facit contra scientiam: & conscientia nihil aliud est quàm scientia applicata ad opus: ergo facit contra cõscientiam: quod proculdubio semper est peccatum: ergo id minimè licet. ¶In contrarium autem est authoritas Augustini super Psalter. Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundùm leges & iura pronuntiat.

Argumẽ. 3

Argum. 4

Augustin⁹

QVæstio hæc inter doctores tam Iuris quàm Theologiæ magna ambiguitate controuertitur. Et cùm vtrinq; sit disputabilis, quàm maximè tamen refert eam sciri. Proposuimus autem quæstionem sub tenore quo eam interrogat sanct. Thom. scilicet vtrùm liceat iudici contra veritatem quam certò nouit iudicare propter contraria testimonia. Includit tamen titulus duas partes. Prior est, vtrùm dum euidenter nosset eum qui vinculis tenet esse reum, non tamen legitimè probatur, imò fortè legitimis testimonijs purgatur, possit eum condemnare. Et hunc sensum non interrogat S. Thom. quia neque de illo dubitatum vnquam est: imò est extra controuersiam id non esse licitum: quoniam forum exterius non extenditur ad crimina occulta: & occulta illa iure censentur, quę secundùm regulas iuris legitimè non constant: scientia autem iudicis non reputatur iure sufficiens testimonium, vt habetur capi. si sacerdos. de offi. iudi. ordi. nam iure naturali ac diuino, in ore duorum vel

Duplex quæstionis sensus.

D. Thomas

trium stat omne verbum. Alter verò est sensus contrarius, vtrùm dum iudici palàm constat eum qui reus sit & legitimè criminosus probatur, innocentem esse, liceat illi eum condemnare. Et quanuis tantùm quæramus an liceat, explorandum tamen est an aliquando teneatur. Porrò autem quò ordine perspicaciori procedamus, ea præmittemus, quæ omnibus sunt in confesso, vt rem in vltimas redigamus angustias. Et constabit responsio conclusionibus tribus.

Sensus legitimus propositæ conclu.

Primum documentum.

¶Supponitur enim hic primùm ex superioribus, iudicem non priuata, sed publica authoritate fungi dum iudicat. Ex quo fit, non suo priuato iudicio, sed communi & publico debere informari. Huic autem subnectitur documentum alterum: videlicet duplici ipsum scientia vti: vt puta vniuersali iuris, & particulari facti: quæ quidem scientia via ordinaria à testimonijs petenda est. Habet enim iudicij quæstio duo membra. Alterum, vtrùm fecit: alterum, quid ergo iuris.

Secundum.

¶Est ergo prima conclusio. Scientiam vniuersalem iuris tenetur iudex sic sanctè sequi, vt neque suum proprium arbitrium, si contrarium est, audire possit, neque vllus in contrarium probationes admittere. Et ratio est: quia ipse non est legum iudex, sed custos non enim ad ipsum attinet iudicare an lex bona sit: sed quid iubeat. Et ideo si vel actor vel reus contendunt probare legem non esse iustam, non sunt audiendi. Neque verò in foro cõscientiæ dum lex edicto principis promulgata est, potest quispiam tutò illam transgredi, causatus non esse iustam: quia nemo est illius iudex: nisi fortè intolerabilem, eandemque manifestissimam iniquitatem præ se ferret. ¶Secunda conclusio. In particulari facto licèt scientia à testium instrumentorumque testimonijs petẽda sit, potest nihilo minùs iudex suo se ingenio & prudentia iuuare: scilicet in examinandis tam instrumentis quàm testibus. Idq; tunc maximè debet quando sibi constat innocentem calumniarum falsitate premi. Hanc conclusionem ratio ipsa naturalis, innocentiæ fautrix, persuadet. Quamobrem impendiò quàm rarissimè vsu venire potest vt iudex omnino cogatur innocentem, cuius innocentia ipsi euidens est, morti addicere. Nam tunc ipse sciet, non solùm testes esse falsos, verùm & quibus vijs possint falsitatis deprehendi, Ob idque poterit illos istantiùs interrogare, districtiusq; scrutari horam, & locum, & formam: illa nimirum prudentia vsus, qua Daniel presbyterorum iniquitatẽ deprehendit, vt Susannæ innocentiam patefaceret. Quinetiam si Caietano auscultandũ est, debet tunc coram populo iurare illum esse innocentem: vt puta quem ipse eâdem hora alio loco viderat. Neque vlla testibus tunc iniuria irrogatur. Imò cùm ipsi sint iniurij, eorum iniuria refellitur. Et quanuis fortasse id bona fide facerent, nulla eis fit iniuria, dum miseri innocẽtia protegitur. Haud tamen liceret occultum nocentem prodere. Addiderim ergo verò tertium, quòd deberet tunc, si profuturum cerneret, in tempus exuere personam iudicis, & corã superiori personam agere testis. Quin etiam si citra scandalum, optimaq; dissimulatione id fieri posset, liceret ei carceres apertos secreto dimittere, vt innocens se in pedes conferret. Itaq; (vt dicebam) vix potest extrema necessitas ingruere innoxij hominis in mortem adigendi. De duobus autem remedijs ac suffugijs reliquis, scilicet an teneatur iudex, aut innocentem superiori remittere, aut officium dimittere, dicemus statim. ¶Igitur vt ad punctum descendamus, vbi necessitas contingeret, tunc autores in diuersas dissecantur sententias: quæ numero sunt tres. Prima est in vno extremo, omnino D. Th. cõtraria: Puta q; in nullo casu scilicet. neq; in causa ciuili, neq; in criminali licet iudici condemnare eum quã euidenter scit esse innocentẽ: quantũuis legitimè probetur reus. Nã citra euidentiam nemo ambigit sequendũ esse iudiciũ publicũ. Hãc opinionem ortum traxisse arbitror & originẽ ex Hugone super legem Prætor. ff. de iurisd. omni. iudi. Eandẽtamẽ opinionẽ amplexi sunt Calderin. & Panor. super. c. Pastoralis de offi. delega. & Sũma Angeli. in verbo, iudicare-q. 7. & Nico. de Ly. Exo. 23. Secunda opinio vtĩ distinctione. Nẽpè q; in causa criminali siue capitalis sit siue vllius mutilationis, nequit iudex cõdemnare innocentẽ secũdùm allegata & probata. Secus autẽ in ciuilibus: puta cum de pecunia agitur, aut de aliarũ rerũ possessione. Hęc autẽ opinio falsò tribuit Calderi. & Panor. qui certiùs fuerũt primæ sententiæ: sed fuit cuiusdã Rodolphi quẽ loco citato Angelus citat. In quã sententiam subscripsit Imola & alij Iurisc̃onsulti sup legẽ A diuo Pio. ff. de re iud. & Sũma Rosella, & Supplementũ. Et hæc media opinio est quæ Adriano p placuit, in quoli. q. 6. art. 3. Sed miror q; hãc asserat esse Theologorũ opinionẽ.

Ratio conclusionis.

Secunda cõclusio.

Suadetur cõclusio.

Caietanus.

Prima opinio.

Hugo.

Calderinus.

Panormita.

Sũma. An.

Nicola. Ly.

Secunda opinio.

Rodolphus

Ioã. de Ime.

Sũma Rosel.

Supplemẽtũ

Adrianus.

Cùm

Cùm tamen ex antiquis nemo sit qui non indubiè teneat cum sancto Thoma: imo minùs inter omnes habet probabilitatis.

Tertia opinio. ¶Tertia ergo opinio est in alio extremo secundùm quam statuimus conclusionem tertiam. Iudex in vltimas conclusus angustias debet in omni causa tam criminali quã ciuili contra veritatem sibi notam secundùm allegata & probata sententia pronuntiare. Hæc inquam opinio est S. Thom. 2.2. q. 67. ar. 2. & superiùs. q. 64. art. 3. ad tertium, vbi exemplũ protulit in causa mortis: nimirum q̃ potiùs est morti adiudicandus innocens, q̃ deserenda testimonia publica. Eademq; fuit sententia Alexan. de Hales, Doctoris grauissimi in 3. p. q. 40. membro. 6. art. 2. & Richard. artic. 3. q. 26. & egregij doctoris Petri de Tarantasia. Et fuit inter Iurisc̃onsultos opinio Bart. super l. illicitas. ff. de offi. præsid. & Ioannis Andr. in suis Nouellis, titulo de allegat. vbi recitat opinionem S. Thomæ in qua se asserit. Fuit etiam sententia Petri de Palud. & Sylvest. in verbo, Iudex. ij. §. 5. Quam post plurimã autorũ citationem fatetur esse opinionem antiquorum omnium Theologorũ, iurisq; vtriusq; interpretum: contra quam Adria. affirmat. Cui re vera sententiæ & rationes cõstanter, & planè iura patrocinantur. ¶In primis Augustiã suprà citatus id astruit, quòd bonus iudex nihil ex arbitrio, sed secũdũ leges & iura pronuntiat. Eisdemq; idipsum prorsus verbis Ambr. super Psalm. Beati immaculati. & refertur. 3. q. 7. can. iudicet. Et. 11. q. 3. ca. summoperè id quoq; Greg. &. ff. de off. præsid. l. illicitas. §. veritas. iubetur præses in sequi quod cõuenit eum sequi ex fide eorum quæ probantur. Censent ergo iura iudici nefas esse, nisi secundùm allegata & probata iudicare. ¶Ait verò fortasse quispiam hæc citata iura nihil aliud definire q̃ quòd iudex debet secundùm leges & iura ius dicere: non tamen subinde censere q̃ debeat pronuntiare secũdum allegata & probata: imò iubẽt vt sequatur scientiam iuris: porrò autem ius ipsum (vt patet Exod. 23.) iubet insontem & iustum non condemnari. Attamen cauillus iste repulsu facilis est. Idem est nanque iudicare secundùm iura & iudicare secundùm allegata & probata. Id enim iura persanctè præcipiũt vt nemo præiudicio, hoc est incognita causa condemnetur: sed per legitimos testes præcognita. Sed est lepida Calderini glossa super verbis legis citatæ, Illicitas. Iubetur ibi præses fidem eorũ sequi quę probabũtur. ait verò ipse q̃ tantùm admonetur sequi allegata & probata, quando illa vera sunt. Sed respondeat nobis, qua via debet iudex cognoscere vera esse quæ probãtur, nisi per idoneorum testium iuramenta. Nam si liberũ ei postea relinquitur negare illa esse vera, frustranea essent testimonia. Multò ergo melior est glossa super illo verbo, ca. 1. de off. iudi. ordi. quo admonentur episcopi iudicare secundùm quòd Canones censent: quę quidẽ glo. inde planè infert, iudicem debere iudicare secundùm allegata & probata. Id quod insuper cõfirmatur ex diuino documento. Deutero. 17. vbi admonitione præmissa q̃ in ore duorum vel trium testium peribit qui interficietur, subditur q̃ iudices sequantur in iudicio veritatem. Illic ergo docentur iudices illã sequi veritatem, non quam ipsi sciunt, sed quam ab ore testium venantur. ¶Veruntamen, vt autoritates rationibus dilucidentur arguitur ratione prima quæ omnium est basis. Nemo ius habet quempiam condemnandi autoritate priuata, sed in quantum publica fungitur: ad iudicium autem requiritur & scientia iuris, & facti: ergo & vtraq; debet vti publica, non priuata: nempè vt sicut in scientia iuris non debet sequi suam opinionem, licèt reputet esse scientiam, sed auscultare debet leges: ita neque in cognitione facti sequi potest priuatam suam scientiam: sed stare tenetur testium publicæ fidei, quam leges probant. *Prima ratio.* ¶Secundò arguitur. Per suam scientiam iudex neminem condemnare potest: vt suprà dictum est, quantumlibet eum euidẽter nouerit esse reũ: ergo neq; potest quẽpiã absoluere. Id quod & patroni contrariæ opinionis fatẽtur. Si ergo nõ potest innoxiũ absoluere, sed debet perpetuis vinculis adseruare: & perpetua vincula morti æquiparantur: gratis profectò negatur, quin possit cum, lotis ab eius sanguine manibus lege in ipsum agere. *Secunda ratio.* ¶Sed obuias: ergo innocens fuit Pilatus qui secundùm allegata Christũ iudicauit. Nulla sanè est consequentia: quoniam adeò erat Christi innocentia: non modò ci, verùm & publicitùs cunctis euidens, adeoq; subinde aperta testimoniorum falsitas, vt neq; Pilatum ipsum celaretur eorum iniquitas, sed posset eos facilè falsitatis reuincere. Vnde cùm dixit. Innocens ergo sum à sanguine Iusti huius: vos videritis: nõ modò innocentiam Christi, verùm & testimoniorum iniquitatem fassus est. Sed illum morti addixit (vt ex Euangelio comperitur) me-

Alex. Hal. Richardus. Petrus de tarantasia. *Bartolus.* *Ioã. Andr.* *S. Thomas.* *Petr⁹ Palu.* *Sylvester.* *Augustin⁹* *Ambrosius* *Gregorius.* *Cauillatio* *Calderinus.* *D. Thomas.* *obiectio.* *solutio.*

tu Cæsaris, qui vel nomen ipsum regis abhorrebat: & insimulatus est Christus quòd se regem faceret. Quin verò & idem metus nè venirent Romani & Judæorum gentem tollerent, eorum inuidiam exacuit vt eum reum agerent. ¶ Tertiò arguitur ex fine publicæ authoritatis. Publica iudicia ob tranquillitatem & quietum statum reipublicæ cõstituta sunt, atque eo pacto vt nulla sit patula iudici via declinandi, vbiuis libuerit, à veritate. Si autem non teneretur secundùm allegata iudicare, pax illicò reipublicæ turbaretur. Nam cùm populus de occultis non iudicet, videns non stari publicis probationibus, non posset non in iudicem proclamare. Tunc præsertim vbi de re atrocilis esset, vt de vrbis proditione, aliave simili. Præterea iudici semper relinqueretur via excusandi se ab exequutione iustitiæ, per hoc quòd diceret sibi patêre contrariam veritatem. In summa necessarium est vt iudex qui in oculis ciuium ius dicit sententiam suam populo persuadeat, eatenùs saltem vt conuincatur secundùm iura fuisse prolatam: quod facere nequiret nisi secundùm allegata iudicaret. ¶ Quartò, si (vt exempli gratia dicamus) certum esset duorum alterum, videlicet Petrum aut Paulum hæresin seminasse, lateret tamẽ vter eorum id fecisset, & Petrus verè reus, confiteretur sacramentaliter in aurem iudicis hæreticæ prauitatis, & posteà Paulus innocens deferretur de illo crimine, cuius vtique innocentia eidem inquisitoricõ staret: tunc profectò inquisitor perplexitate teneretur anceps. Nam si Paulum cõdemnare nequiret, secretum confessionis reuelaret: fieret enim inde compertum Petri crimen. ¶ Sunt autem qui ex his omnibus elabuntur, respondentes quòd iudex in casu quo innocentem euidenter nouit legitimis testibus accusari, debet illum superiori remittere. Idque sanctus Thomas quæstio. 64. articulo. 6. ad tertium, admonet. Hoc autem remedium quòd licitum sit, non est dubiũ. Nam quãcunque causam potest inferior superiori remittere. Et fateor præterea quòd dum insignis persona de aliquo infami delicto accusaretur, illo diuerticulo pius iudex debet subterfugere postquàm omnia alia intentata remedia nihil prodessent. Attamen quòd illud sit necessarium, non video. Nam primum inferior iudex legitimam habet authoritatem terminandi causam secundùm allegata. Mox remedium illud tenuissimum est, imò inane: quoniam cùm superior rei nesciat innocentiam, non posset ob testimonium inferioris eum absoluere: sed debet aliorum testium iuri iurando stare. Et ideo perinde esset superiori remittere, ac supplicio offerre. Quare si non liceret eum occidere, consequens apparet quòd nec deberet eum tradere superiori, sed eum liberare. ¶ Præterea quæstio instauratur de ipso supremo iudice apud quẽ delatus est miser, quem scit esse innocentem accusatus tamen de grauissimo crimine, adeo vt citra graue scandalum nequeat illum vita donare. At verò supremus iudex multò plura habet remedia. Nam posset testes vrgentius deterrere: posset que excogitare alias vias quibus innoxium à tanto eriperet periculo. Præsertim cùm (vt articulo quarto videbimus) possit etiam damnato ad mortem vitam concedere. ¶ Alterum subterfugium est, quòd debet tũc iudex magistratui cedere. Quin alij aiunt teneri citiùs omnium suorum bonorum dispendium facere, quàm illum occidere. Hoc autem profectò multò est improbabilius, quàm id quòd proximè tractabamus: tum quòd remedium illud inutile est, tum præcipuè quòd nemo tenetur tam ingenti suo incommodo damnũ, quod ipse non dedit, in fratre cauere. Etenim quòd homo qui officio suo viuit debeat tantam iacturam facere, durum creditu est. Eò vel maximè quòd si eum nequit supplicio tradere, potiùs debet mortem ipse perpeti, quam in eum capitis sententiam proferre. Quod nimis est creditu rigidum. Hinc fit nostrum Syluestrum, licèt opinionem S. Thomæ visus sit defendere, id tamen non optima fide fecisse. Ait inquam quòd iudex tenetur occidere innocentem, quando neque ipsum potuerit superiori remittere, neq; suum officium dimittere. Hoc etenim secundum sanctus Thomas nusquàm dixit. Et tunc nulla profectò esset nostra opinio: quia cùm quicunque possit officium suum dimittere, semper in promptu esset remedium hoc.

Tertia ratio

Quarta ratio.

Quorũdam euasio.

D. Thomas.

Prima ratio

Secunda ratio.

Alterũ subterfugium.

Replica.

Syluestrũ satis plenè mentem D. Thomæ sequutum esse.

SVnt nihilo seciùs argumenta non infirma contra hanc sententiam, Diluamus autem illa priùs quæ Sanctus Tho. adducit suis solutionibus. ¶ Ad primam authoritatem Deuteronom. qua iubetur Iudex veritatem iudicare, iam respõsum est, veritatem illic eam censeri, quæ in ore duorum vel triũ testiũ consistit. ¶ Et ad secundũ respondetur quòd

Ad primum argumentũ

Ad secundum argumentũ

quòd Deus qui nullo extraneo indiget testimonio, sed sua infinita sapientia omnia penitissimè nouit, & pariter Christus in quantum homo rectissimè iudicant secundũ propriam scientiam. Secùs autem humani iudices qui mendicatis publicis testimonijs stare tenentur: quippe quibus iudicibus aliter non haberetur fides. ¶Ad tertium respondetur, q̃ quando res est manifesta, non iudici tãtùm, verùm publicitus, non opùs est testimonijs. Secùs quando soli innotuit iudici. ¶Ad quartum sunt qui respondeant non esse absurdum in persona publica facere contra conscientiam: secùs si esset priuata. Attamen isti non sunt in Theologorum scholis versati. Quoniam agere contra cõscientiam intrinsecè malum est: quia est agere id quod agens existimat esse malum. Et ideo negatur iudicem agere contra conscientiam. Nõ enim agit contra conscientiam qui tantùm agit contra speculatiuam scientiam: sed qui agit contra practicam. Iudex inquam facit contra illam scientiam, hic est innocens: non tamen contra istam, non est occidendus: Imò rectè iudicat esse occidendum propter idonea testimonia. Vbi verò iudex opinionem haberet persuasam, nostræ contrariam, censeretq; subinde neutiquam innocentem esse condemnandum, nullatenùs posset contra talem conscientiam eum morti tradere. Hic enim hanc tantùm veritatẽ definimus q̃ innocens in tali casu sit condemnãdus: quòd autem contra conscientiam facere nemini liceat, altera veritas est. ¶Accumulantur præterea alia argumenta: nempe quintum, ex illo Exod. 23. Insontem & iustum non occides. vbi Nicolaus negat opinionem sancti Thomæ. Adhoc tamen respõdetur, priuatis personis simpliciter iussum esse: publicis autem potestatibus non ille reputari debet insons, quem publica testimonia sontem faciũt. Ob idq; iudex cùm publico muneri impendit operam, quia tunc ex intentione non occidit innocẽtem, sed debitum officij sui, quicquid sequatur persoluit, nullatenùs peccat, sed studiosè agit: sicuti ille qui tutamine inculpatæ tutelæ aggressorem interficit. ¶Et per hoc soluitur aliorum argumentum, arguentium hoc esse contra ius naturale. Illi enim qui falso accusant, ius violant naturale, si scienter hoc faciant: nam possunt id bona fide facere. Iudex autem potiùs ius idem transgrederet nisi debitum officij sui præstaret: quòd iure naturæ ob commodum bonum constitutum est. ¶Hæc argumenta communia sunt primæ ac secundæ opinioni. Aliud est quo Adrianus peculiariter vtitur vt suam mediam persuadeat. Nullus mortalium est dominus vitæ humanæ, sed solus Deus: nemini ergo fas est innocentem perimere. Secùs inquit de bonis temporalibus, quorum homo est dominus. Potuit quippe, ait, populus consentire vt dum quisque innocens ciuili causa legitimè accusaretur, qua deberet bonis præcisè externis multari, innocens ille cõsentiret propter allegata & probata. Hæc autem opinio omnium est incongruentissima, neque vllo sustentaculo fulcitur. Nam quòd ait neminem ius habere suæ vitæ aut membrorum, hoc duntaxat probat quod autoritate priuata nemo potest se, aut, nisi vim vi repellendo, alium interficere. Secùs autem de persona publica: quare iudici in tali casu publica idoneaque testimonia ius faciunt occidendi innocentem. ¶Mox reuincitur Adrianus. Si non posset innocens damnari in causa criminali, profectò neque posset in ciuili. Quia sicuti iudex facultatem non habet vita priuandi hominem, nisi pro crimine: ita neq; externis bonis. Vnde enim ipse illum populi consensum piscatus est? eò præsertim quòd (vt sæpe dicere cõsueuimus) posset esse tam ingens bonorum cumulus, qui vitam priuati hominis adæquaret. Nullum ergo profectò argumentatio aculeũ habet aut pondus aduersus hanc D. Thom. quam pleriq; meritissimò amplexi sunt, opinionem, nisi illud quod à pietate sumitur. Videtur enim animus extimescere innocentem morti adigere. Hoc autem solùm persuadet quòd sit impendiò quàm maxima adhibenda diligẽtia & cura in eius tutelam: non tamẽ quòd eius causa deserendæ sint leges, deserendaq; tranquilitas publica. Est enim lex omnis humana, quantũuis iusta, nihil aliud quàm cribrũ expurgandi tritici: quæ nequit sic exactè iusta & iniusta discernere, quin cum purgaminibus nonnulla quandoq; decidant grana. ¶Verũ tamen hoc nõ est prætereundũ argumentũ, quod posset quispiam decipere. Argumentum autem est. Vbi lis esset de aliqua condemnanda propositione hæreseos notã, & Doctores plurimi decepti illã damnarent, Papæ verò aut iudici episcopo, euidens esset illius veritas, neutiquàm subscribere in aliorum sententiam posset: sed deberet constanter suam retinere veritatem: ergo similiter iudex nequit cõtra sibi compertam veritatem

Ad tertiũ.

Ad quartũ

Primum argumentum cõtra positã conclusionẽ. Solutio.

Argumẽtũ secundum.

Adriani opinio inconstantissima

Ratio in Adrianum.

Aliud argumentũ cõtra conclu.

Responsio. testium probationibus auscultare. Respondetur nullam esse rerum similitudinem. Veritatem enim nullatenus abnegare licet: iudex autem dum morti addicit innocentem, nihil asserit falsi: nam pro toto mundo non deberet affirmare illum esse in culpa: sed facto profitetur damnandum esse: idq; verum est: quia testimonia illum morti obtulerunt.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Iudex absque accusatore possit quempiam iudicare.

TERTIVM quod ad iudicis rectitudinem requiritur, est forma iudicij. Circa quam quæritur, vtrũ absq; accusatore possit reũ quẽpiam iudicare. Et arguitur

Primum argumentum à parte affirmatiua, tam Dei exemplo quàm sanctorum: Deus nulla præuia accusatione delictores castigat: iustitia autẽ nostra à sua deriuatur: ergò & nobis id licet. ¶ Secundò

Argum. 2. idem ostenditur in Danièle, vt eius historia refert, cap. 13. qui accusator vnà fuit & iudex

Argumẽ. 3 ¶ Tertiò arguitur. Accusator in hoc necessarius est, vt crimen in aures deferat iudicis: potest tamen alia via in eius notitiam peruenire: ergò non semper necessaria est accusatio.

Ambrosius. ¶ In contrarium est Ambros. super Apostoli sententia de fornicatore. 1. ad Corinth. 5. vbi ait: Iudicis non est sine accusatore damnare: quia Dominus Iudam cùm fuisset fur, quia non est accusatus, minimè abiecit.

Conclusio responsiua. BReuissima est quæstio, vnaq; hac conclusione contenta. Iudex in criminibus nequit quempiam iudicio condemnare, nisi accusatum.

Ratio cõclusionis. Ratio est, quòd cùm iudex interpres sit iustitiæ, ad quem secundùm Arist. 5. Ethico. veluti ad animatum iustum concurritur: iustitia autem hominis nõ ad eundem ipsum, sed ad alterum sit, fit vt iudex inter duas partes iudicaturus sedeat, actorem scilicet vel accusatorem & reum. Accedit authoritas Actuum. 25. vbi ait Festus, Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem priùs quàm is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locũque se defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obijciuntur.

Argumẽtũ ¶ Occurrit autem illicò argumentum contra formam huius cõclusionis, quæ angusta strictaq; nimis esse videtur. Arguitur inquam contrà. Eadem est ratio criminalium causarum & ciuilium: cur ergo strictim dictum est, in criminibus, ac si in ciuilibus minimè esset accusatio necessaria? Respondemus, diui nos Thomæ tenuisse formam. Ipse autem, si Caietano fides habetur, exemplum in criminalibus posuit, eò quòd in illis requiritur delictoris præsentia: & ideo euidentiùs illic patet accusationis necessitas. At tamen expositio hæc non facit satis: deberet enim cõclusionem ponere quàm latè patebat. Ratio ergo S. Thom. fuit quòd licèt in omni iudicio prẽter iudicem necessariæ sint duæ personæ: in causa tamen ciuili, vbi non petitur delinquentis supplicium, sed rerum restitutio, patentissimum erat iudicium iniri nõ posse sine parte res suas petente, quę quidem, accusator non dicitur, sed actor. Et ideo quæstio particulariter mota est de accusatore, de quo in dubium venire poterat, an esset necessari?: propterea q̃ iudex munere suo videtur posse crimina vindicare. ¶ Arguit autem prætereà contra conclusionem. Ius naturale non vetat quo minùs possit potestas publica, nulla expectata accusatione, pernicio-sum hominem extinguere. Nam & pater familiâs & monachorum præfectus potest familiam suam absq; illa iudicij forma castigare: nulla ergo debuit lex humana illud prohibere. Respondetur q̃ licèt ius naturale id expresse nõ prohibeat, est tamen vtroq; humano iure sanctè prohibitum: Vt extrà, de accusa. capi. si legitimus. &. l. illicitas. suprà citata. ff. de off. prœsi. &. ff. de mune. & hono. l. rescripto. Si quis accusatorem nõ habet, ab honoribus prohiberi non debet. Et alijs Romanorum legibus quas insinuauit ille Festus loco citato in Actibus Apostolorum. Ad quas leges alludere visus est Christus Ioan. 8. Nemo te cõdemnauit mulier: neq; ego te condẽno. Et est naturali iuri apprimè consonum. Satis enim reipublicæ pax custoditur & quies, si qui accusatione aut proclamatione delati fuerint in iudicium, in conspectu populi afficiuntur supplicio. Nam si iudex accusatoris simul & vindicis personam gereret, via calumnijs sterneretur. Debet ergo iudex tertius esse inter duas alias personas arbiter. Quare Arist. 5. Ethic. cap. 4. ait cũ esse mediatorẽ. At verò pater familiâs, qui vi non vtitur coerciua, neq; capitali sententia ferire potest, hac non indiget accusationis ceremonia. Sicuti neq; monachorũ prœlat⁹ in delictis minoris momenti, quæ, ceu pater castigare debet.

Caietanus.

Veraſolutio

Argum. 1.

Responsio.

Arist.

Idq;

Idq; iuris habet pontificũ concessione, quorum autoritate monachales institutiones firmitatem habent. Quin verò & extra religiones in leuioribus non opùs est stricta accusationis forma: vt habetur. l. leuia. ff. de accu. vbi leuia audire & discutere de plano iubentur. At verò grauia crimina quæ sine delinquentis infamia puniri nequeunt: nempe vbi carceribus opùs est, neque in monachorum claustris vindicari possunt nisi accusatione præuia.

Ad primũ argumentũ RESpondetur ergo ad argumẽta. Etenim quæ Dei sanctorumq; exempla in contrarium obiecta sunt, nihil contrà mouent. Deus siquidem nullo opùs habet accusatore, eò q; & omnia nouit, & pro sua absoluta potentia, summaq; æquitate neq; minimam culpam impunè permittit. Tametsi nihil sine accusatore puniat. Creauit enim rationẽ nostram adeò culpæ inimicam, vt conscientia ipsa criminosi ipsum ante diuinum eius tribunal iugiter accuset: vti ad Roman. 2. doctor est Paulus. Præterea & factum ipsum, quod etsi sit latentissimum, ipsi tamen patẽtissimum est, pro accusatore est ante eius cõspectum. Vnde Gene. 3. quasi Adæ præuaricatio eum ad suum tribunal detulisset, in iudicium euocauit dicẽs, Adam vbi es? & cap. 4. Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Et cap. 18. in Sodomorum vltione: Descendam & videbo vtrùm clamorem qui venit ad me opere compleuerint. Quin verò forma finalis iudicij futura videtur cũ accusatione: vt habetur Matth. 12. Viri Niniuitæ surgent in die iudicij cum generatione ista, & condemnabunt eam. Regina Austri, &c. ¶ Atq; eâdẽ ratione Daniel quoniã Dei agebatur autoritate & appulsu, potuit eosdẽ senes & reos accusando facere, & morti addicere condemnãdo. ¶ Ad tertium respondetur, præter hominem, cuius propriũ est accusandi munus, quatuor existere alias causas, quarum quælibet locum sibi vendicat accusatoris. Prima est manifestarium crimen, quod notorium appellant: puta vbi quis in conspectu populi vel iudicis cum legitimis testibus delinquit: tunc enim non alius præstolandus est accusator: secũdùm illud Pauli. 1. ad Corin. 5. Quorundam peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudiciũ. Vnde glossa Augustini super locum citatum Genes. 4. de sanguine Abel: Et refertur extrà, de accu. euidentia patrati sceleris clamore accusatoris non indiget. Idemq; habetur. 2. q. 1. can. manifesta. Secunda causa est infamia, vel indicia, vel clamorosa insinuatio. Hæc enim vicem habent quodammodò accusatoris. Nõ quidem vt iusta sint causa, reum in supplicium rapiendi, sed via inquisitionis re priùs explorata & discussa: iuxta formam capitulorum, qualiter & quando. &, Inquisitionis. extrà, de accusatio. Tertia causa est quando quis iudici denuntiatione iuridica denũtiatur, quæ ad vindictam tẽdit: qualis fit inquisitoribus hæreticæ prauitatis. Tunc etiã via inquisitionis proceditur ad cognitionẽ causæ, & vltionem criminis. Est enim illa denũtiatio hoc tantùm ab accusatione differens, quòd qui denuntiat non tenetur probare: aliàs nemo denuntiare auderet. Quarta deniq; causa est dum quis fraterna correptione præmissa euangelicè denuntiat fratrem prælati vt patri. Tunc enim si denuntiatus fuerit dicto audiens, nõ licet prælato ad pœnas & infamiam procedere: sed illic cessare debet vbi correptus frater, correctus subinde apparuerit. Nam illuc tendit ille processus. Sin verò rebellis extiterit, tunc rebellio accusatoris vicem gerit vt possit prælatus in eum lege agere, vt infrà limatiùs patebit. Hæc enim non est hîc locus emunctiùs examinandi.

Paulus. *Ad tertiũ* *Augustin⁹*

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm iudici liberum sit pœnam iuris relaxare.

QVartum deniq; quod in iudice requisitum est, ad iudicij pertinet executionem. Et ideo videre restat an liceat iudici pœnã relaxare. Arguitur ergo à parte affirmatiua. Admonuit nos Iacobus cap. 2. iudiciũ sine misericordia ei manere, qui misericordiam nõ fecerit: ergo non solùm pœnam iudici misericorditer licitum est relaxare, verùm etiam debitum. ¶ Secundò id confirmatur Dei exemplo, qui (vt habetur Eze chiel. 18.) non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. ¶ Tertiò. Id quod alicui prodest, nemini verò nocet, quicunq; iustè præstare potest: ergo saltem vbi qui iniuriam passus est, noxiam condonat, poterit & iudex remittere noxam. ¶ In contrariũ sunt legis testimonia. Legimus enim Deuter. 13. de idololatria: Non parcat ei ocu-

Primũ argumentum *Secundum* *Tertium*

lus tuus vt miserearis & occultes eum: sed sta tim interficies eum. Et de homicida. c. 9. Mo rietur neq; misereberis eius.

Distinctio. AD quæstionem hanc quæ facilima est, suppositā distinctione per duas conclu siones respondetur. Alia enim est longè ratio supremi iudicis, puta principis penes quē summa est imperij, à ratione inferioris, qui ceu eius minister, exequendis duntaxat le-

Prima conclusio. gum sanctionibus deputatus est. ¶Prima ergo esto conclusio. Antequàm pars læsa iniuriam remittat, nullus iudicū, siue summus sit, siue infimus, remittere potest pœnam.

Probatio cō clusionis. Probatur. Duplici enim nomine tenetur iudex scelerosum supplicio tradere. Priori, quia causam definire debet inter ipsum & accusatorē? Posteriori, quia minister est reipublicæ, qui non priuata, sed publica potestate vindex est iniuriarum, quæ in ipsam fiunt. Nam qui ciui iniuriam infert, reipubli cæ subinde eandem impingit. Igitur iudici duplex obstat impedimētum nè valeat à no xa absoluere reum: alterum ex parte accusa toris: atque alterum ex parte reipublicæ. Quocircà quādiu qui iniuria affectus est, in accusatione perstiterit, nō fit iudici liberum reum indemnem seruare. Ob id quod, ceu iusti custos, tenetur vnicuiq; ius persequenti suum reddere: & si contrariū faceret, perin de atq; ille delinqueret, qui de alieno misericors est: teneretur q; subinde ad restitutionē tam iniuriæ quàm damni. Vnde. 5. Ethico.

Aristot. Arist. cap. 5. Quando homines, inquit, vidēt non sibi per inflicta supplicia cōpensari iniurias, in seruitute se viuere arbitrantur.

Vltima cō clusio. ¶Posterior conclusio. Postquàm accusator ab accusatione contentus destiterit, in arbitrio est supremi iudicis pœnam iuris relaxa re, aut commutare: tale autem arbitrium inferiori non committitur.

Probatio. Posterius hoc mēbrum inde fit planum, quòd iudici inferiori præscriptus est à superiori agendi modus: & ideo sic legibus alligatur, vt nequeat earum præscripta exire. Vnde super illud Ioan. 19. Nō haberes super me potestatem vllam. ait

Augustinus Augustin. Talem Deus dederat Pilato potestatem, vt esset sub Cæsare, nè ei omnino liberum esset accusatum absoluere. Prius autem conclusionis membrum ex eo veritatē sortitur quòd princeps non tantùm est legū custos, verùm dispēsator. Non inquam absolutus, vt posset illas pro arbitrio suo, veluti pallium suum dispēdere, ac dissipare: sed tamen potest, vbi decēre videbit aut bono publico expedire, in legibus dispensare. Quo fit, vt accusatore desistente, & veniam ei quē accusabat deprecante, non subinde obligatur princeps pœnam cōdonare: sed est in arbitrio suo illam infligere. Quin verò merita rei debet perpendere. Et posset esse ille tam scelestus, vt debeat supplicio eum addicere: quod si nō faceret, iniurius esset reipublicæ: vt puta quando publicus esset sicarius, aut latro, vel studio sceleroſus. Secus quando vnum præ humana fragilitate commisit crimen. Sed nunquid non posset reus qui vnicum fecit humanum delictum tam insigniter esse reipublicæ vtilis, vt etiam reclamante accusatore posset vita donari? Respondetur hoc impendiò quàm rarissimè licēre: nihilo minùs vsu venire posse, vt deceret principem (quod habetur. 2. q. 7. c. si quem pœni tuerit) accusationem obolere, & accusatorē compellere vt prudentum arbitrio alia satisfactione esset contentus, vt persona, vel ad bellum gerendum, vel ad alia munera egregiè commoda seruaretur.

Scrupulus

Solutio.

Ad primū argumentū AD primum igitur argumentum respondetur quòd personis priuatis quàm rarissimè, imò vix potest in remittendis iniurijs excessus cōtingere: adeò nos districtè cō mendauit Christus inimicorum dilectionē. Publicis autem magistratibus, quia patroni & protectores iustitiæ sunt, præscripta est li nea inclinādi in misericordiam. Debēt quidem genere suo esse clemētes, neq; causas disquirere, technasq; innectere trucidandi homines. Imò quod Aristo etiam. 5. Ethi. agnouit, & est inter regulas iuris, debet esse clemē tior ad minuenda mitigandaque supplicia quatenùs tamen fert ratio iustitiæ & legis. Inde enim exilire, non est clementia, sed clades publica. Quin verò & illi qui pietatis obtentu nimium procurant malefactores è iudicum manibus eripere, non putent egregium pietatis opus exhibere: inferunt enim sæpe iustitiæ violentiam. Neq; illic locū habet exemplum Christi, suis crucifixoribus veniam à patre deprecātis: quippe quod ad culpæ remissionem pertinebat. ¶Et perinde respondetur ad secundum, q̄ cùm Deus sit in quem primùm præcipuéq; peccatur, potest remittere culpam & pœnā, vt ei placitum fuerit, Tāetsi vbi ait, Nolo mortem peccatoris, de æterna id intelligat: ob idq; subdit, sed vt magis conuertatur & viuat, videli-

Aristo.

Ad secūdū

cet

cet spirituali vita. Pœnam autem nemini relaxat, præterquàm in sacramento, nisi secundùm opera & fructus pœnitentiæ. ¶Ad tertium autem iam responsum est, q̃ iudex remittẽdo pœnam, etiam accusatore cessante, nocumentum infert reipublicæ, quatenùs metum de medio tollit, quo homines arcentur à malo. Vnde Deuterono. 13. Post pœnã seductoris subiungitur: vt omnis Israël audiens timeat: & nequâquã vltrà faciat quidpiam huius rei simile.

Ad tertium

QVAESTIO QVINTA, de iustitia accusatoris.

S. Tho. 2. 2. q. 68.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm quispiam teneatur alium accusare.

SECVNDA persona in iudicio est actor vel accusator: nam nisi ille qui noxius est ab alio in iudicium deferretur, nunquâm ipse veniret. In accusatore autẽ quatuor sunt considerãda: scilicet obligatio, forma, iustitia, & pœna si iniustè accuset: de quibus ideo quatuor extruũtur articuli. Primò ergo quæritur vtrùm quispiam teneatur quempiam accusare. Et arguitur à parte negatiua. Primò, quia Matt. 6. iubemur debitoribus nostris dimittere debita. Et ad Roma. 12. Non vos defendentes, hoc est nõ vos vindicantes charissimi: sed date locũ iræ. ¶Secũdò: Amicum in iudiciũ traducere amicorũ fidei derogat: ergo id minimè fas est. ¶Tertiò: si accusatio esset virtutis præceptum, nemo inde excuperetur: multi autẽ ab accusatione repelluntur: vt. 2. q. 7. latè patet, de excõmunicatis & infamibus: ergo nõ est præceptũ. ¶Quartò: Si tale esset præceptũ, illud potiùs officiũ deberemus prælatis & amicis persoluere: sed eâdem causa &. q. prohibentur subditi, nisi in certis casibus, Prælatos accusare. Et præterea clerici accusari à laicis & illos accusare: & maximè in causa sanguinis: vt patet cõcilio Toletano quarto. 23. q. 8. can. his à quibus. & can. clericis. atq; alibi crebrò: ergo nõ est præceptũ. ¶Quintò. Accusator astringitur crimen probare: aliàs pœnã talianis subiret: nemo autẽ cogitur tantũ subire periculũ: ergo nemo accusare cõpellendus est. ¶In contrarium est illud Leuit. 5. Si peccauerit anima, & quis audierit vocem iurantis, testisq; fuerit q̃ ipse vidit aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.

Quatuor in accusatore cõsiderãda.

Primũ argumentum

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Concilium Toletanum

Quintum.

PRæsentem quæstionẽ in Relectione nostra de tegend. & detegen. secretis, quintam fecimus, vbi eam ad amussim disputauimus. Nihilò minùs non possumus non huc aliqua conferre nè ista lacuna interciſus appareat præsens tractatus. Respondetur ergo ad quæstionem, distinctione præmissa, duabus conclusionibus. Est enim differentia inter fraternam denuntiationem, & iuridicam accusationẽ, quæ ex parte finis sumitur. Denuntiatio enim illuc tendit, vt correptus frater corrigatur & emẽdetur. Quare (vt dicebamus) illo obtento scopo, non est vlteriùs progrediendum. Accusatio verò ad hoc initur, vt reus puniatur, idq; præsertim in bonum publicum vt quies reipublicæ conseruetur, neque eius decor sordescat. Vnde denũtiatio fraterna est criminis delatio ad prælatum, veluti ad patrem correctionis gratia. Accusatio verò est criminis delatio ad iudicem, veluti ad personam publicam, vindicationis gratia. ¶Prior ergo conclusio est. Vbi quis scelus nouerit in reipublicæ perniciẽ ire, quod idoneis testibus probare potuerit, tenetur noxium accusare. Probatur. Criminum vindictæ quæ in hoc seculo fiunt, non propter ipsas expetendæ sunt, veluti vltiones in odium exitium q̃; malorum: illiusmodi enim pœnæ, infernales erunt, vbi tempus aduenerit plenariæ retributionis: sed sunt tanquã medicinæ procurandę, vel ipsius qui supplicio afficitur, vel boni publici: nimirũ vt earum metu homines in officio cõtineantur, nè commune bonum perturbent: quicunque autem bono communi succurrere constringitur, veluti pars toti, vbi viderit vel contagione infici, vel sceleribus corrumpi: id verò fieri non potest nisi per publicam potestatem, ad quam accusatione crimina deferuntur: ergo quisque in tali casu tenetur pernicioſum accusare. Duæ ergo conditiones coïre debent vt obligatio enascatur accusandi, scilicet vt crimen existat contra bonum publicum, & probari possit. ¶Atqui hinc consequitur posterior

Distinctio.

Quid denũtiatio fraterna.

Quid accusatio.

Prima conclusio.

Probatio cõclusionis.

Gemina conditio quam adesse oportet vt quis accusare teneatur.

Postrema conclusio. rior conclusio. De peccato quod vel in cladem reipublicæ non vergit, vel idoneis testibus probari non potest, nemo iure naturali accusare tenetur. Prior conclusionis pars

Ratio cõclusionis. probatur. Nam cùm quisq; sit suorum bonorum dominus, etiam famæ & honoris, vt lib. 4. q. 2. ostensum est, potest illa remittere, tum vt dicto Christi audiens sit, quo nos tãto perè ad dilectionem inimicorum animauit: tum etiam ad redimendum tempus. Et in hoc casu intelligitur lex vnica. C. vt nemo inuit. agere, vel accusa. cog. Et est expressa

S. Thomas. sententia sancti Thomæ. 2. 2. non solùm. q. 68. vbi hoc tractat, verùm. q. 73. arti. 3. vbi ait, cuiusq; arbitrij esse detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.

Rõ. S. Tho. Secundam partẽ probat sanctus Thomas, quia nemo ad id tenetur quod perficere nequit: & ideo cùm in accusatione necessaria sit probatio, qui probare non potest, accusare non cogitur: eò præsertim nè periculum sibi creet vel talionis, vel alterius damni si in probatione defecerit. Dixerim iure naturæ, nè in litem aliam descendamus, vtrùm hæredes occisi teneantur iure ciuili homicidam accusare secundùm opinionem Barto. super legem, In eum. ff. de accusa. nè ius hæreditatis amittant. cuius tamen contrarium sentire videtur. l. diui fratres eod. &. C. citata, vt

Argumẽtũ in priorẽ cõclusionem. nemo inuitus. l. vnica. ¶At verò quò prior conclusio explicatiùs euoluatur, arguitur contra eam. Nullum est peccatum quod nõ afferat detrimentum publicum: nempe vel scandalum, vel mali exemplum, vel aliquam persuasionem consortis: ergo si conclusio vera est, nullam fert exceptionem, sed de quocunque peccato, cui pœna posita est, debet quisq, si probare id potest, delictorem in iudicium producere. Hoc argumentum pleroſque multos conuincit. Attamen discre-

Solutio. tione opùs est. Haud enim omnia peccata sic in detrimentum censetur reipublicæ, vt sint necessariò, vel denuntianda, vel accusanda, vel tanquàm talia inquirenda: sed illa tantùm quorum proximum obiectum est commune bonũ, quod illis expugnatur & conturbatur. Reliqua siquidem quæ aduersus priuatum bonum committuntur, priuata reputantur: nam ex obiecto actuum, species existimantur. Exẽpla sunto. Bona proximi furari, priuatum delictum est, sicuti & priuatum hominem occidere: compilare autem ærarium publicum, sicuti & crimen læsæ maiestatis, hæc sunt quæ in publicum detrimentum vergunt. Pari modo mendacium pernicioſum, quo fraus ciui extruitur, peccatum priuatũ est. Hæresis verò qua cõmunis religio concutitur, crimen est cũ primis publicum. Nam etsi scelera quæ in singulas reipublicæ priuatas partes cõmittuntur, quodammodò rempublicam attingant, non tamen ideo existimanda sunt publica. Latrones autem qui regias vias obsident, & Assasini publicis criminoſis adscribuntur.

Secundũ argumentum ad idem. ¶Secundum argumentum est. Quando talia crimina publica quis resciuerit, satis est si illa denuntiet: non ergo necessaria est accusatio. Eò præsertim quod si denuntiat, non tenetur probare, sicuti ille qui accusat. Quare vt ab illo periculo deficiendi in probatione liberetur, satisfeciſſe videbitur dùm denuntiauerit. ¶Propter hoc argumentũ te-

Sũma. An. net Summa Angel. contra sanctum Thom. q̃ nemo accusare tenetur: in quam sententiã citat Barto. super. l. in eum ff. de accusa. Hic

Duplex denuntiatio. tamen est notandum denũtiationem, quantum ad rem attinet præsentem, duplicem esse: licèt Doctores canonici iuris plures præter accusationem distinguãt super. c. nouit. de iudi. &. 2. q. 1. can. si peccauerit. quas eâdẽ 5. q. de Ratio. tegen. & detegen. secre. diffusè nos explicuimus. Vna est enim denuntiatio fraterna, & euangelica, quam modò diximus ad fratris correctionem referri: sed alia est iudicialis, quæ bonum etiam publicum habet pro scopo: quæ ideo procedit etiã ad punitionem: sicut est illa quæ fit inquisitoribus: & seruus qui accusare non potest dominum, potest illũ denuntiare: & subditus etiã inferiorem prælatum superiori. Et illa est pene accusatio, hoc solo differens q̃ denũtians nõ tenet probare, sed iudex tũc tenet inquirere. Et hanc forsan hic sanctus Thomas nomine accusationis comprehendit. Tametsi vbi crimen esset valde pernicioſum & contagioſum, ille qui testes posset afferre, accusare quoq; tenetur: & crimen probare, vt iudicem labore inquirendi in re tanti momenti reuelaret. Quare quicquid sit de iure ciuili, nõ dubium quin in causa publica teneatur quisq; in conscientia accusare. Et Barto. solùm loquitur in causa priuata.

Dubium. ¶Tertium autem dubium est, vtrùm sicut ante denuntiationem euangelicã præ requiritur admonitio fratris: ita, & ante accusationem. Et ar-

Argumẽtũ partis affirmatiuæ. guitur à parte affirmatiua. In euangelio nulla fit exceptio accusationis vel denuntiationis: sed simpliciter præcipitur, vt secreta admonitio

monitio præcedat. In contrarium tamen facit quod in.c.qualiter & quando de accusa. distinguitur inter denuntiationem & accusationem, sub his verbis: Sicut denuntiationem admonitio, ita & accusationem inscriptio præcedere debet: vbi nulla ante accusationem admonitio exigitur. Propterea *Durandus.* Durandus in.4.distinc.19.q.4.ait quod in foro interiori & conscientiæ requiritur admonitio, non tamen in foro exteriori. Et sanctus *S. Thomas. Syluester.* Thom.eâ.distin.q.2.arti.3.recitat ambas opiniones. Et quãquam Syluester in verb. Accusatio.§.3. existimet tenere partem affirmatiuam, tenere tamen apertiùs videtur negatiuam. Scilicet quòd non requiritur. Et ideo *Caietanus.* Caietanus.2.2.q.33.art.7.dicit, quòd quando accusatio solùm est licita, non tamen in præcepto necessarium est, vt admonitio secreta præcedat: qñ verò est in præcepto, tunc non *Solutio propositæ dubitationis.* est necessaria. ¶His tamẽ non obstantibus rem sic ratio dilucidat, vt nullis opùs sit citationibus, sed distinctionibus. Prima est: quãdo accusatio alicui incumbit de re sua propria, nulla requiritur admonitio, neq; in foro exteriori, neque in conscientia. Ratio est: quia scopus talis accusantis non est emendare fratrem: ob idq; inanis esset & vana admonitio: quoniam etsi sit emendatus, potest qui iniuria affectus est ius suum persequi. Atque in hoc casu palàm deficit opinio Caietan. Iste enim non tenetur accusare, & tamen potest sine prꝛuia admonitione id facere. Quando vero crimen, modo nuper expositio, pestiferũ est reipublicæ, tunc distinguendum est. Enimuerò si ille qui resciuerit certissimus omninò sit quòd per suã admonitionem sic frater emendabitur, vt dãnum publicum omninò sopitum cessabit, necessaria est admonitio. Et hoc non solùm lege charitatis, verùm etiam iustitiæ: quia pestilens ille sceleros⁹, adhuc habet possessionẽ honoris sui: ob idque si satis potest occurri malo publico sine eius læsione, nõ est id publicum traducendus. Est enim (vt diximus) accusatio, medicinalis: & ideo si excusari tantum detrimentum potest, cauenda est. Si verò non sit omni firmitate certissimus q̃ sua proderit admonitio, vel sit in mora periculum, illicò ad accusationem properandum est. Vnde si inserperet ciuitatis proditio, aut regis exitium, aut super omnia hæreseos crimen, maximè in dogmatizantibus: præceptũ est statim ad iudices aduolare: quia nemo debet existimare se posse tam ingẽtibus periculis aliter occurrere. Quin verò etsi nõ existerent idonei testes ad probandum, festinandum est ad denũtiationem iudicialem. Sententia est expressa sancti Thomæ.2.2.q. *S. Thomas.* 33.ar.7.vbi ait oportêre in talibus casibus statim procedere ad denũtiationẽ, vt huiusmodi nocumenta impediantur. Nisi fortè, inquit, aliquis firmiter existimaret, q̃ statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire. ¶Et hinc sumẽda est *Regula.* regula in Inquisitionibus generalibus, quãdo edicto præcipitur, vt quisq; denũtiet latentia crimina. Etenim si omninò sint emendata, cuiuscunq; sint generis, nemo tenetur illa vel denuntiare, vel accusare: sed tantùm testis esse si eius testimonium in particulari legitimè postuletur. Si autem non sint emẽdata, tunc aut sunt priuata, vt concubinatus, vel alia quæ non habent pro obiecto bonum publicum: & hæc tãtummodò denuntianda sunt fraternè ad emendationem fratris. Si verò sint in perniciem publicam: vt proditio, hæresis, & si quis forsan non ex infirmitate, sed studio & quasi publicus hostis membra reipublicę ad malum solicitaret, vt rempublicam corrumperet: & non posset aliter obuiari illi malo, denuntiandus esset denuntiatione iudiciali: quin verò accusandus si probari res posset. Et pariter si immineat periculum tertiæ personæ. Quanuis in his non ita crebrò vsu venit necessitas accusandi: quia eiusmodi crimina frequẽtiùs possunt via correptionis fraternæ præueniri. ¶Hic de fiscalibus examinandũ esset in causis criminalibus. Etenim quòd fisci procuratores instituantur, iustum est vt curam habeant ærarij publici. Item vt criminum etiã in perniciem publici boni (vt expositũ est) vergentium accusatores existant: quandoquidẽ quilibet tenetur illa detegere. Sed tamen q̃ fiscales instituant̃ scrutatores priuatorum criminum, credo neq; S. Tho. neque antiquiores sancti probassent. Quoniam talium scelerum vltionem & vindictam poscere, solis priuatis incumbit, qui iniuria perculsi sunt. At postquàm cõsuetudo hoc habet, non est nostrum de hoc censere.

AD primum igitur argumentum secunda conclusio respondit. Probant enim illa testimonia, priuatis personis consilium esse euangelicum suas priuatas iniurias condonare. ¶Ad secundum autem de amicorum fide respondetur, amicos vsq; ad aras esse colendos: *Ad primũ argumentũ* *Ad secũdũ*

lendos: & ideo vbi res est de bono communi, hoc illis anteferendum est. Neque ideo amicitiæ fides infringitur, etsi promissio præcesserit seruandi secreti. Nisi sit sacrosanctum arcanum sacramentalis confessionis, quod neque pro toto mundo reuelare fas est. *Ad tertiũ* ¶Ad tertium respondetur quòd infames & excommunicati (vt dicta quæstio.7.habetur) ab accusatione repelluntur: non quidem in bonum ipsorum: siquidem accusare vbi & quando oportet, virtus est: sed in pœnam arcentur ab illo munere.

Propterea quòd accusatio autoritatem desiderat accusantis: quam illa sors hominum non habet. At. ff. de accusatio. l. qui accusare. multis alijs de causis alij prohibentur accusare: scilicet ratione sexus, ætatis, conditionis, &c. *Dubium.* ¶Sed est dubium, vtrùm saltem quãdo crimen est reipublicæ perniciosum, isti qui sunt iure repulsi admittantur, ad accusationem. *Responsio.* Respondetur neque tunc quidem esse admittendos: possunt tamen & debent iudiciali denuntiatione pericula patefacere: vt.2.2. quæst.68.articu.1. author est *Caietanus.* Caietanus. Et pariter respondetur ad quartum. *Ad quartũ argumẽtũ.* Prohibẽtur enim eãdem causa & quæstio. eãdemque lege citata in. ff. filij, & subditi, & serui, suos superiores accusare. *S. Thomas.* Hoc tamen glossat sanctus Thomas eãdem quæstio. quòd nihilo minùs affectu charitatis possunt illos accusare: & maximè in causa communis boni: quia illi non cohibentur, vti alij, in pœnam: sed propter honestatem: quia accusatio præ se fert nescio quid odij, quod aduersus superiores dedecus est. ¶De clericis autem respondetur, quòd in causa sanguinis, vt illa habent iura, nequãquam possunt esse accusatores: possunt tamen denuntiare crimina, protestantes non se reuelare eiusmodi criminosos petendo sanguinis vindictam, sed vel ad obuiandum malo publico, vel ad recuperanda bona sua. Cum hac enim protestatione licitum illis est talia crimina in iudicium deferre: non solùm illa quæ sunt contra bonum publicum, vt hæreseos impietatem, & læsæ maiestatis: verùm etiam illa quibus vel tertiæ personæ, vel sibiipsis iniuria fit, vel damnum datur: vt patet in cap. Prælatis. de homicidi. volunta. lib.6. *Clerici qualiter possint accusare.* ¶Ad postremum de pœna talionis inferiùs art.4. commodior dabitur respondendi locus. *Ad postremum.*

ARTICVLVS. II.

Vtrùm necessarium sit accusationem in scriptis exhiberi.

POST accusandi obligationẽ quæritur circa accusationis formã an debeat in scriptis exhiberi. Et arguit à parte negatiua. Scriptura tũc est necessaria qñ aut de præteritis loquimur, nè nobis memoria elabãtur: aut loquimur absentib⁹ ad quos verba non pertingũt: accusatio autẽ fit & in præsenti tempore, & ipso prẽsente reo. Nam vt habetur.2.q.8.can. accusatorũ. Nemo absens accusari potest: ergo scriptura nõ est necessaria. *Primũ argumentum* ¶Secundò nihilo minùs per denuntiationem q̃ per accusationem crimẽ panditur alienũ: in denũtiatione autem nullus est libellus necessarius: ergo neq; in accusatione. *Secundum.* ¶In contrarium est Augusti. eodem can. citato, 2.q.8. vbi ait, accusatorũ personæ nunquam recipiantur sine scripto: neque absente eo quem accusare voluerint quibuslibet accusare permittatur. *Augustin⁹*

FAcillima est quæstio ad quam vnica conclusione affirmatiua respõdetur. Forma accusationis est vt in scripto fiat. Conclusio est iuris, non solùm canonici loco citato, & eãdem cau. & q. can. quisquis. & can. crimẽ. verũ & iuris etiã ciuilis. ff. de accusa. l. si cui. Et quanuis ius naturæ id non planè præcipiat, elicitur tamen inde naturalis ratio. Est enim iudex (vt supra dictum est) medius inter duas partes, accusatorem scilicet & reum cõstitutus: qui causam examinare debet, de qua est sententiam prolaturus. Cùm ergo ex vna parte memoria, quæ lubrica est, cuncta diu verba adseruare nõ possit, & ex altera necessarium sit eadem vsq; ad definitiuã sententiam retineri, necessarium est scripturæ adminiculum. Adde quòd cùm accusator pœnæ, antiquitùs talionis, & nũc etiam non leui fiat obnoxius, si de calumnia fuerit reuictus, operæpretium est accusationẽ subscribere, quam postmodùm inficias ire nequeat. Ad hæc cùm accusationi adhibendæ sunt, tum defensiones & exceptiones, tum etiam probationes, expediens est vt libelli caput occupet accusatio. Attamen vt habetur. l. Leuia. ff. de accusati. in leuibus de plano procedendum est sine huiusmodi ceremonijs. *Conclusio responsiua.* *Ratio naturalis pro cõclusione.* *Rõ secunda.* *Rõ tertia.*

remonijs. Prętereà in notorijs, in quibus cũ (vt suprà diximus) non expectetur accusator, neque scripto opùs est.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur argumentum respondetur quòd scriptura accusationis non est necessaria eò quòd de præteritis ineatur, sed vt in futurum debeat salua custodiri. Et ideo neq; obstat accusationẽ fieri in præsentia rei: debet em̃ tam reus q̃ accusator adesse. vnde eâdem causa & quæst. can. per scripta. iubet Stephanus Papa nè vllius accusatio per scripta suscipiatur. Non quòd non fit in scriptis porrigenda (vt dictum est) sed q̃ non est ab absente accusatore in scriptis mittenda: sed debet ipse comparêre. Quòd autem cauetur nè reus absens accusetur, nõ sic strictè intelligendum est vt non liceat in eius absentia accusationem iudici exhiberi: sed quòd non est sententia condemnandus antequàm ipse præsens audiatur. Inque potissimùm in causa criminali, atque adeò omnium maximè in capitali: vt cauetur lege, Absentem. c. de accusa. si autẽ publico præconio vocatus noluerit comparêre, sententia quidem veluti in rebellem ferri potest: postmodùm verò captus, antequam executioni mandetur, audiri debet. ¶ Secundi verò solutio facilè ex dictis colligitur. In denuntiatione enim fraterna euangelica, quia ad vindictam nõ proceditur, sed tam iudex quàm denuntians soli consulit saluti fratris sine dispendio eius famæ, nulla est scriptura necessaria: secùs in denuntiatione iudiciali. Atque hanc differentiam inter denuntiationem & accusationẽ denotat cap. super his. de accusation.

Ad secũdũ

ARTICVLVS. III.

Vtrùm accusatio per tria hæc reddatur iniusta, quæ sunt calumnia, præuaricatio, & tergiuersatio.

TErtiũ quod in accusatore requiritur est iustitia. De hac ergo quæritur, vtrùm tribus his vitijs corũpatur, quæ sunt calũnia, prẽuaricatio, tergiuersatio. Et arguit à parte negatiua. Calũnia (vt habetur. 2. q. 3. can. si quẽ pœnituerit) est falsa crimina scienter intendere. Contingit autẽ quẽpiam alteri calumniam extruere ignorãter, leuitate tamen animi nõ omninò excusante: ergo vel illa contra can. censenda est calũnia: vel quartum est vitium quo accusatoris iustitia cõmaculatur. ¶ Secũdò: prẽuaricari (vt ibidẽ subditur) est vera crimina abscõdere: in hoc autem non semper subest iniquitas: quia nemo tenetur omnia crimina detegere, neque sua neque proximi. ¶ Tertiò: tergiuersari est in vniuersum ab accusatione desistere: hoc autem non semper est cum iniuria coniunctum: imò verò in initio eiusdem capitis præscribitur, vt quem accusasse pœnituerit de eo quod probare nõ potest, si cum accusato innocente conueniret, in vicem se absoluant. ¶ In contrarium tamen est idem textus: vbi habetur accusatorum temeritatem tribus modis detegi. Aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiuersantur.

Primum argumẽtũ partis negatiuæ

Secundum.

Tertium.

VNica conclusione ad quæstionem respondetur. Tribus nominatis vitijs contingit accusationem vitiari. Conclusio est non solùm iuris canonici textu citato, verùm & iuris ciuilis. ff. ad senat. consul. Turpili. seu de abolitionibus. l. accusatorum, vnde eadem prorsus verba desumpsit canõ, quem pœnituerit. Numerum autem horum vitiorum sic colligitur. Cùm accusatio in bonum commune referatur, sic tamen, vt iusta fiat criminis vltio, vtroque pede claudicare potest accusator. Videlicet aut reo fauendo, aut plus nimio reipublicæ siue parti læsæ. In rempublicam inclinat, cùm reo crimen falsum impingit. Et hoc est calumniari. Est enim calumnia subdola rei vexatio per fraudem. Neque verò ille tantùm calumniator est, qui falsum crimen imponit, verùm & qui occultum, quod iure probari non potest, in iudicio propâlat. Nam iure quicquid idoneis testibus vel instrumentis innotescere nequit, falsum reputatur. Potest secundò accusator vice versa in rempublicam esse iniurius quando in causa est nè qui in bonum publicum delinquit, reprimatur. Et contingit dupliciter. Vno modo fraudem extruendo reipublicæ: nempe inclinando in fauorem rei. Et hoc est prævaricari. Quoniam varicari idem est quod flecti. Contingit autem hæc prævaricatio dupliciter: Vno modo dissimulando omnia quæ in commodum reipublicæ detergere tenetur, atque adeò proba-

Cõclusio responsiua.

probationes negligendo:& altero modo falsas admittẽdo excusationes & exceptiones. Quare præuaricatio altero nomine dicitur collusio: quasi tunc accusator & reus simul illudant reipublicæ aut parti læsæ. Quocircà hoc vitium non tantùm in accusatorẽ,verùm & in aduocatum, & in alios ministros, quin etiam & in iudicẽ solet vsu cadere. Secũdo modo ei cõtingit accusato fauere,prorsus & in vniuersum (vt ait lex)ab accusatione desistendo. Et illa dicitur tergiuersatio, quasi accusator terga causæ vertat.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur argumentum respondetur ꝙ criminis impositio nõ censetur iure calumnia,nisi studio & consultò fiat.Nihilo minùs nemo debet accusator prodire nisi priùs tũ certior factus sit criminis: tum etiam certam, paratamq; habeat probationem:Et ideo qui leuiter ac temerè ad accusandum prosilit, non est â culpa immunis. Attamen non debet vt calumniator talione vel acri alio supplicio plecti:sed alia leuiori pœna. Nisi forsan iusto errore fuerit motus:nam tunc nulla est dignus. Hæc autem

Ad secũdũ

omnia prudentia iudicis libranda sunt & æstimanda. ¶Ad secundum respondetur ꝙ sua propria crimina nemo debet detegere nisi reus legitimè factus à legitimo iudice interrogeẽ. Neq; verò aliena nisi casu quo denuntiare vel accusare tenetur.Quãdo autem ob bonũ publicum accusat, tũc tenetur oĩa detegere,quę ad rem cõferunt.Quare si prece vel pretio vel alia causa cũ reo colludat, præuaricator est. ¶Pariter ad tertium re-

Ad tertium

spõdetur,ꝙ tergiuersari non semper est crimen,sed tunc prorsus quando accusator tenetur in accusatione persistere.Quare tribus modis tergiuersari citra culpam accidere potest.Primo,cùm quis in causa propria accusauit. Tunc enim sicut liberè accusationem inscripsit,ita potest & quãdo libuerit, illam deserere.Secundò, quando accusauit in causa publica,leuiter tamen:tunc enim quoties timuerit in probatione deficere, potest cum reo conuenire & ab accusatione desistere. Et hic est casus dicti cap. si quem pœnituerit Tertiò, autoritate principis, qui propter illustrem personæ dignitatem, & reipublicæ vtilitatem potest accusationem & in initio refellere, & in processu abolere: vt eodem cap.subiungitur.

Tribus modis tergiuersari contingit citra culpam.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm accusator qui in probatione defecerit pœna talionis teneatur.

QVartum quod de accusatore disputandũ restat est vtrũ in probatione deficiens pœna talionis teneatur. Et arguitur à parte negatiua. Contingit aliquando iusto errore quempiam ad crimen falsum accusandũ prodire: cui ideo Fabianus Papa.2.q.3.can.Si quis iratus. veniam concedit: non ergo omnis calumniator dignus est talionis pœna. ¶Secundò. Si talis pœna iusta est,ob id iustè infligitur, ꝙ accusator damnum per iniuriam alteri intẽtat:igitur aut hoc est propter iniuriã reo illatam, & tunc non potest princeps eam remittere: aut propter illam quę reipublicę irrogatur, & tunc nequit eam remittere reus:potest autem eam vterque remittere: ergo siguari nõ potest iniuria ob quam talis statuatur pœna. ¶Tertiò: ob vnam culpam nemo plectendus est duplici pœna, secundùm illud Naum.1.Nõ iudicabit Deus bis in idipsum. calumniatores autem infames habentur iure:vt patet.2.q.3. can. si quis circa. non ergo debent alterum subire supplicium. ¶Sed in contrarium est Damasi decretum. 2.q.3. Calumniator si in probatione defecerit, talionem recipit.Et alterum proximũ Adriani:Qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam ipse intulit patiatur.

Primum argumentũ

Secundum.

Tertium.

Damasus.

Adrianus Pa.

PRo solutione quæstionis notandum ꝙ talio à tale dictum est:scilicet vt quisque tale patiatur, quale alteri contra ius molie-batur.Id quod Arist.5.Ethico.cap. 5. repassum appellat,secundùm illud Rhadamanthi,

Talio vnde trahat originem. Aristo.

Si quæ fecit,patiatur & ipse,

rectum fuerit iudicium. Statuitur ergo conclusio affirmatiua.Iustum est vt ille qui peraccusationem in periculum quempiam induxit grauis pœnæ, similem & ipse ferat. Conclusio est nõ solùm canonici iuris locis citatis,verùm ciuilis:vt patet.ff. ad sena. cõs. Turpil.l.mulier.&.l.quæsitum. Cùm ergo leges deficiẽtem in probatione talionis pœnæ adiudicant, ostendunt non solùm eum qui falsum crimẽ imponit,verũ & qui occultum quod probari non potest detegit, eidẽ subiacêre supplicio. Ratio naturalis est hæc. Accusator cõstituitur pars reo aduersa, con-

Cõclusio affirmatiua.

Ratio cõclusionis.

tendens

tendens eum in supplicium adigere: iudex autē medius inter ambos sedet iustitiæ protector: sed æqualitas iustitiæ id exigere apparet, vt periculū quod quis alteri per iniuriam creat, in ipsum recidat: ergo pœna talionis est iusta. Eadem cōclusio cōfirmatur. Nam lege veteri, quæ iustissima erat, eadem pœna stat scripta: scilicet Exod. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Et Deuteron. 19. Cùm diligentissimè perscrutantes inuenerint, falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit. Haud tamen hinc infertur, vt quidam arbitrantur, illam pœnam esse modò de iure diuino: illa nanque non erat moralis de iure naturæ, sed tantùm iudicialis, quæ ideo prorsus cessauit. Non q̄ Christus legē illam Matthæ. 5. peculiariter abolerit: illic enim tantùm retulit veterem legē, consulens nobis contrà nè nos vindicaremus, sed inimicis remitteremus iniurias: at quòd tota lex illa vetus cessauit. Nisi quòd præcepta moralia, quæ erant de lege naturæ, confirmata sunt lege euangelica: ceremonialia verò sic cessārunt, vt tanquàm signa iam modò falsa, institui denuò non possint: iudicialia verò possunt quidem, si iustum censeatur, iteratò constitui. Attamen lex talionis semper fuit vt trux duraque existimata, sed propter duritiem illius populi, & ad nectēdas calumnias procliuis posita fuit. Nam si naturalem rationem consulueris, satis est vt qui occidit, occidatur. Qui verò occidere procurauit, non subinde, nisi summo iure, reus fit tanti criminis. Eò præsertim quòd tunc absterrerentur homines plus nimio ab accusandi munere. Et ideo (vt habetur Institut. de iniur. §. pœna) iam de desuetudine ferè abijt illa pœna: retinetur tamē quandanùs in prouincijs bene moratis: potissimùm in teste qui studio falsum testimonium dicit in causa capitali. Idq; maximè quādo illius causa innocens interficitur. Tāetsi debeant etiam extra talem casum iniqui delatores acri supplicio plecti.

Cōfirmatio.

Ad primū argumentū Aristot.

AD primum ergo argumentum respondet Aristote. loco citato. 5. Ethico. quòd repassionem, quam nos talionem appellamus, non semper iustitia deposcit, quoniam valde differt vtrū quis volūtariè quid faciat, an inuolūtariè. Spōtaneus enim iniurius dignus est pœna: qui autē inuolūtariè lædit, dignus est venia. Et ideo qui inculpata ignorātia eum quem in crimine esse putat, reum facit, non habetur iure calumniator, vt suprà diximus: atque adeò neque talione dignus.

Ad secūdū

¶ Ad secundum respondetur quòd calumniator & in reum & in rempublicam iniurius est. Vnde Deuteron. 19. vtrunque præcipiebatur: scilicet prius, vt qui falsum testimonium cōtra fratrem dixisset, id pateretur qđ fratri cogitabat facere: scilicet propter iniuriā illi factā. Posterius, vt tales de medio populi auferrentur, vt audientes timorem haberent. Vbi insinuabatur iniuria quæ reipublicæ irrogatur. Ex quo fit vt quādiu accusatus pœnam talionis nō remiserit, nequeat princeps illam remittere, vt superiore quæstione dictū est. Postquàm verò illam ignouerit, tunc in arbitrio principis restabit illam relaxare.

Ad tertiū.

¶ Ad tertium respondetur quòd pœnam talionis incurrit accusator ratione nocumenti quod proximo intentabat: infamiam autem propter culpam. Et ideo infamiam remittere ad principem pertinet: vt si sit ecclesiastica, ad Papam, vt ait Gratian. 2. quæst. 3. can. Euthemium. vbi respondet ad illa verba Gelasij, Quanquàm animas per pœnitentiam saluare possumus, infamiam tamen abolere non possumus: dicens illud intelligi de infamia per ciuilem iudicem irrogata, quæ ad Papam non pertinet. Quanuis fortasse perspicacior sit sensus de infamia facti. Nam labem illam, quæ turpi facto annexa est, nemo delere potest: cùm ad præteritum non sit potentia.

QVAESTIO SEXTA.
De iniustitia rei.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm accusato liceat veritatem negare.



TERTIA persona in iudicio est reº: de quo quatuor disputanda sunt: scilicet an liceat ei veritatē negare, calūnijs se defendere, iudicium declinare, aut post condemnationē supplicio se capitali subducere. Et arguitur â parte affirmatiua primæ quæstionis illa celebri autoritate Chrysosto. quæ refertur

Primum argumentum

de pœnitentia.d.1.can.quis aliquando. Non tibi dico vt te prodas in publicũ, neq; apud alios te accuſes. Sic enim legendũ eſt, nõ, excuſes, vt corrupta litera habet. Qui autem veritatẽ proprij criminis retegeret, ſeipſũ proderet: ergo licitum eſt ei ſuum celare crimen

Secundum. ¶Secundò. Mendacium officioſum, ſcilicet cum quis mentitur vt alteri proſit, nemini nocens, non eſt peccatum mortale: qui autẽ mẽtitur vt ſe à morte protegat, officioſè mẽtitur: ergo citra noxiam mortalem id licèt.

Tertium. ¶Tertiò nullum eſt peccatum mortale niſi ſit contra charitatem: qui autem mendacio ſibi mortem cauet, neque cõtra charitatem Dei facit, neque contra proximum: imò ſecundùm charitatem qua ſe diligit: ergo id non eſt lethale piaculum. ¶In contrarium eſt illud Ioſuæ. 7. quod dux ille dixit ad Acham, Fili mi da gloriã Domino Deo Iſraël, & confitere, & indica mihi quid feceris: nè abſcondas. dare autem gloriam Deo tenetur quiſque ſecundum illud.1. ad Corint. 10. Omnia in gloriam Dei facite.

Prima concluſio. AD quæſtionem hanc tribus concluſionibus reſpondetur. Prima: quicunque legitimè de proprio crimine interrogatur, tenetur ſub reatu mortalis culpæ crimen ſuum patefacere: etiam ſi merito eiuſdem confeſsionis ſit in mortem rapiendus. Cùm aio legitimè, intelligo à legitimo iudice, & ſecundùm idoneam formam iuris. *Ratio cõcluſionis.* Ratio concluſionis eſt manifeſta. Virtus enim iuſtitiæ eſt ad ſalutem neceſſaria: ergo quicunque ſub reatu mortalis noxæ tenetur eam ſeruare: iuſtitia autem ſubditum compellit ſuperiori obedire, ſecundùm verbum Pauli, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. ſuperior verò ſæpenumerò ius habet ſubdito præcipiendi vt propriũ ſibi detegat crimen: ergo tunc ſubditus parêre conſtringitur. Quòd autem hoc iudex aliquando ius habeat, patet: quoniam nemo, capitali præſertim ſententia, quinimò neque alia communi ordine ob quæcunq; indicia vel infamiam condemnari debet niſi confeſſus: ſaltem ei qui aliter condemnatur conceditur appellatio: vt.l.obſeruare.C. quorum appellatio non recip. Niſi ſufficiẽs ſit teſtiũ numerus quibus conuincatur: idq; via tantũ accuſationis. Atq; idẽ cauetur iure canonico.2.quæſt.1.can.nos in quẽquam. & can.iudex. ergo niſi reus ad confeſsionem compelli poſſet, nimis eſſet ſtricta via finiendi iudicia. Et eſt intelligenda cõcluſio etiam cùm quis citra iuſiurandũ interrogatur: nã etſi periurium ſacrilegij impietate mendacium accumulet, nihilo minùs ſimplex mendacium, in re graui contra vinculum obediẽtiæ, crimen eſt genere ſuo mortale. *Secunda concluſio.* ¶Secunda concluſio. Quando verò quiſpiam non legitimè etiã iuratus interrogatur, puta vel ab eo qui non eſt ſibi iudex, vel contra canonum legumq; ſanctiones, non tenetur crimẽ ſuum confiteri. Quin verò ſimile affirmandum eſt de teſtibus in crimine alieno. Concluſio eſt clara: quia quicunque ius habet ſe ſuaq; tuẽdi, niſi iure ad cõtrarium fuerit cõpulſus: at verò quãdo quis præter legis cauſas & ordinem interrogatur, nullo iure cogitur: ergo neutiq; ſe cõuincitur prodere. *Tertia concluſio.* ¶Tertia cõcluſio. Nemini ſiue iure ſiue iniuria interrogetur, licitum eſt mentiri: quoniam mẽdacium adeò eſt natura ſua malũ & iniquũ, vt nullã ob cauſam qui illud protulerit, inculumis à culpa ſit. Tametſi quando iniuſtè, ac citra iuramentum interrogatur, mendacium illud non ſit mortale: quia non pernicioſum, ſed officioſum eſt. Secùs autem ſi ſit periurium. Poſtulabant hîc autem ſecunda & tertia concluſiones, vt artem, prudentiãq; ſubijceremus, quo ſe tunc iniuſtè requiſitus poſſet protegere, ac citra mendacium eripere. Ad hoc autem articulo ſequenti cõmodiùs reſpondebimus, poſtquam cauſas habuerimus inſpectas, quibus reus cõuincitur veritatem propalâre.

Ad primũ argumentũ AD primũ igitur argumentũ reſpõdetur Chryſoſtomũ loqui in caſu ſecũdæ concluſionis, aut quãdo nemo reũ percõtaꝛ. Nã quãdo iuris ordine & merito interrogaꝛ, nõ ipſe ſe, ſed infamia, vel teſtes, vel accuſator eũ prodũt: quib⁹ reſiſtere nõ licet. *Ad ſecũdũ* ¶Ad ſecũdũ reſpõdetur q; mẽtiri quẽpiã ad cauẽdũ mortẽ, vel ſibi vel alteri, ſi fiat ſine alterius nocumẽto, nõ eſt mortale: quãdo tamẽ quis iure rogatus culpã ſuã, mendacio ſe cõtegit, iniuriã facit, tum iudici cui obedientiã debet, tũ accuſatori & parti læſæ. *Ad tertiũ.* ¶Et pariter reſpondetur ad tertium. Negatur enim non eſſe tale crimen contra charitatem. Nocet enim & iudici & actori: atq; adeò aduerſaꝛ dilectioni Dei, qui iubet nobis parêre maioribus. Nemo enim virtutẽ iuſtitię cõtemerat, qui charitatẽ nõ ſubinde violet, tam Dei quã proximi. Vnde ſuper illud Pſal. Non declines cor meũ in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes

Glossa. *Gregorius.* *Quæstio.* *Caietanus.* *S. Thomas.*

sationes in peccatis: ait glossa: Hæc est consuetudo impudentium vt deprehensi per aliqua falsa se excusent. Et Gregor. 21. Morali. super illud Iob. 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum: Vsitatum humani generis vitium est, & labendo, peccatum committere: & commissum, negando abscondere: & conuictũ, defendendo multiplicare. ¶ Percõtaris hic autem vtrùm mẽdacium in iudicio quando quis verum fateri tenetur, in vniuersum mortale sit crimen: an verò leuitate materiæ possit, sicut extra iudicium fieri veniale. Respondet Caieta. 2.2.q.69.artic.2. Omne mendacium in materia etiam leuissima, in iudicio prolatũ, esse mortale. Ratio eius est: quia talis mentiens vim infert iudicio, quod in mendacio fundatum falsum subinde fit. Itaque sicut periurium nullatenùs tenuitate materiæ fit veniale, sed omne est mortale: sic mendacium in iudicio: Neque id tantùm in iudicio sacramentalis confessionis, verùm etiam in foro exteriori. ¶ At verò neq; Caiet. conclusio, salua eius egregia autoritate, veritatem præ se fert: neq; eius ratio probabilitatẽ. Imò procul dubio crediderim posse illic etiam contingere veniale peccatum. Nam in primis hoc insinuat. S. Tho. eâdem. 2.2.q.70. ar.4. vbi ait q̃ violare iustitiã mentiendo, est mortale in suo genere: vbi insinuat posse esse veniale. Item in materia fidei, & charitatis & religionis, potest exilitas materię attenuare peccatum, vt sit veniale: cur ergo nõ in iudicio? Præterea potest illic fieri veniale mendaciũ ex defectu plenæ deliberationis: quare ergo non ex pusillitate. Adde q̃ tũc quicunq; alius defectus leuissimus in iudicio esset mortalis: vt si quis rem exigui momẽti taceret. Ac demum postremò arguitur. Peccata venialia non sunt de necessitate confessionis: ergo illa illic negare non est mortale crimẽ. Conceditur ergo q̃ ipsum veniale mendaciũ peius est in iudicio quàm extrà: nõ tamen fit consequens vt sit omne, mortale.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm accusato liceat per calumniam se defendere.

POstquàm afflicto reo, nec legitimè interrogato licet veritatẽ negare, neq; præter ius requisito mẽtiri, consequitur vt videamus an saltem alterutro illorũ casuum liceat ei per calumnias se defendere. Et arguitur à parte affirmatiua. Secundum iura ciuilia licet ei qui de capitali crimine delatꝰ est, trãsigere, hoc est cũ accusatore pacisci, & ipsum corrumpere, qui desistat: vt. C. de transa. l. transigere. & expressiùs. l. in capitalibus. ff. de bon. eor. qui ant. sent. mortem sibi consciue. ergo non est illicitum calũnijs vti. ¶ Secundò. Accusator qui in fauorem rei præuaricatur pœna plectitur legibus constituta, vt superiori quæstione visum est: &. 2. q.3. patet: accusato verò nulla est pœna decreta, etiam si technis agat cum accusatore, eique imponat: ergo id non est iniustum. ¶ In cõtrarium est ius canonicum, extrà, de iuram. calum. c. inhærentes. præcipiens vt iuramento calumniæ in principio litis adstringantur tam reus quam accusator: vbi & ciuiles leges de re eâdem citantur: iuramentum autem calumnię, vt nomen sonat, est, q̃ neq; accusator, neq; accusatus vtetur calumnijs.

Primum argumentum. *Secundum.*

QVæstio est grauissima: quam nos in dicta nostra Relectione sexto loco per omnes, vt arbitror, suos numeros diduximus. Sed non possumus (vt suprà dicebamus) hunc locum hac disputatione vacuum relinquere. Respondebimus ergo hîc septẽ conclusionibus. Prima est illa notissima quã articulo proximo constituimus. Etsi nemini liceat veritatem mendacio negare, licet eã tamen nonnunquàm prudentia contegere. Nam (vt modò dictum est) nemo tenetur veritatem propalâre, nisi iure compulsus: ergo extra talem casum quisque poterit secretum & præcipuè suum, custodire. Rei autem articulus ac nodus illic occulitur, vt sciamꝰ quãdo iudex, qui legitimus est, legitimè potest subditum de proprio crimine, etiam iureiurando interrogare. ¶ Ad hoc ergo explicandum statuitur Secunda conclusio. Tres sunt casuum differentiæ quibus iure potest iudex reum percõtari: inquibus subinde reus veritatem respondere tenetur: videlicet si infamia eius super aliquo crimine præcesserit, vel aliqua expressa apparuerint indicia, vel probatio interfuerit semiplena. Conclusio est sanct. Thom. 2.2.q.69.ar.2. Et quanuis rationem non subijciat, apertè tamen colligitur ex superiori definitione. Nempe q̃ iudex absque accusatore, vel eius supplente vices, neminem damnare potest. Hæc autẽ tria sunt, quæ præter expressum accusatorem vicem eius gerũt vt possit reus legitimè interrogari.

Prima conclusio. *Ratio conclusionis.* *Secunda cõclusio.* *S. Thomas.* *Probatio.*

rogari. Sed arguis, non omnes causas diuum Thomam connumerasse. Diximus enim quæst. 4. art. 3. crimen quoque notorium & manifestum ius facere iudici condemnandi reum. Conceditur id quidem: sed tamen tunc non opùs est reum interrogare: nunc autem merita tanrùm quærimus quibus potest iudex secretum crimen inquirere. Igitur ad intellectum conclusionis supponendum est ex cap. qualiter & quando. de accusation. tribus vijs patêre ius ad cognoscẽda crimina, compellendosque delictores vt sua propria confiteantur: videlicet via inquisitionis, denuntiationis, & accusationis. Et licèt super eodem capitulo Iurisperiti plures inquisitionis species discernant, satis est tamen duas dignoscere. Vna est enim generalis, atque alia specialis. Generalis est qua Prælati munere fungẽtes suo & (quod aiũt) officij debito, prouinciam aut conuentum visitantes crimina disquirunt: quibus scilicet reuelanda sunt, eo ordine quo articu. 1. quæstionis proximæ dictum est. Altera verò est specialis, qua scilicet particulariter inquiritur crimen alicuius singularis personæ. Denuntiatio quoque (vt suprà dictum est) altera est fraterna quæ procedit ad emendam fratris, & altera iudicialis, quæ tendit ad vindictam. Accusatio itidem duplex: altera in causa priuata, atque altera in causa publica. Sunt autem differentiæ multæ inter has vias. Denuntiatio enim quæ fit per correptionem fraternam differt à iudiciali & accusatione quinque modis. Primò ex fine, vt sæpe dictum est: quia hæc prò cedit solùm ad emendam: aliæ verò ad vindictam. Et ex hac sumitur secunda, quòd denuntiatio fraterna est officium charitatis: iudicialis autem & accusatio pullulat ex iustitiæ debito. Ob idque sanctus Thomas de correptione fraterna tractauit in materia charitatis. 2. 2. quæstio. 33. de alijs autem in materia iustitiæ, quæsti. 68. & duabus sequentibus. Tertiò differunt eandem ob causam quòd ad denuntiationem fraternam omnes, nemine excepto, tenentur: nam possunt subditi denuntiare prælatos, & filij parentes: neque infames aut excommunicati eximuntur sicuti in accusatione. Neque verò sacerdotes, vt habetur cano. tam sacerdotes. 24. quæstio. 3. Quartò differunt forma. Nam in correptione fraterna semper requiritur admonitio, in reliquis verò nõ semper, vt nuper expositũ est. Et quintò differunt ex parte termini? quia fraterna denuntiatio si frater emendatur cessat: sin minùs, rebellio exinde habetur pro accusatore, & incipit forum iudicia le: vt diximus quæstio. 4. Iudicialis verò & accusatio nõ cessant vsque ad punitionem. Differunt autem iudicialis & accusatio primò (vt dictum est) quia denuntiator etiam iudicialis non tenetur probare sicut accusator. Præterea (vt habetur cap. inquisitionis. de accusation.) licèt denuntiatio hæc ad vindictam tendat, non tamen denuntiato infligenda est tota pœna iuris sicuti accusato. ¶ Descendendo ergo ad istarum specierum singulas, statuimus conclusionem tertiam. Ille qui fraternè denuntiatur, tenetur prælato veritatem criminis sui fateri, tanquàm patri. Si tamen non leuiter sed grauiter timet quòd tanquàm iudex machinatur eum catigare, nequâquam tenetur. Cõclusio hęc fit clara ex fine & scopo talis denuntiationis: quæ sola emenda est: non autem punitio. ¶ Quarta conclusio. Si denuntiatus fuerit rebellis qui neque tanquàm patri vult fateri crimen, iure compelli potest. Hanc conclusionem statuimus membro secundo, quæsti o. 4. de correptio. fratern. contra Altisiodorum. lib. 3. tracta. 25. cap. 2. & cõtra Durandum in. 4. distinct. 19. quæstio. 4. qui putant si peccatum est secretum, nulla obstante rebellione cessandũ esse. Sed est nostra conclusio sanct. Thom. 2. 2. q. 33. articu. 8. ad primũ argumentum. Moderatur eam tamen ipse, & cum ipso illic Caieta. & Palud. 4. d. 19. q. 4. duobus limitibus: videlicet casu quo crimen probari possit testibus adhibitis in secreta correptione vel alijs. Præterea si spes vlla restat emendæ fratris: nam illa spe cessante illic cessandum est, si peccatum est priuatum. Nam si serpit in perniciem publicam, modo suprà explanato, vel in detrimentum tertię personę, etiam si non emendetur, imò propterea q̃ nõ iniquum propositũ ille nequã expuit, ꝓgrediẽdũ est. Et q̃is Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. contrarium videatur sentire, arbitror tamen illum denuntiantem, si est omni exceptione superior, valêre pro teste in iudicio inde futuro, & pro semiplena probatione. Nam propterea in euãgelio iubentur adhiberi vnus aut duo testes, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum: quia scilicet ipse denũtians valet pro tertio. Et hoc habet expressè ca. In omni. de testib. At verò quantum ad illam restrictonẽ, quã dos

Solutio.

Triplex via ad cognoscẽda delicta iure præscripta.

Quinq; modis denũtiatio fraterna distat à iudiciali.

Discrimẽ inter denũtiationem iudicialẽ & accusationem.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.

Altisiodor. Durandus.

D. Thomas. Caietanus. Paludanus.

nos quoq; in Relect. de secreto. q. 2. membri. 2. approbauimus: nempe quòd etiã si denuntiatus rebellis fuerit, nisi spes sit eius emendæ non est iudicialiter procedendum, eò q̃ totus ille processus in bonũ fratris tẽdit. At verò in cõtrariũ videtur existere verbũ euangelicum: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: cui astipulatur can. tam sacerdotes. 24. q. 3. vbi habetur q̃ tales incorrigibiles, ab ecclesia separẽtur. Quocirca arbitror quòd licèt non sit citra spem emendæ ad alias iuris compulsiones & pœnas progrediendum: sententia tamen excõmunicationis est ab ecclesia fortè rebellis coram testibus denuntiationis separandus, do nec resipiscat. Diximus quando crimen vergit in damnum publicum aut tertiæ personæ progrediendum esse ad forum iudiciale intelligendũ est tamẽ si aliter illud malũ cauere non potest. Accidit enim tẽporibus nostris vt quidã præmissa correptione fraterna denũtiauerit quẽpiam qui alterius cædẽ moliebatur: denuntiauit autẽ tanquã patri: iudex aũt nolebat denuntiationẽ ceu fraternã audire, sed tanq̃ iudicialem, vt lege in illũ criminosum ageret. De qua re Adrian. antequã esset Papa cõsultus, respondit non posse denuntiatorem illum cogi vt iudicialiter denũtiaret. Et fuit consultissima responsio. Est enim sententia Augustini. 2. 2. q. 5. cano. hoc videtur. vbi ait in eiusmodi casibus occultũ crimen illi esse reuelandum, qui prodesse potest, & non obesse. Intelligitur tamen si citra tale iudicium occurri poterat futuro homicidio: nam si aliter impediri nequiuerat, commutanda erat euangelica denuntiatio in iudicialem. ¶Quinta conclusio. Sicuti denuntiationem fraternam debet præcedere admonitio, sic & inquisitionem specialẽ vel infamia vel expressa indicia. Dixerim specialem: quia generalem (vt dictum est) suapte autoritate potest prælatus facere. Cõclusio est expressa in iure, extrà, de accusati. cap. cũ oportet. & cap. inquisitionis. & cap. qualiter & quando. secundo. Confirmatque illic eandem summus Pontif. sacris oraculis: vt puta illo Luc. 16. vbi villicus non fuit in iudiciũ euocatus antequàm infamia eum proderet. Et Genes. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus. &c. Et ratio naturalis est quam suprà tractauimus: quia sine accusatore nemo est in iudiciũ deferendus. ¶Est autẽ dubium de obiecto infamiæ, vtrũ satis sit obortã esse de crimine, quod scilicet vel notoriũ, vel infamia publicũ est, vt inquiratur persona quæ nulladũ infamia læsa est. Iacet (vt exẽpli gratia dixerim) cadauer occisi hominis: vtrùm liceat per viciniã disquirere quisnam interfecit. Et suffragantur affirmatiuæ parti hæc argumenta. Primum est consuetudo. Vbi enim notorium est crimen, statim disquiritur reus, licèt nullus sit specialiter diffamatus: aliàs vecors & negligens haberetur iudex: populusque, vt nunc mos est, scandalum acciperet, ac si iustitia dissimulatione langueret. Et extãt pręterea canones. 2. quæstio. 1. can. manifesta. Et de accusatio. cap. euidentia. quibus habetur quòd euidentia patrati sceleris non indiget accusatore. Quin verò & patrocinari huic consuetudini apparet ius diuinum. Legimus enim Iosue. 7. quòd cùm Acham anathêma occultus esset, crimen tamẽ notoriũ, sortibus inquisitus est, ac deprehensus. Accedit & autoritas diui Thom. quem Caietan. 2. 2. q. 69. art. 2. refert: scilicet quòd cùm Parisijs ipso Baccalaureo, furtum factum esset, cõsilio suo inquisitus est ille qui latebat fur. ¶His tamen non obstantibus iura canonica & euangelica, ratioque ipsa consuetudini refragantur. Et ideo statuitur negatiua responsio. Infamia delicti nõ sufficit nisi paucis exceptis casibus ad inquirendum reum quem nulladum respersit infamia. Verba sunt in dicto capitul. Cùm oporteat. de accusation. Nisi super prædictis famam ipsius, scilicet personæ, læsam esse noueritis, vos ad inquisitionem non subitò procedatis. Et in cap. inquisitionis. iubetur nullum pro crimine super quo aliqua non laborat infamia puniendum. Et in cap. qualiter & quando. sic legitur: Si super excessibus suis quis fuerit infamatus, tunc procedendum est ad inquisitionem. Et in testimonijs diuinis suprà citatis de Villico & de Sodomitis extat, personas ipsas fuisse infamia læsas. Deinde ratio id probat. Nam iura hæc fundantur in loco illo Matthæ. 5. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Est autem temerarium iudicium de persona iudicare propter publicum crimen, ac subinde illam explorare. ¶Sunt autem qui hinc tergiuersentur: dicentes quòd quanquàm licitum non sit particulariter de singulari persona suspicari, atque adeò neque percontari: licet tamẽ in genere disquirere quisnam fecit. Attamen distinctio hæc fallax videtur. Etenim si quis interrogatur, tenetur particulariter reũ prodere,

Adriani responsio.

Augustinꝰ

Quinta conclusio.

Ratio conclusionis.

Dubium.

Primum argumentum partis affirmatiuæ.

Secundum.

Postremum

Responsio.

Quorundã sententia.

Refelluntur præfati autores.

dere eòdem recidit ac si particulariter scisciteris. Præterquàm quòd etiam accidere posset vt inter cæteros reus ipse fortè interrogaretur: qui tamen nullo se iure prodere conuincitur: & tamè vix euadere posset, quo minùs vel de rubore vultus, vel de verborũ ambiguitate deprehenderetur. Accedit huc vrgentissimum argumẽtum ex cap. Inquisitionis. de accusa. Iubetur enim illic quòd etsi duo vel plures iurati affirmẽt cuiuspiam crimen, de quo tamen ille nulla infamia laborat, non procedatur in ipsum via inquisitionis. Si ergo hoc verum est, quomodò illi qui nondum iurati sunt, interrogari possunt, vt quem nulla insinuauit infamia ipsi prodãt? Possent tamen fortasse in tali casu indicia inquiri: vt scilicet vicinia interrogaret in qua hora fuerit occisus, quibus armis, & similia. Et tunc si illa indicia aliquem in particulari infamia denotassent, posset de illo inquisitio iniri. ¶Vnde ad autoritatẽ sancti Thodum iunior erat, bene Caieta. respondit non permansisse in illa sententia: postquàm. 2.2. q. 69. ar. 2. eam non probauit. Quin verò fertur neque tunc fuisse magistrorum calculis approbatam. Iura autem quæ aiunt euidentiam patrati sceleris accusatore non indigere, intelligenda sunt quando & patrator ipse vel manifestus est, vel infamia detectus. Id verò quod de sortibus antiquæ legis adiectũ est, nihil mouet. Nam cùm Deus cognitor sit vindicatorque vniuersorum criminum, potuit illum toruum populum sortibus illis deterrere, quibus expectabatur reuelatio diuini numinis. Vnde sensus illius: Da gloriam Deo, illuc spectat, quòd postquã Deus ipse veritatẽ reuelasset, ille qui celaret, Deũ subnotaret mendacij. Et ideo dare ei gloriã, erat veritatem confiteri, vt appareret quem admodùm Deus est occultorum cognitor: quod in gloriam suam magnoperè cedit. Illud autem scrutinium per sortes iam modò non liceret. Sicuti neque illud Nume. 5. de inuestiganda muliere adultera citra infamiam. Consuetudinem autem contrariam non est nostrum vellicare: ipsi viderint qui illam in vsum inuexerũt: inde enim iam nũc persuasum habent plebes, necessariam esse. Cùm tamen nusquàm iuris peritissimi illam induxisse videantur. Nisi in quibusdam casibus quos ad sex vel septem loco citato in Relectione nostra reduximus, atq; ad amussim perpendimus. De quibus Barto. ad. l. Iuliam de adul. l. 2. post glossam. §. si publico.

Ad postremum argumentum.

Ad iura citata adhibetur responsio

& super Extrauagã. ad reprimen. Et Doctores iuris canonici super citatis tribus capitulis, de accusa. tractãt. Ex quib⁹ casib⁹ illi sunt planissimi qui cõtingunt in crimine hæresis & in crimine læsæ maiestatis. Tũc enim oborto rumore criminis disquiri possunt personæ. De cęteris verò illic, cui libuerit, nostra legat. Non enim postulat hic locus tam longam de hac re disputationẽ. ¶Hanc tamen regulam adhibendam hîc duxerim, quæ infallibili (vt reor) certitudine casus omnes cõplectitur. Quibus licet notorio, diffamatóve crimine, latentem reũ inquirere. Ea autè est. Quandocunq; accusare quisq; tenetur, puta dum crimen est in perniciem publicã aut tertiæ personæ: neque est emendatũ, sed perdet in futurum: iustè vnusquisq; interrogari vt testis potest, & prodere reũ tenetur. Quo fit vt solùm ad vindicãdum præteritum crimen nequâquam id liceat. ¶Quòd si quis forsan cõtra hoc arguat q⁹ si infamia expectaretur, multa crimina impunita manerẽt. Anaclẽtus Papa respõdet, can. si omnia. 6. q. 1. q⁹ per multa relinquenda sunt iudicio diuino. ¶Illud tamen argumentũ quod ex can. quidã maligni. 5. q. 1. huic sententiæ obijcitur, quia ei Caieta. super hac. q. S. Tho. 2. 2. q. 69. ar. 2. non (vt reor) pro dignitate satisfacit, nõ decet hîc præterire. Casus textus est q⁹ quidã libello nocturno secretario diui Gregorij infamiæ notã inusserat. & ait Caieta. sub cõditione latentẽ illũ criminosum Põtificẽ excõmunicasse: scilicet si non se reuelasset. Addit tamẽ excõmunicationem illam nõ ferri super conditionem, nisi se reuelauerit, sed super crimẽ, quia, inquit, potest delinquẽs pro elapso delicto absolutè excommunicari. Et ideo benignè, inquit, cum illo actũ est: cùm eius optioni relinquebat, vtrũ mallet se reuelare, q̃ sententia excõmunicationis vulnerari. ¶Hæc autẽ respõsio (vt in dicta Relectione latiùs ostẽdimus) profectò (vt bona venia dixerim) nõ est tanto Doctore digna. Primùm enim q⁹ pro delicto præterito quis, nulla ante delictum præcedente monitione, sententia excõmunicationis feriri possit, inauditũ est. Nam vt ex Euãgelio planè colligitur, nemo potest tali percelli cẽsura nisi ob mortale peccatũ, idemq; inobedientiæ: quia scilicet rebellis nõ vult ecclesiã audire. Neq; Paul. Corinthiũ illũ ob cõmissum incestũ Sathanæ tradidisset, nisi quia incorrigibilis erat. Ideo eum seorsum arauit illũ â cõsortio aliorũ: admonẽs illos nè cõmiscerentur fornicarijs. Ob idque

Regulatissima.

Obiectio.

Responsio.

Argumentũ perperã à Caietano solutum.

primarata in Caieta.

postquàm

postquàm correctus fuit, statim restituit reliquorũ cœtui. Quãuis mos ille excommunicandi forsan non erat qualis nunc est, vt excommunicati priuarentur suffragijs ecclesiæ, sed in torturam tradebantur Sathanæ, quod fieri poterat ob commissam culpam: separari verò non nisi nè contagione plebẽ inficerent. Quocircâ nulla est licita excommunicatio nisi præuia monitione: vt sanctè cautum est cap. sacro. & cap. per tuas. extrà, de sententia excõmunicationis. Ob id enim illi qui à iure præmoniti sunt, censurã excõmunicationis ipso facto incurrunt. At cùm primùm parêre parati sunt, veniunt absoluẽ di: quoniam coram Deo iam non sunt excõmunicati. ¶Hinc ergo palam fit vt neque possit occultus peccator, qui nulla infamia denotatus est, sub illa cõditione, nisi se prodat, excõmunicari: aliàs cuncta iura quæ inquisitionis formã & ordinem delineant, corruerent. Textus ergo Greg. planissimus est. Nunquàm enim sanctissimus Pontifex cogitauit illum latentem diffamatorem extortione excommunicationis in publicum producere: sed hoc tantùm ei præcepit, ad quod iure naturę ipse tenebatur. Nempe quòd vel produceret se vt crimen probaret quod alteri imposuerat: aut famam ei restitueret, quam nisi se proferendo restituere non poterat: sin minùs, à sacrosancta Eucharistia sub pœna excõmunicationis deinceps abstineret. Excõmunicatur ergò non pro delicto præterito, neq; nisi se proderet: sed pro futuro sacrilegio si ab Eucharistię susceptione in peccato existẽs nõ abstineret. ¶Atqui ex huius quęstiũculæ resp̃sione facilè alteri⁹ solutio colligit: videlicet vtrũ ille qui propriũ fassus est crimẽ licitè possit de cõplicibus interrogari, qui nulla infamia læsi sunt. Nam etsi consuetudo parti affirmatiuę patrocinetur, ex his tamen quæ dicta sunt cõsequitur negatiua. Quin verò expressa est iuris vtriusq; determinatio: vt cap. cùm monasterium. de confess. & ca. veniens. extrà, de testib. &. 15. q. 3. cap. nemini. &. C. de accusa. l. fina. &. ff. de quæstionib. l. repeti. quibus locis cauetur nè confessi super aliorum conscientias interrogẽtur: crimine læsæ maiestatis excepto: quo cõprehẽditur & hæreseos impietas. Tametsi alios etiam Bartol. super eàdem lege, repeti, excipiat: vt publicos latrones, & eos qui falsam monetam cudunt. De his autem satis illic à nobis dictum est. Et eadem regula quã nuperrimè statuimus hîc similiter locum habet: videlicet quòd liceat reum interrogare de complicibus quando ipse teneretur accusare: nempe ad obuiandum futuro malo in damnum reipublicæ, vel egregiũ tertiæ personæ: non autem ad vindicandum præteritum, Scio equidem contrariam vigere consuetudinem: nescio tamen quo orta sit iure. Profectò in conscientia interrogatus, parêre non cogitur: vt Caiet. ait opus. 16. res. q. 5. Sed tamen absit, vt qui tacere licitè potest, mendacium dicat, vt illic insinuat. ¶Enascitur autem hinc dubium aliud, vtrùm vice versa quando persona diffamata est de vno crimine, interrogari possit de alijs occultis. Petrus enim de Palude in. 4. distin. 19. q. 4. affirmatiuè respondet. Cuius fundamentum est q̃ ratio ob quam non licet de abditis iudicare, nõ sumitur ex eo quòd peccatum sit occultum, sed inde quòd secretus sit peccator: qui ideo per vnius delicti cõfessionem detectus interrogari deinceps potest ac debet an alia commiserit. Verùm hanc tamẽ opinionem & Adrian. quolib. 11. & Caietan. 2. 2. q. 69. art. 2. meritò confũtant. Nam expressè in canonibus citatis vtriusque infamia exigitur, ex qua ius inquirendi nascatur, scilicet tam delicti quàm delictoris. Eademq; est sententia sancti Thomæ. 2. 2. q. 70. artic. 1. & ratio est in comperto. Potest enim quis adulterij infamia obscurari: qui tamen circa furtum, aliaque scelerum genera serenum habeat nomen. ¶Attamen duobus modis licet conuictũ de vno crimine, de alio interrogare: Vno, quando notum crimen indicium est alterius: vt si quis infamatus esset cõuictusq; de adulterio, & adulteræ coniunx reperiretur in suo lecto necatus, interrogari posset an reus esset talis homicidij. Et si quis de homicidio conuictus esset, & cadauer nudum inueniretur, interrogari posset super spolio. Secundus casus est, quando vnum crimen, alterius est circunstantia: vt qui de consuetudine cum puella conuincitur, iure interrogatur an ipsam defloruerit. ¶At verò de hac infamia quæ viam inquisitionis antecedere debet, vtrùm sit certo numero testium destinata, non satis inter Doctores conuenit. Pleriq; tamen super illo cap. Inquisitionis. censent denarium numerum satis esse. Attamen de hoc numero nihil in iure habetur, sed id solùm quòd propter dicta paucorum non debet quis infamatus reputari: nisi opinio eius apud probos & graues læsa existat. Quocircà an infamia sufficiens sit,

Germana interpretatio citati textus.

Dubium alterum.

Paludani sententia.

Fundamẽtũ Paludani.

Adrianus. Caietanus.

S. Thomas.

Ratio in Paludanum.

prudentum arbitrio æstimandum est: vt scilicet perpendãt quando iam rumor sit frequens. Numerus autẽ ille denarius inde autoritatẽ nactus est ad infamiã, quòd sufficit populũ constituere. Nihilo minùs nulla est *Regula.* alia regula certior quã glossa dicti capituli, quæ ait, quòd si rumor sit sparsus per maiorẽ partẽ vicinię aut collegij, aut vniuersitatis, illa est sufficiens infamia. Hãc enim cõmendat Barto. ff. de quæst. l. de minore. §. tormẽta. vbi ait, fama est cõmunis opinio, voce manifesta, ex suspectione proueniens: quæ si sit de malo, dicitur infamia. Requiritur ergo in primis bonorũ opinio. Nam perditorũ clamor atq; hominũ infimæ classis, legitimam *Additio autoris contra astrologos.* infamiã nõ conflat. ¶ Perditorũ autem-perditissimos istos cẽseto ariolos & astrologos, qui per astrorum obseruationẽ occulta crimina propalare contendunt. Nam vt de sua scientia quã exilis sit certitudinis nũc sileamus, vsus tamẽ eiusmodi artis in detegendis criminibus occultis pestilentissimus est, iniquissimusq; adeo atq; omni diligẽtia à Rep. profligandus. Esto enim illis gratis, imò contra veritatẽ concederemus, perinde eis innotescere occulta crimina ac si oculis proprijs, vidissent, quomodo illi possunt illa, nisi toto reclamãte iure reuelare? Profecto neq; inde iudex nisi vel imperitissimus vel nequissimus vllã posset iuridicã ansam accipere ad inquirendum, vel vllo pacto procedendum contra illũ, ab illis proditoribus proditum. Quare ipsi potissimũ atq; illi simul qui illos interrogant in malã crucẽ arripiendi essent. Nihil enim aliud faciũt q̃ homines falso infamare: & quãuis vera dicerẽt, pernicios issimi nihilo minùs essent, sunt enim mortales adeo cupidi deprehendendi eos qui sibi nocuerũt, vt facilè istis fidem adhibeant. Vnde sexcentæ turbæ in Repu. oboriuntur. Quin & illi qui Zelotipia exurunt eos adeunt qui adulteria suarũ vxorũ sibi detegant. ¶ Hæc de infamia. Indicia autẽ, vbi non volat infamia, nõ qualiacũq; ait sanctus Thomas, sed expressa esse debẽt, & quæ prudẽtia iudicis vehemẽter reũ indicẽt antequã ius emergat inquirendi. Vide quã sancti sanctaq; iura famæ & honori consultũ curauêre delitescentis rei, sanè cũ maluerint aliqua crimina impunè fieri, quã delinquẽtes occultos de possessione honoris sui, famæq;, & vitæ temerè depellere. ¶ Semiplena aũt probatio cẽsetur vnus testis omni exceptione superior. Sed repetis fortè cõtra hãc definitionẽ argumentũ

Qualia oportet esse indicia quæ inquisitionem antecedant. S. Thomas.

Quid semiplena probatio.

Argumẽtũ

suprà factũ, ex cap. Inquisitionis. de accusa. vbi cauetur etiã si duo vel plures iurati testes crimẽ pandãt, nisi infamia reus laboret, non patêre inquirẽdi ius. Respõdetur autẽ argu- *Solutio.* mentũ concludere semiplenã probationẽ: quin verò plenã trium testiũ nõ sufficere ad inquisitionẽ: sed semiplenã probationẽ tũc facultatẽ facere interrogandi tã reum quàm alios testes, quãdo proceditur via accusationis. Atque hæc est mẽs. S. Tho. ¶ Ex his autẽ *Dubitatio.* reliquũ fit dubiũ aliud, vtrũ reus in foro aut exteriori aut conscientiæ compulsus sit veritatẽ respondere antequàm certior fiat, iudicẽ iure ipsum interrogare: an illicò ei potiùs debeat simpliciter credere. Respondetur ne- *Solutio.* quâquã cõpelli, quousque illi constet more & lege interrogari. Etenim qui bona sua, honorem, & vitam iure possidet: quousque ius alterum sibi innotuerit quo debeat illorum iacturam facere, non adstringitur illa dimittere: aliàs prodigus eorum esset. Atq; id maximè in rebus grauioribus: sed in his potissimùm quæ vitam in discrimen obijciunt. Nã in leuioribus debet subditus prælato fidem adhibere, illi tamen prorsum quem probũ nouit, prudentem, & scientiæ peritum. Igitur vbi primùm reo notum fuerit secũdum iuris ordinem interrogari, sub pœna peccati mortalis detegere veritatẽ etiam iniuratus tenetur, multò tamen sanctiùs si iuratus interrogetur. Loquimur nunc modò ex genere rei. Nã ob leuitatem materię iam suprà dictum est fieri posse vt negatio veritatis etiã in iudicio venialis sit culpa. Quocircà reus qui veritatem negat, etiam illã qua in mortem adigitur, nullatenùs est sacramento confessionis absoluendus quousque illam aperiat. Debent tamen confessarij considerata *Sana doctri* maturitate tunc vti nè calamitosum morti *na ad cõfes* temerè addicant: scientes in re dubia propẽ- *sarios spe* dendum esse potiùs in fauorem rei. Et ideo *ctans.* nisi meridie clariùs lex illos cogat, non sunt miseri cogendi: maximè in causa capitali, aut honoris & famæ: dum ex altera parte nõ agitur de tanto periculo alius tertiæ personæ: sed debent priùs rimari an iudex legitimus sit, an reus aliquo sit priuilegio exemptus, puta quia clericus: an denique plenè constet cuncta legis merita fuisse seruata. Præterea illa debent esse prudentia, vt etsi reus auscultare nolit eorum sententiã, dissimulatissimè id ipsi extra cõfessionẽ celatam rem seruent. Solẽt nanq; sæpe iudices de cõfessar ij facie delictũ expiscari. Ecce quando

reus

reus tenetur & iustus testis veritatem patefacere. ¶ Quod autē plus dubietatis: & anxietatis affert est, nosse, quādo vel reus vel testis præter iuris ordinē iniquè cogitur, cùm nullatenùs ei (vt suprà dictū est) mentiri liceat, etiā si salus totius reipublicæ illic periclitaretur, quasi poterit prudētia defendere, quòve suffragio elabi. Hæc fuit in illa nostra Relectione citata mēbri. 3. quæstio. 3. vbi cūcta credo tetigim⁹ quæ à nro pusillo ingenio desiderare quis poterat. Vt autē summatim dicamus, cōpluries secretorū gradus & ordines dignoscūtur. Quorū summus est qui sacramentali confessioni debetur: ob idq; de illo constitutissimū est cōfessarium verè respondere se nescire quod in sacramento audiuit: quoniam huius cōtradictionis, scio, nescio, vtraque pars diuersis sensibus esse potest vera. Nam licèt prior simpliciter vera sit, si scire pro eo vsurpes, quod relatu credis, posterior nihilo min⁹ est vera in hoc sensu: quod nescis tanquàm homo, vel quia nescis vt dicas: de hoc autem nō est præsentis loci disputatio: illic enim satis superque dictum est.

Multiplex secretorum ordo.

¶ Vnum hic tamen repetere admonendo non cessabo, contra quod passim grauissimè peccari video: nempè quàm debeat esse reconditum, quamq; ab exteriori foro semotum confessionis secretum. Video inquam sæculares iudices, imò & peiùs ecclesiasticos suas sæpè causas ad confessarios remittere, à quibus rei informati veritatē posteà fateantur in iudicio. Idq; præcipuè in causis matrimoniorū quæ clàm fiunt: Cùm tamen multò minus esset periculi si mille essent illegitimi cōiugati & in perpetua fornicatione persisterent quàm illa via procedere. Arbitrantur enim isti iudices neminem posse in confessione sacramētali mētiri: & tñ & adultera & puella, imò vulgaris homo q semel veritatem in iudicio negauerint, paratissimus est etiā in cōfessione id contegere: qua ideo ratione patentissima illis offertur occasio, vt sacrilegium faciant mentientes in confessione. Et quando id nō contingat, faciunt eiusmodi iudices confessionem odiosissimam. Nam cùm videat indocta plebs per illam viam in iudicio compelli, quis non illam reformidet? Persuasissimum ergo Christianis esse debet secretum illud nulla prorsus ratione reuelari posse, magis quam si Deus solus sciret. Aliàs apertissimo periculo exponeretur sacrosanctum sacramentum, vt homines non auderent sua illic patefacere crimina

Iudicū huius tēporis ignorantia

Caueri ergo sanctissimè debet ab hoc sacrilegio nè iudices in suo foro sacramentum cōfessionis nominēt. Neq; sacerdotes si qui ad illos inde remittātur, vllo modo eos audiāt. Imò & iudices ipsos acerrimè reprehendāt. Interstat sacer limes inter vnum forum & alterum, quem transgredi sacrilegium est, in rem publicam Christianam pestilētissimū. Sed quò ad rem de iudicio exterioris fori reuertamur. In eiusmodi secretis sunt etiam gradus quantum ad fidem quæ ipsis seruandis debetur. Etenim qui per iniuriam ab altero secretū extorsit, arctissimo nexu stringitur illud seruandi. Adeò vt si illius reuelatione periclitaretur alterius vita, dicere aude rem quòd deberet ipse periculum antea subire propriæ, quàm illum detegere. Post hoc est illud quod quis prudenter, vel tanquàm prælato vel tanquàm amico, alteri cōcredit. Tunc enim etsi nemo obligetur mortem oppetere vt illud celet dum ab illo extorquere tur, tenetur tamen quàm posset maximè illum contegere. Deinde sequuntur alij gradus remissioris obligationis. Vt si scis secretū vel quod alter temerè effutiuit, vel quod casu vidisti. ¶ At nè quæstione sequenti de testibus eadem nos occupet quæstio, de omnibus tam reo quàm testibus constituitur sexta generalis conclusio. Licet cui cunq; prætera ius requisito primùm non respondere: mox appellare. Quin verò & quo potuerit pacto se defendere, ne loquatur: sicuti cōtra priuatam personam. Nam iudex multò grauiùs mortaliter peccat (quod aprimè animaduertere debent) dum tali vi secreta exprimit, quàm si priuata esset persona: eò quòd cùm sit iustitiæ patronus & custos, eidem iustitiæ authoritate publica vim infert. Quamobrem dum per iniuriam extorsit crimen per illam confessionem nō potest reum condemnare: quia ex iniuria nullum nascitur ius. ¶ Si verò nullū aliud remedium interrogatis reliquum fit, pro tali casu est conclusio septima. Possunt ac debent sic contra ius requisiti quacunq; vti amphibologia, quam vsitatus sermo citra mendacium ferre possit. Nam si talia verba nullatenùs sensum verum admitterent, mendacium parerent: quod nullatenùs licet. Et quidem antiquus doctorum clypeus ille erat, vt interrogatus diceret, Nego proposita vt proposita sunt. Et re vera inter synceros iudices illa esset legitima responsio: sed tamen quoniam iam illa minimè contenti vrgentiùs instant,

Sexta conclusio.

Cōclusio. 7.



ſtat,diſtinctione opùs eſt. Dum enim teſtis de alieno actu interrogatur,facilius protege re ſe poteſt,quam ſi interrogaretur de proprio, Arbitror enim,licèt non ſit eo gradu certũ,quo in confeſſario, poſſe ritè reſpondere ſe neſcire:vt ſi interrogetur an alius quiſpiã,puta Petrus occiderit,illud ve aut aliud fecerit,fueritve tali hora in tali loco,aut quic quàm ſimile,per quod veniri poſsit in notiam criminis. Enimuerò cùm voces ſint cõceptuum ſigna, oratio illa, neſcio, recipere hunc ſenſum citra mendacium poteſt : Neſcio vt tibi modò dicam. Quare non aduerſatur alteri veritati,ſcio ſimpliciter:etiam ſi proprijs oculis id de quo interrogatur vidiſſet.Nam ſi tantùm auditu illud teneret, dubium non eſt,quin poſſet reſpondere ſe neſcire.Quandoquidem quod credimus, non propriè ſcimus. Et corfirmatur concluſio. Iudex ſciſcitari de occultis non poteſt : imò vt habetur.c.qualiter & quando.1. de accuſat.debet interrogans excipere occulta crimina admonens teſtem nè illa detegat:ergo quanuis ipſe aſtu exceptionem non explicet,legibus ipſis intelligitur expreſſa. Quocirca iuramentum caluminæ vel quod cũq; aliud teſtium,eo moderamine intelligitur,ꝙ ille iuratus dicet veritatẽ ſecundùm ius.Atq; inter alias expoſitiones hæc optima eſt & textui genuina illius loci, Marc.13. De illo die nemo ſcit,neq; filius hominis. Cũ enim Apoſtoli Chriſtum ſciſcitarẽtur, Dic nobis quando iſta fient:ipſe reſpondit, De die illo nemo ſcit,neq; filius hominis. Quaſi dixiſſet,Ad fidem redemptionis quam filius hominis operatur non pertinet illum manifeſtari:ſed potiùs reticeri . Quare filius hominis neſcit vt dicat. ¶Attamen dum interrogatio fit de proprio actu:vt ſcilicet ſi vel teſtis interrogetur an viderit, vel audierit, vel adfuerit tali loco. Et pariter ſi reus interrogatur an fecerit hoc vel illud , illic perplexior fit locus euadendi.Nam dicere,Neſcio, ridiculum eſſet:Poteſt tamen dicere, Non memini:nam eũdem ſenſum recipit,quem , neſcio,ſcilicet, vt dicam. Si tamen res eſt tam proxima vel tam inſignis, vt illa reſponſio fiat etiã deridicula,difficilior fit multò euaſio.Nam dicere,Non vidi ,vel , Non audiui, non mihi ſatis videtur eundem ſenſum admittere,quem,Neſcio. Nec auderem ſic ego reſpondere ſi vidiſſem. Quanuis in, audire, tolerabiliùs idem permittatur ſenſus. Nam etiã audimus vt dicamus.¶De reo autẽ multò eſt res grauiſsima.Dũ enim interrogatur an occiderit vel furatus fuerit , vel de quocunq; alio proprio actu , eludere interrogationem nequit,dicẽdo ſe neſcire,neq; (vt diximus) admittetur ſi dicat ſe nõ meminiſſe. Quod autẽ liceat ei dicere ſe non feciſſe,nullatenùs eſt ſuſtentabile:quoniam, Non feci, nullo modo amplecti poteſt ſenſum,Nõ feci vt dicam:Facere enim non habet eandem connexionem cum eo quod eſt , vt dicam, quam habet,ſcire.In communi enim colloquio vbi ſermo oritur de re aliqua quam ſecretò ſeruare volumus,licèt quis reſpondeat ſe nihil ſcire,non exiſtimatur mendax , etiã ſi credatur id ſecretò noſſe . Si tamen ſermo eſſet de re quam alter fecit:qui ſciens rem illam feciſſe,diceret,non fecit:aut, non ita res eſt,profectò mendax meritò haberetur . Idẽ enim eſt prorſus,Non feci,&, Nõ ita res eſt. qd'porro nullo ſenſu à mendatio excuſari poteſt.Scio Adrian.4.ſent.q.de ſigillo confeſſ.dicere , quòd reus contra ius interrogatus poteſt etiam iuratus reſpondere non ſolùm nihil de illa re nouiſſe:verùm interrogatus an fecerit,poteſt,inquit,ſecundũ omnes Doctores reſpondere ſe non feciſſe. Neſcio tamen qui ſint omnes illi doctores: quia neminem vidi: imò indubius credo , id neutiquàm licêre. At quia neminẽ dico,eſt vtiq; Caiet.opuſ.16.reſ.q.5.quem ſuprà citauimus qui ait,inquiſitum præter ius de occultis cõplicibus reſpondere poſſe non habere complices:quod ſi verum eſſet , cõſequens fieret vt de ſe quoque iniuſtè interrogatus reſpondere poſſet non feciſſe . Quod ego profectò adduci non poſſunt vt credam. Quoniam nulla amphibologia valet eiuſmodi reſponſa à mendacio excuſare. Et eſt mihi apertiſſima demonſtratio hæc,quòd ſi illud non eſſet mendacium, vana tunc fuiſſet cura & ſolicitudo omnium Doctorum admonẽdi non licêre neq; pro vita ſeruanda in iudicio mentiri:quia nullum aliud mẽdacium cauere volunt, quàm hoc quo quis apertè negat ſe feciſſe, quod fecit. Quæro enim ab iſtis, an ſi iudex diceret tu occidiſti , reſpondens reus, non ita eſt, mentiretur:profectò non eſt dubium. Qua re nec adulteræ à marito nudo gladio interrogatæ an amicũ admiſerit dicere fas eſt nõ admiſiſſe, ſi id modò falſum eſt. Neq; poſſet à mẽdacio excuſari ſi cùm eum admiſiſſet nudiuſtertiùs , abſolùte reſpõdiſſet nõ admiſiſſe:intelligẽs heri : nã illa negatio vniuerſalis eſt. ¶ Quid ergo remedij eſt? profectò

Probatio cõcluſionis.

Sententia Adria.

Ratio egregia in Adri.

Qualiter interrogatus iniquè proprio actu poſsit ſe legitimè eripere.

profectò nullum: nam hominũ iniquitatib⁹, postquàm semel iuris synceritatem pessundant, nullis potest legibus obuiã iri. Sed miseris necesse est mortẽ, velut martyres perpeti, antequã i⁹ naturale & diuinũ mẽtiẽdo trãsgrediantur. Quod enim remediũ excogitare potest misera puella cùm mortem tyrannus ei minatur, nisi secum turpiter consentiat? profectò nullum: sed gladio potiùs succũbendum illi est. Eodem modo cui eandẽ mortẽ offerret, nisi mendaciũ proferret, moriẽdum esset. Et talis est casus dum tyrãnicè iudex reũ in tales angustias redigit, vt vel mẽtiri debeat, vel mori. Hæc truncatim de hac materia hic dixerim: quoniã nec res est quę hoc loco plenariè disputari deberet, & in dicta nostra Relectione copiosè extat discussa.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum in contrarium respondetur, lura ciuilia multa impunè permittere quæ non ideo approbãt diuinæ leges vr meretricia. Atq; hac ratione quia ferre mortem, quæ secundùm Arist. 3. Ethico, terribiliũ omniũ terribilissimũ est, e gregiæ virtutis est, illiusq; fortitudinis culminis quod rarissimi homines attingũt, leges humanæ nulla supplicia illis statuerũt q cũ accusationibus transigerẽt vt se à morte eriperẽt: licèt ante tribunal Dei culpa nõ careat. ¶ Et similis est respõsio argumẽti secũdi.

Aristot.

Ad secũdũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm reo liceat iudicium per appellationem declinare.

Primum argumentum Paulus. TERTIVM vitium rei est subdola cauillosaq; appellatio. Arguitur ergò q reo non liceat iudicium per appellationem declinare Primùm videtur hoc contradicere documento. Pauli ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nam appellatio, quædam est recusatio iudicis, & ab eius obedientia exemptio. ¶ Secundò. Maior obedientia debetur ordinarijs iudicibus, qui publica potestate pollent, quàm alijs quos arbitrio tuo elegeris: sed ab electis communi partiũ consensu appellare non licet: vt patet. 2. q. 6. can. à iudicibus. ergo nec ab ordinarijs.

Argumẽ. 2

Argumẽ. 3 ¶ Tertiò arguitur. Si appellare licitum esset, quocunq; tempore liceret: prefinitur autem à iure tempus decem dierum ad appellandum: vt patet. 2. q. 6. can. Anteriorum, ergo appellatio non est licita. ¶ In contrarium est exemplum Pauli, qui, vt refertur Act. 25. appellauit ad Cæsarem.

Prima conclusio. BReuissima est atq; facilima quæstio, ad quam duabus conclusionibus respondetur. Prior est. Licitum est reo quando iustitiæ confidit, qui iudicis fortè grauamine premitur, appellare: dum modo ad legitimum appellet iudicem. Conclusio est manifesta, etiam naturali iure: quoniã vt se suaq; quisq; defendat, tutela & beneficio vti potest quod ratio naturalis ei non denegat. quòd autem id nulla ratio naturalis vetet, patet: quia ea maximè esset, obedientia: hæc tamen non obstat: quia nemo obedire tenetur inferiori, nisi quatenus ille superiori subalternus est. Est enim iudicum ordo sicut causarum naturalium, quarum in suis influxibus alia est alijs subdita. Quare câdẽ cau. &. q. can. Oĩs oppressus. conceditur afflictis reis appellare iubeturq; vt à nullo prohibeantur: sed fulciantur potiùs & audiantur. Et can. præcedenti, Appellanti nõ debet afflictio vlla carceris aut retentionis iniuriare custodia. Sunt autem multæ à iure præscriptæ ceremoniæ & formulæ appellandi de quibus nõ est prę sentis loci presiùs dicere. Quod autem habetur in can. Catholicus, videlicet quòd siquis fidelium ad iudicem prouocauerit infidelẽ: excommunicetur: de Apostolica doctrina sumptum est. Obiurgat enim Paulus Corinthios in cap. 6. prioris epistolæ, quòd frater cum fratre iudicio contenderet, & hoc apud infideles iudices: cum inter seipsos possent suas componere lites. Nam vbi fides nõ est, neq; rectum esse potest iudicium. Intelligitur autem illa prohibitio de illis catholicis qui inter catholicos viuunt: nam illi nostrates qui in terris infideliũ negotationis causa commorari permittuntur, nihil peccant si coram ipsorum iudicibus, vel actores compareant vel rei. ¶ Posterior conclusio. Appellare ad superiorem causa aut repellendæ aut differendæ iustæ sententiæ, iniustum, & iniquum est. Probatur: quia sicut imponere reo (vt suprà diximus) calumnia est. sic imponere iudici: ille autem qui subdolè & vafrè appellat, prę terquàm quòd obedientiã violat quam iudici debet, reipsa imponit illi falsum, quasi iniustam sententiam tulerit: insuper & impedimento illi est nè suum persequatur munus: atque adeò eisdem de causis iniuriam illi irrogat. Quapropter in eadẽ cau. &. q. can. quicunq;. præcipitur vt tales appe-

Ratio cõclusionis.

Paulus.

Posterema cõclusio.

Probatio.

appellationes non recipiantur.& can.omni nò.eiusmodi appellantes puniri iubentur.

Quæstio. ¶At verò sciscitaris circa priorem conclusio nem vtrùm licitum sit & concedens sic religionum familias instituere vt appellare pro

Ratio hæsitandi. hibeãtur.Apparet enim id neq; decêre,neq; vero licêre:tum quòd præcipuè in causa capitis,quam tantoperè nos natura admonet vt defendamus, nemo debet naturali benefi cio orbari, quo se tueri potest:tum etiam q̃, vt eâdem cau.&.q.habetur vtroq; canone, Ad Romanam,Christianis vniuersis hoc in dulgetur beneficiũ, vt quoties se quisq; premi senserit, ad Romanam sedem tanquã ad

Responsio. caput prouocatione confugiat. Respondetur nihilo minùs perquàm sanctè è religioni bus abigi appellandi vsum:nam etsi fortasse accidere quandoq; possit vt monachus aliquis iniuria læsus affligatur, tamen ex alia parte talia damna (quæ rarissimè contingunt)pace & quiete compensantur : neruus enim & decus religionis in hoc maximè cõsistit,vt altissimo inter se silentio,omnia veluti inter fratres,quæ sua est professio, plani ter tractent,& transigant:neq; se sæculo prodant . Etenim vbi primùm religionum causæ clausrorum metas exierint , actum de illis est. Quocircà institutiones ipsas sic Pontifices confirmârunt, vt appellationes prohiberent.Non quòd per hoc summis ipsis Põtificibus obedientiæ quicq̃ sit ademptum. Quicunq; enim quantumuis inclusis monachus ad ipsum appellauerit,iure id faciet: verùm quòd sic colsultum est religionum

Dubitatio. incolumitati. ¶Sed & circa secundam conclusionem dubium preterea restat, vtrùm reo etiam dum iustè credit ab inferiori condemnari, liceat superiorem interpellare: ea nimirum spe ductus vt superior, vel fauore, vel quia diuersam habet iuris opinionem,re uocabit sententiam,vel illa dilatione poterit se ipse eruere. Est enim àparte affirmatiua

Argumẽtũ partis affirmatiuæ. argumentum quòd postquàm intra limites obedientiæ iure id permittitur, videtur posse illuc subterfugere : nam (vt dicemus statim)licet ei è carceribus fugere. Accedit & vsus:nam quicunq; , si potest, appellat.Re-

Solutio. spondetur tamen id certè non licére:sed esse peccatum genere suo mortale , vbi quis certissimus est merito esse condemnatus,etiam ad mortem,per appellationem iudiciũ eludere:nam est contra iustitiam & in reipublicæ detrimentum: nam sæpissime illis prolationibus iudices & ministri vel lassantur, vel corrumpuntur : & restant scelera impunita. Secùs si aliquo pacto de æquitate sententiæ dubitaretur.

Ad primũ argumentũ AD primum igitur argumentum respondetur , quòd quando inferior iudex fines trãsgreditur iuris,exorbitat ab ordine superioris.& ideo subditus nullam transgreditur obediẽtiæ lineam si ad superiorem recurrat:quoniam nemo constringitur parêre inferiori,nisi quatenùs ipse perseuêrat in superioris ordine.¶Ad secundum respondetur quòd in vtroq; esse peccatum vsu venit scilicet in iudice perspicientiæ defectum per quem iustã causam dat reo æquiorem aliũ interpellandi : & in reo defectũ constantiæ: quia non persistit in eo quod semel elegit. Vnde licèt ordinario iudici firmior obediẽtia quàm arbitro debeatur,tamen quia ordinarius non à reo eligitur sed eius authoritas pendet à superiori,fit vt quando ille ab eius ordine exit, possit reus citra incõstantiæ notam prouocare:quando verò litigantes communi consensu sequestrẽ elegerunt,propter eorum inconstantiam non permittuntur appellare.Attamen si tres fuerint electi, & duo sine tertio sententiam tulerint , appellare licet:vt subditue statim in cap.sane. ¶Ad tertium argumentum respondetur q̃ cùm appellare officium sit virtutis constringi debet ab vtroq; extremo:nempè vt ita hoc beneficium reo concedatur,vt tamen non cedat in accusatoris iniuriam.Ob idq̃; antiquitùs biduum aut triduum cõcedebatur reo vt posset appellare:postea verò indultum est tempus decem dierum . Nam si quãtocunq; elapso tempore appellare liberum esset,nulla esset firmitas in iudicio & sententia , sed semper esset ex arbitrio rei pendens. ¶Atq; eandem ob causam interdictum est supereodẽ articulo tertio appellare,vt patet extrà, de appel.cap.Directæ.vbi permittitur appellare bis:& cap.sua nobis.vbi prohibetur appellare ter. Et est expressus titulus in Codice.lib.7.nè liceat in vna eâdẽq; causa tertiò prouocare.Iam verò Romæ inductus est cõtrarius mos:vt scilicet tres sentẽtiæ expectentur cõcordes.Ea fortè de causa quòd technis fraudibusq; humanis in dies ctescentibus, aliter satisfieri litigantibus non posse creditum est:nam cùm hæc ex iure pendeant positiuo,potest Summus Põtifex illa pro temporum varietate mutare . Ille autem nocentissimus intolerabilisq; stilus est,vt litigatores permittantur causas in frusta lacerare,

Ad tertiũ argumentũ

&

& nouos articulos effingere, vt à quocunq; iudicis verbo appelletur, & de singulis expectentur tres sententiæ, atq; hac ratione lites immortales fiant.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm liceat cõdemnato ad mortem se quacunq; via defendere.

Primum argumentum

POstremum remediũ quod reo superesse videtur est, vt se defendat, tũc præsertim dũ morti addict⁹ est. Arguitur ergo id licitũ esse. Naturalis inclinatio semper est licita, cùm Deo authore illa sit vniuersis reb⁹ indita: inter inclinationes autẽ naturę, summa cũctis rebus inest vt sese conseruent: inde enim nascitur vt summã exoptemus fœlicitatẽ, in qua perpetuò permaneam⁹: ergo ad tuendã vitã quęcunq; nobis defensa licet.

Argumẽ. 2

¶ Secũdò perinde sentẽtia fugiẽdo declinat, atq; resistendo: fugere autẽ licitũ est, secundùm illud Eccles. 9. Longè esto ab homine potestatẽ habente occidẽdi & nõ viuificãdi: ergo & resistere licet.

Argumẽ. 3

¶ Tertiò. Plus homo sibi ordine charitatis tenetur quàm alteri: licet autem alterũ periculo mortis eripere, secũdùm illud Prouerb. 24. Erue eos qui ducũtur ad mortẽ: & eos qui trahunt⁹ ad interitũ liberare nè cesses: ergò & cuiq; licet seipsum à morte liberare.

Paulus.

¶ In cõtrariũ est Apostolus ad Rom. 13. Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit, & ipse sibi dãnationẽ acquirit. Etenim qui à suo se iudice defendit, potestati resistit quæ diuinitùs ad vindictã malefactorũ, laudẽ verò bonorum instituta est.

Distinctio.

QVæstio hæc per distinctionẽ est dissoluẽda. Contingit enim quempiã, aut iustè damnari aut iniustè. Et secundũ hęc duo mẽbra duæ sunt secernẽdę cõclusiones.

Prima cõclusio.

Prior est nemini iustè ac iuridicè condẽnato licet se à legitimo iudice defendere. Et ratio (præter testimoniũ ciratum Pauli) est quòd bellũ nequit esse vtrinq; iustũ nisi vbi ignorãtia alterutrã partiũ excusaret: iudex autẽ, iustè capit, tenet, supplicioq; addicit legitimũ reũ: non ergo reus iustè potest illi resistere: sed est suo genere mortale crimẽ.

Ratio cõclusionis.

Secunda cõclusio.

¶ Posterior cõclusio. Cuicũq; iniustè condẽnato fas est iudici resistere, vbi tamẽ nõ daret scandalũ ex quo grauis turbatio timeretur. Cõclusio est nota: quoniã iniqua sentẽtia nullã subdito inducit obedientiã: quin verò iam tunc iudex non publica, sed priuata vtitur authoritate: crescit autẽ inde eius culpa quod prætextu iustitiæ iniuriã infert, & violentiã. Vnde Ezechi. 22. Principes eius in medio illius, quasi lupi rapiẽtes prædam ad effundendũ sanguinẽ: ergo sicuti à lupis, sic se quisque potest ab ipsis tueri, nisi graue inde metueretur scandalũ.

Probatio cõclusionis.

¶ Emergunt tamẽ ex his conclusionibus rationes aliquot dubitãdi. Et primum omnium offertur dubiũ de innocẽte, qui secundùm allegata & probata cõdemnatur: vide licet vtrùm sit illis connumerandus quibus posterior cõclusio suffragatur, vt se defendant: an verò illis quibus refragatur prior, præcipiens vt pareant. Nam quòd se possit defendere, argumentum est sua innocentia. Durissimum enim est manus innocentis ligare qui per iniquitatem accusatus est: id præsertim in causa mortis: cùm natura cuilibet ius faciat defendendi sese. Sed ex altera parte est nihilo debilius argumentum, quòd illum iudex iustè condemnauit. Et ponamus eundem etiam iudicem credere illũ esse nocentem. Quare si damnato liceret se defendere, bellum esset iustũ ex vtrâque parte. ¶ Res profectò grauis est: & qui à parte innocentis censeret, respondere ad contrariũ argumentum posset, quòd bellum simpliciter est iustum ex parte innocentis: sed tamen iustitia iudicis fundaretur in falsa præsumptione, quæ innocenti ius protectionis non adimit. Nihilo minùs non auderem ab hac parte stare: sed crediderim (vt quæst. 4. dicebamus) quòd si eiusmodi innocens possit citra gtaue scandalum, & citra vulnerationem iudicis eiusque ministrorum se protegere, posset quidem: vtpote non solùm fugiendo, verùm & includendo se in locum munitum, & fortè armatis territando ministros iustitiæ: & dum capitur, connitendo se eripere etiam pellendo ministros. Attamen si non posset se defendere nisi inflictis vulneribus, neutiquàm crediderim id licêre. Nam primùm id non fieret sine grauissimo scandalo, quod peccatum est. Secundò arguitur. Iudex in tali casu non solùm licitè reum inuadit, verùm & iustitiæ præcepto ita compellitur, vt si non faceret grauiter peccaret. Nam faciamus testimonia esse legitima, & iudicem habere illum pro reo: durissimum autem concessu esset quòd iudex teneretur prælium contra hominem aggredi, qui iustè posset etiam se contrà prælio defendere: nam etsi in bello

Prima dubitatio.

Argumẽtũ

Solutio positę dubitationis.

possent

possent contra se inuicem duo hostes iustè pugnare: quia alterum ignorantia excusat: est autem longè dissimilis ratio: quia allegata & probata secundùm iura obligant iudicem reum damnare. Itaq; iudex etsi decipiatur credens illum esse reum: tamen non decipitur in hoc, quòd etiã si sit in secreto innocens, tenetur illum dãnare. Præterea q̃ ipse sit persona publica & reus priuata, plurimum ad rem facit. Adde quòd si prætorem vel occideret vel vulneraret, licèt postmodũ de eius innocentia constaret, nihilo seciùs od id quòd illa se vi defendisset, puniretur. Signum ergo est quòd in conscientia id ei minimè licuisset.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum in principio quæstionis respondetur, quòd inter inclinationes naturales illa est potissima, vt rationalis homo nihil contra rationẽ inceptet. Ob idque vniuersale desideriũ omnium creaturarum conseruandi se, debet homo rationis moderamine exequi. Quapropter vbi citra iniuriã reipublicæ in suo se iure nõ valet asserere, vitam potiùs quàm rationis ordinẽ deserere debet. ¶ Argumentũ autem secundũ multa exigit diluenda dubia. Respondet enim S. Thomas quòd cùm nemo ita condemnetur, vt mortem sibi ipsi inferat, sed tantùm vt patiatur, nullus tenetur facere illud vnde mors sequatur: quod contingeret si sua sponte maneret in carcere. Et ideo cùm ei fuga patet, arripere potest. Verùm tamen non potest resistere ministro iustitiæ: nam hoc nõ solùm esset nõ agere suã mortẽ, verùm resistere nè patiatur. ¶ At vetò cõtra hanc solutionem sunt argumenta permulta. Primum, quòd nemo potest suã custodire vitam cum alieno damno, quale daretur custodibus contra quos si fugeret, lege ageretur. Ad hoc autẽ respondetur hoc accidentarium esse: quòd ideo fugiens minimè tenetur cauere. Ipsi viderint custodes quomodò munus suum expleant. Etenim si negligentes fuerint, illis imputandum est: nã fugiens, ius persequitur suũ. ¶ Quòd si vrgẽtiùs arguas, sequeretur si cõdemnato liceret se in pedes dare, q̃ liceret pariter & cõpedes rũpere, & infringere seras, & perforare murũ qua se via eriperet: hoc tamen reprehensibile vulgò reputatur. Quin verò & legibus decretæ sunt illis pœnæ qui talia audent. Henricus Gandẽsis quolib. 9. ar. 25. negat illationem hanc: nimirum arbitratus hoc perinde esse atq; resistere iudici, eius percutiendo ministros. Vnde sicut licet tibi, inquit, per alienum agrũ transire, haud tamẽ diruere sepẽ vt trãseas: sic condẽ natus dum fores patent fugere potest, nequâquam tamẽ vincula rũpere. Attamen etsi huic opinioni applaudere ciuiles leges videri possint, tamen contraria probabilior est: quam Caiet. 2. 2. q. 69. censet Diuo Thomæ consonam, dicenti q̃ licet fugere, sed nõ resistere. Et ita credo in foro conscientiæ de quo præcisè tractamus. Cuiuis enim fugere licet: iustum subinde fit & se ab impedimentis, citra vim expedire. Est autem notandum vim propriè, neq; brutis animantibus, quæ neq; dominum vllum neq; ius habent, neq; verò inanimis rebus inferri, sed solis hominibus. Et ideo condẽnato non licet vel iudici vel custodi carceris resistere, manus in ipsos inijciendo: vincula verò rumpere non est resistere, sed fugere. Sicut neq; qui leonibus esset traditus vim inferret iustitiæ, dum, vt se defenderet, illos interficeret. Qui autem custodem carceris ligaret, aut os illi nè clamaret obstrueret, vim faceret: non tamen si eum dum se teneret post se fugiens traheret. ¶ Sed arguis contrà. Qui ædes rumperet vicini, vim inferret: ergo qui claustra rumpit carceris vt fugiat. Negatur consequentia: quoniam ille ius non habet ingrediendi, sicut hic exeundi. Fatemur tamen quòd teneatur in cõscientia de damno dato. Hic enim tantùm constituimus ius fugiendi, declarantes illic non inferri vim iustitiæ vindicatiuæ: quicquid sit de commutatiua. Quòd si arguas saltem rumpere vincula peccatum iniustitię est: Negatur consequentia: quia totum reducitur adhoc quod est fugere. Quare non tenetur ille de damno ratione acceptionis, sed ratione rei acceptę. Enim verò si fune ligati possunt nodum dissoluere, imò & funem discindere, & habẽtes adulterinam clauem possunt seras aperire, fit vt & ferrea vincula limare, & perforare murũ liceat: etiam si qui hoc facit, sciat occlusos secum alios exituros. Nam ipse suo vtitur iure: cui cura non incumbit custodiendi alios. Verùm tamen ex his non subsequitur quòd amici comdemnati possent vinẽto vel intrinsecùs vel extrinsecùs nauare operas suas, vt vincula vel muros dirumpat, licèt possint cõsulere vt fugiat. Nam ille tantùm cui fugere licet, viam sternere potest: cæteri verò maiorem iniuriam facerent diruendo carceres, q̃ priuatam domum: esset q̃; in vtroq; foro capitale crimen. Et quanuis Caiet. 2. 2. q. 69. cõtrariæ

Ad secũdũ argumentũ D. Thomas.

Primaratio

Solutio.

Secunda ratio.

Henricus.

Caietanus.

Argumẽtũ Solutio.

Ratio aliena Solutio.

Caietanus

trariæ sit sententiæ, arbitror tñ nemini licêre porrigere vincto vel limam vel aliud instrumentum: quoniam iam hoc esset cooperari. Neq; vera est illa regula, quòd si mihi licet aliquid operari, liceat alijs me iuuare: qnoniam vincula & carceres rumpere, solũ est licitum sternenti sibi viam. Secùs habet consulere alteri quod ei licet. Custodibus autem carceris iustitiæq; ministris grauissimũ esset infidelitatis scelus vel cooperari, vel cõniuerê, vel dissimulare: imò credo, & consulere. Neq; verò propterea quòd comdemnatis fugere in foro conscientiæ liceat aliquod patitur respublica detrimentũ: nam satis obuiatur si carceres bene sint murati, & custodes vigilantes. Nõ enim est necessariũ vt nullum sit impunitũ crimen. ¶ Porrò autem fateor cõtra hanc determinationem frangẽdi carceres, quã in foro conscientiæ veridicam arbitror, validissimũ existere argumentum ex iure ciuili, quo pœna capitis effractoribꝰ carcerũ decernitur: vt patet. ff. de effracto. l. De ijs. &. ff. de custod. & exhibitio. reor. l. in eos. secũdùm quas & alias particulares solẽt benè moratæ respublicæ adhibere. Nam tã grauis pœna nisi pro mortali culpa, iniusta sanè esset: secundùm ea quæ lib. 1. quęst. 6. de definita reliquimus: nẽpè pœnam, nisi pro culpa infligi non posse. ¶ Ad hoc nihilo minùs respõdetur, quòd cùm legum cõditores ciuiles non sint spiritualium iudices, vt perpendere valeant culpas in foro conscientiæ: nihil mirum si putent esse culpam vbi culpa nõ est. Igitur vel illam sunt opinionẽ sequuti. quòd per se effringere carceres lethalis culpa sit, vel suas leges in pręsumptione fundauêre. Præsumitur enim vis semper illata custodibus & resistentia: vbi verè inest culpa. Et ideo additur in dictis legibus: Si quis conspiratione facta cum cæteris carceres effregerit. vbi vis & resistentia custodibus illata insinuatur. Subditur autem ibîdem: Qui per negligentiam custodum euaserint, leniùs puniantur. Et intelligendum est si vincula aut carceres rumperẽt: nam aliâs profectò nulla esset æquitas: cùm citra controuersiam, nulla sit illic culpa. Tametsi qui fugit, eo ipso criminis fit iure suspectus. Subdit autem eadem lex, In eos. quòd etsi effractores inuenirentur posteà innocentes ex eo crimine propter quod impacti sunt in carcerem, tamẽ puniendi sunt, At verò leges (vt dictum est) semper præsumunt resistentiam. Aliâs re vera innocentibus nulla est culpa vincula lacerare, nec terebrare parietes. ¶ Supereſt autem contra hanc eandem definitionem & aliud argumentũ huiusmodi. Qui ad mortem damnatus est, eo ipso damnatur ad carcerem: facit ergo contra obedientiam dum fugit, Respõdetur per interemptionem antecedentis. Qui enim damnatur ad mortem, solùm cogitur pati: & ideo subducere se potest. Verum est quòd leges ciuiles decernentes fractoribus pœnas, in virtute prȩcipiunt nè carceres effringant: quia legislatores præsumunt illic culpam (vt expositum est) aliâs nequirent reposcere pœnas. vt libro. 1. q. 6. dictum est. Possunt quidem & condemnare ad carceres sicut ad exilia, tenenturq; tunc rei in carcere manere, essetq; illis peccatum fugere, nisi immineret periculum mortis aut corporalis supplicij. ¶ An verò simul posset quis damnari ad carcerem & ad mortem Caietañ. loco citato innuere videtur, tales posse ferri leges, licèt latæ non sint. Arbitror tamen quòd non essent iustæ: quia non potest miser illo naturali beneficio fugiendi priuari, quando ad supplicium destinatur corporale. Beneficium enim illud nascitur ex appetitu quem natura dedit rebus conseruandi se. Qua propter distinguendum est quòd in aliquibus non potest homo condemnari nisi vt patiatur: puta in his quæ vel mortem vel corporale supplicium afferunt. Et tunc non potest comdemnari nè fugiat. Diuersa autem ratio est in alijs, in quibus ad simile supplicium corporale non proceditur. Tunc enim potest reus condemnari non solùm ad pati, verùm & ad agere. Puta vt pecuniam soluat, in exilium recedat, in claustro maneat, vel in carcere: non solùm ad tempus, verùm & perpetuo. In his nanq; omnibus obedire tenetur & facere quod sibi iniunctum est. ¶ At verò ratio quam secundùm Diu. Thom. assignauimus, ne mpè od id licitum esse damnato fugere, qnon tenetur facere id vnde mors sequatur, non apparet vsq; adeò solida: nam expectare reũ in carcere, non est occidere se: aliâs minimè expectare liceret: quod falsum est: cũ expectãtes martyres cõtrariũ dederint documentũ. Respondetur quòd neq; sanct. Tho. affirmat hoc esse occidere se: sed facere vnde mors sequatur: quod licèt nemo virtute sententiæ teneatur facere, potest tamen sua sponte: quia æquanimiter pati vult sententiæ executionem. De martyribus autẽ alia

est

Argumẽtũ — *Respõsio.*

Argumẽtũ alterum ad idem.

Solutio.

Dubium.

Caietanus.

Solutio.

Discutitur ratio S. Th.

Mes. S. Th.

est ratio. Nã aliquãdo tenentur ob confessionẽ fidei expectare. ¶ In eâdem solutione ad secundũ subdit Diuus Thomas similitudinẽ, dicẽs: Sicut etiã si aliquis sit cõdemnatus vt fame moriatur, nõ peccat si sibi cibũ ministratũ sumat: quia non sumere, esset seipsum occidere. Et quòd liceat ei cibũ paratũ sumere, nemo ambigit: quia damnari nõ potest nisi vt ei nõ ministretur. Restat tamẽ ambiguitas vtrùm teneatur sumere. Et quidẽ Caietañ. illic incunctãter asseuerat teneri: ita *Caietanus.* vt si nõ sumeret, peccaret. Cuius maximũ argumentũ colligitur ex verbis sancti Thomę: nã dicit hoc esse se occidere, quod nemini licet. Ego verò fateor nõ esse mihi prorsus improbabile, quòd liceat ei non ædere. Nam si verè dignus est morte, etsi licitè possit eam subterfugere, potest nihilominꝰ nõ subterfugere. Quis enim ambigat quin sceleroſus homo suorũ criminũ cõscius, sciẽs prætorẽ venire ad se capiendũ, possit illũ operiri, atq; adeò in carcere aperto sine vllis vinculis mortẽ expectare quã meretur. Ergo, licèt fatear, nõ esse parẽ omnino rationẽ, haud tamẽ est longè dispar, quin & dãnatus, vt i media absumatur, possit à cibis cõtra iudicis iussa oblatis abstinere. Neque sanctus Thomas aliud ait quàm quòd nemo potest ad hoc cõdemnari. Et ideo neq; ille comedẽs, neque qui cibos illi porrigerẽt, nisi specialiter essent prohibiti, peccarẽt. Ob idque laudi datur apud Valer. Maxi. lib. 5. Athenienſis Cimona, qui *Valerius Maximus* patrẽ suum tali damnatũ morte, lacte pauit. Attamẽ nemo illis tenetur tales cibos suppeditare, sicuti extrema extra iudicium patientibus: vt. 2. 2. quæst. 31. articulo. 2. author est san. Thomas. ¶ Igitur vt ad ipsam diui doctoris rationẽ reuertamur: quãdo subdit quòd *D. Thomas* nõ sumere esset seipsum occidere, nõ intelligit positiuè, quod aiunt, & formaliter, sed reductiuè: sicut qui tenetur seruare nauim, si nõ seruat, cẽsetur submergere. Et idcirco q si ne causa nõ seruaret vitã, se occideret. Puta si quãdo extra casus iudiciales ruit domus, vel irruit fera, vel appropinquat flamma, nõ fugeret, suę essẽt vitę prodigus: quia sine causa eam negligit, suiq; adeò est interfector: sicuti & qui non damnatus non comederet. Qui autem legitima sententia proiectus esset leonibus, non teneretur se ab ipsis defendere, quanuis licitè posset: quia non se sine causa mori sinit: sed quia mortem meretur, vult eam à iudice pati. Sed ais, ille non est *Scrupulus.* damnatus nè comedat: ſtaeor: & ideo potest comedere. Sed tamen quia est damnatus, nè ei ministretur esca, quousq; exhâlet *Solutio.* animam, potest (quod probabile reputo) nõ comedere. Secùs autem de illo innocẽte qui immeritus condemnatus esset. Ille enim fortassè teneretur & de carcere fugere, & comedere si apponeretur panis. Præcipuè si vita sua vtilis esset reipublicæ: Nam aliâs nescio an vt tale patientiæ specimen exemplo Christi præberet, liceret ei sententiam iniquam sponte sua ferre: saltem non fugiendo.

¶ Postrema autem dubitatio superest de eo *Postrema dubitatio.* qui ad epotandum venenum condemnaretur: quo quidẽ mortis genere solẽni Atheniẽsibus fuit ingenuos ac proceres enecare: quo & Socrates sublatus est. Videtur nanq; huiusmodi condẽnato id licere: quia hoc nõ est agere, sed pati: vt si vi aperiretur ei os cur nõ posset spõte sua aperirevt cruciatũ effugeret? Et si esset, verbi gratia, quis condemnatus vt linguæ particula ei abscinderetur, daretur q; ei optio vt vel paruã sibiipsi abscinderet vel maiorẽ carnifex secaret, cur nõ posset minus detrimentũ optare? sicuti de seipso Iosephus refert libro. 2. de Bell. Iudaic. c. 27. q̃ data sibi optione maluit vnã sibi ipse manum ampu- *Iosephus.* tare quàm permittere vt ambabus truncaretur. Et si quis cõdẽnaretur ad sanguinis emissionem per venam quam lictor aperire nesciret, cur si reus esset artis peritus id exequi tanquàm minister iustitiæ non posset? ¶ Ad hæc breuiter omnia respondeo, in primis eiusmodi leges atque sententias esse iniquas: quippe quibus condemnantur rei seipsos vel occidere vel mutilare. Quãpropter Christiana familia illas non permittit. Imò verò neque martyribus eiusmodi iudicibus parẽre liceret. Secùs autem quando actio potiùs est passio: vt si reus linguam extrahat, manumve aut collum lictori paret, aut patibuli scalam ascendat. Hoc enim non est agere, sed ad crucem se hominem adaptare; sicuti dum in carcerem duceris potes tu ipse ambulare. ¶ Ad historiam ergo Iosephi respondetur male fecisse: sicut male faceret qui particulam linguæ sibi resecaret vt euitaret maius damnum: quia illud medium non erat per se necessarium, sed ex malignitate alterius præcipientis. Secùs si putridum haberes membrum: tunc enim tu tibi ipsi, si alius Chirurgi non haberetur copia, posses abscindere: sicuti alia quacunque via tibi ipsi mederi.

QVAE-

QVAESTIO SEPTIma, De iniustitia testis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm teneatur quandoq; homo testimonium ferre.



VARTVM locum in iudicio obtinet persona testis: de qua quatuor examinanda sunt: scilicet testium obligatio, sufficientia, repulsa, & culpa. Quæritur ergo primò vtrùm quis aliquando teneatur testimonium dicere. Et arguitur à parte negatiua. Fraudulentia nemini licita est, quippè cui in diuidua malitia inest: qui autem occultum crimen reuêlat, id præcipuè quod suæ fidei concreditur, infidelis est & fraudulentus, secundùm illud Prouerb.11. Qui ambulat fraudulenter, reuêlat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum: ergo nulli licet talia reuelare secreta, tantum abest vt quispiam teneatur. ¶ Secundò arguitur. Si testificari virtus esset, ea maximè conueniret sacerdotibus & clericis propter eorũ maiorem autoritatem. His enim qui sacra tractãt firmior debetur fides: & tamen clerici testes esse in causa sanguinis prohibentur: ergo testificari non videtur esse virtus. ¶ In contrarium est Augustinus vbi ait, Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, vterq; reus est. Ille quia prodere non vult, iste quia nocere desiderat.

Primum argumentũ. partis negatiua.

Argum.2.

Augustin.

RESponsio quęstionis quatuor conclusionibus continetur. Discernendum enim est inter eum à quo testimonium requiritur & eum qui nõ est requisitus. Prima ergo cõclusio est. Quicunq; à legitimo iudice secundùm formam iuris in testem adsciscitur, tenetur testimonium ferre. Conclusio inde patet quòd illud est obedientiæ munus: & obedire quicunq; subditus tenetur maioribus suis, iusta præcipientibus. ¶ Secunda conclusio. Qui occulta crimina interrogatur, de quibus neq; infamia præcesit, neq; alia iuris causa ex suprà nominatis, non tenetur testimonium dicere. Hæc itidem est manifesta: quoniam quicunq; tenetur bono proximi nomini consulere, celando eius crimina: nisi legitimè compulsus fuerit. Similes ergo sunt regulæ istæ à teste obseruandæ illis quę reo præscriptę sunt. Quando verò vel nullus te interrogat, vel ille qui tuus non est iudex, altera tibi est obseruanda distinctio. Enimuerò si testimonium tuum necessariũ est ad liberãdum hominem, vel ab iniusta morte, vel à falsa infamia, vel ab iniquo damno: tũc auscultanda est tertia cõclusio. ¶ Quicunq; ab eiusmodi periculis iniquè oblatis tenetur testimonio suo proximum liberare. Probatur: quia charitatis mandato quicunque tenetur proximo suo malum cauere. Exemplum pręstò est in eleemosyna quam graui ter patiẽti porrigere quisq; tenetur. Est enim & hoc genus quoddam, idemq; præcipuum eleemosinæ. Quapropter nõ solùm petitus à suo proximo & rogatus obligatur, verùm etsi minimè fuerit requisitus, tenetur quisq; vltrò satagere vt suum denuntiet testimonium, vbi prodesse potest. Sic enim nos admonet Psaltes: Eripite pauperem: & egenũ de manu peccatoris liberate. Et Sapiens Prouerb.28. Erue eos qui ducuntur ad mortem, Et ad Rom.1. Digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiũt facientibus. Vbi glossa, consentire est tacere cùm possis redarguere. Et eâdẽ ratione cùm possis testificari. Quapropter cõclusio hæc multò habet patentiorem veritatem in prodendis criminibus quæ in exitiũ reipublicæ vergunt. Nam si tunc quicunq; tenetur esse accusator, multo æquiùs testis. ¶ Quarta conclusio. Extra casum necessitatis liberãdi miserum ab iniuria vel rem publicam à pericu lo, solùm causa condemnãdi reum nemo tenetur sua spõte offerre se in testem, nisi iuridicè cõpulsus secundùm ordinem iuris. Probatur: quia celare tunc veritatem, nulla est causa damni vel publici vel priuati. Quare neq; iustitiæ ratio neq; charitatis quempiã tunc cogit priuatum ciuem secretum pandere, quod in pectore habet. ¶ At verò conclusiones has, sic iuxta ordinem. S. Tho. simpliciter assertas, necesse est exactiùs perpendere. Existit enim statim argumentum contra primam, q; si teneretur testis euocatus à iudice testimonium ferre, sequeretur q; neutiq; ei liceret sese occulere nè accerseretur. Imò q; si vlla vteretur astutia nè verum testimoniũ ferret, teneretur restituere damnũ quod vel actor vel reus acciperet, cui eius testimoniũ conducebat. Hæc enim illatio inde patet q;

Distinctio.

Prima conclusio.

Suadetur conclusio.

Secunda cõclusio.

Ratio conclusionis.

Tertia conclusio.

Probatio cõclusionis.

Paulus.

Glossa.

Quarta cõclusio:

Probatio.

Argumentũ cotra primam conclusionem.

ferre tunc testimonium, actus est iustitiæ: iustitia autem læsa restitutionem postulat.

Quòd si argumento hoc conuincaris, consequens subinde apparet vt qui contra tenorem tertiæ conclusionis etiam à iudice non vocatus testimonio suo nõ succurrerit iniuriam patienti accipientiue damnum, pari ratione teneatur restitutione id resarcire. Consequentia patet: quia dum. S. Tho. testimonium Pauli adducit: Non solùm qui agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, opinatur illum tunc in damnum proximi consentire. Quòd autem id concedendum non sit, arguitur sic. Primò, nemo charitatis lege tenetur proximum â calamitate eripere, nisi extrema aut graui necessitate prematur: ego licèt quispiam testimonio meo indigeat, vbi ei damnum agitur pecuniæ aut famæ extra extremum aut graue periculum mortis, nisi à iudice cogar, non teneor obsequium meum ferre. ¶ Secundò, neq; verò eiusmodi periculis extremo aut graui eâdẽ charitatis lege succurrere vllus compellitur cum detrimento suo. ¶ Tertiò: etsi in talibus casibus quispiam charitatis negligens officium suum non præstiterit, obnoxius subinde non fit restitutioni. Conclusio ergo tertia non est vsq; adeò vera, vt in superficie sonat. ¶ Hæc argumenta adducta sunt vt discrimen patescat quo inter primam tertiamq; conclusionem intercedit. Enimuerò licet vtraq; vera sit, prima tamen iustitiæ lege: tertia verò solo charitatis debito. Per hoc ergo discrimen alia innotescunt. Qui enim sine fraude & dolo subduceret nè à iudice vocaretur in testem, profectò si ita esset proximo suum testimonium necessarium, vt ibi tota periclitaretur causa: tunc & grauiter peccaret, & restituere teneretur. Nam eiusmodi tunc homo contra iustitiam dedisset alteri damnum. Et multò peccaret grauiùs, tenere turq; arctiùs restituere si falsum diceret testimonium, ex quo alterius condemnatio sequeretur. ¶ Igitur ad primum argumentũ contra tertiam hanc conclusionem respondetur quòd quanuis qui non accersitur à iudice non debeat ex iustitiæ lege, sed per officium charitatis testimoniũ suum: est tamen inter hoc atq; alias eleemosynas differentia, quòd in alijs licèt extra extremã & grauem necessitatẽ nemo stringatur dare quod suũ est: tamen quando alter tuo indiget testimonio, quoddam ius habet ad illud: quia vnicuiq; mandatũ est de proximo suo. Et ideo si absq; vllo prorsus detrimento illud possis exhibere, etiam si alter nõ subeat periculũ vitæ, sed famæ vel pecuniæ, obligaris charitatis amore. Quemadmodùm si haberes aliquã scripturã ex qua ius eius & causa dependeret, tenereris illam producere. Et accedit aliud vinculum singulare quòd alia est ratio necessitatis, cui succurrere tenemur quando illam quis patitur per iniuriam aut aliquam casualem cladem, quàm si illam pateretur per solam inopiam. Etenim cùm proximus domo caret, non obligor illi donare: quando verò domus eius ardet, etiam si sit diues, teneor si possum sine meo nocumento incendium extinguere. ¶ Secundo autẽ argumento concedimus suam conclusionẽ: videlicet quòd nemo cum suo graui periculo aut detrimento cogatur tale officium charitatis præstare: quin verò nec cũ detrimento suorum. Vt si lis esset cum patre meo nõ tenerer mea sponte contra eum prodire testis. Sicut si idem meus parens aggrederetur nudo gladio innocentem, quem defendere ego non possem, nisi eundem parentem occidendo, non teneor. Et pariter ad tertium respondetur, quòd vbi solùm charitatis obsequium & munus omittitur, nulla nascitur restitutionis obligatio. ¶ Præterea ex quarta conclusione nonnihil exoritur difficultatis. Apparet enim quòd etiam extra casum liberandi innocentẽ, ad nocentis condemnationem compellatur iure quisq; nondum à iudice accersit⁹, offerre se in testem: tunc scilicet quando legitimè accusatus est. Neq; solutio. S. Thomę vero similis est, vbi ait quòd neq; si accusatori periculum immineat, curare hoc debeat testis. Nam quando accusator accusare constringitur, videtur & testis ad testificandum subinde cõpelli: aliâs iniqua esset accusatoris conditio: scilicet quite neretur immergere se in causam vbi in probatione deficeret. Respondetur q. S. Tho. præcisè loquitur vbi accusator nõ tenebatur accusare. Et ideo subdit: quia ipse in hoc periculum sponte se iniecit. Tunc enim nemo illi tenetur fauere, sicuti reo iniuriam contra suam voluntatem patienti. Et in hoc casu verũ habet illud Augustini super verbo Abrahæ, Genes. 12. Dic quòd soror mea sis: veritatem celare licet, non mendacium dicere. 22. q. 2. can. Nè quis. Quando autem obligatio est accusandi, vt in criminibus bono publico exitialibus, tunc quicunq; tenetur etiam non vocatus proferre se in testem.

Primum argumentum in cõtrariã partem.

Argum. 2.

Argum. 3.

Legitimus sensus primæ ac tertiæ conclusionum.

Ad primũ argumentũ

Ad secundũ argum.

Ad tertiũ argumẽtũ.

Augustin.

AD

Ad primũ argumẽtũ principale

AD primum igitur argumentum respondetur distinguendos esse secretorũ gradus (vt superiori quæstione dictum est) sigillum enim sacramentalis confessionis, nulla esse potest, neque verò excogitari causa, nisi expressa esset Dei reuelatio, ob quam detegendum esset. Et in hoc casu verum habet prouerbium citatum. Esset enim illa sacrilega fraudulentia & infidelitas. Dixerim sacramentalis confessionis: Nam vulgaris consuetudo detegendi alijs secreta sub sigillo confessionis, etiam si genibus flexis signum crucis & Confiteor præmittatur: ni si fiat integra confessio omnium peccatorum, non obligat ad sigillum confessionis, sed ad sigillum sæculare. Et ideo cùm iuridicè requiruntur, possunt ac debent talia secreta nullo obstante iuramento seruandi, reuelari iudici. Puta si sint pestifera reipublicæ, debent statim accusatione deferri in aures iudicis. Etsi sint in periculum graue tertiæ personæ, cui non potest aliter occurri: vel si euoceris in testem. Ac citra tales casus tenetur quisq; seruare secretum: aliter ius naturę frãgeret, essetq; mortale crimen, & in leuibus, venialis culpa. Quapropter extra casus modò nominatos, in re dubia potiùs inclinãdum est ad seruandum secretum proximi, q̃ ad prodendum. Vt si iudex solùm à te quærat an scias aliquid, & tu tantùm audisti, nõ vidisti, potes dicere, nescio: quia quod audimus, non scimus. Si autem iustè interrogaris an audieris, fateri cógeris. Item vidisti fieri homicidium, etiam cum alijs contestibus: interrogaris tamen per viam inquisitionis, non teneris respondere, nisi vel infamia præcesserit vel indicia. Si autem procedatur via accusationis, etiam si solus videris, teneris adductus in testem testimonium ferre. Reus autẽ tunc interrogari iustè non potest absq; vno præuio, iuratoq; idoneo teste. ¶ Ad secundum autem iam satis suprà responsum est. Quæstione enim prima huius libri causam reddidimus quare clerici criminalium iudices esse non possunt: videlicet nè qui sacra tractant cædis cruore cõmaculentur. Ea demq; ratione. q. 5. diximus interdictum eis esse in eisdẽ causis accusare, ac subinde modò dicimus nefas quoq; esse testificari.

Ad secũdũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm duorum vel trium testimonium in iudicio sufficiat.

SEquitur secundo loco de testimoniorũ sufficientia, vtrùm duo vel tres satis sint. Et arguitur à parte negatiua. Testimonium vt fidem faciat, concors esse debet: contingit autem sæpenumerò duos & tres testes re aliqua discordare: eiusmodi ergo testimonium nõ est legitimum. ¶ Secundò in nonnullis causis nõ sufficiunt tres testes: nam in obsignatis testamentis iure ciuili requiruntur septem: vt patet Instit. de testamen. §. fin. &. C. eodem titulo. l. Hac cõsultissima. Et in alijs perinde causis eadẽ seruatur cautela. ¶ Tertiò, contra personas in dignitate constitutas, & potissimũ si sint Ecclesiæ Romanæ non satis est ternarius testium numerus. Legitur enim. 2. q. 5. ca. Præsul. quôd Præsul nõ damnetur nisi cũ septuaginta duobus testibus, qui fuit numerus discipulorum Christi. Presbyter autem Cardinalis non nisi cum sexagintaquatuor testibus deponatur: Diaconus verò Cardinalis vrbis Romæ nõ nisi cum. 27. condemnetur, Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nõ nisi septem. Et est tex. Sylvest. in Concil. generali. In huiusmodi autem Ecclesiasticis, quippe quorum crimina minùs sunt toleranda, pauciora deberent testimonia requiri: ergo vrgentiori ratione in alijs non sufficiunt tres. ¶ In contrarium est illud Deuteron. 17. In ore duorum vel trium testium peribit qui interficietur. & cap. 19. In ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Quod Christus Matth. 18. approbãdo citauit. Idemq; Paul. 1. ad Corinth. 13.

Primũ argumentum à parte negatiua.

Argum. 2.

Argum. 3.

Paulus.

AD quæstionem vnica conclusione respõdetur. Duorum testimonium, qui sint homines fide digni, sufficiens est in iudicio, & ad maiorem certitudinem trium. Conclusio hæc trifario iure asseritur: Naturali scilicet, diuino, & humano. De diuino enim iam citata sunt testimonia. Et præterea Christus Ioan. 8. eâdem ratione astruxit testimoniũ suum, quod simul erat & patris, fide dignũ esse. Quo loco ait Augustinus q̃ in hoc testium numero est trinitas secundùm mysterium cõmendata: in qua est perpetua firmitas veritatis. Ius autem humanum patet. 2. q. 5. ca. quod verò, & extrà, de testib. c. In omni negotio. &. ff. eod. titu. l. vbi numerus. Ratione autẽ naturali probatur. Certitudo (vt. 1. Ethi. autor est Aristo.) nõ est similiter in omni materia exquirenda. Ob idq; in actibus humanis, qui

Cõclusio responsiua.

Suadetur conclusio.

Augustin.

nis,qui in caducis & contingentibus versan tur,& de quibus constituuntur iudicia,non ea exigitur certitudo quæ in scientijs demõ strabilibus: sed illa satis est quæ plurimùm veritatem continet, rarò autem deficit:probabilius autem est, certoq; propinquius id quod à multis asseritur, quàm quod asserit vnus.Ob idq; vbi vni tantũ reo neganti mul ti obijciuntur testes, rationi consentaneum est vt illorũ potiùs testimonio stetur, quàm rei negantis.At verò multitudo tribus comprehenditur, principio scilicet,medio, & fine,quibus continetur linea:item longitudine,latitudine,& profunditate,quibus cõcluditur corpus. Vnde Arist.initio.1 de Cœl.to tum & omne de tribus primùm dicitur : nã de duobus solùm dicimus ambo : duo autẽ testes cum actore faciunt tres: quo autem absq; auctore cui in iudicio non tanta perhi betur fides,testimoniũ absolutum sit ac per fectũ,adhibetur tertius testis. Vnde Eccle.4. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Cùm ergò sub disiunctione dicitur in ore duorũ vel trium,prius membrum necessitatem designat & sufficientiam,posterius verò abundantius cõplementum. ¶ Quòd si obijcias cur non vnus affirmans contra negantem vnum sufficiat,respondetur quòd cùm reus sit suæ vitę suorumq; bonorum possessor,& melior sit conditio possidentis, nõ existima tur vnius actoris affirmatio cõtrà sufficiens, etiam si vno alio fulciatur teste, ad depellen dum ipsum de sua possessione. Sed nũquid non quãdoq; vnius autoritas plurium testimonio præstat? Fatendũ quidem est tamẽ, leges vt sæpè dici solitum est,non ea conside rare quæ rarò contingunt,sed quę plurimũ. Quanuis vnius eximię autoritatis,qualis est Imperator,testimonium ,sufficiens iudicatur:vt habetur.l.omniũ.C. de testam. Quin verò neq; plurium semper affirmatio firma est. Nam vt legitur.3. Reg. 21. Naboth pluriũ falso testimonio condemnatus est.Et innocentissimus Christus. ¶ Emergit autem ex hac conclusione argumentum cõtra ius humanũ.Leges humanæ non possunt naturali derogare,ac multo minùs diuinæ: q autem tres testes sufficiant,est de iure naturæ & diuino, vt dictũ iam modò est: ergo leges humanæ non potuerunt testimoniũ trium infirmare,constituentes vt in testamẽto aperto requirantur quinque testes, & in occluso septem:atq; alijs cautis item plures.Respondetur,ius naturæ & diuinum non vsq; adeò stabilire testimonium trium vt censeant nullam ob causam exigi posse plures. Enimuerò quis nisi hominũ malitia nimiũ excresce ret,duorũ vel trium abundaret testimoniũ: mortalium tamẽ fide & iustitia depraua ta, idem ius naturæ persuadet,vt testimonia firmiora requirantur:& maximè in defunctorum testamentis, qui suas voluntates post mortem asseuerare nequeunt.

Aristot. *Obiectio.* *Solutio.* *Argumẽtũ* *Solutio.*

AD primum igitur argumentum respondetur,q singulares testes non faciunt in iudicio fidem, sed illi tantùm qui sunt contestes. Dicuntur autem singulares quando quisq; suum actum seorsum cẽtestatur. Sed est tamen de eorum discordia cum.D.Tho. distinguendum.Nam si discordãt vel in substantia actus, puta q vnus ait reum percussisse alapa, alius verò fuste : vel in loco aut tempore quæ sunt proximæ actionum circunstantiæ: nempè quòd vnus ait rem contigisse, aut manè aut domi, alius verò serò, aut in agro: testimonium tunc aut refutatur, aut non satis ad sententiam facere censetur. Videntur enim singulares esse,hoc est de diuersis actibus loqui. Præsertim si tanquàm certa asserant. Nam si vnus dicat se non meminisse, non vsque adeò inficiatur eius testimonium. ¶ Sed est tamen regula quam prudenter Sanctus Thomas constituit: videlicet quòd si testes actoris & testes rei ab inuicem fuerint discrepantes, tunc cæteris paribus,standum est à parte rei, quoniam cùm melior sit conditio possidentis, iudex propensior esse debet ad absoluendum quàm ad condemnandum. Si verò testes eiusdem partis inter se dissenserint, & pariter testes alterius inter se, tunc iudex vtri partium assentiri debeat ex multis potest perpendere: scilicet vel ex numero testium,vel ex dignitate, vel ex fauore causæ: vt si agatur de libertate alicuius, & de alijs negotiorum qualitatibus. Multò autem iustiùs repellitur testis qui secum ipse dissidet : ac tunc maximè cùm de vsu & scientia interrogatur. Nam qui de opinione requritur & fama, non ideo reijciendus venit, quòd secundùm diuersa visa & audita de re titubet. At verò quando in aliquibus discrepant circunstantijs quæ ad substantiam causæ exiguum afferunt momentum, non ideo testimonium inficiatur. Vt si alius dicat contigisse rem hora tertia, alius hora quarta,vel quòd tẽpus erat subnubilum

Ad primũ argument. *D. Thom.* *Regula sancti Thom.*

nubilum aut subclārum: aut si domus pictu rata erat, aut secùs: ad quas circunstantias non solent homines esse attenti. Quinimò (vt de concord. Euangel. Chrysosto. & Augustin. sapienter adnotauêre) aliquanta historicorum discordia solidiorem illis arrogat fidem: quàm si vsq; ad minima essent concordes. Tunc enim consultò & ex condito videri possent conspirasse ad fingendum historiam. Præter hæc autem (& hoc cũ Caietano) lubenter in præsentiarum adnotauerim quòd etiã si testes, singulares fuerint de multiplicatis ab eâdem persona eisdem actibus, non debilẽ faciunt fidem: maximè in religionibus, vbi syncera debet esse & plana cognitio criminum: vt si vnus atteſtetur talem commisisse vnum furtum, atque alius eundem commisisse aliud. Tunc enim, licèt de rigore iuris non sit illis fides habenda, tamen in religionibus possent haberi pro indicijs, vt procederetur ad aliquam inquisitionem & ad interrogandum reum ipsum, etiam cum genere aliquo leuis tormenti. Secùs autem in sæcularibus, vbi ad acerbiora supplicia proceditur. ¶ Ad secundum iam reddita est ratio cur in aliquibus causis cumulatiora requirantur testimonia. ¶ Ad tertium autem respondet Sanctus Thomas quòd illud cap. intelligitur de episcopis & reliquis ministris singulariter Ecclesiæ Romanæ. Tribus enim de causis tam ingens testium copia ante eorum cõdemnationem expectatur. Primùm, quia ea debent splẽdêre sanctitate, ac subinde authoritate, vt plus fidei eis adhibeatur quàm testibus multis. Secundò, quia cùm ipsi, iudices sint vniuersæ Ecclesiæ, propter executionem iustitiæ inuidiã contrahunt apud multos: & ideo facilè possent aduersus illos falsa obijci testimonia. Præsentia tempora documento sunt quantas hæretici in Romanam Curiam expuerint blaphemias. Tertia causa est quòd ex illorum condemnatione multum deperiret authoritatis Romanæ Ecclesiæ: quod periculosius esset, quàm aliqua illorum mala citra scandalum tolerare.

Chrysost. Augustin. *Caietanus.* *Ad secundũ argum.* *Ad tertiũ. argumẽtũ. D. Thom.*

ARTICVLVS. III.

Vtrùm cuiuspiam testimonium citra eius culpam repellendum sit.

TERTIO loco dicendum est de testium idoneitate. Quærendum scilicet vtrùm cuiuspiam testimonium sit citra eius culpam repellendum. Et arguitur à parte negatiua. Ad ea quæ sunt reipublicæ necessaria, ac subinde de necessitate salutis præstanda, nemo repelli debet nisi propter culpam: testimonium autem ferre est huiusmodi: ergo ab illo munere nemo reijciendus est, nisi illius sit sceleris notatus. ¶ Secũdo: repulsio testis, aut in pœnam illi decernitur, aut ideo fit, q̃ nõ datur illi fides: pœna autem nemo dignus est nisi propter culpam, neq; ob aliam causam indignus est fide: quia quicunque præsumitur bonus, quoadusque sua ipsa malitia prodat: ergo nullo modo testis refutandus est nisi propter culpam. ¶ In contrarium est can. si testes. 4. q. 3. vbi complures hominum sortes à testimonio ferendo citra culpam suam repelluntur.

Primum argumentum *Argum. 2.*

AD quæstionem respondetur hac affirmatiua conclusione, citato. c. consona. Iure & merito homines à testificandi munere, tam ob alias causas, quàm ob culpam repelluntur. Conclusio hæc, præterquàm iure humano, ratione etiam naturali clarescit. Enimuerò cùm certitudo humani testimonij (vt proximè dictum est) non sit prorsus infallibilis, sed fallentijs multis peruia, consentaneum est vt quicquid testimonij fidem infirmat refutetur. Infirmat autem huiusmodi fidem cum primis culpa, cuius causa infideles atq; infames non admittuntur in testes. Præterea & qui publici criminis rei fuêre. Præter culpam autem sunt & alij defectus probabilitatem testimonij debilitãtes: vt rationis inopia ob quam pueri & amẽtes recusantur, atq; etiam mulieres, nisi in certis casibus. Secundò & causæ quæ plenæ libertati obstant, vt inimici & amici, atq; adeò domestici. Tertiò & humilium cõditio: vt pauperes qui causa leuandæ famis corrũpi possent. Præterea & viles, vt serui. Deniq; latissimè huiusmodi defectus can. citato dinumerantur, videlicet ratione sexus ætatis, criminis, conditionis, aliarumq; huiusmodi causarum. ¶ Circa hanc conclusionem, nõ tam dubitando quàm admonendo quærendum superest vtrùm huiusmodi defectus, quãdo latẽt in teste, liceat litiganti in publicum traducere, quòd testimonium sibi contrariũ vel

Cõclusio responsiua. *Ratio conclusionis.*

infirmet vel prorsus recutiat. Et vt certissimum citra discussionem statuamus,cõstantissimum est neutiquâm crimen falsum licè re testi obijcere,neq; causa seruandæ totius reipublicæ.Nam si mentiri officiosè fas non est,quanto minùs pernicioſè ? Iniquissimus ergo vsus est,& qui in bene morata republi ca non esset ferendus,qui iam tunc temporis in iudicijs est frequens. Nempè dum aduocati flagitia,quæ neq; suspicantur quidẽ, testibus impingunt, dicentes vti iure suo ad suam redimendam vexationem. Cùm tamẽ mos ille plus habeat diabolicæ nequitiæ, q̃ iuris.Fatemur quidem causidicos illos procuratores minimum autoritatis in hac re habere: nam meritissimò in his mendacissimi habentur:nihilo minùs vix inde emergit testis sine lęsione honoris & famę.Et ideo prę ter illam quam irrogant priuatæ personę,in iuriam quoq; inferunt reipublicæ : nam illa ratione deterrentur viri probi, testes esse. Et nonnunq̃ legitimè excusantur, etiam dum à iudice requiruntur: quia nemo cum tanto periculo honoris sui & famæ, tenetur obsequium præstare suum. Quare deberent isti taxatores,quos vocant testium,si in proba-

Dubitatio. tione deficerent, supplicio affici. ¶ At verò de crimine vero,occulto tamen, supereſt du bitandi ratio. Nam qui crimen occultum re uelat(vt lib.præcedenti.q.5.dictum est) licet secundo gradu,nihilo minùs iure infamator

Solutio. habetur,sicuti falsi impositor . Nihilo seciùs respondetur genere suo non esse peccatum, reuelare occultum crimen testis,ob quod iu re repulsam patitur. Nam postquàm id ius cõcedit,licitũ est cuicunq; eodem iuris bene ficio vti.Attamen multæ sunt requisitę cõdi tiones,vt talia detegere crimina, nõ sit chari tati contrarium.In primis requiritur vt reue latio illa sit vincendæ liti necessaria.Quare si crimen non est ex illis quibus iure testimonium repellitur , nefas est illud propalare. Mox libranda est fœditas detegendi criminis,cum detrimento,quod si non detegeretur,dari posset. Nam si in causa exigui momenti immane crimen testis patefaceres,ob quod vel periculum mortis subiret,vel infamis deinde viueret,profecto charitatem gra uiter vulnerares.Tertiò & præcipuè perpendum est,vtrùm testis , vel sua culpa , vel sua sponte se ingesserit:nã tunc æquiùs posset ei crimen suũ opponi,quo os illi obstrue etur. Quando verò , non solùm absque ulpa sua,verùm compulsus testimoniũ dicit, periculosum esset illum infamare: tunc vel maximè quando non tam necessitate quàm ob vindictam id fit. Quartò denique perpendendum est vtrùm quanquàm aliâs improbus sit, probè tamen & candidè verũ fert testimonium. Nam si constaret falsum esse,multò iustius esset,etiam cum eius infamia impudens illi os compescere.

ARgumenta autem quæstionis facilima sunt. Ad primum enim respondetur q illa testimonia sunt penitus reipublicæ necessaria,quæ bonũ habent authoritatis pondus: quod quidem citra culpam alijs etiam defectibus diminuitur.Et ideo qui illos habent,refutantur. ¶ Et per hoc patet solutio secundi argumenti. Haud enim omnis testium repulsa,pœna est,quæ ob culpam infligatur: imò quandoq; est cautela. Ad alterum autem membrum respondetur quod vbi res non vergit in nocumentum alterius, quicunq; præsumitur bonus,dum non probatur malus.Quando verò agitur in tertiam personam,nemini fit iniuria, dum necessària adhibetur cautela.

Ad primi argumẽ

Ad secũdũ argumẽtũ

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm testimonium falsum semper sit peccatum mortale.

QVartum quod in teste cõsideratẽ est culpa,si falsus sit De qua ideo quæritur an semper sit mortalis . Et arguit à parte negatiua . Primò sic.Quãdoq; testis non studio,sed facti ignoratione falsum dicit testimoniũ: ignorantia autẽ excusat à mortali labe: ergo non semper falsum testimoniũ peccatũ est mortale. ¶ Secũdò.Mendacium quod alicui quidẽ prodest,nulli verò nocet, quodq; ideo officiosum appellant, non est mortale:sæpè autem testimoniũ falsum huiusmodi mendaciũ est: Puta dum testis falsitate illa studet quempiam vel à morte libera re,vel ab iniuria, seu iudicis seu aliorum testium : ergo hoc genus testimonium non erit lethale crimen . ¶ Tertiò : ideo iusiurandum à teste requiritur vt timeat peierando mortaliter peccare: hoc autem necessarium non esset si ipsum per se falsum testimonium semper esset mortale : signum ergo est ,circa iuramẽtum quandoq;

Primũ argumentum

Argum.

Argum.

contin

contingere vt sit veniale. ¶ In contrarium est illud Prouer. 19. Testis falsus non erit impunitus: vbi cū sermo sit de punitione apud Deum, culpa denotatur mortalis.

QVæstio hæc secundùm triplicem gradum absurditatis quæ in falso testimonio accidere consueuit, tribus conclusionibus dissoluitur. Consideratur enim & secundùm sacrilegium periurij, & secundùm iudicij iniustitiam, & secundùm falsitatem dicti. ¶ Est ergo prima conclusio. Omne periurium siue in iudicio siue extrà, quantumuis de re sit minima, peccatum mortale est. Nec potest vlla ex causa alleuiari vt sit veniale: quia adducere Deum in testem cuiusuis falsitatis sacrilega impietas est. ¶ Secunda conclusio. Mentiri in iudicio violando iustitiam, etiam citra iusiurandum genere suo est mortale. Verba sunt Sancti Thomę, quibus insinuat opinionem quàm quæstione præcedenti contra Caietan. constituimus: nempè quòd potest mendacium in iudicio esse veniale. Ob id enim adiecit, genere suo, quod potest in indiuiduo esse veniale. Conclusio inde patet quòd præclara iustitiæ virtus est ad salutem necessaria: & ideo qui illam transgreditur, charitatem, in qua salus consistit, auersatur. Quamobrem Decalogi præceptum Exod. 20. sub illa forma constituitur. Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium. Nam testimonium falsum in fauorem proximi, non est mortale: neq; adeò quãdo dicitur vt idẽ impediatur iniuriam facere: quoniam neq; hoc est contra ipsum, sed illud cõtra ipsum existit quod dicitur, vt tollatur ei ius suum. ¶ Tertia conclusio. Mendacium, si aliam non habeat maculam quàm falsitatis, non est genere suo mortale. Patet: quia neq; est contra religionem neque contra iustitiam: & ideo genere suo non expellit charitatem, Teneatur ergo in memoria differentia conclusionum istarum. Omne periurium, non solùm in genere, sed in quolibet indiuiduo est mortale. Mendacium citra iuramẽtum, si sit pernicioſum, genere suo est mortale, sed potest fieri veniale. Iocosum autem & officiosum genere suo non est mortale, potest tamen ex circunstantijs illuc vsque crescere. Quòd si sciscitaris vtrum sit grauius, periurium ne quodcunque extra iudicium, an pernicioſum mendacium citra iuramentum in iudicio: Respondetur ex obiecto grauius esse periurium, vt pote quod aduersatur religioni, quàm mendacium, quod aduersatur iustitiæ. Attamen in indiuiduis pẽsandæ sunt circunstantiæ, quibus potest cõtra simplex pernicioſum mendacium malitia exuperare aliquod periurium.

prima conclusio. *secunda cõclusio.* *D. Thom.* *Probatio cõclusionis.* *Tertia conclusio.* *Quæstio.* *Solutio.*

AD primum igitur argumentum respondet. S. Thom. Primùm quòd nemo debet in iudicio asserendo testificari, nisi id de quo per vigilantem cõsiderationem certam habet scientiam: sed quod sub dubio habet, sub dubio debet proferre. Attamen si post prudentem vigilantiam pro certo id habet, ac subinde asserit, quod falsum est, non ideo mendacij reus habetur: quia non iuit contra mentem, quod nomen mendacij sonat. Quare neq; si iuratus id affirmet, periurus est. ¶ Ex hoc responso elicit Caiet. neq; vllam talis testis subire restitutionis obligationem. Etenim (vt lib. præcedenti dictum est) restitutio, vel ratione acceptionis nascitur, vel ratione rei acceptæ: eiusmodi autem testis ratione acceptionis, in qua culpa nõ infuit, non fit restitutionis debitor. Neq; verò ratione rei acceptæ: quia cùm testis nõ agat causam propriã, id quod alter perdit sibi nõ accrescit. Hoc autem corollarium cum his temperamentis verum est. Primò quòd nulla præfuerit negligentia aut leuitas & temeritas in credendo: nam tunc certè teneretur testis in parte pro ratione negligẽtiæ. Deinde qui omni procul culpa falsus est, quanuis non teneatur de sua substantia restitutionem facere, tenetur tamen dictum suum retractare, si illa via prodesse poterit, vt qui iacturam fecit amissum recuperet: tunc præsertim cùm de vita aut fama agitur alterius. Quin verò licèt iure testis nõ admittatur testimonium retractare nisi in continenti & absq; mora, vt patet extrà, de testibus: cap. præterea. nihilo minùs quia (vt gloss. illic habet) etiam post temporis interuallum robur prioris testimonij retractatione infirmatur: tũc maximè, dum testis bonæ est existimationis, de quo nulla est suspicio, consultò fuisse mentitũ: debet quantocunq; elapso tempore testimonium mutare, si modò intellexerit quòd aliquo pacto poterit famam & honorem alterius resarcire. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, mendacium officiosum adeò genere suo non esse mortale, vt neq; in iudicio tale fiat. Quare dum innocens vel testium calumnijs accusa-

Ad primũ argumẽtũ. D. Thom. *Corollariũ Caietani.* *Ad secũdũ argumẽtũ.*

tur,vel iudicis iniquitate vexatur,dicere contra aliquid veritatem,vt illa via ab iniquo iudicio innoxius eripiatur, nisi iusiurandum interueniat,non est mortale. Et ratio est (vt ait Sanct. Thom.)quia iudicium iniustum, non est iudicium: ideoq; nihil illic contra iustitiam peccatur. Dum autem vniuersaliter ait iudicium iniustum non esse iudicium, non loquitur more stycoq; doctorum iuris, sed sermone philosophorum moralium,qui quicquid vitiosum est, nullum arbitrantur. Iuris enim prudentes non omnem sententiam iniustam pro nulla ducunt. Sententia enim apud illos duplici de causa est nulla, scilicet, vel quia dimânat à non iudice, vel quia errorem continet, tum intolerabilem, tum etiam manifestum. Attamen etiam si non sit nulla,accidit esse iniustam triplici de causa,vt author est Gratian. can. episcopus. 11.quæst.3.scilicet aut ex animo:vt puta quia iudex ex odio procedit:tametsi hoc quidem nisi alia adsit iniquitas, sententiam non vitiat,aut ex ordine: nempè quòd non seruatur necessarius ordo iuris: aut ex causa,nempe dum contra veritatem aut facti aut iuris sententia pronuntiatur. Atq; hæc est essentialis iniustitia : nam reliquæ, accidentariæ sunt. Et quæ dicimus de sententia, quæ terminus est iudicij,idem & de iudicio censendum est. At verò licèt hoc pacto sit sententia iniusta:non tamen(vt dicere cœpimus)censetur subinde nulla, nisi error tum intolerabilis,tum etiam propatulus sit, ideo admonet Grego.câd.cau.& quæst.dicẽs, Sẽtentia pastoris siue iusta siue iniusta timenda est. Ob id scilicet quòd quando error nõ est manifestarius,ad reum non pertinet de illo iudicare. Consideratè ergo perpende duo verba:sententia,&, pastoris. Priori nãq; intelligit quòd non sit intolerabilis erroris: & posteriori quòd sit veri iudicis. Hæc autem omnia in foro iudiciali intelliguntur. Nam in foro conscientiæ,quisquis omni procul dubio resciuerit sententiam esse iniquam, hoc est contra veritatem,potest non parêre:dum id modò citra scandalum faciat. Et ideo sanctus Thomas omne iudicium iniquum censet nullum. ¶ Ad tertium facilè respondetur,quòd ideo stringuntur testes iureiurando, vt maiori percellantur timore. Grauius enim est à Dei religione præuaricari, quâm humanam sauciare iustitiam.

Gregorius.

Ad tertiũ argumẽtũ.

QVAESTIO OCTAua,De iniustitia Aduocatorum.

Sanct. Tho.2.2. quæst.71.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Aduocatus teneatur gratis præstare patrocinium pauperibus in suis causis.

POSTREMA denique persona in iudicio est aduocatus, de quo primò quæritur, Vtrùm teneatur pauperibus gratis patrocinari. Et arguitur à parte affirmatiua. Patrocinium inter alia misericordiæ opera connumeratur:sed opera misericordiæ gratis debent impendi, secundùm illud Exod.23.Si videris asinum odientis te iacentem sub onere,non præteribis:sed sublenabis cũ eo: cùm tamen molestiùs premitur pauper lite contra ius sibi cõflata, quàm asinus onere. ¶ Secundò accedit autoritas Gregorij,qui inter suas homilias exponens locum Euangelicum Matthæ.25.de talento quod seruus nequam subtùs terram infoderat,ait: Habens intellectum, curet omninò nè taceat: habens rerum affluentiam,à misericordia nõ torpescat: habens artem qua regitur,vsum illius cum proximo partiatur: habens loquendi vsum, apud diuitem pro pauperibus intercedat. Hæc enim omnia talenti nomine reputantur: talentum autem abscondere culpa est,vt de pœna ipsa deprehenditur quam seruus ille pertulit: ergò patrocinium est in præcepto. ¶ Tertiò, præcepta misericordiæ sunt affirmatiua, quæ idcirco loco & tempore obligant quo calamitas ingruit: necessitatis autem tempus in paupere est quoties iniuria opprimitur, ergo tunc aduocatus tenetur suo patrocinio illi adesse. ¶ In contrariun autem est quòd necessitas cibi non est minor q̃ illa qua pauper in iudicio vexatur: non autem semper tenetur dives cibo pauperi subuenire, ergo neque patronus suo patrocinio.

Primum argumentum partis affirmatiuæ

Argum. 2. Gregorius.

Argum. 3.

SIcuti de accusatore quæsitum est vtrùm de iustitia teneatur quandoq; accusare:& de teste

de teste vtrùm teneatur testificari: ita & de aduocato operæ pretium est scire an officio misericordiæ teneat fauore suo miseris suppetias ire. Ad quam vtique quoniam gratis pauperibus patrocinari vnum est eleemosynarum genus, perinde respondẽdum est ac de alijs misericordiæ officijs de quibus diuus Thomas.2.2.q.32.disputauit. Est ergo conclusio quæ sola quæstioni sufficit. Aduocatus non semper causæ pauperum patrocinium suum gratis præstare tenetur: sed tunc dũtaxat cùm nõ in promptu apparet quomodò ei possit aliter subueniri. Probatur cõclusio. Præceptum misericordiæ, vt modò dicebamus, est affirmatiuum: obligat ergo non pro semper, sed miseria id inopis exigẽte: igitur vbi in promptu est vt possit aliter pauperi succurri, non te præceptũ constringit, sed consilium admonet. Eò potissimùm quòd ad impossibile nemo obligatur: & nemo potest omnibus opem ferre: licèt sit consilium dum potes, alium benefaciendo præuenire. At verò vbi non est in promptu per viam aliam subuentio, tunc extrema censetur necessitas, atq; adeò obligaris. Vnde Augustinus in princip. de doctrina Christiana Cum omnibus, inquit, prodesse non possis, his tibi potissimùm consulendũ est qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus cõstrictiùs tibi tanquàm quadam sorte iunguntur. vbi rationem reddit cur omnibus nõ tenemur: nempe quia non possumus. Mox affirmatiuum præceptum suis qualitatibus circunscribit vt sit obligatoriũ. Primùm ratiõe loci: quia non teneris quęritare quibus benefacias, sed occurrentibus auxilio adesse: secundùm illud citatum Exod.23. Si occurris oui aut asino vicini tui erranti, reduc eum. Secundò etiam addit rationem temporis: quia nõ teneris prospicere in futurum cautis pauperum, sed in præsenti eis opitulari: secundùm illud.1.Ioannis.3. Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera, &c. Subiungit autem Augustin. vel quarumlibet rerum opportunitatibus: quia dum homo omnibus non sufficit, illis citius opem debet qui sibi sunt aliqua necessitudine coniũcti: secundùm illud.1.ad Timoth.5. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit. Duo ergo requiruntur ad præceptum charitatis: priùs vt hę circunstantiæ conueniant: posterius vt non sit in promptu via paratior subuentionis.

S. Thomas.
Cõclusio responsiua.
Probatio.
Augustin.
Duo requisita ad præceptũ charitatis

Et quod de aduocato affirmatur, de medico pariter cẽsendum est: ac de alijs perinde qui misericordiæ officio leuare ærumnas possunt, miserorũq; necessitatibus opitulari, siue publicis siue priuatis. ¶Primùm autem circa hæc dubium existit, quomodò intelligatur excusatio hæc præcepti, quando in promptu apparet quomodò alteri necessitati subueniri possit, vtrùm satis sit vt tu excuseris, alios esse qui necessitatem intuentes & meliùs quàm tu possunt, & arctiori vinculo tenẽtur. Sic enim vulgus existimat: quare passim audias hoc sese pacto excusantes, Est talis qui meliùs facere potest ac debet: cur igitur ego tenear? Respondetur nihilo minùs istis eiusmodi physicas potentias & naturales obligationes, nisi adsit actus, non excusare reliquos qui succurrere possunt. quid enim misero prodest quòd multi possint & debeant, si occurrit illi nemo? Verba ergo hæc, si in promptu appareat aliter subueniri posse, intelligenda sunt in proxima aptitudine ad opus: scilicet vt credas re vera absque te subuentum iri statim per alios.

Primum dubium.
Responsio.

Alioqui si tu non facis, aliorum culpa tuam non excusabit. ¶Sed alterum deinde hic restat dubium. Videtur enim D. Thom. nõ satis rei fecisse: loquitur inquã de extremã necessitate, nihil autem de graui: & tamen dubium est vtrùm citra extremam teneatur etiam aduocatus patrocinari pauperi in graui necessitate, aut medicus etiam infirmum curare. Et quidem Caietan. in præsentiarum solam extremam necessitatem arbitratur secum afferre præceptum obligans ad mortale. Distinguit enim tres gradus: Primum extremæ necessitatis cui sub mortali culpa succurrendum est. Secundum necessitatis grauis citra extremam: cui non occurrere venialis inquit culpa est. Leuioribus autem succurrere consilium est: sed illas prætermittere nulla est culpa. Mirandũ est tamen quomodo sui ipsius fuerit oblitus: nam. 2.2.q.32. arti.5. legitimè diuum Thomam interpretatus duos cõfessus est casus præcepti eleemosynæ sub mortali: videlicet necessitatem extremam de necessarijs, & grauem de superfluis. In cuius confirmationem tractatum posteà composuit de eleemosyna: vbi eandẽ sententiam adstruxit necessariam esse concessu. Ioannes nanque non tantum de extrema loquitur, sed de vrgenti necessitate. Qui viderit, inquit, fratrem suũ necesse habere, & clauserit viscera sua, &c. Viscera enim quę

Dubium secundum.
Caietanus.
Caietanus. sui ipsius oblitus

sola extrema necessitas aperit, ferrea sunt & obstrusiora quàm sinit charitas. Igitur non est dubium quin perinde atque in alijs eleemosynis in patrocinio locum etiam habeat grauis necessitas, vt in loco citato ait sanctus Thom. quod rectè Syluester agnouit in verbo, aduocatus. §. 28. Ecquis enim dubitet, quin si inopis hominis omni fauore destituti citra periculum vitæ periclitaretur, honor aliáve illi ingrueret vrgens calamitas, tenere tur & patronus suo illi adesse patrocinio. Et pariter medicus quãuis nõ immineret ægroto periculum mortis. ¶Hoc autem verum est quòd cũ in graui necessitate non sit præceptum nisi de superfluo, pẽsenda est & necessitatis grauitas, & aduocati aut medici possibilitas. Et quidem grauitas ex obiecto perpenditur: periculum enim præsentissimum vitæ extrema necessitas est. Et quanquam nõ esset tam certum periculum mortis, posset esse grauis necessitas: vt in infirmo graui tento infirmitate: & si cui grauiter periclitatur honor & fama. Superfluum autem in aduocato, quatenùs aduocatus est: sicuti & in medico: est tempus quod sibi supereſt. Haud enim ad succurrendum grauibus casis citra extremam tenetur horas succidere quas in alenda sua familia collocare eget: sed satis fuerit si sit diues qui non tanto tempore pro se eget, vt quod sibi supereſt, causis pauperum impendat. Si non omnibus illis potiùs quæ grauiora sunt. Nam inde quòd scientiæ locuples est, tenetur partem etiam impartiri egenis: sicuti si alijs diuitijs affluret. Qui enim inuisos habet pauperes, non est cur sit in conscientia securus: quia neque est in tuto. ¶Et per hæc clarent argumentorum solutiones. Qui enim iumentum sub onere iacens obuium habet, videt suam opem esse illi necessariam, cuius ideo sit inde debitor. Et pariter ad Gregorium respondetur, quòd talentum abscondere est, vbi necessitas occurrit, auxilium subtrahere. Et quantum ad tertium attinet, iam exposita, est illa quæ obligat necessitas, atq; illa quæ sub consilio militat.

Solutio proximi dubii.

D. Thomas. Syluester.

Ad argumẽta partis affirmatiuæ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm meritò sint aliqui ab aduocationis officio arcendi.

POST hæc quæritur de aduocatorũ qualitate & dignitate, vtrùm aliqui sint tãquã inidonei ab hoc officio abigẽdi. Arguitur enì à parte negatiua: ab operibus misericordiæ nemo arcendus est. ¶Secũdum. Eiusdem effectus neutiquã incongruè assignantur diuersæ causæ: vacare autẽ sacris & peccatis sordescere, contraria sunt: incongruè ergo ab hoc officio arcẽtur ex vna parte infames, atque ab altera clerici. ¶Tertiò. Quisq; tenetur proximum sicut seipsum diligere: nemo autẽ cohibetur propriã defendere causam: ergo neque cohiberi vllus debet tueri causam proximi. ¶In contrarium autem est quod infames & excommunicati repelluntur ab hoc officio: vt patet 3. q. 7. cano. infames. & etiam monachi, nisi de licentia Prælati in causis pijs. 16. q. 1. ca. monachi. & extrà, de postulatio. c. exparte.

Primum argumẽtum.

Secundum.

Tertium.

AD quæstionem supposita distinctione duabus conclusionibus respondetur. Bifariàm enim quis potest à munere aliquo repelli, scilicet aut propter impotẽtiam aut propter indecentiã. Sed differũt quod impotentia simpliciter excludit hominem, indecentiaverò non item: quia potest per necessitatem quod indecens erat fieri condecens. Est ergo prior conclusio. Qui potẽtia caret aduocandi neutiquam patrocinari potest si ue potentia desit in sensu interiori, quales sunt furiosi, qui sanũ non habent sensum, atque impuberes, qui ipsum nõ habẽt integrũ ac solidum: aut in exteriori, sicuti sunt surdi aut muti. Requiritur enim in oratore primùm mens non solùm sana, verùm etiam extructa ad iudicandum: & deinde cùm causæ in foro exteriori agantur, instrumenta ad exprimendum conceptus. ¶Secunda conclusio. Duplex est qualitas quæ in aduocato existens, nisi necessitas adsit, indecentem facit aduocationem. Prior est dignitatis excellentia. Posterior verò orbitas aliqua aut defectus. Excellẽtia inquam dignitatis indecẽtes reddit sacerdotes, & maximè monachos vt in foro versentur. Qui enim sunt sacris ministerijs mãcipati, orationiq; perinde & cõtemplationi addicti, eos minimè decet ad sæculares causas demitti: quæ & impedimẽto illis sunt nè possint spiritualibus vacare: & autoritatem diminuũt, atque offuscant, nè pro sua conditione & statu in honore

Distinctio.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

nore & existimatione habeantur. Orbitas autem aut corporalia esse potest & naturalis, aut quæ ex peccato proficiscitur: corporalis inquam vt cæcitas. Nam qui cæcus est, non est ad dicendum aptus. Nemo enim acrimoniam habere potest nisi eos videat cũ quibus loquitur. Nam per oculos & concionis attentione excitatur orator: & per eosdẽ spiritus quoque remittit quibus vegetatur oratio. Loquitur enim de oratore qui voce causas agit. Nam in illis qui scripto respõsa dant non tantùm officit oculorum orbitas. Fœdior autem ac nocentior est qui corruptis moribus sordescit. Qua ratione repelluntur infideles hæretici, excommunicati, atque infames, qui grauioribus criminibus maculati sunt. At verò, vt in cõclusione adiectum est, ingruere potest necessitas qua eiusmodi decentia compensetur. Quare & monachi pro suis ecclesijs, atque alij pro seipsis & sibi coniunctis, aduocationis officio fungi possunt. ¶Primũ ergo omniũ in præsentiarũ animaduertẽdum est, quanta in aduocato requisita sit dignitas: quæ certè paulò minor desideratur quã in iudice. Vnde cùm in alijs cunctis actibus atq; officijs præscientiæ copia requiratur morũ probitas, in oratore potissimùm atq; in aduocato etiam philosophi id singulariter exigunt. Quare in descriptione Oratoris priùs ponunt, Vir bonus, ac subinde dicendi peritus. Debet enim patronus cum primis summa fide cliẽtis curam suscipere: deinde cauere nè parti aduersæ iniuriam inferat, ac demum ea pollêre autoritate, vt non tantùm iuris prudentia, verùm & morum præcipuè integritate fidem sibi arroget. Nam prauis, vt ait lib. 12. Quint. etiãvera dicẽtibus fides deest: videtur q; malus aduocatus malę causæ indicium & argumentũ. ¶Interrogatio autẽ hîc existat theologica, Vtrùm dum quis se contra ius in hoc officium insinuat peccet mortaliter. Respondetur quòd si defectus non multùm ad rem referat, non est mortale crimen: imò potest fieri etiam citra veniale. Vt si mutus scripto consulat & emendatus infamis, si tamen absque vlla iuris peritia & negotiorum experientia ingereret sese, non esset à mortali culpa immunis: quãdo quidem in illo periclitarentur causæ sibi concreditæ.

Munus oratorũ.

Quintilianus.

Interrogatio theologica.

Responsio.

Ad primũ argumẽtũ.

AD primũ igitur argumẽtũ respõdetur, non omnia opera misericordiæ omnes decêre. Imò si indocti ad docẽdum prodirent, & stulti ad consulendum, & inexperti medici ad medicãdũ, & infames ad corripiẽdum, potiùs pestilentes haberẽtur quã misericordes. ¶Ad secundũ respõdeꝛ quod sicut virtus inter duo extrema constituitur, ita & patrocinandi muneri alij per excellentiam non sunt apti, atque alij per defectum. ¶Ad tertium autem respondetur quòd necessitas non incumbit tanta succurrendi alienis negotijs quàm proprijs: & ideo infames admittuntur in causis proprijs & non in alienis.

Ad secundum.

Ad tertiũ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm aduocatus delictum sit iniustam causam defendere.

POST aduocati dignitatem sequitur de idonea aduocandi forma: nempe vtrùm licitum sit causam iniustam defendere. Haud enim desunt à parte affirmatiua argumenta. Etenim sicuti laus medicæ artis inde maximè relucet quòd desperatos morbos medicus sanet: ita & aduocatus inde præcipuè cõmẽdari assolet quod infirmas causas propugnat. ¶Secundò. Si causam propter iniustitiam deberet deserere, non eò punirẽtur aduocati quod causas perdunt: puniuntur autem tanquàm prẽuaricatores, qui diuersam adiuuant partem: vt patet cap. si quem pœnituerit. 2. q. 3. ergo licitum est suscepta causam contra iustitiam defendere. ¶Accedit tertiô quòd maior illic apparet culpa, vbi causa iusta iniustè defenditur: puta dum vel falsi producuntur testes vel leges allegantur falsæ: quàm iniustã causam via regia defendere: licet autem aduocato astutijs vti ac technis, sicuti militi ex insidijs pugnare: ergo iniustam causam protegere non est prorsus nefas. ¶In contrarium autem est reprehensio illa. 2. Paralip. 19. Impio præbes auxilium: & idcircò iram Domini merebaris.

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

AD quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior est. Aduocatus qui sciens & prudẽs iniustam causam defendit, tum mortaliter contra iustitiã peccat, tum perinde ad restitutionẽ tenetur. Probatur. Qui ad malum cooperatur, eiusdem est iniquitatis reus, atq; ipse qui facit: secundùm illud Pauli, ad Roma. 1. Digni sunt morte, nõ solùm

Prima conclusio.

Probatio.

Paulus.

solùm qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt: aduocatus autem & consilio & fauore cooperatur ei qui iniustam litem gerit: quin verò ipse est qui litem nutrit: ergo mortaliter peccat: ac subinde cùm peccatum sit contra iustitiam, nempe in nocumētum alterius partis, ad restitutionem obligatur.

Postrema cõclusio. ¶Posterior conclusio. Qui per ignorātiam, iniustam tuetur causam, excusari pro ratione ignorantiæ potest, tam à culpa quàm à restitutione. Conclusio in omnibus materijs

Dubitatio. clara est. ¶Emergit autem ex priori conclusione dubitādi occasio de causa dubia. Vtrū aduocatus suscipere eam causam possit ac subinde defendere, quæ iudicio suo anceps est. Et quidem si in æquilibrio dubitatio pēdeat, in promptu est affirmatiua responsio: quoniam iurisprudentis munus non aliud est quàm legum sensa bona fide ad alterutram partem applicare. Imò hinc omnes lites pēdent quòd res aut iure aut facto in dubio versantur. Sed ratio dubitādi potissima est, vtrū etsi aduocatus intelligat aduersam partem maiorem habere iuris energiam, pos

Argumētū sit eam quę minoris est probabilitatis defensare. Apparet nanq; id nō esse licitum: quoniam videtur nihil aliud quàm iniquitas iudicem in eam partē inclinare & trahere, con

Solutio. tra quā pronuntiare deberet. ¶Respondetur nihilo minùs sub distinctione. Quādo enim est causa mortis, aut sanguinis, aut vbi honor alicuius periclitatur: tunc actori contra reum patrocinari, nisi minimum tanta vigeat probabilitate accusatio, quanta defensio, profectò ingēs esset scelus: quoniam melior est conditio possidentis: maximè in fauorem honoris & vitæ. Ac ferè idem est cùm quis reus sit vt de sua deturbetur bonorum omnium possessione. Imò in hisce casibus, potissimum causa capitis, nisi reus pernicio sissimus haberetur, pium esset eius suscipere patrocinium, etiam si eius causa minoris esset probabilitatis: dūmodò nulli fraudi pā deretur locus. In causis autem minoris momenti, tametsi vix absque periculo possit infirmior causa defendi ac debilior: tamen si ad rigorem conscientiæ loquamur, non est cur omninò condemnetur: dūmodò patronus clientem in primis suum admonitū curet, iustitiam non tam ei quàm alteri parti arridere: deinde nulla prorsus vtatur falsitate: leges scilicet aut cōmentitias allegando, aut falsè interpretando, sed illis semper vtaī, qnæ causæ suæ suffragantur: reliqua verò subticeat argumenta, quæ à parte contraria militant. Et ad argumentum in contrarium

Ad argumentum. respondetur, quodvnicuique licitum est ius suum absq; vi & fraude experiri & persequi. Et ideò cū patroni munus sit suo clienti fauere, nemini iniuriam facit si merita suæ causę patefaciat. Altera verò pars sibi viderit, cui patrono suam concredat causam: & iudex etiam sibi, vt quadratus stet, nè in partem nutet infirmiorem. Tametsi vt dicebam similium causarum defensio non caret periculo adulterandi leges.

Ad primū argumentū principale. AD primum igitur argumentum respondetur disparem esse medici atq; aduocati rationem. Medicus nāq; qui desperatum morbum curandum suscipit nemini iniuriā irrogat, scilicet neq; tertio, neque verò infirmo, si ipse consentit. Aduocatus autem qui vnam partem sic propugnat vt alteram expugnet, licèt scientiæ laudem mereatur, est tamen secundùm voluntatem iniquus.

Ad secundum. ¶Secundum autem argumentū de illo qui bona fide causam suscipit, quam post constatā litem intellexit esse iniquam, abditionis est ambiguitatis. Respōdet enim S. Tho. ꝙ non debet eam prodere vt alteram partē iuuet secreta iniustæ causæ retegendo: esset enim tunc præuaricator, iuxta ca. si quem pœnituerit. 2. q. 3. quē iam expositum: sed debet eam dissimulanter deserere. ¶At verò

Ratio in solū. Thom. solutio hæc ansam contra se affert arguendi. Si enim quis accusatori patrocinaretur contra aliquem in causa capitali, quem decurrē te causa euidenter nosset esse innocentem, teneretur causam prodere, vt eum à morte liberaret. Imò verò agere testem eius innocentiæ, & transire ad defendendum eius causam. Nam innocentia tanto potitur iure, vt etiam iudex, vt suprà dicebamus, cui illa esset cognita, ad id ipsum teneretur, nedū aduocatus. Conceditur ergo huius argumenti conclusio. Nec sanctus Thomas loquitur nisi in communi ordine & stylo iuris. Quin

Mens. S. Thom. etiam si causa in re grauissima versaretur, quæ paulò minoris æstimaretur quā mors.

Vt si quæstio esset de celeberrima fama & honore statuq; alicui illustris, idē pro meo captu censerem. Hoc sub aliorum censura dixerim: dummodò aduocatus non sub dubio id nosset, sed certissima scientia. Et præterea dum id posset facere absque scandalo, & præmissa fraterna admonitione, qua id comminaretur accusatori, nisi desisteret. Et

dando

dando quam posset operam nè accusatoris vita periclitaretur. Sed tamen si vsque adeò ille nequam desiperet vt resipiscere renueret, profectò cum eius periculo id posset facere. Imò si citra suum ipsius detrimentum id posset, arbitror teneretur. Et vice versa illi qui reum mortis defenderet, quanuis nosset iniustè se protegere, neutiquā liceret causam eius prodere: licèt deberet deserere causam, si nullo eum colore tueri posset.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm licitum sit aduocato pretio patrocinari.

SEquitur deinde de stipendio patroni, vtrùm sit licitum. Arguitur nanque à parte negatiua. Opera misericordiæ non sunt intuitu humanæ retributionis exhibenda: secundum illud Luc. 14. Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque vicinos diuites, nè forte ipsi te reinuitent. patrocinari autem vt articu. 1. dicebamus, officium est misericordiæ ergo gratis est impendendum. Eò potiùs mùm quòd est spirituale opus: & spiritualia non licèt temporalium æstimatione tribuere. ¶ Secundò arguitur. Iudici, quia persona est necessaria in iudicio, non licet quidpiam ad alterutra parte litigantium recipere, vt Augustinus ait contra Macedo. & refertur. 14. q. 5. can. non sanè. aduocatus est etiam necessaria persona: ergo neque illi id licet. ¶ In contrarium est ibidem Augu. vbi ait quod aduocatus licitè vendit iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium.

Primũ argumẽtũ par tunegatiuæ

Secundum.

Augusti.

AD quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior. Licitum est aduocato suum patrocinium pretio æstimare. Facilis est ex superioribus eius collectio. Nam quæ hominis propria sunt, neque alteri de iustitia debet, citra iniuriam potest vendere: quia nemo quæ sua sunt gratis donare tenetur. Scientia autem iurisperiti, & aduocati solertia & prudentia, sunt propria ipsorũ bona, sicuti & scientia medici & cuiusuis doctoris alius facultatis: neque illa rigore iustiæ semper alijs debet: ergo tunc poterit pretio illa æstimare ac venditare. Posterior conclusio. Si quis istorũ per improbitatem aliquid vltra modum extorqueat, mortaliter peccat: idq; contra iustitiam. Patet conclusio in primis autoritate Augustini eodẽ loco: vbi ait quod ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent: data verò per tolerabilem consuetudinem non solent, scilicet repeti. Et ratio deinde est in prõptu: nã eiusmodi officia pretio sunt æstimãda: in his autem quæ pretio penduntur excessus pretij iniustitiam operatur. Cui quidem rationi applaudit lex etiã ciuilis. C. de postul. l. si qui. ¶ Circa priorem autem conclusionem dubitas forsan quomodo sit æstimandum huiusmodi patrociniorum pretiũ vtrùm consistat in indiuisibili, an potiùs latitudinem permittat vt possit quisque paciscì quantum velit. Arguitur enim quòd tantum cuique petere liceat, quantum exprimere valuerit: quoniam re vera scientia hominis est sicut margaritum quod nullo certo æstimatur pretio, sed pro voluntate contrahentium. Imò omni est magarito pretiosior. secundùm illud Prouerbi. 16. Pos side sapientiam: quia auro melior est. ¶ Respondetur nihilo minùs aduocatorum pretium, perinde atque aliarum rerum duplex esse: vt libr. 6. dicturi sumus: scilicet & legitimum, & naturale. Legitimum inquam quod lege taxatum est: consueuerunt enim lege taxari mercedes operarum ministrorum iustitiæ: videlicet tam scribarum, quàm aduocatorum, atque aliorum vt scilicet pro tali scripto tantum eis pendatur pretium: & pro tali, tantum. De quibus vtique pretijs dubitari non licet, quin sit peccatum iniustitiæ quidquam vltrà ex pacto suscipere: & qui plus percipit, ad restitutionem tenetur. Si lex modò sit vsu recepta, neque annuẽte principe abrogata. Quoniam vt lib. 1. dictum est, leges obligant conscientiam, atque illæ potissimùm quæ de rerum æstimatione iusta causa ferũtur. Et est profectò iustissima, patrocinijs præstandis responsisque ferendis mercedes lege publica statuere. Alioqui cùm litigantes ab vna parte pudor suffundat, si parum conferant: ab altera verò vincendi auiditas extimulet: non possunt non esse immodicæ. Qua vtique ratione vsu maximè fieri solet vt lites nutriantur: & vtrauis pars vincat, maior tamen sortis portio causidicis obtingat. ¶ At vero quãdo mercedes nõ sunt lege constitutæ, quia neque omnes commodè possunt: tunc supereſt dubitandi ratio, vtrùm iuris consulto quãtum exprimere potuerit exigere

Prima conclusio.

Ratio cõclusionis.

Vltima conclusio.

Probatio cõclusionis.

Dubium.

Solutio.

Scrupulus

exigere liceat. Tunc enim militare videtur argumentum quod suprà fecimus de rebus pretiosis, quæ tanti stant quanti vendi possunt. ¶Respondetur nihilo minùs id non esse licitum. Nam rerum, vti lib. eodem. 6. dicturi sumus, aliæ sunt non simpliciter ad vsum humanum necessariæ: quæ idcircò licèt tanti æstimentur quanti vendi possunt, nõ vergit in reipublicæ perniciem. Sed aliæ sunt humano vsui omninò necessarię: vt frumentum, vinum, lana, &c. quæ citra iniuriã distrahi nequeũt nisi iusto pretio, pro ratione tẽporum, & locorum. Atq; huius generis sunt forensia munera. Quare optimè ait Augustin. quod extorta per immoderatam improbitatẽ repeti solent. Improbitas enim si non dicat nisi instantiam petendi, non continet iniustitiam: sed quãdo est immoderata hoc est excessiua respectu iusti pretij. Et sic est intelligenda posterior nostra conclusio. ¶Quocircà neq; scriba, neq; aduocatus, quã tũlibuerit, exigere potest. Imò verò neq; recipere. Nam etsi gratis auctiora illa pretia videantur conferri, nunquã tamẽ re vera cõferuntur, nisi coacta voluntate. Sunt fateor pensandi labores, quos studentes ad comparandã iuris peritiam exhauriunt, & quos faciunt sumptus, & præ omnibus ingeniũ eorum & scientia: sed tamen cum moderamine, habita qualitate & quantitate causæ, & litigantium possibilitate. Neq; verò audienda corũ sunt hæc obtendicula. Aiunt enim non posse aliter suum sustentare statũ, cùm tamen status eorum & cõditio non sit ipsorum iudicio æstimanda, qui illas sibi vsurpant fastuosas pompas. Si enim scribæ & vestitu & vestitu nobilitatem præ se ferre contendant, & aduocati illustrium statum: non debent illos splendores miserorum sumptibus sustentare. ¶Vnum autem prouidenter iure cautum est, nè aduocatus de quota litis paciscatur: scilicet de medietate, aut de tertia, aut de duabus tertijs, &c. vt habetur C. de postulati. l. si qui. & illic Bartol. & l. item. C. de procura. & l. sumptus. ff. de pact. Et fuit optima ratio legis: nam illa via inserperent fraudes & technæ, quas aduocatus vt vinceret excogitaret. Imò verò eâdem ratione, quicquid nonnulli Glossatorum in contrarium mussitent, neque licet paciscí de aliqua certa quantitate sub conditione victoriæ, quæ sit tanquàm honorarium. Nã eadem omninò offerretur tunc nefandis fraudibus occasio. Sed tantùm licet paciscí absolutè de tanta quantitate, in vtrãuis partem euaserit causa.

Solutio.

Augustinus

Aduocatus nõ potest paciscí de quota litis

AD primum igitur argumentum iam sæpe responsum est. non quicquid homo potest, facere debere per misericordiã: sed hoc tantùm nos admonet Euangelium, vt eorum quæ per misericordiam exercemꝰ à Deo solo expectemus mercedem. Quare vbi causa pauperis te cogit ei patrocinari, id debes solo diuino intuitu facere. Non tamẽ vt suprà diximus, tenemur semper ad talia opera: sed vendere suum potest homo patrocinium. Nam etsi scientia res sit spiritualis ratione subiecti, non tamen illius est generis spiritualium quæ gratis accepimus, gratisque debemus: imò nostro sudore & vigilijs parta nobis est, vt lib. 9. sub titul. de simo. liquidius fiet. ¶Secundum argumentum discrimen petit inter iudicem, testem, & aduocatum. Nam cùm singuli istorum veritatem prorsus tueri debeant, perinde scilicet aduocatus vt reliqui, nulla apparet ratio cur huic potiùs quàm alijs pro defendenda veritate liceat mercedem recipere. Est tamen discrimen quòd finis proprius iudicis ac testis est iustum & veritas in communi, sinere spectu actoris vel rei: ob idque ob veritatẽ dicendam neutri illorum quidpiam recipere licet. Scopus autẽ aduocati non est iustũ simpliciter, sed iustum clientis sui, cuius causam omnibus suis viribus protegit, altera neglecta: & ideo non solùm, vt aliqui putant, pro labore, sed pro ipso patrocinio & defensa veritate potest mercedem suscipere: sicut Doctor pro veritate docenda quam dilucidat. Nihilo minùs autem restat & inter iudicem & testem differentia, quòd iudex nõ solùm pro veritate pronuntianda nihil potest à litigantibus percipere, quia est communis vtrique: sed neque pro labore & studio id sibi licet, sed respublica debet illi prouidere tanquàm personæ publicæ. Non quod iure naturæ id sit prohibitum, imò si nullus existeret metus nè intuitu pretij in alterutram partem corruptus propendêret, ius naturæ non prohibet quin possit à litigantibus aliquid recipere, sed propter talem metum iure ciuili cautum est, vt ærario publico sustentetur. At verò testis quia non est vsque adeò persona publica, sed citatur ab illa parte cui interest, quanuis pro veritate dicenda nil possit recipere, quia cuicunq; parti debet eam syncerè proferre: tamẽ pro labo-

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secundũ

Discrimẽ inter iudicẽ ac testẽ et aduocatũ quãtũ ad recipiẽdam mercedem protela veritatis.

labore suo recipere potest pretium ab eo à quo citatus est. ¶Cùm autem iudici negamus quicquam recipere posse, inficias non imus quin pro subscriptione aut citationis aut sententiæ quidpiam ei constitui lege posit. Hæc enim meditatio non est præsentis loci.

QVAESTIO NONA, de contumelia.

Sanct. Tho. 2. 2. quæst. 72.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm contumelia consistat in verbis.

EXpeditis verborũ iniurijs quæ forẽsi iudicio accidere solent, progrediẽdum nobis est ad illa etiam iniuriosa verba quæ extra iudicium vsu veniũt. Quæ riẽ ergò primò de contumelia, vtrùm consistat in verbis. Arguitur enim à parte negatiua. Contumelia nomen est nocumenti: verbo autem nullum nocumentum videtur inferri, sed factis potiùs læditur vel persona vel honor eius: ergo contumelia non in verbis, sed in factis contingit. *Primũ argumẽtum.*

Secundum. ¶Secundò dehonoratio quæ verbis fit, suũ habet peculiare nomen vituperij & conuitij: hæc autem à contumelia differre videntur: ergo contumelia non cõsistit in verbis. ¶In cõtrarium est quòd solùm verbum auditu percipitur: contumelia autem ad aures pertinet: secundùm illud Hierem. 20. Audiui contumelias in circuitu: ergo contumelia est in verbis.

Differentia cõtumeliæ et detractiõis. QVinque sunt capitales iniuriarum species verbalium extra iudicium: nempe contumelia, detractio, susurrus, irrisio, & maledictio. Contumelia autem & detractio primò per se differunt ex obiecto: Contumelia enim est iniuria quæ contra honorem alterius fit: Detractio verò est famæ læsio. Differunt nãq; honor & fama, quòd honor est reuerentia alicui propter aliquam excellentiã ac potissimùm propter virtutem exhibita. Fama verò, vt habetur in glo. c. vestra. de cohabit. cler. & mulie. est illęsę dignitatis status, vita & moribus cõprobatus. Vel si cum theologis ac philosophis loquamur, est clara illa notitia quam alij de nobis habent. Itaque esse potest honor sine fama, & è diuerso. Exhibetur enim reuerẽtia magnati quandoq; propter sanguinis excellentiam, cuius tamẽ morum siniſtra habetur existimatio. Ac vice versa esse solent priuati viri in angulis latitãtes, honoribus orbi: quorum tamẽ vitæ clara habetur opinio. ¶Hoc præiacto discrimine ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior. Contumelia propriè loquendo in verbis consistit. Probatur. Contumelia, vt modò dicebamus, idem est quod dehonestatio, reuerentiæ contraria, quæ honori exhiberi solet. Honor autẽ dupliciter alicui tollitur. Vno modo, vt si dicamus mediatè: puta dum id quod honoris causa erat, submouet. Qui enim diuiti substantiam, cuius solius gratia honor illi habebatur, surripit, honorem eius contenebrat. Sicuti qui sapientia scientiam læsione cerebri aufert. Nam exinde incipiunt illi minoris haberi. Quapropter ille solus honor verus est, qui virtuti debetur: quippe qui ex nulla extranea causa præterquam ex Deo dependet, Eiusmodi autem dehonorationes non faciunt propriam speciem, sed referuntur ad alias iniurias: puta ad furtum, homicidium, & reliqua. Secũdo autem modo auferẽ alicui honor directè & propriè. Et hoc fit dum quis quidpiam in notitiam alicuius deducit quod eius honori officit. Nam sicut honor excellentiæ debetur, ita & turpitudinis notitia causa est dehonorationis: atq; in hoc propriè ratio contumeliæ consistit. Deducere autem aliquid in notitiam alterius, pertinet ad rationem signi: & cùm secundũ Augustũ 2. de doctri. Christi. verba, inter homines primas partes significandi obtinuerint: sunt enim secundùm Aristo. 1. Peri. earum conceptionum indicia quæ sunt in anima, consequens fit vt ratio contumeliæ propriè in verbis inueniatur. Vnde Isidõrus in suis etymolo. Contumelioſus, inquit, ille dicitur qui velox est & tumet verbis iniuriæ. Allusio enim vocum est, tumet, & contumelia. ¶Posterior conclusio. Contumelia extenso nomine etiam in factis posita est, qua tenùs rationem habent significãdi. Hoc patet: quia & rebus ipsis, vt illic docet Augustinus, conuenit signa esse aliarum rerũ. Quapropter & factis potest quis alterius vitium patefa-

Prima conclusio.

Probatio.

Augustin.

Aristot

Isidorus.

Postrema cõclusio.

Probatio Augustini.

Glossa. patefacere. Vnde super illud ad Rom.1. Contumeliosos, superbos, &c. dicit gloss. contumeliosos illos esse qui dictis & factis contumelias & turpia inferunt. Hinc fit nullum factorum, quatenùs res sunt, rationem habere contumeliæ, sed quatenùs vim habent significandi. Dum enim quis fores alienas effringit furandi animo, non contumeliosus, sed latro est. Si autem id in vituperium & vilipendium domini conetur, fit contumeliosus. Significat enim re illa dominum flocci pendere. Pariter si quis fuste agasonem cædat, non animo dehonestandi sed feriendi, non perinde contumeliosus est atque si nobilem pulsaret: nō vt dolorem incuteret, sed vt auferret honorem. Et eâdem ratione qui vxorem vicini libidinis gratia soliciat, non est formaliter contumeliosus in vicinū suū, sed si id tentaret vt honori mariti officeret.

Designare enim tunc contendit turpitudine illa hominis vilitatem. Enimuerò quantum ad rem attinet cōtumeliæ, non semper exigitur vt vitium quod propalari conditur peccatum sit: quanuis huiusmodi contumelia sit insignior: sed satis est esse vitium generis, aliúsve animi vel corporis morbū, aut quidpiam excellentiæ contrarium ob quam homines honori habentur. Vt si hominem denotes malignè natum, aut ignauum, &c. Neq; verò requiritur vt sis contumeliosus quod hominem infames, vitium eius occultum detegendo: nam etiam si publicum cōcubinarium, aut coclitem, aut sordidè natum sic appelles, contumelia eum afficis: maiore autem si talia illi imponas.

Præter hæc autem factorum genera, sunt alia per seipsa contumeliosa: quia nihil aliud in se habent quàm significationem: vt nasum vel pollicem inter duos digitos demonstrare, aut linguam inter dentes. Significabant enim hæc, vt fertur, Romanis fœdissimum vitium. *Scisscitatio.* ¶Hæc autem contumeliæ descriptio occasionem offert sciscitādi, vtrū ad eius rationem necessariū sit vt verba aut facta in præsentia alterius fiant. Apparet enim id esse necessarium. Nam hoc differunt contumelia & detractio, quod illa vim secū affert & contemptum, hæc autem ad fraudē inclinat & dolum: illa ergo fit in præsentia palàm: sicuti hæc clàm in absenti. *Ratio alterius partis.* *Solutio.* ¶Respondetur perinde differre contumeliā à detractione ac suprà de rapina & furto differebamus. Contumelia enim quia cōtemptum significat, & reuerētiæ quæ in præsentia fit aduersatur, ingenio suo in præsentia irrogatur: vel si fiat in absentia non est eò quòd contumeliosus illam celare velit vt detractor: imò ob hoc verba in absentem iactat, vt in eius perueniant notitiam. Quare consultò dixit sanctus Thom. contumeliam esse cùm quis id quod est contra honorem alicuius, deducit in notitiam eius & aliorum: hoc est cùm sua intentio est in faciem tale conuitiū iactare.

AD primum argumentum respondetur quòd verba quatenùs sonus quidam sunt naturalis, neminem lædūt nisi forsan tenerrimis sit auribus: at verò quatenùs signa existunt, honorem & afferunt si sint honesta, & auferunt si sint turpia. Eò quòd honor de excellentia quæ in hominum notitia est ortū habet. Facta autē quatenùs facta sunt, suas, vt diximus, habēt vitiorū species: sed quatenùs signa sunt, proverbis repugnantur. *Ad primū argumētū.* ¶Ad tertium respondetur, per discrimen illud designari solitum inter contumeliam, conuitium, & improperium. Contumeliam enim, qui literarum collusionem cum Isidòro nimirum obseruāt, à cōtumeo deriuari contendunt: cōtumeliosus enim tumens est & turgenti animo inflatus. Quanuis vt Vlpian. vult. ff. de iniu. l.1. à cōtemnendo rectiùs dicatur. Quare sua primæua significatione solùm significat dicti acerbitatem contra honorem alterius: sed tamen ex vsus accommodatione, apud Theologos illam speciem significat qua obijcitur alteri peccatum mortale: vt quòd sit hæreticus, aut latro, &c, conuitium autem latiùs patet: vt sit maledictū quo alteri obijcitur, malū quod uis, seu culpæ, seu pœnæ. Vnde Cicero pro Cœlio: Maledictum, inquit, nihil habet propositi præter contumeliam: quæ si petulantiùs iactatur, conuitium: si facetiùs, vrbanitas nominatur. *Ad tertium Interstitiū inter contumeliam, cōuitium & improperiū Isidorus. Vlpianus.* *Cicero.* ¶Quod autem Labeo apud Vlpian. ff. de iniur. l. Item apud Labeonem. ait: nempe conuitium perinde sonare atque conuicium: quasi plurium coëuntes voces ad maledicta in vnū iactanda: sicuti. 4. Reg. 2. de puerorum vociferatione legitur aduersus Elisæum inclamantium, Ascende Calue: forsan non multùm ad rem pertinet. Non enim, cum, in hoc nomine tam concursum significat plurium, quàm vehementiam: sicuti in, conficio. Et crediderim ex, vitium, componi: cōuitiari enim nihil aliud est q̄ vitijs alterum conspergere. Nisi dicatur à conuitando

Valla. uitando: vt lib. 6. ait Valla. Nam quẽ conuitijs proscindimus, procul à nostro cõtubernio vitam⁹: quasi illũ à nobis per cõtemptũ abigentes. Hæc autẽ ad grãmaticos attinẽt, Improperiũ verò aliã peculiariter speciem cõuitij significat: nẽpe cũ quis alteri beneficiũ obijcit quod â se receperat: secundũ illud Eccles. 20. Exigua dabit, & multa improperabit. Et apud Comicũ: Isthęc cõmemoratio quasi exprobatio est immemoris beneficij. Sed hæc tamen receptissimo vsu promiscuè vsurpãtur. ¶ Quæstiũcula autẽ scholastica se se hic lectori fortè offert, vtrũ omnes hi atq; contumeliarũ modi eiusdẽ sint speciei: an verò specie differant, sicut & ipsa probra differunt quæ quis in alterũ iacit. Crediderim cũ Caietano omnes esse eiusdẽ speciei. Nam cõtumelia species est specialissima, vt puta quę vnum habet honorem pro obiecto, quẽ ab eo aufert qui per vim patitur inuoluntariũ: ab vna enim ratione formali obiecti vnica species cõstituitur. Nihilo minùs augeri tantùm põt cõtumeliæ grauitas vt eius expressio de necessitate sit cõfessionis, Vt si quẽ hęreticũ, aut traditorẽ, aut quid simile appelles, id ipsum est confessione explicandum.

Tertius.

Quæstiuncula.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm contumelia, & generaliter conuitium, sit genere suo peccatum mortale.

VM contumelia in verbis vt dictũ est consistat, quæ genere suo non videtur tam enormem habere læsionẽ: meritò quæritur vtrũ perinde atq; homicidium, & furtũ, & adulteriũ, sit etiã genere suo mortalis culpa. Arguitur enim à parte negatiua. Nullũ mortale crimẽ esse potest virtutis officium: conuitiari autẽ est actus virtutis eutrapeliæ, ad quã secũdum Philosophum. 4. Ethic. pertinet bene conuitiari: ergo cõtumelia non est mortale peccatum. ¶ Secũdò arguitur. Peccatũ mortale viri perfecti non admittunt. quitamẽ nõnunq; conuitijs & cõtumelijs vtunt, vt patet apud Pau. ad Gal. 3. O insensati Galatę! Quin verò & Christus Luc. vlti. O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum! ergo cõtumelia nullum est peccatum. ¶ Tertio. Quanuis id quod est ex genere & obiecto veniale possit ex fine & ex circunstantia fieri mortale: vt mendacium quãdo fit pernicioſum: tamen vice versa id quod genere & obiecto est mortale, fieri non potest ex intentione veniale: quia suum secum affert obiectum: quocunque enim fine furẽris, mortaliter peccas: si ergo contumelia ex genere suo peccatũ esset mortale, nunquam posset ab illo cadere gradu: quod tamen est falsum: nam leue conuitium aut ex subreptione collapsum, nemo vnquam pro mortali duxit. ¶ Quartò omne peccatum mortale vel est capitale vel alicuius capitalis soboles: contumelia verò non est capitale, vt per se liquet: neque verò capitalis criminis germen: nam maximæ iræ, vt Gregorius. 31. Moral. autor est. Quod tamẽ falsum esse videtur: nam potiùs aut ex superbia gignitur, secundùm illud Prouerb. 10. Vbi superbia, ibi contumelia, aut ad stultitiam reducitur, secundum aliud Prouerbio. 20. Omnes stulti miscentur contumelijs. ¶ In contrariũ est, q̃ nihil æternam cõmeretur pœnam nisi mortale sit crimen: conuitiator autem infernali pœna dignus est secundùm illud Matthæ. 5. Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Primum argumẽtum.

Philosophus.

Secundum.

Paulus.

Tertium.

Quartum.

Gregorius.

AD quæstionem tribus facilimis conclusionibus respondetur. Prima est. Contumelia genere suo peccatum est mortale: idq; atrocius quàm furtum & rapina. Hîc autem animaduertendum discrimen est inter peccata quæ in facto consistunt, atque ea quæ in verbis posita sunt. In illis nanque peccatis genus ex solo obiecto perpenditur: in verbis autem non nisi ex adiuncta simul intentione. Quare hîc, genere suo, non id tantùm sonat quod est ex obiecto: sicuti in furto & in homicidio, sed etiam ex intentione. Et ratio est quòd cùm verba re ipsa non offendant, sicut facta, sed significatione: significatio autem ex intentione fiat aliquid exprimendi: non censetur formaliter contumelia nisi quæ ex animo conuitiandi procedit, vel ex crassa ignorantia & negligentia aduertendi quod dicis. Probatur ergo conclusio. Illud peccatum est mortale quod est contra charitatem: charitas verò per quodcunque peccatum tollitur per quod pax perturbatur & amicitia: tale autem est contumelia: ergo est peccatum mortale. Probatur postrema hæc præmissa. Honor est inter bona humana præstantius, quàm exteriora: secundùm illud, Melius est nomen bonum q̃ diuitiæ multæ. Et cùm honor sit positum in

Prima conclusio.

Interuallũ inter peccata quæ ĩ facto versantẽ & ea quæ verbis complentur.

Probatio cõclusionis.

excellentia potissimùm virtutis, meritò pluris mortales faciũt honorem quàm alia externa bona. Quin verò elegantes homines illis omnibus vt medijs vtuntur ad comparandos honores, illorumque bonorum dispendio illos sustentant. Est ergo contumelia ex genere suo grauius peccatum, quàm furtum & rapina. Malunt em̃ homines alijs priuari bonis quàm cõtemptui haberi: quãuis tanta esse possit quantitas furti vt graui tatem exuperet contumeliæ. ¶ Secunda conclusio. Iactatio conuitij & probri quæ fit præter intentionem contumeliandi, pensanda est quandoque ex intentione proferentis: quandoque verò ex rei quantitate, & quandoque ex defectu cautelæ quæ adhibenda est. Vnde in triplici esse potest gradu: nempe vt sit quandoque virtus, quandoq; venialis culpa, & nonnunquàm mortalis. Probatur. Cùm vel pater, vel prælatus, vel maior natu corripiendo probro aliquo vtitur aduersus inferiorem, si moderamine vtatur, officium præstat. Dum autem quis conuitium graue per iracundiam euomit, mortale est. Vbi verò non nullus est cautelæ defectus, plurimùm consueuit esse veniale. Vt sæpe inter mulierculas cõtingit & homines infimæ classis, qui inuicem se conuitis conspergunt, vt in buccam veniunt, quibus perparũ solet adhiberi fidei, At verò cũ tantùm semper fuerint homines honoris tenaces, consultissimè cuiq;, etiã prælatis, abstinẽdum est à cõuitijs, quæ humanos animos amarulentiùs q̃ corporalia vulnera exulcerant. Atque adeò perparùm solent ad corre ptionem conferre. Facilimæ sunt conclusiones: neque vt illis ampliùs immoremur opùs est. ¶ Tertia conclusio. Contumelia suopte ingenio nascitur ex ira, vt Gregorius ait loco citato. Non quòd sola superbia vel odium quo quis alterum contemnit non quandoque sufficiat ad contumeliam: sed quòd vitium inde censetur originem ducere, vnde plurimùm oriri consueuit: contumelia verò ex ira plurimùm nascitur: eò quòd maximam habet connexionem ad eius finem. Iræ nanque finis est vindicta atque vltio: & nulla est præsentior compendiosiorq; via ad vlciscendum q̃ contumelia. Qui enim potens nõ est vt re se vindicet, aut id non audet, statim in contumelias prosilit, vt fœminarum ingenium testimonio est. per hoc enim q̃ quis verbis alium pessundat, quatenùs animo satisfacit suo.

Secunda cõclusio.

Ratio pro cõclusione.

Tertia cõclusio.

Gregorius.

AD primum igitur respondetur q̃ conuitiari secundùm Aristotel. 4. Ethico. c. 8. eatenùs est virtutis eutrapeliæ quatenùs intra limites moderatæ facetiæ continetur: quando scilicet vrbanitatis venustas in conuitio adest: secũdùm illud suprà citatum Cicero. Maledictũ si petulantiùs iactatur, conuitium: si facetiùs, vrbanitas nominatur. Quare isti aulici scurræ neutiquàm permittendi sunt scommatibus vti, quæ plus amaritudinis afferunt quàm salis. Sic enim risus mouendus est, vt bilis non concitetur. ¶ Ad secundùm respondetur, quòd sicut verberibus gratia disciplinæ vti licet, ita & moderatis verbis quæ suo acrore delinquentis animum nonnullo dolore afficiant. At verò vt Augustinus lib. de Sermon. Domini in mont. admonet, rarò sunt huiusmodi amarulentæ obiurgationes adhibendæ. ¶ In solutione tertij adhibendus animus est ad intelligendum illud verbum quod diuus Thomas tractauit. 2. quæ. 88. arti. 2. vbi docuit mẽdacium iocosum quod genere suo est veniale, posse ex fine fieri mortale: vt si referatur vel ad adulteriũ vel ad infamiam alterius: mortale autem ex genere, quod facto committitur vt furtum, ad quẽcunq; finem referatur, etiã si fiat ad dandam eleemosynam, est mortale. Itâque sententia diui Thomæ est, q̃ intentio finis, licèt veniale pertrahere possit ad mortale, nõ tamen mortale vsque ad veniale extenuare. Haud tamen negandum est, quin quod genere suo est mortale, possit vel ex leuitate materiæ, vel ex surreptione fieri veniale. Cõtumelia verò, vt iam dictum est, quoniam significatione committitur, quæ ex intentione procedit, licèt sit genere suo mortalis, nihilo minùs potest ex ipsa intentione fieri venialis. Quin verò aliquando laudem habere virtutis. ¶ Ad quartum iam satisfactũ est conclusione tertia. Est enim contumelia filia iræ: non autem superbiæ: nam peccatum quod ex alio nascitur, ad eundem debet ordinari finem: cõtumelia verò non ordinatur ad exaltationem, qui est finis superbiæ. Attamen superbia disponit ad contumeliam: nam qui elatus est, facilè alios spernit: & ideo ait Sapiens, Vbi superbia, ibi contumelia. Et rursus quia contumeliæ furor rationẽ obnubilat, addit dicens: Stulti miscentur contumelijs.

Ad primũ argumentũ Aristot.

Ad secũdũ

Augustinus

Ad tertium

Intẽtio sancti Tho.

Ad quartũ

ARTI-

ARTICVLVS. III.

Vtrùm debeat quisquè contumelias æquanimiter sustinere.

POstquã de illata contumelia dictũ est, sequitur vt dicamus quomodò sit ferẽda. Est enim argumentũ q̃ id non sit virtus. qui enim probra cõuitiaq; sustinet ob loquẽtis, audaciã atq; petulẽtiam eius fouet: quod re vera nullũ est virtutis officium. ¶Secũdò arguitur. Plus se quisq; diligere tenetur q̃ alterum: atq; adeò honorẽ suum pluris pẽdere q̃ alienũ: nemo autẽ ferre debet vt se præsente honori & famæ amici detrahat: secundũ illud Prouer. 26. Qui imponit stulto filẽtiã, iras mitigat: ergo nullꝰ sua ipsius probra sustinere debet. ¶Tertiò. Nemini licet sese priuatim vindicare: qui autẽ æquo animo spumã contumelioſi sustinet, sese de illo vindicat: quatenùs eũ spernere profitet: secũdũ illud Chrys. super Mat. Si vindicari vis, sile: & funestã illi dedisti plagam: ergo id nõ licet. ¶In cõtrarium est illud Psal. Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates. Et subdit: Ego autẽ tanq̃ surdus nõ audiebam, & tanquàm mutus non aperiens os suum.

Primum argumẽtum. *Secundum.* *Tertium.*

AD quæstionẽ duabꝰ receptissimis cõclusionibus respõdetur. Prior. Vnusquisq; tenetur animum cõtumelijs ferẽdis habere paratũ, vbicũq; fuerit expediẽs: non tamen eas semper ferre. Probatur vtraq; conclusionis pars. Patientia, vt in his quę contra nos fiũt, sic & in his quæ cõtra nos maledicuntur necessaria est: in his autem quæ contra nos fiũt tantùm est necessaria in animi præparatione: secundùm expositionem Augustini super illud Matt. 5. Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe illi & alteram: præparatio autem animi cùm affirmatiuo præcepto iubeatur, nõ obligat, pro quocunq; tempore: sed pro illo articulo quo id ratio exegerit: ergo & animũ debemus habere paratum, & tamen non semper re ipsa tenemur cõtumelias taciti ferre. id quod ipsius Redemptoris exemplo edocti sumus, Nam & â percutiente se rationem rogauit dicens, Ioannis. 18. Quid me cædis? quod nonnullam reprehensionis effigiem præse ferebat. ¶Posterior conclusio. Quandoq; oportet illatam contumeliam repellere. Probatur duplici ex capite. Primò quidem propter bonum eius qui contumelioſus est: nempe vt tumentis eius animi insolentia reprimatur, nè illis iniurijs assuescat: secundùm illud Prouerb. 26. citatum: & secundùm aliud ibidem, Respondе stulto iuxta stultitiam suam, nè sibi sapiens videatur. Secũdò propter aliorum bonum, tam circunstantium quàm absentium, qui contumelijs affectum nonnunquàm solent minoris reputare: atq; adeò eius doctrina & monitis minꝰ inde proficeret. Vnde Gregorius super Ezechie. homil. 9. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt detrahentiũ verba compescere: nè eorum prædicationẽ non audiant qui audire poterãt: & ita in prauis moribus remanẽtes, bene viuere contemnant. ¶Hic primum omnium arbitror apud D. Tho. animaduertendũ esse quod lib. proximo. q. 6. verum iudicauimus: nempe licêre cuiq;, saltem priuato, famæ suæ læsionẽ infamatori remittere. Nam si eis qui honorem nostrũ cõtumelijs denigrant, resistere non tenemur, nõ est cur semper teneamur splendorem famæ nostræ alia via sustentare q̃ officijs virtutũ vacando. ¶Hoc autem solenne membrum prioris conclusionis, videlicet q̃ tenemur animos habere paratos ad ferendas cõtumelias, vbi id ratio tulerit, nonnihil explicationis desiderat. Et primò quæritur, vtrùm præceptũ sit habere semper voluntatem, hoc est actuale propositum ferẽdi iniurias inferẽdas pro loco & tempore. Nam præparatio talẽ actũ significare videtur. Respondetur id non esse necessarium: nam præcepta affirmatiua ficut non obligant pro quolibet tempore ad extera opera, ita neq; ad intimos actus: sed satis est non habere propositum contrariũ: atq; in genere proposuisse seruare mandata: nam illic virtute includitur hoc propositum. Et est animaduertendum huiusmodi præparationem nõ solùm esse necessariam ad no n vindicandas autoritate priuata illatas iniurias: nam id certissimum est nemini licêre, vt suprà dictum est, sed ad non resistendum vbi resistentia sine graui scandalo & ingenti detrimento fieri nequit: & vbi ratio fidei & boni publici sustinentiã exegerit. Quare qui in animo gerit de quacũq; cõtumelia se vindicatũ ire. & cuicũq; citra delictum obstiturũ, in statu est perditionis. Attamẽ citra illos casus quisq; potest & priuatim cũ virtutis moderamine resistere, & per publicã potestatẽ iuris ordine vindicare se. ¶Quæris autẽ an citra casus necessitatis, dũ

Prima conclusio. *Probatio.* *Augustinꝰ* *Vltima cõclusio.* *Ratio conclusionis.* *Gregorius.* *Priuatus quisq; potest læsionem famæ illatam remittere.* *Quæstio.* *Responsio.* *Hæsitatio.*

quis possit resistere, cõsiliũ semper sit nõ resistere: apparet enim id esse cõsilium cùm sit misericordię opus. Sed ad hoc iam posterio ri cõclusione negãter respõsum est. Vtrũq; enim simul cõsulit Sapiens: scilicet & nè respondeamus stulto iuxta stultitiã suam, nè efficiamur ei similes: & rursus vt respondea mus ei nè videatur sibi sapiens. Quapropter prudentiæ perpendiculo librandũ est quan do contumelianti nobis respondere oporteat: quãdo verò minimè. Est enim ei respon dendum quãdo ratio correptionis fraternæ id decêre monstrauerit: tunc enim prȩceptũ charitatis est animum eius sedare, eumq; sui furoris & stultitiæ admonere. Sed enim ma ior cura nobis adhibenda est nostri: nè scilicet alterius furor nostrũ excitet: & qui cõpescere aliũ deberemus, simili nos impetu feruẽtes eũ potiùs irritem⁹. Leuiter ergo admonere eũ debemus ostendendo absq; causa & ratione cõcitari. Exẽplo nimirũ Christi, qui tantũ dixit: Cur me cædis? hoc est nullã habebas cædendi causam. Quando verò cõtumeliæ cõtra honorẽ fidei & religionis iactãtur, tunc vicissim religio est acriori obiurgatione cõtrâ vti. Huc enim refertur q̃ Paulus Galatas insentatos appellauit: & Christus alios stultos, aq; alios generationem nequam & prauã. Personæ autẽ publicæ etiã propter suũ propriũ honorẽ, vt dictũ est, debent conuitijs resistere, vtpotè quarũ honor necessarius reipublicæ est: priuatæ autem licèt non teneantur, possunt tamen.

Paulus.

Postrema dubitatio.

¶ Postrema autem superest dubitatio vtrum quãdo resistere licitũ est, tunc fas sit pro vna susceptа cõtumelia aliã reijcere. Appellat me quispiã latronem, appello eũ sicariũ. Notat meũ genus, noto ego suũ ingeniũ & mores.

Solutio.

Respondetur in primis nunquàm licêre crimen falsum alteri obijcere: esset enim mẽdaciũ, idemq; pernicioſum. Prætereà neq; crimen defectũmve vllũ vel occultũ vel publicũ per modũ vindictæ licet in cõuitatorem reſpuere: sed tantùm per modũ defensæ vim vi repellendo. Hoc est, Non licet illi obijcere crimen quod impertinens est ad obterendã eius autoritatem: sed illud prorsùs quod ad id est necessarium: vt si dicã eum esse hominem mendacem & ad eius confirmationem patefaciam aliqua eius mendacia, vt in eo quod mihi impingit desringatur ei fides. Si autem me appellat concubinarium, nõ licet mihi eum appellare latronem: sicut neq; ius est percutientem repercutere.

AD primum igitur argumentum iam respõsum est, q̃ licet audaciam cõuitiantis mitibus verbis comprimere, nè videatur sibi sapiens: non tamẽ acerbis, nè efficiamur ei similes. *Ad primum argumẽtũ.*

¶ Ad secundum dicitur q̃ quando ei respõdemus qui contumelias in alterũ iacit, nõ videmur ex nimio amore nostrî id facere, sed ex charitate, tam contumeliantis, quã eius qui cõtumelias perfert: & ideo id facere semper est officium. Quando verò contumelias nostras propulsamus, tunc nõ tam charitatẽ colere videmur, quàm nostræ superbiæ succumbere, & iracũdiam irritare. Quare tunc sæpiùs consilium est tacere. *Ad secũdũ.*

¶ Ad tertiũ deniq; respondetur, quòd si quis contumelias suas audiens astu taceret, eo scilicet animo vt alterum quasi spretum ad iracundiã exagitaret, peccatum esset vindictæ: si autem sibi consulens taceat & virtuti obsecundans, licèt sciat alterum inde peiùs concitãdum, nihil sua referre debet. Et hoc est q̃d Chrysosto. ait secundùm Sapientis consiliũ, Eccles. 18. Non litiges cum homine linguato: & non struas in ignem illius ligna. *Ad tertiũ.* *Chrysost.*

QVAESTIO DECIMA,
De detractione.

Sanct. Thomas. 2. 2. quæst. 73.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm detractio sit denigratio alienæ famæ per occulta verba.

POST contumeliam qua derogatur honori, sequitur de detractione per quã famæ detrahit. Et primò circa eius quidditatem quæritur vtrum sit denigratio alienæ famæ per occulta verba. Arguit enim à parte negatiua. Occultũ & manifestũ circũstantię sunt non constituentes morum species: in definitione autem id tantùm poni debet quod ad speciem pertinet: ergo non est quòd in definitione detractionis ponatur occultationis differentia. ¶ Secundò arguitur. Fama est publica illustrisq; notitia: ergo per id quod occultũ est nõ denigratur. Quare detractio quæ fit per occulta verba non est famæ *Primum argumẽtum. A parte negatiua.* *Secundum.*

famę cõtraria. ¶ Tertiò. Detractatio idem est quòd subtractio & dẽptio ex aliquo toto: cõtingit autẽ famam denigrari nihil veritatis subtrahendo, sed oculta propalando crimina: ergo non idẽ est detractio qd' famæ denigratio. ¶ In cõtrariũ est illud Ecclesiasti. 10. Si mordeat serpens in silẽtio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit: ergo occultè mordere alienam famam est illi detrahere.

Tertium.

Vnica conclusio

Probatio.

AD quæstionẽ vnica sufficit cõclusio quę ex superiori quæstione palã cõsequitur. Detractio est occulta denigratio alienæ famæ. Cõclusio iam ex superioribꝰ ostẽsa est. Enimuerò sicuti facto noceri alicui bifariã solitũ est, vt in furto & rapina ostẽdebamus: nẽpe aut per manifestã vim, aut per subdolã læsionẽ: ita etiã & verbo vsu venit. Nam manifestè quis alteri per cõtumeliam nocet: occultè autẽ, per detractionẽ. Qui autẽ in alterius cõspectu manifestis verbis in eum inuehit, paruipendere eũ se profiteꝛ: quapropter honorem eius, vt diximus, ex professo lędit. Qua ratione cõtumeliam diximus honori aduersari. At verò qui in angulis absens aduersus quẽpiã obmurmurat, non tã vilipẽdere eũ q̃ vereri se ostẽdit. Ob idq̃; nihil cõtra eius honorẽ obmolitur, sed cõtra famã: puta contra bonã existimationem ab alijs de illo habitã, q̃ per cõtrariam opinionẽ, vel obnubilat, vel extinguit. Est ergo detractio nihil aliud q̃ alienæ famæ denigratio per occulta verba. Ex quo claresc̃ut differẽtiæ illæ suprà positæ inter contumeliã & detractionẽ: tum quãtum ad modũ, q.ſ. illa manifesta sit, hæc verò occulta: tũ quantum ad obiectũ, q illa scilicet honori, hæc verò famæ contraria est.

NIhil est quod hîc ampliùs immoremur, sed est solutio primi argumẽti adnotanda. Differũt enim cõtumelia & detractio specifica differẽtia, nõ tantũ ratione obiectorũ materialium, puta honoris & famę: vt multi etiã discipulorũ D. Tho. arbitrãtur: sed ratione formali proximorũ, puta ob rationẽ diuersam inuolũtarij: sicuti diximus de furto & rapina. Nã etsi tam raptor q̃ fur alienũ capiant, tñ in furto patitur homo inuolũtariũ per ignorantiã: in rapina verò, per vim: quæ secũdùm Arist. diuersæ sunt causæ inuolũtarij. Pari ergo modo qui per acceptã cõtumeliam iacturã facit honoris, patitur inuolũtarium per vim: qui autem detrimentũ accipit famæ per detractionẽ, patitur inuoluntariũ per ignorantiam. Respõdetur ergo ad argumentũ, q etsi occultum & manifestum absolutè non varient speciem, vt in eo patet qui mẽtitur vel occultè vel manifestè: tñ quando per hæc variaꝛ ratio inuolũtarij, species subinde mutãtur. ¶ Ad secũdum respondeꝛ q detractor dicitur occultè obloqui, nõ simpliciter, sed clàm illo qui infamaꝛ: ad differẽtiã cõtumelioſi. Nihilo minùs loquiꝛ coram alijs quibus bonã aufert existimationẽ quã de alio habebãt. Itaq̃; differẽtia inter detractionem & cõtumeliam non cõsistit in hoc q coră pluribus aut paucioribus fiat: sed in hoc q fiat coram ipso qui lædit, aut clàm ipso. ¶ Ad tertiũ deniq̃; respõdetur q detractio non dicitur respectu veritatis, puta q ei quippiã subtrahatur, sed respectu famæ quę semper minuit. Id quod octo modis contingit: quatuor nimirũ directè, quatuorq̃; indirectè. Directè quidẽ primo modo qñ falsum imponitur. Atq̃; hic est omniũ pessimus. Secundò quãdo vitium quis alienũ suis verbis exauget: qui quidẽ stylus pestifer est, & blateronibus ac maledicis familiaris. Tertiò, quando occultum reuelatur. Qua quidẽ peste illi rempublicam inficiunt, qui auiditate noua docendi, nihil sciunt se continere secreti: sed rimarum pleni omnia profundunt. Quartò, quãdo id quod bonũ est ostendere quis cõtitur ex mala intentione profectũ. Nam etsi hoc ad temeritatem quoq̃; iudicij spectet, nihil tamen obstat quin vnũ peccatum in duabus sit malitiæ speciebus. Vnde quãdo quis id facit ad denigrandũ alius existimationẽ, infamator est: quatenùs insinuat se aliunde intẽtiones hominis nosse prauas: vnde bona eius opinio obscurescit. Indirectè autẽ ille quoq̃; est infamator qui aliena bona, vel negat, vel ex liuore reticet, vbi propalare debet. Dum enim me præsente sermo de illo initur bonus, quem constat me optimè nouisse, & sileo, silentium meum indicium quoddam est illum nõ esse tantę laudis dignum: quod est genus infamiæ. Et tertiò id quoq̃; contigit quãdo quis diminuit aliena merita. Et deniq̃; quartò cùm malignè quis alium laudat: quæ quidẽ vafricies, infamiæ modus est non infimus. Vnde Fauorinus apud Gelliũ: Turpiꝰ, inquit, est exiguè atq̃; frigidè laudare, q̃ insectanter grauiterq̃; vituperare: quoniã qui maledicit, quãto id acerbiùs facit, tanto magis pro iniquo inimicoq̃; ducit: tantoq̃; minùs fidem capit. Sed qui infacundè ieiuneq̃; laudat, à causa

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ

Ad tertiũ

Octo modus famæ splendor minuit.

ipsa destitui videtur. Nam amicus creditur eius quem laudare vult,sed nihil posse repe rire quod in laudibus ponat.

Quæstio. ¶Quod si quis, sicuti de contumelia interroget,an modi isti diffamandi specie differant,quod apparet ex formarum varietate:

Solutio. Respondetur eodem modo omnes esse eiusdem speciei.Est enim detractio, vt reor, species specialissima:vtpote cuius obiectum sit infamia,modusq; iniustitiæ sit iniuriam inferre quam alter per ignorantiam patitur: sicut in contumelia accipitur per vim. Tametsi vt de contumelia dictum est, tam ingens posset esse infamia, vt esset de necessitate confessionis. Qui enim de hæresi, aut de incestu,aut de alio deformi peccato ciuem infamauit,non satis peccatum suum explicat,nisi vitium exprimat cuius notam alteri inusit.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm detractio genere suo sit peccatum mortale.

Primum argumentum VEmadmodũ de contumelia, sic & de detractione quęritur, an sit genere suo mortale crimen. Arguitur enim à parte negatiua, Peccatum alienum quod occultũ est, aut per correptionem fraternam aut per accusationem detegere, est detractio:quippe qua aliena fama denigrat: & tamen illud est officiũ:ergo detractio genere suo non est peccatum.

Secundum. ¶Secundò:nullũ vitiũ quod toti mortali generi cõmune est, cẽsendũ est mortale: nam à peccato mortali, pcipuè inter Christianos, multi sunt qui abstinẽt:sed venialia sunt quibus nemo citra mendaciũ asserere potest nõ habere:hoc autẽ specialiter vitio totũ genus humanũ periclitatur:vt habet glos. super illud Prouer.24.Cũ detractoribus non cõmiscearis:ergo non est genere suo mortale.

Glossa.

Tertium. ¶Tertiò.Augu.in hom.de igne purgatorio minutiorib⁹ peccatis annumerat quãdo cũ oñi facilitate & temeritate maledicimus:ergo detractio non est nisi veniale peccatum.

Augustin⁹

Paul.us ¶In contrarium autem est quod Paulus ad Roñ.1.vnà cõponit detractores ac Deo odibiles:cui⁹ causam subdit glossa,nè detractio, eò qđ consistit in verbis,leue quid putetur.

Prima conclusio. AD quęstionẽ quatuor cõclusionibus respõdet.Prima. Detractio genere suo est peccatũ mortale.Probatur prę̃suppositio eo-

Ratio conclusionis.

dem notamine qđ de cõtumelia declarauimus:nẽpe q; cũ detractio sit peccatũ in verbis,quæ sola significatione nocẽt, non solo obiecto sed ex intẽtione significãdi perficit: quare ille propriè dicit detractor qui ex intẽtione vel crassissima negligẽtia rumorẽ hoĩs absentia disseminat,cuius famam obscurat. Et dicitur quis ex intẽtione facere,nõ solum quãdo directè id animo proponit, verum & quãdo animaduertit quid dicit,& sine legitima causa nihilo minùs verbum effutit. Hoc ergo suppositio probatur conclusio,vt similes demõstrari cõsuescunt.Illud vitiũ est contra charitatem atq; adeò mortale, quo in re magni momenti proximus lędit̃ur:nam inde pax cõturbatur:tale autem est detractio: quippe qua fama obnubilatur quæ meritò maiori habetur pretio,quã exteriora bona. secundũ illud Eccles.41. Curam habe de bono nomine:hoc enim magis permanebit tibi quã mille thesauri boni & pretiosi.

Secunda cõclusio. ¶Secunda cõclusio.Quando quis verba aliqua profert,licèt sint famæ detractoria:tamen id nõ intẽdit,sed quippiam aliud,prolatio illa nõ per se propriè censetur detractio, quod aiũt,formaliter:sed quasi per accidẽs. Conclusio hęc sequitur ex prędcedenti.Nam cùm intentio significãdi sit detractioni natua,vbi illa abest,deest detractionis forma.

Tertia cõclusio. ¶Tertia cõclusio.In tali casu quo scilicet inqua intentio non adest, si bono animo cordatoq;,zelo,& vbi oportet circũspectè oblocutio illa fiat,virtus est:si autẽ ex animi leuitate loquendi ve libidine ore labatur, in summa propter aliquam causam non necessariã fiat,peccatũ est plurimùm veniale.Nisi fortè verbum adeò sit acerbum , vt sua ipsius ratione secum afferat mortalem culpã. Nam tunc adeò requiritur prudẽs cautela,vt quęuis negligentia loquendi,nisi subitus sit motus mortale sit crimen.Et maximè inquit S. Thom.in his quæ pertinent ad honestatem vitæ.Vt si quis alium de hæresi aut de quouis alio crimine notet:præcipuè carnis: quæ licèt sint,vti ait. Gregorius, minoris culpæ, sunt autẽ maioris infamiæ.

S. Thomas.

Gregorius.

¶Quare superuacanea videtur Caietani disputatio ad quidnam referatur pronomen,hoc, apud sanctũ Thomam,vbi ait,Hoc ex ipso genere verborum habere rationem peccati mortalis:vtrũ scilicet referatur ad id quod est dicere verba contra honestatem alterius.an ad ipsum assertũ: vt sit sensus quòd quoties quis asserit de aliquo peccatum mortale,assertio ipsa sit

Superuacanea Caietani disputatio.

peccatum

peccatũ mortale, propterea quòd id quod dẽ alio asserit est mortale. Manifestũ enim est priorem esse sensum sancti Thom. non enim vult quoties affirmo aliũ peccasse mortaliter, pariter me delinquere. Nam quando id non profertur ex intentione, iam dixerat non esse mortale. Sed vult dicere quòd quãdo verbum à me prolatum est nimis graue, ipsa prolatio de se est mortalis, licèt non fiat ex intentione, propter incircunspectionem.

Sensus sancti Thom.

¶Quarta conclusio. Quicũq; alteri famam iniquè sustulit, tenetur ei ad restitutionem, illo ordine & modo qui libr. 4. quæst. 6. latissimè expositi sunt. ¶Multa hic dicenda fuissent nisi eodẽ lib. & quæst. fuissent à nobis pertractata. Nihilo minùs quia hic commentatores diui Thom. nonnulla solent adnotare, recolere aliqua est operæpretium.

Quarta conclusio.

Caietani sententia.

Haud enim Dominus Caiet. in præsentiarũ infamiam reputat mortalem, cùm quis occultum alienum crimen vni cordato viro secretò detegit, apud quem ita celabitur ac si muro dictum esset. Quod ego profectò, salua eius pace, probare omninò non possum.

Refellitur proxima sentẽtia.

Quin verò mallem crimen meũ notum esse tribus aut quatuor, quàm vni grauissimo viro. Nam quãuis ex vna parte præsentius periculũ immineat ab illis euulgatũ iri, quã ab isto: tamẽ ex altera pluris ego æstimo in bona esse æstimatione apud illum grauissimũ quàm plures alios minoris autoritatis. Quare infamia non est solùm accipienda hìc in rigore iuris quando est apud plures: verùm & secundùm rei naturam. Quocircà pessimè ac nocentissimè illi faciunt, qui, nisi vrgens sit causa corrigendi fratrem, vel vni quantũuis prudenti viro occultum alienum crimen reuèlant. Nam etsi in suo id pectore reconditum seruet, tamen alius apud ipsum magnum patitur honoris ac famæ detrimentũ.

¶Illud autem quod idem Caietan, subdit, videlicet recensere peccatum alterius vnde ille nullam contrahit infamiam, non esse infamare, iam nos illic similiter confessi sumus. Vt si iuuenum amores referas, de quib⁹ ipsi se iactant. In quo autem Scoto subinde consentit, nempe q̃ qui non assertiuè rumores seminat, sed relatiuè, dicẽdo sese hoc & illud audisse, non sit habendus infamator: profectò consentire ego non possem. Imò vt iam illic diximus, genus hoc est infamãdi. Nam non possunt illi qui aliàs non audierunt nõ nouam cõcipere opinionem sinistram proximi. Qua vtiq; ratione, vt illic notauimus, illo modo fama vires acquirit eũdo.

Alterũ dictum Caietani in quo Scoto cõsentit.

Ratio in Caietan.

¶Quod verò ibi tantùm obiter tetigimus, examinandum hìc presiùs restat: nempe vtrùm eum qui vno loco infamatus est liceat in alio, vbi bono fruitur nomine, infamare. Caiet. enim in opus. 16. respons. respõ. 9. id adstruit. Adrianus verò quotlib. 11. q. 1. negat. Et quidem ratio Caietani ea est prorsus, quòd cũ quis priuatus sit iure famæ, nullam ei iniuriam irrogat qui idem detegit alibi crimen, ob quod famam perdidit. Secùs autem si aliud quod occultum est detegeretur. Ratio verò Adriani, contraria est: nempe q̃ licèt alicubi quis infamia laboret, potest alibi illam habere illesam: quare iniuria illi fit dum eãdẽ nudat. Et confirmatur Adriani opinio. Quanuis quis vitio sit publico infectus, siue ad mores pertinente siue ad naturã, nemini licet illud ei in faciẽ expuere: ergo minùs licebit illud de quo alibi infamatus est, hìc disseminare.

Quæstio.

Opinio Caiet. Adrianus.

Ratio Caiet.

Ratio Adri.

Cõfirmatio

¶Hæc tamen discordia per distinctiones est cõcilianda. Bifariàm enim quispiam potest alicubi labem infamiæ contraxisse: videlicet aut publica autoritate & iudicio damnatus, aut priuatim per viciniam aut vrbem. Rursus dupliciter quis delinquere potest alterũ infamando: scilicet aut cõtra charitatem aut contra iustitiam. His præhabitis dum quis priori modo honore suo & fama alicubi expoliatus est, nulla est iniustitia eum vbique de eodẽ crimine infamare. Et ratio est: quia ille iure, publicoq; præconio in pœnam mulctatus est sua fama, atque adeò cuicunque facta est facultas scelus illud propalandi. Quare qui hominem sic infamat, ad nullam tenetur restitutionem. Nihilo minùs peccatum est contra charitatem: quin verò posset esse mortale eiusmodi damnatis hominibus sua rursus pudenda nudare. Tunc potissimùm quando emendati sunt, bonumq; nomen alibi recuperauerint. Nam bona fama quàm maximè hominibus adiumẽto est ad virtutem: qua perdita exanimantur. Non tamen tale infamandi delictum ad restitutionem obligat. Atque ad hoc facit text. l. eum qui nocentem. ff. de iniur. vbi habetur, eum qui nocentem infamauit, nõ esse bonum & æquum ob eam rem condemnari. Quando verò quis posteriori modo extra ordinẽ iuris in vno loco iacturam fecit famæ, non solùm contra charitatem, verùm cõtra iustitiã facit qui eũdem alibi eãdem infamia respergit: & ad restitutionẽ, eo quo fieri potest modo, tenetur. Quandoquidẽ iure non sit illa

Distinct. 1.

Secunda diuisio.

Solutio propositæ conclusionis.

Ratio cõclusionis.

priuatus: nam propter rumores, etiam si priuatim manifesti sint: nemo ius perdit honoris suæ ac famæ, si domicilium mutet: sed reputatur ibi secretum esse delictum. Vnde ad Caietani argumentum atq; ad prius Adriani respõsum putato. Ad posterius verò respondetur diuersam esse rationem cõtumeliæ & detractionis. Nam per modũ contumeliæ nequà quam licet improperari alteri suũ crimẽ aut naturale vitium etiam si naturale sit. ¶ Post hoc subsequitur dubitatio alia, vtrùm eum qui falsis cõmentitijsq; virtutibus, seu moribus, seu intellectualibus, famã per vafriciẽ in republica comparauit, licitum sit diffamare, Apparet enim id esse virtutis officium cùm tales impostores rempublicam seducant. Ad hanc autem dubitationem, licèt Adrianus loco citato absolutè respõdeat id esse licitum, cum temperamento tamen & distinctione respondendum est. Quando enim eiusmodi sycophantæ suis imposturis perniciem reipublicæ offerunt, tunc non solùm licet verùm expedit eorũ crimina fallacias q; retegere: vt si quis se optimũ ementire tur medicũ, aut theologũ, qui populo essent pestiferi. Tunc enim docẽdus esset populus veritatẽ. Si autem sunt mulierculæ quæ foris sanctitatẽ præ se ferũt, qua ratione eleemosynis victitãt, licèt occulto aliquo crimine sint infectę, neutiquã reipublicę noxio, sed innocuè viuũt, non est cur debeãt infamari. ¶ De historicis autẽ dubitare meritò quis poterit, an liceat illis hominũ crimina perpetuæ memoriæ prodere. Ad quod cũ grano etiã salis respõdendũ est. Primũ, q; vbi nõ denarrãtur infamia peccata & turpia, sed bella, & homicidia, & alia quæ viris illustrib⁹ dedecora nõ sunt, nõ est qd̃ sint cõdẽnandi. Mox quanq; aliqua turpia denarrẽt quę nõ sunt omninò secreta, nõ est illis vitio vertendũ, sed officio potiùs tribuendũ. Debent enim optima fide quæ ad rẽ pertinẽt pernarrare. Nihilo minùs vbi inuidia moti aut alio prauo affectu quẽpiã alicuius vitijs notãt, nõ sunt à peccato liberi. Tunc potissimũ dũ generi alicui & prosapiæ notã inurunt, quæ in perpetuã memoriã mansura est. ¶ Astrologos deniq; qui falsa sæpe vitia hominib⁹ imponũt, puta latrocinia & alias turpitudines, non dubiũ est nõ esse ferẽdos. Nã præterq; q; maxima pars eorũ quę sciunt, minima eorum est quę ignorant quã ob rem infinitis vtuntur mẽdacijs: neq; tanta fides est astris tribuenda: neq; illa via permittendum est crimina explorare.

Ad argumẽta. Caie. & Adriani.

Dubitatio.

Ratio dubitandi.

Adrianus.

Solutio dubitationis proximæ.

Dubiũ de historiographis.

Alterũ de astrologis.

Extat quidem. l. item apud Labeonem. vbi §. si quis astrologus. habetur, vt si astrologus cõsultus furem aliquem esse dixerit, qui nõ erat, iniuriarum cum eo non agatur: subiungitur tamen constitutionibus eum teneri: hoc est municipalibus legibus condemnari posse. Quocirca. C. de malefic. l. nemo. cautum est vt nemo aruspicem aut mathematicum consulat. Porrò ergo isti non solùm tanquam impostores, verùm tanquàm publici infamatores, essent in vltimas cruces adigendi. ¶ Celeberrimũ hîc autem ac cognitu necessarium est, vtrùm idem maiúsve sit crimẽ seipsum quẽpiam infamare quã aliũ. Quod quidẽ in nostra Relectione de rat. teg. & deteg. secr. tractauimus: & superiùs hîc lib. 4. q. 2. & rursus. q. 6. in hunc locum reposuimus: quippe qui proprius est eius. Et quidẽ Caie. hîc & in sua Sum. verbo, detractio indubius partẽ tenet affirmatiuã: quatuor nimirũ asserens propositiones. Prima est. Quicunque seipsum infamat, peccatum cõmittit genere suo mortale: idq; grauius quã si alienã famã læderet. Secunda, Illud peccatũ nõ modò cõtra charitatẽ, verũ contra iustitiã cõmittitur: quia est contra ecclesiam & rẽpublicã cuius nostra fama est: vti Augu. 11. q. 3. can. nõ sunt audiẽdi. videtur dicere, Tertiò. Nemo ab huiusmodi peccato excusat: quãuis metu mortis id faciat. Quartò. Quicũq; se infamat, ad restitutionẽ tenetur. Fundamẽtũ opinionis huius est qd̃ perinde cẽset de hominis fama, atq; de eius vita: vt sicut vitæ nõ habem⁹ dominum, ita neq; nostrę habeamus famæ.

Quæstio cognitu digna.

Opinio Cai.

Primo proposito Caietn.

Secunda.

Augustin⁹ Tertia.

Quarta.

Fũdamẽtũ Caietani.

¶ At quãuis nõ sim nesci⁹ hãc vulgò opinionẽ veridicã existimari, eius tñ fundamẽti demõstratio adhuc semp desiderat: quia nusq; probat. Nã etsi à Sapiẽte admoneamur curã habere de bono noie, nullatenùs tñ inde fit cõsequẽs, vt nõ simus famæ nostrę dñi. Quoniã & bonorũ exteriorũ tenemur habere nõ nullã curã, quorũ tamen dñio fungimur. Igitur vt præsenti disputationi via & ordine satisfaciamus, contrariũ fundamentũ cẽsemus uerũ: videlicet vnũquẽlibet suæ famæ habere dominiũ. Id quod prẽcedẽti lib. q. 2. quatenùs materia fert moralis, demõstrasse me arbitror. Ex quo vtiq; fundamẽto postmodũ q. 6. elicuimus. in arbitrio esse cuiusq; priuati restitutionem suæ famæ remittere. His ergo, vt illic ostensis, hîc suppositis. Primũ assertum in præsentiarum sit hoc: Hominẽ sei psum absq; causa infamare, peccatum est: tamen neq; cõtra iustitiã, neq; genere suo mortale.

Fundamẽtũ Caieta. falsum.

Prima assertio aduersis.

Probatio pte rita assertio pii.

tale. Quod enim sit peccatum, patet, quia est præter charitatem. Tenemur enim nos nostraq; bona diligere: & fama bonum nostrũ est: quare à Sapiente curã boni nominis habere iubemur: quia pretiosi⁹ est diuitijs multis. Quapropter qui sine causa se infamat, p digus est suæ famæ: quæ quidem prodigalitas peccatũ est. Quod autẽ nõ sit cõtra iustitiã patet: nã id maximè esset, q nõ sumus dñi famæ: sed sicut vita nostra, sic fama reipublicæ est: cui eam dispendendo iniurij sumus. Hoc autẽ loco citato latè mõstrauimus esse falsum: contrariaq; argumenta diluimus: inferentes perinde nos habere honoris fameq; dominiũ vt bonorum exteriorum, atq; adeò nemini illum iniuriam irrogare, qui suæ famæ prodigus est: neq; ad vllã restitutionem teneri, quoniã sibiipsi nemo ad restitutionẽ tenetur. Atq; hinc fit rursus non esse genere suo peccatum mortale: & idcircò diximus esse, non contrà, sed præter charitatem: quoniã præcepto charitatis nõ vsq; adeò hæc bona tenemur diligere, vt illa negligere sit mortale delictum. Quin verò, vt illic inter alia dicebamus, Christus Redemptor noster non sic nos instituit, vt honores ac famam, primos scilicet accubitus: & honorum splendores tãti faceremus. Imò admonemur infamiam patienter tolerare: vt Gregor. super Exech. homi. 9. egregiè docet. Et Paul. parui ęstimabat iudicari ab humano die. Et Ambros. si vera est eius historia, mulieres ad se induxit, vt illa infamia episcopatum sibi caueret. Et Au. arq; Ansel. sua peccata scriptis suis propãlarunt. Et S. Tho. q. præsenti ar. 4. ad prim. ait in arbitrio cuiusq; esse detrimentum suæ famę pati, Idq; Adria. 4. q. de rest. fam. & latius quodli. 11. asseuerat. Quæ certè vera nõ essent nisi dñium eius haberemus aliter quam vitæ De hoc autẽ locis citatis abũdè dictũ est. Dixerim tamẽ genere suo non esse mortale. Nã qui iuratus crimẽ sibi falsum imponeret, re⁹ esset periurij. Et prælatus qui famam suã regendis suis subditis habet obstrictã, contra iustitiam faceret infamando sese, Sicuti qui familiam habens alendam, aut pauperes videt grauiter patiẽtes, sua bona in flumẽ proijceret. Et qui hęresin vel aliud nefandissimũ sibi crimen, etiam citra iuramẽtũ imponeret propter insignẽ turpitudinẽ posset peccare mortaliter. Sed re vera citra eiusmodi casus mẽdacia illa nõ essent nisi officiosa. Non est ergo cur grauius, imò nec tantũ delinq̃re cẽseat qui seipsum infamat, quã qui diffamat aliũ: cũ hoc sit cõtra iustitiã: illud verò minimè. Et ad Augusti. iam licet respondimus, solùm intelligere famã nostrã sic esse reipublicæ, vt bona nostra exteriora: nẽpe vt cũ indiguerit, teneamur ei per bonã nostrã famam seruire: sicut tenemur per nostrã pecuniã. At sicut nõ tenemur seruare pecuniã pro futuris necessitatib⁹ reipublicę, ita nec famã. Ad aliud eius dictũ. 1. de Ciu. Dei. c. 20. scilicet q illo prȩcepto, Nõ falsum dices: iubemur etiã nosipsos nõ infamare, respodimus verũ esse quãtũ ad vim charitatis: nõ tamẽ quantũ ad vim iustitiæ. Facit enim, qui suã obscurat famã, prȩter charitatẽ qua se diligere debet: nõ tñ cõtra iustitiã, sicut qui alienã corrodit. Et illud, Curam habe de bono nomine, monitũ esse diximus vt per virtutũ culturã bonum procuremus nomẽ. ¶ Ex his igitur, vt gradũ ad rem prȩsentẽ faciamus, secũdũ hic assertũ colligamus: Quando quis in quæstione contra ius de occultissimo suo crimine interrogatur, licet iure respondere non obligetur, tñ si vt abeculei pressura se eripiat illud infamãdo se reuelat, non solum non est illi peccatũ, verũ esse potest virtutis officium. Conclusio est superioribus appẽdix, Nã cùm quisq; sit suæ famæ dñs, potest eius dispendiũ ob causam facere: sicuti & aliorũ bonorum tẽporaliũ: igitur vt in tali casu licitũ misero est liberationẽ ab illis tormẽtis propria pecunia redimere, ita & sui criminis confessione, qua suę famę iacturam faciat. Secundò id probatur. Potest esse tantus nummorũ aceruus, vt existimationẽ famæ vulgaris hominis adæquet: sicuti tãtũ esse põst argẽti põdus, vt aurũ exuperet: qd' profectò nemo dextri ingenij inficias ire potest: cũ ergo cuiq; in illo casu dispendio magnæ pecuniæ eiusmodi cruciatus effugere liceat, fit vt possit id etiã dispẽdio suæ famæ facere. Tertiò id ipsum arguitur, Si quis contra ius eculeo exponeret, vt alienũ crimẽ reuelaret, qud' sub sigillo secreti susceperat: nõ loquimur de sigillo sacramẽti cõfessionis, qd' anteq̃ sacerdos reuẽlet teneť truculentissimã mortẽ perpeti: sed de alijs sæcularibus nequaq̃ teneret tã grauia tormẽta perferre anteq̃ id detegeret: maximè si nõ esset secretũ regis aut reipublicę, aut qd' per iniuriã ab alio extorserat, ex cuius reuelatione vita illius pẽdêret: ergo àfortiori, nemo teneť tam acrem torturã ferre vt suũ celet propriũ crimẽ. ¶ Si autẽ de falso crimine interrogare tur, maius dubiũ est, an peccatum sibi esset mortale, illud sibi citra iuramentum impo-

Ambrosius

Augustin'. Anselmus. S. Thomas. Adrianus.

Secunda assertio.

Probatio

Ratio altera ad idem.

Tertia ratio

Dubium.

nere nam periurium nemo dubitat esse mortale. Nec verò dubitatur quin etiã citra iusiurandum peccatum esset veniale, mentiri: atq; adeò certum est succũbendum esse priùs morti, quàm illud admittatur. Sed dubium est an mendacium illud citra iuramentum esset pernicioſum, ac ſubinde mortale. Et profectò ſi quæ dicta ſunt verum habent, nõ video cur esset pernicioſum, neque ad restitutionem obligatorium: quandoquidem ille ſuiipſius infamator, ſi perſona ſit priuata, nemini mentiendo facit iniuriam: poſtquã ſibi ſoli famam aufert. Loquimur enim de illo priuato homine qui crimen quod ſibi imponeret, non esset hæreſis, aliave enormitate aut fœditate grauiſsimum. Aliâs propter dignitatem perſonæ, vel propter enormitatem infamiæ, mortale esset. ¶Exiſtit tamen contra hanc ſententiam argumentum, quando ex tali confeſsione delicti ſequeretur mortis periculum qua reus ille condemnaretur: nam tunc videtur ideo non licêre, quòd tenemur vitam prę rebus omnibus ſeruare. Ad hoc autem compluribus reſpondetur modis. Primùm enim hactenùs nihil de periculo vitæ locuti ſumus, ſed tantum de iactura famæ. Mox confeſsio illa ſic extorta non eſt cui fides ſit adhibenda, vt propter illam reus adiudicetur morti: imò neq; vt propriè pro infamia ducatur: vt patet. 15. quæſt. 6 can. ſi quando q;. Deinde, etiam ſi mortis periculum immineat, non tenetur homo tãto cum cruciatu vitam ſeruare, ſed poteſt breuiorem ſibi permittere mortem, vt tam acerbam effugiat. ¶Ad primum igitur argumentum reſpõdetur, quòd vbi ratio denuntiare aliquem vel fraternè vel iuridicè poſcit, non eſt infamia occultum delinquentis reuelare crimen. ¶Ad ſecundum autem reſpondetur gloſſam illam non toti generi humano impingere notam huius vitij in gradu mortali. Nam primũ addit penè, deinde intelligitur de triuialibus murmurationibus, quę in vulgus citra mortale ſerpere ſolent: quas Augu. in tertio argumento citatus reputat minutiora peccata. Hierony. ad Gelantiam rationẽ vniuerſitatis huius morbi adnotauit: vbi ait, Pauci admodũ ſunt qui huic vitio renuntient: raroq; inuenies qui ita vitã ſuã reprehẽ ſibilem exhibere velint, vt nõ libenter reprehendant alienam. Tantaq; huius mali libido mentes hominũ inuaſit, vt etiam qui procul ab alijs vitijs receſſerunt, in iſtud tamẽ quaſi in extremum diaboli laqueum incidant.

Argumẽtũ contra prædicta.

Prima ſolutio.

Secunda.

Ad primũ argumẽtũ.

Adſecũdũ argumentũ

Auguſtinus

Hieronymꝰ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm detractio ſit grauius omnibus peccatis quæ in proximum committuntur.

QVæritur tertio loco de grauitate detractionis: quoniam videtur omnium delictorum maximum quæ in proximum committuntur. Ait enim gloſ. ſuper illud Pſal. Pro eo quòd me diligerent, detrahebant mihi: plus nocere in eius membris detrahentes Chriſto, quia animas crediturorũ interficiunt, quàm qui eius carnem mox reſurrecturam peremerunt. Vnde fieri videtur conſequens, detractionem tanto grauiorem eſſe homicidio, quanto vita animæ corporali præſtat: cùm ergo homicidium ſit reliquis omnibus grauius, quibus proximus offenditur: ſit vt detractio ſimpliciter ſit omnium grauiſsimum. ¶Secundò. Detractio videtur eſſe grauior quàm contumelia, pro eo quòd contumeliam facilius homo repellit quàm latentem detractionem quam ignorat: cõtumelia autem grauior adulterio: nam per adulterium coniunguntur duo in vnam carnem ad peccandum: contumelioſus autem diſiungit eos qui amore coniuncti erãt: quatenus occaſionem alijs præbet vt quem contumelijs afficit, odio habeant: ergo detractio eſt peior adulterio: quod tamen inter peccata quibus proximus lædit magnum habet pondus. ¶Tertiò: contumelia oritur ex ira, vt ex Gregorio articulo præcedenti retulimus: detractio verò ex inuidia, vt eodem loco. 31. Moral. idem ait Diuus. ſed inuidia grauius peccatum eſt quàm ira: ergò & detractio quàm contumelia. ¶Quartò. Eo peccatum quodcunque grauius eſt, quo nocentiorem inducit effectum, detractio autem inter omnia peccata peſtilentiſsimum inducit: ſcilicet mentis excæcationem, ex qua radice omnia pullulant. Ait enim idem Gregorius. 11. quæſtio. 3. Quid aliud detrahentes faciunt niſi quòd in puluerem ſufflant, & in oculos ſuos terram excitant? & vnde plus detractionis ſufflant, inde minùs videt. Eſt ergo detractio inter ea quæ in proximũ committuntur grauiſsimum. ¶In contrarium eſt quòd ſceleſtius eſt facto peccare quàm verbo: homicidium autem & adulterium ſunt peccata in facto: detractione verò intra verba peccatur.

Primum argumentum

Argumẽ.

Argumẽ. 3. Gregorij.

Argum. 4

Gregorius.

Meritò

MEritò porrò crimen hoc in suspicionē venire potest quòd sit omnium grauissimum, adeò est reipublicæ multimodè pestiferum. Nihilo minùs tribus conclusionibus ad quæstionem respōdetur. Prima. Inter vniuersa peccata quæ mortales aduersus se inuicem committunt, est homicidium. Excepta enim hic semper habemus peccata quæ deū habent pro obiecto: qualia sunt infidelitas, desperatio, Dei odium: blasphemia, periurium, & similia. Probatur conclusio. Princeps formalisquè, vt aiunt, ratio vnde vnum quodq; peccatum quod contra proximum committitur malitiam sortitur, sumitur ex nocumento illato: nam quo illud peius est, eo repugnantius est charitati: nocumentum autem tanto peius est quanto bonum quod per illud tollitur existit maius: bonum autem quod alteri quis maximum adimere valet, est corporalis vita: ergo homicidium est pessimum. Probatur hæc postrema præmissa. Bona humana in triplici sunt gradu. Primum enim est bonum animæ: atq; ei proximum, bonum corporis: ac tertium id quod in rebus exterioribus positum est. bonū autem animæ, quanuis sit omnium præstātissimum, nemo tamen potest illud alteri inuito adimere, licet possit illi occasionē eius porrigere: bonum enim animæ est gratia per quā viuit, quæ solo consensu in peccatum mortale adimitur: in huiusmodi autem cōsensum nemo potest alterum cogere. Et ideo quanuis alterum in peccatum inducere maiorem præ se ferat ex obiecto grauitatem, quàm si illum occideres, tamē quia talis inductio nō est coactio, nō tam enormiter peccas, quàm si temporali morte illum interimeres. Ratio est qua lib. 4. q. 6. vsi sumus aduersus eos qui putabant grauius esse animam proximi per occasionem occidere, q̄ illam corpori eximere. Restant ergo duo bonorum genera quæ quis alteri inuito vi aut fraude potest eripere: illorum autem præstantius est bonū corporis, puta vita exterioribus bonis quæ primum est omnium fundamentum: fit ergo vt homicidium crimen sit genere suo omniū atrocissimum, quæ in proximum committuntur. ¶ Secunda conclusio. Detractio secundùm genus suum est maius peccatum quàm furtum, minus autem quàm homicidium & adulterium. Patet ex dictis: quoniā fama egregius est bonum quàm exterior substantia: inferius autē quam vita, quę per homicidium tollitur, & per adulterium in futura prole lædit: nam per se loquendo filius qui incerto nascitur parente, educari nequit commodè. Ex quo fit & fornicationem simplicem eâdem ratione, vt. q. 3. contra Mar. de Mag. constituimus, grauioris esse culpę quā furtum. Et secundò sequitur, contumeliam peiorem esse etiam furto: nam est detractione propter violentiā & contemptum acrior. ¶ Tertia conclusio. His nō obstantibus quæ per se rebus conueniunt, potest accidentariè peccati grauitas aliundè, tum augeri, tum etiam minui. Nam qui deliberatè malum perpetrat, grauiùs peccat quàm qui ex infirmitate aut ignoratiōe illud admittit. Qua vtiq; ratione peccata quæ intra verba cōtinentur eò quòd linguæ velocitate expuūtur, aut leuiter ore decidunt, leuiora cæteris paribus reputātur. Qua vtiq; ratione paulò antè asserebamus peccata quæ in facto cōsistunt, grauiora esse q̄ verbalia. Intelligitur enim si rationē verbi cum ratione facti conferas. Nam ex parte obiecti assertum peculiariter est in secunda cōclusione, detractionem qua fama obnubilatur, grauiorem esse furto, quo bona eripiuntur externa. Hæc autē semper intelligenda sunt in specie: nam in indiuiduo potest esse furtum peius q̄ detractio: & detractio peior homicidio: vt si quis Deo aut eius fidei detrahat quod ad blasphemiā attinet.

Primo conclusio.

Probatio.

Secunda cōclusio.

Ratio conclusionis.

Tertia conclusio.

AD primū igitur argumentū per hoc postremū verbū respōdetur. Nā qui Christo detrahūt in suā obmurmurantes fidem, atq; adeò obstātes, quo minus qui crediturierāt illā suscipiāt, in ei⁹ diuinitatē blasphemi sunt: atque adeò quadantenùs enormiùs peccāt: q̄ qui carnē eius vita in tempus priuarūt. Nam illā vitā gratia cōfirmandę fidei assūpsit. ¶ Inter soluendū argumentum secundū definit S. Tho. Contumeliā peiorem esse detractione: licèt facilius repelli possit propter maiorem contemptū & violentiā: sicuti rapina peior est furto. ¶ Contra hoc autem quis forsan arguat. Fama excellentius bonum est honore: ergo detractio peior est cōtumelia: quia nocētior. Reperias qui nesciētes hoc argumentū ad mentē Tho. diluere, negēt famā egregius esse bonū honore. Imò cùm audiāt Tho. asserentem cōtumeliā esse peiorē, inferūt honorē præeminere famæ. Cùm tamē reuera contrà stet veritas: Obiecta em̄ propria & formalia cōtumelię & detractiōis, vt supra dixim⁹, nō sunt honor & fama: sed rationes inuolūtarij. Et inde colligitur cōtumeliā esse

Ad primū argumentū

Ad secūdū argumentū Solutio sancti Thomæ.

Tentatur solutio S. Tho.

Quorūdam solutio.

Reprobatur proxima solutio.

acer-

acerbiorē:nempè quia per eam quis patitur inuoluntarium vi,& per detractionem non nisi ignorantia.Huic tamen decisioni mini mè dissonat quo minùs fama cumulatiùs sit bonum atq; illustrius quàm honor. Pretiosior enim est bona existimatio quam populus de tua habet probitate,quàm honor,puta reuerentia quæ sæpè mendaciter exhibetur &vafrè: neq; semper propter virtutem, sed quandoque propter alia minora bona. Quapropter Sapiens, non quidem honori, sed bono nomini,quo fama intelligitur,tres adscripsit præminentes qualitates.Primùm quantum ad pretium,quod bonum nomen sit melius quàm diuitiæ multæ: Prouerb.22. Secundò quantum ad suauitatem & loci dilationem , quòd sit pretiosius quàm vnguenta,odore suo oblectantia: Ecclesiastì.7. Et tertiò quantum ad temporis diuturnitatem , quòd diutiùs permaneat quàm mille thesauri pretiosi & magni:Ecclesiastic.41.

Documentū ¶Sed & hoc rursus adnotandum: quòd etsi propter contemptum contumelia sit genere suo & obiecto peior detractione,scatet nihilo minùs detractio mille incommodis ac pestibus.Obtenebrat enim in primis virtutum gloriam,quę illius cœlestis repręsentatio est. Mox facilius committitur pluresq; inficit quam contumelia.Nam cùm inlatebris fiat, impunè atq; adeò passim & quacunq; nacta occasione loquendi obrepit:cùm contumelia propter metum non sit adeò in vsu.Dein de detractores ex insidijs pugnant,ob idque quàm difficilimè cauentur.Et maximè dum bilingues sint ac bifrōtes:nempè qui in facie mulcent , in auresq; incantant , sed in dorso latenter commordent. Quo quidem proditionis genere nihil in republica pestilentius esse potest. Nam cùm nemo eiusmodi homines caueat, sed sua illis pectora cuncti securi pandant:sanguinem alijs exugunt,quem in aliorum aures euomāt.Vnde Eccles.28. Susurro & bilinguis maledictus erit. ¶Accedit huc quòd detractores non suas tantùm animas perimunt,verùm & cunctis apud quos sua seminant scommata eādem spiritualem mortem inferunt: quatenùs eis odium eius ingenerant cui detrahunt,ac subinde pacem & amicitiam publicam,qua sydere nullo respublica splendidius fulget,violant & contenebrant.Dicuntur autem peculiariter detractores,vt reor homicidæ, vti in quadam epistola ait Clemens.quæ refertur de pœnitentia,distinct.1.can. homicidium. quod animā eius cuius famam denigrant, virtutibus priuare & nudare contendunt,quibus spiritualiter viuit. Et cōdem fortè refertur verbum.1 Ioan,3.Qui odit fratrem suum homicida est.

In comoda detractiōis.

Aduersus argumentū Aristo.

Ad tertium conceditur, contumeliam,vt superiori articulo dictum est,ex ira nasci:vt pote quòd ira correptus, vt.2.Rheto.author est Aristote.in manifesto cupit vindictam, quā per cōtumeliam facilius adipiscitur. Et ideo detractio , quia non ad eiusmodi manifestā vindictam tendit , non est iræ filia: sed inuidiæ.Detractor enim,quia liuore tabescit,claritudinem alienarum virtutum conspurcare studet.Haud tamen consequitur , vt si inuidia peior sit quàm ira,filia eius sit peior quā filia iræ. Nam genituræ istæ vitiorum iudicantur ratione conuersionis ad eundem finem:ad quē scilicet & filia ordinatur & mater:malignitas autem & grauitas attenditur ex parte auersionis.Et quia inuoluntarium per vim inferre,quàm per fraudē,elōgatior est auersio à charitate,contumelia est peior. ¶Nihilo minùs & detractio hac inter alias macula sordet,quòd ex inuidia nascitur quę sordidissimum est vitium:quatenùs è regione maximè charitati opponitur. Charitas enim,vt ait Paul non emulatur,non agit perperam,non inflatur, non est ambitiosa,non quærit quæ sua sunt,non irritatur,non cogitat malum,non gaudet super iniquitate:cōgaudet autem veritati:quorum omnia contraria in inuidia continentur. Habet enim hoc inter cuncta vitia enormissimum: naturæque rerum repugnantissimum, vt de malo,quod abhorrēdum est,gaudeat, de bono verò,ac potissimū de alienis virtutibus quæ amore sunt potissimum venerandæ contristetur: id quod diabolicum est ingenium. Quapropter nemo est qui inuidiam cauere possit: quandoquidem omnes tenentur ad virtutum fastigia conniti:& quo quisque altiùs euehitur,maiorem inuidiam liuidis concitat.Huius ergò hydriæ sobolem sese detractores agnoscāt. ¶Ad quartū igitur perinde conceditur, ingenium esse detractionis mentem excęcare:nam cùm vnusquisque,vt Prouerb.15. ait Sapiens, in sententia lætetur oris sui, qui detrahere pergit,amare dicta sua incipit , maleque de bono sentire , ac probos subinde odio habere:per quam viam mens excæcatur . Attamen cùm & idem ipse effectus aliis etiam vitijs communis sit, vt gulæ, luxuriæ & cæteris:non inde arguitur omniū esse pessimam detractionem.

Paul.

Ad quartū argumentū

A R-

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm audiens tolerãsque detrahentem mortaliter peccet.

PRopter perniciem detractionis quærendum demum restat, vtrùm qui detrahentes audiunt mortaliter peccent, nisi illis ora compescant. Arguitur enim contrà: Nemo plus alteri quàm sibi tenetur. Laudi autem cuicunq; apponitur si suos ferat detractores: secundùm illud Gregorij supra citatum super Ezechielem homil 9. Linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat: ergo non est peccatum detractoribus aliorum non obsistere. ¶Secundò, Eccle. 4. iubemur non contradicere verbo veritatis vllo modo: vsu autem venire solet vt qui detrahit, à veritate non recedat: ergo tunc non est virtus illi contradicere. ¶Tertiò. Id quod in aliorum vtilitatem cedit nemo prohibere debet: detractio autem crebrò in rem eorum est quibus detrahitur. Vnde Pius Pontifex. 6. q. 1. can. Oues. Nonnunquàm, inquit, detractio aduersùs bonũ concitaꝛ, vt quos vel domestica adulatio vel aliorum fauor in altum extulerat, detractio humiliet ergo detrahentes reprimere nõ est officium. ¶In contrarium est Hierony. vbi ait, Caue linguam aut aures habeas prurientes, vt aut alijs detrahas, aut alios audias detrahentes.

Primum argumentum

Gregorius.

Argumẽ. 2

Argumẽ. 3.

Hieronymꝰ

AD quæstionem tribus cõclusionibus respondetur. Prima. Quicunq; vel alium ad detrahẽdum inducit, vel detractione propter odium delectatur, nihilominus quàm detrahens peccat: quin verò quandoque aliquanto plus. Probatur conclusio ex illo ad Rom. 1. Digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui facientibus cõsentiunt. Eiusmodi enim consensus bifariam contingit: vno quidem modo directè, quando vel quis alterum ad peccatum inducit, vel ei placet: & quidem qui isto modo cõsentit, omnino fit criminis particeps. Quin verò si inducit, eo grauiùs peccat, quo in motore plus est culpæ quàm in moto: atq; adeò si letatur, forte potest & grauiùs peccare si odium cumulatius habeat quàm sit in detrahente. Ac de istis intelligitur verbum Bernard. prope finẽ secundi lib. de consi. Detrahere aut detrahẽtem audire: quid horum damnabilius sit, nõ facilè dixerim. Secundo autem modo consentire quis dicitur indirectè: quia scilicet nõ resistit. Hoc autem dupliciter cõtingit. Nam qui non resistit, aut munere suo proprio ac publico officio resistere tenetur: aut priuata persona est, cui id ex officio non incumbit. ¶Sit ergò secunda conclusio. In priuata persona detractionem aliorũ non repellere peccatum est: multò tamen minus quàm in detrahente: quod quidem plurimùm esse solet veniale. Tertia conclusio. Quandoq; non resistere detrahenti, peccatũ esse potest mortale primum in persona publica, puta in eo qui detrahenti præest. Secundò propter periculum quod ille qui audit imminere ex detractione videt. Ac tertio si quis ob solum timorem humanum obijcere se detractori formidet, Conclusiones sunt sancti Thomæ. Et vnica ratione ambæ confirmãtur. Iam enim suprà pluries monstratum est, vt quis sit indirectè causa alicuius mali, nõ satis esse quòd vitare illud possit, sed præterea exigi, quod teneatur. Teneri verò quempiam accidit aut ex iustitia aut duntaxat ex charitate. Priuata autem persona rigore iustitiæ nõ tenetur malum proximi cauere, sed tantùm ex charitate si absq; suo detrimento potest. Et ideo non est per se omnino charitati aduersum, à tali infamiæ detrimento proximum non liberare: vix tamen à veniali excusatur: vt in secunda conclusione assertum est. Nam vbicunq; detractio oboritur, potest quis facili negocio vrbanè ac leuiter detrahenti occurrere: atq; adeò si id nõ faciat, negligere omnino censetur proximi famam. Attamen si detractor ille vsq; adeo esset turgidus atque intractabilis vt periculum ab illo immineret, quicunq; excusaretur, etiã à veniali. Hoc autem quam rarissimè vsu venit, Adde & sola verecundia excusari aliquem posse. Vt si qui detrahit illustrissimus est: audiens verò famulus eius aut alia abiecta persona quæ mutire nõ audet. Ex iustitia autem cum primis tenetur Prælatus, & ideo ille procul omni metu & pudore tenetur subditos à detractione corripere, si sit in re alicuius momenti: cuius idcirco omissio peccatum est mortale. Prælatus inquam detrahentiũ: nam prælatus eorum quibus detrahitur, non tanta iustitia eos tenetur protegere: quia cura prælati est cauere nè subditi peccent. Quanuis & quodammodò teneatur charitatis vinculo

Prima conclusio.

Probatio cõclusionis

Bernardus.

Suadetur cõclusio.

Tertia conclusio.

Suadetur 2 conclusio.

culo subditorum honorem tueri. Prætereà priuata persona cùm ex detractione videt periculum imminere alicui mortis vel turbationem reipublicæ, cum aliquo suo detrimẽto tenetur occurrere. Metus autem humanus tunc ascenderet ad peccatum mortale, quando iacturam temporalium bonorum charitati quis anteferret. Non autem id facere censendus est, quoties metu humano cauere cessat proximi detrimentum, vt in secunda conclusione dictum est: sed quando sua esset omnino necessaria renitentia ex præcepto. Vt si detrahetur fidei, aut religioni. &c. ¶ Ex his demum hoc colligamus *Documentũ saluberrime* saluberrimum documẽtum, vt intelligamus impendio quàm maximè necessarium esse ad pacem & salutem reipublicæ, ac potissimum Christianæ familiæ detractoribus obuiam vbiq; prodire. Quod certè, vt dicebam, nemo non suo gradu facile potest perficere. Et quando id non poterit, prudentis officiũ erit colloquio abire: vt illa ratione detractorem pudore suffundat. Vnde Hierony. epi- *Hieronym⁹.* stola ad Gelantiam, quæst. 14. egregiè tum detrahentes obiurgat, tum nihilo minùs & eos qui eis non obsistunt: secundùm illud Psalm. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.

Ad primum argumentũ AD primum igitur argumentum respondetur quòd maledicta quę in præsentia eius cui maledicitur iactantur, nõ detractiones, sed contumeliæ sunt: & ideo ad virtutem humilitatis attinet illas ferre. Quando verò iam in alias aures inserpunt, detractionis rationem induunt. Et tunc ait S. Tho. id quod suprà à nobis sæpè citatum est, in arbitrio eius esse detrimentum suæ famæ pati, nisi in periculo aliorum vergat. Dum autem in nostra præsentia absentis famam corrodit, non est nostri arbitrij infamatori parcere: quia nõ sumus domini alienæ famæ. Et ideo vitio nobis vertitur si nõ resistamus cùm facilè possumus. Nam si Deute. 22. præcipiebatur vt nemo iacentem asinum proximi leuare negligeret, grauius erit periclitantem pro- *Ad secũdũ argumentũ* ximi famam non protegere. ¶ Ad secundum respondetur quod etsi dum detractor vera dicit, non sit ei contradicendum, est nihilo minùs ei reprimendum verbum nè aliena vulnera exulceret: aut saltem subrugata fronte illi ostendendum eius nobis displicere sermonem. Nam vt Prouerb. 15. legitur, ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Ad tertium demum respondetur vtilitatem & emolumentũ quæ ex detractione prouenit, non ex intentione detrahentis proficisci, sed è Dei gratia mollientis alterius animum: & ideo perinde obsistendum est illi, atque raptoribus & furibus: licèt ex talibus incommodis, eis qui passi sunt meritum nonnunquam patientiæ accrescere solet. *Ad tertiũ argumentũ*

QVAESTIO VNDECIMA, De susurratione & derisione.

Sanct. Thomas. 2. 2. quæst. 75.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm susurratio sit peccatum à detractione distinctum.



CONTVMELIAE & detractioni quæ inter verbalia vitia primas obtinent, alia adiunguntur quæ non sunt silẽtio prætereunda. Et primò de susurratione quæritur sitne crimen à detractione diuersum, an verò quippiam grauius. Primùm enim arguitur *Primum argumentum à parte negatiua.* à parte negatiua, nempè quòd à detractione non differat. Ait enim libr. Etymol. Isidorus *Isidorus.* susurronem de sono locutionis appellari: quia non in facie alicuius, sed in aure loquitur detrahẽdo: vbi susurrare idem esse censet quod detrahere. Et Leuiti. 19. Non eris criminator nec susurro in populis. Et Eccles. 23. vt suprà citatum est, Susurro & bilinguis maledictus erit: criminator autem & bilinguis idem esse apparet quod detractor. ¶ Secundò *Argum. 2.* arguitur, quod quanuis susurratio à detractione differat, nõ tamen sit grauior: peccata enim oris à maledictione malitiam cõtrahũt detractor autem mala simpliciter de proximo spergit: cùm tamen susurrones satis habeant illa quæ apparentiam mali habent in *Argum. 3.* culcare. ¶ Tertiò, qui detrahit fratri suo, vt habetur Iaco. 4. detrahit legi aq; adeò legislatori Deo. Vnde maiorem cõtrahit grauitatem quàm

quàm sit in susurratione. ¶In contrarium autem est illud Ecclesia.5. Denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium,& inimicitia & contumelia. Vbi peiores effectus tribuuntur susurrationi, quàm detractioni.

Prima conclusio. AD quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior. Susurratio etsi tam forma quàm materia cum detractione conueniat, sine tamen differt. Etenim tam susurro quàm detractor mala in proximum obloquitur, idque clanculò, inque eius absentia : quare vtrunque à contumelia differt. Atque hac ratione promiscuè apud Doctores ambo quandoque vsurpantur verba. Vnde super illud Eccleiast.quinto. Non appellêris susurro, ait Glossa, id est, detractor. Attamen si verborum etymologiam consulas, detractio idem est, vt suprà diximus, quod famæ subtractio & diminutio. Susurratio autem solùm denotat clandestinam, atque adeò vitiosam loquutionem. Ob idque forsan ex vsus accommodatione illam significat oblocutionem, qua quis cõtendit non tam famæ detrahere, quàm amicitias dissoluere: & ideo differt sine. Quapropter etsi tam susurro quam detractor mala in genere de altero loquantur, tamen in specie detractor illa disseminat quæ verè sint mala culpæ. Nempe quibus fama commaculetur. Susurro autem satis ducit illa proferre, quæ possint audientis animum ab alterius amicitia diuellere: etiam si sit bonum, dummodò vel malum appareat vel audienti displiceat. Vt si apud prodigum de eius amico susurret. quòd sit pecuniarum tenax: & apud festiuum & dissolutum obmurmuret alterum esse nimis compositum ac modestum. Discrimen hoc primum patet ex glossa super illud ad Roman. primo susurrones, detractores. quæ ait susurrones inter amicos discordiam seminare: detractores verò aliorum bona negare aut minuere. Et Prouerbio. 26. Susurrone subtracto iurgia conquiescunt. Et Ecclesiasti. 28. Vir peccator (& est de susurrone ac bilingui sermo) conturbabit amicos & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Quanuis & hoc etiam suprà detractori tribuimus: eidemque idem tribuit ad Gelantium Hieronym. Quòd si nos interroges, vtrùm cùm multæ sint amicitiarum species secundùm Philosoph. 9. Ethico. alia scilicet quæ fundatur super bono honesto, & alia super vtili, atque alia super delectabili, sint etiam diuersæ susurrationis species. Respondetur negatiuè. Susurro enim tantùm contendit amicitias dissociare in genere. Tametsi dum alium scopum per illam viam attingere contendit, tunc eius susurratio potest diuersas malignitatis maculas contrahere. Vt si quis in aures principis aduersus alium susurret, vt eius honorem obtineat ambitiosus est vel auarus : & si de marito susurret apud vxorem, vt amicitia inter eos sublata, eius potiatur amplexu, erit adulter. Sed hæc extra rem præsentem sunt. ¶Posterior conclusio. Susurratio genere suo grauius peccatum est detractione, atque etiam quàm contumelia. Enimuerò vt suprà dictum est, inde venamur peccatum esse grauius, quòd maius inferat nocumentum: eoque nocumentum maius censetur, quo bonum sublatum est præstantius: amicitia verò præstantius bonum est, quàm fama & honor: ergo & susurratio pacis perturbatrix peior est quàm detractio & contumelia. Probatur autem vltima præmissa tum autoritate Ecclesiastic. 6. Amico fideli nulla est comparatio. tum & ratione. Nam bona fama & honor in hoc vtilis est, vt multorum quis amicitiam conciliet, atque adeò per regulam posterioristicam amicitia præstantior est quàm fama. Adde quòd post virtutes, ad fœlicitatẽ comparandam, vt octauo Ethicorũ. ait Aristote. nihil conducentius est quàm amicorum copia. Sanè cùm non solum amicorum omnia sint communia, verùmomnes quadantenùs homo vnus. Quare cui legitimi abundant amici, nihil deesse in vita potest. ¶Sed arguis etiamnum in contrarium. Detractor, vt suprà dictum est: amicos etiam dissociat, sicut susurro: non ergo differunt fine. Respondetur quòd etsi per detractionem amicitiæ nonnunquam euertantur, non est tamen ille detractoris scopus, sed tantùm famam deturpare, quæ ad inimicitias viã sternit: finis autem proximus susurronis est easdem inimicitias conflare: & ideo est turpior.

¶De hac autem conclusione duo se offerunt minutiora dubia. Primum de hac comparatione qua amicitia famæ & honori præfertur. Apparet enim fama inde pretiosior, tum quòd latius extenditur : plures enim sunt quibus studiosus notus est, quàm quibus est amicus: tum etiã quòd est virtuti propinquior. Nam qui moribus præstat, illicò in aliorum notitiam venit: etsi non tam facilè in

Glossa. *Probatio superioris conclusionis.* *Scrupulus.* *Solutio.* *Posterema cõclusio.* *Ratio conclusionis.* *Aristo.* *Obiectio.* *Solutio.* *Primum dubium.*

lè in amicitiam: propterea quòd non omnes sunt virtutis amatores. ¶Ad hoc in primis respondetur, neque famam, neque honorem, neque verò amicitiam, virtutes esse: atque adeò neque spiritualia bona in quibus vera fœlicitas consistit: sunt tamen virtuti agnata. Vnde Arist. 8. Ethicor. Amicitia, inquit, non est virtus, sed virtuti proxima. Vbi de illa loquitur amicitia quæ hoc nomine verè gaudet, nempè quę ex bono honesto, hoc est ex virtute proficiscitur. Nam quæ de vtili aut delectabili initur, non est nisi secundū quid amicitia. Sicuti & bona ipsa, quibus nititur. Et quia amicitia non gignitur ex virtute nisi per eius notitiam, in qua fama consistit, inde fit amicitiam prę stātiorem esse quā famam, tanquam eius finem: nam frustra esset virtutis notitia nisi homines ad studiosi amorem alliceret. Ac proinde in cœlesti beatitudine propterea notitia illa mutua beatorum ad beatitudinem spectat, quod omnes eodem amore conglutinat. ¶Vnde ad prius in contrarium argumentum negatur latiùs protendi famam, quàm amicitiam: nam quotquot notitiam habent integritatis hominis ac virtutum prę stantiæ, nisi corruptis ipsi sint moribus, ipsum amant. Ac perinde ad posterius negatur propinquiorem esse virtuti formam quàm amicitiam. Imò amicitia germanior illi est: quapropter sicut virtus nihil à fortuna pendet, ita & habere amicos potiùs à virtute nascitur, quàm à fortunæ temeritate. ¶Alterum dubiolum est de grauitate peccati susurrationis. Ad quod facilè respōdetur quòd etsi genere suo mortale sit crimen propter nocumenti grauitatem, potest tamen ex leuitate materiæ esse veniale. Vtrùm autem aliquando contingere absq; vlla culpa possit, Respōdetur primùm quòd susurrare ad dirimendam pernicioſam amicitiam, dum modò citra infamationem fiat, virtus est: etiam si nonnulla naturalia vitia hominis commemorentur. Vt si ad dimouendum hominem ab amica dicas esse deformem atq; insulsam. &c. At verò dissociare amicos quorum amicitia in virtute & honesto fundatur, nunquam esse potest citra peccatum: & quidem mortale si ex amicis contendas facere inimicos: nam si tantùm contendas amouere assiduam familiaritatem, esse potest veniale. ¶An verò quis possit amicitiam aliquorum dissuere non quidem illa intentione vt sint inimici, sed tanquàm mediū vt se loco illius expulsi in amicitiam alterius insinuet: quia videlicet prælatus aut princeps non hunc ad tantum familiaritatem admittet, nisi alter excludatur. Respondetur primùm quòd alterum infamando neutiquàm licèt: sed tamen narrando aliqua eius vitia naturalia quæ sunt publica, forsan nullum est peccatum: quia vnusquisq; sine vi & fraude potest sibi commodum cuius dignus est procurare. ¶Quòd si arguas, id est verum nisi alter non repellatur à iure suo: Respondetur quòd quando illud ius ei per iustitiam competit, nefas esset tali iure hominē expoliare: sed tamen quando gratuitò in amicitia alterius retinetur, nō fit ei iniuria.

Solutio prioris conclusionis. *Aristo.* *Amicitia pstat famæ.* *Ad argumētum factū.* *Postrema dubitatio.* *Responsio.* *Scrupulus.* *Solutio.* *Obiectio.* *Dissolutio.*

AD primum igitur argumentum iam responsum est quòd susurro secundum illam generalem rationem qua male de alio loquitur detractor dicitur: differt tamen sine vt dictum est. Ad illud autem Leuit. 19. respondetur criminatorem vt nomen sonat tam à susurrone quàm à detractore differre. Est enim ille qui aliena crimina præter ius, vel imponit vel denuntiat, vel auget & improperat: licet hoc etiam detractor aliquando susurroq; faciat. Ad aliud verò Eccles. 28. concedimus & susurronem nonnunquàm esse bilinguem: nam duorum amicorū vtriq; dicit quod ei displicet. Atq; adeò alterivnum ac subinde alteri aliud. tamen si & detractor alia sit ratione bilinguis: vt suprà diximus: quia aliud in absentia, aliud in præsentia loquitur. ¶Ad secundùm respondetur quòd quanuis detractor semper quod malum est obloquatur, susurro autem non id semper, sed quod malum alteri apparet, est nihilo minùs susurratio peior: quia peccatorum grauitas non attenditur ex illo materiali obiecto, sed ex fine & effectu qui peior est in susurrone. ¶Ad tertium denique respondetur quòd qui detrahit homini propterea censetur detrahere legi, quòd agit contra legem de dilectione proximi. Quapropter & susurro amicitiarum extinctor quia nocentius eandem dilectionis legem transgreditur, Deum peiùs offendit: qui, vt habetur. 1. Ioan. 3. dilectio est. Quapropter Prouer. 6. Sex inquit sunt quæ odit dominus, & septimum (quasi omnium pessimum) detestatur anima eius. Atque illud septimum ille est qui seminat inter fratres discordiam.

Ad primū argumentū *Ad secūdū argumentū* *Ad tertiū argumentū*

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm derisio sit speciale peccatum à præcedentibus distinctum, atq; adeò mortale.

POST hæc & de derisione etiam videre supereſt, qua le quantumque peccatum sit. Et arguit primò quòd non differat à contumelia: nam subsannatio idem esse videtur quod derisio, eademque in contumeliam concidere. idque & ex materia & ex illato nocumento comperitur. Nemo enim deridetur nisi de aliquo turpi, quod quidem si in faciem ei obijciatur, contumelia est: si verò clanculum, est vel detractio vel subsannatio. Item nocumentū quod per derisionē infertur aut contra honorem est, & tunc est contumelia: aut contra famam, & tunc erit detractio: aut contra amicitiam, & tunc erit susurrus. ¶Quòd autem derisio non sit peccatum mortale arguitur: quia cum derisio ludo fiat, ac sæpe inter amicos, non videtur esse charitati contraria. Adde quòd neque derisio quæ in iniuriam Dei vergit esse apparet mortalis. Nam quicunque in peccatum recidit à quo per Dei gratiam resurrexerat, irrisor est eius: etiam si peccatum illud sit veniale: secundùm illud Isidori: Irrisor est & non pœnitens qui adhuc agit quod pœnitet: & tamen non quicunque relapsus in veniale est veniale. Item & simulator irrisor Dei est: secundùm illud Gregorij, Per structionem significatur simulator, qui deridet equum & ascensorem, id est Deum: & tamen non quæcunque recidiuatio neque simulatio est peccatum mortale. ¶In contrarium est quòd irrisio fit ludo: cætera verò seriò: & ideo peccatū hoc ab illis differt. Et Prouerbiorū. 3. legitur quòd Deus deridet illusores: deridere autem Dei est æternaliter punire: vt testatur illic Psaltes, Qui habitat in cœlis irridebit eos. vnde colligitur esse peccatum genere suo mortale.

Primum argumentum.

Secundū argumentum quo tētatur altera pars agitatæ quæstionis.

Isidorus.

Gregorius.

AD quæstionem tribus facilimis conclusionibus respōdetur. Prima est. Peccatū derisionis distinguitur à cæteris suprà nominatis. Probatur. Peccata quæ verbis committuntur, ex intentione, vt suprà dictum est, existimantur: ergo diuersa eorum intentio diuersas inter ipsa constituit species. Sicut autem contumeliator honori intendit derogare, & detractor famam diminuere, & susurrator amicitiam extinguere: ita irrisor erubescentiam & pudorem alteri offundere, qui quidē finis ab alijs discriminatur: ergo ab alijs specie secernitur. Differt præterea, vt dicebamus, quòd cætera seriò: irrisio verò sub ludi forma scommata sua tegit: vnde & lusus dicitur. Quare irrisio frequentissimè in ironia versatur: vt si deformem hominem pulchrum appelles: & infimè natum, ingenuum: & elinguem, disertum & elegantem. ¶Ad subsequentium autem conclusionum intellectum præmeditandum est quòd cùm irrisio non sit nisi de aliquo vitio, aut morali aut naturali, prudenter discernendum est an malum illud per se ingens sit & graue, an verò per se paruum: si enim per se magnum sit, non est secundùm naturam suam irrisionis materia: imò eius commemoratio vt seria improperatio natura sua reputatur. quare si in risum & iocum proferatur, hoc fit quia narratur vt paruum. Bifariàm ergo vitium aliquod ceu exile & pusillum risu & lusu profertur: videlicet vel tanquàm paruum & tenue secundùm se, aut respectu personæ quæ parui penditur.

Prima conclusio.

Ratio conclusionis.

Documētū.

¶Sit ergo secunda conclusio. Exponere peccatum alienum aut naturalem defectum irrisioni tanquàm paruum, secundùm se non est genere suo mortale, sed veniale, si aliquo inde modo alter pudefiat: nam res esse potest tam exigui momenti, vt nullum sit peccatum. Conclusio est per se manifesta. Quoniam omne peccatum ratione leuitatis materiæ fieri potest veniale. Dixerim autem genere suo: quoniam si quis vitium non adeò per se magnum alteri illudendo obijciat: sciens irrisionem illum grauissimè laturum, peccatum contra charitatem committit. Vt si honestissimo viro ac religioso quis in facie diceret absque arbitris fuisse puellæ loquutum, vnde ille ingenti rubore suffunderetur, profectò non euaderet à mortali culpa illæsus. ¶Tertia conclusio. Si vitium quodpiam sub risu & ioco in faciem hominis expuatur tanquàm paruum, non quidem per se, quia magnum absolutè æstimatur: sed respectu personæ cui obijcitur, quæ pro vili habetur, & ideo pro nihilo ducitur talis eum vitij denotari, peccatum mortale est: idque

Secunda cōclusio.

Probatio.

Tertia conclusio.

grauius quàm contumelia, tantoque enormius quanto personæ quæ illuditur maior erat habenda reuerentia. Probantur singulæ partes: quoniam magnum vitium alteri in faciem obijcere peccatum est contumeliæ: quod vt suprà diximus, culpam affert mortalem: quod autem per ironiam vel sub risus schemate proferatur, re vera culpam non minuit: imò eò auget quòd tali irrisione persona adeò denotatur vilis, vt nõ magni pendatur tale vitium illi impingere. Sicuti nihili æstimatur pueros stultosque homines atque alios abiectę sortis similium vitiorum nominibus denotare. Hoc enim rationem contemptus exauget: quare grauius est crimen quàm si serio per contumeliam talia obijcerentur vitia. ¶ Hinc palàm fit tertium conclusionis membrum quòd quantum persona illa maioris erat reuerentiæ digna, tanto eiusmodi irrisionis scomma ta grauioris sunt culpæ. Quocircà dum in Deum eiusmodi irrisiones euomuntur, aut in fidem & religionem enormissima exi stunt blasphemiæ crimina. Vnde Isai. 37. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam? Et subditur ad sanctum Israël. Post hanc secundum locum obtinet irrisio parentum. vnde Prouerbior. 30. Oculum qui subsannat patrem & despicit partum matris suæ effodiãt eum corui de torrentibus, & comedant eũ filij aquilæ. Deinde tertio loco habetur derisio iustorum: nam cùm honor sit virtutis præmium, iusto subsannare est virtutibus ipsis & quadantenùs Deo iniuriam irrogare. Quin verò & hæc nonnunquàm ob insignem viri sanctitatem excedere illam potest quæ est in parentes. Et contra hos irriso res legitur Iob. 12. Deridetur iusti simplicitas. Quod quidem derisionis genus nocua est & pestifera: quippe qua homines à virtutum exercitio præ pudore retrahuntur. Vnde Gregorius, Qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis euellunt. ¶ Circa hanc tertiam conclusionem, nam de alijs nullum est dubium, scrupulum ingerit argumentum quòd cum contumelia contra honorem existat: derisio autem contra verecundiam, honor verò præstantius bonum sit verecundia: videtur contumelia grauius crimen quàm derisio. Respondetur nihilo minùs quòd vitiorum grauitas non inde semper sumitur vnde eorum species distinguun tur: secernitur enim derisio à contumelia ex fine diuerso, quæ scilicet erube scentiam & pudorem efficit: grauitas tamen eius perpenditur ex maiori contemptu qui est in derisore quàm in contumelioso. Illa enim ratione diximus contumeliam peiorem esse detractione, licèt fama cui per detractionem officitur, pretiosius donum sit quàm honor. Adde quòd irrisio adiunctam semper habet contumeliam: quippe qua in præsentia irrisi improperatur eius vitium, sed singulari modo. Quòd autem irrisio Dei, aut fidei, aut religionis, aut cuiuscunque virtutis sit nocentissima, inde patet, quòd multi aliâs probatæ virtutis, nempe qui alia vitiorum monstra debellârunt: quoniam à filijs huius sæculi hypocritæ nominantur, atque ideo quòd egregiè viuunt subsannantur, pudefiunt in publico egregijs virtutibus nauare operam. Cuius ideo familiã suam Christus admonitam prouidè curauit. Primùm Matthæ. 5. vbi singularem beatitudinis gradum illis proposuit quibus homines ob id maledicerent, quòd mundum ludibrio haberẽt, & eius sapientiam stultitiam reputarent, & veluti stulti in mundanorum oculis viuerẽt. Et Matth. 10. Qui me confessus, inquit, fuerit coram hominibus, confitebor ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Et apertiùs Lucæ. 9. Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cùm venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum,

Suadet̃ posita conclusio quo ad oẽs sui partes.

Primus gradus irrisionis.

Secundus gradus.

Tertius.

Gregorius.

Scrupulus.

Solutio.

Ad primã argumenti.

AD primũ igitur argumentũ respõdetur q̃ subsannatio & irrisio licèt fine conueniant pudefaciendi, differunt tamen in modo: quia irrisio solo fit verbo, & cachinnis, & scommatibus potissimùm ironiæ: subsannatio verò gestibus alijs, vt detorto rugatóve naso: vt habet glos. super illud Psal. 2. Qui habitat in cœlis irridebit eos. Aut prolatis labijs, aliisve seu mẽbrorum seu rerum figuris ostensis quibus vitium hominis subnotatur. Talis verò differentia speciem non variat: eò quòd gestus illi omnes verborum vice funguntur. Differt tamen vtrunque à contumelia sicuti erubescentia à dehonoratione. Est enim erubescentia, vt ait Damas. inhonorationis timor. ¶ Ad aliud eiusdem argumenti membrum respondetur, q̃ etsi irrisio non sit nisi de aliquo turpi, quare in materia cum cõtumelia & detractione conuenit: tamen effectu differt. Tria enim sunt

Ad aliud membrum eiusdem argumenti.

quæ

Tria sunt quæ homo virtutũ vsu apud alios promeretur.

quæ homo virtutum vsu apud homines cõmeretur: scilicet & honoris reuerentia, & fama apud alios, & apud seipsum: bonæ conscientiæ gloria, secundùm illud .2. ad Corin. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: contumelioſus ergo & detractor turpia dicunt vt honori & famæ officiant: derisor autem & subsannator vt per erubescẽtiam & pudorem gloriam conscientiæ illi alteri aditnat. ¶Ac per hoc respondetur ad tertium membrum. Nempe aliud esse detrimentum derisionis ab alijs: scilicet inquietatio ac turbatio tranquillitatis conscientiæ quæ magnum bonum est, secundùm illud Prouerb. 15. Secura mens quasi iuge conuiuium. Pabulum enim conscientiæ, nempe quo homo animam suã saginat, cogitatio est virtutum, quibus Dei fauore in eius gratia perstat. ¶Ad secundum argumentum respondetur, quòd etsi ludus de se nihil importet charitati contrarium, respectu illius personæ cum qua lusus initur: potest nihilo minùs ratione materiæ charitati aduersari propter contemptum. ¶Ad tertium respondetur, quòd neq; qui in peccatum recidit etiam mortale, neque hypocrita officium simulans directè irrisor est Dei: quoniã potest vel ex infirmitate vel ex ignorantia relabi: sed interpretatiuè talis habetur: quia quandam irrisoris effigiem præ se fert dum quod in pœnitentia promisit non seruat. Adde quòd venialia iterare non est propriè recidere, cùm non sit à gratia Dei casus: sed est dispositio quædam ad casum. ¶Ad quartum denique respondetur, quòd etsi derisio quatenùs ludũ importat leuius quidpiam sonet quàm contumelia & detractio, nihilo minùs quia maiorem habet contemptum, inde fit grauior.

Ad tertiũ membrum.

Ad secundũ argumẽtum principale.

Ad tertiũ.

Ad quartũ

QVAESTIO DVODECIMA, De Maledictione.

Sanct. Thomas. 2. 2. quæst. 76.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm cuipiam sit licitum alteri maledicere.

DOSTREMA iniuria quæ verbis infertur est maledictio: de qua primùm quæritur, vtrùm sit quoquo pacto licita. Arguitur enim à parte negatiua. Apostolus nanque (in quo Christus, vt. 2. ad Corint. 3. ipse asserit, loquebatur) præcipit ad Roman. 7. dicens: Benedicite, & nolite maledicere. & vt habetur Danielis. 3. Omnes tenemur Deum benedicere. Ait enim: Benedicite filij hominum Domino. & tamen ex eodem ore, vt Iacob. Apostolus cap. 3. docet, non potest Dei benedictio & hominis maledictio procedere: ergo nulli licet alterum maledicere. ¶Secundò arguitur ratione. Nam qui maledicit, optare alteri increpareque censetur malum. Quæ quidem animi affectio cum charitate pugnat. Quin verò neque diabolus ipse malitia obstinatissimus licitum apparet vt maledicatur: quippe cùm Ecclesia .20. legamus, Cùm maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. ¶Tertiò denique arguitur. Si quempiam maledicere licet, hoc est quia malus est: tamen cùm aliena corda nobis non pateant, hac ratione non apparet licita maledictio. vnde super illud Numer. 23. Quomodò maledicam cui non maledixit Dominus? ait glos. Non potest esse iusta maledicendi causa, vbi peccantis ignoratur affectus. ¶In contrarium autem existit maledictio illa Deuterono. 27. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius. Et Eliseus, vt. 4. Reg. 2. legitur, maledixit pueris sibi illudentibus.

Primum argumentum Paulus.

Secundum.

Tertium.

QVanuis vsitatius sit multò, Maledicere alteri, quàm alterũ: tamen inter morales philosophos vsus etiam obtinuit vt ad explicãdum affectum quem quis in aliũ exhibet, maledicere, cum casu etiam accusandi copuletur. Ad quæstionem ergo trimẽbri diuisione præmissa, trina cõclusione respondetur. Est enim maledicere idẽ quod malum dicere: id quod trifariàm contingit Vno scilicet modo sub forma enũtiationis, vitium alterius referendo: atq; hoc quidem nihil ad præsentẽ quęstionem attinet: sed ad vitium detractionis, aut contumeliæ, aut aliorũ quæ hactenùs explicata sunt. Secundo verò modo maledicere aliquid cõtingit per

Diuisio trimembris.

modũ causæ aũt effectricis aut motricis: qua scilicet alius quispiã ad agendum mouetur. Atq; hoc idem primùm ac propriè Deo per excellentiã cõpetit, qui solo verbo condidit vniuersa: secũdùm illud Psal. Dixit, & facta sunt. Quapropter Deo benedicere idem est quod bonum impartiri: & maledicere idem quod malũ inferre. Secundũ autem Deũ suo quoq; gradu & ordine cõpetit, etiã hominibus qui imperio suos mouẽt subditos ad ali quid exequendũ, ad quẽ exprimendũ affectum instituta sunt verba imperatiui modi. Tertio demũ modo dicere expressio quædã est affectus id desiderãtis quod verbo exprimitur: cui quidẽ affectui verbũ inseruit optatiui modi. Et hic propriè mod⁹ vulgò appellatur maledictio aut benedictio: puta boni malive imprecatio. Ex quo fit ꝙ dicere his duobus postremis modis, velleq; id, quod dicitur secundum bonitatẽ & malitiã se consequũtur: nẽpe vt qualis bonitas aut malitia latet in voluntate dicentis, talis depromatur in dicto. ¶ His ergo præhabitis sit prima cõclusio. Imperare vt alij malũ fiat, optareque aut imprecari malũ quatenùs malũ illi est: nempe quasi illud proposito suo intendens peccatum est genere suo mortale. Conclusio manifesta est. Nam malũ alteri vel exhibere vel optare charitati apertè repugnat. ¶ Secũda conclusio. Malum sic imperare, optare, aut imprecari vt rationẽ induit boni, licitũ est & quãdoq; necessariũ officiũ. Probatur. Nonnunq; malum peculiaris personæ vt mediũ cõcipitur ad assequutionẽ boni: nã licet malũ per se nõ sit necessariũ mediũ boni finis, è malitia tamen hominũ accidere potest vt sit cõducens: tali ergo casu sicut voluntas eiusmodi finis bona est, ita & imperatio & imprecatio illius medij, licèt sit personæ incommodũ. Quapropter tunc eiusmodi affectio nõ est per se propriè maledictio, sed accidẽtariè: quia tũc nõ per se malum intenditur, sed bonũ, quẽadmodũ mors quã qui sibi ipsum defendebat intulit. ¶ Tertia cõclusio. Imperiũ huiusmodi & imprecatio mali bifariã potest rationẽ boni induere. Vno modo quia rationẽ habet iustitiæ quẽadmodũ Deus ac subinde humanus iudex licitè malefactorẽ maledicit, supplicio eum adiudicãdo: quẽadmodũ & sancta ipsa ecclesia dum anathemate rebelles percellit, iure & merito maledicit. Atq; hac ratione & prophetæ sæpe maledicũt, malè peccatoribus imprecantes, diuinæ sese accõmodantes voluntati: vt est illud, Cõfundantur superbi: quia iniustè iniquitatem fecerũt in me. ac totus Psal. 108. Cõstitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius. & Psalm. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperirẽt de ciuitate domini omnes operãtes iniquitatẽ. tametsi eiusmodi imprecationes nonnunq; vim habeant propheticarũ pronũtiationum. Secundo modo contingit malũ alteri imprecari sub ratione vtilis: qua vtiq; ratione licet ei imprecari qui moribus corruptus est ægritudinẽ aliquã, aut aliam calamitatẽ, qua salubriter castigatus cautiùs resurgat. ¶ Circa has igitur cõclusiones id ipsum recolendum est quòd suprà de alijs verborũ iniurijs adnotauimus: nempe ad iudicandũ maledictionis culpã perpẽdendum esse animi propositum. Quapropter cùm parẽtes filijs maledicunt nullũ intus habẽtes mali desiderium, nunquàm est peccatum mortale: quanuis cõsuetudo profectò pessima est & hominibus infimæ classis peculiaris. Neque ad correctionem quicquam conferens, præterquã quòd ipse maledicendi impetus sæpe iram in odium concitat atque animum mutat, vt quicquid malorum imprecãtur, ferè illis optẽt. Ad hæc demũ Diaboli appellatio qui illũ cui maledicitur importet, vix à mortali peccato excusari potest. Est em̃ blasphemiæ genus & scandalum, sempiternam mortem alicui imprecari. Neque verò quòd maledicentem post euomitam maledictionem dicti pœniteat indicium est non præcessisse consensum atque adeò culpam: sed duntaxat est signum impetum illum non tam ex habitu quàm ex passione emanasse. Leuiores autem maledictiones plurimùm sunt venialia peccata. Atqui vt articul. proximo de susurratione dicebamus, ex maledictionis obiecto peccatum ipsum speciem trahit. Qui enim imperat imprecatúrve homicidium, homicida reputatur: & qui imperat furtum, fur: non autem qui imprecatur vt ab alio quis suis spolietur nummis. ¶ Hoc autem adnotandum est discrimen inter maledictionem sub forma imperandi, atque alteram imprecatoriam. Qui enim imprecationis tenore alteri maledicit, si nullam habeat malam intentionem neque scandalum det, nullam committit culpam: qui verò vt malum fiat imperat, licèt nihil habeat siniſtræ intẽtionis sed fictè id faciat, potest incautus causam damni dare: atq; adeò tantum cõmittere peccati quanta fuit cautelæ

Prima conclusio.

Secunda.

Probatio.

Tertia conclusio.

Dicuntur

telæ negligentia. Vt si quis famulis præcipiat vt nudis gladijs quenquam terrefaciant ex quo aliquid læsionis aut incõmodi subsequatur. Sed quia scandali meminimus, illud maximè datur ratione personæ maledicentis: prælatus enim aut quæuis grauis persona vix sine scandalo potest male subditis precari. Quòd autem filij parentibus aut inferiores superioribus maledicant id quidem neq; per iocum licet. Esset enim non modò scandalum, sed contumeliæ genus: tanta est reuerentia quæ illis debetur.

Argumẽtũ cotra tertia conclusionẽ

¶ Contra tertiam demum conclusionem exiſtit argumentum quòd personę priuatæ non liceat optare alicui malum tanquã medium ad assequutionem boni: quoniam quod facere non licet, nemo videtur optare alteri posse: nemini autem priuatæ personę licet illi qui corruptis est moribus damnum dare vt emendetur: ergo neque illud liceret ei optare. Respondetur autem perempta priori præmissa. Nam quanuis mihi non liceat malum alteri inferre, quia non sum minister iustitiæ: licet tamen mihi optare vt Dei permissu penes quem summa potestas est aut publica authoritate malum ei obtingat, quo flagello resipiscat. Neque verò solùm ob spirituale bonum optare vitioso possumus temporale malum, verùm & ad cauendum aliud temporale peius. Enimuerò optare possumus dilapidatori suorum bonorum temporale aliquod incommodum, nè ludo ac lusibus illa decoquat. Quinetiam & mortem alicui optare possumus, licèt nobis constet viã perditionis ingressum ire, vt nostræ reipublicæ mala caueantur, paxque & tranquillitas contingat. Potest enim quisque Turcæ mortem, & clades omnes imprecari, vt ab eius tyrannide liberemur. Quin verò & Christianis hostibus qui nos iniustè persequuntur, quando alia non patuisset via, licitum est idipsum optare.

Solutio.

Ad primũ argumẽtũ.

AD primũ igitur argumentũ respõdetur sacris illis testimonijs hoc solũ conuinci, q̃ malũ quatenus malum est nemini licet imprecari: ac perinde ad secundum respondetur quòd qui malum alteri bono fine & proposito imprecatur, non illi malum simpliciter optat, sed bonum. ¶ Ad tertium respondetur, quòd diabolũ quantum ad eius naturam maledicere non licet: quippe quæ Dei figmentum est. Tametsi propter eius culpam id licitum sit, secũdùm illud Iob. 3. Maledicant ei qui maledicunt diei. Sensus autem citatæ authoritatis Eccles. 21. est quòd cùm impius diabolo propter eius culpã maledicit, seipsum simili ratione iudicat maledictione dignum. ¶ Ad illud autem postremo argumento inductũ respondetur, quod ille Balaam merito renuebat populo Israëlitico maledicere: quippe cui cõstabat eidem populo Deum benedicere. Secùs autem res habet de peccatoribus quorum culpas, licèt eorum corda non inspiciamus, externis signis atq; documẽtis perpendimus: & ideo illis possumus in rem suam maledicere.

Ad postremũ argumentum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm creaturæ etiam irrationali maledicere liceat.

SVperiori articulo quæ de maledictionibus quæ in hominem iactantur definitum est, alterum de irrationali creatura subiũgitur. Arguitur enim quòd non liceat illam maledicere. Maledictio nanq; aut in pœnam licet, aut ad emendam culpæ: creatura autem irrationalis neq; culpæ est capax, neq; verò pœnæ: imo nihil in creatura irrationali est nisi natura quæ Dei opificium est, eiusque instinctu appulsuq; agitur: quare qui ei maledicit, in Deum respergit iniuriam. ¶ In contrarium est q̃ Dominus, vt Matthæ. 20. narratur, ficulneæ maledixit. Et Iob diei natali suo: vt eius habet historia cap. 3.

Argumẽtũ partis negatiuæ.

AD quæstionem quatuor cõclusionibus respondetur. Prima: quæ cæterarum est fundamentum. Benedictio ac maledictio per se propriè in solam potest conijci rationalem aut intellectualem creaturam.

Prima conclusio.

Probatur. Benedictio & maledictio in eam tãtùm rem competit cui bonum ac malum ad fœlicitatem seu infœlicitatem pertinens contingere potest: id autem soli creaturæ spirituali aut homini congruit. Nam brutę animantes quæ suarum actionum dominium non habent, vt libro. 4. quæst. 1. demonstrabamus: neque fœlicitatis capaces sunt propriè aut iustitię: neq; infœlicitatis & iniurię. Consistit enim fœlicitas in assequutione vltimi finis quem creatura per suas actiones intendit: irrationales autem atque inanimæ creaturæ nec fines agnoscunt, neque illuc

Probatio.

quippiant referunt, neque ideo ius propriè ad rem aliquam per se habent: sed quicquid sunt, hominis sunt. ¶ Maior autem dubitatio est de priore præmissa. Nam etsi irrationalibus creaturis neque bonum neque malum accidat ad fœlicitatem pertinens suam famescunt tamen, infirmantur, & moriuntur: quæ quidem mala possumus eis imprecari, atq; adeò eis maledicere. Ad hoc verùm tamen respondetur, bona aut mala quæ per benedictionē aut maledictionem imprecamur, non esse illius generis quæ merè sunt naturalia, & generalia Dei concursu lignis ac saxis cōtingunt: sed quæ sub speciali prouidentia Dei ad humanam fœlicitatem referuntur: hoc enim imprecatio optatiui modi designat. ¶ Hinc ergo gradus fit ad conclusionem secundam. Benedicere ac maledicere irrationales creaturas, contingit in ordine ad hominem propter quem creatę sunt: ita vt earū maledictio aut benedictio in hominem ipsum refundatur. Probatio est q̄ earum bonum & malum ad nostram fœlicitatem & infœlicitatem refertur, Tribus autem præcipuè modis relatio eiusmodi consideratur. Primo quidem per modum subuentionis, quatenus scilicet eorum seruitio adiumentoq; vtimur. Et ideo qui agris sterilitatem imprecaretur, hominibus faceret iniuriam, quibus arua fructus ferunt: & qui armētis aut pecoribus optaret mortem, dño damnū illud optaret: Quare & in pœnā delictorū nostrorum sterilitates accidere solent & iumentorum pestes. Atq; hac ratione Dominus Genes. 3. maledixit, dum ait. Maledicta terra in opere tuo: vt scilicet sudore vultus sui victum quæritans pœnas suæ culpæ lueret. Et ēcōuersò Deut. 28. eidē benedixit: vbi ait, Benedicta horrea tua, ac subinde maledixit dicens, Maledictum horreum tuum. Secundo modo irrationalis creatura homini per modum significationis inseruit. Qua ratione Dominus maledixit ficulneā, in significationem Iudaicæ sterilitatis. Tertio denique modo eadē irrationalis creatura ad nos per modum continentis refertur: vt tempus & locus. Atq; hac ratione Iob maledixit diei natiuitatis suæ. Non quidem male hominibus precando, vt ille facit qui aëris inclementiam in frugum detrimentum desiderat. Peccaret enim tunc: cùm tamen Iob. 1. legatur q̄ in omnibus illis non peccauit. Et cap. 2. commonuit Deus Sathanam nè animam illius tangeret: sed maledixit illi diei propter amorem potiùs humani generis, ac potissimùm Dei. Nempè propter culpā originalem quā sui conceptione cōtraxit: & propter calamitates atq; ærumnas inde humano generi succrescentes. Atq; ad hunc modum reducitur maledictio Dauidis. 2. Reg. 1. qua montibus Gelboë male precatus est: nempè vbi clades Saūlus & populi contigit. ¶ Tertia conclusio. Maledicere autem rebus irrationalibus, imò & dæmonibus, vt suprà diximus, quatenus creaturæ Dei sunt, blasphemia est. ¶ Quarta demum: Maledicere eisdem secundùm se consideratis, otiosum ac vanum est, ac subinde illicitum. Conclusio hæc ex prima manifestè colligitur. ¶ Ex his cordatissimus quisq; elicere nouerit quousq; liceat tempestates, æruginem, & locustā, aliaq; id genus portenta maledicere. Absit enim tanta sacrorum irrisio, quāta fieri inter aliquos rusticos fertur: nempè quòd locusta & bruchus patrono illis ac procuratore, vt fertur, consignatis, in iudicium euocantur, & contestata lite causa vtrinq; agitur, ac demum anathematis censura exterminantur: quæ enim res maiori ludibrio digna contingere Christianis potest, q̄ cū eiusmodi portentis ac vermiculis & volucribus quę mero naturali instinctu agūtur seriò res agere? Quod ergo in eiusmodi calamitatibus licet, id tentū est vt diuinū auxiliū aduersus dæmones legitimis exorcismis imploremus, qui in vltionē delictorū nostrorū permitti diuinitùs solēt eiusmodi incursionibus ac turbinibus nos infestare. Atq; hac fortè ratione licet terminos benedicere. Quāuis hoc nō sit adeò necessārium: sed satis est Deum pro fructuū prosperitate exorare. Benedicere autem campanas religionis habet prætextū, sicut benedicuntur calices: quanq̄ in his nō negauerim quin possit nonunquam superstitionis nonihil commisceri. ¶ Argumentorum ergo solutiones per ea quæ dicta sunt liquent.

Obiectio.

Solutio.

Secunda cō clusio.

Ratio cōclusionis.

Tertia conclusio.

Quarta cōclusio.

Rusticorū portentosa superstitio.

Qua ratione currentibus calamitatibus obuiandum sit.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm maledictio, peccatū sit genere suo mortale, idemq; detractione peius.

Primum argumentum Augustini.

POSTREMO quæritur de culpæ maledicētiū grauitate videtur enim non esse genere suo mortalis: tū quod Augustin. in homil. de igne Purgatorij inter leues culpas & hāc cōmemorat: tum

tum quòd malefacere peius est quàm maledicere: & tamen non quicunq; malefaciens mortaliter delinquit. Quod autem e contra
Argumẽ.2 riò grauius sit peccatum quàm detractio, in de primùm apparet, quòd maledictio genus quoddam blasphemię est, vt habetur in glossa super illud canonicæ Iudæ: Quòd cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, nõ est ausus iudicium inferre blasphemiæ: blasphemia autem grauius peccatum est detractione. Adde quòd maledicens suo imperio causa est mali: qui autem detrahit, solùm id malum significat quod existit: peius autem est causam esse quàm signum. ¶ In contrariũm autem vtriusq; partis est, quòd nihil â regno excludit nisi mortale peccatum: à quo tamẽ maledictio excludit, secundùm illum. 1. ad Corinth. 6. Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Quod autem non adæquet detractionis grauitatem ex eo constat quòd maledictio licita esse quandoque potest: detractio verò nunquam.

Prima cõclusio. AD quæstionem quatuor cõclusionibus respondetur. Prima: maledictio secundùm genus suum peccatum mortale est. Loquimur enim in proposito de maledictione illa quæ fit intentione mali: nam quæ bono fit proposito non adducitur in quæstionem
Probatio cõclusionis. peccati. Probatur conclusio. Imperare malũ alteri infligendũ, sicuti & illud cuipiã imprecari, aduersum est genere suo charitati: cuius ingẽium est bona dilectis optare: occidit ergo hoc vitium maledicentis animũ. Quo fit vt tanto sit grauius quanto & personam charius amare tenemur: aut malũ quod illi optamus, pernicioſius est ac nocentius. Vnde Leui. 20. Qui maledixerit patri vel matri, morte
Secunda cõclusio. moriatur. ¶ Secunda conclusio. Potest nihilominùs cõtingere vt maledictio sit veniale peccatũ, vel propter exilitatem mali quod imprecamur, vel propter defectum deliberationis: nempè vel quòd ex leui motu, vel lusu, vel fortè ex surreptione verbum ore labitur: verborum enim significatio, atque adeò culpa ex affectu potissimùm pensanda est.
Corollariũ. ¶ Ex his id quod articulo. 3. diximus, apertius fit: nempè maledictionis peccatum multiplicis esse speciei. Est enim perinde de illo ac de odio censendũ: vnde si maledictio in genere fiat, nullo in specie explicato malo, vt si quis dicat maledicaris à Deo: tunc committitur generale maledictionis delictum: si verò vt dicebamus, mortẽ fueris alteri ex animo imprecatus, homicidium mente cõmisisti. ¶ Tertia conclusio. Maledictio *Tertia cõclusio.* quæ simplex exprimit desiderium, genere suo minoris est culpæ quàm detractio.
Probatur ex his quæ suprà dicta sunt. Primùm enim detractor, sicuti & contumeliator, malum culpæ dispergit obijcitve aduersus alterum: qui autem simplex est maledictor, non optat alteri nisi malum pœnæ, puta mortem, aut varias calamitates, aut fortè culpam sub ratione pœnæ: culpa verò grauius malum est ac nocentius quàm pœna: est ergo hac ratione detractio, ac subinde reliqua verborum peccata maledictione grauiora. Secundò & id confirmatur ex proferendi modo. Detractio enim & contumelia ac derisio est enuntiatio assertioque mali: simplex verò maledictio (nil enim modò de imperio loquimur) non est nisi solum desiderium: peior autem est enũtiatio & assertio quàm desiderium: nam desiderans non statim desiderio suo causa est mali, sicuti qui enuntiat causa est infamiæ: fit ergo vt detractio peior sit simplici maledictione. Attamen desiderium internum mali, malitia inficitur sui obiecti. Vnde Chrysosto. super Matthæ. Cùm dixeris maledicei, & domum euerte, & omnia perire fac: nihil ab homicida differs. ¶ Quarta *Quarta cõclusio.* conclusio. Maledictio quæ per modum imperij fit, cùm rationem causæ habeat, potest esse detractione grauior: si modò ingentius nocumentum inferat, quàm, sit famæ denigratio. Erit autem tunc leuior, dum leuius damnum per ipsam detur. Hæc autem audienda sunt secundùm id quod per se ad rationem horum vitiorum attinet: possunt nanque alia considerari accidentia, quibus prædicta vitia vel incrementum accipiant, vel decrementum. ¶ Vnus tamen scrupulus reliquus fit circa tertiam conclusionem, *Scrupulus.* qua dictum est simplicem maledictionem eò esse leuioris culpæ quàm detractionem quòd non est causa mali. Arguitur enim contrà. Maledictiones parentum in filios esse sæpe solent efficaces: nam hac ratione sunt extimescendæ. Deus enim nonnunquàm eiusmodi imprecationibus annuit: ac potissimùm sanctorum: vti de Helia legimus. 4. Reg. 1. quòd ob suam maledictionẽ ignis de cœlo cadens deuorauit vnum, ac subinde alterum quinquagenariũ. Et de Elisęo

Ratio cõclusionis.

Cõfirmatio.

Chrysost.

seo, cap. 2. quòd cùm male dixissent pueris nomine Dei, egressi duo vrsi de saltu laceraverunt quadraginta duos. Respondetur primò quòd dictum Diui Thomæ intelligitur de verbis exterioribus: illa enim non sunt perinde causa sicut verba detractionis per quam proditur secretum peccatum alterius. Secundò intelligitur de maledictione quæ fit mala intentione: illas enim Deus non eo modo exaudit quo iustas imprecationes parentum ac sanctorum. ¶ Ad primum igitur argumentum iam responsum est. Et ad secundum respondetur, quòd glossa illa intelligitur de maledictione qua creatura maledicitur, quatenus creatura est Dei. Et ad postremum, quod concludit maledictionem per modum imperij peiorem esse detractione.

Solutio.

Ad primũ argumentũ.

Ad secũdũ argumentũ

LIBRI DECEM QVINTI,

atque adeò Primi Tomi de Iustitia & Iure

Fratris Dominici Soto,

FINIS.

TOMVS SECVNDVS.

FRATRIS DOMINICI Soto Segobiensis, Theologi, ordinis Prædicatorum, Cæsareæ Maiestati à sacris confessionibus, Salmãtini Professoris, De Iustitia & Iure,

LIBER SEXTVS.

PROOEMIVM.

Materia cõ sequẽtium librorum.

EO denique destinati operis peruentum nobis est, cuius præcipuè gratia de illo cœpimus cogitare. Hæc inquam vsurarum, cõtractuũ, cãbiorumque ac simoniarum sylua in animum potissimè nobis induxit, vt tantam operis molem aggrederemur. Videmus enim instantia tempora huiusmodi iniustitiæ auaritiæque portentis vsque adeò scaturire, vt vix reliqua nobis fiat spes veritatem persuadendi. Nauabimus nos tamen pro captu nostro suffragante Dei numine operas nostras: cæterùm ipsius erit, pectora eorum, quorum interest, tangere, vt secundùm veritatẽ afficiantur ad mores, quorum nimirùm gratia, auctore. 2. Ethicorum Aristotele, tractatio omnis moralis philosophiæ instituitur. Quò ergo ad seriem dicendi identidem spectemus: in capite superioris libri sic tractationem iniustitiæ commutatiuæ partiti sumus, vt (quæ Aristoteles. 5. Ethicorum. cap. 2. diuisio est) in eodem præcedẽti libro de iniustitia diceremus, quæ ab inuoluntarijs violentisque acceptionibus proficiscitur: in hoc & subsequenti autem subinde alterum iniustitię membrũ explicaremus, quæ in his pactis atque conuentis versantur quæ homines sua sponte faciunt. Hunc ergo Sextum librum de vsuris & contractibus peculiariter expendimus, quæ sub titulo de Iustitia & Iure, insignem habet locum. Et quidem Sanctus Thomas duas duntaxat de hac re disputauit capitales quæstiones: vnam scilicet de emptione, atque alteram de vsura: in quibus tota contractuum materia virtute continetur. Enimuerô (quod ceu basis totius tractatus prænotandum est) omnis iniustitia cuiuscunque contractus ad alterum duorum capitum reducitur. Aut enim pretium de re exigitur, quæ nullius est pretio ciuili digna: & hoc in temporalibus reducitur ad vsuram: & in spiritualibus ad simoniam. Aut res pretio æstimabilis iniusto, per excessum traditur, per defectúmve recipitur, & hoc reducitur ad iniustitiam vẽdditionis & emptiõis. At verò quia prædictas duntaxat quæstiones duas, easdemq; breuissimas tractare cõstituit, illã de emptione alteri de vsura ordine prætulit: eò quod emptio dignior videtur contractus. Nobis autem qui de omni emptionis specie cæterorumque contractuum naturam patentiorem locupletioremque tractatum instituimus, operæpretium est ordinem alterum sequi. Nam cùm tota contractuum iniustitia ad vsuræ figuram exigenda sit & perpendenda, necessum fuit eius naturam in capite statim enucleare, nè filum posteà contractuum quæstio hæc nobis interrumperet. Neque præterea ratio huius ordinis bona deest: vt pote quòd à maiori iniquitate exordium sumat. Iniquius enim est pretium inde quærere, vnde nullum debetur, quàm vnde iustum debetur, iniustum extorquere.

Aristot.

Fũdamẽtũ.

QVAESTIO PRIma, De vsura.

Sanct. Thom. 2.2.q.78.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm vsuraria mutuatio genere suo sit peccatum mortale.

ADrem ergo vt descendamus, quæritur primò an vsuraria mutuatio peccatũ sit genere suo mortale. Et arguitur à parte negatiua. Primum exẽplo Christi qui nostrorũ est morum norma. Ipse enim Lucæ.19. se ipsum affirmat vsuras exigere. ¶ Secundò, & lex diuina priscis patribus data, quam ideo Dauid Psalm.18. immaculatam appellat, q̃ prohibebat peccata, permittebat nihilo minùs vsuras. Legimus enim Deuter. 23. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram, sed alieno. Quin verò & eo lib. cap. 28. id ceu præmium illis mortalibus proponebat. Fœnerabis gẽtibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies: ergo fœnerari ad vsuram licitum est. ¶ Tertio & leges humanæ quibus iustitia inter homines constituitur vsuras permittunt: vt patet totis titulis de vsur. ff. & C. ergo illæ sunt licitæ. ¶ In contrarium est præceptũ Exod. 22. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor: neque vsuris opprimes. Et Dauid inter eos qui habitaturi sunt in tabernaculo Dei connumerat illum qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.

Primũ argumentum

Secundum.

Tertium.

IN capite statim quæstionis de nomine vsuræ, vt moris nobis est, hoc prænotemus, quòd Latinis non dicitur quasi vsus æris, vt illi autumant qui syllabarum collisionem superstitiosè rimantur: sed si primæuã eius significationẽ spectes, idẽ est prorsus quod vsus. Vnde Cicero aduersus Verrẽ: Cur piratis lucis vsurã tã diuturnã dedisti? lucis ergo vsura idẽ est q̃d lucis vsus, puta vita. Mox idẽ nomẽ ad id descẽdit significandum q̃d ex vsu cuiusq; rei tanquàm eius fructus accrescit. Idem lib. de Senect. Terra nunquàm sine vsura reddit quod accepit: vbi fructus appellatur vsura seminis. Et Tusc. quæst. lib. 1. Natura dedit vsuram vitæ sicut pecuniæ: nulla præstituta die. Dicitur ergo ab vsu vsura, sicuti à fortu fœtura, & à cultu cultura. Quapropter secundùm has significationes non est nomen vitij. Verùm tamẽ inde tertiò more & vsu accommodatum est ad significandum id peculiariter quod ex vsu pecuniæ aut rei cuiusq; vsu consumptibilis sorti excrescit. Et ratio forsan accommodationis huius est vt nomine ipso, rei peruersitas per antithesin denotaretur. Nempe quòd cùm talium rerum vsus, quippe qui re ipsa absumitur, sterilis per se sit, veluti fructuosus æstimetur. Quocirca vsura secundũ hoc significatum, ceu nomen delicti vsurpatur. Appellatur deinde & vsura, vt. 1. Poli. cap. 7. author est Arist. fœnus. Et est allusio ad Græcã etymologiam. Quod enim nos vsuram, Græci τόκον appellãt: ἀπὸ τῦ τίκτω q̃d est pario. Sicut enim animalia proles sibi similes pariũt, sic & pecunia pecuniã. Quare maximè, inquit, Philosophus cõtra naturã est hic acquirendi modus. Haud enim nũmus veluti terra, aut pecus, fœcundus est, vt pariat. Dicit ergo Latinè fœnus, quasi fœt⁹. Quãuis inter iuris doctores tm̃ discriminis intersit, vt nomẽ vsuræ latiùs pateat, & vt dialecticè dicamus, superius sit q̃ fœnus. Nempe q̃ fœnus duntaxat prouisura strictè sumpta vsurpetur: nimirũ pro eo q̃ ex solo mutuo iniustè accrescit. Vsura autẽ accipiatur extẽsiùs pro quocũq; augmẽto ex quocũq; contractu: etiã dũ licitũ sit. Vt si quid credita pecunia vẽdidisti: & quia debitor in mora fuit, aliquid tibi ratione lucri cessantis auctũ est, accessio illa vsuraria quidẽ est, non autẽ fœnebris. Sic enim habet iurisc̃onsultus. l. cũ quidã. §. si pupillo. ff. de vsuris. Vsuræ non propter lucrũ petentiũ, (illæ scilicet q̃ legitimæ sunt) sed propter moram non soluentium infliguntur. Item dum quis de hæreditate vel re aliqua etiam de pecunia litigat, si vincit, addicit ei cũ sorte quicquid vsu excreuerit: idq; vsura nũcupatur. Sed tm̃ vbi de hac re quæstio non habet, promiscuus est vsus fœnoris & vsurę. Nos ergo vt cõmunis vsus non solùm Theologorũ habet, verùm & reipublicæ, dũtaxat accipimus nomen pro illicita vsura mutui. Adeò vt vbi quippiam vel in pœnam vel ratione moræ vel aliter iustè soluitur, non existimetur vsurarius contractus. Quod autem nos vsuram, Græcique partum, id quidem Hebræi morsum nuncupant. Vnde Deut.

Multiplex vsuræ acceptio.

Cicero.

Cicero.

Cicero.

Arist.

Quid inter sit inter vsurã ac fœnus

Deuteron.23.vbi nos legimus, Non fœnerabis fratri tuo: Hebræi habent, Non morsum inferes fratri tuo: seu, Non fœnore mordebis fratrem tuum. Etenim ceu dentibus canis cadaueris viscera, sic fœnerator debitoris suis substantiam diuellit. Quô vtiq; Chrysosto. allusit super illud Mat.5. (vt nos illic adnotauimus) & volenti mutuare, &c. Similis est, inquit, pecunia vsurarij morsui Aspidis. Percussus enim ab Aspide quasi delectatus abit in somnum, & per suauitatem soporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit. Sic enim qui sub vsura accipit, sub tempore quasi beneficiū sentit: sed vsura per omnes suas facultates decurrit, & totum conuertit in debitum. Hæc Diuus ille. Igitur si hæc meditate consideraſti, vsura non more accidit nisi in solo mutationis contractu, atque in alijs quibus mutui ratio inest. Et cùm mutuatio non habeat locum nisi in rebus vsu consumptibilibus, in his duntaxat versatur vsura. Exemplum, Vendidi tibi expectato pretio rem meam: & vt te expectem auctarium posco: quia contractus hic perinde habet ac si idē pretium statim à te mihi solutū tibi in tempº mutuassem, vsurarius est. ¶ Imo verò hæc regula, fallentię nescia, in capite istorum cōtractuum præfigenda est, quòd ad perpendendum de vno quolibet contractu an vsurarius sit, explorandum est, an aliquā secum complicet rationem mutui, pro quo pretiū redditur. Tunc enim inuniuersum vsurarius est, alioquin, minimè. Et ideo in titul. quæstionis pro eodem duximus, contractus seu actio vsuraria: & mutuatio vsuraria. ¶ Incassum autē hauritur labor, quo nonnulli insudant, definitionē vsuræ perscrutantes: &, nisi ego fallor, nunq; absolutā inuenietes. Accipitur enim dupliciter. Vno quidē modo pro actione, hoc est, pro mutuatione cum pacto quippiā vltra sortē recipiēdi. Sic enim videt in cōci. Agathē. vsurpari. 14.q.3.cano. vsura. vbi habet. Vsura est vbi amplius requiritur q̄ quod datur. Alio modo accipit pro pretio quod vsus ęstimatione sorti accrescit. Quod eadē di.c.pleriq;. ait his verbis Amb. Quodcunq; accedit sorti, vsura est. Et hoc certè est natiuū nominis significatū. Nam cōuentionalis actio potiùs dicitur vsuraria mutuatio, atq; vsuræ peccatum, q̄ vsura, sicuti tonsura est quæ ex tonsione restat. Itaq; vsura obiectum peccati est. Quapropter mutuator dicitur ad vsuras mutuare, vsurasq; recipere: mutuarius verò mutuum ad vsuras recipere, & vsuras soluere. ¶ Est ergo vsura (si exactam cōpendiosamq;, vt esse debet, definitionem cupis) vsus pretium mutuatæ rei. Per hoc enim quòd dicitur, pretiū vsus, secludit contractus emptionis, vbi non pro vsu tantùm, sed pro re ipsa penditur pretium. Per id autem quòd dicitur, mutuatæ rei, semouētur à definitione cōtractus emphiteusis, & locationis, quibus res non mutuatur. Rursus nomen pretij, præcurrens pactum designat in mutuatione, vel saltē q̄ receptio fiat ratione mutui. Ob idq; hoc selectiùs posui, q̄ lucrum. Cōpingimus enim definitionē hanc vsuræ strictè pro maledicto fœnore. Et ideo vbi quid iustè seu ratione lucri cessantis, seu dāni emergentis, seu in pœnam accrescit sorti, est quidē extento nomine vsura haud tamen vsuræ peccatum, de quo hic agimus: quia illud, licèt sit lucrum, non tamē est pretium: sanè cùm non pullulet ex cōuentione mutui. Neque verò si quid mutuarius honestatis gratia redonet mutuanti, est vsura: quia vbi non subest pactum, nullum est pretium. Item si pecuniam vel aureā, vel argenteam (vti ait. S. Thom. in solutione sexti:) ad alium vsum, qui sibi est accidentarius: puta ad ostentationem vel ad ornatus commodes, indeq; pretium suscipias, vsura non est: quia pretium non obuenit ex mutuo, cùm illic non transferatur dominium, sed ex locatione pecuniæ. Eodem modo excluditur à ratione vsuræ contractus societatis, vbi qui ponit sortem, quia non tradit dominium, nō mutuat. Prætereâ si id quod recipis aliâs tibi debitum erat, etiam si ex conuentione mutui id recipias, nempe dum debitori tuo mutuas vt debitum soluat, non est vsura: quia non est pretiū vsus rei mutuatæ, sed recuperatio rei tuæ. ¶ Sors autem in præsentiarum dicitur substantia ipsa mutuata, quæ scilicet te contingit, & lex tibi tribuit. Et arbitror ex contractu societatis pertractum esse nomen ad omnes generales. Illic enim quisque suam sortem, id est portionē in aceruū mittit: vnde omnes dicuntur consortes, id est suas vna participātes sortes. Græcè dicit, ἀρχαῖον, hoc est principale: & κεφάλαιον, hoc est capitale: q̄ etiā nomina Latinis invsu sunt. ¶ Ex hac definitiōe clara colligit distinctionis ratio inter vsurā externā & mentalem. Differunt enim non solùm tanq̄ actus interior & exterior eiusdē obiecti, verùm quòd externa dicit pactum

Chrysost.

Vsura ī mutuo solūmodo cōtractu rebusq; vsu cōsumptibilibus locum habet.

Regula.

Vsura dupliciter.

Definitio vsuræ.

Quid sors.

Discrimen inter vsurā mentalē & externā

tacitum vel expressum: mentalis autē (quod meditatè considerandum est) absque vllo intercurrente pacto committit. Statue ergo ante oculos tria hæc, mutuum, pretium seu lucrum & pactum. Vbicunq; interuenerit pactum, est vsura in opere, puta exterior: alioqui minimè. At qui ad pactū expressum in foro Dei neque scriptura requiritur, neque testes: sed etiam dum absque arbitris explicas tuam voluntatem, scilicet mutuo tibi vt tantū vltra sortē mihi persoluas, est expressum pactum. Si autem non sic in forma, sed nutibus tuam insinuas voluntatem, censetur tacitum pactum. Vt si dicas: Ecce mutuo tibi: tu autem scis vsum: ego non habeo vnde viuā. Soles esse gratus alijs: vel quid simile. Etenim licèt non sit pactum ciuile vt mutuatarium possis compellere, est tamē obligatio: & ideo vsura exterior. Vsuram autem mentalem sola spes cum intentione cōstituere sufficit absque vlla pactione. Vt si mihi mutuas sperans intendensque ratione mutui me tibi aliquid exhibiturum, vsura mentalis est: veluti intentio occidendi hominem, homicidium: quia obiectum, scilicet recipere ratione mutui, est obiectum vsurę. Non ergo fallaris sic exteriorem interioremque vsuram discriminans, quod illa requirat expressum pactum, hæc verò tacitum: nam etiam tacita pactio vsuram facit exteriorem. Sed quando dico spes intelligitur dum illa est mutuandi causa & intentio, vt non mutuasses, nisi vt ratione mutui quippiam tibi lucri accederet. Nam dum ex beneuolentia mihi mutuas, esto inde suboriatur tibi repensionis spes quam gratuitò ratione amicitiæ facturus tibi sum, nulla subinde nascitur mentalis vsura: quia nec illa ratione accipere, vsura est realis. Sed de his artic. proximo redibit sermo.

HIs de nomine vsuræ præiactis ad quæstionem duabus conclusionibus respōdetur. Prima. Vsuraria mutuatio, hoc est pretium vsus mutuatæ rei ex pacto suscipere, peccatum est genere suo mortale, iustitiæ comutatiuæ contrarium. Et quidem cōclusio nulli non est in confesso: sed tamen quo iure fundamentum habeat, nonnulla est controuersia. Sunt enim (quod Ancharano tribuitur in quadam sua disputata quæstione) qui negant iure naturæ prohibitam esse vsuram: sed aiunt iuri duntaxat diuino aduersari. Et ideo fortè idem autor tenuit, q̄ tractare de vsuris non pertineat ad Theologos, sed ad Iurisconsultos: quia cernebat perpendere naturæ ius, Theologorum esse munus. At negari non potest quin sit de iure diuino, cuius theologi interpretes sūt. Respōdere ergo de iure exteriori deque fœneratorum pœnis decernere, relinquitur Iurisperitis: vsurarum autē naturam de suis principijs enucleare Theologorum est.

¶A diuerticulo autem vt reuertamur, opinio hæc quòd vsura non sit iuri naturali cōtraria, non solùm planè falsa est, verùm etiā periculo subdit conclusionis veritatem, qua asseriturvsuram esse peccatum. Si ius inquā naturale semoueas, tenuissimum conclusionis stabilimentū relinquis. Etenim licèt antiqua lege multis locis vituperata infamataque vsura sit, tñ cùm etiā illic Iudæis permissa fuerit, quā exercerēt cū gētibus, aliūde debent illa præcepta irroborari: nè suspicio oriatur aliquo pacto esse licitā & iustā. Præterea (qđ rem vehemēter vrget) tota illa lex, vt ad Hebræos. 7. docet Paulus, impleta per Christum est, ac subinde abrogata. Quapropter nullum eius prorsus præceptū vim vllā in lege gratiæ retinet, nisi quæ vel sunt de iure naturæ, vel præcepta sunt rursus à Christo. Hoc enim sensu, vt dicere sæpe consueuimus, intelligendū est, moralia præcepta per māsisse, videlicet quia vigore iuris naturæ sustentata sunt, ac perinde in euāgelio cōfirmata. Igitur q negauerit crimē hoc, esse contra ius naturæ, præcepta de hac re veteris legis eneruat. ¶Locus aūt euāgelij Luc. 6. Mutuū dantes, nihil inde sperātes, ad hoc ipsum propositū adduci cōsuetissimū, profecto nō illā habet energiā, quæ vulgò æstimat. Quāobrem D. Tho. sacrorū sensuū oculatissim⁹ perspector, nō modò nō vsus est illo loco ad asserendā cōclusionē, verùm ex illo quartū argumentū cōtra eandem obiecit. Agnouit enim nō esse prohibitionē vsuræ, sed cōsiliū mutuādi sine spe humanæ cōpēsationis. Et ideo argumentat⁹ est quod cùm mutuare nihil inde sperādo, cōsiliū præcisè sit Christi, nō sit præceptum, nihil ex mutuo recipere. Tāetsi insolutū non reliquerit argumentū. Et re vera euāgeliū est patentissimū. Cōmēdat enim illic Christus dilectionem quam non solùm amicis, verùm & inimicis debemus. Admonetq; subinde nè ob fauorē humanum & gratiā quā homines rependunt, charitatis beneficia præstemus: sed solùm diuinam intuentes mercedem. Et ideo ait si bene-

Primā conclusio.

Aliquorum sententia. Ancharanus.

Prima ratio in proximā sententiam

Secunda.

Tertia.

benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quę vobis est gratia? Si quidē & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his à quib⁹ speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. si loqueretur de vsura, nō dixisset æqualia: quia non est in more vt fœnebre lucrū sit sorti æquale: sed dixit æqualia, hoc est, paria bona gratuitò refusa. Idem ergo est quod subdit: Veruntamen diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes, ideſt nullam ab hominibus gratiam, sed à Deo. Quare subdit. Et erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi. Quare inepta glossa est quòd prius membrū sit consilium, posterius verò præceptum. Neque sanctus Thom. in prima solutione illius quarti argumenti, dum dixit quòd mutuum dare est consilium, & inde lucrum non petere, est præceptum: voluit illum sensum secundi membri extare in euāgelio: sed quòd est lex iustitiæ, non expectare lucrum. Quare sensum legitimum statim subdit. scilicet quòd illic non fit mentio de spe vsurarij lucri, sed de quacunque quæ in homine ponitur. Nulla enim illic edicitur prohibitio iniustitiæ vsurarum, sed commēdatio fit misericordiæ mutui, quæ propter solum Deum est erga proximos declarāda.

obiectio prima. ¶Sed rogas, quomodo ergo ait Alexander Tertius in conci. Late. cap. super eo. de vsur. q vsurarium crimen vtriusq; testamenti pagina detestatur. Respōdetur q in veteri plana sunt testimonia, in nouo verò illud abūdè interdictum Decalogi, Non furtū facies: illā prohibet. Ais verò rursus: Vrbanus tertius cap. cōsuluit. eo. tit. citat eundē locū, Date mutuum, nihil inde sperantes. ad confirmandam vsurarum prohibitionem. Respōdetur q Papa non, vbicunq; citat testimonia sacrę paginæ in aliquo sensu, intendit canonizare eundē sensum tanq̄ de fide: sed citat quandoq; illud secundùm Doctorū opinionem. Præterea illa euangelica sententia subministrat vim argumento per locum à maiori. Nempe q si Christus consuluit vt neq; gratuitū donū speremus ab hominib⁹, quod licitè possunt repēdere, à fortiori consequitur neque expectandum esse pretium vsus, quòd iustitia vetat. ¶Deducitur ergo conclusio ex viscēribus naturalis iuris hoc pacto. Rerum duæ sunt differentiæ. Quædam scilicet quarum vsus est ipsarum rerū consumptio: vt cibus & potus. Qua vtiq; ratione in his non habet seorsum computari vsus à re ipsa. Et est notandum verbum sancti Thomæ ad repellendam quorundū argutiam. Arguunt siquidem in contrarium. Cùm vsus rei sit actio seu passio eius, res autē substantia, natura differunt, sicut res duorum prædicamentorum. His autē respondetur q S. Thom. nil de distinctione meminit quantum ad rerum naturas. Et ideo cautus non dixit, vsus non differt à re: sed non, est seorsum computandus, scilicet pretio distincto, quantū ad humanum vsum. Et hæc est causa quare istarum rerum per mutuū trāsfertur dominium. Nam si illud non transferas, nullū conceedis vsum propriū panis, qui est edi. Atqui hac de causa, vt habetur Instit. de vsufruct. §. cōstituitur, &. ff. de vsufructu earum rer. que vsu consum. l. 2. quando legatur vsusfructus talium rerum, legatur & ipsarum dominium. Nisi quòd legatarius tenetur cautionem præstare pòst restituendi: vt sit quædam effigies mutui. Aliæ verò sūt res quarum vsus ab ipsis distinguitur: vt sūt fundus, domus, equus, vestis, &c. Possumus enim illis vti salua earum substantia. Quanuis vestis longo vsu atteratur: quia suapte natura est consumptibilis, sicuti mista vniuersa. Et ideo talium rerum potest locari vsus retento dominio. Et vice versa transferri dominium retento vsu. Res ergo prioris ordinis sunt quæ mutuò dantur, atq; ideo inde elicitur conclusionis ratio sub hac forma. Siue eadem res bis vendatur, siue id vendaī quod per se nullius est pretij, vtroq; modo contra naturalem rationem iustitiæ commutatiuæ delinquitur: transferre autē dominium huiusmodi rerum sic vt rei pretio alterum pro eius vsu accumuletur, vel est bis vendere idem corpus: vel vsum, qui præter rem nullius est pretij, vendere nouo pretio: ergo vsuraria mutuatio est peccatū contra naturam. In numero autem talium rerū potissimùm censetur pecunia: quippe quæ vt. 5. Ethico. author est Aristo. ad vsum permutandi res fuit inuenta. Et per hoc soluitur argumentū quod fieri hoc pacto cōsueuit. Mutuator pro illo beneficio dignus est cui mutuatarius par referat: ergo potest illud in pactum ducere. Enimuerò pro beneficio mutuandi (vt ait S. Tho. in solutione quinti argumēti) de iustitia quidē nō mihi plus debeī q ego do: centū verò aurei quos tibi mutuo nil amplius valēt q̄ centū. Quare si ampli⁹ exigo, rem quodāmodò vēdo plus

Obiectio secunda. *Vrbanus. 3.* *Responsio.* *Ratio conclusionis.* *Aristot.*

iusto. Quandoquidem vsus rei non valet ni si quātū res ipsa, quæ vsu cōsumitur. Ex honestate autem debes mihi beneficiū, sed tamē gratis. Et ideo obligare te si illud est æstimabile pecunia, iniustitia est. Quòd si instātiùs vrgeas: Scienti, & volenti non fit iniuria mutuatarius sua sponte se vult obligare: nullam ergo præfert effigiem furti, aut rapinæ. Respondet ad septimū sanct. Thom. quòd mutuatarius non sua sponte, sed necessitate compulsus se nexu illo implicat: sicut si necessitate etiam cōpulsus cogeretur tē plus iusto emere. Sed quid si non ob necessitatē, sed propter voluntatem quis mutuum petat: respondetur, quòd necessitas intelligenda est hoc modo, quòd quomodocunque mutuum petatur non possit obtineri nisi soluatur vsura. ¶ Ex hac conclusione fit vsurariam nequitiam, vti suprà diximus, præcepto illo Decalogi esse prohibitam: Non furtum facies. Vnde Ambros⁹. 14. q. 4. Si quis, inquit: vsuram accipit rapinam facit: vita nō viuet. Quin verò Augustinus canone proximo, Quid dicam. cum homicidio confert. Ait enim an crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti, quā qui trucidat pauperem fœnore? Nam inopi substantiam corrodere, trucidare est. Et in fine. 2. lib. officio. introducit Catonem Cicero, qui interrogatus quid esset fœnerari, respondit hominē occidere. Testimonia ergo veteris legis frequentissima: vtpote Exod. 22. Leui. 25. Deuteronom. 23. Ezechiel. 18. & Psalmorum alia quibus pestis hæc atque humanæ societatis exitium, identidem condemnatur, iuris huius naturalis explicatoria sunt. Vsque adeò vt vbi regius Psaltes beneficia quæ nobis Messias præstiturus erat, exaggerare constituit vnâ composuit vsuras & iniquitates, à quibus nos esset liberaturus. Ex vsuris em inquit, & iniquitate redimet animas eorum ¶ Quòd si demum addubites quo gradu certum sit vsurariam mutuationem esse peccatum: Respondetur: esse catholicam fidem: cuius perinde cōtraria negatio, hæresis esset vtpote Clemen. vnica, de vsuris. condemnata. ¶ Secunda conclusio quæ prioris appendix est. Vsurarum lucrum obnoxium est restitutioni, etiam si non petat: quippe cuius dominium minimè fœnerator acquirit.

Cicero.

Secunda cōclusio.

REstat ergo tria argumēta, in capite quæstionis obiecta, dissoluere: nam reliqua quatuor S. Tho. iam in superioribus soluta sunt. Atqui in primo nihil ambiguitatis est. Transtulit enim Christus nomē vsuræ à sæcularibus ad spiritualia. Et ideo metaphorica est vsurpatio. Est quippe similitudinis plurimū, sed dissimilitudinis multū. Mutuat nāq; nobis De⁹ spiritualia charismata eò q; gratis ac sine vllo nostro pretio donat: vult tñ vt nostro vsu officijsq;, veluti seminain nobis iacta per eius fauorē cœlestēq; rorem colamus multiplicatosq; fructus, terræ more, feramus. Et quia hoc in gloriam eius cedit, appellat suas vsuras: vtilitas tamen præmiorūq; cumulus nobis accrescit, quasi nostra nos fœnora faciamus. Interstat autem hoc discriminis, quòd pecunia temporalis vsu consumitur: & inde fit vitiosa vsura: dona verò spiritualia vsu crescunt, ob idq; eorū vsura commendatur apud Deum. ¶ In secūdo argumento illius difficultatis expetitur solutio, vttùm in veteri lege eatenùs fuerit vsura pmissa, vt culpa vacauerit apud Deū: an verò præcisè quantum ad forum humanum permitteretur impunè. Nam. S. Thomas quæstio. 78. articul. 1. Et Alexander de Hales. 3. part. quæstio. 36. membr. 4. Et reliqui huius notæ autores posteriorem hanc sententiam tenent. Cōradus verò quæst. 24. licet ambas, vti probabiles referat, priorem tamen alteri præfert. Et iuniorum quidam illū sequuntur. Porrò autē non modò opinio sancti Thomæ certissima est, & ideo suo iure & merito communi consensu Doctorū recepta, verùm altera ægerrimè est sustentabilis. ¶ Et primò suus loquendi modus: quo aiunt Deum dispensasse cum illis, falsus ineptusq; est. Enimuerò vitiū vsuræ (vt nuperrimè ostendebamus) contra præceptum naturale est: quod scilicet vetat pretium de re illa suscipere, quæ nullius est per se valoris, qualis est pecuniæ vsus seorsum à pecunia considerati: præcepta verò naturalia neque â Deo ipso dispensabilia sunt, vt lib. 2. quæst. 3. demōstratū reliquimus. Id enim quod natura vetat tam intrinsecè malū est, quàm est homini esse rationalem. Cuius vtique contrarium non est factibile. Et eadem ratione neque quod natura vetat, licēre potest. Et qui contrarium dicunt, ideo id autumant, quod ignorant, vel quid sit præceptum naturale, vel quid sit dispensare. Igirur qui partem illam sustentare contendunt, non debent illam appellare dispensationem. Et Cō rad. omnium minimè, qui tam instructa argumētorum phalange probat, vsuram esse contra

Ad primū argumentū

Ad secundum argumentum.

s. Thomas Alex. Halē. Conradus

Vsura nunquā fuit licita.

contra ius naturæ. ¶At quò res pateat, recolere opùs est, vsurã nõ laxa licẽtia, sed certo modo fuisse illi gẽti pmissam, vt scilicet non fœnerarent proximis suis, sed alienigenis. Sic enim habet Deu. 23. Nõ fœnerabis fratri tuo ad vsurã, neq; fruges, neq; quãlibet aliã rem: sed alieno. Fratri autẽ tuo absq; vsura id quo indiget cõmodabis. Frater autẽ dicebatur ille qui erat de populo: vt patet Exo. 22. Si pecuniã mutuã dederis populo meo pauperi qui habitat tecũ, nõ vrgebis eũ quasi exactor, neq; vsuris opprimes. Aiunt ergo isti q̃ quia Deus cõcesserat Iudæis terrã gẽtiliũ, permisit subinde eis vsuras ab eisdẽ accipere tanq̃ ab hostib⁹, quorũ bona in ius suũ venerãt. Sicuti posset, inquiũt, Cęsar suo cõcedere exercitui vt sub vsurarum, effigie hostes expolient. Et adducũt textũ Ambrosij 14. q. 4. can. Ab illo. vbi ait, Ab illo exige vsurã, cui meritò nocere desideras. Cui iure inferuntur arma, huic legitimè auferunt vsuræ. Sed in primis licèt hoc illis largiremur, illa nullatenus fuisset dispẽsatio, sed donatio dei qui vniuersalis est omniũ rerũ dñs. Quẽadmodũ q̃ donauit eis Aegyptiorũ vasa, non dispẽsauit in furto, sed vel tanquã dñs eis tradidit, vel quod ꝓbabilius est, tanq̃ iudex eis adiudicauit, soluẽs eis laborũ operumq; mercedẽ quibus Pharaoni seruierant: veluti dũ ego amico rem meã dono, neutiq̃ dispẽso in furto. Neq; verò rex dispẽsat q̃ per legẽ ꝓscriptionis trãsfert dñium. Dispẽsare nãq; in vsura esset q̃ pro vsu pecuniæ quis licitè perciperet pretiũ, nõ illo vltrò donãte, qui donare potest. ¶At verò lite super nomine prę termissa, neq; credendus Deus est illas alienigenarum vsuras sic Iudæis cõcessisse, vt earum constitueret eos dños. Primò quia eandem prorsus vsurarũ speciem quã inhibuit respectu proximorũ, permisit illis respectu gentiliũ: quando aũt inhibuit nè fœnerarẽt fratribus suis, prohibuit illã quæ iure naturę interdicitur: eandẽ ergo vitiosam, & iniquã permisit illis respectu gentiũ. Respõdet autẽ Conrad. q̃ licèt eadẽ fuerit in genere, nõ tamẽ in specie. At profectò si non erat eadẽ in specie, neq; erat vsura ĩ genere, sed erat vera Dei donatio: & ideo illi nõ recipiebant nisi quod suũ erat. Et tamẽ absurdũ est tam immodicã homonymiã & æquiuocationẽ in eodẽ verbo scripturæ admittere. Ait nanq;, Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno. ¶Secũdò, quod miror istos non animaduertisse, Terra gentilium Iudæis donata, nõ erat nisi vtraq; ripa Iordãnis quæ centum sexaginta miliaribus in longitudine patebat, & sexaginta in latitudine: permissio autẽ vsurarum multò se latius dilatabat. Impunè quippe vsuras suscipiebãt à q̃buscũq; gẽtiliũ, qui remotissimis prouincijs ad illos aduẽtantes cõmercia cum illis inibant. Adde q̃ eodẽ ipso cap. Deut. 23. præceperat eis Deus nè abominarentur Idumæũ vel Aegyptiũ: & tamẽ ab illis impune poterãt vsuras accipere: nõ ergo in ratione hostilitatis fundabat illa permissio. ¶Et tertiũ arguitũ est q̃ ꝓfecto per tales technas suffurari hostiũ substantiã nõ esset inter Christianos bonũ exẽplum, neq; respublica vlla bene instituta eiusmodi fraudes permitteret. Haud ergo est credibile illa de causa Deum hoc illis cõcessisse. Aliãs indulsisset pariter vt quacũq; via deprędarent eorũ bona. ¶Itẽ quartò. Prophetæ Dei vbi ius naturæ, quod omnes seruare tenebãtur, explicabãt, absolutè improbabãt vsuras: vt Ezec. 18. illa iustitia cũ alijs cõnumerabat: Si quis ad vsurã nõ cõmodauerit. Et infrà: Ad vsurã dãs: & accipiens ampli⁹, nũquid viuet? Et cũ ait Dauid: Ex vsuris & iniquitate redimes animas eorũ, certè non de illis intelligebat quas extorquebãt à fratrib⁹ suis: qa nullas accipiebant: sed de illis quas sinebant ab ab extraneis exprimere. ¶Postremò q̃ per illã furti imaginẽ Deus illis nõ donauerit gẽtiliũ bona apparet, tũ q̃ illi nõ cognoscẽtes verũ Deũ, iniquitati tribuissent: tum q̃ si Iudæi tanq̃ suũ accipiebãt, absq; modo & limite illas corrasissent: atq; ideo gẽtiles absterrerent eorũ consortio. Quare neutiq̃ fit aliud credibile: q̃ q̃ Hebræis nefas erat, etiã à gẽtilib⁹ vsuras eripere, nisi vsq; ad certũ limen & lineã, quã tamen non præscripsissent: si putassent accipere qd̃ suum erat. ¶Accedit & quod Euse. lib. 8. de præparatione euãgelica c. 2. vbi enarrat Mosaicæ legis præcepta, absolutè refert illis fuisse illicitã vsurã, sub his verbis. Non tollas quod non deposuisti: nõ tãgas alienũ: nõ mutues fœnore. Et Ioseph⁹ legis peritissimus libr. 4. Antiquit. absolutè quoq; refert præceptũ dicẽs: Nulli verò Hebræorũ licebat fœnerari, neq; cibũ neq; potũ, &c. In quã etiã sententiam & Conr. citat Rabinũ quendã legis interpretẽ. Cuius etiã signũ est q̃ cùm crebrò in lege inculcata fuerit prohibitio vsuræ, nullibi legitur permissio illa fœnerãdi alienis nisi vno dũtaxat loco Deut. 23. ¶Permissio erga illa eadẽ prorsus ratione intelligẽda est facta Iudæis, qua

Quorundã assertio.

Ambrosius

Deus nõ dispensauit in vsuris.

Reprobatur altera assertio Conrad.

Primum argumentum

Primum argumentũ.

Secundum.

Tertia ratio

Quarta ratio in cõtra.

Postrema.

Eusebius.

Iosephus

ius ciuile modò eandē Christianis pmittit. Nempe vt impunè fieret ad euitanda maiora mala: scilicet latrocinia, quia erant auaritiæ deditissimi. Quemadmodùm & meretrices permittuntur ad euitanda adulteria. Simili nanque figura prædixerat eodem cap. Non erit meretrix de filiabus Israēl nec scortator. Quasi dixisset, de gentibus impunè permitto. Quapropter S. Tho. in primo, inquit, verbo, Non fœnerabis fratri tuo: denotatur ius naturę: scilicet quòd cùm mortales omnes naturæ glutino sint fratres, à nullo accipienda est vsura. Altera verò pars est pmissio: vbi dissimulandā non duxerim quorundam calumniam imponentium Diuo Thomæ quòd nomine fratris in illo loco intellexerit omnes homines: perspiciebat ēm discrimen inter fratrem & alienum: sed intelligit, quòd licèt nomine fratris speciatim intelligerentur qui erant de populo: tamen quia amplissima vocis significatione (vt. 1. de doctrina Christ. c. 30. autor est Augustinus) omnes homines fratres sunt & proximi, insinuatur illic naturalem vsuræ prohibitionem ad omnes homines protēdi. ¶ Sed neq; hoc silenter prætereundū est, quòd nō desunt qui alterū sensum illi cōcessioi, sed alieno, assuere velint: vt videlicet nulla sit permissio, sed potiùs inhibitio. Ac si dixisset, Fratri tuo nō fœnerabis. Sed si quis pro alieno tibi ducendus foret, ille esset à te fœnore premendus. Neminem tamen mortalium debet sic existimare. Quemadmodùm inquiūt legendi est canō Ambrosij suprà citatus. 14. q. 4. Ab illo exige vsurā cui meritò nocere delideras. Quasi dicat, secundùm glossam illic adscriptā, sicut nulli nocere debes, sic à nullo debes petere vsuras. Quare ex verbo ibidem subiuncto, Cui iure inferūtur arma, huic legitimè auferuntur vsuræ: non est inferendū vt communis infert opinio, quòd ab hostibus fas sit vsuras surripere. Quoniam re vera, vt paulò anteā dicebamus, talis mos neq; specimen præ se fert honesti: neq; Diuo illi inurenda est hæc nota, vt hoc cōsuleret. Sed voluit excarnificare iniquissimā vsuræ naturā. Et ideo subdit, Sine ferro dimicat, qui vsuras flagitat: Sine gladio se de hoste vlciscitur, qui fuerit vsurarius exactor inimici. Est ergo non licentia sed consilium, quòd cùm nemo se debeat de hoste vlcisci, neq; debeat vsuris illū affligere. Haud enim cum regibus loquebatur, quibus solis licet bella indicere: sed in vniuersum cum priuatis, quibus cōsilium est vt fratribus iniurias cōdonent. Igit quantū ad Ambrosium longè mihi est probabilissimū, hanc nobis exhibuisse mentē. Quòd autē idem sensus accōmodari posset textui Deut. 23. nouum esset, & credo, violētum: sed est sensus quem iam exposuimus. ¶ Illud autē quòd obijcit eodē. c. Deut. cap. 28. Fœnerabis à gentibus multis, & ipse à nullo fœnore accipies: nihil ad rem pertinet. Accipit ēm illic fœneratio pro eo qd est simpliciter, mutuare: iuxta illud Eccles. 29. Fœnerare proximo tuo tēpore necessitatis illius. Ob idq; nihil aliud illic Deus significauit q̄ bonorū affluentiā, quā populo illi pollicebat. ¶ Ex his demū sequitur nō opūs esse (quod Conrad. arbitratur) moderari permissionē illam antiquā, dicēdo q̄ per euāgelium iam cessauit. Nā vsura illa culpā semper habuit: quòd autem impunè fiat leges etiam nunc ciuiles illis permittunt sicuti alijs Christianis. Et ideo cap. quanto. de vsur. solùm eisdem Iudæis inhibetur nè graues immoderatasque vsuras Christianis extorqueant. Eōdemque pertinet, quòd cap. post miserabilē eod. titu. Papa principibus iubet, vt Iudæos vsuras Christianis restituere cōpellāt: nēpe quòd immodicas diuellerant. ¶ Ad tertium argumentum de legibus ciuilibus vsuras pmittentibus pari modo respondetur q̄ illas nō permittunt tanq̄ licitas in foro Dei: quia neq; possunt, cùm sint cōtra naturam & cōtra diuina mādata: vt cap. super eo. de vsur. sed sicut meretricia ad obuiandū latrocinijs quia mortalium, sicuti luxuria: ita neq; auaritia potest humanis legibus omninò restingui. ¶ Permissio autē vsurarū patet toto tit. de vsur. lib. 22. fforum & C. eod. titu. potissimū. l. eos. vbi vsurarū quantitati mod⁹ præscribitur, quarū summa est centesima. Hanc enim iura appellāt maximam: vt. l. qui sine. ff. de negotijs gestis. eademque appellatur grauissima. De qua fit quoque mentio cano. si quis. 14. q. 4. Deinde erant bes centesimæ, triens, &c. De quib⁹ Bartolus diffusum compositit tractatum super legem, Si hæres ad. l. Falcidiam. vbi. §. item. nominantur trientes vsuræ. In quo tractatu complures congerit opiniones. Multa enim de hac re non nulli iuris interpretū hallucinātes multiplicārunt glossemata. ¶ Ad huius ergo intellectum notandū in more fuisse Romanis, vsuras Calēdis singulorū mensium persoluere. Vnde vsura centesima erat centesima pars sortis singulis mensibus aucta. Mutuo tibi

Mēs S. Tho.

Augusti.

Explanatur locus ex ambro. citatus.

Corollariū cōtra Cora.

Ad tertiū.

Legeshuma nę vsuras permittunt

Ba

dederam

dederam centũm aureos: singulis mensibus
Budæus. debebas mihi vnum. Budęus libro. 1. de asse,
arbitratur nomẽ inde cadere, quòd centum
mensibus reddebant duplam sortem: sed
multò significãtiùs deriuatur à parte aliquo
ta, vnoquoq; mense soluta. Itaq; singulis an
nis obueniebant duodecim ex centum, vt
mercatorũ verbo vtamur. Et existimabatur
hæc vsq; adeò grauis, vt non permitteretur
nisi in traiectitijs mercibus: Puta cùm quis
pecuniam mutuabat mercatori marino vt
capitalis periculum ipse qui mutuabat subi
ret. Ab hac centesima denominabantur reli
quæ, scilicet bes centesimę: triens centesimę,
dodrans, &c. Nam omne totum iure dicitur
as, qui diuiditur in duodecim vncias. Vnde
As dicitur omne totũ. triens est tertia pars, puta quatuor vnciæ: se
mis medietas, &c. Et sic dicitur quis hæres
constitutus ex asse, ex semisse, ex besse, quæ
sunt duæ tertiæ partes, puta vnciæ octo. Et
dodrans, nouem. Quocirca triens vsura non
Dodrans. Triens vsura. est (vt quidam putant) tertia pars sortis: nec
quadrans, quarta: alioqui longè maior esset
quadrãs quàm centesima: cùm eâdem. l. eos
centesima existimetur maxima: sed triens
est tertia pars centesimæ: vt si pro centũ au
reis vnoquoq; mense solueretur tertia pars
vnius aurei. Et simili proportione in cęteris.
¶ Existimandũ ergo hic est quanto sit iam
hisce temporibus licentior vsurarum rabies.

Non enim solùm duodecim ex centum in
annum parùm existimantur, verùm neque
Vsuræ vsurarum olim summo rigore reprohibitæ quatuordecim neq; sedecim in singulas nũ
dinas satis habentur. Præterea vsurarum vsu
ræ summo rigore prohibitæ erant: vt. ff. de
vsur. l. Placuit. Et. C. eodem titulo. l. vt nullo.
Sic enim habet lex: Vt nullo modo vsuræ
vsurarum à debitore exigantur. Vsuræ vsu
rarum dicuntur, quæ nunc maximè sunt in
vsu. Suscepisti mutuo mille, pro quibus in
vsuram debes centum: Non soluis fixa die,
inde ergo priores vsuræ alias pariunt: scili
cet vt pro illis cẽtum soluas insuper decem.
Hoc sanè est quod neq; leges ciuiles vnquã
permiserunt. Et tamen modò vsq; adeò pe
stis hæc irrepsit, vt qui id delicti nota repre
henderit, ceu ridiculus exibiletur. ¶ Sed du-
Dubium. bium ex his fit reliquum quousq; extenda
tur permissio ciuilis iuris, vttùm scilicet ad
hoc tãtum, vt vsurario nulla decernatur pœ
na, sicut permittitur meretricium: an verò
eousque vt vsuris læso denegetur in iudicio
actio ad repetendum: sicuti de illo dictum
est emptore qui citra dimidium iusti pretij
decipitur. An fortè vlterius etiam vt qui vsu
ras promiserat, cogeretur in iudicio eas solu
uere. His quippe tribus gradibus intelligi
permissio potest. Ad hoc ineundum respon *Solutio.*
sum meminisse opùs est distinctionis propo
sitæ inter vsuras licitas & illicitas. Licitè nan
que, vt pote quæ propter moram soluendi,
ratione vel damni emergentis, vel lucri inui
to domino cessantis soluuntur, non solùm
lege permissæ sunt, verùm soluere eas cogi
tur qui in mora est. Et de istis intelligendæ
sunt leges vsuras solui iubentes. Qualis est. l.
prima. C. de vsuris. Si interrogatione præce
dente promissio vsurarum rectè facta probe
tur, iure debentur. Rectè facta, id est iusta de
causa, ac debito stipulationis modo. De vsu
ris autem iniquis, quæ fœnus dicebantur, ar
bitror nunquàm sic fuisse permissas, vt qui
promitterent pendere cogerentur. De quo
notanda est lex tertia eiusdem tituli quæ sic
habet. Quanuis vsuræ fœnebris pecuniæ cir
ca vinculum stipulationis peti non possint.
Ecce fœnebres vsuræ non poterant in iudi
cio peti, tamẽ propter pactum, sicuti modò
fit, soluebantur. An verò qui solueret posset
in iudicio repetere, dubiũ est. Sequitur enĩ
statim in eâdem. l. Tamen ex pacti conuen
tione solutæ, neque vt indebitæ repetuntur,
neque in sortem accepto ferendæ sunt. Ecce
non repetebantur. At verò quicquid anti
qs in more erat, certè nõ esset iusta lex quæ
actionẽ negaret volẽti repetere. ¶ Dicamus
ergo quòd iura ciuilia rectè & ritè potuerũt
vsuras permittere impunè: nempè quòd cũ
fur supplicio plectatur, fœnerator tamen ab
illo sit immunis. Cogere autẽ mutuatarium
vsuras soluere, nulla vnquam lex permisit:
nec potuit. Sed & soluenti, actionem negare
repetendi iniquum esset Non enim est eadẽ
ratio quæ in decepto citra dimidium. Nam
cùm hæc fraudulentia, vt suprà diximus, nõ
semper facilè constet, litium pesti panderetur aditus si actio daretur. In vsura verò pa
tentissima est iniquitas. Item impedire vo
lentem repetere, esset cõtra ius canonicum,
quod læso per vsuras repetitionem cõcedit.
Imò Clem. vnica de vsuris, sententia excom
municationis feriũtur quicunq; rectores, ac
iudices, & officiales, qui impedimento fue
rint volentibus vsuras quas persoluerunt re
petere. ¶ Per hæc ergo facilè dissoluitur alia
dubitatio verùm principes sæculares permit
tentes vsuras sint iure canonico condemna
ti. Quæ quidem quæstio multos cõtorquet,

arbitrantes ius canonicum hac parte obsta re ciuili. Quod tamen re vera nihil obstat. Si enim ius ciuile assereret licitas esse in foro Dei, hæresis esset in Clement. condemnata. Id tamen nõ asserit. Item si vel compelleret vsuras solui, aut solutas non repeti, nõ esset ferendum, quia eidem Clementinæ aduersa retur. Quare bene ait cum glossa Bart. super l. cunctos populos. C. de sum. trit. quòd iure ciuili peti nõ possunt vsuræ, vt vsuræ: sed vt interesse ratione morę. At verò quod princi pes sæculares non plectant suis pœnis vsura rios, ius verò canonicum suis eos puniat, nul la est contradictio. Nam principes illa tantũ vlciscuntur, vt lib. 1. diximus, quæ paci & quietudini reipublicæ officiunt, præsertim per vim. Papa verò & ecclesiastici Antistites munere suo attentiùs conscientijs cõsulunt. Et ideo nil mirum si acriùs animaduertant in vsurarios, quàm sæculares principes.

Ius ciuile cõ aduersatur canonico, circa cõtractũ vsurarum.

¶Ius ergo canonicum vsurarios, tum multis opprobrijs proscindit: tum & pœnis pluribus accumulat. Quas ad vndecim cõnumerat Sylvest. in verb. vsura. 9. Prima etenim est infamia: vt patet cano. infames. 13. q. 7. & 6. q. 1. Quin verò & lege ciuili aiunt esse infames. Attamen. l. improbum. C. quib. cau. infami. irrog. non pronuntiãtur infames nisi exigentes vsurarum vsuras, quas ius ipsum ciuile supra diximus vetare. Atq; illud appel latur improbum fœnus. Tres aliæ statuuntur cap. quia in omnibus. de vsur. scilicet ꝙ manifesti vsurarij non admittantur ad com munionem altaris. Quod sic strictè quidam intelligunt, quasi non sint admittendi ad sa cra audienda. Veruntamen quia pœnæ nõ sunt restringendæ, & illic non fertur in eos excommunicationis sententia, non est audiendum nisi secundùm verborum sonitũ, quòd scilicet non sunt admittendi ad suscipiendam sacrosanctam Eucharistiam: eò ꝙ sunt publici peccatores. Item quod non donentur ecclesiastica sepultura. Deinde quòd sacerdotum nullus eorum oblationes accipiat: quia censentur rapinæ. Et qui acceperit, est ab officijs suspẽsus. Reliquas verò cui libuerit quæret loco citato. ¶Ex his demum palàm fit quàm fuerit superuacaneus labor, quem Bald. atq; Bart. insumpserunt super. l. cũctos populos. C. de summa trinit. quamq; ab re longè ad quæstionem illam de Catho lico Iustiniano Cæsare responderunt. Vide licet quomodo duo hæc cohærerent, quòd eâdem lege præceperit cunctos populos sibi subiectos in religione versari quam Diuus Petrus Apostolus Romanis tradiderat: & ta men vsuras permiserit, quas fides catholica docet esse illicitas: quasq; Ecclesia vetat. Ad quod respondet Bald. quòd præcepit teneri fidem trinitatis, sed non respectu aliorum ar ticulorum qui requiruntur ad salutem animæ. Profectò solutio non erat digna Baldo. Nam Imperator præcepit omnes versari in religione Ecclesiæ Romanæ, quę non solùm fidem trinitatis, verùm totam includit, & simul etiam mores. Responsio ergo est, quam iam declarauimus: nempè quôd Imperatoria vsurarũ permissio nullatenus repugnat fidei: quia non astruit esse licitum in foro Dei. Hæc enim esset manifestaria hæresis. Quod aũt vsurarij ciuilibus pœnis nõ subiaceant, non est contra fidem: sicuti neque id quod meretrices nullo afficiãtur supplicio.

Sylvester. Pœnæ vsurariorum iure canonico taxata.

Baldus. Bartolus.

Responsio Baldi sumpta.

Vera solutio

ARTICVLVS. II.

Vtrùm ratione mutui aliqua possit expeti commoditas.

DVoniam constitutum est nihil ratione mutui posse in pactum duci, explicandum restat, vtrum neque commoditas expeti vlla possit. Et arguitur à parte affirmatiua. Eadem esse videtur comparatio dati ad datum, & mutuati ad mutuatum: sed pro data pecunia licet ex pacto recipere eandẽ vel eius valorem: ergo pro beneficio mutuãdi licet par expectare officium. Vt scilicet mutuatarius vinciatur vt mutuãti remutuet. ¶Secundò arguitur. Si gener pignus mutui accipiat, ꝙ sit fructiferum, vt hortum vel fundũ, potest fructibus eius vti, donec sibi de dote satisfiat vt patet cap. salubriter. de vsur. ergo licet aliquid recipere ratione mutui. ¶In contrariũ est quod Ezechi. 18. inter ea quæ ad viri iusti tiã requiruntur, ascribitur: si vsurã & super abundantiam non acceperit. Vbi nomine superabundantiæ res omnis comprehenditur, quæ pecunia æstimari potest. Accedit & verbum Ambro. cap. pleriq;. 14. q. 3. quodcũque accedit sorti vsura est. Et Hieron. cã. putant. Omnia munuscula cuiuscunq; generis accipere, vsura est.

Primum argumentum.

Argumẽta

Ambrosius Hieron.

AD quæstionem præsentem tribus cõclusionibus de mente S. Thomæ respondetur.

tur. Prima. Nihil ex pacto mutui vel recipere vel expetere licet, cuius pretium pecunia æstimatur. Cõclusio clara est: quoniam secundùm Philoso. 4. Ethicor. Omne illud cuius valorem pecunia metimur, pro pecunia habendum est. Cùm igitur nõ liceat pretio mutuare, fit vt neq; ratione mutui quidpiam recipere, quod sit pecunia æstimabile. *prima conclusio Aristot.*

Secunda cõclusio. ¶Secunda conclusio. Accipere aliquid non conuentionis nexu vel tacitæ vel expressæ, sed quod gratuitò mutuanti rependitur, nullam impingit vsuræ labem. Probatur: quia beneficium mutuandi non solum non auersatur amicitiam, verùm conciliat & firmat: ergo neq; obstat quo minùs mutuator possit munus quodcunq; suscipere, quo solent amici amicorum beneficia repensare. *Tertia conclusio.* ¶Tertia conclusio. Nulla lex obstat quo minùs fas sit mutuanti illa ratione mutui conquirere & exigere, quæ pretio pecuniæ nõ penduntur: vt puta mutuatarij amicitiã, ac beneuolentiam. *Tria sunt quæ mutuationẽ vsuraria reddũt.* ¶Ex his conclusionibus summatim colligitur iudicium quæstionis præsentis. Tria enim requisita sunt, quæ mutuationẽ vsuraria macula inficiant. Primum vt id quod expetitur æstimabile sit pecunia: Secundum vt ratione mutui expectetur: & non quia aliâs debitum, vel alia via. Et tertium quod ducatur in pactum, vel expressum vel tacitum. Quod intelligendum est vt mutuationis actus sit re exterior vsura. Nã etiam si in mutuatione non interueniat pactũ, si posteà receptio fit ratione mutui, est receptio vsuraria. Quare vsura mentalis, vt diximus, est mente intendere ratione mutui lucrum accipere. Per hæc enim prudentissimus quisq; de omnibus iudicabit. *obiectio ad notanda* ¶Contra tertiam verò conclusionem, qua dictum est, licêre pro mutuo exigere id quod pecunia non æstimatur, obuium fit illicò sophisticũ argumentum, quòd liceret mutui obligatione exigere ab episcopo sacerdotium: siquidẽ spiritualia non sunt pretio æstimanda. Responsio autem est, quòd conclusio loquitur de his quę in humana ciuilitate ad gratiam & vrbanitatẽ pertinẽt: videlicet quæ sub obligationẽ nõ veniũt, sed solẽt dari gratis: spiritualia verò alia ratione nõ æstimantur pecunia. Nempè quod nõ sunt eorũ propria qui conferunt, sed sunt illis à Deo gratis cõmissa, vt inquàm eius bona gratis dispensent.

Ob idq; res huius generis crimen est, pretio, tam dare, quàm recipere. ¶At quia ait S. Tho. beneuolentiam & amicitiam nõ esse æstimabilem pecunia. Arguitur contrà. Secundùm existimationem humanam vir pro bus pluris faceret bonorum amicitiã, quàm aliquem pecuniæ numerum. Quin verò & pretio illam emeret: ergo est æstimabilis pecunia. *Argumẽtũ* *Solutio.* Respõdetur quod nõ ideo cẽsetur nõ æstimari pecunia, quod nõ sit pretiosior, q̃ illa: sed quod natura sua, neq; emitur, neq; vẽditur. Cõsistit enim in voluntate quæ nõ cogitur. Potes tu quidẽ collata pecunia emollire hostis animũ, vt te diligat: emere verò: ceu panem, minimè. Ob idq; nõ modò intuitu amicitiæ contrahendæ mutuare licèt, verùm & amicitiæ signa in pactum ducere: nam verum amorẽ, est impossibile. Vt puta quòd mutuatarius non tibi noceat, affabilem se tibi præbeat, atq; vrbanum. &c. *Scrupulus* ¶Quid autẽ si ad amicitiam illius adrepere per mutuũ procures, qui tibi potest aut sacerdotium conferre, aut magistratum. Puta si rex, ille sit, aut episcopus. Aiunt quidam quòd quãdo propositum non sistit in amicitia, sed vlteriùs ad lucrum progreditur, vsura est mẽtalis. *Solutio.* Sed tamen de hoc iam regulam suprà tetigimus, quàm nunc confirmandam repetimus: videlicet quod vsura mentalis per obiectum perpendenda est: non per hoc quod sit principalis intentio vel accessoria. Nẽpè si per mutuum intẽdis mutuatarium allicere vt ratione mutui tibi quidpiã cõferat: vsurã mente committis: quãuis illa fortè non esset principalis intentio. Si autem non intendis nisi amicitia eum deuincire, vt posteà, nõ ratione mutui sed ratione beneuolentiæ id tibi conferat, cuius tu dignus es, nulla est mẽtalis vsura, etiã si illa fit tua principalis intentio: puta facere amicũ vt posteà bene erga te affect⁹ gratuitò & liberaliter tibi aliquid donet. Itaq; totũ negõciũ hinc pẽdet quòd speras habere, vel ratione mutui, vel ratiõe amicitiæ. Si autem illius officij quod speras indignus es, alia est noua iniquitatis ratio. Sentẽtia est S. Tho. q. 13. de malo. quã probè Caiet. quolib. 1. q. 3. sequutus est. Patet exemplis cõclusio. Dum æquissimum nosti episcopum, quẽ nullo alio respectu quã iustitiæ scis sacerdotia cõferre, licet tibi ei seruire ad venandũ eius beneuolentiã: vt posteà gratis, & nõ propter impensa obsequia cõferat tibi beneficiũ, cuius es dignus: quia certus es neq; illũ propter obsequia daturum, neq; te receptũ. Item si tu magistratu dignus es, sed tamẽ regi inuisus, potes illum muneribus placare, vt te ad eius amicitiam insinues & dignorũ

Vsura mentalis. *D. Thomas. Caietanus.*

albo

albo te adscribat: cur ergò nõ poteris etiam mutuato auro beneuolentiam eius piscari? etiam si alioqui non mutuares nisi vt eius amicitia tibi esset frugi. In summa cùm exterioris, mentalisq; vsuræ idem sit obiectum exterior est fidissima interioris regula. Accipere ratione mutui, vsura est in re: ergo id animo proponere, vsura est in mente. Accipere verò ratione amicitiæ, non est realis vsura: ergò neq; illud optare, est mentalis. Scio equidem responderi posse quòd licet illud simpliciter optare, non sit peccatum: tamen illam amicitiam per mutuũ procurare, culpa non vacat. Attamen cùm obiectum intẽtionis sit licitum, nescio quid culpæ hic lateat. Hoc tamen fatendum, quòd cùm fit val de subtile discernere, quãdo intentio subest recipiendi ratione amicitiæ, aut ratione mutui, semper est talis intentio suspecta. Sed vbi vir prudens id discernit, nulla subest culpa.

Quæstio. ¶Sed nunquid non potero per mutuãdi beneficiũ amicitia cum illo me cõiungere, cui debitor sum, vt mihi remittat? Vt si me quispiã de re aliqua in litem vocat, num mutuata pecunia possum cum illo fœdus inire, firmato pacto, vt liti cedat? Respondetur quòd si rem illam verè debeo, non possum in pactum ducere: sin verò per calumniã diuexor possum quidem conuentione mutui meam redimere vexationem. *Solutio.*

Argumentũ contra solutionem. ¶Exist it autẽ contra priorem partem argumẽtum. Si quem ego iniuria affeci, seu honorem eius lędendo seu famam, etiam si pecuniariam restitutionem ex me iure posset exigere, possum nihilo seciùs ego mutuandi vinculo eum obligare.

Licet ratione mutui iuriægratiã petere. Respõsio. Quòd ego quidem procurem, vt ratione amicitiæ per mutuum genitæ mihi condonet, iam assertum est, licêre. Quòd verò paciscì liceat, aliquantulo maior est hærẽdi ratio: tamen rectè mihi videor id quoque cõcedere, saltem antequàm sim in pecuniã condemnatus. Nam etsi honor & fama pecunia possit æstimari, tamen ex natura sua iure amicitiæ condonari solet. Quare illud pactum non est nisi amicitiæ fœdus. Suffragatur nobis Syl. ver. vsura. pri. §. 11. ¶Quæris autem fortè, nec immeritò, vtrùm illa amicitia possit in pactũ duci, quæ turpis est vsus. Vtrùm scilicet petulans iuuenis conuenire ex mutuo posset cum muliere de turpi obsequio. Et ratio dubitandi est: quia illa nihil aliud apparet, quàm amicitia. Respondetur quòd amicitiam per mutuum procurare, vt postmodùm illa amore victa consentiat, nõ est vsuræ vitium: obligare tamen illam, minimè ab eodem vitio excusatur: quia illa obligatio æstimabilis est pecunia. ¶Ecce de his quæ pecunia non sunt æstimabilia. Contraria ergo ratione nihil pretio pecuniæ dignũ potest in pactum mutui constitui: vt non licet tibi ea conuentione regi mutuare, vt tributorum te pensione exoneret: siue per priuilegium subsignatũ, vt fias nobilis, siue in tempus, nisi forsan in propatulo esset quòd per iniquitatem & tyrannidem exigerẽtur. Nam tunc quia illa nõ debeo, nihil ratione mutui recipio, sed vindico me ab iniuria defendendo quod meum est. Eâdem ratione nec possum ratione mutui principem obligare, vt opus. 21. ait S. Tho. qui mihi conferat magistratũ aut rem aliam. Neq; possum mutuare centum eo pacto vt mutuatarius illa vel eorũ partẽ suis expensis extorqueat ab illis meis debitoribus, à quibus difficilè extorquebuntur. Neq; si habeo frumentũ decem miliaribus ab hinc lõgè, possum mutuare, vt tu inde aduehas vel illic consumas: sed mihi id hic persoluas: quia te vectura aggrauo. Neq; verò vt aliquod obsequium recipias vel à manu vel a lingua. Vt alius scilicet tibi adsit aduocatus in causa, vel sit tibi amanuensis. Imò verò neq; in pactum duce re vt mutuatarius eleemosynas faciat, vel alia opera misericordiæ. Hæc inquam non licet in pactum ducere, neq; expectare ratione lucri. Secùs si alter gratuitò referat. Neq; vt mutuatarius corã te canat, aut saliat, aut negotia tua gerat, aut pro te oret principẽ. Nisi res essent tam exiguæ, pro quibus non consueuit pretium rependi. ¶Atq; eandem ob causam neq; mercator citra notamẽ vsuræ mutuare sub eo vinculo potest vt vel totum mutuum vel partem in mercibus mutuatarius suscipiat, etiam si iusto pretio vendat dummodò ille re vera mercium non egeat, sed cogitur emere ratione mutui: quoniam obligatio illa emendi æstimabilis est pecunia. Imò inde lucrum mercatori obuenit: nam licèt merces tantum valeant, maiorem tamen copiam vendit, quàm vendidisset. ¶Ex quo iniquissima mercatorũ fraudulentia proditur: qui indigenti regi stipendio militum, ea ratione ei mutuant, vt militesin mercibus tantum suscipiant, & tantum in pecunia. Est enim triplex aut quadruplex figura prauitatis. Prima quòd licèt ipsi putẽt merces tanti valere, haud tamẽ ita res habet: quia emptorum raritas extenuat pretium: & si

Mercatorũ insignis fraudulẽtia

& si illi non distraherent inter milites, non tam citò nanciscerentur emptores quibus illo pretio diuenderẽt. Secunda iniquitas est, quòd quia credito vendunt, cariùs vendunt.

Et cùm à rege expectationis intuitu lucrum cessans nihilo minùs corradunt: fit vt tempus bis vendant. Et tertiò, cùm miseri milites non indigeant eiusmodi mercibus, vilissimo eas statim pretio coguntur reuendere: atque vt summatim dicamus pro decem milibus quæ res soluit, vix milites sex milibus potiuntur. ¶Sed percõtaris vtrùm possis mutuatariũ ratione mutui ligare, vt tuum colat agrum iusto pretio: vel tuũ molendinum, aut furnum, aut tabernã frequentet. Sunt quippe qui astruunt id licêre: vt Summa Angelica, & Adrian. q. de vsura, & quos Sylvest. memorat in verbo. vsura. pri. §. 7. Quorum ratio est quòd cùm huiusmodi mutuator nullum det damnum, nullum extorquet pretiũ. Attamen ab aduersa parte stat ratio quod illa ciuilis obligatio, est æstimabilis pecunia. Haud enim dubiũ est quĩ priuatio libertatis suapte natura digna sit pretio. Alij verò arbitrantur nullam committi vsuram si mutuum dederis illo termino soluendum quando mutuatarius cessauerit ad tuum molendinum venire, vel tibi alia via iusto pretio seruire. Sed re vera eôdẽ relabitur. Et ideo vsuræ palliatio est. Nisi forte contractus sit emptionis & vẽditionis: nil enim vetat quo minùs possit constituto pretio obligare hominem vt ad tuũ veniat molendinum per tot annos, ac per totam vitã: etiam adiuncta pœna, vt quando defecerit certam tibi mulctã soluat. ¶Hinc planè colligitur prædiorum dominos vsuræ sordibus infici, dum eo pacto colonis pecuniam aut frumentum mutuant, vt auctiori pretio fundos suos & prædia cõducant. Neq; verò excusanter dicentes prædiorum vsum tanti valere: sed quia non possunt colonos alia conditione inuenire, mutuant: nam si non inueniunt, signum est quòd non tanti valet conductio. Ergo quando inuenires alium tanto pretio conducentem, tutum tibi esset tunc pauperi mutuare, vt eodem pretio conduceret: aliter minimè. ¶Sunt præterea qui vsuram in hac conuentione nullam agnoscũt. Obliga tu te mihi meas in æstate demetere fruges pretio tunc temporis currente: vt ego tibi tunc soluã partem pretij. Nam hîc nulla apparet mutui ratio, sed solutionis. At verò nõ auderem hoc admittere. Nam illa anticipata solutio mutuatio quædam est pecuniæ per operas alterius soluẽdæ. Quare obligatio ratio mutui fit. ¶Sed arguis contrà. Dum mutuatarius iustum pretium suarum operarum recepit, nulla ei videtur deberi restitutio. Respondet Ioan. And. vt refert illic Adria. quòd debet fieri pauperibus. Nulla hoc tamen iubet ratio. Quoniam restitutio non cedit in ius pauperum, nisi vbi non potest haberi creditoris copia, vel vbi condẽnatur vt perdat, sicut in symonia. Sed illi est restituendum, quantum illa obligatio valet. Ex quo fit quod si vt se colonus obliget, pretium aliquantulo statueretur ei maius, aut vt veniat ad molendinum aliquid remittere tur pretij molæ, nulla esset vsura. Itẽ si etiam cõductor obligaretur ipsum conducere: nã tũc quia obligatur vnus obligatur & alter, & nõ ex vi anticipatæ solutionis. ¶Et hęc de prima cõditione vsuræ, quæ est vt quod recipitur, æstimabile sit pecunia. Secunda verò est vt ratione mutui recipiatur. Quapropter si mutuatarius aliâs mihi debitor est, possum illum pactione mutui districtiùs deuincire, vt cum mutuata pecunia aliam etiam mihi debitã soluat. Vt verbi gratia si absque arbitris decem illi mutuo dedi, quæ in iudicio negare potest, possum ea lege decem insuper mutuare, vt coram tabellario syngraphã omniũ viginti mihi subscribat. Nã licèt illa obligatio æstimabilis sit pecunia, mihi tamen illam debebat. Et eâdem ratione excluditur à ratione vsuræ si vel ratione lucri cessantis, vel donationis, vel alia via illud recipiam. ¶In calce tamen huius articuli explicandum superest in qua specie sit mutuum restituendum, vt iustitia citra vsuræ crimen, quod alterutra partium committat, obseruetur. Habet enim locum mutuatio in his duntaxat rebus (vt suprà dictum est: & habetur. l. mutuum. ff. de reb. credi. si certum petatur) quæ vsu consumuntur. Mutuo ergo tibi modios frumenti decem quo tempore vilius venditur: vtrùm tempore redhibendi quo fortè carius erit eandem mensuram mihi debeas quam tibi dedi, an idem tantũ pretium quo æstimabatur dum tibi contuli. Et vice versa si pluris vendebatur dum tibi tradidi, vtrùm posteà eandẽ præcisè mihi debeas mensuram, an, quo vendidissem, pretium. Idem est de vino, oleo, melle, & similibus. Tractat hoc Sylvest. in verb. vsura. pri. §. 18. & 17. & alij multi, quos re vera nõ video scopum punctim ferire. Respõsio ergo hisce distin-

Dubitatio.

Summa Angelica. Adrianus. Sylvest.

Solutio propositæ dubitationis.

Corollariũ.

Argumentum.

Ioã. Andr.

Solutio legitima.

Secunda cõditio vsurarii cõtract⁹.

Quæstio celebris.

Solutio.

distinctionibus fit clara. Primùm discernenda est mutuatio à venditione. Etenim dum tu hyemali tempore decem modios frumenti credidisti, videdum est vtrùm mihi eo pretio vendidisti quo tunc vendebatur: an verò mutuasti. Si vendideras, non tibi frumentũ, sed pretium debeo. Quapropter si tunc singuli modij valebãt ducatum, decem tibi ducatos debeo, quocunq; pretio pòst frumentum veneat. Et ideo si inter nos conuentum fuit, vt idem pretium frumenti rependerem, & posteà valet modius non nisi dimidium ducatum, viginti tibi modios debeo. Res est clara. Si autẽ nõ sit nisi mutuatio, tunc non pretium, sed decem tibi præcisè modiorum debitor sum, quocunq; vænundetur posteà nummo. Vt si mense Ianuarij frumentum suscepi, soluendum sequentis anni eodem mense, eosdem tibi decem modios eiusdem qualitatis remetiri teneor: Vt scilicet granũ eiusdem sit bonitatis. Neque refert, longéne maioris annona vænibat quando tu mihi dedisti, ac multò minoris. Et idem est vini iudicium atque aliarum rerum vsu consumptibilium. Etenim ratione mutui non tibi debeo pretium, sed corpora in eadem specie & qualitate. Quam ob rem si quãdo ego tibi soluo non valet modius nisi dimidiũ ducatum, quinque ducatis tibi satisfacio: licèt quando à te mutuatus sum, decem modij emebãtur ducatis decem. At verò si tu mihi mensus es frumentũ vetustum, obligans me vt tibi remetiar nouum, vsuraria mutuatio est. Nam petis frumentum melioris qualitatis quàm mihi tradis. Neq; refert vtrùm nouum viliùs vendatur. Et ideo isti reconditores frumenti caritatem exoptantes renouatorum nomine infamantur. Mutuant enim frumentum submarcidum, ac corruptioni proximum, vt reddatur eis nouum. Atque idem in c[illegible] & vino & alijs cẽseto: vt si subacidum vinum mutuas, vt dulcius tibi reddatur. Hæc doctrina, quia rationis germana, ciuilis quoq; iuris est: vt patet. ff. de rebus cre. si cer. peta. per totum. præsertim. l. vinum.

Renouatores.

Dubitatio.

¶ Quæris autem quid si mutuo soluẽdo nõ fit designata certa dies, vtrũ fas sit tunc mutuatori non repetere quando videt viliùs vẽnundari, sed operiri tempus quo sit maximi pretij, vt frumentum duplet aut triplet. Respondetur ex natura rei nullam prodi iniustitiæ effigiem. Esset tamen auaritiæ indiciũ euidentius quàm charitatis. Dico non esse iniustitiam nisi mutuator operam daret, nè aliter anteà soluer et: tũc enim iniustitiæ fit. Alioqui mutuatio imputatur, si non sibi consulit soluendo quando ex re sua fuerit. At verò dũ pactũ interuenit, vt solutio non fiat ante certum tempus, quando coniecturæ docent auctiori pretio æstimandum, vsurarius contractus est. ¶ Contra hanc autem sententiam sumitur à monetarũ æstimatione argumẽtum. Sequeretur inquam ex his quę dicta sunt quòd liceret mihi mutuare tibi ducatos centum, quando minori argento vel ære æstimantur: & posteà dum regis pragmatica aureorum valor augetur, idem auri pondus suscipere. Sylvest. vsura. pri. §. 14. refert Doctores iuris dicentes quòd si verisimiliter dubitatur tempore solutionis posse valere minùs plùsue, tunc eadem aurea moneta est restituenda. Sed re vera vel me vel istos fallacia cæcat. Interstat enim, ni fallor, planissima intercapedo inter valorem monetæ, & valorem aliarum rerum vsu cõsumptibiliũ. Nam dum pretiũ, verbi gratia, frumenti, vel vini, vel olei augetur, res ipsa in se immutata manet. Et ideo eadem est restituẽda mensura quæ mutuo recepta fuit, modo iam exposito. Quando verò monetæ valor augetur, ipsa in se natura monetæ, quatenùs moneta, hoc est rerũ mẽsura est, augetur ac si augeretur mensura frumenti: vt puta modius fieret maior. Et ideo si quãdo à me mutuatus es ducatum, non valebat nisi regalia vndecim: & post ad duodecim eius æstimatio aucta est: non debes ducatum integrum, sed vndecim argentea regalia. Quemadmodùm prorsus si decem tibi vrnas frumenti mutuarem, dum vrnam duodecim tantũ modioli explebant, & posteà per legẽ aucta est vt capiat modiolos tredecim, non debes mihi nisi vrnas, quæ duodecim præcisè reddant. Veruntamen quod de variatione valoris pecuniæ diuersis temporibus in eâdem prouincia dicimus, falleret quidem si pecunia traduceretur ab vna prouincia in aliam. Ducatus, exempli gratia, in Hispania quæ auri abundantior est, minori argento penditur quàm in Anglia, vbi maior est argenti copia. Ob idq; vndecim hîc argentea regalia plus valent quàm illic. De hoc ergo reponenda est disputatio vsq; ad proximũ librũ, vbi de cambijs differendum nobis est.

Obiectiuncula dicta.

Sylvester.

Differentia inter pecuniæ et aliarũ rerũ valorem.

Solutio.

Repetitio superiorum assertionũ.

REstat ergo vt ad argumẽta respõdeam' quæ tantùm nos duo proposuimus. Primum enim sancti Thom. de lucro cessante statim

ſtatim articulo proximo enucleandum eſt. Secundū verò idem fermè eſt quod præcedenti articulo, quinto loco fecerat, atq; illic ideo ſolutum reliquimus. Eſt enim eiuſmodi. Mutuatarius tenetur ex honeſtate beneficium compenſare, ergo poteſt ad illud beneficium ratione mutui ciuiliter obligari. Iam enim ſuprà negata eſt cõſequentia. Nam iuſtitiæ legi illa repenſatio ſatisfacit: qua tantū tibi redditur quātum mutuaſti: alia autem honeſtatis, libera eſſe debet: ſicut tu liberè mutuaſti. ¶ Ad quartum ergo, quod nos primum fecimus, nempè an liceat ratione mutui obligare mutuatarium ad iterum mutuandum, reſpondet Ange. aſſertoriè. Ratio ſua eſt eadem quæ paulò ſuperiùs allata eſt. Nempè quòd in tali contractu nullum mutuatario datur damnum. At verò iam ibidē monſtrauimus fallacem eſſe rationem. Nā licèt beneficium mutuandi, officium ſit liberalitatis & miſericordiæ, tamen obligatio eſt æſtimabilis pecunia. Ob idq; perſpectè Dius Thomas negat eſſe licitum. ¶ At verò vtrùm mutuare hoc pacto liceat, vt in præſentia tu mihi aliam rē mutues: Scilicet mutuo tibi frumētum vt mutues mihi vinum? Nam ex dictis S. Tho. apparet licentia hæc colligi. vbi ait: licet ſimul mutuantiv num aliquod aliud mutuum recipere: non autem licet eum obligare ad mutuum in poſterum faciendum, cùm tamen diſcrepantia deprehendi vix queat: quòd cùm non te poſſim ligare vt cras mutues, poſſim te obligare vt ſtatim mutues. Neq; reſpõſio ſolida eſt, ſi dicas mutuationem de præſenti non eſſe æſtimabilem pecunia: nam etſi hoc verum ſit, tamen obligatio eſt æſtimabilis. Reſpondetur ergo quod neq; S. Thom. dicit quòd poteſt intercedere obligatio in præſenti, vt ſcilicet petenti ex te mutuo, non aliter concedas, quàm ciuiliter obligando vt ſtatim mutuet. Sed ſupponit, vti res habet, quòd mutationes de præſenti gratuitò fiunt. Vt mutua tu mihi, & ego tibi. Et ideò ſimpliciter ait quòd licet mutuū recipere. ¶ Quapropter placet mihi appendix illa Caietani hoc loco: nempè quod liceat fideiuſſori pretiū recipere, vt fideiubeat. Quoniā illa obligatio qua ſe ſtringit tuo nomine ſoluere, æſtimabilis eſt pecunia, ac ſubinde vēdibilis. Quòd ſi contrarius inſurgas: fideiuſſio eſt quædā ſpecies mutui: ſed ſi fideiuſſor mutuaret amico pecuniam, non poſſet pretium recipere: ergo neq; inde quòd pro eo fideiubet. Negatur tamen prior præmiſſa. Alia enim res eſt fideiubere pro te, quàm mutuare tibi. Ex quo rurſus infertur quòd poſſet quis vt ſe obligaret paratū eſſe ciuibus mutuare quoties egerent, ſtipendium reipub. ſuſcipere: hoc enim non eſt pro mutuo, ſed pro obligatione. Ac demum ex his colligitur quòd non mihi licet mutui te nodo colligare, vt pro me fideiubeas. Quintum D. Thomæ argumentum materiam inducit cõtractus ſocietatis: de qua nos infrà longam diſſerturi ſumus quæſtionem. ¶ Ad ſextū ergo, quod nos ſecundo loco poſuimus de pignoris vſu fructu, reſpondetur planiter quòd quando pignus eſt fructuoſum, cõputandi ſunt eius fructus in ſortem. Aliàs ijdem reciperentur in pretium mutui, vnde vſuræ labes contraheretur. Cautio eſt vti iuſq; iuris, vt extrà, de vſur. cap. 1. & 2. & C. de diſtract. pigno. l. 1.

¶ Exurgit autem duplex difficultas ex eodem iure. Prima naſcitur ex cap. cõqueſtus. eo. vbi poſtquàm præcipitur vt fructus pignoris ducantur in ſortem, additur, Niſi terra ipſa de feudo ſit monaſterij veſtri. Nempè quòd ſi eccleſia fundos aliquos in feudū ſeu ī emphyteuſim alicui tradidit, & poſteà feudatarius eidem eccleſię eoſdem impignorat fundos, eccleſia poteſt recipere fructus non computando in ſortem mutuatæ pecuniæ. Idē habetur extrà, de feudi. cap. 1. Et tamen eſſe apparet manifeſtariæ vſuræ ſcelus. Sunt ergo qui non aliter hoc putant defendi poſſe, quàm quòd in vtilitatem eccleſiæ permiſſum eſt. Veruntamen ſolutio hæc nõ ſatisfacit. Nam eccleſiæ mos & conſuetudo eſt potiùs non exigere vſuras: neq; vnde licitè poſſet: vt patet in cap. fraternitas. 12. q. 2. Et ideo alia nequit reddi ratio quàm quòd hæc eſt natiua feudorum conditio, vt quoties adierint ad verum dominum, redeant cum fructibus: ſed tamen feudatarius abſoluitur à ſolutione feudi: vt eod. cap. 1. de feud. habetur. Verum eſt tamen æquitati apparē re confine, vt ſi feudatarius, quia meliorem reddidit fundum, plures colligebat fructus quàm ſoluebat, ille exceſſus ſemper obueniret ei, quanuis eum impignoraſſet. Attamen quia exoneratur illo onere excolendi deinceps fundum, & meliorem reddendi, etiam illo exceſſu priuatur. ¶ Grauius tamen oboritur dubiū ex capit. ſalubriter. de vſur. vbi habetur q; ſi ſocer tradidit genero pignus dotis fructuoſum, iuſtè idem gener vſufruitur pignore, dum ſibi dos non ſoluit: neque

fructus

Ad primū argumētū.

Dubium.

Solutio. D. Thomas.

Caietanus.

Ad ſecūdū argumentū

Prima difficultas defructibus pignoris.

Solutio. Feudorum conditio

fructus illos cogitur ducere in sortē. Idem permittit ius ciuile.l.Pater ff.de doli mali & met.excep. ¶ Et quidem de conclusione nemo ambigit:sed tamē de ratione est dubiū. *Panormita.* Aiunt enim Panor.& cæteri super dict. cap. salubriter. rationem sumi ex sustentatione onerum matrimonij.Sed est Adriā. in.q.de *Adrianus.* vsura,cui causa hæc nō probatur. Argumen *Argumētū Adriani.* tum eius est,quòd in alijs quoq; cōtractibus contingit vt qui pignus recipit teneatur aliqua onera sustinere:& tamen nō ideo potest percipere fructus extra sortem.vt si vendas annam pensionem pretio mille ducatorum pro quo recipis pignus,teneris illa onere soluēdi pensionem sustinere: & nihilo minùs debes fructus pignoris in pretiū numerare. Item qui stipendio regis viuit,tenetur alere familiam:& tamen si pignus stipendij acciperet,teneretur fructus recipere in pretium:ergo ratio illa nulla est.Hinc ergo colligit Adria.quòd non potest gener recipere illos fructus extra sortem nisi ratione interesse,puta lucri cessantis.Et miror ita alios esse hoc argumento deuinctos vt dicant hanc esse Theologorum opinionem:cùm tamen *Prima ratio in Adrianū* nullus præter Adrian. extiterit qui hoc somniet. Enimuero quòd propter onera matrimonij illi fructus percipiantur, nō solùm doctorum opinio est,sed expressa iuris sententia.Hanc enim rationem subdit præfatū cap.dicens,Cùm frequēter dotis fructus nō sufficiant ad onera matrimonij supportanda.Atq; idem colligitur ex allegata.l. Pater. Quis ergo Theologorum id audeat negare? *Secunda ratio.* ¶ Præterea causa illa lucri cessantis commu *Postrema.* nis est in alijs etiam contractibus, & tamen leges aliquid peculiare tribuunt genero in fauorem matrimonij.Adde quòd si illa esset tantùm causa,locum nō haberet nisi vbi gener esset mercator,qui negotiatione deberet tractare pecuniam.Nam qui illam nō habet negotiationi expositam, agere de lucro cessante non potest:& tamen generis in vniuersum indultum est priuilegium hoc. Istæ rationes adeò remordent eosdem authores vt illic non persistant,sed dicant esse donationem soceri. Hoc tamen responsum nullum habet sulcimentum:nam Papa cum interro *Deceptio.A driani et cōplicum.* gatus fuerit de iure,nihil respondit de donatione,sed quid ius ratioq; iubeat. ¶ Igitur Adrian. & qui eum sequuntur ideo seducti sunt, quòd nullatenùs intellexerunt quidnā esset onera matrimonij sustinere. Haud enim hoc,vt ipsi putant, id simpliciter est quod vxorē familiamq; alere vt in alijs onetibus vsu venit:sed est eandem alere reseruata semper dote.Tenetur enim semper maritus vxori de integra dote:& quia præter dotem debet illam alere,etiam si non sit negotiator,recipit iure fructus pignoris, dum soluatur:dos quia præsumitur quod aliquid illa dote emeret,vnde,illa salua, vxoriū onus ferret.Et ideò lex illa,pater. docet quod quā do pater alit filiam,non potest gener recipere fructus pignoris. ¶ Sed quid si gener liberè concesit terminū solutionis socero? Res- *Scrupulus. Solutio.* pondeo quod si id concesit suscepto fructifero pignore,censendus est intellexisse secūdùm ius:ideoq; potest percipere fructus extra sortem. Nisi cōtrariū liberè expressisset. Nam cùm posset quisq; indotatā sibi despōsare,potest & fructū remittere pignoris.Quo fit vt Almain.4.sent.distin.15.q.2. immeritò remordeat iurisconsultos: dicens quod quā- *Almain.* do socer nō est in mora soluendi,nō licet genero recipere fructus pignoris vltra sortē. Imò ipse nō penitus radicem iuris penetrauit,quo potest illos etiā tūc suscipere. ¶ Atq; *Panormita.* hinc planè quòd Panor. eodem capit. salubriter.scitè vt arbitror colligit, posse generū non solū fructuosum pignus, verū & certā pensionem quotannis recipere:dum dos nō soluitur. Illud enim nō recipit ratione expectatæ solutionis,sed quia,dote salua,tenetur familiæ prouidere.Neq; argumētū quorundā contrarium tenentiū vllius est momēti:scilicet quòd Papa non respondet nisi de fructibus pignoris. Nam ex eodē respōso colligitur quòd potest alia via recipere vnde *Sylueſtrina deratio.* vxorios sumptus faciat.Sylu est.autem moderatur sic sententiā vt non possit gener plures fructus suscipere pignoris quàm quibus sufficiat onera supportare.Et arbitror cōditionē non longè à veritate aberrare. Etenim quod alij dicūt, scilicet tantū posse recipere quātum lucri cessat:inde refellitur, quòd(vt probatū est)nō recipit ratione lucri cessātis. *Quæstio altera.* ¶ Atqui ex eâdem radice soluitur alia quæstio,si interroges vtrū defuncto marito possit etiam vidua recipere fructus pignoris vel alia,alimenta,seu à parte, qui nōdum soluit dotem,seu à mariti hæredibus, si soluta fue- *Ratio dubitandi.* rat.Apparet enim inde non licēre, q̄ dissoluto matrimonio vidua non sic perfert matrimonij sumptus vt debeat seruare dotem: & ideo potest mutuū suscipere ex illa postea soluendum.Nihilo minùs respōdetur, absq; dubio,seu pater debeat, seu coniugis hæres,

alteru

alteruter tenetur, vel dotem soluere, vel illã secundùm suum statum & conditionem alere: quia tenetur maritus iure matrimonij eã alere quousq; suam ei integram soluat dotem: quæ debet eius hæredibus, quàm maximè fieri potest, reseruari. ¶Hoc tamen mihi dubium in præsentiarum occurrit, ad rem minimè impertinens: vtrùm posset quis filiam non aliter dotare quàm mutuando genero pecuniam: ita vt mutuaret quispiam decem milia ducatorum mercatori sub pacto & obligatione, vt suam duceret filiam. Apparet enim hoc esse licitũ. Primùm quia posset quisq; (vt dicebamus) indotatam ducere: ergo pro mutuo. Item quia ducere vxorem, videtur esse opus amicitiæ: nam illam deberet prudentissimus quisque sibi matrimonio adiungere, quã haberet honestè charam: amicitiam autem pro mutuo poscere non est vsura, vt suprà dictum est. Prætereà si ille diligens esset & negotiationum peritus, pluris penderet decem milia mutuata, quàm donata mille. Respondetur nihilo minùs; non esse licitum. Nam dum mutui vinculo alium obligas vxorem ducere, cùm illa obligatio graui sit æstimabilis pecunia, vsũ mutuatæ pecuniæ seorsum consideratum, rependis in pretium illius obligationis: loco videlicet mille ducatorum quos ille in dotem reciperet. Neque refert, maiorisne ille æstimaret mutuum, an minoris. Et ad aliud respondetur quòd quanuis per amicitiam posset gratis vxorem ducere: tamẽ iam tunc non facit gratis, sed pro vsu pecuniæ, pretio æstimato. Ex his fit consequens Reges aut magnates nullatenus posse vrbibus aut villis quas in pignus mutui suscipiunt, extra sortem vsufrui: neque vlla ratione possunt ab vsuraria iniquitate excusari: Remedium est tamen vt non recipiant nisi emptas cum pacto retrouendendi. Tunc enim fructus emptoribus obueniunt. ¶Hoc autem nihilo minùs subticendum non est. Impignoras, verbi gratia, sterilem agrum, qui tibi neutiquàm erat vsui: quia nec erat frugifer, neque virescebat: neque illum colere cogitabas: alter autem, cui impignorasti, colit illũ vt olera saltem inde colligat, fortè non est condemnandus vt in sortem ducat: quoniã cùm tu nullum pateris detrimentum, nõ debet alterius industria in sortem computari: veluti si depositarius vsu pecuniæ tuæ lucretur, nihil tibi debet. Hæc autem prudenter pensanda sunt. Nam si emolumentum esset alicuius momenti: puta quòd ager, non quòd putabatur sterilis, sed domini incuria non colebatur: & posteà cultus fit frugi, arbitror fructus in sortis solutionem annumerandos.

Dubium.

Ratio hæsitandi.

Responsio.

Ad argumẽta facta.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm ratione damni emergentis aut lucri cessantis, liceat mutuatori quidpiã vltra sortem recipere.



IN contractu mutuationis frequens habetur ratio damni emergentis & lucri cessantis. Et ideo queritur an horum ratione liceat mutuatori quidpiam super sortem accipere. Et arguitur à parte negatiua. Si hoc esset licitum, sequeretur quòd nullum esset vsuræ vitium, eiusmodi lucrum in pactum ducere: consequẽs tamen est falsum: quia cùm mutuatio opus sit charitatis, gratis debet fieri: ideoque dum suapte sponte suam quis pecuniam mutuat, debet eam subinde gratis à lucro diuellere. Alioqui non mutuet, postquàm non cogitur. ¶Secundò arguitur ex verbo sancti Thomæ. quæst. 78. articulo. 2. Id quod nondum quis habet, vendere non potest: mutuator nõ habet lucrum: imò multis peruium est periculis, quibus impediri potest: ergo pro illo nihil certi valet in pactum ducere. ¶Tertiò: si de lucro cessante posset mercator statim cum mutuatario conuenire, patentissima aperiretur via palliandis vsuris. Haud ergo licet talem concedere licentiam. ¶In contrarium tamen est quòd nemo tenetur ob præstitum beneficium sibi incommodare: contingit autem sæpe vt cuipiam causa mutui & damnum accidat, & cesset lucrum: ergò licitè potest tunc incolumem se, indemnemq; seruare.

Primum argumentum partis negatiuæ.

Argumẽ. D. Thomæ.

Argum. 3.

QVæstio hæc & inter doctores controuersa est, & inter mercatores periculosa. Habet autẽ certi cõpertiq; quicquã, atq; aliam partem dubiã. Ad eius ergo intellectũ prænoscenda est terminorum significatio. Damnum quippe emergens est detrimentum quod mutuator causa solius mutuationis patitur: vt si ruinosas ædes reficere parabat, aut annonam in æstate in totum annum emere: & amicus precibus im-

Damnum emergens.

probis mutuatam ab illo pecuniam, quia ipse fortè grauiùs indiget, euellit: & idem tũc mutuator eum damni commonefacit sui: si posteà domus sine alia eius negligentia corruit, vel frumentum cogitur cariùs postmodùm emere, vel per vsuras pecunias recipere quibus alia sua debita soluat, illud dicitur damnum emergens. Lucrum verò cessans est si mercator pecuniam negotiationi expositam, precibus etiam victus mutuat: vel quò citra dubium loquamur, ab inuito extorquetur, vel statò tempore non soluitur, lucrum quod augere potuerat cessat. ¶Respondetur ergo ad quæstionem quinq; conclusionibus: ab his quæ certiores sunt initio sumpto. Prima: quando mutuatori inuito, videlicet contra suam voluntatem vel damnum emergit, vel lucrum cessat, iustè & absq; vllo vsuræ periculo illud potest exigere. Memento lucrum tunc duntaxat cessare, quando pecunia erat mercatoris negotiationi dedicata. Et ratio est patentissima: quia quando quis inuitus est, vim patitur, ac perinde quasi rapinæ iniuriam. Atque huc pertinet, l. Cùm quidam. ff. de vsur. vbi ait Iurisconsult. vsuræ non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium infliguntur. Et. l. 1. habetur quòd si socius communem pecuniam in proprios vsus conuertit, teneatur socio vsuras præstare. Et. C. eodem. l. vsuras. cogitur emptor qui in solutionis mora est vsuras insuper soluere venditori. Conclusio ergo in dubium venire non potest. ¶Sed vtrùm statim ab initio posset sic licitè inter ambos conuenire, vt si non solueris statò die, teneberis deinceps certum nummum vsurarum soluere.

Quid lucrũ cessans.

Prima conclusio.

Ratio cõclusionis.

Dubitatio.

Solutio. Respondetur in primis quòd nomine pœnę proculdubio potest. Nam cùm mutuatarius teneatur in tẽpore soluere, iam inde mutuator inuitus caret suis nummis. Et ideo rigore iustæ mulctę potest illũ cogere, sicuti & iudex eũ cogeret. At verò an idem liceat ratione cessantis lucri, & si aliquantulo sit maius dubium, tamen neq; negandum est licêre: dum tamen in fraudem cõtegendæ vsuræ id nè fiat. Nẽpè si mutuator verè est mercator negotiatione victitans. Quoniã potest bona fide mutuare vsque ad certum diem, admonitumque ex tunc mutuatarium habere. quòd deinde suum non est propositum mutuare, sed quòd deinceps inuitus â suis negotijs cohibetur. ¶Secunda conclusio. Si quis habet pecuniam negotiationi mãcipatam, quomodocunque inuitus cogatur illam mutuare, non solùm damnum emergens, verùm & lucrum cessans potest iustè vltra sortem repetere. Dico inuitus; quia ei, vel aliqua vis infertur, vel tenditur fraus. Exempla. Vt si quis mercatori mortem aut incommodum aliud comminetur nisi sibi mutuet: vel si vassallus prudenter grauiterque metueret, nisi domino suo mutuum daret diuexatum iri ab illo & molestias perpessurum. Hæc enim est quædam violentiæ species. Aut si fortè rex ingruente bello indigeret à mercatoribus pecunias mutuari: qua vtique ratione posset illos compellere: illíque tenerentur parêre. In hisce inquam atq; id genus accidentibus planũ est mutuatariũ propter tales coactiones se posse indemnem seruare. Atqui huic assertioni patrocinatur Pontificium ius, extrà, de fideiuss. cap. peruenit. & cap. constitutus. quibus iubetur quòd si fideiussor nomine illius pro quo fideiusit soluit, dispendiumq; aliud fecit, aut damnum accepit, tunc ille cuius gratia soluit, restituat eum in suum ius, reddatq; ipsum prorsus indemnẽ, ab omniq; immunem iactura. ¶Verùm tamen quò ad rem descendamus, ibi latet quæstionis neruus vbi mutuator nullam speciem vis aut fraudis patitur, sed rogatus suapte sponte mutuat. De hoc igitur adhibetur conclusio tertia, paulò minoris certitudinis quàm superiores. Ille qui rogatus mutuat, potest præuisum formidatùmve damnum emergens in pactũ mutui ducere. Videlicet si domus ruinam timet, aut annônæ caritatem, quam modò emere impeditur, aut si vsuras postmodùm soluere cogitur pro ære alieno in quo, vt mutuet, manet. Conclusio est sancti Thomæ. 2. 2. q. 78. ar. 2. alteriq; similis quam præcedenti quæstione de venditore asseruerat, qui rei pretio apponere damnum potest quod vẽdendo incurrit. Ob idque simili ratione probatur. Damnum enim quod talis mutuator patitur, sua interest: quòd ideo ratione mutui accipere non tenetur: atq; ideo potest de sua incolumitate paciscì. Moderati autem consultò sumus conclusionem veluti de venditione dicturi sumus. Nempè q̃ rogatus mutuet, mutuatariumq; admoneat. Nam si vltroneus tacitusq; mutuat, sibi imputandum est damnũ: quoniam si alter rem sciret, nollet fortè sub illa cõditione mutuũ accipere. Atq; hinc sequitur q̃ si damnũ nõ fuit præuisum, neq; timebatur, sed post fortè

Secunda cõclusio.

3 certitudinis conclusio.

S. Thomas.

super-

superuenit, non tenetur mutuatarius de illo: vtpote, qui reddere non cogitauit nisi simplex mutuũ. Vt per hęc intelligatur id quod diximus, rogatus: nihil enim aliud significauimus quàm quòd mutuatarius sciẽs & prudens tanquàm rem sibi commodam mutuari ab altero velit cum illo damno. Nam si ex re sua non esset, neutiquàm illud acciperet. Quo fit vt etiam si qui damnũ passurus est alteri ex charitate tanquàm amico offerat conditionem, non ideo fit inhabilis vt damnum emergens recipiat. Hoc dixerim, quia rogari vel offerre, vt statim dicturi sumus, per se nihil facit neque tollit rationis vsuræ. Hactenus plana sunt omnia. ¶ Totum ergo quæstionis pondus huc inclinat vtrùm pariter possit lucrum cessans ab eodem mutuationis articulo recipi vltra sortem. Ad cuius examen præfigere operæpretium est distinctionem hãc: Bifariàm potest existimari pecunia: vno modo absolutè secundùm eius communem vsum. Et de hoc omnes consentiunt, nemini fas esse vltra sortem aliquid recipere ratione mutui. Cuius rei exemplum in vniuersis, qui negotiationi non vacant latè patet. Nam hîc est vsus qui seorsum nõ venit computandus. Altero verò modo consideratur vt negotiationis industriæ subest: nempè quia possessor illam habet negotiationi expositã. Et de hac pecunia aiunt Cõrad. eoq; multi posteriores statim posse mercatorem pacisci vt lucrum cessans ad sortem sibi accumuletur: etiam si nõ sit inuitus, sed rogat9 mutuet. ¶ Nihilo minùs statuo egomet mihi hanc quartã conclusionem. Quod hoc modo possit lucrum cessans in pactum duci, non est adeò certum vt patroni assertionis huius arbitrantur: sed est tum minùs probabile, tum quàm plurimis vsurarũ periculis expositũ. Et quidem quòd non sit vsq; adeò certũ, multis rationibus cõprobatur. Primùm, nullam iuris aut canonici, aut ciuilis legem inuenias, quæ hoc permittat: quod certè non est infimum argumentum. Nam cùm tam frequẽtes extent quæ vsuras ratione moræ pendi iubeant: videlicet dum mutuator, vel quiuis creditor inuitus re sua caret: si spontanea hæc lucri cessantis pactio tam planè licita esset, non defuisset lex quæ id insinuaret. Mox si priscos doctores consulas, Diuus Thomas id negat, consultò dignoscens inter damnum emergens & lucrũ cessans. Nempè quòd illud licet in conuentione ponere, hoc verò minimè. Cuius sententiæ accedit Scotus in. 4. dist. 15. q. 2. & Durand. in. 3. Senten. dist. 37. q. 2. & inter iurisconsultos illustris Innocen. sup. cap. Nauiganti. de vsur. Imò inter antiquos graues q; seu iuris seu Theologiæ doctores neminem inuenias, qui explicitis verbis id astruat, nisi ratione moræ aut alius culpæ debitoris. Qui autem eam affirmant, sunt Conrad. recens author, quæst. 30. eandem q; cum formidine & timore septem conditionibus circumsepiens Pòst verò Syluest. verb. vsura. pri. §. 19. & Caietan. super. S. Thom. 2. 2. q. 78. & in sua Summa affirmatiùs eãdem defensant. Atque Adria. in. q. de vsura: licèt fateatur (vt suo verbo vtar) esse opinionem modernorũ. ¶ Quòd si ratione agamus, vna est quæ vehementer apud me aduersus hanc opinionem depugnat. Lucrum cessare, vt nomen sonat, est hominem à lucro cohiberi: nemo autem cohibetur nisi sua impediatur voluntas: inuoluntarium verò, doctore. 3. Ethicor. Arist. sola vis, metúsve, aut ignorantia facit: ergo vbi nullum istorum intercedit, nõ propriè cẽsetur cessare lucrum. Certè est res creditu difficilis: quòd si mercator qui negotiationi expositam habet pecuniam offert illam mutuo, non potest recipere lucrum cessans: & tamẽ per hoc solùm quòd alter leuissimo verbo mutuum idem ab eodem petat, possit idem lucrum in pactum ducere: cùm nihilo minùs spontaneus faciat rogatus, q̃ si alterum præueniret. ¶ Atqui per hanc rationem, omnes aliorum labefactantur. Primùm enim patens est discrimẽ inter damnũ emergens & lucrum cessans: nam illud non pẽdet ex industria: sed est mera passio à qua idcirco se quisq; incolumem seruare potest: hoc autem pendet ex industria à qua qui si sua sponte suam abstrahit pecuniam, nõ est quòd impediri censeatur. ¶ Arguunt præterea sic. Post moram licet recipere lucrum cessans: sed pecunia negotiationi exposita, tantæ vtilitatis erat ante illam moram: ergo poterat idem lucrum absq; mora peti. Sed vides argumentum extra chorum saltare. Haud enim negamus illam pecuniam tantum valere ante, quantum post moram: sed tamẽ anteà nõ impeditur, sicut posteà. Nam illa iniuria quæ fit post moram dimouet voluntatem inuiti mercatoris à sua negotiatione: & ideo debetur ei lucrum. Quando verò sponte mutuat, nõ propriè impeditur. Atq; hanc differentiã optimè perspexit D. Tho. quippe qui. 2. 2. q. 62. ar. 4. in solutione ad secundum,

Quæstionis difficultas. *Distinctio.* *Opinio Conradi.* *Quarta conclusio.* *Prima ratio pro conclusione.* *Secunda ratio.* *D. Thomas.* *Scotus.* *Durandus.* *Innocentius* *Conradus.* *Sylues.* *Caietanus.* *Adrianus.* *Ratio potissima præterita cõclusionis.* *Aristot.* *Primum argumentum contrariæ opinionis.* *Solutio.*

cundum, fatetur quòd qui pecuniam creditoris vltra terminũ præfixum detinet, quia eum damnificat, tenetur ei refundere etiam lucrum. Ex quo male infert ibidẽ Caietañ. eandem esse rationis vim ante moram. Nam quantum ad lucrum cessans non censet Diuus Tho. creditorem damnificari, nisi dum inuitus impeditur: quandoquidem postmodùm. q. 78. negat ante moram idem lucrum licêre recipi. ¶Et per hoc aperitur fallacia alius istorum argumenti. Huius scilicet: Qui mercenarium à suis operis impediret, tenere tur illi refundere lucrum cessans: ergo negotiatori mutuanti. Negatur enim consequentia. Imò contrarium per hoc conuincitur. Si enim vim aut fraude illum impedias, teneris quidem: si autem tuis solis precibus ductus vult amore tuí cessare, nihil ei debes. Et simile nos dicimus in proposito. Si autem conuentione facta ob pretium ille cessat, nullũ ad propositum affers exemplum. Atqui & in huius discriminis ignoratione latet deceptio. Operæ enim mercenarij natura sua locabiles pretio sunt & conducibiles: pecunia verò minimè. Nam si aliquid plus valet, non à se habet, sed duntaxat ex adiuncta possessoris industria: ob idque quando sua sponte mutuat, liberè nudat illã tali valore. ¶Qua propter neq; est simile de illo qui impeditur nè beneficiũ assequatur, cui restitutio debetur. Nam ille inuitus non assequitur. Neque rursum est par ratio de instrumẽtis. Arguũt enim: Opifex potest instrumenta suæ artis pretio locare: sed pecuniæ sunt etiam instrumenta negotiatoris ad lucrum: ergo potest illas locare. Est nanq; latissimum interuallũ quòd vsus instrumentorum, quia non consumuntur vsu, seorsum est dignus pretio, sicut vsus equi, & domus: quæ idcirco locabilia sunt. Vsus autem pecuniæ per se non est ad illum vsum locabilis, quo cõsumitur, sed totus valor de tua nascitur industria, quem ideo recipere nequis nisi quando impediris: impediris autem solùm quando inuitus cessas. Aristot. nanque diuitias per se vocat fœlicitatis instrumenta: scilicet vt liberalitatis virtus vsum habeat: non tamen quòd sint sicuti aliarũ artium instrumẽta. ¶Ac perinde patebit dissimilitudo de sato aruo. Arguunt siquidem prætereà quòd sicut frumenti modius per se nõ valet nisi modium: seminati verò atq; herbescentis pluris, propter potentiam æstimatur: ideoque non solùm quando per vim ab aliquo pessundatur, verùm & ex conuentione potest vendi quãtum valet cum illa potentia: sic vtiq; negotiator, aiunt, potest cum illa potentia mutuare pecuniam. Porrò autem à venditione ad mutuum, nulla fit solida consequentia. Nam res vendibilis suapte natura valet pretium: mutuũ autem gratis fieri debet: nam, vt identidem hoc dicamus, industria mercatoris non impeditur nisi quando eius voluntati seu per vim seu per fraudem obsistitur. Quare nec argumentum de iactu retis, qui l. si iactum. ff. de acti. empt. & vendi. declaratur esse vendibilis in spe, ad præsens propositum refert. Est enim res illa per se vendibilis. Hoc enim solùm cõcluderet quòd postquàm mercator iam emit merces, quas ad nundinas misit, posset lucrũ vendere, quod est in spe. Est enim tunc sicut satus ager: & ideo illud lucrum est vendibile. Quando verò nihil emis, sed sponte mutuas, nihil habes quod vendas. Ac multò minùs ad rem facit argumentum quod de genero fit suscipiente fructus pignoris extra sortem: siquidem iam probatum est non ratione lucri cessantis, sed propter vxorios sumptus illos recipere. ¶Præter hæc alia sunt argumenta quibus palàm docetur quantum periculi ab illa opinione conflet ur. Circumuallant enim eam Conradus atque alij eius fautores multis conditionibus necessarijs, vt aiunt, vt contractus ab vsuræ periculis liberetur. Harum capitalis est quòd mercator potiùs expetere debet & optare negotiatione augere suam pecuniã, quàm mutuo. Per hoc enim putant impediri eius voluntatem. Nam si mauult mutuare, fatentur non impediri, atque adeò nõ licere lucrum cessans recipere. Sed quàm sit imbecilla hæc conditio, apertè monstratur, Id quod in re natura sua licitum est, nullum est peccatũ desiderare: neque tale desiderium contractum vitiat: mercatori autem habenti pecuniam ad negotia paratam licet per hoc solùm quòd rogetur lucrum cessans recipere: ergo licet desiderare vt aliquis se rogatũ accedat, vt illo modo impediatur à negotiatiõe. Si ille sic apud se constituisset: Nisi quis à me mutuum petat, nolo mercaturæ meum æs committere, planum esset vsuræ vitium: quia non habet pecuniam expositam. Dum autem firmiter cõstituit negotiari, nisi quis ab eo mutuum petat, profectò nescio secundùm istorũ opinionem, cur desiderare, vt quis mutuum petat vt lucrum recipiat, vitium conflet vsuræ.

Caietanus.

Argumẽ. 2

Solutio.

Argumẽ. 3

Solutio.

Argumẽ. 4

Solutio.

Opinio Conradi nonnihil continet periculi.

Atq;

Atq; adeò sequitur quòd per hoc solũ quod mutuator rogatur, non propriè impeditur: quãdoquidẽ illud optare licet. Quod si hoc verũ est, vide quàm lata sternatur vsuris via. Nam dicere quòd debet mutuator mutuare charitate victus, vt possit lucrũ recipere, cõmentum est. Siquidem ad naturã vsuræ tollendam, nil facit charitas. Adde quòd tunc non opùs est vt rogari expectet: nam maior esset charitas si amicum egêre sciens offerret ei pecuniã mutuo, si vellet cum pacto lucri cessantis. Nam dum metus est damni emergentis, profectò licet habenti pecuniam eandem amico offerre, vt si ex re sua est, mutuatam cum tali periculo recipiat. ¶Alia eorum conditio est quòd labores, & expensæ, & pericula deducantur à summa cessantis lucri. Attamen neque hæc conditio, si sua vera est opinio, firma est. Expensas quidem planum est esse deducendas: quia remanẽt apud mercatorem. Sed tamen de laboribus & periculis non est eadem ratio. Sum ego, verbi gratia, mercator hac arte viuens: petis à me mutuo pecuniam meam. Arguitur ergo, si mihi liceret lucrum cessans iam nunc suscipere, possem etiam tantum recipere quantum si meas nauarem operas lucrarer: nam paratus sum ego impendere labores meos: & malo laborando lucrifacere decem, quàm sine labore octo: volo etiã subire pericula. Si ergo solas preces istî censent esse impedimentum meæ voluntatis, vt lucrum dicatur cessare, profectò cum à laboribus meis & periculis impediar, totum possum petere. Enimuerò si mercenarium impedires nè suas operas in vineam locaret, totum denarium debes ei sine deductione laboris: quia maluisset ille integrum denarium laborando, quàm decurtatum cessando. Ecce rationes quæ me semper de re hac dubium tenuerunt. Et fateor, hanc mallem sententiã tenere. At satis duxerim rationes meas aliorum iudicio relinquere: sed optarem habere patronos qui mecũ eiusmodi personata vsurarum portenta abigerent. Nam hæc lucri cessantis imago hiatum istũ & voraginem vsurarum non à multis hinc annis patefecit. ¶Nihilo seciùs, quia non mihi tantum arrogo vt primus opinionem illam prorsus refellam, sit nostra quinta conclusio. Non omnino probabilitate caret vt possit lucrum cessans in pactum duci ab articulo mutuationis: dum modò re vera cesset, & nõ fiat in fraudem vsurarum. Verè enim cessare tunc penitus ẽsendum est, nõ quia poteras negotiationi pecuniam cõmittere, sed quãdo re vera iam firmus exponere cõstituëras, atq; eandem quã mutuas. Nam si habes viginti milia & nõ decreuisti mercaturæ nisi decem milia cõmittere, nequis ex aliorum mutuo lucrum cessans petere: eò q̃ illis quoq; negotiari potuisses. Ratio cõclusionis huius quæ vllã habeat probabilitatẽ, hæc vna est, q̃ posq̃ illa pecunia tuæ mancipata industriæ tanti æstimatur: & alter sciẽs & prudens vult illam cum illo onere suscipere, vidêris tu posse de illo pretio paciſci. Et tunc. S. Tho. sic interpretandus est q̃ non licet id integrum suscipere, quod re futurum erat in actu: quia nondũ est certum, ac multò minùs quantum poterat accrescere: quoniã hoc minus habet certitudinis, sed quantum est in habitu, puta in spe secundũ coniecturalem prudentiam verisimili. Quãuis cui rationes nostræ alteram persuaserint sententiã, optimo se iudicio tuebitur, dicens, nunq̃ lucrũ, nisi in inuito propriè cessare. Et idcircò argumenta in capite quæstionis proposita ille dissoluet cuia interierit.

Argumẽtũ contra opinionem rectam.

Quinta conclusio.

Ratio cõclusionis.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm quicquid lucri pecunia vsuraria peperit, sit restitutioni obnoxium.

POST hæc sequitur sermo de vsurarum restitutione Et quia de illa ambigere nemo potest, quæritur ampliùs an quicquid lucri pecunia vsuraria peperit, sit restitutioni obnoxium. Et arguitur à parte affirmatiua, secundùm Paulum ad Rom. 11. Si radix sancta, & rami: ergo à cõtrario sẽsu: si radix infecta, qualis est vsuraria pecunia, & rami, puta eius lucra, ac perinde restituenda. ¶Secundò. Si fœnerator fœnebri pecunia possessionem aliquã emit, vendenda illa est, vt iubetur extrà, de vsur. cap. cùm tu. vt de eius pretio pecuniæ vsurariæ restituãtur: ergo æquali ratione debet & lucrũ eiusdẽ pecuniæ domino reddi. ¶Tertiò. Fœnerator nõ plus iuris habet in lucrum vsuraria pecunia comparatũ, quàm in ipsam pecuniã: sed illius pecuniæ nullũ acquirit dominiũ: ergo nec lucri, ac subinde pari iure tenẽt illud domino refundere. ¶In cõtrariũ est ratio hæc. Id quod homo per suam propriã industriã nulla vetante lege acquisiuit, legitimè possidet:

Primum argumentum.

Argumẽ. 2.

Argum. 3.

sidet: contingere autem potest vt vsurarius sua industria id acquirat, quod lex possidere non vetat: ergo illud nō tenetur restituere.

DE vsurarū restitutione vt in fronte quæstionis dicebam nemo dubitat, sed tanquam certū relinquitur. Nihilo minùs quia eius ratio nonnihil habet dubietatis, & de hoc quoq; respondēdum est. Tribus autem conclusionibus constabit responsio. ¶ Prima: quicquid pretij ratione mutui per vsuram receptū fuerit, manet restitutioni subditum. Conclusio iam suprà articulo. 1. ex altera illata est: inde videlicet quòd vsura est peccatum iniustitiæ commutatiuæ: eò quòd illic vel pecunia bis venditur, vel semel vsus, qui seorsum nullius est pretij dignus. De lucro autem quod postmodùm per pecuniam vel rem aliam vsurariā accrescit, distinguendum est cum D. Tho. Rerum nanq;, vt dictū est, aliæ sunt quarū vsus est ipsarum consumptio: qualis est frumentum, pecunia. &c. aliæ verò quarum vsus non est earum consumptio: vt prædium, domus, & similia. ¶ Est ergo secunda conclusio. Quando res quæ vsu consumuntur per vsuram extorquentur, puta pecunia, grana, vinum, &c. tunc fœnerator non tenetur restituere nisi tantum penitus, quantum accepit cum damnis, si quæ alia dedit: & cum lucro, si quod alteri cesset. Fructus autem qui per easdem res sua industria accumulauit, liberi sunt à restitutione. Extorsisti à mutuatario mille aureos per vsuram, quibus posteà industria tua centum adiecisti: mille tantùm illi debes: ac insuper damna quæ tua causa accepit: & lucrum si quod illi cessauit. Idem est si centum cados vini eripuisti, quibus venditis illos multiplicasti: Centum inquam tantùm debes. Ratio est manifesta. Nullus debet alteri nisi quantum illi damni dedit: ergo qui mille tantùm surripuit, simpla illa debet: nā quod illi per suam industriam accreuit, non erat alterius. Simile dicendum nobis infrà est de emptore, qui non cogitur emere vtilitatem suam sed venditoris damnum. Atq; idem omninò de depositario, qui si vsu depositæ pecuniæ alienæ lucretur, non debet nisi simplum de posito: ¶ Tertia conclusio. Si fœnerator rem aliquā fructiferam per vsuram recepit, restituere eandem tenetur cum fructibus. Vt si recepit fundum, non solum ipsum, sed quotquot habuit fructus debet. Et si recepit domum, cuius locatione acquisiuit decem nummos, eosdem vnà cum domo debet. Et ratio S. Thom. est quòd rerum illarum quas fœnerator per vsuram acquisiuit, non est dominus sed dominium manet apud mutuantem. Quapropter non fœneratori sed alteri fructificant. Veluti de pignore dictum est. ¶ Sed arguis: nunquid non & vsurariæ pecuniæ dominium penes ipsum cōferentem pariter manebat? cur ergo lucrum illarum non eidem debetur, sicut aliarum rerum fructus? Respondetur planissimum esse interstitium quòd res illæ quæ vsu consumuntur steriles per se sunt: neq; pariunt: & ideo quanquàm sint alienæ, tamen accedens lucrum totum debetur negotiantis industriæ. Illæ verò quę per se fructificant, domino fructificāt. Quòd si arguas: Si fœnerator illa pecunia vsuraria emeret fundū, teneretur ipsum cum fructibus restituere: siquidem cum alterius pecunia illū emerit, videtur perinde esse ac si eundem fundum per vsuram ab illo extorsisset: ergo eâdem ratione tenetur restituere lucrū eiusdem vsurariæ pecuniæ. Negatur antecedens. Imò fructus illius empti fundi sunt ipsius fœneratoris ementis: vt puta suæ industriæ debiti. Neq; tenetur restituere nisi pecuniam: veluti si depositarius aliena pecunia rus coëmeret, non debet nisi pecuniam. ¶ Ad verò vt perspicacior fiat istarum conclusionū ac potissimùm primæ intellectus, examinānda est vetus illa quæstio, vtrùm per vsurariam dationem trasferatur dominiū. Fuit enim opinio glossæ illius textus Ambrosij, Si quis vsurā. 14. q. 4. quæ id asseruit. Cum qua consentit & Scot. in. 4. dist. 15. q. 2. ar. 3. & Palude ibidē, atq; Adrian⁹ in quęstione de vsura: qui ait esse cōmunem opinionē Canonistarum. Et citat in eandē sententiam Henricum Gandens. in quol. 4. q. 27. Imò & D. Thomā in. 4. dist. 15. q. 2. ar. 4. Attamen S. Thomas nō ait illic nisi quosdā hoc dicere. Et ratio istius opinionis est, q⁹ vnusquisq; liberā habet potestatē donandi quod suū est: mutuatarius autem liberè donat: ergo dominium transfert. Quòd si respondeas, vt ar. 1. dictum est, non esse omnino liberam donationem: quia ab eo fit qui necessitate compellitur, hoc non obstat: tum quòd posset quis absq; necessitate accipere ad vsuras, tū etiam quòd metus multò efficaciùs tollit voluntariū: & tamen nō obstante metu transfertur dominium: vt patet vtroq; iure. Nempè cap. Abbas. de his quæ vi metus. cau. fi. & .l. metum. ff. eodem. licèt detur repetitio,

Prima conclusio.
Probatio.
Secunda cōclusio.
Tertia conclusio.
D. Thomæ
Obiectio.
Solutio.
Replica.
Grauis quæstio.
Opinio glossæ.
Scotus.
Paluda.
Adrianus.
Henricus.
Ratio prætactæ opinionis.
Solutio.
Replica.

titio,& tales contractus sint in irritum reuocandi. Quinetiam contractus matrimonij, si metus non sit cadens in constantem virum, tenet. Et consonat Arist. sententia. 3. Ethi. de maritimo mercatore: qui metu abijcit merces. Vbi licèt inuoluntarij quidpiã admixtũ insit, est nihilo minùs abiectio simpliciter spontanea. Item mutuatarius non dat vsurario pecuniam tãquàm in depositio, vel in pignus, neq; per locationem, quibus contractibus non transfertur dominium: sed verè dat pro mutuo: ergo transfert dominium: Præterea si non transferret dominium, sequeretur quòd omnis cõtractus quem posteà vsurarius illa pecunia cõficeret, essent casi: Perinde ac si latro pecunia furto sublata illos faceret. Ideoq; quicunq; vsurario panem vel vinum venderet, aut rem aliam, teneretur restituere pretium vero domino. ¶His tamen non obstantibus opinio negatiua est indubiè vera. Quam quidem opinionem expressè hîc tenet. S. Thomas in vltimis verbis articuli: vbi ait fructus rei per vsurã extorti, eò fore restituendos, quòd qui eã dedit est eiusdem rei dominus. Et esset nihil aliud quàm cauillus, dicere quod licèt rerum vsu non cõsumptibilium non transferatur dominium, transfertur tamen pecuniæ. Eadem quippe est vtrobiq; ratio. Quare D. Thomas in solutione tertij idem astruit de pecunia. Ob idq; non debuisset Adria. eum citare in suã sententiã, neq; verò omnes iuris doctores, Nam & vnus eorum, Syluest. in verb. vsura. sexto, dicit opinionem sancti Thomæ teneri communiter à doctoribus. Sed Mos ipsorum est de hoc etiam rarò cõuenire quænam sit opinio communis. Et ideo parùm deterrere debet illud suum verbũ, omnes. ¶Opinionem autem sancti Thomæ cuncti amplexi sunt antiqui patres: vt Alexan. 3. p. q. 66. membro 4. & Altisiodorensis. 3. par. tract. 21. quæst. 1. & Richard. in. 4. distin. 15. q. 4. arti. 5. Et Caietan. quol. 1. fecit de hoc quęstionem tertiam. Atqui vt rationes sententiæ huius eluceant, supponendum est quòd nuda traditio rei non est certum signum translationis dominij. Sic enim habet. ff. de acqui. re. domi. l. Nunquàm nuda. traditio enim transfert dominium: sed ita, si venditio aut iusta causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. Hoc supposito arguitur sic. Si per vsurariam solutionem dominium transferretur, vel hoc esset rigore legis vel arbitrio voluntatis soluentis: quia non est alia via transferendi: lege autem non transfertur cùm lex omnis talem contractum vetet: voluntatem verò soluentis, iam dictum est non constare per hoc quòd voluntariè pecuniam tradidit. Supponimus enim nõ dare ratione amicitiæ merè gratis: hoc enim extra propositum est: sed ratione contractus mutui: contractus autem hîc translationem non indicat: vtpote quo vsus pecunię emitur, qui nullo est seorsum pretio æstimabilis: ergo nullum est conuincens argumentum quòd voluntas soluentis sit dominium transferre. Cùm ergo nemo præsumatur donare nisi planis documentis constet, fit vt nulla fiat illic dominij trãsmissio. Eò potissimum quòd in huiusmodi traditionibus quæ plenã non habent voluntatem, quàm minima excogitari potest, credẽda est alienatio. ¶Quòd si exquiras, cur ergo mutuatarius dat, postq̃ (vt suprà argutum est) neq; dat in depositio, neq; in pignus. Respondetur eò dare: quia aliter non potest extorquere mutuum. Etsi vrgeas: ergo decipit hominem: negatur consequentia. Imò fœnerator seipsum seducit. Nam postquàm accipit quod nõ debet, ipse viderit quomodò recipit: illa enim traditio non habet peculiarius nomen, q̃ datio vsuraria. Et est nõ dissimile exemplum de illo qui in naufragio eijcit merces in mare. Nõ enim ideo dominium ab se illarum abdicat. Quare si vndarum postmodùm impetu reijcian tur in siccam, sui etiam tunc sunt iuris. ¶Secundò presiùs. Omnes (illi etiam qui sunt partis aduersæ) fatentur q̃ si fœneratori loco vsuræ extorsit aruũ, teneturidem, vti ait. S. Tho. cum fructibus restituere: huius autem causa alia reddi nequit, quã illa S. Tho. scilicet q̃ eius dominiũ semper manet apud eũ qui dedit. Nam si prædiũ verè esset fœneratoris, licèt iniustè extorsisset, fructificaret sibi: neq; ampliùs teneretur quã prædiũ restituere. Quòd si dicas debere illos ratione morę, quia alter impeditur, tũc sequeretur q̃ si mutuatarius nõ deberet agrum colere, nihil fructuũ deberetur ei: quod est falsum. ¶Præterea tertiò arguitur: cùm leges omes vsuris recipiendis reclament, quantum fieri potest, denegãdum est vsurario ius: si autem ei dominium concedatur, periculo exponitur restitutio: nam si vera est illa donatio, posset quodammodò vsurarius tergiuersari, negãs teneri se restitutiõis ligamine, saltẽ quouisq; alter petat. ¶Ad hæc insuper quarto loco accedit q̃ solẽt leges dominiorũ translatio-

Aristot. *Solutio.* *D. Thomas* *Sylueſt.* *Alexãder.* *Altiſsiodorenſis.* *Richardus.* *Caietanus.* *Primaratio in gratiam proximæ aſſertionis.* *Scrupulus.* *Solutio.* *Secunda ratio.* *Tertia ratio.* *Quarta ratio.*

nem impedire in dationibus quæ fiunt pro re turpi & iniuriosa: vt si des Assasino vt hominem occidat: aut corrumpēdo iudici, aut simoniacè: quia res illa non est vendibilis: cùm ergo vsus mutuatæ pecuniæ seorsum nullius sit pretij, signum est, leges illius contractus prohibitrices translationem dominij impedire. Mutuatarius autem qui dat nō ratione amicitiæ, sed ratione mutui, nunquam intendit aliter dare quàm iura permittunt. Atq; huc forsan spectat ratio Altisiodorensis, inde probantis non posse mutuatarium ratione talis conuentionis donare: quia à Deo prohibetur: scilicet per leges naturæ ac diuinas contractum improbantes.

Postrema ratio autoris. ¶Postremum autem egomet mihi argumentum excogito. Si vsurarius vsurariæ pecuniæ esset dominus, consequens fieret, vt si haberet creditores alios antiquiores, quibus non per vsuras debitor erat, & posteà æs alienum per vsuras contraheret, neq; haberet alia bona nisi illa vsuraria, priùs deberet soluere antiquioribus. Nam si illa bona verè sunt illius, re vera antiquius debitum præferendum est: & tamen hoc nemo concedit. Ratio ergo cur vsurarum dominis facienda est priùs restitutio, nō est alia quàm quòd vsurarius non acquirat earum dominium.

Ad primū argumentū partis aduersæ. ¶Primo igitur argumento in contrarium conceditur, illam esse causam cur non transferetur dominium: quia scilicet illic nō est libera donatio, sed datio propter vsum mutuatæ pecuniæ, quæ nihil valet. Neq; refert (vt suprà art. 1. dictū est) si vsurarius stricta necessitate compulsus petat, an suo obsequatur animo: satis enim est q̄ postquā constituit mutuū petere, compellitur dare: quia aliter obtinere non potest. Atq; idem respōdemus de datione per metū facta. Nam cùm spontanea nō sit, non est cur dominium in alterum transmittat. Neq; iura contrarium volunt: imò hoc planè ipsum docent: dum scilicet sanciunt, eiusmodi donationes esse, non irritandas, sed vt irritas declarandas. Fatemur quidē si latronis metu iures illi quippiam largiri, teneri de ratione iuramenti: sed tamen cùm tradideris, minime dominium traducis.

Dubitatio. ¶Quid autem si mutuatarius, id fœneratore exigente, dicat, se suam pecuniā cum dominio tradere? Respondetur quòd si nō det ratione meræ amicitię, sed mutui causa, quicquid dicat & iuret, nō intelligitur dominium traijcere: quia iura prohibent: secùs autem de matrimonio: vbi si metus non est cadens in cōstantem virum, eò fit consensus legitimus, quòd citra talem metū nemo debet seipsum tradere, tāq; cæco nodo illigare.

Solutio. ¶Secundum autem argumentum solutum est. Sed tertium an videlicet vsurarius possit per vsuras acquisita eo vigore alienare vt eius contractus sint validi, paulò inferiùs cō modiùs tractabitur.

Ad secūdū argumentū.

PEr hæc ergo respondetur ad argumenta in capite quæstionis proposita. Ad auctoritatem enim Pauli dicēdum q̄ radicis qualitas, seu bona seu mala, propterea redundat in ramos quòd habet rationē effectricis causæ: pecunia verò vsuraria nō est nisi sola materia industriæ: & ideo licet ipsa sit restitutioni obnoxia, non tamen eius lucrum. ¶Et simili ratione respondetur ad secundum. Possessiones nanq; fœnebri pecunia emptæ suæ ementis sunt, sibiq; fructificant: Sunt tamen obligatæ vsurarum debitis. Et ideo cap. cùm tu. iubentur vendi, si alioqui soluendo non sit fœnerator. ¶Ex quo sequitur glossam eiusdem cap. textum non intellexisse. Elicit enim inde q̄ res vsuraria pecunia emptæ, sunt restituendæ: cùm tamen textus nō hoc dixerit, sed q̄ sunt vendendæ. Et refert quàm plurimùm. Nam cùm possessiones illę in dominio sint fœneratoris, si plus valent quàm fuerat vsuraria pecunia, ille excessus, vt hìc S. Tho. docet, non alterius à quo pecuniam extorsit, sed suus qui emerat est. Nisi forsan ratione vel damni emergentis vel cessantis lucri aliquid ei deberetur. Item si eædem essent restituendæ, & fructus quoq; earum deberent cum illis refundi: quod est falsum. Longissimè ergo differt res esse debitis obligatas, & easdem esse restituendas.

Ad primū argumentū principale.

Ad secūdū argumentū.

Ad tertiū argumentū.

¶Atque inde liquet tertij responsio, quo arguebatur non habere fœneratorem plus iuris in rem emptam quàm in pecuniam ipsam. Falsum enim est: quippe cùm ratione industriæ ius habeat in rem, quod in pecuniam non habebat. ¶Et per hæc dissoluitur alia quæstio. Vtrùm scilicet omnia bona vsurarij sint subdita restitutioni: nam super eodem capitulo, Cùm tu. aliqui affirmant (vt Panormit. refert) alij verò negant: vt Panormi. ipse & Ioannes Andreas, dicentes quòd illa quæ per vsuram sunt extorta, obligata manent: reliqua verò legitimè acquisita, minimè: quia nullum ius, inquiunt, id præcipit. At verò Sanctus Thomas in eādem solutione secundi, non modò illa quæ

Quæstio.

Panormita. Ioan. Andr.

D. Thomas.

quæ vsuraria pecunia empta sunt. verùm omnia affirmat esse obligata. Distinguendũ ergo est. Primùm enim triplicia sunt vsurarij bona. Illa scilicet, quæ velut vsurarum pretium acquisita sunt: & ea quæ pecunia vsuraria fuerũt empta: & præter hæc alia, si quæ legitima hæreditate, vel via quauis licita possidet. Rursus obligatio, altera est personalis, scilicet quæ ex persona descendit in possessiones: alia verò realis, quæ ratione rei ligat personã. Res ergo primi ordinis puta quæ vsu non consumuntur, vsura vel furto sublatæ, obligatione reali manẽt restitutioni obnoxiæ: quippe quæ eædem numero reddendæ sunt: eò quòd dominium fixum permanet penes primũ possessorẽ. Quocircà obligatio hæc quocùnq; cum re ipsa cõmigrat. Nempe siue vendantur, siue donentur, siue iure hęreditario possideãtur, obligatur possidens easdem res ratione rei acceptæ restituere vero domino. Sed sunt aliæ res siue vsuraria pecunia emptæ siue legitimè ab vsurario acquisitæ: verbi gratia, sunt patrimonialia. Et hæc non sunt obligationi reali restitutioni subdita: sed personali. Nam fœnerator vsuriarũ æs per vsuras cõtrahens, fit restitutioni obnoxius: & ratione ipsius cũcta quæ possidet. Et est latissima differẽtia q̃ hęc personalis obligatio nõtrãsit perinde atq; realis cũ rebus, sed tãtùm in illos qui loco personę succedũt. Exẽpli gratia. Si vsurarius vendat suũ patrimoniũ qñ alia bona habebat quibus vsuras restitueret: post verò in pauperiẽ lapsus, restituere nõpotest, illi emptores liberi sunt a restitutione. Nã bona quæ emerũt, vera erãt fœneratoris. At verò si vita defunctus aliqua reliquit in bonis: siue illa quæ per vsuras acquisiuit, siue aliud legitimũ, etiã si vsuriariã substãtiam totam perdiderit: hæredes tenẽtur paternas vsuras soluere ratione obligationis: nõ quidẽ realis, sed personalis: quia succedunt loco defuncti. ¶ Ex his iã gradũ facere possumus ad fœneratoris contractus, vt examinem⁹ quinã sint validi: qui verò minimè: quod quodam superiori argumẽto exquirebaẽ. Enimuerò si vsurarius dominiũ nõ acquirit, cõsequẽs fieri videtur vt nullatenùs possit vsuraria bona vllo contractu abalienare. Ad hoc in primis per distinctionẽ illã superiùs positam respõdetur. Res quippe vsũ cõsumptibiles in pretiũ vsuriarię mutuationis receptę, alienari nequaq̃ ab vsurario possunt: esset nãq; alienatio irrita, quã doquidẽ nunq̃ in suũ ius venerũt. De alijs autem, puta, quę vsu consumunt, alia est ratio. Enimuerò si vsurari⁹, etiã si illas alienauerit, alia habet bona quib⁹ restituat, cõtract⁹ alienationis, siue gratuitò fiãt, siue oneroso vinculo, tenẽt: quoniã nõ est necesse vt eędẽ numero restituant. Si autẽ nihil prorsus habet nisi qd' per vsuras corrasit: imò licèt illa quę habet, non sint vsuraria, sed legitima bona, quæ tñ debitorũ summã nõ exuperant: tũc vniuersale fermè Doctorũ resp̃sum est, oẽs eius contractus esse irritos: quia omnia illa bona sunt debitis obligata: vel obligatione reali, si sunt prioris generis vel personali, si sunt posterioris: quia persona est restituere obligata. ¶ At verò tam vniuersalẽ sentẽtiã, nisi cũ certo moderamine, nõ mihi videor satis probare. Etenim si sit gratuit⁹ cõtractus, verbi gratia donationis, planũ est nõ valere: quonia tũc donatũ illud ab vsurarum debitis eximit. Si autẽ sit onerosus, tũc distinguã: nã si per illũ nihil vsurarius recipit quod debitorib⁹ soluat, fateor similiter cassum esse: vt si filiã dotaret: quia nõ sibi ad iustũ superest quantũ debet. Atq; idẽ censendũ si stipẽdia famulis p̃soluat, etsi victualia emat, quæ certum est ab ipso cõsumenda fore. Videor ergo quantũ sit periculi cũ vsurarijs atq; alijs qui credunt nõ alia bona possidere, q̃ illicitè acquisita, huiusmodi cõtractus inire. Sitamẽ vẽdat, dum modò id non fiat in fraudem, arbitror secundũ ius naturæ contractum firmum esse, emptoremq̃ in conscientia nullatenùs teneri ad restitutionem: nam venditor etsi rem vendidit, pretiũ tamen recepit, quare nihilo minùs in bonis habet: & potest ex illo pretio soluere vsurarum debita, sicut poterat ex re ipsa. Itaq; ad irritandum, cõtractum, eò conijciendus est oculus vtrùm per ipsum vsurarij substantia minor fiat, q̃ quæ soluẽdis debitis sufficit. Et patet hoc modo ratio nostra. Fac vsuriariũ nõ ampliorẽ habere pecuniam, q̃ est suũ ęs alienum: si tunc illi vendo meum fundum, contractus est firmus: quia tantum habet in rebus, quantum habebat in nummis. Si ergo iterum ego eundem fundum eodem nummo redimam, cur contractus eâdem ratione non fit solidus? Ius quidem ciuile forsan, quia fraudem præsumet, illum rescindet: sed tamen illo secluso non est cur conscientiam remorset,

¶ Hinc protinùs facilis est descensus ad fœneratorum hæredes. Ad illos enim nõ tantũ obligatio realis deriuaẽ, verùm & personalis defuncti. Non solùm inquã dum in hæredi-

Bona vsurarij triplicia

Distinctio.

Solutio præmissæ quæstionis.

Moderatio sentẽtiæ cõmunis.

Venditio facta ab vsurario valida est secũdum ius naturæ.

De hæredibus fœneratorum.

tate res eædem permanent, quæ veluti pretium vsurarum acquisitæ fuerant, tenentur easdem propter obligationem realem, quæ cũ ipsis migrat, dominis referre: verùm etsi nihil illarum super sit, sed tamen defunctus aliquid vnde debita soluantur in alijs legitimis bonis reliquerit, tenentur restituere quicquid ille debebat, propter personalem obligationem: eò q; eius loco subrogantur. Tenẽtur inquam in conscientia, si bona debitorũ summam adæquent. Alioquin satis est si totam hæreditatem restituant. In foro autem exteriori, si hæreditatem acceptarent, cogerentur in totum: nisi forsan scriptorum prę cisè bonorum se hęredes pronunciassent.

Dubitatio. ¶Reliqua iam demum fit dubitandi ratio, vtrùm hæredum singuli in solidũ teneãtur, an dũtaxat pro quota assis. Sunt enim & de hoc inter iuris Doctores placita diuersa. Et *Syluester.* Syluest. arbitratur in verbo, vsura. 6. §. 10. se satis respondisse q; secũdùm illam opinionẽ quæ tenet omnia bona vsurarij esse obligata vsurarum debitis, vnusquilibet tenetur in solidum: si verò non sunt obligata, quilibet tenetur pro rata. At verò distinctio hæc parùm ad rem facit. Nam, vt suprà monstratum est, cuncta vsurarij bona obligata manent, siue reali siue personali obligatione. Et *Satisfit dubitationi p̃positæ.* ideo sic potiùs censendũ, q; res illæ quæ pretium fuerunt vsurarium, à quouis hęredum possideantur, reddendæ sunt domino. Et tunc cæteri cohæredes tenentur illi refundere pro ratione suæ portionis. Si autẽ sint alia bona, arbitror neminem teneri nisi pro quota assis: vt qui hæres fuit ex semisse, teneatur de vsurarũ medietate: & qui ex triẽte, de tertia: & cæteri similiter de sua cuiusq; portione. Et *Ratio p̃fatæ assertionis.* ratio est: quia personalis obligatio non transit in hæredes nisi ratione hę reditatis: obid q̃; obligatio dispertitur secundùm portionem hæreditatis cuiusq;. Et hoc sentio etiã si bona illa: vsuraria pecunia fuerint empta. Et hæc de restitutione eorum *Quæstio altera.* quæ per realem vsuram acquiruntur. ¶ Restat autem de vsura mentali respondere vtrũ obliget ad restitutionem: vt cap. cõsuluit. de vsur. definiuit Vrban. 3. Et imprimis ex superioribus constitutum supponamus, vsuram *Primũ fundamentum* mentalem esse, quando etiam nullo præcedenti pacto aliquid speratur ratione mutui recipiendum. Nam quando duntaxat ratione beneuolentiæ speratur, nunquàm cõtrahitur vsuræ contagium: siue illa sit principalis intentio, siue secùs. Hoc nanq; iam supra satis non solo testimonio sancti. Tho, sed clara ratione monstratum est. Secundò suppo- *Secundum.* nendum est, vsuram mentalem, licèt semper peccatum sit cordis, nunquàm tamen obligare ad restitutionem nisi dum re vera subsequitur vsuræ receptio. Quinimò etsi pactũ interueniat & mutuator iniquè contendat vsuras exprimere, nisi recipiat, nulla emergit restituendi obligatio: quia nihil debetur nisi Deo in satisfactionem pro culpa. Igitur cap. cõsuluit. vbi restitutio iubetur vsurę mẽtalis, hoc pacto intelligendum est. ¶ At verò nondum per hæc satis liquet eiusdẽ text⁹ intellectus. Haud enim desunt qui censeant mẽtalem vsuram neminem restitutionis vinculo innodare, nisi eum qui prauam suam mentem alteri insinuauerit. Imò Scot. in. 4. *Scotus.* dist. 15. q. 2. arti. 2. id videtur sentire. Ait enim quòd animus sine vllo pacto verbali vel alio signo æquiualẽti ostendente debitori q̃ mutuans non mutuaret sine spe lucri non facit illum recipientem sine pacto habere alienũ: & ideo nõ tenetur ad restitutionem, Et eiusdem sententiæ apparet esse Richard. cãdem *Richardus.* distinct. ar. 5. q. 5. vt puta si vsurarius vt habetur in eodem cap. parabolam iuramẽti, hoc est chirographũ debiti reddere recusęt quousque aliqui vltra sortem ei supererogetur. *Motiuũ Sco Gregorium.* Et facere pro Scoto videtur Gregor. in Regi stro. Et habet. 1. p. 2. c. sicut. vbi ait, eius oblatio, scilicet mutuatarij, nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit. Porrò autem hæc opinio, vt a- *Sẽtẽtia Sco. nullius pro babilitatis.* pud, autores iacet, nulla probabilitate viget. Nam qui prauitatem sui propositi insinuãt, non mẽtales, sed reales vsurarij cẽsendi sunt. Quando quidem licèt pactum non ineant expressum, insinuant tamen tacitè. Quare in dict. cap. consuluit. seorsum mentalis vsurarius secernitur ab eo qui mentem suam illo modo significat. Item ratio est manifesta *Ratio in Scotum.* vt etiam sine tali significatione vsura obliget ad restitutionem: nam quanuis tuã auaram mentem celes, tamen dum scis alterum ratione mutui tibi dare, tũc planè intelligis datationem illius non esse liberam donationem, sed fieri pro illo quod non est precio dignum, ac perinde retines alienum inuito domino. ¶ Vt ergo res hæc lucidè pateat, notandum est quatuor modis posse contingere receptionem fœneratoris à mutuatario. Primô: si mutuator intendat ratione beneuolentiæ recipere, eodemq; modo recipiat: tunc enim planum est nullum conflari vsu-

ræ peccatum: tantum ab est vt vlla exigatur restitutio. Secundò. Si intẽdit recipere causa mutui, & re vera ita recipit: & hoc, licèt nullum interueniat pactum, neq; intentionis significatus, citra controuersiam, peccatum est restitutioni obnoxium. tum propter rationem proximè factã: tum quia expressa est determinatio dict. cap. consuluit.

dubium. ¶ Vnũ tamen offendit me dubium circa capituli verba. Habentur nanq; ibidem hæc: Si non aliàs mutuò esset traditurus. Ex quibus verbis omnes colligunt quòd intẽtio secundaria vsuræ non obligat ad restitutionẽ, sed dũtaxat primaria & principalis. Videlicet si tu non mutuares nisi ob eiusmodi spẽ & intẽtionem: nam si etiam sine illa mutuares, aiunt hoc licêre: quia hoc est siniſtrum, vt aiunt oculum habere ad lucrum. Attamẽ profectò intelligere hoc non possum. Enimuerò quanuis sine tali spe mutuares, ita vt hæc tua non sit principalis intentio, tamen posteà dum recipis, noueris alterũ tibi dare ratione mutui, profectò recipere tibi non licet. Sed esset peccatum nexu te implicans restituendi: quia recipis quod neq; est tuum, neque ille gratis dat. Quare non aliter perci

Explanatur textꝰ citatꝰ pio secundariam intentionem capituli, excusantẽ à restitutione, quàm dum nullo modo mutuo, vt ratione mutui aliquid recipiã: sed gratis: licèt cogitatio obrẽpat ꝙ mutuatarius supererogabit mihi aliquid: quod tñ ego sum certus non recipere nisi gratis contulerit. Alioqui quanuis secundaria intẽtio esset recipiẽdi ratione mutui, esset delictum cordis. ¶ Tertio modo potest sic lucrũ contingere, ꝙ fœnerator nõ putat se recipere vltra sortẽ ratione mutui, sed fortè ratione beneuolẽtiæ: nihilo minùs alter dat mutui causa. Et tunc fortasse quispiam censeret nullã emergere restitutionis obligationem: quia illa intentio nullum fuit peccatum. Nihilomi nùs discernenda moderandaq; est hæc sententia: nam quandiu iste crediderit accepisse ratione beneuolentiæ, & à culpa & à restitutione est liber. Attamen cùm primùm resciuerit mutuatarium non dedisse nisi ratione mutui, tenetur sub reatu peccati mortalis reddere. Et ratio est, quòd iam inde agnoscit non fuisse gratuitam donationem. Atverò quia obligatio non nascitur ratione acceptionis, sed ratione rei acceptæ, non tenetur restituere nisi id quod illiꝰ possidet, vel quo factus fuit ditior. Itaq; si quid bona fide consumpsit, putans esse suũ, non debet. ¶ Quarto modo contingere potest quòd mutuator corruptam habuit intentionem, sed tamen alter non est largitus nisi gratis ex liberalitate. Et de isto membro sunt opiniones diuersæ. Nam Hostien. & Panormita. in cap. consuluit. de vsuris, & glos. cap. fina. de simonia & Ioan. Andre. in Mercur. regul. pactum. affirmant obligationem inde exurgere restituendi. Et ratio eorum est, quòd cum illa intentio sit peccatum, receptionem vitiat, ac perinde quicquid recipitur, restitutionis debito implexum est. Et intelligũt etiam dum cõstiterit alterum dedisse beneuolè. Nam dicunt quòd restitutio tunc non est facienda illi, postquàm gratis dedit: sed pauperibꝰ ratione peccati. Nihilo minùs in hac opinione nihil prorsus probabilitatis inest: res enim est clara. De peccato inquam in primis cogitationis, nulla est dubitatio. Secundò neque de hoc ambigendum, quin quandiu mutuator habeat conscientiam, alterum ratione mutui dedisse, teneatur ad restitutionem: non quidem simpliciter: sed ratione errantis conscientiæ: pro eo quòd putat se retinere alienum. Et hactenùs rectè dicunt prædicti authores. Attamen quòd à parte rei teneatur, falsum est. Et ideo vbi constiterit alterũ non dedisse ratione mutui, sed grauitò, quanq; deprauatissima intentione illud receperit, nullo implicatur restituendi nodo. Et hoc manifestè probatur. Restituendi obligatio ex nulla alia insurgit causa quàm ex damno alteri dato: hoc enim nomen ipsum aperit. Est enim restituere, alterum in suum ius statuere: quando verò mutuatarius obmeram beneuolentiam quippiam confert, nullum accipit damnum, nec depulsus est à iure suo: ergo alter nihil ei debet. Nam lucrum quod fœnerator acquisiuit, restitutionem non inducit: aliàs quod donatum tibi est, reddere obligareris. Deinde arguit. Dũ ego rem meam ab altero eripio, quam arbitror esse suam, etsi tunc cor de furtum cõmittam, tamen si posteà mihi innotescat, rem esse meã, nullo restitutionis reatu teneor. Imò verò quanuis sua ipsius fuisset, si postmodũ notum mihi faceret dono mihi dedisse, profectò religatus essem iugo restituẽdi: par autem ratio est in proposito. Illi ergo mutuatario nihil debebatur. Si autem illi nihil debetur, multò minùs pauperibus. Restitutio nanq;, vt iam suprà dictum est: non cedit in ius pauperum, nisi vel quando copia creditorum haberi non potest, vel quando datio ipsa

Hostiensis Panormita. Glossa.

Ratio prætactæ opinionis.

Autoris indicium.

Ratio dicti

Ratio altera ad idem.

ipsa iure condemnatur, vt in simonia: datio autem illa beneuola nullatenùs est prohibita. Dicere autem quòd mala intentio sit digna illa pœna, vt vsurarius eleemosynã egenis eroget, profectò nullo fulcimento connititur. ¶ Ex his ergo collige solam receptionem ratione mutui atq; omnem in vniuersum, siue intentio primaria fuerit, siue accidentaria, obligare ad restitutionem. Igitur quando dixit Gregori. oblationem mutuatarij non ingerere culpæ maculam si ex fœneratoris petitione non processerit, intellexit, quòd non impingit eidem fœneratori labem, si neque petit neq; scit in pretium sibi propter mutuum rependi: nam dum sciens & prudẽs illa causa recipit, eôdem recidit ac si peteret. Et sic glossare debet Scotum, qui eius susciperit patrocinium. ¶ Porrò verò postremum hîc dubium dissimulandũ non est: quippe quod multorũ ingenia torquet. Videntur enim prefatum caput, consuluit. de vsuris. & cap. mãdato, quod est finale, de simon. secum pugnare. Nam cap. hoc, vt expositum est, vsurarium mentalem nexu restitutionis perstringit. Illud verò de simon. ait quòd simoniacus affectus, nullo intercedente pacto, per solam pœnitentiam diluitur, neq; ad resignandum beneficium obligat, quod tali affectu susceptum est. Et tamẽ quicquid in tẽporalibus vsura est, fit in spiritualibus simonia. Imò grauius est simoniæ crimen. ¶ Adrianus in illa. q. de vsura, hoc constituit discrimen, quòd cùm restitutio simoniaci pretij faciẽda est ecclesiæ, Papa potest illam remittere: secus autẽ de vsura. Hæc autem solutio nulla est prorsus: quoniã Papa illic nullam facit debiti relaxationem: sed tantùm de iure interrogatus respondet. Docet ergo nullam esse necessariam resignationem. Alij dicunt quòd cap. consuluit, loquitur in conscientia, qua quisque tenetur vsuras restituere: sed cap. mãdato. loquitur tantùm in foro exteriori: quòd scilicet simoniacus mentalis non compellatur in foro exteriori resignare beneficiũ. At verò neq; hoc satisfacit. Nam etsi in humano tribunali nõ cogatur, deberet ipse nihilo minùs in conscientia resignare: & tamen Papa illic peccatas curat conscientias per solam pœnitentiã. Panorm. & reliqui in illo cap. complures, cõmentantur glossas. Arbitor tamen quòd quam contestantur litẽ, nulla est. Etenim caput illud, mãdato. fortè nihil aliud sibi vult q̃ quòd si quis obsequa vel munera episcopo obtulit ea intentione vt illorum intuitu & interuentu obtineret sacerdotium, posteà tamen rescisit collatum sibi fuisse non ratione munerum, sola pœnitentia deletur sibi præterita culpa: non tamen resignare tenetur: quia re vera collatio non fuit simoniaca. Sin autẽ sibi constaret collationem factã propter munera, forsitã necessaria esset resignatio. De hoc tñ lib. 9. in loco proprio examinat⁹. ¶ Post hæc demũ dicendũ supereſt de fœneratorum cooperatoribus, an teneantur etiam ipsi restituere ratione acceptionis quanlibet vsurarum nihil apud ipsos fuerit. Quales sunt eius factores & ministri. Atqui in initio statim quæstionis statuitur regula. ¶ Quicunque verè est causa, vt quispiam per vsuras alterum lædat, tenetur in integrum ad restitutionem. Est enim regula iuris, quòd qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Estq; par ratio ac de concurrentibus cum fure. Nam cùm secũdùm Paulum ad Roman. 1. non solùm qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt digni sunt morte, multò iustiùs qui re vera in causa sunt.

Causa autem illi cum primis existimantur, qui mutuatarios ad soluendas vsuras compellunt, vt si principes in hunc errorem collaberentur, ac subinde iudices: etiam dum principũ iussu id auderent: tales enim leges manifestariam haberent iniquitatẽ. Et pariter aduocati, & pariter quotquot in tale iudiciũ cõcurrẽt, ad restitutionẽ tenerentur. Pari modo proxenetæ & intercursores qui fœneratarios disquirẽtes inter ipsos ac fœneratores fœnorũ pacta cõficiunt. Nam isti verisimè sunt causa. Item consultores, vt si quis filio vel amico persuaderet vt tale iniret viuẽdi institutum, profectò perinde teneretur restituere, ac si latroni consilio faueret. Hoc dixerim propter quosdam qui putant cooperari vsurarijs ad mutuandum, non injicere restitutionis laqueum, sed cooperari ad suscipiendum lucrum. Nam profectò si ex mutuo sequitur lucrum, eadem est vtriusque ratio. Consulere autem mutuatario vt soluat vsuras, neq; culpa est, neq; ad restitutionem obligat: quia vsuras soluere non per se vetitum est. ¶ De ministris autem non est facilè iudicare. Agentes enim quos vocant & factores; quibus vsurarij sua negotia committunt, quiq; illorum pecuniam fœnori dant, omninò tenentur ratione acceptionis. Hæc omnia intelliguntur si vsurarij non restituũt: & ipsi soluendo sunt. Tametsi dum vsurarũ nihil

Corollariũ.

Ad motiuũ Scoti.

Dubium.

Adriani solutio.

Solutio adriani nõ satisfacta.

Aliorũ responsum.

Solutio vera

Vltimũ dubium.

Regula.

Quidicãtur causa vsuriæ prauitatis.

Quid de ministris vsurariorũ sit sentiendũ.

nihil in vsum istorum venit, consilium est vt dent pro sua virili operam qualiter vsurarij restituant. Quòd si nō profecerint, arbitror esse casum conueniendi creditores à quibus obnixè vel debitorum vel partis remissionē deprecentur. Est enim tunc misericordiæ locus maximè, si illi ex aliqua ignorantia peccârunt. ¶ At postquàm de ignorantia incidit sermo animaduertēdum est, quòd si huiusmodi administros ea contingeret ignorā tia teneri, quæ prorsus ab omni eos culpa ppurgaret, nullo posteà colligarētur restitutionis nexu. Nam cùm restitutionis obligatio nō nisi ratione, vel acceptionis, vel rei acceptæ exurgat, si acceptio nulla fuit culpa, & res apud ministrum nō manet, omnis cessat obligatio: veruntamen crimen est tam apertum, vt neminem possit ignorantia in totum excusare. Nisi forsan in nonnullis casibus quorum sunt grauium Doctorum opiniones diuersæ. Tunc enim quem conscientia in contrarium non remorderit, auscultare Doctoribus poterit qui bonæ sunt autoritatis. ¶ Præter hos nominatos sunt alij administri, qui propriè non censentur esse causæ: velut i famuli qui pecunias portant & seruant. Erat, verbi gratia, mutuatarius soluturus: mittit fœnerator per famulum ad petendum & tradit alteri ad custodiendū, illi non propriè sunt causa neq; restituere tenentur. Imò credo neq; amanuenses qui in commentarios rationes dati & accepti referunt. Nam isti tātùm memorię subseruiunt. At verò de publico scriba cuius instrumentum fidem facit, paululò sanè maior est dubitandi ratio. Nam ille publica fide pactum firmat quod vera est vsuræ causa. Et ideo saluberrimum esset consilium talia pacta nō subsignare. Imò, si vigore illius instrumenti posteà alter condemnaretur, non esset tabellio immunis à restitutionis debito. Quanuis cùm tales vsurariæ lites non admittantur in forum, non tantū inde imminet periculum. Nisi tabellio fraudem sciens, instrumentum vsurarium sub tacita nequitia subsignaret. Vt, si mutuum erat mille ducatorum, & centum vsurarum, fidem faceret mutuatarium mutuo recepisse mille & centū. Tunc enim reus est restituendi. ¶ Reliqua quæ de restitutione adhiberi hîc possunt, non sunt hoc genus restitutioni prioria, sed aliis simul cō munia. Tenetur enim vsurarius de damnis quæ mutuatarius propter vsurarias solutiones accepit. Item fieri potest vsurarū recompensatio. Vt si ego à te eundem vsurarū numerum recepi, quem tu ex me per similem iniuriā extorseras, neuter restat alterius debitor. Imò cap. quia frustra. de vsuris, non permittitur ille qui vsuras soluit, repetere an tequàm ipse quas accepit persoluat. Ad hæc si neque creditoris copia, neq; hæredum haberi potest, pauperibus facienda est restitutio: vt Alexād. 3. statuit, cap. cùm tu, de vsur.

Quid de famulis pecuniasferentiū portationē.

Quid de amanuēsib⁹.

Quid de tabellione.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm liceat mutuo pecuniam accipere sub vsura.

CVM dare mutuum ad vsuras peccatum sit, & mutuatarius causam eidem malo dare videatur, meritò subinde interrogatur vtrùm liceat mutuo pecuniam accipere sub vsura. Arguitur enim à parte negatiua. Pari iure condemnat Apostolus ad Rom. 1. eos qui malefactorib⁹ consentiunt, atq; ipsos qui malefaciunt: qui autem mutuum sub vsura accipit, non solùm vsurario crimini cōsentit, verùm & occasionem præbet, ac perinde scādalum dat: ergo vndequâq; peccat. ¶ Secundò. Si hoc genꝰ necessitas acceptionē excusaret, sequeret & excusare quoq; posse, vt quis pecuniā suam in depositō penes vsurarium collocaret. Nam æqualis esse posset necessitas: hoc autem à crimine nullatenùs excusatur: nam perinde esset atq; gladium furioso committere, aut impudico virginem: ergo neq; licitum est mutuum sub fœnoris vinculo suscipere. ¶ In contrarium autem est Philosophus. 5. Ethico. vbi docet iniuriam pati non esse delictum, sed facere: mutuator autem iniustitiam irrogat petenti mutuum, si eum fœnore morsicat: alter verò tantùm patitur.

Primũ argumentū.

Secundum.

Aristot.

AD quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior est. Eum qui paratus non est fœnori dare, nemini licet inducere vt fœneret. ¶ Posterior. Ab eo eo qui paratus est fœnerato mutuare, licitū est mutuari sub fœnore. Ambæ simul conclusiones vna bimembri ratione comprobatur. Inducere quempiam ad malum, nemini licet. Præcipuum enim genus cooperandi ad malū, est ad illud mouere & excitare: cùm ergo fœnerari malum sit, nemini in tale propositum quod ipse non habebat cōijcere potest. Attamen

Prima conclusio.

Secunda.

Ratio vtriusq; conclusionis.

men vti alterius peccato in bonũ, nihil absurdi habet. Nam & Deo hoc est in vsu. Vtitur enim peccatis nostris in bonũ, Vt in Enchirid. disertè docet Augustinus. Vnde idẽ facer autor ad Publicolam: Qui vtitur, inquit, fide illius qui per falsos Deos iurat, nõ ad malum, sed ad bonum: non peccato illius se sociat quo per dæmonia iurauit, sed facto eius bono, quo fidem seruauit: si tamen induceret eum ad iurandum per falsos Deos, peccaret. Subiungit diuus Thom. exemplũ Hierem. 41. decem virorum qui vt vitam ab Ismahele redimerent, qui eos volebat occidere, thesauros suos eiobtulerunt. Quocircà veluti dũ quis incidit in latrones, licet iniuriam ab illis patiatur volentibus eum trucidare, ipse tamen offerens aurum quo vitam redimat, non est prodigus: sic cẽsendum de illo qui vt suę necessitati prouideat mutuum accipit fœnori obnoxiũ. ¶ Hic autẽ dubia non desunt minimè prætereunda. Primũ est vtrùm sine vlla prorsus necessitate ab vsurario fœnerari, peccatum sit. Videtur enim diuus Tho. hoc affirmare: dũ nõ aliter huiusmodi mutui acceptionẽ excusat, quàm dũ fit ad subueniendũ necessitati propriæ vel alterius. Hoc autem facilimæ solutionis est. Enimuerò ille qui vel nulla, vel non iusta necessitate adductus fœnerato mutuatur ab eo qui paratus est, non alio peccato delinquit quàm prodigalitatis: quæ genere suo non est mortale. Potest enim quisq; citra peccatum mortale sua profundere. Attamen ex circunstantijs fieri potest mortale. Nempe si familiam habet alendam & proles quibus debet in posterum prospicere: vel si esset Antistes qui scandalum daret. Quòd si sciscitaris, quænam ergo necessitas ingruere debet vt prorsus culpam abstergat? Respondetur non esse necessariam ita multùm grauẽ, sed satis esse vt occurat decentia status, & ornatus personæ: vt si magnates ad Torniaminis apparatum & ad similes celebrandas festiuitates sub fœnore mutuẽtur, non est peccatum. Quin verò si ob meram voluptatem facerent, non esset nisi veniale. Tametsi etiã in hac magnatum classe fieri cõtingat mortale: vt putà dum hac ratione ingens contrahunt ęs alienum in grauissimum liberorum detrimentum. Mox & inde arbitror grauiter peccare, q̃ fomenta vsurarum subministrant, causaq; sunt vt omne genus mercaturæ deseratur, vertaturq; in vsurarium quæstum. ¶ Vtrùm verò liceat mutuũ sub fœnore accipere ad exercendam mercaturam vel alias licitas negotiationes ineundas, fertur diuus Thom. Florentino mercatori respondisse peccatum esse: attamen non est genere suo mortale. Imò verò forsan quandoque nullũ. Etenim dum quis non aliam instituere valeret rationem viuendi, non video cur non posset fœnebre mutuum, petere quò illa arte sibi suisq; prouideret. Veruntamen hoc tacendum in præsentiarum nõ est quod in perniciem reipublicæ in dies ire pergit. Ingentem enim hominum turbam videas, qui nihil in bonis habentes, vt alias effugiãt mechanicas artes, nacta à fœneratorum facilitate occasione, sub vsuris mutua corradunt quæ negotiationi exponunt. Et de repente mercatores prodeuntes lautiorem vitam instituunt. Qua ratione & luxu breui suam inopiam produnt, & fracta creditoribus fide reclamãt non esse soluendo. Hi profectò tanquã publica pestis essent arcendi, & ceu publici latrones existimandi. ¶ Hæc autem specialis ratio vtendi in bonum alieno peccato ad id nos euocat generaliùs perscrutandum. vtrùm videlicet in alijs quoq; materijs pariter liceat. Et respondetur per hanc regulã, quotiescunq; id quod petitur tum iustè fieri potest, tum & bona de causa petitur, quãquàm scias alterum perperàm facturũ, licet tibi tuo vti iure. Exemplum est in repręsenti, dum mutuum ab vsurario petis, id tantũ postulas, quod ipse posset tibi absq; fœnore præstare. Igitur si beneficium tibi fœnorat, sua est, non tua culpa. Similiter in exemplo Augustin. Dum ab infideli iuratam exigis fœderis conuentiue fidem, licitè ipse possit per Deum verum iuratam præstare: si autẽ per falsos iurat, suæ impietati tribuitur. Veruntamen si id quod flagitas, præstari ab altero iustè nequit, petitio tua iniqua est, vt si ab amico peteres, vt quò tuis prouideret sumptibus, fureretur: aut quò tuam iniuriã vlciscereturr, inimicum tuum vulneraret. Tametsi hanc regulam non vsq; adeò vniuersalis veritatis arbitror, quo minùs exceptionem citra violentiam patiatur. Etenim qui à misero prostibulo stato pretio turpẽ consensum petit, non est alius criminis condemnandus quàm simplicis fornicationis: quippe cùm id genus mulierẽ non censetur ille mouere: quãdoquidem ipsa est quæstui paratissima. Secùs si honestam solicitaret. ¶ Hinc rursus ad rem proximè gradus fit ad aliud dubium examinãdum, quod grauius est:

Augustin⁹. Dubium. 1. Solutio. Sciscitatio. Solutio. Scrupulus. Solutio. Dubitatio. Solutio. Dubiũ 2ũ.

est: vtrùm liceat minus malum ad peius euitandum consulere. Videlicet sicuti licet mutuum petere sub vsuris vtendo alieno peccatò in bonum: ita sit decens dissuadere alteri nè occidat: quod bonum est, persuadendo vt mitiorem vindictam sumat. Visus enim est hic Caietan. hoc negare, quod nos tamẽ super. 3. cap. ad Rom. obiter & quasi aliud agentes assimauimus. Quapropter constituimus rem hìc presiùs enucleare. Et à parte negatiua militare videtur primùm omnium sententia Pauli loco citato: Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona Nam cùm consulens causa illius rei sit quam consulit, fit vt qui minus malum consulit, idem censeatur facere: & cùm euitare maius malum quædam sit species boni, vt. 5. Ethico. cap. 1. autor est Aristot. consequens aparet vt consulere minus malum adeuitãdum peius, idem sit quod facere malum vt inde eueniat bonum. ¶ Itẽ alteri non licet malum vllum facere, vt peius euitet: ergo neque tibi idem ei consulere. Et confirmatur. Si tibi fas esset tale consilium alteri præbere, non esset nefas tibi ipsi idem assumere: quare liceret tibi facere malum vt peius caueres: quod est absurdum. Præterea consulere minus malum, est inducere ad malum: at sanct. Thom. hìc vniuersim negat licitum esse inducere alium ad malum: ergo nefarium est tale consilium. Ad hæc secundùm regulam positam non licet ab aliquo petere id quod licitè ipse præstare nequit: sed nemo minus malum facere licitè potest: ergo neque hoc est licitum ab aliquo petere. ¶ His tamen non obstantibus arbitror documentũ esse non solùm iustum, verum, & salutiferum, si res perspecta consideratione versetur. Enimuerò quia res moralis est, debet casus in eas angustias perstringi vt cui tale consilium dederis, constitutissimum habeat, certissimusq; sit grauius scelus perpetrare: ita vt nullo non moto lapide, nulla fiat reliqua via diuertendi induratum eius animum ab illo proposito, nisi molliùs inclinando in aliud, vbi virus euomat. Enimuerò etsi amicum tuum certis cõiecturis crederes cras commissurum adulterium, quod nondum constituit, nihilo minùs nefas esset persuadere modò illi fornicationem, qua calorẽ restingueret. Neq; si haberet corruptam naturam in alterũ sexum, licitum esset ad euellendum illum habitum persuadere illi conuersationem cùm fœminis. Nam ad præueniẽdum malum propositum, seu ad compescendum corruptũ habitum, non licet hominem in alia inclinare vitia. Est enim regula Arist. 2. Ethico. c. 9. eum qui delinquit in vnum extremum, inclinandũ esse in alterũ: sed tamen intra virtutis lineam. Igitur consulere minus malum nõ licet, nisi ad cõuellendum animum qui actu, firmoque proposito infixus est in malum. Fac ergo vnum hominem cõstitutissimũ habere alterum trucidare. & accinctũ esse operi: cui, vt dissuaderes nullam præteristi rationem. ¶ Quod huic ergo consilium præbere possis, vt mitiore læsione virus expuat, arguitur sic. Illud cõsilium habet bonum obiectum & finem absq; siniſtra vlla circũstantia: ergo est bonũ. De fine nullũ est dubiũ: cùm sit homicidiũ euitare: sed & de obiecto idẽ probatur. Illud si quidẽ nõ est, vt aduersarij falsò putãt, simplex illud remissius incõmodum: puta, cæde eum fuste, aut alapa, aut quid simile: sed hoc cõditionale, si alterũ certus esfacere, nempe aut occidere aut leuiùs vulnerare, citiùs hoc fac: hoc autem obiectũ bonum est & rationi consonans. Nam vt Topicorum regula habet, Ex duobus malis minus est eligendum. Quod vniuersim, etiam in malis culpæ verum obtinet: vt Gregor. 13. distinct. cano. Nerui. perspectè docet. Quapropter cũ consulens duorũ malorum minus, nihil aliud quàm electionem illam suadeat, nihil mali committit, sed bonũ consulit. Sed arguis: saltem non licet illud minus malum absolutè consulere. Distinguitur de absolutè. Si enim intelligas extra talem casum: conceditur. Attamen casu quo ille certissimus est cõmittere grauius malum quod illi dissuadendo persuadere nequis nè faciat, quanuis comparationem non exprimas, sed alterum minus consulas, semper subintelligitur comparatio: scilicet si alterũ facturus es. Secundò id etiam elucidatur: Si illud consilium, malum esset, inde maximè quòd per illud alter inducitur ad peccandum. Quòd autem id falsum sit, probatur. Nemo inducit alterũ ad illud quod alter apud se habet cõstitutissimũ facere: ille autẽ constitutũ habet malũ aut hoc aut illud facere: ergo cõsulẽs nõ inducit vt malũ faciat: sed vt faciat minus malũ: Nulla ergo est consequentia. Dimoueo illum à peiori, inclinando ad minus malũ: ergo induco ad malum. Imò in tali casu inducere eum ad minus malum est inducere ad bonũ. ¶ Tertiò ad hominem

Caietanus.
Primũ argumentũ.
Secundũ argumentum Cõfirmatio.
Tertium.
Postremum.
Solutio.
Aristot.
Prima ratio præteritæ assertionis.
Gregorius.
Obiectio.
Solutio.
Secunda ratio.
Tertia.

minem arguitur contra Caietanū. Fatetur nanq; licitum esse in tali casu proponere illi materiam minoris mali, Fit ergo inde, vt licitum sit eandem ei declarare materiam: puta quòd mitiùs potest vulnerare hostem, atq; illo modo suum explere animum, suoq; honori satisfacere, meliusque sibi consulere, & maiora cauere pericula: sicut Loth exposuit filias nefandis sodomitis, quò caueret hospitum abusum: hæc autē materiæ propositio (vt eius vtamur verbo) plane consilium est & suasio. Nam quomodò aliquid aliter consulas quàm explicando rationes quibus alter moueat? Quin verò & hoc est inducere. Porrò ergo figmētum est, perparùm ad mores referens, concedere quòd licet proponere materiam minoris mali, & tamen negare consulendi licentiam. Quare Loth, non solùm exposuit filias, sed ait, abutimini illis. Et dicere quòd illud fuit tantùm permissio, est contra verborum schema, quod apparet plus quàm consilij. Qua propter posteà in sua Summa, verbo, tyrānis. concedit planè quòd licet consulere minus malum ad euitandum maius. Igitur vel putauit nō sibi cō tradicere. Nam. 2. 2. ar. præsenti nūquàm negauit licere consulere minus malum, sed licere inducere ad minus malum. Et forsan aliquid discriminis commentus est inter consulere & inducere, quod ego non penetro. *Adrianus.* Vel fortè emendauit sententiam. Et Adria. quod. 1. quęst. 2. nostram amplectitur. Sed dimissis huiusmodi autoribus qui citra disputationem & examen simpliciter loquuntur, *Augustin⁹.* extat sententia Augustini in libr. Quęstionū super Exod. & refert. 33. q. 2. cano. si quod veriùs. vbi de coniuge adultere loquens ait: Si facturus est quod non licet, puta vel vxorem occidere, vel dimittere, iam faciat adulterium, & nō faciat homicidium. Estq; expressa sententia *Chrysosto.* Chrysosto. hom. 27. ad populū: vbi admonet consulēdum esse illi qui assuetus est iurare, vt iuret per caput suum, nè iuret per Deum. Et ex Gregoriano cap. citato, Nerui: idem colligitur. ¶ Vnde ad primum *Ad primū argumentū* argumentorum in contrariū, concesso non licēre fieri mala vt inde eueniant bona, negatur inde consequi quòd liceat consulere minus malum: non talis consultor, vt dictum est, licèt sit causa minoris mali, non ideò est causa mali. Est enim fallacissima consequētia. Imò est causa electionis bonæ: quandoquidem eum qui infixus est sceleſtiori proposito, deflectere ad remissius, verè est bonum. Et perinde respondetur ad secundum. *Ad secūdū* Haud enim, sequitur: Alteri non licet facere minus malum: ergo nec mihi licet cōsulere. Ille nanq; cùm in sua habeat potestate neutrum facere, alterutrum faciat, reus est: mihi verò quia facultas non suppetit dimouendi illum ab vtroq;, iustum est, minus consulendo à grauiori deuertere. Atq; inde fit consequens: vt ego non possim mihi sumere simile consilium: nam semper in mea est potestate duobus delictis oblatis, vtrunque cauere. Et quantum ad alia argumenta iam ostensum est, consulere minus malū nō esse inducere ad malum, imò ad bonum. Atque adeò ne talis consiliarius petit id quod alter præstare iustè nequit: nam absolutè nō petit nisi vt grauius malum non faciat: ob idq; sua culpa est si acquiescere non vult, nisi in alterum impingendo malum. Cuius simile est, mutuum petere sub vsuris. ¶ Ex his ergo *Corollariū.* colligito nemini licere minimū veniale peccatum facere adeuitandum immanissimum malum id altero. Est enim contradictionis implicatio, malum esse & licere. Neque licet id vni tertio cōsulere. Quapropter dū mihi tyrannus mortem comminatur, potiùs debeo permittere homicidium quàm vt mentiar, Neq; ad euitandum grauissimum adulterium in iuuene liceret mihi secundam aliā viro solutā inducere, vt illam cognoscendo, ab adulterio declinaret. ¶ At verò de Loth, *An Loth of ferēdo filias deliquerit.* nondum per hæc quæ dicta sunt planè constare potest, veniàtne eius factum excusandum. Porrò Ambros. 32. q. 7. can. offerebat videtur eius zelum excusatum habere. Et Petrus in secunda sua Canonica eum appellat iustum. Licèt inde non fuit consequens, vt in illo singulari actu nō deliquerit. Tametsi etiam sit probabile eum peccasse. Nihilo minùs si factum natura sua perpendas, profectò nullatenùs licitum fuit, nisi ignorātia illud excuses. Haud enim prudens fuit cōsilium, sed res indecens. Et ratio est quòd cùm illi incumberet suarum filiarum cura, atq; adeò paterno iure teneretur earum custodire pudorem, non debuit illa via peiori malo obstare. Nam iam dictum est neq; minimum tibi peccatū licēre ad euitandum in altero grauissimum. Secùs si consulendo dixisset, sunt in vrbe virgines fœminę, quibus vestram potestis libidinem offerre. Quapro *Caietanus.* pter excusatio quam ei prætexit hìc Caietadicens quòd tantùm exposuit materiam minoris mali, dupliciter mihi apparet deficiens

ciens. Primùm quòd re vera fuit inductio. Abutimini enim, inquit, eis. Deinde quòd neque illa propriarum filiarum expositio eum decebat. Glossa ergo illius loci Genes. 19. quæ Augustini est, & refertur.14. distin. can. q ait. non consilio tribuit q fecit Loth, sed animi perturbationi: quæ partim eius culpã extenuauit. An verò prorsus excusauerit, perpendendũ est secundum scientiam quam homines illius sæculi tenebantur habere.

Augustin⁹ qualiter Loth sit excusandus.

SVperest ergo tandem ad argumenta partis negatiuæ principalis quæstionis respõdere. Et quidem primi solutio satis ex superioribus liquet. Negatur enim, eum qui sub vsuris mutuum accipit, vsurario consentire: tantum abest vt causam illi vel occasionem peccandi porrigat. Etenim cùm ipse sit paratus facere, minimè eum petens mouet: vt modò de consulente minus malum dicebamus. Atque adeò ipse est qui scandalum dat: secùs si paratus non esset. ¶Ad secundum verò eo pacto respondetur, quo superiùs de illis dictum est, qui commercia cum vsurarijs ineunt. Si vsurarius inquam nullam aliam crederetur habere substantiã huius mundi quam vsuris acquisitam, profectò nemini liceret pecuniam suam apud illum deponere: nam perinde tunc esset ac si tuum esset propositum vt tuam quoque pecuniam fœnori daret: quod quidem propositum, iniquum est. Si verò copiosiorem pecuniam habet, licet tibi sana mente tuam apud illum custodiendam deponere.

Primum argumentum principale.

Ad secundũ.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm Mons pietatis, vsurarius sit.

Quid mons pietatis.

MVic quæstioni ad hibẽdũ articulũ duxerĩ de Mõte pietatis, q sub forma mutui vsurę labẽ cõtrahere videt. Dicit enim mons pietatis cumulat⁹ æris aceruus, qui subleuãdis per mutuũ miserijs pauperũ destinat: ea tñ lege vt mutuatari⁹ quisq; exiguã pecuniã in singulos mẽses cõferat: non quidẽ, vt aiũt, ratione mutui, sed veluti stipẽ diũ ministrorũ qui ad seruãda excutiẽdaq; pignora, habẽdasq; rationes dati & accepti deputant. Cùm ergo in mutuo pietas insit, quærit vtrũ ab illo collato stipẽdio vsurę macula inficiat. Et arguit à parte negatiua. Si quidpiã hic cõmitteret vsurariæ iniquitatis, maximè inde q mutuatarij aliqd vltra sortẽ erogãt: id autẽ non faciũt ratione mutui, sed ad alẽdos ministros, eidem negotio necessarios: ergo procul hinc abest vsuræ peruersitas. Probat minor. Aequũ est vt illud ærariũ ab illis, quorũ interest, seruet incolume: interest autẽ pauperũ: nã diuitis qui illud erogauit, nihil refert postquã iam tali misericor die illud mãcipauit. Neq; refert reipublicę, vt pote cui nihil inde accrescit. solis ergo pauperib⁹, quorũ cõmodo depositũ est, incũbit illud custodire. Neutiq; autẽ in custodia esse posset, nisi sub pignorũ fide mutuaret, atq; adeò adiectis eidẽ negotio ministris qui pignora seruarẽt, & post morã vẽnũdarent, rationeq; singulorũ bona fide retineret: ergo pauperũ munus est tales ministros suis symbolis sustentare: atq; adeò illic omnis vsura cauetur. ¶In contrarium est q reddere tantum in singulos menses, ac perinde tanto plus, quanto plus temporis prolatatur solutio mutui: atque id ad reddendum tutam mutuatam pecuniam, qua certè cautela mutuantis negotium agitur, quãdam habet effigiem vsuræ.

Primum argumentum à parte negatiua.

INstitutum hoc Montis pietatis in Italia centum hinc annis ortũ est. Nam Pius.2. primus eius refertur approbator. Et postea Lateranen. concilio sub Leone Decimo iterum fuit receptus: cuius vtiq; extat approbationis Bulla. At quoniam, vt Caieta. eiusdem sanctę ecclesię Cardinalis, qui vt. 2.2. q. 1. ar. 10. refert, eidem interfuit cõcilio, in Opusculo huius rei singulari commemorat, non cuncta eiusdem montis capitula fuerint per eandem bullam approbata: sed quatenùs sacris canonibus non essent contraria: nulla irrogatur iniuria eidem apostolicę sedi, si de eâdem montis ratione controuertetur. Eò præsertim quòd Papa & Concilium, in quibus authoritas residet summa cõdendi tum fidei articulos tum & morum leges, non curant falcem suam mittere ad demmiendas tãquàm de fide philosophiæ disputationes, quæ non ex sacra scriptura, sed ex nuda philosophia eliciuntur: qualis illa est quæ instituitur ad examinandum quisnam contractus sit vsurarius, quis verò ab hoc crimine liber. Hoc enim non ex sacra scriptura colligitur, vnde suas veritates elicit sancta Sedes, sed ex media meraque natura rerum. Aliud denique est prohibere vsuras sub his aut alijs censuris: quòd cùm non solùm ex morali philosophia, sed ex

Institutio mõtis pietatis.

Pius secũd⁹ Concilium Lat Caietanus.

sacra scriptura colligitur, proprium est Apostolicũ munus: aliud verò examinare quisnam contractus sit vsurarius, quod permittit ex sola natura rerum perpendi. Et ideo licet in eâdem Bulla sententia excommunicationis in eos feratur qui contrà vel prædicauerint, vel disputauerint, debet illa tamen intelligi cum eâdem clausula: scilicet si impugnauerint capitula: quæ sacris canonibus non fuerint contraria. Aliâs Caietan. fuisset damnatus: qui tamen cùm tempore Leonis opusculũ ædidit, quo montem non probauit, minimè fuit reprehensus. Cum hac ergo quam facimus protestatione, quòd decretis, vel concilij quatenùs fuerit receptũ (quoniam neq; omnia acta illius Lateranensis recepta sunt) vel sanctæ sedis, nullatenùs volumus contraire, sed eisdem sanctissimè obedire, paratissimi retractare quidquid ecclesia catholica iusserit, nihil aliud quàm operæpretiũ arbitror explicare rationes quæ eundem montem oppugnare videntur: ac pòst subijcere qua ratione eadem apostolica bulla sit interpretanda. *Mõs pietatis*

¶Igitur Mons pietatis multis potest modis congeri. Primò si qui habet substantiam huius mundi, commiseratione ductus alicui vrbi aut rei publicæ auri pondus tribuit: non quidem simpliciter in eius id transferendo dominium, sed huic mutuationis vsui dedicando. Secundò si respublica vel ex publico ærario id tali vsui seponat, vel ciuium contributione cõficiat. Nam quantum ad rem attinet præsentem, nihil refert, Neq; verò interest, pondùs ne auri sit an frumenti copia, rerùm ve aliarum vsu consumptibilium. Capitula autem montis sunt primùm, vt non mutuo detur pecunia aut frumentum nisi in tempus certum: puta in annum. Aliâs in rem communem non cederet, sed apud paucos totum occuparet. Rursus neq; decet absq; pignoratitia cautione montem dispensare. Alioqui, cùm mutuatarij pauperes esse debeant, sæpissime contingeret vt soluendo non essent: qua vtique dissipatione breui mons in nihilum abiret. Quapropter neq; pignora vltra præfixum tempus seruanda sunt, sed illicò sub hasta exponenda, vt cumulus reficiatur. *Capitula montis pietatis.*

¶His præhabitis radix huius disputationis vna quidem est, sed tamen quæ diuerse intelecta diuersas parit opiniones. Radix inquã est quòd ille cuius interest capitalem illam summam pecuniæ seruare incolumẽ, debet suis impẽsis ministros sustentare. Sunt autẽ qui censent pauperum interesse ideoque immune ab vsuræ vitio arbitrantur contributionẽ ab illis fieri: vt pote quæ alendis ministris necessaria est. Alij vero quorum est Caietan. putant hoc non interesse mutuatariorũ, sed mutuantis: cuius ideo onus esse debet suos sustentare ministros: atq; adeò quic quid vltra sortem recipit, extorquere aiunt ratione mutui, seu ratione dilatæ solutionis. *Radix ꝑsentis disputationis.*

¶Atque in hanc sententiam nostra cõclusio inclinat. Arbitror inquam ciusmodi rationem montis neutiquàm ab vsuræ sordibus elui posse. Et quò huius sententiæ veritas innotescat, hoc primùm omnium vtamur exemplo, quod esse existimo omnium regulam. Arguitur inquam: Siquis diues, ac misericors homo decreuisset cuicunque petenti à se, euangelio auscultans, mutuare: non tamen nisi susceptο pignore, & vsque adcertum tempus secundùm iura Montis pietatis, nequâquam posset quippiam vltra sortem recipere: ergo neque illa, quam vocãt Montis communitatem, id licitè poterit. Demonstremus priùs antecedens, vt inde ad illationem descendamus. Homo huiusmodi mutuator si pignus recipit, hoc nõ facit in vtilitatem mutuatarij, sed in suam propriam, vt tutam sibi faciat solutionem pecuniæ suæ: ergo quòd idem custodiatur pignus, sua interest, non mutuatarij. Nam mutuatarius mallet ipse retinere. Sed quia mutuatur aliter non vult pecuniam suam ei credere, pignus recipit: atque adeo ratione eiusdem acceptionis fit debitor idem reddẽdi pignus. Idque adeò non solùm vti depositarius. Nam hic quia non in suam, sed in depositãtis vtilitatem depositum seruandum recipit, non tenetur ratione acceptionis, vt lib. 4. sub titulo restitutionis dictum est. Ob idque si citra suam grauem culpam depositum perdatur, non tenetur illud restituere. At verò qui pignus recipit, cogitur ratione acceptionis, ob idque licèt minori culpa illud perdat: nihilo minùs restitutionis laqueo tenetur. Dixerim minori culpa: quia si nulla sua culpa dispereat, liber manet. Apparet enim hoc loco Caietan. falsus, qui tantum interualli inter pignus & depositum iecerit, vt putet eum qui pignus recipit perinde teneri ratione acceptionis restituere, ac si mutuo vel furto reciperet: atq; ideo etiam si absq; vlla sua culpa pignus pereat, manere semp restitutiõis fune ligatũ: cũ sit latissima differẽtia. Nã qui mutuũ recipit, eius dñium acquirit *Cõclusio vnica quæstionis.* *Primaratio pro cõclusione.*

acquirit. Quare quomodolibet perdatur, si bi perijt. Dominium autem pignoris manet apud debitorem: sicuti dominium depositi apud depositorem. Quocircà eidem perijt debitori: vt patet expressa lege, pignus. de pignor. actio. Nisi aliqua culpa creditoris perierit vt colligitur. l. quæsitum. ff. de distract. pignor. Ad nostrum ergo propositum satis est quòd creditori incumbit custodia pignoris.

obiectio. ¶Quòd si arguas: Beneficium mutuandi in vtilitatem cedit eorum qui mutuũ accipiũt: mutuator autem habet se incolumen seruare: ergo id potest aliorum sumptibus facere. Iam suprà prodita est fallacia huius argumentationis. Beneficium enim mutui de

Solutio bet gratis conferri: & ideo qui mutuat, recipere onera debet, quæ sunt mutuationi annexa: puta seruare pignus & reddere, Aliâs non mutuet. Hoc quidem verum est quòd vbi pignus, tale sit, quod possit tinea corrodi, vt vestis: vel alia ratione perire, vt pote si est res ptiosissima ac subinde custoditu periculosissima: debet mutuans protestatione mutuatarium admonere, vt suo periculo pereat. Quòd si voluerit pignus curari, suis fiat expensis. Est quippe accidentarium quòd pignus illius sit naturæ. Et pari ratione si mutuator suam credere pecuniã recusat antequàm mutuatarius publico se obliget instrumento, illud quidem debet expensis eiusdem mutuatarij à tabellione confici. Nam mutuator nil nisi fidem petit, quam alter tenetur dispendio suo exhibere. Atque hinc sumitur nouum contra

Secũda rõ cõtra mõtẽ pietatis. Montem argumentum. Nempe quòd hoc quod qubuspiam pignoribus accidentariũ & peculiare est, non debet in legem duci vt quicunque mutuatarius ratione cuiusque seruandi pignoris stipendium soluat. Quod autem de mutuatitia pecunia peculiaris domini censetur, constat & de illa existimandum cuius respublica dominiũ habet nempe ꝙ eius est curæ: eam tutò seruare. ¶Sed

obiectio ad aduersariorũ tamen arguis. Esto ita res habeat dum mõs certum habet dominium: secùs tamen in monte pietatis. Est enim ratio longè diuersa. Quare illatio suprà facta, nulla est. Cumulus siquidem huiusmodi nullum habet præter mutuatarios proprium dominum: nam diues qui illum contulit, dominium à se eius abdicauit. Quare sua iam non refert eandem custodire. Neque verò respublica, siue, vt aiunt, communitas eundem tenetur seruare montem: quoniam nihil ei inde emolumenti obtingit: neque verò dominium eius habet. Fac enim montem illum non esse congestum subsidijs ciuium, neque ex ærario publico, sed à diuite in illos vsus donatum, qui vel reipublicæ vel certis personis meram administrationem commiserit. Cùm ergo nullus sit alius dominus, consequẽs fit vt mutuatarij custodia eiusdem ærarij incumbat. Ecce argumentum contrariæ sententiæ: quod eius patronos seducit: si non contraria nos ratio falsos habet. Probatur ergo eôdem re- *Solutio pte ritæ obiectionis.* labi illam pecuniam domino alio carere, ac si certum haberet. Illa nanque tunc pecunia mutuationi exposita, non est pauperum qui mutuum recipiunt. Patentissimum enim est nunquàm in eorum dominium venisse neq; illa ratione ventũire, sed perinde sunt merè mutuatarij ac si illa pecunia alium haberet dominum: ergo non magis ad illos pertinet illam seruare, quàm si esset vel particularis personæ vel reipublicæ. Ex hoc igitur capite sumitur argumentum. Mutuatarij non tenentur illam *Argumẽtũ alterum ad idem.* seruare: ergo idem est prorsus iudicium illius stipendij quod vltra sortem tunc soluunt, quod esset si eadem pecunia esset particularis personæ: tunc autem iam ostensum est non esse licitum illud extorquere stipendiũ: ergo neque vbi nuda administratio existit apud rempublicam. ¶Sed quæris, quis ergo tenetur illam custodire? Respondetur. Si nullum alium habet dominum, illa *Quæstio. Solutio.* seipsam. Itaque nullum restat remedium, quàm quòd expensæ ex eâdem capituli pecunia subtrahantur. Sed pressiùs arguis: Tandem ergo exhauriretur? Fateor quidem ingenuè. Et hoc est quod fautores alterius opinionis decepit. Ex quo sequitur quòd *Replica. Solutio.* quicunque talem montem de sua substantia erigere cogitauerit, si voluerit fore perpetuum, debet stipendia statuere quibus sustentetur, vel rem publicam obligare vt montem sustentet, alioquin mons seipsum mutuando consumet. ¶Sed contrà: Mons ille tunc in perniciem tantùm miserorum *Obiectio altera.* peribit, qui inde mutuabantur: ergo eorum referebat illum suis expensis seruare. Negatur consequentia. Simili enim ratione *Solutio* probares pauperibus incumbere suis expensis seruare diuitias hominis misericordis: qui mutuata pecunia præsidio ipsis esse solet. Operas enim eiusdem ministrorum ideo censeri in fauorem fieri pauperum, ꝙ

ipsi mutuationis beneficia suscipiunt, atque hac ratione eos obligare vt illa contributione alant ministros, iam monstratum est quàm sit fallax argumentum, Pari enim ratione, multas alias vsuras defensares. Enimuerò quotquot egestate coacti mutuum sub fœnore recipiunt, fauorabili beneficio potiuntur. Igitur vt iterum dicam, cùm mutuatio gratuitò sit facienda, non debet pensari in cuius fauorem operæ cedant ministrorum Montis, ex eo quòd mutuum recipere, beneficium sit pauperum, sed mutuatione suppositа speculari oportet, cuiusnam referat pecuniam seruare tutam. Quando verò mutuatarius est in mora soluendi, liquidum fit suis expensis ac dispendio vænundanda fore pignora. Confirmant hanc nostram sententiam exempla ciuitatum quarundam Italiæ, puta Mediolani, & Brixiæ, & aliarum, vt Caietanus refert, & nos illic audiuimus, in quibus publico stipendio sustentantur Montis administri. Vnum tamen argumentum supereſt quod videtur contrariæ sententiæ suffragari. Nam etsi pro mutuationis beneficio nihil possit vltra sortem recipi, tamen mutuandi obligatio, vt suprà asserebamus, digna est pretio. Potest quis inquam stipendium suscipere, vt sit mutuare obligatus, cùm igitur mons ille tali sit vinculo astrictus, licitè à mutuatarijs aliquid pro illa obligatione exigitur. Respondetur in hoc nullum apparêre vsuræ vitium: dummodò hac solùm de causa tenuissima esset exactio & procuratione pignorum, & proscriptis rationibus dati & accepti, & pro alijs id genus operis nihil exigeretur.

Confirmatio superiorũ rationũ

Postremum argumẽtũ.

Responsio.

ET per hæc ad argumentum in principio quæstionis obiectum patet responsio. Negatur inquam tales contributiones non fieri ratione mutui: nisi hac fortè tantùm de causa fiant, quam modò adiecimus. Ac perinde Bulla Concilij tres permittit solutiones. Prima est (vt cum debita obedientia id ac reuerentia dicamus) non omnia acta illius concilij more & vsu esse recepta. Nam illud Sessionis nouæ, quod fuit inter præcipua: nempe quòd non persoluentes diuinum officium fructus sacerdotiorum pro rata restituerent, & post sex menses sacerdotijs priuarentur nõdum planè scitur an fuerit vsu seruatum. Quanuis ego quia iuri diuino quàm proximum est, non audeo omninò contrà consulere. Secũda solutio est, quam suprà dedimus. Videlicet quòd excommunicatio non fertur nisi cum illo moderamine vt disputatio cohiberetur contra capitula, quatenùs sacris canonibus ac naturali rationi non sunt aduersa. Nan simpliciter non fuit illic articulus fidei constitutus. Sed rogas, Nunquid non esset ecclesiæ conducens, vt casus omnes de quibus dimicatur, sintne vsurarij, ecclesiæ authoritate definirentur? Apparet enim hoc ad salutem animarum necessarium. Respondetur minimè id expedire, vt tanquàm de fide definirentur, si tales sunt qui non nisi ex mera philosophia perpendi debeant: quoniam Spiritus sanctus non curat ecclesiæ nisi scripturam sacram exponere, & leges necessarias sancire. Et quando sunt opiniones probabiles inter graues Doctores, vtranque sequaris, in tuto habes conscientiam. Secùs de immortalitate animæ ac similibus veritatibus, quæ licèt inter philosophos disputentur, nihilo minùs in sacris habentur vel inde colliguntur. Tertia verò demum solutio est, quòd pensio quam Bulla in Monte pietatis approbat, sit illa tantùm quæ soluitur ratione obligationis ad mutuandum: atque hanc dicit cedere in ministrorum sustentationem. ¶ Aliæ verò montium species quas in vsu esse video, longè patentus vitium suum produnt. Solet enim potissimùm inter rusticanos aggeri copia frumẽti quæ egentibus mutuò distribuitur sine pignore, & sine alijs negotijs quæ ministrorum operis egeant, illo nihilo minùs tributi onere, vt messis tempore duodecimam partem mensuræ supererogent: nempe modiolum in fanecas singulas: quod profectò non video quomodò defendi possit. Nisi omnes indiscriminatim opidani & mutuum susciperent, & quasi gratuitum spontaneumq; tributum per capita illud soluerent. Nam si non ab omnibus, sed ab illis tantùm qui mutuato egent corradatur, palàm extorquetur ratione mutui.

Quæstio.

Dissolutio.

Aliæ mõtiũ species quæ sunt i more patentiorẽ præseferũt prauitatẽ.

Ad argumẽtũ prici pale.

QVAE-

QVAESTIO SECUNDA, De generali ratione contractus emptionis & venditionis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm cõtractus emptionis & venditionis sit reipubl. necessarius,

DVO suprà capita statuimus quibus humani contractus deprauantur. Videlicet aut id vendere quod nulli⁹ est pretij, aut quod pretiosum est, pluris iusto distrahere. De priori vitio sub vsuræ & nomine quæstione præcedenti disputatum est: consequitur ergo vt de posteriori disputationem prosequamur. Quæ quidem disputatio de cõtractib⁹ inscribitur. Et quoniã omnium primus atq; aliorum index est contractus emptionis & vẽditionis, quæstio hæc secunda instituitur de generali ratione huiusmodi contractus: atq; adeò primus articulus, an sit necessarius reipublicæ. Arguitur em̃ à parte negatiua. Quanto vita humana simpliciùs ac syncériùs transigeretur, tanto quietiùs viueret ac fœliciùs: sed si solùm esset rerum cambiũ, vt videlicet res non numismate distraherentur, sed pro rebus commutarentur alijs: quietior esset mortalium vita, & à tumultis pacatior quos negotiationũ turbulẽtia secum affert: ergo cõtract⁹ emptionis tollẽdus de medio esset humanæ reipublicæ. ¶ Secundò arguitur. Sæcula multa, vt. 5. Eth. & 1. Poli. c. 6. autor est Arist. absq; nũmorũ vsu trãsierũt. Et Plinius lib. 33. c. 3. ait Seruiũ Romanorum regẽ primùm signasse æs nota pecudũ, vnde pecunia dicta est: & posteà fuisse signatum argentũ, anno vrbis. 585. & longè post aurum. Et lib. 7. c. 56. ait Liberum patrẽ instituisse emere ac vẽdere, illis autẽ sæculis fœlicior agebatur vita, atq; à fraudib⁹ ac solicitudinibus incolumior, q̃ modò nobis per istas negotiationes agere licet: ergo perniciosus est iste contractus, tantũ abest vt sit necessarius. ¶ In contrarium est idem Arist. loco citato: vbi ait necessitatẽ humanæ vitę nummi fuisse inuentricem, qui esset velut mensura & norma æquitatis rerũ. Id quod & Iurisconsultus. l. 1. ff. de contrahen. empti. diserte retulit.

Primum argumentum partis negatiuæ.

Secundum. Arist.

Plinius.

Arist.

IGitur quò quæstionẽ à genere ipso auspicemur, prima nostra conclusio sit: Contractus est actio inter duos ex qua vtrinq; obligatio nascitur. Sic enim Vlpianus ait. l. Labeo. 2. ff. de verb. ac rerum significa. Contractus est vltrò citroq; obligatio. Quod Græci σύμπραγμα vocant: hoc est confectum. Quando videlicet quippiam ego causa tuî, tu verò causa meî, accepta dataq; vtrinq; fide cõficimus, ac ratũ habemus. Quapropter prædicatio illa cõtractus est obligatio (vt sic loq̃mur) nõ est idẽtica, sed causalis, illũ exhibẽs sensum, quẽ nos in nostra conclusione explicuimus. Vt quia stãto pretio paciscimur, me tibi merces traditurũ, te verò mihi idem prerium, mutua emergit ex venditione obligatio. ¶ Atqui hinc fit vt stricto nomine nullũ pactum dicatur contractus, nisi ex quo vtrinque oritur obligatio. Qualia sunt do, vt des: facio, vt facias: do, vt facias: facio vt des: quæ quatuor connumerantur. l. naturalis ff. de præscriptis ver. Quẽadmodùm in matrimonio, in que venditione, mutuatione, & id genus reliquis. Contractus nanq; omnis, si de suo nomine rem perpendas, actus iustitiæ est, vtranque colligantis partem. Laxant tamen alij latiùs nomen vsq; ad illas actiones ex quibus ex altera tantùm parte oritur vinculum: veluti est donatio, & simplex promissio. Et ideo Bald. quem Syluest. citat in verbo, contractus. & Conrad. sequitur. q. 16. distinguit de nomine contractus, quòd accipiatur propriè, quando obligatio oritur ex vtrâque parte, & improprie pro eo ex quo oritur tantùm ex altera parte, & improprijs simè quando ex neutra nascitur. Sed revera abusiuæ istę acceptiones abusu essent abigẽdæ. Hoc enim est nomina à sua natiua significatione abalienare: si quidem neq; donatio neque promissio simplex ad iustitiam attinent, sed sunt actus liberalitatis. Vnde Aristotel. 4. Topicor. Donum, inquit, est datio irredibilis. Mutuatio verò, quanuis secùs ibidem Conrad, sentiat & Syluest. nihilo à propria ratione cõtractus recedit: tum q̃ est datio vt reddatur, tum qđ si fide data pollicit⁹ es mutuare, tu teneris dare atq; alter reddere. Quòd autẽ cõtractũ, illũ etiã velit appellare, vbi nulla est obligationis vis, sed potiùs

Prima conclusio.

Stricto nomine nullũ pactũ à cõtractus dici valet.

Baldus. Syluester. Conradus.

Arist.

obligationis relaxatio, meritò fatentur esse (vt suo vtar nomine) improprijssimũ. Exẽplum est in acceptilatione: puta quãdo debitor creditorẽ interrogat an quicquid illi debeat acceptũ habeat: & ille respõdet, acceptũ habere: hoc est illi cõdonare. Hìc nanq; potiùs est solutio debiti seu remissio, quod ex cõtractu ortũ est, q̃ contractus. ¶Sed & cõtractuũ species, numerosiùs q̃ ars permittit, multiplicãt. Scot⁹ enim. 4. d. 15. q. 2. octo species discernit, ac totidẽ Gerson in suo tractatu de cõtract. licèt parũ differenter. Antonin⁹ verò. 3. p. tit. 8. cap. 2. duodecim: sed Cõra. quod suum ingeniũ est, ad species numero 30. diuisionẽ inuitã pertrahit: quæ porrò, species nõ sunt, sed rerũ potiùs cõnumeratio in quib⁹ confici contractus possunt. Eiusmodi autẽ materiales diuisiones cùm arte nõ contineãtur, in infinitũ abeũt. ¶Sit ergo nobis secũda cõclusio. Septẽ sunt contractuũ species, scilicet emptio, cambium, mutuatio, emphyteusis, cõmodatio, permutata cõmodatio, & locatio. Tametsi prima ad secundam, sextaq; ad septimã quodãmodò reducãtur. Missum enim hinc facimus matrimonij cõtractum, quæ mutua est personarũ traditio. Nã reliquos tãtũ qui in externis bonis celebrant cõsideramus, quorũ præsens tractatio instituit. Horũ autẽ tres tantum ordines reperias. Etenim cũ tria in huiusmodi reb⁹ sit meditari, videlicet dñium, vsum fructũ, & vsum, vnus est contractuum ordo, quibus dominium transfertur, alius verò eorũ quibus cõceditur vsus fructus, atq; tertius eorũ quibus cõceditur nudus vsus. Igitur vbi dñium rei trãsfertur, si gratis id fiat absq; vlla reddi tionis obligatione, nuda donatio est: quæ ideo contractus nomine nõ cẽsetur. Cui adiungit & liberũ legatũ: nimirũ vbi nullũ est iustitię debitũ. Si aũt trãslatio nõ gratis fiat, inde emergũt tres cõtractuũ species: scilicet cãbiũ, vẽditio & mutuatio. Cãbiũ est vbi res pro re cõmutat: vt panis pro vino, mel pro oleo, coriũ pro panno, &c. Licèt de nũmorũ cãbijs alia sit lõgè ratio, vt ĩfrà videbim⁹. Emptio autẽ est vbi dñium æstimato pretio trãsfertur sed mutuatio vbi trasfertur, vt idem vel tantundem reddatur. Quod in rebus vsu cõsumptibilib⁹ & potissimũ in numismate vsu venit. Si autẽ saluo dominio trãsferatur vsus fructus non gratis, sed pretio, fit tertius contractus, qui est emphiteusis seu censualis pensio. Vt si fundum sub annua pẽsione, vel in tẽpus, vel in perpetuum alteri tradas. Quanq̃ dum fit, in perpetuum, emphyteuta dominium vtile dicatur habere, non tamen directum: eò q̃ semper dependet à vero domino, si emphyteuta in commissum inciderit. Et dicitur emphyteusis, hoc est melioratio: ob id quòd illa ratione inuentus fuit olim huiusmodi contractus, vt steriles agri quos dominus colere non poterat, alterius diligentia colerentur. Dum verò merus vsus transfertur, tunc exurgunt tres aliæ species. Nam si vsum rei gratis indulgeas, vt sola tibi restituatur substãtia, est commodatio. Hæc enim secundùm nomen differt à mutuatione, eò quòd commodatum in eãdem specie redditur: vt equus & vestis &c. Mutuatio verò vel in illa vel in altera. Satis enim fit mutuanti aurum, si ei restituatur argentum. Secundùm verò rem specie differunt: quoniã mutuatione transfertur dominium: commodatione verò minimè. Si autem vsum non gratis concedas, sed pro vsu alterius rei, illa est permutata accommodatio, vt si alteri cõmodes equum tuum, vt suam tibi commodet mulam. Si autem vsum concedis, nõ pro vsu altero sed pretio, illa est locatio, cui respondet conductio, siue domum, siue equum, siue proprias operas loces. Perspice ergo quemadmodùm vt cambium ad emptionem, sic & permutata commodatio ad locationem reducitur. Cambium enim (vt habetur. l. i. de contrahend. emption.) hoc tantùm à venditione seiungitur, quòd in illa non secernitur pretium à re, sicuti in emptione, sed vtraque existimatur alterius pretiũ. Pari modo in permutata cõmodatione vsus vnius rei: est pretiũ vsus alterius rei: ob idque est quædam locatio. Quare neutra istarum specierum peculiares habet difficultates præter illas quæ in alijs sunt, ad quas reducunt. Satis ergo fuisset quinq; dinumerare species, nisi quòd explanationis gratia duæ aliæ adiectæ sunt. Venditio nanque nullo probabilitatis colore seponitur distincta species ab emptione: sunt quippe nihil aliud quàm duæ correlatiuę partes eiusdem cõtractus: sicuti locatio & cõductio. ¶Hinc fit neq; depositionẽ neq; impignorationẽ, quippe quibus neq; dominium vllũ transfertur, neq; vsus, esse per se cõtractũ. Depositio nãq; est positio rei apud aliũ solius custodiæ gratia. Quare non est nisi quædam fidei cõmissio. Impignoratio verò est rei cuiuspiã tẽporaria positio apud alium ad cõfirmandã contractus obligationẽ. Quare ea ratione

Scotus. Gerson. Antoninus Conradus.

Secũda cõclusio.

Sufficiẽtia præ habitæ diuisionis.

Donatio.

Cambium

Emptio.

Mutuatio.

Emphiteosis

Cõmodatio

Discrimen iter mutuationẽ & cõmodationẽ

Permutata accõmodatio.

Locatio. Cõductio.

Corollaria.

Quid depositio.

Quid impignoratio.

tione dicit cõtractus, quia est contractionis, vt pote mutuationis aut vẽditionis cõfirmatio. Quin verò neq; fideiusio est per se contractus inter fideiussorẽ & eũ pro quo fideiubet: quoniã solùm nascitur obligatio ex parte fideiubentis: alter enim nihil ei debet si amicus gratis fideiusit. Sed fideiusio talis, dicitur iure cõtractus: quia est robur cõtractus inter debitorẽ pro quo fit fideiusio, & creditorẽ cui fideiubetur. Atq; idem dicendum de stipulatione si pro fideiussione accipiatur. Si verò pro simplici cõmissione, nullus est cõtractus. Sed tamen, vt iure frequentiùs vsurpatur, pro actiõe illa qua quis interrogatus stipem obligat, tunc si alter aliquã pollicetur conditionẽ, verissimus est contractus: quia vtrinq; paritur obligatio. Si autẽ alter ad nihil obligatur, tunc quia tantũ stipulans obligatur, licèt cõtractus iure dicatur reduciturtamen ad donationẽ. Ecce contractuum species quos vocant nominatos: quia suũ quisq; sortitur nomẽ. Innominati autẽ licèt plurimi sint, ad hos tamen reducuntur. Omnes enim cõprehenduntur sub illis quatuor speciebus suprà positis, do, vt des. &c.

Fideiussio contractus dici nequit

Tertia conclusio. Aristo.

¶ Tertia cõclusio. Emptio & vẽditio sunt cõtractus reipublicæ maximè necessarius. Cõclusio est Aristo. & iurisconsulti in locis citatis in argumento post quæstionẽ. In primordijs enim humani generis, tantũ erat rerũ cãbiũ: mos autẽ & vsus mõstrauit pene esse impossibile illa ratione posse tranſigi humanã vitã. Dũ enim sutor domo indigeret, ingẽtissimo opùs haberet calceorũ aceruo, quẽ pro illa cãbiret: quib⁹ vtiq; calceis dñs ẽdiũ fortè nõ indigeret, sed reb⁹ alijs quibus carebat sutor. Et dũ tu frumẽto affluens, vino alterius egebas, fortè alter tuo nõ egebat frumẽto. Et ideo Aris. 1. Pol c. 6. barbaras eas gẽtes appellat, penes quas etiã tũc cãbia tãtũ rerũ absq; numismatis vsu durabãt: de quo li. seq. lati⁹. In hũc ergo vsum signatũ est numisma: nẽpe vt tũ norma esset exęquãdi res, tũ etiã vas & fideiussor reipublicæ noïe, vt quoties illud porrexeris, reddant tibi res quarũ ĩdigueris. Atq; hũc arbitror genuinũ sensum illius Eccles. 10. Pecuniæ obediũt omnia, nẽpe q⁹ pecunia in virtute est omnis res. Pecuniã enim qui possidet, vernalia cũcta habet. Hac ergo ratione ex cãbio ortũ habuit emptio & vẽditio. Ob idq; cũ in illo contractu quia non distinguebat res à precio, ex vtraq; parte dicebatur cãbium. In hoc autẽ traditio mercium est venditio: receptio verò repẽso pretio, emptio. Quare emptio est vẽditionis finis: quia cõtractus hic ad id ordinat, vt quisq; sibi necessaria prouideat. Ideoq; quasi à digniori, denominat cõtractus emptionis. ¶ Ex his ergo cõpendiosa elicit vẽditionis emptionisq; definitio, in qua cõstituenda multi postq̃ se macerarũt, nihil exactũ colligũt. Est enim vẽditio, rei pro pretio distractio: emptio autem rei pro pretio cõtractio. Sunt enim hæc verba iuris, quib⁹ generaliter significat translatio dñij illius rei quæ nõ est reddibilis, vt. C. de resc. vendi. l. 2. Rem maioris pretij si tu aut pater tu⁹ distraxisti. Quocircà hoc verbo notatur discrimẽ inter hunc cõtractũ & emphyteusim & locationẽ: in quibus nõ dñium, sed vsus, vel vsusfruct⁹ trãsfertur. Ea item voce secernit hic idem cõtractus ab vsuraria mutuatione. Nã licèt illic trãsferatur dñium pecuniæ pro pretio, tñ cùm eadẽ pecunia sit reddibilis, nõ propriè distrahit. Particula autem pro pretio, separat eundẽ contractũ à cãbio, quo res pro re cõmutatur.

Definitiones emptionis & venditionis.

Solutiones argumentorum.

¶ Et per horũ intelligentiã argumenta in contrariũ responsa patẽt. Humanũ enim gen⁹ ab imperfecto ad perfectũ progressum est. Et ideo in initio, dũ rude erat, incõptumq;, ac pauciorib⁹ necessitatibus implicitũ, per rerum cãbia sibi sufficiebat: pòst verò iam cultiùs politiorẽ ornatiorẽq; vitã instituens, necesse habuit nouas excogitare commerciorum rationes: inter quas consultissima fuit cõmerciorũ vsus: licèt humana auaritia nihil non deprauat.

Vsus numismatum.

Genuinus sensus loci sacri.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm negotiatio sit licita.

QVanuis simplex rerum emptio & vẽditio, quibus quisq; suæ familiæ prouidet demonstrata sit reipublicæ necessaria, nõ subinde claret negotiationẽ esse licitã, quæ est emere vt reuẽdas: quæ vtiq; quæstio etsi à. D. Tho. 4. art. q. 77. sub cõpendio disputetur, hic tñ ordine quẽ nos instituim⁹ videtur cõgruentiùs apponi: vbi aliquãtulo fusiùs differenda est. Quæritur ergo vtrùm negotiatio sit licita. Et arguitur à parte negatiua. Emptio & venditio ideo ostensa est necessaria, q⁹ nõ omnibus omnes abundãt: & ideo necesse quisq; habet, vt venditis quibus affluit, emat q̃d sibi deest: quare emptio (vt dictũ est) vẽditionis est finis: negotiatio autẽ est cõtra hmõi emptionis naturã. Negotiator em̃ nõ vẽdit, vt emat q̃d sibi deficit, sed

Primum argumentũ.

peruersè emit vt reuēdat: ergo negotiatio nō
Aristo. est licita. Quapropter Aristo. 1. Politi. c. 6. em
ptionē rerū quæ necessariæ sunt ad vitā, ven
ditionēq;, ratione eiusmodi emptionis appel
lat contractus naturales: emptiones autē ne-
gotiatorias appellat cōtra naturā, vt pote cu
ius finis nō est vitæ sufficientia, sed lucrum.
Secundum. ¶Atq; ex hoc sumitur secundum argumētū
Aristo. qđ inibi idē Philo. subiūgit. Ars illa quæ nō
habet præfinitū taxatumq; finem, non est li
cita: ars autē nūmularia & quęstuaria, qualis
est negotiatorū, nullum sibi præscribit finis
modū, sed lucro lucrū aceruare: ergo nefaria
Tertium. est. ¶Tertiò arguitur. Negotiatio in causa
est vt rerum pretia excrescant: tum q̄ merces
ad paucitatē venditorū reducuntur, quę cha
ritatis causa est: tum etiā q̄ negotiator cari⁹
q̄ emit, vēdit. Et ideò si omnes ad primos vē-
ditores cōcurrerent, minoris emerent, id qđ
rerū vsu vbiq; experientia docet: ergo tanq̄
reipublicæ nocua interdicenda est negotia-
Quartum. tio. ¶Quartò: Actiones morales ex plurimū
contingentibus existimandæ sunt: plurimū
autem negotiationes plenæ sunt fraudib⁹, te
chnis, ac dolis: ergo genere suo prauæ sunt,
atq; adeò de medio tollendæ. Hac enim de
causa pessimè audit negotiatio, & in sacris li-
teris & apud sacrorū doctores. Vnde Dauid
Psal. 70. Quoniā non cognoui negotiationē
(secūdū. 70.) introibo in potentias Dñi: Do-
mine memorabor iustitiæ tuæ solius. Quasi
negotiatorum iustitia non sit iustitia Dei. Et
Chrysosto. Chrysost. sup illā historiā Christi apud Mat
thæū, eijcientis vēdentes & emētes de tēplo,
Et refertur. 88. di. can. eijciēs. significauit, in-
quit, q̄ mercator nunq̄ potest placere Deo:
& ideo nullus Christianus debet esse merca
tor, aut si voluerit esse, proijciat de ecclesia:
Cōfirmatio dicēte Propheta, Quia nō cognoui negotia-
tiones, introibo in potētias Dñi. Atq; hac de
Augusti. causa interdicta est clericis: vt patet ead. dist.
per totā. ¶In contrariū est August. sententia
in lib. Quæstionū veteris & noui testamenti:
& refertur in ead. dist. can. fornicari, vbi ait;
Fornicari hominibus semper non licet, ne-
gotiari verò aliquando licet, aliquando non
licet: laicis licet, sacerdotibus non licet.

PRo quæstionis decisione notandū est, ne-
gotiū otio esse cōtrarium. Est enim idem
Fūdamētū. quod absq; otio. Vnde pro labore & occu-
patione accipit. Quēadmodū dicim⁹, Negō-
tium forēse aut familiare. &c. Peculiariter au
tē negotiari idē est quod mercaturā exerce-
re. Et est forsan Antonomasia quædam, pro
pterea q̄ ars hæc solicitudinib⁹ implicita ab
otio est alienissima. Est ergo negotiari, eme-
re vt reuendas. Vnde negotiatores coempto
res dicuntur pro eo q̄ ex omnibus simul lo-
cis emunt: & mercatores quia, mercari, com-
muni vsu non tam est simpliciter emere q̄ lu
cri causa ad reuendendū. Et dicūtur præter-
ea institores eò (vti ait Vlpianus) quòd ne-
gotijs instent. Vnde Prouerb. 31. Facta est si-
cut nauis institoris. ¶Duplex autem ne-
gotiationis species distinguitur: videlicet vna
qua res emitur vt per industriā mutata reuē-
datur. Sed hæc (vt eod. cap. eijciens. habetur)
non est nuda negotiatio, sed inter alias me-
chanicas artes connumeranda. Quemadmo-
dum enim mechanicus ex lana pannū texit,
& ex ferro fabrefacit gladium: sic (vt exēpli
gratia dicamus) qui industrius est curandi,
vel aues, vel equos, si rudē emat vt cultiorem
vendat, non tam negotiū, q̄ artem exercere
cēsetur. Nam qui pannos tondet, aut attritas
vestes coemit vt refectas vēdat, nihil amplius
per suā artem præstat. Negotiatio igit̄ mera,
de qua in præsentiarum loquimur, est qua
quis quid mercat̄, vt nullatenùs mutatū ven-
dens, lucrum comparet. ¶Respondetur ergo
ad quæstionē quinq; cōclusionibus. Prima,
Negotiatio neq; est de se, hoc est intrinsecè
bona, vt charitatis virt⁹, neq; de se intrinsecè
mala, vt mendaciū: sed indifferēs: vt comede-
re, quod secundū finis circūstantiarūq; qua-
tatē potest bene maleq; fieri. Conclusio pa
tet ex citatis verbis August. Ait enim nō esse
vt fornicari, sed q̄ aliq̄ licet, aliquādo nō li-
cet. ¶Secunda cōclusio. Si negotiationis finē
per se cōsideres, qui non est nisi lucrari, quā-
dam præ se fert turpitudinem. Conclusio est
S. Tho. 2. 2. q. 77. artic. 4. quā quidē probat ar
gumentū secundum suprà ex Aristo. desum-
ptū. Quoniā lucrari per se nil necessariū, ho-
nestumve nominat. At verò si lucrum alior-
sum ordinetur, licitè potest procurari. ¶Et
ideo subditur tertia cōclusio. Negotiatio est
simpliciter reipublicæ necessaria. Haud em
oīs prouincia omnibus abūdat q̄b⁹ indiget:
sed pro climatum varietate alia affluit terræ
fructib⁹ & opificijs, quorū alia inops est. Et
vice versa, alia est aliorū locuples quorū ino-
pia alia laborat. Neq; possent indigentium
singuli tam longa facere itinera, vt minutio-
ra quibus indigent, apportarent: neque ve-
rò omnes qui abundant possunt vectu-
ram exercere vt illa alio transportent: ne-
cessarij

Quid sit ne gotiari.

Duplex spe cies negō tiationis.

Prima cō clusio.

Secunda cō clusio.

Tertia cō clusio.

cessarii ergo sunt quibus ea sit cura vt mercũ copias hinc inde transuehant qua singulis minutiùs vendant, Et quod de loco dicimus, de tẽpore etiã censendũ. Vsu enim venire assolet vt vno tẽpore redũdantia sit rerũ, alio verò egestas, neque tamen pauper quis potest suos fructus adseruare. Quare nisi essent qui emerent vt in aliud tempus custodirent, non posset res publica seruari incolumis. Quin verò & dum mercimoniæ vel in maris portu vel in ciuitate exonerantur, necessarii sunt coemptores qui earum copiam in tempus seruent: quia non singuli possunt sibi in futurum prouidere. Sed rogas: Nunquid prudentius esset vt respublica suos ministros conduceret qui hanc prouinciã subirent? Re vera non posset commodè tam multis mercimoniis hac via sufficere. Et ideo cõsultius ducit artem hanc inter alias permittere, quinetiam fouere. ¶ Atque hinc sequitur quarta conclusio quam. S. Tho. interrogat in dicto ar. 4. Licet negotiationis gratia merces cariùs vendere, quàm emptæ sunt. Rationem impensarum, laborum, locorũ, ac temporum: nam iusti rei pretium, vel in melius, vel in locum, vel tempus mutatę, excrescit. Hoc autem non facilè, quod quidam autumant, concedam: videlicet quòd negotiatori liceat cariùs eodem loco & tempore vendere propter officium quod habet, quàm alteri cuicunq;, nam pretii iustitia nullum respectum ad personas dicit, sed per se absolutè pensatur, Scotus in. 4. dist. 15. q. 2. dicit quòd tantũ deberent mercatores lucrari quantũ stipendii respublica illis decerneret. Regula autem hæc neq; contemnenda porrò est, neq; tamẽ ad vnguem seruari potest. Sed de rerum pretio statim articulo proximo. ¶ Quinta conclusio. Ars negotiatoria, tum ex multis circunstantiis illicita fit, tum compluribus fraudibus est peruia, tũ subinde in plurimis versatur periculis. Fit enim primùm illicita ex obiecto, vt puta si rem emas quæ vel natura sua est inuendibilis: vt sacramentum, aut sacerdotium, quæ cùm gratis accipiuntur gratis dari debent: aut lege est prohibita vendi: de quibus habes. C. quæ res vendi non possunt. Secundò ratione personæ, siue quæ negotiatur, vt sacerdotes qui iure negotiatiõe interdicuntur: vt patet dist. 88. per totam, vel ratione personarũ cum quibus negotiatur, Nam ad Sarracenos neque ad infideles licet Christianis arma deportare, vt patet extrà, de Iudæis. cap. Ita quorundam. & sequentibus. Fit præterea indecens negotiatio ratione temporis. Vt si in die Dominica, vel in alio festo egregiè solenni exerceretur, vt habetur cap. 1. de feriis: vel in loco sacro. Qua ratione Christus eiecit de templo vendentes & ementes. Istæ autem circunstantiæ temporis & loci, ratione scandali constituerent peccatum mortale, alias minimè. Vel si in ecclesia impediretur diuinum officiũ, quod Christus notauit dicẽs: Quia domus mea: domus orationis est. Qua ratione cap. decet, de immuni. eccle. lib. 6. negotiationes quæ in Ecclesijs præcipuè prohibentur, sunt nundinarum ac fori cuiuscunq; tumultus. Citra hos autem casus non esset mortale. Nã in Ecclesia confabulando, citra expositionem mercium, negotiari, nisi sacrorum aut concionis tempore, non est tantũ peccatum, quanuis indecentia non careat. ¶ De aliis autem circunstantijs quæ non peculiariter negotiationes vitiãt, sed in omnes artes inserpunt, quales sunt mendacia, & fraudes, hoc singulariter adnotandum est, quòd mercatura, nescio quo suo genio, præ cunctis artibus & officijs inextinguibilem sitim lucri generat. Agricolæ enim atq; opifices suis officijs victitantes contenti sunt: mercatores autem, tum quòd pecuniam præ manibus semper habẽt, tum quòd hæc ars plurimùm euẽtibus fortunæ patula est, auidissimè lucro inhiant. In hoc nimirum aleatoribus similimi. Quæ quidẽ auiditas animos absorbet, mendacia nutrit, & dolos nectit. Atq; hac de causa ait ibidem in solutione ad tertium. S. Thom. quòd hæc ars habet speciem mali: & ideo interdicta est clericis. ¶ Inest præterea & in hac re pestis alia, quòd cùm sine labore magno & sudore exerceatur, & maiore fit in honore quã mechanicę artes, otiosi homines & honoris cupidi, cætera deferentes opificia, in hoc se baratrum immergunt. Atq; adeò non vt merces loco traducant, aut in tempus reseruent, aut in melius mutent: sed meri gratia quæstus vænalia cuncta coẽmunt, vt statim lucrum exprimant. Quorum subinde causa, quia liberum non permittunt forum, pretia augentur. Qui idcircò exigendi profligandiq; è republica essent: atq; alijs artibus quæ personis vacuæ sunt, mancipandi. De his autem loquimur qui ciues paratos priuatim emere anteuertunt. Haud enim condemnandi illi sunt, qui postquã singuli sibi necessaria emerunt, redundantia mercantur, vt in tempus seruent. Neq; verò illi qui publicitùs

Interrogatio.

Responsio.

Quarta conclusio.

Inextinguibilis sitis lucri negotiatoribus singularis.

Negotiatores alcatoribus similes

Quinta conclusio.

Alia incõmoda negotiationis.

parati sunt illa coëmere, quæ pauperes necessitate coacti, nec emptores inuenientes, vendere volunt: vt vestes, libros, &c. Qui verò annonam emunt vt tempore futuro reuendãt, licèt quandoq; vtiles sint, quasi rerum necessariarum custodes, multò tamẽ pluries sunt pestiferi: vtpote causa immodicè augẽdi pretia: & ideo nisi vbi necessitas aliud exposcat, meritissimò eiusmodi mercatus vetatur.

Ad primũ argumẽtũ. PER hæc ergo, argumenta suprà facta facilimę solutionis fiũt. Ad primũ enim negatur, negotiationẽ contra naturã necessariæ emptionis pugnare: quin imò illi obsequens est. Ministerio siquidem mercatorũ, res sunt veluti in penu, singulis indigentibus expositæ. ¶ Illa autem negotiatio quæ merum lucrum haberet pro fine, quia insatiabilem faceret animum, non solùm necessaria non est: sed est impendiò pestilens. Attamẽ hæc sitis in cũcta mortalium pectora se insinuat. Et per hoc respondetur ad secũdum argumentum. *Ad secũdũ argumentũ* ¶ Tertiò verò cõcedimus necessarium esse hac ratione rerum pretia augeri: sed tamen ex altera parte maiora fierẽt dispendia si vnusquilibet deberet longa facere itinera ad queritandũ quod in sua deest ciuitate. ¶ Ad quartum respondet August. super Psal. 70. Et refert eãdem dist. 88. can. quoniam. quòd negotiatorum vitia nõ sunt negotij, sed personarum. Etenim si propter eorum fraudes releganda essent negotia à republica, eãdẽ ratione & agricolas & omnes pariter artifices atq; opifices, proscribere deberemus profligareq; ab vrbe. Nam & mentitur quãdoq; agricola vt grana sua vendat, & opifex, vt pretium augeat. Qui autem negotiatores in sacris literis malè audiant, declarat eãd. dist. Cassiodo. can. quid est. Negotiatores enim illi, inquit, abominabiles existimantur, qui iustitiam Dei minimè considerantes, per immoderatũ pecuniæ ambitum polluũt merces suas, plus periurijs onerando, quàm pretijs. Veruntamen negare non possumus, vt paulò antè declarabam⁹, quin huic arti multò plus periculorum à dolis & fraudib⁹ immineat, quàm cæteris. Vnde Eccles. iast. 26. Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt. Difficilè exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorũ. Et cap. sequẽti: Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic inter medium venditionis & emptionis, qui quærit locupletari angustiabit⁹ peccatis. Quocircà Prouerb. 20. in vniuersum ait Sapiens: Malum est, malum est, ait omnis emptor: & cùm recesserit, gloriatur.

Ad quartũ argumentũ Augustin.

Cassiodorus.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm rerum pretia arbitrio mercatorum sint taxanda.

DVoniam primum in emptione & venditione fundamẽtũ iustitiæ est pretiũ, de illo quærẽdum est loco tertio, an mercatorũ æstimatione sit taxandũ. Et arguitur à parte affirmatiua. Primò, Axioma inter iurisconsultos est & celebrata regula, Tantum valet res, quantũ vendi potest: quam videlicet adnotant. l. pretia. ff. ad legem Falcidiam. & l. 1. §. si hæres. ad senat. consult. Trebellia. & alibi sæpe. ergo si fraus modò absit & dolus, mercatorum erit arbitrium pretia suis mercibus statuere. ¶ Secũdò. In vnaquaq; arte eiusdem peritis credẽdum est, vti. 3. Polit. cap. 7. author est Philosophus: & vt Iurisconsultus ait. l. in re mandata. C. mandati. vnusquisque in re sua est moderator & arbiter, mercium autem artifices, sunt mercatores, ipsis ergo ipsorum iudicio deferẽdum est vt pretia ponãt. ¶ Tertiò vnusquisque dominium rerum suarum habet, ac subinde liberam potestatem, ergo potest quisque tantũ petere ac recipere pretiũ pro sua re, quantũ extorquere potuerit. id quod in gemmis & rebus pretiosi vsu fieri compertum est. ¶ In contrarium autem facit lex, Pretia. citata ad. l. Falcid. cuius verba sunt: Pretia rerum nõ ex affectu neque vtilitate singulorum, sed cõmuniter finguntur: hoc est communi æstimatione taxantur.

Primum argumentum *Argum. 2.* *Aristot.* *Argum. 3.*

AD hanc quæstionem quatuor cõclusionibus respondetur. Prima: Pretia rerũ non secundùm ipsarum naturam æstimanda sunt, sed quatenùs in vsus veniunt humanos. Conclusionis huius ratio naturalis est, quòd cùm mundus & quæ eo continentur propter hominem facta sint, tanti ciuili æstimatione res valent quantum hominibus inseruiunt. Quapropter Arist. 5. Ethico. cap. 5. ait indigentiam causam mensuramque esse humanarum commutationum. Si enim nullus alterius re vel opera indigeret, omnis cessaret commutatio rerum humanarum: ergo indigentię admetiri debemus rerum pretia.

Prima conclusio. *Ratio cõclusionis.* *Arist et.*

Viuentia

Viuentia enim genere suo prestatiora sunt vitæ expertibus: attamen (vt ait Augustin. lib.11.c.16.de Ciuita. Dei.)mallet homo frumẽtum domi habere, quàm mures. Et solet domus plus vænire,quàm equus:& nõnunquàm equus,quàm seruus: licèt cùm natura hominis nihil in corporalibus conferri ad æqualitatem valeat. Vbi autem indigentiã nominamus, ornatum etiam reipublicæ intelligimus: vt cũcta complectamur quę hominibus præter vitæ necessitatem etiam ad suam voluptatem & splendorẽ vsui esse possunt. ¶Secunda conclusio. Ad explorandum iustum rei pretium ex multis ducenda est ratio,quæ in triplici sunt ordine. Primũ enim attendenda est necessitas rei, mox copia & inopia: deinde negotiationis labor,cura,industria,& pericula. Præterea si merces vel in melius mutatæ sunt vel in deterius, vẽditorumq; atque emptorum frequẽtia , atq; id genus alia , quæ prudentissimus quisque speculari potest. ¶Tertia conclusio . Cùm pretium rerum iustum,duplex sit ,aliud scilicet legitimum,& aliud naturale:iustum legitimum cõsistit in indiuisibili: naturale autem seu arbitrarium minimè: sed in latitudine diuisibili. Iustum legitimũ est illud quod lege principis positum est: arbitrarium autem seu naturale currit quando per legem non est constitutum. Distinctio est Arist.5. Ethi.c.7.de iusto naturali &legitimo . ¶Ad huius autem conclusionis intellectũ notandum est quòd meritailla & causas statuendi rerum pretia existimare,per se quidem primùm ad rem publicã & eius gubernatores spectat:qui scilicet omnibus supradictis pẽsatis deberent sua singulis mercibus statuere pretia. At quia illud in omnibus impossibile est, relinquitur vendentium ementiũq; existimationi.Et illud nunc vocamus naturale:quia secundùm rerum naturam vsui ac commodatam currit. Igitur vbi pretium lege positum est: nempe,vt modius aut tritici aut vini,aut vlna panni vẽdatur decem,neq; vnius oboli accessio licita est:sed est peccatũ mortale si excessus notabilis augeat, obnoxiumq; restitutioni:Et si excessus sit perexiguus,erit veniale.Et ideo dicimus in indiuisibili consistere. Atq; hoc est quod ait loco citato Arist.iustum legitimum esse,quod licèt antequàm positum sit nihil referat, refert tamen postquàm positum est . Pretium verò quod non est lege positum,non indiuisibile est,sed latitudinem habet iustitię:cuius vnũ extremum dicitur rigidum: alterũ verò piũ: sed medium, moderatum . Vt quæ res iustè vẽditur decem , iustè quoq; vendit, tum vndecim,tum etiam nouem,Atqui ratio huius est quòd prudentia humana,qua per supradictorum considerationes de pretio existimatur, nequit pũctim attingere metam: sed arbitramento quodam . Sicuti.2. Ethi.c.6. de virtute ait Arist. q̃ consistit in medio ,vt definierit ipse prudens. Atq; adeò dũ respublica penes quam talis residet autoritas,punctum non indicat, laxior restat iustitia pretij latitudinem habens . ¶Ex quo fit primò cõsequẽs vt infra illos extremos limites vẽdere cuicunque liceat cariùs pecunia credita, quàm numerata:inimico quàm amico: diuiti deniq; quàm pauperi. ¶Sequitur secundò sensum illius legis, In causæ.ff.de minor. vbi.§.idem Ponponius.habetur licêre naturaliter contrahentibus se decipere , cui simile habetur.l. item si pretio.ff.locati. non esse (vt Conrad. & aliqui putant)infrà latitudinem iusti pretij:quia intra hos carceres nullum haberlocum deceptio:neque vlla opùs est remissione(vt p̃dicti doctores autumãt) sanè cùm tota latitudo iusta sit . Sed (vt. q. proxima exponetur)intelligitur citra dimidium iusti pretij . Et ideo ait naturaliter, q̃ humanum ingenium lucri auidum,in causa est. Quare,licêre,illic non est idem quod sine culpa,sed impunè in humano foro. ¶Sequitur tertiò,multò tutiùs, si fieri posset,cõsultum fore , tum coëmptorum negotiatorumq; consciẽtijs,tum etiam communi bono, si omnium pretia lege patêrent: vnde. l. 1.ff.de offic. præfect.vrbi.§.cura carnis.inter alias præfecti curas illa censetur vt rerũ pretia statuat iusta. Ob idq; quando in omnibus seruari nequit,quàm fieri posset maximè,deberent taxari. Enimuerò negotiatores,eò præsertim q̃ (vt suprà dictum est) lucris sitienter inhiant , non solum præsua cęcitate decipiũtur , verum etiam propter suã auaritiam consultò astuq; decipiunt.Quam obrem quãdo lege nõ est signatũ pretium, nõ est standũ vniuscuiuslibet mercatorum arbitrio,sed prudẽtium iudicio, eorũq; qui sunt æquitatis cultores . Est em̃ fallacissima regula si quis semper quãto emit p̃tio, quãtumq; laboris & periculorum subijt, tãti velit vendere cum lucri accessione. Enimuerò si mercator,artis negotiorũq; ignarus pluris iusto emit,aut sibi fortuna aduersa reflauit: quia scilicet copia merciũ insperata succreuit,

Seũda conclusio.

Tertia conclusio.

Arist.

Pretiũ rigidũ,piũ,moderatum.

Prima deductio

Secunda.

Tertia collectio.

Fallax regula taxandi pretia.

uit, non potest iustè extorquere expensas quas fecit. Et vice versa si industrior aliꝰ aut fortunatior, cui vel contingit minoris emere, vel fautrix arrisit fortuna: hoc est insperata rerum inopia pòst accidit, iustè sanè potest cariùs vendere: etiam eodem die & eodem loco idq; nullatenùs mercibus in meliꝰ mutatis. Nam cùm negotiationis ars plurimùm sit fortuitis rerum euentibus subdita, debent negotiatores & siniſtra suo dispẽdio subire pericula, & dextram operiri fortunam. Loquimur cum Christianis de Fortuna, pro euentu nobis insperato. Atq; hic est sensus l. pretia. ff. ad l. legem Falcidiam. Vbi habetur, precia rerum non ex affectu aut vtilitate sin gulorũ, sed communiter fungi. Hoc est nõ secundùm priuatorum existimationem, sed secundùm communem prudentiam constitui. Et eõdem alludit simile verbum l. in lege 4. eodem titulo. vbi habetur rem non æstimari pretio formali, id est, à contrahentibus formato, sed secundùm præsens, puta communi foro currens. Valor nanq; rei non secundùm futurũ quando res nondũ est, sed secundùm præsens, in quo res est, debet iudicari. Accipe horum exempla. Est frumenti caritas in Hispania: mercator tunc Siculus hoc audiens onusta frumento naui ad nos adnauigat: quando huc peruenit, vel afflante nobis clementiori cœlo, vel quia aliunde copiam grani habemus, longè imminutum est pretium: non potest ergo tanti vendere, quanti sibi stat merx: neq; verò si credito futura solutione carius venderet, vt saltem se indemnem redderet, immunis à peccato fieret, aut à restitutione liber. Et per hæc detegitur alia fallacia, quæ in nundinis vsu venire solet. Etenim in initio cùm sit vberior emptorum copia, merces pluris væneunt: in fine autem, contraria ratione precium decrescit. Arbitrantur ergo tunc mercatores expectato in tempus pretio licitè posse tanti vendere, quanti in initio: cùm tamen numerata pecunia idem non possint extorquere pretium. Falluntur in caput suum. ¶ Vbi demum ad clariorem istorum notitiam animaduertenda est quarta cõclusio. Mercium pretia, emptorum copia augent: penuria verò minuunt: sicuti econuersò abũdantia venditorum minuitur: raritate verò excrescit. Enimuerò vbi merces affluunt, venditorum numerus amplior est, & emptorum minor. ¶ Atq; ex hoc tibi responsum elicies, si hæsitaueris an vendendi causa & modus pretiũ variet. Etenim causa vendendi aut emendi nihil per se ad rem facit. Siue enim vendas necessitate compulsus, siue prę satietate rerũ ipsas despiciens. Item siue ob necessitatem emas siue propter voluptatem, nihil inde variatur pretij. Attamen quia venditoris necessitas in causa est, vt merces sub hasta vænũ exponat, fit vt paucioribus tunc existentibus emptoribus, pretium rerum vilescat: si cuti in bello parta victoria exiguo nũmo vẽditatur præda. Econuersò vbi publici mercatores emptores expectant: quia illo modo vendendi plures emergunt emptores, valor mercium crescit. Atq; eâdem ratione in initio nundinarum plurimùm cariùs venditur quàm in fine. ¶ Atq; per hanc conclusionẽ lucet monopoliorum iniquitas, puta cùm quis vel à principe priuilegium emit vt solus ipse vẽdat: vel duo aut tres reliquam mercatorum multitudinem anteuertentes, merciũ aceruum coëmunt, vt vniuersi ad ipsos cogantur confluere: vel iurata fide constituũt vt nullus eorum nisi tanti vẽdat. Hinc enim raritate venditorum precium crescit. Et eâdem ratione, vice versa, licèt non tam crebrò accidere cõsuescat, emptorũ monopolia, ad extenuãdum pretia, essent nihilo minùs iniqua. Vt si in portu cui preciosissima nauis applicuit: illi qui emere possent sibi mutuo promitterent non emere nisi tanti, aut si in subhastatione alios ego nè licitarentur auerterem, vt minoris ego emerem, peccatũ profectò esset, quod ante restitutionem non remitteretur. Et hoc est quod ait Cicero lib. de Officijs. Non licitatorem venditor, nec qui contra se licitetur emptor apponet. Quando verò venditores monopolium facerent, tunc iustè emptores, quasi vim vi repellentes, cõtraria pariter possent prudentia vti: puta conuenire inter se vt nullus nisi certo pretio emeret.

Fallacia q̃ frequenter negotiatores in nũdinis vtũtur

Quarta conclusio.

Solutio

Monopoliorum iniquitas.

Cicero.

REstat ergo ad argumenta respondere. Et primùm omniũ regulam illam. Tantum valet res, quãti vendi potest. palàm est, non habere tam vastum sensum, quantum verba sonant. Aliâs liceret vendere vltra medietatem veri pretij: quin verò duplo & triplo. Quòd si illam sic modereris, vt intelligatur quantum iure & iustè vendi potest: nam id possumus quod iure possumus: tũc quasi principiũ petens, redderes illam inanem. Si enim quærenti quanti vendere potest respondeas, Quantum iustitia fert: nihil respõdes

Ad primũ argumẽtũ.

des quod ipse ignorabat. Sensus ergo est q̃ tantum valet res quanti vendi potest, seclusa vi, fraude, & dolo: quibus in emptore tollitur voluntarium. Et quanuis eôdem videa tur responsum recidere ac si dixissem, iustè, non est tamen idem. Enimuerò si quærenti quid est homo, respondeas, esse hominem, nihil doces. Si autem respondeas esse animal rationale: licèt idem sit, tamen quia definitum explicas, non petis principium. ¶Ad secundum respondetur, perito artis credendum esse quando affectione rei propriæ nõ est infectus: & vnusquisque est arbiter in re propria dum illa ad alterum nihil attineat: qui autem vendit, non rem propriam suam, verùm communem sibi & emptori tractat. Et ideo non est legitimus arbiter. ¶At quia de gemmis & rebus pretiosis mentio in tertio argumento fit, distinguendum de mercibus est. Quædam enim sunt reipublicæ minimè necessariæ: atq; illas potest quisq; tanti vendere quantum emptor sciens & prudens voluerit dare. Cuius generis sunt pretiosi equi, gemmæ, accipitres. &c. Spectant enim ad ornatum decoremq̃; & splẽdorem nobilitatis: & ideo magnatum magnificentia est, res illas magno æstimare. Alia verò sunt reipublicæ necessaria: vt quæ ad victũ, vestitum, & alios id genus vsus attinẽt. Atq; in his licèt nihil fraudis doli ve interserit, vis tamen est, quantum extorquere potueris, tanti illas diuendere.

Ad secũdũ argumẽtũ.

Distinctio.

QVAESTIO TERTIA, De iniustitia que in emptione & venditione cõmittitur.

Sanct. Thom. 2.2. quæst. 77.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm licitè quis possit rem pluris vendere quàm valeat.



RIBVS ita q̃; articulis superiori quæstione prætactis, scilicet de emptionis, negotiationisq; necessitate, ac de rerum pretio: sequit tertia quæstio de iniustitia quæ in hũc contractũ se insinuat. Hoc autẽ statim in capite tacitus non præteribo de quo lector fortè dubius apud S. Thom. hærebit. Ait enim in distributione statim quæstionis, solas duas quæstiones tractãdas assumere, de emptione, scilicet & de vsura: eò quòd circa alias voluntarias commutationes: nulla inuenitur iniustitia, quæ non reducatur ad rapinam aut furtum. In quibus verbis dubitatio est duplex. Prior quòd eâdem ratione potuisset & las omittere: Nam fraudulentia emptionis & vsuræ, genus quoddam furti est. Quòd si dicat, has duas esse commutationes voluntarias, tunc emergit posterior dubitatio, quòd eâdem ratione deberet de locatione, stipulatione, & alijs tractare. Ad hãs autem simul dubietates respõdetur, scientem fuisse ac prudentem considerationem D. Thom. Iniustitia enim emptionis & vsuræ differt à rapina & furto, quia nõ fiunt simpliciter inuito domino, sed sponta neè tractante: hoc est transferente res suas in alium. Et ideo licèt quantum ad iniquitatẽ pretij fuerit inuitus, est tamen contractus, qualis non est furtum. Et quanuis eadem sit ratio de locatione, tamen iniustitia eius & quoruncunq; aliorum cõtractuum ad illorum normam exigenda est & perpendẽda. Omnes nanq; iniustitiæ voluntariarum cõmutationum ad hæc duo capita reducũtur: scilicet, vel q̃ aliquo pretio rem vendas, quæ nullo digna est, & hoc reducitur vniuersim ad vsurã: aut q̃ pretio quod iusto vel maius vel minus est, siue rem tuam siue vsum transferas. Et de hoc iudicandum est per regulas emptionis & venditionis. ¶Est ergo primus articulus vtrùm licitè quis possit rem cariùs vendere, quàm valet. Quibus verbis implicatur, an possit contrà viliùs emere. Et arguitur à parte affirmatiua. Iustum in commutationibus iure ciuili constitutũ est: idem autẽ ius permittit cõtrahentibus inuicẽ se decipere, vt habetur. l. rem. C. de rescindẽda venditione. & l. in causę. 2. ff. de minoribus. §. idẽ Põponius. ergò licet pluris rẽ vendere, minorisq; emere q̃ valet. ¶Secundò. Cõmune oĩm desideriũ à natura videtur ꝓficisci, ac subin de culpa vacare: vili autem emere & magno vẽdere (vt Mimus ille apud Aug. 13. de Trin. aiebat) cõmune est mortalium desiderium: cui & Sapiens consonat Prouerb. 20. vbi ait, Malum est, malum est, ait omnis emptor: & cùm recesserit gloriatur. ergo licita est vendi tio iustum exuperans pretium: atq; emptio idem non attingens. ¶Tertiò arguitur. Lex amicitiæ secundũ Philosophũ. 9. Ethi. ea est vt rei vtilis repensatio secundùm vtilitatem fiat.

Dubiũ circa verba Sãcti Thom.

Solutio.

Primum argumẽtũ partis affirmatiuæ.

Argum. 2.

Augustinꝰ

Argum. 3. Aristot.

fiat, quam qui beneficiū suscepit consequutus est: contingit autem vt emptor cumulatiùs ex re empta beneficium suscipiat, quàm ipsa res valebat, vt si equum emit quo hosti le periculum euasit: ergo licebit tunc venditori pluris rem illam æstimare. ¶In contrarium est saluificum illud Redēptoris monitum: Quæ cunq; vultis vt faciant vobis homines hæc & vos facite illis. Ex quo fit qđ cùm nullus sibi velit rem iusto cariùs vendi, nullus debeat cariùs vendere alteri.

NE institutum nostrum peruertamus, quod est sancti Thomę sententiā vbiq; nostræ præmittere, quatuor eius conclusionibus ad quæstionem respondemus. Prima est. Fraude vti & dolo, vt vel pluris res vendatur aut minoris ematur, sicuti in omni cō tractuum specie, delictum est, idemque suo genere mortale. Primò patet autoritate Apostoli .1. ad Thess. 4. vbi admonet nè quis fratrem suum in negotio circunueniat: quoniā vindex est Dominus, inquit, de his omnib⁹. Et Cicero de Offic. Tollendum est igitur in rebus cōtrahendis omne mendacium: non licitatorem venditor: neque qui contra se licitetur emptor apponet. Etenim vbi adest fraus, voluntarium abest: ac subinde iniusti tia fit, charitati aduersa. ¶Secunda conclusio. Si emptio & venditio secundùm suam nudè naturam contempleris, neutiquàm licet rem aut iusto maioris vendere, aut minoris emere. Conclusio est patentissima. Est enim hoc genus contractuum in commune bonum, æqualeque commodum introductus: quod autem sic institutum est, neutrā partium grauare debet, sed ad iustitiæ æqualitatem est conficiendum: mēsura autem ac velut bilācium trutina est pretium, incuius vsum numisma (vt suprà diximus) inuentū est, ergo iustum pretium vel augere vel minuere peccatum est iniustitiæ, atq; subinde genere suo mortale. ¶Potest nihilo seciùs venditio secundùm accidēs existimari: nempe quatenùs res vendibilis, aut in detrimentum vendentis, aut in ementis vtilitatem cedit. Quo supposito adhibetur tertia conclusio. Licitum est in pretiū rei ducere damnū quod venditor accepit: ita vt non solùm res æstimetur quanti in se erat, verùm & quanti venditori valebat. Vt si meum solum per se non nisi decem valebat, mihi tamen, quia ædes illic extruere commodissimum duco, valet duodecim: hoc ipsum ex te pretium possum, tum petere: tum perinde recipere. Et ratio est plana: quia vnusquisque vendere totum potest quod suum est: & in tali casu non solùm res, verùm & eius emolumentum est vendentis. ¶Quòd si contrà sic arguas: Postquàm rei dominus suapte sponte distrahere mauult, quàm emolumētum rei capere, sibi imputare debet, & non exigere plus quàm emptori confert. Et præsertim quòd si hic rescisset, rem non tanti per se valere, forsan non emisset. Respondetur, argumentū conuincere id nequāq; licere, nisi venditor rem patefaciat emptori: admoneatq; hominē vt videat an sibi expediat illa lege emere. Quādo enim emptor sciēs & prudēs. quia vel ipse tantam vel maiorem rei necessitatem patitur, vel suo vult animo obsequi, cum illo onere rem emere contendit, iustè venditor tanti vendit quanti sibi valebat: aliās minimè. ¶Quarta conclusio: commodum quod ementi accrescit, si nullum inde detrimentum vendens accipiat, non licet in pretium duci. Probatur ratione contraria: quonian venditor non potest nisi quod suū erat vendere: commodum autem emētis nō erat res vendētis, sed sua ipsius necessitas vel ars causa illius existit. Vt si quis equū emit qui non venditori, sed sibi ad bellum necessarius est, vel rem aliam qua per vsum suæ artis cumulatiùs lucrū facere potest, quam fecisset venditor. Alioquin si vtilitas ementis pretio accresceret: liceret pharmacopolis medicamenta tanti vendere, quanti valet salus in infirmo. Vrbanum autē est, vt eiusmodi emptor grates venditori rependat. Et per hoc soluitur argumentum tertium ex Aristo. sumptum. In commutatiua nanque iustitia rerum tantùm æqualitas pensatur: in amicitia verò vtili, vtilitas, quæ per donū gratificū rependitur. Vide quā sit falsa & fallax regula Ioan. Maio. 4. dist. 15. q. 29. vbi asserit quòd quid secūdùm naturalem æquitatem debetur, potest in pactum duci. Nam tunc liceret mutuatarium obligare non solū ad remutuādū, vt ipse fatet, sed ad emendum à mutuātis officina & molendū in suis molis: & pariter emptorē ad augendū ptiū ob suum emolumētum. ¶Quæreret hic autem attentus lector circa hanc cōclusionem, an vice versa detrimentum quod emens patitur causa sit legitima vt pretij quidpiā detrahatur, Sylvest. quidem verb. emptio. §. 7. asserendo respōdet. Vt si quis, inquit, tuarum operarum nihil egens, tuis victus precibus,

Prima conclusio.
Probatio.
Paulus.
Cicero.
Secūda conclusio.
Ratio conclusionis.
Tertia conclusio.
Ratio cō clusi.
Obiectio.
Solutio.
Quarta conclusio.
Probatio.
Regula Maiorus falsa.
Quæstio.
Syluester.

bus quia pauper es, te conducit, poterit opera tuas minoris redimere, quàm si te ipse rogaret. Attamen huius certè causæ non est emptoris detrimentum: sed quia (vt articulo præcedenti diximus) venditoris copia vilescit pretium. Et ideo cùm emptorem rei tuæ quæris, vel tuarum operarum conductorem, minoris tu tuaque æstimantur.

Argumẽtũ. ¶Aliud enim apparentius fieri potest argumentum contra eandem conclusionem. Sequeretur nanq; ex illa quod neq; dum quis vsu alienæ pecuniæ, quam habet in depositio quidpiam lucri conficit, teneatur domino illud, partém ve refundere. Conceditur autem planè conclusio. Neq; potest depositor cum depositario citra vsuræ crimen pacisci de parte lucri: nisi societatem faceret cum periculo sortis, de qua infrà. Potest nihilo minùs ac debet idẽ depositor per honestatem & comitatem illi esse, re etiam gratus. Neq; verò vsuræ culpa subest. Si tu pecuniã tuam apud gratum mercatorem deponas, quem tibi speras fore beneficum: neq; verò ille vsurarius censetur, si ea spe tibi sit munere gratus, vt tu iterum eius custodiæ aurum tuum concredas.

Responsio.

Ad primũ argumẽtũ. PRimũ igitur argumentorũ capitis quæstionis, dubij illius solutionem deposcit, quo scilicet pacto iure permittitur in venditione & emptione deceptio. Et quidem iam proximo articulo sensum illius legis exclusimus, In causæ. 2. §. idem Pompo. ff. demino. Vbi habet q̃ licet cõtrahẽtibus naturaliter se decipere. Cui simile cõcinit lex, Item si pretio. ff. locati. Haud eñ intelligit infra latitudinem iusti pretij: quoniã illic nulla est deceptio. Intelligitur ergo citra medietatem iusti pretij. Id enim nõ solùm ciuilia iam nunc citata: &. l. 2. C. de rescindenda venditione: & l. si voluntate. eodem titulo: verùm etiam iura canonica permittunt: vt patet cap. cùm dilecti. & cap. cùm causa. extrà, de emptione & vendit. ¶At vendere vltra dimidium iusti pretij, sunt qui, referente Cõrad. q. 57. ẽ esse arbitrentur vendere vltra duplum: sed nulla se possunt probabilitate tueri: nomen enim ipsum rem explânat. Est enim vendere vltra sesquialterum: vt res quæ valet decem habet latitudinem iusti inter nouem & vndecim: vendere autem eam sedecim, est vendere vltra dimidiam veri. Sicuti emere citra dimidium est emere quatuor: nam quinque, sunt media pars. Sic enim habet lex illa citata, Rem maioris. in. C. Minus pretium esse vide-

Quid sit vẽdere vltra dimidiũ iusti pretij.

tur si neq; dimidia pars veri pretij soluta est. ¶Est ergo quæstio vtrùm lex id permittat tãquàm licitum. De quo tres sunt opiniones. Prima est Durandi ordinis Minorum. *Quæstio.* quem & citat Conrrad. q. 57. & reprehendit Anto. 2. par. titu. 1. cap. 16. tenentis, licêre venditori in foro Dei exigere pretium iusto maius, etiam si immodicus sit excessus: dummodò non sit vltra dimidiũ. Et posset quis infauorem opinionis huius sic arguere. Lex humana obligat in foro conscientiæ: potest ergo in pœnã imprudentiæ condemnare emptorẽ illo excessu: sicuti facit in præscriptione. ¶Secundò. Sententia iusta obligat in foro conscientiæ, nisi ex falsa præsumptione procedat: sed si emptor venditorem in iudicium de hac re deferat, absoluetur venditor: ergo in tuto manet eius conscientia. ¶Proxima huic est sententia Gersonis in tract. de contracti. & in suis Floribus: vbi ait q̃ huiusmodi deceptor, peccat quidem, idemq; mortaliter, si excessus est notabilis, tamen ad restitutionem non tenetur. Intract. quidem de cõtracti. cunctatiùs id dicit. sed tamen in Floribus audaciùs idem asseuêrat. Et ratio sua est: quia scienti & volenti non fit iniuria. ¶Tertia tamen opinio est S. Thomę præsenti loco. 2. 2. Et quanuis dicat Gerson non esse de hoc concordiam inter Theologos: profectò in. 4, Senten. q. 15. omnes communi consensu ita sentiunt. At forsan quis contrà citet. Scot. qui illic. q. 2. ait, durum esse inter cõtrahẽtes, si non semper intenderent aliquid de indiuisibili iustitia remittere sibi mutuo, vt omnem contractum cõcomitetur aliqua donatio: ex quibus fortasse verbis ille suus Durand. seductus est. At verò Scotus nihil sibi aliud vult, quàm quòd vltra citraq; indiuisibile pretium cõtrahentes, sibi mutuo intendunt remittere: infra latitudinem tamen iusti: vbi nos suprà diximus nulla opùs esse remissione aut donatione. Etenim inferiùs arti. 3. ait quòd in fraudibus nõ est voluntaria donatio. ¶Igitur quòd leges nec canonicæ nec ciuiles permittere velint deceptionem citra dimidiam iusti, tanquàm ratam in foro Dei: patet cum primis naturali diuinoq; illo præcepto suprà citato: Id nè facias alijs, q̃ tibi fieri non vis: nemo enim seduci astu vellet. Est quippe (vt dicebamus) contractus hic emptionis ac venditionis pro communi bono inuentus, quare neutra pars debet ab altera grauari. At demonstratio naturalis est hæc: Præceptis naturalibus nulla humana

Prima opinio Duradi Conradus. Antonius.

Primum argumẽtũ p Durando.

Sententia Gersonis.

Secundum.

Ratio Gersonis.

Tertia opinio. S. Tho.

Scotus.

Suadet̃ secũ tẽtia S. Th.

Prima rã.

lex

lex derogare potest:quia eiusmodi iussa (vt patet in Decalogo) non sunt dispensabilia: saltem nemo ambigit indispensabilia esse iure humano, quanto minùs abrogabilia:seruare autem iustitiam in commutationibus est preceptum naturale, atq; adeò diuinum: quia præceptio naturalis ab æterna lege deriuatur:ergo nulla humana lege potest abrogari.Minor porrò præmissa tam nota est q̃ *Aristot.* Maior: quoniam iustitię obiectum est æqualitatem facere in rebus.Et ideo Arist.5. Ethi. docet totam virtutem iustitiæ commutatiuæ in hoc versari,vt æqualitatem inter personas constituat:nempè vt quantum à te accepi tantum tibi reddã: neque tu ex me plus extorqueas:ergo recipere vltra latitudinem iusti pretij manifestè repugnat natiuæ ratio *Secunda ratio.* ni iustitiæ. ¶Secundò.Fraus(vt sæpè diximus)opponitur voluntario: illic autem est iniqua fraus: ergo emptor inuitus dat vltra dimidium,atq; adeò venditor genus furti cõmittit. Et præterea est contra præceptũ Pau *Paulus.* li.1.ad Thessalo.4. Nè quis fratrem suum in negotio circunueniat:vbi omnis fraudulentia condemnatur. ¶Tertiò. Si liceret decipere citra dimidiam iusti, pariter liceret defraudare in mẽsura:vt si decem modios granivendidisti, liceret tibi recepto integro omnium pretio sex tantùm subdolè tradere. *Tertia ratio* Patet:quia eôdem relabitur: hoc autem iniquissimum est,assertuq̃; absurdissimum, cõtra illud Deutero. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera,maius & minus:neq; erit in domo tua modus maior & minor. ¶Ex his fit cõsequens quòd huiusmodi deceptor *Corollariũ contra Gersonem.* tenetur ad restitutionem. Hoc compertissimum est: quoniam peccatum iniustitiæ (vt identidem repetimus) natura sua obligat ad restitutionẽ:luxta illud.c.si culpa. extrà, de iniu. & dam. Si culpa tua datum est damnum,vel iniuria irrogata,iure super his satisfacere te oportet. ¶Atq; hinc sumitur *Argum.4.* quartum argumentum contra illam Durandi opinionẽ, &(si qui sunt, vt ferẽ)doctores iuris qui illi patrocinantur. Si deceptio medietatem iusti pretij superaret,obligatio inde emergeret restituendi: quod negare non possunt. Tũc ergo aut restituẽd⁹ esset totus excessus vltra iustum pretium, aut non nisi ille qui est vltra iustum pretium cum dimidio. Hoc secundum dicere nequeunt,Siquidem ius etiam ciuile contractum rescindit: nisi integer excessus restituatur emptori: vt expressè habet præfata lex.2. C.de rescindẽda venditione. Si autem tunc restituendus est totus excessus, fit vt in deceptione citra dimidium restituenda sit illa pars. Mirabile enim est dictu quòd si rem valentem decem à te mercatus sum sexdecim,tenearis mihi restituere sex. Dum autem mercatus eam sum quatuor decim,nihil mihi debeas.Quocircà multò magis est de Gersone mirandum, q̃ de prima opinione:nam postquàm agnouit eiusmodi deceptionem delictum esse, quomodò ignorare potuit præuaricationẽ esse iustitiæ?cuius vtiq; naturale est nexu restitutionis delinquentem illaqueare. Neq; planè intelligitur quid sibi voluerit, regulam iuris allegando: Scienti & volenti non fit iniuria. Nam etsi emptor sciens & volens emit, celatur eum tamen iustus valor:ac subinde seducitur, putans tanti rem valere quantum venditor petit.¶ Sed aiunt isti (vt pro illis ar- *Obiectio.* guebamus) lex potuit humana venditorem à restitutione liberare, tradendo illi dominium,sicut in præscriptione. Profectò iustè non potuit: quia non subest tanta causa. In *Solutio.* præscriptione nanq; ratio quietis obuiandiq; litibus persuadet vt princeps qui custos est pacis priuet negligentes, qui diu rem suã deserunt: quia post longi temporis lapsum multæ oborirentur fallacię.In contractu autem emptionis nequeunt cuncti rerum pretia nosse. Et ideo illi qui bona fide emunt, non est cur propter iniquitatem institoris mulctentur illo excessu. Eò præsertim quòd in præscriptione possessor bona fide possidet: & ideo iniquum esset vt post tam longã temporis moram inquietaretur: fraudulentus verò mercator mala fide decipit: ob idq; nulla fert ratio vt de sua iniqtate emolumentum reportet,atq; id præsertim quod ab innocente extorquetur. ¶Igitur vt rei coclusionem faciamus, virtus humanarum legũ in hac parteduplex est. Vna quòd læso citra dimidium non dat in iudicio actionem. Altera quòd non permittit contractum rescindi:vt habetur lege citata, Si voluntate. C.de rescind.&c. ¶At verò rogas cur ergo tali ca- *Scrupulus.* su actio non datur? Respondetur ,inconsultissimè legum latores fecisse. Haud enim illi mortales tanti æstimabant bona hęc temporalia, vt propter illa tantam sinerent litigationum turbinem,quantam nunc videmus: contra documentum Christi admonentis, vt ad redimẽdum tempus petenti à nobis tunicã,dimittamus & pallium.Ob idq; in præscriptione vbi maior erat causa ratione consulendi *Responsio.*

sulendi paci, dominiũ adiudicatur possidenti: in deceptione autem citra dimidiũ, actio petenti denegatur. Eò quòd illa deceptio infra dimidiũ iusti ægrè & lubricè potest semper percipi: & ideo multas parturiret fraudis formas. Remittitur tamẽ ad forum Dei. Et hac respõsione fit satis argumento secundo suprà facto. Haud enim absolutio iudicis in tali causa est sacramentalis. ¶Sed allẽget forsan contrarius axiõma illud: Qui peccat legis authoritate, non peccat: sed quia cõtra legem agit. vt contra Pellicianum ait Augustin. 23. q. 4. can. Qui peccat. & idem fermè habetur. l. Gracchus. C. ad legem Iuliam de adult. Est autem delusoria hæc citatio. Illud enim intelligitur de lege iussoria: secùs autẽ de permissoria. Ille inquã qui agit quod lex iubet, nõ peccat: secùs de illo qui agit quod lex humana impunè permittit. Non enim omne illud permittit diuina. Alioqui meretrices, quia lege permittuntur, nõ peccarent. Vnde Chrysost. (vt habetur. 33. q. 1. can. hac ratione.) Quod permittimus, inquit, nolentes præcipimus: quia malas hominum volũtates ad plenum prohibere non possumus. Et. ff. de regul. iur. Semper in coniunctionibus (sic enim lex incipit) non solùm quod licet considerandũ est, sed & quod honestũ sit. Vbi glossa ponit exemplum in proposito. Nam etsi liceat, inquit, contrahentibus se decipere, non tamen conuenit bono viro. Nullum ergo dubium restat quin huiusmodi vafri ac seductores, siue venditor sit, siue emptor, teneantur restituere etiam non requisiti. ¶Quòd si insignem doctorem Innocentium contrà nobis obijcias, qui super cap. quia plerique. de immunita. eccle. in gene re ait ꝙ quando contractus iure tenet, pars quæ lædit nõ tenetur restituere quoadusq; pars læsa repetat, nullatenùs contra nos pugnat: quia id de contractibus prorsus intelligit, in quibus ius translationem dominij nõ vetat. Qua ratione lucrum ex ludo non tenetur lucrator restituere nisi petatur: in præsentiarum autem iure naturali & diuino inhibetur translatio dominij. Quare idem egregius author super cap. In ciuitate. de vsur. in hoc particulari casu docet leges permittentes deceptionẽ citra dimidium iusti pretij intelligi iure fori, sed non iure poli. Idemq; Panormit. suprà dicto. c. quia plerique. At q; idẽ insigniter Bal. suprà cap. cum causa. de testib. vbi allẽgans singularem illam glos. l. semper. ff. de reg. iur. ait tales fraudulentos cõtractus non esse licitos in foro conscientiæ: sed mercatorum animas in periculo versari. Quãuis alibi variare videatur. Etenim qui nõ rerum causas introrsum rimantur, nõ possunt sibi constare. Attamen in eandem subscribunt sententiam quotquot sunt iurisconsulti præcipui nominis. ¶Ad secundùm argumentum ipse ibidem Augustinus respondet, dicens quòd Mimus ille dicebat, scilicet carè vendere, & vili emere, re vera vitium esse naturæ, ac latam viam per quam (vt Christus testatur) multitudo vulgi incedit. Contra quod tamẽ potest quisq; adipisci iustitiam, qua illi resistat. Et subdit cuiusdam exemplum, qui venditori petenti modicum pretium pro libro, iustum soluit. ¶Ad tertium autem suprà responsum est.

obiectio. *Solutio.* *Chrysost.* *Innocentius* *Mens Innocentij.* *Panormita.* *Baldus.* *Ad secũdũ argumentũ*

ARTICVLVS. II.

Vtrùm vitium rei venditæ sic venditionem reddat illicitam, vt necessarium semper sit illud detegere.

POstquàm de substãtia vẽditionis visum est, quæ in iusto cõsistit pretio, subsequitur vt eius conditiones exploremus. Secundũ autẽ ac tertiũ articulũ S. Thom. q. 77. nisi qui oculatè perspexerit, vix differre videat. Quærit enim in secundo vtrùm vẽditio reddatur iniusta propter defectũ rei vẽditæ. Cui quæstioni postquàm affirmatiuè respondit, adiecit quòd si quis in venditione scienter fraudẽ fecerit, venditionẽ reddit illicitã, & restituere tenetur. In tertio nihilo minùs scisscitari pergit vtrùm vẽditor teneatur vitium rei venditę dicere: quod videri potest affirmando definijsse in secundo. At verò discrimen est huiusmodi, quòd vẽdere rem vitiosam, aut contingit eodem pretio ac si integra esset & solida. Et in hoc sensu procedit articulus secundus. Aut contingit pretio duntaxat quod cũ vitio valet. Et de hoc adhibetur articulus tertius: videlicet vtrùm postquàm res non maioris venditur quàm iustè valet, liceat venditori vitium subticere. At verò adeò sunt istæ quæstiunculæ germanitate connexæ, vt fortasse eodem simul articulo commodiùs dilucidentur. Quæritur ergo vtrùm mercis vitium, sic venditionem reddat illicitam, vt necessarium sit illud semper detegere. Et arguitur à parte negatiua.

Primum argumentum gatiua. Tria sunt in quibus accidit merces deficere, scilicet substantia, quantitas, & qualitas. Defectus autem substantiæ qui omniũ est nocentissimus non est cur semper contractum vitiet: puta si quis vendat argentũ, aut aurum, alchimicum pro vero. Nam, vt ferunt illius artis magistri, ad eosdem ferè humanos vsus confert, puta ad vasa cælanda, cudendaq; numismata: ergo multò minùs ob alios defectus qualitatis & quantitatis reddetur venditio illicita. ¶ Secundò vbi emptor emere non cogitur suo subest iudicio cognitio rei, ac perinde illi imputanda est deceptio: ergo venditor dum modò non mentiatur, docere non tenetur emptorem. Alioqui illo stultitię genere notaretur, quod retulit in Officijs Tullius vbi ait: Quid tam absurdum quàm si domini iussu ita præco prædiceret: Domũ pestilentem vendo? ¶ Accedit huc tertiò q̃ causa quæ vrgere posset vitium detegere, non est alia quàm vt pretium fiat minus: haud tamẽ tenetur venditor cautas semper propalare quib⁹ res minoris æstimaretur: nam mercator præscius mercium, quarum copia superuentura est, licitè potest tacitus suas præuendere pretio currẽti: ergo illa de causa non tenetur reuelare alia vitia. ¶ In contrarium est Ambrosius lib. de Officijs: vbi ait, Regula iustitiæ manifesta est, q̃ à vero non declinare virum deceat bonũ: neq; damno iniusto afficere quenquam: neq; aliquid dolo annectere rei suæ. Atque ibidem rursum: In contractibus vitia eorum quæ vę neunt prodi iubentur: ac nisi intimauerit venditor, quanuis in ius emptoris transierit, doli actione euacuantur.

Argum. 2. *Cicero.* *Argum. 3.* *Ambrosius*

CVM in duos sensus partiti quæstionẽ simus, scilicet vtrùm rem vitiosam pro integra, eodemque pretio vendere liceat: & vtrùm dum pretio valorem non excedente venditur, liceat eius vitiũ silere: de priori sensu tribus cõclusionibus respõdebitur, ac de posteriori alijs item tribus. In re autẽ vænali (vt primo argumento dicebamus) tria sunt consideranda: videlicet substantia, quãtitas, & qualitas. Est ergo prima conclusio. Defectus mercis, siue in substantia, siue in quantitate, siue in qualitate cõtractum reddit illicitum: si pretio veræ rei integræ & solidæ venditur. Conclusio patentior est q̃ testibus indigeat. Violatur enim tũc iustitia, atq; adeò genere suo est peccatũ mortale nisi rei pusillitas veniale faciat. Atqui in eum qui contrà facit quantum ad substãtiam, proclamatur apud Isai. cap. 1. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua. Quãtum ad qualitatis verò mensurã admonetur Deut. 25. Nõ habebis in sacculo diuersa põdera, maius & minus: neq; erit in domo tua modius maior & minor. Et paulò pòst: Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiã. Vbi natura peccati mortalis exprimitur. Et simile est de qualitate. Vt si quis morbidũ iumentum pro sano firmoq; vẽdiderit. De his omnibus extant prætereà cautrices leges. Lege enim, In venditionibus .ff. de contrahend. empt. cõtractus rescinditur si substãtia vna & corpus, vt aiunt, pro altera vendatur. Vt si mihi vnum fundũ aut seruum vẽdas, & alterum tradas. De mẽsuris etiam, & de merciũ qualitatibus leges abundant. ¶ Secunda cõclusio quæ ad istam consequitur. Venditor qui rei defectum cognoscens eundem fraudulenter emptorẽ celauerit, cõtra iustitiã delinquit: qui verò rei nescius contractum fecerit, licèt à culpa fiat immunis, tenetur tamẽ vbi primũ defectus fuerit deprehensus, eundem contractum infectum reddere. Alioqui restitutionis funiculo ligatur. Res est clara: atq; eis etiã qui lippis sunt oculis peruia. Atqui celare cẽsetur qui ea verborum versutia vtitur, vt vitiũ contectum relinquat. Vt isti proxenetæ dum equum vitiosum vendunt omnium morborũ maculis eum depingũt, vt in aceruo verum vitium cõtegant. ¶ Tertia conclusio. Similis sententia comprehendit emptorem. Vsu enim venire solet vt venditor, substantiæ, aut qualitatis, aut quantitatis rei suæ ignarus, rẽ vendat emptori, qui veritatem nouit: qui ideo & pariter peccat, & pari nexu restitutiõis innodatur, si minoris rem emit quàm valet. ¶ Atq; hæc de priori sensu. In secundo autẽ opùs est distinctionibus. Aut enim vitium occultũ est, aut manifestum. Et quando est occultum, aut in damnum vergit, periculúmve emptoris, aut secùs. ¶ Sit ergo quarta conclusio. Quando vitium mercis occultũ est per quod emptori vel damnum datur vel creatur periculum, nefas est venditori illud celare: & ad restitutionem tenetur. Conclusionis ratio est hæc. Quanuis nõ quisq; lege iustitię cogatur cõsiliũ auxiliũve alteri præbere, quo à periculis dãnisq; eripiat, nisi quãdo vel ipsi ex munere proprio & officio incũbit, vel alter extremè laborat, tũ occasionẽ periculi aut damni alteri

Tria in re vænali cõsideranda. *Prima conclusio.* *Ratio cõclusionis.* *Secunda cõclusio.* *Tertia conclusio.* *Distinctio.* *Quarta conclusio.* *Ratio cõclusionis.*

alteri dare nemini fas est:venditor autem eo ipso quòd rem vitio aliquo affectam vænũ exponit,occasionem damni dat,& periculi, quæ nescius emens incurrere posset:damnũ quidem si res propter vitiũ minoris sit pretij quã venditur:periculũ autẽ si propter idẽ vitiũ vsus rei vel inanis sit, vel fortè nocuus. Vt si militi equũ mancum pro sano vendas, quo posteà in acie vti nõ posset:aut si domũ ruinã minantem venderes,aut pestiferum cibum:ergo talis occultatio manifestaria iniustitiæ fraus est,ac perinde genere suo mortale,idemq; hominem restitutioni subijciens.

Quinta conclusio. ¶Quinta cõclusio. Si vẽditor caueat dãnum dare:puta q nõ pluris rem vendat quã cũ vitio valet,neq; vllo emptorẽ obijciat periculo:& res sit emptori pro pretij ratione vsui, nulla lege cõpellitur vitium patefacere. Hãc conclusionem non ponit in forma de occulto vitio.S.Thom.sed tamẽ apertè ex præcedẽti colligitur.Et ratio est:quia vẽditor eatenùs tenetur emptorẽ admonere, quatenùs nullius sit ei occasio vel damni vel periculi: sed tunc nullius est causa:ergo potest rei suę consulere,reticendo vitium. Nam si emptor sciret fortè, & iusto etiam pretio renueret emere.

Probatio.

Sexta cõclusio. ¶Sexta conclusio.Quando vitium est manifestum : puta equus vnoculus est, vel à parte claudus,vel perforata domus,nulla est necessitas euidentiùs illud euulgandi: quia nisi cæcus emptor sit,ipse potest videre.Quare si emit, præsumitur sciens emere. Itaq;,vt summatim dicamus, si vitiũ est notum,nulla est necessitas diuulgandi : si verò occultum & periculosum , quantunuis pretiũ extenues,illicita est venditio, nisi emptorem admoneas.Sed si non est periculosum, & pretiũ ad vitij qualitatem admetiaris,non teneris reuelare.Attamen pluris vendere iniquitas est propter dãnum datum.

Conradus nõ vsquequaq; probat conclusiones præmissas. ¶Circa harũ autem cõclusionum singulas minutiora dubiola emergunt. In primis Conrad. q. 54.non plenè approbat conclusiones has.S. Th.etsi fateatur easdẽ esse Gersonis,vt revera sunt,in suis Regulis moralibus. Ait enim hoc egere moderamine,quod ceu regulã cõstituit:Si dum vitiũ est occultũ vẽditor probabili cõiectura scit,emptorẽ, etiam si vitiũ deprehenderet, nihilo seciùs rem empturũ, tũc licitè vẽditor tacito vitio æquo pretio vẽdit:si autẽ conijceret q non esset empturus, iniustè occulit vitium. Et eadem est opinio Panor.in.c.iniustum.de rer.perm.quẽ videtur Sylvest.sequi,verb.emptio.§.20. Et ratio istorum est,quod dum alter nõ esset emptu rus,inuoluntarius contrahit,ac perinde iniu riam patitur.Quin verò eãdem ratione addũt q etiam dum defectus est manifestus, si emptor non animaduertit,tenetur eum venditor admonere.Atq; hanc sententiã sequũtur fermè iuniores. ¶Sed tñ regula hæc istorum quanuis sit ipsis constitutissima , non tamẽ habet in ratione fundamentum.Nam etiam si venditor sciret alterũ empturũ, fortasse ille nollet tanti emere quanti res valet: atq; adeò etiam dum scitur empturus, est nihilo minùs ratione pretij inuoluntarius & inuitus. Et tamen ipsi fatentur quòd potest tunc nihilo minùs vendere pretio iusto tacendo vitium , nè alter pretium imminuat. Idq; ratione fateri vincuntur: nam venditor non tenetur dare occasionem deterendi suũ iustum pretium . Quòd si in tali casu ei licet vitium celare,profectò pariter id licet etiam si sciret quòd alter non esset empturus: quia vtitur iure suo . Negamus igitur vllam esse rei cõsequentiam,quòd si emptori ignorantia in causa est vt inuoluntarius emat, venditor fiat illi iniurius.Etenim nemo dũ vtitur iure suo dat alteri causam damni. Quocircà, vt Diogenes apud Ciceronem lib.3. Officiorum aiebat,aliud est celare,aliud tacere. Celas dum quod pandere teneris , non prodis: taces dum loqui iure non cogeris.Quemadmodùm ergo & si quis tertius sciens vitium non admoneret emptorem , non laberetur in culpam:maximè si sciret nec damnum illi nec periculum creari, ita neq; emptor est in culpa:quia suũ seruat ius.Hoc tamen nos fatemur quòd si nosset venditor illam rem fore prorsus inutilem emptori,nõ potest vitium tacere. Vt si ego equum submancum vẽdo nobili iuueni,cui in more est eques cursitare,quanuis vendam iusto pretio , iniustè tamẽ ago.At si vẽdo seni medico qui optat equum leniter gradientem,profectò nullam ei irrogo iniuriam.Et ideo posuimus tres cõditiones:scilicet q caueatur periculũ,& dam num , & res sit emptori vsui.Adde quòd si creditur emptorem alteri post rem venditũ ire:& quia vitium ignorat tantum petiturũ, quãti absq; vitio væniret,tenetur tunc prior vendẽs emptorem admonitum facere, nè alterum fallat.Atq; hoc modo concordia cõciliari potest inter Diogenem & Antipatrũ, de quibus illic meminit Cicero.Ille enim vẽditorem minimè stringebat vitiũ mercis detegere:hic verò cõtrà putabat . Quidnam sit

Panormita. Sylvest.

Ratio Conradi & aliorum.

Ad argumentũ Conradi.

de iure ciuili in foro exteriori, ad iurisc̃ōsultos remittimus: quorum interest scire quando est venditori merces, & pecunia emptori propter contractus vitium redhibenda. Sed tamē iure naturę cōclusio S. Tho. est verissima. At tūc potissimùm quando vitium est manifestum, quis dubitat si emptor non aduertat, quin ipse reputandus sit sui erroris causa? ¶ Sed tñ scrutatores isti S. Tho. aliud obijcere illi potuissent argumentū, quo mordaciorem inijcerent scrupulū. Etenim si hęc eius sententia vera est, nō solùm in rei qualitate, verùm & in quantitate mensuræ, & in substantia ipsa, id pariter esset licitū. Proferamus quippe mercatorem in exemplum, qui habet grana, vel vini genera, re vera pluris valentia q̄ potest publico foro diuēdere: & adde exemplum de rebus illis quę vel numero vel pondere væneunt, sequeretur q̄ posset ille si iustus modius, verbi gratia, valet duos aureos, sed nemo est qui det: & demus, iniuriam illi fieri, vel propter monopoliū emptorū, vel quia iniquus gubernator vrbis hoc eū grauamine premit. Posset inquam tunc ille vendere minoris: sed tamē curtando mensuram: ita vt quam ille quantitatem tradit, iustissimè valet illud q̄ recipit pretiū. Quin verò in substantia ipsa idem liceret. Est qui vænale habet vinū optimū, cuius amphora iustissimè valet decem: sed tamen si populus crederet nō esse Rhenense, non tantū daret pretium: sequeretur eādem cōsequētia posse illum, etsi nō sit illius vineti, tacendo vendere decē. Adde q̄ eadē ratione & aqua posset vinum diluere. Vt si nimia esset vini caritas ita vt vrna staret duobus aureis, quā ob causam nemo emeret, cur nō posset caupo aqua illud miscere, vendendo vrnā viginti argenteis, quæ re vera cum illa aqua tātum valet? Et tamen illic est error in substātia: vt ait S. Thom. secundùm illud Isai. 1. Vinum tuum mixtum est aqua. Profectò conclusiones horū argumentorū magna cōsequētiæ energia colligūtur ex dictis S. Tho. nam quantū ad moralem vsum idem est tacere vitium in rei qualitate, atq; in quātitate, & substātia. Præsertim quando substantia nō est adeò diuersa, quin eodem modo seruiat. Veluti si tu cogitas meū sericū esse Granatense, & pannū Segobiensem, quod tamen nō est nisi minoris notæ: sed tamen ego vendo quanti valet, & est tibi vtile pro ratione pretij. ¶ Nè ergo nihil ad hæc respondeamus: Primū omniū argumenta hæc nō militant vbi pretium est legitimū, puta lege positum: quia tunc nulla esse potest vel arbitratio cōtra ius: Sed si militant est, vbi pretium nō cōsistit in indiuisibili. Secūdò nolumus cauponibus atq; alijs, seu tabernarijs, seu alius generis coemptoribus ansam porrigere innectēdi fraudes: sunt enim iniquissimi suorū iudices, magni sanè suas merces pēdentes. Et ideo subijcio tertiò q̄ reipublicæ magistratus nō debent ad hęc argumentorū pondera attendere, sed lege in eos agere qui vel in mensura vel in substātia publicā fidē violāt. Nihilo minùs in foro cōscientię, soli stando iuri naturæ, qui vir esset alias syncerus & cādidus, cōcurrentibus illis tribus cōditionibus, videlicet q̄ periculū & damnū euitaretur, & emptori esset merx secundū rationē pretij vtilis, nō esset cur cōdēnaretur de istis memoratis occultationibus. Leges nāq; naturales de æquitate mēsuræ & de rei substātia intelligunt, vel quādo pluris iusto vendit res, aut quādo res nō sūt ad eos dē vsus accōmodę. ¶ Hoc autē per se cōpertū est q̄ mentiēdo nō licet vitiū cōtegere. Quapropter si emptor interrogat rei qualitatē, tenetur vēditor veritatē aperire: si autē nō interrogat neq; damnū accipit, si bi imputet. Quāuis forsan venditoris mendaciū in talibus casibus, si alioqui prædicto modo seruetur iustitia, nō est pernicioſum. Secùs autē si talis rei qualitate neutiq̄ emptor indigeret. Vt si fortasse ad aliquā medicinā indigeret fortissimo vino, & venderetur ei lymphatū. Et ideo inter pharmacopōlas nefandū esset tale rerū cambiū. ¶ His autē expeditis restat nihilo minor dubitatio circa tertiā cōclusionē: qua dictū est, simili iustitiæ ratione cōpli cari emptorē: qui scilicet pari iure venditorē admonere tenetur, si minoris rē vendat q̄ valet. Cuius exemplū. 13. de Ciui. refert Augustī. Apparet nanq; in contrariū ratio. Haud em̄ videtur emptor tā strictē ratione contractus ligari vt vēditorē doceat, q̄ vice versa obligatur emptorē docere venditor. Etem̄ qui suas exponit merces inuitādo emptores, occasionē eis offert erroris, nisi illos cōmonefaciat: emptor verò nullā venditori occasionē porrigit. Exēplis hoc patet. Vēditat quis pretiosum lapillū, quē putat esse vel virtū vel quidpiā minoris pretij quā gēma. Incidit autē in lapidariū rei illius gnarū, qui scilicet cognoscit gemmulæ pretium: Nunquid nō ille poterit tacitus tanti emere, quantū alter petit, licèt sit longè iusto minus? Idē est si aurifico speciē offeras & corp⁹ quod nescis esse purissimum

Argumētū

Prima assertio.

Secunda.

Tertia.

Solutio ſecūdi argumēti.

Dubitatio.

Auguſtini Prima ratio dubitandi.

simum aurum: ille tamē nouit. Procedimus nanq; de venditoribus qui hæc non profe-runt, interrogantes vt doceantur rei valorē. Alioqui non ambigitur quin emptores te-neātur eos docere: sed loquimur de illis qui nullatenus suspicantur quid in re delitescat: quia forsan neque illis pluris stat res. ¶Et adhibetur altera ratio quæ id presiùs per-suadet. Si quis vel arte vel alia via nouit in prædio tuo abditam esse auri fodinam, vel aliam venam, seu Iaspidis, seu alius pretiosi lapidis, potest ad te prædium emptum acce dere, tacitoq; mysterio, emere. Sic enim sępè vsu venire solet. Quin verò Christus Redem ptor noster, vt libro proximo. q. 3. dicebam⁹, idem velut licitum ac legale videtur recense re Matth. 13. vbi ait: Simile est regnum cœlo rum thesauro abscondito in agro. &c. id est dominū agri secretū celat quousq; diuendi-tis vniuersis quæ possidet illum emat vt sibi totus thesaurus competat: veluti loco citato copiosè disseruimus: igitur nequâquam em ptor iure cogitur valorem rei venditori dete gere. ¶Ad hæc autem ipsa nihilo minùs re-spondetur, diuersam esse rationem agri atq; aliarū rerum. Nam agri pretium de sola ex-penditur superficie: quippe cuius natura est fructus ferre. Ob idq; qui agrum coëmit, nō maiori vinculo tenetur detegere id quod in viscеribus reconditū est, quā si alius quispiā esset qui non cogitaret illum emere. Aliæ ve rò res perpenduntur secundū id quod sunt: & ideo dum quis tibi vnum pro alio vendit, in primis si te interrogat, teneris veritatem aperire. Sed præterea etiā nō rogatus, si illa esses persona quæ nolles emere, obligareris nihilo minùs charitatis vinculo fratrem ad-monere in re tanti momenti, postq; nihili ti-bi admonitio constat. Imò si grauem metue res iacturam proximi, peccatū mortale esset non eum docere secundùm charitatis regu-las, quas lib. proximo. q. de testibus explicui mus. At verò quando emere constituis, acce dit insuper & iustitiæ lex. Nam cùm ille rei nescius minoris tibi iusto rem suam vendit, inuoluntarius illo pretio distrahit, & ideo te neris sub culpæ restitutionisq; reatu veritā-tis illum admonere. Tametsi in eadem spe-cie grauius esset in venditore delictum: quia cùm rem offert, arctiùs prohibetur decipere.

Secunda ra tio.

Responsio.

Ad primū argumentū REstat ergo, ex conclusionibus argumen torum in contrarium responsa colligere. Primi ergo solutio est peculiaris de auro & aurichalco, quòd nunquam hoc ad puri-tatem pretiositatemq; illius pertingere po-test: neq; ad dignitatem & omnes vsus. Præ-cipuè quòd naturā auri quæ corporum salu britati confert, nulla ars præstare potest. Et ideo citata lex, In vēditionibus, illud pro ve-rò distrahi vetat. An verò per Alchimiam ex primi posset verum aurum, sub iudice sanct. Tho. relinquit. Et ideo subdit quòd si id for-te fortuna contingeret, non esset illicitū pro vero vendere: intelligas tamen retectis effecti bus, quos artificiosum præstare non potest. Nihil enim vetat secūdùm Augustū. 3. de Tri-nit. quin arte dæmonum vtentium natura-libus causis veri naturę effectus ingenerētur.

Ad secūdū argumentū

¶Ad secundum verò respondetur, q̄ etiam si emptor vltroneus emat, incumbit nihilo minùs vēditori rem eatenùs patefacere, qua-tenùs neq; damni sit causa neq; periculi. Nō quidem per prēconem, quod Cicero irridet, sed tamen priuatim inter se & emptorem. Alioqui non satis ei permittit iudicium rei, quam nisi per suam relationem cognoscere nequit. Secùs dū vitia sunt manifesta.

Ad tertiū argumentū

¶Ad tertiū deniq; respondetur non eandem exta re rationem de rerum vitio & de superuentu ris mercibus. Rei enim valor æstimatur secū dùm id quod in præsenti est: & ideo per vi-tiū rei decrescit. Qua vtiq; ratione detegen-dum est. Merces verò post venturæ nihilo reddunt viliorem æstimationem rei præsen-tis. Et ideo venditor non tenetur reuelare quid in futurū expectetur. Historia est Tha letis Milesij, quam. 1. Polit. cap. 7. Arist. enar. rat. Philosophus enim ille, cùm ei ceu oppro brium obijceretur, philosophiam pauperes suos alumnos efficere, & ipse per Astrologiā oliuarum vbertatem prospexisset, collecta exigua pecunia credito emit in hyeme sub confuso quantum quisq; collecturus esset olei, arrhasq; dedit: posteà verò, tum ingen-tissima copia proueniente, tum q̄ solus ipse esset venditor, amplissimam confecit pecu-niam. Nimirum ostendens facile esse philo-sophis ditari: sed tamē sapientis esse diuitias despectui habere. Simile legitur de Ioseph, Gene. 41. qui diuinitùs edoctus futuræ vber-tatis annorum septem, quos subsequutura erat aliorum sterilitas, vili priùs emendo, & pòst carè vendēdo Pharaonē ditauit. Exem-plum est præterea Ciceronis lib. 3. de Offi. de Alexandrino mercatore, vtrùm cùm Rho-dum annônæ caritate laborantem frumenti numerum aduexisset, sciens se alios mercato

Historia Tha letis Milesij Aristot.

Ciceronis exemplum.

res secuturos, teneretur ciues præmonere: an verò tacitus posset pretio tunc currenti diuẽ dere. Antipater enim aiebat, Diogenes verò negabat. Cuius nos in præsentia sententiam cum S. Thoma amplectimur: sic tamẽ attemperatam, quòd cumulatioris esset virtutis si quidpiam pretij venditor ille subtraheret. ¶De quarto articulo S. Thom. quæstionis. 77. post illa quę quęstione proxima de negatione disseruimus, nihil nobis dicendum supereſt.

QVAESTIO QVARTA, De emptione credito pretio.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm liceat rem cariùs vendere expectata quàm numerata pecunia.

POST generales emptionis ac venditionis leges quæritur in particulari, vtrùm ratione crediti pretij liceat rem cariùs vendere. Et arguitur à parte affirmatiua. Pretium iustum rei secundùm prudentum iudicium debet æstimari, & secundùm commune forum: duodecim autem nummi absentes, scilicet in futuro soluendi, non plus valent quàm decem præsentes: ergo res quæ vendi potest prẹsenti pecunia decem, iustè potest credito vendi duodecim.

Primũ argumentum partis affirmatiuæ.

Argumẽ. 2.

¶Secundò. Venditor potest se indemnem seruare: quapropter D. Tho. 2. 2. q. 77. ar. 1. asseuerare non est veritus, posse venditorem pretio damnum adhibere quod patitur. Porrò verò ex dilata pretij solutione venditor multa subijt incommoda: vtpote lucri cessantis: secundò periculum ipsius capitalis, quod sibi fortè nunquam soluetur: & tertiò periculum dispendiorum atq; expensarum quas fortasse antequàm pretium recuperet facturus est: isti autem periculorum metus pretio sunt æstimabiles. ergo potest horum gratia auctiori pretio vendere. ¶Pari passu contrarium currit argumentum de emptore, qui ratione anticipatæ solutionis videtur iure posse minori pretio emere. Nam anticipata solutio pluris æstimatur, quàm eadem prolatata: & similia pericula subijt emptor antequàm mercium compos fiat. ¶Tertiò denique arguitur. Sunt aliquæ merces reipublicæ necessariæ quæ nisi expecto pretio distrahi nequeunt, quod ex mercibus ipsis conficiendum est: ergo iustum ipsarum pretium est, non illud quod in præsenti, cæterùm illud quod in futuro soluendum est. Suntq; aliæ econuerso quæ vænundari nequeunt nisi anticipata solutione: ergo iustum pretium erit, nõ illud quòd cùm merces traduntur valent, sed quod anticipato tempore soluitur. Exemplum prioris membri patet in maritimis mercibus: quæ nisi in magna copia aduehi non possunt. Enimuerò cùm totum nauis onus, si illa quæ plurimùm contingunt spectes, vendi simul nequeat præsenti pecunia: sed expectandum sit tempus quo emptores easdẽ valeant merces minutiùs distrahere, iustum pretium erit quod in futurum promittitur: quanuis maius illo sit, quod statim numeraretur. Exemplum secundi membri profertur in lanarum mercatu. Nam cùm, vt plurimùm accidit, pastores nequeant pastum gregum redimere nisi lanarum pretiũ sibi anticipetur, apparet illud esse iustum quod anticipatur: licèt minus sit quã quod dum traduntur, valent. ¶In contrarium est quòd pretium, vt quæstione secunda dicebamus, & habẽt. l. in lege quarta, ad leg. Falcid. res secundùm rei veritatem: hoc est secundùm præsens pretium æstimandæ sunt. Verba sunt legis. Et idem colligitur ex subsequenti lege, Pretia.

Argum.

SOlutio quæstionis præsentis patula est: quippè quæ ex superioribus liquidò colligitur. Respondetur inquam vnica negatiua conclusione. Nullatenùs ratione crediti prorogatiq; pretij licet rem cariùs vendere quàm in præsenti valet. Cariùs, scilicet vltra latitudinem iusti pretij. Nam infra illam iam suprà dictum est id licitè augeri posse. Conclusionem primò probat argumentum proximè insinuatum: quia neque rem pluris vendere licet quàm valet, neq; plus valet quàm est pretium in præsenti currens. Et ratio naturalis est, quod pretium cuiusque rei, eius existentiam comitatur, vt tanti æstimetur quanti est quando

Conclusio negatiua.

Primaratio pro conclusione.

do existit: nam tunc est hominibus vsui. ¶Secundò id patefit per regulam quæst. prima cõstitutam. Nempè quod ad perpendendum contractum an sit vsurarius, explorandum est an mutui quidpiam implicet, cuius ratione pretium recipiatur. Hoc enim in huiusmodi venditionibus reperias. Perinde quippe est rem, decem valentem, credito vẽdere duodecim, ac si decem statim connumerata emptori mutuo dares sub duorum fœnore. Probatio est sancti Thomæ. 2. 2. quęst. 78. articulo. 2. ad. 7. Ex quo fit, vt quęst. 2. dicebamus, neutiquam posse venditorem sibi prætexere quòd tanti sibi merces stent: neq; aliter posse sumptus quos fecerat reficere, quàm si credito vendat: quoniam negotiatio eiusmodi fortuitis euentibus subdita est. Quare in dissolutione nundinarum mercium pretia decrescunt, non potest mercator vendere credito quanti præsenti nummo vendidisset in emptorum feruore: quia res iam tunc minoris æstimatur. Et eadem conclusio emptores pari iure comprehendit: nempè quibus ratione anticipatæ solutionis fas non est viliùs emere. Nam pretium legitimum est quo merces tunc æstimantur quando traduntur: & ideo si minoris emunt, contractus reducitur ad vsurarium mutuum: videlicet quòd pecuniam venditoribus mutuant, auctuariam mercibus soluendam.

D. Thomas

AT quia de conclusione nulla esse potest dubitatio, ad argumentorum solutionem descendamus. Et primum quidem tenuissimi momenti est. Negatur enim quòd duodecim in futuro soluendi nummi secundùm se non plus valeant quàm decem præsentes: imò duodecim absentes idem valent atque præsentes. Et licèt accidentariè in negotiatore ratione industriæ possint decem augeri vsque ad duodecim: tamen inde non crescit rei pretium, quod secundùm eius naturam æstimatur præcisis decem. ¶De alio verò membro, puta de lucro cessante, Richard. & Caietañ. & quibus eorum probatur opinio, perinde censent atque de mutuo. Nempè quòd licet mercatori pretium ob lucrum cessans augere. Nam eadem est vtriusque ratio. Ego verò ægerrimè in hanc sententiam trahi possum: eo sanè argumento ductus quòd neque lucrum ei cessat, qui vendere non cogitur, neque vllus absque vi & fraude cogitur: qui verò tantum rogatu vendit, vltrò vendit. Quare neque Panormitañ. cap. Ad nostram. de emption. & venditio. neque antiquorũ vllus huiusmodi exceptionem approbat, sed simpliciter vsuræ reos faciunt quotquot credito cariùs vendunt quàm numerato. Et Anton. 2. parte, titulo primo, cap. 8. §. 2. intrepidè negat ratione lucri cessantis licere cumulatius pretium exigere. Et re vera ex isto capite lucri cessantis frequentiores crebrescent vsuræ in mercatura, quàm in mutuo. Quare licèt neque modò vsque adeò asseueranter hanc refutare audeam opinionem, sed permanserim vt suprà in mea formidine: tamen argumenta contrariæ opinionis non sunt tanti ponderis quàm eius patroni putant. Quare ad authoritatem Sancti Thomæ quam Richardus pro simili adducit, idem quod suprà respondemus. Nempè aliud esse damnum emergens quod venditor patitur, quodque ideo vendibile est: aliud verò lucrum cessans, quod reuera, nisi inuito non cessat. ¶Multò verò improbabilius est quod quosdam Neotericos valde miror defensare. Nempè quòd ratione periculi, cui venditor suas exponit merces, dum pretium in tempus credit, ius habeat cariùs vendendi. Conrad. quidem quæstione citata. 59. vbi hanc edisserit materiam, concedere hoc recusat: sed tamen iunior Metina, quæst. 38. de Restitutione. nescio quem imitatus, id audenter affirmat. At verò cùm res vsuraria, Ethnico etiam Aristotele teste, tam sit odiosa ac pernicioſa, nemo deberet eius occasiones offerre, nisi vbi patentissima ratio id euinceret. Porrò autem in hac opinione, nulla, vel probabilis existit. Primùm ergo omnium in contrarium arguit Conrad. nullam aut vix vllam esse huiusmodi venditionem in futuro soluendam, quæ non alicui subdatur periculo Quocircà semper liceret aliquid vltra sortem recipere. Sed tuebuntur se contrarij authores dicentes, non id opinari in qualicunq; periculo, sed vbi est legitimum. Nempè quando mutuatarius vel pauper est, vel fraudulentus, vel quauis alia ratione malefidus: tunc quippe aiunt posse debitorem metum periculi pretio vendere. ¶Secundum eius argumẽtum non est multò maioris efficaciæ. Arguit quippe quòd tunc non solùm capitale, verùm & illud quoque metus pretium periculo subest. Quare ratione illius liceret aliud recipere pretium. Verùm

Ad primũ

Richardus. Caietanus.

Solutio authorũ.

Panormita.

Antonius.

Metina.

Prima ratio in præfatã opinionem.

Argumẽ. 2 ad idem.

tamen responderent aduersarij expectatione auctarij illius vltra sortẽ recipiendi, omnem compensari metum. ¶Aliter ergo sic vrgentiùs reprobatur opinio. In primis mercator non vendit inuitus. Si ergo videt suas merces non tutò distrahi, non vendat credito, vel aliam accipiat cautionem. Cur ergo poterit metum illum vendere? ¶Secundò arguitur: Venditor ille, vel fac esse mutuatorem, nullum patitur emergẽs damnum, neque iacturam facit cessantis lucri, neque dispendium aut sumptus in recipiendo pretio. Hæc enim omnia cessare supponimus, quandoquidem de solo metu disceptamus: quo ergò iure poterit metus ille pretio vendi? Sed ais, quia est pretio æstimabilis. Fateor quidem: quoniam mallet homo alicuius pecuniæ dispendium facere quàm tali anxiari metu. Sed tamen non inde sequitur quòd sit illa ratione vendibilis: tum quòd venditor suapte sponte in illũ se emergit: tum præcipuè quòd emptor non tenetur aliter leuare illum tali metu quàm soluẽdo mercis pretium: cui idcircò dum soluit, satisfacit. Et elucidatur etiamnum argumẽti vis, si initio non fuisset facta timoris mentio, venditor tamen fuisset ob periculum vehementer metu vexatus: posteà dum emptor soluit, nihil posset vltra sortem venditor recipere ratione præteriti metus ac periculi: ergo neq; in initio potuit in pactum duci. Profecto si vera esset talis opinio, conditio vendentis, puta si esset nimirum auarus ac perinde meticulosus, causa esset legitima recipiendi maius pretium. ¶Perpendamus ergo argumenta quibus isti audent hasce perhibere vsurarum ansas. Primum est hoc: fideiussor (vt suprà dictum est) pro obligatione illa qua astringitur alienum debitum soluere, potest pretium recipere: ergo licet venditori hisce verbis cum emptore pacisci: Quod fideiussori præbitur es, mihi exhibe, & ego subibo periculum: nulla enim apparet discriminis ratio. Nam etiam fideiussor in virtute videtur debitori mutuare: dum pro eo soluit. Respondetur latissimam esse discrepantiam: quoniam fideiussor non pro eo quòd mutuat, cùm contingere possit vt nunquam pro debitore soluat: sed quia obligatur soluere, illã potest obligationem vendere: mutuator verò verè mutuat: quod ideo gratis tenetur facere. Et miror istos non esse sui memores. Cùm enim fateantur, non quidem pro mutuo, sed tamen pro obligatione mutuandi licêre pretium recipere, simili intereapedine deberent perspicere fideiussorem posse recipere pretium pro obligatione soluendi, seu mutuandi: non tamen mutuatorem pro mutuo. Tametsi vterq; in eodem versetur periculo. ¶Et pari modo recutitur secundum eorum argumentum de illo qui per contractum assecurationis in se suscipit periculum alienarum mercium: iste enim nihil mutuat, sed pro illa obligatione soluendi merces si perierint, recipit pretium: sicuti ille qui per contractum societatis exponit periculo æs suum, non recipit lucrum propter periculum, sed propter negotiationem. Hic enim suam pecuniam non mutuat, sed negotiationi exponit: & ideo recipit eius lucrum. Quare ex istis nullum sumitur argumentum ad mutuantem: quippe qui mutuando gratis debet transferre in alterum dominiũ: ea solummodò obligatione vt tantundem recipiat. Atq; hoc maximè cõfirmatur: quoniam mutuator non obligatur pecuniam suam perdere, sicut assecurator: vel qui facit societatem, si merces pereant: siquidem mutuatarius semper est obligatus soluere: quare tale periculum non est alio pretio dignum, quàm vt mutuatarius mutuum persoluat. ¶Arguunt tertiò. Qui equum suum homini locaret à quo grauiter timeret nè nimia eum fatigatione diuexaret, vel forsan alio modo occideret, posset cum illo de pretio conuenire: vt si equus periclitaretur, sibi periret: ergo eodem modo in mutuata pecunia. Sed vides quàm nulla sit similitudo. In locatione enim equi non transfertur dominium: & ideo potest verus dominus de periculo rei suæ pacisci. Qui verò vendit aut mutuat, transfert in alterum dominium: qui cùm teneatur totum soluere, non est alio pretio grauandus ratione creditoris metus. ¶Supereſt autem respondere vtrùm liceat venditori ratione impensarum quas probabiliter se timet antequàm pretium recipiat facturum aliquid vltra sortem in pactum ducere. Idem enim citatus author bifariàm hanc licentiam concedit: scilicet quòd licet inter contrahentes de coniecturalibus expẽsis conuentionem facere. Secundò quòd ratione anxietatis quam passurus est timore litis & laborum, potest etiã aliquid recipere. Hoc autem secundum iam satis repulsum est. Solus quippe metus & periculũ absq; vllo labore & dispendio nullum ius tribuit aliquid eius gratia recipiẽdi.

Primr ratio authoris.

Secunda ratio.

Primum argumentum.

Solutio.

Argumẽ. 2.

Responsio.

Argumẽ. 3

Solutio.

Quæstio alterà.

Ac

Solutio. At quantum ad expẽsas res attinet, non est dubium quin quicquid creditor in recipiendo debito dispendit, possit à debitore exigere. Attamen multò est tutius dum homini vafritiem & infidelitatẽ times, nil ei mutuare nec credito vendere: vel dum mutuas, expectare solutionis terminum, an fortè sinè vllo dispendio fiat. Nam expensarum antici patę conuentiones vix vsuræ suspicione vacant. Nihilo seciùs vbi omni procul fraude bonis coniecturis timentur expensæ: nempe dum tuus debitor à tua vrbe loco distat, nulla est iniquitas de expensis & laboribus pactum cum illo inire, constitutumq; pretiũ recipere, etiam si nullos sit postea facturus. Nam etiam si esses plura expensurus, non posses amplius recipere, quàm fuit conuentione firmatum. ¶De materia tertij argumenti variè etiam inter Doctores opinatur. Ab vna enim parte repręsentatur vsuraria mutuatio, sed ex altera apparet emptio iusta. Et quia casus est consuetus, deciſu necessarius est. Igit̃ re oculatiùs perspecta, arbi

Solutio tertij argumẽti. tror sub distinctione respondendum. Quando enim debitum nulli esset prorsus subiectum periculo, sed absque vllo sumptu & labore certissimè sperareť soluendum, neutiq; liceret tale debitum minoris emere: quanuis longum esset tempus expectandum: Esset quippe non solùm palliatum, verùm & detectum fœnebre mutuum. Quoniam ratione dilationis temporis plus accipere quàm tribuas, vsura est. Neq; refert quòd creditori actionem vẽdenti commodiora sint nunc decem quàm post annum duodecim. Non inquam hoc cõpurgaret ementẽ: quoniam non emptio sed certè mutuatio est. Quãdo verò solutio in periculo versaretur, nihil dubito quin liceret viliori pretio emere, quàm est totũ debitũ: vtpote dum militi stipendiũ regiũ debeť, quod creditor timet aut non totũ, aut nõ sine magno negotio & molestia, aut non sine expensis se recepturum, potest quisq; tale debitum ab illo minoris emere. Quisq; in quã, absq; vi & fraude. Nã si quis regi à thesauris est, & qd' soluere debet minoris redimeret, vis esset. Exẽplũ asserti nostri est, si debitor in pauperiem lapsus esset vel fugisset, &c. Illic enim nulla est ratio mutui, neq; in forma neq; in virtute: sed est emptio illi⁹ actionis: quę re vera nõ tantũ valet vt quidã putant, quanta est pecunia quę debetur. Imò est sicuti emere fata, & emere actionem quę ex lite pendet. Quod est emere rem in spe. ¶Argumentum autem quod è regione militare putaretur, est quòd tunc videretur debitor ipse licitè suum ipsum debitum minori pretio posse redimere. Nam quod alteri licet, cur non idem sibi licebit? Quòd autem illi non liceat, per id liquet q̃ qui non quantum debet soluit, æquitatem iustitiæ minimè seruat. Respondetur ergo, argumentum nulla similitudine pugnare: quoniam debitor ratione præcedentis contractus totam summam debet: tertius verò quia nihil debebat, iustè emere potest actionem illam quanti valet. ¶Sed oritur hinc argumentum aduersus id quod à nobis nuperrimè decisum est. Argumentum autem est hoc: Duodecim sub periculo non plus valent, quàm decem certa: quandoquidem actio illa decẽ iustè emitur: ergo qui numerata pecunia posset remvendere decem nummis, poterit eandem credito vendere tunc duodecim, dum probabile periculum solutionis imminet. Respondetur aliud esse rem emere quæ periculo subiacet: aliud verò mutuare seu credito vẽdere sub periculo. Nam qui mutuat aut credito vendi, cùm nullam patiatur vim aut fraudem: quia ratione prorogatæ solutionis nihil posset recipere, vel cautionem capiat vel non mutuet cum periculo. Quare si gratis vult illud subire, sibi imputet. ¶Quartum demum capitale argumentum diu me certè multumq; ancipitem tenuit. Nam secundùm regulam vniuersalem ac regiam, Iustum rerum pretium est illud, quod receptis mercibus in promptu soluitur. Verùm tamen non mihi videor negare posse quin in tali casu legitima fiat exceptio regulæ vt iustum pretium nõ sit, nisi quod in futurum expectatur. Merces enim quæ peregrè, & potissimè quæ maritimis periculis traducuntur, nequeunt nisi in tanta copia traduci, quanta simul vendi non potest numerata pecunia. Dixerim, nequeunt, si illa quæ plurimùm contingunt consideres. Secundùm quam cõsiderationem de legibus censendum est. Quam ob causam qui naues eiusmodi mercibus onerant, necesse est vt partim credito coẽmant. Ob idque & sperare eis licet etiam in portu alijs mercatoribus eo simul pretio vendere, quod ex ipsis minutatim venditis conficiendum est. Veruntamen per hanc cõcessionem nullam cogitamus porrigere mercatoribus ansam, qui in ciuitatibus merces distrahunt: quoniam tota ratio contractum excusans, est necessi-

Replica cõtra solutionem.

Responsio.

Argumẽtũ alterum.

Solutio.

Solutio quartiargumẽti

tas vendendi & emendi tam amplam mercium copiam quæ nequit numerata pecunia vendi: ob idq; venditur illis qui pretium inde sunt collecturi. Citra hanc autem necessitatem debêt res æstimari prætio præsenti. Quapropter peculiares mercatores in nundinis sibi videant quomodo emãt: porro intelligentes non posse reuendere nisi pretio præsenti. Nam nulla inde sumitur excusatio q̃ empturi ciues non semper habeant pecuniam præsentem. Hoc enim esset illos cogere propter necessitatem emere ad vsuras. ¶De secundo etiam membro quarti argumenti nihil est mirum si prudentissimus quisque ambigat. Nam revera lanarũ mercatus qui anticipata fit solutione, effigiem præ se fert vsurarum: cùm viliùs illa ratione emantur. Attamen neq; eiusmodi emptiones vsurarias prorsus arbitror, si modò fraus absit. Nempe dum non anticipetur solutio nisi duos aut tres menses quando solet fieri herbarum solutio: aut plurimùm intra eundem annum fiat quo sunt lanæ recipiendæ. Nam si anticipatur in alterum annum vt ratione tam lõgè dilationis minoris emas, manifestaria vsura est. Ratio quæ me in hãc cogit sententiam est quòd merces ipsæ natura sua hoc exigunt. Nempe quòd sumptus pascendi tam numerosos greges eorum domini ferre nequeunt, nisi ex ipsa nutrienda lana præsens sibi subsidium communiant. Accedit quòd foma huiusmodi fori adeò iam more & vsu percrebuit, vt ipsi etiam pastores in quos grauamen inclinat, renuant aliter vendere. Et fortè in marino piscatu idem permittitur anticipatum pretiũ: non solùm propter sumptus pauperum piscatorum, verùm & propter eã quod piscatura seruari nequiret nisi emptores paratissimi essent iactum anteà emptum recipere. Haud tamẽ inde exemplum ad alia minora deducitur, vt liceat ab agricola anticipata pecunia grana minoris emere. Nam accidentarium est quòd agricola ea fit paupertate, vt exiguos illos sumptus ferre nequeat: qua ratione cogitur ad vsuram mutuum quærita-re. Parque iudicium est de alijs huiusmodi: nimirum quando necessitas personæ in causa est intempestiuè vendendi. Etenim in lanis non tam accidentaria personarum necessitas in est, quàm rei ipsi us natiua.

Delanarũ anticipata solutione.

De piscatu marino.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm liceat rẽ credito cariùs quàm præsenti pretio vendere, quando rei dominus non erat tunc venditurus.

AMetsi regula generalis sit quam superiori articulo constitutam reliquimus, restat nihilo minùs explorare an vllã admittat exceptionem: videlicet utrùm quando merces vendendæ non erant, vsq; ad tẽpus quod plus valituras sperabatur, cariùs licitũ sit eas distrahere quàm præsenti numismate. Et arguitur à parte negatiua ex regula suprà constituta: nempe q̃ rei pretium æstimandum sit secundùm præsentem valorem: vt habetur. l. in lege. 4. ad l. falcid. *Primum argumentum* ¶Secundò arguitur. Si liceret cariùs tunc vendere, id maximè permiteretur ratione lucri cessantis, quod speratur ex pretij augmento: dictum est autem secundùm sententiam nobis probatiorem, nemini priè cessare lucrum, præter eum qui vim aut fraudem patitur: qui ergo suapte sponte vẽdit non potest de lucro cessante agere, atque adeò neque illa ratione cariùs vendere. *Secundum.* ¶Tertio: Si illa ratione cariùs liceret vendere sequeret quòd econuerso liceret rem emere cum pacto vt integra seruaretur quoadusque vel maioris æstimaretur, vel fructus ferret. Verbi gratia liceret oues ante fœturã eo pacto emere, vt venditor periculo suo eas custodiret, quousq; fœtus suos ederent, caseum q̃; & lanant ferrent. Consequentia probatur: Nam si venditor potest futurum pretium quo in posterum valituræ sunt res ex nunc tutum facere, pari iure poterit emptor tutos quoq; reddere fructus rei emptæ quos emit. Consequens tamen est falsum. Nam res lege non pereunt nisi domino. Vnde cùm primùm quis rerum acquirit dominium, sibi periclitantur, vt colligitur. l. incendium. C. si cert. petat. &. l. pignus. C. de pignora. actio. ¶In contrarium est cap. Nauiganti. de vsuris. *Tertium.*

ARticulus hic intellectum exposcit dicti capituli, Nauigãti. & cap. In ciuitate. de vsuris. Et quidem in cap. Nauigãti. tria sunt membra. In primo condemnatur vsuræ contractus quo quis nauiganti vel eunti ad nundinas pecuniam mutuat periculum capitalis subiens, vt aliquid sibi vltra sortem repen-

Cap. nauiganti. & cap. in ciuitate. de vsuris.

rependatur: quæ quidem condemnatio interpretamento indiget, vt verum exhibeat intellectum. Nam vt.q.6.in arti.de societate, deciſuri ſumus, nihil vſuræ cõmittit qui pecuniam ſuam in ſocietatem mittit vt inde lucrum ſperet quòd periculum ingreditur capitalis: nam hoc nõ eſt ratione mutui, ſed quia ſua pecunia negotiatur: qui autem nauiganti proprio periculo pecuniã cõmittit ſuam, non omninò mutuat: quãdoquidẽ ſi pereat ſibi perit: videtur ergo contractus ille immeritò illic dãnari. ¶Reſpondetur, propterea eõdemnari quòd cùm mutuatio gratis fieri debeat, non aliter mutuare q̃ mutuatarium ad contractum aſſecurationis vel ſocietatis obligando, vſura eſt. Quòd ſi cõtra redarguas: Qui mutuare nõ teneť, poteſt id renuere vt alios cõtract⁹ ſibi cõmodos faciat Reſpõdeť hoc verũ eſſe: attñ vi mutui nõ poteſt aliũ cogere q̃ fort è aſſecuratione nõ egebat. Nã fortè illic nullũ imminebat periculũ ſed fingebať. Quod patet ex illa cõpoſitione nauigãti, vel eũti ad nũdinas. Nã euntes ad nũdinas nulli ſubſunt periculo: & ideò fortè habebaťſermo de natigatione quę extra omne fieret periculũ. Sed de hoc illic rurſus. ¶Ad quæſtionem ergo præſentem duabus cõcluſionibus reſpondetur. Prior eſt: Licitũ eſt merces anticipata ſolutione vtiliùs mercari quàm præſenti foro venæunt. Si tamẽ cõiectura eſt tempore quo tradendæ ſunt plus minùsve valituras. Vt ſi quis inhyeme triticum emit, quod vſq; ad meſſem nõ eſt recepturus, etſi tẽpore contractus modius quatuor vẽdatur ſolidis, iuſtè poteſt trib⁹ emi, ſi creditur plus minùsve in æſtate valiturum, Iſte eſt caſus ſecundus dicti cap. Nauiganti. Et ratio eſt, q̃ cùm res propter vſum emanť, id quod nunc nõ venit in emptionis vſum, non debet æſtimari præſenti pretio: ſed illo quo valitutũ eſt, dum ei traditur. ¶Sed arguis, rationem id tantùm euincere q̃ liceat nunc emere indefinito pretio: hiſce videlicet verbis, Emo ex te tot modios tritici eo pretio quo æſtimabitur tempore meſsis: quod autem nunc liceat certum taxare, effigiem habet vſuræ: nam fortè valebit plus: & tamẽ cap. Nauiganti. de taxato pretio loquitur. Reſpondetur quòd quando res indubio verſatur poteſt prudentia ac perinde conuentione definiri. Quapropter iuſtitia huius cõtractus non in anticipata ſolutione fundatur: alioqui vſuram ſaperet: ſed in coniecturali æſtimatione rei dubiæ. Ex quo ſit vt etiam dum ſolutio non anticiparetur, firmaretur tamen ſic contractus vt vtrinq; reſultaret obligatio, æquus eſſet ac probus. Quemadmodùm ſiquis datis arrhis ſtatoq; pretio indefinitè emeret quantum olei vel vini eſt prouenturum: vti Ariſto. de Thalete (quod ſuprà meminimus) retulit, nullam committeret vſuram: licèt multò plus ſperato proueniret: neque venditor teneretur reſtituere, etiam ſi totum periret. ¶ Poſterior concluſio. Qui ſuas non erat merces venditurus vſque ad tempus quo pretium auctum iri coniicitur, poteſt pluris vendere quàm tempore venditionis valet, expenſis deductis, laborib⁹, ac periculis: & caſu, quo, vt ſuprà admonitum eſt, ſcilicet rogatus vendat: vt qui vſque menſem Maiũ ſeruaturus erat granum ſuum, poterit ſub natalem Domini cariùs quàm tunc valet diuendere. Hic enim eſt caſus tertius eiuſdem cap. Nauiganti. Et ratio concluſionis ſuperiori germana eſt: quoniam tunc non debet æſtimari pretium ſecundùm præſens, ſed ſecundùm tempus quo ſuas erat merces diſtracturus. Aliâs pateretur emergens damnum, à quo, vt ſuprâ dictum eſt, poteſt ſe iure venditor ſeruare incolumẽ. Quare nõ ſolùm indefinitè vẽdere poteſt eo pretio quo mẽſe Maij valituræ ſint, verùm definiri conſtituiq; pretium certum poteſt: Nam res dubia poteſt, vt modò dicebamus, per prudentiam terminari. ¶Non eſt autẽ cur, vt in ſuperiori caſu, ſciſciteris vtrũ liceat ſic etiã cariùs vendere præſenti nummo. Quoniã qui ſic emeret, mẽtis veriùs q̃ pecuniæ egeret. Ecqs enim numerata pecunia, quas res vtiliùs poteſt, cari⁹emat? Attamen ſi vẽditor emptorẽ nõ decipiat, ſed ille velit tantũ dare, quanto ipſe futuro tempore venditurus erat, genere ſuo non eſt vſura. ¶ At verò reſtat circa cap. In ciuitate nõ paruum dubium. Arguitur inquàm q̃ nõ illi modò qui ſeruaturus erat merces, fas ſit pretioſiùs vendere, verùm & illi quoq; qui non erat ſeruaturus, ſi modò pretio credito vendat. Enimuerò cap. In ciuitate. nulla conditionis illius mentio fit, eſſetne venditor ſeruaturus, nécne. Sed abſolutè reſpondetur quòd ſeu piper ſeu cinnamõmũ quod præſenti pecunia quinque venditur libris, citra peccatum poteſt vænundari ſex: dummodò credatur ſolutionis tẽpore plus minusve valiturum. Caiet. hac commotus autoritate 2.2.q.78.articul.1. diſtinguit de huiuſmodi contractu. Ait inquam ſolutionis dilationẽ bifariàm

Dubitatio. circa primũ mẽbrũ cap. nauiganti.

Prima concluſio.

Ratio cõcluſionis.

Obiectio.

Reſponſio.

Poſtrema cõcluſio.

Ratio cõcluſionis.

Argumẽtũ

Caie. ſolutio.

bifariàm posse considerare. Vno modo per se vt actionem ab emptione separatam: puta si contractus venditionis non simpliciter consideretur, sed tanquàm mutuum habẽs annexum. Itaque venditio perfectè nunc absoluatur, sed quia expectatur solutio, ratione taciti mutui aliquid extorquetur. Et hoc inquit, illicitum est, atque vsurarium. Secundo modo potest eadem dilata solutio considerari, non quidem per se, at tanquàm pars venditionis, quæ nondum fuit completa: sed inchoata, & in futurum pendens. Et tunc inquit, aliquid in super recipere, quàm sit præsens pretium, si res creditur plus valitura non est vsura: quoniam venditio tunc censetur perfici quando fit solutio. Ob idq; ait inepte exponi cap. in ciuitate. per alterum, Nauiganti, cùm sint duo diuersi casus.

Ratio in Ca. ¶ Veruntamen contra hanc opinionem est argumentum, quòd hæc Caietana distinctio obstruosior est quàm vt facilè possit intelligi. Cõtractus enim, vt suprà citatũ est .l. Labeo. ff. de verb. significa. est vltrò citroque obligatio: ergo tunc contractus emptionis absolutus est & perfectus, quando venditor vel tradit vel tradere obligatur merces, atq; emptor vel soluit vel soluere obligatur pretium. Quo fit vt expectata solutio nihil vetet quo minùs contractus perfectus sit. Qua re ex illo capite nihil vltra præsens pretium

Secunda ratio. recipi potest. ¶ Secundò. Venditionis forma quæ credito fit vna est semper: scilicet vẽdo tibi hanc rem pretio tali tempore soluendo: nulla ergo restat discriminis ratio, vt dicatur aliquando contractus inchoatus & non perfectus, aliquando verò perfectus &

Tertia. includens mutuũ. Imò semper includit mutuũ, puta expectationem solutionis. ¶ Tertiò. Si venditor non erat seruaturus merces, nil ei refert quantum sit valitura, atq; adeò nec damnum illi emergit, nec lucrum cessat quare ratione illius nihil nisi pretium, quod

Solutio tutior. in præsenti currit, percipere potest. ¶ Ob idq; profectò multò est tutior solutio, quòd capitulum, Nauiganti. glossa sit capituli, In ciuitate. scilicet quòd nũquàm liceat credito cariùs vendere, nisi quando seruandæ erant merces. Nam licèt capitu. Nauiganti. fuerit Gregorij Noni, & capitulũ, In ciuitate. Alexandri Tertij, explicuit nihilo minùs Gregorius Alexandri mentem. Nihilo seciùs nõ

Caie. opinio nõ protinus improbabilis. est prorsus Caieta. opinio improbabilis: præsertim si venditio fiat in definito ptio. Enim verò si qui tempore. Natiuitatis grano abũdat rogatur credito vendere, quanuis non esset seruaturus, potest venditionem renuere: & dare quasi mutuum decem modios recipiendos mense Maio, vel pretium quo tunc vænierit. Veruntamen si est ceu mutuum, non potest emptorẽ cogere, vt mense Maio & non antè soluat. Atq; hac tunc ratione dicetur imperfectus contractus, quòd non est taxatum pretium, sed infuturum pendens. An verò taxari possit dubium pretium auctiore æstimatione quàm in præsenti foro currit, porrò concedere illi nõ auderem, qui non esset seruaturus, Et id eo bene admonetur eodem cap. quòd licèt ex forma contractus, non sit vsura: quia effigiem habet venditionis, tamen suspectus contractus est: ac perinde plebi interdicendus.

Primum argumentum PRimum igitur argumentum iam solutũ est. Regula nanq; docens iustum pretiũ esse quod in præsenti foro currit, intelligit si tunc merces emptori tradantur. Nã aliàs non sunt æstimãdæ nisi tempore quo in emptoris vsum veniunt. *Adsecũdũ* ¶ Secundum autem valentiùs pugnat: nimirũ dum quærit qua ratione qui seruaturus erat, pretiosiùs vendere potest. Nam si ratione id lucri cessantis, iam suprà probabiliùs arbitrati sumus non cessare lucrum nisi inuito. Respondere ergo primò possumus q̃ potest recipere ratione dãni emergẽtis. Quod quidẽ etiã spontaneus vẽditor quãdo ob cõmodũ ementis vendit, potest, vt suprà decisum est, in pactũ ducere. Si autem huic responso non acquiescas, eò quòd videtur lucrum cessans, respondetur secundò euidentiùs, quòd lucrum cessare dupliciter vsu venit. Vno modo quando res quæ alteri traditur, non plus per se valet, sed solũ ratione negotiationis industriæ: qualis est pecunia. Et tunc censebã ego eum qui vltrò à se alienat mutuãdo, non posse lucrum recipere: quia propriè non impeditur, vt suprà expositum est. Secundò contingit quòd res ipsa quę traditur, non modò ratione industrię, verùm suapte natura perse ipsa plus est valitura. Huiusmodi ergo res, licèt quis sponte sua vendat, si rogatus facit, cari' vendere potest, ob illum, qui speratur valorem: expẽsis tamen ac laboribus, vt dictum

Adtertiũ. est, inde subductis. Tertiò argumento dubitatio submouetur de quodam vsitato cõtractu emptionis non satis tuto. Sunt enim qui miseris rusticanis mutuare renuentes, mille innectant fraudes. Primum iumenta

ab

ab illis emunt, quæ non habent: eadem q̃; fi-
ctè eisdem locant. Nempe consignant rusti-
co viginti aureos, ceu pretium boum quos
ille non habet, obligando illum vt saluos ac
tutos locatosq̃; custodiat, soluatq̃; mẽstruũ
locationis pretium. Hæc enim vsura est. Ni-
mirum cùm infine anni redhibentur iidem
viginti aurei: vtpote seruati boues, adiectoq̃;
insuper pretio dictæ locationis. Secundò, est
qui in autũno mille, verbi gratia, oues emit,
obligatis venditoribus vt vsque ad Maium
easdem saluas custodiant. Nempe vt ipsorũ
periculo pereant. Et postquàm totam fœtu
ram percipit, reuendit eisdem easdem eodẽ
pretio. In quo contractu multæ latẽt iniqui
tates. Primùm enim si agricolæ obligantur
vt iterum eodem pretio emant, manifestaria
vsura est. Nam cùm teneantur eandem pe-
cuniam remetiri, mutuum est: cui augetur
pretium agnorum, casei, & vellerum. Rursus
obligare illos vt illęsum seruent gregem, pal
liatio vsuræ est: nam grex ipsis ementibus,
tanq̃ veris dominis periclitari debet: quod
quidem periculũ si venditores suscipiant, iu
sta pecunia esset pro quãtitate periculi æsti-
mandum, cùm tamẽ neq; pro periculo, neq;
pro custodia recipiãt nisi pertenue forrẽ sti-
pendium. Negatur ergo argumenti conse-
quentia. Videlicet quod si potest venditor
qui merces erat seruaturus, immunẽ se à da-
mno seruare, possit etiam emptor venditorẽ
arctare, vt merces seruet: nam cùm primùm
emit, suo sunt periculo perituræ.

*Primũ ar-
gumentum*

Aristot.

Secundum.

¶ Tertiò atguitur. Si census possent in rem aut rerum fructus institui, possent pariter & in personam, etiam quæ bonis careret: nam sicut res, fructosæ sunt, ita & operis suis per sona fructificat: consequens autem videtur condemnare cap. 2. de pigno. vbi habetur q̃ liber homo pro debito non tenetur, si res de fuerint. ¶ In contrarium est argumentum quòd annui reditus in bonis immobilibus iure censentur: vtpatet Clem. Exiuit. de ver. signifi. §. cumq̃; annui. bona autem immobi lia vendi emiq̃; iustè possunt.

Tertium.

QVAESTIO QVINTA, De Censibus.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm censuum emptio ac venditio sit vsuraria.

DOstrema quæstiõe de emptione & vẽditio-
ne, quę hui⁹ libri quin tũ habet locũ, interro
gatur de cẽsibus: quo rẽ contractus latissi-
mè in republica per-
crebuit. Est ergo articulus prim⁹, vtrùm hu-
iusmodi contractus emendi vendendiq̃; cen
sus, sit vsurarius. Et arguitur à parte affirma
tiua. Numisma, vt suprà dictum est, non est
vendibile, sed tandẽ mutuabile, & qui vsum
eius seorsum vẽdit, vsurarius est. Nam vt ex
5. Polit. c. 6. citabamus, solùm inuentũ est vt
sit pretium rerum, non vt ipsum vendatur:
qui autem censum emit, pecuniam emit vl-
tra sortem sibi augẽdam: ergo vsurarius est.
Probatur minor. Qui dat, verbi gratia, mil-
le ducatos vt singulis mẽsibus aut annis cer-
tam pecuniam recipiat, nihil aliud emit q̃ il-
lam pecuniam, quæ sibi vltra sortẽ accrescit.
Nam si quotannis recipit centum, in decen-
nio recuperat iustam sortem. Quare si cen-
sus redimitur, eandem duplat: si vetò non re
dimitur, quicquid vltrà recipit, sorti accumu
lat. ¶ Secundò arguitur. Hoc genus con-
tractus pallium est & clypeus omnium vsu-
rarum: ergo deberet longè à republica rele-
gari. Probatur antecedens. Quicunque gra-
tis mutuare recusat hoc astu vtitur vt saluo
capitali redimibiles census coëmat: quod
perinde est ac si sub fœnore mutuaret.

*Primũ ar-
gumentum*

Aristot.

Secundum.

Tertium.

QVæstio præsens pluribus fortè opinio
nibus controuersa est inter Docto-
res quam res exigit. Est enim plana. Igitur
vt à nomine rem auspicemur, census, vt lib.
3. sub titu. de tributis dicebamus, à censendo
ducitur: eò quòd, vt habetur. l. forma. ff. de cẽ
sib. facultates ciuiũ recensendæ sunt, vt pro
sua quisque tributum soluat. Inde tamen se
cundò deriuatum est, vt peculiariter tribu-
tum significet, quod pro capite exigitur: nẽ-
pe dum princeps vult personarum capita ca
talogo esse recensita: vt quantum sit eius
imperium sibi innotescat. De quo Christus
interrogatus fuit an liceret censum dari Cæ
sari. Cuius vtiq; superbiæ pœnas dedit Da-
uid. Nempe quòd populum numerauit, vt
legit. 2. Reg. 24. Tertiò & census facultas, &
substantia cuiusq; dicitur, & patrimonij ęsti
matio. Refert enim Liuius libr. 1. q̃ Seruius
Tullus

*Cẽsus à cen
sendo dict⁹*

Liuius.

Tullus Romanorum rex census ciuium constituit. At verò in præsentiarum nomine cēsus nihil aliud censetur, quàm pensio quam quis super suis bonis aut persona constituit. Aut, quò significantiùs dicamus est ius percipiendi pensionem siue in fructibus, siue in pecunia, vel re aliqua vtili. ¶Est nihilo minùs secundò adnotandum, quod census bifariàm constituitur. Vno modo vt sit reseruatiuus: alio modo vt sit consignatiuus. Reseruatiuus est quando quis vel rem suam alteri confert reseruato sibi iure quotannis recipiē di partem quampiam. De quo extat lex. fin. C. de rer. permut. vbi quisq; permittitur mille alteri donare, reseruato sibi, siue annuo, siue menstruo censu. Et de huiusmodi censu meminit glossa super cap. constitutus de religi. domib. Condemnatur enim in eodem cap. quidam abbas qui pēsionem quam debebat multis retrò annis non soluerat. Condemnatur inquam non vt ius prædij amitteret, de quo pensionem debebat, sed vt pensionem persolueret. Et tamen si fuisset emphyteusis, prædio ipso expoliandus erat: vt patet. l. 2. C. de iur. emphyt. Ait ergo bene gloss. quòd emphyteusis hoc modo differt à censu, quòd quando quis in emphyteusin dat alteri prædium suum, quia nō transfert dominium directum, sed tantùm vtile. si nō soluitur pensio, prædium redit ad ipsum dominum. Sed quādo dat bona sua alteri sub censuali pensione, quia trāsfert dominium rei in alterum, quantocunque tempore cesset ille pēsionem soluere, non perdit ius prędij, sed debet pēsionem. Ille ergo dicitur census reseruatiuus. De quo tamen in præsentiarum non fiet amplior mentio: eò quòd non est vsq; adeò in vsu. Alter ergo est census consignatiuus: vt dum quis retentis suis bonis eorumq; vsu consignat alteri certam pensionem, quam obligatur singulis mensibus aut annis soluere. Hunc autem censum quàm plurimis diuisionibus more suo partitur Conrad. q. 72. Nam ex parte fundamenti in quo cōstituitur, alter est realis: puta qui in rem instituitur: atq; alter personalis, qui constituitur in personam. Mox ex parte rei quæ recipitur, alter est fructuarius: vt potedum recipiuntur grana vel alij fructus: & alter pecuniarius, vt cùm recipitur pecunia. Atq; hic est more frequentior. Rursum alter certus, puta cùm taxati sint fructus seu pecunia: & alter incertus, dum non definitur nisi quota, puta vt tertiam partē vel aliā fructuum recipias. Deinde alter est perpetuus, & alter temporalis. Præterea alter pro certo annorum tempore, & alter pro incerto, puta pro tota vita: quem appellat vitalitium. Ac demum alter est redimibilis, atq; alter irredimibilis. De quorum fermè singulis peculiaria submouentur dubia: licèt nōnulla parui momenti. Respondetur ergo ad quæstionem quatuor cōclusionibus. Prima est. Vnusquisque potest realem fructuariumq; vt aiunt, cēsum in sua bona constituere, dūmodò sint libera. Quod dixerim, vt illa excluderem, quæ maioratus vinculo sunt adstricta. Conclusio hæc in genere receptissima est, neq; est qui de ea dubitet. Est nanq; perquàm manifestum posse quenque bona sua gratis donare ac vendere, & quocūq; alio contractu alienare: poterit ergo pari iure donare aut quotam aliquam suorum fructuum, aut certam partem: perpetuò se vinculo perstringendo, eandem, vel præfinito tempore, vel certè in perpetuum persoluere hoc autem est censum constituere, puta cō signare. ¶At verò dubium est, an sicut possit sub donationis forma institui: sic etiam liceat per cōtractum venditionis. Enimuerò ex Theologis Henri. quolib. 1. q. 39. vbi in suam sententiam allēgat alios: & ex iurecon sultis Innocen. super cap. In ciuitate. de vsur. & ibidem Ioann. Andr. & Salicet. super Auten. ad hæc. C. de vsur. vbi pro se citat Gregor. Arimiñ. distinguētes aiunt q̄ antiquos annuos reditus, puta qui iam fuerant anteà constituti, siue in res siue in personā, potest quisque emere. Haud tamen vllus iure potest sic tales reditus emere vt tunc constituantē. Exempli gratia: liberè quisque potest constituere super bona sua aut super suam personam censum, quem dono det alteri: & postquàm constitutus est potest vnus tertius ab illo donatario emere. Pari modo tributa regia quæ super ciues instituta sunt potest vnusquilibet emere: quæ dicitur iurium emptio. Attamen quòd ego à te emam censum quem modò super te aut super bona tua constituas, iniquū est. Et ratio, inquiūt, est, quòd in emptione debet distingui pretium & merx: vt habetur. l. 1. de contrahen. emptio. quando autem iam census est constitutus ipse habet rationē mercis: si verò nō est constitutus, nulla est merx, sed nummi nummis emuntur. Vnde ait Ioann. Andre. se nescire excusare talem contractum. ¶ Veruntamen, salua Doctorum autoritate qui egregia

Bifariā census constitutio.

Variæ cēsus diuisiones. Conradus.

Prima conclusio.

Dubium.

Hēnici solutio.

Innocētius.

Ioā. Andr.

Salicetus.

Greg. Ari.

Ratio præsumptæ opinionis

egregia meritò pollent, nemini debet in dubium venire quin ſicut via donationis, ita & emptionis poſsit cenſus conſtitui. Et ſit hic ſecunda concluſio: quam cęteri omnes tam Theologi, quàm ſuper eodē cap. in ciuitate. Iuriſcōſulti, vt Hoſtienſ. & reliqui, intrepidè confitentur. Nam cùm quiſque liber homo bona ſua diuendere poſsit, planè ſit conſequens, vt poſsit quoque vendere eorum fructus vel eorum partē, obligando ſe vel quotam eorum vel certam partem ſoluere ita vt alteri ius vendat exigendi à ſe eoſdem fructus, Secundò: ſi poteſt tale ius gratis donare, cur non poterit dare genero in dotem, atque adeò cuicunque alteri, vel pro ſeruitio vel pro pretio? Tertiò id confirmatur. Poteſt quiſque ſuperioris iuſſu & lege cogi, vt partē ſuorū fructuū annuatim ſoluat: vt patet in decimarū tributorūq; exactione: ergo poterit ſua ſe ſpōte taxato pretio ad eandem ſolutionem obligare. Quartò. Poteſt quiſque (vt nuperrimè vtroque iure monſtrauimus) rem ſuam alteri donare, ac perinde vendere retento ſibi cenſu: ergo poteſt vice verſa retento dominio cenſum vendere. Quapropter vti Sylueſt. ait, verb. vſura. 2. §. 12, fallitur contraria opinio non dignoſcens hîc mercem à pretio diſtinctam: nam ſicuti dum emuntur reditus antea conſtituti, emitur ius illud: ita dum nunc conſtituitur, ius idem ipſum habet rationem mercis. ¶ At quoniā de pecuniario aliquantulò maior reputatur dubitatio, adhibetur tertia cōcluſio. Iure etiā quiſq; poteſt pecuniariū cenſum ſuper ſuis facultatib⁹ cōſtituere: nō ſolū donationis forma, verū etiā vēditionis. Hæc ex ſuperioribꝰ facilè colligitur: & eſt aſſertio Cōra. q. 75. Enimuerò ſi poteſt fructuari⁹ cē ſus cōſtitui, & fructus æſtimabiles ſunt pecunia, nulla vetat ratio quo minꝰ poſsit & pecuniariꝰ cōſtitui. Neq; in hoc cōtractu mutuū ſubeſt, vti Anch. illic à Sylue. citatꝰ autumat: imò eſt vera emptio: quia pretiū illud nō traditur vēdenti cū pacto redhibēdi, ſed in ppe tuū. Secundò poteſt ſe quiſq; gratis obligare ad nūmariā annuamq; ſolutionē, tradēdo alteri ius petēdi: ergo poteſt tale ius pecunia vendere. Tertiò poteſt cenſus ſuper domū cōſignari cuius fructus non eſt niſi pecunia: ergo poteſt taxari idem cenſus pecunia. Re vera de reali cenſu, ſiue fructuarius ſit & prędialis, ſiue nūmarius, res eſt apertior quàm vt pluribus egeat probationibus. Et præter rationes ſunt etiā iura tā ciuilia quàm canonica huiuſmodi comprobantia contractus. Eſt enim Auctenti. Vt ij qui obligat. ſe hab. per. res min. §. quoniam autem. vbi admonētur minorum curatores reditus illis emere annuos. Et in regno noſtro extat lex Tauri, 68. id permittens. Et ſuper omnia ſunt Extrauagantes duæ inter communes titul. de emptio. quarum prior eſt Martini Quinti, anno. 1423. ędita: poſterior verò Calixti Tertij anno. 455. qui quidē Pōtifices maximi interrogati de eiuſmodi iure, ſanxerunt licitos eſſe cōtractus. Neq; iura hæc diſtinguūt inter fructuarios & pecuniarios. ¶ Verùm tñ de cenſu perſonali grauius emergit hinc dubium. Multi quippe Doctorū qui cēſus reales fatētur eſſe legitimos, id de perſonalibus diffitentur: vt eſt Ioānes de Ligniano ſuper. c. in ciuitate. de vſur. & Abb. in diſput. 5. & Sū. Angel. in verb. vſura. & diuus Anto. in. 2. par te, tit. 1. c. 9. §. 10. & Sylueſt. loco citato eōdem propendet: dicēs q̄ dum cenſus ſtatuit ſuper domū, quę nō locatur niſi quinq;, nō poteſt cenſus cōſtitui maior. Quare omnes iſti autores aiunt nō poſſe cōſtitui cenſum niſi ſupra rem cuius fructus minimum tātundem valeat quantus eſt cenſus. Fundamentum huic opinioni hoc ſubiicere poſſum⁹, quòd emptor cùm dominus fiat rei emptæ, debet eius ſubire periculum: vt patet. l. 1. C. de pericul. & commo. rei vendit. Si autem cenſus ſupra perſonam conſtitueretur, nulli emptor ſubeſſet periculo. Nam interemptis etiam rebus, ſemper maneret venditor obligatus. Eſſet ergo iniqua conditio quod ſemper venditor in periculo verſaretur: emptor vero in nullo. ¶ Secundò arguitur. Si cēſus poteſt perſonę infixus remanere, eodē modo poſſet conſtitui & ſuper cunctis eius facultatibus ſimul obligata perſona, ſic vt pereuntibus cūctis bonis nihilo ſeciùs obligatus ipſe ſuper eſſet: talis autē cōtractus nō apparet emptio, ſed mutuatio ſub fide pignoris: quoniam bonorum dominium non tranſit in emptorem, imò habent rationem pignoris: quandoquidem ipſis extinctis nihilo minùs tenetur perſona. Si autē eſt mutuum, vſura eſt cenſum inſuper recipere. ¶ Fauere deinde videtur huic opinioni, tum cap. ſuprà citatum, de pignorib. vbi habetur quòd homo liber pro delicto non teneatur, ſi res defuerint: tum præſertim & præfatæ conſtitutionis Martini & Calixti: in quibus habetur quòd ſuper bonis, ſcilicet domib⁹, prędijs, &c. cōſtituendi ſunt cēſus.

Et

Secunda cō cluſio. Hoſtienſis. Primaratio pro conclu.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Sylueſter.

Tertia cōclu ſio.

Caietanus.

Probatio. 1.

Ancharan⁹

Secunda.

Tertiaratio

Martinus. 5 Calixtus. 3.

Dubitatio decēſu perſonali.

Ioā. de Lign. Abbas. Sūma Ang. D. Antoninus. Sylueſt.

Fūdamēt ū. prætaritæ opinionis.

Secundū argumentum ad idem.

Poſtrema ratio.

Et subditur quòd etiam possessionibus ipsis obligatis, interemptis, & destructis, non debent venditores astringi. ¶His veruntamen non obstantibus adiicitur quarta cõclusio. Iustè quisque emere potest personalem censum: vt pote quem venditor supra suam constituat personam. Conclusio est eiusdẽ Conrad. q. 74. quam &. q. 75. repetit. Probatur q; iudicio meo rationibus satis firmis. Potest se persona gratis obligare, etiam si bonis sit temporalibus destituta ad menstruã vel annuam pecuniæ solutionem, gratuitò ius alteri cõferens petendi: idem q; ius genero filiæ conferendo: ergo poterit ius idem alteri vendere. Nam vt suprà dictum est, emptor tunc pretium non mutuat, postquàm nõ retinet ius repetendi: sed illo emit ius illud, quod habet rationẽ mercis. Secundò potest se quisq; astringere ad æs certum quotãnis mercenario pro suis operis persoluendum: cur ergo non poterit eadẽ obligatio pecunia æstimari, ac subinde vendi? Tertiò potest cẽsus personalis principis lege constitui: vt patet. 2. Nehemiæ. 10. vbi Hebræi statuerunt super se tertiam partem sicli ceu annuũ censum personalem. Qua ratione in more nunc est aliquarum ecclesiarũ, personales decimas exigere: de quibus mentio fit cap. Apostolicæ. de decim. & de negotiatione soluuntur decimæ: vt eod. in c. Pastoralis. Et, vt suprà dixi mus, potest princeps non solùm ex facultatibus, verùm ex capitum recensione cẽsus exigere: potestq; ratione delicti homo cogi ad annuum tributum: ergo poterit sua quisq; sponte tale super se ius vendere. Rursus liberum cuiq; iure est obligationem suarũ operarum vendere. Nempe vt sit obligatus suo corpore seruire: ergo pari iure vendere valet & personalẽ censum. Quid ni? Potest liber homo non solùm alijs ciuilibus cõtractibus obligari, verùm & in seruitutẽ, vt lib. 4. monstratum est, sese vendere, & filium suum: potestq; super mancipium suum, sicuti super suas reliquas possessiones censum constituere: cur ergo non & super se vẽdere queat pecuniarium ius? ¶Et (quod hisce omnibus robur adhibet) quicunq; realis census annexam habet personalem obligationem: ergo ipsis etiam pereuntibus rebus superstes obligatio est in persona, atq; adeò constitui potest personalis census. Probatur primùm antecedens. Tum quod forma contractus sem per sic habet, quòd vẽditor obligat se & sua bona, quippe cùm res inanimes nõ nisi per Metaphoram dicuntur obligari: sed dominus est qui obligatur & iudicio cogit: tum præcipuè quòd per huiusmodi cõtract⁹ nec dominium rei transfertur, neq; fructus venduntur, sed ius illos petẽdi. Quapropter bona illa super quibus cõstituitur census, non tam rei venditæ rationem habent quàm pignoris atq; hypothecæ qua venditoris fides firmatur: iuxta tenorem legis, fundus. ff. de ann. legatis. Et probatur hoc ipsum. Quoniam si fructus illo contractu venderentur, consequens fieret, vt eorum periculum non venditor, sed emptor subiret. Quapropter quo anno fructus perirent, non deberentur emptori, sed eidem ipsi perirent: quod tamẽ est falsum & contra vniuersalem vsum. Qua vtiq; ratione & vsu ostenditur eum qui censum emit, non emere fructus, sed ius petendi: quippe cùm vẽditor periculo fructuum, ceu rei suæ subditus maneat. Sunt nanq; res cẽsui obligatę, instar pignoris, quo diſparẽte, nõ ideo creditori extinguitur agendi ius: vt. l. seruo. C. de pigno. admonet. Quod quidem inde rursus confirmatur quòd alias nõ possent emi pecuniarij census nullis consignatis fructibus: cuius contrariũ suprà probatum est. ¶ Ex hac conclusione subsequitur primò, census reales non solùm constitui posse super certis designatisque bonis, verùm & super indefinitis, atque incertis: nempe super quibuscunque quæ venditor seu possidet seu possidebit: eò quod obligatio in personam resoluitur. ¶Sequitur secundò quòd potest institui census super re etiam cuius fructus non adæquent censum. Denique in huiusmodi emptionibus nulla vsura est. Neque verò iniustitia, si modò pretium sit iustum ad quod est attendendum. Perspice inquam an ius illud tantæ recipiendæ pensionis iusto ematur pretio. Nam tunc si res supra quam constituitur tuta non sit, aut non tãtum fructum reddat, in emptoris vergit periculum. Quomodò autem iustum pretium æstimandum sit, articulo proximo patebit. Quapropter Metynensis egrè sibi constat, qppe qui cùm priùs asseruisset cõtrariũ huiuscorollarij, posteà affirmauerit personales census. Nam si persona manet obligata licèt fundus fructũ iustum nõ suppetat, superest actio contra personam. ¶Sed arguis. Quando res nõ satis soluendo censui fructificant, tunc census non est tutus: ergo tunc contecta subrẽpit vsura. Negatur consequentia.

Quarta cõclusio.

Conradus. Ratio cõclusionis.

Secũda ratio

Tertia.

Quarta.

Quãtaratio

Primum corollarium.

Secundum.

obiectio.

Imò

Solutio. Imò verò ex parte citius venditoris resultat iniquitas quàm à parte emptoris. Nam emptor suo periculo censum emit in re malè fida: sed alter est qui non deberet vendere nisi super re tuta.

Ad primū argumētū. REstat ergo ad argumēta in contrarium respondere. Atque ad illa priùs quæ initio quæstionis obiiciebamus. Ad primum respondetur: forsan iniri de nomine disputationem, an huiusmodi cōtractibus ematur pecunia. Tametsi propriè non emitur, nisi ius petendi pēsionem: licèt iuris eiusdem valor non sit maior quàm ipsa pensio. Vnde & lingua nostra materna cēsus super regijs tributis constituti, iura dicuntur. Dicuntur inquam vendi emiq; iura. At quanuis pecunia annuatim soluēda emeretur, nihil aliud esset quàm bonorum emptio immobilium vt citata Clemen. exiuit. habetur. Neq; verò inde quòd tractu temporis exuperent capitale, existimandus est contractus vsurarius: differt enim à mutuatione ex diametro. Hęc enim est radix iustitię huius generis contractuum, quòd qui mutuat, obligat mutuatarium eandem sibi integram restituere pecuniam: qui verò census emit, minimè: sed in pretium eam dat perpetuum. Quare nihil obstat quo minus, veluti in cæteris emptionibus, temporū curriculo fructus super pretium exuberent. Et per hæc solutum restat argumentum secundum. Nulla enim in hoc genus cōtractibus occulitur vsurę prauitas. ¶Sed & reliqua quibus personalis cēsus dissuadebatur pari facilitate soluuntur. Concēditur enim priori fundamēto emptorē nullum subire periculum. Imò licet super re stante tueretur census nullo se periculo obiiceret: vel rei super qua constituitur census, vel fructuum: quia dominium in ipsum non migrat: sed venditor est qui pro recepto pretio sub eo permanet periculo tanquàm rerum dominꝰ. Nihilo minùs & emptor huic subiicitur discrimini quòd etsi res perirent nunq̄ potest venditorem cogere redimere cēsum: & simili modo in censu personali, hoc ei periculum imminet, q̄ vēditor ad pauperiem redactus soluere non possit censum.

Ad secūdū ¶Ac subinde ad secundū argumētum cōceditur consequētia & consequens: ac proinde fatemur dum quis censum super suis bonis vēdit, manente nihilo minùs obligata persona, bona illa formam inducere atq; effigiem pignoris & hypothecæ. ¶Capitulo autem secundo de pignoribus, hoc tantùm admonetur quòd liber homo non potest constitui in pignus debiti, veluti mancipium: vt patet. l. qui filios. C. quæ res pigno. obliga. poss. Haud tamen inde subinfertur non posse census nexu, sicuti per alios contractus, obligari. ¶Argumentum autem quod ego in meipsum contra personalem censum validius instruo, est hoc, Censum super re constituere vsu consumptibili non est licitum, sed vsurarium: personalis autem census est huiusmodi: ergo iniquus est. Probatur antecedens. Si ego tibi mille porrigerem aureos, teque grauarem vt de eius vsu quotannis certum mihi quidpiam solueres, vsuram committerem: eò quòd vsum pecuniæ seorsum venderem. Minor autem patet. Nam perinde videtur facere qui super personam censum emit: videlicet vt pro vsu illius pecuniæ certam pensionem repēdat. *Argumēti.* Verùm tamen argumenti huius vtraque pręmissa negatur. *Solutio.* In primis inquam constituere censum super vsum pecuniæ, non est vsura, nisi saluo id capitali fiat: puta cum obligatione restituendi pretium: nam tunc esset mutuū. Si autem tibi in perpetuum mille conferrē ducatos, nihil vetat quin possem de eorum vsu pensionem recipere. Idque patet. Primò quia possum illos dare conuentione facta, vt tu eisdē emas fundum fructiferum: quē si non emeris, tua erit culpa. Et hoc ipsum ait Baldus in feudis. *Baldus.* Si de feudo vasallus. l. vnica. Præterea hoc habet vim contractus societatis. Secundò & altera quoque prǽmissa est falsa. Etenim personalis census nō constituitur super vsum pecuniæ: sed est ius petendi, recipiendique à persona talem pensionem. ¶Neque verò Extrauagantes Martini & Calixti eandem quartam conclusionem nostram vllo pacto auersantur. At verò hoc in primis admonito opùs est, quòd cùm in Conciliorum Sūma, quā reuerēdus noster Miranda, neq; sine publico commodo, neque sine priuata laude cōpilauit, post dictas Extrauagantes in formā vnius redactas, appensas inspexeris, sex cōditiones ad æquitatem huiusmodi contractum requisitas, non intelligas easdem in dictis Extrauagantibꝰ vt necessarias extare, pōtificiaue autoritate pollere. Sed autorem ipsum iudicio suo, quod peregregium est, illas ceu necessarias colligisse. Earum autem conditionum Prima est, quòd censuales reditus cōsignandi sunt in rebus certis, puta domo vel agro- *Miranda.*

quæ solæ maneant eisdem soluendis censibus obligatæ. Qua quidem conditione refutantur personales census. Attamen conditio illa nequâquam ex Extrauagantibus colligitur. Bulla enim hoc in sola enarratione Pontifici proposita continet, quòd res exprimantur quæ permaneant obligatæ. Tamen postea in approbatione non exclu dit quin super personam possint institui. Enimuerò illic tantùm fit mentio de realibus censibus, quos Bulla approbat: nulla tamen fit de personalibus, quos non subinde reprobat. ¶ Secunda autem eiusdem autoris conditio, nempe quòd iusto pretio emãtur census, statimque tempore contractus integrum soluatur, idem soluatur pretium, pro priori membro vera est. Non quòd si pretium non esset iustum, ea ratione fieret contractus vsurarius: siquidem res illic vendibilis emitur: sed quòd esset iniustus. Sicut dum res pretio digna, pluris minorisve iusto distrahitur. At verò quantum ad secundum membrum, nullam præ se fert probabilitatem. Nam licet in narratione Bullæ id quoque ponatur, non tamẽ in approbatione tanquam necessarium cõstituitur. Quid enim vetat quo minùs veluti in cæteris contractibus, vẽditor cẽsus emptori valeat partem pretij credere? Neque quinta conditio ex eadem Bulla colligitur. Nempe quòd si res super quibus constitutus est census perierint, emptor cogi deinceps nequeat ad soluendum censum. Nam Bullæ clausula id solùm cauetur nè pereuntibus bonis cogantur venditores censum redimere. Haud tamen prohibetur quin possint cogi pensionẽ soluere. Imò si extinctis bonis liberi debitores restarent à pensionis debito, profectò id Pontifices explicuissent. Quare cùm hoc tacuerint, insinuârũt licitos quoque esse etiam personales census. Quanuis quia non sunt vsque adeò emptoribus tuti, non erant tunc fortè in illis partibus in vsu. Et ideo Pontifices non fuerũt de illis requisiti. ¶ Et per hæc quoque monstratur: sexta conditio non esse necessaria, vt suprà dictũ est: videlicet, quod sit necessarium censum constitui supra rem fructuosam, atque adeò vt fructuum valorem non excedat.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm cẽsus tam temporales quàm perpetui sint liciti.

SATIS erat in genere quæstionem decidisse: nisi quòd nonnulla sunt tam de temporalibus quàm de perpetuis peculiaria dubia. Quæritur ergo an vtrunq; istorũ genus sit licitum. Et de perpetuis arguitur à parte negatiua. Si essent liciti, sequeretur quod non solùm vẽditor, verùm & eius successores perpetuò manerent eodem pensionis fune irretiti. Consequens tamen videtur iniquum: maximè postquàm res perierint super quibus constitutus est cẽsus. *Primum argumentum.* ¶ Secundò arguitur cõtra cõditiones quib⁹ solet perpetuitas hæc firmari. Nẽpe vt vẽditor teneat prædia seruare super quibus cõstituitur: neq; illa possit absq; censuarij facultate abalienare: quòd si eius facultate vendiderit, Decima nihilo minùs vel vigesima pars illi obueniat. Tertiò, quòd nisi statis terminis soluerit, rebus orbetur super quibus consignatus est census. Quartò, quòd etiam si res ipsæ dispereant, nihilo minùs maneat obligata persona. Addunt & fideiussores & sexcenta alia munimenta, quę non satis apparent æquitatis marita. *Secundum.* ¶ Tertiò contra temporarios arguitur. Si liciti essent, seq̃retur non posse minoris emi quàm sit omnium pẽsionum summa. Vt si in decennium censum emas aureorum decẽ, nõ valeres minoris q̃ centum emere. Nam aliàs quicquid vltrà reciperes, sorti adhiberes: & tamẽ cõtrarius est vsus. *Tertium.* ¶ Quartò arguitur. Si liceret temporaneos emere census, perinde liceret, nõ solũ in tẽpus certum, verùm & in incertum, vt puta sæculares: emere, quantum videlicet qui emptoris sęculo vitaq; durarẽt, quos vitalitios vocãt: hoc autẽ tũ iniustũ apparet: quia cũ vitę periodũ solus Deꝰ nouerit, vsu sæpe veniret multò plus durare q̃ vẽditor credidisset: ac perinde grauiter læderẽt: tũ etiã inde periclitaret charitas. Nãcisceret inquã inde occasionem venditor exoptandi emptori mortem. *Quartum.*

DVabus conclusionibus ad quęstionem respõdetur. Prior: Non modò perpetui census licitè emuntur, verùm in illis minor est vsuræ suspicio quàm in tẽporalibus. *Prima conclusio.* Cõclusio ex his quæ dicta sunt euidentiam sortitur: quoniam ille merus est vẽditionis emptionisq; contractus, ac si prædia emas, aut q̃is alia quæ iure hæreditario tuis posteris relinq̃s. Quo fit vt huiusmodi cẽsus neutiq̃ esse possim meri pſonales, sed debẽt esse nõ solũ reales, verũ & rebus immobilib⁹ infixi. *Ratio cõclusionis.*

Nam

Nam reliqua omnia collapso tempore dilabuntur. Qua propter Clement. suprà citata, Exiuit. Annui, inquit, reditus intra immobilia cẽsentur à iure. Atq; eò minorẽ prẽferũt effigiem vsuræ, quòd preciũ nunquã est emptori redhibendũ. ¶Posterior conclusio. Pari iure licet emere tẽporales cẽsus seu certi tẽporis, vt in decennium vel in aliũ quemlibet terminum: seu incerti, puta sæculares pro ementis vita aut filiorum. Conclusio est nota. Quia hic etiã distinguitur à pretio merx: quæ est ius petendi pensionẽ. Quare nisi in pretio de quo statim dicemus iniquitas insit, nulla macula talis contractus inficitur. Etenim sicut potest quisque fundum suum alteri in emphyteusin pro sua vita dare retenta pensione, ita vice versa potest & re ipsa retenta pensionem ad vitam vendere. Item vnusquilibet potest alienum prædium ad vitam conducere, cuius fructibus viuat: cur ergo non & ius super eodem prædio emere recipiendi taxatam pecuniam? Adde quòd & de bonis ecclesiæ id ipsum pmittit Clem. 1. de rebus ecclesiæ non alien. Nempe quòd ingruente necessitate possit prælatus pro sua vita possessiones ecclesiasticas alienare: ergo & potest emptor pro sua annuos emere reditus.

Posterior cõclusio.

IN cõclusionibus ergo nulla est ambiguitas præter illas quę per argumẽta insinuãtur. Quarũ prima est in primo: vtrũ omnis obligatio perpetui cẽsus perpetuo in hæredes descẽdat. Nã dũ cẽsus super ædibus, aut molaribus, aut re simili cõstituitur: ratio persuadere videtur, vt re tali diruta nõ debeat illa obligatio ampliùs hæredes premere: & tñ suprà dictũ est obligationẽ rei in personã refundi, q̃ ideo extincta nihilo minùs similiter teneri p̃ sonã. Quòd si verũ esset deberet eadẽ obligatio ad hæredes permanare. Quod quidã absurdũ arbitrãtur. Ad hoc tamen per hanc distinctionẽ respondetur. Quãdo perpetuus cẽsus super bonis incertis cõstituitur: scilicet super his quæ homo possidet, possessurusve est tũc obligatio ad hęredes permeat: siue in bona quæ tunc vẽditor habebat succedãt, siue, illis interemptis, in alia: quoniam illa omnia sunt eidem solutioni obnoxia. Et ideo hæredes tunc ipsi sibi videãt dum hęreditatem accẽptãt. Nã qui censum vendidit potuit cũcta sua præsentia futuraque bona illo innodare vinculo. Quando verò census cõstituitur in rem hanc consignatam non prorsus perpetuam: qualia sunt ædificia: neq; alia hypotheca cõtractus firmatur, nõ prorsus censetur p̃ petuus cẽsus, sed tantum quantũ res duratura est, & persona q̃ vendidit fuerit superstes. Nam illa personalis obligatio nõ succedit in hæredes nisi ratione illius signatæ rei. ¶De pretio autem perpetuorũ censuum dicere aliud nõ possumus, quam quòd non solũ quãtitas census existimari debet, verum stabilitas ac firmitas superquibus cõstituitur. Qua re iura super castra, & perpetua pascua, & p̃dia maioris sunt pretij. Qua vtiq; ratione nõ potest lege vnũ in vniuersum pretium cõstitui. Sed illud est iustũ quo publicitus sine vi & dolo vendũtur. Tametsi cõtingere possit vt vrgens pauperum necessitas eos cogat viliori iusto emere. Quare non apparet iusto emi vnũ redimibilẽ nummũ pretio decẽ: vt iã factitari incipit. Quanuis vbi vsus inualuerit nõ prorsus condẽnarẽ. ¶Fuit aũt consultissimũ frumentarios cẽsus lege taxari. Nẽpe vt nõ in frumẽto soluerentur, sed æstimato pretio, vnũ pro quatuordecim pẽderetur. Emisti, verbi gratia, grani censum centũ quadraginta aureis. Lex ergo prẽcipit vt quoniã frumẽti pretium latissimè variatur, nõ tibi quotãnis soluatur, nisi quãtũ frumẽti decẽ aureis æstimatur. ¶Circa secundũ argumentũ quo de cõditionibus reliquis hisce cõtractibus apponi cõsuetis inquiritur, hoc statim in frõte firmissimè asseueratur, nullã ab illis cõtrahi vsuræ maculã. Nã vsura, vt sæpe dictũ est, inde tantũmodò nascitur, vbi res emitur, quæ vẽdibilis nõ est. Nihilo seciùs hisce cõditionibus inuadi potest iustitia, per iniquitatem pretij, & nimiã vẽditoris oppressionẽ. In primis q̃ non possit vẽditor bona illa super quibus statutus est cẽsus absq; cẽsuarij facultate abalienare, nõ est iniqua cõditio. Nã cõtingeret aliàs in aliũ possessorem demigrare, qui non esset vsq; adeò tutus. Quod verò cẽsuarius, dum talẽ facultatẽ confert, valeat partẽ pretij recipere, nihil meis auribus æquitatis exhibet. Nã etsi in emphyteusi propterea q̃ qui pensionẽ recipit dñium rei directũ retinet illo iure gaudeat, tñ cẽsuarius, qui nullũ habet rei dominiũ pro mera facultate quam cõcedit vẽdẽdi, quidpiã recipiat, profectò rationi nõ est cõsentaneũ. At si iure particulari regni permittitur, nihil obloquiaudeo. Item q̃ ad stabiliẽdos decẽ aureos census cogatur vẽditor sufficientia hypothecare bona, ratio sanè poscit. Quòd aũt sua bona, dũ ampliſsima sunt, debeat ad maiorem cautelã sic colligare, vt neq; illa diuendere, neq; impignorare, neq; vlla ratione de illis disponere queat,

Ad primũ argumẽtũ.

Pretium sensuum.

Ad secũdũ argumẽtũ.

Quod cẽsuarius recipiat partẽ pretij quia cõcedit facultatẽ vẽdẽdi iniquũ est.

Altera cautiõ quæ in huiusmodi cẽsibus solet apponi.

profectò importabile onus est, quod miser ob solã necessitatẽ subire cogitur. item q; qui vno vel duobus annis nõ soluerit, eisdẽ obligatis possessionibus expoliet, nõ est prorsus genere suo iniquũ: quoniã potest idquidem in pœnã imponi. Et est. l. Tauri. 68. approbatum. Attñ vt pœna sit iusta debet esse moderamine ad culpæ quantitatẽ tẽperata. Nam si esset nimia, nõ esset iusta. Illud autẽ postremum, nẽpe q; rebus pereũtibus persona nihilo minùs obligata maneat: iam supra ostẽsum est licère. ¶ In tertio argumento dubiũ submouetur de pretio tẽporalium censuum. Richar. enim. q. 80. tenet posse emi tẽporalẽ pecuniariumq; censum certi tẽporis minori pretioq; sit pẽsionũ summa. Possunt: inquit, nonaginta aureis emi decẽ in cẽsum vsq; ad decenniũ. Ratio inquit est, q; tanti æstimant nonaginta nũc, quãti cẽtum in decẽnio diui sim soluti. Hæc autem ratio nulla est, nisi vbi vera sit emptio. Fallit nanq; in mutuo: quoniã non licet tibi mutuare nonaginta, vt illo modo recipias centũ. Vnde cũ idẽ ipse autor metuat huiusmodi emptionẽ reduci ad mutuum, subiũgit tũc esse cõtractũ licitũ, qñ emptor mallet nõ emere q; emere, sed rogatu vẽditoris emit. Addit inquam hoc tẽperamentum: arbitratus non licere decem illa recipere vltra sortem nisi ratione cessantis lucri: quod anteà dixerat tunc penitus licère quando mallet mutuator non mutuare. At verò cùm hoc lucrum cessans, vt crebrò suprà diximus, suspectum sit, quando quis sponte mutuat: idque maximè in præsentiarum: nam qui census emit, non putat se mutuare: ob idque non solùm rogatus, verùm & rogans emit, negare non possum, quin huiusmodi contractus emendi pecuniarios cẽsus certi temporis suspicionem præ se ferat, si minus sit pretium quàm census. Neque verò sunt vsu frequẽtes, neque esse decet, nisi vbi aliquod subest dubium plus minusvè suscipiendi. Liceret inquam aureis nonaginta possessionem emere decennio duraturam, quæ singulis annis prolatura esset fructus decem aureorum, liceretq; adeò similes emere fructuarios census. Nam cùm fructus sint in dubio, verè cognoscitur emptionis ratio: quasi ideo non vitiatur quòd fructus tractu temporis superaturi sint pretium: cùm autem nonaginta ducatis, non possessionem, sed ius petendi in pecuniã centum emis, quę in nullo versantur dubio: hoc enim supponamus, videlicet quòd neque timeantur expensæ, neque labores, neque vllum existat periculum: profectò vix potest discerni, quin sit mutuum. Perinde atq; si nonaginta nunc dares cum obligatione, vt post decennium redhiberentur tibi simul centum: vbi plana est vsura. Nam quòd soluantur per partes, vel simul in fine, nihil videtur discriminis afferre. Quocircà absque formidine approbare non auderem vt possint huiusmodi pecuniarij census certi temporis emi, nisi tanto prorsus pretio, quanta est omnium pensionum summa: vt sit omnino forma mutui. Si quis autem iudicio suo discreuerit inter solutionem centum faciendam in fine decennij, & faciendam per annos, ipse sibi viderit. Tametsi de hac ambiguitate articulo proximo redibit sermo. De censibus autem incerti tẽporis, puta a d vitam: vel quousque paternã ingrediaris hæreditatem & similes, dubitari non potest quin sint liciti. Etenim cum illic dubium sit quantum sis temporis victurus, quantumve tuus parens, quãtumque subinde fructuum emptor percepturus sit, manifesta est emptionis venditionisque ratio.

Ad tertiũ. senten. Ric.

Qualiter cẽsus pecuniarij certitẽporis sint liciti

de vitalitiis censibus.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm licita sit emptio censuũ cum pacto retrouendendi.

Primum argumẽtum.

PROSTREMA demum quæ inter præcipuas est dubitatio huiusmodi contractuum, versatur in pacto retrouendendi: vtrùm sit licitum. Arguitur ergo à parte negatiua. Nullo contractu iustitia seruatur nisi sit in commune bonum vtriusque partis æquilibris: ergo si licita esset conditio qua venditori facultas fit redimendi censum deberet & eadem facultas emptori concedi, vt venditorem posset cogere ad redimendũ alias esset præ illo grauatus: hoc autem emptori non est licitum: nam si venditor ei tenetur pretium redhibere, mutuatum censeretur, ac subinde vsura esset, emptorem quidpiam vltra capitale recipere: ¶ Secundò arguitur. Si huiusmodi conuentum legitimum esset sequeretur & legitimas pariter et te adiectiones vt venditor nequeat ante certũ tempus censum redimere, eundemque non minutiùs per partes, sed simul totum. Item quòd non nisi vsque an præfixum terminum sit ei integrum redimere: quo trãsacto perpe-

perpetuus maneat. Hæc autē omnia grauamina, tum iniqua per se videtur, tum & sanctionibus contraria prædictarum Extrauagantium Martini & Calixt. ¶In contrarium autem est q̄ in nulla istarum cōmitti videtur vsura. Quare nisi alia contractus in iustitia maculetur, non est cur repellatur.

PRO decisione quæstionis huius discerni culo illo primū omniū in huiusmodi cōtractibus opus est, cuius in superioribus meminimus: nempè dupli cē esse in eis diiudicandam prauitatem: scilicet vsuræ & iniustitiæ. Nam, vt supra dictum est, vbi res vendi tur, quæ nullo per se pretio est digna, vsura est: vbi verò res vendibilis iniquo venditur pretio, citra vsuram committitur iniustitia. ¶Hoc præhabito fundamento, quatuor cō clusionibus ad quæstionem respondetur. Prima est. Nequâquam fas est censum emere cum pacto retroemendi. Puta obligando venditorem vt eundem redimat eodem pretio, vel minori, nisi fructibus in sortem computatis nihilo plus emptor recipiat, quàm tribuit. Imò omnis talis cōtractus est manifestè vsurarius. Hæc est conditio Extrauagantium Martini & Calixti: quæ quanquā illic non haberet, est per seipsam manifesta. Enimuerò vbicūq; traditur vel pecunia vel res quælibet vsu cōsumptibilis cū pacto eādem rursus vel eius valorem recipiēdi: & aliquid vltra sortem, illic vsura, vel patet, vel latet. Dū ergo mille ducatis cēsum emis qui tibi quotānis quinquaginta reddit, vēditorē cogēs vt iterum ex te redimat, tutum reddis capitale tuum: quod idcircò re vera mutuas & vltra sortem recipis rei fructus. Hæc ergo est radix vsuræ in huiusmodi contractibus. Dixerim cum pacto recipiendi vltra sortē: quoniam nil te vetat rem emere sic cum vēditore cōueniens, vt si tibi infra certum terminum displicuerit, rescindatur contractus dūmodò perceptos fructus in sortē annumeres. Eandē conclusionē lex etiā regni sanxit. ¶Secunda conclusio. Licitum est censum emere cum pacto retrouendendi: neq; vlla illic subest vsuræ labes: nempe dum emptor eam obligatur reuendere, si venditori libuerit rem suam redimere: ita vt optio nō in emptore, sed in venditore sita sit. Quare nisi aliūde iniustitia adsit, nihil erit iniquitatis in tali contractu. Hæc etiam est cōditio earundem Extrauagantium Martini & Calixti: quam & ratio ipsa naturalis patefacit. Quo circâ per hoc pactum distinguntur census redimibiles & irredimibiles. Quo fit vt omnes perpetui sint irredimibiles: non tamē contra. Nam etiam si non sint redimibiles, possunt vendi duntaxat in tempus, vt suprà dictum est. Probatur conclusio. Si aliqua hic subesset vsurę ratio, maximè quia huc irreperat ratio, mutui: at verò cū emptor ius sibi non reseruet cogēdi venditorem vt pretium restituat, nullum est mutuum, sed vera emptio. Quòd autem talis emptio expers esse quoq; possit alius iniustitiæ, patet: quoniam talis iniustitia vel committeretur propter venditoris grauamen: & hoc non, cùm ex re sua sit illa libertatis conditio: vel ob emptoris ligamen, & hoc minimè: quoniā op⁹ illud, pretij attenuatione releuatur. Valent, verbi gratia, decem perpetui floreni ducatis ducentis: ob illud autem vinculum iteratò vendendi minuitur p retium, vt emātur non pluris, quàm centum quadraginta florenis. Qua ppter cùm obligatio illa qua emptor reuendere cogitur æstimetur toto residuo, nulla resistat iniquitas. ¶Secundò id probatur. Potest in contractu emptionis grauamen aliud quodcunq; emptor vltrò suscipere si fiat pretij remissio. Videlicet vt in emptis ædibus non aperiat fenestras, vt certis personis non vendat, & similia: potest ergo & hoc reuendendi iugū suapte sponte subire. Conclusio est quæ lege etiā ciuili iusta censetur, vt patet. l. si fundum. C. de pact. inter empto. & vend. atqui. c. ad nostram. de emp. insinuat quoq; iusta si pretiū sit iustū. Nam propterea illic similis contractus vsurarius cēsetur, q̄ qui redimibilē cēsum emerat adeò exoluerat vile pretiū vt potiùs censeretur mutuum. Quòd si quis argumentū obiiciat ex Leuit. 25. vbi iubebatur vt si rem venditam venditor posteà redimeret, percepti fructus reciperentur in sortem. Respondetur legem illam fuisse legalem sicuti alteram: vt anno Iubilæi res omnes venditæ ad suos remigrarent venditores. Cauerat em̄ id Deus nè via venditionis sortes terræ promissionis in paucos aggerarētur, alijs in pauperis derelictis: & ideo leges illæ cessauerunt. ¶Tertia cōclusio. Licitum etiam est, neque vsuræ saporem habet, eensus emere cum pacto retrouēdendi: constituto tempore, tam illo, ante quod non sit venditori redimendi facultas, quam illo citra quod, si nō redimatur, nulla fiat reliqua vltrà redimendi facultas: sed census maneat perpetuus. Con-

Duplex prauitas in censibus.

Prima conclusio.

Ratio cōclusionis.

Secunda cōclusio.

Probatio cōclusionis

Secunda ratio pro cōcl.

Argumē.

Responsio.

Tertia conclusio.

cluſio eſt quæ eidem citato autori eiſdē Extrauagantibus Martini & Calixti condēnata videtur. Hoc tamen eſt in eâdem hærere ſalebra: nempe ex affirmatione negatiuam inferre. Continet enim narratio propoſitionis vt quoties venditori redimere libuerit, facultas ſuppetat. At quanuis propoſitioni Pontifex annuit, non tamen ſubinde cenſuit illam eſſe neceſſariam ad cauēdam vſuram. Imò propterea propoſita illi eſt illa cōditio quod maiorem effigiem prę ferre videbatur mutui, ac ſubinde vſurę, ſi quoties vel let venditor pecuniam reddere, liber eſſet à cenſu. Nam, vt ſuprà diximus, quo minor eſt in venditore redimendi libertas, maior eſt in contractu ratiō emptionis, ac ſubinde minor vſuræ ſuſpicio: nam propterea mino rem habet vſuræ repręſentationem perpetuus cenſus, quàm temporalis. ¶Probat ergo vtraque concluſionis pars manifeſta ratione. Poteſt quis perpetuum cenſum emere vbi omnino auferetur vēditori facultas redimendi: ergo poteſt facultas illa ei concedi pro eo tempore quo inter ipſum atque emptorem conuenerit. Et confirmatur. Graua men illud quod emptor ſibi imponit iteratò vendendi quoties alteri libuerit, pecunia æſtimabile eſt: & ideo minoris emit quàm ſi emeret in perpetuum: quòd autem vendito rem aſtringat vt ante tale tempus emere nō poſsit, nihil aliud mali habet quàm quòd eidem emptori alleuiatur grauamē: atq; adeò pluris æſtimandus eſt tunc cenſus, quàm ſi integra libertas venditori relinqueretur: ergo ſi ob hanc rem pretium augeatur ad iuſtum, nulla eſt vſura. Imò licet pretium eſſet minus iuſto, non eſſet vſura, quāuis eſſet iniuſtitia quæ vſuram ſaperet: vt habetur citato capitulo, Per veſtras. Eâdem ratione poteſt etiam emi conceſſa præciſè facultate redimendi vſque ad præfinitum tempus.

Suadetur vtraque pars cōcluſionis.

Cōfirmatio.

Quarta concluſio.

¶Quarta concluſio. Licitum eſt & ab vſurę ratione ſemotum huiuſmodi cenſus redimibiles ea appoſita conditione emere vt non membratim & per partes, ſed totum ſimul redimatur. Neque obſtat quod in narratione dictarum Extrauag. proponitur, vt quoties voluerit venditor totum vel partes redimere, in ſuo ſit arbitrio. Eodem enim modo reſpondetur, quòd licèt id concedatur, tamē in cōceſsione non excluditur aliud. Imò ratio docet non fuiſſe excludendum, Nam ſi ciuſmodi pactio contractum vitiaret, eò maximè quòd faceret vt nō eſſet emptionis & venditionis: hoc tamen nō facit: nā ſi abſq; illa conditione ob id quod pretium dabatur in perpetuum ſine obligatione reſtituēdi, erat vera emptio (nā in hoc vera emptionis ratio cōſiſtit) propterea quòd illa apponatur conditio non deſinit eſſe emptio. Poſſet quidem eſſe iniuſtitia: quia minimè diffitendum eſt illam conditionē alleuiare obligationem emptoris de retrouendendo: atq; illa de cauſa dignū fieri cenſum maioris pretij: ſed tamen effigies vſuræ nulla illic prę fertur. Nam ſi cēſus poteſt emi perpetuus, cur nō erit vera emptio ſi emptor noluerit grauiùs ſe obligare quàm ad reuendendum totum? ¶Adde quòd ſi vera eſſet contraria opinio, conſequēs fieret & nullius certę partis poſſet apponi conditio, ſed ſi ego mille ducatis emi ſeptuaginta in cenſum ille poſſet ſingulos ducatos quoties vellet redimere: quod re vera grauis eſſet emptoris incōmodatio. Nam poſſet ille pecunia illa prædium emere quo aleretur, ſaluo ſemper prędio. Si autem tam minutatim pretium reciperet, id non poſſet. ¶Ad hæc, accidentarium eſt atque adeò extra rem quòd venditor non poſsit redimere ſimul totū. Si enim emi cenſum vnius tantùm ducati, quis non poterit totum ſimul redimere? Et ſi vēditor diues eſt, quanuis cenſus cumulatior ſit, poterit illum totū redimere: q; autē, vel ille pauper ſit, vel cenſus magnus, contractum non mutat. ¶Poteſt quidam, vt dicebam, iniuſtitia committi ob defectum pretij: nam ob huiuſmodi conditiones quæ in grauamen venditoris, in leuamen autem emptoris vergunt, auctior eſſe debet cenſus æſtimatio. Tametſi de hoc vſui prouinciæ abſque vi & fraude ſtandum cenſeo.

Ratio prōcluſione.

AD primum igitur argumentum reſpondetur, in primis duabus cōcluſionibus aſsignatum eſſe diſcrimen inter emptorem & venditorem. Si enim facultas in emptore maneret vt quoties ipſe vellet teneretur vēditor reddere pretiū, manifeſta illic eſſet ratio mutui, atq; adeò quicquid in cenſu venditor recepiſſet, eſſet vſurarium. Quòd autem in ſolo venditore maneat libertas redimendi, rationem non tollit emptionis: quia poteſt ipſe nunquàm redimere. ¶Ad ſecundum verò reſponſum itidem eſt, duabus reliquis concluſionibus, eædem conditiones licitæ declarantur.

Ad primū argumētū.

Ad ſecūdū

QVAE-

QVAESTIO SEXta, de Contractu societatis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm contractus societatis sit licitus.

POST contractum emptionis, & venditionis subsequitur de alio, qui vsu celebris est, contractu societatis. Arguitur nanque non esse licitum. Si licitus esset, sequeretur iure inter duos ita contrahi posse societatem, vt alter totam suam pecuniam periculo exponeret: alter verò nihil aliud quàm operas. Nam vt habetur Institut. de societas. §. de illa. quorumdam opera ita pretiosa est vt iustum sit conditione meliore in societatem admitti: consequens tamen apparet falsum: tum quòd iniquum esse videtur vt alter periculum subeat mille aut decem milium ducatorum, alter verò nullum: & nihilominus partem lucri recipiat: tum etiam quòd si contingeret nihil lucri accrescere, iniustum etiam apparet vt qui pecuniam contulit, nihil perderet, & tamen alter suas omnes amitteret operas. *Primum argumẽtum.*

¶Secundò arguitur. Si eiusmodi societas esset legitima, sequeretur lucri distributionem sic fieri debere, vt tanto maior pars illi obueniret qui pecuniam posuit quàm ei qui posuit solas operas, quanto pecunia illa maioris valoris est quàm alterius operæ. Consequens tamen falsum est. Nam si decem milia ducatorum conferãtur cum opera & diligentia vnius hominis, ferè totum lucrum daberet illi obuenire qui pecuniam posuit: cùm tamen integrum suum seruet capitale: alter verò suarum operarum dispendium fecerit. ¶In contrarium est. c. per vestras. de donation. inter virum & vxo. vbi Innocentius Tertius contractum societatis approbat. *Secundum.*

HIc primum omnium ante conclusionum assertiones notandum est, ex nomine ipso socios illos censeri qui in vnam coeunt negotiationem, vt suis quisque seu pecunijs, seu operis, seu expensis, particeps lucri fiat. Quin verò, vt suprà diximus, ex hoc contractu nomen sortis deriuatum est: vt putà quòd singuli in cõmune partes suas conferant: q̃quidem partes sortes dicuntur. Secundò adnotandum, duplex esse societatis genus. Vnum scilicet dum simul multi mercatores vnum cumulum suarum pecuniarum congerunt, communesque habent ministros. Itaque & pecuniæ: & operæ, & expensæ sunt communes. Quod quidem societatis genus illustribus mercatoribus in vsu est frequentissimum, Burgensibus scilicet, Genuensibus, Brugensibus ac Londinẽsibus, & reliquis. Et in hoc nulla existit dubitandi ratio. Quicunque enim sua pecunia negotiatur cuius periculum subit, quibus tam expensarum ratio pro rata suæ cuiusque sortis obtingit, quam etiam lucri distributio. ¶Sed alterum est genus vbi vnus pecuniam ponit, alter verò industriam & operas: vt habetur. l. societatem. ff. pro socio. vel industriam cum aliqua parte pecuniæ. Et de huiusmodi contractibus peculiariter est quæstio. Est forte vir honestus qui non habet negotiãdi peritiam, habet tamen nũmos: seu dotales, seu aliter acquisitos, quos apud mercatorem collocat, vt pro rata pars sibi lucri pendatur. De hoc ergo quæritur, sitne licitum: Quam quæstionem in duos articulos partiti sumus. Quorum prior est: Vbi qui pecuniam ponit, periculum eius subit: posterior verò, an etiam id liceat, saluo capitali aut aliqua eius parte. ¶Et quidem membrum prius vnica eademque indubia conclusione facilimè expeditur. Si qui pecuniam ponit periculum eius subit, licitus est contractus: neque vllum subolet odorem vsuræ. Conclusio est primùm iuris Pontificij capitul. citato, per vestras. deinde & iuris Cæsarei. Institut. de societ. per totum, & C. ac. ff. pro soci. quæ quidem iura ex natura rei colliguntur. Enimuerò cùm negotiatio licita sit, nihil refert an tu ipse pecunia negotieris tua, an verò alteri eam committas qui tuo nomine eius negotiũ ineat, dũmodo sub tuo dñio pecunia maneat, qui autem pecuniam suam in societatem ponit dominium eius non transfert, sed penès se retinet, si modò eius periculum subeat: ergo licitè potest lucrum recipere quod pro illa pecuniæ sorte sibi contigerit. ¶Quomodò autẽ tũc debeat lucri distributio fieri, quod *Qui dicãtur socij.* *duplex societatis genus.* *Cõclusio responsiua.* *Qualiter fieri debet di-*

Tributio lucri in cõtractu societatis, dũ vnus ponit pecuniã alter operas.

secundo argumento petebatur, sic definiendum est. Debet quidem primùm cumulus fieri omnium sortium, singulis æstimatis, vt de qualibet eonstet, quota sit pars totius cumuli. Vbi cauendum est nè quis, vt nonnullis accedit, fallatur, arbitratus totum valorem pecuniæ quam quis ponit ducendũ esse pro vna sorte. Vt si, verbi gratia, Petrus industriam & labores ponat: alter verò duo milia ducatorum: vna sors sit totus ducatorum valor. Nam tunc vix posset contingere vt industria tanti esset æstimanda quanti pecunia: cuius tamen contrarium habet textus Institutionum citatus. Nempe q̃ pretiosior est quandoq; opera quã pecunia. Et confirmatur q̃ valor ille non sit totus cẽsendus ad percipiẽdum lucrum: quoniam qui pecuniam sic ponit, non illam expendit, neque alteri tribuit: postquã est item sibi redhibenda: sed tantum exponit illam periculo. Quapropter solum æstimandum est eiusdem periculum pecuniæ. Vt si petri operæ & labores, & industria valet centum, forsan periculum duorum milium ducatorum nõ æstimatur pluris: nam si contractum cum alio faceres assecurationis, illo cẽtenario pretio assecuraret tibi illa duo milia: atq; adeò tunc lucri æqui portio vtriq; obtingit. Et iste est casus. l. si nõ fuerint. ff. pro soci. vbi habetur q̃ potest esse lucrum commune, licẽt vnus totum periculum subeat. Vt si alter nauigat, aliosve labores assumit. Quin verò possunt esse tres, quorum vnus ponat pecuniam: alter industriam: quippe cuius prudẽtia negotiatio gubernetur: alter verò operas & tunc sunt singula ęstimãda. Per hęc quorundam deceptio detegitur, qui arbitrantur posse quẽpiam in societate ponere mille eo pacto vt quintæ partis tantum periculum subeat, quintam q̃; pariter recipiat lucri nam cum alter subeat periculum aliarum quatuor partium, illa ratione meretur alias quatuor partes lucri: atque adeò pro Industria nihil reciperet. ¶Pari modo si qui industriam ponit aliquam etiam simul apposuit pecuniam, percipere ex lucro debet quantũ operæ & industria valent. & prętereà quãri periculũ auri sui pẽditur. Atque hic est casus per quẽ intelligendus est Paragraphus ille citatus, De illa. Inst. de socie. vbi sancitur posse alterũ sociorum lucri quidẽ duas partes susc ipere: dãni verò nõ nisi tertiam. Quodquidem Mutius condẽnabat, propter iniquitatẽ quæ prima fronte apparet. sed prævaluit Seruij Sulpitij sentẽtia, illud esse licitũ, Vt si verbi gratia, Petrus posuit bis centum ducatos: Paulus verò nõ nisi centũ sed tamen posuit industrias & labores valẽtes tercentum. Nempe quia negotiatio illa fortè obitur, vbi parũ periculi pecuniæ imminet, & industriæ plurimũ est necessariũ: vel vbi operæ & labores sũt magni: vt in nauigatione. Tunc enim cumulus valet sexcẽta: quorum quatuor ponit Paulus: & ideo lucri debet recipere duas tertias: Petrus verò vnã, qui posuit duo. In damno verò Paulus nõ subijt nisi periculum vnius: Petrus verò duorum. Et eodem alludit casus. l. societas. C. de soci. ¶Simili modo censendum de alijs societatibus, vt dum quis pecunia sua oues aut armenta emit, alter verò pascit & industria sua curat: ille qui oues emit periculum subit tanquam suarum rerum. valor illius periculi conferendus est cum valore industriæ & laborum alterius. Nam si facis vt pastor periculũ subeat, iam suprâ diximus esse vsurarium mutuum: cùm saluũ stet domino capitale ouiũ. Pariter si pecuniã das opifici vt tuo periculo artem suam exerceat, conferẽdum est periculum pecuniæ tuæ cum suis operis & laboribus: & illa ratione diuidendum lucrum. ¶Sed nunquid non poteris illi corium, aut lanas, aut aliam materiam vendere, vt postquam industria sue artis pecuniam confecerit, auctius tibi pretium soluat quã lana aut eoriũ venderetur præsente pecunia? Hic enim contractus in multis locis in vsu est: existimaturq; propterea licitus q̃ in rem cedit & cõmodum opificis. Respõdetur nihilominùs esse omnino illicitũ, etiam si vtile sit opifici, qui illa mutuata pecunia viuit. Nam est manifestũ mutuum: nempe vbi res venditur cariùs pecunia credtta. ¶Ad primum igitur argumentum sunt qui respondeant, vbi nihil lucri accreuit non debere qui operas posuit illas perdere: sed aliquid ei ex sorte tribuendum Nihilo minùs respondetur, quòd quemadmodùm si capitalis iactura fiat, totum amittere debet qui illud posuit: ita vice versa si saluo capitali nihil lucri accrescat, totum est illius qui illud posuit: & alterum debere suas operas perdere. Quoniam hic fuit pactionis nexus vt alter subiret capitalis periculum: alter verò operarum. ¶Ad secundũ autem palàm dictum est: videlicet quemadmodum fit distributio lucri facienda, non æstimata tota pecunia, sed eius periculo.

Dubitatio.

Responsio.

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm licitum sit pecuniam in societatem exponere, saluo capitali.

DE societate contractus vbi legitima est societas, nulla extat dubitatio. Sed dubium tamen superest vtrũ saluo capitali sit etiam permittẽdus. Arguitur enim à parte affirmatiua primò ex cap. Per vras. citato, de don. int. vir. & vxo. vbi permittitur vt maritus dotalem pecuniam apud mercatorem collocet: vt eius lucro viuat: quod fieri non potest nisi saluum sit capitale: quãdo quidem dos, vt suprà dictum est, debet salua persistere. ¶ Secũdò arguitur. Potest qui amplam pecuniam in societate ponit paciscí cũ sociis, vt nõ ipse totum eius periculũ subeat, sed ipsi partem: ergo eâdem ratione potest inter eos conuenire vt alij periculum subeãt: ipse tantùm verò pecuniam conferat.

Ad primũ argumẽtũ partis affirmatiuæ.

Argumẽ. 2.

Argumẽ. 3

¶ Tertiò potest qui pecuniam in societate collocat celebrare cum vno tertio assecurationis contractum, qui periculum in se vertat: ergo potest eundum cõtractum celebrare cum socio: cui perinde periculũ imminet, seruato ipso in tuto qui pecuniam contulit: ergo illud est licitum.

¶ In contrarium tamen est. l. citata, societatẽ. C. pro socio. vbi cùm illa societas approbetur vbi vnus pecuniam confert, alter verò operas: illa reprobari videtur, vbi vnus neque periculum pecuniarum subit neq; operarũ.

Conclusio responsiua.

QVæstio licèt controuersum sit inter doctores, perparùm tamen habet ambiguitatis: vnica ergo conclusione respondetur. Neutiquàm licitus est eiusmodi contractus vbi quis sic pecuniam ponit vt nulli se exponat periculo: sed alter teneť quicquid accidat eundem seruare indẽnem. Ratio est manifesta: quoniam hęc non est societas, sed verè mutuum. Eo enim ipso quòd alter periculum tuæ pecuniæ subit, efficitur pecuniæ dominus. Nam ille verè est dominus cui res perijt si perdatur: & ideo quicquid vltra capitale mutuator ille recipiat, fit vsuræ reus, Atque hinc fit nullam esse societatem. Nam ille verè nihil ponit, quandoquidem pecunia in virtute iam nõ est sua. In summa, qui neq; operas neq; pecuniã periculo exponit, nõ benè negotiat. Illa eñ est negotiatio vbi ꝑpria negotiãtis pecunia negotio exponit.

Ratio cõclusionis.

Ad primũ argnmẽtũ.

AD primũ igitur argumẽtum sunt qui respondeant concedentes in dicto capitulo indulgeri marito vt possit dotem saluo capitali apud mercatorem ponere, vt eius lucro matrimonij onera sustineat: sicuti suprà genero permitti mõstrauimus vt fructus pignoris extra sortem suscipiat: idemq; aiunt de bonis pupilli. Est tamen assertum hoc, vt improbabilissimum, sic pestilentissimũ: quoniam cũ recipere vsuras sit cõtra ius naturæ & diuinũ, nulla est ratione dispẽsabile, vt expresse habet cap. super eo. de vsur. neq; pro redimenda vita captiui. Neq; simile est de pignore cuius fructus iure censetur socer tribuere dum dotem nõ soluit. Capitulũ ergò illud tantũ declarat quomodò maritus possit fructibus dotis viuere: nẽpè si illam apud tutũ mercatorẽ collocet iure cõmuni societatis: puta vt capitalis periculo sit expositus.

Ad secũdũ argumentũ

¶ Ad secundum cõcedimus posse quempiã decem millia, verbi gratia, ducatorum in societatem conferre eo pacto vt nõ subeat periculum: nisi sex aut octo milium. Attamen tunc non potest ex lucro recipere nisi illam præcisè partem quæ illi pecuniæ respondet, cuius ipse periculum subit: nam reliqua censetur socijs mutuare: quippè qui suo periculo illa suscipiũt: atq; adeo pars illa lucri quæ periculo illius prouenit illorum est qui eidẽ sese submiserunt discrimini.

Ad tertiũ argumentũ Ioannes. Maioris. Accursius. Panormit.

¶ Tertium verò argumentum est, vbi maior latet difficultas, tractat illud prolixè nimis Ioannes Maioris in. 4. distinct. 15. quæst. 48. & 49. Et quidem Accursius. l. si nõ fuerint. ff. pro soci. & Panormita. cap. citato, per vestras. indubiè, idque meritò tenent nullatenùs cõtractum societatis licitum esse vbi saluum est capitale: nam re vera est merè mutuum. Neque argumentum quo in contrarium arguit Maioris, vllius est momenti. Arguit enim, ex eo quòd alter sociorum pecuniam ponat, alter verò periculum subeat, nõ satis colligi eandem pecuniam mutuatam censeri. Nam in contractu commodationis & locationis apparet infirmitas argumenti. Potest enim quis alteri commodare equum suum aut rem aliquam suæ supellectilis eo pacto vt commodatarius & conductor periculum in se sumat: & nihilo minùs non est mutuatio, cur ergo secùs in pecunia? Hoc tamen, vt dicebam, argumentum nullius est ponderis: quoniam si in talibus contractibus taxato pretio rem alteri in quemcunq; vsum tradas, profectò contractus est vendi-

tionis pretio credito: cùm ergo pecunia taxatum habeat pretium, vt puta quod ipsa eadem salua restituatur: iam alter fit dominus, & potest quicquid ei libuerit de pecunia disponere, ac si sua esset, dummodò illam restituat cum lucro: est ergò verè mutuum. ¶Quapropter neque moderatio Hostiensis. Hostien. & Ioannis Andreæ, qui illic ab eodem doctore citantur, faciũt rei satis. Aiunt enim contractum esse licitum saluo capitali ea lege, vt si per negotiationem dispereat teneatur negotiator illud restituere: non autem si casu fortuito. Et Maioris quidem prius approbat membrum, reprobat verò posterius: nam potest, inquit, taliter seruari capitale saluum, vt etiam si aduersa fortuna pereat, teneatur negotiator illud persoluere. Attamen proculdubio vtrouis modo pereat, nõ erit contractus licitus, si sit capitale ad æquale restituendum. ¶Ostendit ergo idem author dictum contractum esse licitum hac ratione, quæ iudicio suo manifesta est. Potest, vt exẽpli gratia sic loquamur, Petrus apud Paulum negotiatorem ponere mille aureos quos potest tutos facere per contractum assecurationis celebratum cum Ioanne, pretio, verbi gratia, quinquaginta ducatorum. Deinde potest cum Titio assecurare, vt aiũt, lucrum: nempè vt ipsi eidem Petro det centum pro lucro. Qua ratione habet saluum capitale, & quinquaginta in lucro. Si ergo cum diuersis personis illis modis contrahere iste potest, quidnam vetat omnes simul facere cum eodem? Do tibi mille in societate, ex quibus cape quinquaginta pro assecuratione, supponamus enim periculum perexiguum esse, & dabis mihi centum aut octuaginta pro lucro. Habet ergo hic saluum capitale, & nihilo minùs recipit aliquid vltra sortem. Caietanus. Caietan. opus. 16. respons. quæst. 11. partim contractum reprobat, partim verò approbat, Ait inquam, si illi contractus vnâ simul cum eâdem persona fiant, non esse licitos: scilicet cõtraho tecum societatem hac lege vt inter nos etiam cõueniat tam de pretio assecurationis quàm de quantitate lucri. Est enim tunc palliatum mutuum. Si autem inquit fiant successiuè: itaq; qui ponit pecuniam non obliget tunc alterum ad eosdem contractus. Sed postquàm pecunia communi lege societatis exposita est, ille negotiator socius vult facere eosdem contractus: nõ est cur condemnetur. Eiusmodi distinctio placuit eidem authori in pensionibus: nempè quòd non potest constitui pensio cum pacto redimendi: sed tamen successiuè non est inquit illicitum. ¶At verò ea porrò est exiguitas ingenij mei, vt videre aliud in his contractibus non possim quàm vsurarium mutuum: siue successiuè fiant, siue simul. Neque distinctio hæc ad rem mihi quicquã referre videtur. Enimuerò cùm simul fiunt, manifestum est mutuũ. Nam eo ipso quòd Petrus pecuniam tribuit Paulo, conuenitur que inter eos de lucro, & quòd capitale sit Petro per eundem Paulum saluum, tunc, vt nuper dicebam, potest de illa pecunia Paulus disponere ac si sua esset: puta prædia emere, dotare filiam, &c. ergo verè fit dominus pecuniæ. Vbi autem pecuniæ dominiũ tali forma transfertur, verè mutuum est, atq; adeò quicquid postea vltra sortẽ recipitur, vsurariam habet iniquitatem.

Iudicium authoris. *Reprobatio distinctio. Caietani.*

¶Ex quo potentissima fit fallaci a consequẽtiæ citati doctoris, dum à pluribus arguit ad vnum. Cùm enim ego vni trado pecunima meam & cum altero paciscor de assecuratione, neutri re vera mutuo: nam ille cui trado, non tenetur mihi restituere, atque adeò nõ transfero dominium in idipsum: alter verò qui restituere tenetur, non recipit meam pecuniam. Quando verò in eandem personam ambo concurrunt, nempè quòd idem ipse cui pecuniam trado obligatur mihi ad restitutionem, ex illis duobus oritur ratio mutui. Possum quidem conuenire cum illo de quantitate lucri: quia per hoc non transfero dominium: non tamen simul conuenire de seruando capitali.

Solutio argumenti facti.

¶Ex hoc rursus palàm colligitur, idem prorsus committivitium, quanquam successiuè idem contractus cùm eâdem persona fiat. Nam etiam si ante mensem vel quoduis aliud tempus societatem cum aliquo legitimè contraxi, numerando ei pecuniam meam meiipsius periculo, quotiescunque tamẽ cum eòdem de tuto capitali paciscor, in virtute transfero in ipsum dominium, atque adeò mutuo: Quod non contingeret si cum alio tertio eundem celebrarem assecurationis contractum.

Corollariũ.

¶Per hæc ergo quæ dicta sunt censeri de quodam contractu potest qui alibi tunc sæpissimè Romæ fieri solet. Habet Petrus officium, siue scriptor sit siue aliter palatio seruiat, contingit nummis egere, conuenit mercatorem aut quemuis alium qui illi tribuit centum aureos ducatos, pro quibus Petrus in suo

Argumẽtũ Maioris.

cẽn. caue. de contractu assecurato nis et de pensio nibꝰ

in suo officio decem annos aut duodecim consignat: ea tamen lege vt si intra semestre tempus mercator ille qui pecuniam numerauit ab hac luce demigrauerit, capitalis iacturam faciat, neq; Petrus teneatur suis hæredibus restituere. Si autem post sex menses est vita superstes, protestatur debitori nolle amplius in societate remanere, ideoq; eum admonet vt nisi extemplò soluerit, inde ratione moræ soluturũ easdem statutas vsuras. ¶Est inquam contractus quem societatem appellant: sed profectò eius iustitia non est vsque adeò liquida. Primùm enim non potest reduci ad rationem empti census: quia tunc deberet ille qui pecuniam tribuit, priuare se in perpetuum eius dominio: vt neq; alter neque eius hæredes in perpetuum tenerẽtur censum redimere: sed in suo esset arbitrio si vellent. Et tamen non ita fit. Imò vero in potestate tribuentis est capitale suum repetere: quin & re vera repetit. Et ideo eiusmodi contractus non appellant nisi societatis. Fingunt enim quòd si quis fructuosum officium habet, mille, exempli gratia illud emit: cuius fructus ascendunt vsque ad centum, mercator qui centum tribuit, init cum illo societatem: ponit scilicet decimam partem pretij vt decimam etiam fructus suscipiat. At verò hoc videtur à lege societatis distare, quòd ille non subiit capitalis periculũ eo modo quo fieri solet in societatibus: videlicet exponendo se periculo si in negotiatione capitale perdatur, sed tantàm illi periculo si mortem ante sex menses obierit. ¶Igitur, vt de hoc, si quid valet, nostram aperiamus sententiam, quantum ad illud semestre tẽpus attinet, iustus apparet contractus: nam periculum illud quod centum conferens subiit, vt si vita tunc fuerit defunctus illud amittat, æstimabile est pecunia: atque adeò sicut in ludo atque itidem in aliis furtuitis fieri consueuit, iustè videntur pro illo periculo centum aureorum recipi sex. Attamẽ quòd post lapsum sex mensium ratione moræ recipiãtur singulis annis duodecim, fraudem videtur sapere: tum quòd ab initio mora illa præuisa est, atque adeò videtur in fraudem mutui cõcessa. Tum præcipuè quòd ratione moræ non potest supra capitale recipi nisi damnum emergens: lucrum verò cessans minimè: nisi eiusmodi pecunia licitæ negotiationi fuisset exposita. Quapropter si ita res erat, contractus forsan est licitus: aliàs minimè. Quin verò vix eiusmodi cõtractus approbare auderem, nisi sub forma empti census, aut planæ societatis: videlicet vbi pecunia periculo negotiationis exponeretur.

QVAESTIO SEPTIMA, De Contractu assecurationis.

ARTIC. VNICVS.

Vtrùm assecurationis contractus sit licitus.

DOSTREMVS deniq; contractus nominatur assecuratiõis. *Primum ar*
Nam quãuis verbum non sit inter linguę peritos latinitate donatum, est tamẽ iuris cõmentatoribus vsu receptum pro eo quod est in tutorem constituere. At quòd huiusmodi contractus non sit licitus, decretũ apparet in cap. nauiga. de vsu. *Secundum.*
¶Secundò & ratio id videtur probare: nam qui pro pretio periculum in se susc ipit, verbi gratia, onustæ nauis, nihil emit aut societati committit: imò absq; aliquo negotio pecuniã lucratur: ergo pro nihilo aliquid percipit: quod vsuræ habet specimen.
¶Accedit tertiò quòd si contractus hic licitꝰ *Tertium.*
esset, occasio porrigeretur temerariis hominibus, vt etiam si nihil prorsus in bonis haberẽt, possent se assecuratores exhibere: post quàm nihil pecuniæ debent præsentem offerre: quod esset reipublicæ pernicioſum.
¶In contrarium est receptus vsus, idemq; tã Theologis quàm Iurisconsultis probatus.

FAcilè ad quæstionem affirmatiua cõclusione respondetur. Contractus assecura- *Cõclusio re-*
tionis, si lege & more fiat, licitus est. Proba- *sponsiua.*
tur hæc conclusio ex obiecto. Pro quacunq; re quæ pretio æstimabilis sit, potest quisque mercedem recipere: in tuto autẽ rem constituere, quæ periculis est exposita, pretio æstimabile: ergo quisq; potest illud pretio redimere, atque adeò qui periculum illud subiit, idem recipere pretium. Atque id ex eo potissimè quòd vterque se periculo summittit: videlicet tam dominus nauis soluendi pretium, si salua sit, quàm alter soluendi merces si pereant. *Probatio.*

¶Secun-

Secunda ratio. ¶Secundò arguitur à necessitate. Cõtractus eiusmodi est reipublicæ non infimè necessarius: ergò cùm ex obiecto nullo inficiatur vitio, bonus est. Antecedens inde patet, quòd est necessariæ negotiationis adminiculum: multi enim mercatores metuerent naues cũ tanto periculo mercibus onerare: & tamen cum pro exiguo pretio magnum auri pondus securum constituunt, audent eiusmodi mercaturam obire: quæ quidem reipublicæ necessaria est.

Tertia ratio ¶Accedit huc tertiò quòd licitum est fideiubenti pro alio, quem non est adeò tutum soluendo fore, aliquid pro illo periculo suscipere cui se exponit soluendi. Persimile autem contingit in assecuratione.

Postrema ratio. ¶Ad hæc per viam depositionis, quam vadiationem nonnulli vocãt, licet dubiis euentibus pecuniam exponere, vt illo periculo possint depositores quippiam lucrari: vt de honesto ludo diximus. Item an pluet cras vel non pluet. &c. ergo pari modo licet mille verbi gratia, ducatos periculo exponere, cũ spe lucrãdi quinquaginta aut sexaginta. ¶Sunt quidem qui stupidum illum censeant, qui spe lucrandi centum aut mille, periculum subeat nauis institoris valentis forsan viginti aut triginta milia. His autem respondemus, de pretio quidem nihil nos decertare, potest quidem esse iustum, vel iniustum. Ipsi sibi contrahentes viderint. Sed re vera nullus est stupor neque dementiæ nota, pretio currente eiusmodi pericula suscipere: quippe cùm non sint tam euidentia, quin possint assecuratores bene sperare. Et quanuis aliquando iactura fit, aliquando accrescit lucrum. Eò potissimùm quòd viri cordati aleam cum tanto periculo non iaciunt. Et vice versa vbi nullum prorsus immineret periculum, mente careret qui assecurationis contractum faceret suarum mercium. ¶Oriuntur tamen hinc dubitatiunculæ nonnullæ. Primùm omnium nõ sunt huc admittendæ vafrities & impostur̃ quę in aliis etiam contractibus vsu euenire possunt. Si enim qui nihil in bonis habet periculum se nauis suscipere ait: ea nimirum spe quòd si salua fuerit, habebit mercedem: sin verò perierit, abdet sese aut bonis cedet, iniustissimus est, postquàm re vera nulli se exponit periculo: atque adeò mercedem cõtra iustitiam poscet. Et econuersõ si dominus nauis ad alium minùs fidum portum rostrum dirigat, quàm ad illum qui fuerat in contractu expressus, alter non tenetur. Hæc enim omnia debent in contractu liquêre.

Vitia quæ in cõtractu assecurationis cõtingere possunt.

¶Sed dubium est si quis naui vult vacua enauigare: quam tamen vult assecurare, ac si esset onusta, vtrùm licitus sit etiam contractus. Dabo tibi mille vt mihi viginti millia rependas si mea nauis fuerit submersa. Apparet enim non esse contractum legitimum ex parte nauigantis: quia non habebit rantam curam seruandi nauem, quæ vacua nõ valet nisi mille, ac si onusta esset, haberet. Respondetur quòd si nauigator alterum decepit: quia forsan non sunt in portu, dicens suam nauim mercibus esse plenam tanti valoris, cùm tamen nullas habeat: profectò contractus non valeret: quia alter si rem sciret, non illum iniret: timens non fore tantæ curæ nauigatori seruare nauem. Quin verò timenda esset fraus, nè scilicet consultò submergi eam sineret, vt lucraretur viginti milia. Si autem assecurator sciens & prudens id faceret, nullam patietur iniuriam: esset enim tunc genus vadiationis seu depositionis: Si salua euaserit nauis, dabis mihi tantum: sin minùs, dabo tibi tantum. Eodem modo possent depositum facere alij ad quos nihil salus aut submersio nauis attinet: Si salua ad portum applicuerit, dabo tibi centum: sin minùs, dabis mihi mille. ¶Pari modo potest fieri assecuratio in nundinis: largire mihi tantum, & ego tibi securum reddo quòd sis tantum lucraturus. *Dubium.* *Responsio.* *Dubitatio altera.* ¶Dubium autem hoc aliud gignit: nempè vtrùm idem contractus in aliis quoque rebus quàm in mercibus sit licitus. Sunt enim nonulli quos Sylvest. verbo, Negotiatio. §. 4. citauit: qui negant posse quenquam assecurare alterius vitam. Nam esset periculum vt alter cuius interest optaret alterius mortem. At verò hîc de iustitia loquimur contractuum, atque adeò de earum natura, an sint vsurarij: vitium autem contra charitatem huiusmodi naturam nõ mutat. Quare liciti semper ex obiecto manent. Quin verò aliquando sunt reipublicæ in vsum. Petit ex me metuũ filius familiâs: qui si præmaturè priùs parente suo mortem obierit, mihi non soluet. Si autem fuerit ei superstes, in tuto sunt mei nummi. Profectò tũc meritò formidabo, mutuatum ei quidpiam concredere. Et tamen si mercatorem qui securam mihi faceret eius vitam mihi tribueret, nihil ei vererer beneficium impende-

Sylvester.

re.

re. Eâdem ratione licet assecurare quicquid incertum est euenturum: vt quòd erunt prosperi terræ prouentus, quòd nascetur prægnanti filius masculus, & similia.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum iam suprà responsum est, illic neq; condemnari contractum societatis, neque assecurationis, sed mutuationem: quæ cùm gratis fieri debeat, fit tamen cum pacto alicuius obligationis. Vt si quis pecuniam nauiganti mutuet tali pacto vt secum assecurationis contractum faciat. Præterquàm quòd, vt suprà diximus, forsan non erat tunc assecuratio necessaria: vel quanuis esset: tamen nauigator maluisset periculum ipse subire quàm pretio redimere.

Ad secũdũ argumẽtũ. ¶Ad secundũ verò iam responsum est, quod pro periculo quod ille subiit, illam potest mercedem suscipere. Atque adeò ad postremum verbum, vbi diximus quòd qui non habet vnde id soluere possit quod assecurat, neque pretium valet percipere.

QVAESTIO OCTAVA
De Cambio in genere.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ars Campsoria sit licita.



CAMBIORVM disputatio ad vsurę tractatum attinet. Est ẽ materia hæc vt cognitu maximè necessaria, ita tum per seipsa abstrusissima, tũ etiã mercatorũ nouis quotidianisq; inuentis intricatissima, ac subinde doctorum opinionibus plurimùm offuscata. Quamobrem complurium sum postulationibus improbè frequentatus, vt pus venenumq; huius pestis aperirem, quæ in dies magis ac magis in rempublicam grassatur. Curabo ergò pro ea quæ mihi suppetit ingenij facultate, id tentare. Deus nobis quod veritas habet, suggerat. ¶Igitur in ingressu de arte primùm campsoria sciscitamur, an sit licita. Arguitur enim à parte negatiua.

Primum argumentum à parte negatiua. Aristot. Ars cãpsoria, nummularia est: nempe nummorũ cõmutatrix & auctrix: hãc autẽ Arist. 1. Polit. cap. 6. & 7. veluti contra naturam sit, condemnat: vt pote quòd in nummis cõmutandis nullum insit naturale commodum: ficati in cõmutandis cibis, vestimentis, atq; aliis rebus ad vitam necessariis.

Argumẽ. 2. ¶Accidit secundò quòd finis huius artis, vt superiori libro dicebamus, est diuitiarũ cõquisitio, quæ in infinitum procedit: cùm tamen temporalia desideria modũ habere debeant: qua idcircò de causa est reipublicę pestifera, vt experientia ipsa testatur. Quare & Christus nummulariorum mensas euertit.

Argumẽ. 3 ¶Tertiò per hoc claret, vt suprà dicebamus, esse contra naturam quòd per hanc artem maximè fit vt sterilis pecunia fructuosior sit quã terra ipsa: & inde cãpsores odium cõtra hũt apud homines. Atq; inde pręterea, quòd ferè homines sunt sedentarij: nẽpè qui otiosi viuũt, & tamẽ plus lucri corradũt quàm alij actuosi labore manuum suarum insudãtes. Eò præcipuè quòd pecuniã suam nulli subijciunt periculo: sicuti in aliis fit negotiationibus. ¶In contrariũ tamen facit quod quodã modò hæc ars vsui est reipublicæ ad cãbiendas traducendasq; monetas.

Quid Cambium. PRimùm omnium nomen cambium latinum est. Nam cãbire idem est quod rem vnã pro alia cõmutare. Sed est cum Aristo. loco citato, vt superiori libro partim adnotauimus, nũc emũctiùs recolendũ, tres permutationum formas tẽporum curriculo ordine succreuisse. Cœperunt enim hoĩes res ipsas primùm cãbire: puta vineã pro domo, vinũ pro frumento, vestem pro calceo. &c. Quæ quidem cãbitio synceritati naturæ est à suis primordiis natiua. Sed tamẽ propterea minimè sufficiẽs quòd neq; res possunt aut in diuersa loca omes asportari vt cãbiantur, neq; in lõga seruari tempora. Et ideo successit secundũ cãbium: nempè nummus inuẽtus est qui rerũ esset pretiũ, cumq; rebus ipsis cãbiretur. Atq; modus hic cãbiendi proximè ad primũ accedit, illiq; omnino deseruit. Quare hoc porrò ad vitę sufficientiam satis erat. At verò inuẽto nummo humana sagacitas per auaritiam excitata, tertiam cambiorũ progeniem peperit: vt videlicet nummũ pro nummo commutaret. Quæ quidem cõmutatio inde primùm ortũ traxit, quòd auream pretiosioremq; monetam necesse erat cum minutioribus cãbire. Deinde verò quia in vna regione aurum numerosiori argẽto æstimabatur qua in alia: & negotiatores idem aurum pluris illic vendebãt quàm in alia emerent, Atq; inde posteà industria humana artificiosius eandem artem locupletauit. Hac

Triplex permutationũ forma.

ergo

ergo ratione nomen generale cambij quod è rerum commutatione originem duxerat, tandem crebrescēte vsu ad pecuniarum cōmutationem, quæ minùs est naturalis, accōmodatum est. Quare cambium nō est idem quod ars ipsa nummularia seu pecuniaria. Nam ars industriam negotiandi significat: cambium verò ipsam eius cōmutandi actionem. Sunt autem qui intelligere aliter non valentes cambij nomē quàm si inter res fiat diuersas, aiunt propriè cambium non posse intelligi nisi inter monetas aut diuersi metalli aut diuersi signi. Hac autem conditione ratio cambij nullatenus eget: imò in cambio ratione loci, vt infrà patebit, idem propriè nummi pro diuersitate loci cambiuntur. ¶His ergo præhabitis ad quęstionem forsan alicui videbitur propter rationes factas negatiuè simpliciter respondendum: sci licet huiusmodi artem non esse licitam: pleriq; tamen contrà respondent, non solùm li
Conclusio responsiua. citam esse, verùm & vtilem. Crediderim tamen tali esse conclusione respondendū. Ars campsoria quam nummulariam Aristo. appellat, si per se nudè secundùm sonum vocis existimetur, in malum sonat: non tamen sic habet penitùs intrinsecam malitiam, quin bono fine & circunstantijs fieri possit licita. Quatuor enim actionū genera libro tertio distinximus. Alia enim est genere suo bona, vt virtutis opus: alia indifferens, vt ambulare: alia verò sic intrinsecè mala vt neutiquàm fieri queat licitè, vt mentiri. Quarta verò est quæ per se nudè considerata in malū sonat: attamen non repugnat quo minùs fine aliquo & circunstantia fieri possit licitè: vt plura simul retinere sacerdotia. Atq; hui⁹ generis, si rem conijcio, est ars campsoria. Nomē enim nummularie artis, vt Arist. loco citato docet, duo significatione sua præ se fert absurda. Primum ratione materiæ, quòd præter pecuniæ primæuum vsum, qui est vt rerum sit pretium, cambitur vna pro alia. Secundò ratione finis: quia scilicet eiusmodi commutatio non ad prouidentiam proximè necessariorum vitæ: sed propter lucrum fit, quod infinitam gignit appetendi sitim. Atq; adeò sic nudè considerata, malesonat. Accedunt & eidem arti eadem etiam incommodorum periculorumq; genera, ac subinde fraudes atq; alia mala quæ superiori libr. quæst. 2. negotiationi ostendimus annecti: imò verò hæc pluribus est delinquendi occasionibus expositа. Nam reliquæ negotiationum species quę in emptione & venditione versatur, plus habent naturalis commercij: cùm res illic cambiantur ad vitam necessariæ, plusq; exigunt industriæ, diligentiæ, ac laborum: pluribusq; periculis capitale summittur: quibus quibem rationibus honestantur. In hac verò arte nullum illorū inest. Præterea maius habet illectamentum ad expiscandum aliena bona: porrò cùm prodigi homines qui suis volunt voluptatibus inseruire: paratam à campsoribus habent viā breui suas substantias decoquendi. At quoniam huius artis vitia in libri decursu tractā da sunt, de his modò satis. ¶At verò secunda *Probatio cōclusionis.* cōclusionis pars nihilo minùs sic probatur. Hæc eadem ipsa ars aliqua reipublicæ afferre potest emolumenta: ergo si illis vitijs expurgetur, in finemq; referatur honestum, licita erit, atq; adeò vtilis. Antecedens inde patet quòd necessarium quandoq; est ciuibus pretiosiorem monetam cum vilioribus cōmutare: vt in subsequentibus compertum fiet. Quòd autem ab illis maculis quibus sordet elui possit, liquet: nam potest campsor non absque modo, at honestum optare lucrum. ¶Sed neq; numismatum cōmutatio quæ earum institutioni aduersari videtur, est omnino eius naturæ contraria. Nam sicuti in alijs rebus Aristot. eod. 6. cap. 1. Poli- *Aristo.* tico. duplicem dignouit vsum: sic & in pecunia licet. Est enim calcei, vestisq; ac reliquorum vtensilium, duplex vsus: vnus primæuus cuius gratia inuentus est. Quemadmodùm calcei vsus est calceatio, & indumenti, indutio, atq; equi equitatio. &c. Alter verò emptio & venditio. Horum autē licèt prior sit proprius, posterior tamen non est repugnans. Ordinatur enim venditio calcei ad priorem vsum. Pari ergo modo etsi nummorum proprius vsus & finis sit rerum æstimatio, ac pro illis commutatio, nihilo minùs eorum inuicem cambium non est omnino absurdum, si eatenùs permittatur quatenus est reipublicæ necessarium. In summa, si quod in huiusmodi cambio subesset periculum mutui, id maximè ex parte campsoris: nam ab altero qui pecuniam in alterum locum traijcere optat, id non timetur: plurimùm tamen, imò semper campsor priùs recipit pecuniam quàm reddat: vbi omnis abstergitur effigies mutui. ¶Et per hæc, respōsio clarescit argumenti in capite quæstionis obiecti.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm plures sint cambiorum species.

Primum argumentum

DE cambio in cõmuni, qui titulus est præsentis quæstionis, secundò explorare restat cambiorum species. Arguitur enim nõ esse plures. Nam cambium nihil aliud sonat quàm rerũ permutatio: propterea autem quòd materia, hoc est, res quę cõmutatur diuersæ sint speciei, actiones ipsæ non variãt species. Eadem enim artis species est, vestem vel ex serico vel ex panno facere.

Argumẽ. 2. ¶Secundò. Neque propterea rursùs variantur quòd cãbium fiat ratione loci vel ratione temporis, vel ratione monetæ: quãdoquidem in his omnib⁹ eadem cãbitur moneta. ¶In contrariũ autem est receptissimus, non modò vulgarium, verùm & sçholariũ vsus, discernentium diuersas cambiorum species.

Prima conclusio.

AD quæstionem quinq; conclusionibus respõdetur. Prima: Si res ipsæ quatenus res sunt existimentur, cambium non est genus plurium specierum. Conclusionem hãc profectò argumentum modò factum satis ostendebat. Eadem enim est actio cambire vinum pro oleo: & aurum pro domo: & argentum pro auro, aut pro alio metallo: siue signata sint numismata, siue rudis metalli massa. Actiones enim nõ ex materia, sed ex obiecto speciem mutãt. Eadem enim est statuaria ars siue in ligno sculptio fiat, siue in lapide. Atq; in moribus eadem est species furti auri & vestium. Quare, vt diximus, furtum species specialissima est: differens à rapina sola ratione inuoluntarij, quæ est in obiecto: quia vnum fit per fraudẽ, & aliud per vim. Imò verò neq; quantũ ad rationem iustitiæ aut iniustitiæ, mutatur species. Nam vt in tribus cambiorum generibus superioris articuli exemplum ponamus, eadem est ratio iustitiæ & iniustitiæ, cambire vinum pro oleo, & pecuniam pro frumento, atq; aureum nummum pro argenteo. Nam æqualitas in his omnibus seruata eandem habet rationem cõmutatiuæ iustitię: inæqualitas vero, eandem rationem iniustitiæ. Quapropter physicẽ loquendo non sunt diuersa cambiorum genera, neq; diuersæ species: sed dicuntur latinè diuersa genera propter diuersas materias: & præterea propter diuersam accõmodationem ad ciuilem vsum. ¶Secunda conclusio. Si moneta, non vt naturalis res, sed quatenus numisma est, atq; adeò legale rerum pretium existimetur, commutatio rerũ pro pecunia, cõtractus est specie ciuiliter differens à cãbio primi aut tertij generis. Cuius vtiq; rationẽ superiori libro assignauimus, Nam commutatio hæc peculiariter est contractus emptionis & venditionis: vt habetur l. 2. de contrahen. empti. eò quòd illic distinguitur pretium à re: cùm in cambijs cæterorum generum inuicem res vna sit alterius pretij. ¶Tertia conclusio. Cambium tertij generis quæ actio est nũmulariæ artis, species est etiam ciuiliter, atq; in genere morũ distincta à cambio primi generis: nam illic nõ est nisi simplex rerum cõmutatio æqualis valoris ad vitæ prouidentiam & sufficientiam naturaliter instituta: hic autem non res naturales, sed legales nummi, idq; non ad victum neq; vestitum, sed ad lucrum. Quare nescio an propria species sit negotiationis: quoniam negotiatio est rem emere vt reuendas: quod non sonat in malum: hic autem, vt diximus, non est propria emptio vbi pretium à re distinguatur: dicitur nihilo minùs negotiatio, quia est nummorum permutatio gratia meri lucri. ¶Ex his fit cambium, de quo præsens initur tractatus, à reliquis cõtractibus ratione distare. Iam enim monstratum est non esse emptionem. Neq; verò est locatio aut commodatio, cùm hic dominiũ transferatur, quod non fit in illis. Sed neque est mutatio: quia non transfertur dominiũ simpliciter, hoc est vt sors simplex restituatur: sed cum lucro, & fœnore, aut pretio. ¶Quarta conclusio. Cambiorum de quibus loquimur complures nominantur species: quæ quidem siue re vera sint species, vt philosophi, seu naturales, seu morales de speciebus loquuntur: siue vulgari negotiatorum forensiumq; vsu: perparui ad præsens negotium refert. ¶Igitur quoniã in genere moris prima consideratio in id fertur, quod est æquum aut iniquum, primain præsentiarũ cambiorũ diuisio est in reale & siccũ. Vix enim reperias horũ nominũ rationes apud autores explicatas. Et tamẽ reale, quòd à re dicitur, idem est quod cambium in re: hoc est legitima cõmutandi ratione factum: seu ratione diuersarum monetarum, seu ratione loci, seu aliud sit quodcunq; legitimũ: veluti in processu patebit. Siccum autem idem est quod cambium quod in re non est cambium

Secunda cõclusio.

Ratio cõclusionis.

Tertia conclusio.

Differentia cambij à cæteris contractibus.

Quarta conclusio.

Prima diuisio cambii.

Cambium reale.

Cambium siccum.

bium, sed fictum & vsuræ palliatum: quod ideo è regione reali apponitur, Et dicitur siccum, idest sterile, & humore carens ad fructificandum. Non quòd campsori non inde lucri fiat accessio: sed quòd: vt superiori libro diximus: contra rerum naturam pecunia pariat. Dicitur etiam siccum: quia merum est ac nudum fœnebreque mutuum: quod nihil habet legitimi cõtractus. ¶ Quapropter hæc duo cambiorum genera, licèt in eadem versentur naturali materia, puta in pecunia: tamen in genere morum contraria prorsus diametralique linea specie differunt: sicuti iustum & iniustum. Sub vtroq; ergo istorum membrorum multę subsecantur species: siue modos dixeris cambiorum.

Quinta conclusio.

¶ Sit ergo quinta cõclusio. Omnes cambiorum formæ & modi, vt tam illicita quàm licita comprehendamus, ad tria capita commodè reducuntur: quorum aliqua manifestam habent iniustitiã, alia verò manifestã iustitiam. Sed alia sunt quæ in dubium reuocari possunt. Cambiũ enim monetæ non nisi propter aliquam diuersitatem fit, videlicet aut ipsorum nummorum, aut locorum aut temporum. Non enim alia varietas inuenitur quàm in substantia, vel in loco, vel in tempore. At verò quoniam monetæ diuersitas bifariàm causa esse potest cambij: scilicet aut quia ad vsum humanum pretiosiores cum vilioribus cambiuntur, vel quia re vera vna venditur pro alia ratione auctioris æstimationis ob loci aut temporis diuersitatem, ad quatuor capita reducamus cambiorum genera. Iam enim deinceps nihil philosophicè disputabimus, siue genera sint, siue species, siue modi: sed more latino promiscue his nominibus vtemur.

Cambium minutum.

¶ Primum ergo cambiorum genus est quod minutum vocant: hoc est dum aurea moneta pro argentea vel ærea commutatur: vel è diuerso. Inde enim nomen sumpsit, quòd munitiores nũmi pro pretiosiorib⁹, aut è diuerso, commutantur.

Cambium per literas.

Secundum genus est ratione loci: vt dum qui alibi pecunia indiget quam hic habet, hic numerat vt sibi alibi consignetur. Et hoc solet appellari cambium per literas, ad differentiam superioris quod potest dici manuale. Illud nanque præsenti vtrinque pecunia fit manu numerata. In hoc autem qui pecuniam recipit literas tradit, quarum fide alibi solutio fiat. Atque hæc duo genera si nihil doli admisceatur, realia sunt, ac subindè planè iusta. Tertium genus est ratione temporis: vt si quis pecuniam nunc recipiat quam certa die ratione expectati tẽporis cum fœnore restituat. Et hoc est cambium manifestè siccum, ac proinde iniquũ: de quo libr. præcedenti abundè dictum est. Istæ ergo duæ radices disputationem cambiorum ineuntibus ob oculos primùm omnium præfigendæ sunt, ad discernẽdum inter iustitiam & iniustitiam cambiorũ. Vbi enim ratione præcisè loci cambium fit, hoc est ea duntaxat ratione vt pecunia transmittatur, cambium reale est & legitimum. Vbi autem aliqua se ingesserit ratio expectati tẽporis, siccum est & vsurarium. Solet etiam distingui cambium purum ab impuro: purumque nonnulli appellant cambium minutum, cui nullum aliud admiscetur. Cambium verò impurum vbi aliud commiscetur, vel ratione loci, vel ratione temporis: ac subinde fatentur cambium esse posse impurum, sed nihilominùs legitimum. At verò quoniam impurum in malum sonat, significantiùs dicetur purum omne cambiũ reale siue minutum, siue ratione loci: impurum autem cui aliquid iniustitię permiscetur. vel ratione temporis, vel quauis alia iniqua.

Pulchrũ documentũ ad discernẽdã iustitiã aut iniustitiam cambiorum.

Cambium purum.

Cambium impurum.

Quartum verò cambij genus est ratiõe monetæ: non inquam quod minutatim cambiantur, sed quia re vera pecunia vnius loci pro pecunia alterius cambitur diuersis vtriusque loci æstimatis pretijs. Et in his genus cambijs potissimum versatur cambiorum disputatio: quippe quæ, cùm in vsu potissimùm mercatorib⁹ sint & cãpsoribus, quàm plurimos parturiunt scopulos, humanas cõscientias cruentantes: atque adeò tum confessarios perplexos tenent, tum etiam Doctores & obscuros reddunt & varios, vt videre est apud Caietañ. in singulari cambiorũ opusculo, & apud Sylvest. verbo, vsura. 4. & apud alios multos. Vtinam non idem nobis inuratur character! D. enim Thom. de hac re nihil ex professo scripsit. Nam tractatus ille vsuræ, vt suprà diximus opusculo. 73. nullum præ se fert specimen sancti Thomæ ac multò minùs cap. 13. vbi de cambijs breuis fit sermo. Ad argumentum ergo principale in fronte quæstionis positum, prima conclusio respondit.

Caietanus. Syluester

QVAE-

QVAESTIO NONA,

De cambio minuto.

ARTIC. VNICVS.

Vtrum minutum cambium sit licitum.



QVANVIS minutum cambium obiter assertum sit licitũ restat nihilo minùs, vt à clarioribus & certioribus auspicemur, id suis rationibus patefacere. Arguit em̃ non esse licitum. Numismata ad hoc publico signo cuduntur, vt sint iustum legitimumque rerum pretium: illud autem pretium quod legitimum, hoc est, lege positũ est, vt superiori libro monstrauimus, in indiuisibili consistit. Si ergo, exempli gratia, ducatus vndecim regalibus lege æstimatur, non potest cum maiori argento cõmutari.

Primum argumẽtum.

Argum. 2. ¶Secundò si id liceret, sequeretur cuique priuatæ personæ licitum esse, atque adeò in emptionibus & venditionibus cuicunque ementi liceret: eò quòd pretiũ in aurea moneta soluit, viliùs emere. Et vice versa, si venditor dum recepto auro refundit quod supereſt pretij, minutiori, atq; ad vsum magis accommodata moneta, posset perinde atq; cãpsor aliquid pretij recipere: cõsequẽs autẽ concessum viam panderet ad euertendam pecuniarum æstimationem. ¶In contrariũ autem est receptus vsus, qui neutro foro aut exteriori scilicet aut interiori condemnatur.

Fundamentum: AD intelligentiam non modò quæstionis præsentis, verùm & omnium subsequentium animaduertendum est, pecuniã cùm in metallo cudatur duplici ratione in pretio haberi: scilicet & tanquàm res & tanquàm signatum numisma. Propterea enim quòd sigillum publicum impressum habet valor metalli non mutatur. Sed & illud velut signum alijs mensuris ac ponderibus publica authoritate insculptum, quod sit testimonium valoris monetæ. Quo fit vt si aliqua prouincia plus auro abundat quàm argento, aurum illic minore argento æstimatur, quàm in alia quæ ditior esset argenti q̃ auri. Et idem est de cupro & ære. Tanta em̃ posset esse raritas auri & argenti, tantaq́ copia aliorum metallorum: vt illorum æstimatione multò pluris penderetur aurum & argentum, quàm in alia regione quę copia auri afflueret aut argenti. Atqui eadẽ hæc ratio in cudendo nummo habetur: æstimatur enim apud nos ducatus vndecim regalibus argenteis: propterea quòd secundùm copiam quæ apud nos est vtriusque metalli, illa est legitima æstimatio. Et in Italia æstimatur duodecim Carlinis, atque alibi maioris aut minoris. Quo fit vt licèt moneta nõ esset signata, idem pondus haberetur pro pretio rerum. Imò vt Aristote. loco citato ait, priusquàm signaretur, pondere æstimabatur: sed respublica illo signo testatur metalli valorem. ¶Duobus ergo modis licet cambire vnam monetam pro alia. Vno scilicet si consideretur sub ratione metalli: atq; altero sub ratione monetæ. Quapropter tribus conclusionibus ad quæstionem respondetur. Prima est. Cambire diuersas monetas secundùm metalli naturam, etiam si parum aliquid supra valorem signati numismatis recipiatur: nullum habet specimen mali. Vt si qui auro indiget vel ad deaurandum, vel ad medicamen aliquod conficiendum, vel ad ornamentum, vel ad alios vsus ad quos natiuum habet iuuamentum, potest quis ei ducatum optimi auri vltra valorem quo ceu numisma æstimatur vendere: dummodò augmentum illud non sit nisi exiguum. Conclusio est Syluestri, verbo, vsura. 4. §, 3. & Caietañ. in suo opusculo & apparet manifesta: quia sicut tunc posset ille rude aurum egẽti vendere, sic & illud quod est signatum. ¶Haud tamen desunt qui nõ ita gratis conclusionem fateantur: quorum est Ioannes Metinensis qui in suo cambiorum tractatu eam non recipit. Cuius argumentum est, quod Rex dum monetam cudit æstimat auri valorem quo ad omnes eius vsus: veluti dũ sua Pragmatica pretiũ taxat frumento: ergo sicut post talem legem non licet neq; obolo pluris frumentum vendere ita neq; signatum aurum. Respondetur tamen non taxari monetam nisi sub ratione pretij: quãuis etiã habeatur ratio valoris metalli: & ideo nihil obstat quo minus aliquãtulo pretio cãbiũ fiat auri cũ argento, propter metalli commoditates. Imò esse potest tam pulchra moneta: vt ceu gẽma æstimet. Quare non est simile de frumẽto qđ nõ habet aliam naturam aut vsum quã frumenti,

Aristo.

Duplex cõsideratio numismatis.

Prima conclusio.

Syluester. Caietanus.

Argumẽtũ Metinensis.

Solutio.

Secunda cõclusio. ¶Secunda conclusio. Licitum perinde est numismata qua ratione numismata sunt cambire, nonnullo ab alterutra parte concesso alteri pretio. Hoc patet in cambio minuto, quod suprà manuense nuncupabam⁹ nimirum dum nummularius aut aurũ dat pro minuto argento, aut vice versa. Hoc inde probatur, quòd hoc genus cãbij legi nullatenùs aduersatur de numismatum æstimatione: æstimatio enim illa non est nisi quatenùs sunt rerum pretia: minutum autem cãbium ob id permittitur quòd illic nulla est emptio aut venditio, sed commutatio ad vsum humanũ vtilis. Est enim fortè pauper qui minutim pecunias expendit, pro quib⁹ ideo aurum exhibet vt sibi ad sumptus familiares vsui sint: & fortè est diues qui argẽto ad fabre facienda vasa opùs habet. Et vice versa, est alius cui transportare expedit grãdem pecuniã: vel cuius fert animus thesaurũ recondere: qui ideo nè tanto sit sibi oneri magnum pondus vel argenti vel æris, cũ exiguo auri cõmutat: cùm ergò ad istos vsus seruitium sit & obsequiũ reipublicæ, varias habere paratas monetas quæ sine sumptu & labore congeri nequeunt, seruariq́ue & exhiberi, potest persona publica qui huic muneri suas impendit operas, iustum percipere pretium. Quin verò non solũ ob istos vsus, sed habes forsan monetas vetustate exesas quæ vix signum representant, neque facilè à mercatoribus recipiuntur: quare vt illas cum alijs integris commutes, ęquum est vt auctarium pretium soluas. Debet autem pretium tum tenue esse tum etiam vsu receptum, vt via fraudibus occludatur. ¶Caietañ. autem in illo suo tractatu hanc facultatem solis campsoribus concedit, propterea quòd publici sunt reipublicæ ministri: quare ait inter priuatas personas non esse licitum. Non autem video cur non etiam priuatim liceat. Nam si genere suo cambitio illa æstimabilis est pecunia, cur nõ licebit cuicunque? Quòd si non esset pretio æstimabilis, profecto nec liceret campsoribus: nam vt infrà apertiùs monstrandum est, antequàm sumptus & labores sint digni pretio, pensanda res est ex obiecto, licitâne sit an non Hoc tamen est verum, quòd si ego debeo duodecim regalia non possum propterea quòd aurum soluam vno ducato satisfacere: & idem est in pretijs. Tametsi qui liberè sine vi & fraude rem suam vendit, nihil obstat quo minùs sua sponte minoris vendat aureo pretio quàm argenteo vel æneo. Et tunc alter iustè potest oblato puro & optimo auro minoris emere. Hactenus de hoc genus cambio secundùm legem naturę.

Probatio cõclusionis.

Caietanus.

¶Tertia conclusio. Potest respublica & princeps eiusmodi minuta cambia inter personas priuatas interdicere. Quod consultissimè lege cautum iam dudum est in Hispania: tum ad obuiandum iniustitiæ, quæ ex pretij cremento statim obrẽpit: tum præsertim ad inhibendum nè aurea moneta in extera regna transportetur: quod re vera absq; graui reipublicæ detrimento non fit. Quapropter eiusmodi lex si recipiatur, obligat in conscientia sub reatu peccati mortalis: & qui monetam auream cambiret pro alia super legalem æstimationem signati auri, fieret restitutioni obnoxius.

Tertia conclusio.

¶Ad primum igitur argumentum iam responsum est quòd quanuis in cambio minuto nummi tanquàm moneta cambiantur, non tamen vt rerum pretia, sed ad alios vsus qui ad emptiones ipsas & ad venditiones ordinantur.

Ad primũ argumẽtũ.

¶Ad secundum pariter responsum est, hoc genus cambij priuatis etiam personis esse licitum, dum modò in emptionibus & venditionibus fraudibus nou aperiatur aditus. Nec verò sit ciuili lege interdictum.

Secundũ argumentum

QVAESTIO DECIMA,
De cambio ratione loci & ratione temporis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm cambium ratione loci sit licitum.

Primum argumentum

ASSERTVM quidem iam est cambium ratione loci nihil præ se ferre iniustitiæ: sed tamẽ vt id prefsiùs examinetur, arguitur de more à parte negatiua. In omni cõmutatione requiritur æqualitas iustitiæ: monetæ autem suum habent aut natiuũ aut signa-

signatum valorem: ergo vbicunque existat debent ad æqualitatem commutari: atque adeo ratione loci nõ potest pretium recipi.

Argumẽ. 2 ¶Secundò arguitur. In eiusmodi cambijs ratio latet mutui: recipit nanque vnus dominium pecuniæ in vno loco vt eandem re stituat in alio: sicuti recipitur in vno tempore vt restituatur in altero: ratione autem temporis nihil licet recipere, ergo neque ratione loci. ¶In contrarium autem est quòd hoc cambium seruit traducendis pecunijs ab vno in alterum locum, quod reipublicæ vsui est.

Duplex sensus quæstionis. TItulus quæstionis huius duos sensus auribus exhibet. Vnus est, vtrùm cùm eadem moneta in diuersis locis inæquali valore æstimatur, liceat illam hîc numerare vt eadem vbi plus valet restituatur: qui quidem sensus subsequenti disputationi reseruatur: nam in hoc intelligendo tota cambiorum machina posita est. Alter autem sensus est simplicior, vtrùm ratione transportationis transmissionisve monetæ ab vno in alterũ locum æquum sit pretium recipere: quod su prâ diximus appellari cambium per literas ad quem vnica affirmatione respondemus.

Cõclusio responsiua. ¶Licitum inquam est ratione huiusmodi transmissionis pretium recipere. Conclusio

Probatio cõclusionis. est plana: quoniam sicuti merces aliaque rum genera expedit sæpe ad diuersa loca transuehere, sic etiam expedit pecuniã traducere: tum ad alia transigenda negotia, tũ præcipuè ad coẽmendas merces quę ab vna in alteram prouinciam necessarium est asportari. Cùm ergo munus hoc necessarium sit pecuniaque æstimabile, cuique licet mercedem idem percipere. Secundò arguitur.

Secunda ratio. Si quidpiam iniquitatis res hęc haberet, maximè quia effigiem habet mutui, at re vera non est mutuum: quia qui hîc pecuniam confert vt alibi recipiat, non simpliciter transfert dominiũ vt alio tempore restituatur: sed vt alio loco. Itaque temporis expectatio accidentaria est huic contractui: nempè quia non possunt innotescere literæ in alio loco vt pecuniæ exhibeantur nisi in tẽpore. Tempus inquam quod genus hoc cambij non vitiat, atque adeò accidentariũ existimatur, est illud quod necessarium est ad transmittenda chirographa. Nam si longius interueniat, illud iam in purum redit cambium: hoc est cum tẽporis expectatione cõmistum, ac subinde vsuram redolens Quapropter ad explanandam huiusmodi cambij legitimam rationem statui assolet tẽpus solutionis, protinus visis perlectisq; literis. Id quod in subsequentibus fusiùs elucebit. Et probatur tertiò eadem conclu *Tertia ratio* sio. Posset agaso & nauta vt transportaret pecuniam perinde pretium recipere: atque ob aliarum rerum vecturam, qui autem hîc dat vt alibi recipiat, idem efficit: transfert enim pecuniam aliunde huc. Sicuti qui hîc recipit vt alibi reddat, transfert eam hinc illuc: ergo id potest pretio æstimari. Accedit quod pecuniarum traductio maximè ab vno regno in alterum multis subijcitur periculis, tam bellorum quàm latronũ atq; etiam submersionis si mari & ventis committatur. Imò ob id quoque quòd sæpissimè inhibitum est numeratam pecuniam à regno extrahi: quibus vtique de causis expedientissimum est, vt campsores existant qui in diuersis prouincijs pecuniam habeãt aut fide polleant, & quod aiunt, credito: vt scilicet absque auri & æris transportatione pecuniam per literas transmittant. Quòd si id necessarium est, iustè subinde huic negotio stipendium constituitur: siue campsor hic tibi pecuniam numeret quàm tu illi redditurus es Romæ vel Brugis: siue tu illi id numeres vt tibi aut Brugis reddat aut Romæ. Nam priori modo transfert tibi pecuniam tuam aliunde huc: posteriori verò hinc aliò. Vnde fit notum id quod suprà diximus, non esse de intrinseca natura cambij in diuersis fieri monetis. Nam hoc in eisdem fieri potest. ¶At licèt conclusio certissimè *Dubitr tio.* veritatis appareat, dubitas fortè vtrùm si ei qui Metinæ, quod exempli gratia dicamus pecuniam alteri numerat, vt Romæ aut Brugis recipiat, expedit illuc suas asportare pecunias. Itaque pretium ipsi transmissori penderet, liceat pro eodem cambio pretiũ recipere, Apparet enim neutiquam licêre: quia non modò nullum suscipit laborem neque periculum: verùm & rei suæ sibiq; consulit. *Responsio.* Respondetur nihilo minùs id esse licitum: quia numerando alteri pecunias Metinæ, numerandas sibi Brugis, transfert illi suas à Brugis Metinam. Itaque licèt & Petro expediret suam pecuniam à Metina transmittere Brugas, Paulo verò suas inde afferre Metinam, vterque illorum, nempè qui ab altero præuenitur, potest ab ipso præueniente pretium recipere. Probatur *Probatio.* responsio hæc. Nam in his omnibus quæ

de cambijs dicenda sunt, oculus semper habendus est ad obiectum ipsum contractus, nempè si res est, primùm quæ malitiam nō inuoluat, mox quæ sit pretio æstimabilis: tūc enim vniuersim potest pro pretio fieri.

Primum corollarium. ¶Ex quò fit labores & reliqua omnia esse accidentia, quæ rei naturam quantum ad vsuræ labem non variant. Accidentarium inquam est quod cum labore aut sine labore, aut cum meo commodo aut incommodo vicibus meis fungar: siue pecuniam alibi numeratam habeam, siue tantùm fidem apud aliquem qui pro me respondeat: dum tamen id pro te faciam quod est æstimabile pecunia. Nam in his industria plurimum valet, Sequitur deinde non solùm illis si qui essent per rem publicam ad hoc munus cōscripti, verùm & quibuscunq; priuatis cambium hoc iure naturę permitti nisi fortè ciuili lege esset interdictum. Hoc inde patet quòd res ipsa genere suo est licita & pretio æstimabilis. Quin verò nulli sunt per rēpublicam ad hoc deputati, sed quibuscunque mercatoribus in vsu est hoc modo cambire

Secundum.

Documētū. ¶Hoc autem ad rem maximè in præsentiarum pertinens, admonito opùs est, quòd vbi pecuniæ transmissio revera non fit, sed fingitur, vafra est. Est verbi gratia, illustrium qui spiam nummis in Hispania egens: conuenit mercatorem qui sibi mutuato auro succurrat, renuit ille: offert tamen hîc vt sibi in Flādria rependat. Arbitrantur ergo mercatores & campsores quibus non est tanta suæ salutis cura. Nam qui timoratæ sunt conscientię non se huiusmodi imposturis contaminānt. Arbitrantur inquam huiusmodi contractū non esse illicitos. Aiūt enim, Ego qui hîc pecuniam confero recepturus in Flandria, illā cogito inde huc isti traducere: cuius idcirco pretium recipio. Cùm tamen re vera nobilis ille neq; vllam habeat in Flandria pecuniam, neq; huc eam somniet afferre, sed suæ hîc prouidere necessitati. Aiunt tamen campsores nihil sua referre, neq; illis studium incumbere an alij pecuniam habeant necne. Attamen nullo prorsus fuco incrustare possunt cambia ista, quin sint manifestè vsuraria. Quoniam fundamentum iustitiæ huius contractus de quo in præsentia tractamus, non est aliud quàm quòd re vera fiat pecuniæ transmissio: aliàs apertum est mutuū, atq; adeò quicquid vltra fortē percipitur extorquetur ratione temporis. Alius autem clypeus quo se protegunt, eò est iniquior, quo putant illo figmento omniscientem Deum fallere. Petunt enim ab illis qui pecuniam recipiunt literas in Flandriam, qui quidem eas exhibent dirigunt̃que ad eos ipsos ministros eorundem campsorum ac si illi pecuniam ipsorum nobilium haberent: qui quidem ministri tanquàm eorū factores posteà remittūt Metinam sub nouo fœnore. Cùm tamen re vera eiusmodi confictæ missiones ac remissiones non nisi expectando tempori inseruiant: ac perinde exaugendo fœnori ad exugendam debitorum substantiam. Et re vera si hæc non esset vsura, licet etiam qui buscunq; priuatis qui nullam exercent negotiationem, neq; alibi pecuniam habent, eodem quoq; modo contrahere. Nolo tibi mutuare, sed tamen numerabo tibi hîc vt tu mihi renumeres in Flādria tali pretio. Satis ergo homines ducant hominū illusores esse nè sint etiam Dei. Adde quòd pecuniæ trāsmissio esse debet non ad quencunq; proximum locum: vt si à Metina ad Alteram Metinam vel Toletum fingatur transmitti. Nā traductio quæ fit intra regnum, non est pretio digna, sed expectati temporis pallatio. De quo inferiùs latiùs. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd in hoc genus cambio nullatenùs iustitiæ æquitas violatur: redditur nanque pecunia eadem vel æqualis receptæ: sed pretium insuper traductionis. ¶Ad secundū verò iam responsum est, nō esse prorsus mutuum: imò maiorem habet depositionis formam. Collocat enim iste pecuniam suam hîc apud istum, vt eam vsq; ad alium locum deferat.

Ad primū argumentū.

Ad secundum argumentum.

ARTIC. II.

Vtrùm ratione temporis licitum sit cambij pretium.

NEGATIVA respōsio huius quæstionis satis est superiori libro demonstrata. Attamēnō modò quia in præsentia dicendorum fundamētum est, verùm quia multi aliter sentire videntur, operæpretium fuit hic rursum in disputationem repetere. Arguitur ergo à parte affirmatiua. Dictum est superiori libro licēre pro mutuandi obligatione mercedem recipere: nam

Primum argumentum

re: nam alia obligatio est æstimabilis pecunia: cambium autem ratione temporis nihil aliud est quàm quoddam genus mutui quod apparet emolumentum afferre mercatoribus ipsis: atque adeò recipere pro illo publico munere, licitum est, pretium.

Argum. 2. ¶Accedit quòd multi labores campsores insumunt, expensasque faciũt: & suprà hæc omnia lucrum etiam eis cessat, quod illa pecunia mercaturam exercendo possent conquirere: horum ergo causa posse videntur, habita ratione temporis quo sua carent pecunia, aliquid percipere. ¶In contrarium autem est definitio naturalis iuris quam superiori libro mõstrauimus: nempe aliquid pro vsu pecuniæ vltra eius substantiam recipere, vsuram esse.

Cõclusio responsiua. REsponsio vt modò dicebam nõ potest non esse omnibus receptissima ad partem negatiuam. Quarevnica hic sufficiat cõclusio. Cambium ratione temporis neutiquam potest esse licitum: quippe quod manifestam habet rationem mutui: cuius ideo pretium apertam habet vsuræ iniquitatem. Quapropter demirãdum est doctores aliâs non infimi nominis huiusmodi cambia nõ reprobare, propter rationes quas inter arguendum huc attulimus: videlicet propter labores, & sumptus, & lucrũ cessans. Enimuerò vt labores & sumptus in aliquam functionem impensi mercede digni existimentur, perspiciẽdum priùs est an functio ipsa & negotium genere suo & obiecto iustitiæ munus sit: nam aliâs neque labores neque sumptus vlla digni sunt retributione: imò supplicio. Alioqui vniuersos vsurarios haberemus excusatos. Ecquis enim illorum est qui in sua exercenda arte labores non collocet & sumptus? Quin verò latrones ipsi publici nonne improbas latrocinijs exercẽdis operas nauant? igitur campsores, cùm mutuum indispensabili iure naturæ & diuino reprobetur, si ratione temporis ex mutuo aliquid percipiunt, nullos labores aut sumptus sibi prætexere possunt, quorũ de causa mercedem recipiant. ¶Sed aiunt artem esse reipublicæ necessariam, ob idque esse licitam. Ecce aliam fallaciam: priùs enim ex natura rei perpendẽdum est an negotiatio licita sit, quàm asseratur esse necessaria: nã quod natura sua non licet, ad nullum iustũ finem esse potest necessarium: peruersa ergo illatio est dum per hoc quòd res ab aliquibus iudicetur necessaria, inferatur esse licitam. ¶Sed obtendiculo quod de lucro cessante adhibent, multò minùs eorum valet vsuras fucare: Nam in primis si quod in superiori libro non absque magna probabilitate disputauimus veritatem habet, qui sua sponte, hoc est absque vi & fraude suã à sua industria alienat pecuniam, non põt ante moram solutionis de lucro cessante paciſci. At verò vt in sententiam contrariæ opinionis subscribamus, tamen in campsoribus nulla fingi potest causa lucri cessantis. Vniuersis enim in cõfesso est nemini licêre lucrum cessans exigere, nisi qui expositam habet negotiationi pecuniam, à qua negotiatione alterius rogatu illam euellit. Campsores autem nulli alij negotiationi habent pecuniam expositam, sed illi potiùs cambiendi muneri mancipatam: à nulla ergo licita negotiatione impediũtur. Nam etsi dicant se posse alia negotiandi forma lucrum conficere, omnes doctores, lucri cessantis patroni consentienter reclamabunt. Aiunt quippe illam potẽtiam non satis esse ad petendum lucrum cessans, sed requiri quòd sit iam pecunia negotiationi destinata. Sed ais: non solùm campsores qui arti duntaxat nummulariæ suam dedicarunt pecuniam, verùm alij mercatores licitis mercaturis vacantes, cambia faciunt: illi ergò possunt rationem habere lucri cessantis. Respondetur neque illis prorsus licêre. Eiusmodi nanque mercatores suam pecuniam minimè cambiunt alibi percipiendam, nisi illam quæ postquâm suas emerunt merces sibi supereſt. Quin verô sunt qui destinatam habent pecuniam mercaturis, atque aliam ineundis cambijs. Adde quod idem etiam mercator qui alteri Metinæ pecuniã numerat, recipiendam in Flandria, ab altero etiam recipiat ibidem soluendam: prout sibi videtur ex re sua esse. Cùm igitur cambia hæc, negotiatio per se sint, secundùm nullam opinionem vlla potest haberi ratio lucri cessantis. Atqui hoc est quod lectorem obsecro attentè hîc præ foribus perspectum habeat, vt legitimè cambiorum disputationem ingrediamur. ¶Per hæc ergo, argumenta suprà facta diluta restant.

Ad secũdũ argumentum.

Scrupulus.

Solutio.

QVAE-

QVAESTIO VNDECIma, De pretio soluendi numerata pecunia.

ARTI. VNICVS.

Vtrùm campsori liceat, vt pecuniam in suo cambio consignatam in numerato soluat, mercedem aliquam recipere.

POST HAEC sequitur vt receptissimam consuetudinẽ examinemus, qua campsori permittitur, quò pecuniam numeret, pretium aliquod recipere. Est enim à parte negatiua argumentum, quòd numerare pecuniam officium est propriũ debitoris. Nihil enim aliud apparet pecuniam numerare quàm illam soluere: ergo sicut nulli licet ob id quod debitum soluit aliquid recipere, ita neque id liceat vt debitam pecuniam numeret. Idque adeò inde confirmatur, quòd certè præter campsores nemini aliorum ciuium id liceret tanquàm pretium recipere: qui enim ciuis alteri æs aliquod deberet, quantumuis ingentis summæ nihil exigere posset pro numeranda pecunia. Cùm enim numerat, rei suæ consulit. Nam si non vult numerare, id creditori confidat. ¶ In contrarium est quòd lege principum id permittitur.

Primũ argumentum

Cõfirmatio.

POstquàm fundamenta superiorib' quæstionibus præstituimus, quibus machina disputationis huius subnititur, campũ barathrumque cambiorum ingredientibus perneceſſarium est radices eorum & venas aperire. Nam præter negotiatores rari sumus, etiam inter scholasticos, qui facta ipsa intelligamus. Quamobrem non possumus circa ius ipsum non hallucinari. Igitur animaduertendum initio est, primam radicem artis nummulariæ excogitandæ eam fuisse, quòd proceres mercatores qui amplo ære negotiantur, non possunt pecuniam aut in bursa ad nundinas deferre, aut in arca habere præsentem. Esset enim onus & impedimentum maximum eam ad tam diuersa, distinctaque loca euehere. Sed omnia chirographis transigunt. Ob idque introducti sunt campsores qui eiusmodi chirographis responderent: nempè in quorum cambio mercatores pecuniam consignent. Secundò notandum quòd huiusmodi chirographorum solutiones minimè: nisi in nundinis, fieri consueuerunt: atq; adeò in illis quæ ratione eiusmodi solutionum sunt illustres: in quibus scilicet stata sunt solutionibus tempora, vt infrà patebit. Quamobrẽ mercator qui ante nundinas merces emit illis tunc temporibus soluẽdas, præsente pecunia soluere censetur. Exempli gratia: Dũ negotiator merces emit quarum pretium chirographo suo apud campsorem consignat proximis nundinis soluendum, non existimatur credito emere, sed præsenti pecunia. At rursùs sciendum q̃ dũ creditores qui super fidem campsoris bona sua vendiderunt, chirographi ei repręsentãt, bifariàm illud recipiunt debitum. Vno modo absente pecunia. Recognoscit inquã cãpsor chirographum, manetq; obligatus soluere æs illud, cuicunq; idem creditor suo rursus chirographo cõsignauerit. Atq; isto modo oĩa sunt chirographa: & quæ vocant credita. Si autem eiusmodi creditoribus opùs est numerata pecunia, soluere tenentur campsori quinq; in singula milliaria. Hoc ergo quærimus an liceat. Sunt enim qui ratione huius iustitiæ eam esse cogitant quòd pecuniã numerant. Sed re vera argumentũ suprà obiectum: sententiam hanc vehementer impugnat. Nam cùm debitoris interſit debita numerare, nihil pro illo labore ei licet percipere. Et ita Caieta. opusculo citato indubiè asserit. ¶ Sed & præter hoc argumentũ existũt etiam alia manifesta, q̃ pretium illud nõ recipiant, ꝑ negotio & labore numerandi: sed propterea q̃ pecunia soluitur in numerato quæ pluris æstimatur. Primùm q̃ profectò creditor mallet ipse numerare q̃ illa quinq; soluere. Secundò q̃ qui vice versa campsori soluit nil recipit vt numeret. Et tertiò præciuè q̃ quãdo in nundinis inopia laboratur numeratæ pecuniæ, pretiũ ipsum numerandi augeturvt soluatur in numerato. Adeò vt aliquando exhibeãtur decẽ & fortè triginta in singula milliaria. Non ergo pretium penditur pro numeratione: sed re vera quia pluris æstimatur pecunia præsens. Neq; satisfacere videtur ratio, q̃ id recipiatur tanq̃ stipẽdium custodię: eò q̃ est pecuniarum custos. Nam si pecunia illa, sua est, ꝑpria, sibi incũbit custodire. ¶ His nihilo minùs nõ obstãtibus, affirmatiua respondetur conclusione.

Caietanus

Conclusio. responsiua.

Pria radix vnde arsnũ mularia ducit ortum.

Eius-

Eiusmodi scilicet pretium iure posse recipi: Nō quidē, vt reor, ob rationes illas iam modò refutatas: sed ob hoc ꝙ cùm campsores sint veluti mercatorum depositarij ac fideiussores, ob necessitatem iam modò explicatam, huius muneris & obsequij gratia cōstitutum illis censetur hoc genus stipendij, vt quoties pecuniā numerauerint, illa quinq; in singula miliaria suscipiant. ¶Ex hoc ergo fit, nihil eos posse vltrà recipere q̄ quòd lege illis permissum est. Nam eatenùs censetur publicum stipendium: quatenùs lege publica vel proborum cōsuetudine permittitur. At si propter inopiam numeratæ pecuniæ, aut ob aliā causam plus recipiant, ꝓfectò vsura est: quippe cùm pro solutione illius quod verè debent, pretium extorquent. Nam postq̄ mercatorum fideiussores instituuntur, tenentur illa lege soluere, vel à munere illo & officio recedant. ¶Et per hoc argumentū in cōtrarium responsum censeto. Pretiū enim illud non recipiūt quasi numeratores pecuniæ quā simpliciter debent: sed quasi numeratores illius quā ceu fideiussores debent: atq; adeò tanquàm publicū stipendium illius necessarij muneris. Quo fit vt personis priuatis id non liceat. ¶Habet autem prætereà istorum vsus, vt fertur ꝙ si mercatorum quispiam in cambio numeratam pecuniam deponat, campsor pro maiori illius gratia respondeat. Numeraui campsori decē milia: fidē habebo apud ipsum. & creditū pro duodecim, & forsan pro quindecim: quia cāpsori habere numeratā pecuniam bonum est lucrum. Neq; verò quicq̄ vitij in hoc fœdere apparet. Nā fideiubere pro alio, æstimabile est pecunia, atque adeò campsor idem potest facere pro beneficio quod ex tali suscipit depositō.

Deductio.

Ad primū argumētū.

QVAESTIO DVODECIMA.

De numerorum cambio ratione diuerse eorum estimationis in diuersis locis aut temporibus.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm liceat pecuniam vnius regionis pro pecunia alterius vbi plus valet cōmutare.



VO ad vsitata cambiorū genera nos insinuem⁹, quæritur an licita sit cambitio pecuniarum diuersarū regionum, quæ sub eodem pondere & numero diuersi sunt valoris. Et arguitur à parte affirmatiua. Qui tribuit ducatum vnum pro alio eiusdem auri eiusdemq̄; ponderis, legitimum facit mutuū. Nā nihil sibi petit restitui nisi id quod confert: ergo illud est licitum perinde ac si frumentum mutues eâdem tibi mēsura reddendum, etiam si tempore solutionis pluris væneat. ¶Secūdò: Si ego tibi decem mutuo ducatos quos mihi elapso anno restituas, quanuis tempore solutionis pretium ducati fuerit lege auctum, possum ex te eundem ducatorū numerum recipere: ergo pari modò si plurisin alio loco æstimetur aurum, possum percipere idem pondus. ¶In cōtrarium est quòd iustitia non fert vt plus recipias quàm tradidisti, nisi sit pretium pro re aliqua licita: si ergo ducatum hîc contuleris valentem vndecim regalia argentea, debitor non tenetur restituere valentem duodecim.

Primū argumentum

Argum. 2.

IN ingressu statim materiæ cambiorū quę super commutatione monetarum fundātur ratione diuersi valoris, in quibus tota versatur cambiorum ambiguitas, adnotandum in primis est nō esse commiscendas diuersas cambiendi rationes. Modò enim nō disputamus vtrùm pro translatione pecuniæ ad alium locum fas sit pretium exigere. id enim iam constitutū est. Sed tantùm quęrimus vtrùm illa ratione secluſa liceat cābire monetam hîc minus valentem cum eâdem pluris alibi æstimatam. Secūdò notandum est quatuor modis contingere posse vnam monetā plus in vno loco aut in vno tempore (vt de ambobus vnà dicam⁹) q̄ in alio valere. Primò ratione gradus auri vel argenti: nempè quòd in Anglia, verbi gratia, purius est altiorisque gradus, aut in Lusitania quā in Gallijs. Sicuti revera Anglicum argentū pretiosissimum est. Secundo modo, quia rarius est aurum in vna regione quàm in alia: aut viceversa argentum vel aliud metallum quo nummi cuduntur, abundantius. Tertio modo, quia princeps dum reipublicæ expedit: pretiū auget eiusdē monetæ: quare

Sensus quæstionis.

vno tẽpore plus ęstimaꝛ q̃ in alio. Et quarto modo, quia pecuniæ in toto genere maior est copia in vno loco quàm in alio, atque adeò illic minoris penditur: vbi autẽ maior est inopia, maioris æstimatur. De trib⁹ prioribus modis præsenti articulo dicere adornamus: dicturi de quarto in subsequẽti, vbi cambiorum natura potissimũ est explicanda. Ad quæstionem ergo præsentem tribus conclusionibus respondetur. Prima, cambire monetam minoris valoris, hoc est inferioris gradus auri vel argenti, pro alia superioris nisi cõpensatione intercedẽte, est manifesta iniquitas. Hoc patet primùm si in eâdẽ fiat ciuitate: vt si coronas, quod deterius est aurum, pro auro ducatorũ aut Castellanorum ciusdem ponderis quòd longè purius est commutares. Nam perinde est ac si triticum, aut vinum, aut ęs, aut cuprum ꝓ alio cambires quod esset ex natura sua melius. Idẽ ergo est si Parisijs mille scuta Gallica aliquis numeraret, vt sibi in Hispania tot puri ducati rependerentur. Res est plana si excessus est alicuius momenti. Nam cambire ducatum Hispanum pro Hungaro, quòd licèt sit pretiosior eodem apud nos argento æstimatur, nihil habet iniustitiæ. ¶ Secunda cõclusio. Cãbire monetam minoris valoris vt idem prorsus pondus recipias, etiã cùm eius valor lege auctus fuerit, iniquitatem præ se fert vsurariam. Hanc conclusionem præcedenti libro quæstione prima constituimus, sed vt cunctas rationes deuersitatum monetarum simul componeremus, repetendam duximus. Et intelligitur conclusio contra opinionem Syluestri in verbo, vsura. §. 14. siue actio illa præuisa fuerit, siue inopinata. Etenim dum decẽ tibi ducatos mutuo quorũ singuli vndecim regalibus argenteis ęstimantur: si posteà lege publica constituantur valere duodecim, non plura mihi debes argentea regalia quàm centum ac decem. Atque adeo idẽ est si in alia prouincia, vbi mihi soluturus es, cumulatior est estimatio monetæ. Neq; est simile: vt ibi dicebamus, de moneta ac de alijs rebus. Nam dum frumenti valor augetur, eadem prorsus res manet, quæ secundùm naturam suam non habet, nisi vnicum vsum: & ideo quot modios tibi mutuaui, totidẽ mihi debes: etiã si plus valeant: monetæ vero valor cùm augetur, licèt nõ mutet naturam metalli, mutat tamẽ naturam monetæ quatenùs rerum mẽsura est, Ac si faneca nostra quæ duodecim modiolis expletur, augeretur vt tredecim caperet: tunc enim si mutuaui tibi illã dum duodecim tantùm capiebat, non debes mihi nisi aliam eiusdem quantitatis. Illic satis, vt arbitror, conclusionem cõfirmauimus. ¶ Tertia conclusio. Cambire monetã in vna prouincia, vt eadem in alia rependatur vbi propter raritatẽ metalli pluris æstimatur quàm vbi fuit numerata, iure non licet, sed est vsura. Exẽpli gratia, Ducatus aureus apud nos valet regalia vndecim argentea, & apud Italos Carlinos tredecim qui sunt regalia nostra, vel faciamus disputationis gratia rem sic esse in more, neutiquàm licet hic cẽtum numerare ducatos, siue mutuo siue cambio, soluendos Romę ęstimatione tredecim Carlinorum: nisi forsan crementum illud in pretium cederet traducendi pecuniam: de illo quippe nil modò loquimur. Res est liquida quoniam perinde est ac si pro mille hic ac centum regalibus quæ huic confers, velles Romæ recipere mille ducenta. Dixerim si Carlinus eiusdem sit prorsus valoris apud illos cuius est apud nos regale: nam forsan nõ est eiusdem valoris. Et ideo idem est fortè recipere duodecim Carlinos, quod vndecim regalia. Qua forte ratione liceret cambire ducatum valentem in Hispania tercentũ septuagintaquinque dupondia, vt redderẽtur in Gallia quadringẽta quadraginta Turonuli. Nam Turonus Galliæ non est tanti valoris quàm dupondium Hispaniæ. ¶ Cõtra hanc nihilo minùs cõclusionem existũt duo argumenta, quibus via ad subsequẽtia minimè obscurè panditur, Prius est. Posset quis in Scicilia, verbi gratia, cẽtum modios tritici mutuare, restituendos sub eadem mẽsura in Hispania, vbi pluris æstimatur frumentum: ergo eâdem lege potest centũ mutuare ducatos soluendos vbi plus valent. Secundò arguitur. Potest quis deferre suã aureã monetam à regione vbi minùs æstimatur, ad illam vbi pluris habetur, atque illic eodem modo cambire quo pretio illic currit. sicuti potest merces minoris emere in vna regione & pluris vendere in alia: ergo eadem ratione possum cẽtum ducatos alicui in Hispania mutuare, restituendos vbi auctioris sunt valoris. ¶ Ad prius argumentum istorũ distinguitur antecedens, potest nãq; contractus ille frumenti & rationem habere mutui & rationem cambij: quorum differentia est quòd mutuũ fit ratione temporis quo expectatur solutio. Eò quòd qui

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Syluester.

Tertia conclusio.

Primũ argumentum.

Secundum.

Ad primũ argumẽtũ.

ab

ab altero mutuatur, re caret in præsenti: cãbium verò non nisi ratione loci. Petrus reverà habet frumentũ in Sicilia, Paulus in Hispania: fit inter eos cambiũ vnius pro alio. igitur vbi mutuum est, Si non scitur quanti valiturum in Hispania sit tempore solutionis, licitus est contractus. Si autem fieret mutatio ea lege vt quando cariùs in Hispania væniret tunc restitueretur, iniquũ esset atq; vsurariũ, vt superiori lib. dictũ est. Cambiũ ergo duarum rerum in diuersis existentium locis, siue grana sint siue quæcunq; aliæ res, neutiquã fieri licet si pluris in vno loco quã in altero æstimentur. Claret enim tunc iniquitas iniustitiæ. Et pari modo censendum de pecuniarum cãbio. ¶Ad posterius denique argumentum conceditur, cuique liberum esse ex natura rei, nisi ciuili lege sit interdictum, pecuniam suam ad locum alium transportare vbi maioris æstimatur, & illam illic currente loci æstimatione distrahere.

Ad secũdũ argumẽtũ.

Et pariter quisque alteri potest aurum suũ concredere, quòd quidem sibi alibi reddat. Nam hoc non habet rationem cambij, Quã doquidem in mutuo & quodammodo, vt dictum est, in cambio transfertur dominiũ. & ideo non potest recipi nisi res eiusdem valoris. ¶Ex his fit consequens quòd cùm in nundinis inter mercatores, vt infrà narraturi fusiùs sumus, scutum cremento sæpe valoris ac decremento varietur, cauendæ sunt vsurę quæ in mutuis hac ratione delitescũt.

Corollariũ.

Si quis, verbi gratia, vt aliarum nationũ sermone loquamur, centum alteri ducatos mutuet, pretio ciuili foro in vrbe currente, vbi, verbi gratia, ducatus viginti octo grossis æstimatur, vt restituantur pretio in nundinis Lugdunensibus, mercatoribus taxato, vbi penè certum est ducatum valiturũ grossos triginta, vsura est manifesta: siue mutuatio in auro fiat, siue in argento. Nam in singula scuta recepturus est tunc mutuator duos grossos vltra sortem. Et vice versa si in nundinis quis mutuet mille ducenta argentea regalia: numeret ea tamen in aureis ducatis æstimatione duodecim argenteorũ regalium: quo pretio inter mercatores cutrunt: itaque non annumerat nisi ducentos ducatos. Eo tamen pacto, vt mille ducenta regalia recipiat vbi vsu forensi ducatus non æstimatur nisi vndecim argenteis, vsuram committit. Nam cùm non dederit nisi centum ducatos, vult suprà recipere centum regalia. ¶Et est notandum in hoc latêre fallaciam, quòd dum inter mercatores ducati aut scuti valor crescit aut decrescit, nõ est propter raritatem auri, de quo tertia nostra cõclusio loquebatur: imò eius numerus in foro semper habet suam argenti & æris æstimationem: atque adeò inter mercatores qui dederit vnum aureum, non recipiet nisi, verbi gratia, vndecim argentea regalia: sed fingunt illa scutorum ac ducatorum nomina quæ maiori minorive ptio æstimãt. Et ideo qui mutuat aureũ scutum æstimatum nũdinarum pretio, maiori illud argento æstimat dum mutuat, quàm dum illud recipit. Mercatores nanque nullam habent auri rationem aut argenti: vt statim clariùs patebit. ¶Atque hinc colligitur responsio primi argumenti in fronte quęstionis obiecti. Dum enim decem ducatos mutuas siue in auro siue in argento, nihil ampliustibi debetur quàm pecunia eiusdem valoris. ¶Ac perinde secundi argumenti antecedens, conclusione secunda ostensum est falsum. Non enim possum crescente valore aurcæ monetæ nisi illum recipere quo dum mutuaui vel cambiui æstimabatur.

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secũdũ

ARTICVLVS. II.

Vtrùm licitum sit monetarum cambium, quæ in diuersis locis propter copiã & inopiam totius generis monetæ inæqualis sunt valoris.

RESTAT hîc de quarto modo variati monetarum valoris disputare. Fac, verbi gratia, in Flandria modò propter bella quæ illic geruntur, aut Romæ, multò esse strictiorem inopiam numeratæ pecuniæ quàm in Hispania: qua ratiõe pluris illic æstimatur ducatus quàm apud nos, vtrũ liceat hac ratiõe pro scutis quæ illic numerantur, plus in Hispania recipere. Apparet nanque in proximo articulo definitam esse quæstionem ad partem negatiuã. Sanè cũ tertia conclusione negatum sit licêre cãbire monetã aureã vbi minus valet, restituẽdam vbi pluris propter raritatem auri æstimatur. Eãdem enim ratione non licebit maiorem pecuniam recipere, vbi propter pecuniarum copiam minoris æstimatur, quàm illic vbi pecunia fuerat collata. ¶In contrarium est, quia rerum copia pretium earum minuit: qua ratione licet pro vno modio

Argumentũ partis negatiuæ.

dio frumenti vbi duplo pluris æstimatur duos susciperevbi duplo minoris venditur. Sic ergo erit in monetis.

PEruentum nobis tandem ad locum est vbi cambiorum natura quæ mercatoribus in vsu habentur, explicanda est. Quam profectò, si ego non fallor, nusquàm hactenùs apud autores intellectam legerim. An verò scopum ego tetigerim, alij iudices sunto. Igitur post ea quæ in superioribus iacta sunt fundamenta, mercatorum modò praxis ante oculos constituẽda illis est qui eiusmodi cambiorum mores deprehendere cupiunt. Dictum enim est, chirographorũ solutiones quibus mercatores sua transigunt negotia in nundinis statis temporibus celebrari: quæ quidem solutiones ac si tunc fierent præsenti pecunia quando res vendũtur ita reputantur. Subiiciamus ergo in nostratibus exempla quæ illis similima sunt, quæ in alijs prouincijs, siue Venetijs siue Genuę, siue Lugduni siue Londini vsu fiunt. Sunt ergo apud nostrates quaternæ statæ nundinæ: quibus sub eodem numero aliæ respondent in Flandria. Primæ celebrantur Campensis Metinæ sub mensem Maiũ: vbi campsorum mensæ ad soluendum sternuntur, vel, suo idiomate, cambia aperiuntur, quintadecima Iulij, durantque solutiones vsque ad decimam Augusti. His respondent aliæ in Flandria sub mensem Septembrem, vbi cambia solutionibus faciendis panduntur decima Nouembris, durantq; solutiones toto illo mense. Secundæ nundinæ fiunt Metinæ Riui Sicci: vbi cambia incipiũt decima quinta Septembris, finiũtur autem decima Octobris. His respondent aliæ in Flandria, quæ celebrantur sub Natalem Domini: in quibus cambia incipiunt decima Februarij, durantq; per totum mensem. Tertiæ fiunt apud nos eâdem Metina Campẽsi sub mensem Octobrem, cuius cambia durant à mense Decembri vsque ad initium Ianuarij. Cui respõdent in Flandria nundinæ Resurrectionis: in quibus cãbia incipiunt decima Maij, durantque toto mense. Quartæ nundinæ fiũt apud nos in Villalon, quarum cambia fiunt Quadragesima dimidiata vsq; ad Pascha quibus respondent in Flandria nundinæ Iunij, quarum cambia durant ferè toto mense Augusti. Igitur cambiorum praxis est hæc, vt tres menses post receptam pecuniam Metinæ, restituatur in Flandria. Nam campsor qui in nundinis Maij Metinæ in initio Augusti pecuniam numerat, receptu rus est in Flandria nũdinis Septembris, vbi solutiones, vt diximus, fiunt toto mense Nouembri. Et qui Metinæ Riui Sicci pecuniã annumerat in initio Octobris, eandem recipit in Flandria in nundinis Natiuitatis, puta mense Februarij. Et simili anologia de alijs censendum. Aiunt enim illam temporis intercapedinem necessariam esse vt chirographa possint illuc commodè peruenire, & parari pecunia. ¶His circa practicam intellectis, ecce cambiorum punctum. Quando in Flandria vel propter bella vel alia quacunque de causa nummorum penuria laboratur, ille qui hinc illuc suam vult inter mercatores transmittere, pretium pẽdit: qui autẽ vice versa pecuniam in Flãdria numerat, Metinæ sibi restituendam, non modò nihil pendit, verùm & plus lucratur, quàm ille pẽdit qui in Hispania numerat vt in Flandria recipiat. Exempli gratia. Nũc temporis quo propter continua bella Cæsar pluribus indiget apud Flãdriam talentis, raritas est pecuniæ illic maxima. Itaq; minor pecunia tanti habetur quãti apud nos maior. Sicuti vbi caritas esset tritici, vnus modius tanti væniret, quanti alibi duo. Quęstione enim sequẽti arti. 1. narraturi sumus causas augẽdi cambiorum pretia. Hac ergo de causa mercator qui Metinæ alteri quadringentos ac decem denariolos nostros, quos dupondia appellamus, Itali quatrinos, Galli turonos, non plures in Flandria recipit quàm trecentos sexaginta. Itaq; pro transmissione perdit quinquaginta: quãuis, vt suprà diximꝰ, nõ iactura, sed lucrũ est. Qui autẽ è conuerso in Flandria numerat trecentos, recipit in Hispania trecentos septuagintas quinq;. Itaq; plus lucratur in remittenda huc pecunia quàm pẽderat, dum hinc illam illuc transmiserat. Simile fermè nunc cõtingit inter Hispaniam & Romam: vbi angustior est solito pecuniæ inopia. ¶Per hæc ergo, vt obiter adnotemus patet eiusmodi cambia non esseà Doctoribus intellecta: ac proinde in diuersas sententias disident. Caietanus nanque in suo illo opusculo, cap. 7. fundamentum huius cambij illud excogitat, quòd pecunia loco absens minoris habetur quàm si esset loco præsens: & eidem applaudit Syluest. verb. vsura 4. Nam quæ loco, inquiunt, distat, pluribus est subiecta periculis: quocircà potest minor quæ tutior est iustè pro maiori cambiri quæ minùs est tuta. Et quidem si re vera hęc existe

Mercatorũ praxis.

Caietanus.

Sylvest.

existerent pericula, inficias non irem. Fassi enim suprà sumus, æs alienum quòd ille debet, à quo vel propter pauperiē vel propter fidei tenuitatem nō est recuperatu facile, minoris vendi posse, quàm sit eius quantitas: neque merces insanis vndis commissæ tanti emerentur quàm si essent in portu. Attamē inter mercatores nulla sunt, aut vix vlla huiusmodi pericula. Nam illi qui Metinæ recipit apud Flandriam soluturo, tanta habetur fides quàm si pecuniā haberet in Hispania. Quare hanc illis licentiam facere est plus illis indulgere quàm ipsi petunt. Adde quòd si hæc esset horum cambiorum basis, tunc ille qui modò Metinæ pecuniam numerat, recepturus in Flandria, minoris deberet illam Flandrēsem emere: hoc est auctior illi deberet in Flandria restitui: cùm tamē multò minus illic recipiat. ¶ Alij ergo arbitrantur rationem qua huius cambij iustitia fundatur, eam esse quòd aurum pluris pēditur in Flādria. Et ideo aiunt hoc non licēre nisi commutatio fiat diuersarum pecuniarum, scilicet argēteæ pro aurea, vel ænea. At verò hoc iam suprà diximus, merè gratis esse dictum. Nam cambia ratione loci non est fieri necessarium in diuersis monetis. De quo cambio superiori articulo tertia nostra conclusio loquebatur. Imò, vt proximè dicebamus, nulla inter mercatores auri vel argenti vel æris habetur ratio. Sed fac nullū esse aurum vel argentum præter ęneos eosdemq; minutissimos denariolos. Ex his nanque qui modò Metinæ confert quadringentos decem, in Flandria recipit non nisi tercentum supra sexaginta. Et vice versa, qui illic confert tercentum, hīc recipit septuaginta quinque supra trecentos. Vnde cùm amplius sit lucrū dum priùs pecunia numeratur in Flandria reddenda in Hispania, quàm dispendium si Metinæ numeretur redhibēda Brugis, vnū ex frugiferis negotijs est thesaurizare pecuniam apud Flandriam, hoc est illam à nobis illuc trāsmittere, in hunc potissimum vsum vt inde huc rursus remittatur. Fit enim lucri accessio. 13. dupōdiorum in singulos ducatos. Quanuis illud etiam quod dispendium facere videtur qui plus Metinæ videtur prī cōferre quàm post recipit in Flandria, re vera non est iactura, verùm etiam sæpe lucrū.

Refutatur proxima sē tentia.

¶ Sed & hoc demum nosse oportet quòd quanto exuberantior est Metinæ pecunia, tanto viliùs cambitur: hoc est qui pecuniam numerat soluēdam sibi in Flandria, auctius pendit pretium: quia rariores inueniuntur qui Metinæ egeant. Et quanto angustior, tanto minus pendit: quia plures sunt recipientes Metinæ vt consignent in Flandria.

¶ Quæstio ergo præsens est, vtrùm cambia hæc sint licita. Et præter argumentum in capite quæstionis factū, arguitur hoc modo. Si hoc cambium, reale esset ac licitū, id maximè, vel quia esset diminutum cambium, vel ratione loci: nempe quia pecunia abvno in alterum traducitur: minuti autē nullum habet specimen. Haud enim illic pretiosior moneta cum viliori cābitur: sed denarij pro denarijs. Neq; verò totum eius fundamentū est ratione loci: nam tunc sicut pro trāslatione ab Hispania vbi copiosior est pecunia ad Flandriam pretium soluitur: ita & econuerso pro translatione solueretur quæ fit à Flandria in Hispaniam: quòd tamen, vt in practica ostensum est, non fit, sed accedit lucrum. Adde quòd qui in Flandria pecuniā confert quæ sibi in Hispania referatur, porrò id non facit quia indiget huc suam transmittere pecuniā, quia forsan illā hinc trāstulerat: sed propter lucrum. ¶ Secundò arguitur. Genus hoc cambij manifestam oculis exhibet speciem vsuræ. Nam qui Metinæ, verbi gratia, pecuniam numerat, restituendam sibi in Flandria, dominiū eius in illum transfert absolutū, quam perinde alter ibidem dispendit ac si simpliciter esset mutuū.

Primum argumentum

Secundum.

Et (quod rem probabiliorem facit) ille qui recipit, non ob id videtur facere vt quam habet in Flandria, Metinam transferat: quia fortè nullam illic habet: sed quia Metinæ indiget: & quò expectetur solutio, fucatur illo colore quòd soluatur in Flandria. Accedit quòd si quis alteri in Hispania re vera mutuaret pecuniā quam mutuatarius in Flandria esset repensurus: quia ambo illuc fortè proficiscuntur, propterea quòd in aduerso loco esset soluenda, nihil de natura mutui amitteret. ¶ Et confirmatur hæc ratio. Vt cambium ratione loci sit licitū, nulla debet temporis mora de necessitate interuenire.

Cōfirmatio.

Sed ego, verbi gratia, habeo hīc pecuniam præsentem, & tu Romæ etiam præsentem, admetior tibi hic vt tu mihi Romæ remetiaris. Itaq; si possibile esset me hodie existere Romæ, hodie mihi illic rependeres: sed requiritur tempus, quia non potest nuntius illuc aduolare. Attamen in istis cambijs habetur ratio temporis. Si enim qui hodie recipit Metinæ, cras deberet soluere in Flandria,

dria, vel intra hebdomadam: si statis succussarijs equis nuntius euolaret, iste qui recipit, re vera vel non reciperet, vel non nisi viliori pretio. Cùm ergo hoc verum habeat, signũ est expectationem trium mensiũ esse in causam lucri huiusmodi cambiorum. ¶Præterea ex notabili superiùs posito elicitur etiã num recens argumentũ. Nam si secundùm copiam aut inopiam pecuniæ quæ est in nũdinis cambiorum pretia variantur, indiciũ est eadem cambia rationem habere mutui. Etenim si mercatorib⁹, reliquis negotijs peractis amplior pecunia supersit, faciliùs eam conferunt, plusque perdunt: si verò maior est penuria, difficiliùs conferunt & cum maiori lucro. ¶Quòd si negemus esse mutuum illuc relabi videbimur vt cõcedamus (quod quidam arbitrantur) venditionem esse emptionemque pecuniæ: ita vt pecunia in Hispania vbi est maior copia minori æstimetur pretio: similis autem in Flandria maiori.

Tertium argumentũ.

Quemadmodùm oliuæ quæ apud nos nascuntur, non autem illic. Et hac ratione pecunia quæ est Metinæ venditur illius pretio quæ est in Flandria. Et è diuerso. Pecunia autem cùm sit rerum pretium, nõ potest pretio alio diuendi. ¶Hæc profectò dubiam rem faciunt. Imò apud illos qui eius tantùm superficiem aspiciunt, meritò demõstrabũt iniquam. Nihilo minùs quantum pro captu meo coniicere possum res aliter habet.

Quare ad quæstionem hac conclusione respondetur, licitum est pecuniam ab vno in alterum locum cambire, habito respectu copiæ quæ est in vno, atque inopiæ quæ in altero: vt scilicet pro maiori numerata vbi est copia, minor recipiatur vbi est inopia: dum modò nulla præterea temporis habeatur ratio quàm illius quod necessarium est ad traducenda chirographa (pro quo, vt infrà patebit, nec pretium augeri potest) omneque fraudis dolique genus absit. Enimuerò nisi mea me coniectura fallit, hoc quantũ coniicere possum, est cambiorum fundamentũ, quę hac nostra tempestate vsu celebrantur.

Cõclusio responsiua.

Probatio apud me conclusionis est hæc. Iustitiæ lex est vt dati & accepti æqua sit æstimatio: quadringenti autem, verbi gratia, denarioli vbi affluentior est pecunia non pluris habentur quàm tercentum quinquaginta vbi pecuniæ penuria laboratur: ergo numerare illic quadringentos vt tercentũ quinquaginta hic recipias, non est iustitiæ violatio. Nec vice versa dare hic tercentum quinquaginta, vt illic tibi quadringenti reddantur. Exemplum profertur in oleo, vt modò dicebamus, cuius copia est apud nos: aut in vino, quod à nobis illuc defertur. Non enim pluris apud nos habentur, imò minoris centum cadi quàm sexaginta aut septuaginta in Flandria: ergo sicut potest quis maiorem hic mensuram huiusmodi liquorum pro minori apud Flandriam soluenda cambire: ita fieri potest in pecunia. Et vice versa, sicut potest quis pauciores Metinæ vlnas lini cambire pro pluribus soluendis in Flãdria: quia lini apud nos maior est caritas: sic potest modò mercator apud Flandriam, minorem cambire pecuniam pro maiori in Hispania redhibenda. ¶Et confirmatur prætereà inde conclusio, quòd si quis vellet cãbire simpliciter ratione loci: nempe transmittere pecuniam suam ex Hispania Romam, sed tamen vel propter bella vel propter alia præsentissima pericula, nulla alia pateret via, nisi cãbiendo hanc pro illa: & Roma nũmorũ angustia grauiter permereꝛ, liceret minorẽ illic reddere: eò quod tãti habetur quãti hic aliquãtulo maior. Nihil ergo in hoc cambio iniquitatis apparet. Quòd si hoc licitum est, nihil refert an obiter quis illud faciat & præter consuetudinem, an verò ex officio. Nam quòd natura sua iustum est, quisque potest consultò exercere. ¶Contra hanc nihilo minùs conclusionem hoc se statim offert argumentũ, à loco ad tẽpus. Sequeretur inquã eâdẽ ratione quod liceret cuique modo in Flandria suo ciui numerare, verbi gratia, decem Scuta, quorum singula æstimantur tercentum denariolis siue in auro siue in denarijs: quia nihil refert, hac lege vt quando esset affluentia pecuniæ quanta est in Hispania vel maior, recipert pro singulis scutis tercentum septuaginta quinq; denarios, quos modò recipit in Hispania. Nam si hoc licet propter copiam quæ est in Hispania, cur nõ erit licitum quando tanta fuerit abundãtia in Flandria? Respondetur, hanc quæ apparet, non esse similitudinem: quoniam transferre nunc dominium pecuniæ vt designato pòst tempore restituatur, non potest non esse mutuum: & ratione mutui nihil potest pretij extorqueri: sed quando habetur ratio diuersitatis, non tẽporis sed loci, non est mutuũ, verùm cãbitio duarum rerũ præsentiũ, quarũ valor modò æqlis est. ¶Ex his ergo facilè moderamina colliguntur ac tẽperamẽta cõclusionis, quib⁹ est ei⁹ veritas circũscribenda.

Probatio cõclusionis.

Cõfirmatio.

Argumentum contra conclusionẽ.

Solutio.

Moderamina posita cõclusionis.

da. Primũ enim diximus, cauẽdũ esse nè ratio huc tẽporis obrẽpat, quæ indiciũ sit palliati mutui. Ad cuius vtiq; rei notitiam, hãc censeo statuendam regulam. Non potest vir tute huiusmodi cambij aliud quidpiam recipi, quàm si duæ res in præsenti existẽtes cãbirentur. Hoc est non potest qui pecuniam in Flandria numerat quantum est ex genere suo plus in Hispania recipere, quàm si eodem puncto quo pecuniam illic confert fieri posset vt eandem reciperet in Hispania. Exemplum esto. Si ille admetiens pecuniã in Flandria certus esset eadem die ministrũ suum eandem recipere Metinæ: nẽpe quia per literas anteà & nuntios inter eos sic cõuentum fuerat, & ratione assertæ conclusionis ampliùs recipit quã confert, tantundem prorsus valoris neq; aliũ præterea obolũ recipere potest, siue solutio faciẽda sit post mẽsem, siue post tres, siue post decem. Hanc inquã regulam constabiliẽdam hîc quàm maximè necessarium arbitror. Nam si tamvera est quàm re vera censeo, infallibilis est iustitiæ index huiusmodi cambiorum. Modificati autem sumus cõclusionẽ, dicentes quantum est de genere suo: quoniam nõ perinde in pecuniarum cambio censeri potest tempus illud præsens quo æstimandus est valor pecuniæ in alio absente loco, atque in alijs mercibus: vt articu. proximo declarabimus.

¶ Porrò autem eius veritas ex dictis fit compertissima. Fundamentum enim iustitiæ horum cambiorum atque adeò testimoniũ rationem mutui huic nõ abdi, est quod cãbitur maior pecunia pro minori: aut vice versa: quoniam in vno loco tãti æstimatur minor quãti in altero maior: ergo ratio valoris huiusmodi pecuniarum ad eundem temporis articulũ referri debet, & perinde ac si res præsentes sint earum cambium existimari: atq; adeò nulla tẽporis ratio interuenire valet, q̃ pretiũ vel vnius augeat vel alterius minuat. Et quoniam conclusionem similitudine aliarum rerum fulciuimus, earum exemplo in eius explicatione vtamur. Licet quidem mihi existenti in Hispania vbi frumentum pluris vænundatur duos modios cambire pro tribus in Sicilia, quos scio eodẽ æstimari pretio quo duos in Hispania. Hæc autem cambitio non est licita, nisi pro eodem tempore: Nempe quia tu habes frumentum in Sicilia, & ego in Hispania. Quare ex illo pũcto quo ego tibi in Hispania meũ cõfero, id quod tu in Sicilia habebas factũ est meũ. Nam si tu illic nullum habes modò frumentum, sed expectas habere, & quò te expectẽ reddis mihi pro duobus tres, manifestum est vsurarium mutuum. Ad propositum ergo, si ille qui recipit in Flandria reddit tibi post trimestra plus quàm redderet si eâdem die qua tu confers in Flandria redderet tibi in Hispania, manifestum est hoc non esse syncerum cambium rei pro re: sed auctatiũ illud ob id adhiberi, quòd illo tempore illum expectas dum pecuniam quam paratam non habet conficiat: atq; adeò ratione mutui quod illic contegitur. ¶ Et per hoc patebit vitium illius rationis quam sibi mercatores obtendunt. Fatentur nanque vnam causam cur expectetur toto trimestri esse, vt ille qui in vno loco recipit, parare possit, & fortè conficere pecuniam ad soluendum. Hoc inquam indicium est manifestum mutui. Nam vt simplex sit cãbium, requiritur (vt crebrò repetimus) vtriusq; rei existentia: atque adeò vt ille qui recipit, in prõptu habeat pecuniam. Quare si in præsenti non habet, palàm fit pro expectatione dum cõquirat augere cambij pretium. ¶ Sed ait mercator, chirographum nõ est volucris, quæ possit subito euolare: atque adeò tempus requiritur. Fatemur quidem, vt suprà fassi sumus. Attamen cùm tempus illud non nisi illi necessitati inseruiat vt cambium innotescat, ratione illius nihil pretij extorqueri potest. Et hoc est punctum quod consideratissimè meditandum est. Si enim cambium est rei pro re, ad idem est reducendum punctum: pro tempore ergo notificandi nihil recipi potest. Quare vbi diximus admittendum esse tempus necessarium ad transmittẽda chirographa, non eo pacto intelligendum est vt haberi eius ratio possit ad recipiendum pretium: quia tunc profectò pro eiusdẽ temporis expectatione reciperetur: sed intellexi mus illud necessarium tempus non esse, vt quidem arbitrantur, vsuræ indicium. ¶ Sed ait rursus qui partes mercatorum defensat: Si iste qui pecuniam aliô transmittit, cursori eandem concrederet transferendam, inducias illi temporis concederet, tunc pro tẽpore pretium solueret. Respondetur non vnã solùm fallaciam in argumẽto latêre. Primũ enim qui sic arguit immiscet diuersas simul cambiorum species quod in præsentis quæstionis fronte cauendũ admonuimus: nunc enim nõ disputamus de cambio ratione loci, hoc est q̃ fit sola ratione transmittẽdi pecuniã

Regula.

Exploditur mercatorũ cauillatio.

Altera ratio pro conclusione.

Obiectio.

Solutio.

cuniam qua alibi indiges: sed de cõmutatione pecuniæ vnius loci pro pecunia alterius, propter copiæ inopiæque varietatem. ¶Nam qui pecuniam dat in Flandria recipiendã in Hispania, nihil dispendit, vt diximus: sed lucratur. Item qui pecuniam concredit cursori non transfert in ipsum dominium, vt fit in cambijs. Atq; adeò nulla illic abdi potest ratio mutui. Et quod ad rem pertinet, pretium non illi cõstituitur pro tẽpore, sed pro labore: cãbire ergo pecuniam quæ est Metinæ pro illa quæ censetur esse in Flandria, nõ debet illa norma iudicari, quæ est mera trãslatio per cursorẽ. Eò vel maximè quòd pretia non cõueniunt. Transportaret enim cursor ab Hispania in Flandriam quatuor milia ducatorum, pretio centum: & tamen qui priùs recipit in Flandria repensurus in Hispania, soluit quintã partem, & eo amplius, capitalis. ¶Sed arguat sic forsan contrà cam psorem quispiam: dum bella vel obstacula alia impedimento sunt nè pecunia transferri posset, multò auctius esse debet translatio nis pretium: ergo id ego possum suprà illam rationem suscipere qua vna moneta cambitur pro alia. Nam cùm duarum cambiorũ specierum per se vtraque licita est, nulla est iniquitas, si altera alteri adhibeatur. Ad hoc respondetur, & est iudicio meo apprimè notanda responsio, quòd si cambium de quo in præsentiarũ loquimur licitum est, nempe vt pecunia vnius loci pro pecunia alterius cãbiatur, hæc, nihil bellis obstantibus, strata est paratissimaq; via traducendi monetam: & ideo iniquissimũ est ad lucrum huiusmodi cambij pretium aliud insuper adhibere, ratione translationis de loco ad locum. Sed alterum eligendum est: vel si quidpiam pretij ratione secundi adhibeatur, id debet esse tenuissimum. ¶Ex quo fit quòd cùm inter mercatores non habeatur ratio nisi prioris cambij, scilicet commutationis monetæ si cambium fiat cum alio ciue qui nõ est mercator neq; negotiator, & præter hanc habeatur etiam noua ratio pretij propter translationem, iniquum esset. Crediderim ergo certissimam esse nostram conclusionem: videlicet ex cambio de quo in præsentiarum agimus nihil amplius posse recipi quàm si eãdem die in vno loco paretur, & in alio reciperetur, vel perexile insuper quidpiam.

Argumẽtũ. *Responsio.* *Primum corollarium.* *Secundum.*

¶Ex quo fit tandem, vt in calce totius quæstionis hoc adnotemus, nondum patere differentiæ huius æquitatẽ. Nempè quòd cùm ille qui pecuniã Metinæ prius capit, reddit autem pòst in Flãdria, nõ lucretur nisi quinquaginta: ille qui econuerso eodem tẽpore inuariataq; pecuniæ æstimatione priùs confert in Flandria, recepturus in Hispania, lucretur septuaginta quinq;. Enimuerò quòd prius cambium licitum sit, id in causa existit quod tercentum sexaginta quæ iste qui Merinæ recipit reddit in Flandria tanti æstimatur quanti quadringenta decem quæ receperat: & ediuerso. Igitur qui vice versa tercentum sexaginta priùs confert in Flandria non est cur posteà recipiat Metinæ nisi quadringenta decem. Nam idem est valor. Quare nihil referre deberet quod priùs quis recipiat Metinæ, vt soluat in Flandria: &, quòd priùs annumeret in Flandria, vt posteà recipiat Metinæ.

REstat igitur argumentis responsa subijcere, quatenùs contra hanc nostram assertionem militare videntur. Ad primum ergo in vertice quæstionis oppositum respondetur. diuersam esse rationem quando pretium auri augetur vel minuitut æstimatione argenti aut æris, propter solius auri raritatem: & quando tota pecunia pluris minorisve æstimatur propter eius in genere copiam vel inopiã. Nam priori modo qui ducatum, verbi gratia, confert in Hispania, nõ confert amplius quàm vndecim argẽtea regalia. Siquidem idem est, in auro tribuat an in argento. Qui autem illud recipit Romæ, æstimatione Romana recipit illic regalia tredecim: non ob id quòd tredecim regalia nõ pluris illic habeantur quàm vndecim apud nos, sed quod aurũ carius æstimatur. Sicut si frumentum valens vndecim, cambiret quis pro alio valente tredecim. Attamen quando maior est copia pecuniæ totius in genere in vna prouincia quàm in alia, non pluris æstimantur vbi maior est copia pecuniæ tredecim regalia, quàm vndecim in altera vbi est penuria. Et ideo potest, verbi gratia, dare quisq; in Flandria vndecim in quacũq; moneta, siue aureos ducatos, siue argenteos, siue æneos numeros, recepturus tredecim in Hispania. ¶Ad primum autem eorum quæ proximè ante cõclusionem adiecimus, iam satis responsum est, iustitiã huiusmodi cambij monetæ pro moneta non in eo fundari quod sit cambiũ mutuum vel merum ratiõe loci, id est, vt nummi transferantur: sed propter differentiam valoris in diuersis locis.

Ad primũ argumẽtũ. *Ad aliud.*

Quare

Quare non inde variatur contractus quòd fiat non ob necessitatem transferendi pecuniam, ad alia negotia quâm ratione lucri, sicuti in alijs mercibus accidit. ¶Ad secundũ verò negatur hoc esse mutuum, vt declaratũ est: quia nõ fit sic hoc cambium, vel fieri nõ debet, vt ratione temporis aliquid petatur: sed est cambitio duarum præsentium pecuniarum. Quocirca ingenuè concedimus eũ qui cambit, trãsferre in alterum dominium suæ pecuniæ. vt quo libuerit vsu illam dispẽdat. Vnde tamen non fit consequens, vt quidam neoterici censent, esse mutuum: nam in cambio etiam transfertur dominium, vt dum merces quaslibet tuas cum alijs commutas. Neque refert, vt idem autor cogitat, pecuniam redditum iri in moneta diuersi metalli aut eiusdem. ¶Ad aliud verò quod illic adhibebam, nempe accidere non nunquàm quòd qui Metinæ recipit, nullas habet pecunias in Flandria, iam etiam dictum est in tali casu, si iste nõ est soluturus in Flandria, omninò esse palliatum mutuum: quia non cambitur res pro re, sed soluitur pretiũ pro inducijs ad restituendum indultis.

¶Ad aliud autem etiam respondetur, quòd recipere hic & soluere in Flandria, non tollit rationem mutui si fiat ratione temporis. Si autem fiat ratione diuersitatis valoris, nõ est mutuum, sed cambium. ¶Sed & ad confirmationem satis responsum est vbi eius cõclusionem concessimus: nempe non licêre plus recipere ratione huius cambij, quàm si eodem die quo in vno loco confertur pecunia referretur in altero. ¶Ad aliud verò de augmento & de cremento cambiorum statim dicturi sumus articulo proximo. ¶Ad vltimum denique negatur sub hoc cambiorum tegmine pecuniam emi aut vendi: quia neutra habet rationẽ pretij alterius, sed est mera rerum permutatio.

Ad secundũ

Ad tertiũ

Ad quartũ

Ad quintũ

Ad postremum

ARTICVLVS. III.

Vtrùm cambiorum pretia inter campsores variari possint.

SVbsequitur vt de varietate cãbiorum pretij quæramus, an sit licita. Arguitur nanque qp inter mercatores nequeant eiusmodi pretia variari. Nam cùm pecunia non sit vendibilis, non potest eius pretium ceu reliquarum mercium aliquo modo mutari, nisi sola prĩcipis lege augentis minuentis ve eius valorem. ¶In contrarium autem est celeberrimus cambiorũ vsus qui reprobari hactenùs non consueuit.

QVæstio hæc ad superioris claritudinẽ apprimè est explicatu necessaria. Cùm enim definitum sit monetas diuersorũ locorum propter diuersam æstimationem iustè cambiri, operæ pretium est nosse vtrũ in nundinis variari iustè possint inter mercatores pretia. Ad quam idcircò quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior. Accidere possunt causæ quarum meritò seclusis fraudibus ac dolis possint cambiorũ pretia variari. Conclusio hęc ex superiori articulo non obscurè fit consequens. Enimuerò si raritas non auri vel argenti, sed pecuniæ in genere in causa est vt aliquantulo minor tanti æstimetur, ac maior vbi pecunia abundat: consequens est vt si in nundinis, verbi gratia, Metinen. vel quia rex pecuniam corrasit, aut propter aliam calamitatem cusiæris penuria laboratur, & nihilo minùs ad mercaturam aliasque negotiationes reipublicæ necessarias, operæpretium est ab Hispania in Flandriam, & vice versa, pecuniam per cambia traducere, potest qui illam Metinæ annumerat, meliori conditione recipere in Flandria: & vice versa, si Metinæ abundantior est pecunia potest etiam qui ibi recipit, meliori conditione recipere. Atque hic modus vsitatissimus est augmenti & decrementi cambiorum: nẽpe vt nulla habetur ratio auri vel argenti. ¶Caieta. autẽ in suo Cãbiorum opusculo aliud enarrat cremẽti decrementiq; genus: nescio verúmne sit an fictum. Nepe dum negotiator Mediolani recipit cum pacto reddẽdi Marcham auri Lugduni viliori pretior quàm est valitura: vt si, verbi gratia, dicamus quod qvis accipiat mille argentea regalia repensurus centum ducatos, qui re vera valent mille centum regalia. Neque verò condemnat hoc cambium, imò arbitratur venditionem esse auri minori pretio propter necessitatem: quia mauult ille iacturam cẽtum argenteorum regalium facere quàm ab alia negotiatione cessare, qua plus lucrabitur. Ego verò neq; credo hoc genus cambij in vsu haberi: neq; si haberetur, illud auderem approbare: quoniam (vt sæpe diximus) inter mercatores nullum est discrimen auri & argenti, neq; augent valorẽ scuti

Prima cõclusio.

Ratio cõclusionis.

Caietanus.

scuti vel ducati ratione auri vt facit rex cùm auri pretium lege exauget: sed vtuntur nominibus illis, scuti vel ducati, vt suprà diximus. Et hoc fortè dicere voluit Sylvester verbo, vsura. 4. §. 6. vbi ait non vti mercatores moneta vt vulgus. Præterea quando in vsu versaretur, profectò pro vsura ducendum esset. Nam illa non est venditio auri, sed restitutio mutui cum vsura. Eius enim qui pecuniam priùs dedit, nihil interest solutionem in auro recipere vel in alia moneta, dum modò auctiorem extorqueat dilationis gratia.

Sylvester.

¶ Dixerim autem hoc esse licitum, fraudibus exclusis ac dolis, quæ profectò creberrimè inter augendas monetas inserpunt.

Nam qui huiusmodi cambiorum lucris omnem posthabent religionem, perinde atque in alijs mercibus monopolia exercent. Confœderantur nanque duo aut tres qui omnem abradunt pecuniam. Recipiunt scilicet ab omnibus initio nundinarum pecuniam, soluendam partim in Flandria, partim Lugduni, aut Londini, aut Genuæ, &c. Atque adeò qui posteà in eisdem ineundis cambijs indigent, nempe præsenti Metinæ pecunia cùm alia non pateat Bursa nisi monopôli, coguntur eo pretio recipere quo illis libuerit. Est nocentissima pestis, neque esset vllo modo ferenda. ¶ Verum tamen præcipua dubitandi ratio de hac conclusione est circa causas, quibus legitimè pretium cambiorum variari potest.

Causæ quib⁹ legitimè augeri potest cambiorũ pretium.

Et quidem quòd raritas atque abundantia pecuniæ legitimè censeri possit in causa, compertissimum est, esseque debet constitutissimum. Penuria verò hæc atque affluentia, bina esse potest. Nempe absoluta & respectiua. Absoluta inquam, vt suprà dictum est, si propter bella aut quosuis alios ingentes sumptus rex vndique pecuniam colligeret, aut propter aliam calamitatem re vera angustior esset. Et econuerso si ob aliquam prosperitatem affluueret. Et de hac dubitari non potest quin sit causa legitima. Alia verò est de qua meritissimò inter prudentes multum est hæsitandum.

Videlicet vtrùm frequentia paucitasque indigentium, atque adeò petentium pecuniam in forma cambij, augeat & minuat cambiorum pretia. Et quidem Caietanus in illo suo Opusculo cap. 7. id nihil formidat asserere: cui & Metinensis quoque subscribit: de quo hoc obiter adnotauerim q⁹ secum gratis pugnare videtur. Concedit enim

Caietanus.

Metinensis.

secundùm accipientium numerum variari cambiorum pretia, & nihilo minùs negat copiam aut inopiam pecuniarum legitimã posse æstimari causam vt eadem cambiorũ pretia varientur: cùm tamen ob id numerus accipientiũ pretia augeat aut minuat: quod cùm sint plures, pecunia reputatur augustior. respectu eorum: cùm verò pluris, reputatur amplior, sicuti in alijs mercibus.

¶ Porrò ergo dubia est hæc causa variandi pretium. Primùm quòd pecuniam cum alijs mercibus hac ratione conferre, non est adeò legitimum. Nam pecunia non est vendibilis, atque adeò neque videtur pretio more aliarum mercium æstimanda. Secundò (quòd attenta consideratione speculandum est) si hanc campsoribus licentiam indulgeas, fraudibus aditum aperis. Nam solent bursas in nundinarium initio claudere, expectantes quo pretio cambia currãt.

Et dum prosperum vident forum, illam in cambia producunt: alioqui seruant. Et quanuis primo aspectu nulla se illic prodat iniquitas, eò quòd quisque potest rem propriam suo arbitratu aut seruare aut distrahere, prout ex re sua fuerit: tamen si res oculatiùs inspiciatur, illa eadem causa est eadẽ augendi cambiorum pretia. Nam propterea plures sunt qui cambia quærunt, quòd rarior est pecunia: est autem rarior: quia abscondita est: imò illa ratione abscondita vt augeantur pretia. Et re vera si ad normã aliorum pretium, vt mercatores volunt, varianda est cambiorum æstimatio, debent eidem subdi legi quæ solet à republica in alijs mercibus obseruari. Dum enim multi sunt qui horrea obseruant vnde annonæ caritas nascitur, compelluntur eadem aperire, & legitimo diuendere pretio: imò quanuis non compellerentur, peccatum esset: eò quòd cùm res sint reipublicæ necessariæ, non possunt eorum domini communem iniuriam illo modo populum affligere. Si ergo mercatores ita fatentur cambia esse necessaria profectò suo se mucrone uigulare videntur dum pecuniam abscõdent. Eò potissimum quòd vix fieri potest sine aliqua specie monopôlij. Nam si inter illos non conueniret vt bursas obserarent, vnus & fortè alter aperiret cambium. ¶ Profectós res est mihi non satis comperta: nihilo minùs in hanc partem mihi ipsi propendère videor, quæ sit posterior conclusio. Vberior accipientiũ copia genere suo si calliditas omnis & versu-

Postremacõclusio.

tia ca-

tia caueatur, causa esse potest augendi cambiorum pretia, sicuti & raritas causa minuẽdi. Conclusio inde suadetur. Primùm quòd cambire monetam vnius loci pro moneta alterius, non solùm licitum mõstratum est, verùm & necessarium. Mox quòd nummorum penuria vnius regionis causa est vt minor tanti æstimatur quàm alibi maior: cùm ergo auctior numerus recipientium cambia, causa sit vt minor habeatur pecuniæ copia quàm dum rariores sunt qui capiunt, colligitur vt hac etiam ratione augeri possit pretium. At verò adeò sunt multæ technæ ac doli qui hac se statim ratione ad augenda pretia insinuabunt, vt non absque formidine & metu fit conclusio in vsum admittenda. Est enim res quæ non tam in scientia posita est quã in cõscientia & prudentia: & ideò optimorum cuique iudicio deferendus est huiusmodi vsus. ¶Ad argumentum ergo quod in vertice quæstionis proposuimus respondetur, quòd etsi pecunia non sit vendibilis, atque adeò neque ,prio pretio æstimabilis, ob id autem quòd est campsibilis & commutabilis, potest pluris minorisque æstimari, vt cum alia alterius loci commutetur. ¶Ad aliud autem quod insuper de fraudibus adiecimus, nihil aliud respondere possumus quàm quòd, vt dicebamus, cuique timoratæ conscientiæ iudicio relinquatur. Nam etsi condemnandum simpliciter non sit vt quis pecuniam suam veluti reliqua bona in tempus seruet, quò commodiùs ac magis è re distrahere possit: vix tamen, vt dictum est, absque fraude fieri potest.

Probatio

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secũdũ

ARTIC. IIII.

Vtrùm cambium ad incertam solutionis quantitatem sit licitum.

EX articulo proximo hìc nascitur, vtrùm scilicet cambiri possit pecunia præsens ac certa pro futura, cuiusvalor incertus sit. Vt si quis alteri centum ducatos numeret eo pacto vt solutio fiat secundum æstimationem cambiorum proximarum nũdinarum: aut Metinensium, aut Lugdunensium, aut Londinensium: parùm enim refert. Et apparet inde non esse licitum, quòd iustitiæ bilances periculo exponuntur: aut quòd minus referatur quàm collatum est: aut (quod multò frequentiùs vsu venit) plus. Nam alterutrum contingat, violabitur iustitia. ¶In contrarium autem est, quòd cùm liceat pecuniam ambiguo euẽtui committere: vt in ludo patet, & in sortibus: non est cur id non liceat in forma cambij.

Argumentum.

AD quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior. Si omnis fraus atq; dolus procul absit, nullam perse habet rationem vsuræ quòd aliquis Mediolani, vel Parisijs: vel alibi, pecuniam alteri conferat: nempe centum aut mille ducatos, siue in auro siue in argẽto (iam em̃ sæpe dictum est nihil referre) pretio cambiorum primarum nundinarum redhibendos. Confessio est etiam Caietani in suo cambiorum opusculo: vbi procul absit fraus. Nempe primùm quòd sit æquilibre dubium pluris minorisve ducatum æstimandum. Secundò quòd ille qui confert, non sit ille qui augendę pecuniæ operam daturus est. Et ratio est plana: imò id licitum esse potest sub forma mutui. Est enim sicut depositio, quàm vadiationem appellant: hoc est expositio pecuniæ periculo futuri euentus: vt etiam diximus de assecuratione. Accipe hac lege centum: & si cambiorum pretia aucta fuerint, solues mihi plus: sin verò, minus, vel æquale. Nam vtraque pars eidem subest aleæ. ¶Quin verò Caietanus in suo opusculo cap. 6. aliud quid addit, quod nescio in tutò affirmari possit, satisque doceri. Nempe bifariàm hoc posse contingere: Vno modò in incertum restitutionem relinquendo, vt hac nostra conclusione assertum est: Altero verò pacto vt quod in dubio est, certa quantitate taxetur. Exempli gratia: credo tibi ducatos nũc centum, valentes argentea, verbi gratia, regalia mille: de quibus tamen dubitatur vtrùm in nundinis valituri sunt mille, an fortè mille ducentos. Potest inquit inter nos conuenire vt mihi referas mille centum, qđ est medium illius excessus suprà capitale. ¶Huius autem contractus æquitatem profectò videre mihi non videor: imò citra dubium id minimè licêre crediderim. Primùm enim asserta nostra conclusio verum non habet, nisi eius moderamine temperata: nẽpe quòd sit æquale dubium, monetam plus

Prima conclusio.

Caietanus.

Caietanus.

quàm modò valituram aut minus: iuxta monitum capituli, In ciuitate. de vsuris. Vt si nunc centum ducati valent mille argentea: æquale sit dubium, valorem æstimandum in nundinis mille centum, aut nongentis: tunc enim æqualis est alea. Si autem certum est quòd sint vel quanti modò valent vel pluris pendendi, non autem minoris: vt casus habet Caietani, nequâquam profectò licet. Nam illud cambium diximus habere rationem depositionis, aut quam vocant, vadiationis, aut ludi: in quibus debet euentus æqualiter in vtranque *Secundum.* pendere partem. Item casus hic secundus manifestum inuoluit mutuum cum lucro. Nam si cambium sit, non potest nisi res pro æquali cambiri: sicut si modò tibi frumentum mutuarem. Quare non est simile de alijs mercibus iuxta tenorem capitu. Nauiganti, quòd qui seruaturus est merces potest illas pluris vendere, si tempore quo à possessore erant vendendæ plus erant valituræ: quoniam pecunia nequâquam vendi potest, sed cambiri. Quocircà si taxatur lucrum, mutuum est, quod vsuræ formam induit. Veluti si modò tibi frumentum mutuarem, & quia creditur plus valiturum, eo te vinculo obligarem, vt pro decem modijs vndecim mihi restitueres. *Documẽtũ.* ¶Ex his hoc colligamus documentum, quòd neque secundum tenorem nostræ secundæ conclusionis, licèt genere suo vera sit, tutum est huiusmodi cambia ad incertam solutionem facere. Nam semper illic abditur anguis: eò quòd perquàm rarissimè, imò possumus dicere, nunquàm, dum hæc cambia fiunt, timetur minus pretium: sed semper certum est auctum iri. Neque fiunt nisi ad personandas vsuras: Adit enim qui indiget mercatorem aut campsorem, à quo pecuniam mutuetur: ille autem non renuit nisi rependatur pretio currenti postea in nundinis, quia *Ad argumẽta facta.* certus est lucri. ¶Argumenti igitur in capite quæstionis obiecti conclusio concedi tur. Nempe secundùm id quod plurimùm contingit non esse cambium licitum: quia iustitia periculo exponitur: argumentum autem in contrarium id tantùm probat, quòd si contigere posset æquale dubium futuri pretij in minus quàm valet dum fit cambium, vt in maius, licitum esset.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm cambium huiusmodi, quòd intercalatis ac prætermissis primis nundinis in alias subsequentes fit, sit licitum.

IN hoc tandẽ postremo articulo, concludere negotium restat totius campsorũ practicæ: qđ vt lucidiùs referat̃ luculentiùsq; examinetur: Arguitur, q̃ liceat sic ciusmodi cãbia celebrare vt propterea q̃ in tertias aut quartas nundinas fiant, pretium augeri possit. Etenim si hæc conditio cambiũ vitiaret, id præsertim quod ratione dilatę solutionis aliquid percipitur: hoc autem minimè accidit: ergo est licitum. Probatur poste rior præmissa: quoniam id pretij: vt campsores sibi obtendunt, non recipitur ratione tẽporis, sed ob id quòd cãbia quæ in longius fiunt tẽpus minùs sunt cãbienti fructuosa. Nam si quã tibi Metinæ numeraui pecuniã non mihi in Flandria in tempore renumeras, cohibeor id eũ lucro huc opportunè remittere, atq; adeò pro illa quã facio iacturã, possum ex te amplius recipere lucri. ¶Secũda ratio auctioris exigendi pretij dum solutio prorogatur, est, vt aiunt, q̃ dum cambia laxiora sunt, hoc est plus tẽporis ad soluendum indulgeat, plures sunt qui illa recipiant: vbi autẽ sunt strictiora, multò sunt rariores: quo autẽ qui recipiant plures sunt, eo cãbiorum pretia meritò augẽtur: sicuti in reliquis mercibus. ¶Tertia: quia quo plus temporis collator cambij concedit debitori ad soluẽdum, minus ei negotium exhibet ad parandam alibi pecuniam: quandoquidem maiori tẽpore faciliùs poterit parare. Ob idq; nõ est iniqua accessio quæ hac ratione ad pretium fit. In contrarium autem est quòd in huiusmodi cambijs manifestè augetur pretium ratione temporis: quod indicium est vsurariæ mutuationis.

Primũ argumentum.

Secundum.

Tertium.

IN campsorũ praxi inter probos, atq; eos qui sunt circunspectæ virtutis, nunquam malè audiuit cambium: quo, vt eorum sermone loquamur, nundinæ transiliunt: hoc est proximis intercalatis ac prætermissis, solutio vsq; ad tertias vel quartas prorogatur. Nihilo minùs verò inter eos de quibusdam ambigitur, quas intercalare & transilire necessarium ducunt: atque adeò existimant

ratione

ratione illius dilati temporis augeri posse
Fūdamētū. cambiorum pretia. ¶Rememoranda ergo sunt nundinarum tempora quas secundo retulimus articulo. Diximus nanque à nundinis Maij Metinensibus, hoc est à fine Iunij, in vsu esse cambiri ad Flandrenses Septembris: ideſt ad mensem Nouembrem intercalatis nundinis Iunij: quarum solutiones fiunt toto mense Augusti, ob id quod cùm solutiones Metinę decima die eiusdem mensis absoluantur, nequeunt commodè chirographa eodem mense transmitti. Item in nundinis proximis Riui Sicci, quarum solutiones absoluuntur Mense Octobris, non cambitur ad Flandras Septembris, quarum solutiones durant toto Nouembri, quia nō satis existimatur tēpus illud ad transmittēda chirographa: sed cambitur ad nundinas. Natiuitatis, quarum solutiones fiunt in Februario. Ac denique à nundinis Octobris, quarum solutiones fiunt in Decembri, plurimum cambitur ad nundinas Resurectionis quæ Bergis celebrantur, quarūq; solutiones fiunt in Maio. Et de hoc est maior dubitatio. Nam dimidiata quadragesima fiunt etiam in Flādria cambiorum quędam solutiones: licet non sint nundinæ: in quod igitur tempus apparet cōmodè mense Decēbri cambiri potuisse. Prætexunt sibi tamen mercatores hanc excusationē, quòd tempus non est satis longū: tùm præcipuè, quia non fiunt tunc nundinæ in quibus debitores æs possint ad soluendū conficere: & idcircò protelatur solutio vsque ad mensem Maium. Aiunt ergo q̄ cùm trimestre tēpus necessariū sit ad mittēda chirographa, nihil aliud q̄ æquitas est ratione illi⁹ tēporis pretium aliquod recipere, quod alteri indulgetur vt commodiùs soluat. Et adhibent ratio
Parisiēsium decretum. nes quas proximè nos denarrauim⁹. ¶Atq; huic potissimùm opinioni ansam porrexit decretum quorundam Parisiensium, anno Domini. 1517. quo ad tria mercatorū quæsita respondentes, eam in tertia responsione illis indulserunt licentiam, vt ratione temporis pretiū possent recipere propter lucrū cessans, ac labores, & industrias. Atq; adeò adiecerunt quòd si intercalatis nundinis solutio in alias differatur, tunc quo lōgius fuerit tēpus plus recipi potest. Fuerunt Coryphęi illius negotij duo fratres Coronelli: ciues nostri: alias profectò nō pœnitendæ eruditionis & famæ: sed tamen in hoc, ipsorum etiā mercatorū cōfessione ab scopo, vt salua eorum autoritate id dixerim, tam de facto q̄ subinde de iure, neq; absq; vlcere conscientiarū mercatorum, aberrārunt. ¶Ad quæ- *Cōclusio responsiua.*
stionem ergo hac respondetur cōclusione: quæ profectò nulli qui rem attentè perspexerit, posse videtur in dubium venire. Non modò nullatenùs licet ob nundinarum intercalationem & prętermissionem pretium recipere: imò si ex ipsa temporis conditione res perpendatur, neque propter illud tempus quod inter cambium interstat & proximas nūdinas. Conclusio ex superioribus elicitur: quin verò articulo secundo est expresse demonstrata: sed maioris tum elucidationis: tum confirmationis gratia hic resumitur. Nempè vt ostendamus argumentis suis campsores contra seipsos pugnare. Aiunt nanq; non recipi pretium pro illo trimestri tēpore quod intercurrit inter Hispanas nūdinas atq; Flandras: sed quia non possunt chirographa citiùs mitti. Haud enim necessum est habere statos equos quibus euolēt: imò bellorū tempore fieri non potest. Nos autem fatemur equidem tempus ad id muneris necessarium. Attamen tēpus illud non
debet in hoc seruire, vt diximus, vt qui pecu- *Probatio. 1.*
niam recipit soluere possit commodè. Nam si de præsenti non habet, fit vt propter expectationem pretium soluat: si verò habet, potiùs ei tempus seruit qui pecuniam contulit. Nam sua interest pecuniam recuperare, ac proinde chirographa mittere, quare nihil ratione illius temporis potest recipere. Itaque dicere ob id quod temporis intercapedo est mittendis contractus instrumentis necessaria, licēre cambium carius fieri, repugnantiam inuoluit. Imò quomodocunque propter tempus illud quidpiam pendatur, significatur mutuum, atque adeò vsura.
Accipe aliarum rerum exemplum. Si ego *Secunda.*
frumentum meum, aut vinum, aut quiduis aliud cum tuis similibus rebus commutarē quas alibi habes eiusdem omninò existimationis cuius meæ sunt: adijcerem tamen, propterea quòd tempus requiritur quo contractus ministris tuis innotescat qui meis restituāt, quidpiam mihi pretij solueres, profectò iniqua esset vsura, nisi perexiguum illū sumptum reciperem, quem in mittendis literis facerem. ¶Sed persistunt etiam tunc in sua defensione, dicentes: Fatemur illū qui in Flandria cābiū recipit, nō habere in prōptu pecuniā Metinæ, sed expectare in nūdinis, vēdēdo suas merces quas illuc mittit col-

lecturum. Porrò autem confessio hæc plus aperit rationemque mutui: quandoquidem ob indigentiam temporis alter recipit, non loci sicuti nobilis ciuis ideò ab vsurario mutuatur: quòd suos expectat prouentus quibus soluat. Et suprà sub titulo de societate, diximus, vsuram esse si quis opifici lanam vel aliam materiam mutuet aut vendat, vt cum fœnore soluat quando ex suo artificio pecuniam collegerit. Eadem ergo vsura est, indigenti mutuare vt sua negotiatione pecuniam congreget vnde soluat. ¶Ad practicam ergo vt descendamus: Cambium quod Metinæ fit, mense Decembri, nihil prorsus, vt reor, refert quando sit soluendum. Porrò inquam siue cambiatur ad nundinas Natiuitatis quarum solutiones fiunt in Flandria in Februario, siue ad dimidiatã Quadragesimã, siue in nundinas Maij: nõ potest neq; obolus recipi plus minusve propter temporis prorogationẽ: nisi id fortè quod in mittẽdis literis recuperandaque pecunia dispenditur: quòd ferè nullum est. Et idem pro cõperto habet Caieta. cap. 6 sui tractatus, nempe ex hoc quod pecunia diutiùs occupata sit, non posse pretiũ exigi: quia non inde fit res ipsa pretiosior. Quia vtiq; ratiõe S. Tho. 2.2.q.78.ar.2. negauit licère rem cariùs vẽdi credito q̃ numerata pecunia: nisi fortè debitor in mora sit: hoc est stato die non soluat. ¶Quod si qui campsorum partes agit respõdeat solutiones fieri cõmodè non posse nisi nũdinis, atq; adeò faciendæ solutioni necessarium esset tempus illud præcedens: hoc idẽ ipsum nos lubẽtes cõfitemur. Sed hæc eadẽ sua nostraque cõfessio à nobis pugnat, cambiũq; vsuræ cõuincit, si pretiũ ratione illi⁹ tẽporis petat. Si em̃ eius qui Metinæ pecuniã cõtulit nihil refert vt illa primo mense aut secundo sibi rependat vsq; ad primas nundinas, non est q̃ debeat quidpiã pretij auctius recipere q̃ si eâdẽ sibi die solueret. Nã vt ipsi fatentur, nũmi qui in proximis nundinis soluuntur, pro præsentibus habentur. ¶Si autem demũ vel lucrũ cessans, vel alios labores, vel industriã sibi prætexant ad incrustãdũ hoc pretiũ ratione tẽporis, iam suprà. q.3. longè me arbitror hęc omnia exussilasse. Lucrũ enim cessans nulla possunt ratione petere: etiã si milies rogati cãbiãt: tum q̃ sua spõte faciũt, tũ præcipuè q̃ à nulla alia cohibentur licita negotiatione: cũ, vt illic declarauimus, solis cãbijs expositam habeãt pecuniã Atq; adeò si genere obiecti vitiorum est cãbium, nulla industria, nulliq; labores digni mercede sunt. Quòd qdẽ si doctores illi celeberrimi Parisienses supra noĩati fuissẽt cõsiderati⁹ meditati, nunq̃ tã patulã vsuratũ occasionẽ mercatorib⁹ obtulissent. ¶Sed ecce vnde præcipitiũ fit in hmõi cambiorũ barathrũ. Nam etsi dociles cãpsores, qui rẽ pspicienter habuerint exploratã, hæc forsan oĩa nobiscũ fateantur, tũ multa cõminiscunt & causant quib⁹ se protegãt. Primũ (in quo rei nodus cõsistit) dicere forte pertendẽt q̃ etsi nõ liceat hoc genere cãbij pecuniã nisi præsentẽ pro præsenti permutare, tũ hæc ratio præsentis non potest hic perinde atq; in reliquis mercib⁹ perpẽdi. Primũ quod fortè dũ Metinæ cãbitur ignorat cambiorum forum quod in Flandria currit vel Romæ. Secundò quod est vrgentius, quanuis modò id notũ esset, nescitur tñ an quãdo faciẽda est apud Flandriam solutio aliquo inopinato euẽtu: malignior futurus sit pecuniæ prouentus, an verò benignior. Qua varietate crescere valor pecuniæ solet aut decrescere. Tertiò, quod horum est confirmatio, eiusmodi æstimatio pecuniæ non fit in illa intercapedine quæ est inter nundinas, sed in nundinis. Et ideo dum cãbitur, verbi gratia, Metinæ mẽse Octobris, necessarium est vt referatur solutio ad aliquas Flandrenses nundinas aut Lugdunen. Nihil enim refert. Quare perinde est cambire à nundinis in nundinas ac si præsentem pecuniam cambires pro præsenti: ob idq; nulla hic latet iniquitas. ¶Quod si quis in contrarium hoc argumento exurgat: Si quando in Hispania fit cambiũ, tunc de valore nõ constat Flandrẽsis, aut Genuẽsis, pecuniæ, fiat cãbiũ in incertũ: vt art. pximo dicebamus: & tamen non sic fiunt: sed certo pretio. Do tibi tantũ in Hispania, dabis tantum in Flandria. Numero tibi tantũ in Flandria, reddes mihi tantum cum fœnore Metinæ. Ex quo consequens fieri videtur quòd nõ possint campsores illo incertitudinis clypeo satis se tutò protegere. ¶Ad hæc autem respondebunt, quòd illa ratione patentior fieret vsurarum campus. Nam tunc qui pecunias Metinæ numerassent, ea vterentur calliditate vt pecunia posteà apud Flandriam minoris penderetur, quò locupletius eis lucrum obueniret. Et pretereà si cambia non nisi in incertam quantitatis solutionem fieri possent, porrò vel nulla essent vel quàm rarissima. Nam quod inuenias qui velint

suam

Caietanus.

S. Thomas.

Suffugium mercatorũ.

Argumentum.

suam pecuniam sic fortuitæ aleæ committere? ¶Imò verò & horum maximum adhibetur ex superiori articulo argumentum, quòd cambia huiusmodi in incertum non sunt licita, nisi quando sunt in vtrãque partem ambigua: videlicet quòd plus sis recepturus quàm confers, vel minus. Et tamen cambia quæ sunt in vsu: non fiunt nisi cum certissimo lucro illius qui prius pecuniam numerat. Nam & qui in Hispania priùs cõfert denariolos quadringentos, recepturus in Flandria non nisi trecentos quinquaginta, licèt perdere videatur, lucratur tamen: vt suprà dictum est. ¶Haud igitur absque causa diximus, hinc fieri præcipitium in cambiorum spinetum, vnde neque dicendo extricare se homo potest: quanto minùs ab eorum se periculo eripere qui in re ipsa versantur? Profectò prudenter ac salubriter Alexander tertius, capitu. In ciuitate. de vsuris. ad interrogatum Genuensis Archiepiscopi respondit. Nempe quòd etsi vendere res maiori pretio credito quàm numerato, quando dubium est an sint plus minusve valituræ, non habeat figuram vsuræ: tamen consulendos fore ciues nè istis se fluctibus propter præsentanea pericula immergant. Nam vix ibidem possunt non latêre fraudes quæ Deum non celantur. Et ideo meritissimò quotquot sunt sancti & prudentes viri, ab ista nummularia quæstuariaque arte deterrent homines: & qui illi se dedunt, malè audiunt apud populum. ¶At verò, nè nihil dicamus, neu totum cambiorum vsum stirpitùs videamur conuellere, dicam quæ in re tam lubrica pro meo captu admonere possum. Primùm huiusmodi cambia fieri non possunt in incertam solutionis quantitatem: propter argumentum modò factum nempè quia semper est certum non minus sed plus valituram restituendam pecuniam quàm sit illa quæ priùs confertur: & nisi certi essent campsores aliquam sibi factum iri lucri accessionem nunquàm cambirent. Secundò hoc fit etiam cõstitutissimum, quòd tẽporis illius expectatæ solutionis nulla est ratio ducenda ad augendum pretium, siue in proximas, siue in tertias, siue in decimas nundinas cambitio fiat. Neque de hoc, ego saltem pro meo ingenio dubitare possem. Tertiò & hoc etiam in præsentiarũ admonuerim, quòd dum aliqua fit nundinarum intermissio vt cambium in illas proferatur in quibus speratur cambiorum pretium actum iri, vsura metuenda est. Verbi gratia, campsorum praxis est in nũdinis Octobris, quarum solutiones Metinæ fiunt mẽse Nouembri, ad nundinas Resurrectionis q̃ fiunt Bergis mense Maij cãbire: eò quòd cùm illæ sint ditiores, pluresq; adeò sint qui cambia succipiant, pluris illic æstimatur pecunia. Atque hac ratione cambia quæ Metinæ in illas nundinas prolatantur, pretiosiora fiũt. Nam iam tunc non cambitur pecunia præsens pro præsenti, sed pro illa quæ in futurũ auctior speratur. Præterquàm quòd semper ratione maioris dilationis plus insuper recipitur. Hæc ergo omnia vsuraria sunt cambia. Et confirmatur hæc ratio: quoniam si illa futuri valoris ratio haberi posit în cambijs, eadem ratio duci posset in cambijs proximorum locorum eiusdẽ regni, imò & eiusdem loci. Posset inquam quis numerare pecunias in nundinis Maij Metineñ. restituẽdas ibidem in nundinis Octobris: easdemq; cum lucro: propterea quòd speratur tunc actum iri pretium, quæ tamen patentissima esset vsura, vt quæstione etiã proxima repetentes mõstrabimus. Quocirca intercalatio solutionum dimidiatæ quadragesimæ profectò non potest non esse suspecta. ¶Igitur nullam aliam videre mihi videor legitimam cambiendi rationem quàm si ex præcedentibus nundinis illius loci ad quem cambitur, & ex præsentibus coniecturis æstimetur absque fraude & dolo pecuniæ valor qui est in præsenti aut in proximis nundinis: & secundùm illud solutio cambij constituatur. Hoc enim esse censeo cambire præsentem pecuniam pro præsenti. Et præcipuè dum cambitur ad Romam & ad quencunque locum, vbi non expectantur nundinæ. Ex quo fit quòd prẽteritio nundinarum nunquàm fieri præsumitur nisi cum vsurarum fraude. Quod si dicas, forsan tempore facien dæ solutionis res fore variatas, Respondetur quòd eiusmodi pericula oportet te subire. Nam hęc est negotiatorum conditio & sors Etenim si vis pecuniam tuam adeò in tuto collocare, iam non est negotiatio, sed verè mutuatio: cuius gratia pretium iure percipere nequis.

Argumẽtũ alterum.

Alexãd. 3.

Prima assertio.

Secunda.

Tertia.

Legitimacã biorũ ratio.

DEscendamus ergo ad superiorum argumentationum responsa, quibus se ipsi mercatores iugulant. Quanuis illi qui rationem suarum habẽt cõscientiarum bene vi-

dent nullius esse momenti: sed illi hæc cogitant qui suam volũt vsuram fucare & incrustare. Ad primum igitur respondetur, quòd etsi cambia ad longius tempus nõ sint adeò frugifera, neque tam commoda conferenti priùs pecuniam, nõ tamẽ ideo fit consequẽs vt possit illius dilationis gratia pretium recipi. Aliàss omnes vsurarum nequitias excusare à culpa valeremus. Nam vsurarius propterea ex longiori tẽpore amplius petit pretium, quòd diutiùs habet suã pecuniam impeditam. Igitur qui noluerit hoc expectãdi beneficium gratis conferre, non faciat eiusmodi cambia, quia neq; si improbissimè ab alio rogetur, excusabitur à peccato. Exponat ergo pecuniam suam aliẽ negotiationi. Imò qui illam causam allẽgat, recipiẽdi pretium, ore proprio, suã fatetur nequitiam, ac si lucrum cessans recipere posset, quod vt superiùs ac rursus nuperrimè dicebam⁹, iustè nequit. ¶Secunda verò ratio, nempe quòd quo laxiora sunt cambia plures sunt qui recipiant, & ideo pretium augeri licet: non est præ sua fœditate audienda. Primùm quia non sunt cambia aliarum mercium trutina perpendenda. Præterea quãdo accipiẽtium multitudo inde emergit quòd plus tẽporis expectatur solutio: iam suprà explicuimus quemadmodùm non sit iusta causa augendi pretia: eò q; radix manifestissimũ in fronte inscriptum habet vsuræ titulum. Quare ridiculum est quòd in tertia ratione adhibetur: videlicet illud auctius non recipi propter longius tempus, sed quia indulgentur recipienti maiores induciæ, vt possit in loco solutionis parare pecuniam. Nam profectò idem est prorsus recipere ratione expectati temporis, atque ob id recipere vt alter possit soluendam pecuniam parare quam in promptu non habet. Hac enim prorsus de causa qui ad vsuras recipit, maiores soluit quanto longius illi tempus conceditur.

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secũdũ

Ad tertiũ.

QVAESTIO DECIMA tertia, De reliquis cambiorum generibus.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm cambia ad proxima loca eiusdem regni sint licita.



Densioribus ergo cãbiorũ spinetis emersi, reliqua quæ decisu faciliora sunt, in hac postrema quæstione proponamus. Et primò arguitur, licitum esse pro cãbio inter duo loca eiusdem regni pretium recipere. Nam loci distantia huic negotio accidentaria est, atque adeò licèt iustitia pretij violari possit, si non pro ratione distantiæ taxetur, vsura tamen non potest committi: quandoquidem & transferre pecuniam ab vno in alium locum: pretio quoq; æstimari potest. ¶Secundò: quia cùm dictum sit posse cambiri pecuniam vnì⁹ loci pro maiori alterius quando pluris illic æstimatur: eãdem ratione id fieri potest in nũdinis eiusdem regni. Vt si cambium fiat Metinæ ad nundinas de Villalon, vbi speratur auctum iri pretiũ potest illud in pactum duci Metinæ. ¶In cõtrarium est quòd eiusmodi cambia meritò apud viros probos vsurę charactẽre inurũtur.

Primum argumentum

Secundum.

AD quæstionem tribus conclusionibus respõdetur. Prima est. Si res syncerè & candidè, vt simpliciter sonat, cõsideretur, potest quidem pro cambijs inter quæcunq; loca quantumuis propinqua pretium recipi. Hanc enim conclusionem prior earum rationum quas proximè faciebamus demonstrat. Si enim magnũ pecuniæ pond⁹ transmittendũ tibi esset à metina Hispalim, vel à Florẽtia Romã, posset qui illã Hispali haberet vel in numerato vel in debitis, eandẽ à te Metinæ accipere: & quia cõsignat eam tibi Hispali, pretium recipere. At verò non ampliùs quàm exiguum illud quo per nuntiũ posset mitti: nisi fortè non fictum sed verũ latronũ vel alius generis periculũ itineri immineret. Nam tunc aliquantulo cumulati⁹ esset iustum. ¶Hæc autem pretia adeò sunt exilis momenti vt nihil apud campsores fiant. Quocircà adhibetur secunda conclusio. Pro cambijs intra regnum soluendis nulla potest æquitate pretium recipi. De illis enim loquor pretijs tantæ æstimationis, quanta campsoribus in vsu esse solet. Probatur: quoniam illa non fiunt causa transferẽdæ pecuniæ. Quoniam ad id neq; labores necessarij sunt neque propter itinerum pericula industria aut diligentia, quę sint aliquo pretio digna. Et ideo manifestum est eius-

Prima conclusio.

Ratio cõclusionis.

Secunda cõclusio.

Probatio.

ciusmodi fœnus pro ratione temporis exigi quo differtur solutio. Neque de hoc vllus eorũ qui bene morati sunt ambigit. ¶ Tertia conclusio. Cambia quæ re vera eodẽ loco aut parùm distanti in eâdem prouincia redhibenda sunt, licèt fieri fingantur ad nũdinas aliorũ regnorum, neutiquâm ab vsuræ labe elui possunt: sed inter ea quæ propriè dicuntur sicca primum habent locum. Quare illa quæ Mediolani, verbi gratia, fiũt per Genuam, aut Venetias, aut per Brugas: & Metinæ per Lugdunum, aut per Flãdriã: si re vera qui Mediolani aut Metinę recipit non habet in illis locis pecuniam, neq; sperat habere vt illic soluat: sed vbi recipit indiget, & illic est soluturus: quicquid campsores fingant, impudentia cambia sunt: vt suprà sub titulo de cambio ratione loci adnotauimus, Hæc enim sunt figmenta & pallia menta quibus campsores nobiliũ bona deglubunt. Sciunt enim dum ciues qui mercaturam non exercent cambia ab ipsis exposcunt, nullos habere apud Flandriam nummos, & nihilo minùs cogunt eos vt ad suos ipsorum campsorum ministros literas dirigant qui cambia remittant. Non solùm ergo hominibus vt illic diximus, imò & Deo ipsi imponere isti pgunt. At verò aiũt, nihil mea refert soluturusne sit mihi alibi an nõ. Sylvest. Porrò autem his Sylvest. respondet, verbo, vsura. 4. §. 9. quòd quando cãpsor id scit vel præsumit, in vsuræ vitium mergitur: quia bene scit nullum recipere pretium nisi pro tẽpore: sicuti ille facit qui fictitios boues à rustico emit quos non habet, eosdemq; illi locat qui saluos sustentet, & operarum merce dẽ soluat. Et quò vsuræ huius venenũ apertiùs patescat, fac ciuium quemlibet qui non est campsor illa calliditate tribuere alteri suam pecuniam auctiorem sibi restituendam, nũquid nõ vt manifestarius vsurarius haberetur? Cur ergo nõ etiam campsor? Multò autem impudẽtiùs eadem fiunt cambia à Metina in Villalon, aut in alteram Metinam: quanuis in virtute eôdem recidat, etsi nominentur per Flandriam aut per Lugdunum. Nam, vt dicebamus, si in nundinis Hispanis facienda est solutio eôdem recidit. Quapropter illa cambia quæ in Italia intra eandem prouinciam fiunt, nempe Mediolani per Florentiam aut per Genuã, nescio quo possint modo personari nè appareãt vsuraria: cùm planè pretium non ratione loci, sed ratione temporis, augeatur.

Tertia conclusio.

AD prius igitur argumentum iam respõsum est. Ad posterius autem respondetur, vt superiùs dicebamus, quòd intra eandem prouinciam fieri nõ potest cambium præsentis pro præsenti pecunia diuerso valore æstimata. Sicuti inter diuersas prouincias & regna. Nam in diuersis prouincijs varietas inde prouenit, quòd in vno loco pecuniæ inopia laboratur: in alia verò vbertate fruitur. In eodem autem regno discrimen hoc haberi non potest, nisi habita ratione diuersorum temporũ: vt si modò maior sit copia & timeatur in futuris nũdinis inopia: & sub hac spe cambiri, vsura esset ratione tẽporis, vt superiori quæstione explicatũ est.

Ad primũ aargumentũ
Ad secũdũ

ARTICVLVS. II.

Vtrùm cambia quæ licèt ad primas nundinas fiant tempore & loco distantes, tamen quo longiùs distant pretiosiùs fiunt, sint licita.

POSTREMVS deniq; cambiorum scrupulus est, vtrùm quo proximæ nundinæ alterius loci distãtius absunt, pretiosi⁹ fieri possit cambium. Et arguitur à parte affirmatiua. Cambire in primas nũdinas quãtocunque tempore distantes, nulla est vsura, vt suprà declaratum est. Quòd si fiant extra regnum, potest maior pecunia pro minori, & econuerso cambiri, vt est etiã definitum: quo autem distantiores sunt tẽpore nundinæ, plures sunt qui cambiorum pecuniam petant: ergo nihil obstat quo minùs cambium pretiosius fieri possit. Quandoquidem vberiorem recipientium numerum pretium cambiorum auget, si ex corrupta radice non pullulet. ¶ In contrarium est quòd augmentum hoc prouenire videtur ex hoc quòd diutiùs expectatur solutio: quòd vsuræ testimonium est.

Primũ argumentum

HVNC articulum ob ea potissimùm cambia adiecimus, quę apud nostrates in more sunt. Nempe propter cambia quæ inter Castellanos ac Lusitanos celebrantur. Enimuerò si cambium ad nundinas eiusdẽ prouinciæ fiat, iam satis dictum est non esse licitum plus recipere, propterea quòd nundinæ plus distent. Nam illic sola temporis ratio habetur. Quando verò cambium extra prouinciam fit, tũc est dubium, eò quòd

Explanatur quæstio proposita.

vel valor pecuniæ diuersus in altero loco, vel trãslatio videtur cambium iustificare: dum nundinæ distantiores sunt tempore. Praxis ergo cambiendi à nobis ad Lusitaniam est, quòd cùm illic non sint nundinæ, sicut de Roma dictum est, non cambitur nisi ad certum tempus. Diuersimodè tamen à nobis ad ipsos quàm econuersô. Campsoria enim penuria quæ Metinæ suscipitur, soluẽda est Olysipponæ post integrum mensem: & cũ illic, vt de Flandria hoc tempore dictum est, non sit tanta pecuniæ copia, pluris apud illos quãm apud nos æstimatur: ob idque ille qui Metinæ mille numerauit, licèt aliquantulo minus reciperet Olysipponæ, tamẽ sicuti de illo diximus qui Metinæ modò numerat & recipiat in Flandria, tantum recipit. Et si tantundẽ in forma recipiat, plus tamen recipit in valore. Et ideo cambium lingua nostra vocatur ad par: hoc est quòd idẽ prorsus recipitur quod confertur: cum tamen illud par Lusitaniæ valore sit maius.

Sed dicere possunt mercatores, ratione trãslationis pecuniæ illud lucrum esse licitum. Attamẽ in remissione quæ illinc ad nos fit, venenosior latet anguis. Remittitur enim ad primas nostratũ nũdinas. Sed quo plus distant, plus mercedis exigitur: & solẽt plurimùm quatuor mensium induciæ cõcedi. ¶Obtendunt autem campsores non illud plus recipere propter tempus, sed quia plures tunc sunt qui cambia recipiant. Et quidem Caietanus in illo suo celebri opusculo, cap. 7. huic campsorum causæ apertè fauet: admonet siquidem diligẽter notandũ, non esse sufficiens signum iniusti contractus minus dare pro cambio, dum tempus multum interiacet ante nundinas, plusque quando proximæ sunt nundinæ: hoc est campsorẽ qui priùs numerat minus dare quando distantiores sunt nundinæ: plus autem quando sunt proprinquiores: vt eandem recipiat pecuniam: ideſt plus lucrari propter longiꝰ dilatum tempus. Sic enim est obscura eius litera explicanda. Nam forsan, inquit, hæc cõsuetudo introduci potuit, ꝓptereà quòd ad longius tempus pauciores sunt campsores qui locum habent venditorum, pluresque cambia recipientes. At verò profectò nisi ego grauiter decipior, non possum non mirari quòd hanc indulgentiam vir tantæ eruditionis campsoribus obtulerit. ¶Ad quæstionem ergo duabus conclusionibus respondetur, ad cambia quæ ad Lusitaniã

Caietanus.

fiunt peculiariter accommodatis. Prior. In pretium missionis pecuniæ hinc illuc, recipi quicquam nequit, nisi quanti æstimaretur simplex translatio pecuniæ, iuxta formam explicatam quæstione secunda. Itaque si cẽtum ducati qui Metinæ mille centum argẽteis regalibus estimantur, valent Vlysippo næ mille forsan tercentum, campsor non potest recipere Vlysipponæ nisi mille centum: & tantillum fortè insuper quantum valeret illa translatio: quæ profectò dum per literas fit, non magno æstimanda est. Quocircà cùm, vt vsus habet, longè plus recipiatur, eiusmodi cambia culpa non carent. *Prima conclusio.*

¶Posterior conclusio. Neque remissio pecuniæ illinc ad nos maiori prorsus digna est quàm eiusdem pecuniæ transportatio valeret. Has simul conclusiones vnica ratio ex superioribus collecta satis probat. Pecunia enim vnius loci non potest in alium cambiri nisi altero duorum modorum, vel ratiõe translationis pecuniæ, vel qui in vno loco ꝓpter eius raritatem pluris æstimatur quàm in altero, in quorũ neutro nulla haberi potest temporis ratio, sed laboris in transportando, & præsentis æstimationis amborum locorum. Sed refulget hîc lucentiùs ratio occluditurque magis via palliandi vsuras, propterea quòd nullum hîc patet suffugiũ ad nundinas: quæ quidem in Lusitania nõ fiunt, vt expectetur quantum illic sit valitura pecunia. Præterea quòd in remissione inde ad nos manifesta comitatur vsura, palã inde fit, quòd quanto maius est temporis interstitium vsque ad nundinas, maioris æstimantur cambia. Et quo ad argumẽtũ à nobis præfactum, ac perinde ad opinionẽ Caietani, respõdeamus: Manifestum est quòd numerosior multitudo recipientium cambia non aliunde nascitur quàm quòd laxiores indulgentur ad soluendum induciæ. Quare illa de causa augere pretia, manifesta est iniquitas. Secùs si, vti quæstione præcedenti diximus, idem receptorum numerus aliunde augeretur. ¶Præterea & inde detegitur vsuræ facies quòd campsores Metinẽses propterea ad id cogunt cambiorũ receptores ad soluendum primo mense, vt inde posteà longior sit temporis distãtia vsq; ad proximas nundinas vt locupletiùs remittantur. ¶Sed rogant fortè campsores quomodò cambient? quia non potest primo mense sibi Vlysipponę pecunia solui in numerato, propter eius qui illic est raritatem, *Posterior cõclusio* *Probatio vtriusque cõclusionis* *Scrupulus.*

sed

sed in remissiuis chirographis: & ideo cogũ tur illo tempore cãbire quo proximæ nundinæ longè distant. Respondetur autem ita iustè cambire posse si nullam prorsus temporis rationem habeãt: hoc est eodem prorsus pretio cambiant, dum nundinæ per quatuor mẽses absunt ac si intra mẽsem essent. ¶Haud equidem nescio quàm plurimos ab alijs multiplicari cambiorum modos, quos nos cõsulto missos fecimus: tum quòd adeò sint obscuri vt nullatenùs possint lectorem informare: tum etiam quòd omnia summatim fundamenta me arbitror tradidisse, per quæ de singulis potest quisque oculatissimẽ iudicare. Nam fateor nisi qui mediocris fuerint ingenij, & attenta consideratione rem fuerint speculati, prætereà ab ipsis campsoribus instructi, non possunt ad tanta quanta hac arte accidunt ambigua, respondere. Bellorum enim calamitas, quam ciuium peccata in rempublicam inuehere solent: in causa potissimùm esse consueuit vt reges pecuniã vndique & maximè ex famosis nundinis cãbiorum via corradant. Atque hac de causa cambiorem turba & sæpe præter legẽ permittitur. Sed fieret multò consultius, si in tali calamitate Rex secum tantùm eadem sineret cambia fieri: cæteris verò interdiceret: nã cum non sit par in cæteris ac in ipso necessitas, non debet fieri consequens, vt si cum rege fiant, fieri debeant cum cæteris. Quanuis quæ personatæ vsuræ sunt, neque cum rege licitæ fiunt.

Solut.

De cambiorum ministris.

DE ministris autem cambiorum, per ea quæ superiori libro de vsurariorum famulis dicta sunt, iudicari potest: quanuis in cambijs celebrandis noua quæpiam de illis adnotanda supersunt. Est enim dubium an qui cambium nomine aliorum recipit, tutò id faciat. Exempli gratia. Sunt locupletissimi mercatores qui regi potissimùm pecunia succurrunt, neque absque ingenti fœnore: sed aiunt tanquàm eius ministros se ex multis locis campsoriam colligere pecuniam, quam ei contribuant: & ideo mundos esse ab omni vsuræ labe, si quas vsuras soluunt ab ipso recipiant. ¶Hic autem multa sunt consideranda. Accipere enim nomine regis dupliciter contingit: imò verò vno tantùm contingit re vera modo, sed ipsi alterum fingunt. Ille inquam propriè cambium accipit nomine regis, aut aliùs magnatis, aut mercatoris, qui tanquàm eius famulus id exequitur: puta quia eius œconomus est, vel à secretis, &c. ita que ipse non fit debitor cambij quod recipit, neque posteà tanquã suum tribuit regi: sed rex est qui per illũ recipit. Et talis minister nullam vsuram cõmittit, sed accipit vice domini ad vsuras: quod vrgente necessitate licitè fit. Sed alius est qui licèt fingitur minister regis, non est tamen: nempe mercator aut campsor qui aliũde ad vsuras accipit vt regi sub eisdem vel maioribus tribuat. Exempli gratia: Petrus accipit à Paulo & à Ioanne &c. & dat regi: itaque rex non cambit cum Paulo vel Ioanne, sed cum Petro: qui fit dominus pecuniæ. Hic ergo personatus fit regis minister: cùm officium cãpsoris exerceat: & ideo accipere ad vsuras, peccatum illi est: non solũ quia id facit absq; propria necessitate, verùm quia ad vsum illicitum accipit: ac perinde ea sub vsuris regi tribuere, aliud est ei nouum peccatum vsuræ. Id quod ex alio eorum vsu fit etiam apertius. Aiunt enim quod qua ratione possunt aliũde sub fœnore pecunias disquirere quas regi tribuant, possunt & suas tribuere proprias. Hoc ergo non faciũt nomine alterius, sed proprio. Quare de istis citra dubiũ vllũ si cãbia faciãt vsuraria, verè vsurarij sunt. ¶De cambiorũ autẽ proxenetis, hoc est de intercurrentibus constituentibusq; inter partes cambiorum pretia, non dubito quin adeò sint vsurarum ministri vt eodem cõuoluantur vitio: quanuis peiùs illi qui factores campsorum sunt, & ipsorum nomine cambia faciunt. ¶De his ergo factoribus qui aliorum nomine cambia faciunt, magna est dubitandi ratio, quando & quomodo ad restitutionem teneantur. Ad quod ideo in calce huius disputationis respondere pro captu nostro est operæ pretium. Et quidem si scientes ac prudentes vsuraria cambia faciant, ad restitutionem indubiè tenentur: idque ratione acceptionis, quæ illis peccatum est: etiamdum nihil sibi lucri acquisierint. Si autem ignoranter & bona fide: arbitrantes cambia esse licita, vsq; adeò, vt (si accidere potest) ab omni sint culpa incolumes, liquidum est nõ teneri ratiõe acceptionis: teneri tamẽ videnẽ ratione rei acceptæ, cũ posteà cambiorũ iniquitatẽ resciuerint. Saltẽ dubio procul tenẽtur quãdo aliquid lucri apud ipsos remãsit. Si verò nihil illis prorsus ex lucro prouenerit, dare in primis tenentur solertissimè operam vt illi quorum nomine cambia fecerũt, restituant. ¶Si autem id perficere nequeãt, tunc

Dubium.

Solutio.

De cãbiorũ proxenetis.

Dubitatio.

tunc meritissimô dubitatur, an iidem ipsi restituere teneantur. Neq; dubium facilis solutionis est. Enimuerò quòd nullatenùs teneantur, ex illis radicibus argumentum extruitur quas lib. 4. sub titulo de rest. iecim⁹. Haud enim aliunde quàm ex altero duorũ capitum vinculum restitutionis nascitur: scilicet aut ratione acceptionis, aut ratione rei acceptæ. Qui autem accipiendo nullã prorsus commisit culpam, non tenetur ratione acceptionis, nisi in mutuo & similibus, vbi promisit reddere. Hoc patet vtroque iure: nã tota lex Aquilia, quæ de iniur. & dam. dato, scripta est, nemini actionem dat nisi contra eum qui in culpa fuerit. Et extrà, de iniu. & dam. dato, can. si culpa. non dicitur si causa tua, sed si culpa tua datum est damnum. Vnde neque in practica, neque in foro exterioris iudicij, vllus dãni aut iniuriæ cõdẽnat nisi qui in culpa fuerit, saltẽ leuissima. Accedit & quod suprà diximꝰ, ꝙ si quis à latrone partem furti dono susceperit quod cõsumpserit, neque factus fuerit inde ditior, nullatenùs teneri: isti ergo factores ratiõe acceptionis non tenentur, neque apparet teneri ratione rei acceptę postquàm nihil prorsus lucri eos tetigit. Hæc argumenta hanc profectò negatiuam partem concluderent, nisi quòd ignorantia iuris nunquam, aut vix vnquam, prorsus excusat, nisi homo sit agrestis, & ius valde reconditum. Cambiorum autem vsus adeò publicitùs malè audit, vt nemo sibi prætexere queat excusationis clypeum, nisi peritos bona fide consulat, quin verò peritissimos atque homines præcipui nominis: adeò omnes clamant periculosissimam artem esse. Quocirca ego non auderem istos prorsus saltẽ à toto excusare. Sed si soluendo sunt, tenentur creditores conuenire, & cum ipsis de re cõponere vt aliquid soluant: aliquid verò eis condonetur.

Primum argumẽtum. à parte negatiua.

Argumẽ. 2

Solutio.

FINIS LIBRI SEXTI

DE IVSTITIA ET IVRE.

LIBER SEPTIMVS
De Iustitia & Iure.

QVAESTIO PRIma, De substantia voti.

Sanct. Tho. 2. 2. quæst. 88.

ARTICVLVS. I.
Vtrùm votum sit alicuius rei possibile, ad quã vi præcepti non tenebamur.

HACTENVS de iustitia & iniustitia earũque partibus subiectiuis, hoc est speciebus huic virtutis generi subiectis, dictum est. Amodò de partibus eius potentialibus, id est illi annexis, subsequitur vt dicamus. Dicitur enim pars potentialis virtus illa quæ cũ non sit eius directè subiecta species, eò quòd non omnimoda ratione cum illa conuenit, nihilo minùs propter aliquid, quod vtriq; cõmune est, ad illam ceu ad capitalem reducitur. Exempli gratia. Absoluta iustitiæ ratio tria comprehendit. Primum quòd est vnius ad alterum: secundum quòd versatur circa debitum: ac tertium quòd æqualitatem soluti ad debitum cõstituit. Liberalitas autem licèt non versetur circa debitum, est nihilo minùs ad alterum cui per ipsam beneficium confertur. Ob idq; licèt non sit iustitiæ species, reducitur tamen ad illam ceu pars eius potentialis. At religionis virtus quæ inter nos & Deum consistit circa debitã quidem reuerentiam & famulatũ quem ei debemus *Aristo.* versatur. Sed tamen quia Deo, vt author est 5. Ethi. Arist. æquale reddere non possumus: hac ratione, à vera ratione iustitiæ deest: qua propter reducitur ad iustitiam: tametsi ratione obiecti longè sit quàm illa præstantior. De liberalitate autẽ ac misericordia: deq; id genus cæteris, quæ longiùs à iustitia distant, nihil præsenti Opere tractare decreuimus: sed de religione. Neque verò de cunctis eius partibus: abiret enim Opus in immensum: Sed de his tantùm quæ cum iustitia coniunctiorem habent affinitatem: nempè de voto: quippe quod reddere ad fidem pertinet, quæ est iustitiæ fundamentum: ac de decimis, & simonia: quæ, nisi quòd materia differt, similima est vsuræ, sacrilegaq; iniustitiæ species: & postremò de his quæ ipsi vicissim, præsertim episcopi, tum populo, tum ecclesijs debent, tam in eleemosynis quàm in resi dẽtia. ¶ Præsens ergo Septimus liber in voti sermone versabitur. Neq; nobis vitio dandũ est quòd ordinem quodãmodò D. Tho. nõ insectamur. Nam tum quòd decimarum tractatus Simoniæ disputationi affinis est, quæ voti sermonem subsequitur, tũ etiam quia spontaneæ promissionis consideratio illam antecedit, qua obligatio cõsideratur reddẽdi id quod debetur: in hoc septimo agere cõstituimus de voto quo Deo aliquid vltrò ꝓmittitur, & in subsequenti de oblationibus, ac decimis quæ eidẽ debitæ sunt. ¶ Atque ea propter hunc statim in fronte articulum proponimus: Vtrùm votum sit rei alicuius possibile, quam anteà vi præcepti nõ debebamus. Nam si nihil est quod Deo nõ *Primum argumentum* sit vigore præcepti debitũ, inanis est vouendi religio. Et arguitur à parte negatiua. Nihil operis præstare Deo possumus quod ei non sit à nobis tenore præcepti dilectionis super omnia debitum: ergo vanum est quidpiam vouere. Probatur antecedẽs: tenemur cum diligere ex toto corde, ex tota mẽte, & ex totis viribus: ergo nihil est quod virtute huius maximi mandati non illi debeamus. ¶ Secundò. Ille nos de nihilo creauit, suaq; misericordia pascit, & sustentat: ergo quicquid sumus, atq; adeò quicquid operari possumus, illi debemus. Imò vero, vt etiã Ethni cusipse Arist. 5. Physi. agnouit, nihil ei possumus pro susceptis beneficijs par rependere: nihil ergo ei aliàs in debitum spõdere possumus. *Aristo.* ¶ In contrarium autem reclamat tota scriptura sacra, vt Deute. 23. Cùm votũ voueris Dño Deo tuo, non tardabis reddere, & Psal. 75. Vouete & reddite Dño deo vestro.

Hanc

HAnc quæstiunculam, licèt scholasticis insolitam, quã superficie tenus in calce secundi libri tetigimus, toti huic nostræ disputationi præ foribus affiximus, vt Lutheranis obuiam occurreremus, qui hãc vouendi religionem futilem & commentiã contendunt. De qua re illos lib. 3. de natu. & gra. cap. 2. in iudicium detulimus. Lutherus inquam in suo damnato Opere De votis monasticis, demoliri nititur morem hunc ecclesiasticum: quoniam res est, inquit, sine authoritate & exemplo scripturæ, merumque ac pernicioſum hominum inuentum. Audi monachum quanto impetu suũ euomat institutũ: idq; posteà Lutheranis in suis dogmatibus confirmare studuerunt. Fuit enim Lutherus omnium hæresum Vuicleff fidus atq; impudens renouator. Ille quippe molimen hoc fuit anteà molitus. Contra quem celeberrimus Thom. Vuald. tomo. 5. de sacramentalibus, titu. 9. c. 83. & 84. doctissimè ditissimeque de hac re disseruit. Sed vt alios omittamus, rationem originemq; erroris huius, vt nos loco citato explicuimus, ex duobus fontibus Lutherus deduxit. Primus fuit, quòd putauit præcepto dilectionis Dei super omnia teneri nos ad omnia opera officiaq; illi offerẽda, quæ facere possumus: vt in primo argumento dicebamus. Vnde cõtinuò intulit, non solùm nullum esse opus quod non sit natura sua præceptum, verùm nullatenùs mortales in hac vita posse illud præceptum satis implere. Quapropter ait quemcunq; quantumcũq; iustum in omnibus operibus delinquere, vt articu. 31. & 32. ad Leonem adstruit. Quoniam arbitrabatur hunc dilectionis modum quocunq; præcepto concludi: quem quidem modum cùm pro ratione præcepti adhibere non possimus, quocunq; opere delinquimus. Sed tamen misericordia, inquit, Dei est quòd non nobis eãdem omissionem imputet. Ex quo sibi ipsis inferũt nullum esse supererogationis opus, quod esse queat peculiaris materia voti. Alter istorũ putidus fons extitit, quod opera iusti debent liberrimè fieri: votum autem necessitatem infert ac subinde libertati obstat. At secundi huius capitis error quæsti. subsequenti monstrabitur. Primũ tamen expugnauimus loco citato. Nimirum ostendentes quemadmodum in illa blasphemia persistant, quòd Deus nos ad impossibile obliget. Hæc autẽ expugnatio nihil ad præsens. Sed idcircò de hoc errore meminimus, vt radicem panderemus ex qua illas in nos blasphemias depromunt: porrò quòd distinguamus à præceptis consilia: cùm tamen omnia sint præceptis cõprehensa. Item quòd putemus aliqua esse opera supererogationis, per quę homines & nos præcipuè monachi satisfacere gloriamur: nõ solùm pro nostris, verùm pro alienis delictis: de quibus subinde supererogatiões operibus vota emittimus. Fuit tamen hæresis hæc aduersus Pelagianos condemnata: vt refert Augustin. in epistola ad Pauli. Vbi ex decem eorum erroribus illum quintum facit quòd diuites baptizati tenerentur renũtiare omnibus diuitijs. ¶ Respondetur ergo ad quæstionem catholica conclusione. Præter opera præceptorum supersunt alia non debita quorum votum emittere iustũ est, ac celebre religionis officium. Conclusio tum frequentibus vtriusq; instrumenti testimonijs stabilitur, tum etiam locupletissimis sanctorum exemplis, ac subinde ineluctabili ratione. Oracula enim veteris legis iam cœpimus ex Deut. 23. citare: & ex Psal. 75. Extat & Num. 6. lex: Vir siue mulier cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint domino consecrare, à vino & omni quòd inebriare potest abstinebunt. Et Eccles. 5. Si quid vouisti Deo, nè moreris reddere. Et Prouerb. 20. Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare. Neq; verò se satis ab his iaculis ab clypeo illo protegunt, quòd vetus lex iam pridem cum suis præceptis est antiquata: nã hæc non ex ceremonialibus habentur, aut iudicialibus quæ abolita sunt: sed planè inter moralia quæ naturæ iure perdurant.

Imò verò quò istorum cæcitas apertiùs deprehendatur, Ethnicorum mos locupletissimo testimonio est ipsissimo naturę iure hãc vouendi religionem fundari. Sanè quibus semper vbiq; terrarum solenne fuit tam rebus afflictis, quàm pro lætis victorijs vota suis delũbtis nuncupare. Vnde Liuius lib. 1. Tullus, inquit, in re trepida duodecim vouit Salios, fanaq; Pallori & Pauori. Et Psaltes ipse prospiciebat Euãgelicã vbi aiebat, Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Sacrificium enim laudis sacrosanctum conuiuium nostrum est, cui composuit reddere vota. ¶ Mox & patrum exempla perpetuò durant vt illa imitemur. De Iacob autem legitur Genes. 28. votum vouisse Deo. Et de Anna Samuẽlis matre. 1. Reg. 1. Et vt reliquos sileamus, ex illo Lucæ. 1. Quoniam

Lutherus. *Vuicleff.* *Thomas Vualdensis* *Geminus fons vnde Lutherus pteritum errorẽ hausit.* *Autor libro de natura & ratio* *Augustin.* *Conclusio catholica.* *Prima probatio.* *Probatio secunda.*

niam virum non cognosco. clarè colligitur
Augustin⁹. sacratissimæ Virginis votũ, vti Augustin. asserit in lib. de nuptijs & concupiscentia: & refertur. 27. q. 2. can. sufficiat. Et in noua lege de Paulo legitur, Actu. 18. totondisse sibi caput in Cenchris, quòd haberet votum. Et in Euangelio Matth. 19. constat votorum instituta Christo esse probatissima. Ait enim primùm esse eunuchos qui se castrauerũt: hoc est sua spõte absq; legis vinculo, propter regnum cælorum. Et nè contrà cum Lutheranis existimaretur præceptum, subdit: Qui potest capere capiat. Cuius instar ait. 1. ad Corinth. 7. Paul. De virginibus præceptum non habeo: consilium autem do. Deinceps subsequitur adolescentis historia: qui Christum interrogatione pulsans quid faceret vt vitam haberet æternam, responsum accepit, vt seruaret mandata. Cui rursùs dicenti cuncta à iuuentute custodisse, respondit Christus: Si vis perfectus esse, vade & vẽde omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me: vbi apertè perfectionis statum à præceptorum materia discreuit. Ait enim primùm: Si vis ad vitam ingredi, tanquàm de re necessaria. Quare vt legitur, Mar. 10. postquàm adolescens respondit omnia seruasse, intuitus eũ
Hieronym. Origenes. Christus dilexit eum. Vnde fit consequens non fuisse mentitum, licet Hieroñ. & Orig. ad contrarium annuere videantur. Ob idq; Dominus cupiens eum ad vberiorem frugem promouere, culmen ei perfectionis mõstrauit, quo post præceptorum fundamentum in consilijs prominet. Quocirca illicò Petrus publico Apostolorum nomine subdit: Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis? Super quo lo
Augusti. co Augustin. lib. 17. de Ciuitate Dei, cap. 4. ait: Hoc votum potentissimi vouerant, iuxta illud. 1. Reg. 2. Dans votum vouenti. Constat ergo Apostolos voto se obsequio Christi cõsecrasse. Hæc autẽ non est loci præsentis locupletiùs disserere: quæ rursùs. q. 5. sub titulo devoto religionis in mentẽ redibunt. Sed expediebat statim in libri vestibulo rationem patefacere cur extra præcepta materia patet multa vouendi, quæ nõ sunt lege debita.
Ratio conclusionis. ¶Ratio ergo cõclusionis de contrario principio, quàm quo Lutherani nituntur, ducitur hæc. Plurima extant opera ad quæ nullum nos cogit præceptũ, multaq; alia àquibus neq; legis prohibitio nos arcet: ergo voto possum⁹ & ad illa nos obligare, & ab his nos cohibere. Probatur antecedens. Prouidentissimus Deus in ædendis legibus quibus nos cogeret, non tantùm ad id aspexit, quod nos illi procreationis beneficio deberemus, quodq; à nobis posset absoluta autoritate exigere: sed cùm omnia suauiter pro cuiusque cõditione disponat, ad id prorsùs quod vniuersi mortales secundùm imbecillem naturam nostram præstare sufficiebamus: nam lex omnes æquè obligare debet: atq; ad id maximè quòd tum ad eius cultũ, tum ad nostram mutuam charitatem necessarium erat. Hoc autem non est quicquid vnusquilibet totis suis viribus efficere potest: sed, ea prorsus quæ in Decalogo continentur, & quæ illi tanquàm ibidem implicita appendent: ergo reliqua omnia in nostra sunt posita libertate, faceréne ea velimus an
Cõfirmatio. secùs. ¶Idque apertiùs confirmatur. Deus naturæ autor præter sacramentorum decreta nihil nobis aliud edixit quàm quod ipsa præcepisset: natura autem non obligat vniuersos vt vnusquisq; quantum potest faciat: ergo neq; Deus. Aliàs non omnes ex æquo suis legibus obligaret: cùm nõ omnes æqua valeant. Est ergo nihil minùs quàm vesãnia sic de Deo sentire vt isti prædicant. Colligamus igitur multa nobis esse extra præceptorum lineam arbitraria & libera, quæ sint nobis votorum materia. Adde quòd votorum materia, vt paulò inferiùs patebit, nõ modò sunt consiliorum opera, verùm & præceptorum. Sed hactenus locuti sumus de illa peculiari quæ nõ nisi voti obligatione fit debita.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum in contrarium, negamus maximo illo dilectionis mandato omnia complicari opera, quæ quisq; exhibere potest: sed satis est sic tota mente, & anima, & viribus Deum diligere, vt nihil eidem dilectioni aduersum admittamus: quod quidem in hac vita per Dei fauorem & subsidium implere possumus. Dupliciter quippe vt. 2. 2. q. 44. ar. 6. author est S.
D. Thomas Tho. præceptum hoc impleri potest. Vno modo perfectè: scilicet dum ad finem perue
duplicitèr impleri potest præceptum dilectionis dei sup omnia nitur quem Deus intẽdit: qui sanè est, vt homo se illi omnimodò amore coniungat, vt neq; venialiter delinquere, nec alium admittere amorem queat. Atq; hoc fiet in patria quando secundùm verbum Apostoli. 1. ad Corint. 15. Deus erit omnia in omnibus. Vn
Augusti. de August. lib. de perf. iust. Illa, inquit, plenitudine charitatis patriæ præceptũ illud iurplebitur: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto

toto corde tuo. Sed alio modo impletur imperfectè: quando scilicet etsi non perueniatur ad finem, tamen à regula non receditur, quæ illuc ducit. Et isto modo impletur in via. Quare impletio hæc non eò dicitur imperfecta quòd non sufficiat ad euitandam culpam, sed quòd per ipsam non assequimur fidem. Vnde idem Augustinus lib. de spiritu & lit. cap. 26. inter militantem vitã & triũphantem sic discernit quòd ad iustitiam huius vitæ quæ illo dilectionis mandato præscribitur, satis est non peccare. Neque id, inquit, deputandum est culpę, quòd nondum potest hic esse tanta Dei dilectio, quanta illius erit, dum à nobis conspicietur. ¶ Ad secundum autem respõdetur quòd licet quicquid simus, figmentum Dei simus: non tamẽ quicquid operamur, ei virtute præcepti debemus: vt pote qui suas leges naturæ nostræ tenuitate admetitus est.

Ad secũdũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm votum in solo voluntatis proposito perficiatur.

SVpposito, votum esse posibile propter liberam materiam quæ extra præceptorum obligationem superst, quæritur de eius substantia quæ per definitionem innotescit. Atqui ordine peripatetico prima inuestigatio est de genere: ac subinde de forma definitionis: secunda de materia. Primum exploratur in hoc articulo, atq; alterum in sequenti. Compertisimũ ergo cùm sit, votum esse actionem humanã quæritur cuiusnam sit potentiæ actus, vtrũ scilicet sit voluntatis propositum, an verò intellectus promissio. Et arguitur quòd sit propositum. Est enim multis recepta definitio voti, quòd sit cõceptio boni propositi cum animi deliberatione firmata, qua quis ad aliquid, vel faciendum vel non faciendum se Deo obligat: propositum autem huiusmodi firmum solo voluntatis motu perficitur: ergo votum in tali proposito consistit. ¶ Secundò & vox rem ipsam ostendit. Dicitur enim votũ à voluntate: nam id quisq; proprio voto facere dicitur quod voluntate facit: cùm ergo promissio non nisi rationis opus sit, fit consequens vt in voluntate votũ consistat. ¶ Tertiò, Illic votum perficitur, vnde obligatio nascitur: nam hæc est voti genuina virtus: obligatio autem ex solo proposito absq; vlla promissione exoritur: ergo illic votum consummatur. Probatur minor. Per hoc quòd quis mittit manum suam ad arãtrum, obligatur ad opus, secundùm illud Lucæ. 9. Nemo mittẽs manum suam ad arãtrum & respiciẽs retrò, est aptus regno Dei: nempè quòd obligationem frangit: per hoc autem quòd quis opus proponit, mittit manum ad arãtrum: ergo illic fit obligatio, atq; adeò votum. ¶ In contrarium est illud Eccle si. 5. Si quid vouisti Deo, nè moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Vbi quod priùs nominatur votum, illicò nuncupatur promissio: in qua ideo eius est substantia posita.

Primum argumentum

Argumẽ. 2.

Argumẽ. 3

AD quæstionis elucidationem hoc primũ de nomine notandum est, quod est latinis celebre: idque duplicis significatus. Est enim verbi illius nomen, quod est, vouere: hoc est promittere: nõ cuiq;, sed Deo, vel diuis: Promittere siquidem, pollicericq;, & spõdere, communia verba sunt pollicitationũ quæ vel Deo fiũt, vel hominibus: vouere autem eam præcisè significat quæ fit Deo. Est nanq; votum, vt in subsequentibus patebit, religionis promissio, ac virtus qua soli Deo eiusq; sanctis seruimus. Vnde Cicero ad Atticum: Ego me maiore religione quàm quisq; fuit vllius voti, obstrictum puto. Quocirca vota nuncupare est diuis voce polliceri, & destinare pro fœlici rerum euentu. At verò quia id quod à Deo votis, hoc est oblatis promissionibus deposcimus valde desideramꝰ inde vsu venit vt desiderium ipsum votum dicatur. Vnde voti cõpotes dicimur, & pro voto succedere gaudemus dum nostra assequimur desideria. Et vota facere idem est quod optare, auêre, & precari. Hic autẽ non vsurpatur nomen in hoc posteriori, sed in priori significatu: vt vouere sit vota emittere, & quod latinè dicitur, vota suscipere: hoc est aliquid Deo sanctè polliceri. ¶ His præhabitis ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prior est. Ad votum tria ex necessitate requiruntur. Primò quidem rationis deliberatio. Secundò verò propositũ voluntatis. Sed tertiò promissio in qua ratio perficitur voti. Probatur: votũ obligationẽ secum affert ad aliquid faciendum vel cauendum: obligatio autem quæ ex propria volũtate nascitur (nam secùs de illa quę oritur ex lege) per modum promissionis fit: ergo ante pro-

Prima voti acceptio.

Cicero.

Secunda acceptio.

Prima conclusio.

Probatio cõclusionis.

promissionē nullum est votum. Probatur minor. Obligat se homo alteri non aliter quàm ordinando se illi, offerendoque id ad quod obligatur: ordo autem est opus rationis. Quare sicut imperando (qui est actus prudentiæ (ordinat homo ac disponit quid fieri à suo famulo debeat, & deprecando quid sibi per superiorem fiat, sic promittendo ordinat quid ipse pro alijs facere disponat: atque adeò in hoc rationis actu cōsistit obligatio, ac subinde votum. Promissio autem ex faciendi proposito proficiscitur: proposito verò, cùm sit actus deliberatæ voluntatis, deliberatio rationis antecedit: ergo tres isti actus sunt ad votum ordine necessarij, Adde quòd cùm ex promissione obligatio emergat, debet ei innotescere cui fit. Est autē hoc inter homines ac Deum interstitium, quod cùm nobis non nisi vocibus aut exteris nutibus aliena mens innotescat, non potest homo homini, nisi voce aut signis quicquam promittere. Vnde Prouerb. 6. Illaqueatus es verbis oris tui. Deo autem, cui intima cordium patent: secundùm illud. 1. Reg. 16. Homines vidēt ea quæ parent, sed Deus intuetur cor: per solam mentis loquelam fieri potest promissio. Quo fit, vt si voti essentiā ac necessitatem spectes, in intellectu absque vlla voce consumatur. ¶ Posterior conclusio. Solent nonnunquàm duo alia superaddi voto, quæ sunt illi accidentaria. Sed nihilo minùs ad eius attinent expressiorem firmitatem. Vt puta externa oris pronuntiatio: secundùm illud Psal. Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea. Quæ quidem verba non sunt respectu Dei necessaria sed respectu nostri: sicuti vocalis oratio, ad expergefaciendos nostros animos, excitandosq; mentis oculos in Deum. Secundò etiā acciri solet aliorum testimonium, vt non solùm Dei metus, verùm & humanus pudor firmiores nos reddat, nè voti fidem defringamus. Quō forsan allusit sententiarum Magister in. 4. dist. 38. vbi ait quòd votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo & de his quæ sunt Dei, fieri debet. Tametsi & de testificatione interna fortè loquatur, qua se homo Deo debitorem constatur. ¶ At verò quanuis hæc lucida sint, nihilo minùs plusculæ lucis indigēt. In primis circa tres actus prioris conclusionis recolendum est ex Philos. 6. Ethicor. cap. 9. & 10. tres esse prudentiæ actus, scilicet consulere, & iudicare seu sententiam ferre, ac tertiò imperare. Suppositā enim finis intentione quæ ex virtute morali proficiscit, verbi gratia, temperatè viuendum est, voluntas intellectu vtitur ad consultandum de medijs, cōferendumq; difficultates quę sunt in religione cum illis quæ sunt in coniugio, illaq; mediorum collatio est cōsilium. Inuentis autē medijs per syneſin fertur sententia: quæ est melioris commodioriſq; medij approbatio. Significato ergo deliberationis, ambo comprehenduntur, tam consilium quàm sententia. Atque hoc est proprium voti fundamentū. ¶ Restat tamen de huiusmodi deliberationis maturitate, quāta esse debeat indagare. Vtrùm antequàm votū obliget cuncta sint consilio deliberanda, quorum ignoratio cohibere hominē posset à vouendo. Hæc enim apparet esse quorundam Iurisconsultorum opinio: in quorum cœtu esse videtur Richardus lib. 4. dist. 38. ar. 1. Vbi ait quòd vbi non est plena deliberatio, & si sit semiplena, inde nullum oritur voti ligamē. Et arguitur pro hac opinione. Votùm, cùm à voluntate dicatur, debet esse spontaneum & voluntarium: ignorantia autem voluntarium tollit: ergo vbi non omnia plenè liberantur non est plena libertas, atq; adeò nec votum. Secundò. Vota hæc qua facilitate fiunt, subinde franguntur: ergo periculosa sunt, neq; succedere valent prosperè: atq; adeò totius est illa irrita reputare. Quapropter non desunt qui dicant, referente Syluestro in verbo, votum. 2. §. 13. quòd iratus aut bene potatus. vouēs aut iurans ingressum religionis, non tenetur: quia quod calore iracundiæ fit, pro non facto haberi debet. ¶ His tamen nihil obstantibus sentiendum arbitror cum Palude. 4. distinct. 38. q. 1. & cum Caietan. præsenti articulo, quòd ad votum requiritur plena deliberatio. Plenitudo tamē deliberationis bifariā intelligi potest. Vnò modo vt opponit subreptioni: motui scilicet subitaneo, seu merè naturalis sit, quē vocāt primo primum, vbi nulla est ratio vel culpæ vel meriti: seu secundo prim⁹ in quo sola esse potest venialis culpa: & talis deliberationis plenitudo necessaria est ad votum. Alio modo plena deliberatio est qua nihil quod deliberari poterat omittitur, quæ quidem non est necessaria. Probatur prior pars. Votum debet esse nō modò spontaneum, verùm sic deliberatum vt sub mortali reatu obliget: motus autem primo primus nullatenus est voluntarius: & secundo primus, qui est absq; plena aduertentia

Quæstio de liberationis

Richardus.

Motiuū Richardi.

Altera ratio adidem.

Syluester.

Palud.

Caietanus.

duplex est plenitudo deliberationis

Probat̄ proxima sentētia.

Posterma cōclusio.

Magister Sententiarū

Documentū Aristot.

tentia, esse non potest mortalis: ergo talis voluntatis actus ad voti obligationem non sufficit: quando quidem votum sub morta li culpa hominem deuincit. Hæc autem plena deliberatio in hoc consistit quòd homo iudicio cognoscat quid faciat. Et confir matur. Per motum vbi sola esse potest venialis culpa, votum non frangitur: ergo neque per talem motum firmatur. Posterior verò pars probatur ratione contraria. Ad voti nexum satis est quòd sit opus spontaneum: sed prior deliberatio ad hoc sufficit puta iudicare quid facias: ergo posterior non requiritur. Secundò id confirmatur. Talis promissio homini facta obligaret: vt si eo iudicio pecuniã pollicereris, aut vxorẽ tibi sponderes: ergo obligat etiam respectu Dei. Non enim remissior Deus in exigendis promissis est, quàm homo. Tertiò illa prior deliberatio sufficiens est ad meritum & ad mortalem culpam: ergo ad voti obligationem. Enimuerò si quis in repentino periculo mortis constitutus votum suscipiat rei bonæ, meretur, & non nisi per virtutem religionis: ergo talis voti susceptio est verè votum. Item si esset rei illicitæ, esset lethale crimen: ergo dum materia est debita, obligatio voti emergit sub reatu mortali. Quarto si religiosus iudicio illo ac deliberatione quæ opponitur surreptitio motui cõtra votum faceret, illud violaret & frangeret: ergo eadem deliberatio sufficiẽs est ad votum cõfirmãdum. ¶Colligamus ergo quòd si quis ira percit⁹, aut calore, aut mortis metu, quæ rationis iudicium tollerent, votum emitteret, non obligaretur: vbi tamen illa rationis lux perstat, quæ facere potest aut meritum aut mortale delictum, votum obligat. Eam ob rem fallax est apud Angelum regula in verbo, votum. ad perpendendum an subitũ votum fuerit validum. Nempè quòd si tran sacta angustia periculi eum qui vouit, facti pœnitet: vel, vt ipse ait, est male contentus, signum est votum non tenere. Fallit inquam grauiter regula. Nam etiam si diu deliberes, potest te post facti tædere. ¶Fulcitur præterea conclusio authoritate canonica: vt cap. sic nobis. de regula. vbi clericus qui nimia ægritudine laborans religionem vouit, ad habitus susceptionem compellitur. Et. 17. quæst. 4. can. sunt qui opes. illi etiam qui tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuas opes ecclesiæ contulerunt, & de voti leuitate taxantur: & nihilo minùs tanquàm sacrilegi habentur si eas reuocant. ¶Addiderim tamen huic sententiæ hoc temperamentum, quòd talia vota, repentina deliberatione suscepta iustam secum afferunt dispensationis causam. Id quod doctè Panormitañ. admonuit super cap. veniens de voto & vot. red. Quin verò cap. ipsum id clarè docet. Tametsi neque monitum hoc præterierim quòd vbi votum Deo nuncupas quite siue in mari, siue in lecto, siue alibi à præsentaneo periculo eripiat, posteà saluus pro fectò iniquè & infidè dispensationem procuras. Nam licet repentina deliberatio id sinat, tamen causa vouendi, beneficiumque receptum ingratitudinis te redarguunt. ¶Ad primum igitur argumentorum in contrarium respondetur, quòd cùm quis rationis iudicio cognoscit quid facit, satis ignorantiam abstergit, quæ voluntarium tollit: licèt non cuncta consideret quæ considerari possint. Et confirmatur inde solutio quòd labores & difficultates quæ sunt in religione, nũquam satis citra experientiam percipiuntur. Quarè si cuncta essent perpendenda, nullum simplex religionis votum citra rei experientiam obligaret. ¶Sciscitaris autem quid si te aliquis deciperet, affirmans in tali religione non seruari ciborum delectum, nec ieiunia, aut quidpiam aliud difficile, quod si prænosses nunquam voueres vtrùm cùm ita seductus voues iugo subiaceas? Respondetur quod si deceptio est circa illa quæ tu ferre non posses, votum non obligat: quia est grauis iniuria. Cuius signum est probationis annus, in quo ius vult vt rei grauitatem perpendas. Sed tamen si deceptio est circa alia minutiora, nihilo minus obligaris. Pari modo si quis rusticũ falleret, dicens Hierosolymas citra nauigationem adiri posse, aut Romam non longè distare, cùm longissimè distet, quam ob causam peregrinationem voueret, votum non teneret. Secùs si assereret maiorem esse itinerum amœnitatem quàm re vera est.

Hic videri cuipiã posset de metu protinus & vi quæ voluntarium tollunt dicendum: veruntamen cùm tantùm hîc de deliberatione fiat sermo, qua ignorantia cauetur, cõmodiùs de metu tractabitur quæstione sequenti sub titulo de obligatione voti. ¶Sequitur ergo de secundo actu qui est propositum voluntatis. Nam quòd id sit voto necessarium ambigere nemo potest. Quandoquidem citra voluntatis actum nulla esse

Prima probatio alteri⁹ partis.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Fallax regula Summæ Angelicæ.
Temperamẽtũ præfata. Sententiæ. Panormita.
Ad primũ argumẽtũ.
Scrupulus.
Solutio.

esse potest promissio voluntaria, atque adeò neque obligatorium votum. Igitur post deliberationem, quæ est in intellectu, necessarium est in voluntate propositum: hoc est electio & consensus quo voluntas iuxta deliberationis sententiam proponit operari.

Argumẽtũ ¶ Arguitur autem quod hoc propositum non sit necessarium, sed sufficiat promissio. Nam dum quis vel Deo vel homini quidpiam pollicetur aut iurat, etiam si non proponat seruare promissum, obligatur: quandoquidem ex ipsa promissionis natura, fides promittentis astricta manet. Respondetur trifariàm contingere promissionem fieri. Vno modo dum quis proponit tum promittere, tunc etiam seruare promissum. Et de hac neutiquam ambigitur quin sit obligatoria. Tunc enim tam deliberatio quàm propositum, quàm promissio est de opere ipso: cùm scilicet opus deliberasti, proposuisti, promisisti. De qua igitur ait sanctus Thomas: Promissio procedit ex proposito faciendi. Alia est promissio per contrarium extremum, scilicet dum quis neq; intendit facere quod promittit, neque verò promittere quod dicit, sed nugari aut seducere. Quam ob rem neque de hoc casu vlla est dubitatio, sed certum est talem promissionem apud Deum non obligare, eò quòd promissio signum est propositi & intentionis, qua dum caret, vana est. Sed tamen foro exteriori tam Ecclesiastico quàm Ciuili, siue Deo promissio fiat siue homini, compellitur sic vouens aut promittens seruare fidem: quia Ecclesia de interioribus non iudicat. Aliàs si vnusquilibet allegans non habuisse propositum obligandi se audiendus esset, protinus respublica perditum iret. Vnusquisque enim contenderet non esse monachum, neque matrimonium contraxisse. Requiritur ergo quòd quicunque hoc causari cogitauerit ante iudicis tribunal, legitimè id probet.

Solutio.

Quæstio. ¶ An verò qui tale votum verbo tenus emisit, aut matrimonium contraxit, teneatur parere sententiæ. Respondet hic Caietañ. quod ratione Ecclesiæ & scandali tenetur. Hæc autem sententia grano salis condienda est. Nam si id quod iubetur, fieri nequit licitè, porrò quia intrinsecè malum est, potiùs mortem perpeti ille debet quàm obedire. Vt si quis post clandestinas nuptias secundò publicè contraxit, & si foro exteriori compellatur debitum reddere, obedire nequit. Esset nanque fornicator. Si tamen id licitè fieri potest: vt fictum monachum habitare in conuentu, habitumque gerere, tunc obtemperare tenetur: vbi citra scandalum suffugere non valet. Nam si subripere se posset, in aliamque se conferre prouinciam, vbi quia non esset notus citra scandalum quiret exemptus viuere, non teneretur se sententię summittere quæ in falsa præsumptione fundabatur.

Solutio Caietani.

¶ Tertiò, eodem que medio modo potest quis votum emittere, intendens quidem verè promittere, non tamen seruare promissum, aut intendendo iurare, non tamen iuramentum seruare. Quod re vera accidere potest in militaribus religionibus, atque in aliis vbi obtentu citius bonorum temporalium quàm religionis solent talia vota celebrari. Et de hoc voto posset quodammodò dubitari an sit obligatorium. Facere em̃ in contrarium videtur quòd non præcesserit propositum faciendi: & tamen sanctus Thomas dicit quòd ex proposito faciendi procedit obligatoria promissio. Respondetur nihilo minùs quòd illic est vera voti obligatio. Nam promissio ex natura sua parit obligationem. Quare si est humana, id est volita, ligat. Vnde fit vt sic promittens grauiter peccet: quia id ad quod ligatur, facere non proponit. Et simile est de illo qui intendit iurare. Manet enim obligatus. Nec sanctus Thomas hoc inficiatur. Quoniam non loquitur nisi de regulari vouendi via. Sed quid, si quis proponat intendatque promittere, aut iurare, sed tamen non intendat se obligare? Apparet enim tunc nullam oriri obligationem: postquàm obligatio nõ est volita. At nihilo seciùs respondetur obligationem oriri pro eo quod est naturalis effectus promissionis. Et ideo satis est causam esse volitam. Nequis enim laqueum tibi inijcere, quin illaqueeris.

Qui vouet animo promittẽdi nõ tamen stan di promisso manet verè ligatus.

D. Thomas.

Dubitatio.

Solutio.

¶ Sequitur de promissione in qua dictum est votũ perfici. De qua quæritur an sit post propositum ad voti obligationem necessaria. Sunt enim nonnulli ex iure consultis qui super cap. consulti. de regularibus, affirmant sufficere propositum absque promissione, saltem quando res iam incepta est. Vt dum quis cum proposito permanendi in religione, induit habitum: nam ille est casus illius cap. in quo, quisquis ille erat, iubetur esse religiosus. Et arguitur pro hac opinione, vt quid sit propositum aperiamus.

Quæstio.

Opinio Iurisconsultorũ.

Primum argumentum præteritæ opinionis. positum quippiam faciendi, est animum habere applicatum ad opus: applicatio autem animi idem esse apparet quod obligatio. Secundò. Propositum faciendi est affirmatio de futuro, faciam: ergo qui post propositum *Argumẽ. 2* non facit, mentitur: siquidem reddit propositionem falsam: mendacium autem in re graui est peccatum mortale: ergo qui religionem, vel peregrinationem, vel quid simile proponit, si non faciat mortaliter peccat, ac perinde obligatur facere: quæ quidem obligatio sufficit ad votum.

Propositum non fatu est ad votum. ¶ His tamen non obstantibus respondetur, propositum ad votum non sufficere, sed necessariam esse promissionem. Et primò patet ex receptissima voti definitione. Nam vt *Probatio. 1.* Ecclesiastæ. 5. citatum est, votum est promissio. Et Magister Sententiarum ait, votum est testificationem spontaneæ promissionis. Vnde vota nuncupare, est aliquid Deo polliceri. *Secunda.* Sed ratione id etiam confirmatur. Votum non est nisi quod alteri fit: ordo autem vnius personæ ad alteram, vt ait Diuus Thomas, non est nisi per rationem qua se homo alteri vel sua subijcit & mancipat: ergo tantummodò fit per rationem: sicuti præcipere *Tertia.* & precari. Tertiò, quo punctim res tangitur, votum est illud vbi ligatur fides, quæ, vt *Cicero.* ait. 1. Offic. Cicero, est fundamentum iustitiæ: fides autem, vt ipse & Augustinus aiũt, est quia fit quod dicitur: ergo votum non habet vim nisi id dicitur quod faciendum est: dicere autem est opus intellectus: ergo in promissione consistit obligatio: & non an- *Cõfirmatio.* teà. Et confirmatur sententia hæc ex cap. literaturam. de voto & voti redemptione. Vbi quidam qui in infirmitate constitutus dixerat, Non morabor, proponens in animo religionis habitum, absoluitur à voto: quia non promisit. Et sunt verba expressa in cap. si bona. 17. quæst. 1. aliud esse propositum concipere in corde, & etiam ore nuntiare, aliud subsequenti obligatione se reum facere voti. Quare illic Gregorius illum qui *Gregorius.* profitum absque promissione habuerat, absoluit à voto. Et iure ciuili ex policitatione nascitur obligatio: vt. ff. de pollicita. seru. l. pactum.

Discrimen inter propositũ & promissionem. ¶ Vnde pro solutione contrariæ rationis notandum est discrimen inter propositum & promissionem. Propositum namq; cùm sit in voluntate, neque affirmatio est neq; locutio, sed est consensus seu voluntas quę exprimitur per simplicem intellectus affirmationem futuri, scilicet faciam. Hęc autem simplex assertio non facit illum sensum: Promitto facere: sed est simplex affirmatio illius quod quis tunc in animo gerit. Et ideo non est mendacium: quia mentiri est contra mentem ire. Ad formam igitur argu- *Ad primũ argumentũ* menti negatur quòd si posteà sic proponens non faciat, mentiatur: licèt faciat propositionem fuisse falsam: quia potuit mutare propositum. Itaque licèt falsum dixerit, neque mentitus est quãdo protulit: quia tunc dixit quòd putabat facere, nec quando posteà fecit contrà: quia non tenebatur non mutare propositum. Superueniens autem promissio sic firmat propositum, ligatque animum alteri, vt absque fractione fidei & iustitiæ non valeat illud mutare: promissio ergo est necessaria. Neque contrarium colligitur ex dicto capi. consulti. sanè vbi solùm sancitur quòd qui proposuit per ingressum religionis Deo famulari, perseuêret, vel in suscepto habitu vel in alio laxiori. Loquitur nanque illic Innocentius consueto more de proposito promissione firmato.

Argumẽtũ ¶ Restat tum demum postremum argumentum. Promissio pertinet ad illam partem prudentiæ vbi est imperium & deprecatio, vt verbis sancti Thomæ suprà didicimus: imperium autem & iussio pruden- *D. Thomas* tiæ antecedit electionem, vt sanctus Thomas sentire videtur. 2. 2. quæstio. 47. articulo. 8. electio autem idem esse videtur, quod propositum voluntatis: ergo promissio non *Caietanus.* sequitur, sed præcedit propositum. Caietanus hic distinguens respondet: videlicet quòd imperium quò quis sibimet præcipit, antecedit electionem. Nam post deliberationem intellectus per prudentiam imperat volũtati vt eligat. Imperium autem quo quis præcipit aliis, electionem subsequitur, & pariter deprecatio ac promissio.

Reprobatio Caietani solutio. ¶ At vero ècontrario, vt reor, stat sententia tam Aristot. quàm sancti Thomæ, ac subinde veritas. Nempè quòd imperium, siue respectu alterius siue respectu ipsius imperantis semper electionem subsequatur. Etenim post deliberationem statim sequitur electio. Sed post electionem nõ sequitur opus, nisi prudentia imperans, voluntatem ad operandum applicet. Imperium enim non est, Elige: sed, fac. Et ita illic dicit sanctus Thomas quòd consistit in applicatione consiliatorum & iudicatorum ad operandum.

Simi-

Similiterque ideo promissio sequitur propositum. ¶Ex his si definitionem voti, quæ vniuersa comprehenderet, tam vana quàm solida, tam iniqua quàm legitima, elicere cuperes, satis tibi esset dicere quòd votum est promissio facta Deo. Attamen illa quæ legitimo tantùm voto congruat definitio, articulo proximo commodiùs constituetur.

¶Circa verba autē sancti Thomæ inter probandum priorem conclusionem dubitabit fortè lector an simplex promissio obliget, & an solo actu intellectus oriatur inter homines obligatio. Sed hæc quæstione sequenti inter agendum de obligatione voti commodiùs disputabuntur: porrò vbi ex professo id tangit S. Thomas.

Ad primū argumētū. AD primum igitur argumentum iam negatum est, conceptionem propositi sufficere sine promissione. Quare qui dicunt, votum esse cōceptionem propositi cum animi deliberatione firmata, voce, firmata, intelligunt per promissionem.

Ad secūdū argumentū ¶Ad secundum respondetur quòd votū nō dicitur â volūtate, eò quòd sit actus eius, sed quia nascitur ex eius propositio.

Ad tertiū argumentū ¶Et pariter ad tertium negatur quòd per solum propositum quis dicatur manum mittere ad arātrum. Nam manū mittere, est animum operi admouere: quod non nisi per promissionem fit. De promittente ergo ait Christus, quòd si respiciat retrò nō est aptus regno cœlorum.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm votum semper fieri debeat de meliori bono.

PRAECEDENTI ARticulo determinatū est genus & forma voti: subsequitur ergo eius materiam explorare. Vtrùm scilicet debeat semper fieri de meliori bono, quod vocant super erogationis: nēpè cuius obligatio non cadit sub præcepto.

Primum argumentum à parte negatiua. Et arguitur à parte negatiua. Baptismus, vt habet glossa super illud Psal. Vouete & reddite, est votum: & tamen est opus præcepti. Et Iacob legitur Genes. 28. vouisse Domino quòd futurus ei esset in Deum: quod nihilo minùs est de necessitate salutis, ergo nō semper fit de opere supererogationis.

Argumē. 2 ¶Secundo: Iephte, vt legitur Iudicum. 11. voto astrictus occidit filiā: quem nihilo minùs Paulus ad Romañ. 11. inter alios sanctos con- *Paulus.* numerat: & tamen illud non modò non fuit melius, verùm neque bonum.

Argumē. 3 ¶Tertiò nonnunquàm emittūtur vota quæ in detrimentum personę redundant: vt cùm quis se voto implicat, vt ieiuniorum ac vigiliarum quæ immodicè vitam hauriunt obseruatione, affligat sese. Et non nunquàm de rebus indifferentibus ac inutilibus: vt dum quis pollicetur non lauari aut comi, aut iter arripere certis diebus: hæc autem non sunt meliora bona: ergo illud nō est ad voti obligationem necessarium.

¶In cōtrarium est illud Deuteronomij. 23. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Vbi materia voti designatur esse illa quæ nō est in præcepto.

AD quæstionem hāc, vt seriem' Diui Thomæ etiam teneamus, quinque conclusionibus respondetur. Nam cùm votum multis qualitatibus vestiatur, secundùm illas expēdenda est eius materia. Ea propter ex illis quæ cogitari possunt vouendi virtuti substerni, quædam manifestam habent rationem, cur non possint voto offerri Deo: quædam per contrarium manifestam quoque, cur licita sint eius materia: sed alia sunt de quibus est dubium. Cuncta autem in genere sunt numero quinque. In quorum primo gradu ea collocantur quæ sunt Deo vel aduersa & contraria, vel saltem inconsona & inuisa. Nempè delicta, seu mortalia seu venialia. ¶De his ergo statuitur prima conclu- *Prima conclusio.* sio. De re nulla illicita fieri licitè potest votum: puta neque de homicidio, neque de leuissimo mendacio. Probatur suppositā natura voti, quæ est promissio Deo facta. Pro- *Probatio.* missio est rei quam quis in alterius gratiam facere disponit: hoc enim à comminatione, quæ sibi contraria est, differt: quòd comminatio est rei alteri iniuriosæ aut pernicioſæ. Promittere enim alteri quòd sis eum occisurus, aut quomodocunque læsurus, comminatio potiùs est: promissio ergo non est nisi beneficij: delicta autem in iniuriam Dei cedūt: ergo qui occidere voueret aut furari, potiùs id Deo comminaretur, quàm polliceretur. Quare tale votum non esset obligatorium. Imo illud emittere peccatum quidem esset, idemq; pòst implere cumulatius crimē. *Secunda cōclusio.* ¶Huic proxima est conclusio secunda. De

differentia inter comminationem et votum:

re indifferenti: nempè quæ nihil secum emolumenti affert neq; diuini honoris, nullum religiosè potest emitti votum. Vt si quis voueat vngues die Sabbathi non rescindere, aut iter die Martis non arripere. Probatur

Ratio cõclusionis. conclusio. Quia cùm votum in gratiam honoremq; Dei fieri debeat, non solùm de re illi inuisa emitti non decet, quod esset iniquum, verùm neq; de re quæ illi non est accepta: quippe quòd, cùm Deo in gloriam nõ cedat, vanum est: quin verò tunc etiam superstitiosum, dum numen aliquod in rebus illis inesse creditur.

¶Ex his autem quæ Deo neq; cõtraria sunt neq; dissona, alia sunt vel impossibilia vel necessaria: alia verò contingentia, in nostraque posita facultate. De illis prioris generis

Tertia conclusio. statuitur tertia conclusio. De re seu necessaria seu impossibili, fieri non potest votum. Stupidus enim esset qui se vel moriturũ voueret, vel nunquam moriturum. Primum si quidem necessarium est, atq; alterum impossibile. Sicuti qui voueret, aut nunquam volaturum, aut volaturum aliquando. Ratio con

Ratio cõclusionis. clusionis est, quòd votum debet esse non solùm vltrò factum, verum & à prudentia profectum: impossibilia autem & necessaria nostræ voluntati non substant: non ergo sub voti obligationem incidere possunt.

¶Eorum verò quæ in nostra sunt potestate neque Deo aduersa, alia sunt ad salutem necessaria: nempè vniuersa præceptorum opera: alia verò minimè. Cùm audis necessaria: nomen ad illa etiam extende quorum contrariis à via salutis remoramur: vt nõ solùm præcepta quæ simpliciter talia sunt, nempè sub reatu mortali obligantia, verùm & illa includas, quæ obligant sub veniali.

Quarta conclusio. ¶De istis ergo subijcitur quarta conclusio. Opus præcepti quatenùs est necessitatis, nõ est materia voti, bene tamen quatenus est in

Explicatur conclusio. nostra voluntate. Materia enim voti est illa quæ eius ratione fit debita: ergo quatenus opus est, legis obligatione debitum, non cadit sub voto: quia non pendet ex nostra voluntate vt sit debitum, sed ex legis necessitate. At verò quia præcepti necessitas non est simpliciter necessitas, sicuti illa tertiæ conclusionis, quæ est mori, aut non volare: sed voluntariè illud implemus, aut transgredimur, hac ratione cadere potest sub voto. Non quidem vt ad id obligemur ad quod non tenebamur, sed vt ad id ad quod tenebamur, gemina simus obligatione constricti. Tenebaris inquam præcepto temperantiæ, non fornicari: cuius transgressio vitium erat tantùm luxuriæ: emisisti eiusdem rei votum: obligaris ergo virtute insuper religiõis.

¶De illis demum quæ neq; necessaria sunt ad finem, neq; indifferentia: sed tamen conducentia & expedientia, vt consilia adhibetur quinta conclusio. Opera cõsilij sunt pro *Quinta conclusio.* pria peculiarisq; materia voti. Concurrunt enim in talia opera conditiones omnes & qualitates legitimi voti. Prima quippe voti qualitas est, quòd non sit de re Deo aduersa: propter quam exclusimus peccata: neque de re vana: propter quam abegimus indifferentia. Et tertiò quòd prudenter fiat: quã obrem explosimus impossibilia & necessaria. Quare primum votorum genus est iniquũ: secundum vanum: ac tertium stultum. Opera autem præceptorum licèt quodammodò sint materia voti: nõ tamen omnimodè, quia simpliciter eorum obligatio non pendet à nobis, sed ex legis necessitate. In operibus autem consiliorum cuncta cõueniunt Sunt quippe in primis Deo gratissima, atq; in nostra potestate constituta: eorumq; obligatio non ex legis necessitate, sed ex mera voluntate nostra pendens.

¶Hæc ergo hunc in modum constituta operæ pretium est pressiùs expendere, emunctiusq; collimare. Et quidem circa primam conclusionem hoc primùm meditandum superest, quòd qui peccatum Deo vouet, eius id maiestati comminatur: quæ ingentissima blasphemia est. Enimuerò cũ quicquid peccatum sit, contra eius legem & voluntatem fiat, perinde est vouere hominem occidere, aut furari, ac si Deo ipsi comminareris idẽ malum. Vide ergo quanta hìc sit peruersio. Nempè quòd cùm votum actus sit religionis quo gratissima ei obsequia dedicanda sunt, eousq; religionem contaminas, vt obsequium in comminationis audaciam cõuertas. Ex hoc fit quòd cùm votũ Deo fiat, atq; ad primum Decalogi mandatum spectet, plus absurditatis habet Deo rem illicitã vouere, quàm homini sub iuramento iniuriam cõminari. Nam iuramenti violatio contra secundum præceptum est. Atq; ex eisdem rursùs consequitur, vt vouere Deo materiã peccati mortalis, in vniuersum sit peccatũ mortale. Etiam si non fieret cum proposito implendi votum, dummodò adsit intentio vouendi: quia obiectum de se est mortale.

¶Percõtaris autem vtrùm votum emittere *Dubitatio.* venialis

venialis culpę, puta ioco mentiendi, aut otio
Ratio dubitandi. ſe loquendi, ſit ſemper mortale. Et arguitur
à parte affirmatiua. Qui aliquid Deo pro-
mittit quod tenetur non facere, grauem in-
ferre ei videtur iniuriam. Atq; id vrgẽtiùs ro-
boratur. Votum, vt modò dicebamus, maio
ris eſt vinculi cùm Deo ſit, quã iuramentum
quod ſit homini: iuramentũ autem promiſ-
ſorum venialis committendæ culpæ, videtur
mortale: quoniã qui iurat tenetur facere fal-
Solutio. ſum: ergo & votum. Nihilo minùs reſponde
tur, votum de re veniali nõ eſſe niſi veniale:
quoniam ipſum implere nõ eſt niſi veniale:
Ad argumentum. Quare homo non ſe exponit periculo mor
talis. Vnde ad priorem rationem negatur
quòd promittere Deo id quod ſub culpa ve
niali tenẽris non facere, ſit tibi mortale, ſit de
re veniali, propter eandẽ rationem: quia ſci-
licet implere illud non eſt niſi veniale. Idem-
que ſequenti lib. q. de periurio de ſimili iu-
ramento dicemus: ſcilicet non eſſe mortale.
Et ratio eſt quod illud implere non eſt niſi
veniale: facere autem cõtra illud nullum, eſt
peccatũ: imò eſt virtus. Facere enim cõtra iu-
ramentũ quod non eſt obligatoriũ, nullate-
nùs eſt illicitum. Vt ſi iuras non audire miſ-
ſam in die paſchalis, quam poſtea audis. Sed
tota culpa cõmittitur dum iuras, eò quòd iu
ras quòd teneris facere falſum. Et ideo tota
culpa debet perpẽdi ex obiecto. Obiectũ au
tem iuramẽti eſt veniale, quare neq; iuramẽ
tum ipſum eſt niſi veniale.

Dubium alterũ. ¶Circa ſecundam concluſionem de re indif
ferenti dubiũ inde emergit quòd multa ſunt
indifferẽtia de quibus emitti votum poteſt.
Eſt enim indifferens tranſire per vicum, aut
ædium limina penetrare, & tamen ſunt non
Reſponſio. nunquam ſalutaria vota quibus ſe homo à
ſimilibus operibus arcet. Ad hoc facilimè re
ſpondetur quòd indifferentia quatenus in-
differẽtia ſunt, ideſt ſub ſua indifferẽtia per-
ſeuerãtia, dicari Deo aut diuis voto non de-
bent. Et hoc pacto intelligitur concluſio. Si
verò penſata ratione aliqua, aut fine, perti-
nentia ad bonum fiant, tunc votum eorum
nihil aliud quàm religio eſt. Dixerim ratio-
ne aliqua vel fine. Nè quis putet propterea
tantùm quòd res quælibet vouetur, illicò ra-
tione voti de impertinentibus ad pertinen-
tia commigrare. Exempli gratia. Vouere re
ſcindere vngues, vel non reſcindere illicitum
eſt: quia etiam poſt votum res eſt indifferẽs:
nempè ad nihilum fructuoſa. Et eâdem ratio
ne ſi abſq; alio fine voueres non tranſire per
vicum, aut non ingredi domum. Sed ſi illa
opera occaſionem tibi offerunt peccandi,
puta inſpectandi fœminam vel alium inimicũ, tunc fiunt ad rem referentia, ac ſubinde
pe voti materia. Eâdem ratione muliercula
vouens die Sabbathi in honorem Virginis
non coquere panem, ſed tamen non abſti-
net ab aliis operibus, vanum emittit vo-
tum: quia alios te inſumente labores, nil Di-
uæ Virginis refert hoc aut illos inſumas. Si
autem voueas omni opere ſeruili abſtinere,
legitimũ votũ eſt. Sũt tamẽ aliqua quę pror-
ſus neq; probantur neq; reprobantur. Vt ſi
quis voueret die Sabbathi indui albo in me
moriã virginitatis Deiparæ, nõ omnino eſ-
ſet vanũ. Itaq; exiſtimandus eſt finis vel cau
ſa quæ opus facit ad rem pertinere.

Pulchra deductio. ¶Ex his fit conſequens quòd dũ votum de
ſimilibus rebus emittitur, non obligat niſi
quandiu finis ille conducit, & cauſa durat
quæ votũ fecit legitimũ. Illa enim ceſſante,
cùm opus ad ſuã redeat indefferẽtiã, deſinit
eſſe materia voti, atq; adeò ceſſat obligatio.
Vouiſti vicini limina non calcare propter
periculũ qđ intus latebat: illo ceſſante nõ te
diutius votũ tenet. Hoc probatur: quia votũ
nõ plus obligat quàm ſi lex eſſet: Lex autem
ceſſante invniuerſum eius cauſa & fine ceſſat:
ergo pariter votũ. ¶His demũ inſtructus do
cumentis, cenſere de votis quiſq; poteſt quæ
de huiuſmodi indifferentibus rebus paſsim
emittũtur. Loquebaris fortè cum homine &
in colloquio aliquid tibi ingratum accidit
propter quod vouiſti nunquã ampliùs cum
illo inire ſermonẽ. Et forſan ludebas, & ideo
vouiſti nunquam deinceps cum illo ludere,
vel non ludere chartis, vel non ludere in tali
domo. Si illa nullius tibi occaſio ſunt mali,
neq; aliqua exiſtit cauſa vt ad bonum inſer
uiant, tunc talia vota nullatenùs tenent. Sed
vouere fuit vanitatis peccatũ. Si autẽ loqui
cum tali perſona occaſio tibi eſt mali, votũ
tenet. Sicut ſi voueas non ludere propter di-
ſpendiũ quod facis rei tuæ, aut propter alia
pericula. Neq; horum vlla eſſe poteſt dubita
tio quæ hominis conſcientiã vllo pacto fau-
ciat. Sed abſq; vlla diſpenſatione, qui vota
huiuſmodi rerũ indifferentiũ fecit, poteſt cõ
tra illa facere: ſatisq; illi eſt voti pœnitere.

Dubitatio ¶At verò de iuramento propter eius reuerẽ-
tiam, poſſet quiſpiam animi hærere. Enim-
uerò ſi illud quod metu mortis extorquetur
implendum eſt, vt quod quis in nemore la-
tronibus metu mortis perculſus fecit, vt do-

ctores sentiunt, ratio videtur strictiùs persua dere vt iuramentum de re etiam indifferenti sit seruandum: aliàs fieret falsum. Nihilo mi
Solutio. nùs respondetur, iuramentum promissoriũ huiusmodi rerũ nulla prorsus causa aut fine ad rem aliquam conferens, nõ magis obliga re, quã votum. Quoniam tale iuramentum nihil aliud est quàm promissionis ac voti cõ firmatio. Et ideo si votum non obligat, sit vt neq; iuramentum. Iurasti nunquam te amplius cum tali homine colloquuturum: aut nunquam ampliùs transire per limen ad qd pedẽ fortè offenderas: aliáve similia quæ nul lius sunt emolumenti: peccasti quidem cùm iurasti contra secundum præceptum: verun tamen, iuramentum nullatenùs fit obligato rium: quare absq; dispensatione facere con tra ipsum nullum est peccatum: atque adeò neq; mendaciũ: quoniã, vt suprà dictũ est, to ta illorum iuramentorum malitia patratur dum fiunt. Iurasti non audire missam die fe sto: facere contrà, quia non est malũ, non fit tunc mendacium: licèt efficias fuisse falsum. Et quod nõ sit obligatorium, patet: quia ve luti si homini id promitteres, nihili tuam fa ceret promissionẽ: ita neq; Deus. Quare Ec clesia. 5. vtraq; promissio dicitur Deo displi cere, scilicet infidelis, & stulta. Vbi verò dubiũ esset an res esset aliquo modo vtilis, tunc timorati animi esset dispensationem procu rare. Neque simile est de iuramento extorto quãdo cadit super materiã, quæ est alicuius emolumẽti: latroni autem promissam pecu niam exoluere, res est cõmoda, atq; adeò ex natura sua iuramenti materia. Quapropter,
Scrupulus. licèt sit extortum, propter reuerentiam diui ni nominis est implendum: materia verò va na non est iuramenti subiectum, ac proinde neque obligationis capax. Sed de hoc libro sequenti latius. ¶ Circa tertiam conclusionẽ nulla est dubitãdi ratio, sed de quarta sequi tur explorandum quidnam contineat veri tatis. Est enim argumentum, quod materia præceptorum non sit materia voti. Nam cũ votum sit opus consilij, & materia debeat re spondere formæ, fieri videtur consequens vt eius materia debeat similiter esse arbitraria & consiliorum: & ideo vbi lex obligatos nõ habet, vanum sit votum. Imò verò quodam modò Deo ingratũ. Nam qui vouet facere quæ Deus aliàs iubet, maiorem vim suę vide tur attribuere voluntati quàm Deo iubenti. Item adhibere præcepto votum, ex animi languore procedere iudicatur: nempè quòd homo viribus sit destitutus, vt quod Deus iubet, explere nequeat. Insuper & dæmo nem lacessit vt pugnantiùs eum tentamen tis inuadat.

¶ Respondetur nihilo minùs præceptorum materiam esse quoque posse votorum. Et ra tio sancti Thomæ est, quòd non est simpli citer necessaria sed à nostra pendet volunta te. Quare possumus nos ad talia opera ar ctiori vinculo astringere. Nulla enim inter ambas obligationes existit repugnantia. Se cundò id solenni Ecclesiæ vsu probatur. Vo uentes enim religionem, nouo nexu deuin ciuntur ab adulterio & fornicatione absti nere, à quibus diuina lege erant prohibiti. Idq; à clericis dum sacris maioribus initian tur exigitur. Tertiò licitum est & sanctum ad id ad quod lege tenebaris iureiurando te insuper innodare: vt cùm mutuum recipis, aut depositum, aut alium iuris contractum: ergo simili modo potes voto eandem cõfir mare fidem. Quartò, quanuis lege tenemur non occidere, non furari, &c. nihilo minùs malefactoribus supplicia decernuntur, vt quos virtutis honestas non sufficit, metus pœnæ cohibeat: ergo nulla est repugnantia legis obligationi alteram voti adhibere. Sũt qui quasi de nomine disceptantes dicant: hoc genus promittendi non esse propriè vo tum, ob id quòd materia non est propriis apta: nihilo minùs qui sic promittit, duplici modo peccaret si promissum non solueret: videlicet contra legem & contra promissio nem. At verò profectò non est cur negetur esse propriè votum, postquàm est vera pro missio Deo facta. Et confirmatur sic esse fa tendum. Nam qui tale votum trãsgreditur, vt suprà dicebamus, vere cõtra religionem peccat: non autem sic peccaret nisi verè face ret contra votum. Nam si in hac obseruãtia substantia religionis, quæ est genus, conti netur, fit vt & substantia voti contineatur quæ eius existit species. Potest ergo quisque de materia singulorum præceptorũ votum emittere.

Solutio. *Prima ratio S. Thomæ.* *Secunda ratio.* *Tertia.* *Quarta ratio.*

¶ Vnde ad primum in contrarium argumẽ tum respondetur, quòd etsi vouere sit opus consilij, non tamen requiritur vt materia sit propria consilij: nam potest esse cõsilium vt arctiùs nos ad id perstringamus ad quod le ge tenebamur. Quòd si huc fortè verba san cti Thomæ ex. 4. distinct. 38. quæst. 1. contra nos afferas, dicentis, huiusmodi vota large ita dici, non propriè: Respondetur, largè,

Ad primũ argumentũ

non

non accipere pro eo quod est abusiuè, sed pro eo quod est communiter: quemadmodùm illic Magister loquitur. Haud enim negat quin propriam habeant rationem voti: sed tamen quia materia communis est & votis & præceptis, ad quam subinde omnes homines in communi tenentur, ait huiusmodi materiam non esse propriam, id est, peculiarem voti. Quare hic exactiùs loquitur. Et elicitur hæc materiæ distinctio ex verbis Augustini. 17. quæst. 1. vbi ait. Sunt quædam quæ etiam non vouentes debemus, quædam etiam quæ nisi vouerimus non debemus. Neq; in hoc plus tribuimus nostræ voluntati quàm Dei, sed religamus eandem diuinæ religioni vt firmiùs id quod nobis præcipit persoluamus. Et quanuis in hoc profiteamur nostram imbecillitatem, illam tamen consolidamus. Atqui vt dæmones inde ferociores in nos insultant, ita & diuina subsidia locupletiora nobis mittuntur.

Ad secũdũ

¶ Tametsi vt verum fatear vota hęc operum præceptorum nunquã aut vix vnquam alicui suscipienda aut cõsulenda sunt: quia neque crebrò solent bene succedere. Quare vel non fiant, vel cassanda sunt vel facilè dispensanda: nisi quando persona prudens & constans est, ad rem tamen aliquam procliuis, quæ occasio illi est mali grauissimi aut scandali. Et cura nihilo minùs vigilãtiùs adhibita, cauere illud potest malum.

¶ Vtrùm verò votum nunquam venialiter peccandi sanæ sit mentis. Ad hoc respondetur, eiusmodi votum insanum esse neq; vllo pacto obligare: quoniam est de re hominib⁹ impossibili. Si enim dixerim⁹ (vt ait Ioãnes) quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Vouere autem nunquã peccare, mortaliter non est genere suo malum: quoniam id per Dei gratiam possibile est. Attamen neq; hoc prorsus consulerem: quia res est per difficilis, tum factu tum præsertim & cognitu: potissimùm de peccatis cordiũ. Crebrò enim scrupulus pungit consenseris ne in mortalem culpam: votum autem debet esse de re comperta & de opere cuius transgressio in propatulo habeatur. A singulis autem cauere, hoc vouere permittitur: vt non fornicari, non ioco mentiri, & similia.

Quæstio parua.

Quæris autem vtrùm si quis emitteret votũ nunquam peccandi, teneretur ratione voti euitare illa saltem peccata quæ potuerit, vt iocosa mendacia. Offert se nanque ad id ratio. Nam qui promisit dare decem, si cuncta non potest, tenetur tamen ea conferre quæ potest. Et qui promisit ieiunare aduentum, si nequit totũ, tenetur nihilo minùs in quantum potest. Respondetur tamen tale votum ad nihil obligare: quia stultum est.

¶ Hoc tamen postremum superest decidere. Vtrùm transgressio cuiuscunque talium votorum sit mortalis. Vt si quis vouit non mentiri iocosè. Patrocinatur nanque affirmatiuæ parti ratio hæc, quòd tunc mentiri esset religionis violatio quæ à genere suo est mortale. Solutio autem huius pendet ex articulo subsequenti, vbi disputabitur vtrùm transgressio voti ex leuitate materiæ fieri possit venialis. Illic ergo & hoc examinabitur.

Solutio.

¶ Ex quinta autem conclusione, tametsi certissima sit, dubia emergunt multò grauiora. Et primum an licitum illa sit malo fine vouere. Vt si quis, quemadmodùm nuper dicebamus, religionem Cruciatorũ militiæ profiteretur opulentiæ causa præbẽdarum: aut si quis quod creberrimè vsu venit, fieret sacerdos, non propter status sanctitatem, sed propter sacerdotia: nimirum ditari magis cupiens, quàm sacrificare. Apparet enim votum non esse licitum, atque adeò nec obligatorium. Nam malus finis obiectũ vitiat: de malo autem obiecto (vt conclusione prima dictum est) iniquum est votum.

Primum dubium.

Ratio hæsitandi.

¶ Dubium hoc etsi doctè hoc loco differat Caieta. accuratioris tamen eget examinis. Multimoda enim distinctione vti in præsentiarum oportet. In huiusmodi inquam votis melioris boni triplex fieri cõtingit relatio in malum finem. Potest quippe vel obiectum ipsum voti in malũ referri: vel applicatio animi ad vouẽdum, vel votum ipsum. Exempli gratia. Si quis hãc faceret animo oblationem: Voueo dare eleemosynam propter vanam gloriam: tunc vocula, propter, moderari, &, quod aiunt, determinare potest aut verbum, dare, aut verbũ voueo. Et quidem priori modo obiectam ipsum voti, quod est, dare, refertur in malũ finem, à quo ideo datio ipsa contaminatur ac deprauatur. Et de hoc sensu est prima assertio, eiusmodi votũ nullum esse: sed est inter illa quæ prima conclusione condemnantur. Nam dare propter vanam gloriam est malum obiectũ, & multò erit iniquius vouere aliquid facere propter malum mortale, vt si voueas ad ecclesiã ire ad solicitandam puellã. Nam ire ipsum tunc malum est, quod est voti obiectum. Exem-

Solutio Cai.

Distinctio.

Prima assertio Caieta.

plum secundi. Vt si quis intendens pingue sacerdotium cuius nō est dignus, fieret sacerdos, vbi est implicitum votum castitatis vel præceptum, de quo modò nō disputamus. Aut cùm nobilis tali animo induit militaris religionis habitum. Hic enim obiectum voti non refertur ad malum. Si enim hìc dicat, voueo esse sacerdos propter beneficium expiscandum: præpositio, propter, non modificat rem quæ est esse sacerdotē, sed hoc quod est, voueo. Haud enim pòst sacerdos aut miles effectus opera facit suæ religiōis, puta nec orat, nec celebrat, nec obēdit propter malū finem, sicut qui dat eleemosynā propter vanam gloriam: sed tantùm professus est propter malum finem. Et de hoc intellectu fit

secunda. assertio secūda: Votum sic factum tenet. Et ratio est, quia obiectum eius res licita est & bona scilicet esse militē, aut sacerdotem: nēpe militare, orare, sacrificare: quæ quidē non referuntur in finistrum finem. Pari modo si quis profiteretur religionem, peruerso fine adductus: porrò vt posset posteà res conuentus suffurari. Ille enim obiectū voti, puta vigilias, orationes, & obediētias non refert in malū, sed finis vouēdi fuit malus. Quare votum, quia de bona est obiecto, solidum est & firmū, Ad rei autem perspicaciorē intellectū arguitur. Sicut dare eleemosynā propter vanam gloriā peccatū est: & corrupto fine ire ad ecclesiam: sic & malo fine votū facere: ergo sicut votum primi generis est malū, quia de malo obiecto, sic & votum secundi generis, quia malū habet finem. Quòd si vtrunq; malum est, fit vt neutrū teneat. Pro solutione argumēti hoc apprimè in præsenti materia notandum est, quod lectorem minùs attentum fallere valde posset. Nempe non esse in vniuersum verū q̄ omne votum illicitum & malum sit irritum: neq; hoc à nobis assertum est, sed hoc tantùm q̄ omne votum de obiecto malo est irritum & cassum. Cōcedimus ergo q̄ vouens sacerdotiū aut religionē malo fine, peccat quidem vouendo: tamen quia votum, bonū habet obiectū: (nam etsi votum referatur in malum finē, tamen obiectum non refertur in eundē) votū tenet. Negatur igitur postrema consequentia, votum factum malo fine malum est: ergo non obligat: sicuti si haberet malum obiectum: quoniam res Deo deuota bona est: licèt malo fi-

Tertia. ne dicata. ¶In tertio autē modo plusculum latet ambiguitatis Exēpli gratia: Rex sciens

iniustum & prudēs iustū indicens bellum, vouet Deo auri talentum: si victoriā obtineat. Hic obiectum voti, puta dare pondus auri, bonū per se est: finis tamen voti, puta obtinere iniquā victoriam, est malus: de hisce igitur votis distinguendū hoc pacto est. Si tale votū fiat vt Deus eiusmodi victoriam concedat, non est religionis actus: imò omninò religioni contrarius: eò q̄ qui sic vouet, Deum facit auctorem mali: pro qua turpitudine, quā Deo impingit munus illi spondet: ob idq̄; nullū est votum, sed graue impietatis blasphemiæq̄; peccatū. Atq; adeò lōgè sceleſtius, quā si esset votū de re illicita. Multò enim enormius est Deū facere authorē mali, quā rem illi diuersam vouere. Pari modo si quis voueret Deo munera, vt compotem eum faceret optati adulterij aut homicidij. Quocircà nihil refert votum antè facias quàm rem inceptes, an postquā fueris optatis potitus. Nam etiā si post partā victoriam aut patratum adulterium Deo quidpiā ob id voueas, quo re tui cōpotem desiderij, aut victorem iniquum, votū non tenet: quia eâdē impietatis lue fordescit. Neq; si id voueres in gratiarū actionē: neq; pro illo gratum Deo est gratias audire. Neq; verò interest tale votū emittas, non exprimendos vt Deus tibi in iniquitate patrocinetur, sed merè conditionaliter, hoc tenore: Si victoriā hanc obtinuero, aut si compos desiderij mei fuero, hanc faciam eleemosynam. Quoniam nullus sic sub mera conditione vouet nisi vt Deum sui sceleris patronum ac fautorem compellans. Et aliud excogitare, esset casum insolentem effingere. Quare vota hęc absurda omnia sunt & nullius vigoris. ¶Quòd si contra insurgas: Similes stipulationes hominibus factę iure naturæ tenent: nam quod quis scorto pollicetur, soluere astringitur: ergo & solidæ erunt respectu Dei. Negatur consequentia: quoniam potest homo ab homine turpe obtinere obsequium, pro quo mercedem debeat: à Deo autem nemo id recipit quod absurdū est, neque pro illo debet illi quidpiam rependere. Quare neque tenebit votum: etiam si quis ignorās putet talia vota esse licita: quoniam ex natura rei sunt impia & blasphema. ¶At verò quoniam in re mala aliquid boni inesse potest cuius citra impietatē potest Deus autor inuocari, secundo modo fieri hæc vota sanctè possunt. Nempe si rex bellum adortus nefarium pro sui exercitus incolumitate aliquid voueat, votum tenet. Sicuti si in duellum descendens quidpiā spo-

Dilutio.

Obiectio.

ponderit,

ponderit si saluus euaserit: quia effectus hos Deo asscribere non est nisi virtus. Quapropter talis finis votum non vitiat, Secùs si pro eo voueat, vt hostem iniquè occidat. Nam licet Omnipotens causa sit omnium entitatum: vt pote delectationis quę est in flagitio & similium: neutiquàm tamen peccati. Pari modo si quis voueat si prolem ex adulterio susceperit. Nam licet adulterij causa Deus non sit, conceptio tamen partusque fœtus naturalis est, Deoque ascriptus. Neq; idem est de victoria: qppe cũ id ipsum qd' est iniquè vincere piaculũ sit. Simili iure si vsurari' aut lusor pro parto lucro votũ voueat, illud quidem tenet: iuxta verbum Christi: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Cum eo tamen id moderamine intelligitur vt votũ ex ære alieno quod aliter restituere nequit, non expleat. Cõtingeret enim tunc de rapina eleemosynam erogare. ¶Validio diori denique ratione votum tenebit vbi illud emiseris ad puniẽdum malum, vel quo ab illo cautiùs cohibearis. Vt si huiusmodi emiseris votum. Si tale flagitium admisero, talem faciam elemosynam, aut peregrinationem, aut sæculo religiosus valedicã. Huiusmodi enim vota vel sunt quasi opera pœnitentiæ, patratæ iniquitatis vindicatoria, aut patrandæ prohibitoria, atq; adeò conditione posita tenẽt, De quibus inferius emũctius.

Secunda dubitatio. ¶Secundum dubium circa eandem conclusionem existit de operibus quæ sunt consiliorum, aut directè cõtraria, aut impedimenta. Dissecantur hæc autem in tres ordines. Quædam enim sunt prorsus contraria: de quibus respondetur, nullatenùs licêre votum emittere. Haud enim licet vouere nõ ingredi religionem. Nam licèt nemo ingredi teneatur, liberum debet esse cuicunq; & semper integrum. Quapropter votum contrarium non ligat: atque adeò iniustum est, nõ solùm tanquàm vanum, verùm & tanq̃ dere Deo odibili: quandoquidem consilia sua impendio sibi placeant. ¶Sed arguis.

Dubitatio. Nõ omnia opera quæ in seipsis cõsilia sunt, cunctis hominibus cõsiliũ est facere: & ideò qui certus est non esse ad religionem aptus vel ad peregrinationem, vouere potest non facere.

Solutio. Respondetur, tale votum non posse à culpa excusari. Nam qui impotens est faciendi, incassum vouet non facere: & qui quoquo pacto sperat posse, iniquus est dũ se voto cohibet. ¶Ob eãdam causam nemini licet vouere aut iurare se nũquàm aut iunaturum, aut peregrinaturum, mutuaturum aut fideiussurum, aut quæuis alia misericordiæ officia nunquam indignis impensurum: quandoquidem ea facere, sæpe sit cõsilium. Nè tamen complures condemnemus qui hoc consueuerunt, hoc intelligimus quando ea facere consiliũ fuerit. Nam omnibus mutuo dare & pro omnib' fideiubere, non est consilium. Quare qui sic voueret: Non omnibus indiscriminatim mutuabo, nihil mali voueret: sed qui diceret: Nulli neq; vllo casu. ¶Ex his fit cõsequẽs, neq; licitum esse votum non vouendi: quoniam vouere in genere consilium est, At quoniã nõ cuicunq; est semper consilium, licet votum facere non vouendi, nisi coram tali persona aut cum talibus circũstantijs. Nihilo minùs si eo non obstante voueas, quanuis pecces, tenet tamen votum iure diuino & naturali, cui tu nò poteras derogare. Colligamus ergo nemini licère huiusmodi, seu vota seu iuramenta facere: quoniam neq; facta tenent. Deus nanq; ascensiones, teste Dauid, disponit in cordibus nostris, non descensiones. Quocirca vouendi religio suopte ingenio & natura instituta est ad promouendos homines in sublime, non ad retrahendum.

Secũdus gradus operum quæ sub voto cõprehendi possunt. ¶Secundus gradus operũ est, quę licet non secum compatiãtur maiora bona, ipsa tamẽ per se officia sunt, neq; ipsorum vota votorumve impletionis impediunt, quin ascensus fieri possit ad sublimiora. Quocircà talium vota solida sunt. Vt si quis voto se paucorum seruitio in hospitali mancipet, etiam si dicat perpetuo manebo. Hoc inquàm, votum est obligans. Neq; proinde obstat quo minus ille si libuerit citra vllam dispensationem religiosus fieri queat. ¶In tertio verò ordine ea collocantur quæ quanuis nõ sint formaliter religioni contraria, sunt tamen suapte natura eius obstacula: vt coniugale fœdus. Qui enim matrimonium semel consummauit, cõmigrare ad religionẽ viuente coniuge nequit. In dubiũ ergo vertitur, vtrũ fas sit votum emittere ineundi coniugium. Et arguitur hoc esse licitum, postquã obiectum est bonum, ac virtuti legitimũ: & cuicunq; ante emissionem voti religionis integrum sit eligere quod maluerit viuẽdi institutum. Item fas cuiq; est celebrãdas à se nuptias iurare: quo quidem iureiurando deinde tenetur: ergo & quisq; potest earundẽ votum emittere. ¶Nihilominùs respõdet eiusmodi vota genere suo & obiecto non esse licita:

Dubium. Ad primũ argumentũ.

Secundum.

Responsio.

cita: vt pote per quæ Deo offertur id quod illi non est acceptum. Non aio ob id solum, q̃ impediunt maius bonum: nam & matrimonium contrahere & consumare impedit religionem: sed quia per votum offers quod Deo non placet, quatenùs offers impedimẽtum sui consilij. Itaq; potes cõtrahendo matrimonium obstaculum religioni opponere: non tamen illud voto Deo dicare. Nam etsi vouere nemo iure cogatur, compellitur tamen vnusquisq; viam Spiritui sancto per impossibilitatem non occludere, quousq; statum mutes & firmes, si ei forsan aliquando afflare dignetur. ¶Sed ais, saltem licêre votum emittere connubialis consortij citra copulæ consummationem: quoniam illud nulli est religioni impedimento. Respondetur quòd qui simpliciter votum emittit matrimonij, ex natura rei obligat se consummare: aliàs cassum deceptoriumq; matrimonium esset: ob idq; dum absolute emittitur semper est illicitum: si autem cõtingere posset vt quis matrimonium vouerit quale fuit inter Virginẽ & Ioseph, alteri videlicet voto perpetuæ virginitatis vtrinq; adiũcto, nihil aliud esset quam religionis officium. ¶Contra hãc autem decisionem arguitur. De matrimonio bifariam meditari possum⁹. Vno modo vt est in generationis officium, & tanquàm status quidam ac viuẽdi institutum. Atq; hoc modo indubiè fatemur nemini licêre voto se illi astringere: quoniã est status inferior excelsiorẽ impediens, atq; adeò abusus est voti, quod esse debet semper fœlicioris frugis, aut saltem minimè illi obstãs. Sed alio modo consideratur in remedium ad compensandam illegitimam libidinem. Et hoc pacto arguitur quòd sit eius votum licitum. Nam carnis illecebris obuiare iustum & sanctum est, & coniugale commerciũ ad hoc est etiam munus permissum: nihil ergo in tali voto absurditatis inest. Propter hoc argumentum Caietan. art. præsenti intrepidus asseuerat licêre in tali casu ac tali causa votũ emittere matrimonij. Etascisci contra se argumentum ex S. Thom. in. 4. distin. 31. cui multi adhærent, adstruentes quòd non liceat solùm ad vitandam fornicationẽ coniuge vti. Esset enim tori coniugalis abusus: qui in officium tantùm concessus est. At nihilo minùs respondet se nihil absurdi in tali vsu agnoscere, quin obiectum esse possit voti. Veruntamen quicquid sit de vsu, dato in quam esset sola causa cauẽdæ fornicationis licitus, non tamen fit inde consequens fas esse tale votum emittere. Nõ enim ratio quare non liceat ea sola est, q̃ obiectum per se non sit bonum, sed quod est impeditiuum maioris boni. Et mirror Caietanum hoc nõ aspexisse. Liberum enim cuicunq; est aliciti tum matrimonium inire, imò aliquãdo cõsilium: quia melius est, vt ait Paulus, & consultius nubere quàm vri: & tamẽ ratio quare non licet votum emittere est, quòd quandiu quis matrimonium non cõtrahit, liber esse debet, vt si spiritus sanctus magis ei prosperè afflauerit, mutare mentem possit. Etq; ratio Caietani fallax sit, patet: nã alias sequeretur q̃ liceret vouêre matrimonũ quatenùs est in officium: siquidem bonum est. Si ergo non licet quia est impedimẽtum religionis, eandem ob causam non licebit vt est in remedium alterius mali. Et confirmatur non obstante tali voto. Posset vouẽs mutato proposito ad religionem transgredi, ergo vanum est atq; adeò illicitũ. Et ideo non possum de hac re Caietano non refragari. ¶Vnde ad primum argumentum superiùs factum iam responsum est, quod etsi connubiale fœdus obiectum sit bonum & legitimum, tamen hoc tantùm concluditur q̃ potest quisque illud inire, non tamẽ quòd possit votum eius emittere: quoniam vanum esset: quandoquidem eo non obstante posset ille religionem profiteri. ¶Et pariter ad secundum respondetur quòd etsi liceat futuras nuptias iurare, nihilo minùs non obstãte iuramento, licet iuranti monachalem habitum induere: neq; aliter illud tenetur implere quàm si religiosus esse non maluerit, aut sacerdos, qui melior etiã status est. Quoniam istæ conditiones à iure semper intelliguntur prosilire. ¶Superest autem postremum dubium: quantum scilicet grauitatis in huiusmodi votis insit quæ fiunt cõtra cõsilia. Videtur enim nunquàm pertingere ad peccatum mortale: ob id quòd nullum obligat, atq; adeò neque vllum sunt excelsioris frugis impedimentum: sicuti de illo dixim⁹ qui se hospitali voto addixit. Respondetur autem tria in ipsis pensari. Primum est obiectum ipsum & intentum. Cùm enim dare eleemosynam & similia consilia, nonnunq̃ ad limen præcepti pertingãt: tenemur enim quãdoq; eleemosynam facere: si quis ita voueret vt proponeret nũquã eam largiri, manifestè peccaret mortaliter: quia proponeret facere contra præceptum. Secundò etiã consi

Argumẽtũ cõtra ꝑteritã definitionem.

Caiet. solutio

Primaratio in Caietan.

Cõfirmatio.

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ

Dubium ad terum.

Solutio.

consideratur in talibus votis repugnãtia diuinæ volũtatis: qua ratione quis vouet Deo tanquàm gratum id quod ingratum est. Et qui hoc sciens ac prudens faceret, non dubium quin peccaret mortaliter. Esset enim manifestarius abusus voti: Posset tamen ignorans excusari. Attamen si considerentur solum tanquam impeditiua maioris boni, non habent aliam malitiam quàm vanitatis: quia re verà non tenent. Quare non videntur genere suo mortalia nisi in odium fierẽt religionis. Nam impia essent. ¶ Quòd si arguas, nullum prorsus habere, magis quàm si voueres seruire hospitali: Negatur simile. Quando enim obiectum voti etiam dum est executioni mandatum maiori bono non obstat, votum nihil habet culpæ.

obiectio.

At verò licèt votum coniugij ante eius consummationem non impediat, tamen quia consummatio impedit, votum vitiatur. Qd' si arguas, licet iurare futuras nuptias quia semper intelligitur exceptio, nisi iurans vouerit esse religiosus: ergo simili modo licet vouere matrimonium. Respondetur quòd quando promissio fit homini, etiam sub iuramẽto: iure intelligitur exceptio diuini cõsilij: sed quia votũ fit Deo, illicitũ est rem illi contrariã eiusdẽ cõsilij polliceri: nisi palàm expromeres exceptionẽ, scilicet voueo Deo matrimoniũ, nisi de me ipse salubrius quid piam disposuerit. ¶ An verò votum licitum sit, dum pro fine bonorũ tẽporalium emittitur, ambigere nemo potest, Vt si quis quid voueat, si Deus illi prosperum iter dederit, veluti Iacob, Genes. 28. Aut si dederit maritum, aut proles, aut victoriam. Tamet si nõnulli nos hęreticorum irrideãt, dicentes hoc esse coemere & mercari à Deo: cùm tamen non sit nisi profiteri cuncta nobis ab ipso prouenire: & ideo ecclesia orat pro huiusmodi bonis: quia vtilia nobis sunt ad vitam æternam. Quare si votum fiat sub conditione: puta si hoc mihi illudve acciderit, tunc ante impletam conditionem obligationem non parit. Secùs si absolutè fiat. Nam tunc etiam si intentio tua sit temporale illud adipisci, quanuis non adipiscaris, teneris. ¶ Ex his demum in calce quęstionis quam de voti substantia instituimus, venari quisq; potest definitionem quam multifariam Doctores. 4. d. 38. constituunt. Debet enim definitio & genus & differentias compendio continere, quæ subinde tam formam explicet quàm materiã. Est ergo votum promissio deliberatæ voluntatis, Deo de his quæ Dei sunt facta. Genus enim est promissio ex deliberatione & proposito proficiscens, Per hoc autẽ quòd dicitur, Deo facta, vbi intelligitur, vel diuis, separatur à promissione q̃ fit hominibus, constituiturq; in religionis genere. Adiectum autem est de his quę Dei sunt, ad explicandum consiliorum materiã quæ propria est ac peculiaris voti: licèt extendatur ad præceptum.

licitũ est Vouere pro fine bonorum tẽporalium.

Voti definitio.

AD primum igitur argumentum in contrarium respondere videtur S. Thom. quod in baptismo fit votum: quanuis illud non sit opus supererogationis, sed necessitatis. Dicitur autem, inquit, votum quia voluntariè fit: sicuti cùm quis rem præcepti vouet. Quod quidem baptismi votum Magister Senten. 4. d. 38. appellat votum commune. ¶ Attamen vt bene hìc disserit Caieta. non est propriè votum, quasi præcepto adiectum: idq; multis rationibus comprobatur Primùm quòd Christianus transgrediens Christianismi præcepta, nõ duplici, sed simplici peccato delinquit: quod manifestum signũ est illic nos non obligari nisi lege simpliciter, nullo super addito voto. Mox ex verbis illic prolatis constat. Interrogat enim catechumenus an abrenuntiet Sathanæ, & an velit baptizari, & an credat? & respõdet, Abrenũtio, volo, & credo. Illa autem verba tantummodò sunt professionis legis, & religionis Christianæ & assumptionis noui status: quæ quidem non sunt signa noui voti. Et postremo id confirmatur: quia baptizari est necessariæ obligationis præceptũ: vouere autem est liberum arbitrariumq; opus consilij. At non pluribus opùs est. Nemo enim vnquàm cogitauit sic baptismum esse votũ, vt sit obligatio noua obligationi præcepti adhibita. Sicuti dum sacerdos vel monachus sua statuta profitentur nodo seruãdę castitatis, quæ est in præcepto, nouũ per votum adiungunt: sed dicitur votum commune, pro eo quòd Christianismus est quędam religio ad quam omnes homines tenẽtur: atq; ideo in baptismo eandẽ cuncti profitentur religionem, sua nimirum nomina in talem militiam conscribentes. ¶ De Iacob autem cùm Deo vouit quòd futurus ei esset in Deum, dicendum est, vel quòd se voto ad id ad quod lege tenebatur religiosiùs astrinxit: vel certè vouit nouum consilij cultum. Vnde subdit, Cunctorum quæ dederis

Ad primũ argumẽtũ. D. Thomas.

In baptismo nõemittitur votum.

Prima ratio proximæ assertionis.

Secunda.

Postrema.

Adsecũdũ

ris mihi decimas soluam tibi. ¶ Ad secun-
Ad secũdũ dum de Iephte cũ Hieronymo respondetur, fuisse in vouendo stultum: quia discretionẽ non habuit: atque in reddendo impium. Sunt enim, vt ait D. Tho. nonnulla quæ non modò genere suo bona sunt: verũ in omnẽ euentum: qualia sunt virtutis opera. Alia verò nõ solùm mala in genere, verùm & omni casu: veluti illa quæ sunt genere suo mala. Quorum ideo priora tuto quisq; absolutè vouere potest: posteriora verò, nullo pacto. Sed alia prętereà existũt quę etsi genere suo sint bona, & secundũ hoc legitima voti materia, possunt tamen in euentum exire sinistrũ: & tale fuit illud quod Iepte vouit. Vbi nota opus illud non fuisse indifferens: nam indifferentia iam suprà abacta sunt â materia voti, imò fuit genere suo bonum: vt pote immolare Deo. Veruntamen quoniam immolationis materia non fuit ab ipso præfinita, sed dixit, quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, eum holocaustum offeram domino, votum prudenti caruit discretione. Et similia sunt indiscreta vota cùm sub nota vniuersalitatis proferuntur. Videlicet voueo quicquid à me pauper petierit illi porrigere. Nam forsan â te gladium petetad patrandum homicidium, vel aliud quod largiri non decet. Ea propter huiusmodi vota in illis euentibus quæ iure naturę licita non sunt, neutiquàm obligant. Atque hac de causa impius fuit Iepte votum implens. Quoniam illud suapte natura de pecude intelligebatur, vel armento, deque alijs animalibus sacrificio offerri consuetis. Neque videtur vlla posse ignorantia excusari: eò quòd non modò hominem cõtra ius naturę, verùm & gnatam truculentæ adegit morti. Eapropter quod in eius historia præmittitur, videlicet, Spiritus sanctus factus est super Iephte: neq; ad voti emissionem, neque ad eius solutionem est referendum: sed ad id quod diuino zelo animatus Ammonitas Dei hostes adortus est. Et quanuis eum inter iustos antiquæ legis Paulus commemoret, non inde fit consequens nullum admisisse delictum. Recenset enim & Samsonem & Dauidem: quos constat nonnunquàm fuisse collapsos, tum, quòd aliàs iusti fuêre, tum propter egregias
Ad tertiũ. eorum victorias. ¶ Ad tertium respondetur neque votum macerationis corporis, neque aliud quodcunque tenere: nisi quatenus est virtutis opus. Quare dum prudentiæ lineam exorbitant, obligare cessant.
Iephte impij in reddẽdo votum.

Quo circà Paulus ad Roma. 12. suos alumnos commone facit, vt exhibeant corpora sua hostiam sanctam, viuentem, Deo placentem. Actum demum addit: Rationabile sit obsequium vestrum. At verò quia homines, inquit sanctus Thom. in his quæ ad seipsos attinent plus sibi nimio iudicantes indulgent, consultius est, vbi de hac re dubium ingruerit, prę fecti iudicio subdi. ¶ Percõtaris autem quodnam erit iudicium transgressæ lineæ in huiusmodi votis? Respõdetur non esse aliud quam dum ius naturæ reclamat. Non dico quòd vbi ius naturæ non præcipit talia ieiunia & operum asperitatem non sint talia vota licita: alias neque quadragesima esset licita: sed quando id quod facis, legi naturæ aduersatur: nempe quando afflictatio in homicidium vergit, tum voti obligatio aboletur. ¶ De alio verò argumenti membro, nempe de rerum indifferentium votis, iam responsum est nihil valêre. Quare aliquando deridicula sunt & mulierc ularum ludicra. Quin vero aliquando execranda: vt pote quãdo sunt ceu sortilegia, & superstitionum vel deliramẽta vel sacrilegia.

Paulus.

Scrupulus.

Solutio.

QVAESTIO SECVNda, De voti vigore ac Virtute.

Sanct. Thomas. 2. q. 88. ar. 3.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm omne votum obliget ad sui obseruationem.



CONSTITVTA voti substantia, subsequitur de eius vigore & virtute indagare. Ac primùm quæritur de eius vi obligãdi. An videlicet omne votũ sit obligatoriũ. Et arguitur à parte negatiua. Votum vt dicebamus, est promissio Deo facta: promissio autem simplex quæ fit hominibus non obligat. Nam iure ciuili non omne promittens soluere cogitur: Deus autem cùm bonorum nostrorum non egeat, non censetur
Ad primũ argumentũ

vrgen

vrgẽtior promissorum exactor quàm sit homo: ergo neq; semper votum obligat. ¶Secundo arguitur. Si votum esset obligatoriũ sequeretur quòd nullus vouentium metus à voti præuaricatione valeret eos excusare: quia sicuti nullam Dei legem metus causa violare licet, ita neq; vllum suscipere votum quod non optima fide soluas: consequens tamen est falsum: eò quòd votum, spontaneum esse debet: voluntati autẽ, autore Aristotele, metus obstat. ¶Tertiò. Nemo ad impossibile obligatur: vsu autem nonnunquã venit vt qui aliquid vouit explere votum nequeat: nempe aut quòd ex alio dependet: vt si religionem vouit ad quam monachi eum admittere renuunt: aut si mulier quam virginitatem vouerat ipsu deinde amisit: vel dum qui pecuniam vouerat, ad mendicitatem redactus est: ergo non semper votum obligat. ¶Præterea quartò: Si votum omne soluendi nexu colligaret vouentem, sequeretur quòd omne votum illicò esset implendum: nam quod debes, statim reddere cogeris: non tamen omne votum statim reddere necessum est, vt puta quando sub conditione fuerit emissum: ergo non omne votum obligat. ¶Quinto arguitur. Si votum omne obligaret, consequens fieret tum quòd quis posset subditum obligare, vt pater filium: tum etiam quòd qui per se nõ posset implere, teneretur id per alium facere: quod videtur absurdum. ¶In contrarium autem est illud Eccles. 5. Quodcunque voueris redde. Multoq; melius est non vouere, quàm post votum promissum nõ reddere, Nam vnum est consilium non capere: alterum verò iustitiam præuaricari.

Secundum. *Tertium.* *Quartũ.* *Quintum.*

QVæstionis solutio facilis est & clara, quæ in vnica conclusione cõsistit. Votum genere suo & obiecto sub reatu lethalis criminis sacrilegijq; obligat. Probatur naturalis ratio conuincit vt promissi fides seruetur: vnde vt Cicero. 1. de Off. ex quo id Augustinus in epistola. 19. ad Hieronymum desumpsit, Fides, inquit, duabus suis syllabis significat, vt fiat quod dicitur. Quòd si homines hac lege inter se tenentur, longissimè constrictiùs tenentur Deo: tum ratione dominij, quod creationis iure in nos habet: tũ etiam ratione beneficiorum, quibus nos indies accumulat. Ex his nanque arctissimum fidelitatis vinculum nascitur, quo homines tenentur sua Deo promissa per soluere. Vnde Sapiens, displicere, inquit, maximè Deo infidelem promissionem. Hinc ergo fit votum obligare sub reatu culpę mortalis. Nam etsi vouere opus consilij sit, nihilo minùs reddere est actus iustitiæ, quæ citra charitatis iniuriam violari non potest: cùm sit inter homines maximè necessaria. Quicquid autem charitati aduersatur per quam anima viuit: est peccatum mortale. ¶Et secundò reatus augetur ratione vulneratæ religionis. Promissio quippe facta hominibus obligat iustitiæ vinculo: illa autẽ quæ fit Deo in superratione religionis. Et igitur vouere Deo, religio: atque adeò id reddere, iustitiæ actus, religione insignitus. Ex vtroq; ergo capite votum genere suo obligat sub reatu mortali.

Cõclusio responsiua. *Probatio.* *Cicero.* *Augustin⁹*

Secunda rõ.

¶Nihil in conclusione reliquum fit ambiguitatis: sed hoc vnum quod omnibus præceptis vniuersale est, explorare id possumus de voto. Vtrùm ratione leuitatis materiæ fieri possit, vt voti transgressio non sit nisi venialis culpa. Videtur enim â parte negatiua id facere quod votum strictioris est vinculi quàm iuramẽtum, maioremq; adeò sanctitatem præ se fert: iuramentum autem falsum nunquam ratione materiæ fit veniale, sed in omni indiuiduo est mortale. Ex altera verò parte, cùm commune sit omni præcepto posse fieri veniale, apparet & idem huic competere. Atq; ita indubiè confitendum arbitror. Et nè quis forsan propter religionis sanctitatem id credere reformidet, egomet mihi sic probo. Votum est quædam lex quę ex hominis volũtate dimãnat, quam scilicet quisque sibi ponit: ergo non aliter obligare debet quàm si lex esset ab ecclesia vel à Deo ipso posita. Imò vrgentior videtur legis necessitas quàm voti: Lex autem etiam si genere suo obliget sub reatu mortali, ratione tamen leuitatis materiæ rigorem remittit: vt eius transgressio non sit nisi venialis. Furari enim genere suo est mortale: sed nihilo minùs furari vnum obolum, non est nisi veniale. Aequa ergo ratione si ego voueo non furari, tunc vnum obolum furripere non erit nisi veniale. Quòd si dicas religionis celsitudinem hoc nõ permittere: profectò id non video: quandoquidem præceptis fidei & charitatis id minimè repugnet.

Dubitatio *Solutio.* *Suadetur proxima assertio.*

Secunda rõ.

¶Secundò: transgressio voti quando nõ est plena deliberatio, potest inde fieri venialis: ergo & ratione materiæ. ¶Tertiò. Si quis vouit quotidie recitare Rosarium, propterea quòd omittat vnum Aue, aut duo, non peccaret

Tertia.

caret mortaliter: quia neq; lex ecclesiastica, imò diuina cùm tãto rigore nos obligat statos psalmos persoluere. ¶Cõclusio ergo non est dubia, vbi prætermittitur tenuis particula illius quod voueras. At dubium superest quando totum id quod vouisti est res leuis. Vt si spopondisti erogare pauperi vnũ obolum, aut dicere vnum tantùm Pater noster, vtrùm horum omissio sit mortalis. Et facit pro parte affirmatiua quòd tũc cùm totum omittas, fidem frangis. Nihilo minùs arbitror huiusmodi omissionem non esse nisi venialem, Nam dum materia leuis est, nihil refert, totumne sit obiectũ voti, an pars. Quocirca si votum emisisti quotidie dicendi vnũ Credo, etsi id quotidie omittas, nunquàm mortaliter delinquis. Secus si fortasse voto spoponderis quotidie obolũ erogare pauperibus. Tunc enim licèt nec vnius solutionis nec duorum omissio sit mortalis, tamẽ quòd hodie non tribuis, cras teneris. Quare vbi debiti summa excreuerit, mortalis fit culpa.

Dubium alterum.

Solutio.

¶Per hæc ad id quod suprà tetigimus respõdemus, Nimirum quòd siquis voueat vnum veniale cauere peccamen, tunc illud cõmittere, gemina erit venialis culpa: quoniam in hisce lege, vetitis non se homo cogitat obligare nisi legis instar. Vnde si lex non obligat nisi sub reatu veniali, videtur vouens non aliter se obligare. Enimuerò (quod hic consideratiùs meditari debes) non est in vouentis arbitrio situm sub reatu se mortali aut veniali obligare, sed culpæ qualitas ex quantitate & necessitate obiecti perpendenda est,

Argumẽtũ

¶Contra hoc autem est argumentum. Stat quòd ludere, verbi gratia, decem aut viginti ducatos ante emissum votum non sit nisi veniale: quoniam prodigalitas genere suo non est nisi venialis: & tamen post emissum votum, fit mortale sacrilegium. Respondetur nos non ire inficias quin id quod anteà erat veniale, efficiat qñq; mortale per votum. Nam quod non erat malum, puta non dare eleemosynam, emisso voto esset mortale. Imò fortè ludere illam pecuniam esset virtus ante votum, & post votum mortale. Sed dico quòd est respiciendum ad quantitatem. Vnde postquàm iam non ludere, virtutem constituisti in genere religionis, ac iustitiæ in quo anteà non erat, perpendenda est obiecti quantitas: & dum illa est grauis, erit mortalis.

Responsio.

DIfficultas ergo quæstionis non in ipsa, sed in argumentorum solutione tota consistit. In primo quippe insinuatur dubium superius attactum, an videlicet simplex promissio homini facta sit obligatoria. Et cùm simplicem audis promissionem, illam intellige, quæ nec ratione alicuius debiti præcedentis fit, nec iuramento firmatur sed cùm quis sua spõte simplici verbo quippiam amico pollicetur. Et quidem quòd in huiusmodi promissione quędã semper sit obligatio, nemo est qui ambigat: quoniam ad minus est assertio, quam si re non compleas mentitus es: mendacium autem vniuersum delictũ est, saltem veniale: sed dubitatio est an genere suo obliget sub mortali reatu. Et quidem Caietanus, 2.2. cùm. q. 88. tum euidẽtius. quæst. 113. non aliam vim obligandi agnoscit in simplici promissione quã hæc modo insinuata. Putat inquam promissionis obligationem non ad aliam pertinere virtutem quàm ad illam quæ est moralis veritas: scilicet verum dicere: ob idq; non adimplere genere suo nihil aliud est, inquit, quam mẽdacium. Quapropter ex obiecto nõ est mortale: nisi aliunde fiat pernicioſum: vt si vouisti rem quæ multũ alteri referebat, puta suppetias amico ferre aduersus hostem, aut filiam eius ducere, quod non re compleueris.

Quæstio in primo argumento tacta.

Caie. sententia.

¶At verò incõtrarium stare videtur veritas. Nempe quòd promissio simplex genere suo obliget sub reatu mortali, nisi ex leuitate materiæ efficiatur venialis. Et ratio habet contrariam eidem Caietano radicem. Enimuerò promittere nõ pertinet simpliciter ad virtutem veritatis, sed reducitur ad commutatiuam iustitiam. Non enim est vtcunque verũ asserere, sed obstringendo alteri fidem. Quare vt ait Cicero in. 1. de offic. fides hæc non solùm ad iustitiam attinet, verùm est ipsissimũ iustitiæ fundamentum, cui omnia hominũ pacta conuentaq; nituntur. Ex hoc ergo arguitur. Peccatum quod genere suo charitati aduersatur, est mortale: eiusmodi autem est promissum non soluere: quandoquidem est iustitiæ subuersio, quæ ligamen est ciuilitatis humanæ. Est ergò genere suo peccatum mortale, vt pote per quod ingens detrimentum proximo infertur, qui suam fidem promittenti adhibuit. In super promissio Deo facta obligat sub reatu mortali, non solùm quatenus cultus est religionis, verùm etiam quatenus officium est iustitiæ: ergo illa quæ fit homini: quia quantum ad hoc, eiusdem sunt generis. Ad hæc vniuersarum gentium existimatio est fidei violatorem, velutiscelestum

Promissio simplex genere suo obligat sub mortali.

Probatio.

Cicero.

Ratio altera.

Postrema.

stum hominem execrari: vox autem publica: est vox naturæ: ergo obligat sub reatu mortali. Vnde quod ait Salomõ, Deo displicere infidelem promissionem, vbi notatur mortale delictum, ad omnem extenditur, etiam quæ fit homini.

obiecti.

¶Quòd si verbum sancti Thomæ obiicias, dicentis hic promissionem obligare tantùm secundum honestatẽ: vbi videtur excludere obligationem iustitiæ nam sic solet vsurpari honestas pro eo quod non est ad iustitiam necessarium.

Solutio.

¶Respondetur quod non accipit honestatẽ vt excludat iustitiam, sed vt excludat ciuile forum: Non inquam negat quin sit obligatio iustitiæ, sed insinuat quod quantum ad ciuile tribunal, non sufficit simplex promissio: nisi sit vel iuramento vel scripto vel testibus firmata. Imò & quantum ad honestatẽ iustitiæ in foro Dei, accidere cõditiones possunt quæ vim obligationis tollant. Vt si ꝙ tibi promisi tibi posteà fit inutile, aut nocuũ: vt si gladium tibi promisi quo posteâ video te velle abuti. Aut si promittenti factum est impossibile aut pernicioſum: vt si promisi pecuniam quam posteà ob infortuniũ reddere non possum. Aut si mihi ingratitudinis signa exhibuisti. ¶Contra hanc autem promissionis obligationem stare videtur testamentorum ritus. Quandiu enim testator viuit, legata omnia mutare liberè potest, neque obligatus censetur illa soluere: & tamen legatum, quoddam videtur promissi genus. Respondetur autem legata non esse propriè promissiones, quæ vllam habeant firmitatẽ vsque ad testatoris mortem, qua, vt ait Paulus, testamentũ confirmatur. Quare omnia ad illum sunt articulum referenda. ¶Præterhæc ex superioribus recolendum est, simplicem assertionem futuri non esse semper promissionem. Si enim dicas faciam, id tantùm exprimẽs quod in proposito habes, nõ subinde obligaris nisi illo id sensu proferas qđ est, Promitto facere: vt puta dum quis ex te quidpiam perit, & respondes, faciam. Aliâs iam suprà diximus posse te mutare propositum. ¶Aliquantulo autem difficilius dubium est an promissio quam apud te sola mente homini facis, sit obligatoria. Visus est sanctus Thom. artic. 1. id negare: dicens promissionem quæ ab homine fit homini, non posse fieri nisi per verba. Cui & ratio suffragatur. Nam obligatio est inter duos: homo autem non loquitur homini nisi verbis aut exteris signis: ergo non se aliter valet alteri deuincire. Hoc fortè problema est, stando in iure mero naturæ & in cõsciẽtia. Nam in foro exteriori manifestũ est mentalẽ obligationẽ: imò neq; omnẽ quę fit absenti, ligare. Sed in cõsciẽtia de vtraq; fortè parte opinari quisq; potest. Et quanuis rarissimè id vsu veniat, nihilo minùs si cõtingat, necesse est scire an promittentis conscientia ligata maneat. Et quòd sit obligatoria, profectò sunt argumẽta non pœnitenda. Primum: Voces sunt signa cõceptuum: si ergo vox obligat, non est nisi ex vi cõceptus. Et cùm mentalis promissio, locutio verè sit, non potest si non implea tur carere mendacio, quod intrinseca ratione delictum est. Mox quando solùm mente de re deliberasti, illamq; facere proposuisti, nondum obligatus es: ergo si his mente loquendo adhibeas, Promitto tali indigenti amico talem pecuniam: aliquid obligationis ad præcedentia adiecisti. ¶Tertiò. Si talem promissionem in mente iuramento firmasses, vinctus remaneres ad soluendum: & tamen iuramẽtum promissorium non obligat nisi virtute præcedentis promissionis: ergo promissio obligabat. Quartò. si posteà nullam aliam concepisse mente promissionem, sed illam amico posteà notificares, dicens: Nihil tibi nũc promitto, sed tamẽ heri tibi apud me hoc pollicitus sum: vide an promissum acceptũ habeas: tũc obligatus videris: ergo virtute prioris promissionis. Quintò. Si surdo nihil audiẽti aliqd verbo promittas, similiter si in præsentia vnius dicas, Ego tali absenti amico hoc promitto: promissio in cõscientia videtur tenere, quicquid sit de foro ciuili: ergo etiam si fiat in mente quę est promissio in absentia. ¶Quòd si contrà arguas: Promissio pendet ex acceptione alterius: ergo anteq̃ ipse nouerit nõ tenet. Fateor equidẽ: sed tũ quod contẽdimus nõ est aliud q̃ ꝙ ille qui alteri mente promisit, tenetur id ei significare: & si voluerit acceptare, tenetur ei reddere. At verò qñ promissio est mutua: puta, do vt des: facio vt facias, vt est coniugalis cõsensus: tunc non sufficit mentalis nisi vtriq; parti exteriùs cõstet. Et pari iure nullus alius contractus teneret: puta emptionis aut vẽditionis, nisi externè significarentur cõsensus. De simplici autẽ promissione videnť argumenta nõnulla suadere probabilitate: at probabilius fortè est eam quæ sola mente fit non obligare: nam antè q̃ alius sciuerit, potest rescindi & mutari, vt lib. 4. q. de translatione

Argumẽtũ

Difficultas altera.

Ratio dubitandi.

Suadetur se quẽtibus rationib⁹ altera pars quæstionis proximæ.

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

Quartũ.

Quintum.

Obiectio.

Solutio.

tione dñiniorum me dixisse mimini: obid q cùm naturale sit hominibus, verbis aut signis suos significare conceptus, ante significatam promissionem nulla videtur obligatio resultare. ¶In secundo argumento tangitur de metu. Hoc enim constitutissimum est q votum debet esse voluntariũ. Voluntati autem ignorantia, vis, & metus obstant: vt. 3. Ethi. autor est Arist. Et quidẽ de ignorantia ar. 1. dictum satis est. De metu ergo restat in præsentiarum hoc pacto respõdere. Primũ in confesso est metum obstare nè votũ obliget ratione iam dicta: quia tollit voluntarium. At verò cùm metus multiplex sit, dubium restat vtrum omnis eandem vim habeat impediendi: nam solenne est in mortis periculo vota facere: quæ quidem nefas esset re non complere. Distinguitur ergo duplex metus: alter forinsecùs incussus: alter verò ab intrinseco ortus. Et quidem forinsecùs imminens impedit nè votum obliget ni si post liberè ratum habeatur & firmum: ille autem qui est ab intrinseco, obligationem non tollit. Distinctio est receptissima, non modò Theologis, verum & Iureconsultis, vt patet apud Panormitan. capitu. sicut. 2. de regula. Quin verò ambæ istæ conclusiones, sanctiones sunt iuris canonici. Prima siquidem habet in cap. Relatum. de his quę vi metusve caus. fiunt. vbi mulier quæ coniugis metu votum emiserat religionis, absoluitur. Secunda verò habetur eodem citato capit. sicut. de regula. vbi clericus qui nimia ægritudine monachatum vouerat, cogitur esse monachus. ¶Sed est perspectè expendendũ quisnam in præsentiarum censeatur metus ab extrinseco qui excuset. Haud enim satis est vt à re extrinseca incutiatur: nam votum emissum in naufragio metu turbati maris, tenet. Neque requiritur incuti ab homine: nam qui in vincula coniectus aut in suspendium raptus votum emittit, licet metus sit ab homine, legatus manet. Sed requiritur quòd incutiatur per iniuriam. Neque verò id satis est: nam si Turca te habet captiuum, & Deo votum facias aut diuæ Virgini quæ te inde eripiat, re vera tenet. Et similiter si inuasus ab hoste in conflictu votum facias vt illæsus euadas. Requiritur ergo quòd incutiatur ab homine per iniuriam intendente extorquere tale votum. Puta si dicat: Occidam te nisi voueris. Quocircà inde ratio huius discriminis elicitur, q metus ab intrinseco exortus, à Deo offertur, qui nemini facit iniuriam: ille autem qui ab homine infertur ex iniuria nascitur. Sed licèt forsan eôdem recidat, genuina ratio est quòd votum per metum ab extrinseco non est volũtarium sicut alterũ: qui enim vouet extrinseco metu perculsus nulla id ratione gratum habet quod vouet: & ideo non sua sponte illud acceptat: sed quò se ab hoste defendat: quando verò metus est ab intrinseco, quia nulla existit pugna cum hoste, gratum habet illud vouere vt patrocinium mereatur diuinum, quo liberetur à periculo. Et ideo est alia ratione voluntarium quàm priùs. Et exemplo insuper ab hominibus ostenditur id tenere. Dum enim grauiter iacens metu mortis amplam medico si euaseris polliceris mercedem, ideo votum tenet quòd illud medium eligis vt seueris: multò ergo melius tenebit votum emissum Deo. ¶Huic nihilo minùs veritati nonnulla obiiciuntur argumenta. Primum est. Iuramentum extortum per metum etiam cadentem in constantem virum prorsus obligat, votum autẽ genere suo, quia fit Deo, maiori rigore ligat quam iuramẽtum: ergo simile votũ obligat. Negatur consequentia. Nam etsi votum propterea quod fit Deo coactius vinciat quam iuramentum quod fit homini tamen iuramentum aliam habet obligandi naturam quàm votum. Nam voti obligatio ex nuda pendet puraque iubentis voluntate: & ideo metus eidem voluntati obiectus tollendo voluntarium tollit obligationem: vinculum autem iuramenti non ex voluntate iurantis, sed ex natura iuramenti resultat ac pendet. Est enim reuerencia hæc debita diuino nomini vt quod iuras, nũquã falsum esse sinas, quomodocunque id iures: dum modo sis mentis compos. Sed de hoc iterum subsequenti lib. q. 1. art. 1.

Duplex metus.

Panormita.

Explanatio superioris assertionis.

Primum argumentum cõtra dicta.

Solutio.

SEcundum argumentum est: Consensus per metum forinsecùs expressus, verè cõsensus est. Ait enim Aristote. 3. Ethico. quòd qui in naufragio fluctibus suas merces committit, simpliciter vult, licèt conditionaliter nollet ergo votum simpliciter est voluntariũ atque adeò tenet. Non desunt è Iureconsultis qui huic argumento manus dent: nimirũ fatentes quòd si vouens habuit consensum quocunque fuerit metu coactus, tenet in cõscientia apud Deum. Secus autem in foro eccleiastico. Opinio est Panor. in cap. Cùm locum, de sponsa. cui astipulatur Sylvest. in verbo, metus. §. 8. vnde ad illud cap. relatum. de his quæ vi, metusve cau. fi. respondeo quòd

Secundum argumentũ Aristot.

Solutio Panormita. Chrysostc.

Papa

Papa mulierem illam quæ metu vouerat absoluit, præsumens non habuisse consensum: similique ratione absoluit ecclesia eos qui legitimè timorem probant: quos vtique si constaret habuisse consensum, non absolueret. At vero salua Doctorum grauium existimatione, malè coniiciunt: imò quanuis reus fateatur se habuisse consensum, si tamen metum legitimis comprobet testibus, in more est vt absoluatur. Et simili probatur exemplo in matrimonio, q̃ quoties metu cadente in constantem virũ celebratur, irritum habetur in foro ecclesiæ: vt patet cap. cùm loco & cap. veniens. de spon. & .33. quæst. 5. canon. notificasti. Et ratio est, quòd cùm voti obligatio nõ nisi ex arbitrio vouentis ortum habeat, naturale est vt dum voluntas illa necessitate compellitur, votum non sit legitimum eò præsertim quòd votum est opus consilij, cui metus visque repugnat. ¶Ex quo fit vt idem metus qui impedit dum votum emittitur nè obliget, culpam etiam eiusdem trãsgressionis excusatione abluit. Exempli gratia. Si vouisti die Sabbathi ieiunare, aut non ludere, aut eleemosynam elargiri, & posteà tibi metus mortis incutitur vt contrà facias: tunc contra faciendo excusaris, nisi in contemptum religionis tyrannus tibi eam minaretur. Nam causa quæ promissioni obstaculo est nè obliget, excusationem secum eadem affert trãsgressionis. Et præterea id probatur ratione suprà formata: nempe quòd votum nõ obligat nisi ad modum legis: lex autem ecclesiastica ad ieiunium non eo rigore compellit vt nos contendat pro sui obseruatione in mortem adigere, nisi infidelis tyrannus eam nobis in legis contemptum comminaretur. ¶Grauius autem intricatiusq; dubium in præsentiarum est, vtrum hoc quod dictũ est, nempe metum extrinsecùs per iniuriam oblatum voti obligationẽ impedire, in vniuersum de omni metu sit intelligendum, siue grauis sit siue leuis. Et in primis consensus est omnium vniuersalis, metum omnem cadentem in cõstantem virum, illam tollere voluntarij rationẽ quæ ad obligãdum est necessaria: sed nondum satis est apud omnes cõpertum quisnã cẽsendus sit metus cadens in cõstantem virum. Vulgaris enim quorundam Iurisconsultorum, imò & Theologorum opinio est, quæ prima fronte imaginem veri præ se fert: nempe metum cadentem in constantem virum eũ esse cui vir constans non succumbit, vt faciat quod non debet. Hæc autem definitio tum falsa est, tum & principiũ petere apparet. Fieret enim inde cõsequens nullũ metum quãtumuis atrociss imæ mortis ob quẽ homo naturalem legem ac diuinã transgrederetur, cẽsendũ esse cadere in cõstantẽ virum: quoniã qui vllo impulsus metu talem transgreditur legem, non est vir constans. Obligat enim nos virtutis ratio vt potiùs mortem feramus q̃furari, aut mentiri, aut quid ſimile, quod in trinseca ratione malũ est. Et tñ profectò metus mortis genere suo cadit in cõstantẽ virũ, vt res ipsa per se patet: cõ terribiliũ oĩum terribilissimũ sit. Et q̃ definitio eadem principium petat inde liquet, q̃ cũ quęstio esset an metus aliquis matrimonii aut voti obligationem tolleret ob id quod cadens esset in constantem virũ, facile pateret subterfugium dicenti talem metum in constantẽ virum non cecidisse, propterea q̃ ob talem metum id fecit quod non debuit. Igitur descriptionem legitimam eiusmodi metus, vox nos ipsa docet. Metus enim ille est cadens in constantẽ virum, quem viri constantia secum patitur: scilicet quem stat virum constantẽ sine suæ fortitudinis vituperatione habere: ita vt non repugnet esse virum cõstantem, & sic metuere: nam vna pars fortitudinis est, timere vbi oportet. Sed est apprimè animaduertendũ, quòd nullus metus quantumuis in virũ cõstantissimum incidere solitus, à culpa transgressionis excusat diuinæ legis & naturalis. Vnde etsi mortis metus puellę oblatus vt stuprum patiatur, verè sit cadens in constantem virum: quia fortissima id fœmina metuere posset: nihilo minùs si ob talem metum cõsentiret stupro, non esset constans. At verò si eiusdem causa metus ieiunium frangeret ecclesiasticum, vel Missam die festo cessaret audire, non esset inconstans: quia huiusmodi leges ecclesiasticæ cum tanto rigore non obligãt, vt illarum semper gratia mortem oppetamus. Non ergo ob id quòd quis metui succumbat, desinit esse cadens in constantẽ virum: quoniã tunc metus excusat vt succũbens non ideo faciat contra id quod debet. Tale ergo metuum genus est quod voti obligationem tollit. ¶Haud tamẽ hic pacabitur lectoris solertia: sed quæret fortè vlteriùs, vnde perpẽdendus est metus vt cadere cognoscatur in constantem virum. Vtrum scilicet in indiuisibili is metus consistat, idemq̃ sit vniuersis? Adhoc ergo respondetur. Trinum esse caput vnde tale iudicium sumendum

Refutatur solus Panor.

Corollariũ.

Graue dubium.

Opinio Iurisconsultorum.

Prima ratio in primam opinionem.

Secunda.

Quid metus cadẽs in virũ cõstantẽ.

Solutio dubitationis propositæ.

Scrupulus.

Solutio. est. Primùm scilicet ex parte obiecti, Timor enim mortis, quę omnium est temporalium truculentissimum malum, cadere existimatur in constantem virum. Atqui nomine mortis exilium quoque & perpetui carceres comprehenduntur. Quin verò & infignis infamia quam homines formidare nihilo minùs quàm mortem assolent. Secundò id pensatur ex parte modi quo metus incutitur. Si enim fœmina tibi, vel puer, vel inermis homo mortem comminaretur, metus ille non caderet in constantê virum. Sed tertiò (quod attentè hic considerandum est) id etiam perpenditur ex parte subiecti. Etenim virorum ista constantia non consistit in indiuisibili, sed suam habet latitudinem. Haud enim aut Thesei aut Herculis strenuitate pollêre omnes aut debent, aut possunt. Est nihilo minùs linea extra quam non esset constantia. Metus ergo qui secum illam compatitur constantiam, quæ intra illam includitur latitudinem, est cadens in constantem virum: Quocirca metus qui fœminam excusaret, aut senem calore sanguinis iam destitutum, non excusaret virum alium. Vnde nomine viri intelligitur animi robur pro cuiusque conditione. Ex quo fit quòd si puella religionem ingreditur parentum metu, pro eius conditione atroci: nempe quia illam & verbis & re nimium tractant asperè nisi in monasterium se permittat obtrudi, certè votum tali consensu emissum non teneret. Sibi ergo suisque liberis parentes consulant, vt eiusmodi rigorem cogendi remittant. Quò ergo tandem rem concludamus, metus leuis, puta remissior quam qui cadit in constantem virum, nec voti obligationem impedit, nec eius trãsgressionem excusat. Quod si arguas neque *Obiectio.* eiusmodi vota esse prorsus spontanea, cum ratione metus fiant: Respondetur metum leuem in rebus spiritualibus, puta in voto & matrimonio nõ existimari metus nomine. De iure autem & foro ciuili nihil hic disputamus: sed ad leges & iudicia lectorem remittimus, quisnam metus contractum vitiet quis vero minimè.

Materia tertij argumẽti TErtium argumentum quod apud diuũ Thom. secundum habet locum, complures aperit dicendi materias. Prima est de illis quibus possibile non est votum implere: seu quòd citra suam culpam in tali sunt impossibilitate constituti: seu quod sibi viam præcludunt seruandi promissum. Et primum membrum ad illum spectat qui religionem vouit, quam sibi refragantibus monachis profiteri non est possibile. De quo censet S. Th. distinguendum esse. Aut enim eiusmodi hominis intentio fuit vouere religionem in genere & principaliter: licèt ex peculiari deuotione hanc postmodũ elegerit: aut princeps eius propositum fuit se obligare ad hanc religionem vel ad hunc locum. Atqui priori casu tenetur ingressum illius monasterij bona fide & diligentia procurare. Quòd si illic non admittatur, tenetur adire aliud: ac demum si ad illam religionem non pateat sibi aditus, tenetur aliam ac subinde aliam tentare, vt per se non stet quo minùs habitum induat. Sin verò vouendi intentio non fuit nisi ad talem domum, vel ad talem religionem, inde vel repulsus vel exclusus non tenetur aliam adire: sed liber est à voto. ¶In his ergo primum omnium perpendendum est obiectum voti. Vouisti religionem in genere. Itaque in obiecto voti non posuisti hanc vel illam: tunc licèt magis in vnam sis quàm in aliam propensus, non tamen ad illam magis es obligatus quàm ad aliam. Si tamen in obiecto non solùm genus religionis, sed hãc expresse statuisti, illam debes priùs aggredi, & inde repulsus aliàs adire. Igitur si votum tuum fuit, hanc singularem domum ingredi, fortè in quo studium viget: & repulsam à monachis pateris, nullatenùs aliam explorare teneris, etiam eiusdem ordinis, quanuis obseruatione præstantiorem: neque vllum in contrarium scrupulum tibi vllus iniiciat: quia votum tuum non fuit emissum alio religionis intuitu quam huius cõuentus. Quare licet eadem vigeat in alio religio, nihil ad te, Pari iure si vouisti talem religionem, nempe nostram, aut diui Francisci, aut singulariter aliam: teneris quidem conuẽtus aliquot circumire, & si non admittaris, non teneris ad alia. Si autem in genere vouisti religionẽ, *Dubium.* tunc teneris alias tentare. ¶Sed est dubium vtrum tenearis circumire omnes conuentus & religiones. Apparet enim sic esse: nam postquàm votum emisisti quod ex omnibus pendet, explorare omnes debes à quibus votum tuum pendet. In contrarium facit, quod tunc deberes orbem totum peragrare: quod quã molestissimum onus esset. Item si in cõuentibus bene institutis nõ esses receptus, deberes eum ingredi vbi religio iacet, quod tuæ saluti nõ esset tutum. Respõde- *Responsio.* tur

tur ergo primum quòd vnuſquilibet ſuam cum primis debet intentionem conſulere qualiſnam fuerit: nam ſi tantum fuit illis religionibus ſe addicere quæ ſibi erant circunſtantes & notæ, non tenetur niſi eaſdem diſcurrere. Quin imò licèt quis ſic ſuam intentionem non reſtrinxerit, ſed abſolutè vouerit religionem, non tenetur regiones omnes peragrare: quoniam neque Galli vnquàm hac de cauſa ad nos permearunt, neque ex noſtris vllus ad illos. Alias deberes etiam vſque ad Græciam & Inſulas eandem ob cauſam oberrare. Enimuerò ius nos ipſum naturæ circunſpectè docet vt eiuſmodi vota intra regnum noſtrum & linguam ſint adimplenda. Ecquis enim voueret ſi ob id teneretur ignotas gentes inuiſere? Quòd ſi inſtantius ſciſciteris, vtrùm omnes ſaltem conuentus in regione propria circumire cogaris. Apparet enim id ſaltem ratio poſtulare: quandoquidem votum ex omnibus illis dependet. Reſpondetur, neq; tam latè protendi obligationem: dum enim religioni te certæ deuoueris, tantùm teneris illam bona fide adire. Haud tamen metaphyſico, aut dialectico ſignificatu ſic tota eſt adeunda, vt vniuerſi conuentus viſitentur: ſed morali modo. Ille enim ſic dicitur totam religionem exploraſſe, qui bonam partem circumiuit: nempe ſi quinque aut paulò plures conuentus ambiat. Nam licet ex paucis iudicium cæterorum venari. ¶Ex his quæ dicta ſunt palam ſequitur illum qui aliquod habet impedimentum religionis quod vel quando vouit non conſiderauit, vel poſt votum ſiue citra culpam ſiue ſua culpa incurrit, liberum fieri ab eiuſmodi voti obligatione: quoniam ad impoſsibile nemo iure cogitur. Vt ſi fortè eam religionem peculiariter vouiſti vbi neophyti non admittantur: cùm id primùm reſciueris, neque illam neque aliam ingredi teneris. Idem ſi morbo laboras perpetuo, aut alij perpetuo impedimento ſubiectus es, quorum cauſa te iura repellunt, tutus es in conſcientia: neq; vlla eges diſpenſatione. Secùs ſi impedimenta non ſint niſi temporalia: vt ſi laboras quartana febre, illa abeunte teneris. Vbi axioma illud theologum, cuius ſanctus Thomas quarta diſtinctio. 38. arti. 3. meminit, memoriæ mandandum eſt: nempe, quicquid faciendum votum impediret ſi præſens eſſet, etiam emiſſo voto obligationem auferre. Veruntamen nè quempiam decipiat, ad obligationem voti referendum eſt, non ad impedimẽtum voluntatis vouentis. Exempli gratia: Ille morbus, qui ſidum vouebas, adeſſet, obligationẽ impediret, adueniens poſt votum, eiuſdem obligationem tollit. Attamẽ licet emiſſo voto aliquid difficultatis experiaris, quã ſi præneſſes non vouiſſes, non ideo voti obligatio ceſſat, Alias omnia dirimerentur matrimonia, omniaque expoliarentur religioſorum clauſtra. ¶Quid autem ſi repelleris quia neſcis grammaticam: aut neſcis officium aliud vt recipiaris inter profeſſos laicos, an tenearis grammaticã diſcere, aut aliud officium. Ad hoc non eſt ſimpliciter reſpondendum, ſed cum diſcretione. Enimuerò dum quis votum edidit religionis proponẽs illius eſſe ordinis qui ſacris initiantur, bona tamen fide arbitrabatur nõ requiri Latinè ſcire: ſi idpoſteà ab illo requiratur, re vera non apparet obligatus Grammaticam diſcere, neque tenetur ad ordinem laicorum intrare: quoniam ſua ignorantia videtur hominem excuſare. Ac perinde ſi religionem vouit laicorũ, non tenetur aliquod diſcere opificium ſcitu difficile: quia putabat nõ eſſe neceſſarium. Quãdo verò quis communi lege religionem vouit tunc arbitror teneri Grammaticam diſcere: ſi modò facultas ſuppetit: quia ſciebat id eſſe neceſſarium: vel teneturintrare vt laicorum ordini deputetur.

¶Dubium autem egregium ſupereſt. Vtrũ repulſam paſſus aut à religione excluſus teneatur religionis regulam inquantum poſſit ſeruare, ac munera religionis implere. Dixerim repulſus aut excluſus. Nam repulſus eſt qui non admittitur: excluſus autem qui ob incorrigibilitatem habitum exutus pellitur. Neque idem eſt vtriuſque iudicium. Depriori ergo priùs diſputemus. Et loquimur de illo qui bona fide procurauit religionem profiteri: minimè verò potuit. De q̃ p̃ parte affirmatiua, ſcilicet quòd nihilo minùs ad id quod poteſt obſtrictus maneat, arguitur. Puella quæ votum emiſit virginitatis, ſi poſtea illum florem ſua amiſerit culpa, debet nihilo minùs perpetuam ſeruare continentiam: vti hìc ſanctus Thomas & conſentienter Doctores aſſerunt: in voto autem religionis perinde ac in voto virginitatis includitur caſtitas: ergo qui religionem vouit, licèt repellatur, tenetur perpetuam ſeruare continentiam: atque adeò petere ſaltem debitum non poteſt. ¶Secundò. Si quis voueat pauperibus decẽ erogare, aut Aduentus ie-

Scrupulus. *Solutio.* *obiecti.* *Dubiũ egregium.* *Primum argumentum partis affirmatiuæ.* *Secundum*

iunia sustinere: nō autem totum persoluere queat, tenetur quantum potest: ergo idem est ius de ijs qui religionem vouerunt.

Tertium. ¶Tertiò. Dum quis votum solenniter confirmat, tenetur ad omnia officia & munera quæ in eadem sunt religione constituta: votum autem simplex habet pro obiecto votum solenne: nam qui simpliciter vouet, tenetur iuridico tempore votum solennitate stabilire: ergo pariter tenetur eadem religionis officia in quantum valuerit exhibere ac soluere. *Quartū.* ¶Quartò. Accidūt & textus de cōuers. coniugatorum. canon. Quidam. & cano. Placet. in quibus eadē sententia definitur. Casus enim prioris capituli est quòd quidam inuita vxore religionem ingressus, ac subinde ea ipsum repetente in sæculum reuocatus, post eiusdem vxoris mortem cogitabat ad secundas se transferre nuptias. Alexander autem tertius de eadem re consultus, licèt eum non rursus in claustra religionis coēgerit, inhibuit tamen nè secundam vxorem duceret. Idem deciditur in secundo cap. de muliere quæ putans maritum obijsse vitam, monasterium ingressa est: atque inde posteà à coniuge extracta, orbata posteà viro, tentauit *Solutio dubitationis proximæ.* secūdò nubere, & tamen prohibita est. ¶His nihilo seciùs non obstantibus sub distinctione respondetur, quòd si qui religionem vouit continentiam in suo proposito expressit, tenetur in sæculo permanens idem seruare: si verò nihil aliud quàm religionem vouit ad quam non recipitur eousque liber est, vt nihil in sæculo teneatur religionis præstare. Probatur. Si huiusmodi persona, vel ad castitatem tenetur, vel ad aliud religionis munus, aut hoc esset virtute eiusdem voti, aut quia repulsam passus impossibilis ei fit ingressus: neutrum istorum: ergo. Pro- *Probatio.* batur minor. Si enim teneretur ratione voti, illa obligatio statim â tempore eiusdem emissi inciperet: hoc autem vsus ipse falsissimum ostendit. Ecquis enim astruat vt qui votum simplex Carthusiensium susceperit, illico perstringatur & Psalmos recitare, & à carnibus abstinere? Quod autem ratione repulsæ teneatur, multo est improbabilius. Nam illa repulsa non fuit in eius potestate. Quare neque ipsum nouo vinculo irretiuit, nullo ergo pacto tenetur in sæculo *Secunda probatio.* vllum religionis munus soluere. ¶Secundò id arguitur, vt legitima causa pateſiat. Nemo virtute voti obligatur nisi ad id quod est proprium eius obiectum: illius autem qui religionem simpliciter votuit propositæ fuit tantum religio: ergo ad id tantùm tenetur: quod si soluere non potest, immunis à voto fit. At verò contrarius forte insurgis: Qui obligatur ad aliquid, simul & ad id o- *Obiectio.* bligatur quod inde subsequitur: cùm ergo ex religiones instituta, is qui religionem simpliciter vouit, cuncta alia in virtute vouit. Hoc autem argumentum non solum non est contrarium, verùm & fauet sententiæ no- *Solutio.* stræ. Etenim qui statum aliquem pollicetur assumere, non se obligat ad leges illius status quousque statum illum re vera assumat: quia non exprimit in suo voto obligationē ad peculiares leges illius status. Cùm ergo religio, status quidam sit, licet illum fueris assumere pollicitus, quousque illum assumas, non teneris ad eius leges: quippe quæ non obligant nisi eiusdem status professores: vt pote qui ad illas se expressè obligarunt. Exemplum est in Christianissimo. Vniuersi enim mortales Christianissimum suscipere tenentur: & tamen quousque per baptismum illum profiteantur, non tenentur ad leges nostrorum sacramentorum, neque ad alias nobis peculiares quæ non sunt de iure naturæ. Eōdem itidem pertinet illius exemplum qui emisit votum suscipiendi sacros ordines haud enim tenetur ecclesiasticos psalmos recitare antequàm sacris initietur, atque adeo neque castitatem seruare nisi quatenus diuina lege prohibetur. Idem ergo est de illo qui religionis simplex votum fecit. Potest enim mutuum ius non solùm coniugi reddere, verùm & sibi vicissim petere. ¶Et per hoc *Ad argumenta facta in contrarium* soluitur argumentum superius obiectum. Haud enim valet consequentia. Votū solenne obligat ad singularia religionis statuta: & illud est obiectum voti simplicis: ergo & simplex ad eadem obligat. Nam votum solenne est completiuum, quod aiunt: nempe status professio quo quisque expressè dicit vouere obedientiam, castitatem, & paupertatem: & leges obligant professos: simplex autem non obligat nisi vt statum suscipias. Ac perinde respondetur ad illos canones suprà citatos de cōuersione coniugatorum. Illi nāque vota solenniter ediderant promittendo explicitè castitatem: & ideo inquātum se inuito coniuge potuerunt obligare, astricti erant. Potuerunt autem se obligare vt nunquam coniugalem vsum peterent: & id circò prohibiti sunt ad secundas transire nuptias. Sed quia quantum ad alia votum non tene-

tenebat, non sunt defunctis coniugibus, in religionem reuocati. ¶De alio autem argumento, nempe de illo qui multum vouit: qui perinde si totum non valet, debet soluere partem, nullum ad rem affertur exemplũ: quoniam qui vouit totum, formaliter vouit partem. At verò de illa quæ suam virginitatem Deo dedicauit, distinguendum est. Bifariam enim vouere quis potest virginitatem vno modo ad ipsam propriè respiciens: ita vt sua non fuerit intentio nisi à prima Venere abstinere: nam vsu hoc venire solet. Et tũc illa perdita non tenetur amplius ad castitatem: quia suum penitus propositum non fuit nisi vt carnis integritatem custodiret. Si autem simpliciter & absque vllo moderamine votum emisit virginitatis, tum illa etiam corrupta nihilominùs tenetur ad castitatem quia votum eiusmodi simpliciter negatiuũ: puta virum non cognoscere, Quare quoties illum experitur, votum violat, Ob idque nullum inde exemplum adillum deducitur qui religionem vouit. ¶Quòd si hic obiter scisciteris, vtrùm illa quę vouit non nubere, tenea tur subinde ad votum castitatis: vt quoties fornicetur dupliciter peccet: apparet enim inde sic esse, quòd ideo mulier non nubet vt castè viuat. Respondetur nihilo minùs eiusmodi votum ex sua natura, nisi aliud exprimatur, non obligare ad castitatem. Est enim castitatis materia duplex. Altera quæ opponitur luxuriæ. Et hæc est communis materia præcepti & voti: ad quam idcirco se obligat qui religionem profitetur. Altera verò est supererogationis quæ est propriè materia voti: vt pote à toro coniugali abstinere. Et quæ tantùm vouet non nubere, ad hanc solam se obligat: scilicet non opponere religioni obstaculũ. Quapropter si fornicetur simplici flagitio delinquit. ¶Quid autem si eo proposito non nubere voueret, vt licentiùs scortaretur? Respõdetur votum hoc nullatenus, esse obligatorium: eò quòd est de re mala: obiectum enim tunc quod est non nubere, refertur in malum finem: atque adeò vitiatur. Ea propter neque nubendo neque fornicando transgreditur illa votum. ¶Hactenùs de illo dissertum est qui citra suam culpam impossibilitatem incurrit implendi votum. Sequitur ergo vt de illo dicamus qui sua sponte illud fecit impossibile. Vtrum videlicet qui post emissum simplex religionis votum vxorem duxit, teneatur in quantum potest castitatem seruare: puta debitum nõ exigere. Videtur enim hæc ratio id persuadere. Nemini sua culpa suffragari debet, neque suus patrocinari dolus: eiusmodi autem homo sua culpa viam occlusit implendo voto, ac perinde in eius fraudem vxorem sibi associauit: manet ergo inquantum potest ligatus. Atque hanc opinionem propter hãc rationem amplexantur Iurisconsulti. Vnde Syluest. in verbo, votum. secundo. §. primo. cum cæteris Summistis ait eiusmodi personam impediri à complemento voti: quia ad debitum reddendum tenetur: quasi compertum habens, non posse petere. Nihilo minùs contraria sententia; nempe quòd possit etiã petere, amplectenda est: quam hoc loco Caietanus meritò statuit: quandoquidem ratio proximè facta eisdem viribus de vtroque militet, seu citra culpam seu ex culpa impossibile fecerit votum religionis implere. Tenebatur enim ille dũtaxat vt præmisimus statũ illum suscipere: qui penitus fuit sui voti obiectum. Nam cùm statuta religionis solos professos præstringant, ad illa non tenetur quod illa fuerit expresse professus. Idq; iam insuper si confirmatur. Religio tribus votis constat scilicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis: qui autem simpliciter vouet, illa non explicat: sicuti qui vouet solenniter. Quare ad illa nondum tenetur. Quis enim te audiat si asseueraueris quòd qui religionem diui Francisci vouit postquàm rei vxoriæ mancipatus est, teneatur bonorum dominium & possessionem abdicare? teneaturque ad ieiunia & alia obedientiæ munera quæ in sæculo præstare potest? Si ergo ad alia duo non tenetur, fit vt neque ad votum castitatis. ¶Ex hac autem definitione alia emergit dubitatio, vtrùm scilicet qui non modo religionis ingressum vouit, verum & perseuerantiam vsque ad mortem, citra solennitatem tamen: & nihilo minùs suapte sponte matrimonij se nodo implicuit, ad aliquid præ illo teneatur qui non nisi ingressum vouit. Et ratio dubitandi est quòd iste formaliter vouit suum votum solennitate firmare, & ideo apparet ad castitatem sibi impossibilẽ teneri: scilicet vt vxorium debitum ei petere non liceat. ¶Caietanus de hac re multa insumit verbo iudicio meo superuacanea. Fateor enim me non percipere quidnam nouæ obligationis votum perseuerantiæ voto religionis accummulet. Triplici enim forma fieri votum simplex potest religionis. Vno modo vt quis voueat tantùm ingredi:

Ad secũdũ argumentũ — *Ad primũ* — *Quæstio.* — *Responsio.* — *Scrupulus.* — *Solutio.* — *Quæstio altera.* — *Ratio partis affirmatiuæ* — *Syluester.* — *Solutio quæstionis.* — *Caietanus,* — *dubitatio altera.* — *Ratio dubitandi.*

non quidem animo perseuerandi aut solenniter profitendi, sed statim exeundi. Et hoc arbitror esse vanum, vti ait Paludanus. 4. distinctione. 38. quæstione quarta. Nam etsi ob tendatur id fieri gratia tantum verecundiæ, nihil ad religionem hoc refert. Secundo modo vt in obiecto voti ponatur perseuerentia & solennis professio. Et tertiò vt simpliciter voueatur religio. Et censeo secundum votũ nihil tertio adhibere vinculi. Nam qui religionem absolutè vouit, votum illud secundùm iura emittit, tam diuina quam humana: ius autem diuinum est vt voueat ea intentione vt verè efficiatur religiosus: atque adeò vt perseuêret vsque ad mortem: iura autem ecclesiastica tempus indulgent probationis, vt si experimento bona fide didicerit non sibi religionem cõgruere, non suscipiat quod ferre nequit. Quapropter etsi terque quaterque vouendo addas perseuerare, semper intelligitur, nisi tempore probationis experientia te aliud admonuerit. Atque adeò post tale emissum votum, seu ad professionem sine tua culpa non admittaris, seu tua sponte matrimonium contraxeris, non arctiùs in sæculo restas obligatus quam si simplex emisisses religionis votum. Et ad argumentum in contrarium respondetur, quòd quanuis voueris perseuerare seu religionem profiteri, non obligas nisi ad profitendum secũdùm iura. Et ideo quousque fueris professus, neque ad castitatem teneris, neque ad alia statuta. ¶ Superest hîc demum de illo dicere qui post solenne votum, ceu incorrigibilis à monasterio pellitur, vtrum tutus maneat in conscientia, postquàm vi expulsus est, & abiectus. Respondetur quòd quandiu per ipsum steterit quo minus recipiatur, nõ est tutus, sed tenetur emendare sese, & in viã redire: quoniam cùm ex culpa sua fuerit exclusus, quandiu in illa perseuerauerit versabitur in periculo. Si autem correcta vita ad claustra rediens non admittatur, tutus manet in sæculo. Quod si sciscitaris an teneatur in sæculo religionis vota seruare: Respondetur. A voto quidem obedientiæ absolutus manet: postquàm prælatus eam reiecit, ac sũbinde à voto paupertatis: quandoquidem conuentus eum non alit. Ac perinde à persoluendo officio diuino, nisi fuerit in sacris atque à ieiunijs & alijs annexis religioni: siquidem illorum nõ fecit votum expressum, neque ad illa tenebatur nisi ratione religionis à qua expellitur. Sed tamen à voto castitatis non eximitur: eò quòd expresse illud emisit, nec prælatus potuit ab eo illum liberare. ¶ Quid autem si ante indutum habitũ vouerat religionem in genere, vtrùm sic exclusus ab hac religione teneatur ad aliã correctus transmigrare? Re vera ratio id videtur conuincere. Nam sicut ille qui non huc admittitur, tenetur aliam religionem explorare: ita ille teneri videtur, qui post professionem expellitur. Et ita libentius censerem. Quanuis forsan dici posset quòd per votum solenne huius religionis cessauit illud simplex generale: & ideo si huc posteà non recipitur, liber ille est prorsus. Sed tamen prior sententia mihi probabilior est.

Solutio.

Argumẽ.

Dubitatio. de excluso à monasterio propter ĩcorrigibilitatẽ

Soluio.

IN solutione ad quartum summouetur dubium de tempore adimplendi voti. Ad quod sanctus Thomas solum respondet q̃ qui se obligare, ppositi vt omni procul mora illud impleret, tenetur statim: qui verò ad certum tempus vel sub certa conditione id proposuit, tenetur tunc. Veruntamen si exactius responsum desideras, sic accipito. Triariam quis potest votum ædere: scilicet aut tẽpus constituendo, aut conditionem supponendo, aut simpliciter absque vllo additamento. Et quidem primum membrum subdistinguendum est. Nam si vouisti certo tempore quicquam facere, idque temporis illius intuitu, ex deuotione scilicet illius: vt cũ vouisti ieiunare in vigilia Corporis Christi, vel aduentum, teneris tunc temporis sub pœna mortalis culpæ: quòd si tunc non exolueris, non teneris alio tempore ieiuniũ supplere: eò quòd animus tuus ad illud fuit tempus propensus. Perinde enim tunc censendum de voto est, atque de lege, quæ singulariter quadragesimale ieiunium iubet. Si verò adiectio illius temporis non fuerit propter eius affectionem, sed vt principali voto limen poneres, tunc teneris quidem illo tempore: sed nihilo minùs illo transacto obligatio non aboletur, quin alio tenearis. Vt si vouisti religionem intra annum ingredi, delicto tibi dabitur nisi illo anno promissum reddas Domino Deo tuo: & nihilo minùs illo præterito eandem teneris suscipere religionem. Res est clara. ¶ Conditionale autem votum non vno: sed duobus fit modis. ¶ Est enim alterum syncerè conditionale: alterum verò pœnale. Conditionale est quotiescunque homo ad rem aliquam affectus est: sed quia impedimentum sibi obstat vel facul-

Ad quartũ S. Thomas.

De tempore quo votum reddẽdũ est

Votum conditionale.

facultas non suppetit, vouet sub conditione. Vt si voueas post mortem matris quæ tibi erat impedimento religionem intrare: aut post mortem patris suppetentibus tibi nūmis peregrinari: aut si tibi tale Deus beneficiū cōtulerit orphanam dotare. Pœnale autē est quando non eras tali rei affectus, neque tibi erat cordi: imò quia exosa est & inuisa tibi adigis te voto in illam crucem si in re tibi fortè aliqua peccare contigerit. Vt cùm voues si luseris, aut si adulterium feceris religionem ingredi. Hoc enim licèt formam habeat conditionalis voti, est tamen pœnale: quoniam directè votum non est religionis: sed non ludendi aut non adulterandi: pœnā enim adiecisti vt vel caueres, vel post factum, teipsum castigares. Eapropter inter hęc vota vna est compertissima differentia: & vna item aperta conuenientia: sed vna restat cōtrouersia. Differentia inquā est quod ante positā conditionē quando votū est religionis aliudve ex tribus Pontifici Maximo reseruatis, super pure cōditionali nō pōt nisi ipsum Pontificem vel per Concilium dispensari. In pœnali autem potest per episcopum. Ratio est q̄ in priori illud quō directè fertur votum, est religio: votū autem pœnale non rectà fertur, vt p̄misimus, nisi in illud proximum obiectum: quod est non ludere, aut nō adulterari. Quare qui in illa dispensari potest, valet etiam in pœnam ex transuerso apposita, quantunuis sit religionis. Conuenientia verò est quòd vtrūq; posita conditione obligat: neq; de hoc vllo pacto cōtrouertitur. Quod ergo sub iudice restat est, vtrùm posita conditione pœnale votum nequeat nisi à summo Pontifice dispensationem suscipere: perinde atq; aliud conditionale. De quo quę stione. 4. sub titulo dispensationis. arti. 3. dicturi sumus. Videtur enim eodem modo esse indispensabile: quandoquidem virtute voti obligatio iam tunc religionis exorta est.

votū pœnale.

Differentia inter votū cōditionale & pœnale quantū ad dispensabilitatē.

Ad quintū principale.

¶Ad quintum facilè respondetur. In primis neminem posse aliū suo voto obligare: neu filium, neu seruū, neu aliter subditum: quoniam votum est religionis actus qua quis suam propriam offert Deo voluntatem. Quare si vouisti filium alicui templo offerre, teneris illum ducere: ille autem solùm tibi filiali obedientia tenetur parēre: nullatenùs tamen ex vi religionis. Rursus, qui per se votum implere non potest, si personale est, nullatenùs id tenetur præstare per alium tum quod in voto semper intelligitur possibilitatis conditio: tum quod personale votum fit propter propriam macerationem aut afflictionem corporis, aut ad excitandam deuotionem, vt patet in voto ieiunij aut peregrinationis. Hæc autem nemo per alium assequitur. Secùs si non est votum merè personale: vt si in subsidium belli Hierosolymitani personam vnam vouisti, & tu non potes, debes aliam mittere. Rursus si vouisti monasterium ædificare, aut virginem dotare, quod viuens non persoluisti, tenetur hæres tuus si bona illi relinquis, vti ait Paludanus. 4. distinct. 38. quæst. 3. Pro quo facit. l. 2. ff. de pollicitat.

Paludanus.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm vtile sit expediensq; vouere.

POST virtutem voti obligandi sequitur de alia quæ est eius vtilitas. Vtrum scilicet aliquid nobis emolumenti afferat. Et arguitur à parte negatiua. Nemini expedit priuare se optimo bono, quale est libertas. Hac enim homines cæteris animantibus præstamus: quare nullo est auro æstimabilis: hac autem homo per voti necessitatem nudatur: ergo vouere non est expediens. Secundò. Nemini consilium est periculis sese obijcere: qui autem vouit, periculo exponitur extra quod erat. Vnde Augustin. in epistola ad Armentar. & Pau. Quia iam, inquit, vouisti, iā te obstrinxisti. Aliud facere tibi non licet. Non talis eris si non feceris quod vouisti, qualis mansisses si nihil tale vouisses. Minor tunc esses, non peior. Modò autem tanto (quod absit) miserior si fidem Deo fregeris, quanto beatior si persolueris. ¶Tertio arguitur. Consilium est pauli. 1. ad Corinth. 4. vt imitatores eius simus, si cut ipse est Christi: Christus autem nullibi legitur aliquid vouisse, neq; Apostolorum vllus: ergo nihil in vouendo emolumenti inest. ¶In contrarium autem est Psalm. ille, Vouete & reddite Domino Deo vestro.

Primum argumentum à parte negatiua.

Argum. 2.

Augustin.

Argum. 3. Paulus.

AD quæstionem hanc vnica eademq; cōpertissima cōclusione respondetur. Vouere vtile quidem est: non tamē Deo sed nobis. Probatur. Alia ratione homini quidpiā promittitur quām Deo: homini enim aliquid promittimus, quòd non solùm beneficium conferre, vtile illi est, verùm & ipsum ei

Conclusio responsiua.

Probatio.

pollideri. Nam sicuti re ipsa collata iuuatur, sic & promissione fit certior futuri beneficij: vnde spem generat quam pro alio beneficio ducit. Quapropter non solùm conferenti, verum & promittenti gratiæ exhibentur. Deo autem vt nihil inde commodi accrescit quòd aliquid ei conferimus, eò quòd nostrorum bonorum non indiget: ita neque vtile est, vt ei aliquid polliceamur. Scit enim oculatius quàm nos quidnam ei simus exhibituri. At verò vtrunq; nobis vtile est: nam per hoc quòd ei aliquid exhibemus, nobis ipsis augemus præmia, ei verò tantùm extensior fit gloria. Vnde Augustin. in eadem epistola, Benignus exactor est, & non egenus: & qui non crescat ex redditis, sed qui in se faciat crescere redditores: nam quod ei redditur, reddenti additur. Inde autem quòd illi quidpiam pollicemur hoc nobis accrescit lucri, quòd voluntatem nostram in bonum figimus & firmamus, vt mutare iure nequeamus animum. Est ergo ex re, non quidem, sua, sed nostra vouere. ¶ Corollarium conclusionis huius est, salutare esse aliis consulere vt voueant. Attamen tam conclusio quàm corollarium intelligitur in genere & ex obiecto: nam speciatim non singulis est semper commodum. Quod quidem non ex natura & qualitate voti discendit, sed ex imbellicitate & defectu personarum: nempè quia sibi non sunt constantes vt voti arduitatem euincere valeant.

Augustin⁹

Corollariũ.

IGitur inter Catholicos adeò res hæc euidens est, vt nisi cum hæreticis nulla nobis pugna reliqua fiat. Est ergo primum suprà factum argumentum, quo hæretici, vt nouissimè Lutherus in impio suo libro De votis monastc. contendunt, perniciosum esse vouere: tantum abest vt sit vtile. Verba sunt Lutheri in eodem libro. Et paulò pòst: Votum, inquit, castitatis & totius monasticæ, si pium est, debet necessariò secum inuoluere libertatem rursùs omittẽdi. Et potest hęc heresis fucari ex verbis Christi: Qui potest capere capiat. Si vis perfect⁹ esse. Et ex illo Pauli, Præceptum Domini non habeo: consiliũ autem do. Et ratio, inquit, est: quia priuamus non libertate qua iusti debent seruire Deo, & non sicut mancipia. Et inde inscripsit alium nefarium librũ de Captiuitate Babylon. sic enim appellat Ecclesiasticas traditiones. Respondet ergo S. Thom. quòd sicut non posse peccare non diminuit libertatem, ita neque necessitas firmatæ voluntatis in bonum: qualis est necessitas voti. ¶ Ad huius autem liquidiorem intelligentiam notãdum est, duplicem esse necessitatem agendi: alteram quidem naturalẽ, qualis est in brutis animantibus & in rebus inaminis. Et hęc prorsus tollit rationem laudis & meriti. Altera est necessitas obligationis. Et hæc non tollit meritum, sed auget. Alias inconsultè atq; in nostrã perniciem nos Deus legibus obligasset. Quòd si altissimam rei huius rationẽ desideras, ex fine libertatis tibi liceat perpendere. Enimuerò etsi libertas nostra, naturalis nobis sit, tñ autor ipse naturæ De⁹, in hoc nos atq; angelos liberos creauit vt opera nostra digna essent laude, & præmij merita apud ipsum. Opera enim naturalia, vt modò dicebamus, merita esse nequeunt. Adhoc igitur nostram condidit libertatem, vt cùm malum facere possimus, facientes bonum mereamur vitam ęternam: quam si nobis absq; vllis prorsus meritis neq; nostris neq; Christi contulisset, flore illo accidentario gloriæ caruisset, quod est mereri quod habes. Nam præstantius est mereri quod non habes, q̃ id habere quod non mereris. Vbi ergo libertas nostra in bonum figitur, vt non peccet nihil libertatis perdit: quia figitur in id ad quod creata est. Quapropter neq; Apostolorum voluntas in bonum confirmata vllam perdidit libertatem: ac multò minùs beati: lõgeq; minimè Christus: qui licèt ad vtrumlibet habuerit libertatem, nõ tamen ad id quod malum est in sensu composito. Vnde Augusti. in eadem ipsa epistola: Fœlix, inquit, necessitas est quæ in meliora compellit. Vnde illæ authoritates suprâ citatæ quibus Christus ostẽditur liberam reliquisse familiam suam ad consiliorum opera, perperàm ab hæreticis intelliguntur: quasi nos prohibuerit nè voto nos ad illa consecraremus. Legitimus enim sensus est quod noluit nos illorũ præceptionibus deuincire. Qui tamen voto se voluerit ad illa præstringere, hoc ipsum consilium est saluberrimum. Alioqui nullus esset monachorum fixus status, si cuilibet pro libito fas esse abire: sed hoc ipsum est quod ipsi moliuntur. ¶ Aliquem tamen tibi fortè scrupulũ verba sancti Thomæ iniicient quibus comparat necessitatem voti illi quæ est nõ posse peccare: cùm tamen votum de opere supererogationis sit cuius contrarium nõ est peccatũ. Respondetur tamen non eò illa quidẽ verba retulisse vt affirmaret votũ esse firmita

Motiuum Lutheri.

Lutherus.

Solutio sancti Thomæ.

Filiquida solutio sancti Thomæ.

Augustin⁹

Scrupul⁹ in verbis sancti Thomæ.

Solutio.

firmitatem non peccandi: sed vsus est similitudine, quòd sicut stabilitas non peccandi in Apostolis & beatis non minuit libertatem, ita neq; firmitas faciendi opus consilij quod est maius de maiori bono. ¶Ad secundum respõdetur per distinctionem. Duplex enim est periculum: alterum quod ex ipso facto nascitur: cui quidem te obiicere non est consilium. Vt cùm quis se ponti committit ruinam minãti, aut inter cornua se proïjcit trucis tauri. Sed alterum est periculum nõ quidem ex facto ortum, sed ex hominis fragilitate & languore. Et huic se hominem gratia melioris boni offerre, nõ solùm non est semper temerarium, verùm & nonnunquam expediens: vt equum ascendere vt expeditiùs iter absoluas: licèt ob segnitiem tuam possis inde cadere. Item neque est temerarium periculis te committere quæ ex euentu solent euenire. Ait enim Sapiens Eccles. 11. Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nũquam metet: periculum autem voti non est prioris generis, sed posterioris, puta quòd vir constans & strenuus superare potest. Vnde in eâdem epistola Augusti. Non te, inquit, vouisse pœniteat: imò gaude iam tibi non licêre quod cum tuo detrimento licuisset. ¶Ad tertium respondetur quòd Christo nulla ratione vouere congruebat: tum quòd Deus erat: tum quòd in quãtum homo constantissimam habebat voluntatẽ in bono, ceu comprehensor existens. Vnde illud Psal. Vota mea reddam in conspectu timentium eum: nõ de sua ipsius persona, sed de corpore, quod est Ecclesia, intelligitur. Apostoli verò vota paupertatis & reliqua susceperunt, vt Matth. 19. colligitur: vbi ait Petrus, Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? De quo latiùs quæst. 3. & 6.

Ad secũdũ argumentũ

Augustinus

Ad tertiũ argumentũ

ARTICVLVS. III.

Vtrùm votum sit actus latriæ siue religionis.

VM in quæstione hac de voti virtute sermo versetur, quæritur cuiúsnam sit virtutis officiũ. Et arguitur primò q̃ nullius sit specialis opus. Omne opus cuiusq; virtutis, vt suprà dictum est, potest esse voti materia: eiusdem autem virtutis esse videtur promittere, & facere: ergo cuiuscunq; virtutis est suũ vouere opus, atq; adeò nõ est specialis virtus. ¶Secũdò. Illa est solùm religionis virtus, vt in de Offic. autor est Tullius, qua cultũ Deo ceremoniãq; offerimus: qui autem nondũ aliquid Deo vouet, sed tãtùm promittit: ergo non est religionis actus. ¶Tertiò. Religionis cultus soli Deo exhibẽdus est cui latria debetur: votũ autem non solùm Deo, verùm & sanctis fit, imò & prælatis quibus religionem professuri obedientiam promittunt: ergo votum non est religionis actus. ¶In contrarium est illud Isai. 19. Colẽt eũ in hostijs & muneribus, & vota vouebunt Domino & soluent. Vbi colere, quod est religionis, per id explicatur quod est vouere.

Primum argumẽtum.

Argumẽ. 2. Cicero.

Argumẽ. 3.

AD intellectum quæstionis huius notandum est, actum quemlibet studiosum bifariàm esse posse alicuius virtutis. Videlicet & elicitus, & imperatus: ille enim actus elicitur à virtute qui est obiectum formalis eiusdem virtutis. Sic enim credere est actus elicitus fidei, & restituere alienum actus elicitus iustitiæ. Instar actuum potentiarum. Visio enim elicitur à visu: quia est sensatio coloris. Ille autem actus imperatur à virtute, qui elicitur per imperium illius mouentis aliam virtutem propter suum finem: vt ieiunium quod elicitur à temperantia, tunc imperatur à charitate, quando mouetur homo ad ieiunandum, non solùm quia actus est temperantię, sed propter amorem Dei. Secuti & in vitijs: Dum quis furatur propter mœchiam, furtum quod elicitur ab iniustitia, imperatur à luxuria. Dum ergo quæritur de aliquo officio cuiusnam virtutis sit, non inuestigatur cuius imperio fiat. Nam à multis potest imperari: sed cuiúsnam sit actus elicitus. Et hoc est quod de voto in præsentiarum percontamur. Ad quod vnico conclũsione respondetur. Vouere est actus elicitus religionis, tanquàm dei cultus. Probatur. Votum est ordinatio quędam & oblatio eorum quę homo vouet in obsequium cultumq; diuinum. Hoc enim sonat ipsum quod est Deo promittere: ordinare autem & offerre quodcunq; opus in Dei cultum, est actus religionis: ergo eiusdem virtutis est vouere. Monstratur minor. Opus cuiuscunque virtutis Deo potest ceu sacrificium offerri: vt ieiunium, eleemosynæ erogatio, & quicunque actus, seu fortitudinis seu temperantiæ. &c. Huiusmodi autem ordinatio & oblatio non tribuuntur ipsis virtutibus imperatis, à quibus illi actus eliciuntur, sed virtuti imperan-

Fundamentum.

actus virtutis aut est elicitus aut imperatus

Conclusio responsiua.

Ratio cõclusionis.

ti:qualis est religio:ergo vouere est actus elicitus religionis. ¶Vna autem tibi forsan dubitatiuncula ex his oboritur. Quòd cùm ordinare & referre aliquid in Deum non soli religiõis virtuti, verum & charitati, eidemq; præcipuè competat, non magis inde colligatur, vouere esse actum religionis, quàm charitatis. Respondetur autem hoc non inferri ex eo quòd vouere sit ordinare & referre aliquid in Deum: sed ex hoc prorsus quòd sit aliquid offerre Deo ad eius reuerentiam & cultum. Itaq; prima differentia est quòd charitas refert opera in Deum tanquàm in finẽ. Ieiunamus enim, oramus, &c. propter Deũ: quæ quidem prępositio, finem disignat. Sed tamẽ vouemus eadẽ opera Deo vbi Deũ nõ exprimimus sub forma finis, sed sub forma illius cui aliquid offerimus. Itaque Deus ponitur in obiecto religionis, sicuti in obiecto fidei. Secundum discrimen est quòd charitas habet Deum pro obiecto tanquàm rem amatam: id est cui bonum in communi volumus, & nolumus malum: religio autem tãquàm id cui reueremur & obsequimur, nos nostraq; illi cultu offerentes: votum ergo nõ solùm ordinatum in Deum, sed in reuerentiam eius & in cultum.

Dubitatiuncula.

Solutio.

PRimum igitur argumentũ veritatem conclusionis apertiorem facit. Respondetur enim quòd etsi id quod cadit sub voto tanquam eius materia, vt ieiunare, & seruare cõtinentiam, sint actus eliciti aliarum virtutũ: tamen illorum votum non elicitur nisi à religione, Contingit tamen nonnunquã vt non solùm votum, verùm & actus ipsi deuoti eliciantur à religione: vt cùm voues orare, & sacrificare. Nam orare est actus religionis. Itaq; quandoque votum est actus religionis solùm ratione formę, quia ipsa promissio elicitur à religione: quandoq; vero ratione formæ & materiæ, scilicet quãdo actus ipsi promissi ab eâdem eliciũtur virtute. ¶Emergit huinc autem dubitandi ratio, vtrùm vlla sit voti transgressio quæ duas includat culpas: alteram scilicet contra specialem virtutem à qua elicitur, atque alteram contra religionem, per quam Deo offertur. Exempli gratia: Vouisti ieiunare, vtrùm nõ ieiunans & contra continentiam delinquas, & contra religionẽ? Item vouisti Deo vt obedires prælato, vtrùm & virtutem obedientiæ violes quæ est iustitiæ, & rursus voti religionem? Est enim argumentum, esse peccatum duplum: cò quòd, vt antè prædiximus, votum est quædam particularis lex quam sibi vouens præscribit: lex autem quicquid præcipit constituit in aliquo virtutis genere: vt dũ præcipit quadragesimam ieiunare, cõstituit illum actum in genere abstinentiæ. Sicuti & lex diuina præcipiens coniugibus non se inuicem defraudare, constituit illum vsum in genere cõtinentiæ: ergò & ieiunium vouens constituit illud in eodem virtutis genere. Et præterea in genere religionis: quare eius trãsgressio geminum erit delictum. ¶In contrarium autem est quòd communi iudicio non censetur nisi vnicum peccatum contra votum. ¶Ad hoc respondetur quòd transgressio voti ex natura sua vnicum est peccatum, Vbi adnotandum est quòd actus ille qui voto, vt materia substernitur, potest esse constitutus in genere virtutis, aut per legem aliam seu diuinam, seu naturalem, seu humanam: aut per solum votum. Si priori modo, cõgeminatur peccatum: si verò posteriori, nõ est nisi simplum. Vouisti honorare parentes, aut confiteri, aut ieiunare Quadragesimam: quia iam secluso voto opera erant singularium virtutũ, si transgrederis, bifariam peccas. Vouisti autem ieiunium in vigilia corporis Christi. Fateor quidem te constituisse illud opus in genere abstinentiæ, sed tamen quia non aliter quàm per votum, ruptio ieiunij nõ est nisi simplex peccatum. Pari modo si puellæ dotem pollicearis, cùm iam humana sis astrictus fide, si eandem pollicitationem religionis voto confirmes: tunc fracta fides duplum erit peccatum: scilicet tam contra humanam iustitiam, quàm contra religionẽ. Dum autem soli Deo vouisti eleemosynam facere: si non facis, solùm contra votum peccas. Hinc ergo fit simplum esse religioso crimen, non obtemperare præfecto: quia licèt illud obsequium cõstituerit in genere obedientiæ, non tamen nisi per solum votum. Haud enim obedientiam prælato voues, sed Deo quòd eris prælato obediens.

Ad primũ argumentũ

Dubitatio.

Argumẽtũ

Solutio.

¶Ad secundum respondetur quòd licèt ille qui vouet nõdum det, si dare ad promissum referatur, quia nondum dat quod promittit, dat tamen illud in causa: quia obligat se: quæ quidem obligatio virtute continet rem promissam. Tametsi etiam re vera det suam mentem, suamque voluntatem, quam Deo mancipat. ¶Tertium argumentum quærit vtrùm votum quod fit sanctis vel prælatis, ad religionem pertineat: quandoquidem religio

Adsecũdũ argumẽtũ.

Ad tertiũ argumentũ

religio solum Deum habet pro obiecto. Et quidem de re nemo hęsitat, sed modus latet.

D. Thomas. Atqui sanct. Thom. nihil discriminat inter votum quod fit prælatis, & illud quod fit diuis. Nam vtrunque censet promissionem factam hominibus, quæ non pertinet nisi ad humanam fidem. Sed vtraq;, inquit, esse potest materia voti, quatenus id ipsum quod homini vel Sancto promittimus, offerimus Deo. Itaq; votum quod facimus Beatæ Virgini, vt in sanctorum culmine exemplũ statuamus, non est votum nisi quia quod ipsi promittimus, offerimus Deo: nimirũ ei pollicentes quòd hoc vel illud faciemus in honorem Virginis. Sicuti si Deo me vouerem puellę largiturum dotem, aut alium habitu rũ honorem.

¶ At verò non est mirum si hanc Diui Thomæ doctrinam alicui, non quidem falsa, sed tamen curta censeatur: nam vsus vouẽdi sanctis aliam præterea rationẽ prę se fert. Haud enim cùm quis vouet Virgini, aut Diuo Petro, aut Diuo Iacobo peregrinationem, vouet formaliter Deo, talem honorem Diuo exhibendum. Non inquam hoc illo pacto vouet, quo religiosus dum ait Prępositо, Voueo Deo quòd ero tibi obediens: sed voueo Virgini, & voueo Petro. Quinetiam religiosi vnà cum Deo componunt sanctos: dicentes. Promitto obedięntiam Deo & Beatæ Virgini, & beato Dominico, aut Francisco. Dicamus ergo, sanctos duobus modis existimari. Vno ceu homines aut angelos, qui puræ sunt creaturæ. Et isto modo vera est sententia sancti Thomæ, quòd promissio illis facta non est votum nisi offeratur Deo. Secundo verò modo cõsiderantur vt Deus est in illis: non quomodocunque per gratiam, vt in viatoribus, sed per gloriam quasi in his qui ratione status suam ipsius præsentem diuinitatem participant. Et sic vouere sanctis, est vouere Deo, qui est in ipsis. At verò sanct. Thomas hunc modum forsan non incõsultè præterijt, sed eò quòd sicut orare sanctos non est orare Deum, sed diuersa est ratio: ita alia est ratio vouendi sanctis, quàm Deo. Sed tamen vbi de catholico sensu conuenit, vana est de nomine disceptatio.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm magis sit laudabile & meritorium facere aliquid ex voto quàm absq; illo.

QVM articulo secundo definitum fuerit, vouere esse vtile, & in tertio, esse actum religionis, aptissima subsequitur quæstio, vtrùm opus voti cumulatioris sit laudis ac meriti quàm si fieret absq; voto. Nam ex illis apparet hoc subsequi. Arguitur nihilo minùs à parte negatiua authoritate Prosperi, lib. 2. de vita contempla. vbi ait: Sic abstinere & ieiunare debemus, vt nõ nos necessitate ieiunandi subdamus: neiam non deuoti, sed muti rem voluntariam facimus: votum autem necessitati nos subdit: ergò præstantius est absque voto operari. *Primum argumentum*

¶ Secundò arguitur ex illo Apostoli. 2. Corinth. 9. Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Votum autem, vt crebò vsu venit, tristitiam generat: idque ob necessitatem. Nam vt. 5. Meta. tex. 6. & 1. Rhet. cap. 11. author est Aristot. necessitas eò quòd voluntatem premit, tristitiam infert: ergo excellentius est opus absq; voto. *Argumẽ. 2.* *Aristo.*

¶ Tertiò: votum ad hoc est necessarium vt voluntas in eo firmetur quod spondet: firmari autẽ immobiliùs nequit, quàm dum rem facit: ergo melius est sine voto facere. Nam tunc firmior est res, quàm dum promittitur. ¶ In contrarium autem est monitum illud Dauidicum: Vouete, & reddite. Cuius solennis interpretatio est, vouere esse consilij: consilium autem, vt præmisimus, de meliori est bono: ergo melius est ex voto operari quàm citra votum. *Argumẽ. 3.*

TItulus vtrunque de opere voti meditato quærit, scilicet vtrùm sit magis laudabile, vt quando extra gratiam est moraliter bonum: & an sit magis meritorium, vt puta quando fit in charitate. Et sanct. Tho. vnica respondet affirmatiua conclusione: quam tribus rationibus corroborat. Cõclusio est. Maiori laudi ac merito tribuitur opus ex voto, quàm absq; ipso exhibitum. Primò probatur ex virtutis obiecto. Opus nanq; nobilioris virtutis, excellsioris est tã laudis quàm meriti: quare actus inferioris virtutis, dum à superiori imperatur, præstantior fit: vt si ob charitatem temperatè agas: virtus autem latriæ, in qua hoc quod est vouere collocauimus, est virtutum præcipua, vt puta in cultu Dei posita: ergo actus ab illa per votum imperatus præstantior est, quàm qui fit sine voto. Vnde Augusti. lib. de virg. Neq; ipsa, inquit *D. Thomas* *Conclusio.* *Prima ratio pro quæstione.* *Augustinus*

quit,virginitas,quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est,honoratur: quam fouet & conseruat continentia pietatis. Secundò id rursùs confirmatur ex ea re quæ exhibetur. Nam qui opus citra votũ facit, solum actũ Deo impendit:qui verò ex voto non actum modò,verùm & potestatem:addicit enim ei mancipatq; suã voluntatem ac libertatem. vt deinceps iure nequeat secùs facere. Sicuti qui fructiferam arborem alteri conferret,vt in lib.1.de Similit.author est Ansel.plus elargiretur quàm qui solos donaret fructꝰ. Quavtiq; ratione promittentibus gratiæ singula res debentur,præter illas quæ illis arguntur, dum conferunt. Tertiò & id confirmatur ex modo agendi. Enimuerò per votum figitur asseriturq; volũtas in bonum: facere autem aliquid ex maiori animi stabilitate & cõstãtia,laudabilius est. Vnde Philosophꝰ.2.Ethi. nullum officium,virtutis nomine censet,an tequàm ex firmato habitu proficiscatur.

Secunda ratio. *Anselmus.* *Tertia.* *Aristot.*

¶Restat autem ante descensum ad argumẽtorum solutiones conclusionem explanare. Catholicorum nanq; nemini dubia est, sed tamen solet male intellecta in abusum venire. Arguitur igitur contrà. Sequeretur si vera esset, quòd deberent semper monachi in quocunq; obeundo obedientiæ munere exigere expectareq; superioris scriptum præceptum. Nempè vt ex maiori voti energia opus factum maioris esset meriti: sicuti trãsgressio peioris esset culpæ. Sic enim faciunt religiosorũ multi,quibus nos hìc eò consultũ pergimus,quod à parte contraria stet ratio. Nam quo libentius maioriq; animi prõptitudine obtemperas,illustriorem præstas obedientiam:promptiùs autem facit qui vrgens præceptum non expectat,sed simpliciiussioni audiens est. Respondetur ergo sub distinctione. Quãdo res ardua est eadẽq; dubia, vt ad Indos adnauigare, aut regiminis onus suscipere,aut quid simile,consilium est vt monachus non iniussus suo proprio iudicio tales subeat prouincias,sed præfecti mandatum præstoletur. Quando verò res nõ est ambigua,tunc aut vanum est aut certè delictum, cogentem præceptionem expectare. Et enim si paratus es facere,sed compulsoriũ præceptum ob id solùm requiris, vt officij tibi meritum augeatur,vanum est. Nam virtute voti obedientiæ, promptitudo est magis meritoria. Præceptum enim nõ ponitur nisi aut rebellibus, aut in dubio hærentibus. Si autem re vera facere renuis nisi præcepto cogaris,tunc meritum non solùm non crescit, verùm adeò diminuitur, vt nonnunquam vertatur in culpam. Conclusio ergo non sic est intelligenda,sed quòd omnia opera quę sine nouo præcepto, ex voto tamen facis, maioris sunt meriti & laudis quã si faceres sine voti necessitate:maiorisq; adeò quàm si præcepti coactionem attenderes.

Argumẽtũ *Solutio.*

AD primum igitur argumentum ex Prosperi sententia sumptum respondetur, quòd necessitas coactionis, vtpote quando quis inuitus operatur,quia voluntarium tollit,laudem minuit & meritum. Imò nouum quam prorsus aufert. Et de illa loquebatur Prosper vbi aiebat: Nè iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus:necessitas autem voti,quo voluntatem penitiùs in bonum asserit, eo deuotionem auget. ¶Sed arguis fortè vrgentiùs, vti hæretici putant. Qui absq; voto operatur,in singulis actionibus habet libertatem, vt citra iuris violationem cessare possit:qui autem voto illaqueatus est, etsi liberè vouerit, tamen in singulis pòst actionibus illa caret libertate: liberiùs ergo facit qui non est voto alligatus:libertas autem laudem auget & meritum: ergo conclusio falsa. Qui rem superficie tenus cerneret,responderet fortè concesso maiorem inesse libertatem in eo qui facit sine voto,quia semper illi est integrum non facere. Sed tamen diceret ex altera parte, nimirum ob rationes ad conclusionem allatas, auctius crescere meritum in eo qui fecit votum. Legitima tamen solutio non est hæc: sed ꝙ maior est libertas in eo qui vouit. Enimuerò qui vouere reformidat,eò non vouet quòd tam liberum suiipsius dominium nõ habet,quàm ille qui vouit. Vnde sicut illustrior esset in illo libertas (vt in Anselmi exemplo persistamus)qui non solùm arboris fructus quotannis daret,verùm totã semel arborem, quàm ille qui solos fructus donaret: sic præclarior est magnificentiorq; libertas,Deo non modò opera tua, sed ipsam voluntatem semel dedicare. Quare libertas illius primi actus tanquam ex radice diffunditur ad singula opera,vt pretiosioris sint libertatis, quam si fierent sine voto. ¶Ad secundum argumentum ex illo Pauli ascitum, Non ex tristitia, & ex necessitate:tria sub distinctione respõdet S.Thom.Primum quòd necessitas coactionis est,quæ cùm sit voluntati contraria, tristitiã parit:de qua proinde loquitur Aristot.

Ad primũ argumẽtũ *Obiectio.* *Solutio.* *Ad secũdũ argumẽtũ.* *Solutio sancti Thomæ.*

Aristo. Paulus. sto. Et hanc iam concessum est non esse bonam. Eandemq; perinde condemnat Paul. Secundũ est quòd necessitas voti in his qui sunt bene dispositi, ob contrariam causam, videlicet quia voluntatem habent bono affixam, tristitiam non generat, sed planè gaudium. Vnde Augustinus Augustinus. in eâdem citata epistola ad Arment. Non te, inquit, vouisse pœniteat: imo gaude iam tibi id non licêre quod cum tuo detrimento licuisset. Et quidem circa hæc duo asserta nullus supererit scrupulus. Ait verò tertiò, q etsi quãdoq; opus voti secundùm se consideratum triste & inuolũtarium reddatur post votum, dum tamen inconcussa maneat implendi voluntas, non solùm nõ est malum, verùm est magis meritoriũ, quàm si fieret sine voto: pro eo quòd procedit ex religione, quæ potior est virtus quàm abstinentia: à qua exempli gratia damus illud opus elici, puta ieiunare. ¶ Hoc tamen documentum non caret ambiguitate. Et idcircò explorãdum est, vtrùm pœnitentia voti sit quandoque delictum: & quale genere suo, venialéne an mortale. Nam ex vna parte videtur perinde esse pœnitere voti, ac si ante votum nolles vouere: quę quidem nolitio, cùm nonsit rei ad salutẽ necessariæ, non non est mala. Idem enim est obiectum vtriusq; actus. Nolo vouere, & nollem vouisse. Sed ex alia parte est argumẽtum, quòd pœnitentia rei bonæ mala est: quoniam pœnitentia esse non debet nisi de malo: vouisse autem est bonum: ergo illius pœnitentia est mala. Et ita consueuit vitio tribui. Caietan. Caietani responsio. responsioni suæ triformem præiacit distinctionem. Ait enim quenquam pœnitere posse, aut voti, id est, promissi: aut vouisse, puta animum applicuisse ad vouendum: aut tertiò, bonorũ operum quæ ex voto fecit. Pœnitere, inquit, voti, est dolere de promissione, qui enim, inquit, sic dolet, promissionem non seruat: pœnitere autem vouisse, est pœnitere quòd se subiecerit voto: qui quidem non ideo animum mutat. At verò licèt inter mutare & non mutare propositum clarum sit discrimen, non tamen inter verba ipsa, pœnitere voti & pœnitere vouisse. Nam profectò latinè idem est. Etenim si pœnitere voti intelligas abstractè, id est, non illius à te facti, impossibilis est hæc pœnitẽtia. Quandoquidẽ neminẽ nisi facti sui pœnitere potest. Si autem id contractè vsurpes, tunc pœnitere voti idẽ est prorsus quod pœnitere te vouisse. Sicut pœnitere peccati, & pœnitere te peccasse. Haud ergo distinctio ex parte voti & vouisse, sumenda est, sed à verbo ipso, pœnitere, quod ambigui est significatus. Pœnitere enim voti, aut vouisse, vno modo accipitur, pro eo quod est, retractare propositum. Dicitur enim ille pœnitere facti, qui mẽtem mutat. Et de hac significatione non habetur in præsentia sermo. Est enim citra conuersiã, genere suo esse lethale peccatum, vt dictũ est, tum contra iustitiã, tum etiam contra religionem. Secundo autem modo, idq; vsitatiùs, accipitur pœnitere, pro eo quod est nolle feciſſe. Et de hoc est præsens dubitatio. Ad quam respondetur, ciusmodi pœnitentiam, licèt absolutè considerata sonet in malum, tamen dummodò propositum faciendi sit firmum, posse ex circunstantibus qualitatibus ab omni culpæ macula esse munda. Sonat inquam in malum, sicut occidere quia vouisse est bonum: tamen sicuti iudex, vimq; repellens non peccat, sic non semper, qui vouisse pœnitet. Idq; præsertim vbi materia voti res est ardua, ac perpetua, & qui votum susceptit experimento difficultatem sentit: quam si prænosset, votum non feciſſet. Quare sicut initio nolle vouere, ita & emisso voto nolle vouisse, nullum est vitiũ. Quoniam hoc non tam ex animi languore quàm ex ipsius natura obiecti contingit.

Ambiguitas orta ex solutione S. Thomæ. Solutio ambiguitatis proximæ.

Explicatur Caietani distinctio.

Vnde ad argumentum suprà factum respõdetur, quòd pœnitentia rei bonæ, quando non est absolutè necessaria, nõ est per se mala. Et de hoc ait S. Tho. esse præstantius ex voto id facere cum tali mœstitia, quàm citra votum. Atqui huius veritas inde patet, quòd hanc ob causam vouere est vtile & salubre, vt animus obligatione firmetur, nè posteà rei difficultas & mœstitia non nos ab opere absterreat, sed omnibus impedimentis superatis in proposito persistamus. Addiderim tamen quòd licèt ciusmodi pœnitentia per se non sit reproba, potest tamen ratione periculi ad vitium inclinare. Qui enim crebros eiusmodi mœrores voti admittit, labefactari incipit, vt à proposito desistat. Quare dum quis experitur propositum suum languescere, non potest citra venialem culpam eiusmodi pœnitentiam non recutere. Mortalem autem citra consensum frangendi fidem voti, non est quòd metuas. ¶ At verò quando vota non sunt perpetua, neq; de rebus arduis, sed de minutioribus, tunc pœnitere vouisse, durante tamen implendi proposito, non solùm non est culpa, verùm rarò est

periculũ

periculum: quia potest qui vouit propositū in melius mutare. Vt si vouisti peregrinationem, aut prolixos recitare Psalmos, quòd obex tibi fit, vel ad studium reipublicę commodum, vel ad alia misericordiæ opera: nullum est periculum pœnitere voti. Tametsi absq; dispensatione propositum demutare, nefas sit. ¶ Tertium membrum est, dum quis postquàm opera ex voto fecit, puta in religione degit vitam, se pœnitet sub tali instituto vixisse. Et de hoc distinguēdum est. Aut enim eum illius transactæ vitæ pœnitet, præsuppositō voto: hoc est pœnitet eum per soluisse opera quæ ratione voti debebat. Et hoc manifestarium est mortale crimē: nam cùm si non persoluisset lethaliter peccasset, fit vt huiusmodi pœnitentia sit de re ad salutem necessaria, atq; adeò mortaliter iniqua. Si autem pœnitentia huc fertur quod est te vouisse, nihil curans an illis caruisses fructibus, incidit in secundum membrum proximè tractatum: vt nō sit genere suo mortale, quanuis plusculum habeat grauitatis. Nam postquàm fructus feceris, nō potes citra culpam illorum pœnitere. Nisi vota essent de re leui & temporali. Quoniā tunc nihil habet absurditatis, pœnitere q; illud tempus in cō modioribus aliis negotiis non collocaueris.

Pœnitentia voti in monachis quale crimē sit.

Ad tertiū argumentū

¶ Ad tertium deniq; argumentum respondetur quòd etsi dum quis re ipsa officium aliquod præstat, firmatam tunc habeat voluntatem in illo præsenti opere, non tamen in futurum, sicut ille qui vouit. Et præsertim si vouit, iugiter eadem opera frequentare.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm votum per susceptionem sacri ordinis, perq; professionem religionis, fiat solenne.



INTER virtutes voti summa est in voto solenni: vtpote quod matrimonium non modo impedit, sed dirimit. Quapropter potissimum votorū discrimen dignoscitur inter simplex & solenne. Quæritur ergo vtrùm votum per susceptionem sacri ordinis, & per professionē religionis, fiat solēne. Et arguitur à parte negatiua. Votum, vt prędiximus, fit Deo qui nouit intima cordium: solennitas autem in extera ceremonia consistit, quæ fit in conspectu hominum: ergo huiusmodi solennitas non est voto necessaria, sed accidentaria, vt iure diuino nouum afferat vinculum.

Primum argumentum à parte negatiua.

¶ Secundò: si eiusmodi forinseca solennitas esset de substantia voti, omnibus competeret votis in quacunque materia: quandoquidem substantia generis in cunctis participatur speciebus: sunt autem multa extra ordinum susceptionem professionemq; religionis: vt peregrinatio, ieiunia, &c. quæ non cōsuescunt solennitate firmari: ergo huiusmodi solennitas ad substantiā voti nō pertinet.

Argumē. 2

¶ Tertiò. Solēne idem esse videtur quod publicum: sed possunt fieri multa vota in publico coram testibus, quæ non subinde sunt solennia: & vice versa, potest fieri votum religionis & sacri ordinis in secreto: ergo solennitas non est necessitas in voto.

Argumē. 3

¶ Quarto deniq; peculiariter contra clericorum votum arguitur. Si sacris ordinibus solenne votum esset annexum: vsu contingere posset vt quis ante legitimum pubertatis annum, quin verò ante iustam rationis vsuram posset funiculo perpetuæ castitatis illigari, Quod re vera nulla videtur admittere ratio. Consequentia verò inde constat, quòd cùm ordinis sacramentum characterem imprimat, quocunq; tempore conferatur, suscipitur. Quod quidem absurdum à voto religionis cautum est, cùm ante quartumdecimū annum fieri nequeat solenniter.

¶ In contrarium est quòd huiusmodi duntaxat vota, matrimonium & cōtrahendum impediunt, & contractum dirimunt: quod solius est voti solennis.

AD quęstionem sanct. Thom. duabus respondet conclusionibus. Prior est: Solennitas voti attenditur secundùm aliquid spirituale: puta secundùm benedictionem aut consecrationē, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur. Probatio. Solennitas rei debet eius naturę & conditioni admetiri & accommodari: vt patet in rebus corporalibus: solennitas enim nuptiarum consistit in conuiuarum apparatu: solēnitas verò nuæ militię, in apparatu equorum, militumq; concursu: vt potissimùm in Germania videre est, dum quis creatur Elector: & in aliis regnis, dum creatur auratus eques. Votum autem cùm Deo fiat, est res spiritualis: solennitas ergo eius debet subinde spiritualis esse, puta benedictio aliqua: qualis in religionibus fieri consueuit, & in consecratione: vt dum quis sacris initiatur. Quæ quidem religio

Prima conclusio.

Probatio.

gio à tempore Apostolorum ortum habuit: vt apud Dionysium constat. Nam de ritu sacrorum ordinum meminit.2.cap.Eccles.Hierarch.Et de monachis,cap.6. ¶Posterior cõclusio. Votum fit solenne tum in professione certæ regulæ,tum & in maiorum ordinũ susceptione.Probatur. Solennitas fieri non consueuit nisi dum quis per susceptionem noui status rei alicui mãcipatur.Haud enim solennitas nuptialis celebriter adhibetur nisi dum vterq; coniugum alteri se mutuo tradit,statumq; matrimonialem profitetur qui publicitùs innotescere debet. Per susceptionem autem sacri ordinis, puta subdiaconatus, diuino se homo addicit ministerio, firmum statum suscipiens clericalem.Similiter in professione certę regulæ: quando per abrenuntiationem sæculi propriæque volũtatis, statum quis perfectionis assumit: igitur tunc fit votum solenne. ¶Hic primùm omnium Doctores tam Iurisconsulti, quàm Theologi innumeras voti diuisiones aggerant: vt peculiariter apud Palud.in.4.dist.in. 38.quæst.2.est videre. Vbi vsq; ad duodecim illas multiplicat.Nam & Magister Sentent. aliquas ponit.Alterum enim est votum personale,vt continentiæ: alterum reale, vt eleemosynæ: atque alterum mixtum, vt peregrinatiõis,vbi sumptus sunt necessarij. Item alterum est temporale,hoc est in tempus certum:alterumq; perpetuum. Item alterum est commune, vt quando materia communis est præcepto & voto. Cuius exemplum Magister ponit in baptismo:atque alterum propriũ:vt de opere supererogationis,quod est propria materia voti. Hæc autem atque id genus aliæ sectiones parùm ad rem conferunt. Sed illa satis nobis est, qua diuiditur in simplex & solẽne. Horum enim vincula & obligationes multum differunt.

¶Rursùs adnotandum est discrimen inter simplex votum & solenne si ex effectu perpendatur, hoc esse quod simplex matrimonium impedit contrahendum, haud tamen dirimit contractum.Impedit inquam, quia peccatum est mortale post emissum votum simplex religionis, connubialia fœdera celebrare.Tenet tamen mattimonium.Solenne autem non modò matrimonio contrahendo obstat, verùm & contractum dirimit. Non quòd fit propria diremptio, quia matrimonium nullum est,sed dicitur eò dirimere quòd personas inhabiles ad contrahendum reddit. Discrimen hoc extat apud Bonif. 8.de voto & vo. redempt.cap. vnico. libr.6.Tertiò insuper supponendũ est, votũ solenne in duabus tantùm materijs habere locum:scilicet in professione religionis,& in susceptione sacri ordinis:vt potè diaconatus,vt idem Pontifex ibidem definit. Non quòd definitio hæc illic fuerit primùm sancita.Nam sanctus Thomas viginti annis Bonifacium octauum antecessit, qui tamẽ,ceu rem priscam illam commemorat.

¶His suppositis in lite versatur in quônam consistat votum esse solenne, hoc est matrimonium dirimẽs:vtrùm videlicet de iure sit merè positiuo, an verò de iure diuino. Neq; parùm refert vtra pars vera sit. Nam si est de iure diuino nequit à Papa super voto solenni dispensari:secùs autem si sit de iure positiuo. Caietañ. ergo hic tres de hac re opiniones recensẽt.Prima est quòd voti solennitas cõsistat seu in benedictione, qualis fit in religione seu in consecratione,cuius vsus est in susceptione ordinum.Hæc autem opinio multis rationibus confutatur. Primò quia professio tacita,scilicet cùm annus probationis,annuente neophyto elabitur,est in virtute solẽne votum,& tamen absq; omni benedictione.Secundò,quia in aliquibus religionibus,vt in nostra, non benedicitur ille qui profitetur,sed scapulare: idq; fit postquam in manibus prẽlati professus est:ergo illa benedictio neq; est de essentia, neq; requisita. Tertiò neque illa,neque consecratio sufficit. Græcorum nanq; sacerdotes consecrantur, & tamen non astringuntur solenni voto castitatis: idq; perinde Ecclesia de nostris decernere posset. Quapropter sublato Ecclesiæ statuto posset quisq; dum sacris initiaretur,& (vt aliqui putant) religionem profiteri, faciẽdo simplex votũ castitatis aut nullũ.

¶Anteà verò quàm vlteriùs transeamus,admonitum volo lectorem hanc opinionem nusquam fuisse sancti Thomæ, imò neminem reor sic intellectam illam fuisse complexum:nam D. Thomas, in priori conclusione(quod meditatè considerandum est)non astruit substantiam voti solennis in benedictione aut consecratione consistere:sed prẽcisè ait quòd solennitas voti attẽditur secundùm benedictionem, & consecrationem. Itaque tantùm vult dicere quòd illa benedictionis solennitas adhibetur in signum voti:sicuti solennitas nuptiarum non est de essentia matrimonij,sed est eius testimonium. Quare non vult quòd illa ceremonia sit simpliciter

Postrema conclusio. *Probatio.* *Palud.* *Multiplex diuisio voti.* *Discrimẽ inter votum simplex & solenne ex parte effectus.* *Caietanus.* *Prima opinio.* *Prima ratio in primam opinionem.* *Secunda.* *Tertia.* *Mẽs sancti Thomæ.*

pliciter de essentia, sed tantùm explicat ritum qui re vera nunc in ecclesia viget. Quanuis de susceptione ordinum alia sit ratio. Nam eo ipso quòd subdiaconus ordines suscipit, vnà suscipit & votum. ¶ Secunda opinio est quòd voti solennitas consistat in exhibitione personæ. Itaq; substantia solennis voti à simplici hoc differat, quòd simplex est tantũ promissio rei tradendæ: solenne autem sit traditio personæ: siue promissa fuerit, siue secùs. Et quanuis opinio hæc à Caietañ. reprobetur, arbitror tamen esse verisimam. Et est expresè opinio sancti Thomæ in. 4. dist. 38. quæst. 1. ar. 3. & expressiùs hoc loco. Et vt comparatione ad aliam fulgentiùs eluceścat tertia opinio quam Caietañ. amplectitur est, votum esse solenne in hoc consistere quòd Ecclesiæ authoritate statutũ est per tale votum hominẽ fieri inhabilem ad matrimonium. Neq; est peculiaris Caietañ. sed est Scoti in. 4. dist. 38. Probationes autem Caietani hæ sunt. Prima quòd Ecclesia posset statuere vt quicunq; corã tribus testibus continentiam voueret, faceret votum solenne, sicuti ille qui ordines sacros suscipit aut religionem profitetur: quod vtique signum est totũ pendêre ex arbitrio ecclesiæ. Secunda, quòd vice versa licet quispiam quacunq; solennitate profiteretur tria vota in religione non approbata per sedem Apostolicam, non resultaret votum solenne ex solo defectu ecclesiasticæ authoritatis. Quinimò verba sunt Pontificis loco citato de vot. lib. 6 videlicet quòd voti solennitas ex sola constitutione ecclesiæ est inuenta. ¶ Hanc verũ tamen opinionem reprobat S. Tho. in. 4. loco citato hoc argumento: Si solenne votum religiõis solo statuto ecclesiæ faceret religiosum matrimonio inhabilem, & hoc nõ esset de iure diuino, sequeretur quòd ecclesia posset contrarium statuere: videlicet quòd posset dispensare in illo solenni voto castitatis: quod tamen falsum est, vt posteà disputabimus. Respondet hic autem Caietañ. nescio qua metaphysica: videlicet quòd etsi neque votum seorsum sine statuto Ecclesiæ sufficiat ad iritandum matrimonium, neq; per se præceptum, tamen ambo simul sufficiũt. ¶ Solutio autem hæc dupliciter claudicat. Primò si neq; per votũ ea ratione q̃ quis se tradit, neq; per præceptũ efficitur inhabilis, intelligi neutiquã potest quomodò ratione vtriusq; efficiatur: hoc enim declarandũ restabat. Et arguitur sic. Clarum est quòd quanuis Papa sæculari præcipiat, etiam sub pœna excommunicationis latæ sentẽtiæ vt vxorem nõ ducat, videlicet quia alia in eius tribunali eum petit, nihilo minùs si ille non est alteri coniugio mancipatus & contra iussionem pontificis contrahat, licèt peccet, matrimonium tenet: quoniam iubere nè cõtrahat, non est inhabilem facere. Igitur si votum eò quòd est personæ traditio, non facit eam connubio inhabilem, neq; superueniẽs præceptum id perficiet. Prætereà neq; respõdet sancto Thomæ. Si enim solum statutum ecclesiæ in causa est vt votum religionis inhabilem faciat religiosum ad matrimoniũ, potest eadem ecclesia facere, primùm quòd sit vera religio sine illa inhabilitate: quando quidem ablato statuto votum per se manet simplex: itẽ poterit in tali voto solenni postquã emissum est dispẽsare. Profectò ad hoc non respondet, sed fit ei consequens conclusio. Et ita tandem, vt posteà videbimus, concedit quòd Papa potest dispensare in voto solenni. Illa enim opinio natiuum germen est huius radicis. ¶ Igitur si opinio sancti Thomæ de indispensabilitate voti solennis sustinenda est, vt arbitror ceu antiquissimam doctorum confessionem sustinendam, sic censendum est de voto solenni, vti dicere recipimus q̃ substantia eius consistit in hoc quòd sit traditio: cùm votum simplex sola sit promissio. Quam quidem opinionẽ tam in. 4. quàm hic expresè tenet: dum per similitudinem nuptiarum ait quòd sicut in illis eò fit solennitas quòd vterq; coniugum totaliter mancipatur rei vxoriæ, ita per susceptionem sacrorum ordinum mancipatur homo diuino ministerio, & per abrenuntiationem sæculi & propriæ voluntatis statum perfectionis assumit. Ex hoc enim discrimine nascitur aliud: videlicet quòd simplex potest fieri soli Deo sine aliquo eius ministro, solenne autem nõ nisi per eius ministrum. Et ratio est q̃ promissio cũ nõ sit datio, non habet pro correlatiuo solẽnem receptionẽ, sed solum quia Deo ꝓmittis, tua restat ligata fides. Traditio autẽ nõ fit nisi vbi ille qui traditur solẽniter recipitur. ¶ Sed ais, Deus etiã te recipiet si tu te illi dedas. Ecce in quo stat pũctum. Cùm tradere se hominem mutando statum renuntiandoq; suæ propriæ voluntati, sit res maximi momenti, fieri non debet sine iudicio & examine: quod quidem iudicium non est illi committendum qui vouet: sed ecclesiæ quæ exploret, an qui tradere

Secũda opinio.

Tertia opinio Caieta.

Scotus.

Prima ratio pro opinione Caietani & Scoti.

Secnnda ratio.

Argumen. D. Thom. in præteritam opinionem.

Solutio metaphysica Caietani.

Argumen. in Caieta.

Argumẽ.

Substãtia voti solennis.

obiectio.

Solutio.

dere se adornat,idoneus aptusq; ad illũ statum sit.Ob idq; ecclesia neminem ante tempus probationis ad religionẽ recipit. Neq; verò ad sacros ordines absq; examine:vt patet in titu.de ætat.& qual.ord.præfici. Itaq; in hoc quod est hominem Deo se per illum tradere à quo nomine Dei recipitur, consistit substantia solennis voti:quia tunc abdicat à se ius transeundi ad alium statum: ille autem Ecclesiasticus suscipiẽdi modus quæ solennitas est voti:est de iure positiuo. Veluti si quis secundùm iura antiqua alteri se venderet, eò ipso iure gentiũ esset eius mancipium:sed tamen posset rex ciuili iure sancire,vt nemini liceret se vendere,nisi tali solennitate: aliâs traditio non teneret. Et hoc est quod ait Bonifa. in dicto capitu. scilicet quòd voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta. Non enim dicit quòd substantia solennis voti, puta quòd qui se tradit non possit matrimonium contrahere,sit inuentum Ecclesiæ,sed quòd modꝰ ille tradendi,sit decretalis Ecclesiæ constitutio.In summa,vt ad præfatam obiectionem respondeamus,nemini cõstare potest à deo recipi per votum solenne,nisi per iudicium Ecclesiæ.Et hoc est quod ait sanctus Thomas in dicta distin.4. articulo.2. quæstiuncul.3.Scilicet quòd votum nunquam est solenne quantuncunq; quis profiteatur nisi seruato ordine positiui iuris.Atque ea propter,nempè quia in alijs votis scilicet peregrinationis &ieiuniorum nulla fit traditio, neq; status mutatio,non possunt fieri solennia.Item neque in religione quæ non fuerit ad hunc effectum per Ecclesiam approbata ¶Sed interrogas,ex quo loco scripturæ infertur votum solenne in iure diuino dirimere matrimonium? Respondetur, hoc syllogismo id concludi:Quicunque se alteri tradit,suam illi voluntatem mancipando, iure naturæ & diuino fit inhabilis ad alium statum:qui vouet solenniter tradit se: abdicando ab se ius ducendi vxorem possidendiq; propria,&c.ergo fit ad coniugium inhabilis. Maior est de iure naturæ ac diuino: quod patet : nam si dominium rei tuæ alteri tradidisti , nullatenùs illãrursùs citra furtum potes surripere:secùs si promisisti:quoniam tunc cùm nondùm dominium à te alienaueris,causæ,vt suprà dictum est,superuenire possunt cur non reddas. Pari ergo modo si teipsum tradidisti, ius naturæ diuinumque vetat nè tui ipsius furtum facias.

Ad motiuũ Caietani.

Dubitatio.

Responsio.

Minorem autem esse de iure diuino in religione patet:quoniam religio debet esse status sequendi Christum:secundùm illud, Si vis perfectus esse , vade & vende,&c. & sequere me.Nam nisi hoc institutum per modum status acceperis,non est firmum: statꝰ autem non firmatur per promissionẽ, qualis est votum simplex,sed per traditionem. Vtraque ergo præmissa est de iure diuino atq; adeò conclusio.¶Discernito ergò inter solennitatem &votum solenne: Solennitas enim , hoc est illa ceremonia non est de iure diuino,sed Ecclesiastico:sed tamen votum solenne dirimere matrimonium est de iure diuino,eò quòd est traditio.¶Et licèt pergere videar molestus esse,id contra Scotum & Caietañ.confirmatur.Sequeretur enim ex eorum opinione quòd Papa posset dispensare in matrimonio rato non consummato. Probatur sic. Votum solenne dirimit matrimonium eiusmodi:& tota vis voti solennis (vt autumant) est institutum Papæ, quod est ius positiuum: ergo pari authoritate poterit illud matrimonium absque tali voto per solam dispensationem dirimere. Ecce argumentum Caietani quod re vera secundùm suam opinionem concludit,atq; adeò eodem deuictus concesit conclusionem.Sed profectò,vt bona venia grauissimi authoris dixerim,adeò est absurda conclusio & nullo vnquam sæculo admittenda, vt antequàm illam concederet,dimouere animum deberet ab illa ratione solennis voti, quàm hîc refellimus.Negamus ergo minorem:scilicet quòd votum solenne virtute Ecclesiastici statuti dirimat matrimonium ratum,sed dirimitur iure diuino:quia est mutatio status inferioris in superiorem. Ob id enim etsi consensus matrimonium statum constituat,licitum est tamen inde, quandiu non est consummatum,ad meliorem frugẽ conscendere:cõsummata verò copula , quia ex natura sua est procreatiua prolis, ascensum propter iniuriam quæ educandæ proli irrogaretur,prohibet. Ecce ergo in quo votum solenne consistat.¶Contra hanc autem cõclusionem arguitur primùm omniũ argumento Scoti,qui loco citato hanc opinionẽ ait minus omnibus valere. Homo infit:per propriã volũtatẽ dominiũ sui habet: ergo per eandẽ solam potest illud transferre:per votum autẽ simplex quòd soli Deo facit suã obligat volũtatem:ergo per ipsum Deo dominium sui confert,ac per votũ so-

Ratio altera in Scot.

Primum argumentum Scoti.

inquit

Tt lenne

lenne. In hoc ergo nõ potest esse discrimen.

Solutio. Respondetur autem hoc esse negare manifestissimam naturam promissionis & datio nis. Enimuerò qui pecuniã aut equum amico dare pollicetur, non ideo ab se dominiũ abdicat: nã si posteà alteri daret, teneret datio tanquàm à vero domino profecta: aliàs deberes dicere quòd quicunq; alteri aliquid debet, iam nõ esset dominus illius: quæ quidem assertio esset contra omnem legem & forensem vsum. Concedimus ergo q̃ homo per voluntatem potest transferre dominiũ: non tamẽ per solam promissionem, sed per

Argumẽtũ Caietani. dationem. ¶ Secundò arguit Caiet. Si Ecclesia constitueret, vt si quis coram tribus testi bus votum faceret, illud dirimeret contrahẽ dum matrimoniũ, illud esset solenne sine re

Solutio. ceptione. Respondemus duo: primum q̃ illa esset tunc receptio Papæ: nam quomodo cunq; ipse statueret esse solenne, censeretur recipere votum. Secundò adijcimus q̃ Spiri tus sanctus nunquam Ecclesiam permittet traditionem hominis per votum suscipere, nisi iudicio adhibito & examine: aliàs vergeret in religionũ & sacerdotij exitium. At verò transacto probationis anno per suum decretum tacitã professionẽ recipit. Et econ uerso quando religionẽ non approbat, tũc quantumuis vota tria eprimantur, non est solenne votũ, quia Ecclesia illud nõ recipit.

Argumẽ. 3. Dionysius. ¶ Tertiò arguitur, Prope Apostolorum ætatem, vt est videre apud Dionysium. 6. cap. ecclesiast. Hierar. vigebant monachorum ordines, votorum solennitate (vt creditur) firmati: & tamen non erant sicuti modò sunt. Nã pòst Antonius & Benedictus hanc religionum formam Ecclesiæ auctoritate instituerũt. Re

Responsio. spondetur quòd si vota ædebant solennia, authoritate Ecclesiæ & forsan in manibus Episcoporũ illa ædebant. A sacratissima verò Virgine nullũ accersiri potest cõtra nos argumentum: nam si votum emisit solenne id fuit ex peculiari Dei reuelatione. An verò adeò sit religioni intrinsecũ votum castitatis vt neq; per Ecclesiam fieri possit vt absq; illo sit vera religio. q. 5. disputandum est. Illic enim & q. 6. reuertendum nobis ad votũ solenne explicandum restat, tam religionis quàm sacerdotij.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur capitalium argumẽtum respondetur, q̃ voti solẽnitas licèt fiat in oculis hominum, pertinet nihilo minùs ad Deum in quantũ per eius ministros hominis voluntas recipitur, trãsferentis ius suum in Deum, abdicãtisq; à se facultatem, & arbitrium mutandi statum. Quapropter eatenùs conceditur votum simplex perinde obligare apud Deũ atq; solennẽ, q̃ vtriusq; transgressio est mortalis. Sed tamẽ vtrunq; in suo ordine. Simplex enim obligat sicut promissio: cuius ideo transgressio est non reddere quod promisisti. Sed tamẽ solenne obligat sicut traditio: ob idq; qui illud trãsgreditur peccat auferẽdo quod tradidit vel abutendo voluntate Deo mancipata. Vnde fit vt sit grauior transgressio voti solennis, q̃ simplicis. ¶ Quod si arguas votum solenne perinde esse promissionem atque simplex: nã pari modo ait qui profitetur, Promitto obedientiam Deo q̃ ero tibi obediens. Respondetur differentiam esse q̃ qui solẽniter vouet, licèt promittat obedientiam quantũ ad officia religionis exequẽda, nihilo minùs promittit illam seipsum suamq; voluntatẽ, & totum ius tradendo addicendoq; & mancipando Deo. Votũ autem simplex non est traditio voluntatis, sed promissio qua obligatur eã tradere statumq; mutare. ¶ Et per hæc decidetur quæstio quã hic tractat Caietan. vtrùm distinctio voti simplicis & solennis sit specifica, & pariter trãsgressio sit aliùs speciei. Respondet enim sub distinctione. Nempè quòd si distinctio attẽdatur ex parte subiecti, differunt specie: eò q̃ qui simpliciter vouit non est inhabilis ad cõtrahendũ matrimonium, sicuti ille qui vouit solenniter: quemadmodùm primo de Anima affirmat Auerr. oculum hominis differre specie ab oculo leonis, propterea quòd animæ sic differunt. Si autem, inquit, differentia attendatur ex parte obiecti, tunc non differũt specie: sicuti neq; hac ratione differunt oculus hominis & oculus leonis: quoniam eiusdẽ sunt formalis obiecti, perq; eadẽ media sentiunt. Nam eadem, inquit, vis est obligandi in vtroq;: licèt in solenni maior in eâdẽ specie. Et certe si tota differẽtia cõsisteret in statuto ecclesiæ, ita dicere debuit. Attamen tenendo quòd vnum est promissio & alterum traditio, proculdubio specie differunt ex ratione formali obiecti. Atq; ita forensi vsu cẽsetur. Alia quippe actio est promissio, atque alia transactio dominij. Et ita S. Tho. in. 4. ait differre sicut vegetatiuũ & sensitiuum: quòd differunt ex obiecto. Tametsi ad mores parum hæc discrimina referant: dũmodò certus sis grauius committi peccatũ contra

Quæstio nõ tacta à Caietano.

Refellitur definitio Caietani.

D. Thom.

tra votum solenne quàm contra simplex.

Ad secũdũ argumẽtũ. ¶Ad secundum iam vtiq; responsum est: q cùm per vota aliorum operum non fiat mutatio status:non est cur fiant solenniter. Et ad tertium demum respondetur aliam esse distinctionem publici & secreti:aliam verò solennis & simplicis seu priuati. Non enim ob id quòd votum in publico fiat est illicò solenne,sed quia fit secundum statutum Ecclesiæ recipientis vouentẽ.Quo'quidem statuto seruato,etiam in angulo potest fieri solenne.

Ad quartũ argumẽtũ. ¶Ad quartum tandem,vbi maior est difficultas,respõdere restat.Et in primis ambigi non potest quin etiam si ante vsum rationis ordo suscipiatur characterem imprimat,atq; adeò verè suscipiat:vt S.Tho.in.4. dist.25.q.2.&illic Richard.& Theologi fatẽtur:quia ad susceptionem sacramenti imprimentis characterem,vt est Baptismus,Confirmatio,&Ordo,non requiritur actus in suscipiente,atq; adeò neq; certa ætas de necessitate sacramenti:secùs de necessitate præcepti nequeunt subdiaconi ante decimũoctauum annũ creari,neq; sacerdotes vngi ante vigesimũquintũ, sub reatu peccati mortali, & pœna suspensionis.Quapropter quidam qui arbitrantur sacramentum ordinis non suscipi in quacunq; ætate,repelluntur,vt ait illic S.Tho.quia eorum assertum neq; ratione vlla neq; autoritate firmatur.

D. Thomas Richardus.

¶Hoc ergo supposito consequens planè esse videtur id quod quarto argumento infertur: nempè ante legitimum rationis vsum posse quenq; voto castitatis complicari.Neq; hoc absurdius est quàm de obligatione matrimonij. Puella nanq; cuius malitia supplet ætatem, etiam si ante duodecimum nubat ,vinculo matrimonij tenetur:vt patet cap.De illis.de desponsi.impub. Quapropter etiam si quis consensu extorto per metum cadentem in constantem virum sacris initietur,voto etiã eodem castitatis tenetur: secundum dexteriorem opinionem,vt bene ait Sylvest. verbo,ordo.4.nisi forsan vxori esset matrimonio coniunctus,qui in vita vxore abstinere non potest.Atque id probatur argumento sumpto ex cap.de Iudæis,dist.45.vbi illi inuiti a Sigibuto credebantur baptizati,nihilo minus ad fidem cogũtur,propterea quòd characterẽ essent insigniti:& tamen illis qui renuũt,grauius est ad totam Christianam religionem obligari,quàm ad solum castitatis votum. ¶At vero distinguendum est, vt reor,de huiusmodi clerico ante ætatem ordinato.Si enim vsum habebat rationis, puta quia decimum vel duodecimum annum attigerat,& fortè in octauo:quia liberè initiatur,cogendus est votum seruare.Si verò nullum prorsus habebat rationis vsum,sed nesciens quid de illo fieret ordinatus est:Profectò rationi est maximè cõsentaneum vt detur ei optio:nempè vt si voluerit in ordinis functione permanere,abstineat: sin minùs, omni prorsus officio suspẽsus vxorẽ ducat.

Sylvester.

QVAESTIO TERTIA,

De his qui vouendi facultatem habent.

Sanct.Tho.2.2.quæst.88.arti.8.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm illi qui sunt alterius potestati subiecti, vouere possint.

POST voti substantiam & virtutẽ subsequitur circa eius subiectum indagare,qui nam sunt quibus facultas suppetat & arbitrium vouendi. Et primò de his qui sub aliena sunt potestate arguitur quòd vouere possint.Minus enim vinculum à maiori superatur:obligatio autem qua quis homini subditur minus est quàm quo obligat Deo: ergo & obligatio prior nequit posteriori impedimento esse. ¶Secundò.Filij qui sub cura degunt paterna,neque ab illa sunt mãcipati,arbitrium habent absque parentum voluntate religionem profitendi: ergo illos qui alienæ potestati subsunt,nihil à vouendi virtute cohibet. ¶Tertio. Maior desideratur ad faciendum quàm ad promittendũ facultas:religiosi autem possunt absque maiorum facultate aliqua religionis opera exhibere:vt Psalmos recitare,inediaque se atq; alijs afflictationib⁹ macerare:ergo subiectio minimè adimit vouendi facultatem. ¶Quartò. Quicunque id tentat quod iure facere prohibetur,delinquit, subditi autem

Primum argumentum

Argum.2.

Argumẽ.3.

Argum.4

vouendo non peccant: quandoquidem nul libi prohibitum reperiatur, ergo videntur iure vouere posse. ¶In contrarium facit illud Numer.30. Si mulier in domo patris sui & adhuc in puellari ætate aliquid vouerit, non tenetur rea voti, nisi pater eius consenserit, & idem subditur de muliere habente virum: quod.33.quæstione.5.can. manifestum. & can.noluit.refertur. Ex quibus perinde pari ratione colligitur neq; alios quicunq; alienæ potestati subdantur, voto se posse absq; superioris arbitratu diuincire.

DVæ sunt hominum conditiones quibus non plenaria suppetit ad vouendum facultas: nempè subditi, qui alijs habent mancipatam voluntatem: & pueri quibus per ætatem non licet rationis luce satis illustrari. De prioribus dicendum in hoc articulo: ac de posterioribus in subsequenti

Cõclusio responsiua. Ad quæstionem ergo vnica cõclusione: eademque negatiua respondetur. Nemo qui sub alterius sit potestate, valet de ijs rebus in quibus ei subijcitur votum vllum suscipere, quod citra eius assensionem solidum sit

Ratio cõclu ac firmum. Conclusio est clara. Votũ quippe, vt in superioribus patet, est promissio quæ Deo fit: Deus autem qui author est naturalium legum non vult aliena surripi vt sibi tribuantur. Quare neque eleemosynas quæ de rapina fiunt: gratas habet: qui autẽ sub aliena est potestate, non est sui iuris: ergo nihil Deo vouere potest, quod domino suo aut maiori debet: sed est omninò ab eius potestate pendens: sit ergo vt eiusmodi votum absque eius consensu non sit validum:

Dubitatio. sed irritari à superiori possit. ¶Primùm omnium, quia quæstio hæc, iste inquam & subsequens articulus de votorum irritatione instituitur, supponamus irritationis nomini id significatum supponi quod est nullum, ac perinde cassum haberi ac si nihil esset factum. Quomodo enim differat à dispensatione, & commutatione, & redemptione, quæstione proxima quæ de dispensatione subsequitur, commodiùs explicabitur.

¶Prima ergo hìc causa dubitãdi est de fundamento authoritatis prælatorum irritandi subditorum vota, vtrum scilicet tantùm iure humano, an etiam diuino & naturali ea sibi competat autoritas. Et ratio dubi-

Ratio dubitandi. tationis est quòd locus citatus Numero.30. solùm loquitur de muliere quæ est sub cura parentis, aut sub viri potestate: quemadmodum Augustinus illic exponit. Et refertur 33.quæst.5.can.noluit. inferre autem inde generalem regulam subditorum, non apparet qua ratione firmetur. Nã subiectio vxoris & filiorum est naturalis: subiectio verò religiosorum, licèt sit diuina, tamen nõ videtur extendi nisi ad obseruantiam trium votorum & suarum constitutionum. Eò potissimùm quòd cùm religiosi statum profiteantur qui via est ad perfectionem, non videntur diuino iure arceri quo minùs sui sit arbitrij recentibus se votis vrgentiùs ad meliorem frugem promouere. Adde quòd mãdatum illud apparet in numero esse legalium, quæ per præsentiam Euangelij extincta sunt. ¶Haud ergo desunt qui censeant solum humano iure ademptam esse monacho vouendi facultatem, citra maiorum assensum: nempè cap.illo, monacho. 20.q.4. At verò cùm illud non habeat authoritatem aliam quàm Basilij, ceu autoris, & Gratiani decreta colligentis, non potest habere vim legis, quippe quam Concilium tantùm vel Papa ædere potest. Quocircà nisi iuri diuino aut naturali authoritas illa conniteretur, non inde satis esset collecta. Respondetur ergo interdictum hoc monachorum à iure diuino & naturali promanare. Nam eo ipso quo quis religionem profitetur, addicitur per obedientiam arbitrio prælati, atque adeò iure naturæ non potest inde absque eius iniuria suam dimouere voluntatem.

Augustin.

Responsio.

Quapropter non modò tanquàm spiritualis prælatus ex vi iurisdictionis dispensare super votum subditorum potest, verùm & tanquàm dominus voluntatem eorum perinde ac sæcularis pater eadem irritare. ¶Scisciscitaris autem vtrùm in omnibus prælatis similis sit irritandi facultas, quibus adest dispensandi autoritas? Videtur nanque affirmatiua pars vera: quandoquidem dispensatio, vt pote quæ spiritualis sit functionis munus, maiorem exigat potestatem quàm irritatio. Respondetur nihilo minùs non ità rẽ esse. Episcopi enim dispensare possunt: irritare verò minimè, quia nõ sunt absoluti domini libertatis subditorum, sed tantùm iudices. Imò verò neque Pont. Max. potest sæcularium vota irritare: secùs religiosorũ: quorum non solùm iudex est, verùm & peculiaris prælatus. Est enim sicut generalis minister, aut magister cuiuscunq; ordinis, & sicut Prouincialis, & sicut Prior. Quare & in hoc etiam fallit regula, quòd si episcopus id

Scrupulus.

Solutio.

quod

quod plus est valeat, perinde posit & quod est minus: quia non sunt eiusdē generis. Illi ergo qui facultatē habent irritandi vota prę ter religiosorum prelatos, sunt iure naturæ parentes ac tutores vtriusque sexus, & domini seruorum qui sunt mancipia. Nam paterfamiliâs non eâdem autoritate fungitur in suos famulos: vtpote quorum voluntatum non habet dominium. ¶De vsu autem huiusmodi potestatis, an videlicet absque vlla prorsus de causa dum maiori libuerit possit quæcunque vota irritare, ambigitur. Archid. nanque quem Sylvest. verbo. votū. 3. & citat & imitatur, & Palud. in. 4. di. 38. q. 4. vsque adeò absolutiorem censent potestatem irritandi quam dispensandi, vt credant sine vlla prorsus causa fieri posse irritationem, licèt non dispensationem. Et ratio, inquiunt, est quòd dispensatio nō fit, quia votum non erat validum: & ideo requirit causam: irritatio verò fit quia non erat validum absque superioris assensu, & ideo putant in mero esse arbitrio superioris absq; alia causa irritare: sicuti qui vouet, absque vlla causa poterat non vouere, At verò hæc sententia moderatione temperanda est: nam etsi discrimen sit quòd irritatio nulla intercedē te causa, sit valida: qđ in dispēsatione nō sic vtique facilè conteditur: nihilo minùs prælatus absque vlla omnino ratione votum irritans profectò nō esset à culpa saltem venia li liber: nam cùm irritatio actus quodāmodò sit iurisdictionis, debet iudicio & perspicientia vti antequam irritet: vt perpendat vtrùm sit vtilius ac decentius facultatem negare, an concedere. Quare non est tā absoluta libertas in superiori ad irritandum postquàm subditus proposuit auetque vouere, quàm in subdito antequàm â superiori facultatem exposcat. ¶His de potestate irritandi præhabitis secundum continuò subsequitur dubium circa illud conclusionis tē peramentū, videlicet. In quibus alteri subijcitur. Nempè vt illa perscrutemur in quib⁹ monachus superiori subditur. Nam apparet nulla opùs fuisse exceptione. Quoniam vt modò dictum est, simpliciter totam prælato tanquā Dei vicario consecrauit voluntatem. Ad huius intelligentiam notandum est quadrifida esse monachorum opera. Primū enim genus est eorū quæ solenni voto cōprehēdunt, vt sunt tria vota essentialia & peculiaria statuta. Et in his dubio, pcul subijcitur prælato monach⁹. Apparet nihilo minùs posse de his votū voto ita firmiter adijcere, vt illud prælatus irritare nequeat: vt si voueat in ordine nostro nunq̄ carnes gusta re, & nunq̄ locis & horis vetitis silentiū rūpere: qm̄ postquā licuit votum solenne de illis emittere, videt posse, & arctius se astringere ad ea seruanda. Respondetur nihilo min⁹ & hæc etiā posse prælatū irritare vota, quin verò & debere, quia hæc vinculorū cōgeminatio super eâdem materia vix vnquā prudēter fiunt. Potestas autē inde patet q̄ cùm sup oībus cōstitutionibus & regulæ statutis præter tria essentialia vota valeat præfectus ex causa dispensare, cohibere potest subdito rū arbitriū nè de hisce statutis recētia ædant vota. Nā & illa sup quibus dispensare potest dum dispēsando facit ea de illicitis licita, potest pro causa nonnunquam iubere, scilicet vt subditus silentiū rumpat, aut religionis ieiuniū: ac perinde valet horum vota cassare. ¶In secundo ordine sunt opera libera, idest quæ neq; lege sunt præcepta neq; sub voto concludunt: vt orare, atq; noua superaddere ieiunia. Atq; ad hæc quidē præfectus pro suo libito cogere nequit subditum: secundū illud verbum Bernardi: Votum meum non augeat Prælat⁹ sine mea voluntate. Tametsi nonnunquā in casu necessitatis iubere possit orationes & fortè ieiunium: quod ad rē modò non pertinet. Potest ea tamen impedire quando libuerit, atq; adeò hæc peculiariter proprieq; sunt opera quorū vota Præfectus irritare potest. ¶Tertius operum ordo est quæ prorsus Prelati autoritatem exuperāt: vt transitus ad arctiorem religionem. Hoc enim cùm ad exitū spectet subditi ex eiusdem obedientia Prelati non comprehēditur sub illa: quo fit, vt bene ait Caiet. votū quod monachus eiusmodi trāsitus emiserit, nō posse à Prelato irritari. Atq; adeò hoc operum genus exceptum putes illo conclusionis verbo in his in quibus alteri subijcitur. Haud tamen crediderim huiusmodi votum transeundi ad altiorem religionē omni nò exire autoritatem Prælati, vt idem autor insinuare videtur, sed tantùm quo ad irritationem: imò arbitror posse eundem Prelatū super idem dispensare. Quorum discrimen quæstione sequenti articulo tertio subijciemus. ¶Quartum operum genus est eorum quæ ad salutem sunt necessaria: vt legis præcepta seruare: neq; verò illa modò, sed & quę ad charitatis feruorem attinent, quorū contraria sunt venialia. Atqui horū votum cen-

Archidiaconus. Syluester. Palud.

Ratio præfatæ opinionis

Moderatio præteritæ sententiæ.

Dubium 2.

Quadrifida monachorū opera.

Prima assertio.

Secunda.

Tertia.

Caietanus.

Quarta assertio.

Caietanus. sed idem Caiet. irritari à præfato non posse: vt si monachus votum Deo vouerit non furandi, aut nõ mentiendi. Ratio eius est quoniam hæc materia non est prælato subdita: quandoquidem super his ipse, veluti super regularibus statutis dispensare non valeat. Ait nihilo minùs posse prælatum eiusmodi votũ nomine Dei cõmutare. Quare & hoc quoq; exceptũ arbitratur in conclusione. Atverò non facilè illi de hac re subscriberẽ. Nam etsi quantum ad necessitatem implendi dispensatio istorum sub potestate prelati minimè comprehendatur, nihilo minùs illa noua obligatio qua subditus sua sponte religare se cogitat, nõ video cur nõ possit à prælato irritari. Nam quantum ad spõtanea, dominus est subditarum sibi voluntatum.

Tertiũ dubium. ¶ Tertium subinde dubium circa eandem conclusionem est de illo verbo: videlicet q̃ eiusmodi votum rei in qua subditus superiori subijcitur nõ est sine eius consensu firmũ. Est inquam dubium vtrùm anteà q̃ accedat superioris consensus votum subditi teneat, an verò cõtrà ipso facto sit nullum. Et dubitationis articulus est, vtrũ cùm in voto subditi semp includaꝫ superioris cõditio, subintelligatur affirmatiuè si ille consenserit, an verò tãtùm negatiuè: scilicet nisi dissenserit. Nam priori modo votum ante eius consensum nullũ est: posteriori verò valet quousq; per ipsum irritum fiat. *Richardus.* Et quidem Richard. 4. sen. d. 38. ar. 4. quem multi Summistarum sequuntur distinguunt inter religiosorum vota, atq; alia aliorum subditorum: puta filij familiâs, & vxoris, &c. Et de religiosis generalem absolutamq; asseuerat cõclusionẽ nempè sic esse per votum solenne inhibitos noua ædere vota, vt quodcunq; cuiuscunq; generis absq; expresso consensu superioris faciant, ipso facto irritũ sit & cassum. Quare non solùm eius transgressio, nullum est peccatum, verùm & emissio nõnulla est noxia. Nam incassum vouere, culpa est. Quin verò arbitratur Richard. eiusq; comites hanc esse sentẽtiã D. Thomæ propter verba postrema solutionis tertij quartiq; argumenti vbi ait votum religiosi non esse firmum nisi superiori placuerit, aut nõ renuerit. Affertq; in eandem sen. etiam can. Monacho. 20. q. 4. Et supra hæc adhibet rationes duas. *Prima ratio. Richardi.* Prior est, quod cùm religionis onus sit valde graue, neq; decet, neq; verò licet professionis votũ nouis sarcinis onerare, nè religiosus oneri succumbat. *Secũda ratio.* Posterior, quòd cùm idem religionis votũ tantæ sit altitudinis vt omnia præcendẽtia in ipsum cõmutata extinguat, fit vt etiam subsequentia eiusdem virtute irritentur. Quare de filio familiâs & vxore nõ negat quin possint facere aliqua vota de his quæ sibi non sunt prohibita. *Contraria opinio Sylueſt.* ¶ Huic autem opinioni, vt bene Sylvest. verbo, votum. 3. §. 3. ait, neq; S. Tho. suffragaꝫ, neq; arridet veritas. Quare Petrus à Palud. & Innocen. illic ab eodem Sylvest. citati, ingenuè fatentur religiosos qui quidpiam vouerint, quo prælati obedientia non impeditur, reos esse voti, nisi dum per prælatum irritum non habetur illud impleant. *Pet. à Palu. Innocentius* Et ratio profectò est in promptu. Nam si alij subiti citra suorũ maiorum iniuriam possunt ipsis incõsultis votum suscipere conditionale, quousque superiores ipsi renuerint, vt Richard. ipse fatetur non est cur religiosis eadem facultas interdicatur. *Ratio opinionis.* ¶ Secundò arguitur contra eius rationem. Nonobstante religionis onere potest religiosus habita prælati facultate alia superaddere vota: ergò nihil obstat quo minùs ipso inconsulto de materia quæ sibi nõ est prohibita possit idem suscipere: dummodò paratus sit causa voti nunquàm abesse officijs obedientiæ: & quoties superiori votum displicuerit, ab ipso cessare. Capitulum autẽ, monacho. nullatenùs aduersarijs, imò nobis patrocinatur. Haud quippe ait illic Basilius quòd votum monachi sine consensu Abbatis sit nullum sed quòd sit frangendum: vbi insinuat ante fractionem solidum fuisse. Quãuis neque illa admonitio illo est rigore audienda vt quicquid religiosus vouerit illicò sit frangendum, sed illud prorsus quod vel ei vel prælato sit graue & molestũ. *Secũda ratio.* ¶ Ad sensum igitur sancti Thomæ descendamus, qui videtur sentire votum ante cõsensum prælati emissum nullatenùs esse obligatorium. Nam & in cõclusione & in solutione tertij & quarti dicit, tunc nondum esse firmum: quod sonare videtur non esse obligatorium. *Caietanus* Huius autem verbi sensum Caietaꝫ docta distinctione enucleat. Materia enim voti respectu religiosi duplex esse potest: altera scilicet prohibita, vel in genere sicut cõstitutionum interdicto nè quis monasterij septa egrediatur, prohibetur votum peregrinationis. Aut in particulari, sicuti si prælatus bona causa inhiberet nè quis suorum de tali au tali re votum emitteret. Altera verò est materia non interdicta: vt orare quibus horis vacat: & studere, ieiunare, &c.

Secun-

Secundùm quam distinctionem ad dubiũ respondetur, quòd cùm votum de materia prioris generis emittitur, subintelligenda est affirmatiua conditio: videlicet si prælatus ratum habuerit. Si verò materia sit posterioris speciei, tunc conditio subintelligenda est negatiuè, scilicet nisi prælatus irritum fecerit. Et ratio discriminis est quòd votum debet fieri de re licita: quando verò materia est prohibita, non est licita nisi fiat super illa dispensatio: quapropter qui tale fecit votum, non obligatur quousque assensus prælati accesserit. Attamen quando materia nõ est prohibita, apta est ad votum. Et ideo religiosus votum faciens ordini, vel ieiunandi vel non mentiendi, ipso facto astrictus est quousq; præfectus votum irritet. Qua fortè de causa sub distinctione ait in solutione. 4. S. Tho. quòd in votis religiosorum intelligitur debita conditio, scilicet si suis superioribus placuerit renitantur vel non: vt prius membrum referatur ad materiam prohibitam: posterius verò ad liberã. Quare cùm dicit votum absq; assensu prælati non esse firmum, si sit votũ prioris generis, intelligit non esse validum: si verò posterioris, planè intelligit quòd etsi valeat: non tamen sic solidè, quin semper eius irritatio ex voluntate pendeat præfecti. ¶ De vtroq; autem membro supereſt dubietatis nõnihil: ad quod operæpretium est respondere. De priori inquam est dubium, quòd votum de re illicita ipso facto est nullum, imò peccatum, votum ergo religiosi de re prohibita, neq; sub cõditione valet, imò est peccatum. Respondetur per distinctionem antecedentis. Quando enim res est prohibita, quia per se mala, tũc votum illius iniquum est: quando verò tantũ est mala quia prohibita, potest sub dispẽsationis conditione materia esse voti. Sed quæris vtrùm sic vouens teneatur id denuntiare prælato? videtur enim postquàm non est voto legatus, nõ teneri. Respõdeť ideo teneri nè vanũ sit votũ quod absq; eiꝰ licẽtia implere nequit. Sed de hoc statim apertius. ¶ De posteriori etiam membro dubitatur, vtrùm religiosus qui liberam materiã vouit (puta orare, aut ieiunare) teneatur rem Prælatum celare, nè votum irritet, an verò cõtrà licitum ei sit eidem id patefacere, vt infectũ reddat. Videtur enim hoc posterius in fraudem voti cedere. Respõdetur licẽre rẽ detegere. Nam in hoc vtitur iure suo. Quin verò si graue est votũ, potest molestiã suã & grauamẽ ei aperire, vt irritet. Neq; sit voto iniuria: quandoquidẽ munus maiorũ est subditorũ temeritatis corrigere. Tametsi quando votũ nõ est acerbũ, salubrius est libẽter illud psoluere. ¶ At verò rursus circa priꝰ mẽbrũ dubitaťvtrũ religiosus qui votũ rei ꝓhibitę emisit satisfaciat petẽdo à suo pfecto facultatẽ operis obeũdi nõ exprimẽdo votũ. Appareť em̃ hoc satis esse. Nã postq̃ cõsensus superioris ad hoc requiriť vt tanq̃ materiæ dñs illam ꝓmittat: qua ratione dicebamꝰ q̃ cùm votũ materiæ nõ inhibitæ emittiť, statim tenet, fit vt si ipse opus inhibeat, videlicet nè peregrineris, satis illud est ad nullitatẽ voti. Multã hìc nõ necessariã metaphysicã accumulat Caietañ. res enim ꝑspicatior est quã vt tot verbis indigeat. In primis hoc est certissimũ, quòd si prælatus, voti nescius, tantũ prohiberet opus, non ideo votũ fieret irritũ. Nã subtrahere materiã ad tẽpus: non est votum irritare. Etenim cùm irritatio actio sit iuridica quæ rei notitiã exposcit, debet idẽ prælatus votum nosse vt ipsum casset. Atq; hinc palàm fit cõsequens, teneri subditũ antequàm sit in mora illud eidem patefacere. Quare Numer. 30. requiritur in patre notitia voti filiæ: vt cõsentiat vel dissentiat. ¶ Quòd si cõtrà arguas: Marita mulier quæ votũ simplex continentiæ fecit, non tenetur coniugi illud detegere, sed potest licitè, dũmodò debitum reddat, non petere: ergo pariter potest tacere subditus. Respõdetur, nulla similitudine argumentum pugnare: quoniã eo ipso quòd mulier est viro coniugata, adẽpta illi est potestas vouendi non reddere, etiam sub conditione: & ideo votum suũ non intelligitur nisi de non petendo: quod potest facere insćio viro: sicut religiosus clàm prælato implere votum orandi. Vbi autem materia prohibita vouetur sub conditione, tenetur vouens id dispensatori notũ facere: aliàs incassum voueret quod in Dei ludibriũ vergeret. ¶ Maiori autem ambigendi occasione interrogatur, vtrùm postquàm religiosꝰ cum facultate prelati votum de re aliqua susćepit, maneat nihilo minùs penes eundem superiorẽ irritandi facultas? Apparet enim nullam fieri reliquam. Quod Richardus loco citato opinatus est: imò dubitat an dispẽsare tunc posśit: sed ait euolãdum ad Papã, Nam cùm ad voti firmitatẽ in subdito nihil ampliùs requiratur quàm prælati cõsensus, fit vt postquàm illo firmatum est, nulla superipso illi supersit irritandi potestas. Nihil

Dubitatio. *Solutio.* *Scrupulus.* *Solutio.* *Dubium alterum.* *Responsio.* *Hæsitatio.* *Caietanus.* *Prima assertio.* *Obiectio.* *Solutio.* *Quæstio.* *Richardus.* *Solutio.*

hilo minùs respondetur tunc etiam in præfecti arbitrio permanere, illud irritare. Et ratio est: quia etiam emisso voto religiosus nihilo minùs simpliciter manet subdit⁹: atq; adeò neq; prælatus sua orbatur authoritate. Quin verò adde quòd nõnunquàm, etsi bona causa facultatem concesserit, poterit nihilo minùs ritè & rectè mutatis rebus id quòd semel ratum habuit rẽuocare. Patrocinatur huic documẽto. Augustinus super Num. qui refertur. 33. q. 5. ca. noluit vbi docet, votũ quod puella paterna facultate firmiter susceperat posse postea à viro irritum reddi. Adde q̃ quanuis absq; vlla causa votum idem cassaret etsi peccet, nihilo minùs votum est cassatũ. Atq; huic assertioni suffragatur idem ibidẽ Augustin. eâdem cau. & q. can. manifestum vbi ait expressè, quod si vxor autoritate viri votum emiserit, quod ipse, neq; citra suã culpam postmodùm cassauerit, nihilo min⁹ vxor parêre tenetur. Quin verò textus ipse facer id ipsum continet. Quòd autem vir & pariter prælatus sine causa reuocando peccet, non solùm illic Augustinus verùm & textus ipse Num. 30. contestatur vbi ait quòd etiã dum conniuêre visus fuerit maritus, sed postea cõtradixerit, tunc vxor non tenebit voti rea, sed vir ipse portabit iniquitatẽ eius. Et ratio est, quòd etsi superior facultatẽ habeat irritandi inferioris votum, non tamen vsq; adeò absolutam, vt suprà diximus, quin ratione & iudicio id debeat facere. Et ideo postquàm facultatem concessit non debet absque causa reuocare. ¶ Confirmatur hæc manifestè de religiosis sententia, ex simili à muliere maritata desumpto. Enimuerò si vxor præmissa etiam viri facultate munus aliquod vouerit sacro alicuius Diui, semper dum non soluit in arbitrio est viri dictũ retractare: quòd si retractauerit, quanuis ipse in culpa sit, nihilo minùs ipsa non poterit non obedire. Expressa est sententia. Ambrosius in lib. de Paradiso: qui refertur can. nec illud. 33. q. 5. vt illud Gratia. infert. Et ratio est, quòd illa facultatis concessio non est absoluta trãslatio dominij illius rei in vxorẽ, sed solum ius offerendi sacro: quapropter quousq; res ipsa tradatur, semper est à superiore dependens, si reuocare libeat. Neque tua cõsequentia vlla est si arguas. Superior peccat retractando se: ergo subditus minimè ei tenetur obsequi. Illatio inquã nulla est: Quoniam non est subditi examinare iussa maiorum in his quæ non sunt per se mala, sed ex ipsorum arbitrio dependent: secùs vbi rem per se illicitam iuberent: vti furari, vel mentiri. ¶ At verò sicuti de religiosis monachis suprà quæsitum est, sic & de vxore respectu viri quærendum superest, vtrùm in vniuersum possit vir cuncta vxoris vota irritare. Et quidem Caietanus pari modo exciperet votum non peccandi, puta non mentiendi: quia in illa materia nõ videtur subdita vxor. At verò crediderim & illud irritare posse. Nam licèt quantum ad necessitatem legis non sit subdita, est tamen subdita quantum ad vltroneam obligationẽ. Quare nullo excepto vir potest vniuersa vxoris vota irritare: & si aliquod esset quod irritare nequiret, dispensare notissimum est neutiquàm posse, quia vt quæstione proxima videbimus, illud proprium est spiritualis prælati. ¶ Attamen vice versa, vtrùm etiã vxor irritare possit votum mariti, in dubium euocatur. Apparet enim ab vna parte nullam habere huiusmodi facultatem. Nam vt scriptum est, ipsa sub viri potestate erit, non econuersò. Respondetur quod cùm in fide coniugalis tori pares sint, vt. 1. ad Corin. 7. ait Paulus: quia vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor: sicuti neq; vxor sui, sed vir, neuter absq; alterius permissu votum facere potest simpliciter castitatis: imò illo non obstãte tenetur vterq; debitum alteri reddere: vt bene colligit Gratian. cano. manifestum. 33. q. 5. ¶ An verò possit alteruter votum facere non petendi, maior est dubitandi ratio. Nã in hoc nullam: quantum ad fidem tori, irrogat alteri iniuriam. Nihilo minùs quòd vir possit eiusmodi votum vxoris irritare, non debet esse in ambiguo: non vtiq; propterea quòd est cõtra fidem thalami matrimonialis: sed quia ipsa verè est subdita. Et ita expressè ait Augustinus in eodem cap. manifestum. Quòd autem vice versa simile votum mariti possit vxor irritare, latẽtius dubium est. Nam propterea quòd sit contra fidem, non potest: postquam paratus est debitum reddere. Neque verò ratione subiectionis: quia vir non est vxoris subditus. Respondetur, in primis tale votum prægraue esse vxori, & penè maritali fidei aduersum. Nã cùm mulieres præ pudore petere vix audeant debitum, si vir petere esset prohibitus, in fraudem matrimonij resultaret. Et ideo non lõgè ab scopo aberraret qui diceret tale votũ absque consensu vxoris non tenere. Saltem hoc certum est, quòd deberet per Antistitẽ omninò

Augustin⁹ Ambrosi⁹ Quæstio altera. Caietanus. Solutio. Scrupulus. Responsio. Paulus. Augustin⁹.

omninò ad tollendos scrupulos dispensatio
Dubitatio. ne aboleri. ¶An verò extra hanc materiam vir habeat absolutam potestatem vouendi inconsultat vxore,fortè quæris. Apparet enim veritas sic habere,postquàm non est vxori subditus . Sed tamen ab altera parte argumentum nihilo minùs existit , quòd in his quæ ad communem vtriusque familiam attinèt,non possit. Vt si longam peregrinationem voueret per quam officium coniugale suo defraudaretur fructu : aut si amplam voueret pecuniam,quæ ipsi vxori & filijs alendis necessaria est.Profectò non prorsus probabilitate caret,id nõ posse: quando
Solutio. quidẽ in vxoris pernicie vergit. Ad hoc nihilo minùs respondetur irritãdi facultatẽ simpliciter nõ esse vxori permittendã , respectu viri:maximè in bonorum dispẽsatione. Nã etsi illa reclamante ipse voluerit bona prodigere , quanuis malefaciat , factum nihilominùs tenet , postquàm absolutus est eorũ administrator:atque adeò eiusmodi votum non subest vxoris potestati.Nihilo minùs si votum in vitium prodigalitatis aut iniustitiæ impingeret , ipso facto non haberet vim obligandi:& sic nulla egeret irritatione . Simile dicendum est de absentia. Potest enim vir citra fraudem matrimonij peregrè profisciscì,atque adeò si causa exigeret votũ emittere:neque in hoc subditur vxori. Si tamen non esset causa legitima , pariter non teneret:sed peccatum esset vouere .
Dubium grauc. ¶Potissimũ hic autem dubium est,quin verò solutu non facilè, vtrùm postquàm vterq; cõiugum cõmuni consensu votum castitatis emisit,possit maritus,quam fecit vxori,facultatem reuocare,atq; adeò eius irritare votum: ac pariiure vxor quam facti forsan pœnitet , suã etiam quam viro dedit retractare , debitũq; ex illo petere. Est enim sententia Gratiani in eodem can.manifestum.negatiua. Nam postquam vterq; suo renuntiauit iuri, vterque fit ab altero liber. ¶Argumentum autẽ quod rẽ dubiã facit est huiusmodi.Postquã vir facultatem fecit vxori continentiam vouendi,videlicet non petere debitum , potest illam reuocare,vt autoritate non solùm diui Augusti.verùm & diuinæ scripturæ,& ratione modò confirmatum est:quòd autem pleniorem concesserit , nempe vt neq; peteret, neq; redderet, non tollit quin vtranque pari ratione possit retractare:ergo vir saltẽ annullare potest eiusmodi votũ vxoris. Et cũ hoc iure par sit marito cõiux,ipsa etiã posse

Sententia Gratiani. Argumẽtũ ad alteram partem.

videtur retractare cõcessam facultatem. Accedit quod vsu venire potest,vt vterq; in periculo versetur carnis illecebræ,atq; adeò cõsultius sit iuxta monitum Pauli.1.ad Corin. 7.ad vsum coniungij redire.Quòd si dixeris *Salutio.* eò quòd ambo communi consensu votum emiserint priuatum esse vtrunque potestate *Solutio.* reuocãdi,profectò ratio huius non est adeò patens. Si enim maritus reuocare facultatẽ valet quam dedit vxori quando vxor non eandem ei vicissim contulit, nõ apparet cur eò quòd vxor eandem contulerit , priuatus sit vir facultate sua. Profectò argumentum videtur rẽ dubiam facere . Nihilo minùs respondere possumus quod cũ in illo officio pares sint coniuges quando vicario mutuoque consensu vterquevouet,est genus quoddam mutui contractus: facio vt facias:id est renuntio iuri meo vt tu renuncties tuo. Quocirca ob id quod vxor viro suo renuntiat debitũ exigere,priuatur maritus non solùm iure petendi,sed & facultate reuocandi factũ: quapropter vtriusque votum censetur absolutum castitatis. ¶Aliud post hæc dubium
Postremum dubium. sequitur. Vtrùm votum semel à superiori irritarum,si postmodùm ab eius cura & seruitute exeat,reuiuiscat. Ad hoc sunt qui distinguant , votum impuberis irritatum non reuiuiscere. Si tamen pubes iam erat quando illud fecit,nempe si quartum decimum excesserat annum , quanuis irritetur: nam si reale est,vt suprà diximus , etiam tũc vsque ad vigesimumquintum irritari potest:tunc aiunt cùm taliter vouens fuerit emancipatus,teneri.In hanc sententiam solet
Innocẽtius. citari Innocen . in cap.scripturæ. de vot . & vot.redempt . Attamen ipse nihil ampliùs dicit quàm quòd impuberes vouentes , vel qui sunt sub cura patentum , tenentur cùm fuerint emancipati implere : cùm ergo non explicet , etiam si fuerint cassata, non est credendus id sentire. Sed Paludan.tametsi ambiguus, annuere ad hoc videtur in . 4. *Paludani sententia.* distinct.38.quæst.4. Attamen salua autoris existimatione , contraria sententia proculdubio amplectenda est: quam Syluester tenet verbo,votum.3.§.2.Nempe quòd in vniuersum,votum quodcunque,siue vxoris, siue filij,siue serui, siue religiosi semel irritatum,nullam deinceps virtutem retinet,qua vllo tempore obligari possit nisi iterato fiat. *Reprobatur*

Extat enim regula iuris , quòd obligatio *sententia præfata.* semel extincta instaurari non potest : Codice , de remissione pignoris.l. cùm ex cau-

sa. Atque huic sententiæ libentiùs arridet Panormitanus super eodem capitulo, scripturę. citato. Imò & textus capituli, quidam & cap. placet. de conuersio. coniuga. id confirmant: quippe vbi habetur quod coniunx religionem intrans quatenùs alterius coniugis reclamatione cassàtum est, post obitum eiusdem coniugis non ampliùs ligat. ¶Molestior autem dubitandi ratio existit dum vxor, verbi gratia, votum emitteret executioni tunc mandandum, si maritum vita superauerit: & idem de filio si dum sub cura parentis ageret votum emitteret, post suam emancipationem explendum: & pariter seruus sub conditione si fuerit libertate donatus, vtrùm & eiusmodi vota possint etiam ii dem superiores irritare. Videtur nanque pars negatiua inde cõfirmari quod eiusmodi vota fiunt pro tempore quo vouentis libertas sub aliena potestate non constringitur. Præterea quia votum vxoris tunc nullatenùs marito nocet. Ad hoc posset trifariã responderi. Primò sub distinctione. Eiusmodi nanque vota alia sunt quæ fiunt superiori grauia & incommoda: alia verò quæ non nisi in vouentis grauamen vergunt. Illa quæ sunt prioris generis non possunt ab illo irritari si pro tempore facta sunt quo fuerit ipse vita defunctus: vt si vxor religionem vouerit, aut castitatem: quia illa nullam habent incommoditatem, præterquàm quòd coniugali officio superstite viro quadantenùs videntur obstare. Si autem incommoda sunt vouenti, itaque irritatio in bonum eius cedit: tunc videtur posse maritus & pater illa irritare: vt si vouerent longam peregrinationem, aut longos sumptus. Alij verò scrupulosiùs respondent, neutrius generis vota illo pacto edita irritari posse: ac sub inde consulunt ad dispensationem recurre-

Syluester. re. Syluest. verò verbo, religio. 2. §. 15. contrariam per aliud extremum sequitur opinionem: nempe quodcũque votum quod quisque dum sub alterius est potestate emiserit, posse durante illo tempore irritari: vt si puer decimo tertio anno intrare decimo quinto vouerit religionem: & pariter si ante vigesimum quintum quidpiam vouerit, post illam ætatem exequendum: potest illicò ea pater irritare videlicet illud personale ante quartum decimum: & alterum reale ante vigesimum quintum, vt articu. proximo videndum est. Et re vera non est eiusmodi sententia metuenda. Apparet enim inde tuta quòd cùm voluntas subditi illo tẽpore simpliciter sit superiori arbitrio alligata, quacũque conditione id vouerit, irritari tunc potest. Adde quod ratio huius potestatis quæ superiori inest, illic fundatur vt subdito consultum curet: propterea quòd non præsumitur eius voluntas idonea rationis luce illustrari, vt vouere possit. Quapropter etsi conditionem apponat implendi postquam fuerit liber, eadem poscit ratio vt superior iudicio suo tunc dum sui iuris est, perpendat, an id illi congruat: atque adeò in sua est potestate tunc quando votum editur, irritare. Eò vel maximè quòd nullum est votum quod in grauamen ipsius vouentis nõ cedat. Quare distinctio in prima responsione facta, superuacanea videtur. ¶Vtrùm verò si durante ætate quo filius est sub potestate parentis nunquàm fuerit irritatum, postquam eandem ætatem transilierit possit ab eodem patre irritari, multò maiori perplexitate ambigitur: sed tamen articulo proximo aptiùs dissoluetur.

Ad primũ argumẽtũ. ¶Vt perest ergo tandem ad argumenta initio quæstionis obiecta respondere. Primi autem responsio iam suprà explicata est. Nã etsi obligatio quæ fit Deo maior sit quàm illa quæ fit hominibus nihil, sibi tamen offerri optat, nisi quòd sub dominio sit offerẽtis. Nam obedientia quæ parentibus debetur, obligatio etiam est diuina, & quam subditi debent prælatis: quare non habet gratum vt contra eiusmodi maiorum voluntatem sub diti quicquam voueant. *Ad secũdũ.* ¶Ad secundum respõdetur quòd postquàm filij ad annos pubertatis peruenerint: puta quartum decimũ annum masculus excesserit, & fœmina duodecimum, nisi seruitia sint & mancipia, sui sunt iuris, quantum ad ea quæ suam attinẽt personam: nempe vt vel religionẽ profiteantur, vel matrimonia contrahant: manent tamen sub cura parentum quantum ad bonorum dispositionem. Quare reale votũ quod ante vigesimum quintum emittunt, irritari à superiori potest: vt articulo proximo videbitur. Seruus autem quia in potestate domini est, neq; ad religionem se vnquàm obligare valet, neq; ad peregrinationem, neque ad aliud per quod domini obsequio subducatur: vt Doctores super cap. scripturæ. extrà, de vot. & vot. redem. annotant. *Ad tertiũ.* ¶Ad tertium verò respondet sanctus Thom. quòd etsi plus sit facere quàm promittere, atque adeò religiosi multa inconsultis prælatis facere

cere queãt,nihilo minùs non possunt firmiter absque eorum consensu vouere.Et ratio, inquit,est:quia nullum est tempus exceptũ in quo prælatus non possit eũ circa aliquod officium occupare. Veruntamen hanc ratio nẽ Cõradus loco citato nõ approbat:Arguit enim hoc nõ euincere quin possit subditus aliqua vouere, quorum contraria nõ potest iubere prælatus:vt non mentiri, non malelo qui &c.At verò sanctus Thomas non intendit illam pro ratione adæquata inducere.In contextu nanq; quæstionis causam reddiderat cur subditus inconsulto prælato vouere non potest: nempe quia habet voluntatem illius arbitrio alligatam:& eandem explicat in initio responsionis:scilicet quia religiosus subditus est prælato quantum ad suas operationes,secundùm professionem regulæ.

obiectio Cõradi.

solutio.

Alia autem subiuncta causa solùm est particularis,respectu illorum operum quorum contraria prælatus potest præcipere. Nam cùm potestatem habeat quocunq; tempore præcipiendi,libera esse debet subditi voluntas ad obtemperandum: & ideo vouere contrà non potest. At verò neque de huiusmodi operibus tam euidenter hæc ratio rẽ conuincit, quàm illa priùs enarrata. Nam cauillare quis posset, dicens quod quamuis prælatus potestatem habeat quocunq; temporis articulo occupare subditum, non inde euincitur quòd possit eius vota irritare: sed hoc tantùm quòd non obstante voto debet ei contrarium iubenti obedire. Sed nilo minùs votum perstat firmum, obligans subditum secundùm ipsum facere quandiu prælatus opus contrarium non præceperit.

Itaque autoritas prælati extendatur ad impediendum aliquando executionem voti: non tamen ad irritandum votum. Attamen nihilo minùs est congruens ratio, quòd si potest quoties libuerit executionẽ impedire,possit & votum tollere:quod quadantenùs liberæ obedientiæ obuiare videtur. ¶Ad quartum denique respondetur, quod etsi votum subditi sine consensu prælati emissum non sit omninò firmum, nihilo minùsquia eius permissu mandari potest executioni,non peccat subditus vouendo:si ue religiosus sit,siue vxor,siue filius.Ex quo verbo colligitur votum statim esse obligatorium, si de materia sit non prohibita: licèt à prælato pendulum. Secus si sit prohibita. Sed neque tunc est peccatum vouere postquàm sit sub conditione, si prælatò placuerit:sicuti alterum cum conditione, nisi renuerit.

Ad quartum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm pueri religionis voto se possint obligare.

SECVNDA hominum conditio de quibus dubitatur, an se possint voti iugo subdere, est puerorum. De quibus igit arguitur, quòd nulla se possint vouendi religione vincire. Ad firmitatem requiritur deliberatio: quæ cùm absq; rationis luce fieri nequeat,amentibus & furiosis non accidit,ac perinde à religione vouendi excludũtur: pueris autem aut nullus affulget rationis radius, aut malignior atq; exilior quàm vt deliberare queãt: ergo quic quid vouerint,cassum est. ¶Secundo arguitur. Id quod fieri rectè potest, nequit ab alio haberi irritum:votum autem religionis quod vel puer vel puella ante pubertatis annos susceperit,potest à parentibus retractari,ac perinde à tutore: vt.20.q.2.cano.puella. prospectum est:ergo videtur eiusmodi pueri ante legitimos eosdem annos non posse ritè vouere. ¶Tertiò.Propterea religionem ingressis annus permittitur probationis, vt maturo consilio perpendant quid ferre valeant humeri:hæc autem matura perpensio non competit pueris:ergo non possunt legitimè vouere. ¶In contrarium est idem ipse citatus canon,puella.vbi admoneturvotum puellæ,nisi intra annum à parentibus reuocetur, validum esse: quod testimonium est antè fuisse ritèfactum. Nam quod non ritè fit,etiam si non reuocetur,nunquàm fit illa ratione solidum.

Primum argumẽtum.

secundum.

Tertium.

AD quæstionem quatuor cõclusionibus respondetur.Prima est:Si puer & puella ante pubertatis annos non ea vtãtur rationis luce,vt deliberare queãt,nullo se voto potest constringere. Ante probationem autem conclusionis recolere ex superioribꝰ opùs est,alterum esse votum simplex,alterũ verum solenne:quorum differẽtia est quod solenne sola ecclesiæ autoritate firmatur:eòq; in benedictione aut cõsecratione,ad modum superiùs expositũ, secundùm ecclesiastica

Prima conclusio.

stica decreta solidatur: votum autē simplex efficaciam non habet aliam quā quæ à deliberatione vouentis exurgit, qua se obligare intendit. Hæc autem deliberatio duplici de causa, vt dictum est, infirmatur, nè robur habeat: Vno quidem modo ex defectu rationis: vt de furiosis & amentibus dictū est, dū suo paroxismo tenentur: altero verò modo ex eo quòd voluntatem habet alterius arbitrio colligatam. Ex priori ergo membro fit consequens nostra conclusio: quòd si puer nondum vsu rationis fungitur, nequâquam se potest voto perstringere. ¶ Secunda conclusio. Si puer ante pubertatis annos munere rationis fruatur, potest quidem quantum in ipso est voto se obligare: sed nihilo minùs ex parentū arbitrio pendet, aut eius qui pueri curam gerit, vt possit ab ipsi sirritari. Probatur conclusio. Nam pueri ante legitimam ætatē in vtroq; memoratorum modo impediti sunt: nempe & ob rationis defectum, & ob ligamen quo eorum voluntas sub iugo est parentum. At verò quia, etsi non crebrò, tamen quandoq; vsu venit vt lux festina rationis ante consuetam ætatem aliquibus affulgeat, fiantq; subinde doli capaces, idonei tunc fiunt, vt ritè possint quantum in se est vota ædere: manet nihilo minùs impedimētum alterum puta dependētia ab aliena voluntate, cuius arbitrio irritari possunt. ¶ Tertia conclusio. Votum solenne nemo quantuncunque sit doli capax, ante pubertatis annos potest suscipere. Conclusio non alia indiget probatione quàm ecclesiæ autoritate: nam sola est causa huius asserti: quæ quidem masculis quartum decimum annū præscripsit, fœmellis verò duodecimū. ¶ Quarta demum conclusio. Post annos pubertatis quisq; se potest religionis voto nihilo minùs solenni quàm simplici, quantumuis parētibus reclamantibus, firmissimè obligare. ¶ Hic primum omnium tres sunt discernendi ætatis limites: videlicet infantia: quæ durat primo septennio: quo tempore infantes cēsentur nullo fungi rationis ductu, atq; adeò eorum vota nihili penduntur. Atq; ad hoc tempus alludit prima conclusio. Mox sequitur pueritia, quæ vsq; ad quartum decimum annum maribus protenditur: vbi pubertas aduenit. Et illa ætate possunt pueri esse doli capaces: sed tamen durat tunc potestas parentum ad irritandum puerorum vota, etiam si sint personalia, puta religionis: vt habetur cap. non solùm de regul. lib. 6. Fœmellis autem præscribitur annus duodecimus, vnde pubertas illi incipitur: vt habetur citato can. puella. 20. q. 2. sed quantum ad vota realia, quibus scilicet res vouētur aut sumptus: deinde subsequitur tertia ætas, puta adolescentia quæ dicitur pubertas: quo tempore adolescentes sunt sub cura parentum, vt de suis bonis sine eorum autoritate dispēsare nequeant: vt habetur. ff. toto titul. de minor. 25. annis. ¶ Hinc autem forsan nos obiter interrogans interpellet, cur puellis minus sit tempus ante pubertatē præscriptum quàm maribus. Nam cùm fœminæ leuioris sint iudicij & prudentiæ, contrarium videbatur ratio flagitare. Nempe vt longius eis poneretur ad consultandum tempus. Respōdetur forsan in causa fuisse quòd in fœminis acceleratiùs festinat rationis vsus: fructus enim quo excelsioris sunt naturæ, seriùs matureſcunt. Sed tamen legitima causa fuit q̄ in viro qui præesse debet vxori, præstantior requiritur prudentia quàm in fœminis quibus gubernatio familiæ nō adeò incumbit Præstantior enim sapiētia requiritur ad gubernandum quàm ad obediendum. ¶ Hic verò admonito opùs est quod puer qui ante pubertatem non habet rationis vsurā vouere nequeat, non est tantùm intelligendū ante septennium. Nam etiam vndecimo anno, & puer tertio decimo, qui illo caret, eādē ratione prohibetur. Et vice versa iuxta tenorem secundæ conclusionis si ante septenniū eundem haberet vsum, quod quidem prudentum discerniculo perpendendū est, obligare se posset voto, nisi parentes renuerent. Illi ergo annorum limites designātur secundùm præsumptionem iuris: atq; adeò quando res est dubia, ex illis sumendum est iudicium. ¶ Sed est hic præterea notandum, q̄ quando ante legitimum tempus pubertatis quis emisit votū, etiam si sit religionis, quod postmodùm neq; itritatum fuit, neq; legitima ætate iteratò confirmatū: tunc vt ille secundùm conscientiam reus voti iudicetur, non sufficit quæcunq; opinio, tūc habuisse vsum rationis quando vouit: sed requiritur rem esse adeò certam & compertam vt nulla aut tenuissima apud viros prudentes reliqua fiat dubitatio contrariæ opinionis. Monitum hoc pro captu meo hic ob id appendi, quòd vulgò existimatur dum res est dubia, potiùs esse in fauorem voti iudicium ferendum: nempe obligare. Crediderim nāq; prorsus contrarium: nam cùm iure eiusmodi puer

Secunda cōclusio.

Probatio cōclusionis.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.

Tres limites ætatis.

Interrogatio.

Responsio.

Primū documentum

Secundum.

di puer præsumatur non habuisse vsum rationis,non est in contrariũ adigendus nisi luculenter id ratio conuicerit. Melior siquidẽ est possidentis conditio:& hominem manere liberum, censetur manere in sua possessione.Imò hoc semper arbitratus sum in fauorem voti facere,ac potissimùm religionis: quippe quod cũ res sit grauis momenti, nemo debet in illam nisi ratione cogente obtrudi.Et confirmatur: quia nemo ante illud legitimũ tẽpus tenetur ecclesiasticis legibus, puta sacramentorum aut ieiuniorum: non ergo est cur teneatur voto quod ex sua mera voluntate pendet, nisi planè constet esse doli capacem. ¶Ex his sic dispositis ætatũ limitibus, colligitur tam cõuenientia quàm discrimen inter votum personale & reale. Personale enim est quod ad personam attinet:vt est religionis,orationis,aut ieiunij:reale verò quod pertinet ad res:puta vbi sumptus requiruntur. Ambo ergo in hoc cõueniunt quod ante rationis vsum neutrum potest emitti:illo tamen præsente,vtrunq; simplex.Nam solenne religionis, non nisi post quartũ decimum. Rursus conueniunt quòd ante pubertatis annos, nempe ante quartũ decimum in puero, & duodecimum in puella,vtrunq; potest à parentibus vel tutoribus irritari,etiã si sit religionis: quo irritato,nulla eius obligatio in perpetuum resurgit. Differunt tamen quòd votum personale post quartũ decimũ irritari non potest. Et ratio est: quia iam puer habet rationis vsum vt suam obliget personam:votum autem reale vsque vigesimum quintum irritari potest.

Discrimẽ et cõuenientia inter votum personale et reale.

Dubitatio.

¶Circa prius autem horum membrorũ forsan quis dubitet,an de omni personali voto sit intelligendum. Nempe si puer anno decimo quintovoueat ieiunium,aut quotidianã orationem,vtrùm perinde ac si esset religionis nullatenùs irritari possit. Est enim à parte affirmatiua argumentum:quoniam canones irritationem non prohibẽt,nisi voti religionis: quod in eius fauorem videtur factũ. Neq; S. Tho.in.4.de alio voto loquitur. Item si vxor similia æderet personalia vota, possent à viro irritari, & pariter prælatus omne votum subditi:sed tantam habet potestatem pater in filium:quantum vir in vxorem: ergo & hæc valet cessare pater in filio qui nondum vigesimum quintum annum attigit.In contrariũ est quod ratio quæ conuincit religionis votum tunc ætatis irritari non posse,est,quòd iam tunc est plenus rationis vsus:quæ quidem ratio idem conuincit de quocunq; alio personali. Quare non facilè credam illam exceptionem esse factã in fauorem religionis:imò est declaratio naturalis iuris. Et ideo cũ illud quod obseruatu difficilius est, maioremq; exigens deliberationem irritari vetatur, consequens apparet,minora minùs irritari posse. Igitur libentiùs negatiuè ad quæstionẽ respõderẽ: videlicet nullum personale votum filij pubertatẽ ingressi posse à patre irritari. Nam Doctores idem iudicium de omni personali proferunt.Neq; simile est de vxore: quoniam illa non prohibetur vouere propter rationis defectum,sed propter subiectionem ad virum, qui omne eius votũ irritare potest:sicuti prælatus omne votum subditi:filius autem post pubertatem quo ad libertatis vsum nõ vsq; adeò subditur patri:sed dũtaxat in dispensatione bonorum.Et ideo in tali casu nõ aliud quàm dispensationis remedium suppetit. Quòd si quis contrarium censuerit, probatiorem rationem excogitet. ¶Contra tertiã deinde conclusionem qua negatum est votum solenne ante quatuordecim annos validum esse,arguitur. Matrimonium eorum qui sunt doli capaces tenet:vt docemur.c.de de illis.de dispensatio. impuber.ergo & votum valere deberet:siquidem maioribus priuilegijs foueri debeat quã matrimoniũ.Adde quod etiã ordo sacer:quod.q.precedenti dicebamus:si quis ante legitimũ tempus illi initietur,tenet. Cui quidem ordini annexũ est castitatis votum:ergo nõ est cur non valeat solenne votum. Neq; satis est respondere sic ecclesiæ placuisse:nã cũ Spiritu sancto regatur,nihil temerè constituit. Quærimus ergo eiusmodi rationẽ decreti. ¶Respondetur,quod sacramẽta nõ subsunt ecclesię iudicio vt secundũ essentiã mutentur:& ideo vbi cõpetens substat materia, non potest illa sacramenta irritare. Vnde cùm vir & fœmina liberè consentientes possint iure naturæ se matrimonio coniungere,fit vt si malitia ætatem suppleat,nẽpe si nõ modò rationis lux vtriq; præfulgeat,verùm & fœmina idonea sit viro,atque ipse possit matrimonium consummare,nõ potuit ecclesia tale irritare matrimonium postquàm illic sacramentũ perficitur.Et similis parq; est de ordinis sacramento ratio.Attamen quoniam religio nõ est sacramentum, potest eadem ecclesia solenne religionis votum irritare: idq; adeò cõsultissimè ante quartum decimum annũ cas-

Ratio dubitandi.

S. Thomas.

Solutio.

Argumentum contra tertiam conclusionem.

satum

Sed ratio nulla est nam sicut p decretum ana bi celebratum sub pena matrimonia clandestina quæ solum consensu ut et mulieris contra Sanctorum sunt sic posset ecclesia in habilis reddere personas ad contrahendum nisi quæ venirent ad annos pubertatis sicut decretum est de voto in iu

Solutio.

Scrupulus. fatum duxit. ¶Quòd si rursus interroges, an saltem tale votum religionis existimandũ esset pro simplici, apparet nanq; sic esse: quoniam cùm ecclesia solam solennitatem deneget, videtur ille in quantum potuit obligatus remanere, puta voto simplici. Simile enim habetur cap. quidam. & cap. placet. de conuers. coniuga. Coniunx enim qui altero reclamante abstractus est à religione, quãuis à voto solẽni absolutus cẽseatur, ligatus tamẽ manet nè altero defuncto ad secũdas trãseat nuptias: quia obligatus est carnis debitũ non petere. ¶Nihilo minùs nõ obstãte argumenti similitudine, quæ nõnulla est, crediderim in præsentiarum rem secùs habere: nempe si ante quartũ decimũ quis fecit solẽne votum, qui nunquã simplex aliud neq; antè nec post egerit, nullo ligari, neq; simplicis votifune: quando quidem votũ illud irritum per ecclesiã habetur: vt habetur cap. non solùm. de vot. lib. 6. Neque simile est de coniuge: nam in voto solennis cõiugis includuntur tanquã duæ partes, & nõ reddere debitum, & non petere: & ideò licèt ab altero coniuge sub cuius est potestate impediatur eius voluntas respectu prioris, superstes nihilominus fit ei potestas obligãdi se respectu posterioris. Ille autem qui ante ætatẽ solenniter vouet, non impeditur: quia alligatam habet alteri voluntatem: sed propter ætatis defectum: & ideo vbi simpliciter irritatũ est solenne votum religionis, non est cur virtutem simplicis retineat. ¶Postremum dubium est quod superiori articulo tetigimus: nempe vtrùm si pater votum filij dum sub sua est potestate non irritat, integrũ sibi sit, postquam emancipatus est, idem eius votum irritare, quod dũ sub sua erat cura emiserat. Exempli gratia: Puer tertio decimo anno votum fecit simplex religionis, quod neque pater ante quartum decimum irritauit, neque filius ipse posteà ampliùs confirmauit: in decimo autem quinto anno, voti eundem filium pœnitet: vtrùm facultas tũc perduret in parte illud cassandi: quando quidẽ si tunc vouisset, certum est non posse. Pariter votum reale ante vigesimum quintũ annum emissum à filio, vtrum postquã eodem elapso tempore emãcipatus est filius, possit à patre irritari. Profectò res est dubia: gratiõ tamen in partem negatiuã inclinarem: nam etsi tempore emissi voti pater irritare illud poterat, eadem ei potestas non perstat nisi vsque ad præfinitum lege tempus. Quare si illa intra idem tempus nõ fungitur, posteà non valet illam exequi. Idque à simili confirmatur. Nam si seruus dum erat sub alterius dominio votũ emisit quod nunquàm dominus irritauit, posteà libertus nõ potest ad dominum recurrere qui illud irritet. Neque irritatio teneret.

Postremum dubium. *Solutio.*

AD primum igitur argumentum respondetur, solùm concludere pueros quibus nõdum rationis vsus illuxit nequâquam vouere posse: vt prima asseruit conclusio. *Ad primũ argumentũ.* ¶Ad secundum negatur prior præmissa. Enimuerò quanuis in potestate sit patri liberorũ vota infecta reddere, nihil tamen obstat quo minùs vouere possint: nam intelligitur negatiua conditio: nisi à parente vel tutore irritetur. Quare quandiu non irritatur, tenetur filius, vti de religioso diximus, illud exequi. *Ad secũdũ.* ¶Tertium denique de voto solenni currit: quod iam dictum est ante annos pubertatis suscipi non posse. *Ad tertiũ.*

QVAESTIO QVARTA, De dispensatione & commutatione voti.

Sanct. Tho. 2. 2. quæst. 83. ar. 10.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm in voto possit fieri dispensatio.

POST irritationẽ voti eorũ qui firmiter vouere neque ũt, sequitur quæstio de eorũ dispẽsatione, quæ firma sunt vota. Arguitur ergo de more, quod nulla ĩ eiusmodi vota cadere possit dispensatio. Minus est votũ commutare quã super illud dispensari: votum autem cõmutari non potest, vt verbis illis Leuit. 27. insinuatur. Animal q̃ immolari potest Domino, si quis vouerit, sãctũ erit, & mutari nõ poterit: neq; meliꝰ malo: neq; peius bono: ergo multò minùs potest super votum dispensari. *Primum argumentum.* ¶Secũdò, in his quæ de lege naturæ sunt aut diuina, nõ potest per hominẽ dispensari, ac multò minùs in præceptis primæ tabulæ quæ ad dilectionẽ Dei spectãt: quæ autore Paulo omnium est præceptorũ finis: votũ autem semel emissum, re ipsa explere, est ius diuinũ ad religionem *Secundum.*

nem attinẽs ergo nulla in aliud incidere valer dispensatio. ¶ Accedit tertiò quôd redditio voti pertinet ad fidẽ quæ Deo firma debeẽ, postquã illi est impignorata: super hoc autẽ dispẽsare absurdũ apparet: ergo nõ est licitũ. ¶ In cõtrariũ existit argumentũ quod maioris roboris est, id quod ex cõmuni volũtate procedit habentis publicã autoritatẽ quam quod ex volũtate singularis personæ dimânat: sed in lege quæ ex cõmuni consensu reipublicæ stabilimentũ habet, dispensari potest, vt lib. 1. ostensum est: ergo super voto quod solo vouentis arbitrio firmatur.

Irritatio voti.

Cõmutatio.

Redemptio.

Abrogatio.

AD intellectum quæstionis præsentis recolenda est illa distinctio quam lib. 1. q. vltima præmisimus, inter dispensare, irritare, abrogare, & interpretari: adde etiã in voto, commutare, & redimere. Irritare nanque siue ĩ lege siue in voto id mediteris, est illud cassum habere per subtractionem materiæ. De lege illic exemplum posuimus: & de voto. q. proximè præcedenti multa produximus. Commutare autem, vt nomen sonat, est vnum in aliud quippiam mutare: vt si peregrinationis votum in ieiunium commutetur. Atque idem est redimere: nisi quod redẽptio cõmutationem sonat in pecuniã, vel in aliud pecunia æstimabile: vt dum votũ peregrinationis quod ad sacrum Iacôbi edidisti, in aurum mutatur quod eidẽ templo offeras. Abrogatio verò non habet locum nisi in lege, quando cessante causa legis ipsa subinde cessat. Sed interpretatio atque epieikeia, perinde atque in lege habet locum in voto, quæ est quando declaratur legem aut votũ in tali casu non tenere: vt paulo pòst videbimus. Dispensatio verò in lege, est exceptio, vt illic diximus, personæ ab vniuersali obligatione: vt cùm aliquis priuilegio excipitur nè Quadragesimam ieiunet. Voti autem dispensatio, vt quod singularem tantũ personam obligat, non sic commodè definiri potest: sed est sublatio voti: ob id quod causa qua factum est, minimè iam tunc decêre videtur. ¶ Vt autẽ hæc clariùs elucescant, ad responsionem quæstionis descẽdamus quæ hac continetur conclusione. Votum quodcunq; simplex potestatis subest ecclesiæ, tam vt super eo dispenset quã vt ipsum in rẽ aliã commutet. Probatur cõclusio. Voti dispensatio instar dispensationis legis perpẽdi debet. Dispẽsare autem, secundũ vocis sonum, idem est quod cõmunia ad singulares personas pro cuiusq; gradu & ordine applicare: quod œconomus in familia exequitur. Et per hoc clarescit dispensatio legis. Etenim cùm lex, vt libr. 1. latè monstratum est, non ponatur nisi habita consideratione boni cõmunis & eorum quæ plurimùm contingunt, accidat autem id in aliquo casu & persona deficere, oportet per eum qui publicam gerit potestatem discernere in tali casu non esse seruandam. Pari ergo modo de voto censendum. Nam qui vouet, quandam sibi constituit legem: ob id quod bonum sibi censebat, ac Deo cum primis gratum: vsu autem venire potest vt rebus mutatis id quod sibi bonum erat, vel malum simpliciter fieri, vel incommodum, vel fœlicioris frugis impedimentum: quod est contra rationem voti. Qua ratione expediens est vt penes illum qui spiritualem habet iurisdictionem potestas sit iudicandi, satius esse aut votum non esse seruandum aut in rem aliam mitiorem commutandum. Atqui actio prior dicitur dispensatio: quæ maioris est potestatis: posterior verò, commutatio: quæ faciliùs fieri potest. Vnde ratio cur huiusmodi autoritas in ecclesia fuerit necessaria, explicat Innocentius ad Ianuarium. 1. q. 7. ca. dispensationes. vbi prudẽtur ait, dispensationes nonnunquàm cogere ex rigore debito aliquid remittere, instar nauigantium, qui tempestate vrgente quædam exonerãt vt cætera salua permaneant. ¶ In præsentiarum tres tantùm causas iustæ dispensationis refert diuus Tho. Scilicet si voti materia mala sit, aut inutilis, aut maioris impeditiua boni. Tertiò autẽ articu. locupletiùs omnes sunt explicãdæ dispensandi rationes. Nã in præsentia sat erat exemplũ proferre. ¶ Circa hanc conclusionem nihil aliud notandũ superest quã quo perspicuũ fiat discrimen inter illa quinq; vel sex quæ dicta sunt. Et primò inter dispensationem & cõmutationem liquida est differẽtia. Nam per dispẽsationẽ vinculum prorsus voti enodatur ac tollitur: in cõmutatione verò minimè. Ipso enim eo dẽ vinculo quo ad peregrinationẽ, verbi gratia, coactus eras, obligaris subinde ad oratio nem in quã votum cõmutatum est. Itaq; ad orationẽ illam non teneris virtute præcepti illius qui commutauit: quia ille nihil iubet, sed mutat. Neq; verò nouum susçipis votũ: sed virtus prioris manet in secũda materia. Ac perinde eadem est religio seruare illud in secunda materia, atque in priori. ¶ Mox

Cõclusio responsiua.

Probatio.

Discrimẽ inter dispensationẽ & reliqua.

neque

neque inter dispensationem & irritationem obscura differentia est. Nam irritatio est sublatio materiæ, atque adeò obligationis voti quod nondum firmum erat, sed pendulum ab irritantis voluntate. Quæ ideo non solùm ad spiritualem pertinet potestatem, sed pater & maritus idem possunt. Dispensatio verò est religatio & ablatio vinculi qp firmum erat: quæ ideo functio ad spiritualem potestatem attinet. Neque sine causa & iudicio fieri potest, quo iudicetur causam vouẽdi inutilem iam esse. Quod ad irritationem non est necessarium. ¶ Attamen inter dispensationem & epieikeiam seu interpretationem, nõ tam clarum est interuallum. Nam qui dispensat, nihil aliud videtur facere quàm interpretari & declarare votũ iam tunc in illo casu non obligare. Ad hoc autem loco citato libr. 1. cum de legis dispensatione diceremus, respondimus. Interpretatio enim voti, sicuti legis, exigit vt eius impletio sit rationi naturali contraria: ad dispensationem verò satis est quòd legis & voti ratio in tali persona deficiat. Ex quo fit interpretationem pro illo articulo nullam exigere prælati autoritatem, vt illic declarabamus, si recursus ad ipsum non pateat. Accipe exemplum. Vouisti carnes non edere: tamẽ in eum locum incidisti, vbi nisi eas comedas, peribis: tunc qnoniam res accidit naturali iuri contraria, tu ipse autoritate priuata potes non obstante voto illas comedere. Haud tamen ideo à voti vinculo absolueris: sanè quòd eâdem necessitate præterita seruare teneris. At verò fortè tibi aliquo modo ieiunium nocet, vel impedimento tibi est nè tam attentè possis studio literarum incumbere: non ideo potes per epieikeiam contra votum facere: sed tantùm potest esse causa quare prælatus tecum dispenset, votique obligationem vel ad tempus vel in perpetuum tollat. Quocircà dispensatio nõ est interpretatio, votum tũc non tenere: sed etiam si votum teneat, illud tollere. Quo fit vt aliquam habeat similitudinem cum abrogatione legis, quæ fit principis authoritate, cessante causa. Quanuis plus requirratur ad dispensationem: nempe quòd materia voti sit, vti diximus, vel inutilis, vel mala, vel impeditiua melioris boni. Est præter hæc omnia & voti cessatio quæ nulla indiget dispensatione: de qua quæstion. 1. meminimus: nempe si vouisti certam domum nũ quàm intrare, & causa fuit propter periculũ quod illic tibi imminebat, cessante prorsus illa causa cessat & votum. Nam non intrare domum, res est vana, atque adeò indigna materia voti. ¶ Igitur vt ad conclusionem redeamus, quòd condecens fuerit ecclesiæ prælatos tali fungi autoritate in votum quali in legem, compertissimum est: nam cùm neque vouentis prudentia tanta semper sit, vt votum matura consultatione suscipiat: & res præterea humanæ quotidie subinde mutentur, sæpe sæpiùs rationi consonat id quod quis vouerit retractandum fore. Et quoniam per votum fides Deo obligatur, & priuatus homo esse non potest idoneus iudex in causa propria, ratio ipsa à natura profecta docebat vt qui vices Dei gerit tali fungeretur arbitrio & iudicio. Quapropter Christus hanc ecclesiæ suæ autoritatem reliquit. Tota autem rei huius difficultas in causis consistit quibus dispensatio iustificatur: de quibus articu. 3.

Quantũ interfit inter dispẽsationẽ & irritationem.

Ratio altera cõclusionis.

discrimen inter interpretationem seu epieikeiam & dispensationem

AD primum igitur argumentum respõdetur, idem discrimen in lege veteri inter animalia constitutum quæ templo offerebãtur, perinde apparere inter votũ solẽne & simplex. Animal enim oblatũ quod immolationi idoneum erat, iam inde existimabatur quasi diuino cultui mãcipatũ: quapropter de causa redimi pretio nequibat. At pariter, vt statim dicturi sumus, in votũ solẽne, quo se homo diuino tradidit cultui, dispensatio non cadit: animal verò quod sanctificari per immolationem non poterat, redimi iubebatur: & pariter nunc super voto simplici dispensari ab ecclesia potest. ¶ Ad secundũ respondetur, quòd quãuis super his quæ iuris naturę sunt ac diuini, dispensari per hominẽ non possit: tamẽ non minùs tenetur homo legi maiorum mandatoque parẽre, quàm explere votum. Nam & hoc quoque naturale ius est ac diuinum. Quapropter etsi implere votum sit de lege naturæ ac diuina, tamen dum superior dispensat nihil contra votum ipsum fit, sed tollitur: eò quòd iudicatur non debere in tali casu ligare. Quemadmodùm quando princeps in lege humana dispensat, nõ id fit vt subditus legi non obtẽperet, quod esset cõtra ius diuinum, sed hoc prorsus vt quod erat lex, in hoc casu cesset. Quare prælatus dispensans in voto, non dispensat super ius diuinum aut naturale: hoc enim faceret si manente voto licitum censeret opus contrarium. Quòd si tibi hoc videatur

Ad. 1. argumentum

Ad secundum.

deatur petitio principij, atque adeò sic arguas: Lex diuina & naturalis nõ potest per hominem tolli: reddere votum est lex diuina: ergo non potest illa tolli, atque adeò neque eius obligatio. Respondetur quòd dispensans non tollit legem diuinam, quæ est vt dum votum firmum manet seruetur, sed tollit obligationem quæ ex mera voluntate vouẽtis ortum duxit. Quòd enim homo reus sit voti, ex duabus præmissis colligitur. Nempe quia vouit, & quia lex est vt votum reddatur: dispensans autem non tollit hoc secundum, sed prius: puta obligationẽ quatenùs ex voluntate istius emersit: quæ, vt suprà diximus, quodammodò est lex humana. ¶ Ac pari modo respondetur ad tertium, quòd qui non persoluit votum quod præfectus censet incommodum, nullam frangit Deo fidem: imò eius vicario obsequitur.

Obiectio. *Solutio* *Ad tertiũ.*

ARTICVLVS. II.

Vtrùm super voto solenni cõtinentiæ religionis fieri possit dispẽsatio.

QVANVIS ecclesia potestatem habeat, vt dictum est, dispensandi in voto perinde vtque in suis legibus: tamen propter singulare priuilegium voti solennis, explorare restat vtrùm vsque ad hoc etiam eadem potestas extendatur. Et arguitur à parte affirmatiua. Vna earum ratio quæ suprà relatæ sunt dispensandi in voto est, si pretiosiori bono obstaculum sit: sed hæc in voto etiam solenni continentiæ reperiri potest. Nam bonum commune, teste Aristot. diuinius est quàm peculiare cuiusplam: potest autem in voto continentiæ alicuius personæ periclitari cõmune bonum: vt si per matrimonium illius qui continentiam solenniter vouit, perpetua regni successio seruaretur incolumis, ac subinde afflicta republica paci consuleretur publicæ: ergo tunc religio esset super tali voto dispensare. ¶ Secundò: Latria nobilior virtus est quàm castitas: potest autem super voto latriæ, puta offerendi sacrificium aliquod, iusta de causa dispensari: ergo super voto solenni castitatis. ¶ Tertiò: Sicut votum abstinentiæ periculum vitæ offerre potest vouenti, sic & solenne votum continentiæ: sed causa seruandæ vitæ licita est dispensatio prioris: ergo & posterioris. ¶ Quartò: sub voto solenni religionis nõ solùm castitas, verùm & paupertas & obedientia continetur: horum autem duorum dispensatio legitima esse potest & iusta: ergo & castitatis. Minor patet, dum quis ex monachatu ad functionem episcopalem assumitur: tunc enim ille & a professionis obedientia eximitur, & in diuitijs permittitur viuere. ¶ In contrariũ autẽ est illud Eccle. 26. Omnis ponderatio non est digna animæ cõtinentis. i. nihil est quo continentiæ status cõpensari possit. Cui applaudit &. c. cũ ad monasteriũ. de sta. mona. Cuius postrema verba sunt. Abdicatio proprietatis, sicut etiã custodia castitatis, adeò annexa est regulæ monachali vt contra eã neq; summus Pontifex possit indulgere.

Primum argumẽtũ à parte affirmatiua. *Aristo.* *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.*

AD quæstionẽ tribus refutatis opinionibus respõdet. D. Tho. per suã, quã quinq; cõclusionibus explicat. Ad materiæ autẽ intelligẽtiã prænosse oportet tria esse in voto cõtinẽtiæ cõsiderãda: nẽpe materiã, perpetuitatẽ, ac solẽnitatẽ. Tres ergo opiniones videlicet duæ priores & quarta, in cõclusione capitali eadẽq; negatiua consentiũt: nempe super votum solenne continentiæ neutiquàm per ecclesiam dispensari posse: sed de causa disident. Prima enim quæ est antiqui Altisi. & glos. c. cum ad monasterium, de stat. mona. & super. c. 1. de vot. & vot. redẽp. causam ad materiam reducit. Aiunt inquã eius autores huiusmodi solenne votum idcircò non esse dispensabile, q̃ excellentia cõtinentiæ virtutis æquam non recipit cõpẽsationẽ, vt authoritas Ecclesiastæ citata insinuat. Rationẽ autem eam assignãt q̃ homo per continentiã tum de domestico triũphat inimico, nimirũ de carne, q̃ diabolo & mundo molestior est: tũ & angelorũ repręsentat naturã, Christoq; secundũ animæ puritatẽ & corporis assimilat. Hęc autẽ ratio nõ admodũ vrget: nã animæ bonũ, vt contẽplatio & oratio, præstãtius est, viciniusq; nos Deo reddit conformes q̃ bona corporis. Id quod & Apost. 1. ad Cor. 7. cõtestatur: vbi cõtinentiã mediũ existimat fouẽdæ contẽplationis quæ eius est finis. Ait enim q̃ innupta mulier cogitat quæ Dei sunt: & ideo cõiugibus ob id cõsulit à cõmuni toro in tẽpus seiũgi: vt possint orationi vacare: & tñ super voto cõtemplationis & oratiõis dispẽsari potest. ¶ Ob id ergo alij, quorũ fuit Alber. Mag.

Tria ĩ voto continẽtiæ cõsiderãda *Altissiodo. Glossa.* *Ratio pxima nõ admodũ vrgens. Paulus.* *Ratio Alberti Magni.*

in.4.d.38.ar.7.rationē eiusdē conclusionis a perpetuitate voti deducūt. Aiunt scilicet idcircò hoc votū dispensationi nō subdi, quòd prętermitti nequit, nisi per id quod omninò est contrarium: id autē quod voto cōtrariū est, eius perpetuitati repugnat. Attamen ratio hæc nullā habet energiā: nam etiā votū abstinēdi perpetuò ab esu carniū ptermittere nemo potest nisi edendo carnes: & tñ pōt in illo dispēsari. ¶ Igitur tertia opinio cōclusionis sententia differt: asseuerat enim votū solenne cōtinētiæ esse dispēsabile ppter cōmunem reipublicæ vtilitatem, vt suprà argutū est. Attamē his nō obstātibus. D. Tho. respondet quatuor præambulis ꝓportionib⁹ ex quibus quintā colligit capitalē cōclusionem, Prima propositio est. Nullus ecclesiæ prelatus, vt summum atq; minimū cōprehē damus, efficere potest vt qui votum solenne emisit ab eo desistat ad quod cōsecrat⁹ aut benedictus est: nempe vt sacerdos non sit sacerdos: aut religiosus non sit religiosus. Probatur ex illo Leuit. vlt. Illud quod semel sanctificatum est dño, non potest in alios vsus cōmutari: quoniam iam dicatū est Deo: ecclesia autem non pōt sanctificationem illius quod semel sanctū est tollere, neq; in rebus ipsis inanimatis, nequit enim efficere vt cōsecratus calix, aut templū, aut ara, non sint consecrata: atq; adeò multò minùs vt homo semel Deo consecratus aut dicatus, desinat esse consecratus: atq; adeò neq; potest ab illo vsu abducere ad quā consecratus est aut benedictus, atq; alijs applicari. Solennitas autem voti, vt.q.2.dictum est, consistit in cōsecratione & benedictione vouētis, fit ergo cōsequēs assertio nostra: nēpe fieri non posse vt qui semel sacerdos aut religiosus est, desinat esse talis. Tāetsi sacerdos functione & executione ordinum suspendi possit. At qa hoc de sacerdote propter characterem certius est, nonnulli Iuristæ id de religioso negarunt: dicentes posse fieri non religiosum. Sed tamē hoc, inquit sanctus Thomas, ignoranter dixerunt. ¶ Hac ergo prima propositione præfixa, vt ad votum continentiæ descendamus, speculari restat vtrùm cōtinētiæ votum illi sit muneri essentialiter annexum, ad quod per votum solenne consecratio fit aut benedictio: nam si ita sit, qua ratione qui consecratus est, esse nequit nō consecratus aut bñdictus, fit vt neq; vlla queat super tale cōtinētię votū fieri dispēsatio. Sin autem tali muneri continentia non sit indiuiduè annexa, dispensari potest vt huiusmodi consecratus aut benedictus continentiæ voto soluatur. Res est apertissima. ¶ Subnectitur ergo secunda propositio. Ordini sacra debitum continentiæ non est essentialiter annexum, sed statuto ecclesiæ, vt superiùs iam nobis cōstitit. Hoc patet, quia non est de essentia sacerdotis castitatem seruare: quandoquidē Græci etiā ab ecclesia Latina permittūtur in coniugij fœdere permanere. ¶ Ex hac ergo protinus seqtur tertia. Videt ecclesia dispensare posse in voto cōtinentię, quod per susceptionē sacri ordinis solēniter suscipit. Patet postq̄ nō secū in eodē pugnat sacerdotē esse & nō cōtinere. ¶ Quarta propositio. Debitū cōtinētiæ statui religionis essentiale est. Probat homo per religionis statum sæculo prorsus abrenūtiat, totū se Dei seruitio mācipādo: ergo illo voto ab se rescindit quicquid eiusmodi obsequio obstaculo esse potest: hoc autem maximè est cōiugalis sarcina: vt per quā homini necessitas incumbit familiæ curādæ: secūdū illud Apostoli. 1. ad Cor. 7. Qui cū vxore est solicitus est quę sunt mūdi, quomodò placeat vxori: & diuisus est: ergo religionis voto essentiale est castitatis debitū. Idq; nomine ipso cōfirmat. Nam monachus ab vnitate sic nuncupatur: nēpe quia solus viuit, atq; vnico dei negotio incūbit, neq; ad vxorē vel ad alia sæcularia diuisus est. ¶ Ex his tandē elicit quinto loco capitalis conclusio, qua ad quæstionem respondet. In voto cōtinentiæ quod religionis professione sit solenne, nequit ecclesia dispēsare. Cuius rationē Decretalis citata subdit: nēpe ꝙ custodia castitatis annexa est regulæ monachali. ¶ De tertia ꝓpositiōe. S. Tho. quæ ad votū sacerdotale spectat, nemo dubitat, quin sit ab illo separabilis cōtinētia. Sed de hoc forsan tyrūcul⁹ hęreret, vtrū votū castitatis quod sacerdotes modo statuto ecclesiæ suscipiunt, sit de castitate intelligēdum, quæ rei vxoriæ apponit: an verò de illa quæ simpliciter omni copulæ aduersat, siue cōiugali, siue fornicariæ: multū enim refert: nam si tm de priori intelligit, tunc fornicatio sacerdotis nō esset nisi simplex peccatū: si autē de posteriori, erit etiā fractio voti. Apparet autē non intelligi nisi de priori, scilicet ꝙ tm voueant nō ducere vxores: nam hoc est quod suo statui satis esse videtur. Respōdet nihilo minùs, simpliciter esse intelligendum de castitate, sicut est votū religionis, nam ad functionē suā qui cōsecrando venerabili sacramento

Refutat ratio Alber.

Prima propositio diui Thomæ.

Probatio.

Secunda propositio.

Ratio.

Tertia propositio.

Quarta propositio.

Probatio.

Paulus.

Cōclusio responsiua.

Scrupulus.

Responsio.

cramẽto mãcipant, omnis mundities cõdecet: qua ratione ecclesia ordinib⁹ sacris illud adnexuit votum. Quare fornicãtes, duplici culpa maculant. ¶ At sciscitet fortè quispiã, quomodò possit Papa super hmõi voto dispensare: videlicet vtrũ anteq̃ fiat: nẽpe abrogãdo nũc legẽ positã: vt qui amodò initiari voluerint sacris, nõ fiẽt voti castitatis obnoxij: an verò etiã cũ illis qui iã votũ solẽne fecerunt. Apparet enim modus hic secundus nõ licere: nẽpe vt qui votum solẽne fecerũt, vxores ducant. Respõdetur, vtroq; id modo posse facere: quandoquidẽ huiusmodi votũ vim aliam non habet q̃ ex ecclesiæ statuto: cum ex natura rei, votũ continẽtiæ non sit ordini sacro annexũ. Et simile. q. 6. de militaribus religionibus dicturi sumus. ¶ De capitali autẽ cõclusione multi sunt qui à sentẽtia S. Thom. deflectunt: tenẽtes ecclesiam perinde in voto solẽni cõtinẽtiæ religiosorum dispensare posse atq; in voto sacerdotũ: vt est Henri. Gandẽn. quodlibe. 5. q. 25. & 26. & Richar. in. 4. d. 38. art. 9. & Durandus ead. d. q. 2. Et ex nostris Palud. q. 4. Quin etiam & ipse. D. Tho. aliquãdo cõtrariã sententiã nõ respuit: vt patet in. 4. d. 38. q. 1. art. 4. Imò verò. quod non possum non mirari, Caiet. in præsentiarũ nõ solùm cõtrariam sentẽtiam asseuerat, verùm & asserit opinionem hic sancti Thomæ de huiusmodi indispensabilitate non esse ius absolutè, sed opinatiuè: quia illum, inquit, sensum ex Decretali hausit: quem tamen ipse non censet esse legitimũ. Idemque contendit & in opusculis. q. 12. primi quotlibeti. ¶ Igitur pro examine præsentis quæstionis attentè notandũ est quem admodùm sanctus Thomas ex prima propositione & quarta colligit dispensari non posse in voto solenni continẽtiæ religionis: quæ est capitalis conclusio. Sic scilicet fieri per ecclesiam nequit vt qui semel in religionem benedictus est, desinat esse religiosus. Sicuti fieri non potest, vt qui in sacerdotem consecratur, desinat esse sacerdos. Continentia verò perpetua est de intrinseca ratione & essentia religionis: ergo super illa fieri non potest dispensatio. Qui autem sententiam hanc impugnant, vtranque præmissam demoliri conantur. Imò nõ solũ extranei, verũ & hic Caiet. priorẽ non approbat, quia nõ idẽ de religioso quod de clerico in sacris censet: eò quòd per sacros ordines imprimitur indelebilis character, vnde fit impossibile eũ qui semel est sacerdos, desine re esse talis, etiã si degradet. In religione autẽ nullus character imprimit, sed sola adhibet benedictio. Quare etsi fieri nequeat religiosum nõ fuisse benedictũ, nihil tñ vetat quominùs pro legitima causa eiusmodi religiosus distrahatur ad alios vsus: puta dispenset cum illo vt à cœlibatu ad nuptias demigret. Veluti & consecratus calix potest per dispẽsationẽ in alios assumi vsus: nã & sacros propositionis panes sacerdos legis veteris Dauid porrexit quò suorũ famẽ leuaret. Hęc oĩa à Palude mutuatus est. ¶ Ex quo subinde infert D. Thomã Decretalẽ, Cũ ad monasteriũ, nõ citasse legitimo sensu. Illic enim solũ habetur q̃ nõ posse religioni sine voto castitatis religiosum permanere: haud tñ inde, inquit colligit q̃ nõ possit à religione extrahi. Imò ait q̃ si autor vidisset summos Põtifices eãdẽ Decretalẽ sic fuisse interp̃tatos, procul dubio nõ suscepisset onus huius opinionis ad defendẽdã illã Decretalẽ: sanè cũ pluries à Romano Põtifice dispensatũ sit in voto solẽni, vt cũ rege Aragonię refert Petrus de Palu. in. 4. d. 38. & Papa Cœlestinus dispẽsauit cũ sanctimoniali Cõstantia filia Rogerij regis, vt monasterium post ꝓfessionẽ exiens, Hẽrico Sexto Regi nuberet, vt historiæ tradunt. ¶ Alij autẽ Thomistę vt. D. Thomam defendãt, fingũt nescio quã qualitatẽ religioso per bñdictionẽ imprimi indelebilẽ: q̃d ridiculũ figmẽtum est. ¶ Igitur quod Caietanus de. S. Tho. censet. videlicet q̃ si sensus Decretalis intellexisset nõ perstitisset in hac sentẽtia, id ipsum ego de eo cẽsuerim: nẽpe q̃ si mentẽ D. Tho. penetrare voluisset, non tam facilè ab illo recessisset. Vis enim rationis. D. Tho. ad probãdũ religiosum fieri nõ posse nõ religiosum, nõ persistit in eius benedictiõe tanq̃ in prima radice: sed in legitima traditione: quia scilicet dũ solẽniter profitet, dedit traditq̃; se in alterius possessio nẽ: hoc est in alienã potestatẽ: nẽpe q̃ a religioni se dedicat perinde ac si qs in mãcipiũ sese traderet dño: vt. q. 2. art. vlt. declaramus. Sed q̃ a illa traditio sub forma benedictionis celebratur, ea vtitur quasi traditionis signo. Nã in ordine nostro anteà fit professio q̃ benedictio. Vnde in. 4. d. 38. q. 1. arti. 2. expressè ait tum votũ solẽne fieri q̃n quis præsentialiter sese Deo tradit, diuinis se præceptis mãcipãdo: vel in sacro ordine, vel in religionis professione. Et ar. 3. inter soluendũ tertiũ argumẽtũ postremæ quæstiũculæ: propterea ait per votũ solenne dirimi matrimoniũ. q̃d

Quæstio.

Solutio.

Henri. opinio.

Richardus.

Paludanus

Caietanus.

Caietanus studet demoliri rõnẽ S. Thomæ.

Explanatio rõnis sancti Thom.

nō fit per ſimplex, qa votū ſolēne habet actualē exhibitionē ꝓprij corporis. ¶ Hęc aūt ratio ꝓfectò nō eſt tā debilis q̄ Caiet. & alij arbitrātur, nā ſi qđ eſt in hoīs dñio & poſſeſſione per humanā poteſtatē auelli ab illo iuſtè nō pōt, nec verò cōiunx ab altero coniuge, multò fit ꝓbabilius vt q̄ iam ſe Deo in hoc obſequiū mācipauit, amoueri inde non valeat. Quæ quidē rō tāti tēpore D. Tho. habebaŕ, vt ꝓter ingenitā ſibi cōſuetiſsimamq̄; vrbanitatē & modeſtiā, nō fuerit dicere veritus, eos q̄ ſentirēt religioſum poſſe fieri non religioſum, ignorāter id dixiſſe. Hoc em̄ ꝓprius argumēto. D. Mat. vſus eſt aduerſus regē illū, q̄ ſanctimonialē Ephigeniā ducere volebat: q̄ cùm cœleſtis regis ſponſa eſſet, nefas permittere exiſtimauit, q̄uis dimidiū regni illi offerret. Ad quā autoritatē Caie. reſpōdere nequiuit niſi negādo hiſtoriā. ¶ Et rōnis fundamētū eſt qđ. q. 2. art. de ſolēni voto declarauimus: nēpe q̄ etſi cerimonia ſolēnitatis voti cōſtitutio ſit humana, eius tñ obligatio ius eſt diuinū ac naturale: videlicet vt q̄ re vera iā ſe alteri perpetuò mancipauit, nequeat inde citra iniuriā diuelli. Quòd autē religio ſit perpetua traditio, patet ex illo euāgelico: Vade & vēde oīa q̄ habes, & ſeq̄re me: perpetua. ſ. animi firmitate. Igiŕ q̄ cōtrariæ opinioni patrocinanŕ, in eo, niſi nos fallimur decipiunŕ, q̄ cū cerimonia ꝓfeſſionis ſit de iure eccleſiaſtico, inde inferunt vinculū nō eſſe de iure diuino. Quòd ſi verū eſſet, ꝓfectò tā facilè poſſet ſuper voto ſolēni diſpenſari q̄ ſuper ſimplici: qđ tñ abſurdū eſt. Quocirca Altiſsiodorēſis & Alber. Mag. in 4. d. 34. ar. 17. & Alex. Hal. in 3. par. & Bonauētura etiā in. 4. in. fi. d. 38. atq; alij huius claſsis ꝓ cōſtitutiſsimo ſemper hoc habuerūt. Ob idq̄;. D. Tho. opinionē cui in. 4. viſus eſt cōniuere, poſteà in Sūma re oculatiùs perſpecta, demutauit, cōtrariāq̄;, q̄cquid Caiet. dixerit, affirmatiſsimè cōplexus eſt. ¶ Et eſt mihi ꝓfectò in cōfirmationē eius ſentētię argumētū minimè debile: nā ſi religioſus per diſpēſationē fieri valeret nō religioſus, nō eſſet firma rō vt per ꝓfeſsionē religionis matrimoniū ratū nō cōſummatū dirimereŕ. Fac em̄ maritū añ copulā religionē ꝓfiteri, atq; vxorē alteri ſe cōiugio copulare, tunc ſi iſte fieri poſſet nō religioſus, trāſire poſſet ad alias nuptias: q̄nquidē priores diſſolutæ fuerāt. Vnde vſu veniret vt poſt ratū matrimoniū de præſenti, vtro liceret habere aliā vxorē, & vxori aliū virū. Hęc in corroborationē attulerim prioris p̄miſſę: nēpe religioſum fieri nō poſſe ſeculārē. ¶ Ex his fit. S. Tho. Decretalē, cū ad monaſteriū. nō ad id citaſſe ad qđ Caie. putat. ſ. ad cōfirmādū q̄ religioſus nō poteſt fieri nō religioſus: nam bene videbat, hoc illic nō definiri. Sed hoc aliūdè conſtituto citauit illā ad aſſerēdā alterā p̄miſsā: videlicet perpetuā cōtinētiā ſic eſſe religioni annexā, vt neq; per eccleſiā fieri poſsit vt ſit vera religio ſine cōtinētiæ voto. Et certè eſt mirandū q̄ Caiet. apud diuū Tho. hoc non perſpexerit. ¶ At verò & ſecundā p̄miſſam nō deſunt q̄ inficient: nimirū arbitrantes cōtinētiā nō ſic penitus natiuam eſſe religioni quin abſq; illa poſsit vera eſſe religio. Imò verò Caie. licèt hic aliud affirmare & defenſare videaŕ, tñ illis ſuis verbis. q. 88. ar. 7. q̄ ſolo eccleſiæ ſtatuto religioſus inhabilis fit ad matrimoniū, q̄ pariter Scotus ait, videŕ idē ſentire. De hac autē re in ſubſequēti q̄ſtione ſingularis nos manet ar. 3. vbi de militaribus religionibus diſputabimus, an veræ ſint religiones: cū eiuſmodi milites matrimonia cōtrahāt. Interim tñ ſatis ſit nobis expſſum decretū Innocētij iā citatū: vbi ait nec perſum mū Pōtificē indulgeri poſſe vt abſq; caſtitatis voto verus ſit monachatus. ¶ Per hæc ergo argumēta cōtrariæ opinionis diluunŕ. Simile nanq; qđ à ſacerdotio ad religionē affertur, nullū eſt: videlicet q̄ ſi pōt Papa ſuper cōtinētia ſacerdotis diſpēſare, poſsit cū monacho: nā caſtitas nō ē illi muneri īdiuidua, veluti huic. Sed arguūt ſic prętereà. Id quod voto nè fieret obſtaret, cauſa eſt legitima vt factū tollaŕ: ſi autē grāde reipublicæ periculū immineret niſi vnus q̄ſpiā dū liber eſt matrimoniū cōtraheret, id potiùs eligere deberet q̄ religionē: ergo ſi eadē neceſsitas poſtq̄ eſt religioſus, incūbit, tūc etiā extrahēd⁹ eſt. Negaŕ autē prior aſſumpta. Rūdeant em̄ mihi q̄ hoc vtunŕ Achille. Si ſalus oīnò reipublicæ inde eſſet depēdēs q̄ q̄ vxorē habet legitimā alterā duceret, vtrū dimittere quā habet deberet: vt aliā ſibi copularet? omninò negabunt. Et tñ ſi res eſſet integra, hoc eſt ſi ille liber eſſet, deberet illā ſibi adiūgere q̄ ad publicā ſalutē conferret. Simile ergo nos de religioſo reſpondemus: quippe q̄ fortiori eſt vinculo colligatus. ¶ Rurſus, Palude arguit q̄ in omni voto excepta ſubintelligiŕ autoritas Papæ, ſi diſpēſare voluerit. Atq; alij eidē rōni aliā adiungūt, videlicet q̄ hō à iure naturæ nullatenùs ſe valet eximere: quapropter nullo obſtante voto ſi naturalis lex caſum

Altiſſiodo. Albertus Magnus. Alex. Halē. Bonauēt.

Firmiſſima ratio pro opinione ſancti Thom.

Ad primū argumētū.

Replica.

Solutio

Altera ratio Paludani.

sum obtulerit necessariũ parẽdũ est: atq; adeò omninò cũ religioso dispẽsandũ. Negat verò illud documentũ. Imò sicut potest homo sic se per matrimoniũ alteri addicere vt neq; per Põtificẽ possit ab illo dissociari, ita se potest & per votum religioni mancipari. Quocirca falsum est q̃ in voto solẽni illa sub intelligit exceptio. ¶ Reliqua istorum argumẽta nullius sunt prorsus momẽti prẽter illud, quod licèt meritò pluris habeatur nõ tñ perinde cogit atq; ipsi putãt. Et est illud q̃d hic Caiet. ineluctabile existimat: nẽpe q̃ Põtifices suprà memorati cũ religiosis dispẽsasse legunt: vt religionẽ cũ matrimonio cõmutarẽt. Ad hoc aũt in primis respõderi potest, historias illas, saltẽ illã regis Aragonũ nõ esse vsq; adeò certã: haud enim in Chronicis illius regni extat: nec verò in sacro canone: sed à Palude citat. Secũdò, vt Sylue. in verbo, votũ. 4. refert, sunt qui asseuerent religiosum illum Aragonẽ non fuisse professum. Idemq; astruunt de sanctimoniali Cõstãtia. Vel forte allegarũt nõ vsq; adeò spõtaneos solenniter vouisse: quod creberrimè vsu venit. Præterea idẽ Syluester magister Palatij sacri non veretur dicere alia multa Põtifices factitare neq; secundũ ius, neq; sine scãdalo. At verò nõ opùs est huc cõfugere. Sed cũ de re hac diuerse fuerit iam pridem opinatum, Papa dispensans sequutus est opinionẽ illã quã probabilẽ cẽsebat: Haud tñ subinde fit cõsequẽs vt illã tanq̃ de fide decreuerit. Nã facta Pontificum minimè articulos fidei constituunt. Quod miror tum alios, tũ præcipuè Caietanum nõ animaduertisse. Quapropter si Cœlestinus dispensauit cũ Cõstantia, nõ dubiũ quin hoc D. Tho. notissimũ fuerit: succesit enim ei paulò pòst. Et nihilo minùs non fuit cur vereret cõtrariã probare sententiam. Neq; in hoc cõdemnabat Papam: vtpote qui arbitratus fuerat suã opinionẽ fuisse probabilẽ. Quare si D. Tho. fuisset Papa, nunq̃ dispensasset, nec citra culpã potuisset, nisi sententiã mutasset. ¶ Quin age id expẽdamus quod Caietanus arbitratus est. Ait quippe quòd cùm Innocentius Tertius, illius Decretalis auctor, cùm ad monasteriũ Cœlestino Tertio proximè successerit, qui cum Constãtia dispensauerat, non est vero simile antecessoris sui factũ cõdemnasse. Ego verò coniicio diuum Thomam aliter sensisse: qui paulò pòst scripsit: videlicet Innocentium ob id illum canonẽ edidisse, q̃ diuersæ esset sententiæ q̃ fuerat Cœlestinus. Quod quidem citra eius iniuriam ratione iam dicta facere poterat. Nam Cœlestinus non fecerat canonem quasi de fide. Et ideo sanctus Thomas Innocentii potiùs canonem amplexus est quàm Cœlestini factum sequutus.

Solutio. *Ad aliud argumẽtũ eorundẽ autorum.* *Caie. affirmatio.* *Solutio.*

AD primùm igitur argumentum respondetur, causam illam dispensandi quando votum impedimẽtum est maioris boni, de simplici tantùm intelligendam esse: nam solẽne perinde ac matrimonium fit indissolubile. Quare nullã permittit dispẽsandi causam. Vnde optimè ait S. Tho. periculis humanarum rerum per eadem res humanas obuiandum esse, non autẽ per hoc q̃ res diuinæ in vsus profanent humanos. Quocircà cũ religiosi omninò sint mũdo defuncti, nulla de causa aut euentu sunt illinc reuocãdi. Vide q̃ affirmanter hanc diuus Tho. opinionẽ habuerit imbibitã, cõtra quam Caieta. censuerit. ¶ Ad secundũ respondetur id tantùm conuincere, q̃ sicut potest in voto orationis aut sacrificij dispensari, quæ excellentiora sunt obiecta, potest & in voto simplici cõtinentię, siue tẽporalis siue perpetuę. Attamen dum solenniter fit, non censetur indispensabile propter dignitatem obiecti castitatis, sed, vt identidem repetimus, propter traditionem & mancipationem voluntatis: cuius gratia opus castitatis sit excelsioris virtutis, puta religionis & latriæ. ¶ Ad tertium respondetur latum esse inter abstinentiam & continentiam discrimen. Cibus nanque per se medium est ad conseruationem vitæ indiuidui: coitus autem nõ nisi ad conseruationem speciei: ob idque continentia, vbi in periculum vergit manifestum ac præsentissimum vitæ, etiam citra dispensationem, vt suprà diximus, non obligat. Sed per epieikeiam potest qui votũ susceperat, illud frangere. Ac perinde vbi res est dubia, locus dispensationi patet. Nam in hmõi casibus cõtinentia definit esse materia voti. Vbi autẽ coitus saluti indiuidui medicinali censetur, quia non per se ad talem vitam ordinatus est, non ideo esse definit materia voti, atque adeò dum solenne est, tolli per dispensationẽ non potest: sed tali periculo per alias medicinas vel abstinentiam est succurrendum. ¶ Ad quartũ deniq; sanctus Thomas respõdet, quòd monachus dum episcopali infula insignitur, non magis à pau pertatis voto absoluitur: quàm cõtinentiæ quia nihil habere tanquàm proprium debet, sed

Ad primũ argumẽtũ. *Ad secũdũ* *Ad tertiũ* *Ad quartũ*

ſicut diſpenſator cõmunium bonorũ ecclesiæ. Similiter neq; à voto obedientię liberat: nam q̃ prælatis religionis non obediat, inde accidit q̃ ſuperiorem non habet præter Papam: ſicuti generalis magiſter, licèt nemini in religione obediat, non cẽſetur exemptus.

Ad aliud argumẽtũ. ¶Ad illud autem verbum Eccleſiaſti. cõtra quæſtionem citatum, quatenùs primæ ſuperiùs repulſæ opinioni aſtipulari videtur, reſpondendũ reſtat. Videtur enim continentia illic propter eius pretioſitatem indiſpẽſabilis cenſeri: quod ſi verũ eſſet, nec votũ eius ſimplex diſpenſari poſſet. Reſpõdetur ergo id tantùm illic doceri q̃ nec carnis fœcundi tas nec bonum aliquod corporale cõparandũ eſt continentiæ, quæ bonũ eſt animi. Sed nihilo minùs ſi votum eſt ſimplex, diſpenſari poteſt.

Ambiguitas in litera S. Thom. ¶Id autem quod hoc loco diuus Thom. de epiſcopo monacho affirmat, pro fectò difficultate non caret. Primũ enim ambiguum reliquit an nihil voluerit diſcriminis inter epiſcopum monachum, atq; alios ex ſæculo aſſumptos in paupertate cõſtitue re: an verò ſoli monacho cenſuerit non licere habere proprium: reliquis verò id licere. Nam ſi peculiariter id de monachis aſtruxe rit, id porrò mori & vſui videtur contradicere. Quoniam monachus in epiſcopum creatus perinde fit dominus decimarum ac prouentuũ qui ſuæ functioni deſtinati ſunt, ac ſi ex ſæculo aſſumptus eſſet. Si autem voluerit nullum epiſcoporum vllũ habere dominiũ ſuorũ redituum: ſed tantùm diſpenſationẽ, res eſſet creditu lõgè durior: quod lib. 9. tractaturi ſumus: &. 10. pro captu noſtro preſſiùs diſſerturi. Crediderim nãq; cùm epiſcopales fructus ſtipẽdia ſint epiſcorum, dominiũ illorũ habere: licèt iure miſericordiæ largiores teneãtur eleemoſynas fundere q̃ ſęculares, tanq̃ pauperum patres. Alioquin ſi dominiũ nõ haberent, quicquid ſuperflui expenderent, cõtra iuſtitiã vſurparent, & ad reſtitutionem tenerentur: quæ quidẽ ſententia acerbiſsima eſſet. Sed quia hic articulus illic habiturus eſt propriũ locum, ſuperſedendũ interim. Fortaſſẽ verò hic diuus Thom. inter epiſcopũ ex ſæculo aſſumptũ, & illum qui aſſumitur ex religione, noluit diſcriminari quantum ad reditus epiſcopales, ſed quantum ad alias proprias poſſeſsiones. Concedit enim. 2. 2. q. 85. art. 6. ſæcularem epiſcopũ poſſe habere proprium, quod denegat religioſo. At verò forſan non eſt tam indiſpenſabile votum paupertatis in religioſo quàm caſtitatis. Nam poſtquàm creati ſunt epiſcopi, nonnunquàm hac parte cum illis diſpenſatur. Et illos qui ad primam apoſtolicam ſedem aſſumuntur, notum eſt propria poſſidere: licèt à voto caſtitatis, religioni annexo, non ſint abſoluti.

Solutio

ARTICVLVS. III.

Vtrũ ad cõmutationẽ vel diſpenſationem voti requiratur prælati auctoritas.

POſtquàm viſum eſt autoritatẽ cõmutandi diſpenſandiq; vota ī eccleſia exiſtere, videre reſtat an penes ſolos prælatos ſita ſit. *Primum argumentum à parte negatiua.* Et arguitur à parte negati ua. Poteſt vnuſq̃ſq; liber homo abſq; prælati licentia religionem ingredi: per votũ autẽ ſolenne religionis à quibuſcunq; votis in ſæculo æditis abſoluitur, vt habeť. c. ſcripturæ. extrà, de vot. ergo citra prælati autoritatẽ fit votorũ abſolutio. *Secundum.* ¶Secũdò, diſpẽſatio voti in hoc cõſiſtere videtur q̃ præpoſiti iudicio decernatur votũ non eſſe obſeruandũ: at ſi prælatus id perperã decernat, non ſubinde videť ſubditus à voto abſolutus, quia nemo cõtra diuinũ præceptũ ſoluẽdi ꝓmiſſum diſpenſare valet: ergo prælati autoritas nõ ſufficit. Imò verò nec requiri videtur. Si enim q̃ voto irretitus eſt, rectè cenſeat in tali euentu non eſſe ſeruandum, cõtinuò fit liber: ſiquidem votum eo caſu non obligat quo malũ eſt ipſum ſeruari: non ergo ad hoc munus auctoritas prælati neceſſaria eſt. *Tertium.* ¶Tertiò. Si diſpenſare in voto, præfectorum eſſet poteſtas, tunc omnibus competeret, non tamẽ cuncti facultatẽ diſpenſandi habent in quocunque voto: ergo hæc nõn eſt prælatorũ poteſtas quatenùs prælati ſunt.

¶In contrarium exiſtit quòd votum perinde ac lex obligat: ad diſpenſationem autem legis neceſſaria eſt ſuperioris autoritas: ergo & ad diſpenſationem voti.

IN præſenti articulo tametſi de ſola diſpenſandi commutandiq; autoritate interroge tur de cauſa pariter legitimè diſpenſandi reſpondendum eſt. Quare duabus eſt operæpretium concluſionibus reſpondere. Prior *Prima concluſio.* eſt. Ad votum diſpenſandum neceſſaria eſt ſuperioris autoritas. Nam vt hoc obiter verbum in tyronum gratiam non prætermittam, nõ hic loquimur de abſolutione à trãſgreſſione

sione voti: quanuis enim postquàm castitatem voueris lapsus carne fueris, tuus te parœcius valet absoluere. Sed de dispensatione probatur conclusio. Votum: vt in superioribus commonstrauimus, est promissio quæ de re aliqua Deo fit quæ illi accepta est & grata: quòd autem Deo acceptabile sit & gratum, ex eius pendet arbitratu: atque adeò & iudicio præpositi quin ecclesia vices eius fungitur: ad illum ergo spectat super votis dispensare: secundùm illud. 2. ad Corinthios. 2. Nam & ego si quid donaui, propter vos, in persona Christi. ¶ Posterior conclusio, Ad voti dispensationem ac perinde ad commutationem quæ in minus fit bonum, requiritur causa. Probatur primò autoritate modò citata. Nam vbi ait Paulus, in persona Christi, autoritatem designat: vbi verò subdit, propter vos, causam subsignat legitimè dispensandi: quæ quidem in bonum ecclesiæ referri debet: alioquin in honorem Christi non cedit: Hoc enim iam suprà in fine secundi libri de legis dispensatione demonstrauimus: nam cùm lex non nisi propter bonum publicum statuatur, fit vt nisi eiusdem gratia licitè dispẽsari queat. De voto autẽ non longè dissimilis est ratio: nam postquàm quis fidem suam deo obstrinxit, non debet eius vicarius promissum remittere, nisi in bonum ecclesiæ cui ipsum Christus præfecit. Aliàs non esset fidelis dispensator, sed dissipator iniquus. ¶ Circa priorem conclusionem discrimen in primis recolendum est, quod suprà inter eos constituimus qui irritare vota possunt, atque eos quibus solùm incumbit dispensari. Functio enim prior potestatem ecclesiasticam non exigit: quare parentibus, maritis, & dominis conuenit. Posteriòr verò solis incumbit prælatis: qui tamen irritare non perinde valent nisi religiosorum præpositi: quoniam his vtraque competit facultas. ¶ At de commutatione rimandum est vtrùm citra superioris autoritatem priuatim fieri queat. Syluester nanque verbo, votum. 4. §. 7. in partem negatiuam inclinat: nimirum affirmans quòd nec commutatio in melius absque prælati autoritate fieri possit. Haud tamen opinio hæc veritate pollet: quoniam nec eius testimonia firma sunt. Distinguendum igitur. Aut enim simplex votum in illud mutatur quod manifestum est esse melius: aut in illud de quo id quoquo pacto ambigitur. Si enim liquet commutationem in melius fieri, tunc superioris authoritas non exigitur: vt Caietanus hic probè censet. Huic nanque veritati & rationes suffragantur & testes. Est enim assertio, tum capitu li, peruenit. 2. extrà, de iure iurando. propositum aut promissum non infringere qui in melius illud cõmutat. Et in capitulo citato, scripturæ, de voto. ob id vota in sæculo facta extingui censentur per solenne religionis, quòd omnia mutantur in melius: quæ quidem commutatio priuata fit autoritate eius, qui se religioni addicit. Sed & ratio nihilo est minùs efficax. Cùm enim voti obligatio ea sit prorsus vt quod vouisti reddas, quando id persoluis quòd constat, tum melius, tum perinde creditori acceptius & gratius, cumulatior fit à te solutio. Cùm ergo Deum qui ineffabili infallibiliq; iudicio perpensor est rerum, constet quò res meliores sunt, gratiores acceptioresq; habere, non est dubium quin qui votum in melius commutat, cumulatiùs ei soluat, atq; adeò nulla indigeat prælati authoritate. Accipe ad rem confirmandam exemplum. Si quis cereum, verbi gratia, Deo vouit, aut ouem, aut bouẽ & loco illorum argenteum calicem ecclesiæ largiatur, quis ambigat voto satisfeciſſe, æditumq; & tutorum ecclesię imprudẽter atq; infideliter agere, si solutionem repellerent. Nec verò iura ciuilia huic obstant veritati: nam. l. mutuum. ff. si certum petatur. solùm habetur quòd aliud pro alio inuito creditore solui non potest: nam inter homines non quicquid melius est, acceptius fit creditori: vel quia non est ei tam vtile: vel quia non est tam gratum: vel alia de causa: quod respectu Dei contingere non potest. Imò dum nobis constat rem esse meliorem, constat eum magis acceptam habere: atq; adeò semper in talem solutionem consentire: iuxta illum Instit. titu. quibus modis tollitur obligatio. Consentiente creditore, aliud pro alio solui potest. Adde quòd fortè si certum esse posset rem esse æqualis apud Deum valoris, inconsulto prælato posset fieri commutatio. Sed tamen nõ esset adeò tuta: quia dum agitur de qualitate, alienum requiritur iudiciũ. Nam commutatio si solo debitoris arbitrio fiat, auctiorem solutionem videtur exposcere. Nec verò simplex modò votum commutari in melius potest authoritate priuata, verùm & solenne religionis in arctiorem aliũ, ac perinde altiorem: vt promittitur. c. licet. de regularibus. Haud tamen commutari in

Victima conclusio. probatio.

Dubitatio.

Opinio Syluestri.

Refellitur Syluester.

Vera Solutio.

Caietanus.

Ratio præter ritæ assertio.

aliud votorum genus. Sicut nec dispensari. ¶At verò quãdo in dubio est vtrũ mutatio in melius an in minus bonũ fiat: nempè vbi compertissimum non sit opus esse excellentius, semper est autoritas prælati necessaria. Quocircà votum simplex castitatis mutari priuatim non potest: quia nihil in votis melius æstimatur. Nec votum Hierosolymitanæ peregrinationis: nam postquàm hæc soli Papæ reseruantur, nullus alius ea commutare potest. Quin verò nec votum abstinentię, nec alia personalia tutò citrà præpositi decretum mutantur. Eò potissimùm quòd quoties votum in leuius mutatur, non nihil habet dispensationis admixtum: quando quidem remissius fit vinculum. ¶Qui sunt autem prælatorum ordines quibus facultas ad fit dispensandi, ex iure canonico explorandum est. Primùm omniũ Antistites omnes nisi per Pontificem Maximum prohibiti essent suo ordinario munere super omni voto in sua quisque Diœcesi, veluti Papa in toto Christianismo, dispensare possent. Attamen quoniam maiores fidei causas, vt extrà, de baptismo & eius effectu, admonetur: ad summum ecclesiæ caput Christi vicarium deferri decet, quinq; votorum species ipsi sunt iure reseruatæ. Nempè votum religionis, & votum castitatis perpetuæ, votumq; peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæq;, ac Cõpostellanę. Tametsi Romanum Compostellanumque votum solùm est vsu reseruatum Romanæ curiæ: nam iure solùm excipitur votum Hierosolymitanum: vt patet. c. quod super his. &. c. ex multa. extrà, de voto. Imò verò cùm reseruationis ratio ea illic supponatur quòd eiusmodi votum in subsidium terræ sanctę suscipitur, adnotauit ibi Panor. illud tantùm esse Papæ reseruatum, quod illa ratione suscipitur. Quare si fiat, inquit, ex deuotione & non pro subsidio, episcopus posset dispensare. Attamen consuetudo aliter habet: cui ideo standũ est. Quare dispensatio episcopi non teneret. ¶Præter hæc ergo vnusquisq; episcoporum pōt super omni voto simplici suorum paroecianorũ dispensare. Hæc autē in archiepiscopo facultas, ad diœceses sibi suffraganeas non extenditur: quoniam cura ei non incumbit animarum ordinaria nisi in sua diœcesi: etsi in causis forensibus ad ipsum fiat prouocatio. ¶Abbates item & religionum præfecti non solùm generales ac prouinciales, verùm & conuentuales eadem vigent dispensandi autoritate: nam hac parte veluti antistites ordinarij suorum sunt subditorum. Haud tamen ad vota sæcularium qui sibi sunt subditi, eadem facultas nisi de speciali priuilegio protēditur. Et est generalis regula quòd dispensandi facultas eadem vbiq; est commutandi: quãdo quidem Diuus Thomas ait, maior est dispẽsandi quàm commutandi. Discrimen autem Panormitani super capitulum, Proposuit. de concessione præbendæ. videlicet Papæ dispensationem, absolutam esse relaxationem totius obligationis: episcopum autē non prorsus vota commutare, sed relaxare, nullum habet aut iuris aut rationis fundamentum. In illo nanq; capitulo sic Papæ cõceditur dispensandi facultas, vt episcopis nõ interdicatur. Paroecij verò curati, quia iurisdictionem non habent, eadem dispensandi authoritate carent. Nec verò archidiaconi eadem funguntur. Ad de his iura sunt consulenda. ¶Ex his fit consequens, episcopum super voto castitatis non perpetuæ sed temporalis dispensare posse. Nam cùm ordinaria potestate omnia ob causam posset tollere vota, cohibitiones & exceptiones restringendæ sunt vt sonant: & ideò quia non eis excipitur nisi votum perpetuę castitatis, fit, vt temporalia illis relinquantur. ¶Sequitur subinde etiam religionum præpositos posse in votis subditorum dispensare transeundi ad altiorem religionem: quanuis illud, vt in quæstione superiore diximus, irritare nequeant. Est enim latum interstitium: quòd irritare est voluntatem alterius coërcere: dispensare verò non nisi spontaneæ petitioni subditi annuere: Prælatus autem prohibere nequit subditum transire volentem ad fœliciorem frugem. Si autē ille vult sub eius obedientia permanere, poterit tum super eiusmodi voto ab eodē prælato dispensari, quãdoquidem illud non est simpliciter votum religionis, quod Papæ reseruatum est, sed votum transitus ab vna ad alteram: & huiusmodi exceptionis, vt modò dicebamus, restringendæ sunt. ¶Vnum verò dubiũ quæstione. 2. in hunc locum reposuimus de voto pœnalis religionis & peregrinationis Hierosolymitanæ, vtrùm perinde reseruentur Papæ, ac si absoluta essent. Vouisti, verbi gratia, à tali peccato vel à re qualibet alia quæ tibi erat incommoda cauere: adhibita cautione si contrà faceres, monachale institutum suscipere, aut Hierosolymam ire. Quod quidem votorum genus: vt frequẽtissimè inter incon-

Panormit.

Regula generalis.

Panormit.

Primum corollarium.

Secundum.

Dubium.

inconstantes adolescentes in vsu est,ita maximè in Dei despectum & vilipendium fit. Quia nemo est qui illud impleat. Quare huiusmodi vouentes acerbissimo pœnæ rigore essent à confessarijs vulnerandi. Dubium ergo est, vtrùm postquàm (vt semper accidit) malũ illud admiseris, dispensatio sit Papæ reseruata. Etenim negatiuè argumenta hęc pugnant,quòd tale votum non est propriè conditionale, veluti illud: si pater obierit,monachus fiam. Nam illi qui hoc secundo modo vouet, cordi est religio, ad quam ideo eius dirigitur intentio. Quare posita cõditione votum fit firmum: qui autem in pœnam sibi ingressum religionis comminatur, non est ad religionem affectus, neq; voti intentio illuc fertur,sed in cautionem illius mali:puta vt à ludo vel mœchia sese cohibeat. Quapropter citra dubium est, ante illud admissum malum posse ab episcopo dispensari,& à quocunq; prælato qui authoritatem habet super illud votum directum. Hæc ergo ratio probabilem hanc partem facit, q̃ etiam post commissum illud malum sit ab eodem prælato citra Papam dispensabile: quandoquidem non est directum votum religionis. At nunquam mihi hactenus hoc potui satis persuadere:nam etsi non sit votum directum religionis,nihilo minùs posita conditione sit obligatio ad religionem quæ ex vi voti nata est & confirmata. Et ideo omninò timeo aliud asserere quàm quòd sit Pontifici Maxi. reseruatum. Tametsi fatear non tantam causam ad eius dispensationem requiri,ac si votum esset absolutum. ¶ De causis subinde dispensandi & commutandi vota, discrimen perpendendum est. Per dispensationem nanque & vinculum prorsus voti dissoluitur:& eius materia tollitur. Quapropter bonũ quod est dispensandi causa,vtranque rationem compensare debet: scilicet, vt maius sit quàm erat materia voti, & quàm erat vinculum quod ad religionis latriæque virtutẽ pertinebat. Commutatio autem voti vinculum non dissoluit,& ideo nõ alio opùs est quàm vt materia sit melior si mera est cõmutatio. Ecce regulas in præsentiarum constitui solitas. Sunt autem tum obscuræ tum & fallaces & ad vsum parũ conducentes,nisi accuratiùs explicentur. Et ideo ad huius explicationem commemorandæ sunt causę dispensandi in voto. Superiùs enim artic. 1. tres ex mente S. Tho. retulimus,scilicet si votum sit malum,aut inutile,aut impeditiuum maioris boni. Hic autem ait debere huiusmodi causam cedere in bonũ ecclesiæ, ac subinde in honorem Christi. Quæ quidem non sunt nouæ causæ, sed aliarum finis & explicatio. ¶ Est ergo dubium quod hic mouet Caietanus, vtrùm ad dispensationem voti semper requiratur causa quę eius executioni obstet: videtur enim id sanctus Thomas in solutione secundi affirmare: vbi ait quòd si prælatus in voto simplici religionis dispensat, nulla apparenti causa obstante, dispensatio nõ tenet. In contrarium autem facere videtur quod commutatio sine vlla obstante causa fit licitè:& tamen idem apparet vtriusque iudicium. Item quia nonnunquam votum dispensatur,etiam si impleri possit, propter aliquod publicum emolumentum. ¶ Ad istorum ergo dilucidationem per hæc respondetur documenta. Primùm ad voti dispensationem necessaria est causa obstans. Vbi notandum tripliciter posse causam obstare: videlicet,vel ex natura materię voti,vel ex parte vouentis,vel ratione communis boni. Ex parte materiæ. Primùm si illicita sit. Et tunc malignitas eius obstat. Siverò sit inutilis,inutilitas etiam ipsa quodam modo impedit. Nam opus vanum non est Deo gratum. Et in his casibus non opùs est quòd causa illa dispensandi præstantius sit bonum quàm voti vinculum absolutè consideratum, sed quàm vinculum talis voti, scilicet mali, vel inutilis: quod proinde minimi est pretij: & ideo in rem parui momenti mutari potest, aut prorsus tolli. Potest secundò impedimentum intercedere ex parte vouentis: puta eius infirmitas aut debilitas ob quam commodè non potest illud implere. Et tunc etiã in cõmutatione pensanda est illa infirmitas, vt cõmutatio remissior fiat & clemẽtior. Imò tanta esse potest vt sit obligatio simpliciter dissoluenda. Sed potest tertiò obstaculum ex parte communis boni existere. Vt si vouisti ieiunium quod tibi impedimentum est studendi,aut prædicandi: omnia enim talia bona cedunt in bonum commune. Et tunc verum habet regula, quòd bonum illud voto obstans, propter quod fit dispensatio, debet æstimari pretiosius quàm erat materia, & ipsum voti vinculum. Pariter si Hierosolymitanam peregrinationem voueris:& expedit ecclesiæ vt aliter ei inseruias. Vel si voto simpliciter ad religionẽ obstrinxisti: sed ad communem pacem reipublicæ confert vt vxorem ducas. Tunc enim licitè fit dispensatio:

Dubiũ Caietan.

Primum documentum.

Solutio.

De causis dispẽsandi & commutãdi vota.

Nota istas regulas.

tia: quia commune bonum tui obstat voti executioni. Si autem in tuum tantùm bonũ particulare cederet, minimè eadem dispensatio liceret. ¶Ex istis consequitur, ad cõmutationem, quæ mera est commutatio, hoc est quæ in melius fit, nullam exigi prorsus obstantem causam, sed satis est vt ad finem magis conducat. Exemplum extat in.c. Quod super his, de voto. vbi mulierum vota visitãdi terram sanctã permutari sinuntur in eleemosynas: non quòd executioni voti quidpiam obstaret: sed quòd in subsidium terræ sanctæ, plus mulierum pecunia quàm præsentia cõfert. ¶Quãdo verò commutatio fit in minus bonum, semper requiritur causa obstans. Quoniam tali commutationi admixta est dispensatio: nempè nonnulla voti relaxatio. ¶Hinc ergo fidelis dispensator & prudens colligat vt dum voti impedimento satis per cõmutationem succurritur, illo vtatur citra dispensationem remedio: alias infidelis esset: nam omnimoda dispensatio, citra necessitatem, culpa non caret: neque dispensantis reatus petentem excusat quin eodem complicetur. Tametsi maior sit in dispensante. ¶Hic autem forsitan sedulus lector inquirat, vtrùm sit maiori cum difficultate dispensandũ, lex ne an votum? Vtrinq; enim extant argumenta. Lex nanq; quia in commune bonum ponitur & vniuersos ciues ligat, apparet sanctiùs esse custodienda quàm votum. E contrario verò quia votum fit Deo, atq; adeò ad virtutem attinet religionis, videtur maiorem causam dispensandi requirere. Vix ergo respõdere ad hoc certa regula possumus. Igitur aliqua esse potest lex, quam dispensatione violare pernicioſus sit quàm particulare votũ tollere. Aliquod verò econuerso potest esse votum, cuius dispensatio maius sit religionis offendiculum. Causæ autem legitimæ dispensandi latè. 1. q. 7. cõmendantur: can. requiritis. & ibi glo. & can. necessaria, & subsequenti. Sunt enim pẽlanda tempus, vtilitas, persona, & rei qualitas. ¶Vtrùm verò illa dispensandi causa, ceu legitima & idonea admittẽda sit, quòd illi qui voto tenetur, graue molestumq; fit illud explere, iam loco citato in fine libri primi respondimus: quòd quando molestia ac difficultas ex re ipsa nascitur, nempè quia res est ardua & viribus impar, tunc causam offert ad dispensandum legitimam: tamen quando ex corrupta affectione & morbo vouẽtis procedit, profectò nõ est legitima causa: nã cùm in hunc finem voueris vt morbo tuo prauoq; habitui medearis, idipsum in causam proferre, vt ab eodem religeris voto, nõ est fidei syncerit atem seruare. ¶Post hæc de priuilegijs quæ in diplomatibus Cruciatæ ad votorũ dispensationem indulgentur, hoc notandum est, quòd non sunt perinde intelligenda atq; facultas absoluẽdi à peccatis reseruatis. Facultas enim in peccata ad illa etiã extenditur quæ quisq; postq̃ Bullã susceperit commisit. Priuilegium verò dispensandi in voto, illudve commutandi, non nisi de illo voto intelligitur quod antè edideras quàm diploma susceperis. Nam dispensatio voti nihil ad forum pœnitentiæ attinet: sed est alia distincta facultas, quam Pontifex suscipienti Cruciatæ bullam tunc super votum quod cõmiserat indulget: ac si tunc dispensationẽ ipse postulasset. Etenim cum vota ad religionem pertineant, tantiq; subin de æstimata semper fuerint in Ecclesia, incõgruens esset vt alicui antequàm votum emiserit, facultas fiat vt quoties emiserit, possit ab illo per dispensationem liberari. ¶Rursus circa eadem diplomata animaduertendum est, quo tenore eadem indulgeatur facultas: nam si exprimitur vt super nullo voto dispensatio fiat: nisi eleemosyna in subsidium belli erogata: tunc nõ tam facultas dispensandi, quàm commutandi, aut redimendi votum: atq; adeò talis eleemosyna pro ratione voti per prudentiã dispensantis taxanda est. Si autem facultas simpliciter fiat dispensandi, tunc admoniti sint dispensatores, non illis fieri absolutam dispensandi licentiam, sed si legitima interceſſerit causa: nam verbum absolutè prolatum, secundùm tenorem iuris intelligendum est. ¶Neque id demũ tacitus præteribo, quòd crediderim nullo diplomate in fauorem alicuius monasterij, aut hospitalis, aut subsidij in dulto, facultatem fuisse vnquam concessam dispensandi in voto religionis, aut perpetuæ castitatis. Hoc propter Bullam admonitum duxerim, quæ in fauorem D. Antonij circumfertur: vbi si verba cortice tenus audias, eadem illic facultas comprehendi videtur: quandoquidem generale conceditur priuilegiũ dispensandi in voto, exceptis illis Hierosolymitanę Romanæq; peregrinationis. Attamẽ eodem verborum contextu accuratiùs perspecto cõstat minoris voti exceptionẽ liquidũ esse testimoniũ exceptionis maioris. Sed hic latet fallacia ꝙ votũ religionis & perpetuę castitatis ab

Dubitatio.

Solutio.

Virtute diplomatis ne quit dispensari nisi in votis ante eius susceptionẽ emissis.

Nullo hactenus diplomate concessa est facultas dispẽsandi in voto religionis, aut perpetuæ castitatis.

tis ab ipso vetustissimo iure excepta sunt. Et ideo nisi exprimatur facultas super eisdē dispensandi, non comprehenduntur sub generali clausula, sed semper intelligūtur à iure excepta. Votū autem Hierosolymitanū, quia recentiori iure excipitur, necesse habet expresse excipi, quando non conceditur.

Ad primū argumētū. AD primum igitur argumētum quæstionis conceditur omnia vota quæ in sæculo fiunt cessare per solēne religionis, vt capitulo citato habetur. Haud tamen prorsus illa cessatio fit priuata authoritate vouentis. Imò fit per legem ecclesiæ, quæ optimè censuit vt qui vitam sæcularem in monachatū mutauerit, ab illis particularibus votis liberetur: quæ ad directionem eiusdem sæcularis vitæ ediderat: nam particularia in illo vniuersali clauduntur, quo tota vita perpetuò mancipatur religionis obsequio. Præterquā quod religionis onus alias secum sarcinas non fert. Qua ratione suprà dictum est, illa etiam quæ post professionē monachus emittit, irritari posse à prælato. ¶Inter respōdendum autem ad secundum confutat primò Diuus Thomas quorundā opinionem, qui aiebant prælatos omnes pro suo libito perinde posse super vota subditorum etiam sæcularium dispensare, vt dictum est posse parentes illa irritare quæ filij illegitimæ ætatis emiserint: nulla scilicet interueniente causa. Quorum ratio erat, quòd in omni voto intelligitur exceptio autoritatis prælati. Imò verò Pal. in. 4. d. 38. q. 5. hac eadem ratione vtitur ad probandum Papam dispensare posse super voto solenni. Huic ergo opinioni asseueranter D. Thomas contradicit, vbi fundamentum istorum subuertit: nam prælatus, nec verò maximus, dominus est absolutus, aut legum aut voluntatum subditorum, sed merus dispensator: idemq; nō in destructionem, sed in ædificationem corporis Christi: vt. 2. ad Corint. 10. ait Pau. Et ideo sicuti præcipere non valet quæ Deo displicent, nempe peccata, ita nec illis, nè fiant obstare, quæ Deo sunt accepta. Quare vnusquisq; subditorum absolutam habet potestatem vouendi, à prælato independentem: ac perinde in voto, nulla subintelligitur superioris voluntatis exceptio: nisi parentis, (vt diximus) ac prælatorum religionum. At verò spectat posteà ad episcopum prudenti maturoq; iudicio perpendere, an causa aliqua interueniat dispensandi. ¶Ex his infert D. Thomas tripertitā regulā. Nempè quòd in manifestis, videlicet vbi manifestus est error prælati, tūc dispensatio nō excusaret à culpa. Vt si prælatus, sine apparenti saltē obstāte causa, super votum religionis dispensaret. Si autem, inquit, esset causa apparēs per quam res in dubiū verteretur, stari tunc posset iudicio prælati dispensantis vel commutantis. Non tamen iudicio vouentis proprio, quia ipse Dei vicem non gerit. Nisi fortè casu quo voti materia manifestè illicita esset, neq; ad superiorem opportunus pateret recursus. Quoniā tunc, vt dictum est, epieikeiæ locus pateret.

Ad secundum argumētum Di. Thomas.

Palud.

¶Circa hæc autem sancti Thomæ asserta nō nullæ occurrunt dubitandi rationes. Prima circa illationem illius enthymematis: Prælatus prohibere non potest virtutum officia: ergo neq; pro libito dispensare. Etenim, aut nomine virtutis intelligit materiam voti, aut id ipsum quod est vouerę. Prior enim sensus esset huiusmodi: Prælatus non potest cohibere subditos, nè ieiunent, aut orent, aut peregrinentur, &c. ergo nec potest pro libito tollere vinculum huiusmodi operū. Quæ quidem argumentatio, dupliciter peccaret. Primò quia nulla est illationis vis: nam etsi monasticus prefect⁹ nequiret impedire quin liberè quis oraret, aut ieiunaret, posset nihilo minùs impedire votum: sicut maritus, licèt iniquè ageret, impediendo nè vxor oraret, nihilo minùs posset irritare votum. Pariter ergo episcopus, licèt non obstaret subdito quin liberè exerceret virtutum opera, nihilo minùs tollere pro libito posset vinculum, vt scilicet non se nouo funiculo perstringeret. Secundò & antecedens eiusdem illationis est falsum. Potest enim prælatus in religione aliquando opus vnius virtutis propter aliā prohibere: videlicet nè orationi monachus vacet, sed infirmis seruiat: nè ieiunet, sed studeat. Si autē nomine virtutis, intelligit ipsum vouere, nec tunc solida erit argumentatio, quæ est hæc. Non potest præcipere peccata, ergo neque prohibere nè vota fiant, aut facta pro libito tollere. Infirmitas enim consequentiæ patet in religionis prælato, & parente respectu filij: qui non potest ei præcipere peccata, & tamen potest eius vota cassare. ¶Ad horum ergo intellectum notandum, alteram esse rationem superioris qui habet dominium voluntatis subditi, quales sunt, maritus, pater, dominus, & prælatus religionis: alteram verò prelatorum populi qui eiusmodi non habent dominium, sed tantùm spiritualem iurisdictionem. Et

Prima dubitatio circa asserta D. Tho.

Solutio.

Diuus

Diuus Thomas non loquitur hic de priore superiorum ordine, quorum est vota irritare: nam de illo rem iam articu. 8. &, 9. expediuerat: sed loquitur de prælatis tantùm quatenus prælati sunt, spiritualesq; iudices: quibus idcircò non irritandi, sed dispensandi suppetit facultas: Et de istis constituere pergit quòd cùm non sint domini voluntatum subditorum, non sunt eorundem vota ex ipsorũ voluntate pendentia: atq; adeò neque in eiusmodi votis excepta subintelligitur Antistitis authoritas, vt sint conditionalia, si episcopo aut Papæ placuerit: sicut votum filij, aut vxoris, aut monachi. Quod quidem documentum per se est manifestum: & ideo Palud. atque alij qui contrarium sentiunt in hoc sunt cæcutienter hallucinati. Pontifices nanque non sunt domini subditorum, nec eorum voluntatum. Quare sicut matrimonia alijq; ciuium cõtractus, ita & eorum vota ijsdem episcopis inconsultis firma & solida sunt. Hac ergo voti firmitate supposita, optimè procedit ratio sancti Thomę in vtroque sensu eorum quos nuper impugnabamus. In priori scilicet quòd sicut non potest episcopus prohibere virtutum opera, puta ieiunare, orare, religionem ingredi, &c. ita neq; potest eos prohibere quin eadem opera absolutè voueãt: quandoquidem non est dominus suæ voluntatis. Quare nullum est argumentum quod de parente & vxore faciebamus. Item & in posteriori sensu, vt nomine virtutis votum ipsum intelligat, procedit etiam argumentatio: videlicet quòd sicut non potest episcopus, aut Papa subditis peccata præcipere, ita neq; potest opera virtutum, puta vota, quippe quæ absq; ipsius superioris consensu firma & solida sunt, pro libito impedire, atq; adeò neq; horum nodos & vincula rumpere. Atque hanc secundam arbitror legitimam esse mentem Diui Thomæ. *Dubium. 2.* ¶Sed dubium de sensu conclusionis restat, qua ait, dum prælatus sine vlla saltem apparenti causa dispensat, eiusmodi dispensationem non excusare à culpa. Triplicem enim intelligentiam verbum hoc parturit: nempè quòd prælatus dispensans non excusetur à culpa: & de hac non dubitatur quin vera sit: nam peccat vel contra prudentiam, vel contra fidem dispensandi. Secundò q̃ nec subditus dispensationem procurans culpa careat: quod etiam certum est. Nam qui rem iniustam procurat, reus est noxiæ. Sed tertius sensus esse potest quòd etiam post dispensationem non excusetur à culpa si illa vtaꝫ, quasi dispensatio non teneat. Et de hoc sensu suboriri alicui potest dubitatio: nam postq̃ dispensatũ est, videtur subditus absolutus. At verò D. Thomas omnes tres sensus astruxisse videtur: nam ait, quòd sicut non potest prælatus peccata præcipere, ita neq; pro libito dispensare. Præceptum autẽ illud nullius esset vigoris: ergo neq; dispensatio. *Solutio.* Et in hanc partem in calce lib. 1. sententias secuti maiorum subscripsimus: nempè quòd si Papa vel Episcopus in legibus suis dispẽsat, quanuis aliquando iniquè id faciat, nihilo minùs dispẽsatio tenet. In his autem quæ de iure diuino pendent, quale est votum, & prò missorium iuramentum, vbi manifestè constat nullam interces isse causam, euanida est dispensatio: quoniã cùm iam res debita Deo sit, non potest Papa illud gratis sine causa quæ Deo saltem appareat accepta, condonare. ¶Ad tertium denique respondetur. nullã esse consequentiam, quòd si ad prælatos functio dispensandi spectet, omnibus æquo iure competat. Maximus enim Pontifex qui vicem Christi gerit, plenariam habet in ecclesia potestatem in omnia vota, quæ sint dispensabilia: quod Diuus Thomas ad excipiendum solẽne votum religionis appposuit. In ea verò quæ inferiora sunt, potestas se inferiorum prælatorum prolatat: vt pote ad quos necesse est identidem recurrere. Quare excepto voto religionis & perpetuæ castitatis exceptarumq; peregrinationum dispensare valent: nempè in votis orationum ac ieiuniorum, reliquarumq; peregrinationum. Sed sanctus Thomas non excipit nisi Hierosolymitanam: quia forsan sua ætate nulla alia erat excepta. ¶At forsan hic quispiã eundem sanct. doctorem contradictionis redarguat. Dixit enim in. 4. distinct. 38. quæstione 1. articulo. 4. omnia vota perpetua reseruari Papæ: hic autem ait super votum ieiunij posse ab alijs prælatis dispensari, & pariter orationis: quæ nihilo minus possunt in perpetuum fieri. Respondetur autem vota illic appellare perpetua quæ per se dum absolutè æduntur perpetuitatem habent annexam: vt est votum religionis & castitatis: qui enim absolutè castitatem vouit, perpetuam intelligit. Votum autem ieiunij & orationis nisi perpetuitatis conditio exprimatur, non affert illam ex sua natura. Et ideo quanuis in perpetuũ fiant, possunt ab inferioribus prælatis dispensari.

Ad tertiũ argumẽtũ.

Scrupulus.

Solutio.

QVAE-

QVAESTIO QVINTA, De religionis voto in particulari.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm religionis votum ad ſtatum perfectionis attineat.

QVONIAM BIfariâm quæſtione. 2. dicebamus votum fieri ſolenne: videlicet vel per religionis ſuſceptionẽ, vel per clericorum conſecrationem: neque de eiuſmodi ſolennitate: alijs ſe ad dicendum inſinuantibus, ſatis illic nobis dicere licuit, operæ pretium duximus, nè truncum tractatum hunc relinqueremus, ſingulas quæſtiones de huiuſmodi votis hic tandem adhibere. Alteram ſcilicet de voto religioſorum, ac de voto clericorum alteram. Arguitur ergo ſtatim quibus nos hæretici argumentis oppugnant, religionis votum nihil ad ſtatum perfectionis attinere. Religionis tum vox, tum etiam res ipſa, vniuerſæ Chriſtianæ familiæ ſunt communes: eſt nanq; religio cultus latriæ: ſecundùm illud Cicero. 1. de Officijs, Religio eſt quæ naturæ diuinæ cultum & religionem affert: quod quidem non ſolum Chriſtianis omnibus, ſed etiam cunctis mortalibus cõpetit. Quòd ſi aliquibus per Antonomaſiam tribuendum hoc nomẽ eſſet, ſoli ſunt ſacerdotes, ſacrorumq; adminiſtri, qui Hierarchias religionis actiones exequuntur: falſò ergo nomen hoc ſibi monachi arrogant. ¶Secundò arguitur. Perfectus in hac vita nemo eſſe poteſt: nam vt. 3. Phyſicorum author eſt philoſophus, perfectũ eſt cui nihil deeſt. In hac autem vita, vt habetur Iacobi. 3. In multis offendimus omnes: vnde Paulus. 1. ad Corinth. 13. Cùm venerit, inquit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt: temerarium ergo eſt atq; impium nomen perfectionis in hoc lubrico ſeculo nobis vſurpare. Quòd ſi aliquid in terris perfectionis exiſtit, illa in charitatis culmine & faſtigio poſita eſt. Secundum illud ad Coloſſ. 3. Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis. Non ergo in monaſticis conſilijs perfectio eminet. ¶Tertiò denique ad rem proximè arguitur. Si religioſorum ſtatus ad perfectionem pertineret, eò præſertim quòd in conſiliorũ exercitio quæ monachi profitentur, perfectio collocaretur hoc autem falſum eſt: imò Chriſtus ſic nos Matth. 22. inſtituit, vt in illis duobus magnis mandatis, dilectionis Dei & proximi, pendere intelligeremus vniuerſam legem, & prophetas. ¶In contrarium eſt q̃ vetuſtiſsimus Dionyſius. 6. capite cœleſtis Hierarchiç poſt Antiſtites religioſis quoque perfectionem tribuit: quos monachos, & ſuo idiomate triapædas, id eſt Triadi perfectè famulantes nuncupat. De quibus ſubinde ait eos qui nominantur Dei famuli ex Dei puro ſeruitio & famulatu vniri ad monachalem perfectionem.

Primũ argumẽtum. *Cicero.* *Argu. 2.* *Iacobus.* *Paulus.* *Argum. 3.* *Dionyſium.*

ARgumentum quæſtionis huius locuplete D. Tho. vt pleraq; omnia & luculenter ediſſerit. 2. 2. q. 84. & infrà ſummatim hic verò & ad rem præſentem accommodè octo concluſionibus reſpondebimus: quib⁹ ab ijs qui monachos dilacerant, eorum inſtituta protegamus. ¶Eſt ergo prima concluſio. Perfectio Chriſtianç vitæ, ad cuius fidem ſuſcipiendam, adorandam, & colendam vniuerſus obligatus eſt orbis, in ſolo charitatis culmine ſecundùm ſuam eſſentiam & ſubſtantiam poſita eſt. Concluſio liquida eſt. In hoc nanq; vniuſcuiuſq; rei perfectio conſiſtit, quòd ſuo ſupremo fini vniatur: per vnã autem charitatem & angeli & homo Deo vniuntur, qui vtriusq; creaturæ finis eſt: ergo in charitatis faſtigio noſtra conſiſtit perfectio. Secundùm illud citatum Apoſtoli. Super omnia charitatem habete, quę eſt vinculum perfectionis. Cùm verò audis, vniri, non intelligas, adipiſci, aſſequi, & comprehendere: hoc enim per viſionem Dei fit in qua poſita nobis eſt noſtra fœlicitas. Nam quandiu in hoc corpore poſiti ſumus, vt ait Paul. peregrinamur à Domino: atq; adeò ipſum non attingimus: ſed voluntatem habemus præſentes fieri ad ipſum: quod cùm faciem eius conſpexerimus obtinget nobis. Per charitatem autem ſic cum ipſo conglutinamur, vt cum anima corpus, ſecundùm illud Ioan. 4. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo. Nam ſi Phyſicam conſulas, tam in anima corpus eſt, quã in corpore anima: ſed diuerſimodè. Eſt em̃ corpus in anima tanquam contentum in cõtinente: hoc eſt in eo à quo eſſe & quicquid eſt recipit. Et eo modo nos ſumus per charitatem

Di. Thom. *Prima concluſio.* *Probatio.* *Paulus.*

tatem in viuificante nos Deo. Sicuti secundùm naturam in eo viuimus, mouemur, & sumus. Sed est vicissim anima in corpore tãquàm forma in subiecto, atq; per quandam similitudinem: sic Deus in nobis per charitatem est: quæ forma existit qua nostra perficitur anima: secundùm illud Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ad eũ veniemus & mansionem apud eum faciemus. In hoc ergo vicariæ charitatis glutino, qua & nos prior Deus diligit, ac subinde à nobis vicissim diligitur, fastigium nostræ perfectionis consistit. Vnde 1. Ioan. 3. Nos scimus q̃ translati sumus de morte ad vitam, quoniã diligimus fratres. Et subditur, Qui non diligit, manet in morte. Consultò tamen diximus secundùm essentiam & substantiam: quoniam quodammodo ex aliarum quoq; virtutum famulatu eadem perfectio pendet: nempè quorum adminiculo nutritur ac protegitur: secundùm illud ad Ephesi. 6. Accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Armaturam autem Dei appellat continentiam, qua lumbos succincti, in veritate persistimus: loricam iustitiæ, & scutum fidei, &c. ¶ Secunda conclusio. Eadem perfectio in præceptis duobus magnis charitatis consistit: scilicet, Diliges Dominum Deum tuum: & proximum sicut teipsum. Neque verò quenquam conturbare debet quòd & in charitate perfectionem consistere profitemur: & rursus in eius præceptis. Prioris enim sensus est, eãdem ipsam charitatem nostram esse perfectionem: posterioris verò per præceptorum obseruantiam cõseruari, foueriq;, & augeri. Conclusio hæc tũ testimonio Christi suprà citato stabilitur, In his duobus mandatis omnis lex pendet & prophetæ: tum etiam ad superiorem protinus consequitur. Etenim si charitas ipsa perfectio est nostra, consequẽs est, vt ex eius obseruatione præceptorum eadem perfectiò saluſque nostra dependeat: secundùm verbum Christi, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Tametsi non eodem gradu. Essentia namque perfectionis nostrę, in charitate Dei sita est: secundùm tamen hanc in charitate proximi. Quin verò ob id secundus charitatis gradus ad eandem attinet perfectionem quòd dilectio proximi nihil aliud quàm quidam Dei amor est: iuxta illud. 1. Ioan. 4. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quẽ videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Etenim cùm Deus omnium sit parens nostrûm, quos intimè charos habet, nemo eum ex corde diligit nisi & filios eius diligat, quos ipse diligit. ¶ Tertia conclusio. Præcepta hæc charitatis nullum nobis præfigũt diligendi modum. Probatur: quoniam præcepta admetiri debent ipsorum fini: iubemur ergo eiusmodi præceptis sic Deum diligere & proximum, vt vterq; diligibilis est: modus autẽ diligendi Deum, vti ait Bernardus, est sine modo diligere: ergo eius præceptum nullum præfigit modum, scilicet vt hoc aut illo gradu à nobis ametur, alijve sic, alij verò aliter, sed absoluta est diligendi præceptio. Nec verò exemplũ huius deest quod nobis natura profert. Etenim vt. 1. Politicorum acutè Aristoteli perspectum est, sic inter finem & media differt quòd finis, cùm sit per se bonus, absq; modo & termino diligitur: nemo enim sibi præfinit quantum sibi salutis velit: sed quia quo maior, eo melior, sine limite exoptatur: medicamina verò quia totam bonitatem à fine sortiuntur, nõ quo maiora sunt, eo meliora: ob idq; non infinitũ, sed sub pondere & mensura, tum ab egroto optantur, tum & applicantur à medico: Deus ergo quia supremus est finis, sine modo iubetur amari: atq; hoc illa verba sonant, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. Proximus autem, tametsi non vsq; adeò absq; modo sit diligendus, sed modus ille præscribitur, Et proximum tuum sicut teipsum, tamen & modus ille quandam præse fert infinitatis imaginem: nam homines etiam quadantenus absq; modo seipsos diligunt: imò verò dum verè se diligunt, illam sibi debent æternam fœlicitatem absque vllo modo exoptare, eandemq; reliquis. Consistit igitur essentialiter nostra perfectio in illis mandatis quibus absq; modo iubemur Deum proximumq; diligere. Vnde Augusti. lib. de perfectione iustitiæ: Cur ergo, inquit, non præciperetur nobis ista perfectio, quam in hac vita non habeat, scilicet in gradu perfectissimo quæ nec venialem offensionem admittit. ¶ Existit autem contra conclusionem hanc argumentum. Si perfectio Christianæ vitæ in eiusmodi charitatis præceptis consistit, quibus sine modo diligere Deum & proximum iubemur, cùm eisdem præceptis cuncti teneantur mortales, vniuersi cogerentur in culmine perfectionis viuere, atq;

Ratio conclusionis.

Tertia conclusio.

Probatio.

Bernardus.

Aristo.

Augusti.

Argumentum.

re,at q; adeò nemo esse valeret à culpa liber: quod impium est concedere,diuinæq; benignitati aduersum. Ad hoc autem respondetur non sic esse intelligendum, absq; modo & termino positum esse charitatis mandatũ, vt quemcunq; obligent fastigium charitatis tenere:sed vt vnusquisque intelligat quò debeat diligendo conari. Quare, vt transgressionis delictum quis euitet, satis est vt nihil contrarium charitati eiusq; præceptis committat:vt in solutione ad secundum luculentiùs patebit. ¶Quarta conclusio. Reliqua omnia præcepta, tam illa quæ in Decalogo expressa sunt,quàm vniuersa quæ ad ipsorum rationes reducuntur, atq; adeò cuncta cõsilia ad perfectionem ipsam charitatis assequendam referuntur:ac perinde in ipsis tãquam in instrumentis perfectio nostra consistit: diuerso tamen modo in præceptis quàm in cõsilijs.Nam præcepta sic charitati inseruiunt vt impedimenta tollant,quæ vel ei cõtraria sunt:vt,Non furtum facies. Non mœchaberis, & reliqua quæ sub reatu mortali obligant:vel eandem tepefaciunt,vt venialia peccamina.Consilia verò, vt suprà dictũ est, illa rescindunt,quæ etsi licita sint,nec charitati prorsus inimica, tamen, nonnulla sunt ad culmen progredientibus obstacula: qualia sunt rerum possessiones & matrimonia, quæ mortalibus innumera facessunt negotia. ¶Valeãt ergo qui monachorũ institutis petulanter oblatrant: haud enim, vti nobis imponunt,sic in operibus consiliorum exercendis perfectionem collocamus, vt eius substantia & essentia in illis suspicemur subsistere:neq; verò eadem consilia præceptis anteferimus:vt pote quæ non perinde atq; illa necessaria existimamus: sed sic prorsus monachatum ad perfectionem spectare profitemur,sicuti accliuis cõpendiariaq; via ad perfectionem obtinendã expeditior est. Accliuis inquam incipientibus: nam proiectioris planissima est. Atqui hic fortè non sinister est sensus illus verbi Christi,Matth.5. Qui fecerit mandata hæc minima, & docuerit sic homines,magnus vocabitur in regno cœlorum. Qui quidem sensus Chrysostomũ non latuit: & ideo à nobis illic peramplius locupletatus est. Apparet enim illic Christus consilia quibus Apostolicum ordinem instituebat, minima appellare mandata: & nihilominùs asseruit eorũ cultores magnos appellari in regnum cœlorum. Vnde nonnulla repugnantia prodire videtur: nam si minima sunt, quomodò eorum cultores magnos reddunt?aut si magnos reddunt, quomodò minima?Responsio ergo est,cõsilia idcircò censeri minima quòd non sunt ad salutem necessaria veluti præcepta: quæ proinde maxima censentur:quippe ex quibus nostra pendet salus: sed tamen qui hæc faciunt, eò magni vocabuntur, quòd non solùm præcepta seruant necessaria, verùm illa quæ etsi licita sint, obstare nihilo minùs ei possunt nè tanto compendio gradibus charitatis ad eius perfectionem conari valeant. Vide quemadmodùm non in consilijs perfectio constituitur, imò tam ipsorum quàm etiam præceptorum perfectio in charitate posita est. Quare de ambobus ordinibus ait simul in Enchiridio Augusti. Quæcunque mandat Deus,ex quibus vnum est. Non mœchaberis: & quæcunq; non iubentur, sed speciali consilio monentur:ex quibus vnum est,Bonum est homini mulierem nõ tangere: tunc rectè fiunt quum referuntur ad diligendum Deum, & in hoc sæculo & in futuro. Et Abbas quidam Moyses,vt in Collationibus Patrum legitur,Ieiunia,inquit,nigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illam peruenitur ad finem. ¶Quinta conclusio.Consiliorum obseruatio non solùm rationibus alijs,verùm & hac etiam adminiculum est ad altiorem obtinendum charitatis gradum, quòd cautionem præstant,vt præstantiùs ac tutius custodiãtur p̃cepta.Non dixerim consilia eum habere finem.Votum quippe castitatis non in hunc scopum refertur, vt euitetur adulterium,vel fornicatio.Neque votum paupertatis refertur ad cauendum furtum. Imo plurimi qui hæc vouent ab illis sceleribus liberi sunt. Quanuis aliquem eadem ratione contingat eiusmodi vota suscipere.Sed tamen hoc certum est quòd consiliorũ exercitium,clypeus præceptorum existit. Qui enim paupertatem ex animo delegit, elongatior est à perpetrando furto: & qui voto se castitatis obstrinxit, abstractior etiam ab adulterijs. Et qui pompis sæculi vale dixit, à cædibus est alijsq; inferendis iniurijs tutior. ¶Quare nulla arbitror violentia vaticinium illud Isaiæ.26. in hunc sensum adduci. Vbi propheta de vrbe fortitudinis loquens, cui est Saluator comparatus, ait: Ponetur in ea murus & antemurale.Muri enim appellatio

Solutio.

Quarta cõclusio.

Chrysost.

Augusti.

Quinta cõclusio.

ne quid

ne quid nisi legis præceptiones intelligamus quib⁹ salus nostra circumsepta protegitur? Antemurale ergo, & vt sic dicamus, legis pomœrium, haud ineptè consiliorum exercitium est, quibus Seruator noster legê Euãgelicam circumuallauit. Ecce quomodo monachi nõ in suis institutis perfectionem collocant. Sed vt Augustini verbis in de moribus ecclesiæ, vbi de ipsorum vita loquitur, vtamur, charitas inter eos si legitimi sint, prę cipuè custoditur. Charitati virtus, charitati sermo, charitati habit⁹, charitati vultus aptatur. ¶ Sexta conclusio. Votum religionis in paupertate consistit, castitate, & obedientia. *Sexta conclusio.*

Ratio conclusionis. Ratio huius est quòd religio in hoc vt dictũ est collocatur, quòd sæculũ deseras, vt Christum sequens gradibus charitatis proficias. Huc enim attinet Paulinum illud verbũ ad Galat. 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mũdus crucifixus est & ego mundo. Voluit enim eos qui Apostolicum institutum ample xuri essent, sic mundum post terga relinquere, vt non solùm eum prorsus obliuioni traderent, verùm & operam sedulò darent, vt mundus ipsorum vicissim obliuisceretur. Atque adeo vterq; alteri sic esset alienus, ac si duo essent cadauera: hæc autem abdicatio mundi non aliter fit quàm si illa relinquam⁹ quibus nos mundus retinet. Hæc verò, vt. 1. Ethicorum autor est Aristoteles, tria sunt genere bona: nempe externa, & corporis, atq; animæ: de quibus in sua. 1. can. Ioannes, Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Hæc ergo bona nè sua exorbitãtia, vel charitatem propellant, vel eius feruorem tepefaciant, præceptorum lineis ac normis limitãtur. Quare qui præcepta seruat, illis potest bonis licitè vti: nam iustitiæ limina non egreditur. Attamen quia etiam tunc nõ possunt non multa alendæ charitati creare pericula, saluifica Christus adiecit consilia: vt illis prorsus impedimentis eiectis expeditiores suam sequeremur crucem. Quòd enim ijs etiam qui præceptis obtemperant possessio sæcularium bonorum periculosa sit, enarrauit diuinè Christus Lucæ. 18. in illa parabola triplicis malignæ terræ. Quòd enim seminãtis verbum in terra iactum sit, legis precepta designat, humanis mentibus susceptа. Sed vel superbia vitæ eorum qui secus viam ambulant, hoc est cunctis mundi honoribus inhiant, vel cordium ariditas eorum qui carnis desiderijs madentes in spiritualibus arescunt, vel eorum solicitudo qui pungentibus diuitijs implicantur, semen idem salutiferũ, aut dæmonibus exponunt, aut roris inopia exiccãt, aut deniq; rerũ auaritia suffocant. Hac igitur de causa Christus legifer noster dum in montem ascendens, vt Matth. 5. refertur, vnde eum mundus audiret, non hominum, aut angelorum, sed os suum aperiens leges orbi ponere adornaret, statim vt optimus architector, ab ipso legum fine, nempè à beatitudine exorsus, Beati, inquit, pauperes spiritu: beati mites: beati qui lugent. Vbi tria monachorum vota delineauit. In triplici nanq;, vt. 1. Ethico. author est Aristo. sapiẽtes huius mundi versabãtur errore de suprema fœlicitate. Alij quippe in diuitijs eam collocabant, alij verò in honoribus, atq; alij in voluptatibus. Eorum ergo temulentam vesaniam trina sententia Redemptor retũdit. Cùm enim totus mortalium orbis fœlicitatem quam nullus non auet, vbi sita esset scire percuperet, communi omnium desiderio primo verbo obuiam exiuit. Optatis, inquit beatitudinẽ cognoscere quò lex omnis ducit: Beati ergo pauperes spiritu: hoc est spontanei. Ac si dicat. Tantum abest immodicam rerum exuberantiam homines beare, vt iustitia in earum potius moderato vsu cõsistat: beatitudo verò in eorum prorsus neglectu & abiectu. Mox, beati mites: nempè qui nõ satis habent iusto honorũ moderamine vti, verùm altiori se obedientia religantes, ab eorum tumultu perfugiunt. Beati qui lugent: hoc est nõ qui voluptatibus submerguntur, fœlices sunt: sed qui legis præscripto eis fruũtur, illi iusti. Qui verò vsq; ad lutum illas repudiauerint, illi beati. Et quò id quod paulò antè diximus clarescat, Nempè consiliorum exercitia ad egregiam mandatorum custodiam magnopere conducere, subdit: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: & beati misericordes. Etenim qui consiliorum votis sese perstringunt, non satis ducunt præcepta iustitiæ ac misericordiæ vtcunque seruare, verùm sitientissimè. Et quoniam tam consilia quàm præcepta ad fastigium, vt dictum est, & perfectionem charitatis perducũt, qua corda mundantur: cordium verò mundities ad Deum videndum mentis aciem purificat & exacuit, in qua visione beatitudo cõsistit, subdit: Beati mundi corde: quoniã ipsi Deũ videbunt. Et quoniã in omnimoda illa desideriorũ satietate & tranquillitate positũ est, vt iuxta *Paulus.* *Aristote.* *Aristot.*

vt iuxta Ioan. verbum filij Dei nominemur & simus: tandem concludit, Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabũtur. ¶Quòd si trinũ hoc consiliorum votum quod vno hoc loco stabilitur dispersum per Euangelium desideras, diuersis illud locis inuenies. Est enim paupertas horum ordine & vsu prima: quod Ambros. super Lucam adnotauit. Nam vt rerum facultates instrumenta sunt omniũ vitiorum, sic earum ablegatio generatrix est nutrixq; omnium virtutum. De qua insigne pleniſsimumq; extat Christi documentum, Matth. 19. vbi adolescentem, qui vitam æternam sitiebat, gradatim instituit. Primũ em̃ quod necessarium erat, admonuit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Mox cùm se illa à iuuentute seruari respondisset, adiecit: Si vis perfect⁹ esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperib⁹, & sequere me. Haud enim vendere quæ habes, si nudè id consideres, consilium est: sed pauperibus erogare. At quia neque in consiliorum vllo perfectio consistit, verùm in eo quod assecla sis Christi, ac perinde charitatis cultor, subdit: Et sequere me. ¶Sunt fateor Hieronymus & Origenes. illuc annuentes q̃ adolescens ille præcepta non seruaret, cuius nonnullum inde sumitur argumentum quod subditur: Impossibile est diuitem intrare in regnũ cœlorũ: vnde Lutherani colligunt nullã illic perfectionẽ designari, præter illã quæ in præceptorũ cultura sita est. Re tamẽ penitiùs cõsiderata, præferenda est aliorũ patrũ sententia. Videlicet verè respõdisse, dum eam dixit ab ineũte ætate seruasse, tametsi nõ adeò id feruidè fecisset. Refert enim Marcus tum eũ Christũ intuitum dilexisse: quod nisi verè loquutũ intellexisset, nõ fecisset. Adde q̃ si Christus nosset mentitũ fuisse, vel id ipsi significasset, vel nõ tanq̃ altiorem gradũ supra mandatorũ culturã adiecisset: Si vis perfectus esse. In summa, cũ tanto verborũ discrimine priùs dixisset. Si vis ad vitã ingredi, serua mãdata. ac subinde. Si vis perfectus esse vẽde omnia quæ habes: quod re vera ad ingressum vitæ nõ est necessariũ, citra dubiũ mandatorũ neceſsitati adiecit spõtanea cõsilia: quę vtiq; ad perfectionem tutior cõpendioſiorq; via est. Quod quidẽ Petrus planè intelligẽs protin⁹ noĩe oĩm interrogauit: Ecce nos reliquimus oĩa & secuti sum⁹ te, quid ergo erit nobis? Ex quibus verbis, vt quæstione sequẽti visuri sumus, edocti sumus Apostolos votũ susce pisse, quod modo religioſi eorũ exẽplo edũt.

Victorũ numerus deducũ ex satris literis. Ambro.

Hieronym. Origenes.

Quòd autẽ iuuene consilium renuente Christus adiecit, nempè diuitibus difficilem esse ingressum regni cœlorum: exaggeratio fuit periculorum quæ à diuitiarum possessione possessoribus imminẽt. Nam si ille qui cùm præcepta vtcunq; seruasset, tanta auiditate Christum, quem magistrũ confitebatur, conuenerat, qui se viam regni doceret, anteà eius consilium quàm diuitiarum possessiones repudiauit: quid de aljs sperandum? ¶Ecce quemadmodùm paupertatis votùm nõ est perfectio, sed perfectionis medium, quæ in Christi obsequio charitatisq; ardore collocatur. Idem ergo & de voto castitatis censendum. Hoc enim & alterum verbum eiusdem Redẽptoris in eodem capitulo denotat: Sũt eunuchi qui se castrauerunt propter regnũ cœlorum. Idemq; docet Paul. 1. ad Corinth. 7. Qui sine vxore est, solicitus est quæ domini sunt: quomodò placeat Deo. Et mulier inupta & virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quibus locis nõ in castitate, sed in charitate perfectio ponitur. Atq; idem de voto obediẽtiæ facile est elicere ex verbo Christi, Luc. 9. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suã quotidie, & sequatur me. Et enim cùm hominis natura quæ cæteris animãtibus præstat, de libertate penitus dignoscatur, secundùm quam factus est ad imaginem Dei, idem est se hominẽ ipsum abnegare quod propriã libertatem alterius arbitrio voti nexu subdere. Sed nec in hoc perfectio figitur nisi Christũ sequaris, vbi sita est charitas. ¶Consultò autem septimam hic addiderim conclusionẽ. Abrenuntiatio sæculi eo pacto quod explicatum est, non modò in iure diuino exiſtit per Christum legiferum nostrum constituto, verùm ex visceribus naturalis iuris depromitur. Atq; adeò Christi prędicatio, legis naturalis declaratio fuit. Probatur. Christus qui autor fuit naturę, vt crebrò in superioribus diximus, illã neq; destruxit, neque mutauit, sed sua lege tum declarauit, tum etiam, vbi ipsa deficiebat, perfecit: consuluit autem nobis eandem sæculi renuntiationem: ergo idipsum in iure naturæ latebat licèt non omnibus esset notũ. ¶Secundò ad idem arguitur. Deum, dum homo factus in hunc venit mundum, maximè decebat, vt illud vitæ institutũ nobiscum victurus iniret, quod secundùm naturam quam ipse condiderat, optimum esset, elegit autem eam vitã quæ in cõsiliorum exercitio posita est, nem-

Septima cõclusio.

Probatio cõclusionis.

Argu. 2.

pe paupertatem, & inacceſſum caſtitatis cul
men: nam obe dientiam quæ caſtitatis voto
annexa eſt, cùm caput eſſet eccleſiæ, nemini
præter parẽtem ſuum præſtare potuit: ergo
Solutio. hæc eſt à natura ſua optima vita. ¶Sed for-
ſan quis reſpõdeat. Non quòd ſecundùm na
turam optima eſt eam elegit vitæ conditio-
nẽ, ſed quòd cùm nobis eſſet ad vitam æter-
nam expeditior, decuit vt non ſolùm verbis,
ſed exẽplo nos ſuo ſic inſtitueret. Fuit enim
condecens, vt facere inciperet, quod verbo
docturus erat. Hic autem cauillus neruum
Replica. argumenti non rumpit. Imò illud cõfirmat.
Si enim nobis hæc vita expediebat, ſignum
eſt, ex natura rei eſſe expedientem: alioqui
aliter nos inſtituiſſet. Quoniam nè rerum
naturã mutaret, docuit nos eius veritatem.
¶Atq; id demũ legitima ratione & cauſa cõ
monſtratur. Ille eſt ſecundùm naturam opti
mus vitæ ſtatus, qui ad ſempiternam fœlici-
tatem aſſequendã aptior eſt & expeditior:
quòd autem eiuſmodi ſtatus in renuntiatio-
ne ſæculi cõſiſtat ex natura rerum, planè col
ligitur: quandoquidem iam mõſtratum eſt,
temporalia bona, vxorumq; ac familiæ ap-
paratum humanos animos ineſcare atq; ir-
retire, nè ad ſpiritualia ſuo ferantur impetu.
Obiectio. ¶Quod ſi nos quis fortè redarguat, hæc bo-
na temporalia Deo authore in gratiam hu-
mani generis eſſe creata, nobisq; in vſum in-
dulta: quare legitimum eorum vſum pro-
piùs ad perfectionem accedere, quàm omni-
Solutio. modam eorum abiectionem: Reſpondetur,
argumentum concludere quòd ſi in eo ſtatu
hominũ genus perſtitiſſet in quo Deus illud
condidit, nihil periculi ab eiuſmodi bonis
nobis immineret: ſed potiùs ad inflamman-
dum diuinũ amorem nobis eſſet obſequio:
atq; adeò tunc neq; caſtitas virtutis munus
eſſet, neq; verò paupertas. Attamen poſt la-
pſum eiuſdem noſtri generis, illa quæ nobis
ſalubria erant, facta ſunt nocua. Non q̃ res
ipſæ naturas ſuas mutauerint, ſed quòd nos
noſtram deprauauimus. Sicuti vinum quod
ſanis vſui eſt, ægrotis eſt nocuum: inedia ve-
rò quæ firmis validisq; hominibus nocet, fe-
Octaua con brem patientibus medela eſt. ¶Octaua de-
cluſio. niq; poſtremaq; cõcluſio ſit. Ad perfectionis
ſtatum, qualiter in conſilijs conſiſtere expli
catum eſt, nec ſufficit nec verò requiritur vt
re ipſa legitimè cuſtodiãtur: ſed in hoc eiuſ-
modi ſtatus conſiſtit, quòd perpetua voti ſo
lennis obligatione ſtabiliatur. Concluſionẽ
hanc contra eandem Lutheranorum hære-
ſim, ſic enim eodem citato lib. De votis mo-
naſticis, religionis vota permittit, vt tñ non *Lutheri e-*
ſint perpetua: & quo hominem de ſuis ver- *ror.*
bis agnoſcas, ſic inquit: Monachis vouendũ
eſſet: Voueo obedientiam, caſtitatem, & pau
pertatem, ſecundùm regulam Diui Auguſti
ni vſque ad mortem liberè. Hoc eſt, vt quan-
do mihi viſum fuerit, mutare poſsim. Vide
temulentam verborum pugnantiam, vſque
ad mortem, vt mutare poſsim. Si enim vſque
ad mortem, quomodò mutari poteſt? nam
vinculum quod ante mortem abrumpitur,
non eſt vſque ad mortem firmum. ¶Igitur
concluſio hæc è duobus pendet. Prius eſt,
vtrùm legitimè ac decenter tale votum face-
re quis poſsit perpetuum. Poſterius, an ad *Prima rõ.*
ſtatum perfectionis ſit neceſſarium. Et qui- *Lutherum.*
dem priorem partem, nemo niſi mente cæ-
cus negare valet. Enimuerò cùm ſe homo ci-
uilibus contractibus in perpetuum obliga-
re queat, cur ſe non poterit Deo æternum
mancipare? vt quod anteà integrum erat, at-
que adeò ſibi liberum facere, deinceps, per
datam fidem in vinculum præcepti trãſeat?
Poteſt inquam quiſque res ſuas in perpe-
tuum vendere, poteſt & libertatem ſuam cõ-
nubiali fœdere coniugi obligare, vt nexus
inde reſtet inſolubilis, imò verò & ſecũdùm
ciuiles leges poteſt quis ſeſe in perpetuũ ſer-
uum alteri vendere: atque adeò alijs multis
modis ſuam alteri ſic in perpetuum impi-
gnorare fidem, vt citra culpam nullus ei pa-
teat ad libertatem regreſſus. Quid ergo ob-
ſtat quo minùs ſe Deo, cui ſeruire, regnare
eſt, ſe quiſque poſsit ſeruum offerre: idque
inſolubili vinculo ſanctiſsimè confirmare.
Accedit huc quòd ſacerdotes decenter etiam
ſe irreuocabili fœdere ſacrorum miniſterio
alligant. ¶Adde quòd qua ratione iſti ne- *Secunda rõ.*
gant poſſe ſe quenquam legitimè & cõgruè
in perpetuum obligare, negare coguntur id
fieri poſſe in tempus aliquod certum ac præ
finitum, quantumcunque ſit paruum. Nam
ſi poteſt ſe homo in annum deuincire, pote-
rit & in duos, & in decẽ, & perpetuò. Quòd
ſi non poteſt in annum, fit vt neque in men-
ſem, neque in diem, neque in horam. Quod
eſt totam voti naturam denegare. In ſum-
ma, iſti nullam obligationem in voto cogno
ſcunt. Haud ergo ad ſuam freneſim reſpon-
dendum eſt, nè eis cõtra ſapientis documen-
tũ, ſimiles videamur. ¶An verò conſiliorum
exercitiũ citra perpetuũ votũ non mereatur
ſtatus nomẽ, monſtrandũ nobis reliquũ ſit.

Id quod

Id quod sic elucidatur, status, idem sua voce esse indicatur quod cõditio libertatis, aut seruitutis. Dicitur enim status matrimonialis propter vinculũ fidei inter cõiuges: quæ quę dã est seruitus, & status mulieris solutæ propter libertatem: status autem spiritualis, siue seruitutis sit siue libertatis, non solũ internã obligationem, quæ Deo patens est, requirit: verũ & externã solennitatẽ in cõspectu ecclesiæ. Non enim hic de statu gratię aut peccati nobis sermo est, qui in foro tantũ Dei decernitur, sed de illis statibus atq; ordinibus quib' ecclesiæ pulchritudo cõpaginat: quæ ceu regina spõso à dextris assidet, circũamicta varietate. Exemplum in ciuilibus patet. Haud enim ob id quòd quis alteri seruiat, in statu seruorũ est: nã potest quisq; liberè alteri inseruire: sed quia solẽniter se in seruum tradit. Nec verò in statu libertatis asseritur, propterea q; qualitercunq; à seruitute se eripiat: nã põt fugere: sed quia publico instrumento libertate donat. Parivtiq; modo & si quisq; absq; solẽni voto possit consiliorum exercitio proficere, atq; adeò illum charitatis gradũ ac meriti apud Deũ attingere, quẽ religiosorũ multi nondũ fuerint assequuti, statũ tñ perfectiõis nemo absq; ppetuo vinculo habet. Et viceversa, quãuis religiosus nõ pro ratione & dignitate sui instituti fuerit charitate progressus, nihilo minùs ratiõe solennis voti in statu est perfectiõis. Ob idque vbi cætera paritatẽ habeãt, idẽ opus religiosi, vt q. 2. dictũ est, cumulatioris est apud deũ meriti. ¶Confirmatur autem eadẽ nostra cõ cluſio aduersus istos hęreticos. Nam nisi perpetuo voto religio cõstaret, multa essẽt Euãgelica testimonia quæ nullum haberent legitimum sensum. Illud em̃ Lucæ. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò, aptus est regno Dei: etsi de Christiana religione in vniuersum veritatem habeat, peculiariter tamẽ vitæ monasticæ sancti applicant: sicuti & illud Lucæ. 7. Memores estote vxoris Loth. Et tamen si citra culpã liceret à cœnobio in sæculum retrogredi, nihil iuris regni Dei illa ratione deperiret. Et illud suprà citatum Leuit. 27. Omne quod Domino cõsecratur, siue homo fuerit siue animal, nõ veniet nec redimi poterit, sed sanctum sanctorum erit: haud ineptè, vt suprà vidimus, sacerdotibus ac monachis assuitur. At quid cũ istis disputamus? nisi religionũ instituta solẽni voto firmarentur, quidnã essent aliud religiosorum clausura, q; hominum ludibria: nempè hodie plena, cras vacua. Et qui hodie cucullam gestaret, cras esset opifex coniugatus. ¶Restat autem cõtra ea quæ dicta sunt postremum argumentum soluere. Inter cœnobitas nihilo seciùs distinguendi sunt tres hominum ordines, quàm inter sæculares: videlicet incipientium, proficientium, & perfectorum: non ergo omnes sunt in statu perfectionis. Ad hoc verò per ea quæ circa postremam cõclusionem modò dicebamus respondetur. Nam etsi antecedens verum sit, consequentia tamen est nulla. Dicuntur enim esse in statu perfectionis, non propter progressum ad culmen, sed propter votum. Quãuis pudore deberent monachi omnes suffundi, qui non ad eum cõnituntur scopum, quem habitu & ceremonijs profitentur. ¶Igitur qui monachorũ statum, sic explicatum, perfectionis esse denegat, in ius omne, naturale, scilicet, diuinum, & humanum iniurius est. Haud enim vnquam vlla fuit mundi ætas, in qua non essent aliqui à reliquo populo vitæ instituto semoti: qui specimen aliquod religionis præ se ferrent. Initio nanq; statim nascentis orbis, inter cæteros mortales legitur Genes. 5. Enoch peculiariter ambulasse cum Deo: Quare non refertur morte sublatus, sed non apparuisse. Et inter Philosophos Pythagoreorum schola ac Diogenis assęclæ vitam agebant à communi cœtu secretam: ab ijs videlicet abstinentibus sæcularibus fruitionibus, quę votis monasticis abijciuntur. Et Romæ erant sanctimoniales quæ Vestæ virgini tatem voto consecrabant. Et Hiere. 35. cõmemorantur Rechabitæ, quorũ religionis professio erat, vinum nõ bibere, nẽq; domos extruere, neq; sementem serere, neq; plantare vineas. Et de Elia atq; alijs Prophetis refert Paul. Ad Hebrę. 11. quòd circumibãt in melotis, in pellibus caprinis: egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ. Et, vt capite. 3. super Matthæum è Iosepho libr. 18. antiquitatum retulimus, ante aduentũ Christi degebat in deserto Iudeæ Essenorũ collegium à reliquo populo in cellulis segregatũ: videlicet à matrimonijs abstinẽs, parcissimoq; cibo vtens, eodem deniq; instituto, quo Christianorum Anachoretæ mirifica sanctitate viuentes. Inter quos fertur Ioannes Baptista nutritus. ¶At quãdo in hunc diuũ incidimus, quisnã eum respiciens in religiones audeat obgannire? Hic nãq; Domini Præcursor anteâ sanctus

Cõfirmatio in Lutherũ

Argumẽtum.

Solutio.

Paulus.

Iosephus.

ctus quàm natus, non aliter appropinquans regnum cœlorum prædicare tentauit quàm ab humano conuictu semotus, habitusq; & victus horrore significantiùs quàm verbo, illius pœnitentium vitæ nos admonens, quã pro sua virili monachorum institutores imitari sategerũt. De Apostolis autem angustia loci dicere non finit quem ad modũ à magistro suo prima susceperint semina, primaq; iecerint fundamenta cœnobiticæ vitæ. Alij enim fuerunt, inter quos Thomas Vvaldensis. 2. & 5. tomo de sacramentalibus aduersus Vvicleff, argumentum hoc ditissimè locupletauerunt. Mihi autem is tantùm animus fuit, vt scholastico stylo rem vtcunq; summatim dilucidarem.

Thomas Vvaldẽsis.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur argumentum respondetur, religionis nomen communi vulgariq; significato vniuersos comprehendere mortales, ac præcipuè Christianos, qua tenus Deũ virtutũ officijs secũdùm legis præcepta colũt. At verò per antonomasiam illis tribuitur, qui super præceptorum culturam consiliorum statum capessunt, siue religio à religãdo dicatur, vt Augustin. ait, in de vera religione: nempè q̃ præter præceptorũ nexũ arctiori se religant: siue, vt Ciceroni libr. 2. de natura Deorum visum est, religiosi à relegendo dicti sint, quippe qui omnia quæ ad cultũ Dei pertinent retractent & tanq̃ relegant. Sacerdotes autem hoc pariter nomine, videlicet sacerdotum: quod sequenti lib. iterum dicturi sumus, per similem antonomasiã appellantur: eò quòd inter Christianos qui suo modo se suaq; Deo sacrificant, propriè sacrificia offerunt. Quare antiqui Patres monachorum religionem, nõ verebantur perfectã appellare, vt est apud Vvaldensem tomo. 5. cap. 83. videre. ¶ Ad secundum argumẽtum, egregiè Augustinus respõdit in lib. de perfectione iustitiæ, perfectionẽ charitatis in hac vita absolutè vniuersaliterq; nobis præcipi: adeò vt sub illo generali præcepto, Diliges Dñm Deum tuum ex toto corde tuo, dilectio etiã patriæ comprehendatur. Enimuerò, sicuti in inferno nunq̃ à Dei odio desistitur, quod illic etiã peccatũ est, licèt nõ sit maioris pœnæ demeritoriũ: ita & in patria vbi nunq̃ a Dei amore cessatur, mãdato dilectiõis obeditur: tametsi meritũ gloriæ nõ augeatur. ¶ Ex hoc autem Augustini asserto Lutherus suũ illud delirũ dogma elicuit. Quòd nemo in hac vita dilectionis mandatum implere valet. Ex quo rursus intulit, q̃ cùm singula opera ad normã eiusdem mãdati exhibere teneamur, quocunq; opere cuiuscunq; virtutis peccamus. Hoc enim erat illius hominis ingeniũ, vt passim pugnantia diceret. Haud siquidẽ cæcus videre potuit, quemadmodũ diceret, Deum nos ad impossibile obligare: quod ex sententia Hieronymi assertu impium est, vt lib. 3. de Natura & gratia, cap. 4. latissimè demõstrauimus. August. ergo illic se planè explicat: vbi duplicem charitatis perfectionem dignoscit: nempè viæ & patriæ: per charitatẽ enim viæ, tendimus in illam quæ est patriæ. Quare perfectio huius nostræ est, recta ad brauium currere, vt dicit Paul. perfectio autem patriæ est in Deo ipso quiescere. Atque adeò in hac vita implemus præceptum tanq̃ viatores, vt ex toto corde, idẽ sit quod nihil charitati aduersum mentis assensu concipere. In patria verò, tanq̃ cõprehensores, vt ex toto corde idem sit quod cõtinenter sic amare vt nihil de amoris feruore neq; per minimã negligentiã vnq̃ remittamus. Quin verò nõ solũ impletio mãdati charitatis in hac vita esse potest quæ incipiẽtibus cũ aliquo colluctatione timore, verũ & perfecta charitas quæ secundùm Ioannem foras mittit timorem: quia vt ipse ait. 1. Cano. cap. 2. Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas eius perfecta est. Et Christus nos admonet vt simus perfecti, sicut eius pater. Et Paul. 2. ad Corinth. 13. De cætero fratres gaudete, estote perfecti. In summa, vt Lutheranis satisfaciamus, nõ Augustinum modò, verùm & Paul. ad Philippẽses. 3. vtrunq; perfectionis gradum, nempè viæ & patriæ planè distinxit: ait enim primùm: Nõ quod iam acceperim, vt iam perfectus sim, scilicet triumphantium perfectione. Sequor autem si quomodo comprehendam. Perfectio ergo viæ sequi est: de qua protinus subdit: Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Igitur. 1. ad Corinth. 13. de perfectione patriæ loquebatur, per quam illa quæ cũ fide viatrix est euacuabitur. Iacobus autem intelligit etiam perfectos in via, in multis venialibus offendere: quæ charitati non aduersantur. ¶ Ad aliud autem ad Colossenses. 3. iam concessum est, perfectionem quidem in charitate consistere. In consilijs autem tanquam instrumentis. Ad tertium argumentum per secundam conclusionem satisfactum est, nempè in illis duobus mandatis, tanquàm in conseruantibus, eandem sitam esse perfectionem.

Ad secundum argumentum.

Lutheri pestiferum dogma.

Hieronym.

Augustin.

Cicero.

Paulus.

Ad tertiũ argumentũ

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm paupertas ad mendicitatem vsque ad perfectionem vitæ monasticæ pertineat.

POSTQVAM in genere de perfectione cœnobiticiinstituti dictum est, congruit, vt de singulis trium votorum non nihil disputationis adhibeamus. Et

Primum argumentũ. primò de paupertate quæritur, vtrùm vsque ad mendicitatem sit congrua: videtur enim Apostolus.2.ad Corinth.8. modum Christicolis eleemosynarum præstituere. Si voluntas, inquit, prompta est, non secundùm id quod non habet:non enim vt alijs sit remissio,vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. Vbi sic Christi alumnos, ad eleemosynas animat,vt simul admoneat nè se tribulatione paupertatis premant. Et glossa super illud ad Timotheum.6. Habentes alimenta & quibus tegamur:ait,non esse hæc temporalia abijcienda. *Gloſſa.* *Argumẽ.2.* ¶Secundò, qui se periculo obijcit impatientiæ, in culpa est: qui autem se in mendicitatem adigit, tale subit periculũ ergo id non est virtus. Secunda verò præmissa,multis testimonijs comprobatur. Ait enim Sapiens Prouerbiorum,30. Mendicitatem & diuitias nè dederis mihi:sed tribue tantùm victui meo necessaria: nè egestate compulsus furer,& periurem nomen Dei mei. Et Ecclesiast.27.Propter inopiam multi deliquerũt. *Aristo.* Et Philosoph.4.Ethic. Videtur,inquit, diuitiarum corruptio perditio quædam ipsius hominis: quippè cùm homo diuitijs viuat. *Argumẽ.3.* ¶Tertiò, virtus, vt.2.est Ethicorum, in medio consistit,mendicitas autem extremũ est. Eò potissimùm quòd diuitiæ fœlicitatis instrumenta sunt, vt.1. Ethicorum author est Philosophus: cui & Ecclesiasticus capite.31. astipulatur. *Argum.4* Ergo mendicitas aduersatrix potiùs est perfectionis,quàm nutrix. ¶Quartò:esto consilium sit cuncta prorsus propria abijcere:non tamen inde fit protinus consequens,vt mendicare liceat, sed tenentur tunc monachi manibus laborare, sicuti Paulus.1. ad Corinthios.4.se fecisse testatur,& Actuũ 20.Ad ea enim,inquit, quæ mihi opùs erant ministrauerunt manus istæ.Et.2. ad Thessaloni.3.Si quis non vult operari,nec mãducet. *Argum.5.* ¶Quintò,quando hæc omnia cessarent,conducentius ad monachorum quietem esset, aliquid saltem in communi possidere,quàm vt victum quæritantes inter sæculares oberrarent. ¶Accedit postremò quòd Episcopi altiori sunt gradu genere suo quàm cœnobitæ: quorum tamen perfectioni mendicitas non congruit. ¶In contrarium autem est verbum Christi,Matth.5. Beati pauperes spiritu:vbi textus Græcus habet, Beati mẽdici.

QVanuis in superioribus assertum fuerit paupertatem perfectioni charitatis inseruire, scire nihilo minùs superest, quonam gradu sit capessenda. Duplex nanque paupertatis genus inter religionum cultores inuenias:alij nanque sunt quadripartiti,quorum primæua institutio fuit,mendicitas,hoc est,vt neque priuatim ab vllo monachorum, neque in communi à toto cœnobio quicquam possideretur:sed quotidianis eleemosynis victitarẽt,siue oblatis, siue quæsitis,& postulatis. Vtra autem istarum paupertatum ratio sit alteri præferenda,non desunt qui disputent. Imò nec defuerunt hæretici qui vtranque refutarent.

¶Respondetur ergo tribus conclusionibus. *Prima conclusio.* Prima. Omnimoda mendicitas:nempe vt neque priuatim neque in cõmuni aliquid possideatur, si genere suo existimetur, plus habet dignitatis,& meriti apud Deum, quàm in communi possessio. *Prima ratio cõclusionis.* Prima conclusionis ratio, ex rerum natura, vt suprà dictum est, proficiscitur:est enim religionis monasticæ institutio, illam amplecti disciplinam per quam ad perfectionem charitatis expeditiùs ascendatur: primũ autẽ quod hominũ aĩos fascinatos ad sui amorem inescat, est rerum possessio. Nam cùm pecuniæ obediant omnia,qui illam amat, per eam cuncta concupiscit:& qui illã abijcit, omniũ quodammodò mundanorũ affectũ abse facilè amputat. Vnde Augustin. in lib. trigintatrium quæstio. *Augustinus.* Nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis:perfectio, nulla cupiditas. Esset ergo tutius nunq̃ amorem in hanc rerum lubricitatem infixisse. Attamen secundùm hunc alter est gradus ab eisdẽ cùm possidentur animum euellere:quod lõgè est difficilius. Quo circà idem August. Ad Paulinũ & Therasiã: Terrena,inquit,diliguntur arctiùs adepta, q̃ concupita. Nam inde iuuenis ille Euangelicus tristis discessit,q̃ magnas habebat diuitias. Aliud est enim nolle incorporare quæ desunt,aliud iam incorporata diuellere. Illa

nanq; velut extranea repudiantur: ista verò velut membra præscindũtur. Non igitur inconsultò legislator noster inde legiserã suã concionem orsus est, Beati pauperes spiritu. Quapropter quanq; nihil aliud laudis in sancta paupertate cõperiretur, hæc esset præclarissima, quòd primum verbum quo Deus, legem orbi positurus, os suum aperuit, fuit fœlicitatem in ipsa collocare. ¶ Quòd autem hæc paupertas vsq; ad mendicitatẽ & nuditatem sit Christi alumnis cõmendabilis, magnificè Paulus exaggerat in posteriori Epistola ad Corin. cap. 8. Scitis enim, inquit, gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniã propter vos egenus factus est, cùm esset diues: vt eius inopia vos diuites essetis. Si ergo, vt suprà diximus, nullum officiũ præstitit, quod ex rei natura non esset honestum, cõsilium est diuitibus, in pauperes sua bona distribuẽtes egenos fieri, vt cœlestibus diuitijs perfruantur. ¶ Accedit & eiusdem Seruatoris exemplum, qp nihil possedisse legitur, nisi quod illi in diem suæq; familiæ porrigebatur. Vnde Matth. 8. Filius, inquit, hominis non habet vbi caput suum reclinet. Accedit insuper & eius institutio. Matth. 19. Oĩs qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, vel patrem, vel matrẽ, vel vxorem, vel filios, vel agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitã ęternã possidebit. Vide quam cunctis rebus eũ denudet qui optauerit esse perfectus. Quare Apostolis quos lucẽ mundi, & sal terræ esse voluit: Nolite, inquit, possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniã in zonis vestris. ¶ At verò propter cauillum quarti argumenti subtexitur secunda conclusio. Religiosi qui proprijs renuntiarunt, non tenentur manuum labore victum quærere: sed iustissimè mẽdicare possunt. Conclusio est de qua Di. Augustinus iustum volumen de opere monachorũ inscripsit: quã subinde D. Thomas opusculo. 19. cap. 5. locupletissimè simul ac disertissimè contra religionum hostes dilucidauit. Graphicè nanq; gloss̃a super caput Exodi quintum, hæreticos, qui monachos in manuales labores adigunt cum Pharaone componit: qui Moysen & Aaron obiurgabat dicens: Quare soli citatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra. Probatur ergo conclusio, iure naturæ, & gẽtium, & cum primis diuino. Finis spiritualium bonis temporalibus præstantior est: sed in republica milites & equites, atq; adeò iudices qui ad bella generãda, aut ad tuendam iustitiam, aut deniq; ad rempublicam administrandam deputati sunt, communibus stipendijs populi sustentantur: qđ & Paulus ad Roma. 13. iure etiam diuino iustum existimat. Ideo enim, inquit, tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt. Religiosi autem monasticè viuentes, spiritualium functione Reipublicæ inseruiunt: quod multò est magis ipsi necessarium, quàm temporalium administratio. Ergo nihil aliud quàm naturæ ius, & gentium, ac diuinum est, vt populi eleemosynis sustententur. Illi nanq; qui verbi ministerio incumbunt, digni sunt mercede sua: nam studij gratia, necesse habent à manualibus operibus eximi. De quib' ideo Paulus. 1. ad Corinth. 9. Per exempla complura à naturalibus desumpta colligit eos qui spiritualia seminant, ius habere metendi temporalia. Sic enim, inquit, Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere. Vbi gloss̃a: sic Deus rationabiliter disposuit de prædicatoribus, vt expeditiores sint ad prædicandum. Imò verò & Christus Matth. 10. idipsum explicuit. Ob id enim discipulos sine pera prædicatum dimisit, quòd dignus est operarius cibo suo. Et quando hanc prouinciam non susceperint, quæ tamen mendicantium ordinibus solennis est, vacant etiam sacramentalibus confessionibus audiendis. Imò verò his etiã cessantibus ob id quod statos Psalmos solẽniter persoluunt, precesq; assiduas pro populo fundunt, & supra hęc omnia sacrorum studijs diuinæq; contemplationi vacant, ius habent diuinũ & naturale vt populi stipendijs viuant. Vnde Augusti. opere illo citato: Si Euangelistæ, inquit, sint, potestatem habent de sumptibus fidelium viuendi: sin ministri altaris, eandem non arrogant, sed planè sibi vendicant potestatem. Quin etiam Apostolus ipse loco citato rem ad certũ officium non perstringit: sed in genere ait, Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? & qui altario deseruiunt, cum altario participant? Quo fit vt qui monasticos religiosos operum solicitudinibus implicare contendunt, Marthæ opinionem sequantur, quæ sororem suam ad pedes Christi contemplatione fruentẽ diuellere inde conabatur, vt se iuuaret. Quam quidem Christus opinionem ipsi retudit, dicens: Porrò vnum est necessarium. Ob idque bene gloss̃a illud Matthæi. 6. Respicite volatilia cœli, non laborant, &c. & tamen Deus

Mendicitas in sacris literis cõmendatur.

Secunda cõclusio.

Augustin⁹.

D. Thomas.

Gloss̃a.

Probatio cõclusionis.

Paulus.

Augustinus

Gloss̃a.

pascit

pascit ea, sanctis contemplationi vacantibus attribuit: qui ita à mũdo sursum euecti sunt, vt nil in terris agentes aut laborantes, sola cõtemplatione in cœlo degant. Meritò ergo *Hieronym⁹* Hieronymus in prologo super Iob, eos obiurgat qui malunt monachos fiscellam iunco texere, aut palmarum folia complicare vt in sudore vultus panem edãt, quàm vt iuxta sententiam Seruatoris diuinorũ cibum operentur qui non perit. Accidit supremè quòd mendicitas ad humilitatem non parùm cõfert, qua ratione Alexio atq; aliis sanctis laudi datur quòd splẽdidas facultates ab se abdicauerint, vt mendicata stipe viuerent. Impietas ergo est sanctam mendicitatem impugnare, atq; adeò peregregium charitatis officium monasticos mendicantes alere. ¶ *Tertia conclusio.* Tertia conclusio. Quamuis genere suo mendicitas omnimoda præferenda sit, potest nihilominùs ratione finis aliarumq; circunstantiarũ pro tempore & loco conducentius esse ea in cõmuni possidere, quæ monachorũ victui sunt necessaria. Cõclusio est quæ ex D. Tho. *D. Thomas* còlligitur. 2. 2. q. 188. ar. 7. Atqui in primis q̃ eiusmodi possessio nihil de religionis perfectione deterat, tum canon, expedit. 12. q. 1. ait. tũ ex superioribus palàm fit. Haud enim in paupertate perfectionem sitam esse mõstrauimus, sed in charitate. Cùm ergo in paupertate ea tantũ ratione consistat q̃ rerũ amorẽ solicitudinẽq; præscindat, ea paupertatis spe *Prima ratio cõclusionis.* cies in vnaquâq; religione præstantior est, quæ ad eius finẽ aptiùs cõfert. Etenim vt instrumentũ ac medicamen nõ eo melius quo maius, sed quo ad finẽ accõmodatius: sic & de paupertate censendũ. Vnde si ordo institutus est ad cõtemplationis opera & prędicationẽ, quod quidẽ munus altã mentis quietẽ requirit: & tempora extãt vbi à populo non facilè religiosorũ egestati succurritur, non solũ perfectioni nõ repugnat aliqd habere in cõmuni, verũ cõfert. Quoniã illa monachorũ diuagatio, quę ad victũ quęrendũ necessaria est, otium nõ secũ permittit quod ad eius modi spiritualia munia exercẽda est operæ- *Secunda ratio.* pretiũ. ¶ Secũdò & ex eâdẽ tẽporũ inclemẽtia alia oriri potest cõmoditas eiusmodi possessiõis in cõmuni. Nẽpe q̃ postquã charitas refrixit, mendicantes molesti sunt populo & onerosi. Qua ratione religio vilescere in eius oculis incipit. Præterea nimia egestas cogere mẽdicos assolet aliqua negotia cũ secularib⁹ tractare, & aliquibus qñq; improbitatib⁹ victũ extorquere, quæ eorũ instituta obscurãt.

¶ Adde quòd quando religiones in illa syncera mẽdicitate institutæ fuêre, multa eidem instituendæ suffragabantur quæ ab aliquibus iam temporibus languêre videmus. Primũ enim summa victus parcitate vestitusq; vtilitate contenti erant. Adeò vt eleemosynæ quæ nunc vix viginti religiosis sufficiũt, pluribus tunc quã centũ satis erant: nam & corporis natura facta est imbecilior, & spirituales vires remissiores. Legimus nanq; in historia diui patris nr̃i Dominici, quandoq; œconomum obiurgasse, quòd sæpius quàm par esset pitanciam cõuentui porrigeret. Quod argumentum est perrarum quidem fratrib⁹ fuisse ouorum aut piscium vsum, sed leguminibus victitasse. Mox & charitas tunc populi locupletior erat ac syncerior. Et quod citra pudorem fateri monachi nõ possumus, nostra tũc vita alium quã modò splẽdorem habebat, vt populares animos alliceret. *Tertia.*

¶ Sed ais, Rerum possessiones non possunt non possidẽtium animos solicitare, tum ad culturam, tum etiam vt augeãtur. Fatemur equidem: sed tamen hoc perpendẽdum est, vtrãnam solicitudo animos acerbiùs angat ac diuexet, quæritarẽne quotidie necessaria, an curare quæ in communi possidentur: nã solicitudo possessionum præter vnum aut alterum qui illas procurat, cæteros vel non tangit, vel quàm tenuissimè: solicitudo autẽ quotidiana plurimos occupat. Quòd si Christo institutore nostro exemplum sumere lubet, quanuis, vt dictum est, indigentis vitam delegerit, nihilo minùs eleemosynas sibi oblatas in diem reseruabat. Habebat enim loculos Iudæ commissos. Nam Ioannis. 4. dicitur quòd abierunt discipuli in ciuitatem vt cibos emerent. Et Ioan. 13. iussus est Iudas ea emere quæ ad diem festum opùs erãt. Quanuis non nisi exiguos horariosque nummos seruari sinebat. Quare ad emendos panes fatiandæ turbæ pecunia discipulis defuit. Et nè illa quæ in victum tantum & in pauperũ subsidia seruabantur in prophanos vsus verterentur, noluit inde tributum solui, sed Petrum ad piscem misit qui ei didrachma oreporrigeret. Et nonnunquàm præ inopia eosdem discipulos spicas collectum misit. *Obiectio.* *Solutio.*

¶ Absit ergo vt aduersus omnimodam mendicitatẽ oblatrare velim: vtpote quàm suis nominibus superiùs illustrauerim. Fuerunt enim olim nonnulli quos diuus Thomas opusculo. 18. cap. 14. cõfutare persistit, qui paupertatem reprobabant, nisi necessaria in cõ- *S. Thomas.*

muni posiderentur: quibus subscribere, errorem existimo. Imò qui syncerè, & candidè supremam seruant mendicitatem, suspicien di sunt & exosculandi. Sed tamen hæc dicta sunt, tum vt causa posidentium in commu ni defendatur: tum etiam vt mendicantes omnes admonitos habeam quanta esse debēt parcitate contenti. Propterea enim asserente Christo Deus pascit volatilia cœli, quibus vtiq; religiosi cōparant, vestitq; lilia agri: q cibo illa simplicissimo, hæc vestitu contenta sunt. Porro ergo diuus Benedictus altissimè contemplantium quieti studens, consultè possessiones recepit sibi oblatas, atq; alij deinceps religionum institutores. Sed tamē humanum ingenium, mediū tenere nesciū, eousq; eorum opes auxit, vt celeberrimū ordinem non parùm de suo fastigio deiecerit. Quare in ordine nostro hactenùs nisi causa studij non est dispensatum possessiones habere: sed sunt frequentia monasteria quibus in antiqua mēdicitate viuitur. Vtinam nos Deus, quātum est hoc maximè sæculo Christianæ familiæ necessarium, sustineat.

Ad primū argumentū AD primum igitur argumentum respondetur, illic Paulum neutiquàm condemnare, si quis cūcta quæ habet in pauperes voluerit erogare, sed humanæ imbecillitati indulget. Rarissimi enim sunt qui arduum hoc consilium capessant. Et ideo ait neminē cogere vt sic alienis miserijs consulat, vt seipsum necessarijs destituat. Et eōdem pertinet citata glossa ad Timoth. nempe non esse prorsus abiicienda temporalia. *Adsecūdū* ¶Ad secundum respondetur, eum qui vltrò temporalia bona propter Christum deserit, nulli se periculo nec temporali nec spirituali obiicere. Spirituali inquam: quia quòd homo bona causa sponte sua facit, periculum non affert pœnitentiæ ac tristitiæ: sed quando quis inuitus suis expoliatur. Imò verò à diuitiarum possessione præsentius periculum imminet: iuxta illud. 1. ad Timoth. vltim. Qui volunt diuites fieri, incidūt in laqueum diaboli. Nec verò periculo corporali subdūtur. Nam vt ait Psaltes. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Qui enim nos solicitos esse prohibet in crastinum, curā gerit nostrī. Salomon autē suum præsentiens ingenium, non se audebat extremę paupertati committere: ob idque mediocritatem vitę postulabat. Nam etsi, vt suprà diximus, opū affluentia nocua sit homini corruptæ naturæ tamen rari sunt qui inopiam ferre queāt. Sicuti infirmi licèt videant vinum sibi nocere, nihilo minùs non semper se cōtinere possunt, quin tantillum gustent. Qua de causa propter inopiam multi deliquerunt. Accedit quòd Salomon erat rex, quare non poterat absque diuitijs viuere. *Ad tertiū* ¶Ad tertium respondetur, virtutis medium, secundùm Philosophum. 2. Ethic. non secundùm quantitatem, sed secundùm rationem esse sumēdum Et ideo quicquid ex rationis præscripto fit, ab eodem medio non deflectit. Relinquere autem temporalia bona, vt expeditiùs Christum sequaris, ratio docet. Nam & lumine naturali doctus Socrates, vt ad Paulinū ait Hieronymus, auri pondus abiecit, vt cōtemplationi liberiùs vacaret. *Hieronym' Ad quartū S. Thomæ.* ¶Ad quartum autem argumentum respondet diuus Thom. 2.2.q.187.artic.3.q manualis labor (qua voce humana omnia officia comprehenduntur, siue manibus, siue pedibus: siue lingua fiāt: eò quòd manus organorum illustrissimum est) ad quatuor esse vtilis. Primò quidem ad victū quærendū. Vnde primo hominimandatū est, vt in sudore vultus sui pane vesceretur suo: & in Psalmo, Labores manuum tuarum quia manducabis. Secundò cōmodus est ad vitandum otium, quod multorum est causa malorū. Vnde Ecclesiast. 33. Mitte seruum tuum in operationem, nè vacet: multā enim malitiam docuit otiositas. Tertiò refertur ad concupiscentiam refrænandam: qua tenùs labore corpus maceratur. Vnde. 2. ad Corinth. 6. In laboribus, in ieiunijs, in castitate. Quartò & labor frugifer est ad eleemosynas erogandas. Vnde ad Ephe. 4. Qui furabatur: iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonū est. vt habeat vnde tribuat necessitatē patienti. Per hæc ergo quatuor membra, ad omnia Pauli loca respondetur, quibus manualē laborem videtur, seu præcipere, seu commendare. Illud nanq; citatum. 2. ad Thessal. 3. Si quis non vult operari, nec manducet, nō est nisi naturalis admonitio: vt scilicet qui aliun de nō habet vnde viuat, manibus victū quærat, vt furta & illicita negotia cautè fugiat. Quo vtiq; sensum dudū epistolam ad Ephe. citauimus. Huic tamen veritati non obstat quo minùs religiosi diuinis vacantes, ius habeāt eleemosynis viuendi. Hoc enimipsum eodem loco docet Apostolus. Nam postquā dixit, non gratis panem manducasse ab aliquo,

Labor manualis ad quatuor vtilis.

quo,sed in labore & fatigatione operans nè quem illorum grauaret, subdit: Non quasi non habuerimus potestatē, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Quare illud.1.ad Thessal.4. Operamini manibus vestris sicut præcepimus vobis, nō est generale præceptum, vt impugnatores religionū aiunt, quod monachos etiam cōuoluat: sed eos tantum complicans, qui aliter sine scandalo viuere non valēt: quod patet ex subiūctis verbis: vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt. Religiosi autem sine scandalo possunt stipem suscipere & postulare.

¶Secunda etiam vtilitas corporalis laboris ac subinde tertia. Nempe otij euitatio & afflictio corporis, nō est in præcepto nisi quando aliter eisdem incommodis obuiari non potest. Monachi autem per alia salutaria exercitia otium cauent, & corpus edomant. Quartum deniq;. Nempe eleemosynas erogare, non est in religiosis virtus: quippe qui semel cuncta largiti sunt. Nisi casu extremæ necessitatis pauperum, quo quidem euentu perinde atque sæculares, tenerentur manib⁹ laborare. Hæc fermè diuus Tho. loco citato.

¶Ad quintum denique argumentum tertia conclusione responsum est.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm votum castitatis sit de intrinseca ratione religionis.

SECVNDVM membrū voti monastici est, castitas. Sed vt eius ratio patentior fiat arguitur illam non esse de intrinseca ratione religionis. *Primum argumentum.* Solaecclesiæ institutione, vt prædicebamus, inuenta est solennitas voti: ergo si ecclesia tale statutum abrogaret, profiteri quis posset religionem absque voto solenni castitatis. *Secundum.* ¶Secundò. Sacerdotium ac religio hac ratione adæquantur, quòd vtrobiq; fit votum: solenne castitatis. Sacerdotalis autem ordo verus & legitimus existere potest absq; huiusmodi voto, vt in Græcorum sacerdotibus videre est: quod pariter posset ecclesia de nostris etiam decernere: ergo & religio sine tali voto esse potest. *Tertium.* ¶Tertio: Militare crucifero rum institutum est vera, vt aiūt, religio: emittunt nāq; explicitè tria vota: & tamē dispensatum iam est cum illis vt in religione perseuerantes, vxorum fœdus inire valeant: ergo huiusmodi votum non est de intrinseca ratione religionis. *Quartum.* ¶Quartò deniq; arguitur, Omnis perfectio vitæ Christianæ apostolis secundùm Christū in more esse cœpit: Apostoli verò non videntur continentiam seruasse: nam de Petro Christi vicario legitur Mat thæ.8. socrum habuisse: ergo castitas non est de intrinseca ratione religionis. ¶In contrarium faciunt verba capituli suprà citati, Cū ad monasterium. de stat. monachor. in cuius calce habetur, Abdicatio proprietatis, sicut etium custodia castitatis, adeò annexa est regulæ monachali vt contra eam neq; summus Pontifex possit indulgere.

Duplex quæstionis sensus. QVæstio hæc duos habet sensus. Prior est vtrum re vera nunc votum castitatis annexum sit religioni, idque decentissimè: cuius affirmatiua conclusio definitio est ecclesiæ contra hæreticos, vt habetur capit. Quod votum de voto. lib.6. Fuit enim Iouinianus qui matrimonium cœlibatui adæquabat: qui de eadem hæresi perinde condemnatus est, atq; de alia Vigilantius, quòd diuitias exæquabat paupertati. Posterior verò sensus est, vtrùm cùm solennitas voti, hoc est vouendi cerimonia sit de iure ecclesiastico, vt illic refertur, sic & annexio ipsa castitatis ad religionem sit de iure ecclesiastico, ita vt per ecclesiam fieri possit vt religio absq; castitate vera maneat religio: an verò sit de iure diuino vt p ecclesiā institui vera nō possit absq; castitate religiōis substātia. ¶At quoniā solus nobis est animⁿ de secūdo sensu cū catholicis disputare: quoniā primⁿ orthodoxus est, ac perinde nemini nisi hæreticis dubius: vnica conclusione sub probabilitate, quæ mihi quàm maxima est, respondetur. *Conclusio responsiua.* Sic est castitas religioni annexa, vt nulla humana dispensatione fieri possit, v religio absq; castitate rem habeat suo nomini congruam. Haud ergo hic disputamus vtrùm valeat Papa super voto solenni religionis dispensare: hoc est vtrùm eximere professum queat â sua religione: de qua re quæstione præcedēti satis dissertum est. Sed hoc tantum modò in præsentia sub doctiorum censura negamⁿ quòd religiosus verè persistens euangelicus monachus in coniugio possit eiusq; vsu permanere. Et quidem conclusio est sancti Th. vt.q.4. vidimus. Apparet tamen eam negare Scotus.4. distin. 38. vbi non alia de causa sentit solenne votum religionis matrimonium dirimere, quàm quod ecclesia in *S. Thomas. Scotus.*

cuius

cuius se manus vouens tradidit, eum illegitimum fecit ad matrimonium: quorum similibus verbis vtitur Caietan. vt. q. 3. vidimus 2.2.q.88.art.7. Vnde elici videtur in potestate ecclesiæ situm esse vt religiosi simul possint cum coniugio religionem retinere, perinde atque sacerdos suos ordines. Conclusio tamen nostra contraria planè ab Innocentio capitulo citato. Cùm ad monasteriũ. asserta videtur. Nempe vbi insinuat castitatem iure diuino annexam esse religioni, Et quòd ita sit probatur ratione. Religio nomine ipso nihil aliud significat quam quod Christus euangelicum adolescentulum docuit: Si vis perfectus esse, vade & vende &c. & sequere me. Et quod subinde Petrus subiunxit. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, &c. qui autem connubiali nodo se semel innexuit, nomine quidem potest, sed tamen re ipsa non reliquit omnia, imò neque sæculum: ergo non est verè euangelicus religiosus. Media propositio probatur ratione sancti Thom. 2.2. quæstio. 186. artic. 4. Res enim vxoria vtroque cornu è diametro pugnat cum religione. Primum contranititur contemplationi, diuinorumque meditationi, quibus secundùm nomen suũ debet sedulo religiosus vacare: renititur inquam propter voluptatis vehementiam quę ex Venere nascitur: cuius vtique frequentatione concupiscentia augetur: vt. 3. Ethic. cõmonitor est Aristot. vnde Augusti. in primo Soliloquiorum: Nihil, inquit, sentio quod magis ex arte deiiciat animum virilem quã blandimenta fœminæ, corporumq; ille contractus sine quo vxor haberi non potest.

Caietanus.

Prima probatio cõclusionis.

Secunda.

Res vxoria cum religione è diametro pugnat.

Aristo.

Augustin⁹

¶Nec verò naturalis ratio valde est recondita. Etenim cùm contemplatio subtilissimis purissimisq; spiritibus foueatur, carnalisque ac brutalis ille vsus spirituum multitudinem insumat, sanguinemq; à corde vehementer distrahat, cuius collectio ad mentis attentionem necessaria est, fit vt idem vsus habetudinem mentis efficiat. Qua vtiq; de causa Paulus. 1. ad Corinth. 7. coniugibus consulebat vt orationis tempore toro separarentur. ¶Altero autem cornu status coniugalis religioni colluctatur, quod est administratio solicitudoq; rei familiaris. Vnde eodem loco Paulus: Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi quomodò placeat vxori: & diuisus est. Vbi si meditatiùs attendas ad viuum expressit religionis faciem, eamq; è regione oppositi coniugio: quasi maritari nequeãt. Quocirca monachi, hoc est soli, inde potissimè nomen trahunt, quòd à coniugali consortio semoti viuunt. ¶Secundò id apertiùs explicatur. Duo alia vota scilicet paupertatis & obedientiæ, adeò sunt à voto castitatis pendentia, vt hoc sublato reliqua continuò subsistuleris. Matrimonialis qppe sarcina votum legitimæ paupertatis procul respuit. Qui enim fieri potest vt vxorẽ quis & liberos atq; familiam illis appendicem alere in paupertate valeat? Eò præsertim quòd non solùm debet liberis in tempus prouidere, sed in perpetuum prospicere, ac perinde possessiones & primogenituras ambire quas illis relinquat. Adde quòd neque legitimæ obedientię, de qua Christus ait, Sequere me, vxorius vir vacare poterit. Quare Paulus Christi assẽclas peculiariter optabat manere sicut ipse erat, absque vxore: Eo ergo ipso quòd ecclesia votum castitatis à religionibus seiũgeret, synceritatem ipsam religionum euangelicam funditus conuelleret. Quare id certè, vt sub eius censura loquar, nõ est factibile. ¶Hinc discerniculũ colligitur quo iudicãdũ est sitne quæuis religio verè absolutoq; nomine religio, hoc esse vnicum: vtrum intrinsecè annexum habeat matrimoniũ contractũ seu potius attẽtatum dirimere: quod quidem nulla habet religio nisi auctoritate ecclesię instituentis solennitatẽ voti: vt habetur in dicto cap. vnico, de voto. libr. 6. ¶Quapropter religiosi tertij ordinis diui Francisci, & nostræ, solenne votum non emittunt. Quanuis expressiùs inculcatiusq; dicant se facere tria vota. Hoc dixerim de iure antiquo: nam iam Sixtus Quart⁹ per suã Bullam declarauit eiusmodi fratres facere solenne votũ. Et postmodùm alij summi Pontifices idem etiam decreuerunt de quibusdã sanctimonialibus nostris eiusdem ordinis, quas Beatas appellamus: quæ inclusæ viuũt. Illæ autem quæ clausuram non seruant, eidẽ Bullæ non subduntur. Multò autem minùs isti Eremitæ qui hac nostra tẽpestate in mõtibus dispersim degunt. Nam etsi episcopo promittant obedientiã, non intelligunt nisi pro tempora quo voluerint illic commorari. Imò neque de ratione illius instituti est vt votum suscipiãt simplex castitatis. Tametsi citra illud non essent admittendi.

Secundario.

AD primum igitur capitalium argumentum, cõceditur voti solennitatem, vt habetur

betur in dicto cap. vnico, de voto. lib. 6. ab ecclesia cõstitui, hanc aut illã instituẽte approbanteq; religionem, ex qua matrimonij impedimentum sequitur. Sed iam quæstione proxima negata est consequentia, qua infertur connexionem castitatis cum voto religionis non esse de iure diuino. Est enim in potestate ecclesiæ vt hęc aut illa habeatur p religione: attamen postquàm constituitur religio, de iure diuino est vt habeat castitatẽ annexam: secundùm illud, Vade & vende omnia quæ habes, & sequere me. Nemo enim statum habere potest via consiliorum sequendi Christum, nisi si ab vxore liber: atq; hoc ex intima rei natura. ¶ Ad secundum respondetur, sacerdotalem ordinẽ nullatenùs esse religionem: alias citatus canon & Doctores non sub duorum forma explicuissent solenne votum: dicentes consistere & in susceptione sacri ordinis, & in professione religionis. Ex quo fit hoc inter sacerdotium & religionem differre, vt diuus Thomas loco citato arti. 11. edocet, quòd votum castitatis non est de intrinseca ratione sacerdotij perinde atque aliud religionis. Imò sacerdotale ministerium seruari absq; eodem voto potest. Hanc ob rem qui sacris initiatur, non perinde atq; religiosus expresse ait, voueo. Quare non est votum explicitũ, sed implicitum: porrò in ipsa ordinũ susceptione abditum. Votum inquam tantùm castitatis. Cætera nanq; religionis nec implicitè facit. Haud enim paupertatem vouet aut obedientiã, sed fit sui episcopi subditus: etiam si absens sit: non autem ordinantis. ¶ Quo-
Primum co rolarium. fit vt Græci eiusdem sint nobiscum generis
Secundum. sacerdotes. Sequitur subinde secundò Romanam ecclesiam posse idem tollere votum salua re ipsa sacerdotum. Negatur ergo consequentia quæ inde extruitur ad probandũ religionem absq; tali voto posse consistere.
Obiectio. ¶ Sed infers contrà: Ergo incongruè sacerdotale votum dicitur solenne. Negatur consequentia: sed tamen id ingenuè fatemur q̃ non est votum solenne de iure diuino tanq̃ religioni essentiale, sed est solẽne de iure positiuo: hoc est tantùm statuto ecclesiæ sacerdotes illegitimos reddens & inidoneos contrahendo matrimonio. ¶ Contra hoc autem
Argumẽtũ emergere videtur argumentum suprà à nobis informatum. Visi enim hic sumus concedere tantùm esse præceptum ecclesiæ nè mariti fiãt. Quòd si ita est, licèt malè facerẽt absq; licẽtia cõtrahẽdo, teneret tñ matrimonium: vt paulò antè argumentabamur. Respondemus autem nõ solùm esse præceptũ, *Solutio.* sed statutum inhabiles eos reddens ad matrimonium, perinde atque consanguineos. Habet sese ergo medio modo inter merum præceptum & solenne religionis votum. Eapropter ecclesia perinde atq; prohibitionẽ in quarto gradu, posset hoc tollere votum à sacerdotibus. An verò liceret, quæstione proximè sequenti disputabitur. ¶ Ex his sequitur, matrimonium ratum non consummatum non dirimi per susceptionem sacrorum ordinum, sicuti per religionis professionem. Quod & Caietanus. q. 12. quotli. 1. fatetur. Et *Caietanus.* causa est, quòd sacerdos non fit simpliciter inhabilis ad aliud contrahendum matrimonium, sicuti religiosus: eò quòd cum illo dispensari potest. ¶ Quod cùm verum sit, ne- *Palu. opin.* scio quid Paludanus sibi voluerit in. 4. d. 38. q. 3. vbi ait, quòd si post matrimonium ratũ non consummatum vir sacris initietur, & vxor in sæculo permanens votum faciat simplex, inhabilis ipsa redditur ad secundas nuptias, etiam post mortem viri. Nam in pri- *Refutatur Paludanus* mis susceptio illa ordinũ non est licita: cùm matrimonium non dirimat. Secundò: nulla est rationis apparẽtia quòd votum simplex vxoris in tali casu fieret solẽne, vt ipse putat. Quare si mortuo coniuge alteri nubat, licèt peccet contra votum simplex, nihilo minùs *Grauis dubitatio de militaribꝰ ordinibus,* matrimoniũ tenet: quod ipse negat. ¶ Tertium autem argumentum de militaribus ordinibus est, quod præcipuum hic habet ambigendi momentum. Equites enim isti cruciferi vulgò habentur religiosi: nam faciunt tria vota: & nihilo minùs vxoribus fœdere matrimoniali copulantur: coire ergo possunt ambo status: religionis scilicet & matrimonij. Idq; potest ratione ex superioribus deducta corroborari. Nam ratio qua suprà monstrauimus cõiugium cum religione pugnare, erat impedimentum contẽplationis & orationis: religio autem militum nõ hunc habet scopum, sed militare, vbi nulla est necessaria contẽplatio. Nihilo minùs propter *Solutio quæstionis propositæ.* rationes suprà allatas pſuasum habere nunq̃ potui, eiusmodi religiones, simpliciter esse religiones. Et ratio est, quia non solam castitatẽ isti nõ seruant, nam rei vxoriæ perinde ac cæteri seculares inseruiunt: eosdem scilicet ambientes honores, easdemq̃ facultates suæ soboli procurantes, quod toto cœlo à religionis instituto distat: verùm neq; paupertatem, neq; obedientiam, nisi solo nomine

ne

ne profitenť. Non quidē de sacerdotibus cruciatis loquor, qui intra septa monasteriorū vitam degunt. De istorum nanque legitima religione nihil ambigendum est: sed de commendatarijs equitibus. Nam quænam paupertas quæso est relationem tantùm magistro facere suarum facultatum: ex quibus si vel obolū eis adimeret, perinde reclamarent ac cæteri regni nobiles. Obedientia autē est per totam fermè vitam nullū superioris mādatum audire, nisi dum eorum comitia fiūt. ¶ Sed aiunt, hæc est nostra religio, nec ad aliud tenemur. Ad hoc dupliciter respondemus. Primùm id negantes si primæuam eorum institutionem respiciamus. Nam tunc nonnullum clausurę genus incolebant: multoq; crebriora obedientiæ persoluebant munera: longeq; aliam habebāt paupertatis rationem. Sed posteà lapsu temporis eousque labefactatæ sunt eorū religiones, vt iam synceram religionis naturam exuerint. Ob idq; secūdò dicimus quòd si non strictior q̄ hęc, est sua religio, non est illa euangelica quæ in cōsiliorum exercitio posita est. Porro enim si nostra aut diui Franciſci (quod Deus auertat) in eum locum collaberetur, vbi nō plus paupertatis, castitatis, aut obedientiæ vigeret, religio esse desineret. Non dico q̄ vbiuis statuta non seruātur statim esse desinat religio: nam possunt forsan ex incuria & culpa præsidentium ea quæ mala reputantur non puniri. at si in illum locum aliqua deijceretur religio, vbi non maior exigeretur obediē tia, aut paupertas, aut castitas, quàm inter huiusmodi equites, non esset euangelica cōsiliorū religio. Et nè primus ego videar hanc asseruisse sententiam, eandem apud diuum *S. Thomas.* Tho. inuenies loco citato. 2. 2. q. 186. artic. 4. Arguit enim tertio loco quod continentia ad perfectionem religionis non requiratur: eò q̄ aliqui sunt religiosi qui vxoribus vtuntur. Et respondet, illos viuendi modos, vbi est matrimonialis vsus, non esse simpliciter & absolutè loquendo religiones: sed secundùm quid: in quantum scilicet aliqua participant quæ ad statum religionis pertinent. Hæc diuus Thom. ¶ Ex his ergo militum ordinibus meritò exceperim equites diui Ioannis: sanè qui pro suo instituto conuentum habent & obedientiæ specimen: neque matrimonia contrahunt. Quare non est cur non vt religiosi habeantur. ¶ Quòd si contra superiorē assertionem arguas, si isti equites connubiale fœdus absq; pontificio priuilegio inire tentarent, matrimonium non teneret: quod non aliundè emanare videtur q̄ à ratione religionis. Respondetur non inde prouenire quòd sit vera religio, sed ex Pontificis statuto: vt modò de sacerdotibus dicebamus. Quapropter multo minùs matrimonium ratum non consummatum per ingressum huiusmodi ordinis dissoluitur, quàm per ordinis susceptionē. ¶ Ac per hæc alia dissoluitur quæstio de qua ante quindecim hinc annos decertanter in Hispania fuit disputatum. Quæ quidem bimembris erat. Primū vtrùm expediens esset dispensatio vt huiusmodi equites vxores sibi possent copulare. Secundò vtrùm etiam cum illis qui vota solenniter ediderant dispensare liceret: quæ quidem fuit multò molestior. De priori ergo pro meo captu semper eiusmodi dispensationem expedientē arbitratus sum. Quòd si eiusmodi religiones pro legitimis ducerē, impossibile reputarem. Commoditas autem dispensationis hæc est, q̄ castitas in eiusmodi vitæ instituto si humano loquamur more, non est seruatu possibilis. Viuunt enim lautè & splendidè, domi seruitrices habētes forisq; cum aulicis mulieribus iuge habētes commercium: torneamenta aliaq; militaria exercitia meditantes. Qua ergo ratione isti voto castitatis astringendi essent? Eadem fermè de causa quæstio secunda affirmatiuè soluta est. Nam cùm votum illorum non sit legitimè religionis, sed statuto Pontificis matrimonium impediens, non est impossibilis dispensatio si legitima causa fiat: vt de sacerdotū voto proximè dictum est. ¶ Ad quartum argumentum quod de Apostolis petebatur, an votum castitatis susceperint, quæstione proxima commodiùs respōdebitur.

Limitatio superioris assertionis. Obiectio.

Solutio.

Quæstio bimembris diu ac multūin Hispania ventilata.

Solutio prioris membri

Solutio posterioris quæstionis.

Ad quartū

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm obedientiæ votum sit de essentia religionis.

TERTIVM denique membrum monasticę professionis est, obedientia: quā vt suis numeris cōmendemus, arguitur de more nō esse necessariam. Illa enim obsequia Deo maximè placēt quę ex libertate, non ex necessitate fiunt: secundùm illud. 2. ad Corinth. 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate: illa autem quæ fiunt ex obedientiæ voto, simul cū necessitate tristitiam

Primum argumentum

tiam afferunt: ergo non est consilium obedientiam vouere. ¶ Secundò, cùm hominem Deus liberum creauerit nō est prudentia vt à se suam abdicet libertatem, præterquàm vbi Deus eum iusserit obedire: in euangelio autem nullum extat eiusmodi obediētiæ vouendæ mandatum. Quod enim Paulus ad Hebræ. 13, iubet dicens: Obedite præpositis vestris & subijcite eis, ad omnes attinet Christianos. ¶ Accedit tertiò q̄ Christus, vt ad Ro. 8. ait idē Apostō. liberauit nos à lege peccati & mortis, ac subinde adoptionem filiorum nobis commeritus perfecta nos libertate donauit. Ex quo fieri consequēs apparet vt Christiana perfectio in summa libertate consistat: atq; adeò obedientiæ votum, non sit consilium. ¶ In contrarium est quòd perfectio, vt suprà dictum est, ea re agitur vt Christum sequamur & imitemur. Id autem quod in ipso præcipuè commendatur, vt patet ad Philip. 2. est obediētia. Factus est enim obediens vsq; ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.

Secundum. *Paulus.* *Tertium.*

EX tribus votis quibus monastica religio constat, potissimum est obediētia. Nam possessionum renunciatio & castitatis votū in hoc præcipuè ordinantur, vt liberrimè indissolubiliq; obsequio obedire possimus. Quo fit, paupertatē, vt suprà diximꝰ, primā quidē esse exequutione: obediētiā verò primam in intentione. At verò vt obedientia omnium est officiorum præstantissima, ita, quod hæreticorum ingenium est, Luthero fuit execratissima. Vnde in lib. suo de votis monasticis, & in altero de libertate Christiana, nullis non cōuitijs monachalem obediētiam proscindit. Ait enim libertati euangelicæ è diametro obsistere: vtpote quòd eadem euāgelica libertate sublata sunt vniuersa hominum mandata, & quicquid in externis ceremonijs seruari potest. ¶ Nihilo minùs ipso renuente Luthero, suoq; magistro Vuicleff, sua veritate solida est conclusio, nulloq; hæreticorum vento nutabunda. Religiosorum status, qui euangelicum consilium est, obedientiam cum primis requirit, quæ peculiari præfecto nomine Dei voto est offerenda. Et ratio est manifesta. Nam si perfectio in eo consistit vt omnibus relictis sequamur Christum, necesse est, vt. 2. 2. q. 186. artic. 5. ait diuus Tho. aliquem eligere præpositum qui nomine Christi vouentem dirigat, etiam imperio (si opùs est) vt quod Christo pollicitus est, bona fide soluat. ¶ Sed ecce radices duæ Lutherani erroris. Prior, quòd non admittit, votum spontaneè susceptum in necessitatem transire præcepti. Nam hoc dato necesse est eum, qui solennitervouet obedientiam alicui præstari à quo legitimè cogatur si opùs fuerit. Altera verò eius ignorantia est quòd satis esse putat Christo obedire, homine quocunque neglecto. At verò non videt quemadmodùm homines non possumus à Christo, qui in cœlis est, nisi per homines gubernari. Egemus enim præsente ductore qui humano more vices Dei erga nos fungatur. ¶ Sed ait forsan quispiam, Satis sunt episcopi, atque alij ordinarij prælati. Negatur tamen. Imo per hoc luculentiùs claritas huius veritatis patescit. Prælati nanque ordinarij non sunt nisi legum custodes, quare neminem nisi secundùm diuinas leges & humanas cogere possunt. Vnde cùm vota, de operibus supererogatis suscipiātur, necesse est vt qui vouet, vel ipsi episcopo singulariter (vt in primitiua ecclesia fortasse consuetum fuit) vel singulari præposito (quod conducentius iam nunc existimatur) obedientiam præstet, vt supra ea quæ legibus præcipiuntur ad id etiam quod ex voto tenetur, ducatur & compellatur. Id quod Christus verbo illo suprà citato, Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me, demonstrauit. Abnegare enim semetipsum, est propriam voluntatem per quam homo est homo, abnegare: quod re vera nisi obligatorio voto alteri eā sic tradas, vt in tua nō supersit facultate eādē rursus tibi vsurpare, fieri non potest. ¶ Quid autē cum Luthero depugnamus? illa enim sua libertate, quam euangelicam vocat, non solùm cœnobiorum præpositos, verùm & sæculares omnes principes & ecclesiasticos de medio sublatos pertendit. Sic enim posteà docere perrexit, nos esse à Christo liberatos, vt ab omni nos humana potestate exemerit, vt sibi soli seruiremus. Quæ quidem libertas Sathanica potiùs, & (quod idem est) Lutherana appellanda est. Nam si hierarchicos ordines, obedientiasque omnes quæ iubente Deo hominibus præstamus de republica summoueas, omnesque adeò malefactorum vltiones ad postremum diem iudicij reseruaueris, humanos mores, quin humana vniuersa statim necesse est perditum iri. Nam quanto quæso plures sunt qui metu pœnæ quàm honesti

Luthe-rus. *Conclusio re-spōsiua.* *Ratio cōclusionis.* *Duæ radices Lutheræni erroris.* *Ratio in Lutherum.*

sti amore virtutes colant? Et præter rationẽ hanc quæ abundè rem demonstrat, tota euãgelica scriptura apertis testimonijs Lutheri impudentiæ reclamat. Alibi enim audias: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Alibi: Subditi estote præpositis vestris, etiam dyscolis. Et Christus: Qui vos audit, me audit. Imò vsque adeò idem Redemptor voluit nos esse maiorum dicto audientes, vt nos sedulò admonuerit, quòd quanuis illi qui super cathedram Moysi sedent, hoc est cuncti nostri præpositi, illa faciant quæ imitanda à nobis non sint: nihilo minùs quæ nobis iubent incunctanter expleamus. Superuacaneum tamen est in hoc peruulgato argumento diutiùs remorari.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum respondetur, necessitatẽ coactionis quæ inuoluntarium facit, illam quidem & tristitiam parere, & rationem laudis ac meriti excludere. Illa autẽ necessitas quæ ex voto sponte propter Deum emisso nascitur, primùm tristitiam non affert: mox etiam si nonnunquàm illam parturiat, nihilo minùs meritũ nõ imminuit: nam prima vouendi libertas, in omnibus actionibus virtute perducat.

Ad secũdũ ¶ Ad secundum respondetur quòd libertas in qua homo suapte natura creatus est, in hoc nobis seruire debet vt nostro creatori seruiamus. Quare eam in eius obsequium dedicare non contra naturam est, sed maximè secundùm naturam.

Ad tertiũ ¶ Ad tertium denique respõdetur, ex eo quòd Christus nos à lege peccati liberauit, non fieri cõsequens perfectionem Christianam in exemptione ab omni obedientia consistere: sed in hoc omnino quòd simus à peccatorum retinaculis liberi. Vnde cùm vsque adeò simus periculosè animi nostri obsequentes, propriæq; voluntatis amantes, ad eandem libertatem asserendam præcipuè cõfert nostram voluntatem alterius gubernaculo submittere. Nã si seruire Deo regnare est, quo pluribus eius nomine obsequimur, perfectiùs regnamus. Tutius nanque carnis illecebris atq; insultibus dominamur, atq; adeò cœlestem Hierusalem referimus: vbi vt felices illi necessitate quadam confirmatissimi sunt nè delinquere valeant: ita summa libertate perfruuntur.

QVAESTIO SEXTA
De voto & continentia Sacerdotum.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ecclesiæ decoro & stabilitati, sacerdotale votum cõtinentiæ cõgruens fuerit ac necessarium.

IN calce demum libri huius, in quo de voto pro nostra virili disputauimus, postremam quæstionem de continentia sacerdotum duximus adhibendam: hoc est de voto, quod dum sacris initiantur, secundùm Occidentalis Ecclesiæ institutum implicitè suscipiunt. Enimuerò inter alia Lutheranorum molimina, quibus ecclesiam Dei funditùs demoliri nituntur, hoc vnum est, quòd totis viribus cœlibatum àclero abigere cõtendunt. Quocirca cùm me apud Cæsarem in Germania agente de componenda cum ipsis pace tractaremus, hoc mordicùs retinere pertendebant, vt sacerdotes non modò vxorio consortio non interdicerentur, imò cogerentur vxores ducere: adeò impossibile ducunt, hominem absque Veneris vsu viuere posse. Quod re vera si illis semel esset cõcessum, fieri non posset minus, quin protinùs eadẽ cõcessio in totum serpens Christianissimũ, sanctam ecclesiam radicitùs subuerteret. Hac ergo de causa mutilum reliquissem tractatum hunc de voto, nisi & hanc ei quæstionẽ adhibuissem. De hac autem re, vt de vnaquaque alia, secundùm Philosophum in posterioribus Analyticis tria esse possent quæsita: scilicet an sit, & quid sit, & propter quid sit. Quid autem sit, nempe in quo sacerdotale votum consistat, quæstione proxima commonstrauimus: constituentes esse votum, non quidem explicitum sed implicitũ neq; de intrinseca ratione ordinibus annexum, vt votum religionis, sed ecclesiæ statutum matrimonium irritans. Duo ergo hic restãt articuli. Prior scilicet de conuenientia huius ecclesiastici instituti. Nam in moralibus idẽ est quærere, an sit, & propter quid. Quod enim esse non cõuenit, superfluit. Posterior, quàm

quàm sit antiquũ an videlicet à primordijs statim nascentis ecclesiæ fuerit in vsu. ¶ Arguitur ergo prior quæstio negatiuè. Et ptimò quidem noua & vetera ad colorandum errorem adducendo. Primùm enim exemplum Christi legiferi nostri à parte negatiua pugnat: quippe qui apostolos non cœlibes, sed certè maritos elegit, vt Petrum cuius socrus mentio fit in euangelio: Andream & cęteros, quos opinabile est vxoribus fuisse copulatos. Quin imò vnum Ioãnem quem virginem elegit, de medio nuptiarum thalamo fertur euocasse. ¶ Mox & magistri exemplo discipulorum consentiant documenta. Ait quippe Paul. 1. ad Timot. 3. Oportet episcopum esse vnius vxotis virũ, filios habentem subditos in omni castitate. Et ad Titum 1. Si quis sine crimine est, vni⁹ vxoris vir, &c. hunc scilicet constituas presbyterum: sicut disposui tibi. ¶ Tertio est loco exemplum sacerdotum veteris legis: qui figuram nostri præferebant. Aaron enim ac deinceps Leuitarum sobolem constat suam cõstituisse tribum, atq; adeò coniugali fœdere vixisse: vt etiam Lucæ. 1. de Zacharia progenitore Ioannis Baptistæ legitur. Quorũ quidem instar suos habent Græci sacerdotes institutos: nẽpe qui per vices & rei sacræ administrent, & nihilo minus rei vxoriæ dent operã. Adde si figuris agere volumus, quòd Arca Noe, vti in priori sua Canonica ait Petrus, figura fuit ecclesiæ, seruantis nos à peccatorum illuuie: cui quidem ecclesiæ sacerdotes præsunt, illã autem nulli cœlibes, sed octo animæ matrimonio coniunctæ ingressæ sunt nõ ergo est cur vxorium institutum sacerdotibus inhibeatur. ¶ Quartò arguitur ratione. Connubia in ipso statim mundi primordio instituta sunt in officium humano generi impẽdiò q̃ maximè necessariũ: cùm ergo sacerdotib⁹ qui primũ obtinẽt in Christi familia locum, tãta religione interdicatur, videl ecclesia, vt saluo eius honore, contra diuinũ naturalẽq; pmissũ nuptijs cũ Martione & Manicheæo detrahere: quod Apostolus. 1. ad Corinth. 4. erroris subnotauit, quòd nubere essent prohibituri. ¶ Quinto ad rem proximè arguitur: Votum castitatis res est perquàm difficilis obseruatu. Adeò enim prouida natura propagandæ speciei consultè prospexit, vt vehementissimum vixque adeo eluctabilem eiusdem muneris appetentiam cunctis animantibus indiderit: quæ quidem appetitus rabies, post naturam corruptã inter omniũ

primum argumentum

secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

species longè ardẽtiùs humanam exurit. Sacerdotale autem officiũ a deo est ecclesię necessarium, vt absq; illo cõsistere Christiana familia minimè valeat. Imò eodem abeundo muneri tantus est numerus necessarius, vt pars populi paulò minor decima vel duodecima, eidem sit mancipata, tantum ergo populum in tam difficilem religionem adigere, nihil mirum si plus iusto rigidum coactumq; videatur. Enimuerò monachatus, vt sanctum institutum est, non tamen administrandis sacramẽtis ac sacrificijs simpliciter est necessarius: atq; adeò nec est tam numerosus: quare nihil rigoris est si qui liberè voluerint permittantur monasticis votis addici: tam ingentem verò sacerdotum multitudinem eodem rigore cogere, videri cuiquã potest non vsq; adeò consultum. ¶ Sextò, castitatis votum adeò, vt dicebamus, est difficile, vt non nisi inclusis & eis qui sint claustris circumsepti permittendum videatur: qua ratione se monachi in monasteria abdunt: sacerdotes autem proprios habẽt lares neq; viuere satis possunt cõmodè sine ancillis nec absq; sæculari tumultu: tanto ergo periculo votũ castitatis permittere, non apparet esse prudẽtia: non ergo id condecens est. ¶ Seprimò, & id euentus ipsi docent. Sunt enim frequẽtissimi cõcubinarij alienisq; toris infidiantes. Quam ob rem & populo inuisi sunt, & sacramẽtis quæ tractant iniurij: videtur ergo melius fore rei vtriq; consultum, si suam quisque haberet vxorem: vt nullo se commacularent flagitio. Nam quo longiùs à carnis vsu arcentur, spurtiùs defœdantur. ¶ In contrarium est solennis & laudabilis mos Occidentalis Ecclesiæ secundùm Pontificum sanctiones: vt antiquissimi Calixti. 27. distinction. canon. Presbyteris. ac Syricij. 82. distinctio. cano. plurimos. & aliorum complurium.

Sextum.

Septimum.

PEstiferæ huius hæresis, continentiæ sacerdotum oblatrantis, duo sunt membra: prius quod eis concedit licentiam matrimonia contrahendi: posterius verò quod etiam cogit, vt id faciant. Et sunt inter neotericos q eius primum faciant parentem Lutherum: nam Iouinianus, inquiunt, etsi nuptias virginitati æquauerit non tamen sacerdotes vxoribus carentes reprehendebat. Quin verò ipse, vt Augustinus libr. de hæres. cap. 82. & refert, connubio abstinuit: nõ propter meritum, sed vt vxorias molestias sibi cauere

Augustin.

ueret. At verò horum opinione non obstante, dubitari in primis non potest quin concessionis, hoc est, vti sacerdotibus maritos esse liceret, Iouinianus fuerit primus autor: quandoquidem in cœlibatu nihil egregij meriti nouerit. Quin verò omni pudicitiæ generi adeò apertum bellum indixit, vt virginitatem, ad Deiparam Virginem, veluti ad sacram arcem confugientem, inde conatus fuerit impudentissimè deturbare.

Iouinianus omniū primus docuit sacerdotibꝰ licere nuptias.

Sed neque alterius impudentioris membri Lutherus fuit primus autor, scilicet vt sacerdotes non modò permitterentur, verùm & cogerentur coniuges sibi adiungere, Successit namque Iouiniano eius discipulus Vigilantius: qui in hanc euasit impudentem insaniam, vt neminem sineret sacris initiari antequā vxorem duceret. Vnde Hierony. epistola. 2. aduersus ipsum ad Riparium: Proh, inquit, nefas eos sui sceleris dicitur habere cōsortes: si tñ episcopi nominandi sunt, qui non ordinent diaconos, nisi priùs vxores duxerint, nulli cœlibi credētes pudicitiam. Fuerunt, vt arbitror, & Nicolaitæ eiusdem hæresis autores: quorū impudicitiæ meminit August. lib. de Catalo. hæreticorum. c. 5. A quibus Niceta quidam Græcus institutū Græcorū deduxit, vt art. sequenti videbimus: nā etiā illi sacerdotes non ordinant nisi priùs vxoribus copulentur. Quam quidē iamdiu sopitā sepultāq; hæresin, reuocare in lucē curauit hæresiarcha ille Vuicleff, vt Tho. Vuald. 2. tom. de sacramētis. c. 128. fideliter refert: quā subinde hæresin in proximis capitulis profligatā curauit. Ab his ergo suis patriarchis contagionē hanc traxit Lutherus, vt sacerdotum continentiā nō modò non probaret, verùm immani petulantia, quę sibi natiua erat condemnaret. Vnde in libro suo illo identidem condemnato, De abroganda Missa priuata, de illo præcepto, Nō mœchaberis, edisserens, hæc euomuit diabolica verba: Nusq; sic insanit Sathanas per Papam atque in castitate & libidine tractanda. Primùm, etsi non prohibet verbo castitatem, & scortari docet, cogit tamē scortari decreto suo intolerabili, & perditissimo de cœlibatu totius sui sacerdotij tam latè patētis: cùm tam rara & angusta sit castitatis gratia. Et subdit: quòd cùm continere neque possint neq; debeant, rabies est Sathanica & plus quàm sacrilega eos ab vxoribus arcere. Videte quousq; ingenium bestiæ erat ad conuitia effræne. Hoc itaque dogma adeò suorum cordibus altè

Hierony.

Vuicleff. Thomas. Vualdēsis.

Lutherus.

impressit, vt nulla sit potestas quæ ab ipsis illud queat eradicare. Neque verò hæretico rum tātùm animos error hic occupauit. sed vsque ad catholicos irrepsit. Fuit enim Panormitanus inter Iuris canonici interpretes illustrissimus: qui tamē super ca. cùm olim. de clericis coniugatis. consultum iri ecclesiæ arbitratus est, si sacerdotibus abstinere nolentibus facultas fieret vxores sibi associandi, quia cùm quotidie, inquit, illicito coitu maculentur, facere ecclesia deberet vt bonus medicus: qui dum videt medicinam potiùs officere quàm prodesse, eam tollit. ¶ Contra hunc ergo errorem statuitur catholica conclusio. Vsque adeò sacerdotum continentia, non modò congruens, verùm necessarin est ecclesiæ Christi vt absque illa neque decorem seruare possit, neque legitimam Christi effigiem retinere. Et quoniam subsequens nos monet articulus, in quo antiquitas sanctionis huius, tum ecclesiasticis testimoniis, tum sacris oraculis corroboranda est, in præsenti, quod titulus eius postulat, duntaxat nobis est vtēdum rationibus, quibus ostendatur quàm fuerit congruens ac necessaria. Octo nanque aut nouem possumus meditari capita ex quibus rationes huiusmodi deducamus. ¶ Primum, vt sicut obiectiones, sic & probationes Christi exemplo exordiamur. sacerdotes instar Christi spirituali connubio ecclesiæ copulātur: Christus autem virgo deque virgine natus vnicā sibi, candidam, immaculatamque columbā ecclesiam copulauit: cuius sacramentum au thore Paulo: coniugium primorum parentum gessit: quapropter adiectū illic est, Propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ. Hæc est ergo vnica vxor propter quam sacerdotes, non solùm patrem & matrem, verùm & carnales vxores sunt meritò relicturi. Si enim ecclesia virgo casta, vt cum Paulo. 2. ad Corinth. 11. loquamur desponsata est Christo, & sacerdotes eius sponsos castos esse condecet. Alioquin spirituale connubium suam non teneret synceritatem. ¶ Secundum, quod huic sancto instituto suffragatur, est mundities q̄ sacerdotum functioni in sacrosancto potissimū altaris sacramēto perficiendo necessaria est. Enimuerò, vt semper ecclesia decētissimū duxit, vt ministri illius sacramēti vbi innocētissimus agnus immolat, nullo effuso sangui ne contaminarent, sed etiā illi qui secularē iustitiā administrarēt, irregulares fierēt ad ordines

Panormit.

Cōclusio catholica.

Prīa ratio cōclusionis.

Secunda.

dines suscipiendos: sic multoque iustius decuit, nè carnis vsu fœmineoq; cõmercio polluerentur. Etenim postq; cõiugalis amplexus tradux esse cœpit originalis culpæ, qua gen⁹ nostrũ inficit, illã subinde cõtraxit fœditatẽ, vt non possit hoïes nõ pudefacere. Vnde pudenda mẽbra nomẽ hæreditãrunt. Quocircà cũ carnalia spiritualibus è regione sint oppo sita, null⁹ carnis vsus spiritualiũ nitori sic aduersat, ac sordidus iste. Vsq; adeò q̃ locũ etiã sacrũ, vt sanguinis, sic etiã seminis effusio pol luat. Neq; huius defuit antiquitùs religionis figura. Legit nãq;. 1. Re. 21. q̃ cùm Dauid à facie Saũl fugiens venisset ad Abimelech sacer dotẽ Leuiticũ, postulasset q; ab eo sibi suisq; refectionis panes, respõderit: Non habeo laicos panes ad manũ: sed tãtùm panẽ sanctum scilicet qui mẽsæ sanctuarij in vsum sacerdotũ superpos⁹ erat. Si mũdi sunt pueri, maximè à mulierib⁹, mãducent. Neq; verò mandu care permisi sunt, anteq̃ Dauid certiorẽ eun dẽ faceret, dicẽs: Cõtinuimus nos à mulierib⁹ ab heri & nudiustertius: & fuerũt vasa puero rum munda. Si ergo panem illum in quo nil aliud diuinitatis latebat q̃ q̃ sacramentũ, hoc est, figura erat sacrosancti panis qui de cœlo descendit, edi nefas erat nisi ab his qui essent ab vxoribus mũdi: quãto ergo iustiùs idẽ nitor illos dicet qui ipsam sacramẽti veritatẽ tra ctãt: hoc est quotidie sub specie panis dei cor pus mãducant? ¶ Accedit & alia figura q̃ legalẽ agnũ nisi succinctis renib⁹ cœnare nõ li cebat. Quod Greg. hom. 22. super euãgelia exponens ait, in renibus delectationẽ carnis sedere: ob idq; illic significatum esse, vt qui pascha comedunt, voluptates edomare debeãt: & carnem à luxuria restinguere. Igit cùm sacerdotes euangelici quotidie agnũ immolẽt immaculatum, par est suoq; muneri decentis simũ, vt abstinentia carnis perpetua fulgeãt. ¶ Adde & rei huius tertiã eandẽq; peculiarẽ vmbrã in sacerdotibus antiquę legis. Legitur emim Exod. 28. Porrò filijs Aaron tuncas lineas parabis & infrà: Facies & fœmoralia linea vt operiãt carnẽ turpitudinis suæ à renibus vsq; ad fœmora. Quod quidem venerabilis Beda, lib. 3. de tabernaculo, interpretatus ait, fœminalia illa castimoniam, quæ appetitum copulæ coniugalis prohibet, propriè designasse: sine qua nemo, inquit, vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris potest ministerium conse crari, idest si nõ aut virgo permanserit, aut cõtracta vxore coniunctionis fœdera soluerit. At verò sicuti res ecclesiasticæ aurea sunt catena connexæ, sic vno defracto nodo, omnes dissoluntur. Propterea ecclesia hanc à suis sacerdotibus sanctimoniã requirit, quòd incõcussè credit corp⁹ Christi verum ab ipsis tra ctari: postquàm ergo Lutherani eiusdem cor poris sacramentalem veritatem diffitentur, nil mirum si eundem candorem à suis sacerdotibus non desiderent. ¶ Tertium decen tiæ huius caput sumitur ex altissimo meditationis, orationisque culmine, cui sacerdotes dedicantur. Debent nanque sacræ scripturæ legendæ ac relegendæ se totos dedere: vt sicut nubes in sublimi volantes saluificam pluuiam populo suppeditent. Vsus autem vxoris non modò corpus conspurcat, verùm & mentem deprimit & obnubilat: atq; adeò supernorum contemplationi ineptissimam reddit. Vnde Apostolus. 1. ad Corinthi. septimo. vbi coniuges admonet nè se inuicem coniugali officio defraudent, exceptionem nihilo minùs faciẽs ait: Nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacent oratio ni: nimirùm docens quanto sit impedimẽto officium illud eleuandæ in Deum menti. Cùm ergo sacerdotes iugi sint meditationi & orationi pro se & populo consecrati, debent ab illo officio, atque adeò ab illo fœdere esse perpetim alieni. Vnde si ab ethnicis etiam licet testimonium petere, peripateticus Theophrastus in libr. de nup. sapienter scripsit, per coniugium impediri studia philosophiæ, neque posse quenquam libris & vxori pariter inseruire. Et, quo ad sacerdotes reuertamur, Origenes hom. 23. super libr. Numer. eundem Paulinum locum edisserens, sic colligit: Vnde mihi videtur quòd illius soli⁹ est offerre sacrificium indesinens (de sacerdotibus porrò loquens) qui indesinenti & perpetuæ se deuouerit castitati. Et Ambrosius in tertium caput. 2. ad Timo. Si enim, inquit, plebeis hominibus orationis causa ad tempus abstinere iubetur, quanto magis Leuitis aut sacerdotibus, quos die noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? Et Hieronymus libro primo, contra Iouinianum eadem formè repetẽs verba (quæ ambo ex Epiphanio, tomo 1. libr. 2. in hæresi Catharorum desumpsisse videntur) subdit: si sacerdotibus semper orandum, semper ergo illis cauendum est matrimonium. Neque verò huius exemplum in sacerdotibus defuit antiquæ legis. Hac enim de causa, vt. 1. Paralipom. 14, à Dauide institutum est, & Lucę. 1. memoratũ, per vices ministra-

planissima praeteritæ cõclusionis figura.

Secunda figura. Gregorius.

Tertia eius dẽ veritatis vmbra.

Beda.

Tertia ratio

Theophrastus.

Origenes.

Ambrosius

Hieronymus Epiphanius

nistrabant templo: illoque tempore vxorũ consortio intra templum clausi abstinebãt: nempe quòd cùm eorum orationes sicut incensum quod ad altare cremabant, in conspectu Dei ascendere profiterentur, vnà confitebantur non posse illas nitidè fundere, ni si essent ab coniugibus sequestrati. Vnde Beda. Beda super eundem locum exemplum colligit quòd sacerdotes nostri, quibus non per vices, sed semper altari seruire iubetur, perpetuæ esse debeant castitati addicti. ¶Quartus deinde fons eiusdem institutionis est, quòd sacerdotes euangelici, quiꝑt Paulus ad Colossen. primo, admonet, ea implent quæ desunt passionum Christi, delicta iugiter debent lugêre populi, perpetesque adeò facere pœnitentiæ fructus. Hãc enim ob rem vt Oseæ quarto legitur, peccata, hoc est, oblationes pro peccatis comedunt: luctui autem nihil magis è diametro reluctatur quàm verea voluptas: vtpote quæ spiritus omnes exhâlans, animam in carnem transformat. Propter quod de homine ante diluuium dictum est: Non permanebit spiritus meus in homine: quia caro est. Vnde si pœnitentibus, vti Ionæ tertio legitur, ieiuniorũ mœrores congruunt, & illis qui antiquitùs cultui templi offerebantur, vinum, & sicera, & omne quod inebriare poterat interdicebatur: multò congruentiùs euangelicis sacerdotibus Venus prohibetur, quæ vino truculentiùs inebriat. ¶Adde rationem quintam: quòd nisi impudentissimus hæreticus, negare nemo potest, cœlibatum, præstantem esse virtutem, quam potissimùm sacerdotes populo prædicare & commendare debent, viduasque & reliquos continentes ad castitatem animare. Quomodò autem potest hortator esse viduitatis, virginitatis, aut castitatis, qui ipse coniugij lege viuit? ¶Ex sexta insuper radice ortum habuit sancta hæc institutio: nempe ex cura quam sacerdotes gerere tenentur populi. Tenentur enim & pauperum, & viduarum, & orphanorum patrocinium sustinere, & inter egenos sua bona distribuere: huic autem persoluendo muneri nihil pugnantiùs obstat quã cura rei familiaris, vbi vxor est, & liberorũ germina. Vnde Paulus. 1. ad Cori n. 7. Volo, inquit, vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quę domini sunt, quomodò placeat Deo. Qui autem cũ vxore est, solicitus est quomodò placeat vxori, & diuisus est. Quo loco Ambrosius: Amputata, inquit, solicitudine rei vxoriæ, quæ sola in mũdo cæteris grauior est, ad Deum promerendum animus eruditur. Hæc ille. Inter omnes ergo mundanas solicitudines res vxoria molestissima est, & negociorum anxietatibus occupatissima. Nam huic cætera cuncta seruiunt, non solùm vt in præsenti illa onera sustententur, verùm vt perpetuæ successioni prospiciatur. Qua vtique ratione Iouinianus ipse pudicitię osor, vt diuus Augustinus libr. de hære. cap. 82. refert, licèt non ob meritum, tamen vt eiusmodi molestiarum sarcinam sibi caueret, noluit se matrimonio addicere, ci ergo qui vxori alligatus est, nulla fit reliqua libertas, quæ tamen sacerdotum functioni maximè est necessaria. ¶Septimus locus huius persuadendæ ecclesiasticæ sanctionis desumitur ex autoritate qua sacerdotes in ecclesia Christi ad sacramentorum ministerium pollêre debent, atque ex honore illis debito: secundùm illud Eccles. 7. Honora Deum, & honorifica sacerdotes. Quod de nostris potissimum intelligendum est: quippe qui non tantùm diuina, verùm & Deum ipsum sacramento tangunt. Hæc enim autoritas inde illis maximè adnascitur quòd sint egregio loco, hoc est extra plebis gregem. Si autem mariti essent, in media versarentur plebe neque honor illis haberetur egregius, neque reuerentia. Imò pudor esset mysteria diuini corporis & sanguinis in manibus maritati hominis adorare: & metus: peccatorum confessionem illis concredere cui vxor semper assisteret: nam inter virum & vxorem, nihil secreto seruatur. At verò Lutherani, vt suprà dicebam, quia hęc omnia sacramenta denegant, nihil mirum si neque suis sacerdotibus vllam veneration nem impendant. ¶Octauum vtiqui caput, idque non in inferioribus habendum huius instituti est, tum sacerdotalis alimoniæ prouidentia, tum & pax atque tranquillitas, quæ ex vxorum concessione turbarẽtur. Enimuerò si vxorum proliumque turba obsepirentur, tunc sacerdotia illis ac præbendæ non sufficerent. Essent enim honestè alendi. Etenim Leuiticis, quæ duodecima pars erat populi, eò decimæ sufficientes erant, quòd integrè illis obueniebant. Et præterea quòd non tot erant tunc vnius tẽpli ministerio necessarij, quot nunc tantæ ecclesiarũ multitudini. Ex qua re consequens fieret vt deberent esse opifices & coloni, quales erant fortè Leuitæ, qualesque

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Sexta.

Paulus.

Ambrosi⁹.

Anguſtin⁹

Septima ratio.

Octaua.

lesq; Lutherani suos optant habētque sacerdotes. Vnde in quātū vilipendiū eorū ordo apud nos veniret, vnusquilibet secū repetet. Insuper si sacerdotibus cōiuges adhærerent tūc totā suā solicitudinē & vigilātiā illuc cōgererēt, vt sua sacerdotia quasi hæreditario iure in filios trāsfunderent. Hoc enim nobis sacerdotū ambitio documento est qui filios habēt. Si enim quibus nefas est & pudor filios suos præbēdis ditare, nihilo minùs id tā toperè satagūt, quāto illi id facerēt libentiùs & audactiùs, quib⁹ nō pudor, sed honor esset lōga liberorū serie abūdare? ¶ Ad hæc demū accedit q̄ si sacerdotes coniugati essent, tūc ad episcopatus non nisi magnates, puta Duces & Comites, ac cæteri sæculares principes assumerentur, & ad pinguia beneficia alij sæculares nobiles. Quare omnia litibus essent discordijsq; ac bellis plena, cūctęque adeò res ecclesiasticæ susque deque cōfusæ. Hæc sunt quæ de hac re meditari soleo.

Postrema ratio.

Ad primū argumētū. AD primum igitur argumentum in cōtrarium respondetur, quòd eò Christ⁹ Apostolos de matrimonio sumpsit q̄ tunc cœlibatus religio non perinde atq; nunc in consilio, in vsuque erat. Attamen vt doceret q̄ transacta lege (vt apostolica verba quæ sunt ad Hebr. 7. permutemus) sacerdotū ratio erat simul mutanda, illos ad cœlibatum euocauit, Ioānemq; adeò de medijs nuptijs ad virginitatē. Quanuis: vt Hiero. lib. 1. cōtra Iouinia. autor est: de solo Petro certū sit habuisse vxorem, de alijs autē non ita constet. Illo tamen ex superfluo admisso ambigi nō debet, vti ait ibidem Hiero. quin annuentibus vxorib⁹ vota fecerint castitatis. Id quod ex illis verbis Petri Matth. 19. colligitur: Ecce nos relinquim⁹ omnia & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Allusit em̄ ad id quod ab ore Christi adolescenti dictum audierat: Si vis perfectus esse, vade & vende &c. & sequere me. vbi religionum instituta fundantur. Ad secundum verò argumentum, quod ex Paulinis verbis accersebatur, artic. proximo commodiùs respondebitur. ¶ Ad tertiū de antiquis sacerdotibus quod ad rem præsentem attinet, respondetur, eorum rationē latissimè à nostra distitisse. Primū q̄ illi non sacramentorū veritatē, quib⁹ nunc Christus offerr̄, ac Spiritus sancti cōferr̄ gratia, sed horū penit⁹ vmbras tractabāt: quare nō tanta ab illis desiderabat mūdities. Tāetsi lotionibus quæ illis erant frequentes, candorem qui in nostris debet sacerdotibus splendere, præsignabant. Præterea, vt Leuitic. 21. legitur, summus sacerdos virginem ducturus erat, non autem viduam, aut repudiatam, aut sordidam, & cùm templo seruiebant, vt dictum est: ab vxoribus abstinebant: quod nonnullum erat candoris indicium. Vnde 1. ad Timoth. 3. Ambrosius veteribus, inquit, idcircò cōcessum est sacerdotibus vxores ad vsum habere, quia multum tempus otio vacabant à ministerio. Multitudo enim erat sacerdotum vt per vices seruire possent: nūc autem iugiter esse debent in ministerio. Ad hæc, tunc nondum prodierat cœlibatus cōsilium. Adde quòd Leuitic⁹ ordo suam per se duodecimam tribum constituebat, apostolici numeri prognosticam: ob idque necesse habebat suam sobolem vxorio munere procreare. nostris autem sacerdotibus sola commissa est spiritualis genitura: videlicet animas in Christo renatas, suo verbo, ministerioq;, & studio lactare, fouereque ac nutrire. Id quod egregiè Arator in suo illo carmine, quo Apostolorum Acta contexuit, hisce versibus declarauit:

Ambros⁹.

Ecclesiæ nunc alma fides sine fine pudicos
Pontifices iubet esse suos: & querit in omni
Cauta tribu, quos ritè probet: neque sanguinis iste,
Sed meriti successus erit.

Quocircà Græci Leuitarum institutum imitantes, multò fecissent consultiùs si Latinis Christianorum sanctionibus auscultarent. Sed de ipsis inferiùs repetendum nobis est. ¶ Ad quartum latè cōtra Iouinianum Hieronymus respondet, quòd ecclesia cœlibatum anteferens, matrimonium minimè dānat: sed docet: vt illud ad propagandum humanum genus necessarium est, ita & sacramentorum ministros cœlibatum decere. Si cuti non cōdemnat iustitiæ ministros, licèt suos sacerdotes à cruēto illo munere arceat. Hoc autem commune argumentum est, & satis à patribus locupletatum. ¶ Quintum autem argumentum est quod cū subsequētibus punctim rem tangit. Fatemur nanque castitatis votum non esse obseruatu facile, sacerdotumq; ordinem, ecclesiæ necessariū perquàm numerosum esse. Et (quod in sexto argumento obtendebatur) agnoscimus insuper in priuatis ædibus non vsque adeò tutè seruari posse eiusmodi votum, quàm in monachorum claustris. Neque verò inficias imus, vt septimum argumentum admone-

Hieronym⁹

Ad secūdū

Ad tertiū.

Ad quartū

Ad quintū

Ad sextū.

Ad septimum.

bat, crebros esse in clero cõcubinarios & adulteros. Sed tñ ad hæc multimodum respõsum damus. Primò. Reipublicæ & maximè ecclesiæ statuta ex fine iudicãda sunt, licèt non omnibus incommodis obuiari possit. Cum ergo ad sacrosanctum altaris ministerium candorem illum & animi & corporis in sacerdotibus florêre deceat, congruum fuit sic illos instituere: non obstantibus carnis insultibus, quos humanam fragilitatem necesse est quocunque statu perpeti. Alioquî & lex diuina quæ omnem libidinem inhibet, iniqua esset. Innumeri sunt qui carnis lapsu polluũtur, quàm plurimique adulteri. Deleantur ergo leges hęc prohibentes. ¶Secundò: Nemo ad sacerdotium compellitur: imò si sacros canones consulas, neque vllus nisi maturo iudicio admittitur: nempe qui ætate sit legitima, vt sibi videre deliberatè possit, quid valeant humeri: mox vt morum probitate rerumque cognitione ac scientiæ lumine fulgeat: vt præter alias complures sanctiones videre est apud Alexand. tertium toto titulo de ætat. & qualitat. & ordine præficiendorum. Ob id enim ait ad Timoth. Paulus, oportere episcopum, atque adeò sacerdotem, testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ne in opprobrium incidat & in laqueum diaboli. Et eundem discipulum admonitum curauit, nè cui citò manus imponeret: & Titum docuit quãtis splendere deberet virtutibus qui ad sacerdotium assumendus esset. ¶Tertiò respondemus, humanam naturam non esse vsque adeò imbecillem & lubricam quin vigilanti cura cautelaque adhibita, valeat se à carnis incursionibus per Dei gratiam tueri. Hanc enim ob rem sancta Nicena Synodus vt. 3. eius cano. videre est, omnem extraneã mulierem à tectis sacerdotum abegit, abactasque subinde voluit Syricij decretum: quod est. 18. distincti. canon. fœminas. videlicet vt non nisi mater, aut soror, aut auia cum ipsis commorentur. Attamen hæretici, vt Hieronymus super tertium Hieremiæ caput sapienter adnotauit, cùm habitent in Aquilone, vnde omne malum panditur, perdito calore fidei audire illud Apostoli non possunt: Spiritu feruentes. Vnde voluptatibus sese tradentes, castitatis inimicis, non possunt non esse pudicitiæ hostes, naturæque infamatores, asserentes non posse homines nisi vt fœminarum mancipia viuere. Quanuis diffiteri nõ possimus, numerum iam nunc sacerdotum iusto ampliorem in ecclesia permitti: admittique citra delectum in hunc ordinem plebeios ac infimæ classis homines: idque eiusmodi ordinem in infimũ, quo nunc iacet, locum proiecisse. ¶Quarto loco responsioni nostræ adijcimus, quòd coniugale officium, etsi iuxta Paulinum monitum, patrumque adeò confessionem nonnullum sit bene natis hominib⁹ remedium effrænis carnis sedandæ, tamẽ lasciuis & ob scenis adeò non est remedium vt sit etiam pernicioſum periculum. Auscultа Paulum 1. an Corinth. 7. Si acceperis, inquit, vxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, nõ peccauit: tribulationes tamen carnis habebunt huiusmodi. Quæ quidem tribulationes non tantùm ad familiæ molestias referendæ sunt, verùm & ad easdem carnis illecebras quibus occurrere licentia illa maritali putabant. Hostem enim fugientes, in hostiles pugnas incidunt: ignem extinguere volunt: & ignem suscitant. Vnde Augustinus in libr. de singul. cleric. Mariti, inquit, & vxores coniugia quotidie gerentes, non sibi sufficiunt. Hæc ille. Nemo ergo credat carnali voluptati obsequendo, eidem obuiare: sed fugienda est prorsus. Adde quòd coniugalis vsus tum natura sua satietatem facit, tum, irritante dæmone, nauseam, & alieni thalami desiderium. Quocircà dum isti hæretici sacerdotes volunt continentes maritos efficere, adulteros procreant. Non debuisset ergo, vt ad Panormitan. respiciamus, sacrorum canonum expositor illam censere salûbrem medicinam vt carni aduersus spiritum depugnanti fœdè indulgeretur. Non enim sic nos voluit instructos Paulus, vbi aiebat: Volo autem omnes vos esse sicut meipsum. Sanctiùs certè sanctus Thomas, quæstio. præsenti artic. 11. admonitos voluit ecclesiæ prælatos: nempè quòd periculis humanarum rerum per res humanas obuiandum sit: non autem p hoc quòd res diuinæ conuertantur in vsum humanum. Eò potissimùm quòd alia remedia præsentiora sunt morbo titillantis carnis medendo, quàm ei obsequendo eius excitare pruriginem. Si modò eadem remedia vigilãtiùs ecclesia in sacerdotum ordine instauraret, & ad sacros canones exigeret. Nempe vt sacrorum doctrina pollerent, frugali vterentur mẽsa, sæcularibus abstinerẽt, tum

Prima solutio. *Secunda.* *Paulus.* *Tertiã.* *Nicena Synodus.* *Syricius Papa.* *Quarta solutio.* *Augustin⁹*

tum delitijs tum cõmercijs, orationi deniq; incumberent. His enim institutis multo efficaciùs clericorum corruptioni prospectũ foret, quàm eos in matrimonialia impedimenta submergendo.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm sacerdotalis continentia ab ipsis statim ecclesiæ incunabulis cœperit.

SECVNDO loco de antiquitate huius instituti dicendũ superest. Et more nostro q̃ nõ ab ipsis ecclesiæ primordijs fuerit exortũ arguit eodẽ loco suprà citato, vt limatiùs exponat. Apostolus em̃ ep̃os cõmonuit vt vnius essent vxoris viri: haud ergo ab illo sæculo originẽ mos iste traxit. ¶ Secũdò extat canon sextæ Synodi Cõstantinopolitanæ, q̃ habita fuit sub Agathone Pontifice, tẽpore Cõstãtini Quarti. Anno salutis. 673. & refert 31. dist. cano. quoniã. Canon est: Quicunque diligens inuẽtus sub diaconali ordinatione, aut diaconali, aut sacerdotali, hi nullo modo prohibentur ad talẽ ascendere gradũ pro vxoris suæ cohabitatione. Neque etiã tẽpore ordinationis suæ profiteri cogant̃ quòd abstinere debeãt à legalis vxoris familiaritate. ¶ Tertiò arguit̃ autoritate quæ tribuitur Augustino in. 15. de Ciuit. citatur̃que à Gratiano cano. cùm igit̃. 35. quæst. 1. Cuius verba sunt: Ecclesia post apostolica instituta quædam cõsilia perfectionis addidit: vt pote de continentia ministrorum ecclesiæ: hoc ergo non erat necessitatis præceptũ, sed honestatis consilium. ¶ Contrarium verò nos edocet decretum Calixti Primi, quod habetur 27. dist. can. præsbyteris. vbi ait, Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & monachis, cõcubinas habere seu matrimonium contrahere penitùs interdicimus: contracta quoq; matrimonia ab huiusmodi personis disiungi: iuxta sacrorum canonum definitionem iudicamus. Sedit autem Calixtus circa annum Redemptionis. 218. cùm ergo ipse antiquiores canones citet, documẽtum est rem esse antiquissimam.

Primum argumẽtum. *Secundum.* *Tertium.* *Calixtus.*

QVæstio præsens quinq; cõclusionibus eget, vt eius veritas clarescet. Prima. Apostolorum sæculo permissum fuit vt qui coniugali commercio impediti erant, nihilo minùs sacris initiarentur. Id quod nullo alio opùs habet testimonio quàm illo bis iam citato Pauli. 1. ad Timot. 3. & ad Titum. 1. vbi ait oportere episcopum esse vnius vxoris virũ. Haud enim eludere loca illa possumus, dicentes intelligi de his qui cùm fuissent matrimonio mancipati, iam essent vxoribus vidui. Paulinus enim cõtextus planè cõmonstrat illos esse intelligendos qui in matrimonio durabant: tum quòd vnius vxoris vir, hoc ipsum sonat quod vxorem habẽs: tum etiam quòd inter alias eius virtutes hãc etiã ponat, vt sit suæ domui bene præpositus. Sed in hoc confirmando, non est cur immoremur. Nam si ille non esset sensus Pauli, nũquàm postmodum ecclesiastica iura coniugatis permitterent fieri sacerdotes: quod tamen permittunt, vt can. quoniam. suprà citatus, distin. 31. & can. si quis. distinct. 32. & mos ipse Græcorum, contestantur. Quare quod in eius loci expositione ait Hierony. videlicet, Non dicit qui vnam ducat, sed qui vnam habuerit, nõ sic est intelligendũ quasi tunc non haberet, sed quòd aliam antè nè duxerit. Hoc enim docuit propter sacramẽtum Christi, qui vnicam sibi ecclesiam desponsauit. Ratio autem asserti in hac cõclusione est: quòd cùm Oriens tunc ecclesia copia ministrorum egeret: neq; cœlibatus fuisset tunc tanta religione auditus, constringebatur ex ordine coniugali philosophos ascisceré, & senes atq; alios qui prudentia valerent, quibus sua ministeria & functiones interim committeret: quousque adulta aliud posset sibi sanctius constituere. ¶ Secunda conclusio. Receptissimum est nunquàm sacerdotibus licuisse postquàm essent sacro ministerio addicti, vxorio se negotio implicare. Conclusio est quã inter alios celeberrimus Vualdensis vigilatissimus antiquitatis scrutator affirmat tomo. 2. qui est de sacramentis, cap. 129. & to. 5. de sacramẽtalib⁹ cap. 66. Et Iodocus Clithoueus, non pœnitẽdus autor. lib. de contin. sacerd. cap. 4. ait eandẽ fuisse sententiam probatissimorum autorũ in qua omnes sancti patres vno consensu cõueniũt. Citamus istos autores eò quòd cùm conclusio hæc negatiua sit, eademque historialis, inde potissimùm fidem cõmeretur q̃ si cõtrarium in vsu quandoq; & more fuisset, non defuisset eius historia: quæ tamen nulla extat. Tametsi eadem cõclusio ex ca-

Prima conclusio. *Ratio conclusionis.* *Secunda cõclusio.* *Vualdensis* *Iodocus Clithoueus.*

nonibus proximè citatis non obscurè colligatur:qui ambo sunt sextæ Synodi Constãtinopolitanæ.Nam in cano.quoniam. quo sacerdotes in coniugio permanere sinuntur,duntaxat fit mentio de contracto ante sacros susceptos ordines. Et canon, si quis. distin.32.sic habet:Si quis eorum qui ad clerum accedunt,voluerit nuptiali iure mulieri copulari,hoc ante ordinationem subdiaconatus faciat. Vnde à contrario sensu infer tur,posteà non licêre.Et in Concil. Neocæsa.quòd refertur distin.28.Præsbyter si vxorem duxerit,ab ordine deponi debet.Attamen vt integra fide cuncta referamus, sunt verba Stephani Papæ in cano.aliter.eâdem distin.31.quæ rem videntur facere dubiam. Ait enim quòd Græcorum sacerdotes diaconi & subdiaconi in matrimonio copulãtur. Ob quæ verba Caietan.11.q.primi quolibe. audienter ait,quòd etiam post susceptos ordines quondam sacerdotibus licuit matrimonio copulari. Nimirùm glossam eiusdẽ capituli ineptam reputans: quæ vbi textus ait copulantur,exponit,copulato vtuntur. Porrò autem propter illum textum non debuisset vuiuersalem confessionem Doctorũ deferere,quæ in citatis modò iuribus egregiè fundatur,optimaq; corroboratur ratione:& Græcorum more,vt fertur,comproba tur.Nam Latinè verbum passiuum non solùm actionem præsentem,cæterùm & præteritam significat. Nulla ergo est violentia dicere,copulantur,idest copulati permanẽt: vt non sit sensus quòd liceret illis nouo connubio copulari,sed copulatos viuere:vt habetur cap.cùm olim.de cle.coniuga. Hoc tamen fateor negari non posse,quin olim diacones & subdiacones permitterentur etiam post ordinem sacrum ad nuptias peruolare: dum tamen id in ordinum susceptione protestarentur,vt est tex.Synodi Anchyritanæ 28.distinct.can. Diaconi. Ad sacerdotium tamen non admittebantur nisi conuersionis proposito confessi essent castitatem,quę verba sunt Concilij Arelatẽ.4.Quod eâdem distinct.refertur,can.Præterea. ¶Rationem conclusionis huius illam Doctores afferũt, vt Clithoueus refert,quòd cùm opus sacerdotale præstantius sit coniugali,neque diuino iuri neq; naturali consentaneum patres vnquàm duxerunt,vt à sacerdotio ad cõiugium retrò cederetur:fieret enim iniuria, tũ sacro sanctæ functioni,tum etiam ecclesiæ, cum qua sacerdos nuptias celebrat. Hanc inquam ob causam qui vxoribus soluti sacros ordines expetebant,cogebantur si sacerdotes creari luberet,votum ædere castitatis,vt modò fit.Quanuis propter personarũ tunc inopiam,vt prædiximus,coniuges etiã sine tali voto admitterẽtur:vt habet citatus tex.quoniam.dist.31. ¶Istæ ergo conclusiones citra controuersiam in confesso cunctis sunt catholicis.Neq; vllus secundam nisi Iouinianistæ,& Vuicleuistæ,ac demũ Lutherani abnuũt.At verò quod orthodoxorum nonnulli,quorũ est Clithoueus in prælleg. lib.cap.13.affirmant,scilicet votum sacerdotalis continentiæ esse indispensabile, neque Summi Pontificis autoritate relaxari posse vt qui semel sacerdos est vxorẽ ducat: ægerrimè fieri potest probabile. Nam si id intelligant ante idem votum emissum,ita vt nequeat ecclesia statutum abrogare, falsum plane est. Nam Græci qui iuxta sanctiones sextæ Synodi sacerdotes vnâ sunt & mariti,verè ac legitimè sunt sacerdotes. Quare non dubium quin idem ecclesia de occidentalibus sancire possit, vt sanctus Thomas. 2. 2.quæstio.88.articu 11.confitetur,eò quòd castitas non est intrinsecè annexa sacerdotio, sicuti religioni. Quod prædicti autores non animaduertentes, argumenta quę propriè de religione militant, ad sacerdotium applicant. Quare posset pariter statuere,vt post susceptos ordines ad matrimonia aduolarent, persisterentque simul in sacerdotio: quoniam hoc totum adius pertinet ecclesiasticum: quippe quòd lex nulla neu naturalis neu diuina vetat. Si verò suam sententiam de voto solenniiam emisso intelligant, ita vt cum sacerdotibus qui nunc in ecclesia sunt occidentali dispensari non possit, aliquantulo probabiliùs loquuntur: sed tamen neque prorsus quod demõstrare proponunt, satis cõprobant. Nam cùm statutum illud ecclesiæ non de intima sit ratione sacerdotij, nulla ratio necessariò negare cogit quin possit etiam super hoc Papa dispensare, licèt, vt superiori articulo monstratum est, exitiosissima esset ecclesiasticæ rei clades. ¶Hoc autem est quô præsens hæc nostra disputatio festinat: vtrùm illicò ab ecclesiæ ortu mos inoleuerit, vt qui ex coniugio ad sacerdotium recipiebantur non priùs reciperentur quàm annuentibus vxoribus perpetuam castitatem vouerent. Haud enim ad conuincendos istos hæreti-

Cõciliũ Neocæsariense.

Stephanus Papa.

Caietanus.

Diaconi ac subdiaconi olim permissum erat post susceptũ ordinẽ nuptias celebrare.

Synodꝰ Anchyritana.

Cõciliũ Arelatense.

Ratio positæ conclusionis

Sententia Clithouei.

Primaria tio cõtra prædictã sententiã

hæreticos nosse hoc parùm refert. Et existit vtrinque pugnax argumentorum acies quæ me semper penè tenuere perplexum.

Tertia conclusio. Affirmauerim hic autem sub probabilitate quæ mihi perquàm maxima est, conclusionem tertiam, nempè quòd circà Apostolorum tempora cunctis fuerit sacerdotibus vxorius vsus interdictus: licèt mos posteà fuerit corruptus. Existit enim apud me hoc

Argumẽtũ pro cõclusione. ab ista parte argumentum: Sacerdotium euangelicum nunquàm non fuit præstantius habitum quàm Leuiticum: illi autem sacerdotes quando templo seruiebant, vt panes propositionis dignè ederent, ab vxorum contubernio abstinebant: vti articulo præcedenti monstratum est. Quî ergo credi potest vt diuini Apostoli eorumque discipuli ferrent panem viuum qui de cœlo descendit eorum manibus contrectari, qui de vxoris latere illa die surrexissent? Adde quòd si hæc meditatio posteris in animum induxit, nempè occidentali ecclesiæ vt sacerdotes à coniugali commercio arcerentur, quæ potuit esse necessitas quæ primitiuos illos patres excusaret, nè id ipsum prouiderent? Sed ais, raritas tunc erat virorum quibus sacerdotalis prouincia demandaretur. Fateor equidem: sed tamen neque ecclesiarum tanta erat frequentia, quin feruente tunc Christi sanguine inueniri possent homines ætate prouecti, literis & probitate præditi, qui illam castimoniam vxorum

Cõfirmatio. consensu profiterentur. Et confirmatur: Si Græci, Latinorum de hac re institutum non suscipientes nunquàm ausi sunt quando templo administrant vxores inuisere, nonne testimonium est ab ipsis ecclesiæ incunabulis aliquid sanctius in more fuisse?

Secundum Argumẽtũ. ¶Secundum autem & quod me vehementer vrget argumentum est, quod ex superioribus conclusionibus egomet mihi excogito. Constitutissimum enim cunctis est statim ab ecclesiæ incunabulis coniugatos quidem ad sacerdotium admitti: sacerdotes verò à ducendis vxoribus fuisse cohibitos. Hoc autem discrimen nulla quiuit alia eniti ratione quàm quòd neutri illorum vsui matrimoniali indulgere finebantur. Alioqui si qui in matrimonio erant poterant vxoribus vti, quidnam quæso vetabat nè & sacerdotes possent pariter inire connubia? Nam si fateamur coniugatos vxorio vsu fuisse interdictos, palàm fit ratio cur post sacerdotium interdiceretur contractio matrimonij nempè quia vouebant castitatem sicuti cæteri qui erant vxoribus copulati. Adde quòd illa disparitas vt alij vxorio fruerentur complex, alij verò minimè, nequisset non decorum Ecclesiasticum deturpare.

¶Profectò quando nulla extaret authoris assertio, rationes me vehementer in hanc cogerent sententiam: sed extant nihilominùs sanctorum patrum testimonia quæ cõsideratiùs pensata, rem aperiunt. Est quippe in primis autoritas antiquissimi Epipha nij, encomijs Hieronymi atque Augustini illustrissimi: cuius verba sunt, tom. 1. lib. 2. in hæresi Catharorum: Re vera non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos qui à nuptijs mortua ipsorum vxore secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excelentem sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hoc certò sancta Dei Ecclesia cum synceritate obseruat. Sed & adhuc viuentẽ & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit: sed eum qui se ab vna cõtinuit aut in viduitate vixit, diaconum, & præsbyterum, & episcopum, & hypodiaconum, & maximè vbi synceri sunt canones Ecclesiastici. Et subdit: At dices mihi omninò in quibusdam locis adhuc liberos gignere presbyteros, & diaconos, & subdiaconos. At hoc nõ est iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus clanguit, & propter multitudinem: cùm nõ inueniretur ministerium. Hæc ille atque alia subsequenter accumulat ad confirmandum nunquam fuisse licitum sacerdotibus vxorib⁹ vti: quãuis essent maritati, nisi vbi propter libidinẽ canonum synceritas non seruaretur. Et tomo. 2. lib. 3. circa finem, vbi ecclesiasticam disciplinam scribit, expressè ait non esse ad sacerdotium admittendos nisi ex his qui aut virgines sunt aut continentiam à proprijs vxoribus seruant, aut ab vnius nuptijs viduitatem custodiunt. Eôdem accedit Hiero nymi testimonium, vbi ait: Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Aegypti & sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt aut cõtinentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt? En tempore Epiphanij Salaminę episcopi in Cypro, & Hieronymi q in Oriente vitam degerat, quanq̃ sacerdotes vxores alerent, earũ tamen vsu abstinebant. Eidem astipulatur Ambros. in expositione 1. ad Timoth. super verbis: Vnius vxoris virum. Vbi ait: Si quis filios bene gubernauerint, &c. poterũt digni fieri sacerdotio, & in-

Epiphanius

Hieronym⁹

Ambros⁹.

frà. Iam de cætero se ab vsu fœminę cohibẽtes. Atque ibidem Haymo. vnius vxoris: id est, quòd non sit bigamus: posteà verò penitus abstinere debet. Et suprà citatus venerabilis Beda, lib. 3. de taber. astruit tunc temporis nemini licuisse in sacerdotem creari, nisi aut virgo permansisset, aut cõtracta vxore cõiunctiõis fœdera soluisset. Accedãt demũ verba Concilij Carthaginensis, quæ referũtur. 32. disti. can. Placuit. Hęc scilicet: Placuit Episcopos, præsbyteros, diaconos, subdiaconos, secundùm priora instituta etiam abstinere ab vxoribus. Et verba subinde Leonis Pontificis can. seriatim proximo: scilicet, Si quis ex cõiugatis desiderat ad subdiaconatum ascendere, non potest sine cõsensu vxoris suæ vt fiat de carnali deinceps spirituale coniugium: nemine cogente eos. Neq; permittitur posteà vxor iungi eidẽ marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere in vita aut post mortem illius. Nempè quia vxor tenebatur etiam facere votum perpetuum castitatis. Et hoc concilium appellat priora cõstituta: scilicet, vt arbitror, sæculo Apostolorũ proxima. Quin verò & canon ipse sextæ Synodi. Quoniam. 31. d. quo se Græci tuentur, id planè docet: vbi ait quòd clerici tempore ordinationis suæ castitatem profiteri nõ cogantur: illic inquam docentur in primitiua ecclesia ita cogi. Ecce quæ mihi faciunt conclusionem impendiò quàm maximè probabilem: imò certam: & præterea quòd nunq; tantum postmodùm ecclesia cõnixa fuisset castitatis voto sacerdotes obstringere, nisi à sanctis ipsis Apostolis id fuisset edocta.

Haymo.

Beda.

Cõciliũ Carthaginense

NIhilo minùs neque abnuẽdum est esse aduersus hanc sententiam non exilia argumenta, quibus aliqui putant, vt est Clithoueus, contrariam constitui. Et primum est locꝰ Pauli in superiori articulo & in præsenti allegatus: Oportet episcopũ esse vnius vxoris virum: qui aliter quidem ab hæreticis: aliter verò à catholicis nobis obijcitur. Ab illis quidem in hoc sensu quòd sit necessarium antequam quis sacris initietur vxorem ducere. Sed hic adeò Paulinis verbis reluctatur vt non alio indigeat mucrone. Altero verò mitiorique sensu à catholicis opponitur. Videlicet vt inde inferant licuisse tunc torum etiam cum vxoribus communicare. Ambo tamen satis per illorum sanctorum testimonia excluſi sunt, quos nuperrimè ad confirmandã proximam conclusionem attulimus: quippè qui non solùm negant necessarium fuisse vt qui sacris initiaretur vxorem duceret, verùm astruunt eis qui matrimoniali anteà fœdere tenebantur, non licere vxoribus ampliùs vti. Et prẽterquàm in loco citato, audiamus rursum expositorem Hieronymũ li. 1. aduersus Iouinianũ vbi nostram tertiam conclusionẽ apertissimè confirmat. Ait enim: Non dicit, (scilicet Paulus) eligatur episcopus qui vnam ducat vxorem & filios faciat: sed, qui vnam habuerit vxorẽ & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse episcopum qui in episcopatu filios faciat. Alioqui si comprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem sint virgines quod mariti, aut si sacerdotibus vxores non licet tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Hæc Hieron. ¶ Quia age prætermissis expositoribus perspiciamus an Paul. ipse id minimè obscurè insinuauerit. Nã vbi dixit, vnius vxoris virũ, statim subdit, sobrium prudentem, ornatum, pudicum: quod profectò nõ de pudicitia matrimoniali, sed de omnimoda intellexisse videtur. Quod & clariùs ad Titum censuisse apparet: quippe vbi ait, iustum, sanctum, continentem. Quasi dixisset, perinde cum coniuge atq; cum sorore habitantem. Nam eum qui rei vxoriæ operã nauat, quis continentem appellauerit? Accedit quòd beatus Ioãnes, episcopus fuit Ephesi: qui tamen virgo electus est à Domino, & virgo in æuum permansit. Quin verò crebros alios reperias sanctos patres attestãtes tempore Apostolorum obseruatã fuisse sacerdotalem continentiam. ¶ Sed est prætereà argumentum contra hanc nostrã probatissimam assertionẽ quòd inter canones Apostolorum ille extat qui refertur dist. 28. Si quis docuerit sub obtentu religionis propriam vxorem contemnere, anathêma sit. Cui cõsonat canon quintus Apostolorum: Ne episcopus aut præsbyter vxorem suam prætextu religionis eijciat. & can. si quis docuerit. 28. d. Ad hoc autem respõderi potest, quicquid hæretici dicãt, quibus Clithoueus minimè debuisset fauere, solũ illis locis prohiberi nè sacerdotes sic vxores contemnerent, vt eis, liberisq;, & familiæ non prouiderent, sed domo pellerent. At verò citra contemptum communi toro ex amborum cõsensu abstinebant. ¶ Vehementius tamen argumentũ

Hieronym.

Argumẽtũ

Primũ argumentũ. Clithoueiin præfatã sententiam.

Solutio.

Solutio.

Argumẽ. 3

argumentū primo aspectu sumitur ex histo ria Cassiodori in Tripar.lib.2.cap.14. quæ citatur à Gratiano.31.dist.can. Nicena synodus. Verborum sententia est,nè cuncta referamus: quòd cùm synodus sancire adornaret nè presbyteri cum coniugibus quas ante consecrationem duxerant non dormirēt, Panutius,licèt nuptiarum esset inexpertus, patribus persuasit nè talem ponerent legem asserens esse grauem fornicationis occasionem.Cui quidem sententiæ statum est: atq; adeò non in necessitate,sed vniuscuiusq; voluntate positum.Ad hanc autem historiam primùm respondetur nō esse relatam inter acta Concilij,sed sola Cassiodori autoritate vigere. Imò mirum est si hoc verū sit quòd in tertio canone eiusdem concilij, vbi sacerdotibus interdictum est mulierem extraneā secum habere, nisi fortè mater esset aut soror,aut auia,aut amita, aut matertera, non fuerit inter istas exceptas & vxor cōmemorata: Sed tamen vt autoritatem historiæ nō repudiemus,adhibenda est secunda responsio:nempè id solùm conuinci quod nos in conclusione adiecimus:scilicet post Apostolorum sæculum corruptis sacerdotum moribus dissimulatam fuisse,vt ex Epiphanio ciauimus,obseruātiam sacrorum canonum. Et quia tunc Nicena synodus cogitabat sacerdotium ad antiquam formam reuocare, Panutius consuluit potiùs esse propter corruptum sæculum conniuendum,sicut nunc facit ecclesia cum Germanis. Et eodem modo respondendū ad canonem Concilij Gangrēsis,Si quis discernit,eâdem. 28. distin.vbi iubetur quod sacerdotes nolentes abstinere non sunt ideo à sacris arcendi. ¶ Deniq; vt cuncta quæ diximus patentiora fiant,statuitur quarta conclusio. Decretum Ecclesiasticum quod modò in Ecclesia Occidentali viget:vt scilicet neq; post sacerdotium coniugia contrahant, neque coniugati sacerdotes fiant, nō solùm ante Nicenam synodum factum est,verùm quàm maximè fit probabile,proximè sæculum Apostolicum fuisse in vsu.Probatur ex illo citato canone Calixti, Presbyteris.27.dist.vbi eadem extat constitutio. Et subditur iuxta sacrorum canonū definitionem: vbi docetur iam anteà fuisse canonicum.Antecessit autem Calixtus Nicenam synodum annis centum. Sedit quippe anno.214.vsq; ad.20.Synodus autem Nicena sub Syluestro celebrata fuit anno.315. Post Calixtum eandem constitutionem cō firmauit Syricius qui falsò ab aliquibus censetur fuisse primus eius institutor.Anno.388. cuius decretum extat.82.dist.can. Plurimos. Pòst verò anno.408.eandem sanctionē suo decreto stabiliuit Innocen.primus,in epistola ad Exuperium: quæ refertur eâdem dist. can.Proposuisti.His adhibētur & duo eiusdem rei canones, Diui Gregorij videlicet, Nullum. dist.28.Et ante triennium,dist.31. quibus sanctè prohibet nè quis in subdiaconum ordinetur nisi perpetuam castitatem voto profiteatur. Extant & quàm plurima huius rei testimonia quæ operosum molestumq; esset huc congerere. Et hæc de latinorum sacerdotum instituto.

primare stō sio. *Quarta con clusio.* *Probatio. Calixtus.* *Syricius.* *Innocentiū primus.*

IGitur vt ad Græcorum institutum gradum hinc faciamus,quinta postremaque præsentis articuli conclusio est. Græci nō modo Romanum institutum repudiārunt, verum illud amplexati sunt, quod ex nullo prorsus vel Apostolorum vel Conciliorum permissu elicuerunt: imò omni ecclesiæ antiquitati omninò repugnat.Haud enim tantùm eos qui rei vxoriæ mancipati sunt sacris initiant,imò nullum ad eundem ordinē admittunt,nisi rogatus responderit cōiugatum esse. Ad literam ergo Vigilantij errorē sequuntur:de quo Hieronymus ad Ripariū in fronte quæstionis à nobis citatus lamentatur:nempè quòd neminem continentium in sacerdotem crearent. ¶ Quo ergo hæc liquidò pateant,rem auspicemur à canone. Quoniam d.31.quem argumēto secundo in Græcorum fauorem attulimus:qui habetur inter cānones sextę synodi Constantinopolitanæ.Et quoniam si synodali ecclesiæ autoritate polleret,vt Gratianus & qui ipsum de prima facie iudicant,vehementer contra nostram tertiam conclusionem pugnaret, ac perinde hæreticis permagnum præstaret patrocinium,qui Græcorum institutū Romano anteferunt,contenduntq; adeò expedire vt à Latinis recipiatur, operæpretium quam maximè duximus hoc absque censura non prætērire: nempè vt Græcanicum morem,quam sit sacris Apostolorum institutis aduersum,perpendamus. Oportet ergo priùs verba canonis adnotare,quę subsequunt. Qm̄ in Romani ordine canonis esse cognouim⁹ traditū,eos qui ordinati sunt diaconivel presbyteri confiteri,quod nō suis iā copulentur vxoribus:antiquum nos sequētes canonem Apostolicæ diligentiæ & con-

Quinta con clusio.

ſtitutionis ſanctorum virorum, legales nuptias amodò valere volumꝰ: nullo modo eſt vxoribus ſuis connubia diſſoluentes: aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore opportuno. Et infrà: Neq; etiã tempore profeſsionis ſuæ caſtitatem profiteri cogantur, quod abſtinere debeant à legalis vxoris familiaritate. Item oportet eos qui altario miniſtrant, in tempore oblationis ſacrorum continentes eſſe in omnibus: vt à Deo poſsint conſequi quæ ſimpliciter poſtulant. ¶Hæc ergo ait Gratianus omnia intelligi de Orientalibus ſacerdotibus. Haud tamen abſque acriori cenſura rem præterire debuiſſet. Quem ergo non piguit verba canonis cuncta audere, non tædeat ſingula perpendere quantum habeant roboris: ſunt enim ea, quæ ſi penitiùs perſpiciantur, manifeſtè falſitatis ſeſe redarguũt. Vſque adeò vt ante nos alij minimè ſint affirmare veriti eundem canonem profanum eſſe, inſolentiæ impudentiæque plenum: & ab eis æditũ qui caſtitatis Romanorum ſacerdotum aperti eſſent hoſtes. Fuit quidem in primis *Albertus Pighius.* Albertus Piphius vir egregiæ ſolertiæ & eruditionis in propugnanda eccleſia Romana, qui autoritatem illius Synodi non infimis rationibus labefactare conatus eſt: quippe quæ Honorium Romanum Põtificem eiuſdem hæreſis immeritò damnauit, cuius ipſe condemnauerat Sergium. Et perſonam etiã Origenis pronuntiauit hæreticam: qui profectò, licèt in aliquos errores lapſus, non cenſetur ſtudio contra Eccleſiam fuiſſe pertinax. *Reprobatur Pighij cenſura.* Ego vero Pighio omninò non ſuffragor, neq; verò refragari modò inſtitui: quia non eſt locus. Attamen etiam ipſi qui apologias pro eâdem Synodo contra ipſum ſcripſerunt, quorum fuit Franciſcus Torrenſis, *Franciſcus Torrenſis.* negare nequeunt, quin verò planè fatentur eundem canonem qui ordine illic eſt. 13. nõ ſolùm apocryphum, verum & corruptiſsimum eſſe: huius enim verba ſunt quæ nuperrimè referebamus. Et primùm omnium notum eſt eiuſmodi canones non fuiſſe æditos in eâdem. 6. ſynodo, ſed vel, quemadmodùm Tharaſius, act. 4. ſeptimæ ſynodi refert quinque poſt annis illuc reuerſis epiſcopis: vel, quod veriſimilius eſt, vt ex. 3. can. eiuſdẽ ſextæ ſynodi colligitur, vigintiſeptem trãſactis. Quare licèt Adrianus poſteà eãdem ſextam Synodum, quatenus Romanis inſtitutis non repugnaret, ſuſceperit, non tamen cẽſetur eoſdem canones autoritate catholica donaſſe: quippe qui neque in Concilio editi ſunt, neque ſub legato Romano. Quod autem dictus canon non ſolum tanta, verùm neque vlla ſit autoritate dignus, ſua ipſius facies præſefert. In primis enim quænam erat Cõcilij maieſtas, in preſentia Romani legati ſi præſes ſediſſet, recitato Romano decreto è regione ſtatim ſubdere contrariam cenſuram: dicendo, Antiquum nos ſequentes canonem Apoſtolicæ diligentiæ. Ecquis enim eſt ille canon? aut vbi extat? nam quòd ait gloſſa illud referri ad Paulinum verbum, nè coniuges ſe inuicem defraudẽt, minimè textui congruit: ſiquidem ſubdit, & conſtitutiones ſanctorum virorum: vbi planè Concilĩ ſecundum Carthaginenſe denotatur, quod refertur 31. diſtinctione. Canone, Epiſcopos. & 84. canone, cùm in præterito: ac ſubinde Concilium quintum. Quis autem credat ſanctum aliquam ſynodum Concilium prouinciale œcumenico Romano antetuliſſe? ¶Sed quod apertè falſitatem eiuſdem cano- *Roboratur præterita aſſertio.* nis detegit eſt, quòd nullum Cathaginenſe Concilium ſic decreuit vt eodem canone refertur, ſed totum contrarium: Canon enim ſecundus ſecundi Concilij expreſsè iubet, quæ Aurelij ſententia fuit, omnes antiſtites, ſacerdotes, & leuitas continentes eſſe in omnibus, etiam ab vxoribus: quò poſsint ſimpliciter quod à Deo poſtulant, impetrare: verba ſunt expreſſa. Perperam ergo hic canon citauit illum: addens vt tempore oblationis continentes eſſent. Hoc enim Paulus cunctis etiam ſæcularibus edixerat. Sed vide quomodò iſti impoſtores deprauârunt Carthaginenſe Concilium quintum: cuius can. 3. ad literam ſic habet: Cùm de quorundam clericorum, quanuis erga vxores proprias, in continentia referretur, placuit epiſcopos, & presbyteros, & diaconos, ſecundùm propria inſtituta etiam ab vxoribus continere. Omiſſus eſt ſubdiaconatus: qui tunc fortè non habebatur ordo ſacer. Verbum autem, ſecundum propria inſtituta, quod ad literam intelligitur ſecundum legem ſacerdotali ordini congruam, quæ ſcilicet ab Apoſtolis vſque ea erat, vt nullus coniux ſacris initiaretur niſi votum emitteret caſtitatis, ipſi præuaricati ſunt, dicentes: Cùm inſtaret tempus ſacrificij. Et propterea addiderũt vt ſui ſacerdotes tempore ordinationis profiteri caſtitatem non cogerentur, neq; ab vxoribus abſtinere. Quod nos bene ſuprà notauimus, tanquàm teſtimonium, quod ille *Fragmentũ concilij Carthaginenſis quinti deprauatum.*

eſſet

esset mos antiquus ecclesiæ. Vide ergo quã non liceat quicquid inter decreta à Gratiano fuerit relatum, vt moris est Canonistarum, tanquàm oraculum adorare. Imò potiùs vel ipse debuisset vel sui glossatores radicitùs historias cõsulere, vt rerũ medullas eruerẽt. At verò vt gratis donaremus eundẽ canonem legitimum esse, haud tamen in eo continetur vt sacerdotes ad id muneris non admittantur nisi fuerint priùs cõiugati, vt Græcorum mos habet: sed hoc solùm quod non cogantur castitatem vouere. Cui accinit & alter eiusdem synodi canon qui refertur. 32. dist. cuius verba sunt. Si quis eorum qui ad clerum accedunt voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationẽ subdiaconatus faciat. Et canon subsequens Carthaginensis Concilij quarti: Lectores cùm ad annos pubertatis veniũt, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri. ¶ Merito ergo à multis, vt idem ait Torrensis, creditur Græcos à Nicolaitis hæreticis eũ morem contraxisse. Horum enim parens Nicolaus, vti in catalogo hæreticorum ait citatus iam August. cùm pulcherrimam haberet vxorem, quæ perinde apud ipsum in suspicionem impudicitiæ venerat, neque satis procos abigere domo posset, communem vsum vxorum suis persuasit discipulis: qui quidem posteà multa in illum errorem deprauârunt. Inter quæ decimum septimum canonem mendose suppositum fuerunt sexto libro Institutionum Apostolicarum Clementis: quem quidem canonem quidam posteà author Græcus Niceta, Pectothoratus nomine, defendit, Græcisque persuasit. Canon verò, vt Vmbertus Leonis legatus in libro contra ipsum refert, sic habet: Episcopũ, & presbyterum & diaconum dicimus, qui vnã habet vxorem, ordinari, nec licet eos post manus impositionem innuptos esse. Ex quo canone suam Græci consuetudinem traxêre. Hæc omnia patent apud dictum Vmbertũ Cardinalem. Is enim à Leone nono circa annum Millesimum quinquagesimum Constãtinopolim de hac re delegatus contra eũdem Nicetam scribens, has omnes Græcorũ præuaricationes patefacit. ¶ Haud ergo Græcorum mos censendus est alicui orthodoxæ Synodi consentaneus, sed tanquàm error inter alios eorum tolerari ab ecclesia præsenti. Nam antiqua nunquam eis permittitur, vt non ordinarentur nisi cõiugati, sed id penitus quòd illi etiam secundo gradu post continentes admitterentur. Et fortassè idem fuit Niceta ad quem idem Leo direxit canonem, seriatim. 32. Atqui eodem modo intelligendus est textus Innocentij tertij, cùm olim. de clericis coniugatis. nempè quòd propter Græcorum duritiam permissum eorum sacerdotibus est nè votum castitatis emittant: haud tamen quòd cogantur esse cõiugati. Igitur vt ad nostros Lutheranos, à quibus profecti sumus, reuertamur, nullatenùs se possunt Græcanico instituto protegere.

Hæresis Nicolaitarum.

Augustinus

Canon alter corruptus.

EX his argumenta in capite quæstionis obiecta, soluta restant. Primũ enim ex Paulo hæretici accersunt, intelligentes illud verbum, Oportet episcopum esse vnius vxoris virum, quasi præceptum, quo sacerdotes cogantur connubia inire. Sed iam suprà mõstrauimus quàm diuerse sancti idem interpretentur verbum. Fuit enim tantùm prohibitio nè bigami assumerentur in sacerdotes, & præterea propter sacerdotum inopiam permissio, vt etiam coniugati initiarẽtur: sed vt monstrauimus, præmisso, consentiente vxore, castitatis voto. ¶ Simili prauitate & calumnia intelligunt quintum Apostolorum canonem nè presbyteri aut diaconi prætextu religionis vxores eijciant quasi præceptum sit vt illis vtantur: contrà quàm à nobis superiùs expositũ est. ¶ Et pariter verbũ epistolæ cuiusdã quæ dicitur Clementis detruncantes, ad suam libidinem pertrahũt. Verba enim epistolæ sunt. Ministri altaris ad Dominica tales eligãtur officia qui ante ordinatiões cõiuges suas nouerint. Quod quidem ipsi, perpende absurditatem, aiunt esse præceptum ac prohibitionem nè cui ante consummatum matrimonium liceat sacris initiari. Quod alij, vt cauerẽt absurdum, negatiuè legerunt, non nouerint: cùm tamẽ non sit nisi affirmatiuè legendum: at verò non truncatè, sed si semper continere noluerint. Hoc est si non fuerint virgines, aut continentes, sed coniugati, ea lege ad sacerdotium recipiãtur, vt vsq; ad illud tantùm tempus vxores nouerint. Quasi dicat: deinceps autem ab illis abstineant: vt in tertia conclusione monstrauimus. ¶ Secundum autem argumentum, de cap. quoniam. iam satis solutum est. Tertium verò quod illi authoritati nititur quæ Augustino tribuitur, nempè vbi

Ad primũ argumentũ

Correctio alterius canonis

Ad secundum argumentum.

Ad tertiam argumentũ

vbi apparet dicere continentiam sacerdotũ post Apostolica instituta ab Ecclesia fuisse adiectam, nullatenùs contra tertiam nostram conclusionem pugnat: tum quòd illud non est verbum Augustini. Sed quia initium illius cap. Cùm agitur. est illius: scioli legunt totum tanquam Augustini: cùm tamen sit Gratiani. tum quòd Gratianus hoc tantùm ait quòd continentia sacerdotum est opus consilij: quia consilium est, vt fiant sacerdotes: sed tamen postquàm ordinati sunt, iam fit illis præceptum. Quod autem ait post Apostolorum instituta fuisse adhibitam, si vult tempore Apostolorum nondum fuisse illud in more, autoritates sanctorum ac rationes ad eandem tertiam conclusionẽ allatæ ei refragantur: quæ ideo pluris æstimandæ sunt.

FINIS LIBRI SEPTIMI

DE IVSTITIA ET IVRE.

LIBER OCTAVVS
De Iustitia & Iure.



VAdo primum libros istos de iustitia & iure in lucẽ dedimus, materiã iureiurãdi, & adiurãdi q̃ se iter illos iure optimo ĩsinuabat, ob id missam fecimus, ꝙ seorsum libellũ paucis ante diebus de re illa ediderã. At quoniã in vulgus latinè & hispanè illũ scripsi, ob idq; nõ omnib⁹ scholarũ neruis rẽ amplificaui, multi ex me efflagitarũt: vt hac secũda impressione id de integro elucubrarẽ: est enim res scitu digniss̃ima, his maximè tẽporibus, quãdo iurãdi licẽcia tantã peierãdi cõsuetudinẽ peperit: vt vix Christianis enormitatẽ hui⁹ criminis persuadere valeas. Id ꝙ Christianissmum teterrimè denigrat. Annui ergo nil verit⁹, si ex eodẽ libello quã plurima huc sim trãscriptur⁹. Ille enim ĩ solũ vsum plebis cedere potest. Cogitaui ergo libellũ septimũ de cãbijs, q breuiss̃im⁹ erat, in sexto de vsuris ponere, ac post septimũ devoto, octauũ istũ de iure iurãdo, & adiuratiõe collocare. Ordinẽ nimirũ diui Tho. vt hacten⁹ feci, ꝓsequut⁹

QVAESTIO PRIma De Iuramento.

Sanct. Thom. 22. quæst. 89.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm iuramenti definitio sit bona.

QVæstionẽ de iuramẽto in decẽ articulos distribuit sãctus Tho. quorũ primo quẽrit quid sit, se cũdo sit ne licitũ, & cæteris alia quæ suo ordine patebũt. Vbi forsan quis illi co ordini obijciat, primũ fuisse quærẽdũ, vt Philoso. 2. post. admonet, vtrũ iuramẽtũ sit, q̃ quid sit. Respõdetur autẽ in moralib⁹ idẽ esse quærere, an res sit, & an licita sit quęqui dẽ q̃stio præsupponit qd sit: ex notitia enĩ eius scire pẽdet, an licitũ sit. Meritò ergo primum de definitione, quæritur iuramenti.

Prima conclusio.

AD quã quæstionẽ diu⁹ Tho. 4. cõclusioni bus respõdet Prima iurare est Deũ in testẽ assũmere. Et dicitur iuramentũ ob id, ꝙ sit quasi pro iure introductũ. Alij aiunt iurare esse Deũ in testẽ vocare, sub quib⁹ verbis diuus Tho. quęstionẽ proposuit. Et sumitur ex quodã sermone Augu. de periurio, q est inter sermones de verbis Apostoli. 28. super verbis Iacob. 5. Nolite iurare &c. Vbi ait qd est iurare per Deũ, nisi testis est Deus? Verũ tamẽ diuus Tho. ad ꝓhibitionẽ diuinã alludens, ne nomẽ Dei in vanũ assumamus, cor datius pro, inuocare, dixit, assumere. Probatio autẽ cõclusionis sumit ex fine & causa iurãdi. Iuratio nãq; est veritatis cõfirmatio in reb⁹ moralibus, q̃ in particulari cõtingũt, iuxta illud Apostoli ad Hebrę. 6. Omnis cõtrouersiæ finis ad cõfirmationẽ, est iuramentũ: huiusmodi autẽ cõfirmatio certa esse nequit nisi Deus in testẽ aduocetur: ergo iurare est Deũ in testẽ assũmere. Secũdæ autẽ præmissæ ratio est, ꝙ in scibilib⁹, quæ in ratione posita sunt, cõfirmatio veritatis ꝓcedit ex ijs, q̃ sunt naturaliter nota: atq; adeo illic neq; testib⁹ neq; iuramẽto opus est. In moralib⁹ verò quoniã cõtingentia sunt, atq; adeò nimiũ varia, nõ potest res ratiõe cõstabiliri. Sed opus est testibus. Testimoniũ autẽ humanũ duplici de causa fallax est: nempe & exvitio volũtatis hominis, qui contra id quod mẽte sentit, ob malitiã pronũtiare potest: & ex defectu intellect⁹: quia ob ignorãtiã sæpe de occultis, & de absentibus fallitur. Cũ ergo his de causis omnis homo sit mẽdax, dictorũ veritas solo Dei testimonio satis cõfirmatur. Id quod Apost. loco modò citato admonet dicẽs, Homines per maiorẽ se iurãt. Hinc ergo perspicaciorẽ definitionẽ scholastico more hãc eliciam⁹. Iuramentũ est dictio per diuinã attestationẽ confirmata: vt dictiõis nomine, affirmationẽ & negationẽ cõplectamur: Deiverò appellatiõe, res quoq; diuinas nẽpe creaturas in ipsũ relatas. Enimuerò qui per creaturas iurat, nomẽ aliquod illis inesse ꝓfiteť, siue falsum, vt idololatræ, siueverũ: vt orthodoxi, qui Deũ in creaturis existere ꝓfitemur. Vnde iusiurandũ ait de officijs Cicero est affirmatio religiosa. Et Aristo. etiã in Rethorica ad Alexãdrũ, ius iurãdũ est, cũ diuina veneratione dictio, probatiõis expers. Dictiõis nomine affirmationẽ cõplexus est negationẽ. Adiecit autem, probationis expers, hoc est, quæ alia probatiõe caret: nimirum,

unde dicat iuramentũ

Cõclusionis probatio

Testimoniũ humanũ fallax.

Definitio iuramenti.

Cicero & Arist.

vt na-

vt naturam penitius ius iurandum patefaceret: quod vtique citra necessitatem, vbi res aliter probari non potest, non est licitũ. At quantum ad ethimologiam, ius iurandum à iure dicitur: ob id forte (vt Au. in citato sermone insinuat) quòd qui iurat ius veritatis Deo reddit: iuxta illud Euãgelij, Reddes Domino iuramenta tua: putà honoris ius: quippe cui veluti ipsissimæ veritati propriè competit dictorum omnium & conuentorum veritatem suo testimonio constabilire. Quã uis fortasse rei gratius applaudit quod hic diuus Thom. docet. Nempe ius iurandũ ob id à iure dici, quòd pro iure sit introductũ. Id enim quod iuratur pro lege habendum est, ac veluti ius ipsum sanctè seruandũ. Id quod verbum Pauli denotat, dicens: iuramẽtum esse finem omnis controuersiæ, ac si lege esset sancitum. Quare iura post præstitũ iuramentum nullam aliam inquisitionẽ permittunt: iniuria enim alioqui irrogaretur Deo. ¶ Secunda conclusio Sancti Thom. est Diuinum testimonium quãdoque per iuramentum ad asserendum præsentia vel præterita inducitur: quandoq; verò ad cõfirmãdũ id quod in futurum promittitur. Quorũ priusdicitur iuramentũ assertoriũ: posterius verò promissoriũ. Res est quę suis ipsis nominibus fit clara. Quod si arguas, nõnũq; iuramentũ assertoriũ esse respectu futuri, vt cùm quis iurat, cras fore, vt pluat. Respondetur Sanctũ Thom. loqui secundũ iuramenti naturam. Haud enim futurũ cõtingere asserendũ est, nisi quatenus in suis causis iam est notũ, vt cum quis iurat se facturum quod proposuit facere: iuramentũ verò leue, & temerariũ etiam de futuro potest esse assertorium. ¶ Tertia conclusio. Ad ea quæ sunt necessaria, perq; rationem inuestiganda non inducitur iuramentum: & est intelligenda conclusio in sensu prohibitorio. Quasi dicat illa non licet iuramento confirmare. Derisibi le enim videtur. Imo, vt infra patebit, vitium est si quis in disputatione scientiæ opinionẽ suam, vbi ratio non occurreret, iure iurando confirmaret. Quocirca non accipit necessaria pro ijs solis quæ euidẽtia sunt. Nã in speculabilibus altera pars cõtradictionis semper est necessaria vt astra sunt paria vel non licet neutra sit nobis euidẽs quare vtrãuis iures peccas, atq; adeo si iures quantitatẽ rẽ esse à lubstãtia differentẽ aliãue quanlibet opinionẽ. Alia conclusio adhibetur in solutione tertij et ideo suo ordine videda sunt argumenta. ¶ In primo exponit particulã definitionis, assumere Deum. Nõ enim quicũq; testimoniũ Dei adducit, iurat: vt cõcionatores & prælectores & disputantes cũ testimonia sacra citant nõ iurãt: eò quòd testimonia illa Deus sua spõte dedit ad suas asserendas veritates. Quare citãtes illa, nihil aliud faciũt quã referre Dei asserta. Iurare autẽ est illũ in testẽ assertionũ nostrarũ implorare. ¶ In solutione secundi exponit illam particulã euãgelij Matth. 5. Reddes altissimo iuramẽta tua. Videtur enim iurãs nullũ ius Deo reddere. Respõdet ergo dupliciter vno modo, quòd dicatur ius Deo reddere qui iuramentũ implet: nã illi suã fidẽ obstrixerat. & potest etiã hoc in iuramẽto assertorio intelligi, quãdo quis verũ asserit. Secũda verò expositio est ad rẽ magis accõmoda: nẽpe q̃ qui iurat, eo ipso q̃ iurat, ius hoc est honorẽ Deo debitũ illi reddit: videlicet eũ agnoscẽdo & cõfitẽdo infallibilẽ esse veritatẽ. Quocirca Ierẽ. 5. Deus de filijs Israel cõquerebatur, quod cũ dereliquissent, iurassentq; in his q̃ nõ erãt dij. idest honorẽ iuramentorũ sibi propriũ in deos falsos transtulissẽt. ¶ Tertiũ deniq; argumentũ est. Aliud est officiũ iudicis aliud verò testis.

Sed quandoq; iurãdo imploratur iudiciũ potiùs diuinũ, quã testimoniũ: vt cũ execratoria iuratio qualis est illa psal. 7. si reddidi retribuentibus mihi mala, decidã meritò ab inimicis meis inanis. Respondet autẽ quarta cõclusione duplex est iuramẽtũ scilicet simplex, vt quãdo seu Deus seu creatura simpliter vt testis ascitur vt Deꝰ est mihi testis, per Deum &c. Alterũ verò execratoriũ q̃ etiam dr imprecatoriũ cũ adducit in testẽ & pariter in vindicẽ vt tanquã iudex vindictã falsitatis sumat: vt dispereã, si nõ ita sit quæ quidẽ etiã forma iurandi ãtiqua fuit vt. 2. reg. 3. Hoc facit mihi dominus & hæc addat: & q̃ vtrũq; sit iuramẽtũ hinc patet, quoniã cũ deꝰ in testẽ adducitur, vt reuelator veritatis. Hãc verò reuelare potest aut simpliciter interne aut exterius eũ puniẽdo, qui mẽtitur. Quare & hoc quoq; est iuramẽtũ. Et ad hoc reducitur quãdo imploratur vt præmiator veritatis. Vt si dicas, sic me deus ad iuuet sic vitam meã seruet &c. Nã hic subintelligitur parsad uersa. Alioqui Deus me perdat &c.

¶ Ad horũ plenioré intelligẽtiã colligẽdum imprimis nobis est, quibus modis cõtingat iuratio vbi primũ assertũ sit. Nulla dictio simplex seu affirmatio sit seu negatio, quæ præse non fert testimonij aut execrationis imagi-

Iniurandi ethimologia.

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

Reddes altissimo iuramenta tua.

Quarta conclusio

Quibus modis cõtingit iurare.

imaginē,est iuramētū. Simpliciſsima verò omniū eſt illa Matth.5.nobis admonita,eſt eſt Non nō.Quod eſt dicere ad id quod eſt, reſpōdere affirmādo, eſt, & ad id quod nōeſt. negando. Vide quā candidas quāq; ſinceras Chriſtus voluit noſtras eſſe aſſertiones.Duabus enim minimis ſyllabis admonuit eſſe explicādas.His enim verbis omnia expreſsit.Interrogas fecerimne,aut dixerim?reſpōdendū mihi,feci,aut,nō feci,dixi aut nō dixi.Imò & verba excuſare poſſumus dicēdo,ſic, aut nō: Simplex etiā aſſertio cēſetur ſi aduerbiū ali quod aut nomē adiungatur,quod nihil aſſertionis aut negationis mutat:vt ſi dicas, verè, *Vere in veritate &c.* in veritate,certè,profectò,ſanè,& id genus reliqua nullū reſultat iuramentū.Item ſi dicas, in fide mea, aut in fide ingenui viri, aut in bona fide nihil iuras:quia non affers fidē in teſtē.Sed ſenſus eſt, te ſecundum fidē loqui, quæ in dictis & conuētis ſeruāda eſt. Secus ſi dicas:per fidem Dei aut Chriſti.Nā tūc iuras per ſacrū:ſicut per euāgeliū:quāuis forſan', ſi diceres, In fide boni Chriſtiani aut religioſi nō eſſet iuramentū,ſed ſenſus eſſet,te id pronūtiare ſecundū fidē humanā quam bonus Chriſtianꝰ ſeruare debet.Sunt autē verba nō bene ſonātia maximè in viris religioſis. Quādo verò adhibetur,per, vt ſi dicas per meā fidē,videtur inde ſpecies conflari iuramēti: ſicut per meā animā,aut per meā vitā. Idē diſcrimē apparet ſi dicas in mea cōſcientia, aut per meā conſcientiā.Idē.n.cēſetur in mea cōſcientia,ac ſi dicas id aio quod ſentio:ſedcùm addis,per,videtur accuſatiuus formā teſtis induere ob idque viris timorati animi ab his omnibus abſtinēdū eſt. Et præſertim religioſis ab eo qꝫ aiunt per habitū.d.Frāciſci.aut.d. Dominici.eſt enim iuramentum tum nobis indecorum tum & audientibus aſſonum.

Triplici ex capite variā tur iuramēta. Per hæc autē de cæteris cēſendū. ¶Secūdò ad dignoſcēdas iuramentorū differētias notandū triplici ex capite variari. Primū ex parte obiecti diuidit in aſſertoriū (vt dictū eſt) ſub quo intelligitur negatiuū & promiſſoriū.Secūdo ex parte illiꝰ per quē iuratur diuiditur in iuramentū per Deū & iuramentū per creaturas:quod,vt ar.6.latius patebit fieri poteſt vel blaſphemè,vt iurare per Herculē,per Iouē aut per ſolē ea ratiōe,qua idololatræ qui creaturas pro Deo colunt: Vel catholicè ſicuti per ſanctos perq; euangelia aliasve creaturas in Deum relatas. Atque hic modus iurandi per creaturas poteſt fieri aut per ſimplicem atteſtationē vt in exemplis modo poſitis aut per execrationem ſubdendo creaturam iudicio & vindictæ Dei,ſi aliter eſt. Quemadmodum Gen.42.legitur patriarchā Ioſeph iuraſſe per ſalutem Pharaonis. Et homines ſeu per proprias,ſeu per charorum ſimili ſchemate iurāt.Sed de his arti.6.Tertiò denique variantur iuramenta per varias formas & exempla iurandi. Primum quippe, idemq; vetuſtiſsimum iuramentorū exēplar *Viuit Dominus.* fuit olim lege veteri celebratum, viuit Deus aut,viuit dominus.Id quod Deus ipſe docuit illā gentem,tum ſuo exemplo,tū etiā lege.Iurauit enim ipſe Nume.21. viuo ego,& ita præcepit Moyſi renuntiare populo, viuo ego dicit dominus.Deinde per Hieremiā cap.4. Iurabis, viuit Deus.Fuit nāq; hoc iusiurādi ſpecimē tunc tēporis ad abominandū abolendū q; Ethincorū iuramenta appoſitiſsimū. Iurābāt quippe aut per elemēta aut inanima ſaxa,aut per Iouē,& id genus homines vita defunctos.vnde Danielis vlti. Nunquid eſt Bel Deus viuens?cum tamen ille qui in teſtē aſciſcitur,præſens eſſe debeat,idemq; rei cōſcius, quæ iuratur.Idem ergo eſt,viuit dominus,ac ſi dicas,illum in teſtem affero, qui nō modo vitam viuit immortalem, ſed vbique adeſt: neque tantum iurantisverba audit,verum & intima cordis intuetur:qui ideo neque decipi poteſt, nec vult quenquam ſeducere. Ad hāc formā reducūtur dicere,Coram Deo loquor vt Paul.ad Ga lat.1.& Deꝰ ſcit. Quāuis iſtæ poſſunt accipi & denūtiatiue & inuocatiue.Et quidē priori modo nō ſunt iuramēta ſed ſenſus eſt,Ego ſic aut ſic aio,ſed tñ verba mea Dei ſcientiæ ſubmitto. Ipſe.n. quid verum ſit nouit Quare in viris timorati animi vbi dolus abeſt, non eſt iuramentum. Si autem inuocatiue dicatur diuinam ſciētiā in teſtimonium inuocando, vt ſi dicas Deus ſcit quod non mentior iuramentum eſt.

Sicut illud Pauli Ecce coram Deo quia non mentior. Quocirca illud Petri, Ioannis 21.Tu ſcis domine,quia amo te, formam profecto habet iuramenti perinde ac Deus ſcit.

Quamuis ſi tantum reſpondiſſet Tu ſcis, ſenſus eſſet Tu ſcis an amem te:quod non eſſet iuramentum, cum autem aſſerendo dixit,Scis quia amo te, viſus eſt Chriſtum in teſtē protuliſſe.Secunda poſt hanc forma iurandi eſt, teſtor Deum, aut, teſtis mihi eſt *Teſtis eſt mihi Deus.* Deus. Qua vſus eſt ad Roma. Paul. atque hæc expreſsius refert naturam iura-

menti

mẽti:est siquidẽ iurare (vt supra dicebamus) Deũ aut diuina in testes citare. Atq; ad hanc formã reducitur illud ad Ro. 9. Veritatẽ dicũt Christũ Iesum & non mẽtior. Tertia forma fit expresso verbo iurãdi vt iuro Deũ,&, per Deũ,vt Gen.22. Per memet ipsum iuraui aut sub tacito verbo,proferẽdo solã præpositionẽ,vt sidicas per Deũ per sanctos, & p euãgelia:sic & sic est. Quin verò absq; vlla verborũ prolatione,cùm quis rogatus ac iussus, manu crucẽ, aut euangeliorum volumen attingit intẽdens annuẽsq; iurare,re vera iurat. Sũt præterea figuræ aliæ & phrases,quas vulgus trutina iuramẽtorũ æstimat:cũ sint multò peiore nomine dignæ. Vt voueo Deo dũ fit per modũ iurãtis,est enim abusus votũ p iuramẽto vsurpare Deũ pœniteat,aut Deo indoleat,nõ credo, discredo atq; id genus alia, quæ diuersis nationibus diuersa sunt in vsu. Sunt.n.non iuramenta tantum sed apertę blasphemiæ. De quib⁹.q.2.copiosiùs dicẽdũ est.diuidũtur aũt iuramẽtavel ex parte causæ in liberũ & caoctũ illud q̃ spõte fit hoc autẽ per vim. Itẽ in iuramentũ prudẽs & incautũ illud. s. quod ãprudentia proficiscitur hoc autẽ ex imprudẽtia vt si rẽ vel absq; iustitia iurasvel absq; iudicio. Item ex parte effectus vtĩ sincerũ q̃ ĩ bonũ fit, & dolosũ q̃ fit ad decipiendũ de quibus omnib⁹ suis locisvidebit. ¶Nunc tamẽ interim circa has diuisiões dubiũ facilè suboritur. Vtrũ iuramenta assertoriũ,& promissoriũ sint eiusdẽ speciei. Apparet.n.pars negatiua vera propterea q̃ asserere & polliceri absq; iuramẽto diuersæ figurę sunt & speciei. Idẽq; dubiũ ratio offert de simplici & execratorio. Nam qui execratur, malũ sibi iudicio Dei imprecatur. ¶Ad vtrumq; tamẽ breui respõso eodẽq; bimẽbri fit satis. Respõdetur nãq; si ratio iurãdi per se in omnib⁹ cõsideretur eiusdẽ esse omnia speciei: Deũ enim in testẽ implorare siue in assertionibus siue in promisionibus fiat siuẽ execrationibus eadẽ est iurãdi species q̃a idẽ est testis & testimoniũ. Differũt tamẽ accidẽtariè hoc est ratione materiei, quæ per se alio genere differũt: vt pollicitatio & assertio si enĩ animal per ãlbũ diuidas & nigrũ, licèt per se duę sint differẽtię coloris sunt tamẽ genere animalis accidẽtariæ. Secundũ dictũ sit quòd quãuis simplex iuramentũ, & quod fit execratoriũ eiusdẽ sint speciei, nihilominus aut virtus aut vitiũ iurãdi alteri seu virtuti seu vitio imperat, sicuti vbi quis ob mæchiã furatur. Quare qui iuste execratorie iurat imperat virtuti maledictionis supra se & qui perperã iurat imperat eidẽ vitio. Est. n. execrari horrori & abominationi rẽ habere: significat ergo qui per execrationẽ iurat adeo mendaciũ abominari, vt si mẽtiatur rẽ horrendã sibi optet accidere. Etad hoc etiam reduci tur,vt supra dicebamus,impretati › benedictiõis. Sic me Deus adiuuet &c. quæ abusiuè dicitur execratio propterea quòd videtur illam àcontrario sensu includere.

Blaphemiæ.

Respõsio.

Secũdũ dictum.

Execrari.

Secundum.

Duplex virtutũ genus.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm iurare sit licitum.

HAbito quid sit iurare, subsequit inquisitio vtrũ sit licitum. Et respondet diuus Tho. duabus conclu. Prior est. Iuramentũ secũdum se est licitũ & honestũ. Id quod duplici ratiõe probat videlicet ex origine,vnde fit honestũ quoniã iusiurãdũ ortũ ex catholica fide habuit,qua homines credũt & profitẽtur Deũ infallibilẽ omniũ habere veritatẽ & prouisionẽ. Secũdo ex fine, vnde fit licitũ quia inductũ,vt ait ad Hebrę.6.Paul. est vt fine litibus impositio homines in pace & tranquillitate viuãt. ¶Secũda cõclusio. Iuramẽtũ ob malũ vsum idest quia sine necessitate & cautela fit,in malumcedit. Primum quiairreuerẽtia fit Deo ex leui causa eũ in testẽ adducere. Secũdo quòd ea iurãdi cõsuetudine periculũ peierandi creat,ob id q̃ homo facilè verbo delinquit. Vnde Iacobi.3. si quis in verbo nõ offendit,hic perfectus est vir. Vnde &. Ecclesia.23.dicitur iurationi nõ assuescat os tuũ multi.n.casus in illa. ¶Hic primũ omniũ notãdus est sensus primæ cõclusionis iuramẽtũ secũdũ se est licitũ & honestũ. Videtur enim sibi pòst cõtradicere articulo quinto,vbi admonet idcirco nõ esse appetendã iurationẽ q̃ nõ numeratur inter ea quæ sunt per se appetẽda. Atq; adeo docet nõ esse per se virtutẽ sed ratiõe necessitatis. Respõsio tamẽ est q̃, secũdum se,aliter hic quã illic vsurpat. Hic.n. idẽ est iuramẽtũ secundũ se quòd cõsideratũ vt abstrahitur ab vsu hoc vel illo. Illic autem idẽ est quòd consideratũ secluſa necessitate. Sunt enim aliquæ virtutes quæ per se secluſa alia necessitate habẽt speciẽ boni, vt charitas religio &c. Aliæ verò quæ secluſa necessitate perse nõ essent virtutes. Vt pœnitentia, quæ nisi peccatũ ĩgruisset in orbẽ nõ esset virt⁹. Et tale est iuramentum,vt illic explicabitur.

¶Se-

¶Secundò, meminisse oportet hæresin fuisse, vt lib.3.d.39.refert Bonauêtura Manichęorũ: quanuis Guido Carmelita, nõ nisi Vualdensibus eam impingat nullatenùs esse licitum iurare. Quippè quod à Christo Matth. 5. prorsum interdictum aiebat, est tamen manifestarius error. Cui quidẽ in primis reclamat testimoniũ Deut.6. quo Diuus Thom. priorem conclu. affirmat Dominũ Deũ tuũ timebis, & per nomen eius iurabis. Nam etsi imaginem potius permissionis, præ se ferat q̃ prȩceptionis, est nihilo minùs vera permissio tanquàm rei licitæ, ac si dixisset: Non tibi simpliciter iurare iubeo, sed vbi eam necessitatẽ ratio attulerit, non per falsos deos sed per me iurabis. Tametsi Hierony. super Mattheum. c.5. & refertur. 22.q.1. canon. considera cui & Theophilactus astipulatur, permissionem illam non intelligat, vt fieret sine culpa, sed vt vsura permittit & meretricium, tanquàm minùs malum. Ait quippe iurare per Deum concessum fuisse illi populo: non quod rectè hoc facerent, sed quod melius puta minus malum esset per Deum quam per idola iurare. Hoc autem nõ planè intelligo. Nam iurare si cõsideretur sine veritate & iustitia & iudicio, nunquam fieri neq; in illo populo potuit citra culpam, & ideo in hoc sensu nunquam fuit concessum: vbiuis autẽ illi comites adsunt licitũ est iurare: quapropter absq; vllo dubio intelligitur permissio licita. Sed forsan sentit Hiero. vana iuramẽta per Deum permissa fuisse Iudęis, hoc est leuioris illis fuisse pœnę quã nobis, vt auerterẽtur ab idolatrarum iuramentis per creaturas. Et in hoc sensu subdit quòd euangelica veritas non recipit iuramentum cum omnis sermo fidelis pro iureiurando sit. Nõ autem quod neget iuramentum quando legitime fit, licitum esse. Ingenue quippe illic ait quòd qui iurat aut veneratur, aut diligit eũ per quem iurat. ¶Est ergo catholica veritas iuramentum quandoq; esse licitum, & contraria falsitas hęretica. Et probatur secundò præter allegatam authoritatem exemplis ipsius Dei & Sanctorũ. Iurauit enim Deus per semetipsum Abrahæ (vt habetur in Genesi) Quòd ex eius semine misur⁹ esset super omnes gẽtes benedictionẽ. Verumtamen Deus non ea ratione iurat qua homines: nempè quod indigeat veritatem suam iuramẽto cõfirmare: Tam firma quippe est simplex eius assertio, quã iuratio: iurat enim per semetipsum. Sed vt cõcilio Toletano habetur quod 22.q.4.canon. immutabilis. refertur, iurare Dei est à se ipso ordinata nullatenùs conuellere, sicuti pœnitere, eadem ordinata cum voluerit immutare. Sic enim per Hierem. dicit: Loquar aduersum gentem, vt erradicem & destruam & disperdam. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam à malo quòd cogitaui, vt facerem eis. Itaq; quod Deus sine iuramẽto affirmat, nonnunquam ceu cõminatoriũ immutat: quòd verò iuramẽto asserit immutabile firmat. Et ideo mysterium filij sui tanquã immutabile iuramento firmauit Abrahæ. Vnde in psalm.109. è regione iuramẽto Dei eius opponitur pœnitẽtia. Iurauit enim, inquit, Dominus, & non pœnitebit eum: ideſt quia iurauit nõ pœnitebit. Tu es sacerdos in æternum. &c. Et ad Hebr̃. 6. Paul. Volẽs, inquit, Deus abundantius ostendere immobilitatẽ consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles (scilicet pollicitationem & iusiurandum) quibus impossibile est mẽtiri Deum fortissimum solatiũ habeamus. Quòd si quæras vtrũ Deus possit iurare per alium à se. Paul. illic neganter respondet. Homines enim, inquit, per maiorẽ se iurãt Deus autẽ, quia maiorem se non habet iurat per se ipsum. Ratio verò cur per aliũ iurare nequit, est quod eadem fermè ratione qua Deus, iurat angelus, de quo Apocal.10. legitur iurasse per viuentem in secula seculorũ. Nõ quod cœlestis Angelus iuratoria firmitate indigeat, quoniã mentiri nequit: sed vt D. Tho. præsenti quæstione, ar.10. ait: Si ad ostendendũ id quod affirmat ex infallibili fixaq; & immutabili Dei dispositione procedere, Prȩpositio per, designat authoritatem in eo per quòd iuratur quæ sit principium confirmãdi veritatem, veritas autem quã Deus profert, non potest per aliud certius principium stabiliri, potest tamen iurare in alio tanquã in illo cuius ministerio suam enuntiat veritatẽ. Vnde super illud Amos.4. Iurauit Dominus in sancto suo, ait gloss. In se ipso, vel in filio, vel in aliquo electo angelo, vel in homine. Et Hiero. addit vel in omni quod factum est. Iurare autẽ hominis vt præfati sumus, est Deũ in testẽ suæ dictionis afferre. Quòd & sanctis in vsu fuit. Adiurauit enim Abrahã famulũ suũ, dum eum in Mesopotamiã legauit quȩsitum vxorem filio suo. Et illo iureiurãdo, viuit Dominus vsi sunt crebro Dauid & Salomon, & reliqui Patriarchæ. Nam (vt est apud Hieremiã) illud iurandi exemplum

Hiero.

Contra Hieronym.

Iuramenta Dei & Sanctorum.

Genes.22.

Iurare Dei quid.

Gen.24.

Hierem.4.

plum concessum erat tunc temporis. Atqui sub lege Euangelica Paul. variè quoq; iurasse cõperitur: vt ad Rom. Testis est mihi Deꝰ. & ad Galat. Ecce coram Deo, quia non mẽtior: quanta tamen religione & veneratione quæstione sequenti adnotabitur. ¶ Hæsitabit autem forsan hic lector vtrùm iusiurãdum non solum permissio sit, verùm etiam nonnunquã affirmatum præceptum. Ad quod citra vllam controuersiam affirmanter respondetur. Hoc enim in primis patet ex vsu, habet enim ius quęcunq; publica potestas, tã ciuilis quàm spiritualis iure & more exigendi â ciuè & à quocunq; sibi subdito iuramentũ ad detegẽda coërcendaq; mala, quæ siue in reipublicæ perniciem oboriũtur, siue in iniuriam proximi. Et qui tũc nõ iuraret contra præceptum ageret non solum obedientiæ, verum & religioni s, cuius generis, vt ar. 4. patebit est iuramentum. Quinuerò quandoq; non requisitus tenetur vir bonus iusiurandum offerre: vel ad liberandũ innocentem à morte, vel pro alio magno bono publico. Et tunc vsq; adeo bonum est iurare, vt non iurare delictum sit: qua vtique ratione huiusmodi iuramenta dicuntur simpliciter necessaria, vtpote quę sine culpa prętermitti non possunt. Atq; illic præcipuè verùm habet psalmus ille: Laudabuntur omnes qui iurant in eo, nimirũ in Deo. ¶ Quòd si percuntando institeris, quale nam præceptum sit. Respondetur esse naturale & diuinũ perinde ac mandata Decalogi. Atq; hoc est quod rationes. D. Thomæ, planè demonstrant. Probat enim ratio prior, iuramentũ ab honore honestum fieri, qui Deo â iurante defertur: dum illum per fidem Catholicã cõfitetur esse caput perenemq; fontẽ omniũ veritatũ habereq; omniũ prouisionẽ. Id quòd in à sancto Thom. non sine causa appositum est. Quanquàm enim cõstaret Deũ esse omnium scientem, nisi profiteremur curam habere nostri non esset idoneus, qui in testem à nobis adduceretur. Nam alioqui licet posset, fortasse nollet nobis asserta attestari nostra. Itaq; vt hanc rationem plene perspicias: sicuti naturali lumine veritates omnes per sua cuiusq; principia sapiens demonstrat (siquidem authore. Aristo. tunc vnamquãq; rem scire arbitramur, cum principia prima vsq; ad elementa cognoscimus) ita & eadem nos admonet naturalis ratio: sed prẽsertim catholica fides & religio, vt dubia omnia rerum in humanis cõmercijs contingentium, quæ aliter definiri nequeũt, per diuinum testimonium, quasi per primũ supremumq; veritatis principium, & fontem omnino confirmemus. Atqui ex hoc capite, nempè quia iurare ex fide catholica nascitur, sub genere religionis hanc virtutem, ar. 4. collocabimus. ¶ Secunda item ratio palàm ostendit præceptum esse naturale. Est nanq; homo, animal suaptè natura politicũ & ciuile: haud tamen humana respublica perdurare valeret nisi fides, quæ, vt author est. 1. de off. Cicero. dictorum est conuentorumq; cõstantia & veritas firmum inter homines haberet fundamentum: quòd profectò absq; diuino testimonio stabiliri nequiret. Etenim si status humanæ innocẽtiæ perduraſſet, nunquam concessum fuisset hominibus, iurare: eo quòd nulla occurrisset tunc iurãdi necessitas: sed simplici verbo præstarent sibi homines mutuo certam fidem. Ad hanc nos ergo sinceritatem reuocare satagẽs Christus, ait, Sit sermo vester est est, non nõ. At verò quoniam inter alias plagas, quas nobis versutus ille serpens impegit (qui vt habetur Ioann. 8.) mẽdax semper fuit & pater mendacij, hæc fuit vna insignis, quod authoritas hominum vsq; adeo fuit exinde saucia ta & labefactata, vt nõ facilè homines digni sint, quibus adhibeatur fides. Clamãte Psalmista: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Atqui ab hac læsione alterum subinde accepimus incredulitatis vulnus: nempè quòd cũ difficultate quæ nos latent credimus. Ob hanc ergo necessitatem indulta nobis diuinitus est iurisiurandi facultas. Ex quo colligitur iuramentũ non esse illatũ virtutũ: vt Paulo ante dicebamus, quæ per se absq; vlla necessitate sunt virtutes, sed earũ quas sola necessitas numero virtutũ apponit. Indulsit enim Deus nobis hãc iurãdi facultatẽ, ob suã in nos charitatẽ. Nempè vt fine litibus impositio, in pace semper & tranquilitate viuamus. Id quòd ad subsequentiũ intellectum plurimum conducit. Et ex hac parte est hoc naturale præceptum: nempè ob necessitatem confirmandæ inter homines fidei, suppositа autem necessitate, tunc quòd non nisi per verum Deum iuremus, aut per creaturas in ipsum relatas, non solũ naturale sed ius diuinum positiuum est. Atqui hic est sensus testimonij citati. Deutero. 6. Quare testimonia diuina adducta, vt illud ad Hebræ. 6. Quòd iuramentum est omnis controuersiæ finis ad confirmationem ius

Iurare nonnũquàm est præceptum

Naturalis fides.

Ioann. 8.

Psalm. 15.

Præceptum iurandi naturale & diuinum.

Hebr. 6.

ff. De iure iuran.

ius explicant naturale. Vnde iurisconsultus in capite tituli de iureiurãdo. ff. Maximum inquit remedium expediẽdarum litium in vsum venit iurisiurandi religio. Et lib. off. Cicero. Nullum ait vinculum ad stringendam fidem iureiurando maiores nostri arctius esse voluerunt. Ac demum Philosoph. 1. cap. 3. Res, inquit, honorabilissima est iuramentũ, cuius ideo venerationem nunquàm antiqui tribuerunt, nisi illis quos pro Deis colebãt. Sed rogas nunquid tunc solũ licitum est iurare, quando simpliciter necessariũ, puta in præcepto? Respondetur, non tunc solùm: verum quando fuerit vtile, tunc etiam est licitum. Duo namq; illud faciunt legitimum, scilicet & iusta necessitas & pia vtilitas.

Primum argumentum.

OFfert tamen nobis non infimam ambigendi rationem, locus ille euangelicus Christi, Matth. 5. Ego autem dico vobis nõ iurare omnino. Vnde Diuus Tho. primùm extruit. Nam cũ relata Iudęorũ seu licentia, seu facultate adiecerit. Ego autem dico, visus est omnem nobis occlusisse iurandi locum. Quòd ideo interpretatus Iacobus Apostol. Ante omnia, inquit, fratres mei, nolite iurare. Non ergo solùm non est præceptum, imò nec videtur permissum. Diuus Hiero. super eundem locum facilè se extricat, dicens, non prohibuisse illic Christum iurare per Deũ, sed tantùm per creaturas blasphemè, ponendo in illis finem, vti idololatræ faciebant. At q; in eandem sententiam subscripsit Innoc. extra de iureiurand. canon. Et si Christus. Quam quidem hîc. D. Thom. deserit Augustinum, sequutus aliter sentientem. Et re vera euangelium ipsum præter Augustini authoritatẽ planè demonstrat: deterruisse nos Christum ab omni iuramento, siue per creaturas, siue per Deum. Id quòd hoc pacto cõuincitur. Non tantũ nos hoc loco iurare cohibuit per creaturas, vt idololatrę iurabant, sed re vera immodicè per illas iurare, etiã vt ille populus citra idololatriæ labem in more habebat. Nam cum vetustas illas sanctasq; leges citasset. Non periurabis & Reddes altissimo iuramẽta tua, adiecit. Ego autem dico vobis nõ iurare omnino, nec per cœlum. &c. Palàm constat non tantùm vetuisse nos per creaturas idololatrico more iurare, sed illo quoq; pacto quo referuntur in Deũ, tunc enim reddũtur iuramẽta Deo. Si autẽ reprehendit iurare catholice per creaturas, quòd subinde intelligendum est, quando fit sine necessitate arctius increpare voluit iuramẽta per Deum. Nam quibus casibus fas est iurare per Deum, simul & per creaturas orthodoxè iurare licet: & quibus non est licitum iurare per creaturas, maius nefas est iurare per Deum. Licebat namq; illi populo, sicut nobis iurare per creaturas. Qua vtiq; ratione Christus, Matth. 23. Pharisęos insimulabat, q̃ docerent plebem, iurare per templum aut per altare non esse iuramẽtum, sed iurare per aurum templi, aut per oblationẽ, propterea quòd periuros imposita pœna auri & oblationis castigabant. ¶ Accedit in confirmationem sententiæ huius creaturarũ differentia, quibus rem Christus explicuit. Deus quippè vti sacrorum sapientes docẽt, tribus modis in rebus existit: qua certè ratione per creaturas iurare licet. Exist inquam in illis per essentiam, præsentiam, & potentiã. Vnde quo explicaret modum primum meminit cœli & terræ. Cœlum namq; sedes Throno usq; Dei, idcirco censetur quòd illic existimatur potissimum residere, vbi cõspicitur: terra verò eo nuncupat scabellũ pedũ eius, quòd hæc omnia inferiora, veluti vestigia sunt ipsius. Et quia cœlũ, vt habet Esa. 23. & terrã implet, per Periphrasin depingit quasi homo, qui cœlo sederet, & terrã pedibus cõtingeret. Ciuitas autẽ Hierusalem, loca omnia sacra designat, vbi Deus colit, illic enim præcipuè existimatur esse per præsentiam, vbi orantes cum illo colloquimur, sed nomine capitis vniuersa complexus est, quę eius nutui & potentię subduntur. Et ideo in causam quòd nefas est iurare per caput, subnexuit, quòd naturã capitis mutare nõ possumus de albo in nigrũ (& si arte possimus capillos defecare) quoniam tota natura opificium est Dei. Constat ergo illic à Christo nos quadantenùs esse iuratione per creaturas interdictos, quatenùs in ipsis Deus existit: nempè sine iustitia veritate & iudicio. Ex quo fit planè consequẽs, vt iam suprà illatũ est, & iurationem per Deum vrgẽtiore nobis ratione interdixisse, vtpote quæ quando fit absq; necessitate & vtilitate peior est. Subiicuit illud tamẽ, quoniam à minori ad maius euidens erat argumentum. Quapropter Iacobus documẽtum Christi explicatiùs referens, ait. c. 5. Ante omnia fratres charissimi, nolite iurare, neq; per cœlum, neque per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentum: hoc est, neq; per Deum, neq; per aliam creaturam. ¶ At protinus hinc argumentũ robustius

Extra de iureiuran. canon. Et si Christus.

Contra Hieron.

Hieron.

Cõfirmatio.

Iacobi. 5.

Egregium argumentũ

robustius exurgit. Si Christus nos illis modis iurandi per Deum & creaturas interdixit, qui antiquo populo liciti erant, in nullo ergo casu reliquam vllam nobis fecit facultatem iurandi. Id quòd concessũ esset absurdissimum, cum author ipse naturæ ius tum necessarium naturale, non sit credendus abrogasse. Respondet ergo in lib. de mendacio. August. cap. 15. quod cum Paul. post mandatum Domini non semel iurauerit, ipse nobis mandati sensum aperuit. Vnde quòd dictum est, non iurare omnino, subintelligendum est, absq; vrgente necessitate. Ne scilicet iurando, ad facilitatem iurandi veniatur, & ex facilitate, ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine ad periurium decidatur. Et infra. Intelligẽdum est, inquit, illud quòd positum est, omnino, vt quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum. Hæc ille. Hoc tamen si verùm fari licet, non plenè rei satisfacere videtur. Id enim totum quòd August. ait nobis esse prohibitum, pariter erat & illi populo interdictum. Quoniam non modò iurare sine vrgente necessitate, verùm & consuetudo & appetentia iurandi iure naturæ prohibita est: ius autem naturæ non solum Hebræos, verum & vniuersos mortales semper obliga uit: Christus verò aliquid nobis singulare inhibere visus est, quandoquidem nos cum illis conferendo dixit: Audistis quia dictum est antiquis, ego autem dico vobis. ¶Resolutio ergo responsionis (si verum cõijcimus) est, quòd etsi legislator noster nihil prorsus, nobis vetuerit quòd antiquis non erat vetitum: explicuit tamen aliquid, quod illis nõ erat vsque adeo apertum, ac deinde docuit, id quòd illis erat turpe, nobis ratione status esse turpius. Ad cuius intellectum notandum, vtramq; partem esse præceptum naturale, scilicet & iurare quando ratio id admonet, & neutiq; iurare quando necessitas neque vtilitas adest. Idem enim est non iurare omnino, ac si dicas, non occidere non furari. &c. Sed rogas cur non adiecit, nisi in necessitate aut cum vtilitate. Respondetur. Vt in expositione Decalogi lib. 2. respondimus id non fuisse opus: quoniam præceptum naturale sub quantumcumque vniuersalibus verbis proponatur nullatenùs includit casus quos natura ipsa non comprehendit. Quòd enim iudex malefactores, aut suum quisq; aggressorem occidat, non est exceptio illius præcepti, non occides: quoniam similes casus nunquàm illic fuerunt inclusi. Eodem ergò pacto, nolite iurare omnino, casus necessitatis non includit. Quapropter perinde omnino antiquos, vt nos obligabat. At verò, vt ex verbis euangelij coniecturi licet, populus ille vel Phariseorum seductione, vel ob suam cœcutiam non arbitrabatur iuramenta per aliquas creaturas, vt per templa & altare esse iuramenta: quòd Christus (vt modò dicebamus) Matth. 23. declarauit. Et ideo forsan neq; putabant licet falsum dicerent esse periuros: & ideo ait Christus nolite iurare omnino. Vbi aduerbium omnino non excludit omnes casus: (quandoquidem multi necessitatem iurandi afferunt) sed modos omnes & figuras iurandi, vbi non adest necessitas, scilicet neque per cœlum neq; per terram. &c. quæ ipsi non pro iuramentis ducebant. Itaq; sicuti in præcedentibus monitis: Audistis quia dictum est antiquis non occides: Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio: non adiecit illud quasi antiquitus esset licitum, sed id quod ignorabant explicuit, sic vbi dixit: Nolite iurare omnino, neque per cœlum. &c. Nil vetuit quòd vetitum non erat, sed explicuit iuramenta per creaturas verè esse iuramẽta. Ob idq; esse illicita quando sunt vana. Diuus Bonauen. lib. 3. dist. 39. q. 2. ar. 1. nescio quid hic distinctiõis cõminiscitur. Ait enim Christum non dixisse: Omnino nolite iurare. Nã tunc omnes vniuersaliter excluisset casus: sicuti qui ait omne animal non est homo, omnem hominem à ratione animali excludit, sed dixit: Nolite iurare omnino. Vbi cũ omnino ponatur post negationem non facit sensum, nisi particularem, vt si dicas non omne animal est homo: quare non fuit sensus, vt nullomodò iuremus, sed quod nõ omnibus casibus iuremus. At verò non crediderim Christum huius dialecticæ meminisse, sed vniuersim dixisse nè iurarem⁹. Subintellecta tamen, vt dictum est, restrictione iuris naturalis, scilicet vbi vel necessitas, vel pietas aliud exegerit. ¶Super hæc autem forsan nos Christus admonitos hoc mandato curauit iuramentorum frequentiam, multò nobis esse turpiorem quàm illis. Christiani enim illa deberent lucis opera de se vbique præstare, vt ad conciliandam inter se fidem nullo indigerent iuramento. Debet enim, vt ait Christus iustitia nostra super

Argumẽtũ contra expositionẽ August.

Resolutio responsiõis.

Dubitatio.

Nobis turpius iurare quàm antiquis.

per illam Iudæorum abundare. Vnde super Matth. citatus suprà Hieronym. veritas, inquit, euangelica, iuramentum non recipit: cum omnis sermo viri fidelis, pro iureiurando sit, hæc Hierony. In cuius exemplum, & si Deus antiquitus iurasse legatur, tamen magister noster Christus nunquam iurauit. Sed plurimum aiebat: Amen amē dico vobis. Sub quibus vtiq; verbis nulla deliteſcit iuramenti vis. Perinde enim est prorsus ac si dicas: vere vere: seu firmiter dico vobis: quemadmodum apud Lucam ipse illud exposuit. ¶ Secundum argumentum. Diui. Thomæ est. Nihil quòd à malo est videtur licitum, nam mala arbor fructus bonos facere nequit, sed iuramentum, ait Christus esse à malo. Sit enim, inquit, sermo vester est est, non non, quòd autem amplius est, à malo est. Hæretici negantes vllo pacto fas esse iurare aiebant simplicem assertionē aut negationem, scilicet est est, non non, esse à bono Deo, id autem quòd amplius est, nē pe iuramētū esse à Deo malo. Duo enim principia Manichęi ponebāt boni & mali idq; aiebant id Christum significasse: glossema tamen hoc apertissimum hęreticum est Manichęorum. Legitimus autem sensus est Augustini in lib. de sermo. Domini in monte, quòd allegatur. 22. q. 1. can. ita ergo, vbi ait iuramentum nō esse malum: sed à malo nempè à mala causa, puta ex infirmitate & plaga humani generis, quam de peccato originali accepit. Et per hæc verba exponitur aliud eius dictum super epistolam ad Galat. & citatur ibi canon. nō est. Vbi ait quod iuramentum est à malo, non quidem iurantis, sed increduli iuramentum petētis. Haud enim docuisse putes, petere iuramentum esse semper malum culpæ, sed ait à malo petentis: scilicet à malo pœnæ, quàm per originalem culpam contraximus: est enim iā nobis inde naturale malum incredulitas in rebus grauibus. Esset tamen peccatum de leuissimis iusiurandum postulare. ¶ Tertium denique argumentum est exquirere signum diuinæ prouidentiæ est tentare Deū. Secundum illud Deuterono. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum: qui autem iurat videtur eiusmodi signum exquirere, ergo id perperam facit. Responsionis autem summa consistit in duobus. Primum, quòd tentare Deum non est quomodolibet signū eius exposcere, sed id absque necessitate & vtilitate facere. Quemadmodum ille qui de turre se præcipitem daret (quod Sathanas seruatori nostro suadebat) vt experiatur si manus illi Deus supponeret. Et veluti ille qui in duellum descendit, cum altero in testimonium veritatis. Potest enim aliter patere: & si est occulta, non debet illo modo probari. Qui autem iurat, pro necessitate & vtilitate facit. Secus si candens ferrum manu vellet palpare, quod iam inhibitum est. At quoniam statim solutio hæc redargui potest, quod saltem iuramentum res apparet frustranea. Quoniam nunquàm aut per quam rarissime Deus veritatem pandit, seu illum qui peierat prodendo, seu ei qui rectè iurat testimonium publicè ferendo. Respondet Diuus Thom. Quod & si non id præsenti sęculo faciat, nulli se propterea periculo iurans exponit: quandoquidem certum est in die iudicij testimonium laturum quando vt. 1. ad Corinthios. 4. ait Paul. manifestabit abscondita cordium. Videtur tamen animus huic solutioni ægerrimè acquiescere. Nam testimonia petuntur in iudicio, vt testes illico veritatem proferant: Si ergo Deus rem quam quis iurat non continuo attestatur, & quod in extremo iudicio futurum sit, homines latet, videtur religio iurandi superuacanea. Respondetur quod fundamentum religionis iurandi non est quod Deus confestim, sicuti homines, sit testimonium laturus, sed fides & honor quem mortales illi, quem pro Deo colunt deferunt. Vnde illa existimatio orta est quòd nullus sit credendus, tum Deo illam irreuerentiam exhibere, tum etiam sibi illud periculum finalis iudicij creare, si falsum iurat. Pungit nihilo minùs scrupulus quòd saltem qui falsè aut vanè iurat Deum tentet. Quandoquidem testimonium Dei absque necessitate exquirit. Respondetur nec vane iurantes tentare Deum: quoniam nil aliud faciunt quam simpliciter inuocare testimonium diuinum nulli se exponentes periculo, sed suo arbitratui committendo: si voluerit, testimonium patefacere. Qui autem se præcipitat aut duello certat, aut ardens ferrum tangit, propterea Deum tentat, quia exponit se manifestario periculo si Deus eum eripere, renuerit. Adde quòd etiam sceleſtissimus homo qui nefandissima crimina multiplicatis iuramentis inique contegere persisteret, periculosè quoque exponere,

Hierony. *Christus nō iurauit.* *Secundū argumentum D. Thomæ.* *Responsio Aug. 22. q. 1. can. ita ergo.* *Tertium argumentum D. Thom.* *Tētare deū* *Redargutio solutionis.* *Responsio.* *Scrupulus.*

vt Deus miraculo illum proderet.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm congrue tres comites iuramenti assignentur.

QVONIAM iusiurãdum (vt suprà dictum est) & art. 5. iterum repetetur, non est earum virtutum, quæ per se absque necessitate honestatem habẽt, consequens fit. Vt certis comitibus & ornamentis antequàm sit licitum, sit vestiendũ. De quibus Diuus Thomas duabus conclusionibus respondet. Prior est. Tres sunt necessarij comites, quibus iuramentum honestatur: nempè veritas, iustitia, & iudiciũ. Conclusio hæc non solum ratione, sanctorumque testimonio, sed oraculo item Sacræ scripturæ nititur. Ait enim Deus Hiere. 4. Iurabis, viuit Dominus in veritate in iudicio & iustitia: quod exponens Hieronym. Animaduertẽdum inquit est, quod iusiurandum hos habet comites, scilicet veritatem, iudicium & iustitiam. Probatur ratione. Quoniam per iuramentum Deus qui summa veritas summaq; iustitia est, in testem adducitur, necessarium ad eius reuerentiam est, vt id quod iuratur primum sit verum: mox iustum & æquum, sed tertio præterea circunspectio iurandi requirit, vt non leuiter, sed maturo iudicio, & discretione fiat. Exigitur ergo veritas iustitia & iudicium. ¶Posterior conclusio. Iuramentum cui veritas non subest dicitur falsum & mendax: cui verò non subest iustitia, dicitur iniquum & illicitum: sed quod leuiter sine necessitate & iudicio fit dicitur temerariũ. Tametsi vbi iustitia deest, vel iudicium cõmuni nomine dicitur incautum. Vide ergo quanta sit iuramenti maiestas, quantaq; sit religione perornandum, antequàm sit audendum. Addit quippè illic Hieronym. quod si tria ista defuerint, nequaquàm erit iuramentum, sed periurium: Et intelligit, nõ solùm esse periurium, vbi tria simul defuerint, sed etiam vbicunq; eorum quodpiam abfuerit. Tametsi diuersa ratione & gradu: vt quæstione subsequenti patebit. Quo fit vt si hæc illegitima iuramenta ad normam violatæ prohibitionis accommodentur, quæ est nè nomen Dei assumamus in vanum, diuersa in illis comperietur vanitatis ratio. Vanum quippè est, quòd fit frustra: puta quod fine suo caret. Diuersimodè ergo hæc vana sunt. Nam vbi non est veritas, iuramentum sua euacuatur substantia & medulla, perinde atque auelana sine nucleo. Vbi autem aliquid iuratur iniquum, vt hominem occidere: iuramentum fit secũdo gradu vanum: quia è regione aduersatur scopo & fini, nempè iustitiæ ad cuius custodiam concessa nobis est iurandi facultas sicut vana est oratio qua irritatur Deus. Iuramentum autem temerarium, & vanum caret causa iurandi, nempè necessitate: sicut vana fuisset pœnitentia, vbi nullum præfuisset peccatum. Requiritur igitur veritas primum omnium in iuramento, in assertorio quidem, vt id quod asseritur, verum omnino sit: atque id quod negatur, sit vtique falsum: in promissorio verò, vt id quod promittitur, si licitum modo fuerit, tempore & loco impleatur. ¶De secundo autem comite nempè de iustitia dubium nonnullum existit, an in solo promissorio locum habeat. Enimuerò si ad rem tantum quæ iuratur sit iustitia referenda, illi soli competit, vt scilicet quod promittimus iustum sit: In assertorio verò ait hic Caieta. ineptum esse assignare iustitiam quantum ad rem iuratam. Possum enim ego asserere sub iuramento me aut illum, scelera quæ iniusta sunt opera patrasse. Imò quamuis asseram iurando id quod non est malum, vt me esse prænsum iuro quidem rem veram, sed tamen ineptè dicitur iusta, sicuti si iurem falsum: non ideo iurare videor rem iniustam: si autem iustitia referatur ad causam, vt nemo iuret, nisi iusta de causa: etiam competit assertorio: sed tamen non ita apparet proprium propterea quod iustitia, hoc pacto generaliter & communiter dicta alios includeret comites, scilicet & verè & discretè iurare. Quapropter maluit Caietan. hunc comitem soli promissorio congruere. At verò forsan rectius & assertorio quoq; censeatur propriè conuenire. Nam iustitia propriè non solum ad rem iuratam spectat, verùm & ad iurandi causam, vt in solutione secundi ait S. Thom. iuxta illud Deuterono. 16. Iuste quod iustum est persequeris. Vnde si ego crimina ciuis omnino occulta sub iuramento asse-

Prior cõclusio.

Tres gradꝰ periurij.

Posterior cõclusio.

Iuramentũ vanum.

Veritas.

Iustitia.

Caietanus.

to asserens detego, certè iuramentum est iniustum, sicut si iurarem me facturum rem iniustam. At si iure & more requisitus illa reuelo, iustum sit meum iuramentum. ¶Tertius demum comes iuramenti, est iudicium: *Iudicium.* hoc est discretionis prudentia. Nam etsi cũ veritate iustitiam coniũgas, tamen absq; iudicio comite, iurare non decet. Primum scilicet vt iusta illa veritas quæ iuramento firmanda est, nequeat, vt ar. 3. dicebamus, alia via comprobari. Quocirca speculatiua dubia, nequaquàm licet iuramento confirmare: sed sunt, vel rationibus, vel authoritatibus, vel coniecturis tractanda. Quam ob rem seu Philosophus esset, seu Theologus, seu Iurisconsultus, qui locis & argumentis suæ facultatis destitutus, dubia iuraret temeritatis culpam incurreret. Pari modo qui patentissimas veritates iure adstrueret, vt quod pluit, vel frigus riget, aut sol adurit. Mox iuramenti discretio expostulat, vt non, nisi grauissima perurgente necessitate, adhibeatur, videlicet ob aliquem piũ finem, tuendæ charitati & paci necessarium. Diuina enim maiestas non debet qualibet de causa in testem ascisci. Tertio requiritur iurandi prudentia, vt circunspecte, & cum debitis fiat circunstantijs: nempè in iudicio, & præuia consultatione, maturoque veritatis examine. Hæc autẽ quæstione sequenti de periurio fusius ac pressius sigillatim examinanda pertractandaq; nobis sunt per suos cuiusq; gradus & numeros: ob idque satis hic fuerit, ea perstrictim proposuisse.

Primum argumentum ARgumentum primum. D. Thomæ prædicta comitum nomina exponuntur. Cum enim distincta res sint, nulla in aliam includitur, quare veritas hic non accipitur vt est pars iustitiæ, qua scilicet homo fidem promissorum seruat, alioqui nomine iustitiæ comprehenderetur, sed latiùs, vt est omnis orationis conditio, vt id quod mente tenes, ore proferas. Eademq; de causa, neq; iudicium sumitur pro eiusdem iustitiæ exequutione, sed pro discretione & *Secundũ argumentum.* prudentia. ¶In secundo argumento declarat quemadmodum deuotio & fides, & cætera quæ ad rectè iurandum concurrunt nomine iudicij comprehenduntur: Reliqua verò duo nempè veritas & iustitia ad rem iuratam pertinent. Tametsi vt proximè à nobis adnotatum est, iustitia ad causam etiam iurandi transferatur: ne scilicet inique veritatem asseras. ¶In tertio denique *Tertium argumentum.* id maximè annotandum quod licet isti comites, cuicunque virtutis officio competant, tamen ob ingens periculum, quod iuranti imminet, tam ob diuinam maiestatem cuius nomen non est temere inuocandum, quam ob linguæ humanæ lubricitatem ad iuramenti dignitatem potissmè requiruntur.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm iuramentum sit actus religionis siue latriæ.

POSTQVAM iuramẽtum constitutum est esse actum virtutis, nempè licitum & honestum si suis comitibus exornetur subsequitur, vt videamus cuius sit generis virtutis. Respondet vnica cõ *Conclusio Articuli.* clusione affirmatiua. Manifestũ est quod iuramentũ est actus religionis seu latriç, quod idem est, puta cultus qui soli Deo debetur. Probatur ex verbis supra citatis Deuteron. 6. Dominum Deum tuum timebis, & ipsi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Vbi tria verba ponuntur in quibus diuinus cultus consistit: scilicet timor reuerencialis quantum ad intimum actum qui soli Deo debetur seruitus religionis, quantum ad extera opera quæ quidem ad primum præceptum primæ tabulæ attinent. Atq; honor diuini nominis ad secundũ attinẽs præceptum iurandi. Rationem autem colligit Diuus Thom. ex origine iuramenti quam ar. 2. declarauimus. Qui enim iurat diuinum testimonium ad sua dicta confirmandã inuocat: nihil autem nisi per id quod certius est & potius confirmatur. Nam propter quod vnumquodq; tale, & illud magis iuratis: ergo per Deum, professio fidei est, qua Deus recognoscitur omnium conditor & prouisor: atque adeo est actus religionis,

gionis, quo Deum reueremur. Atqui hoc est quod ait Paul. ad Hebræ. 6. Homines per maiorem se iurant. Et super Matthæum Hieronym. cap. 5. Qui iurat, aut veneratur, aut diligit Deum per quem iurat. Obseruandum ergo hic est quod quemadmodum contemplatio quæ consistit in mente, & oratio vocalis & sacrificium quod fit in opere sunt religionis cultus, sic & iuratio. Nam sicut per precationes inuocatur Deus, vt auxiliator: sic per iusiurandum inuocatur, vt testis: atque adeo eadem est vtrobique religio, eiusdemq; fidei professio: nempè quòd is omnia scit & potest. Quocirca distinguendum est de iusiurando vbi est legitima virtus, & de periurio, aut leui iuramento. Nam legitima iuratio est religionis cultus: vana verò, est religionis contaminatio. Ex quo fit rursus vtrumq; præceptum: scilicet nè iures vana per eum, & quod in necessitate iurandum sit, ad eandem primam tabulam pertinere, secundumque ad primum reduci. Sed ais, Cur vtrumque non fuit expressum, sed tantum negatiuum? Respondeo est, si rem bene conijcio obseruanda, quòd cum iusiurandum non sit per se virtus quemadmodum cultus Dei, & festorum sanctificatio, sed solum ob necessitatem concessum, natura ipsa rerum exegit, vt duo præcepta, scilicet cultus & sanctificationis festorum essent affirmatiua, quasi res illæ per se essent optandæ. Tertium verò negatiuum, scilicet nè vana essent iuramenta nostra: hæc enim negatio simpliciter est necessaria: affirmatio verò iurandi non item: imò si omnes homines essent innocentes, nil aliud oporteret, quàm dicere, vt nos Christus commonuit, est, non. Et ideo neque opus fuit illam exprimere, sed iuri naturæ relinquere, quæ necessitatis casus exponeret. In hoc autem quod ait, nè iures vana per eum, includitur quod vbi fuerit necessarium iures solidè & legitimè per eum. Quapropter omni iure naturali, scilicet ciuili & diuino iusiurandum, vt religionis cultus habetur. Nouit enim id naturaliter Aristoteles, qui primo Metaphysi. capitulo tertio ait: Res honorabilissima est iuramentum: cuius ideo venerationem nunquam antiqui tribuerunt, nisi illis quos pro Deis colebant. Et iure ciuili in titulo Digestorum, de iureiurando, vt suprà citatum est, officium iurandi religio nuncupatur. Et Imperator. C. de iureiurando. Iurandi, inquit, contempta religio satis Deum habet vltorem. Ex quo sequitur, quod soli Deo iurandi cultus est exhibendus. Iuxta diuinum vtriusque testamenti mandatum: Reddes altissimo iuramenta tua. Qua vtiq; de causa conquestum legimus in Hieremia, Deum de filijs Israël quod eum dereliquissent, iurassentq; in his qui non erant dij. *Hiere. 5.*

Distinctio notanda.

Optima dubitatio.

Omnì iure iusiurandũ religio censetur.

PRIMVM argumentum extruit Diuus Thomas ex diuersitate materiæ: videlicet quod cum actus latriæ sit circa sacra: iusiurandum verò, vt ait Paulus, circa humanas controuersias, apparet iusiurandum non esse latriam. Responsio autem est, quod etsi materia super quam fertur iuramentum sit humana necessitas, nihilo minùs forma quæ est diuinum testimonium est actus religionis. *Argumẽta D. Tho.*

¶ Secundum, informat ex ipsa actus substantia, scilicet quod per latriam semper Deo aliquid offertur: per iuramentum verò non videtur quidpiam illi offerri. Et respondet quod refertur illi honor: iuxta illud Reddes altissimo iuramenta tua.

¶ Tertium denique colligitur ex diuersitate finis: nempè quod finis est Deo reuerentiam exhibere: finis autem iuramenti non est, nisi verùm aliquid humanum confirmare: non ergo iuramentum est latria. In responsione verò concedit quidem finem proximum iuramenti esse hominem de aliqua re certiorem reddere. At quoniam omnia quæ facimus iuxta verbum Pauli debeamus in gloriam Dei facere, nil obstat quo minùs ipsa vtilitas proximi in gloriam Dei per diuinam attestationem cedat.

ARTI-

ARTICVLVS. V.

Vtrùm iuramentum sit per se appetendum, & tanquàm res vtilis frequentandum.



VM iuramentum inter actus virtutis, nec vero vnius cuiuslibet, sed religionis quæ heroica est fuerit proximè constitutum, ratio inde videtur statim colligere, quod sit per se appetendum: & ideo id meritò in quæstionem profertur. Ad quam vtique Diuus Thom. vnica conclusione eademq; negatiua respondet, scilicet non esse per se appetendum. Id quod primo authoritate illa Ecclesiast. 23. probat. Vir multum iurans replebitur iniquitate. Cui Augustl. lib. contra mendacium subscribēs ait, quòd præceptum Domini de prohibitione iuramenti ad hoc positum est, vt quantum in te est non affectes: vt quasi pro bono, cum aliqua delectatione appetas iusiurandum. Rationem vero ex his quæ dicta sunt colligit. Id enim quod non per se, sed ob finis cuiuspiam necessitatem bonum est, non inter ea numeratur, quæ per se sunt appetenda. Medicinam enim, nemo appetit, nisi quatenùs salutis necessitas cogit: iuramentum autem vt suprà meminimus, non vtique per se bonum est, vt charitas, sed quatenùs necessitas asserendæ veritatis cogit: non ergo est per se appetendum. Imò qui eo extra terminos necessitatis vtitur violator est religionis. Vnde Augustinus in lib. de sermo. Domini in monte. Qui intelligit, inquit, non in bonis, id est per se appetendis: sed in necessarijs iurationem habendam refrenat se quantum potest, vt non ea vtatur, nisi necessitas cogat. Nihil præsenti loco præter ea quæ superius explicita sunt, restat, quod insuper annotemus, sed meminisse opus est, quòd sicuti bonum diuiditur in vtile, & per se honestum sic & virtus. Per se honestæ virtutes sunt, quæ se habent, vt fines per se appetendi: sicuti salus & vita.

Cōclusio articuli.

Augustl.

Duo virtutum genera

Atque huius generis sunt charitas, fides, iustitia. &c. Aliæ sunt quæ tantum sunt bonæ tanquam media ad finem. Sicuti Rabbarbarum & reliquæ medicinæ, quæ per se non habent aliam bonitatem, nisi quatenùs salutis necessitas poscit. Et talis est inter virtutes pœnitentia, quæ non esset virtus, nisi propter necessitatem remittendi peccata, eiusdemq; ordinis est suo modo & iusiurandum. Nam quamuis sit ob id honestum quòd à fide catholica proficiscitur, nunquam tamen fuisset licitum, nisi ob necessitatem. Vnde vt suprà dicebamus, virtutes prioris generis fuissent in statu innocentiæ: posterioris verò nequaquàm, vt pœnitentia & iuramentum. Cum enim illic simpliciter sibi homines mutuam præstarent fidem, nullatenùs potuisset fieri iuramentum quod non esset vanum, atque adeo peccatum saltem veniale, quod illi vtique statui repugnabat. Sed ob illud incredulitatis vulnus, quod dicebamus genus nostrum de peccato contraxisse iure naturæ corruptæ concessa nobis diuinitus est iurandi facultas. Hoc ergo iacitur fundamentum primum absterrendi homines à pestifera iurandi consuetudine: in quo ceu in speculo blaphemi illi contemplari se debent mendaciter dicentes, quod qui bene iurat bene credit. Assertio enim hæc si sanè exponatur catholica est: vt quæ olim contra idololatras vsurpabatur. Nam bene iurare est casu necessitatis, non per falsos, sed per verum Deum iurare. Blaspheme autem peruertitur, vt bene iurare pro eo accipiatur, quod est multum iurare: contra quam Ecclesiasticus admonuit, dicens: Qui multum iurat, replebitur iniquitate. Imò verò, si iuramentum solum ob necessitatem fit licitum, consequens fit: vt quemadmodū qui Reubarbarū aut aliud quodlibet venenosum medicamen vltra necessarios salutis limites frequentaret, facilè se perimeret, ita prorsus qui iuramentis, nisi vrgente necessitate assuescit animam suam enecat. Concesit nobis Deus victum & potum ob necessitatem viuendi: voracitas ergo vltra illum finem, gula est. Concesit & legitimum concubitum prolis gratia: illegitima ergo congressio, luxuria est. Fecit similiter & nobis iurandi facultatem, vbi ratio necessitatem offerret:

Iuramenti vsus neutiquam in statu innocentiæ fuisset.

Qui bene iurat. &c.

Exempla.

aliter ergo iurare abusus est clementiæ suæ, & bonitatis & maiestatis. Sed perinde est ad iuramentum accedendum veluti ad rem sacratissimam tractandam. De hoc autem quæst. 2. presius & copiosius.

Argumenta. D. Tho. PRimum argumentum est huiusmodi. Quemadmodum votum ita & iuramentum actus est latriæ: sed votum per se appetendum est, quoniam quod per votum fit, laudabilius est, quàm quod fit sine voto: pari ergo ratione alioq; alia necessitate assertis nostris iuramentum apponendū est, vt fiat actus latriæ ac subinde pretiosior. Responsio vero in discrimine voti à iuramento consistit. Nam per votum id quod vouemus in Dei reuerentiam ordinamus, vt si voueo ieiunium aut peregrinationem, materiam ipsam voti refero ordinoq; in Dei reuerentiam: ob idque vouere per se est appetendum, tanquam actus qui per se est religionis. Qui autem iurat è conuerso reuerentiam diuini nominis assumit ad confirmationem veritatis: quam propter id quod iuratur, videlicet, me non essefuratum, nō fit eo ipso actus religionis, sicuti in voto fit mea peregrinatio: quia actus morales sumūt species ex fine. Et ideo iura mentum non est per se appetendum vt votum: quia non est religio, nisi suppositā necessitate manifestandæ veritatis.

Responsio.

Secundū argumentum. ¶Eodem pacto respondet ad secundum sumptum ex verbis Hieronymi suprà citatis. Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat: venerari autem & diligere Deum est appetendum tanquam per se bonum: ergo & iuramentum. Respondet inquam eodem modo negando consequentiam: quoniam licet qui iurat veneretur diligatque Deum, non tamen in hunc finem ordinat iuramentum, sed in necessitatem manifestandæ veritatis: Quocirca non est nisi ob talem necessitatem, optandum.

Caietani quæstio. ¶Circa has solutiones intricat hic Caietanescio quam methaphysicam, forsan non tam necessariam vtrum iuramentum sit finis manifestationis veritatis, an è conuerso manifestatio sit finis iuramenti. Nam profectò res est: & secundum Sanctum Thomam & in se ipsa patentissima. Forma enim iuramenti est Deum in testem adduce: & hoc non tam propriè dicitur referri in reuerentiam Dei, quam esse ipsissimam reuerentiæ exhibitionem, nam est testimonium fidei qua Deum confitemur supremum rerum testem vtilitas autem & effectus eiusdem attestationis est manifestatio veritatis, vt in solutione tertij superioris articuli asseruit Diuus Thomas. Neque verò est quomodocunq; vtilitas & effectus, sicuti inuentio thesauri ad quam vineæ fossio non referebatur, sed est vtilitas & effectus per se iuramento intentus. Itaque absque eius necessitate non esset licitum, ac subinde neque actus religionis. Neutiquam ergo formidandum est asserere manifestationem veritatis humanæ esse finem iuramenti: iuramentum autem medium respectu illius, vt in præsentiarum vtraque solutione ait Sanctus Thomas. Quare vbi ait Apostol. finis omnis controuersiæ est iuramentum: finis illic pro effectu vsurpat ad quem iuramentum ordinatur, qui est finire controuersias. Quod si cui absurdum appareat id quod præstantius est in id referri quod inferius est, intelligat nihil absurditatis habere: quando inferius viciſsim in superius refertur. Mortuus enim Deus est ob nostram salutem: eo quod eadem salus in eius gloriam refertur. Et hoc est quod in solutione tertij superioris articuli explicuit Sanctus Thomas: nempè Deum vna operari, & propter suam gloriam: & propter nostram vtilitatem. Itaq; vita nostra est proximus finis cur segetes creat, sed vita eadem in eius gloriam refunditur. Quapropter non solum manifestatio veritatis est iurisiurādi finis: ob id quòd iurans in ipsam illud refert, verùm quod Deus illud ad illam proximè ordinauit licet rursus manifestatio ipsa in eius gloriam redundet. Idem est in oratione deprecatoria, oratio inquam quæ contemplatio duntaxat est, & laudatio Dei per se est appetenda: sed quando in extrema necessitate Deum deprecamur qui nos inde eripiat, actus ille religionis refertur ad salutem humanam. Sed tamen magis id in iuramento verum habet quo secluſa necessitate humana non esset religio, sicuti est oratio. Quod si aduersum nos responsum resurgas. Forma non est propter materiam, sed è conuerso materia propter formam

Manifestatio veritatis est iuramenti finis.

Solutio scrupuli.

Idem de iuramento, quæ de oratione

Responsio.

formam: id autem quod iuratur materia est iuramenti, iuratio verò forma: iuramentum, ergo est finis. Respondetur aliud esse id quod iuratur, aliud verò manifestatio veritatis eius. Id enim quod iuratur, vt occidisse vel non occidisse est quodāmodo materia in quam iuramentum fertur: quare iuramentum non est propter illud: quoniā effectus iuramenti non est occidisse, vel non occidisse, sed manifestatio veritatis illius, quæ subinde finis eius est. ¶ Tertium deniq; argumentum, est valde notandum, quod est huiusmodi. Quod suam quisque veritatem confirmet bonum per se est: hoc autem fit per iuramentum: ergo est per se appetendum. Responsio verò est, quod quamuis certam firmamq; faceret veritatem sit per se bonum: non tamen illud per iuramentum absq; necessitate facere. Et est pulchrum exemplum in medicina. Procurare namq; salutē, bonum per se est: illud verò per virtuosissimum ac subinde violentum pharmacum intentare, nisi vbi grauissima est necessitas periculosum est. Ob idque quanto iuramentum venerabilius est, tanto periculosius, nisi vrgente necessitate exhibetur. Id quod testimonio Ecclesiast. 23. confirmat. Vbi de viro multum iurante loquens, tribus membris gradationis, ait, Quod si fruſtrauerit fratrem. &c. Quem locum variè expositum inuenio, sed nescio an satis explicatum. Conijcio namq; tres comites iuramenti qui sunt apud Hieremiam, illic viciatos designari. Et enim qui fratrem fruſtratur, est ille qui falsum deceptorie iurans fratrem suo fine priuat, nempè expoliando eum, vel sua pecunia, vel honore, vel fama. &c. Et de hoc subditur, q̄ delictum illius (sic enim legendum, non, ipsius) super ipsum erit. Hoc est delictum illius cui per iniuriam imponitur falsum crimen super ipsum iurantem refundetur. Manebit enim & culpa infectus & obligatione restituendi onustus. Et qui dissimulauerit, hoc est, qui bonum fratris fingens, aut veritatem quam reuelare tenetur iuramento celat, aut illam quam occulere deberet iuramento prodit, delinquet dupliciter. Non quod duplo plus quàm prior delinquat: imò peius est falsum imponere, quàm verum celare, aut occultum detegere. Sed ait quòd illa simulata æquitas, est duplex iniquitas: scilicet & quia est iniustitia etiamsi verùm prodat, & quia est per æquitatem palliata: quod est nouum crimen. At si in vacuum iurauerit, nempè sine necessitate & iudicio, quamuis verum & iustum iuret, non iustificabitur, quia saltem venialiter delinquit.

Tertium argumentum

Pulchrum exemplum.

Expositio loci. Eccle. 23.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm liceat per creaturas iurare.

QVONIAM iuramentum officium est ad cultū latriæ pertinens, cultus verò latriæ soli Deo debetur, apparet nefas esse per creaturas iurare, quòd idcirco Diuus Thom. hic percontatur. Ad quod tribus conclusionibus respondet. Prima, Licitum est per creaturas iurare in Deū relatas: scilicet quatenùs in eis diuina veritas resplendet, vt per Euangelia, per Sanctos. &c. Probatur conclusio. Iuramentum testimonium est fidei, qua Deum primum fontem veritatis profitemur, atque adeo perinde ac fides diuinæ veritati nititur: fides autem licet primum supremeque de Deo sit, tanquam de prima veritate, extenditur nihilo minùs ad creaturas, quas credimus esse opera Dei, in quibus per essentiam existit præsentiam & potentiam. Pari ergo modo iusiurandum quanquàm ad Deum primo præcipueque sicut ad primam veritatem referatur, protenditur tamen secundo ad creaturas: quatenùs in ipsis tanquàm in effectibus Dei diuina etiam veritas existit. Et ideo iuramus per Euangelia, per quæ diuina veritas nobis innotescit, ac per Sanctos qui illam crediderunt, obseruauerunt, & prædicarunt. Atque eam ob rem quanto superior est diuus, grauius fit iuramentum. Vt per deiperam virginem, quę eādem fidem & sublimiùs notuit, & perfectius coluit. Vnde Augustinus quod refertur. 22. quæst. 1. Canon. mouet. Sciendum, inquit, est quòd sancti non tam per creaturas quàm per creatorē creaturarū iurabant: neq; in creaturis (per quas, scilicet iurabant,) aliud quam creatorem ipsarum venera-

Prima conclusio.

venerebantur. Etenim vt Innocent. bene ait cap. Et si Christus. extra de iureiuran. qui iurat per cœlum, iurat per Thronum Dei, atque adeò per ipsum Deum. ¶ Secunda conclusio, in hac prima à contrario sensu includitur, & in solutionibus argumentorum exprimitur. Iurare per creaturas exhibendo illis reuerentiam illam & latriam quæ soli Deo debetur, non est licitum sed blasphemum & idololatriæ impietas. Hoc patet diuersa ratione: quia hoc est Dei gloriam, vti ait ad Romanos. 1. Apostolus, in creaturas ttanscribere. Vnde glossa Matth. 5. Non veneremur eas vltra quàm debemus. Non iuremus per eas vt viles existimemus, vt scilicet cum per eas iuremus nihil iurare putemus. ¶ Tertia conclusio, Iurare per creaturas catholicè, vt prima conclusio asseruit, dupliciter contingit & vtroque modò licitè: nempè aut illas per modum simplicis attestationis afferendo, sicut de Euangelijs & Sanctis modo dicebamus. Nam hoc est in virtute iurare per Deum. Secundo verò modo id cõtingit per viam execrationis: nempè creaturam Deo oppignorando eiusque iudicio subdendo, si res aliter habeat quam iuratur. Et sic homines iurant per vitam propriam, aut filiorum, & quorumlibet necessariorum. Sensus enim est quòd Deus vitam nobis addimat, nisi quod iuramus verum existit. His appenditur corollarium, quod iuramentum illud Ioseph. Genes. 42. per salutem Pharaonis, potuit esse & execratorium, puta quòd si iuratio esset falsa, Deus regem vita multaret. Quemadmodum & 2. ad Corinth. 1. iurauit Apostolus, dicens: Ego testem Deum inuoco in animam meam, hoc est in vitam meam. Sed potuit nihilo minùs per modum simplicis: contestationis fieri. Nam cum Deus per principes iustitiam exequatur, iuxta illud: Per me reges regnant, possunt ipsi & prælati, personæque publicæ per iuramentum quasi Dei contestes veritatis citari. ¶ Hæc omnia clara sunt, neque indigent, nisi memoratione primi articuli: vbi declarauimus, quod adducere creaturam in assertionem veritatis non est iuramẽtum, nisi vt testis, vel per modum execrationis aduocetur. Quare dicere per fidem meã, aut in veritate mea non est iuramentum. De secunda verò cõclusione, quæstione proxima redibit sermo, vbi grauitas impietatis iurandi blasphemè per creaturas exagerabitur.

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

Genes. 42.

NOTA solutionem primi argumenti. Quòd enim expositionem Hieronymi super illud Matthæi. 5. Diuus Thom. approbat: Neq; per cœlũ. &c. dicentis quòd Christus illic nõ prohibuit iurare per Deũ, sed per creaturas blasphemè more gentiliũ quos Iudæi imitabantur, non arbitreris in integrum approbasse, at præcisè quantum ad id quod Hierony. asserit inhibitum illic esse iurare per creaturas blasphemè. Nam quod præterea sentire videtur: scilicet quòd non fuerit etiam illic modificatum iuramentum per creaturas catholicè, nec prohibitum iurare per Deum sine necessitate, tum ipse Diuus Thom. respuit suprà ar. 2. tum nos subinde impugnauimus. ¶ In solutione secundi, nota sensum amborum Canonum. Clericum & siquis per capillum. 22. quæst. 1. Haud enim facilè est sensum eorum deprehendere: Vbi enim Concilium Carthaginense prohibet clericum per creaturas iurare non est intelligendum idololatriam illic prohiberi, ac si clerici creaturas pro dijs adorarent alias, neque solus clericus id facere prohiberetur, neq; sub tam leui pœna, sed solùm: vt ait hic Sanctus Tho. prohibebatur iuratio ad blasphemiam infidelitatis pertinens. Tunc enim cum Christiani inter infideles viuerent, illa fortè pollicebantur iurãdi forma per Solem per Mercurium, & per alia id genus, quæ gentilitas pro dijs colebat. Id quod clericalem habitum insigniter deturpabat: & ideo statuitur illic clericum sic iurantem acerrimè obiurgandum, & persistentem excommunicandum. In altero verò proximo capitulo: Pius Papa declarat blasphemiam esse cõtra Deum, iurare per capillum & per caput Dei, sic nimirum de Deo loquendo: ac si caput haberet & capillos. Et ideo clericus sic blasphemans deponi iubetur: laicus verò Anathematizari. Et ad hoc genus blasphemiæ reducitur, vt quæstione sequen. dicturi sumus impudenter iurare per membra Christi. ¶ Ac perinde patet solutio tertij, quod est tale. Cultus latriæ non debetur alicui creaturæ, quippè quod Paul. ad Roman. 1. acerbe vituperat, ergo non licet per creaturas iurare, propterea quod iuratio sit latriæ cultus. Responsio tamen est iuxta secundam conclusionem, non licet iurare per creatu-

Solutio primi adnotãda.

22. q. 1. can. Clericũ, & per capillũ.

creaturas exhibendo illis reuerentiam Dei. Exodi namq; 23. legitur. Per nomen externorum Deorum non iurabis.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm omne iuramentum vim habeat obligandi.

CONstituta per omnes suos numeros iuramenti natura subsequitur quæstio de eius effectu: nempe de vi quam habet obligandi. Ad quam quæstionem Diuus Thom. nè ab eius ordine diuertamur sex conclusionibus respondet.

Prima conclusio. Prima est. Obligatio non videtur iuramentum respicere assertorium, quòd est de præsenti vel de præterito. Neque verò illud quòd non est in potestate iurantis implere, vt si quis crastinam pluuiam iuraret futuram: sed de his duntaxat quæ per eum qui iurat facienda sunt. Conclusio ex ipso verbi significatu protinùs elicitur. Obligatio namque ad id refertur, quòd est, vel faciendum, vel dimittendum. Est enim voluntatis ligatis ad id quod quis pollicetur: ligare se: ergo nemò potest, nisi ad id quod in suo est arbitrio, vel facere, vel omittere. Si autem quis asserit hoc vel accidisse, vel in præsenti accidere non est in suo arbitrio positum, vt verum sit vel falsum. ¶ Secunda conclusio. Hoc non obstante discrimine, tam iuramentum assertorium de præterito aut præsenti, quàm promissorum eorum, quæ per nos agenda sunt, debet habere veritatem. Hæc per naturam iuramenti euidens sit: Nam Deum in testem, nisi veritatis, adducere, nefas est. ¶ Huic secundæ conclusioni appendix subiungitur tertia. Tam assertorio quàm promissorio suæ innata est obligatio. Diuersimodè tamen quoniam obligatio assertorij de præsenti vel præteritò non fertur in rem iuratam, sed ad actionem iurandi refertur. Hoc est nemò iurat, id verùm efficere quòd asserens iurat, sed tamen obligatur id præcisè iurare, quòd verum est. Et ideo in prima conclusione non simpliciter negauit obligationem ad iuramentum assertorium respicere, sed dixit videtur: alias sibi per hanc tertiam contradiceret: qua asserit quodammodò obligationem in ipsum cadere. Attamen in iuramento eorum, quæ per iurantem exequenda sunt obligatio cadit conuerso super rem iuramento firmatam. Tenetur enim quisq; id verùm efficere, quòd sub iusiurando pollicetur. Itaque differentia est hæc, quod in iuramento assertorio obligatio, non nascitur ex iuramento, sed ipsum antecedit: tenetur enim quisque iurare verum. In promissorio verò è conuerso obligatio est effectus iuramenti: ex eo enim quòd quis iurat manet obligatus iuramentum implere. Quod nisi fecerit, deerit iuramento primus præcipuusque comes, vt suprà dictum est, nempè veritas. Ex hac autem conclusione enascuntur sebsequantes. ¶ Est ergo quarta, si quis id iurat quòd non est in sua potestate: vt si pauper sub iure iurando talentum polliceretur, deest iuramento tertius comes, nempè discretionis iudicium. Nisi fortè quòd dum iurauit possibile erat, factum est deinde illi impossibile: vt si dives in pauperem incidat. Tunc enim per impossibilitatem excusatur, dum modò quantum in sua est potestate faciat: similiter vt in voto. ¶ Quinta conclusio. Si verò id quod quis iurat sit eidem factu possibile, neutiquam tamen licitum: aut quia per se iniquum est, vt homicidium aut furtum, aut maioris boni impedimentum. Vt si quis nunquam religionem ingressurum iurasset, deest secundus comes iuramenti: nempè iustitia. Ex quo fit consequens, vt iuramentum eiusmodi quatenùs iniquum est, non sit seruandum Nam secundùm Augustinum vtrumq; eorum vergit in deteriorem exitum, scilicet iurare & seruare. ¶ Ex his demum colligitur sexta conclusio. Quicunque iurat aliquid se facturum, obligatur efficere vt veritas impleatur: dum tamen alij duo comites assistant, videlicet iudicium & iustitia. Atque hic est vnus sensus illius euangelici Domini mandati, Reddes Domino iuramenta tua: Hoc est solues fidem quam iurando Deo obligasti. Quamuis alter etiam sit verus, Hoc est iura per Dominum cui soli tanquam vero Deo honor iuramentorum debetur.

Secunda cõclusio.

Tertia cõclusio.

Discrimínis explicatio.

Quarta cõclusio.

Quinta cõclusio.

Sexta cõclusio.

IN ISTO articulo, nonnulla sunt dubia minimè contemnenda. Primùm est.

Primũ dubium.

Vtrùm obligatio iuramenti promissorij in vniuersum sub reatu mortalis peccati perstrin-

perstringat vouentem: id quod per ea quę libro præcedenti de voto dicta sunt haud difficilè dissoluitur. Repetimus hic tamen illud propter Caietanum, qui diuersam opinionem, quam illic insinuauimus probare videtur, & disputatio quę se primũ offert, est de iuramentis minimarum rerum, quæ prę senti loco vniuersim absquevlla exceptione obligare censet sub reatu peccati mortalis, id ipsum de voto existimans: vt siquis vouerit dicere Aue Maria, & non dixerit mortaliter (ait) delinquit: & multò grauiùs si votũ iuramento firmauerit. Imò licet Deo nihil voueret sed homini sub iuramento. Et quidẽ de voto hoc pacto sibi id persuadet. Cũ ille qui vouet sua se sponte Deo obstringit constituendo id determinatè quod vouit tanq̃ Deo debitum, quantuncunq; rem minimã illi polliceatur, id per viam religionis Deo debet, atq; adeò si non soluat mortaliter, ait, delinquit. Vnde ad argumentum si quis contra obijceret. Si pręceptum esset diuinum de re minima: vt non ioco mentiri, non obligaret nisi sub reatu venialis culpę. Pariter neq; obolum furans peccat ob tenuitatem materiæ nisi venialiter: tametsi furtũ genere suo sit mortale: ergo neq; votum rei perexiguę obligabit sub reatu mortali. Negat cõsequẽtiam quoniam præceptum debet ex natura rei pensari: votum autem ex voluntate vouentis. Quod si rursus arguas. Siquis voueret recitare Psalmum & inter recitandum omitteret versiculum, non esset nisi veniale: ergo neq; qui voueret recitare versiculũ mortaliter delinqueret, illum omittens. Negat rursum consequentiam, quoniam prętermittere modicum ceu partem cuiuspiam totius quasi pro nihilo reputatur: id ipsum verò tanquã totum omittere est voto in integrũ aduersari. Attamen his omnibus nihil obstantibus quatenus ad materiam voti res attinet, id quod libro præcedenti asserebam, constitutissimum mihi est, quòd votum de re parui momenti sub reatu duntaxat obligat venialis culpę. Et ratio est, quam illic meditabar: nempe quòd qui vouet, cõstituit se obligare & modo quo diuina lex si prę-ceptum esset, id exigeret. Nam rustici homines imò neq; elegantiores, non apponunt formę vouendi sub reatu mortali neq; venialis: sed simpliciter hoc relinquunt naturæ rei. Ergo quemadmodum furtum quod genere suo est mortale: ratione exiguitatis materię, fit veniale: sic & votum: quippe quòd nemo se obligare intendit, nisi quo pacto eum diuina lex obligaret. Imò quanuis quis diceret, voueo sub reatu mortali, dare calamum alicui, votum esset stultum & non obligaret ad mortale: quin verò fiesset res vana, nullatenus obligaret, vt illic diximus, atque adeo si esset leuis: esset veniale. Fallacissima ergo illatio est Caietani, ex eo, quod quis sua se sponte per votum obligat, colligere quod se obliget sub reatu mortali. Fateor equidem aliquantulo plus venialis culpę esse vouenti versiculum recitare, totum omittere, quam vouenti dicere psalmum, prætermittere versiculum: sed tamen non excedit venialem culpam. Pari enim facilitate alioqui diceres vouenti vnam proferre dictionem, mortale esse illam omittere: nisi forsan illuc suffugeres, quod iam votum esset inane: de voto autem satis supra diximus. De iuramento verò vrgentior perstringere videtur ratio. Nam, vt quæstione proxima asserturi sumus, omne iuramentum falsum assertorium absque vlla prorsum exceptione, est mortale. Enimuero periurij culpa in hoc sita est: quòd Deus in testem adducitur falsi. Tam falsum autem est te, verbi gratia, non mouisse palpebras, si mouisti, quàm non occidisse regem, si occidisti. Quare hîc non attenditur tenuitas materiæ, vt fiat veniale. Pari ergo modo, si iurasti dicere Aue Maria, vel dare alicui minimum numum, & non facis, falsa tua est iuratio, atque adeo esse videtur lætalis culpæ. Hoc tamen non obstante argumẽto negandum arbitror iuramentum promissorium rei leuis vinculum mortalis reatus inijcere: imò promissum eiusmodi non soluere, non erit nisi veniale, siue iuramentum adhibeatur voto (vt recitandi versiculum) siue humanæ promisioni, vt exiguum donandi amico assem. Et vt ratio clarescat, animaduertendum est omni iuramento promissorio duas inesse veritatis rationes: nempe & assertorij & promissorij. Exempli gratia qui iurando quippiam pollicetur, tenetur (vt hic in solutione primi author est Diuus Thomas, & quæstione sequenti repetemus) certum in præsenti habere propositum id faciẽdi, quod iurat, aliàs primus deerit comes: nempe veritas, subindeque iuramentum erit falsum, atque adeo absque vlla prorsus exceptione peccatum mortale. Tenetur inquam simpliciter si legitimum est quod iurat, vel si est illicitum, tenetur secũdum quid, supposito quod iuret.

Sentẽtia autoris.

De iuramẽto.

Sentẽtia autoris.

Notãdum.

Quam

Quam ob rem siue quis iuret rem iniustissimam, vt ciuitatem se incensurum, aut asserturum hæresin, siue rem læuissimam, siue futilem & vanissimam, vt fricare barbam, non habens in mente certum id facere, periurus est & mortaliter delinquit. Quocirca qui homicidium perpetrare iurat, vtroq; modò fiet periurus. Si inquàm id in proposito non habet, periurus est, quia falsè iurat: si verò tale habet propositum, periurus etiam, quia iniquum iurat. Itaque ratio hęc prima veritatis assertorij consistit in hoc quod verbo mens tunc præsens respondeat, nè contra mentem atque adeo mendacium iures. Altera verò est veritatis ratio quæ sequitur obligationem iuramenti. Ex eo enim quod iurasti vinculo te obstrinxisti verùm id posteà facere in executione. Hæc autem obligatio qualis quanta que sit, non ad mensuram veritatis prioris pensari debet, sed ex natura materiæ. Atque hac ratione Diuus Thom. vt conclusione tertia vidimus, diuersimodam obligationem in promissorio iureiurando dignouit, quàm in assertorio. Per hanc regulam multæ innotescunt iuramẽtorum obligationes, quas superiori lib. quæst. 1. de voto. adnotabam⁹. Iurasti rem indifferentem, nempè quæ per se vana est, & nullius prorsus emolumenti: vt fricare barbam vngues non resecare in sabato, aut non loqui cum homine, vnde nullum prorsus sequitur inconueniens. Quem admodum ergo tunc diximus votum illius rei non obligare: pari modò censendum, neque si fuerit iuramento confirmatum obligare: quoniam iuramentum non est nisi voti firmitas. Ob idq; cum res illæ non sint Deo gratæ, nec proximo vtiles, vt non sunt materia voti, ita neque iuramẽti: quoniam talibus iuramẽtis iudiciũ deest. Nunc enim de obligatione voti loquimur, quòd ad hanc quæstionem spectat. Qualia autem quantaq; eiusmodi iurationes nõ obligatoriæ delicta sint, ad quæstionem sequentem de periurio attinet definire. Itaq; non magis hoc iuramentum obligat, quàm si esset rei illicitæ. Nisi quod illud neutiquã implere licet: hoc autem seruare possumus, sed non tenemur. Hinc ergò ratio ad nostram sententiam applicatur. Obligatio ex iuramento promissorio resultans, non inde pensari debet, quòd simpliciter illud implere verumque facere tenemur. Quandoquidem qui rem iurauit illicitam, aut non possibilem, aut vanam & futilem nullatenùs obligatur: obligatio ergo implendi iuramentum non resultat, nisi secundùm qualitatem & quantitatem materiæ. Fit ergo consequens, vt vbi materia est leuis obligatio sit pariter leuis, & non peior quàm venialis. Et confirmatur hoc rursus. In omnibus alijs criminibus quantumcunq; grauibus leuitas materiæ in causa est, vt peccatum genere suo mortale fiat veniale, vt furari obolum. In iuramento autem ob id tenuitas materiæ, non attenuat peccatum, quoniam tam falsa est assertio in re leui, quàm in re graui: hoc autem solùm habet verùm in assertione aut negatione: vt scilicet non iures contra mentem: ergo obligationem inde resultantem nihil obstat, quũ sequatur conditionem materiæ. Quandoquidem vt de voto proximè dicebamus iurans non se intendit, nisi ad morem legis obligare. ¶Et tertiò arguitur. Si Deo rem minimam voueas, vt modo dicebamus non resultat obligatio sub reatu mortali. Nam sicut inter homines sic inter nos & Deũ æstimandum est quanti ei referat, id quòd ei spondemus: ergò licet illa promissio firmetur iuramento non mutabit speciem, vt fiat mortalis. Adde quòd siquis voueret ab hoc singulari ocioso verbo, aut ocioso mendacio abstinêre, profectò contra faciẽs non peccaret, nisi duplata veniali culpa, & contra legem, & contra votum: ergò etsi id iuramento confirmasset, non peccaret, nisi citra mortale duplicata culpa. ¶Quartò, id denique confirmatur. Secundum contrariam opinionem consequens fieret mulieres, quæ paruo animi calore iureiurando promittunt filios verberare, aut res aliàs eiusdem farinæ, non implendo mortaliter peccare. Nam euasiones Caietani minimè ad plenum satisfaciunt. Ait enim vel ex eo quòd ira correptæ potiùs ad vindictam iurant quàm ad correctionem, vel ex eo quòd iuratas correptiones in meliùs mutant nè verberati pueri in peius recrudescant excusari: quæ profectò suffragia vim argumenti non extingunt: Nam sæpissimè id faciunt non tanta ira quin plenum habeant rationis iudicium, idq; in bonum correctionis relatum: & tamen durum esset in his leuissimis corrigendi iuramentis obligationem sub reatu mortali asserere. Et pariter siquis forsan pollicea ̃ puero pomum, quod exemplum est Caietani, vbi huius-

Ratio cõclusionis.

Tertia confirmatio.

huiusmodi obligationem sub reatu mortali inesse putat, quę sane censura acerrima esset. Satiùs est ergo & rationi longe consonantius dicere omnia illa iuramenta ob leuitatē materiæ leui quoq; venialiq; adeo vinculo irretire iurantem. Atq; eadem propemodū ratione de illis iurationibus sentiendum quibus se homines inuicem præuenientes iurāt se non præcessuros in exitu & dum se mutuo vel ad conuiuium vel ad ludum iurando inuitāt: sunt. n. peccata, et si non adsit intentio id facendi quod iurant, mortalia quidē: sed tamen quātum ad obligationem: tum quia pendent ex aliorum consensu, atq; adeo nō proponuntur tanquam absolute facienda, sed quantū in potestate iurantis fuerit, tum præcipue quia de re sunt parui emolumenti non obligant sub reatu mortali. ¶ In quarta & quinta conclusione quæ sunt tertię declaratoriæ, explicantur tres modi quibus iuramentum fit incautum. Quorum primus est cum quis impossibile iurat vbi adnotandum est non satis esse id quod iuratur esse difficilimū vt admittēda sit in foro cōsciētiæ excusatio, sed requiri esse impossibile: vnde quātūcūque iuraueris grauissimū ęs persoluere, licet tibi perq̄ difficile fiat teneris iuramentum seruare, nisi aliunde res iurata desineret esse actus virtutis: nā si esset manifestū prodigalitatis vitium: non ligaret. Rursus licet nullum esset vitium esset tamen res grauissima, causam tunc secum afferret idoneā petendi dispensationem iuramenti: vt si mulier pedestrem eandemq; longam peregrinationem iurasset, aut quisque difficile aliud vnde periculum timeretur. Tunc aūt pēsanda veniret iuramenti causa, commutaretur potius quàm omnino dispensaretur, vt secūdum verbum Sancti Thomæ id fiat quod fieri potest. Secundus modus incauti iuramenti est cum quis iurat rem illicitā: & tertius cum id iurat quod obstaculum est rei melioris de quibus statim in solutione secūdi. Reliqua verò quæ hic dubitari possunt perinde omnino definienda sunt vt superiori libro in materia de voto sunt enucleata, verbi gratia dicebamus quęstione. 1. ar. 3. q. si quis ob malum finem rem alias licitam vouet, votum tenet vt si quis ob inanem gloriā eleemosinam voueret facere, sic tamen vt finis ille ob vanam gloriam in opus eleemosynę nō cadat, votū tenere. Nam si sensus esset quod opus dandi fieret ob vanam gloriam, tunc quia eiusmodi opus non est licitum, nec eiusdem operis votum tenebit: sed dum votum fuit ob vanam gloriam: tunc licet votum sit vitiosum, tamē quia materia est bona teneris illud implere: dum tamē impleas ob vanā gloriam. Idem ergo prorsus sentiēdum de iuramento facto ob similem vanum finem vel turpem: tenet enim si sit de materia licita. Nisi forsan id iurares vt Deus tibi adiutor iniquitatis adesset. Si enim iurares elee mosynam aut peregrinationem facere, quo Deus te vel sanctus compotem faceret adulterij perpetrandi, iuramentum non te obligaret: quia vt impiū est ab eo iniqua deposcere ita & munus aliquod ei tali ratione offerre. Reliqua illic latius.

Tribus modis iuramētum incautum.

IN argumētis Diuus Tho. tractat quatuor iuramentorum vitia: nempe incertum, incautum, coactum & dolosum. Primum argumentum est. Iuramentum inducitur, vt dictum est, ad confirmandam veritatē: quādo autem quis rem futuram iurat, satis est tunc ad veritatem id habere in proposito, licet postmodum euentus non respondeat. Id quod Paulo. 2. ad Corinth. 1. accidit: ergo promissorium iuramētum non habet vim obligandi. Ait enim illic Pau. proposuisse venire ad illos: sed tamen postmodum bona causa propositum mutasse. Respondet Sanctus Tho. discrimen esse inter simplicem assertionem, & iusiurandum. Nam ad veritatē simplicis assertionis satis est hominem habere in animo id facere quod affirmat, licet non sit certus, Affirmat enim quòd in suo proposito verum, vt in sua causa, exigit. Quare licèt propositum post sine causa detractet nō est mendax: vt si ego modo aio me à prādio dormiturum, & postea nolo. Sed ad iuramē tum non satis est iuranti id habere in proposito, sed requiritur quod habeat in animo ante quam iuret adeo id certum & firmum vt nisi impossibile fiat factu aut in deteriorē exitum vergat, neutiquam liceat contra iuramentum facere. Quare Paul. non iurauit ad Cotinthios ire, sed id dixit quod proposuerat: Quanquam etsi iurasset forsan causam mutandi propositum habuisset licitam: ne scilicet contractaret eos sua pręsentia ob acerbam punitionem incęstuosi. Notandū ergo est hic quod proxime asserebamus: scilicet iuramentum promissorium duas exigere veritates: nimirum & intentionis faciendi dum iuratur, quæ est sicut veritas assertorij, & præterea vt id quod iuratur fiat, si alij

Primū argumentum de iuramēto incerto.

Pau. 2. Corin. 1.

alij simul etiam iuramenti comites concurrerint. Præterea animaduertendũ etiam verũ iurare, nisi res sit certa, genus esse quoddam periurij, atq; adeo peccatum, vt quæst. sequent. arti. 3. ostensuri sumus: deest enim tunc tertius iuramenti comes, nẽpe iudiciũ.

Secundũ argumentum de iuramẽto incauto.

¶ In secundo argumento explicatur quinta cõclusio superius posita de iuramẽto in cauto, & est argumentum, virtus vt est prædicamento, non est virtuti contraria: iuramentum autem actus virtutis est, & nihilominùs vsu venire potest, vt ipsum implere sit contra virtutem: vt cum quis vel inique facere iurat, vel à meliore virtutis fruge desistere: ergo tunc iuramentum non erit obligatorium: & tamen apparet verum esse iuramẽtum. Respondet autem per duas distinctiones: quare responsio quatuor assertionibus concluditur. Ait enim primum quod iuramentum vergens in deteriorem exitum nõ obligat: vergere autem in deteriorem exitũ est quod peius sit ipsum implere quam infringere, & est modus loquendi Augustini & Bedæ super Matthæum homil. 24. & refertur. de conse. d. 4. cano. Si aliquid forte. Primo, & secundo. Hunc autem peiorem exitũ dupliciter habere iusiurandum potest. Vno modo quia statim à principio secum illum prauum exitum afferebat. Atq; id rursus dupliciter, videlicet aut quia id quod iuratur secundum se malum est, vt iuramentum perpetrandi adulterium, vel quia obex est sublimioris boni, vt cum quis iurat religionẽ non ingredi aut dignitatem nullo casu acceptare. Ex quibus quidem duo differentes effectus pullulant. Vnde secundum assertũ est quod dum quis delictum patrare iurat, tunc & iurando peccat, & pariter iuramentum implendo. Tertium assertum est quod dum quis iurat à bono supererogationis abstinere, quod alias facere non tenetur, peccat quidem iurando, eo quod Spiritui sancto bonorum inspiratori obicem opponit, non tamen peccat iuramentum implendo, sed tamen multò sibi meliùs consulit non seruando.

Obseruanda regula.

¶ Ex his ergo hæc fida regula obseruanda colligitur, quod huiusmodi incauta iuramenta siue impleantur, siue secus, & periuria sunt dum fiunt, vt quæst. sequenti. articu. 3. explicabitur: & nulla tenùs obligãt, sed rem iuratam in sua nuda natura relinquunt. Vnde qui iurauit furtum aut homicidium facere, si furetur, aut occidat eodem prorsus modo & gradu peccat, ac si id nunquam iurasset, imò verò qui illud crimen ad vinculum iuramenti respiciens perpetraret, scilicet, vt reuerentiam seruaret iuramento, profecto grauius delinqueret. Nam blasphemia est malum ob reuerentiam Dei facere qui autem vouit religionem non ingredi, aut eleemosynam non facere, perinde ac si non iurasset consultius ei erit, contra iuramẽtum facere, tametsi illud implere non sit peccatum. Nisi fortasse illud opus quod erat supererogationis, oblatus casus necessarium constituerit: vt videlicet si miser occurrerit qui graui perurgetur inopia. Tunc enim necessarium est contra iuramentum, eleemosinam ei porrigere. Et simile exemplum est. canon. florentinum. d. 85. vbi refertur Archidiaconum qui iurauerat nunquàm acceptũ ire Episcopatum à Gregorio fuisse coactum accipere: eo quod iudicatus fuit ecclesiæ necessarius, atque adeo oportuisse iuramẽtum infringere. Subdubitabit hic forsan quantæ sit culpę iuramentum quod obstaculum est supererogationis. At vero huius resposio nõ ad præsentem, sed ad subsequẽtem quæstionem attinet in qua vniuersæ peierandi species perpendendæ sunt. Illicque adeò differendum quanta sit culpa in iuramento peccandi venialiter.

¶ Contra illud autem quod dictum est, iuramentum de re illicita nõ esse implendum quis forsan opponat de Iosue qui, vt legitur Iosuæ. 9. Et refertur de consec. d. 4. canon. inter cætera. fœdus pacis quod cũ Gabaonitis inierat, seruauit. Quod quidem iuramẽtum illicitum fuisse ex eo cõstat quòd Deus, vt habetur Deuter. 7. impensissime inhibuerat fœdus cum illis gentibus ferire, aut vlli eorum parcere. Respondetur tamen quod iurando non peccauit. Nam fuit deceptus credens aliarum fuisse remotissimarum gentium legatos. Post verò quando resciuit esse Gabaonitas, quoniam prohibitio parcendi illis non erat de iure naturæ intrinsecę mala, sicuti homicidium, sed de iure positiuo, merito veritus est ne ingentiorem Deo irrogaret iniuriam iusiurandum, quod per eius nomen bona fide fecerat, violando, quàm priori eius mandato obsequendo. Præterea, vt Ambrosi. libr. de offi. ait meliori eos morte multauit, scilicet obsequio ministerij diuini. Sic enim habet historia. Reseruentur, vt viuant, ne contra nos ira Domini concitetur, si peierauerimus eis: sed sic viuant, vt in vsus vniuersæ multitudinis ligna cædant,

Iosua. 9.

aquasq; comportent, &c. ¶ Secundùm membrum distinctionis est quod iuramẽtum potest habere deteriorem exitum. ¶ Secundò modò, non quod à principio illum importaret, sed propter id quod de nouo emergit. Quale fuit iuramentum Herodis in gratiam Herodiadis emissum quod quicquid ab eo peteret illi concederet. Potuit enim à principio esse licitũ moderatione subintellecta si rem petet honestam, postea verò proposita eius petitione debuit rescindi. Nam vt Ysidorus in synominis, ait, libr. 2. & refertur, de consecra. dist. 4. in malepromissis rescindenda est fides. Et vt ait Ambrosi. libr. 1. de offic. & refertur eadem distinct. canon. est etiam. contra officium nonnunquàm est promissum soluere sacramẽtum. Idemque Gregor. admonet canon. nerui distin. 13. & concilium Toletanum canon. duo mala. Et August. in sermone, de decollatione Ioannis. & refertur eadem distinct. 4. canon. quod Dauid. Dauidem laude commendat, qui cùm iurasset Nabal Carmeli interficere, esset que ad opus succinctus prece Abigail illius vxoris proposito retractauit, illique pepercit: nam fuerat iuramentum præita incautum. De illis autem qui voluntatem aliorum facere iurant, quæsti. sequent. articu. 2. alius offerretur aptior dicendi locus.

Tertium argumẽtũ de iuramento coacto.

¶ Tertium argumentum, de iuramẽto coacto est huiusmodi. Quandoque homo inuitus compellitur iuramento aliquid promittere, quos tamen, vt refertur cap. verum. extra de iureiurando solent Romani pontifices nexibus iuramentorum absoluere: ergo non omne promissorium iuramentum est obligatorium. Ad hoc autem Diuus Tho. supposita distinctione quatuor respondet. In iuramẽto enim inquit coacto duplex est obligatio, vna qua iurans obligatur homini cui quippiam promittit. Et talis inquit obligatio per coactionẽ tollitur. Qui enim vim intulit, indignus redditur cui seruetur fides. Alia autem est obligatio, quæ fit Deo propter iuramẽti reuerentiã. Et talis inquit obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia optatius est damnum temporale sustinere, quàm iuramentum violare. Ait verò tertio quod in iudicio datur soluti repetitio. Quare potest qui iurauit, denunciare prælato, non obstante quòd iurauerit non denuntiare. Quoniam obseruatio talis iuramenti contra publicam iustitiam vergeret. Quartò demũ, inquit, quòd solent Romani pontifices homines ab huiusmodi iuramẽtis absoluere, non quasi decernentes non esse obligatoria, sed eorum obligationes ex iusta causa relaxantes. ¶ Hæc autẽ singula perpendenda sunt. Et primum falsa videtur distinctionis assertio: scilicet in iuramento coacto vnã obligationẽ, quæ fit Deo atq; altera quæ fit homini. Nam si aliqua fieret Deo, tunc ille coactor vt latro, cui in nemore iuramentum ab oppresso viatore præstatur, nequiret iuramentum illud in totum relaxare. Nam obligationem respectu Dei nõ posset remittere: imò nec ecclesia id posset, nisi ob superueniẽtem causam dispensare: quia ecclesia nõ potest votum Deo factum & multò minùs iuramentum relaxare: & tamen relaxat, vt asseritur in dicto capitulo rerum. & 15. q. 4. in multis capitulis. Ad hoc autem facilè respõdetur verba sancti Thom. non esse accipienda per calumniam, vt sonare videtur, sed secundum eius mentem: nempe in iuramento promissorio inesse duas obligandi rationes. Vbi enim non duæ fiunt promissiones, vna Deo & altera homini, sed vna tantùm homini, quæ iuramento confirmatur, non est nisi obligatio vna duplici ratione constituta: scilicet & virtute promissionis si est legitima, & virtute iuramenti, & ideo ille cui promissio fit remittere totam potest: & pariter ecclesia vbi metus incuria irrogatur. ¶ Nascitur hinc tamen aliud dubium circa secundum assertum, videlicet quod illa obligatio coacti iuramenti non tollitur in foro conscientiæ: vbi insinuatur, quod tollitur in foro contentioso. Et est argumentum. Quanuis cesset obligatio ratione promissionis coactæ, vt in priori membro assertum est: nihilo minùs postquàm manet ratio obligãdi respectu iuramenti, deberet iudex iurantem cogere iuramentum seruare: postquàm constat esse in conscientia obligatorium: alias iustitia non satis in rebus manifestis prouideret. Sylvest. in verbo iuramentum. 4. rationem huius hanc reddit, quòd ecclesia eiusmodi iurantes non cogit, propterea quòd præsumit nunquam habuisse intentionem se obligandi: Hæc autem ratio falsa est, imò ecclesia putat eum qui iuramentum coactũ non seruat esse periurum, vt patet cap. si vero. & cap. verum. extra de iureiurando. quare dispensando in huiusmodi iuramentis non censet illa esse irrita. Respondetur ergo quòd iustitia publica non attendit nisi ad pacem tranquillumque statum reipubli-

Non est duplex obligatio in coacto iuramento.

Aliud dubium.

cæ

cæ: & ideo non debet iniurijs fauere per vim illatis ob idque nõ cogit eiusmodi iurantes, sed si non impleuerint iuramentum eos ad Dei tribunal remittit. Nam vt.C. de iureiuran.admonitum est iurandi contempta religio satis Deum vltorem habet.

Argumẽta maioris energiæ

¶ Sed vrgentiora argumẽta sunt ad partem oppositam: nempe huiusmodi coacta iuramenta nequaquam coram Deo conscientiam ligare,enimuerò iuramentum, quemadmodum votum,vt proximè dicebamus,vim non habet obligandi, apud Deum, nisi vbi materia est opus virtutis. Si enim sit res illicita,vel auctioris boni obstaculum,vel indiferens & vana,iuramentum non ligat: sicut neq; votum.Iuramenti autem materia per coactionem extorti, nullius est officium virtutis(supponamus enim incussum esse metum cadentem in constãtem virum, de quo libro superiori explicatissimè dictum est)ergo eiusmodi iuramentum non obligat apud Deum.Probatur minor præmissa. Materia eiusmodi iurameti est ipsa materia promissionis:illa autem non est opus virtutis.Nam per se absque iuramento non esset iustitia promissum seruare: quia nulla in eo inest ratio debiti,quæ est de intrinseca ratione iustitiæ. Quare nec est actus fidelitatis vt pote quæ inferenti vim nulla debetur. Neque verò est actus liberalitatis, quoniam illa non est donatio, quippe cum solutum repetere liceat. Neque verò est opus supererogationis. Nam beneficium præstare indigno,qualis est prędo qui vim infert,speciem habet mali. Sed ais forsan illud promissum soluere,esse actum religionis propter annexum iuramentum. Contra hoc autem emergit argumentum.Et enim vt Diuus Thom. superius art.5.docuit, discrimen est inter votum & iuramentum,id enim quod quis vouit, quia Deo offertur, ipsa oblatione fit actus religionis: id autem quod iuratur non fit propterea religio: sed èconuerso reuerentia diuini nominis, quæ est religio,adiungitur ad confirmãdum id quod per se erat virtus. Quare quod ante non erat actus religionis, per iuramentum non fit religio,imò nec per votum reliqua materia fit actus religionis,vt proxime dicebamus, nisi ipsa etiam sit materia alicuius virtutis.

¶ Secundò ad huius explicationem arguitur.Iuramentum promissorium nihil aliud est, quàm promissionis confirmatio. Nam sicut confirmatio donationis non est noua donatio, sed robur prioris, sic & confirmatio promissionis non est alia promissio:imò iuratio & promissio, vt supra dicebamus, sunt duæ rationes ad eandem obligationem appositæ. Promissio ergo est fundamentũ obligatoriæ rationis, quæ est in iuramento: In iuramento autem coacto nulla est promissio aut promissionis obligatio, vt Diuus Thom.planè fatetur quandoquidem illa obligatio per coactionem tollitur: ergo neq; eiusmodi iuramentum ligat. Et confirmatur hæc ratio: iuramentum sequitur vim materiamq; promissionis:si enim promissio est de re vel illicita vel inutili iuramentum non ligat:ergo vbi promissio est nulla, multò minùs obligabit.

¶ Tertiò denique arguitur. Illa traditio pecuniæ non est illi vtilis cui datur, illi scilicet, qui iuramentum extorsit. Nam ille recipiẽs & peccat, & periculo se exponit nunquam restituendi: quod autem vtile non est alteri nec sub voto cadit nec sub iuramento.

Responsio.

¶ Hæc omnia bene Caietan. dissoluit: cuius ergo prolixum responsum summatim eluci demus. Iuramentum coactum triplici ex capite existimandum est:scilicet tam ex parte iurantis quam ex parte illius cui iuramentũ præstatur:& tertio ratione materiæ. Et quidem ex parte iurantis,si nihil aliud consideres, nullum est obligationis impedimẽtum: quoniam secundum Aristo,3. Ethico. etsi illic adsit nollitio secundum quid,est tamen simpliciter volitum, vt exemplo illius patet qui insaniente pelago merces in vndas proijcit. Vnde Aug.coacta voluntas, volũtas est. Ex parte autem illius qui per vim iuramentum extorquet,si nihil aliud meditemur,obstaculum obijcitur obligationi. Quare simplex promissio ratione incussi metus nõ teneret.Igitur vt obligatio ex illo iuramento oriatur,speculandum est,vtrùm materia iurata,putà datio pecuniæ,sit act9 alicuius virtutis:tum enim(vt sæpe dictum est)iuramẽtum obligat.Differt nanq; votum à iuramẽto,q voti materia,si propriam cõsideres, nõ est nisi consilij & supererogationis, materia verò iuramenti cuiuscunq; virtutis opus. Et quidem qui sic iurat,non tenetur sic dare pecuniam promissam,vt verè eam in dominium alterius transferat. Quippe cum alter illud non acquirat. Nam & qui dedit repetere potest, & qui accipit restituere tenetur: sed tenetur ei illam tradere: illa autem tradi tio(vt argutum est)si solùm vti solutio pro-

missi existimetur,nõ est virtus,est nihilo minùs virtutis officium: quatenus redemptio vexationis & molestiæ & fortè vitæ,quã verbi gratia prædo viarũ obsessor adimere viatori parat. Est ergo tũc miserovirtutis officiũ illa iurata pollicitatione propriam vitam ꝓtegere:tuncq; adeo erit charitatis officium, qua se quisque diligere debet,& dum ob vitam alienã seruãdã id iuratur,est officiũ misericordiæ. Hac igitur ratione iuramentum illud obligat:quoniam seruare iuramentum non vergit in deteriorem exitum,sicut si res iuraretur illicita. Omne autem quod talem non habet exitum obligat. Sylvester quidẽ in verbo iuramentum.4.§.7. tenet cum multis quos citat iureconsultis & putat esse opinionẽ.S.Tho.quod si coactus ille iurans habet propositum se obligãdi manet quidem obligatus:sin verò illud non habuit minime obligatur:moderatio verò hæc non est vera, vt illico subsequenti argumento monstrabitur. Qui enim habuit intentionem iurandi, licèt illam nõ habeat,se obligandi, manet obligatus. Nam obligatio ex ipsa iuramenti natura si sit de re licita,necessario nascitur secus si non intenderet iurare. Vtrùm verò coacto liceat fingere se iurare absq; animo iurãdi super quartum argumẽtũ dicere properamus. Sed forsan inferas.Ergo elapso illo periculo, non tenetur qui iurauit promissum reddere,vt si quis dum tenebatur captiuus iurauit in sui redemptionem certũ æs numerare,liber postea dum remeauit in patriã nõ tenebitur:quoniam cũ iam violentia cessauerit,datio illa nõ habet redemptionis formã. Respondetur satis esse dum iusiurãdum fuit exhibitum,sponsionẽ fuisse factam sub forma redemptionis. Nam virtute eiusdẽ iuramenti,postea solutio eandẽ retinet redẽptionis formam. ¶ Sed arguis rursus. Cur non etiam simplex promissio, postquã eandem habet redemptionis effigiem, nõ obligabit? Nam dicit.S. Tho. quod tollitur per iurationem.Caie.respondet quòd simplex promissio debet habere rationem cõmodi & vtilis, respectu illius cui fit:illa autem redditio est illi prædoni inutilis: sanè cùm delictũ illi sit recipere. At verò profectò ratio hæc parum ad rem attinet. Nam si ego debeo pecuniam alicui, etiã ex promissione, & petit ad ludẽdũ,vel ad eius dilapidationẽ,licèt non sit vtile, teneor nihilo minùs dare. Ratio ergo in proposito est,ꝙ ex natura ipsa rei promissio coacta vim promissionis non habet. Et ideo ꝙuis promissio verbalis habeat redẽptionis formã,quæ quidẽ redemptio genere suo virtutis materia redditur,tñ per coactionẽ cassãtur nisi iuratio illã confirmet, imò verò ꝙuis promissio non fuerit metu coacta,sed per aliam iniuriã: quemadmodũ indignus vsurario vsuras promittit non illas cogitur in cõscientia reddere:nisi adiurauit. Decretum est Alexandri tertij cap. debitores,extra de iure iuran. vbi habetur ꝙ debitores ad soluendas vsuras in quibus se obligauerant cogi non debent. Si verò de ipsarum solutione iurauerint cogendi sunt dño iuramentũ reddere: licèt post repetitionẽ habeãt. Quid si instantius quæras quomodo si cassa est iuramentũ eam confirmat. Respondetur quod ꝙuis materia iuramenti & promissionis sit eadẽ, cadit tamẽ sub illis diuersa ratione. Promissio enim fit homini,& iuramẽtũ per Deũ, quod quidem etiam de re propria fieri posset: ꝓmissio ordinem habet ad hominem cogentem:sub qua vtiq; ratione non est virtus. Ad obligationem verò iuramenti sufficit quod alia ratione sit virtus, nempe vexationis redemptio. Quod autem iuramentum etiam coactum obliget in cõscientia habes eodem titulo capitulo,si verò.& cap. verum citatũ. à Diuo. Tho. &.15.q.6.c.si quãdoq;, & sequẽtibus. In dubium autem immerito profecto reuocatur, vtrùm non seruare iuramentum coactum peccatum sit mortale, an verò tantum veniale. Immeritò inquam quoniãcitra controuersiam cõcedendum esset mortale: quandoquidem est iuramẽtum cadens in materiam licitam,quæ est magni momenti:iuramentum enim rei licitæ ex genere suo obligat sub reatu mortali, nisi ex tenuitate materiæ,vt suprà dicebamus aleuietur. Si ergo quis coactus iuraret dare pecuniã aliquãti ponderis,certũ est teneri soluere sub reatu mortali. At verò Panor. suprà citato cap. Si verò,quia rem à sua facultate alienã tractabat,ait,obligationẽ nõ esse nisi sub reatu veniali.& fuit deceptus verbo illo in capit. verum,iam citato.vbi ait Papa,ꝙ qui non seruauerint eiusmodi coacta iurataq; promissa non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi: Sunt tamen illic distincta verba de culpa & pœna. Ait enim primum Papa,ꝙ vt auferatur materia deierandi non dicatur illis,qui coacte iurarunt, vt iramenta non seruent:ergo non seruantes deierant in materia grauiac subinde mortaliter peccant,id quod.q.98.de periurio quæ hic subsequitur

Dubium.

Caieta.

Sentẽtia autoris.

Iuramentũ coactũ frãgere mortale est.

Panormit.

sequitur artic.3. Diuus Tho. expressè asserit. Tametsi omnium sit mortaliũ periuriorum leuissimũ. Quòd autẽ subditur nõ esse puniẽdos quasi pro mortali crimine, solùm ad pœnam ecclesiasticã refertur. Haud enim sunt illa pœna digni in foro ecclesiæ secus verò apud Deum.

Sophisma. ¶ Fortasse hic tamen sophista contra hæc asserta argumẽtetur. Eum qui inuitus iurauit non teneri promissum in totũ soluere. Fac verbi gratia, promiserit centũ, tũc arguitur. Si soluerit quinquaginta non amplius debet: nam iam alter debet illi illa quinquaginta, ac perinde poterit fieri cõpensatio. Et eadem ratione si promisit quinquaginta soluendo vigintiquinq; plenè soluit. Respondetur tamen secundũ id quod suprà adnotauimus, quod non promisit pecuniã transferre in dominiũ alterius: sed verè tradere siue alter ei tantũdem debeat, siue secus. Quapropter licèt prædo viatori centũ alias deberet & viator nihilo minùs iurauit dare centum, tenetur tradere. ¶ Seriosius tamen argumẽtum fieri posset de voto. Votum enim, vt articulo proximo explicaturi sumus, magis obligat, quàm iuramentũ: votum autẽ metu coactum, vt lib. præceden. q.11.art.1. demonstrauimus nulla vi pollet obligãdi: ergo neq; iuramentũ per metũ extortum. Hoc autẽ argumentũ illic disposuimus. Votum enim quanuis eò q; fit Deo arctius obliget quam iuramentũ, quod fit homini, nihilo minùs si iuramento non confirmetur, non est nisi nuda promissio: promissio autẽ coacta, etiã si fiat cũ intentione promittendi, vt modo dicebamus, natura sua est cassa non solũ illa, quæ fit homini, verum & illa quæ fit Deo vt pote cui obsequiũ per coactã voluntatẽ non placet, sed quod fit spontè. Iuramentũ autẽ si feratur in materiã licitã sua ipsius natura obligat ratione iam exposita, quoniam est attestatio per sacra, quã nefas est fieri rei falsæ atq; adeo crimen si periurantẽ non redda tur vera. Quapropter si votum coactũ iuramento firmetur, illa ratione obligabit, licèt sit dispensatione dignũ. ¶ Sed & tertiũ idẽq; pugnatius adhibetur de matrimonio argumentum. Matrimonium enim metu cadente in constantem virum contractum, neq; in foro exteriori tenet, neq; secundum cõscientiam: ergo neq; iuramentũ. Patet consequẽtia tum quòd vt ad matrimonium, sic ad iuramentum requiritur consensus, quare si coactio matrimonio officit, pariter obstabit & iuramento: tùm maximæ quòd matrimonij arctius est vinculũ, quàm iuramenti. Nam si postquam quis iurauerit vxorem non ducere illam ducat, matrimoniũ est validũ. Respondetur tamen à matrimonio ad iuramẽtum consequentiã non valere. Atqui nonnulli hac sunt discriminis ratione contenti quod si matrimonium coactũ teneret nõ haberet remediũ, quo posit factũ infectũ reddi: eo quòd matrimoniũ vinculum est indissolubile. Cætera verò, pmissa per vim iurata etiã si soluantur, possunt beneficio repetitionis recuperari. At verò ratio non satisfacit. Nam etiam si quæ iuratione promittuntur repeti non posũt iuramentum esset seruandum: quia obligat ex natura rei. Bonauent. vero & Duran. & quidam alij in 3.d.39. meliusculam eam rationẽ afferunt nempe quod cùm matrimoniũ Christianorũ significet vnionem Christi & ecclesię, quę est perpetua, debet habere perpetuum atq; indissolubile vinculum, ad quod nõ solum requiritur cõsensus, verùm & liber consensus. Attamẽ nõ satisfirmiter nititur libertas cõsensus ad matrimoniũ requisita in eo quod sit sacramentum Christianorum. Quandoquidem & coniugium etiam sub lege quoque naturæ liberũ requirebat cõsensum. Dicendũ ergo, quòd matrimoniũ ob id quòd à natura ad procreationem prolis constitutũ est, ex sua ipsius natura perpetuitatẽ habet annexam: alias non esset satis liberis educandis consultum: perpetuitas autem ex natura rei liberũ exigit animi consensum. Nam quæ violẽta sunt, secundum Aristo. nequeunt esse perpetua. Iuramento autem q̃uis coacto irreuerentia fit si non seruetur. Arguat autẽ quis fortè contra sequeretur, quod si quis metu mortis iurare cogeret ducere aliquam in vxorẽ, teneretur iuramenti nexu. Respondetur, certum in primis esse tale iuramẽtũ omnino relaxãdum: sed tñ vtrũ dum nõ relaxatur extet obligatio. Bonauen. loco citato respõdet per tale iuramentũ oriri obligationẽ: quare ille iurans, inquit, ante relaxationẽ cũ alia cõtrahere nequit. Et re vera quantũ ad naturã iuramenti verum est, si fiat cũ intentione iurandi. Nã q̃uis sit cõtra finẽ iuramenti illum contrahere assensu coacto, nihilo minùs nõ est adeo intrinsece malum, quin possit fieri materia redemptionis vitę atq; adeo iuramẽtum teneret secus vbi nullum est iuramẽtũ. De hoc autem in materia matrimonij latius.

Argumẽt. de Voto.

Argumẽtum.

Argumẽt. de matrimonio.

¶ In tertio membro respõsionis ait. D. Tho.

Vtrũ liceat id quod in foluitur repetere.

quòd poſtquàm quis promiſſum illata vi iuratum ſoluit, poteſt id denũciare iudici, aut prælato, etiamſi per eundem metum iurauerit non denuntiare: quia illa iuratio eſt contra bonũ cõmune. Quod quidẽ verbum non tenuem offert diſputandi anſam. Argumẽtum enim extat primum contra rationem. Nam denunciatio videtur referri ad emendationem denunciati: accuſatio verò ad publicam iuſtitiam: nempe vt reus puniatur: in propoſito verò etiamſi denuntians emendationem alterius neque non proponat: neq; verò ſperet, poteſt ſuam pecuniam repetere. Reſpondetur quod huiuſmodi denuntiatio non eſt illarum, quę per fraternam correctionem fiunt, ſed iuridica vt denũtianti ius ſeruetur, ſi id modo probauerit: nihilo minùs hic proximus finis refertur in commune bonum: qui eſt vt penes publicam poteſtatem ſemper ſit facultas ciuium iniurias repenſare. Et ideo qui iurauit non denũtiare, iurauit rem illicitam: atq; adeo non fuit iuramẽto deuinctus. At verò profectò hæc reſponſio ſcrupulo non caret. Nam in primis ex ea colligitur, quod ſi ille qui vim inferebat cõpelleret alium iurare ſe nunquàm denuntiaturum, potius deberet gladio ſuccumbere, quam id iurare. Nam cum iuramentum rei illicitę ſit peccatum, mors potius patienda eſt, quàm id faciendum. Neque liceret dicere id ſe iurare, & tamen non habere intentionem iurandi: nam eſſet mendacium atque adeò peccatum. Quod autem illatum hoc abſurdum ſit, probatur. Ille qui coactus pecuniam ſoluit, non tenetur ſub reatu peccati denuntiare: nã poteſt ſuam propriã pecuniã, ſimulatq; iniuriã alteri remittere. Si fortè ille eſſet tam nefarius latro, vt charitate boni publici omnes tenerentur illum denuntiare, aliud eſſet. Sed tamen ſupponamus non eſſe tam peſtilentem: ſed hanc mihi irrogaſſe iniuriã profecto non teneor eum denũtiare. Si ergo non teneor, ſequitur quòd gratia cauendæ mortis, poſſum iurare nunquã repetere neque denuntiare: imò iurare quòd gratis dono: Tametſi illa donatio, quicquid ego dixerim, nunquam poterit ſecuram reddere illius conſcientiam, quo minùs ſemper ad reſtitutionem teneatur. Argumentũ profecto cogit ſub hac diſtinctione reſpondere. Dupliciter nanq; tale iuramẽtũ poteſt fieri. Vno modo etiamſi iurans requiſitus à prælato fuerit vel à iudice, & tale iuramẽtũ neutiq; eſt faciendũ: neq; ob redimẽdã vitã: quia eſt iniquũ. Quo ideo nõ obſtãte teneor requiſitus denũtiare. Alio mõ ꝙd mea ſponte nõ denũtiabo, nec repetã, & hoc licitũ ẽ. Atq; hoc pacto Diuum Tho. intelligendum arbitror. ¶ In quarto mẽbro reſpõſionis ait. D. Tho. Pontifices eiuſmodi iuramẽta, nõ quidẽ irrita ꝓnuntiare: nã ſunt ſolida: ſed relaxare tñ & quod aiunt in illis diſpẽſare. Vbi primum adnotandũ eſt, ꝙ non omne iuramentũ per illatã iniuriã exꝑſſum, ſi iura ſpectes, conſueuit eccleſia relaxare, ſed duntaxat ea quæ vi & metu extorquent, vt patet. c. ſi verò. &. c. verum, extra de iureiu. &. c. abbas. de his quę vi met. ve cauſ. fiunt. &. 15. q. 6. per totũ. Nam iuramentũ qđ quis facit vſurario ſoluendi vſuras ſine relaxatione, videtur Alex. iij. iubere ſeruare can. debitores extra de iureiurando. Quanuis iurans iniuriã paſſus fuerit, quia plus illic ineſt voluntarij. Haud tñ abſurdũ eſſet illa relaxare: qñquidem vſurarius non habet ius recipiendi. Cauſa autẽ relaxationis coactorum prima eſt, ꝙ plurimũ habent inuoluntarij admixtũ. Quare. 15. q. 6. cano. ſi quandoq; ait illa iuramẽta ſimpliciter nõ fieri ex corde, ꝙ Deus potiſsimũ inſpicit. Secunda ne anſa impuris nefandisq; hominibus porrigatur vim bonis inferẽdi. Eſt tñ vt hic bene admonet Caiet. in eiuſmodi relaxationibus cauendũ, ne in blaſphemiam cedant, aut in eccleſiæ contemptum. Si enim captiuus apud infideles ſub iuramento per verũ Deũ ſeſe obſtringeret creditũ ſibi pretiũ redẽptionis ſuę perſoluere ſcandalũ eſſet iuramentũ poſtmodũ illi relaxare ne ſolueret. Non em̃ ſolum Chriſtiana familia ſed & Deus noſter cõtẽptui apud illos tũ maxime haberet, imò verò ſi quis iuraſſet illuc redire ꝙis eſſet iniuſte captiuus, nec redire ſine periculo mortis poſſet, redeũdũ illi eſſet, anteꝙ cũ ingenti ſcandalo periculoq; contẽptus religionis noſtrę iuramẽtũ illi eſſet relaxandũ. Etem̃ ſi gẽtilitas Romanũ illũ Regulũ tã egregio ꝓconio cõmẽdauit q cũ fide Carthaginẽſibus per falſos deos iurãdo impignorata dimiſſus eſſet Romã illuc rurſus, vt cũ capitis periculo ſuã fidẽ apud hoſtes liberaret reuerſus eſt, quãto maiori fide & religione teneꝫ Chr̃ianus ꝓmiſsis ſtare p verũ Deũ iuratis? Si autẽ eſſet perſona reipublicæ valde vtilis, tentãda eſſet ꝓcurandaq; repẽſatio & redẽptio. Contra id autẽ quod diximus iuramẽta nõ eſſe ipſo facto irrita ſed poſt iuſta cauſa relaxanda fortè qs nobis obijciat canonẽ Abbaꝫ, de his quę vi met. ve cauſ. fiũt. vbi cle-

rico

Argumentum egregium.

Reſponſio.

Relaxatio coactiuramenti.

Cauendum ſcandalum

Argumentum.

clerico

dico, qui per vim ecclesiam suã abiurauerat, præcepit Papa ecclesiam restitui: quia quæ metu (inquit) & vi fiunt in irritum debent re uocari. Vbi ab vi ratio illa non videtur ibi re laxari, sed irritari. Respõdetur tamen, quod illic non fuit simplex solùm iuramentum co actum, sed re vẽra expoliatio præbẽdæ, quã Abbas illi clerico ademerat, & alteri contulerat. Et illa sunt quæ Papa irrita facit.

Quartũ argumẽtũ de iuramento dolose.

¶ Quartum argumentũ de doloso iuramento est hoc: Nemo ad duo contraria simul obligari potest: sed contingit quandoq; eum qui iurat diuersam habere mentem quã ille habet cui iuramentum præstatur: ergo eiusmodi iuramentum, non erit obligatorium.

Isidorus.

Responsio in conciliandis duabus sententijs Isidori & Gregorij versatur, quæ sibi prima facie videntur aduersæ. Isidor. nanq; lib. sententiarum. 2. & refertur. 22. quęst. 5. canõ. quacunq;, sic ait. Quacunq; arte verborum quis iurat, Deus tamen qui cõscientiæ testis est, ita hoc accipit sicut ille cui iuratur intelligit. Vbi in fauorem illius, cui præstatur iuramẽtum videtur admonere iuramẽtum dolosum obligare, licèt ille qui iurat animum non habeat se obligandi.

Gregorius.

Gregorij vero. 26. lib. Moral. verba sunt. Humanæ aures talia verba nostra iudicãt, qualia foris sonant: diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferũtur. Vbi videtur in fauorem iurantis vergere: videlicet quod si non habet mentem obligandi se, non sit obligatus. D. vero Tho. hos patres concilians ait quod quando intẽtio iurantis est dolosa: quia scilicet intendit alium decipere & supplantare, tunc habet verum sententia Isidori: videlicet quod iuramentum est seruandum secundum sanum intellectum eius cui præstatur iuramẽtum. Id quod ex verbis subiunctis Isidori colligit dicentis, quod dupliciter reus ille fit, qui & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. Si verò iurans dolum non adhibeat, tunc locum habet sententia Gregorij, nempe quod æstimanda sit obligatio iuramenti secundùm intentionem iurantis.

Explicatio iuramenti dolosi.

¶ At verò profectò conciliatio hæc Diui Thomæ nonnulla indiget explicatione. Ille enim qui dolo iurat tribus modis potest aliam habere intentionem quàm alter intelligit, cui iuramentum præstatur. Vbi primo notandum iuramentum dolosum, vt supra diximus, ab effectu sic nuncupari: nempè quòd fit intentione fallendi. Et ideò qualitas hæc propriè conuenit iuramento promissorio, quòd secum affert obligationem aliquid faciendi, vel non faciendi ex iuratione pullulans. Tametsi in assertorio nõnunquam insit & dolus cum quis falsum animo decipiendi iurat. Falsitas ergo iuramenti consistit in hoc quòd verba iurantis foris prolata, eius menti non consonant.

Triam iuramento promissorio.

Est autem in iuramento promissorio tria exterè considerare, nempe promissionem & iuramentum, quo illa cõfirmatur, quæ tunc præsentia sunt cùm fit iuramentum, & præterea executionẽ seu impletionem promissionis, quæ in futurum expectatur. Quibus vtique tribus totidem intus in mẽte iurantis, respõdent: nempe intentio promittendi seu obligandi se, & intentio iurandi, & intentio implendi iuramentum. Et quidem vbi sola hęc tertia deest, si adsint aliæ duæ citra cõtrouersiam omnibus est in confesso iuramentum esse obligatorium. Nam si quis intendit non solùm iurare, verùm & se iuramento vincire, illis duabus intentionibus ligatur. Intentio autem non implendi est quidem iniqua, sed tamen non magis vinculum iuramentũ tollit, quàm si post præstitum aduenisset. Et manifestum est ob id quòd quis intendat, non id obseruare quod debet, nequaquã absolui obligationis nexu. Rursus si quis fingit se iurare, non tamen habeat iurandi animum, liquidum quoque est obligationem, nullam oriri ex natura iuramenti. Quoniam cùm iuramẽtum sit actus humanus, vbi abest intentio iurandi, nullum existit iusiurandum.

Dubium.

Dubium ergo restat, quando quispiam medio se habet modo: nempe quando intentione quidem iurandi iurat, tamen absq; intentione obligandi se iuramento, seu (quod idem est) id promittendi quod iurat. Hoc enim casu multi sunt, qui censent nullã oriri obligationem: & præcipuè iurisconsulti, quos refert Syluester modò citatus in verbo iuramentũ. 4. quorũ adeo sententiam sequitur. Et ponit exemplũ in eo, qui coactus iurat. Et re vera verba Gregorij citata videntur primo sonitu huic opinioni patrocinari, vbi ait quòd iuramentum debet æstimari secundũ intentionẽ iurantis, atq; adeò si ex corde obligatio non oritur, apparet nullã existere. Et cõfirmatur: quia cũ iuramentum non sit nisi promissionis cõfirmatio, vbi reuera non est promissio, nulla videtur reliqua iuramẽti obligatio.

Syluest.

Responsio.

His veruntamen nõ obstãtibus respõdetur, q; vbi vera adest intẽtio iurãdi, etsi desit intentio promissionis & obligationis

nihilo minùs subsequitur obligatio. Et ratio est quod obligatio, est naturalis iuramẽti effectus, ita scilicet illi innatus, vt igni natiuũ est calefacere. Quare sicut repugnat ignem adesse & non calefacere, sic & iuramentum existere sine obligatione. Vbi autem quis cũ intentione iurandi iuramentũ profert, vera est iuratio: vera ergo inde existit obligatio. Quocirca non est in hominis potestate obligationem à iuramento semouere. Haud eñ ex iurantis voluntate pendet, verè iurare, & tamen sine obligatione. Ratio autem ex his quæ in fronte articuli, & postea super solutionem primi argumenti: S. Thom. adnotabamus, colligitur, contemplabamur nanq; secundùm Diuũ Tho. duas veritatis rationes iuramẽto promissorio inesse: scilicet & illam quæ est ratio assertorij, videlicet vt cum quis quid iurando promittit, simul habeat implẽdi intentionem: & præterea, vt postea in executione, si materia sit licita, id faciat verum quod iurauit: & iuramentum clarum est ferri in vtramq;. Nam si tantũ caderet in priorem, sensus iuramenti promissorij non esset nisi, iuro me promittere, seu verè me habere intentionem iurãdi: & tunc sequeretur iuramentum promissorium non esse nisi merè assertorium, atq; adeò licèt postea in executione ille qui iurauit neutiquam iuramentũ impleret, non ideò fieret periurus. Nam in intentione faciendi salua esset tota vis iuramẽti: hoc autem est falsissimũ. Nam vtroq; modo fit homo periurus: scilicet & non habendo intentionem implendi quod iurat, & postea id non implendo vbi adsunt alij comites. Fit ergo consequens vt iuramentum ferat̃ in vtranq; veritatẽ. Ex quo vtiq; rursum fit consequẽs quòd ex prima veritate enascitur nexus & vinculum ad secũdum. Sed ais hoc tantum concludi, quod vbi est intentio faciendi quod iuratur, oritur obligatio, vel vbi est intentio obligandi. Imò vero ex hoc quod ille qui iurat tenetur habere intentionem se obligandi, idque subinde faciendi, quod iurat: aliàs mendaciter iuraret ac perinde deieraret, subsequitur quod etiã si neutram illarum habeat, sola ipsa intentio iurandi, quæ suapte natura & iure secum aliàs ambas deberet afferre comites, perinde est causa obligationis, ac si vtraque illarum adesset.

Solutio argumentorũ Et per hoc ad argumenta in contrarium respondetur. Ad illam enim authoritatẽ Gregorij, ex qua videtur consequi quod tunc iuratio non nascitur ex corde, respondetur eo ipso quòd in corde ille habeat iurare, ex eodem corde simul pullulat iuramenti obligatio. Ad aliud verò quòd vbi non est promissio, neq; intentio promittendi, non est iuramenti obligatio. Respondetur ꝙ cum quisquis intẽdit ꝓmissoriè iurare, tenetur simul promittere & se obligare, perinde ex sola intentione iurandi oritur obligatio, ac si se intẽderet obligare. Hic ergo est casus sentẽtiæ Isidori: nempe quòd iuramẽtum tenet sicut ille cui iuratur intelligit. Atq; hoc D. Thom. censet iurare in dolo quod nihil iuranti suffragatur. ¶ Quid ergo si quis exterius iuret proferendo verba & tangendo Euangelia, intus tamen non habeat iurandi animum. Respondetur in illo casu non esse verum, sed fictum iuramentum, & tunc habere locum verba Gregorij, quod Deus non habet illud pro iuramento. Ipse enim mentium scrutator videt iuramentum nõ nasci ex corde. In foro autẽ exteriori omninò ab ecclesia quæ per externa verba iudicat, reputatur iuramẽtum: pariq; modo in prætorio ciuili. Sed nũquid in conscientia qui sic iurat, tenebitur id implere? Respõdetur minimè quidem, ex vi iuramẽti, vtpote quod nullũ est, atq; adeò neq; cõtra illi veniẽs periurij reus fiet. Teneri autẽ potest aliis legib⁹ verbi gratia. Si quis vt puella frueretur quę sui copiam illi facere renuerat, antequam spõsalia illi iuraret, profectò si verbis iurat, tenebitur lege iustitię fidem promissi seruare. Et pariter in quibuscunq; alijs cõtractibus vbi interuenerit, Do vt des. Deinde gratia cauendi scãdali, si quis solẽniter iurauit quanuis fictè in re alicuius momẽti proculdubio si nõ posset planè persuadere se nõ vere iurasse, teneretur ficto iuramento sub reatu mortali stare, ne scãdalũ daret, habereturq; in opiniõe aliorũ periur⁹. ¶ Contra hęc autem duo responsionis membra arguitur sic. Qui iurat sine intentione obligandi se ad seruãdum promissum, in virtute iurat sine intẽtione iurandi: ergo superuacaneum est hæc duo distinguere ad conciliandum cum Isidoro Gregorium. Probatur antecedẽs, Animus iurandi secum habet annexum propositum obligandi: nam aliàs, vt dictum est esset periurium: ergo qui non habet intentionem obligandi, si non habet intentionem iurandi. Eorum nanque quæ connexa sunt, vno sublato aufertur & alterum. Respondetur annexa quidem esse de iure in hoc sensu, quòd qui propositum habet iurandi, debet habere idem subinde

Sensus Isidori.

Sensus Gregorij.

Dubitatio.

Argumentum.

ſubinde obligãdi ſe & ſeruandi promiſſum: in facto verò ſicut poteſt eſſe primum ſine aliis ſic & vtrumq; aliorum ſine primo. Et ratio eſt: quia quęcunq; actio exterior deliberata ſecum natura ſua affert agendi intentionem: & ideo niſi per formalem negationem mentis excludatur, ſemper intelligitur vnà concurrere cum actione. Intẽtio iurãdi ſemper in externa iuratione includitur, dummodo & aduertenter fiat & qui iurat non illam peculiariter & expreſſe mẽte remoueat. Qua re qui non habet animum ſe obligandi, mentitur quidem circa materiam iuramenti quę eſt promiſsio: non tamẽ circa ipſam iurationem: imò vere iurat. ¶ Ex ſecũdo autem mẽbro emergit dubium vtrum iurare exterius fictè ſine intentione iurandi ſit peccatũ mortale: quoniam de veniali non eſt dubiũ, quãdoquidem qui dicit ſe iurare & nõ iurat mẽtitur. Caieta. in preſentiarum abſolutè abſq; vlla diſtinctione ait eſſe mortale peccatum, ſiue ille qui fictè iurat: ſpontanee iuret legitimè requiſitus, ſiue per iniuriam illata vi. Et intelligitur reſponſio quando planis verbis nõ æquiuocis exterius iurat. Et ratio eius eſt quod exterius illud iuramentum fertur ſupra mendacium, ſcilicet, ſeruandi promiſsũ quòd non intendit ſeruare. Mendacium autem inquit non ſolùm eſt contrarium vero iuramento interiori, ſed etiam exteriori. Nã quemadmodum cultus exterior idolorum ſine animo colẽdi (quod Marcellinus fertur egiſſe) peccatum eſt mortale: quia applicatur cultus cui non debetur. Ita & illud teſtimoniũ, Deus eſt mihi teſtis, quòd eſt actus religionis: applicare mẽdacio eſt irreuerẽtia mortalis ſecundum illud. Quicunq; me erubuerit coram hominibus hunc & filius hominis erubeſcet &c. Qui enim id facit metu humano per Deũ fictè iurat. Et re vera quãdo iuramẽtum iure exigitur, opinio hæc cõſtantem habet veritatem: tunc ſiquidem illa fictio iurandi pernicioſum eſt mendacium, cũ eiuſmodi requiſitus iurare ſincere teneatur: quando verò per vim & metum poſtulatur, nõ apparet vſq; adeo certa. Demus enim hominem in nemore ab impuris latronibus inuaſum, qui ſub hac forma iurare cogitur, Iuras mihi tantã numerare pecuniam? & reſpondeat ſic iuro ſine intentione tamen iurãdi. Arguitur ſic vel fictio illa obid eſſet mortale delictum, quod re vera ille habet intentionem faciendi contra iuramentum: & hoc non, quia iuramentum nullum eſt, ſed ſimplex mẽdacium: tum quia dicit ſe iurare, & non iurat, tum quia ſignificat ſe daturum & non habet tale propoſitum: quare nullum eſt illic mẽdacium iuramento firmatum: vel eſſet mortale, quia mendacium eſt pernicioſum: & hoc nõ, quia cum non teneatur iurare, nemini facit iniuriam. Argumentum eſt argutum, tamen tutiorem arbitror Caietani opinionem & ratio eſt. Quoniam cũm ille tunc reſpondet ſic iuro, non ſolùm eſt aſſertio in actu ſignato (vt dicunt logici) ideſt non ſolùm aſſerit ſe iurare: tunc enim ſolùm eſſet ſimplex mendacium: ſicut ſi nollens rẽ aliquam diceres, ſic volo: ſed eſt iuratio in actu exercito. Etenim ſicut cum dicis, ego loquor, non ſolum ſignificas te loqui, ſed vere illud exerces. Pari modo cum ais, ſic iuro, perinde eſt ac ſi dicas, Deus eſt mihi teſtis, me pecuniam exhibiturum, aut per Deum pecuniam dabo. Vnde ad argumentum reſpõdetur eſſe mortale, non propter iniuriam illa tam alteri, ſed propter illam irreuerentiam, quæ fit Deo ſaltem exteriùs afferendo nomen eius in teſtimonium falſi. Ex quo fit dicere illa verba materialiter in tali caſu, non eſſe mortale, niſi ille qui cogitur nõ habens intentionem iurandi ſic reſponderet, dico ego iuro: nam caperet illa verba tunc materialiter: & ideo non iuraret imò nullum eſſet peccatum iuxta verbum Hieronymi in canon. vtilem. 22. q. 2. vbi ait vtile eſſe nonnunquam ſimulationem, & pariter ſi reſponderet dico Deus eſt mihi teſtis. Totũ enim hoc capitur materialiter. Si autẽ diceret dico quod Deus eſt mihi teſtis, tunc caperetur perſonaliter, atq; adeo verbale mortaleq; eſſet periuriũ. ¶ Qd' ſi rurſus quis arguat, ſequeretur inde quod ſiquis exterius iuraret ſine intentione iurandi, iurat tamen verũ, mortale quoq; crimen cõmitteret. Eſt verbi gratia ſcrupuloſus quiſpiam qui aſſerit quidem veritatẽ, cuius eſt certus, ſed tñ requiſitus vt iuret, ait ſe iurare & intus non iurat. Quod autem id ſequatur patet, nam contrauenit fini iuramẽti qui eſt veritatis confirmatio quam fingit ſe confirmare & non confirmat. Quare cùm menti os diſſonet, erit abuſus iurandi, atq; adeo mortale periurium. Imò apparet illuſio diuini teſtimonij, vt pote quod foris adducitur & animo non firmatur. Hic Caietan. in præſentiarum propter hæc argumenta aſſerebat eſſe mortale. Sed hoc profectò nõ modo non eſt certum: imò cenſeo eſſe falſum, ſi generatim affirmetur. Crediderim inquã

Iuramentũ fictũ vtrũ ſit mortale

Caie.

Iurare verbum fictè.

quod vbi quis lege cogitur iurare f ilicet,vel à iudice vel ab illo cui interest,mortale sit crimen iurare sine intētione,etiam verum propter iniuriam quæ legi infertur & illi cui interest. Vbi autem per vim & metum extorquetur iuramentum,profecto nimium esset ius regidaque assertio illum condemnare ad mortale. Nam tunc non habens intentionē iurandi,nullam illi infert iniuriam,qui iuramentum extorquet neq; vero legi aut Deo. Nam illa verba iuratoria non adhibentur mendacio, neq; ille propriè facit contra finē iuramēti,neq; testimoniumDei saltim mortaliter illudit: quandoquidē neq; intus neq; extra falsum iurat,sed solū fingit perteſtimoniū illud veritatē confirmare,quā re vera nō confirmat : quod erit fortè veniale peccatū, quia est mēdaciū officiosum, sanè quo quis iniuriā sibi illatam cauet. ¶Hactenus de his qui planis verbis cōtra mentem iurant, Proximū ergo est,vt dicamus deiuramēto,quod verbis fit simulatoriis. Vtrum qui alteri iuramentū præstat promissoriū simulatorijs verbis,animo non implēdi promissum,nec se obligādi,mortaliter peccet? dixerim simulatoriis:nā si planis verbis iuret,cū intētione iurādi,& mēs intus sine aliquo moderamine sit, nō implere neq; se obligare,manifestū corollariū ijs quæ dicta sunt appēdit,illā intentionē iuramēto contrariā,esse peccatū mortale: quoniā est intentio faciēdi contra quā iuramento tenetur. Dubiū ergo exiſtit,qñ illa intentio est cū aliqua restitutione. Syl.nāq; loco citato ait,qꝫ siquis coactus externis verbis absolutè iuret seruare promissū,neq; tñ absolutāhabeat intentionē simpliciter implendi, sed mēte tacitus apud se intendat dare si debet:quęquidē simulatio inhoc cōsistit,qꝫ verba sunt absoluta, mēs verò cōditionata. Ait inquā illud iuramētū nullū esse peccatū.in q̄ vtiq; sensu intelligit textū illū Hiero.c.vtilē. 22.q.2,vbi ait,vtilē esse nōnunq̄ simulationē. At vero duplici hic distinctione opꝰ est. Quoniā, aut extera verba relata ad mentē iurantis planè falsa sunt:aut æquiuoca:scilicet in vno sensu vera, & in altero falsa:aut deniq; ea arte prolata:vt alter cui iuramētū exhibetur ipsa callere nequeat. Secūda distinctio est ex parte iurantis. Aut enim ab eo exigitur iuramentum , quòd iure facere tenetur, videlicet à suo prælato iuridicè,aut à priuata persona, cui ratione cōtractus iurare tenetur: aut exigitur per vim aut per iniuriam,vt illi contingit , qui in nemore incidit in latrones , vel si iudex contra ius illud vult extorquere. His suppositis prima statuitur generalis regula, si verba exterius prolata respectu intentionis iurantis,planè falsa sunt,idest menti eius dissona,vniuersim & absq; vlla exceptiōe est peccatum mortale. Id quod præsenti exemplo mōstratur,vbi extra sine restrictione iuratur , & in mente non habetur absoluta intentio,neque iurans excusatur per illā mētalem restrictionē, dabo si debeo aut iuro da re si debeo. Nam postquam illam verbis nō explicat, sed verba sunt absoluta,non consonat os menti: sed ficta est iuratio: quia intus non fit absolutè,vt explicatur extra. Quem ideo casū comprehendit sententia Augustini super psalm.23.relata eadem causa &quæstione.can. in dolo.vbi ait.In dolo iurat,qui aliter facturus est,quām promittit.Quapropter quantuncunq; per vim & iniuriam fuerit iuramentum extortum,factumq; ad redimendam vitam,erit mortale periurium. Sētētia ergo Hieronymi nō habet hic locū. Nam quod ait vtilem esse quandoque simulationem , intelligitur vbi simulatio absque vlla fieri potest falsitate. Quando autem simulatio fit in verbis , quæ vel sub æquiuoco , vel artificioſe proferuntur,ita vt sensum possint recipere,quem iurans intendit, licèt eum alter non percipiat , tunc si iuramentum iure petitur, non licet tali amphibologia vti, propter iniuriam quæ fit illi qui ius habet petēdi. Quando verò vi illata petitur,licitum est ea fraude petentem deludere. Verbi gratia. Si iniurius ille neq̄ sic rogaret,Iuras mihi tā tam numerare pecuniam? & alter responderet,sic vro(absque.i.)nō esset peccatum mortale,sed simplex mendacium : quia fortè nihil tunc vreret.Item si Dei nomen lingua illa qua fit iuratio , diuersum quoque aliud habuisset significatum, liceret illud intelligendo , dicere testis mihi est Deus : quanuis alter Deum cœli intelligeret . Aut si altero interrogante . Iuras mihi numerare pecuniam ? alter responderet. Tibi iuro numerare:vt non esset sensus, Numerare tibi, hoc est soluere aut tradere : sed tibi iuro apud me pecuniam recēsere:quandoquidem,numerare vtrumque significat. Quare tale iuramētum esset verum,iustum,& prudens atque adeo consonum documento Hieronymi in canone citato, vtilem. Quoniam tunc simulatio(quoniam absq; falsitate fieret,vtilis esset. Quamobrem sententia Isidori, quacunque arte verborum &c. non esset eiusmodi

De iuramēto verbis simulatoriisfacto.

Syluest.

Responsio.

Generaliure gula.

Augustin⁹

Quando verba sunt æquoca.

modi iuramentis contraria: quoniam intelligitur, quando iuramentum est, aut falsum, aut alteri contra ius præiudiciale.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm maior sit obligatio iuramenti quam voti.

CVM tam votũ quam iuramentũ inter officia sint religiõis, nõ immeritò interse conferũtur, vt exploretur vtra sit maior obligatio, voti ne, an iuramenti. Ad quam quæstiũculam D. Tho. vnica conclusione affirmatiua respondet. Votum ex ratione sua magis est obligatorium quam iuramentum. Idque duabus rationibus persuadet. Prior est. Vis obligandi primũ pensari debet ex obiecto, videlicet ratione illius cui fit obligatio: votũ autem promissionẽ dicit Deo factã, iuramentum aũt nõnunquã fit homini, licèt fiat per Deum: Sanctior ergo est ac subinde maior obligatio voti. Posterior verò ratio procedit ex causa & radice, vnde eiusmodi obligationes pullulant. Vtraq; enim ex diuina radice nascitur. Quapropter tã iuramẽtũ, q̃ votũ (vt supra mõstratũ est) ad religionẽ attinet. Tametsi diuersimodè. Nã obligatio voti ex fidelitate nascitur, quã Deo in promissis ei factis debemus, vt illa persoluamus: obligatio autẽ iuramenti oritur ex reuerẽtia, quã eidẽ debemus. Vt quod per eius nomẽ alicui polliceamur, reddamus: infidelitas aũt fidelitati contraria peior est quam irreuerentia: nã includit illã: si quidẽ infidelitas species quædã irreuerentiæ est, nõ tñ vice versa includit ab illa. Potest enim quispiã alterũ per irreuerentiã dehonestare, quãuis nullã ei fidẽ frãgat. Quò fit vt infidelitas, ac præsertim hominis ad Deũ maxima sit irreuerentia: ergo votũ ex ratione sua magis est obligatoriũ, quàm iuramentum: quando quidẽ eius violatio magis est propter infidelitatem sacrilega.

Conclusio.

Nota nouas conclusionis rationes.

COnclusio facilis est, tũ vt intelligat, tum etiã vt credat, si modo nominũ significata ex superioribus supponãtur. Votum em̃ vt lib. superiori dicebamus, est promissio facta Deo: iuramentũ autem contestatio veritatis, quæ fit per Deum: & nonnunquã promissionis, quæ fit homini. Quare votum propinquius sublimioriq; ratione habet Deum pro obiecto, quàm iuramentum. Loquimur enim de iuramento perse quod non est votũ. Cùm enim ais, Promitto hoc Deo, Deo te sine aliquo medio subdis debitorem, eumq̃ue adeo creditorem ac Dominum tui promissi. Cùm aũt quidpiã ꝓmittis homini per Deũ, non Deo proximè, sed homini te reddis obnoxium. Neq; Deum creditorẽ & Dominũ constituis tui promissi, sed testem, & quasi fideiussorem. Quare non solùm fractio voti, est fractio fidei Deo debitæ, & fractio iuramenti non nisi violatio eius reuerentiæ: imò verò ipsa eadem reuerentia Dei impudẽtius violatur in fractione voti, quàm in fractione iuramenti. Atq; eam ob rem. S. Tho. nõ fuit contentus ostendere, quòd infidelitas in fractione voti ex natura fidelitatis est prior, quàm irreuerentia, quæ emergit ex fractione iuramẽti: sed adiecit infidelitatem fracti voti esse irreuerentiã, eandemq̃; maiorẽ illa quæ est in periurio. Maiorẽ enim irreuerentiã facit famulus hero suo, cùm fidem illi frãgit, absurdusq; eũ contẽnit, quàm adducẽdo eũ in testẽ falsi. Cuius ratio est, quòd directi⁹ & è regione magis facit contra rationẽ dominij, quod habet supra ipsum. Accedit prẽterea, & alio excellentia voti, qua ar. 5. diximus iuramento antecellere. Nam licet tam obseruatio iuramenti, quam voti, pertineat ad religionem, tamen votum suam etiam materiã facit actum religionis. Dum enim eleemosynã voues, illã in Deum per religionẽ refers: & ideo ipsa eleemosynę erogatio est imperatus actus religiõis. Materia autẽ iuramenti minime: Imò reuerẽtia iuramenti ordinat̃ ad cõfirmãdã veritatẽ, ꝓmissi. Et ideo ꝓmissum illud nõ refert̃ in Deũ: sed in hominẽ: obidq; votũ interius pertinet ad religionẽ, quã iuramẽtũ. Tametsi seruare quoq; iuramẽtũ sit religiõis officiũ: qa est reuerẽtiã facere deo. Sed nihilo min⁹ cõsiliũ est, vt supra dixim⁹, vouere, nõ autẽ iurare sine necessitate. Atq; adeo ex hac parte peius est votũ defringere, q̃ iuramentum. ¶ Conclusio autẽ hęc quantum ad *Conclusiũis moderatio.* naturam rei attinet intelligenda est. Nam posset ratione grauitatis materiæ, vel aliũde eousque augeri scelus periurij, vt sceleſtius esset quàm fractio voti. Ecquis enim ambigat enormius esse crimẽ iuramentũ frangere soluendi homini decem millia aureorũ, quæ constante iustitia illi debebat, quàm fractio illius voti, quo q̃s eleemosynam decẽ numorũ Deo vouerit. Cæteris ergo parib⁹, intelligẽdũ est aut paulò pl⁹ aucta iuramẽti materia.

¶ Hæsitabit

Dubium. ¶Hæsitabit quis forsan circa illud verbum Diui Tho. Infidel tas irreuerentiam cõtinet. Nam inter homines adeo videntur diuersa vitia, vt vtrunque possit sine altero existere. Respondetur autem bifariam. Primũ quòd inter herum & subditum neutiquam infidelitas absque irreuerentia esse potest: Tametsi econuerso irreuerentia interuenire valeat alia qua præter infidelitatem. Et de infidelitate hac loquitur propriè Sanctus Tho. Secundo autem respondetur, quòd etiam infidelitas inter pares, & domini ad seruum, licet videatur irreuerentiam non includere, nihilo minùs infidelis omnis fedifragus quodãmodo est despector alterius. Quare & dominus cum infidelis est seruo illum contẽnit: & quadam tenus irreueretur. Idemq; accidit inter pares: quapropter omnis infidelitas speciem quandam irreuerentiæ continet.

Primum argumẽtum. D. Thomæ. ARgumenta Diui Tho. facilima sunt. Primum est, votum est simplex promissio: iuramentum autem diuinum testimonium promissioni adhibet: est ergo præstantius. Respondetur, quòd licèt hac parte videatur iuramentum excellentius, votum tamen plus ex parte obiecti excellit, quia fit Deo.

Argumẽ. 2. ¶Secundum, votum nonnunquam Deo factum iuramento confirmatur: id autem per quod aliud confirmatur robustius videtur, & fortius. Respondetur, & est notanda respõsio, quòd iuramentum non adhibetur voto, eò quòd sit fortius per se vinculum, sed quia est aliud vinculum. Et ideo licèt sit minus, additum tamen alteri implicatiorem facit nexum.

Argum. 3. ¶Tertium, obligatio voti emanat ex deliberatione humana vouẽtis: obligatio vero iuramenti ex diuina veritate quæ affertur in testimonium: ergo est fortior. Respondetur quòd quanuis obligatio voti pendeat ex humana deliberatione vouentis, & ex illa sola parte non habeat tantam vim, quam iuramentum, tamen quia per deliberatam volũtatẽ promissio fit Deo, ex parte diuinæ maiestatis cui maxima debet fides, nanciscit votũ maiꝰ robur q̃ iuramẽtũ ex diuina reuerentia dispensationẽ extingui. Et rñdet vnica cõclusione affirmatiua in iuramẽto cadit dispẽsatio. Probat primo ꝑ locũ à maiori. Voti vinculũ vt ꝓxime dictũ est, arctius est quã iuramẽti: sup illo aũt põt dispẽsatio fieri: ergo & sup isto. Secũdo aũt adhibet ratio altera explicatior. Necessitas dispẽsatiõis, vt de voto in superiori libro dicebamꝰ, inde emergit qđ contingit officiũ aliquod vniuersaliꝫ cõsideratũ esse licitũ, vtile, & honestũ, secundũ autẽ particularẽ euentũ, vel inhonestũ reperiri vel nociuũ, atq; adeo tũc neq; legis neq; voti debet esse materia, vt si qs peregrinationẽ vouit q̃ post obstaculũ est alteri officioq đ ille ad maiorẽ Dei gloriã & ecclesiæ maiꝰ cõmodũ põt exhibere: hoc aũt ipsum vsu venire põt in iuramẽto: nã si id qđ qs iurauit fit postea inhonestũ, repugnat iustitię, & si fit nocuũ, repugnat iudicio: ergo pariter in iuramento locũ habet dispẽsatio.

Duo discrimina inter votũ & iuramentum. ¶Materia hęc illis cõsultis, q̃ de voti dispẽsatiõe superiori libro disputauimus, facile patet. Sũt nihilominꝰ inter votũ & iuramẽtũ duo animaduertenda discrimina, qbꝰ res fit apertior. Differunt em̃ tũ ex ꝑte obiecti, qđ votũ fit soli Deo: iuramẽtũ vero fieri põt homini: tũ ex ꝑte materię, qđ ꝓpria materia voti est opus sup erogatiõis, qđ superiori libro declarauimꝰ, materia aũt iuramẽti cuiuscũq; opꝰ virtutis, vt ius suũ vnicuiq; seruare. &c. Ex his pullulãt duę alię differẽtię in dispẽsationibꝰ meditãdę. Prior quãtũ ad illos q̃ dispẽsare possunt. Enimuero quanuis Papa dispẽsare valeat in voto, qđ est maius, nõ tñ in iuramento, qđ est minus. Haud em̃ relaxare põt iuramẽtũ qđ hõ homini prę stitit id soluẽdi qđ ei debebat. Et hoc neq; accidit ex minore facultate Papæ, neque ex dignitate iuramẽti, sed ex natura cõtractus qui iuramẽto cõfirmaꝫ. Enimuero qa est vicariꝰ Dei põt votũ, qđ Deo fit, in id qđ ei gratiꝰ est cõmutare. At qm̃ facultatẽ nõ habet tollendi alteri qđ suũ est. neqt ei iniuriã inferre cui ꝑstitũ est iuramẽtũ illud relaxãdo. Et vice versa, quãuis priuatus hõ in voto, qđ Deo fit, dispẽsare nequeat, qa nõ est eius vicarius, ille tñ cui iuramẽtũ præstitũ fuit, põt illud relaxare nõ qđ cumulatiorẽ habeat facultatẽ quã Papa, sed qđ est dñs bonorũ suorũ: & ideo sicut põt illa donare, sic & iuramẽtũ sibi exhibitũ remittere. Quare illa nõ est dispẽsatio: sed remissio donatioq; debiti. Scđa differentia ex ꝑte materię est qđ in cõmutatiõe dispẽsatiõe q; votorũ ad id tm̃ attendi debet quod Deo sit magis placitum: in iuramentis aut̃ relaxandis

Duæ aliæ differẽtiæ.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm in iuramento fieri possit dispensatio.

DEcisioni de obligatiõe iuramẽti annexa est inquisitio de eius dispẽsatiõe vtrũ licet sit obligatoriũ, possit tñ eius obligatio per

xãdis cauẽda est iniuria, ne fiat tertiæ psonç. Atqui per has easdem regulas de irritatione censendum. Potest quidem pater irritare votum filij citra legitimam ætatem, & maritus votum vxoris. Ac perinde omne iuramentũ quod speciem habet voti: vt si vxor iurasset peregrinationem, aut ieiunium: & pariter si filius ante quartum decimum annum ingressum iuraret religionis. At verò in illa iramẽta, quæ fiunt homini, sine cuius vtique præiudicio rexari nequeunt, non habet paterfamilias tam liberam potestatem. Et sic intelligitur lex nume. 30. vbi æqua facultas marito conceditur ad relaxandum tam iuramẽtum quam votum vxoris, & patri ad relaxãdum tam iuramentum quam votum filij. Idemq; iure canonico habetur ex concilio Eliberta no. 22. q. 5. cano. pueri: sed habenda est ratio contractus iuramento confirmati. Quando enim pater, aut maritus irritare potest suorũ contractum, tunc filius, & vxor nexu iuramenti soluuntur: quia tollitur eius materia. Si autem contractum illum nequit irritare, tunc neque iuramentum: Ob idque quandoque consultius erit vt hmõi iuramẽtorum dispensatio, & relaxatio ab ecclesiæprælatis petanr. ¶Ex his duæ regulæ dispensandi in iuramento colliguntur. Prima quòd hominis præiudicio cessante, nempè tertiæ personæ Papa, vt in omni voto potest rationabili causa dispensare, ita & in omni iuramento, quippe quod vt dictum est minoris est vinculi. Secunda ad discernendum, quæ nam iuramenta solus Papa relaxare possit, quæ vero episcopi, ad id conijciendi sunt oculi, vtrũ si essent vota: solus Papa, an verò Episcopi possent illa remittere. Exempli gratia in tribus votis nempè religionis castitatis, & Hierosolymitanæ peregrinationis solus Papa dispensare potest. Fit ergo consequens, vt in similibus iuramentis earundem trium religionum ad solum ipsum dispensare pertineat. At quia in alijs omnibus votis nempè aliarũ peregrinationum ieiuniorum. &c. Item non ludendi, aut non venandi. &c. Episcopi dispensare possunt, fit vt in similibus iuramentis fortiori ratione ijdem Episcopi dispensandi facultate fungantur.

Duæ regulæ dispensandi.

Primum argumentum s. Thomæ.

PRimum argumentum sancti Th. est sicut ad iuramentum assertorium, ita & ad promissorium veritas requiritur: cum nemine tamen dispensari potest vt cõtra veritatem de præsentibus, vel præteritis asserendo iuret: ergo neq; vllus potest dispensare super iuramẽto quod quis de futuro fecit. Rñdet D. Tho. illationem nullam esse. Quando enim super iuramento promissoris dispensatur non eò tendit dispensatio, vt qui iurauit contra iuramentum faciat, vt. s. manente iuramenti vinculo faciat cõtra. Et in hoc par est promissorium assertorio. Nam sicut ius diuinum est, vt nemo asserendo falsum iuret, ita, vt quòd iurando promisit obseruet, si adsint alij comites: præceptum autem diuinum nõ est dispensabile. Sed effectus dispensationis est, vt id quod sub iuramento cadebat, sub illo amplius non cadat. Vt si quis iurauit ieiunium quod postea obstaculum est vberioris virtutis, secuti de voto dictum est. Materia autem assertorij, quæ est præterita, aut præsens veritas, postquam iuratim est non est mutabilis: nam ad præterita non est potẽtia, & ideo dispensatio in illa fieri non potest: dispensare autẽ in ipso actu iurãdi, videlicet vt iures falsum, esset contra præceptum diuinum. Materia autẽ promissorij: quia est de futuro, variari potest: vt quãuis fuerit prius idonea q̃ sub iuramento promitteretur, fiat postea inidonea, vt impleatur: atq; in hoc dispensatio nis ratio consistit. ¶Secundũ argumentũ est iuramentum in eius commodum fit cui præstatur: ille autem non videtur tale iuramentũ relaxare posse: ergo multo minùs Papa, vel alius cui nihil iuramentum interest. Respon sio est, bifariam quempiã posse alteri rem ali quam iurare. Vno modo qñ illi id pollicer quod est ei vtile: cui adeo iuramentũ illud interest. Et ideo à tali iuramento potest ille iurãtem absoluere: quia potest ius quod habet alteri remittere. Alio modo qñ quis alteri id iurando promittit, quod ad diuinum attinet honorẽ: qualia sunt opera pietatis & religionis: vt religionem intrare eleemosinã erogare. &c. Et tunc inquit ille cui fit promissio nõ põt iurantẽ absoluere: quoniã iurationes huiusmodi non fiunt proprie homini sed Deo. Nisi forsan promissio conditionalis esset, ab illo homine dependens cui fit. Vt si qs alteri ingressum religionis iuraret, si illi expedire videret. Est ergo solutio præsens discrete obseruanda vt intelligamus non omnẽ promissionẽ quæ verbo fit homini, re vera illi dũtaxat fieri. Posset em ignarus facile decipi credẽs qcqd iurat amico in eius facultate esse illud remittere: cum tñ regula sit fallax, sed ad materiam respiciendũ est. Quando enim qs amico pecuniã daturũ se iurat, vel aliud eius commodum facturum, id verum est: quãdo vero id

Secundũ argumẽtum.

Notãda solutio.

verò id quòd promittitur materia religionis est, aut pietatis, materia ipsa sua natura ostendit speciem habere voti, quæ Deo fit. Vt si ingressum religionis ieiunium, peregrinationem, seruitium hospitalis & similia iures. Quod si contra arguas sequeretur quòd si ego amico iurarem pondus auri in dotem suæ filiæ elargiri, non posset ille mihi remittere, sicut si absolute illud iurarem. Nam dotare virginem videtur opus eleemosinæ, ac subinde pietatis atque adeo esse votum: hoc autem videtur durum. Respondetur quòd huiusmodi promissiones sunt ancipites: & ideo videndum est quo animo fiant, & enim si promissio fit homini in gratiam ipsius humano more, iuramentum potest ab illo amico relaxari sicuti ipsa puella, idē sibi præstitum iuramentum posset remittere. Si verò promissio fit intuitu pietatis, & religionis naturam iam induit voti, quòd ab homine relaxari non potest. Pariter si iurasti pauperi ipsum alere speculandum est quo animo id feceris videlicet an animo id Deo vouēdi, an solo proposito te illi pauperi obligandi. Priorem enim obligationem relaxare ille nequit: potest autem posteriorem. In alijs verò materijs profecto res est dubia: vt si iurasti amico non ludere, aut non venari: si enim animum habuisti illi tantum promissionem facere illiq; te duntaxat obligare, ille tibi potest remittere secus si per viam religionis id feceris. Itaq; quotiēscunq; huiusmodi iuramenta speciem habent voti, licet facta sint altero mouente homine, & vt illi rem faceres gratam, relaxatio pertinet ad episcopū, vel Papam secundum qualitatem materiæ. Et ideo quando absolute fiunt, ita vt qui fecit discernere nequit quem animum habuerit, censenda sunt, propter naturam materiç, vota iuramento firmata. ¶ Tertiò argumento. S. Thom. & eos explorat qui dispensare possunt, & dispēsandi causas. Et est huiusmodi. Episcopus potest dispensare in votis vulgaribus exceptis tribus soli Papæ reseruatis: ergo eadem ratione posset in iuramētis: quod tamen videtur esse contra iura: quæ iuramētorum relaxationes Papæ videnr remittere: vt cap. verū extra de iure iur. Quæstio ergo est vtrum par sit facultas dispensandi in iuramentis & in votis. Rndet autem quatuor. Primum est quòd vbi iuramentū fit, aut de re illicita aut de impedimēto maioris boni multa opus est dispensatione, sed prius nullatenus est seruandū, posterius verò, licet seruari posit, consultius tamen est vt non seruetur. Secundum membrū est quòd vbi iuramentum ambiguitatem habet, licitum ne sit, aut conducens, aut nocuū, seu simpliciter in genere, seu in tali casu tunc Episcopus dispensare potest. Subintelligitur tamen tribus illis exceptis: scilicet religionis perpetuæ castitatis, & peregrinationis Hierosolymitanæ. Tertium membrum est, quòd vbi iuramentum manifestum est esse licitum vtile & honestum, non videtur locum habere dispensatio nisi aliquid melius occurrat in commune bonum conferens. Et hoc inquit ad potestatem Papæ pertinere videtur. Quartū asserit um est ad vnumquēq; pertinere irritare iuramentum quod à sibi subdito factum est circa ea quæ eius potestati subduntur: vt Pater irritare potest iuramentum puellæ, & vir vxoris vt habetur nu. 30. quod iam supra expositum est. ¶ Tertium verò membrum non nihil habet ambiguitatis. Haud enim videtur hic D. Tho. iuramenta distinguere in quibus solus Papa dispensare potest, & in quibus potest Episcopus ex natura materiæ, sicut in votis vt scilicet tria reseruentur Papæ, & alia committantur Episcopo. Sed ex conditione & qualitate ambiguitatis. Nempè vt illa de quibus ambigitur an sint conducentia subdantur Episcopo: reliqua vero reseruē tur Papæ. Nos tamen proxime contrarium dicebamus. Id quod ratio comprobare videtur. Nam si votum, arctius vinculum est, fit, vt tantam facultatē habeat episcopus in vniuersa iuramenta quanta in vota: nisi expresse sint reseruata? Respondetur quòd quantū ad rigorem rationis, & iuris non asserit Di. Tho. contrarium: sed quantum ad æquitatē & vt tutius conscientijs consulatur, consueuit ecclesia res magis arduas ad Papæ tribunal deferre. Ad quam, vt habetur de baptismo, & eius effectu capi. maiores, sunt maiores causæ referendæ. Et ideo nemo hic de verbo ambiguitatis fallatur vbi enim res iurata, ambigua est, sit ne expediens, facilior est dispensatio: & ideo committitur Episcopo. Quia quanto materia est magis ambigua, tanto est certius, & clarius dispensandum esse. Quando verò res iurata non est ambigua sed palam est fuisse licitam, maior est ambiguitas an sit dispensandum, difficiliorque adeo est dispensatio: quia re vera id non licet nisi vbi res maioris commodi superuerit. Et ideo reseruatur Papæ. Qua de de causa, vt inter arguendum adnotauit. D. Tho.

Argumentum.

Tertiū argumētum.

D.Tho.cano. si verò,& verum, extra de iure iur.& can.Abbas de his quæ met. ve. cauſ.& 15.q.6.per totum & alij complures iuramentorum diſpenſationes à ſolo pontifice maximo leguntur factæ.Et ita præcipuè obſeruãdum eſt quando iuramẽta fiunt hominibus quibus intereſt.Illa enim nunquam,aut vix vnquam,& tunc maxima de cauſa, ſunt relaxanda.Haud tamen negauerim quin epiſcopus etiam id poſsit,niſi ſint expreſſe reſeruata. Vt ſunt iuramenta ſuper ſtatutis collegiorum ſcholarum,& eccleſiarum quæ ſunt Papæ quorum diſpenſationes ſibi reſeruat. Ac præcipuè illa,vt Di. Tho. hic inſinuat, quæ ſuper bonis eccleſiaſticarum rerum diſpenſandis fiunt. Hæc enim iuramenta ne facile eadem bona dilapidentur Papæ ſolita ſunt reſeruari: Illa verò iuramenta quæ ſuper beneficijs fiunt licet plenariè ad Papam pertineant tamen ſi quis clericus iurauerit nõ acceptare præbendam,nec eccleſiæ ſeruire,epiſcop⁹ vbi expedire ſenſerit poterit ſuper eiuſmodi iuramentis diſpenſare imo & cogere, vt accipiat ſicuti Greg. coegit Florentinum Archidiaconum accipere epiſcopatum,vt ſupra citauimus can.Florentinum.d,85. ¶Eſt autem hic apprime obſeruandum quod ſicut de voto dictum eſt, nemo in iuramentis ſine legitima cauſa diſpenſare valet. De quibus autem cauſis non opus eſt hic aliũ meditari tractatum præter illum quem de voto libro proximo quæſtione.4.articu.3. ſcripſimus:vbi eas latiſsime dilucidauimus. Conſueuit enim ſuper iuramentis bifariam diſpenſari,ſcilicet,aut directè,aut indirectè. Directe autem ratione ſubditæ materiæ, vt modo de rebus beneficijſque eccleſiaſticis dicebamus: in quorum diſpenſationem Papa pleniſsima fungitur poteſtate, atque adeo facultate in iuramentis diſpenſandi, quæ in illam materiam feruntur ratione venditionis,aut commutationis eorum. Quocirca in omni iuramento diſpenſabili dum fit ſubintelligitur,niſi ſuperiori poteſtati rationabilis viſa fuerit diſpenſatio: Vt patet capi.venientes extra de iure iuran. Imò vt de voto dicebamus quantuncunque quis iuret non petere diſpenſationem,neque illa vti, poteſt vbi ratio id plane popoſcerit, prælato iuramentum patefacere, etſi ille voluerit diſpenſare,poteſt illa vti:ſunt enim huiuſmodi iuramenta, & fatua & fictilia. Secundo diſpenſat eccleſia ex officio propter cauſam: vt de iuramento coacto dictum eſt cuius diſpenſatio in odium illius fit qui vim intulit, & vbi quis deceptionem aliquam, vel nimiam facilitatem citra conſilium iurandi allegaret. Sed in hæc etiam diſpẽſare valet epiſcopus. Et pariter in odium excommunicatorum iuramenta quæ illis fiunt relaxantur, vt patet. 15.quæſt.6.cano.nos ſanctorum,& can. iuratos.Fit denique diſpenſatio alias ob cauſas, vt ſi licentiatus iurat non recipere doctoratum niſi in tali vniuerſitate,& poſt ſuperuenit cauſa iuſta alibi recipiendi, Papa diſpenſat non alius ſi ſtatuta ſunt illius. In ſumma vbicunque cedit in commune bonum, niſi tertiæ perſonæ iniuria fiat, legitima eſſe poteſt diſpenſatio.Indirectè verò fit diſpenſatio quando ſubtrahitur materia iuramenti, vt ſi Papa Epiſcopum functione ſua priuat, aut Regem regno,ſubditos abſoluit ne iuramento obedientiæ illi amplius teneantur.Et pariter ſi ſtatuta reuocat quæ quis iurauit, eo ipſo iurantem nexu iuramenti abſoluit. Hæc autem omnia plana ſunt. ¶In dubium autem repetere quis in præſentiarum poſſet vtrum ſi Papa in iuramento ſine cauſa illegitime diſpenſat, diſpenſatio teneat, ſic vt qui contra iuramentum deinceps fecerit non ſit periurus:Exempli gratia ſi ego iuraui pecuniam debitam creditori meo ſoluere, quanuis Papa non me abſoluere poſsit ab illo debito: quin virtute iuſtitiæ reddere conuincar, vtrum ſi abſque vlla cauſa diſpenſet in iuramento tollatur mihi religionis ratio qua inſuper obligabar,vt liber ſim à periurio etiã ſi non ſoluam.Hoc autem ſatis libr.1. diſcuſſimus quæſtio.7.articu.3. in diſpenſatione legum: quòd poſt libro.7. de voto reſumpſimus. Et ideo hic citra diſputationem reſpõdemus,minime diſpenſationem eſſe validã. In illa enim quæ ſunt de iure diuino,& naturali diſpenſatio neutiquam cadit. Cum ergo de iure diuino ſit,vt qui vouit reddat, atque adeo quòd quis iurauit, quanuis illa vincula ex voluntate vouentis, vel iurãtis nata fuerint, nequeunt profecto ſine cauſa tolli: Et multo minùs quando iuramentum fit alterĩ cui intereſt, vt exemplo proximo modo explicabamus. Nam illi cui pecuniam debeo non ſolum id intereſt, quòd illi ſoluere teneor,verum & modus quo teneor. Et ideo abſque illius præiudicio, vt in principio dicebamus relaxare Papa illud iuramentum nequit. Quare ſi id ſine vrgentiſsima cauſa facere attentaret,relaxatio niſi fallor,non teneret.Cætera vide in libro ſuperiori de voto.

Diſpenſare ſuper iuramentis non licet abſq; legitima cauſa.

Dubiũ an diſpenſatio ſine cã ſit valida.

ARTI-

ARTICVLVS. X.

Vtrùm omnibus cuiuscunque cõditionis liceat absque discrimine quocunque tempore iurare.

IVRAMENTVM actus sit religionis, & nonnunquàm necessarius, merito in calce eius disputationis quæritur vtrum omnibus id competat, an aliqui ab eo præstando cohibeantur. Ad quod D. Tho. suppositâ distinctione tribus conclusionibus respõdet. Iuramentum enim, & ratione Dei per quem iuratur æstimari potest, cui maxima debetur reuerentia, & ex parte iurantis hominis, qui in testimonium suæ veritatis illo indiget. Prima ergo conclusio est. Ratione prioris considerationis duo hominum genera in solenni iurandi officio iure denotantur: nempè pueri ante annos pubertatis iurare, non coguntur. Periuri verò & infames ab eodem officio arcentur. ¶ Secunda ob eandem reuerẽtiam tiã iurare in sanctis solenniter, nisi à ieiunis fiat non reputatur honestum, vt vigesima secunda. q. 5. Cornel. Papa definiuit can. honestum. ¶ Tertia conclusio: ex secunda ratione prouenit, vt personas egregiæ dignitatis iurare solenniter non deceat, quales sunt sacerdotes. Debent enim esse tantæ authoritatis, vt citra iuramentum sit eis adhibenda fides. Vnde. 22. q. 4. cap. si quis presbyter. habetur quod sacerdotes ex leui causa iurare non debent. ¶ Quarta conclusio, in necessitate, vel pro magna vtilitate licitũ est illis iurare præcipuè pro spiritualibus negotijs: etiam in diebus festis in quibus citra tales casus nõ licet.

Cõclusio prima. *Secunda cõclusio.* *Tertia conclusio.* *Quarta conclusio.*

CONclusiones istæ omnes habentur in iure: sed sunt dextero legitimoq; sensu intelligẽdę, imprimis prima tã de pueris quàm de periuris habetur. 22. q. 5. can. paruuli. Et illico can. pueri. explicatius designatur ætas, nẽpè quod ante annos quatuordecim iurare, non cogantur. Sed perspice differẽtiã, quod pueri non cogũtur, si iurare renuerint. Si autem vigere in illis ratio apparuerit, & vltro se ad iurandum obtulerint, quantum ad tenorem illorum canonum, non apparent repellendi. Periuri verò etiam si iurare voluerint, cohibẽtur. Et ratio discriminis est, quod pueros solus naturalis defectus ætatis facit non esse satis ad iurandum idoneos. Et ideo mitius illos ius admonet, vt iurare caueant: periuros vero vitium ipsum inidoneos reddit. Et qua ratione non coguntur iurare pueri, arcentur, & â iurando furiosi. Moderati tamen sumus conclusiones de iuramento solẽni, quod ad publicũ testimonium exigitur. Nam de illo & iura loquuntur & D. Thom. intelligit, vt in solutione secundi patebit. Ex quo fit consequens quod qui periurus antea fuit, dum priuatim, vt reliquum vulgus iurat non magis peccat quam reliqui: neque dum iterum deierat, illud singulare periurium habet duplicem malitiam, vnam scilicet: quia periurium, atq; alteram, quia fit post aliud. Imo vero periurus non quicunque à ferẽdo testimonio repellitur, sed ille qui reus in iudicio factus est periurij, atq; adeo condemnatus. Quocirca licet quis priuatim pluries mendaciter iurauerit, non ideo est à testimonio ferendo cohibendus. ¶ Circa secundam conclusionem, venerationem adnotato quę iuramento debetur. Nam quanuis ceremonia illa, vt nemo nisi ieiunus ad solum iuramentum admittatur, non sit prorsus necessaria, reputabatur tamen olim inhonestũ aliter fieri, vt quasi ad sacrosanctum sacramentum altaris, sic ad iuramentum accederetur: nempè vt iuraturus attentiori animo secum reputaret cerrtissimũ ne esset, id quod sub iuramento asserturus accedebat. Quapropter, & alijs circunstantijs exornabatur iuramentum: scilicet ratione loci, vt nemo nisi in templo, & super altari, & libro euangeliorum attacto, quæ sacerdos in manibus teneret, quasi ante tribunal Dei tremebundus iuramentum præstaret. Vnde homil. 15. ad populũ Chrys. Non ita gemo & deploro quospiam in vijs iugulatos audiens, sicut gemo, & lachrymis prosequor, & horresco cum video quẽpiam prope mensam hanc. s. altare venientem, & manus imponentem, & euangelijs iurantem attactis. Imò & apud Ethnicos, vt inter Romanorum problemata apud Plutarchum extat, nemini Herculem sub tecto iurare licebat: sed sub dio, quasi in Iouis præsentia, vt iuraturus admoneretur quantum iudicium præstando iuramento debere tur. ¶ Tertia conclusio, nempè vt honor ille sacerdotibus deferatur, ne pro leuibus iurẽt loco citato can. si quis presbyter. 2. q. 4. habetur. Vbi adhibetur quod vice iuramenti per sanctam consecrationẽ interrogentur, &. 22. q. 5. can. nullus primo, cauetur ne vllus ex ecclesiastico ordine quicquam laico cuiquã super euangelia iurare præsumat. Adijcitur autem eo-

Cõclusionũ moderatio. *Iusiurandi veneratio.* *Chrysost.* *Ethicorum religio.* *Declaratio tertiæ conclusionis.*

tem eodem canone, si quis presbyter,& in proximo,presbyter,quod incertis causis nẽ pè ad purgandam suam innocentiam & pro alijs causis spiritualibus iurare eis liceat. Fuit enim etiam in lege naturæ tanta sanctitate habitum iuramentum vt à personis integræ vitæ & intemeratæ fidei illud petere nefas esset. Vnde & inter eadem Romanorum problemata refert Plutar. quod viris ingenuis & nobilitate insignibus iusiurandum tormenti genus erat seruis namq; & mancipijs non deferebatur iuramentum, sed in eculeum rapiebantur vt quæstione ab illis extorqueretur veritas: liberis vero & ingenuis quos torquere non licebat idem reputabatur iuramẽtum ad extorquendam veritatẽ, quod seruis tormentum. Cõtinebat præterea eorum religio, vt neq; Diali flamini neq; sacerdotibus iurare liceret sed simplex eorum assertio pro iure iurando duceretur. Quod si cum ista iuratoriæ religionis sanctitate abusum nostrorũ tẽporũ conferas, nõ poteris nõ locũ deplorare in quem Christiana religio hac parte decíderit. Admittuntur enim, imo de improuiso abripiuntur ad iurandum sine delectu cuiuscunque sortis homines, nempè bubulci, muliones, baiuli, ebrij, & elluones. Neq; vero in templo: sed vbi ius iurare absque vlla præmeditatione coguntur. Neq; vero sacerdotibus idem honos habetur, quem iura sanxerunt: sed promiscuæ vti seculare vulgus iurare coguntur: imo ipsi se offerũt. Qua de re adeo iurandi religio iam viluit, vt periuria, ꝑ minimis delictis habeãtur. Sed de hoc. q. seq. arti. 3. iterum: vbi de tertio comite repetẽdus est sermo. ¶ Primum argumentum Di. Tho. est, iuramentum ad confirmationem inducitur, vt ait ad Hebræ. 6. Paul. vnicuiq; autem suum dictum confirmare congruit: ergo quicunq; iurare potest. Responsio ad minorem prẽmissam dirigat. Quidam enim sunt quos ob proprium defectum dicta sua iuramento firmare nõ decet. Alij vero quos propter firmitatem suæ authoritatis eo non indigent. ¶ Secundum argumẽtum sumitur ex Chrysostomo homil. 44. super Matth. c. 25. vbi ait Si aliqua causa fuerit iurandi, modicum videtur facere, qui iurat per Deum: sed qui iurat per euangelia maius aliquid fecisse videt. Quibus dicẽdũ est. Stulti scripturæ propter Deũ factę sunt, nõ Deꝰ ꝓpter scripturas. Quibus verbis docet grauius esse iurare per Deũ quam per euangelia: quicunq; aũt & quocũque tempore cõi locutione iurare per Deũ consueuerunt: ergo à fortiori omnes cuiuscũque conditionis possunt per euãgelia (quod leuius est) iurare, Respõdet D. Tho. interprẽtando Chrysostomũ: nẽpe, quod iuramentũ secundũ se consideratũ grauius est cũ fit per Deũ quam cũ fit per euãgelia. Nam vt ait ad Publicolam Aug. Quanto fortius est id per quod iuratur tanto iuramentũ strictius obligat. Nihilominus econuerso propter modũ iuramẽti põt fieri grauius, dum fit per euangelia solenniter: tum quod cum fit solẽniter, fit cum maiori deliberatione quã dũ fit priuatim per Deum: tum etiam quod maius esset tunc scandalum periurij, quia publicitus fit. Et ideo cohibitæ sunt personarum aliquę conditiones, à iuramento solẽni per euangelia, quæ iurare, vt reliquum vulgus per Deũ permittuntur. Quæstione autẽ sequẽti: art. 3. de hac re iterum. ¶ Tertium argumentũ est. Idem esse effectus non põt contrariarũ causarum: excluduntur autem aliqui à iuramento propter defectum, vt pueri & periuri: ergo nulli debent propter excellentiam excludi: vt sacerdotes. Respondetur non esse absurdũ quod in priori præmissa negatur: nẽpe vt alii excludantur, quia maioris sunt authoritatis quã vt eos iurare deceat: alij vero: quia minoris quã eorũ iuramento stetur. ¶ Quartum deniq; argumentum est. Nullus homo in hoc seculo tantæ authoritatis est, quã angelus. Nam vt Matth. 11. ait Christus. Qui minor est in regno cœlorũ maior est Ioãne Baptista: angelus autẽ, vt Apocalip. 10. legitur, iurauit per viuentem in secula seculorum: ergo homo quantæcunq; sit dignitatis iurare potest. Responsio autem est quam in primo articulo copiose dilucidauimus. Enimuero, vt deus minime, ob id iurat, quod necesse habeat asserta sua per aliquid fortius cõfirmare, sed ad ostendendũ immobilitatem illius quod iurat: sic & angelus non iurat, nisi ad ostendendũ id quod affirmat, ex immobili infallibiliq; Dei dispositione procedere.

At vero quoniam homines non iurant, nisi vt certiora dicta sua faciant, illi qui sunt eximiæ dignitatis iuramẽto non indigent.

*

Ethnicorũ mos.

Iurãdi abusus.

Primum argumentum D. Thomæ.

Secundũ argumẽtum. Ex Chryso.

Grauius iuramentũ ꝑ Deũ, q̃ per euangelia.

Tertiũ argumẽtum. D. Thoma.

Quartũ argumẽtum.

Angelorũ iuratio.

QVAESTIO SECUNDA. De periurio.

S.Tho.secunda secũdæ.q.98.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm falsitas requiratur ad periurium.

QVANVIS Di. Thomalium ordinẽ seruauerit inter quæstionẽ de iuramento & hanc de periurio materiã superstitiõis interserens. Quoniam tñ nõ est mihi animus illam, quæ latissima est materiã modo tractare, ordini consentaneũ duxi virtuti iuramenti extremũ periurij vitiũ adiungere, quã quę stionem sententiarũ. Magister in.3.dis.39. disputauit. Est ergo primus quæstionis articulus, vt moris est D. Tho. generalis. Vtrum scilicet vniuersim omni periurio falsitas insit?

Conclusio. Ad quam quęstionẽ vnica conclusione affirmatiua respondet, scilicet de ratione intrinseca periurij est falsitas. Hoc primùm patet ex eius definitione, quæ rei naturam exponit.

Periurium. Est enim periurium, vt loco citato ait sententiarum magister nihil aliud quàm mendacium iuramento formatum. Ratione autẽ id confirmatur. Morales actus, vt.12.q.1.ar.3. definitum est, ex fine sortiuntur speciem: finis aũt iuramenti est confirmatio dicti humani: confirmatio autem eiusmodi per hoc fit qđ illud dictum firmiter ostenditur esse verum: quod quidem rei falsę contingere nõ potest: ergo falsitas confirmationi veritatis opponitur, quæ ideo finem iuramẽti euacuat. Fit ergo ex his consequens peruersitatem iuramẽti, q̃ periurium dicitur, à falsitate præcipuè speciem sortiri, atq; adeo de ratione periurij esse falsitatẽ sicuti veritas est de ratione legitimi iuramenti.

Definitio periurij

QVæstio hæc egregia est per quam præcedens perspectius elucidatur. Nã quoniam oppositaiuxta se opposita clariꝰ eluceſcunt, à multis, quæ illic se insinuabant, vsq; ad hunc locum supersedimus. In introitu verò examinationis præsentis conclusionis, obijcit se contra probationem eius Caietan. qui hanc saliuam deglutire non potest, q̃ finis iuramenti sit confirmatio humani dicti. Quod tamen Di. Tho. vt superiori. q. art. 4. & 5. & hic liquidis verbis affirmat, & in solutione secundi. Ratio verò suæ formidinis est: quia concedere submetuit id quod nobilius est, nempe actum religionis (qualis est iuramentum) referẽdum esse ad id, quod est ignobilius, puta ad confirmãdũ hominis dictum, ceu medium ad finem. Illic tamen nẽpe art.5. satis responsum à nobis est videlicet non esse formidandum finem iuramenti esse firmare humanum dictum: quando quidem hoc ipsum in gloriam Dei refertur, quod illic copiosius explicuimus. ¶ Hoc ergo prætermisso non nihil profecto ambiguitatis cõclusio habet Sancti Tho. quatenus generalis est. Non enim ad omne periuriũ videt requiri falsitas. Imò etiã si iuratio sit vera aliũde videtur habere posse rationẽ periurij. Et ratio quidem hæsitandi est, quam hic D. Th. argumento primo tangit, & præcedenti. qõ. ar.3. fuit tacta. Ait enim Hier. super illud Hieremiæ.4. Iurabis viuit Dominus in veritate, in iudicio, & iustitia, tres illos comites, scilicet, veritatem, iudicium, & iustitiam sic esse iuramento necessarios, vt quandocunque illorum vnus defuerit periurium sit: potest autem assistente veritate deesse, vel iustitia, vel iudicium, & tunc quidem erit absq; falsitate periurium. Vt verbi gratia. Si quis iuret hominem occidere: quod patrare intendit, & patraturus est. Ob hoc ergo argumẽtum, vt D. Bonauentu. in.3.d.39.q.1. refert non deficere, qui negarint omne periurium esse mẽdacium, imò citra mendaciũ, vt argumentum ostendit, aiunt posse contingere. Neq; vero Hierony. ait quod vbicunq; aliquis triũ comitum defuerit, sit mendacium, aut falsitas, sed periurium: insinuans, q̃ citra falsitatẽ, & mendacium potest esse periurium. Et certè id ipsum ratione confirmare videtur. Nam cùm veritas sit vnꝰ comes per se ab alijs duobus distinctus, fit vt peruersitas iuramenti accidere possit absq; falsitatis vitio, per hoc qđ desit, aut iustitia aut iudicium. Hoc tamẽ nõ obstante respondetur omni periurio germanam esse falsitatẽ, propter rationem S. Tho, Etenim periurium & legitimum iuramentũ è regione opponuntur: legitimum autem est veritatis confirmatio: Cùm ergo falsitas veritati opponatur, exactius Di. Tho. loquitur, dum ait, omne periurium aliquam falsitatẽ inuoluere. ¶ At verò, vt vera sit hæc sentẽtia, non debet accipi falsitas, vt est contraria veritati, quæ est primus iureiurandi comes: hoc enim

Dubitatio.

Hiero.

Bonauen.

Caieta.

Conclusiõis expositio.

enim satis ratio hæc proxima persuasit: quã doquidem absq; illo primo comite, qui est veritas, possit periurium accidere: sed accipitur falsitas, vt sit commune genus ad plures falsitatis gradus & species. Vnde bene ait Diuus in solutione primi, quod primo & principaliter (adde & maxime proprie & formaliter) periurium est vbi deest actu veritas, q̃ est primus comes: tũc enim actu exurgit falsitas. Atque id potissimum dum quis cõsultò, scilicet sciens & prudens intendit falsum asseuerare. Siue in iuramento fiat assertorio, siue promissorio, scilicet quando quis pollicetur id quod non intendit facere, vadit em̃ expresse tunc cõtra mentem, vbi perficitur ratio mendacij, quam quidem falsitatem supra diximus in promissorio semper esse peccatum mortale, etiam si quis iuraret hominẽ occidere, quod facere non intenderet. Idẽq; proinde gradus est, quando quis iuramento assertorio iurat, id quod verum est putãs esse falsum. Nam vadit etiam contra mentem, atq; adeo formaliter est mendaciũ. Licet materialiter verum iuret: quare semper erit mortale crimẽ. Hoc ergo iuramentũ suapte proprietate & natura dicitur falsum eo qđ verbum menti non consonat: dicitur autẽ quando est promissorium ab effectu dolosum qa fit ad decipiendum. Ad hunc autem gradũ reducitur: cùm quis id quod falsum est iurat, putans esse verum: ex negligentia tamen, qa diligentiam omisit, quam adhibere tenebatur, vt certior fieret: Erit tamen peccatũ non semper mortale, sed secundum negligentiæ culpam. Secundariò autem falsitas ineſt periurio defectu secundi comitis, nempe iustitiæ, vt si quis iuret peccatum mortale perpetrare: Tunc enim licèt illud facere proponat, atq; adeo in fitei veritas, quæ est primus comes, deest tamen ratione contrariæ obligationis veritas: quæ est quoddam falsitatis genus: Fit enim ipsa iuratione periurus, propterea quod id iurat, quod alia lege tenetur falsum facere. Itaq; licèt postea sit facturus, tñ iurando deierauit, atq; adeo quodammodo falsum iurauit in virtute contrariæ obligationis. Atqui huc ille reducitur, qui iurat non facere opus consilij, & supererogatiõis: nam licèt illud possit implere, vt supradiximus, ad id tamẽ non tenetur. Et ideo est quædam falsitas propter obligationis defectum: quia consultius est postea iuramentum falsificare. ¶Tertium genus falsitatis est vbi deest iudicij veritas. Nam etsi quis verum quidem iuret putans esse verum: leuiter tamen, ac temere scilicet aut citra necessitatem, aut citra corda tam accurtentiam, vt certior veritatis fiat, antequã iuraret, licèt insit illic simpliciter veritas: est tamen quædam falsitas in potentia, propterea quod, qui sic iurat, in periculo iurandi falsum versatur. Sunt ergo tres falsitatis gradus, scilicet, primus simpliciter in actu: secundus in virtute, aut contrariæ obligationis, aut contrarij consilij: at deniq; tertius in potentia deierandi. Hac ergo ratione asseritur omni periurio inesse falsitatem, suo cuiusq; gradu & ordine. Qua vtiq; ratione superiori quæstione. art. 3. vt omne periurij genus ad normam euangelicæ prohibitionis exigeremus, quæ est, ne nomen Dei assumamus in vanũ, triplex vanitatis genus iuxta hos tres falsitatis gradus discreuimus.

tres falsitatis gradus.

¶Sed arguis, quòd neq; illis gradibus falsitatis admissis tueri possimus omne periurium esse mendacium, vt Magister senten. ait, & Diuus Tho. consentit. Nam vbi quis id iurat quod verum esse censet, quod tamen materialiter est falsum, periurus est. Et tamen non vadit contra mentem atque adeo neq; mentitur: hoc enim est mentiri. Et multo minus si id quod iurat verum est: non tamen veritatem satis explorauit. Respondetur, quòd in priori casu vadit contra mentem, quam tenebatur habere, & habuisset si diligenter rimatus esset veritatem. Et in posteriori quodam modo dicitur ire contra mentem, propterea quod non habet mentem tam veritatis consciam & certam, quàm iuramento affirmat.

Argumẽtũ contra præmissam sen tentiam.

¶In secundo argumento inquiritur vtrũ iuratio veritatis per falsos deos mereatur nomẽ periurij. Apparet enim potiùs hoc esse periurium, quàm iurare falsum per verum Deum. Ab eo enim quod in re potissimum est species eius pensatur, in iuramẽto autem id per quod iuratur præstantius apparet quàm id quod iuratur: nam illud habet rationẽ principij, quo veritas confirmatur: hoc autem conclusionis: & secundum Aristotelem in posterior. principia potiora sunt conclusione: ergo iuratio per falsos deos inde potius deberet dici periurium, quàm iuratio falsi per verum Deum: Respondet autem Di. Thomas, illud non esse periurium: imò periuriũ ab eo solùm quod iuratur sortitur speciem, & nomen. Et ad rationem ait discrimen esse inter syllogismos, & morales actiones: in illis namq; id quod habet rationem causæ efficientis, qualia sunt principia, potissimum est

Secundũ argumẽtum. D. Thomæ.

Responsio.

in moralibus autem potior est finis: & quia finis iurandi est confirmare veritatem, ex defectu veritatis iuratio periurium fit. Quapropter etsi iurare verum per falsos deos peruersum sit iuramentum speciesq; idololatriæ, vt arti.3. videbimus, non tamen dicitur periuriũ quia finem iuramenti non tollit, qui est veritas: ex quo sequitur non omne prauum peruersumq; iuramentum esse periuriũ: de grauitate vero peruersitatis quæ est iurare per falsos deos, quãuis vera sit iuratio, dicemus articulo tertio. ¶ Tertium argumentum est expositio Augustini in sermone. 28. de verbis Apostoli Iacobi vbi tria profert periurium exempla. Primum est illius qui falsum iurat, putans esse verum: Secũdum illius qui iurat falsum, putans esse falsum: Tertium illius qui iurat id quod verum est, putans esse falsum. Pro cuius expositione notat D. Th. actus morales procedere à voluntate cuius obiectum est bonum apprehensum. Obidq; ex apprehensione & intentione æstimanda est morum forma: conditio autem nõ apprehensa per intellectum, dicitur materialis. Et quoniam forma est per quam actio est bona vel mala, malicia & bonitas ex intentione iudicatur. Quocirca qui aliquid iurat putãs esse falsum, siue materialiter falsum sit siue verum, formaliter est periurus. Si autem id iurat quod putat esse verũ, id tamẽ fortè est falsum, nisi aliqua interuenerit negligentia, nullum est peccatum: si vero illa antecesserit tanta est culpa periurij vel mortalis, vel venialis, quanta fuit in negligentia. Quocirca suo genere peius est periurium formale, hoc est secundum intentionẽ puta cùm putat iurare falsum, quàm materiale: id est cùm putat iurare verum, licèt sit falsum. Ob id enim subdidit illic Augusti. quia ream linguã nõ facit nisi rea mens.

Tertium argumentũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm omne periurium sit peccatum.

NON quærit de quantitate peccati, venialis, aut mortalis: hoc enim articulo proximo reseruatur. Sed in genere an sit peccatum. Et respondet vnica cõclusione affirmatiua quod omne periurium est peccatum, asserta ab Augustino loco modo citato super Iacobum, vbi generaliter de periurio loquẽs ait. Videte quam ista detestãda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda. Et ratione præterea fit lucida. Diximus enim supra legitimum iuramentum esse actum religionis, per quem & Deũ fatemur omnia scire, quantùm ad intellectum, & omnibus velle prospicere, & prouidere quantùm ad voluntatem. Qui autem ipsum in testem falsi profert, aut ignorantiæ notam Deo inurit, videlicet, q aliqua eum lateat veritas, aut prauæ voluntatis, nempè quòd consultò velit falsum attestari: quorum vtrumq; contra eius debitam reuerentiam impium est: fit ergo manifestum periurium omne delictum esse religioni contrarium. Res est clara. Nam quando nihil absurdi esset aliud in periurio, quàm quòd vniuersum, vt modò dicebamus, quodammodo includit mendacium, esset peccatum. Nam mendacium absq; peccato fieri non potest verum. Propterea periurium vitium est priori decalogi tabulæ aduersum, videlicet transgressio secundi præcepti, Ne iures vana per eum. Iam enim vt proximè dicebamus art. 3. superiori, quæstiõe expositos tres gradus reliquimus vanitatis in iuramẽto falso, iniquo, & temerario. Quapropter duplici ratione in trinseca & inseparabili periurium est peccatum, videlicet, & quia mendacium includit, & quia per ipsum Deus contra religionem dehonestatur. Atq; adeo cæteris paribus simplici mendacio absurdius crimen est. Sunt autem vt Bonauentu. in. 3. d. 39. qõ. 1. periuriũ esse contra octauum mandatum, Ne quis falsum testimonium dicat. At verò hoc accidentarium est periurio. Nam falsum testimoniũ dicere & citra iusiurandum vsu venire potest, & peculiarem habet materiam: nempe certam speciem iniuriæ, quæ proximo irrogatur: iuramẽtum verò multò habet ampliorem sphæram. Sanè cum ad assertoriũ & promissorium protẽdatur in omni materia. Hic autem articulus quoniam in subsequenti patẽtior fiet, pluribus nõ indiget modò verbis.

Conclusio.

PRimum argumentum Sancti Thomę est. Quicunq; non implet quod iuramento firmauit periurus esse videtur: quando quis autem iurat facturum se illicitum, puta adulterium, vel homicidium, si id facto expleat, peccat, ergo si non faciat non peccabit: alias esset perplexus: & tamen tunc videtur periurus non verificando id quod iurauit. Ergo non omne periurium est peccatum. Respon

det

det autē quod eiusmodi iurans iurando qui dem fit periurus: quia id iurauit quod tenebatur facere falsum. Neque verò eò quòd nō implet fit reus periurij. Cuius ratio notanda est: quia illa non erat materia periurij. Quare nec implendo nec non implendo fit ob id periurus, sed implendo crimine homicidij, vel adulterij peccaret: quia vt supra declaratum iuramentum illud relinquit materiam illam illicitam in sua natura. Et eodem fere modo respondetur ad secundum quod ille qui iurauit opus super erogationis non facere, non tunc quando nō implet periurus est: imo consultius facit iuramento contraueniē do: quia illa non erat materia iuramenti: sed quādo iurauit tūc fuit periurus. ¶ Ad tertiū de illo, qui promittit facere voluntatem alterius, quam post cognoscit esse iniquam, aut duram, aut importabilē, qui videtur non soluendo promissum non delinquere & tamen esse periurus. Respondet quòd nemo se alteri obligare potest, nisi sub debita conditione: scilicet si id quod ei mandauerit, fuerit licitum, honestū, & tolerabile: & ideo ille nec delictor est, nec periurus. Circa hoc igitur assertum hærere quis forsan dubius posset, vtrum quicūque voluntatem se alterius in genere facturum iureiurando pollicetur, mortale delictum committat. Sunt enim, qui re vera non citra iniuriam antequam suam voluntatem exponāt ab amicis petunt, vt quicquid ab eis expostulauerint, sibi concedant. Ea enim fuit matris filiorum Zebedæi apud Christum postulatio. Matth. 20. qui cū adorabat petens aliquid ab eo: Et matris Salomonis apud filium. 3. reg. 2. dicentis petionē vnam paruulam ego deprecor à te. Est ergo dubium vtrum illa generalis concessio crimen sit mortale: maximè si sub iureiurando fiat. Ambiguitatis autem ratio à parte affirmatiua est quòd qui iurat se quicquid alter petierit præstiturum, in confuso pollicetur etiam malum perinde atque ille qui iurat se homicidium facturū. Id quod Herodis exēplo comprobatur Mar. 6. Nam propter iusiurandum sub quo Herodiadi, quicquid petisset, fuerat pollicitus, capite obtrūcauit Ioānem. A parte verò negatiua extat nihilominus argumentum, quod eiusmodi pollicitationes multi imprudentes faciunt, qui tamē non arguuntur lætalis criminis. Respondetur duos esse hac parte imprudentię gradus. Primus est eiusmodi petitionibus gnālibus nequaquam antequam explicentur, annuere. Id quod Christi exemplo didicimus. Nihil enim Zebedęi vxori concessit antequam interrogaret, quid vis? ac subinde petitionem intelligens renuit, dicens ad filios. Nescitis quid petatis. Quocirca eiusmodi postulationibus antequam intelligātur, sub iuramēto assensum præbere animo absolutē implendi quicquid ille petierit, peccatum mortale est genere suo. Nam qui sic iurat animo destinauit etiam absurdum si postuletur facere vti Herodes. Dixerim genere suo: nam ex circūstantijs fieri hæc potest promissio citra culpam: videlicet cum inter viros probos vsu venit: nempe quādo iurans certo scit nihil ab alio depascendum, nisi quòd more & iure fieri possit, neque si aliud poposcerit, id se facturum timet. Vix tamen à culpa saltim veniali tale promissum excusari potest. Et ideo viri prudentes & præsertim principes, ac publicæ potestates nequeunt citra imprudentiæ nontamen eiusmodi petiones concedere, & vt illis imprudentia id promittere, impudentia alijs est petere. Secundus (hoc deficiente) prudentiæ gradus est, illa facta concessione, vbi postea constiterit iniustum peti, non stare promisso. Quod nos Salomon exemplo docuit, sane qui petitionē matris, postquam illa suam mentē aperuit implere renuit. Quoniam in eiusmodi promissionibus conditio honesti, etiam si iurans eam nō appoſuerit, subintelligitur. Vnde Agesilaus rex cùm quidam illum improbè postulādo vrgeret, dicēs, sibi id quod petebat promisisse, quasi illa ratione fas non esset negare, Respondisse fertur. Si quidem iustum est quod petis, promisi: sin minus, dixi, non promisi. Et iuridicū axioma est in malè promissis rescindendam fidem. Extremæ ergo clementiæ in Herode fuit propter iusiurandū per quod in confuso Herodiadi fuerat quicquid postulasset pollicitus, nefandum illud scelus patrare. Tametsi non tam ex iurandi religione, q̄ ex amoris turpitudine illud emanauit. ¶ In quarto argumento explicatur quemadmodum obligatio iuramenti vnius personæ nō transit in aliam. Neque vero in aliam materiam. Argumentum enim est, Promissorium iuramentum ad futura se extendit: potest autem obligatio illa per rei mutationem tolli. Quod enim ciuitas modo iurat succedentibus nouis ciuibus, aut canonicis, obligatio illa minime illos ligat: Et canonicus dum hæc statuta iurat, alia si addantur, seruare non cogitur: & nihilo minùs isti ciues & canonici

Tertium argumētum.

Dubitatio.

Duo imprudentiæ gradus.

Agesilaus.

videntur quodammodo iuramentum transgredi: ergo non omne periurium est peccatum. Responsio autē est quadripartita. Primum enim notandum iasiurandum esse actionem personalem: & non communem: sicuti enim tota ciuitas excōmunicare nequit, ita nec tota ciuitas iurat nisi vel singuli iurēt, vel in singulari vni facultatē faciant hoc pro omnibus iuramentum præstandi. Quare virtute iuramenti quod vnus facit nemo alius ligatur. Ob id q; quotiescunq; aliquis in senatum, aut in capitulum recipitur, tenetur statuta iurare: alias ciuitas mutatis ciuibus nullo tenetur iuramento à maioribus præstito. Ait tamen secundò quòd teneret quicunq; ciuium etiam iniuratus ex æqua fidelitate. Nam qui fit bonorum particeps fit subinde & onerum: si autem non seruaret, non esset ob id periurus. Qua vtiq; ratione etiam si pater iurauerit quid piam soluere, non tenetur filius, ipso defuncto, vt iuramenti paterni id soluere, ita vt non soluens sit periurus: sed tenetur tanquam hæres paternum debitū reddere: verum est tamen, quòd paterna iuratio arctius perstringit hæredem, quàm si non fecisset iuramentum. Pari modo si rex, episcopus, aut canonicus ad dignitatem absq; vllo iuramento admitteretur, non perstringeret virtute iuramenti antecessorum constitutionibus stare: teneretur tamen ex communi fidelitate post quàm dignitate & eius fructib⁹ & honorib⁹ fruitur, iura illi annexa seruare.

Quadrifida responsio.

De iuramētis alterius noie præstitis.

¶ Per hæc de iureiurandis censendū est, quæ causarum patroni, & procuratores nomine suarum partium præstant. Id enim dupliciter fieri potest vno modo absque speciali facultate partis ad singulare illud iuramētum præstandum: & tunc ille pro quo iuramentum præstitum est, non sic ligatur, vt si non impleat periurus sit: tenetur tamen stare verbo procuratoris, virtute potestatis, quam illi dedit ad sua negotia transigendum: si tamen dominus causæ ad singulare aliquod iuramentum præstandum agenti suo dedit: tunc iuramētum procuratoris perinde ligat dominum ac si ipse iurasset. Nam etsi iuramentum perinde atq; matrimonialis contractio, actio sit personalis, potest nihilominus per destinatum ad id procuratorem, ceu matrimonium, celebrari. Sed rogas. Nunquid dum quis procuratorem in propria causa instituit potest illi generalem facultatem facere, quocunq; iuramentum exhibēdi, quod ipse iudicauerit esse licitum? Respondetur ne quaquàm id fas esse, taliter vt iuramentum procuratoris suum ipsius reputetur. Cuius profectò ignorantia multi laborant. Nam iurare nemini quamcunq; veritatem licet, sed illam tantum quam prius certo cognouerit. Et ideo illa generalis facultas iniqua esset, & illegitima, atque adeo iure non admittenda, nisi in singulari, dominus causæ agenti suo dicat. Iura meo nomine hoc. Quò fit vt illa iuramenta procuratorum nomine suarum partium potius sint ceremonia iuris quibus partes stare tenentur, si modo licita sit & honesta. Tertium dictum Diui Tho. est quòd canonicus vel senator iurans statuta ecclesiæ vel reipublicæ non iurat, nisi illa quæ illuc vsque ædita sunt. Et ideo si aliqua superaddā tur non tenetur illa, vi iuramenti seruare: nisi intenderit non solùm facta, sed facienda custodire: Tenebitur tamen tanquam socius illius familiæ ex vi statutorum, quæ vim habēt coactiuam legum si honesta sint, & alijs conditionibus iustæ legis ornata. Circa illud tamen verbum nisi intenderit se obligare etiā ad futura, notandum illam intentionem, nō esse licitam, nisi tacita conditione si ædenda statuta fuerint vndequaque iusta: imò nec cum tali conditione esset omnino prudentia sic iurare: quia, vt modò dicebamus, nemo debet nisi illa quæ certo nouit iurare.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm omne periurium sit peccatum mortale.

POstquā in genere constitutū est omne periuriū esse peccatū, interrogat in specie an omne sit peccatū mortale. Et rñdet vnica conclusione affirmatiua. Periuriū ex sui ratione est peccatū mortale: Cuius prima ratio est quicquid est diuino præcepto contrariū est peccatū mortale: periuriū autem est contrarium illi præcepto. Leuit. 19. Non periurabis in nomine meo, ergo omne periuriū sui ratione est peccatū mortale. Secūdo probat. Nam id propter quod aliud est tale, vt verbis Philosophi in posterioribus loquamur, magis est tale: vt si aqua est calida propter ignē, virtuosior est in igne calor. Cōstemur aūt id qđ per se est venīale pctm, vt ociosum verbū, si fiat in Dei contēptū, fieri mortale: ergo fortiori ratiōe periuriū, quod suapte natura cōtemptū

Conclusio.

temptum Dei innatum habet, quia est vitiũ reuerẽtię Dei è diametro aduersum, erit peccatum mortale. Poterit autẽ ratio paulò differẽtiùs sic informari. Peccatum mortale est quod Dei proximiue charitati aduersatur: omne autem periurium diuinæ charitati repugnat: Deum enim eiusque religionem despicere, charitati eius aduersatur, vt documẽto in hominũ ciuilitate constat: ergo est mortale scelus.

ARticulus hic vastissimum nobis aperit disserendi campum. Et primum omniũ conclusio Diui Thomæ, cum suis probationibus, neque adeò perspicua est, neque omnino certa videtur. Si enim rationes animaduertas, id duntaxat concludunt, quod periurium genere suo sit peccatum mortale, sicuti furtum & homicidium: & tamen titulus quæstionis fuit vniuersalis vtrùm omne periurium in indiuiduo quomodocũq; fiat sit mortale. Et vr̃ in solutionibus argumẽtorũ partẽ affirmatiuã in vniuersum sustinere. Et vt ar. 7. dicebamus, periurium assertoriũ, in quantumcumq; leui materia fiat est mortale: neque in hoc simile est furto, quod ratione tenuitatis materiæ potest esse veniale. Sed tamen ex altera parte extat argumentũ: neque in promissorijs, neque in assertorijs omne periurium esse mortale. Iam enim supra diximus, si quis iuramento promittat rem leuissimam, quam non soluat esse periurium, non tamen mortaliter peccare. Et si quis iuret venialiter peccare, periurium facit veniale. Item si quis citra iudicium discretionis iuret putans id esse verum, quod iurat, est periurus, & tamen non semp letaliter peccat, sed tãtũ quanta fuerit negligentia. Dubia est ergo conclusio Sancti Tho. an intelligat periurium ex sua tãtum ratione generica esse peccatum mortale, an verò vsque adeo ratione intrinseca, vt omne in indiuiduo sit mortale.

Dubia circa conclusionem.

Respõsa duorum.

¶ Ad quam quidem quæstionem per vniuersas periuriorum species discurrentes septem conclusionibus respondemus. Et vt ordinẽ à nefandissimis auspicemur, prima cõclusio sit. Scelestissima periuriorum species est blasphemia, & inter blasphemias illa quæ est idolatria, vt p falsos deos, seu veraciter, seu mẽdaciter iurare. Blasphemiæ inquam multæ sunt species, illa tamen sola ad nostrum facit propositũ, quæ sub forma fit iuramenti. Et quod eiusmodi iuratio sit omnium impientissima, nemo dubitare posset, nisi qui Augustinum ad Publicolam segniter & absq; discretione audierit, Et refertur. 22. q. 1. canoni. mouet. Ait quippe quòd sine vlla dubitatione minus malum est per deum falsum iurare veraciter (quod est blasphemia) quàm per Deum verũ fallaciter: quod fit citra blasphemiam. Quantò enim (inquit) per quod iuratur est sanctius, tantòmagis est pœnale periurium. Nihilominus conclusio nostra verissima est. Nam blasphemia genere suo peior est simplici periurio. Est namq; blasphemia maledictum & conuicium in Deum ipsum iactatum, quò vel honori ipsius & dignitati quidpiam detrahitur, vel quod ei non conuenit impingitur. Quapropter per periurium veritas eius in dicẽdo dehonestatur: per blasphemiam verò sua ipsius veritas in essendo offenditur: qui autem per falsos deos iurat in signe blasphemiæ genus Deo impingit, Sane qui honorem vni Deo debitũ alijs qui nõ sunt eo digni impartitur. Secundo apertius arguitur Blasphemia, vt. 22. q. 13. autor est Di. Tho. cõfessioni fidei opponitur, quæ primũ est totius religionis fundamentum: estq; id circo infidelitatis species atq; adeo cõtra primum mandatũ de vno colẽdo Deo committitur: cũ periuriũ nõ fiat, nisi cõtra scd̃m: Peccatũ autem quod primo mandato opponit magis impiũ est quàm quòd fit contra secũdum. Et tertiò indè id fit manifestum, quòd qui per falsos deos iurat, manifestarius idololatra est, vt pote qui actione illa pseudodeos colit ac illis, aut supplicaret, aut turificaret. Vnde Hiere. 5. vbicunque Deus filijs Israel æqua libra improperat: nempe & qd̃ ab eo ceu à potestate defecissent, & quod iurarent in his qui non erant dij. Quapropter Chrysosto. in imperfecto Idololatram se inquit facit omnis, qui per aliud à Deo iurat: idololatria verò scelestius sacrilegium est, quàm periurium. In summa, qui Deum diffitetur esse solum Deum, atrociorem ei irrogat iniuriam (vt potè qui in suam ipsius substantiam, & quidditatem impius est) quàm qui contra eius scientiam & dignitatem ipsum allegat in testimonium falsi: ergo enormius contra ipsum delinquit. Imò verò, vt Augustinum ipsum sui ipsius interpretem huc appellemus, in libro contra Menda. ait blasphemare ideo peius est, quàm peierare, quòd peierando falsæ rei adhibetur testis Deus: blasphemando autem de ipso falsa dicuntur. Ergo cum re vera qui per aliũ quàm per verum Deum iurat, aut per creaturas in

Prima conclusio.

Impientissima iuratio per falsos Deos.

Augusti.

ipsum relatas falsum dicat de Deo vero, putà quòd non sit solus Deus, fit vt multò impius sit iurare per falsos deos, quàm deierare. Sed ais forsan hoc tātùm concludi, quòd falsum iurare per Deos falsos sit peius, quàm per Deum verum. Imò verò id ipsum concluditur etiam dum per falsos Deos verum iuretur: Nam illic impietas idololatriæ permanet: hoc est falsorum deorum cultus. Dicendum ergo est ad Augusti. quòd cum illic de solo periurio loqueretur, docere cogitauit, quod quantum ad rationem attinet periurij, cuius quidem substantia est falsum iurare, minus malum est veraciter iurare per falsos deos, quam mendaciter per Deum verū imo illud vt articu. 1. dicebamus non est periurium. Et ad idem attinet id quod subdit quod quanto id per quod iuratur sanctius est magis est pœnale periuriū, si eius intrinsecam rationem consideres. Nihilominus rationem idololatriæ quæ illic inuoluitur nunquam Augustinus negasset esse delictū periurio grauius. ¶Definitio autem quæstionis huius, aliam suscitat, videlicet, vtrum liceat ab idololatra iusiurandum per suos deos petere & recipere. Apparet enim id non licere. Nam cum ipse iurando etiam verum per suū Deum, actum idololatrię exerceat, atq; adeo enormiter peccet, videtur ille qui tale iuramentum exigit, socius eiusdem criminis fieri Augusti. nihilominus eodem loco affirmatorie respondet, illud esse licitum. Et ratio est quòd cùm idololatra more & vsu paratissimus sit per suos deos iusiurandum præstare, ille qui illud recipit, non magis eum mouet, quàm vsurarium ad suam nequitiam paratum, ille qui mutuum ab illo sub fœnore petit. Quare neque se illi in illa iniquitate associat, sed vtitur eius fide: non quidem catholica, per quam Christiani sumus, sed naturali fidelitate, quam mortalium quicunq; cuiuscunque sit religionis in pactis & fœderibus seruare tenetur. Id quod exemplo Labam & Iacob confirmat, qui, vt Genes. 39. refertur cùm fœdus iniissent, mutuo sibi iurauerunt per Deum Iacob & Deum Nachor patris Labam. Et idem inuitur Genes. 26. de Isaac, & Abimelech quorum vterque fortè alteri per proprium Deum iurauit, licet vt ait Augusti nus, non sit ita compertum. Ex quo fit consequens, quòd tam idololatra, quàm gentilis iusiurandum suum seruare teneatur. Non quidem ex vi religionis, quæ falsa est, sed ob fidelitatem humanam, quam secundum suā conscientiam iureiurando confirmauit. Atqui hic est legitimus sensus Augustini, qui refertur. 22. quæstio. 5. cano. Ecce dico, vbi ait quòd qui super lapidem falsum iurat, periurus est. Quod quidem glossa nescio quo ficto interpretamēto alior sumvertit quàm res habet. Ait enim Augustinum suos parœcianos reprehendere, qui cum super librum iurare debebāt lapidem aliquem loco libri supponebāt vt eos deciperent, quibus iurabant. Quibus ideo ait Augusti. iuramento ligari quandoquidem alij putabant illud super librum fieri. Glossator autem, bene testaf verba Augustini in proprio loco non consuluisse. Alia alij etiam Theologi illo loco affingūt quæ nō sunt relatu digna. Augustinus enim illic non loquitur nisi de iuramentis gentilium, quibus inter omnia solennissimū erat per Iouem lapidem iurare. Inde tractum vt est apud Liuiū lib. 1. & apud Gelliū & apud vniuersos latinos, quòd ceremonia ineundi fœdus erat, vt pater patratus manu tenens lapidem conceptis verbis iuraret, & tunc suem lapide feriret. Ex quo sermo ille deriuatus est: ferire fœdus. Illum ergo lapidem appellabant Iouem, quatenus testis fœderum erat. Ait ergo August. nō quod qui super, sed qui ad lapidem scilicet Iouem lapidem iurat, quāuis re vera non iuret per rem sanctam, iurat tamen per eum quem putat esse sanctum. Et ideo tenetur fidem illā seruare. ¶Sed rogas fortasse vtrum talis idololatra ratione iuramenti, arctius sit deuinctus, quàm si absque iuramento fidem suam obligasset? Augusti. enim ad publiculam hoc duntaxat ait, quòd qui per Deum falsum iurat verum semel peccat: quia iurat per quem non debet: qui aūt per eundem iurat falsum bis peccat: quia prę terea iurat falsum. Et idem est si non impleat iuratum promissum. Respondetur autē eiusmodi Ethnicum non teneri arctius absoluta obligatione, ratione iuramenti: quoniam illud frangens nulli vero Deo aut rei sacræ iniurius est, sed illi penitus cui fidem frangit: neque veram religionem contaminat: sed tamen tenetur ex hipothesi idest suppositā eius fallaci conscientia, qua putat per verum Deum iurare. Est enim Theologum axioma, erroneam conscientiam obligare. Huic enormitati secundo gradu accedit blasphemia iurādi per creaturas more gentilico, quāuis qui iurat Christianus sit, & non idololatra, vt per solem per Mercuriū. &c. quod. 22. qō. 1. can. clericum Carthaginense concilium vt blasphe-

Alia quæstio. an liceat ab idolatra iuramentū per suos deos petere

Gentilis tenetur suū iuramentū seruare.

Iouem lapidē iurare.

Alia quæstio.

Secundus blasphemiæ gradus iurādi.

Cenci. Carthaginen.

vt blasphemum damnat quem canonem superiori quæst. ar. 6. emunctius exposuimus.

Tertius gradus. Iuramenta Hispanorũ.

¶ Tertiò ordine blasphemiæ veniunt Christianorũ quæ formã habent apostasiæ. Qualia sunt quinq; illa verba in Hispanis damnata, scilicet, Non credo in Deum: seu vt fingũt de Deo discredo. Item de Deo renego, quod est ipsũ abnegare & abiurare. Et Pesse, hoc est Deo displiceat, eumq; tedeat huius aut illius rei: ac demũ per Dei vitam. Prima nãq; tria tria genera significationem infidelitatis habent & fidei abiurationis. Est tamẽ adnotãdum huiusmodi blasphemias non esse reuera apostasias: Nã qui sic iurant non habẽt animum decisendi à fide sed iræ impetus verba illa extorquet blasphema. Etenim vt vera apostasia & defectio à fide ex superbia nascitur, vt hæreticorum exemplo constat, sic hmõi Christianorũ blasphemias flãmata bilis profert. Sunt tamẽ suprà quàm dici potest enormissimæ. Sic enim de fide blasphemare, quàm in baptismo profitemur, etiam apud Turcas & ĩpurissimos idololatras esset exhorrendum. Quare non est æstimanda huiꝰ impietatis immunitas de sola ciuili pœna, quæ leuissima est carceris. Est enim citra cõtrouersiam latissime grauior culpa apud Deum, quam homicidium: quandoquidem, vt supra iam constitutum est, sit fidei cõtraria, quæ ad primum legis mãdatum attinet. Ob idq; inquisito res etiam hæreticę prauitatis in blasphemos solẽt animaduertere. Imò antiquitus pœna acerrima mortis plectebatur blasphemus. Legitur enim Leuit. 24. Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo: siue ciuis siue peregrinus fuerit. Omnis inquit multitudo: quoniam vniuersi vindices esse debent honoris Dei. Iam verò respublica non quo crimina grauiora sunt acerbius vlciscitur: ea enim iudicio Dei relinqt, sed quo magis sunt pacẽ ciuilẽ perturbantia. Qui autẽ ait Pese. hoc est, Deũ tædeat eo blasphemꝰ est qđ bilẽ quã de alio cõcepit, in Deũ respuit, & quẽ iræ, habet corruptũ affectũ, eundẽ Deo impingit, quod nefandissimũ est. Dicere autẽ per vitam Dei, vt superiori quæst. artic. 6. docebamus, non est Dei vitam in testem simpliciter adducere: alioqui non esset blasphemia: sicuti neq; illud viuit Deus, sed est nefandissima execratio. Etenim sicuti dum ais per vitam patris, aut filij, illam nisi verum dixeris, vltioni Dei subdis: sic dum ais per vitam Dei, perinde eam videris eius ipsius iudicio subijcere, ac si posset Deus de seipso supplicium sumere. Sunt & blasphemiarum nõ infimæ species iurare per mẽbra Dei, vt per caput, per sanguinem, per iecur, & per alia membra quæ nominare pudet. Nam prę terquàm quòd Deo videantur isti membra tribuere, etiamsi de membris Christi id intelligãt, enorme conuitium & cõtumelia est. Quandoquidem hoc non est membra in testimonium afferre: sed vituperijs Christum sordidare, sicuti nefas est iurare per intemeratam Deiparæ virginitatem. Obidq; mirari satis neq; queo, cur publicę potestates si non euangeliũ, saltẽ authẽticũ Constantini non consulunt de hac re: cuius titulus est vt non luxurientur homines contra naturã, ne iurẽt per caput aut capillos Dei & ne Deum suũ blasphemẽt vbi iurare per capillos nefando exęquatur flagitio, quod sit cõtra naturam. Quin verò (vt supra diximus) grauior illo est blasphemãdi impietas. Quocircà ppter huiusmodi peccata (vt illic habeꝰ) sæuire sæpenumero Deus solet in genꝰ humanũ. Nũc scilicet vrbiũ incendijs, nunc fame, nunc bellis, & submersionibꝰ, & huiusmodi alijs portẽtis suũ vindicans sanctissimũ honorẽ & nomen & hanc ob causam sanctissime illic obtestaꝰ imperator prætorẽ vrbis vt quos talibꝰ delictis irretitos deprehẽderit præterq; qđ semetipsos indignos faciunt Dei misericordia, vltimis subdat supplicijs. Vt nõ ex cõtẽptu taliũ inneniatur & ciuitas & respublica per hos impios actus lædi. Nã si cõtra hoĩes inquit factæ blasphemię, impunitæ nõ relinquunt, q Deũ ipsum blasphemãt, magis digni sunt supplicia sustinere. Hæc Cõstantinus. Et est præcipuè recolenda collatio hominũ cũ Deo. Bone Deus, q in regẽ blasphemat, quã omni opprobrio & supplicio, & qdẽ meritò dignus habeꝰ. Et tñ eum qui regẽ regum contumelijs proscindit non tam iniquis oculis conspicitur: Sed de blasphemijs hactenus. Ad hæc profectò si blasphemiæ non sunt, saltem proximè accedunt: dicere, Sicuti Deus est & sicut natus ex virgine (& similia) sic quod assero verum est. Quocircà dum falsitas sic affirmartur fœdissimum est periurium, blasphemiæ affine. Et quando affirmatio veritate polleret, non tamen esset à blasphemia longè distans. Nam quanuis veritas, vt aiunt Philosophi, eò quòd adæquatio est rei ad intellectum, ac perinde

Notã.

Blasphemiæ enormitas.

Pœna antiqua blasphemiæ.

Pese.

Per Dei vitam.

Authẽticũ Constãtini.

Sicut Deus est.

indiuisibile consistens, nõ recipiat magis & minus, tamen quia diuinæ veritates ipsissimi sunt veritatũ omnium fontes, non sunt à nobis accessibiles, atq; adeo insolentissima superbia est tantam nobis fidem arrogare vt veritates caducas nostras cum illis sempiternis conferamus. ¶ A blasphemię iurationibus ad alia periuria eo ordine descendẽ dum nobis est, qui inter iuramenti comites constituitur. Primus autem est veritas quæ si iuramento absit insigniter vanum est, qđ scilicet iurandi substantia euacuatur. De hoc ergo statuitur secunda eademq; vniuersalis cõclusio, quæ nullam prorsus exceptionem permittit. Omne assertorium periuriũ est peccatum mortale. Omne (inquam) in quacunque materia, quocunque fine, quacunque de culpa & sub quacunq; forma, & quocunq; modo & intentione fiat: dum tamen sit actio deliberata. Dixerim in quacũque materia siue magna, siue parua. Etenim qui falsò iurat se non fricasse barbam, mortaliter peccat, atq; si iurasset rem aliam grauissimam. Nam tam falsum est, se non fricasse barbam (si falsum modò est) aut nõ pẽna lauasse dentes, quàm te non patrasse homicidium, quod tamen cõmisisti. Et quouis id fine aut causa facias, nihilo minùs lætale peccatum est, quanto sit cunq; finis alias sanctissimus, & pientissima causa eadenq; grauissima: vt si deieres ad cauendum tibi mortem, vel innocenti, vel regi: vel ad liberandam à ꝑditione & incendio totam rem publicam: quin etiãsi illa via hominẽ seruasses ab æterna morte nihilosetius tuam ipsius animam peremisti. Exemplum est in lib. contra mẽda. Aug. Si qs esset infidelis in potestate impiorũ constitutus ad quem ꝓperuenire non posset, vt regẽnerationis lauacro abluereť, nisi deceptis mẽtiendo custodibus, minime id liceret. Perspice non solùm peierare nefas esse, verùm neque mentiri fas est, ad redimendam animam proximi, eripiẽdamq; à tartareis faucibus, & vt summatim dicamus quẽ admodũ (vt in decretis extat. 22. q. 2. canon. Primũ est nulla neu vera neu cogitata ratione mendacium dici potest citra peccatũ. Ita nullum esse potest mẽdacium, quamlibet leuissimũ, quin si iuramento firmetur sit mortale periurium. Et cũ audis assertorium, promissorium quoq; intelligito, qua ratione (vt superiori quęstione dicebamus) assertorium est vt si dum quispiam se aliquid facturum aut non facturum iurat, non habet intentionem faciendi: vt iurat: mendacium assertorium est, quanuis iuret hominẽ occidere aut peius aliquid patrare, tãetsi postea id re exequens nouum cõmittat crimen contra legẽ opus illud prohibentẽ. ¶ Huic autẽ conclusioni adiungit tertia. Omne iuramentũ promissorium rei, quæ sine peccato mortali fieri nõ põt, est pariter absq; exceptione pẽtm mortalẽ, etiãsi verũ iuretur: videlicet dũ intẽtio adest implendi. Nam cum qui id iurat, alia teneatur lege contra iuramẽtum facere, perinde est ac si falsum iurasset. Imò cum omnis res illicita sit contra diuinum mandatum. Nam tam naturales q̃ ciuiles vt lib. 1. dictum est ab illo deriuantur: fit, vt iurare per Deum rem illicitam est illi, aut per ipsum ꝓmittere facere contra eius ipsius mãdatum. Quapropter sicut superiori lib. de voto rei illicitæ dicebamus qui rem iniquã iurando ꝓmittit Deo potius malum comminatur quã verum promittat. Comminatur inquam illi iniuriam facere, quo nihil vel impudentius, vel audacius dici potest. Promissio nanque de re fieri debet quę sit ei grata, cui fit. Hæc ergo duo simpliciter sunt dicunq; periuria: de quibus idcirco tũcõclusio D. Tho. vniuersum intellecta verissima est, tum & eius rationes firmissime. Nam qui his modis deierat Dei cõtemptor est eiusq; adeo violator charitatis. Nomine autẽ periurij ꝓ in præsentiarũ nõ illud tãtũ intelligimus, quod fit per Deũ, verũ & illud etiam quod fit per creaturas in ipsum relatas. Nã etsi vt in solutione secũdi videbimus, peius sit peierare per Deum, est nihilo minùs peccatũ mortale, dum fit per creaturas: siue vtrumq; solenniter fiat coram iudice, siue priuatim. Omne eñ esse peccatũ mortale. ¶ Haud tamẽ monstrasse satis est periurium simpliciter dictum mortale crimen esse nisi de eius etiam enormitate quartam conclusionem addamus. Periurium qđ sacrilegiũ mortale est peiorem Dei offensam innatam habet, quam vllum crimen quod aduersum proximi charitatem admittitur: etiam quam homicidium, siue per Deum siue per creaturas in ipsum relatas fiat, siue solenniter, siue priuatim. Conclusio est Diui Thom. in quotlibet. 18. atque aliorum plurium. Sed quando nulla extaret doctorum authoritas, rationes in propatulo sunt. Est nanque periurium præuaricatio præcepti prioris tabulæ, vt supra diximus, qua eius detrahitur honori & reuerentiæ: huiusmodi autem iniuriæ immaniores illis sunt, quibus

Secunda cõclusio de ꝑiurio assertorio.

Augustin.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.

bus offenditur proximus. Quod si quis rationem hanc infirmare conetur, redarguens quòd tunc sequeretur acerbius esse crimen, violare diem festum seruili opere, quàm hominem enecare, eò quòd mandatum de seruandis festis attinet ad priorē tabulam. Nullius est vigoris argumentum: quoniam festorum præscriptio, quæ ab ecclesia seruantur, non est de iure diuino, sed de iure duntaxat humano: & ideo violatio festi non est tam graue peccatum, quàm vel homicidium, vel furtum. Qui verò id quod iure diuino de celebrandis festis cautum est, transgrederetur, grauius quàm homicida peccaret: puta qui nullū in tota vita feriaret tempus, quod diceret diuino cultui. Adiungitur & secunda ratio, qua demōstratur periurium iniquius esse homicidio, alias enim non esset iuramentū, finis omnis controuersiæ: vt ait Pau. Nam si esset minꝰ peierare, quàm occidere: aut adulterium facere, nunquam ab homicida & ab adultera iuramentum peteretur calumniæ: quoniam coniectura esset, vt per periurium, tanquā per exilius peccatū, maiora contegerēt crimina. At verò fuit semper omnibus gentibus tam sancta, tāq; solēniter culta iurisiurandi religio, vt quęuis agatur causa, iurisiurandi beneficio, & tractetur, & expediatur. Sed sit fortè qui hoc argumentum vt inualidum sic redarguat, Vbi quis de hæretica defertur prauitate, quanuis iniquior periurio sit, ab eo nihilo minùs expoſcitur iuramentum calumniæ: ergo illa ratione non probatur periuriū esse grauius homicidio. Respondetur, quòd hæresis error quidā est intellectus, & ideo licèt hæreticus, per ignorantiam aliquid de Deo falsè diffiteatur, cōfiretur nihilo minùs reuerētiam ei debitam. Quapropter in sua existimatione grauius est periurium ac proinde dignus existimatur cuius iuramentum exigatur. Ac demū quanta sit periurij pernicies tertio demonstratur. ¶ Periuriū nāq; subuertere molitur fundamentū humanorum omnium cōmerciorum, quod vt suprà ex Cicerone retulimus, est dictorū fides. Hæc enim tunc firma est cum per iuramentum constabilitur. Quare si iusiurandi vim infringas nulla sit reliqua inter homines constantia fidei. His ergo de causis Leuiti. 19. cum tanta emphasi prohibetur periurium. Alia enim mandata simpliciter ponuntur, scilicet non furtum facies, &c. Periurium autem cum emphasi. Non periurabis in nomine meo nec pollues nomen Dei tui, Ego Dominus. & Exo. 20. non satis Deꝰ duxit admonitos nos facere ne nomen eius in vanum assumeremus, sed subdit, Neque enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Dei sui in vanum. Et. C. de iureiurād. iusiurandi inquit contempta religio satis Deum vltorem habet. Quapropter etsi respublica non perinde atque homicidia periuria vlciscatur non ideo existimandum est non esse grauioris culpę. Vnde. 22. q. 1. canon. mouet. ait Augustinus grauissimam esse pœnam periurij, scilicet, & apud Deum & apud ecclesiam. Et Euticianus Papa canon. statim proximo prædicādum (inquit) est, vt periurium fideles caueant, & ab hoc summopere abstineāt, scientes hoc grande scelus esse. Quare & periurij infames iure habentur, vt. 6. quæst. 1. canon. quicunque & conon. infames, & extra de testib. cap. testimonium habetur.

¶ His autem non obstantibus subnectitur quarta conclusio. Plura sunt ꝓmissoria periuria quæ non sunt grauioris culpæ quàm venialis. Primum enim id valde probabile est, quod præcedenti quæstione, Caieta. ait: nempe iurare id quod officio super erogationis obstat, non esse grauius quàm veniale, vt non intrare religionē: quia potest absq; peccato illud impleri, nisi forsan id quis iurasset in casu etiam necessitatis tunc enim illicitum iurasset. Quocircà vt legitur canon. Florētinum distinct. 85. ille Archidiaconus, qui iurauerat nunquàm fore episcopum, compulsus fuit eandem functionem accipere. *Quinta conclusio.*

¶ Quòd si arguas, qui opus supererogationis iurat non facere, obicem ponit spiritui sancto: ergo peccat mortaliter, nam spiritui sancto resistere, insigne scelus apparet negatur consequentia. Si enim eo pacto quis opponeret ei obicem: vt nequiret absque culpa mortali eius inspirationi auscultari, ipsa obicis appositio esset mortalis: qui autem iurat non facere opus supererogationis non obstante iuramento potest optime Spiritu Sancto obedire. Et ideo non est alia culpa quàm quod contra consilium Spiritus Sancti iurauit, quod natura sua ideo non est mortale, quòd ad consilia sequenda nemo tenetur: est nihilo minus irreuerentia quædam saltim venialis. Secundò etiam conclusio verificatur, vbi quis iurat promittendo rem sterilem & omnino vanam, vt cum quis iurat leuare festucam, aut rescindere vngues tali die, aut id genus *Argumen.*

alia

alia quæ nullius sunt emolumenti iuramẽta enim hæc ob id sunt peccata quod nõ sunt obligatoria, suntq; subinde vana. Haud tamen condemnãda sunt mortalia, postquã etiam citra peccatum nonnunquam impleri possunt, vbi impletio contra bonos mores non vergit. Tertiò, conclusio vera ostenditur vbi quis iurat aliquid se facturum quod non est nisi veniale malum nempe iocosè mentiri, aut ociosum verbum loqui. Tunc enim quia illud iuramẽtum implere, non est nisi veniale, consequitur, vt neque illud fieri, grauiorem afferat culpam. Quod si in cõtrarium arguas, Qui illud iuramentum emittit, tenetur illud falsificare non implendo: ergo in virtute facit iuramẽtum falsum: quod videtur esse mortale. Respondeẽ, quod quãuis teneatur illud falsificare, solum teneatur sub reatu veniali: Et ideo licèt iuramentum sit quodammodo falsum, non tamen inde fit esse mortale: iam enim supra regulam illam quod omne iuramẽtum falsum sit mortale, præmonstrauimus non esse vniuersalem, nisi assertorio. Quare si dum ille de quo loquimur iurat non haberet intentionẽ implendi, illud esset mortale: nam esset assertio contra mentẽ. Sed tamen obligatio promissorij iuramenti debet censeri, vt diximus, ex parte obiecti. Vnde quando obiectum (hoc est materia) non est nisi veniale, iurare id facere cum intentione faciendi, non erit grauius quàm veniale. Quartò deniq; & postremo verificatur conclusio, vt superiori. q. art. 7. disputabamus qñ quis sub iuramẽto pollicetur rem parui momẽti: quod quidem ꝓfectò, vt reor, non est nisi veniale,

Sexta conclusio.

¶ Sexta conclusio, Non omne iuramentum assertorium, licèt sit vanum latq; illicitum & subinde quodammodo periurium est peccatũ mortale: sed crebrò veniale. Cõclusio hæc veritatem obtinet vbi periurium solo defectu tertij comitis committitur: quod quidẽ non simpliciter, vt arbitror, sed secundum quid periurij nomine denotatur. Primum vbi quis verum certumq;, iurat, sed tamen sine necessitate: quod plurimũ illis qui iurare assueuerunt accidit, vt cum quis iurat solem lucere aut pluere, dum ita est, & similia. Hæc enim iuramẽta quia vana sunt, culpa nõ vacant, sed tñ, quia vera existunt & certa, mortalem labem non impingunt. Vbi autẽ quis pro certo id curat, quod certum non habet, plusculũ difficultatis emergit. Est ergo animaduertendũ ꝙ ad iudicandũ verum ne sit, an falsum iuramentum, non tam ad rem iuratam, q̃ ad mentẽ iurantis attẽdendũ est. Si enim quis id iurat, quod post legitimũ examen certò putat esse verũ, licèt fortè sit falsum nullatenùs delinquit. Et vice versa dum putat esse falsum quod pro vero iurat, q̃quã fortè sit verum, nihilo minùs periurus est: vt suprà ar. 1, ex mente Augustini explicuimus. Requirit autẽ iuramenti reuerentia, vt q. præced. ar. 7. adnotauimus, non solùm, vt verum iuretur, sed vt nihil homo iuret anteq̃ pro rei qualitate certus sit, verũ esse ꝙ iurat. Dixerim pro rei qualitate & dignitate. Nam non æqua diligentia in omni materia requiritur, ad veritatẽ perscrutandã, quæ iuramẽto asserenda est, sed in rebus egregijs atq; arduis multò maior, quã in his quæ sunt minoris momenti. Imò quandoq; res potest esse tam peruia, vt sine vlla discussione possit iurari. Culpa ergo iurãdi rem incertam pro certa æstimanda est, penes negligentiã, hoc est penes omissionem diligentię, quæ pro dignitate materiæ erat adhibenda. Quæ quidẽ in diligẽtia tanta esse põt, vt faciat pctm̃ mortale, tamq; remissa, vt nõ constituat nisi veniale: id quod iudicio prudẽtis pensandum est. Verũtamẽ circa has duas cõclusiones ingẽs ex dictis D. Tho. cõtra se ipsum exurgit argumentũ. Cõstituit em̃ in primo articulo omne illicitũ iuramentũ, quodãmodo dici periuriũ, etiã illud cui solus deest tertius comes. Et in secundo vniuersum constituit omne periuriũ esse peccatũ, in tertio verò ait omne esse peccatũ mortale. Quod si verũ est falsę sunt quinta & sexta cõclusiones nostrę de peccato veniali assertæ q̃d profectò cõcedere enormis apparet error. Quis enim mortale peccatũ in vero iuramento & certo committi astruat, ob id solũ qđ non erat necessariũ? Ad hoc ergò rñdeẽ, vt bñ Caiet. hoc loco speculatur, periuriũ vno modo dici simpliciter, & altero secundũ quid. Et est distinctio Bonauenturæ ad hoc ꝓpositũ in. 3. d. 39. ar. 1. q. 1. Periuriũ enim simpliciter est id qđ præcipuo potissimoq; fini iuramẽti aduersatur qui est veritatis confirmatio & attestatio: videlicet omne assertorium periurium quod sit contra mentem: scilicet quotiens quis id iurat, quod putat esse falsum, aut si iurando promittit, quod tunc facere nõ intendit: vt in præsentiarum secunda nostra conclusione assertum est. Huic enim periurio deest primus comes: nempe veritas, quæ illud constituit simpliciter periurium. Huic autem

Ad notandum.

Argumen.

Periurium simpliciter & secundũ quid.

autem annexum est & illud quod in tertia conclusione subiecimus iuramento promissorio rei, quæ sine peccato mortali impleri non potest: quippe quod in virtute etiã est iuramentum falsum: quandoquidẽ q illud emisit, tenetur sub reatu peccati mortalis falsum reddere. Reliqua verò illicita iuramẽta, tametsi suo gradu dicantur periuria, fortiũtur tamen hoc nomẽ secundũ quid: quoniã non è regione fini iuramenti obuersantur: qui est confirmare attestariq; veritatẽ, vt patet, si per singula discurras. Nam in promissorijs quintę conclusionis saluatur veritas, q̃ finis est iuramenti in intentione iurantis, sed quoniam ratione materiæ obligationes deinde resultantes non ligant sub reatu mortali, fit vt neq; periuria ipsa sint mortalia. Atq; idem ijs accidit assertorijs, quæ hac sexta cõclusione protulimus. Salua enim in illis fit veritas in intentione iurantis, sed quia aliunde cõtrahũt rationẽ culpę, non oportet semper esse mortalia. Hæc autẽ oculatius discernas, si vires duas iuramenti, quas. q. præcedẽ. ar. 7. dignouimus mediteris: quarũ prima est veritas assertoria, confirmatoria & testificatoria: quæ semper obligat sub mortali reatu, sed altera est obligatoria, quæ resultat ex iuramento promissoris & huius grauitas ex natura obiecti pensanda venit. Vnde cõclusio Diui Tho. huius articuli, scilicet. Periuriũ ex sui ratione est peccatũ, si accipiatur vniuersaliter pro vniuersis indiuiduis, restringẽda est ad periuria simpliciter, in secũda & tertia conclusionibus expressa. Si verò vt sonat intelligatur solùm quantum ad genus sicut si dicas furtũ ex sui ratione est peccatum mortale, non opus habet restrictiõe: sed nihilo minùs illa quæ in quinta & sexta conclusionibus allata sunt, ratione materiæ excipientur vt nõ sint nisi venialia: sicuti sufurari obolum. Est nihilo minùs magnopere necessarius tertius comes nempe iudiciũ & circunspectio iuramenti, quæ multa habet membra. Primum vti dicebamus, vt magna necessitas interueniat. Hæc autem necessitas inde primum iudicanda est quod sit res dubia: nam vbi res liquet, frustra iuratur, & id circo improbè. Et præterea requiritur, vt id quod iuratur, sit dubium, non, aut iuris, aut scientiæ, quod alijs methodis, vt pote vel authoritate, vel ratione terminandum est, sed quod sit dubium facti, idque tale, vt alia via quam per iuramẽtum innotescere nequeat. Mox, rei magnitudo, æstimanda quoq; est & pietas. vt videlicet digna sit, cuius Deus sit in testem accersendus: nam p̃ re leui iurare, pro qua non modo regem, verum neq; virũ honestum in testimonium euocares, citra diuinũ cõtemptum fieri nõ potest. Sed debet p̃terea tum vsurpatio diuini nominis, tum & periculũ peierandi, quod à iuramento imminet, magnitudini necessitatis compensari. Id quod tum ille qui iurat, quàm alter à quo iurare cogitur, tenetur animaduertere. Imò efflagitat p̃terea iurandi ratio, & vt forma certa, & ordine fiat in iudicio fori: ea nimirum religiosa qua secundum leges consueuerunt iuramenta celebrari. Puta super altari, tactis euangelijs & cruce, vel saltem in præsentia iudicis: cõcesso prius iraturo induciarum tempore, vt secum maturè deliberet, quid est quod iuret. Quocircà iuramenta, quæ vocantur libera, hoc est, quæ priuatim extra iudiciũ fiunt, perquàm rarissimè excusari possunt à culpa, saltẽ veniali ex defectu necessitatis. Exemplo nobis sit Pau. ad Rom. 1. vt discamus quàm circunspectè quãtaq̃; cum reuerẽtia sit nobis diuinum nomẽ per iuramentũ nominãdũ. Iurauit primò in scriptis, quia non ita de calamo, vt de lingua quippiam potest inconsultũ decidere, & de te p̃terea, tùm occultissima, tùm etiã necessaria ad cõciliandos sibi Romanorũ animos, Testis mihi est Deus. Ecquis verò Deus? cui seruio, non vt cunq;, sed in spiritu meo, in euãgelio filij eius, q̃ sine intermissione memoriã vestri facio, &c.

¶ Post hæc tandem de pestifera iurandi consuetudine adhibẽda est postrema conclusio Recitat nanq; Sco. in. 3. d. 39. nescio quorum opinionem, quod vnum leue periurium nõ est mortale: sed tunc fit idem mortale dum fit ex consuetudine atque alia est recentior quorum domi assertio vsq; adeo diuini noĩs honorem zelantium pessimamque subinde iurandi consuetudinem eatenùs vituperãtiũ, vt dicãt omne iuramẽtũ siue verũ siue falsum q̃d ex mala cõsuetudine fit, esse pctm̃ mortale: qa si fiat inquntex cõsuetudine, nõ põt habere tertiũ comitẽ, q̃ est iudicium, atq; adeo tũc iurãt incertũ p̃ certo. Quocirca etiã si verũ iuret, illud accidit materialiter & p̃ter intẽtionẽ iurantis, vt pote q eodẽ modo id ipsũ iurarẽt licet esset falsum. Nã q ex consuetudine iurat, quicquid in bucam venerit sub iuramẽto profert. Ad intellectũ ergo rei p̃sentis statuit septima cõclusio. Cõsuetudo licèt causa sit iurãdi, magnumq; secũ afferat peieran-

Vires duæ iuramenti.

Sensus conclusionis Diui Thomæ.

Necessitas iuramenti.

Forma & ordo.

Iuramenta libera.

Pau. ad Ro.

De pestifera iurandi consuetudine.

Septima cõclusio.

peierandi periculum, tamen neq; ipsa per se pctm̃ est, neq; speciē mutat iuramenti, neq; aliter aggrauat, q̃ tollēdo aliquem trium comitum. Ad huius autem cōclusionis explicationē notandū est consuetudinē in quacūq; materia, non esse nisi actionum frequētationem, ex qua secundum Philoph. 2. ethi. generatur habitus. Patet ergo prima cōclusionis particula. Nam habitus ille ex actuū frequētia genitus causa est iterum, atq; iterum iurādi: siquidem habitus quicūq; generat similes illis actus ex quibus genitus est. Illa autē iurandi facilitas, vt ar. 2. ex Augustino cōtra Mēdā retulimus, secum affert periculū deierandi: nam anteuertit rationis vsum, vt ante homo iuret quā adhibeat veritatis iudiciū. At verò cum frequentatio actuum non sit distincta ab ipsis actibus, non est per se peccatum vltra numerū multiplicatarū actionū: Sed si decies vanè iurasti, decem præcisa cōmisisti peccata: vel mortalia, vel venialia, secūdum absentiam comitis, qui deest iuramento. Hoc est si fuerint falsa aut iniqua de re, q̃ sine mortali impleri non potest, erūt mortalia. Si autem leuia ex defectu iudicij & discretionis, erunt. Quocircà cōsuetudo vt conclusio affirmat speciem iuramenti, nec mutat, nec aggrauat: nisi quatenus comitem aliquē tollit. Vnde vt ad opinionem quam Scotus refert respondeamus. Si periurium fuerit leue & veniale, videlicet eorū quę in quinta & sexta conclusione designauimus, quantumcunq; fiat ex habitu & consuetudine nō efficitur mortale. Et eodē modo respōdet ad opinionē secūdo loco recitatā, imò si iuramētū fit quod per se esset licitū, ꝓpterea quod ex consuetudine iurandi fiat nullā cōtrahit culpam neq; venialē neq; hoc in dubiū cadere potest: solus em̃ defectus alicuius triū comitum facit iuramētū esse peccatū. Sed aiūt fortè isti idem esse iuramentū fieri ex cōsuetudine, & fieri sine iudicio: videlicet vt iuret aut falsum pro vero, aut incertum pro certo. Illis autem respondemus primo falsum esse quod assumunt: nam in primis non conuertuntur. Potest enim defectus iudicij contingere, non ex mala consuetudine: sed aliunde videlicet quia homo valde affectus est ad id quod iurat, vel ex ira vel aliam ob causam. Præterea stat quempiam ex cōsuetudine iurare, & nihilo minùs non peccare defectu iudicij. Nam iurare ex consuetudine est iurare instigante cōsuetudine, sed nihilo minùs res potest esse tam peruiæ veritatis, vt nulla sit opus mora iudicandi. Et ideo tunc iuratio nullum erit peccatum. Deinde quia potest cōtingere in illo mutus surreptitius, qui sic naturaliter linguam rapiat, vt culpam vel omnino tollat, vel venialem reddat. Adde quod vt suprà monstrauimus non quæcūq; negligentia iudicandi peccatū mortale est. Ad hæc stat etiam quēpiam (licèt raro contingat) iuramentis esse assuetū, qui tm̃ suopte ingenio non est mēdax: imò abhorret mendacia: illū ergo sic condemnare, vt quotiēscunq; iuret, siue verè siue falsè, mortaliter delinquat, enormis profectò esset censura. ¶ At fortasse aliud hic quis cōmentum fingat ꝙ à nōnullis cominisci audiui: nēpe eū q̃ cōsuetudinē habet inueteratā iurādi in statu esse peccati. Hoc autē multo minùs intelligo. Status enim peccati nō censetur nisi, vbi vel te non penituit elapsi criminis: vel animū habes de linquēdi, vel occasionē nō amoues, vt si nō domo depellas amicā, aut si artē exerces (vt cāpsoriā) q̃ ansas ingenio suo & natura peccandi offert: vbi vero hæc absint, neq; peccatū superest, neq; subinde stat⁹ peccati. Igitur q̃tunuis sit homo malè iurādi consuetudini addictus quāprimū mentē mutauerit, & occasiones fugere ꝓposuerit, putà familiaritatē cū illo q̃ causa ei erat iurādi vel alias quaslibet, in nullo remanet statu peccati. Nā habitus per cessationem ab actu extenuabit ac tandē delebit. Hæc dicta sint, non ꝙ ꝓdigiosam nefandissimāq; iurandi cōsuetudinē excusare velimus, sed vt illis occurreremus, qui plus nimio eā inculpātes culpā perscrutant, vbi culpa nō est. Satis em̃ est ꝙ eiusmodi cōsuetudo tā præsentaneū afferat deierandi periculū, vt sit ceu virulētissima pestis extermināda. Vix enim iā reperies q̃ citra iuramentū minimā orationē, vel inire, vel concludere sciant: quippe cū ceu orationis ornamētū & sustentaculū sic iuramētū in singulis verbis vsurpant. Vide quanta emphasi Aug. in ser. citato verba illa Iacobi præponderet. Ante omnia nolite iurare. Ante omnia, inquit, vt attendatis præ cæteris vigiletisque, ne subrepat vos consuetudo iurandi tanquam in specula ita te posuit contra te, ante omnia leuauit te super cætera, vnde te attendas. Et infrà, Nolles, vt diceret tibi ante omnia, vt omnia tua inspiceres, omnes motus linguæ tuæ diligentissime custodires, esseque custos malæ consuetudinis tuæ. Ad eam constringendam audi, ante omnia. quid est ante omnia? Ante omnia

Cōsuetudo iurandi nō est stat⁹ peccati.

Aduersus iurandi cōsuetudinē.

mnia vigila, ante omnia intētus esto. Hęc ille. at numero pręstringi nequeūt quæ passim à sanctis patribus aduersus istam teterrimam veternosissimāq; ac perinde mortiferā iurādi consuetudinem dicta sunt.

Primum argumētum. S. Thomæ.

PRimum argumētum S. Tho. est, quod. q. præced. ar. 7. contra Panor. tractauimus. ait enim Cœlestinus Papa cap. verum extra de iureiurā. Romanos Pontifices arbitratos fuisse à iuramentis coactis iurantes absolue re. Subdit autem ꝙ, vt agatur consultius & auferatur materia deierandi, non eis ita expresse dicatur, vt iuramenta non seruent, scilicet anteq; relaxentur: sed si nō attenderint, nō ob hoc sunt tanq; ꝓ mortali crimine puniēdi, vbi videtur affirmari huiusmodi periuria coacta non esse mortalia, vt ait Panor. super cap. si verò eodē titu. Respondet tamē S. Thom. ꝙ coactio non aufert à iuramento ꝓmissorio vim obligandi. Et ideo qui non implet, mortale periuriū incurrit. Potest tū ille auctoritate summi Pontificis ab obligatione absolui. Quod autem subditur, nō esse tanq; pro mortali crimine puniendos: non ideo dicitur ꝙ mortaliter non peccent, sed ꝙ pœna ecclesiastica mitior eis infligitur.

Secūdū argument. de infamia periur.

¶ Secundū argumentum est. Propter periurium iure incurritur infamia, vt habetur. 6. q. 1. can. infames: non autem propter quotlibet assertoriū periuriū infamia videt incurri: ergo non omne huiusmodi periurium est mortale. Argumentum hoc ideo D. Tho. at tulit vt modū quo per periuria infamia cōtrahitur declararet, quem nos. q. præced. ar. 10. explicuimus. Periurus enim nisi duabus conditionibus adiunctis: non fit iure infamis, scilicet, & quod solenniter iurando peierauerit, & quòd postea in foro iudiciali sit de periurio publicè condemnatus, vt sit à testimonio ferendo repudiandus. At verò nō sequitur quòd si assertorium periurium, ꝓptereà quòd tunc non sit ante sententiā diffinitiuam infame, nō sit peccatum mortale. Quoniam peccata mortalia nō afferunt infamiā, nisi in iudicio traducantur & cōdemnentur: Imò hæreticus quoadusq; sit de hæresi condemnatus nō habetur iure infamis. Habet tamen periurium promissorium non nihil amplius culpę suprà assertorium. Nam qui assertoriè peierauit, post factum iuramētum non habet potestatem faciendi quod non fuerit falsum. Qui autem solenniter iurando quippiā promisit, propterea si id nō implet maiorē incurrit infamiā, quod post iuramentum factum tempus habuit implēdi. ¶ Tertiò arguitur inquirēdo an iocus vel inaduertentia, vel aliud quippiam culpam diluere valeat periurij: iurare em̄ per Deum, vt quæst. præced. artic. 10. ex Chrysostomo retulimus homi. 44. super Matth. grauius est, quàm iurare per euangelia: sed iurare priuatim per Deum falsè, nō semper est mortale, putà cùm vel ioco vel lapsu lingua fit, ergo nō omne periurium est peccatum mortale. Ad hoc autem D. Tho. quinque respondet. Primum quòd ioco peierare, cùm diuina irreuerentia nō euitetur, non excusatur à mortali. Secundum quòd si ille qui lapsu linguę falsum iurat, aduertat se falsum iurare, sicut non excusatur à Dei contemptu, ita neq; à mortali: tertium. Si autem hic non aduertat, videtur non habere peierandi intentionem: & ideo à crimine periurij excusatur. Quartum est quòd etsi de se vt quæst. præced. diximus grauius sit iurare per Deum quàm per euangelia, tamen solenniter iurare per euangelia grauius esse potest, quàm priuatim iurare per Deum: tum propter scandalum, tum etiam propter maiorem deliberationē, quæ tunc adhibetur. Quintum est quod omnibus hinc inde pensatis, nempe, vt æquale sit scādalum & deliberatio, grauius est peierare per Deū, quàm per euangelista. ¶ Hæc omnia perspicua sunt. Secunda tamen conclusio sanè intelligenda est, scilicet, quòd qui lapsu linguæ deierat, si id aduertat, peccat mortaliter. Intelligitur enim si aduertētia sit satis deliberata. Nam si est motus surreptitius, adeo vt sit subita deliberatio nō aūt plena poterit esse veniale: scilicet, si tēpus non suppetebat ad plenè deliberādū. Nā si mala consuetudo fuit in causa nō plenè deliberandi, nō semper excusabit à mortali. Et pariter moderanda est tertia cōclusio. s. ꝙ vbi nō est aduertētia, nullū est peccatū. Intelligitur em̄ de surreptitio motu naturali, vbi nō fuit tēp⁹ aduertendi. Nā si aliqua negligentia præcesit etiam sanè aduertētia potuit emergere culpa. ¶ Vnū autē hic adnotauit Caie. ꝙ vel nō intelligo, vel adduci nō possum, vt credā. Ait em̄ quod si qs ꝓpter cōtinuā consuetudinē tam verè quā falsò in cōi locutione iurandi nō aduertit, non excusat à mortali. Ex qbus verbis illi, vt quos suprà cōmemorabā eliciunt qđ etiā iurare verū ex consuetudine sit mortale, & rō est, vt ait Caie. qđ inaduertētia, vt excusęt piuriū debet esse causa ipsi⁹, ita vt si

Tertiū argumētum.

Expositio.

Caietanus

vt si ille aduerteret non peieraret. In illis autem qui iuramentis assueti sunt, inaduertentia nō est causa periurij, quia etiam si aduerterent nihilo minùs peierarent: sed est igno
Cōtra Caie. rantia concomitans, quæ nō excusat. Quod autē hoc nō sit credibile, patet. Nam primū hęc postrema suppositio falsa est. Enimuerò etiamsi creberrime quis peieret, forte nunc si aduerteret, non peieraret: & ideo inaduertentia causa fuit periurij. Præterea istæ cōditionales nullius sunt meriti, vel demeriti, scilicet, si aduerteret non peccaret, aut nihilo minùs peccaret. Quanuis enim conditionalis hæc vera esset. Si inimicum haberem prę sentem, illum occiderem, in nulla propterea ego sum culpa, sed actus voluntatis quā nūc habeo ęstimādus est, qualis sit. Et ideo quicquid contingeret, si homo aduerteret, nihilo minùs inaduertentia postquàm tollit voluntarium, tollit peccatum. Hoc autem verum est, quod si consuetudo me præcipitauit vt non aduerterem illa præcipitatio & indiligētia potuit esse peccatum & fortè tanta potuit esse negligētia, vt esset mortale, vt suprà dictum est.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm liceat iuramentum ab eo petere qui peieraturus est.

POstquàm de peierante visum est, sequitur vt illius crimen exploremus, qui iuramentum à peieraturo expostulat. Et respondet Di. Thom. duabus suppositis distinctionibus per tres conclusiones. Prior distinctio est, ex parte illius qui iuramentum exigit. Aut enim pro seipso priuatim sua sponte iuramentum exigit, aut tanq̄ publicus iudex ex necessitate officij ab alio implorati si priuatim quidem aut probabilibus coniecturis scit alium mendaciter iuraturum, aut nescit. De illo ergo, qui nescit sta
Prima conclusio. tuitur prima conclusio. Nullum est peccatū ab eo iuramētū petere, quē nescis falsum iuraturū: tametsi humana sit tentatio: quia scilicet ex quadā infirmitate procedit, qua homo dubitat alium citra iuramentū verum dicturū. Et hoc est quod ait Christus. Matth. 5. Quod amplius est à malo est. Hoc est ab illa dubietatis plaga, per quā originalē culpā cōtraximus, vt de aliorum veracitate dubitemus. ¶ Secunda conclusio. Exigere ab eo priuatim iuramentū, quē scis mendaciter iuraturum peccatū est mortale. Nam vt ait August. in sermo. de verbis Iacobi, licèt peierans de suo periurio se interimat, tamē cogens ad iurandū manū interficiētis impressit: & ideo homicida est: hoc est animā occidit ꝓximi. *Secunda cōclusio.* ¶ Tertia conclusio, Publico iudici nullū est peccatū iuramentū ab eo exigere, quem scit falsum iuraturū, si tñ id faciat ab alio requisitus: qm̄ iudex tunc non est qui iurantē cogit, sed alius qui publicum eius officium implorat. *Tertia conclusio.* ¶ Primæ duæ conclusiones sunt Augustini in ser. illo. 28. citato de verbis Iacobi & referuntur. 22. q. 5. cano. qui exigit. Et quidem primā paulò differētibus verbis astruit, quam hic. D. Tho. Verba si quidē eius sunt, Si quis nesciēs alium peieraturum iuramentū exigit, vt fides ei fiat, nō audeo dicere nō esse peccatū: tamen humana tentatio est. Nihilo minùs bñ. D. Tho. & doctores affirmāt non esse peccatū, si tamen causa iurandi interceſſerit: quia in re graui dubitare de alterius veracitate, nulla est culpa, sed infirmitas humana. Augu. autem ideo non audet negare esse peccatum, quia arbitratur creberrime fieri sine necessitate: nēpe vel in re parui momenti, vel vbi alter est satisfidei dignus: in quibus casibus vix sine culpa exigitur iuramentum. Secundæ autem cōclusionis ratio est, quòd neminē licet ad malum inducere. Nam authore ad Rom. Paulo, nō solùm malefactores digni sunt morte, verùm & illi qui cōsentiunt facientibus ac multò perinde magis qui illos inducunt. Ille autem qui sciens alium peieraturū cogit, vt iuret illum ad malum inducit. Contra hanc autem conclusionem eiusq; probationem arguitur. Si quis à feneratore parato sub vsurarum vinculo mutuare, mutuum petat: quanuis sciat illū delictum commissurum nullatenus peccat, & D. Tho. 2. 2. q. 78. arti. 4. confitetur ergo neq; ille scit alterum peieraturum ire. Secundo exigitur iuramentū ab infideli, etiamsi scias illum per falsos deos iuraturum, vt ad Publicolam ait Augu. Quem hic ad hoc propositum. D. Thom. citat: & tamen iurare per falsos deos peccatum est, idenque vt supra diximus grauius, quàm iurare falsum per Deum verum: ergo fortiori ratione petere iuramentum ab eo, qui scitur mendacium iuraturus, erit peccatum. Nam sicut quis petendo ab infideli iuramentum suo vtitur iure, ita & qui ab illo petit, qui paratus est mendacium

dacium iurare: ipse enim sibi viderit quomodo iurat. Ad istorum intelligentiam hæc
Regula. præfigēda est certissima regula, quod nemini licèt quempiam ad malum inducere: licet tamē alterius delicto in bonum vti: Assertio est D. Tho. in solutione quarti. Obidque quanuis liceat eius iuramentū recipere, qui per falsos deos iurare paratus est: sicuti mutuum ab vsurario petere, neutrum tamen fas
Quæstio. est inducere ad illud malum. Sed rogas quomodo cognoscam an inducam, vel tantum vtar? Arguitur enim sic quanuis infidelis paratus sit iurare per falsos deos: hoc tamen iuramentum modo non faceret, nisi ego exigerem: ergo ad hanc actionem in indiuiduo ego eum induco. Ad hoc respondetur quod ille q vtens iure suo ab altero id petit quod potest bene facere, si ipse peieratus est id ipsum malefacere non inducit illum. Exempli gratia qui petit ab vsurario mutuum, quia vtendo iure suo petit id quod licite alter potest facere, scilicet illud gratis mutuo dare, nō censetur illum inducere, induceret autem si ipse nullatenꝰ vellet vsuras dare quia cognoscit esse peccatum, & alter eum ad id instigare. Pari modo qui ab infideli petit iusiurandum, solum vtitur iure suo, petēdo vt fidem contractus confirmet, quod ipse posset facere Christianè iurando. Quare vt Aug. ait ad Publicolam nō eum inducit ad malum, sed vtitur eius malo quod ipse sua sponte fecit
Augusti. Optima interrogatio. nempe fide contractus per impium iuramētum confirmata. Sed rogas cur non idē vsu venit, dū ego peto iuramentū: ab eo quē scio falsè iuraturū nā pariter dicas te vti iure tuo, & tm̄ pctm̄ imò maiꝰ est iurare verū p falsos deos q̄ falsū per verū. Aug. eodē loco ad Publicolam respondet, cuius responsum citat hic. D. Thom. in solutione quarti. Quoniam in iuramento illius qui verū per falsos deos iurat, est aliquod bonum quo ille vtitur qui iuramentum petit, nempe fides quæ in contractibus est necessaria: in iuramento autē illius qui falsum iurat, neq; hoc existit bonū neque aliud quo qui iuramentum petit vtatur. Et ideo deest ius petendi incassumque subinde petitur: & ideo qui petit reputatur
Argumēr. alium inducere. ¶ Contra hoc autem arguitur. Sequeretur quod quanuis ille qui petit non sciret alterum mēdaciter iuraturum, sed id dubitaret aut suspicaretur, non liceret idē iuramentum exigere, quia exponeret se periculo præcipitandi alterum in crimen. Respondetur quod non quæcunque dubietas vel suspicio quæ est tenuis assensus, neq; opinio quæ est formi dolosus, sufficit adimere ius petendi: alias vix vnquam iuramentum liceret petere: sed probabilissima coniectura quę intellectum vincat: vt humano more credat. Nam hoc quod forte ille recte iurabit, est ius aliquod in altero vt petat.

PRimum ergo argumentum Diui Thom. sequeretur quod nemini liceret iuramentū ab alio petere. Nā vel scit illū verū iuraturum, vel falsum: si verum, pro nihilo & in vanum onus iurandi illi iniungit: si vero falsum, non licet: vt dictum est. Respōdet quod obiectio hæc procedit quando pro se quisq; exigit iuramentū quiquidem neutrius partis scientiam habet, aut fidem sed vel credit verum iuraturum, vel re vera dubitat, & tūc ad maiorem certitudinem id petit. Iudex autem, vt tertia conclusione assertū est, etiamsi sciat alterū fore periurum, potest ab eo iuramentum exigere. *Primum argumentum D. Thom.*

¶ Secundum argumentum distinguit inter recipere simpliciter iuramētum, sicut recipit sacerdos, vel alia tertia persona inter partes, & iniungere seu cogere ad iurandum, quod plus est. Ait ergo recipere iuramentum citra coactionem, non videtur esse licitum, præcipuè dum fit periuriū, quia videtur recipiens cōsentire alterius peccato: ergo multominùs licèt exigere. Responsio est Aug. ad publicolā, qui ait, Quanuis dictū sit nō iuremus, nūquā tamē me in scripturis sanctis legisse memini, ne ab aliquo iurationē accipiamus. Vñ colligitur, q̄ iurationē recipere nō est peccatū nec consentire alieno peccato, sed cogere dū timetur periuriū. ¶ Sed cōtra si quis vult se occidere ministrare illi gladium est pctm̄: ergo periuriū ab illo recipere, q̄a suapte spōte vult peierare. Negatur cōsequētia, q̄a recipere iuramētū, neq; est ministrare arma neq; aliquo modo coagere: sed quasi passiuè se habere. Verum est quod lege cōmuni charitatis & correctionis fraternę deberet ille admoneri, ne peieraret: si speraretur correctione faceret. *Secūdū argumentum.* *Argumen.*

¶ Ad cuiꝰ explicationē adhibetur tertium argumentum ex illo Leui. 5. Si peierauerit anima & audierit vocem iurantis falsum, testisq; fuerit quod ipse vidit aut cōsciꝰ est, nisi indicauerit, portabit iniquitatē. Ex quo videtur consequens quod quicunque scierit tenetur alterum corripere & cohibere ne peieret: atque adeo tunc, neq; licet exigere, neque vero recipere iuramentum. Re- *Tertium argumentum*

Augusti. sponsio autē colligitur ex Augustino super eodem loco, vbi ait, q̄ cùm Moses non exp̄serit cui sit periuriū indicandū, neq; verò ordinē, recurrendū est ad legem cōmunē correctionis fraternæ: Nā, vt est iurisconsultorum axioma, casus omissus lege cōmuni censendus est. Et ideò debet per ordinem correctionis fraternæ procedi, sicut in alijs peccatis secretis, admonendo delinquentem ac tandem si opus fuerit, reuelando ijs qui prodesse possunt, & non obesse. Sed hoc nō obest ijs quæ dicta sunt.

QVAESTIO TERTIA
De adiuratione.

Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 90.

ARTICVLVS. I.
Vtrùm liceat hominem adiurare.

IVrationi annexa est adiuratio, atque adeo post illius tractatū cōgruit, vt quæstio hæc sub texatur. Quærit ergo D. Tho. hic tres articulos tāetsi quatuor sint rerū genera, quas in vsu & more est adiurare, quæ sunt Deus, hoīes, dæmones, ac res deniq; irrationales. De Deo ergo ac de homine respōdet in hoc primo articulo quinq; conclusionibus.

Prima conclusio. ¶ Prima est, adiurare est aliquem vel superiorem nobis, vel inferiorem per diuinā aliquā obtestationem ad aliquid agendū ordinare. Quā vtiq; definitionē probat ex ordine adiurationis ad iuramētū promissoriū. Potest enim quisq; & seipsum & superiorē se atque se inferiorē ad aliquid agēdū ordinare & destinare, se autē ipsum per iuramentū, hoc est per reuerentiam diuini nominis quisq; destinat & obligat ad id faciēdū quod promittit. Dum ergo alium per aliquod sacrū adicit ad aliquid agendum, siue deprecando, si est superior, siue imperando, si est sibi inferior, tunc dicitur illum adiurare. ¶ Secunda

Secunda cō clusio. conclusio. Differentia est inter iuramētum, quo quis se obligat, & adiurationem qua alios ad aliquid mouet & excitat. Est em̄ homo suarū actionum dñs, non tamē eorū quę sunt ab alio agenda, nisi sibi sit subditus: ob idq; sibi ipsi potest per iuramentū necessitatē imponere, non autē alijs præterq̄ sibi subiectis. ¶ Tertia conclusio. Si quis per inuocationem diuini nominis vel cuiusq; rei sacræ illi, qui sibi non subditur necessitatem quippiam agendi imponere intētat, sicut sibi ipsi imponit iurando, eiusmodi adiuratio illicita est. Sane cum sit iniurioſa vsurpatio potestatis quam in alium non habet. ¶ Quarta conclusio. Cuicunq; superiori licitum est, dum ratio necessitatē affert, sibi subditis in materia licita & honesta tali genere adiurationis cōstringere. ¶ Quinta conclusio. Licitum est cuicunq; quosuis alios, siue sibi superiores, siue inferiores citra necessitatis impositionē per reuerētiā diuini nominis vel alicuius rei sacræ ad aliquid agendū adducere. Et dū ait D. Tho. hoc licere respectu quorūlibet, Deū etiā cōprehendit quem adiurare possumus. Quare in argumēto duo ꝓtulit contra quęstionē exēpla: alterū q̄ Deum ipsum per aliqua sacra obtestantes obsecramus. Atq; alterū Apostoli ad Ro. 12. Vbi per Dei misericordiam obsecrat fideles. Quæquidē obsecrationes quædam sunt adiurationis formæ.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.

Quinta conclusio.

Adiurare. ADiurare, si vim præpositionis, quæ augmentatiua est, consideres, idē est quàd valde iurare, & potissimū per execrationē, cùm quis negans se aliquid fecisse ait Dispeream si hoc feci. Vnde apud Terē. in hecyr. sanctè adiurat nō posse apud vos Pāphilū se absente perdurare. Impræsentiarū autē idē est qđ iurando quempiam ad opus aliquod appellere & inducere, sicuti abiurare idē est quod aliquē iuramento abigere & repellere. Quēadmodū in baptismo abiuramus dæmones, illis eorūq; pōpis abrenunciantes: & hæretici dum conuertunt hæresin abiurant. Est ergo latinè adiuro, id em quod Græce ἐξορκίζω vnde, exorcismus, idem est quòd adiuratio. Et quanuis frequentiùs vsurpetur pro adiuratione dæmonum, qui ab energuminis exorcismis propelluntur, latiùs tamen patet, vt mō dicebam⁹. Nā & Deū adiuram⁹ & hoīes & irrationales bestiolas & tempestates nobis nocentes. Adiuramus enim Deum cùm per merita filij sui eum obsecramus. Quem quidem morem ecclesia in periodis omnium collectarum obseruat: cum in calce semper ponat, Per dominum nostrum Iesum Christum, &c. Et adiuramus Christum per suam crucem perque suam passionem & resurrectionem: & miseri obsecrant per viscera Christi, per merita Deiperę virginis. In

summa

ſumma. vt ait S. Tho. Sicuti p iuramētū neceſsitati faciēdi aliquid nos ipſos adigimus, ita & adiuratione alios inducimus. Quò ſit vt ſicut iuratio ſic etiam adiuratio, dum legitima eſt, ad virtutem religionis pertineat: & dum eſt illicita ſit etiam vitium religioni contrarium. Atqui idem eſt de abiuratione: coniuratio verò alium habet ſignificatum. eſt enim conſpiratio in aliquod facinus reipublicæ pernicioſum, ſic dicta, quia multi in eundem finem ſimul iurant, quanuis & pro vehementi adiuratione vſurpetur coniuran

coniuratio quid ſit.

Argumen. tur enim tempeſtates. ¶ Tertia tamen concluſio eſſe cuipiam ambigua poteſt, qua negatur licitum eſſe neceſsitatem per adiurationem imponere alicui nō ſubdito. Nā dum quis ab aliquo iuramentum petit & recipit ſeruandi fidem contractus & pacti, nempe ab emptore ſoluendi pretium creditum, illū videtur adiurādo neceſſaria obligatione deuincire. Perinde omnino ac de Abrahā. Gene. 24. legitur qui ſeruum iureiurando perſtrinxit, ſuppoſita fœmori manu, ne vxorē filio ſuo Iſaac de filiabus Chananeorum ſed ſed de terra cognationis ſuæ acciperet. Quapropter nullum hac ratione diſcrimē eſt inter ſeruum & alium qui eſt liber & ſui iuris Hoc argumentum ob id fecimus, vt penitus ratio adiurationis exprimeretur, quatenus à ſimplici iuratione defert. Haud enim negat concluſio quin poſsit quiſque quemlibet iuramento conſtringere: nam à rege ipſo capitur iuſiurandum obligatorium, ſed de adiuratione fit in ea ſermo. Et enim differētia, quod cum iuramentum ab aliquo capitur, idem ipſe à quo capitur, actione propria iurat, ſeipſum obligans, ſiue alterius qui iuramentum recipit ſeruus ſit, ſiue dominus. Adiuratio verò nō actio eius eſt qui adiuratur, ſed adiurantis. vt ſi verbi gratia ego quempiam prece & ſacrorum obteſtatione ad aliquid agendum moneam ſicut Pontifex dixit Chriſto. Matth. 26. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus: hoc enim non fuit iuramentum capere, ſed adiurare. Et Nume. 5. iubebat lex Zelotipiæ adiurabit mulierē ſacerdos: & dicet, Si non dormiuit vir alienus tecum, &c. Et. 1. Regum. 14. adiurauit Saul populum, dicens. Maledictus vir qui comederit panem vſque ad veſperum donec vlciſcar de inimicis meis. Haud ergo adiuratio idem eſt quòd iuratio. Vnde fit conſequens, quòd qui contra adiurationem ſibi factam venit, etiamſi ſeruus ſit neutiquā eſt periur⁹, quod re vera eſſet ſi ipſe iuraſſet, licèt fiat criminis inobedientiæ reus. Quocirca ſi Abraham fecit, vt ſeruus ſuis verbis protuliſſet iuramentum per dominum cœli & terræ non fuit adiuratio: ſed captio iuramenti, quod fecit ſeruus ſeipſum obligans. Magis tamen conſentaneum textui apparet, illa verba Abraham per modum adiurationis protuliſſe, dicēs, Adiuro te per dominū Deū cœli & terræ &c. Sic enim legitur. Pone manum tuam ſub femur meum, vt adiurem te per dominum Deum cœli & terræ, vt non accipias, &c. Tametſi captio iuramenti non nunquam adiuratio dicatur. Legitur nanq; Ioſue. 2. Poſtquam exploratorum hoſpita illos iuramento deuinxit, vt ſe domumq; ſeruarent ſuā, Innoxij erimus à iuramento hoc quo adiuraſti nos, &c. Poteſt ergo, vt quarta aſſeruit concluſio, dominus nō ſolùm iuramentum à ſeruo exigere, verùm & ipſum proprijs verbis per Deum & ſacra adiurare. Et tunc ſeruus tenetur parere ex fide, quam domino debet. Attamen per proprium iuramentum arctius quiſque conſtringitur quā per alterius adiurationem. Eſt tamē grauior culpa adiurato ſeruo, ſi nō ſit obtemperans quam ſi non fuiſſet adiuratus. Quapropter domini iure nequeunt ſine cauſa legitima ſeruos imperando adiurare. Quin verò aliæ adiurationes, quę fiunt ad ſuperiores nō debent ſine competenti ratione fieri: Eſt enim importunum & religioni minùs conſonum dum quidam ſine vrgente neceſsitate, vt miſerum obolum extorqueant, per Chriſti vulnera perq; intemerata virginis viſcera, obuiū quemlibet adiurare: imò dum Deum obſecrantes adiuramus, debemus obſecrationes rei quam poſtulamus admetiri, & non pro re, quæ minima pecunia æſtimatur cōtremē das obſecrationes accumulare.

Primum argumentum S. Thom.

PRimum argumentum D. Thom. ſumitur ex Origene homil. 35. ſuper illud Matth. 26. Adiurote per Deum viuum &c. vbi ait, AEſtimo. Quoniā nō oportet vt homo qui vult ſecundum Euangelium viuere adiuret alterum. Si enim iurare non licèt quantum ad Euangelicum Chriſti mandatum neque licet adiurare. Idque inde confirmatur, quòd princeps ille Sacerdotum Ieſum il licitè adiurauit per Deum viuum. Reſpōſio tamen eſt Origenem id intelligere de adiuratione, qua quis alium non ſibi ſubditum cogendo adiurat. Adiuratio autem principis ſacerdotū

iniqua ob id fuit quod illo pacto voluit perstringere Christum, ac si eius esset legitimus princeps. Erat enim Iudæis frequentius adiurare subditos, quàm iuramentum ab illis exigere: præcipuè quòd princeps ille veritus fuit à Christo iuramentũ exigere: timens ne ille facere renueret. Adiuratio tamẽ illa multis nominibus fuit absurda. Primum ex defectu potestatis, quoniã in processu illo quo Iudæi ad Christi necẽ tendebant, non poterãt eum de crimine interrogare: quia nõ poterant interficere quenquã. Secundò quia superflua erat interrogatio, cum satis id per doctrinã & miracula Christi debuissent habere exploratũ eum esse Christum. Ad hæc adiuratio illa impura erat & nefanda: quia nollebant id à Christo audire, vt crederent, sed vt ansam (vt fecerunt) inde nanciscerentur adigẽdi eum in mortem. Quare Christ' neq; paruit respondendo, sum, neq; prorsus negauit cum responderit, Tu dixisti.

Secundũ argumẽtum. ¶ Secundum argumentum eodem pertinet: scilicet quod non licet adiuratione alium cõpellere necessitatem illi imponendo præterq; subditum. ¶ Tertiò argumẽto discrimen tãgit q̃ nos supra inter adiurationem & captionem iuramenti declarauimus. Arguit enim, Adiurare est aliquem ad iurãdum inducere: q̃ tantum potest dominus in seruum, vel creditor in debitorem: ergo non licèt inferioribus superiores adiurare. Respondendo autẽ assumptum negat. Adiurare enim non est alium ad iurandum inducere: sed obtestatione ad aliquid prouocare. Est autem differentia inter adiurationem, qua ad hominem vtimur, & qua vtimur ad Deũ. Cùm enim hominem adiuramus, contendimus per sacrorum reuerentiam eius animum emollire, & immutare. Cùm autem Deum, qui omninò immutabilis est, obsecramus non id intendimus: impium enim hoc esset: sed contendimus aliquid ab eo obtinere, si modò per æternam eius voluntatem nobis destinauit concedere. Multa enim nobis quæ ab æterno elargiri constituit, decreuit dare per nostras obsecrationes & merita, quæ sunt effectus gratiæ, atque adeo prædestinationis. Itaque licèt nos sine nostris meritis & prædestinauerit, & per præuenientem gratiam vocauerit, tamen nos per eius adiutricem gratiam & nostra opera ac subinde per nostras obsecrationes augmentum spiritualium charismatum promeremur: iuxta verbum Petri certam vestram vocationem facite.

Discrimen inter adiurare Deum & adiurare hominẽ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm liceat Dæmones adiurare.

SVbsequitur vt videamus an liceat adiurare Dæmones. Ad quod Diu. Thom. supposita distinctione duabus conclusioni bus respondet. Distinctio ex superioribus colligitur. Bifariam nanque quẽpiam adiuramus: scilicet per modum deprecationis ob reuerentiam rei sacræ quempiam inducendo: & rursus per modum compulsionis. ¶ Prima ergo conclusio est. Neutiquam licèt dæmones per modum deprecationis adiurare. Cuius ratio est, quia hoc, genus quoddam est beneuolentiæ & amicitiæ: quam erga dæmones nullatenus gerere fas est. Secundus autem modus subdistinguitur. Nam alium compellendo adiurare dupliciter accidit: scilicet, aut tanquam hostem, aut tanquam subditum. Præterea tanquam hostem aut ad illum repellendum & propulsandum ne nobis noceat, aut ad aliquid ab eis obtinendum: siue per doctrinam, siue per aliud quoduis auxilium. ¶ Est ergo secunda conclusio, quadrimẽbris. Dæmones per modum compulsionis adiurare possumus: non tamen tanquam nobis subditos: i. q̃; ad ipsos repellẽdos, non autẽ ad aliqd ab eis obtinendũ: nisi forsan aliqua nobis affulserit diuina inspiratio, vt id faciamus. Ad huius autem conclusionis intellectum speculandum est dæmones in huius vitæ decursu constitutos esse aduersarios nostros. Etenim vt post originalem culpam amisso freno originalis iustitiæ, relicta nobis fuit rebellio carnis ad exercitium, sic & post victoriam serpentis qua Dæmones primos nostros parentes superarunt permissum illis est, vt nos bello impugnent: nempe vt per hanc militiam, quæ vti ait Iob, est vita hominis super terram, ad triũphum sempiternæ fœlicitatis promoueamur. Vnde Paul. ad Ephes. 6. Induite vos inquit aduersus insidias diaboli, &c. Sunt ergo dæmones in hac vita aduersarij nostri tanquam leones, vti ait Petrus in nos rugientes: in futura verò erũt vt ministri iustitiæ Dei, vltores nostrorũ scelerũ. Nõ tñ sunt nobis tãquã serui subiecti, sed dei angelorũq; dispositioni subdunt, iuxta verbũ Augu. 3. de trinit.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Spiritus

Spiritus desertus regitur per spiritum iustũ. Hac enim ratione & prouincijs & nostrum singulis addicti diuinitus sunt angeli in custodiam ad hoc gerendum cum illis bellum. Patent ergo singulæ conclusionis particulę. Possumus enim dæmones per virtutem diuini nominis à nobis propulsare, ne nobis vel spiritualiter, vel corporaliter noceant: Hanc enim nobis potestatem Christus reliquit. Vnde Luc.10. Ecce dedi vobis potestatẽ calcandi super serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. In cuius virtute potestatis ecclesia exorcismos instituit ad expellendos dæmones ab obsessis corporibus. Imò verò idem redemptor de ijs, qui in ipsum crediturí erant ait Mar. vltim. In nomine meo dæmonia eijcient, &c. Hinc ergo sequitur secunda particula, quod eos nõ possumus tanquam nobis subditos, nobisque obtemperantes adiurare, sed per vim arcere, ne nobis aduersent. Sequitur deinde tertia particula quod neq; possumus eos vrgere, vt nos doceant, aliaue vlla ratione iuuent: hoc enim esset nos erga illos tanquam erga amicos gerere. Nisi forsan diuinus instinctꝰ ad id nos excitet, sicut de Diuo Iacobo legitur, qui dæmonem compulit: vt Hermogenem ad se adduceret.

Dubium.

Dæmonum potestas.

Paulus.

EST autem circa has conclusiones tantillum nobis immoradum vt exactius exploremus. Vtrũ aliquid nobis cum dęmonibus cõmercium habere liceat. Ad cuius intellectum notandum est, quòd dæmones, quia spirituales sunt creaturæ, qui ideo in suis motibus àloco non pendent, sed subito se & alia mouere possunt, multa supra humanam facultatem in naturalibus efficere valent, vera tamẽ miracula nequaquam. Verum enim miraculum est quod supra naturam fit: supra naturam verò nihil, nisi virtute Dei, qui vniuersalis est naturæ Dominus: fieri potest. Deus autem talem virtutẽ nunquàm dæmonibus impertitur, vt D. Thom. de potentia. q.6. ar.5, author est. Nam cũ dęmonis volũtas semp sit ad malũ intẽta, si deꝰ virtutẽ miraculorũ illis donaret, testis fieret illorum prauitatis: quod absurdum est concedere. Miraculum enim testimoniũ est diuinæ voluntatis. Quare 2. ad Thessal. 2. ait Paulus aduentum Antechristi fore in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus. Imò verò non solum hanc virtutem illis Deꝰ nõ tribuit, verùm neq; eos tantũ facere sinit, quantũ sua natura possent. Itaq; sicut angelis bonis mirabilium virtutẽ supra suam naturam confert, ita & malos arcet ne totum faciant quod naturaliter valent. Et vtrunq; in bonum nostrum. Vnde Aug. lib.3. de trinit. cap.9. Quod angeli, inqt, mali possent si permitterentur, ideo non possunt, quia non permittũtur. Et illa cohibitio dicitur ligatio dęmonũ: permissio autẽ vt aliquid faciant nũcupatur solutio, sicut in tẽtatione Iob soluta fuit dæmonis potentia, certis tamẽ limitibus ne tam acriter eum inuaderet, quã suis viribꝰ nequiter posset. Et Apoca. 10. Legitur quòd oportebit dæmonẽ solui modico tempore, nempe sub aduentum Antechristi. Potestatẽ ergo dæmonis in ijs potentijs, quæ nobis miracula censentur trifariam exercẽt. Vno modo faciendo, vt res appareant quæ veræ non extant, idq; per mutationẽ organi phantasię commotionisq; specierum & fumigantium humorum capitis, sicuti dormientibus vsu venit, & freneticis, & mente captis, quibus per eiusmodi elusionem sensuum multa in aëre apparent, quæ non sunt. Quo pacto portẽta illa quæ Marcus Varro enarrat, interpretatur Augu. lib.18. de ciuit. Dei. videlicet socios vlyssis ab illa famosissima Circe conuersos in bestias, & Archades stagnum quoddam tranantes conuersos in lupos, & Diomedis socios in aues, quæ aliquãto post tempore ad eius sepulchrum circum uolabãt. Quemadmodũ Augu. ipse in Italia vidisse affirmat stabularias mulieres, quæ venenum in caseo hominibus porrigentes in iumenta conuertebant: sicuti Apuleius de se vel narrat, vel fingit. Ait inquam Augu. id sopitis sensibus per internam eorum illusionẽ apparuisse: quãuis si aues illę circũ sepulchrũ Diomedis volantes permãserũt, aliunde erãt ministerio dæmonũ allatæ. Vnde Magi qui hac arte vtuntur, præstigiatores dicuntur: solent enim magnifica conuiuia instruere, mẽsasq; epulis reficere, & ministrantiũ frequentia per ornare, vt de nostro Inacho à Mendoça fertur, quæ tamen tandem de repente in carbones, inq; alia id genꝰ futilia euanescũt. Parimodo, & ludi, quos nostri de passa passa vocant pstigiæ nũcupant: vel q; oculorũ aciẽ perstringãt, vel ab styge, qđ est tenebræ quasi sensus obtenebrẽt, vt res cernere videã tur, q; nõ sunt. Tametsi non oẽs illos lusores dęmonũ ope cẽsendi sũt vti: alioq; nõ ita vulgo permitterentur: possunt enim manuũ agilitate & celeritate res fictas, ceu veras oñdere.

Trina dæmõs potẽtia

Augusti.

Augustinꝰ.

¶ Secundò modò id faciunt applicando naturalia actiua passiuis: sicuti idem Aug. lib. 3. de trinita. c. 7. & .8. & libr. triginta. quæst. q. 79. ait Magos Pharaonis conuertisse virgas in serpentes & ranas: afferendo, scilicet aliun de aliquid putrefactiuũ, q eas citissime putrescere faceret, atq; in illa animantia transformari. Nam scriptura Exod. 7. Magos fecisse similiter de suis virgis affirmat: sicut Aaron de suis. Quanuis Aaron virtute diuina per verum miraculum: magi verò citra miraculum per artem & modum naturæ. At verò vt Deus ostenderet quicquid creatura facit, etiam malus dæmon, à sua ipsius potestate pendere, & permisit illos aliqua facere, & tandem adhibuit ne plura facerent. Qui em̃ virgas in serpentes & ranas & alia animantia conuerterant, tandem nequiuerunt easdē in ciniphes transformare. Quare confessi ip si sunt dicentes. Digitus Dei est hic. Accedit & in hanc causam id quod maximè adnotandũ est nempe in herbis lapidibus & aqs, & reliquis naturalibus rebus mirificas inesse virtutes, hominibus quidem ignotas, quas dæmones cognoscẽtes citissimo quidem motu afferre possunt, quocunq; velint, ad insolentissimos effectus demonstrandos. Nam profecto, vt lib. 21. de ciui. Dei. c. 4. author est Augu. qui primũ magnetis virtutẽ trahentis ferrũ agnouerit, nõ potest dum primũ viderit non illico in admirationem rapi: quod ip se August. sibi vsu venisse fatetur. Subiũgit autem. cap. 5 mirabilia multa naturalia, nempe apud Garamantes emanare fontẽ tam frigidum diebus, vt non bibatur, tam feruidũ noctibus vt non tangatur. Et in epyro aliũ in quo faces accensæ extinguntur, & extinctæ accenduntur. Et Aristo. in lib. de admirãdis rebus ait lapidẽ Modan in Tigride reperiri, quem qui portauerit à feris lœdi nequibit, herbãq; charisiã crescere in monte Igero, quam si mulier portauerit, homines ad sui amorem pelliciet. Et Plin. atq; alij mirabilia huius generis referũt. Ijs ergo possunt dæmones supra hominũ captu vti, vt miracula facere existimentur. Quare Magi, si ad primum vocis significatũ attendas, ijdem sunt qui sapientes, videlicet rerũ naturas perscrutarentur. Sed quia à zoroastre Persa Magorũ principe cœptũ est per astrorũ speculationẽ, q eius nomen sonat, de rerum euentibus iudicare, illam occasionem nacti dæmones insinuauerũt sese ad plures euentus reuelandos. Et inde Magi cœperũt malè audire, essęq; infames: nempe q non solùm naturali cognitione sed dæmonum ope & adminiculo vterentur. ¶ Tertius ergo modus, quò dæmones miracula se mentiuntur facere, est q intrantes aliena corpora, seu viua, seu inanima, occulta & ab humana cognitione remota: loquũtur. Quocircà falsissima est opinio Hermetis trimegisti, quem D. Augusti. lib. 8. de ciui. Dei. refert, & Alexand. in lib. de magicis sustentat, videlicet q omnia Magorum opera in causas naturales resoluunt ac potissimum in astrorum cõcursus. Quamobrem solent Magi certis obseruatis astris, certisq; adeo temporum momentis, anulos statuasq; astronomicas fabricare, quibus mirabiles virtutes tribuũt, à quibus anulis sumpta occasione in anulis à maleficis spiritus familiares digito gestare solent. Quod autẽ astrorum concursus atq; influxus ad id non sufficiant patet. Nam quãuis ita sit quod sydera per suas influentias his inferioribus dominẽtur: tamen multa faciunt magi quæ per naturam impossibile est fieri. Faciunt enim statuas moueri, atque adeo loqui, & responsa dare, quæ nisi viuenti atq; intellectum habẽti, congruere nequeunt. Vitam autem nulla res nisi ab alio viuente per generationem habere valet, vel Deo, qui dominus est naturæ, id præstante. Quapropter certum est dæmones easdem astronomicas fabricas ingressos illos exhibere motꝰ & loquellas, sicuti in ere guminis faciunt. Similiter nãq; angelus bonus lingua asinę Balaã loquebatur. ¶ Sed rogas nũquid nõ posset aĩa negotio dæmonis afferri, q̃ corpus resumeret, informaretq; perinde atq; in die iudicij? Respõdeꝺ id minime fieri posse, est enim opus supranaturale, ob idq; inter vera miracula recensendũ, q̃ dęmõ facere neutiquã põt. Quocircà historiã Saulis quæ vt 1. Reg. 28. Legitur per Phitonisam fecit suscitari Samuelem nequaquam sic intelligere fas est, vt arte dæmonum fuerit vere suscitatus: sed vel quod Augu. ad simplicianum ait, dispensatiõe Dei spiritus eius apparuit vel etiam reuixit, vt verba historię sonãt Et Eccle. 46. notatur vel fortasse, vt idẽ Aug. 21. de ciui. autor est quod refertur. 26. q. 5. can. mirum arte magica inuocatus dæmon subforma Samuelis apparuit: sępissime nanq; se esse defunctorũ animas mentiunt. Atq; ita intelligendũ est quod Clemẽ. lib. 1. de Symone Mago refert, qui aiebat in hoĩbus à se interfectis, retineri sua arte aĩas. Erãt enim planè dæmones, Ad aliquem ergo istarũ trium

causa-

Mirabiles rerũ naturalium vir tutes.

Aristot.

Magi sapientes.

Tertius modus.

Hermes. Alexand.

causarũ, vniuersi dæmonici effectus reducẽdi sunt. Vnde laruarũ (quas nostri Bruxas appellãt) maleficia in causam primã ferè authores referunt, scilicet, ꝙ somno sopitæ manent in suis domibus aut in extasim raptę, somniantes illa facere, quæ dæmones assumptis ex aere similibus corporibus perpetrãt: cui sentẽtiæ. D. Aug. applaudit. At profectò adeo sunt multa experimenta de hac re comperta, vt non esset vanum opinari nonnunquam rapi per aëra motu dæmonũ inuisibiles factas, vt ipsę Deũ offendentes mala perpetrent. Nam compertum est dum illa mala faciunt, abesse suis domibus, & è lectis quib⁹ accubuerant. Hæc autẽ examinãdi non datur hic locus: de quibus ergo satis. ¶ Secũdò autẽ ad præsens attinens propositũ adnotãdum est dæmones in odio Dei quod primo actu conceperunt, adeo esse obstinatos & obduratos, vt quicquid vel faciant vel meditentur ex alio odio dimanet, & ad Deum ipsum infestandum procedat. Quocircà (id quod considerate meditandũ est) odia, quæ in nos exercent, non in nostrum tantũ malum intendunt: sed vt Deum offendãt, & iniurijs persequant eũq; eo fine & ꝓposito frustrentur, quo nos creauit: videlicet ne gloria sua nomenq; amplificetur. Quapropter professio nostra est aduersos illos tanquam aduersus acerrimos hostes nostros, perpetuum gerere bellum, quod super fontem baptismi illis indicimus, nomina nostra dantes in militiam Christi aduersus illos, quos ideo abiuramus, renunciantes illis omnibus pompis eorum, atque adeo sanctissime pollicitantes nullo nos vnquam eorum fauore, aut auxilio aut beneficio vti.

De laruis.

Odium dæmonum.

Cõclusio prima.

EX his ergo colligit conclusio prima, quæ ad propositam quæstionem respondetur, videlicet quòd nullum cũ illis commercium inire possumus aut societatem aut pactum, quod vllius sit beneuolentiæ indiciũ: sed semper debeam⁹ illos, vt summos hostes tractare etiam si vltrò nobis gratisq; aliquod beneficium offerant, nihil à nobis exigentes. Idq; non solũ quia praua eorũ volũtas nihil nobis nisi in malũ nostrum impendere potest, sed etiamsi in bonũ nostrum esset semper successurũ: quia hostes sunt Dei, nullũ eorũ beneficiũ acceptare possumus. Id quod apprimè notandũ est. Nã illud aut petere aut suscipere esset desciscere à fide Dei & ceu trãsfugas in eorum militiã trãsmigrare. Atq; hic maximè locum habet illud Christi, qui mecũ non est cõtra me est: & q mecũ nõ colligit, spargit. Nã & inter humanos reges lex est, vt miles q aliquid ab hoste receperit, re⁹ fiat fractę fidei. Vnde Pau. 1. ad Corin. 10. Nolo vos socios fieri dæmoniorũ. Ex quib⁹ fit consequens vt neq; ad expellendos alios dæmones neq; ad illorũ maleficia dissoluenda & curanda licet alium dæmonẽ inuocare. Potest enim vnus alium pellere: quia nõ sunt omnes æquales virtutis, sed neq; hoc licet eo quod aliquod esset beneficium quod ab illis recipere non possumus. ¶ Huius autẽ dæmoniaci consortij gradus existunt alij alijs nequiores: nam eorũ adoratio summũ obtinet idololatriæ fastigium. Enimuerò quanuis reliquas creaturas ꝓ dijs colere, vt boues & marmora & sacra immanis sit idololatriæ impietas, indicibiliter scelestior est dæmones colere, vt pote qui summum Dei odium in ipsum cõtinenter exercẽt. Secundus pauloq; inferior gradus est, aliquã amicitiã ceu inter pares cum illis cõtrahere. Solent se em̃ insinuare tanquã incubos & succubos: deinde quasi consultores in rebus, quæ sunt hominibus charissimę atq; adeo ceu medici ad curãdos corporũ morbos. Neq; vero in initio, q̃ sua vafricies est, quicquã ab hoibus vicissim reposcunt vt astutius eos inescare valeant. Sed & hæc tñ societas ad apostasiã pertinet, grauissimumq; adeo pcẽm̃ est. Tertius gradus est deinde remissior aliquid ab eis citra vllum amicitiæ indiciũ petere, vel illos ad aliquid inuocare etiamsi securissim⁹ sis, nulla te amicitia cũ illis colligare, & peius est cũ illis aliquid pacisci etiã citra cultũ vel adorationem, sed tanquam hosti dicere, affer mihi tale aut tale auxiliũ, & reddã tibi hoc. In summa omnis eiusmodi societas ob id pcẽm̃ est apostasię, ꝙ cũ hoste Dei cõtrahit, & quasi cũ rege alterius regni, qđ cœlesti aduersat & cũ tali hoste, q nullas põt inducias habere belli, sed cõtinẽter absq; vlla cessatiõe aduersus Deũ & nos pugnat, quasi leo rugiens q̃rens quẽ deuoret. Secunda ergo cõclusio in præsentiarũ sit, qđ possum⁹ cũ dæmonibus precise colloqui & cõuersari tãquã cũ hostib⁹ idq; dupliciter vel eos virtute Dei expellendo, vt per exorcismos facimus, vel cõpellẽdo ad aliquod seruitiũ, vt Symon & Iudas dæmones cõpulerũt suã statuã cõfringere, & Iacob⁹ aliũ, vt Hermogenẽ ad se adduceret.

Gradus diuersi.

2. concl.

PRimũ & tertiũ argumẽtũ. D. Tho. facilli ma sunt. Primũ em̃ est Origenis authoritas super Mattheũ loco supra citato, dicẽtes,

Primũ argumentum S. Thom.

non esse secundū potestatē datam à saluatore adiurare dæmonia: sed iudaicū esse. Hoc autē intelligitur de adiuratione, quæ non fit virtute diuina ad dæmones cōpellendos: sed per modū beneuolentiæ vel deprecationis.

Tertium argumētum. ¶ Tertium verò est quod adiurare aliquem videtur ad quandā societatē pertinere, quā nobis cum dæmonibus cōtrahere nefas est. Ait enim Pau. 1. ad. Corin. 10. Nolo vos socios fieri dæmoniorum. Argumentū autē hoc tātùm conuincit q̄ per modū beneuolentiæ, nō possumus illos adiurare: possumus tamē per vim cōpulsionis. ¶ Secundum autē argumētum ampliorem postulat sermonem. Cui vt alia nos duo adhibemus, arguitur sic

Argumenta alia. Cum energuminis à dæmonibus obsessis licet nobis colloquia conserere. Nam & exorcistæ & circunstantes multa illos interrogant. Imo exemplo Christi docemur id esse licitum: quippe qui Mar. 5. à dæmone scisciatus est quod nam esset illi nomen, qui respondit, Legio. Quapropter. D. Tho. q. 95. ar. 4. Licitū esse autumat à dæmone sua spōte id offerente, propter aliorum vtilitatē, aliquid interrogare: hæc autē omnia speciē cuiusdam societatis præ se ferunt ergo eiusmodi societas non est illicita. Secundo (quod est argumentū Diu. Tho.) arguitur, Si licitū esset dæmones adiurare licitū perinde esset Necromanticis suis incantationibus dæmones inuocare, cùm tamē de hoc male audiāt sintq; adeo iure prohibiti. Tertiò demq; arguitur, Si non liceret dæmonū arte eorūq; reuelationibus vti, cò q̄ non licèt cum illis habere cōmerciū, sequeretur q̄ neq; liceret ariolari per astra. Nam quā sæpissime illuc se dæmones insinuant ad reuelandū futura, & occultos euentus: & tamē nō prorsus huiusmodi astrologi condemnantur, nec ab scholis p scribuntur.

Responsio primi argumenti. ¶ Primò argumēto subnotantur exorcistę, in quibus p fectò multa sunt cauēda. Primū qđ maxima ex parte neq; diuina virtute, neq; vero magica arte vtunt sed sunt meri impostores, vt ego ipse plurimorū sum oculatus testis: sæpe em̄ fingūt dæmonia inde eijcere, vbi nullum est, atq; adeo plurimæ mulierculæ dæmonio obsideri mentiunt lucri causa, dicentes esse animas defunctorum quas infamāt. Et ideo nisi aliquod interesse rit dæmonij documētū quod sit efficax, nulla est eis habēda fides nēpe nisi dum lingua loquātur peregrina vel adeo immobiles existant, vt multis hominū viribus dimoueri loco nequeāt. Præterea neq; longa inire colloquia cū illis licitum est. Fateor equidem, vt ad argumentū respondeā vnū aut alterū verbum interrogare non esse mortale, sed quædam venialis curiositas. Attamē longos sermones cū illis habere, præterquam quod ad quandā eorū societatē vrgere videtur, periculosum est. Nā dæmones cū honori nostro & famæ insidientur, si aliquā forte veritatē dicunt, non id faciunt nisi ad diffamandū aliquē vel defunctum vel viuum: & sæpe circūstantes. Vnde Chryso. super illud Mar. 1. vbi *Chrysost.* Dominus spiritui immundo dixit obmutesce, & exi ab homine, Salutiferū hoc inqt nobis dogma datur, ne credamus dęmonibus, quantūcunq; denuntient veritatem. Quocirca superstitiosissimum, neq; vllo modo ferēdum est, petere à dæmonibus signum in testimonium loci, vnde venit, aut quod nūquā in hominē à quo expellitur reuertatur: est enim mendax & pater mendacij. Et ideo neq; illi, neq; suis signis & testimonijs vlla est habenda fides: sed solum virtute Dei repellēdi sunt. Interrogari autem quicquàm nisi à sanctissimis viris non debent, vt pote qui à Deo obtinere possunt vt eos veritatē fateri cōpellāt, sicut fassi sunt Christo vbi dixerūt esse legionē. Postremo hic animaduertendū est quo quāuis exorcismi sanctæ res sint, & à Christo vsq; & apostolis originē ducāt, nō tamen tam crebro sperandi sunt eorū effectꝰ quā tēpore nascentis adolescentisq; ecclesiæ. Nā cum expulsio dæmonū per ecclesiæ ministros testimoniū sit fidei, fit vt tūc temporis quādo opus erat fidem per miracula stabilire, frequētiꝰ eiusmodi miracula ęderent. Modo autem firmata iam religione, non ita crebro cōtingūt: neq; adeo tamē exorcismo rū religio cōtēnenda est. ¶ Circa secundum argumentū meditanda sunt varia Magorū noia, quæ tam iure canonico. 26. q. 5. quā iure ciuili. C. de maleficis & mathematicis, atq; alibi sæpe denotantur. Sunt enim Necromātici: sic dicti, quod in defunctorum cadaueribus secreta rimantur, Νέκρος enim idē est quod cadauer & Μαντία diuinatio: vel ideo quod per artem Magicam mortuos suscitare se autumant. Hidromantici vero qui per aquæ inspectionem diuinant. Sicut & Chiromantici qui de manuum lineamentis de moribus hominum iudicant. Iam vero Necromantici per Antonomasiam dicuntur, qui circulos faciunt & cœlestes plagas captant ad inuocandum Dæmones. Hi autem omnes ob id grauissimis censuris

Nota de exorcismis.

Varia magorum & nomina.

suris vtroq; iure condemnantur, quod, vt ait in solutione secundi D. Th. magiam in hoc exercent, & dæmonũ adminiculo ad res perdiscendas vtuntur sicuti & Aruspices: idest, auium inspectores & Phytones qui de occultis rñdent. Est enim de omnibus istis hæc regula prę oculis habenda quod eorum incantamẽta nõ atteſtant, quod dæmones, ceu hostes tractẽt, vt diuina virtute eos à maleficijs arceant, sed potius tanquã familiares atque auxiliares suos. ¶ Tertiũ argumẽtũ prolixioris egebat disputationis, quã locus fert præsens. Duo tñ de istis astrologis affirmantur. Prius qđ per astrorũ obseruantiã, & domos ac regiones quas ipsi delineant, quãuis possint effectus naturales veluti pluuias & serenitates tẽporũq; successus quadãtenus ꝓspicere, haud tamen accidẽtarios effectus & euẽtus. Enimuero cũ natura semper certis determinatisq; periodis eosdẽ operet effectus, nõ possunt ꝑ causas naturales cõtingẽtia deprehẽdi, vt qđ ab homine fodiẽte sepulchrũ thesaurus forte reperiat, aut qđ fulmine sit quispiã vel alia extraordinaria morte periturus. Et multominus per easdẽ causas futura contingentia vel occulta deprehendunt quæ ex mera nostra volũtate pendẽt: eo quod intellectus & volũtas incorporeæ potentiæ sunt ac perinde ab impressionibus cœlestibus exẽptæ. Nã corp⁹ in spiritũ nihil immediate imprimit. Vnde Arist. 3. de anima tex. 150. cõtra illos q aiebãt talẽ inesse hominibus volũtatẽ qualẽ in die inducit pater virorũ deorũq;. s. sol vel cœlũ in die natali, ait in hãc opinionẽ inde fuisse collapsos qđ animã putarent esse sensum. Quapropter cœli, causa per se esse nequeũt actionũ liberi arbitrij. Et quãuis imprimendo in corpus humanũ, possint circa cõplexiones aliqd facere, atq; adeo circa sensus, qui cũ sint animæ organa, possunt illam quodãmodo inclinare. Tamen qm̃ sensuales vires vt. 3. Ethi. author est Philosoph. rationi obediũt, nulla inde necessitas libero arbitrio imponit, sed cõtra cœlestes influxus põt homo operari. Atq; eo præsertim quod educationes, & cõsortia cũ ijs aut illis hominibus, & potisimũ amor Dei & gehẽnę metus atq; honoris cupiditas, & infamiæ timor, & alia id genus multa possunt hominũ inclinationes & affectus permutare. ¶ Colligamus ergo cũ Di. Th. 2. 2. q. 95. art. 5. cõclusiones duas quibus ad tertiũ argumentũ rñdeatur. Prior licitum est per astrorum inspectionẽ de affectibus naturalib⁹ quæ ordinario naturę cursu fiunt aliquod iudicium captare vt de serenitatibus de pluuijs de pestibus deq; id gen⁹ tempestatibus alijs. Hoc enim est de effectibus per proprias causas iudicare: sicuti medici ex morborum malignitate de futura morte iudicant. ¶ Posterior neq; de accidentarijs cõtingentibusq; effectibus, neq; vero de ijs q̃ in nostro sunt arbitrio per astrorum cõsiderationẽ põt iudicium nisi fallacissimũ ferri. Multoq; minus valent eos qui occultissime crimen aliquod cõmiserunt illa scientia inuestigare neq; eorũ qualitates & indicia quibus deprehendãtur. Hæc enim astrorũ aspectus non produnt. Quare Aug. lib. 4. confes. Illos inquit Planetarios, quos mathematicos vocant, consulere, Christiana & vera expetit & amat. Hæc ille. Ratio aũt est qđ dæmones cum homines videant tam cupidos secreta agnoscendi, atq; illos præsertim quorum ea interest scire, in eiusmodi astrorũ iudicia ferenda omni solertia sese ingerunt. Præterquã quod eiusmodi astrologi adeo semper & falluntur & fallunt, vt vir eos semel cõtingat vnã veritatẽ proferre. Quare idẽ Augusti. 2. super Genes. ad literã bono, inquit, Christiano, siue Mathematici siue quilibet impie diuinantium & maxime dicentes vera cauẽdi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiãt. ¶ In his autem astrologis, vt lib. 5. dicere cœpimus, attentissimè inter eorum scientiam discernendum est & eiusdem scientiæ vsum. Enimuero quanuis eis gratis, imo contra veritatem demonstratã concedamus, quod occulta possint per suam scientiã inuestigare, nihilominus eius vsum ad hoc applicare, vt occulta crimina reuelẽt, est nouum peccatũ idemq; mortale & grauissimũ cõtra iustitiã. Est enim occultos peccatores pręter ordinẽ iuris infamare. Demus em̃ perinde astrologũ scire quis furtũ, aut adulteriũ, aut homicidiũ fecit, ac si ꝓprijs oculis vidisset, ꝑfecto nihilomin⁹ grauissimum illis pctm̃ est & reipublicę ꝓnicioſissimũ, illũ detegere & reuelare. Prętereà qđ ad nihil aliud valet quã vt inter homines infamię & iurgia seranť: quãdo quidẽ iudici neutiquã licet solo indicio astrologi contra quempiã procedere. Neq; enim trãquillus stat⁹ reipublicę, in hoc cõsistit, vt occulta crimina, nisi ordine seruato iuris, inuestigent. Fac nullũ crimẽ cõmitti posse occultissime, qn illico fieret manifestũ, profecto neutiq; hoies viuere possẽt. Si aũt astrologis vlla daret fides, nullũ esset occultũ. Igit quã

De astrologis.

Duæ cõclusiones.

Augustin⁹.

Augusti.

Meditatio de astrologis maxime considerãda.

uisverisſima ſemp dicerẽt, ob hoc ipſum eẽnt citius è republica exterminandi, niſi ſe continerent ne vllum vnquam infamia denotarent. ¶Igitur vt rem tandem concludamus omnia magorum genera trino iure acerrime condemnata ſunt: diuino. ſ. pontificio, & cæſareo. Verba enim ſunt Deute. 18. Quãdo ingreſſus fueris terram quam Dominus Deus tuus dedit tibi, caue ne imitari velis abhominationes illarum gentium: neq; inueniat̃ inte qui luſtret filium ſuum aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atq; auguria, nec ſit maleficus nec incantator, neq; qui Phytones cõſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia hæc abhominatur Dominus, & propter iſtius modi ſcelera delebit eos in introitu tuo. Et Leuit. 19. Non declinetis ad Magos neq; ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt pollua mini cũ eis. Et cap. 20. Vir ſiue mulier in quibus phytonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos ſanguis eorum ſit ſuper illos. Hæc atq; aliæ id genus animaduerſiones frequentes extãt in veteri teſtamento aduerſus omnes Magorum ſpecies. Erat enim populus ille ſitientiſſimus occulta perſcrutandi & cognoſcendi, ac ſubinde in iſtud idololatriæ genus propẽ ſiſsimus. Sed & lege euangelica eccleſia anathematis gladio idem genus hominũ acerrime impetit vt patet, 26. q. 5. per totum videlicet can. ſi quis ariolos, & omnibus ſubſequẽtibus vſq; ad cano. nec mirum, arioli, aruſpices, ſtellarum curſus obſeruantes, & ſortilegi & incantatores, & augures qui Gentiliũ idololatriam ſequi videtur: & pariter illi qui cũ illis fuerint cõuerſati, auxilia aliqua à ſuis artibus petentes, anathematizantur, excõmunicantur, & ab eccleſia procul excluduntur. Et C. de maleficijs. & mathematicis. l. artem geometriæ. & l. nullus aruſpes & l. eorum. & l. nemo. & in ſumma per totum titulũ aruſpices & magi ſeueriſsimis legibus vindicantur. Nam. l. etſi. eculeo dediti iubent̃ vngulis ſulcantibus latera pœnas perferre proprio dignas facinore. & l. nemo, ſupplicio etiam capitis puniri iubẽtur. Accedunt & leges regni noſtri partita. 7. titu. 23. Hoc tamen adnotauerim contra quoſdam qui ſiniſtre Legẽ primã huius tituli intelligẽtes eam in fauorem Aſtrologorũ allegare contẽdunt. Ait em̃ lex, diuinationẽ, quę fit per ſcientiã Aſtronomię non eſſe illicitã: ſane cũ illa ſit vna ex ſeptẽ artibus liberalibus. Verba hæc tñ ſecundũ tenorẽ duarũ concluſionũ quas ꝓxime cũ Di. Th. collegimus, interpretãda ſunt videlicet, qđ illa ſcientia eſt licita ad iudicandũ de pluuijs, aut peſtib⁹ ac tẽpeſtatibus, q̃ aſtrorũ cõcurſu certitudine naturali eueniũt. Haud tñ lex intelligit eandẽ ſcientiã eſſe licitam ad iudicandũ de accidẽtarijs effectibus aut de illis quæ ex noſtra volũtate pendẽt & multo minus ad inquirẽdũ perſonas occultas, quę aliquod pctm̃ perpetrarũt. Imo hmõi Aſtrologos cũ Necromãticis, & Diuinatorib⁹, & Mathematicis comparat: quos ſubinde grauiſsimo iudicio condẽnat. Et. l. 3. ſupplicio capitis plectendos cenſet. Et idem habetur inter ordinationes regni tit. 8. cap. 4. l. 1. & 2.

Condemnationes iuris aduerſ⁹ Magos.

Deute. 8.

Leuit. 19.

26. qõ. 5.

C. De maleficijs.

Leges regni

ARTICVLVS. III.

Vtrùm liceat adiurare irrationalem creaturam.

POſtquã viſum eſt tam Deũ quã hoĩes & dæmones adiurari poſſe, ſequit̃ poſtremo an irrationales quoq; creaturas liceat̃ adiurare, ſicuti locuſtas & brucũ, nubeſq; atq; alias tẽpeſtates. Et rñdet D. Th. ſuppoſitis diſtinctiõibus duab⁹ per tres cõcluſiões. Diſtinctio prior eſt. Adiuratio hmõi, aut refert̃ ad ipam irrationalem creaturã itavt oratio & locutio ad illã dirigat̃. Et de hoc eſt prima concluſio. Vanũ eſſet irrationalẽ creaturã ſic adiurare, vt ſermo ad eam dirigeretur. Atq; hanc probant argumenta tria Di. Th. Nam cũ adiuratio non niſi per locutionẽ fiat, quã irrationales creaturæ percipere non valent, fruſtraneũ eſſet illas adiurare. Deinde adiuratio illis tantum cõpetit, quibus cõgruit iurare: irrationales autem creaturę iurare non poſſunt: ergo neq; adiurari. Ad hæc cũ duplex vt dictũ eſt, ſit adiurationis modus. ſ. & deprecatorius, & cõpulſorius, prior vanus eſt reſpectu irrationaliũ creaturarũ, vt pote quæ nullũ habent ſuorũ actionũdñium, vt prece moueri queãt. Poſterior vero ſoli Deo cõpetit cuius ſolius imperio, vt habetur Matth. 8. Obediũt venti & mare: quare nos creaturis irrationalibus nihil imperare poſſum⁹. ¶Secũdo modo fieri põt adiuratio, vt referat̃ ad eum à quo talis creatura agit̃ & mouet̃ nẽpe ad Deũ & ad dę monẽ quorũ actiõe licet diuerſa rõne eiuſmodi tẽpeſtates nobis ingruũt. Enimuero eadẽ eſt actio agẽtis & ei⁹ rei q̃ agit̃ & mouet̃ ſicut mot⁹ ſagittę, & ipſi⁹ eſt tãq̃ rei motę, & ſagittãtis tanquã eã mouẽtis. Quapropter motus tempeſta-

Diſtinctio.

Prima concluſio.

Secund⁹ adiurationis modus.

tẽpestatis est motus ipsius tanquã rei motę, Dei autem tanquam primæ causæ omnium naturalium actionum: & præterea tãquam permittentis dæmonem eisdem irrationalibus creaturis vti ad nobis nocendum. ¶Hac igitur de causa statuitur secunda conclusio. Dupliciter iure possumus irrationalem creaturam adiurare. Vno scilicet modo adiurationem permodum deprecatiõis ad Deum dirigendo & alio modo dirigendo eam ad dæmonem per modum compulsiõis. Atqui prior modus pertinet ad eos qui diuina inuocatione citra exorcismos miracula faciũt: sicuti de Simone & Iuda legitur qui dracones adiurarunt præcipientes eis vt in desertũ secederent, posterior verò pertinet ad exorcistas. ¶Tertia conclusio. Nequaquam licet dæmones in eiusmodi euentibus adiurare, quasi auxilium ab eis implorando. Posset enim vt modo dicebamus vnus dæmon aliũ arcere, & dæmones qui nubila colligunt rogatu nostro cessare, sed hoc esset eos vt Deos colere quod ingens esset apostasiæ crimen.

Secunda cõclusio.

Tertia conclusio.

SEcunda & Tertia conclusiones certissimę sunt, neq; vl ũ præ se ferunt dubiũ quod sit disputatu dignum. Prima vero, quanuis nihilo sit minus certa, est tamen memoriæ penitus contra quorundam abusum cõmendanda. Nempe vt in eiusmodi adiurationibus, quas vulgus coniuratiões appellat, Bruci locustarum & nubium adiuratio non ad huiusmodi res dirigitur. Sed vel ad Deũ per modũ deprecationis, vt dignetur nostri misserere, dæmonesq; cohibere, qui eius permissu eiusmodi tempestates in nos ob moliuntur. Et hic est optimus omnium modus eiusmodi cladibus occurrendi. Quod si adhibeãtur exorcismi, non intelligãtur aduersus res irrationales dirigi, sed aduersus dæmones, vt in virtute Dei cessent nobis esse infectos. Hoc aduersus illos adnotauerim, qui potius impostores, & incantatores sunt, quã exorcistæ: nempe qui cum nubibus & locustis, & brucis cumque alijs eiusmodi bestiolis pugnare contendũt, ac si eorum colloquia perciperent, aut in ipsarum nubium aut locustarum potestate esset cessare. Quin vero litem cum locustis contestantur patronosq; & aduocatos & procuratores illis creant, qui causam ipsarum defendant, illasque coram iudice accusant: à quo conuincuntur, condẽnantur, anathematizantur, & excommunicantur: cum ipsi potius adiuratores excommunicandi essent, atque in vltimas insulas relegandi. Nam si contra vermiculos loquũtur, quid illi intelligunt? Sin vero contra dæmones, quid opus est illos ordine iuris oppugnare? Sane cum nostri sint publici hostes, qui nullo iure, sed sola in suam nequitiam in nos exercent. Atque adeo tanquam manifestarios inimicos nostros sola virtute Dei armatis licet nobis illos propulsare. Haud ergo iudices & ecclesiastici & ciuiles (nã vtrique res incumbit, in huiusmodi impostores, præstigiatores animaduertere negligãt: qppe qui religionem Christianam irrisioni exponunt.

FINIS LIBRI OCTAVI.

DE IVSITIA ET IVRE.

LIBER NONVS
De Iustitia & Iure.

PROOEMIVM.

IN septimo libro, vbi religionis argumentum ingressi sumus, de voto à nobis disputatum est: nempè de his quæ homo Deo suapte sponte pollicetur, atque adeò de sacerdotibus qui diuinis peragendis sacrificijs mancipantur, in proximo de iurandi religione. Subsequitur ergo secundùm ordinem ibidem propositum, vt de illis dicamus quæ mortales religionis vinculo eidem optimo Deo reddere cõstringuntur: vt pote de oblationib⁹ ac de decimis, quæ substantia sunt & alimonia sacerdotum: ac subinde de vitio simoniæ, quo aditus eiusdem sanctæ ecclesiæ pollui solent. Oblationum autem decimarumq; tractationem nequimus aliũde aptiùs ac subinde pulchriùs auspicari, q̃ ab earum radice & fundamento: nempè à sacrificijs, quæ non modò Christiani, verùm vniuersi mortales Deo suo iugiter offerre tenentur. Est enim sacrificiũ, oblationum suprema ad quã reliquę vniuersæ referuntur. Quare duas sacrificiorũ quæstiones præmittere operæpretiũ duximus: vnam in genere, atq; alteram in singulari.

QVAESTIO PRIma. De sacrificio in genere.

S. Tho. 2. 2. quæst. 85.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Deo sacrificare, sit de lege naturæ.

Primum argumentum à parte negatiua.

PRIMVS IGITVR articulus quæstionis de sacrificio est, vtrùm sacrificiorum oblatio sit de iure naturæ. Arguitur namq; negatiuè. Ea quæ sunt iuris naturæ, cunctis sunt mortalibus communia: sacrificia autem Deo offerre non fuit semper vniuersis mortalibus commune & vnum. Abel nanque legitur obtulisse de grege suo: Cain verò de terræ frugibus. Atqui Melchisedec, vt Genesis. 14. relatum est, panem & vinum: alij verò alia animalia: ergo sacrificiorũ oblatio non est de iure naturæ. ¶ Secũdò. Ea quæ ius naturæ docet, minimè credere licet iustos homines præterijsse: de Adam autem nusquam sacrificium obtulisse legitur: neque verò de Isaac: cùm tamen de eodem primo parente Sapiẽtia ipsa capi. 10. contestetur eduxisse eum à delicto suo: vbi potissimum sacrificij oblatio videbatur congruere. *Argum. 2.* ¶ Tertiò. Sacrificia, vt. 10. de ciuit. Dei. autor est Augustin. in quadam significantia offeruntur: significare autem quod vocibus primum (vt 2. de doctri. Christ. idem est author) deinde rebus congruit, humano beneplacito instituitur: non ergo sacrificia à lege naturæ dimanarunt, sed à iure humano. *Argum. 3. Augusti.* ¶ In contrarium autẽ est quòd omni ætate semper fuit apud cunctos mortales aliquod sacrificandi specimen: quod autem mortales omnes docti sunt, natura magistra didicerunt.

CVM res sit per se ipsa euidens, sacrificia, seu Deorum seu viri Dei, ab ipso statim mũdi primordio more & vsu inter mortales celebratissima: superũacaneum fuisset quærere an fuerint. Sed prima quæstio de eorum fonte & origine instituitur: nempè vtrùm sit hominum inuentum, an potiùs documentum naturæ. Vbi primùm omnium non est prætereundum, vt res ipsa, solennissima semper Latinis fuit, ita & nomen eisdẽ esse receptissimum. Est enim sacrificiũ idem quod factio sacri: & sacrificare idem quod sacra facere. Quapropter, vt scienter D. Tho. præsenti quæst. art. 3. adnotauit, sacrificium non idem est prorsus quod oblatio. Nam quicquid in Ecclesia offertur, oblatio dicitur, etiam si nihil circa rem ipsam fiat. Sicut dum offeruntur nummi, aut panis, aut res aliæ: sacrificium autem non fit nisi vbi circa res ipsas Deo oblatas aliquid exercetur. *Quid sacrificium. D. Thomas*

Quales

Quales erant priscis animalium immolationes: & nobis dum sacrosanctum panem benedicimus, frangimus, & consumimus: hoc enim est sacra facere. Vnde apud gentes præter sacerdotes sacrificia offerentes, erant sacrifici qui illa exercebant opera. Est ergo sacrificium, peculiare sacerdotum munus. ¶Ad quæstionem igitur vnica conclusione respõdetur. Sacrificiorum oblatio non solùm diuini iuris est & humani, verùm & ex eorum numero, quæ in iure naturæ sunt posita. Probatur. Ratio ipsa naturalis magistra ex his quæ in se homo experitur eum planè docet alicui superiori esse subditũ. Miseriæ nanq; ærumnæ, & calamitates quibus indesinenter afflictatur, eum commonefaciunt aliunde sibi, hoc est desuper opem ferri. Atq; adeò sentit aliquem sursum existere cuius auxilijs egeat: idq;, quicquid sit, omnes pro Deo habent. Rursus & ex rerum ipsa natura discit sublunaria hæc: quia cœlorum influentiam suscipiunt eisdem esse loco subdita, eademq; ratione terrã cæteris elementis: vt pote quorum rore aereq; iuuatur: ac perinde se etiam ipsum Deo, cuius ope viuit, subiectionem debere atq; honorem. Modus autem sensuali homini congruens est, vt reuerentiam quam Deo debet non modò intùs animo referat, verùm & sensibus signis eandem foris exhibeat. Hac igitur naturali ratione docti atque admoniti sunt vniuersi mortales qualicũque ratione Deum nouerint, eidem sacrificia offerre, in signum debitæ reuerentiæ & subiectionis. Quemadmodùm & inter homines mos subditorum est, dominis, quasi eorum dominium confitentes, munera offerre: hoc autem ipsum in præsentiarum sacrificij nomine intelligimus. Fit ergo nostra conclusio cõsequens: nempè sacrificiorũ oblationẽ esse de iure naturæ. Et est notanda conclusionis persuasio: quæ non de sacrificio tantùm quę mente intus offertur procedit, sed etiam de externo. Nam etsi verus Dei cultus, qui spiritus est cordiumq; inspector, intus in corde potissimum consistat, iuxta illud Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus cõtribulatus: id quod tum Christus ipse Ioannis. 4. testatur dicens, Venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate: tum etiam Apostolus. 1. ad Corint. 14. Orabo spiritu, orabo & mente: tamen cùm nos corporei simus, vtroq; homine debemus eum colere. ¶Ex his vtiq; colligitur quantum ad Dei cognitionem attinet, neq; exterum sacrificium esse necessarium, neque verò vocalem orationem, veluti inter homines, quibus non nisi externis signis aliena corda innotescunt. Neque vero externus cultus laudi datur nisi quatenus ad internum refertur. Attamen non ideo non est magno pretio æstimãdus. Valet enim tum ad excitandum, tum etiam ad testificandum mentis affectũ. Quare suo non caret egregio merito. His nanque quæ ex animo redundant, debitum Deo secũdùm nostram naturam persoluimus. Quare sanctè institutum est vt publicitus in templis res diuina celebriter fiat. ¶Arguat verò quispiam contra conclusionis rationem sic: Naturalis ratio, etsi nos nostrorum defectuũ admoneat, tamen non ab altiori principio nos docet subsidia nobis prouenire quàm à naturalibus causis. Nam si lumen duntaxat naturale consulas, quantum ad corpus perorbes cœlestes naturales philosophi docuerunt nobis esse à natura prouisum: quãtum verò ad animi cognitionem per intellectuale lumen: sed quantum ad affectus per liberum nostrum arbitrium. Respondetur quòd vbi naturalis ratio omnibus est nebulis expurgata, clarè monstrat hæc ipsa naturalia adminicula non nobis sufficere ad medendum omnibus miserijs quas corpore & animo patimur: atque adeò saltem in confuso aliam indicat superiorem causam quam homines pro Deo habent. Quòd si aliquę reperiantur tam barbaræ nationes quæ non nisi vel cœlorum, vel alia inferiora præsidia cognoscunt, solari syderi, aut cuipiã alteri creaturæ honores pendunt diuinos: ac subinde sacrificia. ¶Conclusio ergò cùm sua ratione adeò est lumine naturali nota, vt nulla vnquãm fuerit natio quæ non Deum coleret, sacerdotesq; haberet, atque adeò sacrificia. Duo enim hæc paria cogitare soleo quibus omnis semper constitit respublica: videlicet sacrificium & sacerdotium: lex & gubernator. Nam reipublicę institutor quem primũ illicò scopum ciuium oculis præfigere consueuit, fuit Deus, quem populus veneraretur & à quo subsidia posceret. Mox, quibus coleretur, sacrificia instituere. Deinde leges condere eidem religioni cõgruas: ac subinde magistratus penes quos sita esset legum custodia. Sic enim Liuius tradit, Numam illum secundum Romanorũ Regem instituisse rempublicam. Vnde Arist. 6. Ethi. capi. vlti. inter magistratus sine quibus constare nequit respublica, connumerat sacerdotes qui publicis sa-

Cõclusio rñ sua.

Probatio.

Solutio.

Paulus.

Corollariũ.

Arist.

cis sacrificijs addici debent: quorum quidem præsidentes, tum reges sacrorum dicuntur, tum Pontifices Maximi. Idq; repetit libr. 7. cap. 8. vbi in primo magistratuũ gradu eosdem collocat sacerdotes. Et Ethi. 8. cap. 9. ad rationem alludens nostræ conclusionis, ait sacrificia vetusta post perceptionem frugũ fuisse fieri solita. ¶Quòd si historias tam nostras quàm profanas perlustres, statim ab orbe condito, Abel, Noe, ac Melchisedech, in lege naturæ videas oblationes, & sacrificia obtulisse. Et ante legem datam, Abraham etiam & Iacob. Et in sacra prætereà historia, Genesis, 47. extat sacerdotum Aegyptiorũ memoria, qui erant regalibus priuilegijs insignes.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum respondetur, quòd sacrificiorũ oblatio, si eam in genere mediteris, cũctis fuit gentibus sem per communis: quòd autem his vel illis vterentur, constitutiones fuerunt humanæ secundùm hanc, aut illam Dei cognitionem quã vnaqnæq; gens attingebat. Hac enim ratione dicebamus libro proximo, & secundo, humanas leges à naturali deriuari: scilicet per modum determinationis generis ad species. Est enim lex naturæ vt malefactores supplicio plectantur: quod autem hoc aut illo, lex sanxit humana, secundùm cuiusque nationis ingenium. Et idem est de cultu, & sacrificijs. ¶Et per hoc respondetur ad argumentum tertium: videlicet quòd suos significare conceptus, naturale est homini: his autem, aut illis vocibus & signis, cuiuslibet est nationis placitum. ¶Ad secundum verò respondetur non esse dubitandum, quin Adam & Isaac, sicut & cæteri iusti, sacrificiũ obtulerunt: maximè cùm Adæ sua innotuerit culpa, atq; Isaac sua etiam originalis: quæ quidem culpa secundùm Gregorium antiquis patribus per sacrificiorum oblationes remittebatur. Sed non opus fuit vt vniuersa in sacram historiã essent relata. Et fortè consultò. Nam cùm in Adam initium habuerit culpa, non est tanquam oblator sanctificantis hostiæ nominãd: sed filij sui Abel & Cain in quibus sacrificiorum disparitas quæ semper fuit in orbe placentium & displicentium Deo, notata fuit. Sacrificij autem quod Isaac obtulerit, ideo forsan non habetur in sacris memoria, q̃ ipse fuit à patre in sacrificium oblatus, tanquàm hostiæ Christi prognosticũ, quod vniuersorum apex radixq; fuit.

Ad tertiũ argumẽtũ.

Ad secũdũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm soli Deo sit sacrificium offerendum.



OVONIAM dicere visi sumus, Deo, cuius ope indigemus, sacrificia à nobis deberi, arguitur q̃ non illi sit soli sacrificijs litandũ. Sancti homines, iuxta verbum Petri in. 2. Canonic. diuinæ efficiuntur consortes naturæ. Præterea angeli, vt patet Iob. 1. filij Dei nominantur: ergo vtrisq; decet sacra litare. ¶Secũdò: Maior illis quãm terrenis principibus debetur honor: sed homines principibus honores deferunt & munera offerunt: ergo licitum est, vt sanctis sacrificia fiant. Eò potissimùm q̃ aras illis templaq; & altaria erigit Ecclesia. ¶In contrarium est illud Exod. 22. Qui immolat dijs, occidetur, præterq̃ Domino soli.

Primum argumentũ.

Argu. 2.

AD quæstionem simplici conclusione negatiua respondetur. Nemini præterquã vni summoq; Deo fas est sacrificia immolare. Conclusio præter allatum testimonium triplici ratione probatur. ¶Prima autẽ ex superiori facilè colligitur. Dictũ enim est sacrificium exterius, ceu testimonium offerẽdum esse interni illius quod est in anima: nam religio exterior in hoc potissimũ seruit anima verò se illi in sacrificiũ addicit, penes quẽ, vt dicebam⁹, situ esse cognoscit suũ præsidium & subsidiũ: ille autem solus est Deus: ergo illi tantùm sacrificia debentur. Probatur hæc postrema præmissa. Homo sicuti & rerum vnaquæq; præter Deum & ab aliquo principio emanare se cognoscit, & in aliquẽ vltimum tendere finem, qui sua est suprema fœlicitas: Deus autem solus est & principiũ hoc, & subinde finis, atq; adeò ab ipso veluti à primo fonte, & quicquid habemus recepimus: & ad id quò tendimus adiuuamur. Soli ergo ipsi fas est sacrificia libare. Accedit secundò q̃ illi tantũ licitũ est sacrificare apud quem licitũ est orationibus nostris ac precationibus accurrere, tanquã ad illũ vñ nos, nostraq; vtriusq; hominis salus pendet. Hac autẽ ratione solũ Deũ oramus, vt nostri misereatur, nobisq; opẽ ferat. ¶Ad idem facit tertiò exemplũ quod inter homines cernimus. Regi enim, summo reipublicę capiti, illi dicati sunt honores: quos alteri inferiori deferre, crimen esset læsæ maiestatis: debet enim præciuibus cunctis in ea esse excellentia, vt ei quempiã

Conclusio negatiua.

Prima ratio conclusionis.

Secũda rõ.

Tertia.

quempiam exequare, citra eius iniuriam fieri nequeat. ¶Hæc igitur nos conclusio docet, sacrificare, officiũ esse cultus latriæ, hoc est seruitutis & subiectiõis quæ soli Deo debetur. Id cuius nos Paulus ad Roma. 1. planè *Paulus.* curauit admonitos: vbi impudentissimam illam gẽtiũ idololatriam obiurgabat, arasq; eorum, & lucos, ac subinde nefaria sacrificia abominabatur: quæ cùm honores essent soli immortali Deo iure proprio debiti, vilibus creaturis impendebant. Et est prætereà con- *Augusti.* clusio D. Augustini. 10. de Ciuitate Dei: quam capi. 4. & subsequentibus luculenter ediſſerit: vbi rationes D. Th. insinuat. Deus nanq; sacrificia nostra nõ ideo quòd illis indigeat à nobis exposcit: est enim, teste Dauide, Deꝰ qui nostrorum nullatenùs bonorum eget: sed significationis gratia. Primùm scilicet, vt exterioribus rebus vera cordis sacrificia expromamus. Vnde sacrificium, inquit, visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum est: hoc est sacrum signum. Interna autem sacrificia protestationes esse debent, quibus Deũ profiteamur, eum esse vnũ, à quo salus nostra, totaque rerũ summa, ac demũ suprema nostra fœlicitas pendet. Quare dum peccamus, cõfitentes cum Propheta ei soli peccasse, corda nostra conterimus & contribulamus, atque orationes ei velati suauissimũ incensum adolemus: cuius vtique sacrificij signa erant illa quę sub antiqua lege in victimis atq; incẽso offerebant. Vbi ꝓfectò egregiè sacer ille pater versiculum illum pœnitentis Dauidis interpretatur: Si voluisses sacrificiũ, dedissem: vtiq; holocaustis nõ delectaberis. Sacrificiũ Deo, spiritus contribulatus: cor contritũ, & humiliatum Deus non despicies. Admonet enim nos propheta ea ratione Deum nolle sacrificia qua vulgus eum velle arbitratur: scilicet quòd in pecudum trucidatione deleˊtetur: aut quòd illis cibis indigeat: quas qui dem demẽtium cogitationes in alio Psalmo retundit dicens: Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorũ potabo? Quasi diceret: Ego quidem esurire nõ possum, & ideo tauris tuis & hircis in cibum non egeo. Neq; verò si esurire possem, tuo indigerem pastu: nã meus est orbis terræ & plenitudo eius. Non ergo hac ratione vult sacrificia. At quia non omnino ea renuit ac despicit, sed grata habet, tanquam signa spiritualis sacrificij, subdit: Sacrificium Deo, spiritus contribulatus. &c. Per hæc ergo ratio elucidatur priscorum sacrificiorum: nempè immolationis animalium, emissionis hirci, ac cæterorum. Ratio inquam erat quòd non offerebantur tanquã res simplices: sed tãquã signa. ¶Duo aũt ex his fiunt reliqua dubia. Prius de sacrosancto sacrificio altaris nostri, quod re vera non tantùm vt signum â nobis offertur, sed veluti res nullo æstimabilis pretio, Sanè cùm deo Deum ipsum in pretium debitorum nostrorum offeramus, vt quæstione proxima dictu risumus. Ad hoc autem respondetur, rationem huius immensæ hostiæ longè esse à reliquis diuersam: nam est commemoratio pretij humanæ redemptionis. Tametsi nihilo minùs signum sit seruitutis nostræ, quo profitemur totum nostrum genus, tum prævaricatione in Deum fuisse collapsum, tum eius beneficio seruatum: atque adeò eiusmodi expiatione in eius gratiam reuocatum. Sed de hoc statim latius. ¶Alterum verò dubium est, quòd videtur Christianorum mores præsenti conclusioni contradicere: nam & Dei paræ Virgini cæterisq; diuis in more nobis est munera offerre, locaque habere designata quorum deuotiõe diuersis sanctis nosipsos nostraque offerimus, atque id etiam sub forma sacrificij: nam & sanctis thura adolemus, & cereos incendimus, & reliqua facimus quæ imaginem præ se ferunt sacrificij. Hoc autem dubium, argumentorum respon sa dissoluent.

Ratio veterum sacrificiorum.

Prima dubitatio.

Solutio.

Dubiũ.

AD primum igitur respõdetur, quòd etsi angelis ac sanctis diuinitatis nomen per Dei gratiã cõmunicet: iuxta illud. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes: nempè in filiorum ordinem adoptati: tamen hæc non est diuinitas per naturã & æqualitatem Dei. Quare nemini præter ipsum par est honores deferre diuinos: atq; adeò neq; sacrificia facere ratione iam dicta. ¶Et ex hoc deriuatur solutio argumẽti secundi: nempè q etsi principibus humanis maiora offerantur, quàm quæ antiquitus, & præter sacrificium altaris modo offeruntur Deo: tamen pretiositas sacrificij non æstimatur secundùm rem quæ offertur, sed secundùm cultus subiectionisq; significationem: & ideo sicut illa qua homines Deo subduntur, obedientia & veneratio nemini præter ipsum impendi potest, sic nec vlla sacrificij ceremonia. ¶Ad tertiũ demum respondetur, ex hac veritatis cõfessione nullatenùs fieri consequens, vt non modò hæretici,

Ad primũ argumẽtũ

Ad secũm argumẽtũ.

Ad tertiũ argumẽtũ.

tici, verùm & alij arbitrantur qui nolunt illo nomine censeri, vllam idololatriæ imaginẽ hac religione palliari, quòd diuis munera offerimus: nam in primis illa non sunt sacrificia, sed meræ oblationes. Etenim verum sacrificium altaris soli Deo offerre fas est. Vnde Augustinus. Augusti. 8. de Ciuita. Dei: Non constituimus martyribus templa sacerdotalia: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Vnde sacerdos non dicit, offero tibi sacrificium Petre vel Paule: sed Deo dicimus. Accipe oblationem quam tibi offerimus. Sanctorum autem memoria fit in Missa, tũ quia de eorum victorijs Deo gratias referimus, tum quia eos oratores atq; intercessores nostros apud eundem Deum nostrũ constituimus. Prætereà & simplicia munuscula quæ sanctis offerimus, in Dei laudem & honorem referimus: quippe qui amat in sanctis suis laudari, quatenus eius sunt filij ad æternam iam hæreditatem recepti. Quemadmodum quo regis famulos honore dignaris, regem ipsum colis. In summa, sicuti sanctos sola duliæ adoratione colimus, non latriæ: & oratione pulsamus, non vt nostri misereantur, sed vt pro nobis orent: eodem interstitio oblationes illis facimus, nõ sacrificia. ¶ Hinc fit absurdè eos errare qui licere negant & eleemosynas in honorem Virginis & sanctorum, aut petere aut porrigere. Nam primum nihil aliud est quàm gratitudinis virtus si sanctorum ipsorum amore eleemosynas ob id conferamus, quòd nostri sunt interuentores apud Deum: vt suo charitas officio par rependamus. Et prætereà eleemosynæ quas in honorem sancti pendimus, perinde ac de alijs oblationibus dictum est, in Dei honorem cedunt.

Licitum est eleemosynas in honorem Virginis ac sanctorũ petere & porrigere.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm sacrificiorum oblatio sit specialis virtutis actus.

POstquàm visum est de substantia, & obiecto, seu fine sacrificij, quæritur quàm latè pateat. Primùm in hoc articulo quantum ad actus, an videlicet omnia opera omnium virtutum, sint sacrificia. Et subinde articulo sequenti quantum ad personas, quæ ad sacrificia obligantur: vtrùm vniuersi mortales ad hoc obligentur. Quæritur ergo vtrùm offerre sacrificia ad specialem pertineat virtutẽ. Arguitur enim negatiuè. Primùm ex Paulo. Admonet quippe sic nos ad Ro. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuẽtem, Deo placentem, &c. & ad Hebræos vltimo: Beneficẽtiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Exhibere autem corporum membra in hostiam, ad corporis affectionem attinet, cuius maceratio per plures fit virtutes: nempè per abstinentiam & ieiunium, per castitatis continẽtiã, & per fortitudinem in martyrio. Et pariter beneficẽtia, quę officium est charitatis, per misericordiam exercetur, & per liberalitatẽ: nõ ergo sacrificare officiũ est singularis virtutis, sed omnium. ¶ Huc secundò accedit Augus. lib. 10. de Ciui. Dei: vbi ait verum sacrificium esse omne opus quod agitur vt in sancta societate inhęreamus Deo. ¶ Adde tertiò quòd sacrificium id omne censetur quod offertur Deo. Offerimus ei autem tum mente deuotionem & orationẽ, tum etiam corpore res: vt decimas, primitias, & holocausta. &c. quæ variarum sunt virtutum officia. ¶ In contrarium est quòd singularia præcepta non dantur nisi de actibus singularis virtutis: & in Leui. singularia sunt de sacrificijs posita.

Primum argumẽtum.

Argu. 2. Augusti.

Argum. 3.

VEritatẽ huius quæstionis pluris iam propter Lutheranos scire refert, quàm elapsis temporibus referebat. Negant enim nõ minùs obstinanter quàm impudenter aliquod esse familiæ Christianæ singulare sacrificium, ad certam attinens virtutem & cultũ: sed dicũt omnia virtutum officia nihil aliud esse quàm sacrificia quædam: atque adeò in Christianismo nullum dignoscunt singularem sacerdotum ordinem: sed aiunt vniuersos Christianos vtriusque sexus esse promiscuè sacerdotes: iuxta verbum Petri, in sua prima Canonica, vniuersos appellantis regale sacerdotium. Ac perinde inficiantur sacro sanctum altaris sacramentum esse sacrificium. De quo quidem expugnando errore constituta hic nobis est proxima, quæ subsequitur, quæstio. ¶ Vt igitur hic articulꝰ eiusdem sit quæstiõis subterniculũ, rñdetur ad præsentẽ quæstionem tribus cõclusionibus. Prima: Sacrificiorum oblatio secundùm suã propriã rationem, est actus specialis virtutis: nempè religionis: suã inde nanciscens laudẽ, ꝙ in diuinã fit reuerentiã. In hoc enim, vt lib. 2. dictũ est, propria ratio religiõis cõsistit: ¶ Secũda: Cuncta officia vniuersarũ virtutũ participatiuè

Lutheranorum error.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

ticipatiuè & ab extrinseco quatenus per religionis virtutem in diuinum honorē & cultū referuntur. sunt quędam sacrificia. Exemplo ambæ simul cōclusiones patescunt. Virtutum singulæ ex suis proprijs obiectis fortiuntur speciem: vt alia sit fortitudo: & alia iustitia: & sic cęterę. At verò dum per charitatem referuntur in Deum, quandam charitatis speciem participant: sed nihilo minùs charitas suum habet proprium obiectum & actum, qui est Deum sub ratione bonitatis eius diligere, ac subinde eâdē ratione proximum. Similiter in vitijs furtū per se est peccatum: attamen dum sit propter mœchiam quandam, inde maculam eiusdem vitij contrahit, vt. 5. Ethicorum autor est Aristo. Pari ergo modo propriū religionis obiectū est, Dei excellentia & omnipotentia nobis opitulādi, quā sacrificijs & hostijs protestamur: significantes nos illi esse subditos, & tanquā domino tales debere honores. Quapropter corda nostra altaria ei constituimus, in quibus & per pœnitentiam cruentas peccatorum victimas ei cedimus, & per fortitudinē pro eius veritate martyrio nos cōsecramus: & per charitatis feruorem incensum ei adolemus: ac perinde per misericordiā eius amore pauperibus subuenimus: & per temperantiam corpora maceramus. Cum hæc inquā omnia in Dei cultum & honorem virtute religionis referimus, sacrificiorum rationem participant. Et hoc pacto intelligendus est Augustinus libro allegato de Ciuitate Dei. cap. 4. vbi quædam horum exempla congeminat. Et illud Oseæ vltimi: Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Et ad Hebræo. vltimo: Per ipsum (scilicet Christum) offeramus hostiā laudis semper Deo: hoc est fructibus labiorum, eius celebrantes nomen. ¶ Tertia conclusio. Sunt tamen actiones quædam & officia quæ nullam habent aliunde laudem quàm quòd in diuinam reuerētiam significandi gratia exhibentur. Et hæc maximè propriè dicuntur sacrificia. Exempli gratia: Eleemosynas erogare, temperatè ac fortiter agere, etiā si nō per virtutē religionis sacrificia fierent, essent nihilo minùs per se virtutes. Attamen vetus illa animaliū occisio, & aspersio sanguinis, pinguedinumq; incensio, si significationis ratione semoueas, nullam per se haberēt virtutis rationem: & ideo hęc peculiariter dicuntur sacrificia: quasi nō aliam promerentia quā religionis laudem. ¶ Argumenta igitur in cōtrarium allata, per has tres conclusiones dissoluuntur. Probant enim officia aliarum virtutum esse, non intraneè suapteq; natura sacrificia, sed extrinsecùs propter relationem in reuerentiam Dei. Quo tamen non obstante, sacrificandi munus officium est specialis virtutis religionis.

Ratio vtriusq; conclusionis. Aristot. Ad argumēta facta.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm vniuersi mortales ad sacrificia teneantur offerenda Deo.

POstquam visum est quo modo sacrificandi virtus cæteris virtutibus imperet, vtpote quasi in suū ipsius finem eas referens, videre restat quàm latè se ad omnes mortales extendat. Arguitur nihilo minùs à parte negatiua. Inde sacerdotes nomē trahunt quòd litandis sacrificijs sunt adscripti, non autē omnes sunt sacerdotes: ergo neq; omnib⁹ incūbit sacrificādi munus. ¶ Secūdo: sacrificare propriū est populi sub lege Dei peculiariter agētis. Nā vt ait Apostolus ad Rom. 3. quæcunq; lex loquitur, his qui sub lege sunt loquitur: & lex vetus fuit vbi primo populus est: ad sacrificandū vero Deo institutus, vt patet in toto Leuitico: ergo gentiles, qui sola viuūt lege naturę ad nulla tenentur sacrificia. ¶ In contrariū autē est quod sacrificijs Deum reuereri ac venerari est de lege naturæ: ad ea autem quæ sunt legis naturæ, vniuersitas mortalium tenetur.

Primum argumentum *Argumē. 2.* *Paulus.*

AD quæstionē sub distinctione quatuor conclusionibus respondetur. Est enim sacrificium, aliud intraneum quod mente immolatur: aliud verò extraneum quod foris exhibetur. Atq; hoc extraneum rursùs duplex, vt superiùs dictum est: aliud scilicet quod sic specialiter est sacrificiū vt nullam habeat aliunde laudem, aliud verò quod per se quidem officium virtutis est, licèt relatum in reuerentiam Dei fiat sacrificium: qualia sunt cuncta virtutum munia. ¶ Est ergo prima conclusio: Ad sacrificium mentis internum nō solùm antiqui lege scripta, Christianique sub lege gratiæ, verùm & mortalium vniuersitas lege naturæ tenetur: nemo enim viuentium existit qui quatenus creatura Dei est, atque ad ipsum tanquam ad supremum finem condita, non teneatur illam

Duplex sacrificij genus *Prima conclusio.*

intus reuerentiam illi exhibere quæ primo rerum principio supremoque fini debetur.

Secunda cõclusio. ¶Secunda conclusio. Ad illa sacrificia quæ sola significatione virtutem religionis induunt, soli illi tenentur qui sub lege scripta Dei agunt: vt patres ad suum sacrificiorum numerum: nos verò ad vnicum nostrum.

Paulus. Hoc enim probat locus ille Pauli citatus ad Romañ. 3. nam lex illa solùm obligabat suos subditos sicut nos nostra.

Tertia conclusio. ¶Tertia conclusio. Nihilo minùs solo naturali iure viuentes, quocunq; sæculo fuerunt futuriq; sunt, eodem semper astricti sunt iure ad aliquod exhibendum sacrificium, quo secundùm legitimam cognitionem quam de vna prima causa habere tenentur, profiteantur se illi esse subiectos, honoresque diuinos debere: per cuius quidem sacrificij protestationem in lege naturæ ablueretur eis originalis macula. Conclusio est manifesta: quoniam eo ipso quo quis nouerit vnum primum rerum parentem, intelligere debet illi esse subiectum, atque adeò, non solùm mente, verùm & corpore obligari eum colere. Eò potissimum quòd nunquàm Deus humanum genus remedio destituit abluendæ originalis culpæ: nisi mentis cæcitas aliquibus mortalibus impedimento fuerit nè illud deprehenderent.

Quarta cõclusio. ¶Quarta conclusio, Sacrificia quæ ab extrinseco sic dicuntur, hoc est cuncta virtutum opera vniuersi tenentur Deo offerre, vel actuali, quod aiunt, vel virtuali relatione: nam tenetur quisque proponere vni seruire primæ causæ supremoq; rerum fini, declinãdo à malo & sequẽdo bonum: ac subinde eidem officia cuncta offerre & obsequia sua, cui vniuersa bona tenetur accepta referre. Hic autem non est locus quo hæc debeãt altioribus principijs disputari: in hoc quippe duntaxat, hìc cõmemorata à nobis sunt, vt literam Diui Thomæ per conclusiones distribuentes, viam sterneremus ad quæstionem proximã quæ de peculiari est nostro sacrificio. ¶Et per hæc ad argumentum respõdetur. Nam quatenus homines virtutum omnium officia in Deum referunt, Petrus Apostolus Christianos vniuersos appellauit sacerdotes: tamen illis propriè nomen conuenit, qui propriè

Ad argumẽta facta. sacrificant: hoc est illas ceremonias in quibus diuinus cultus consistit peragunt. ¶Argumenta autem initij quæstionis id prorsus conuincunt, quòd non singuli mortalium propriè offerunt sacrificia: & idcircò nihil definitioni quæstionis præsentis obstant: nimirum qua id tantùm cõstitutum est, quod iure naturę vnaquæq; respublica tenebatur per suos sacerdotes quos huic muneri mancipare debet, Deo Optimo Maximo genus aliquod offerre sacrificij.

QVAESTIO SECVNda, De ineffabili sacrificio altaris in particulari.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm sacrosanctum Sacramentum altaris sit verè sacrificium.



VM SATIS demonstratum sit, sacrificiorum ritum ad religionem iure naturæ pertinere, consequens fit vt ad ineffabilem Christianorum hostiã descendamus: nimirùm cum primis interrogantes, sitne aliquod peculiare sacrificium Christianæ familiæ, idemq; sacrosanctũ altaris sacramentum. Videtur enim Paulus huiusmodi confessioni ad Hebræos. 10. refragari: vbi conferens Christum supremum sacerdotem nostrum cum antiquis, qui hostiarũ multitudinem quotidie frequentabant, ait: Hic autem scilicet Christus, vnam pro peccatis offerẽs hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. Et è vestigio iterum: Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos. Ac subinde rursum voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam nõ relinquitur pro peccatis hostia. Qui bus vtiq; assertis contestari videtur vnicam fuisse veram victimã quam Christus in cruce obtulit: atq; adeò altaris sacramentũ non esse sacrificium. Alioqui non vna, sed quàm plurimæ existerent hostiæ, quæ peccãtibus nobis essent à Christo relictæ. ¶Adde secundò q̃ cùm hæc altaris cerimonia nihil aliud sit quàm memoria illius Christi passionis, vt illud eius commonstrat mandatum: Hæc in meĩ memoriam facietis: nõ modò abusus videtur

Primum argumentum

Argumẽ.

videtur vocis, verùm & temeritatis audacia, appellare illud sacrificium: memoria siquidem rei non est noua res, sed antiquæ repræsentatio. Etenim dum memoriam Natiuitatis aut Resurrectionis festiuè celebramus, non vtiq; consideramus tunc Christū nasci aut resurgere: Quare neque dum in altari eum offerimus, ipsum tunc fingere licet crucifigi aut mori: sed in memoriam reducimus, quemadmodùm se ipse obtulit. ¶Ad hæc tertiò: Christus nō se obtulit sub speciebus panis & vini: ergo nostrum sacramentum, non est sacrificium, sed sacrificij memoria. Præterea Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 20. lib. 4. de Trinitate: In immolatione, inquit, Christi idem est sacerdos offerens, & ipsa oblatio: quod in Missa non vsu fit. ¶In contrarium est solennis ecclesię confessio in venerando canone, qui omni est antiquior memoria. Nam ante venerabilis sacramenti consecrationem perhibet sancta Ecclesia offerre se diuinæ maiestati, sancta sacrificia illibata: ac subinde post consecrationem protestatur se eidem diuinitati offerre hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam: panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis æternæ.

Argumē. 3

Augustin⁹

SAcrosanctum sacramentum altaris adeò est religione nostra ac fidei confessione perspicuum, esse sacrificium, vt nisi in diabolo diuinitùs permissa tanta esset potestas homines demētandi, nullus posset Christianorum eatenùs desipere, vt id vnquam inficias iret. Attamen ille Vviclef Anglus, Sathanica furia correptus, cùm omnes ritus ac sacramenta Ecclesiastica è medio tollere pertenderet: & hoc etiam diuina maiestate plenum demoliri conatus est. Et quatenus sacramentum est, & quatenus sacrificium. De quo articulo venerabilis Vvaldensis contra ipsum egregiè disputauit, libro secundo de sacramentis: ac de hoc peculiari puncto an sit sacrificium, cap. 31. & 32. Post verò Lutherus qui in omnia eius verba diabolicè iurauit, idem sacramentum negat esse sacrificium. De qua ideo re virulentum edidit libellum, cui titulum fecit, De abrogāda Missa priuata. vbi postquàm inanibus rationibus, quas nos modò retulimus, visus sibi est rem demonstrasse, amarulentis nos scommatibus proscindit: dicens quòd qui sacramentum altaris sacrificium vocamus, idololatra impietate commaculamur: imò eodem verbo ait nos negare, Christum semel tantùm fuisse mortuum. Nam suam, inquit, mortem vnicum esse voluit sacrificium. Infert ergo subinde nullum esse peculiare sacrificium in Ecclesia Christi, sed cuncta Christiana opera, nempè eleemosynas, orationes, atque oblationes, & reliquarum virtutum officia esse nostra sacrificia. Et quoniam sacerdos ab immolando sacrificio dicitur, eâdem ratione totam Ecclesiasticam Hierarchiam subuertit, negans distinctos esse gradus episcoporum, sacerdotum, & laicorum: sed quotquot Christiani sunt, ait esse sacerdotes: iuxta illud primæ Petri. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, &c. Ob idque vnumquenque suum offerre sacrificium sacramentaq; ministrare posse, etiam altaris. ¶Contra hanc autem absurdissimam hæresim, non duæ dicam constituuntur modò conclusiones, sed ostenduntur legitimè ab Ecclesia constitutæ. Prior. Adorandum altaris sacramentum non solum vti cętera sacramentum est, verùm proculdubio victima & sacrificium: idemque Christicolis vnicum. Probatur conclusio primùm omnium naturali iure. Nulla enim vnquam fuit, vt quæstione proxima dicebamus, mortaliū respublica quæ secundùm existimationem, quam vel Dei vel deorum haberet, non peculiaria sacrificia institueret, vt illo potissimùm ritu ab alia republica dignosceretur. Quapropter alia erant Athenienſibus sacrificia, alia verò Lacedæmonijs, atque alia Romanis. Adeò vt illis quatuor confessum vbique semper fuerit, constare rempublicam scilicet sacrificio, sacerdotio, legibus, & gubernatore. Cùm ergo nos per Dei gratiam tam alta insigniti simus veri Dei cognitione, non modo impium, verùm & barbarū est prorsum ambigere, quin peculiare sit nobis sacrificium, in quo nostra religio consistat. Quòd nisi hoc altaris confiteamur, nullum inter Christianos sit reliquū, quod propriam habeat rationem sacrificij. Enimuerò oblationes aliæ, nempè decimæ & primitiæ: in summa, reliqua opera virtutū, vt quæstione præcedenti dicebamus, non sunt secundùm propriā speciem sacrificia, sed relatione extrinseca: quia per virtutem religionis in honorē Dei referantur. Sacrificium verò, quo propriè in signum subiectionis Deum colam⁹, si hoc altaris sustuleris, nullū fit reliquum. ¶Mox ex lege Moysi secundum sumitur

Vviclef.

Vvaldēsis.

Lutherus.

Prima conclusio.

Prima probatio.

Secunda ratio.

argumentum. Iubebat enim lex illa numerosissimam sacrificiorum hostiarumq; oblationem, quibus tum suam subiectionem erga Deum commendabat, tum etiam nostram præfigurabat legem. Ergo nisi legem illam nostræ velis dignitate præferre, necesse est Euangelium professis peculiare esse sacrificium: quod vt identidem repetamus, præter illud altaris nullum est proprie. ¶ At vero respondet Luthêrus hæc omnia probare aliquod esse sacrificium Euangelicum: hoc tamen, inquit, non fuit nisi illud quod Christus in ara crucis semel obtulit. Attamen responsio hæc minimè rationibus nostris satisfacit. Enimuerò sacrificium, quod religioni peculiare est, tandiu durare debet, quamdiu religio perstat: illud autem Christi in propria specie nõ iteratur. Nam vt ait Paul. Christus semel mortuus est, siquidem resurgens ex mortuis, iã non moritur: Mors illi vltrà non dominabitur. Necessarium ergo fuit sacrificiũ institui, quod religio Christiana quotidie Deo suo offerret, tum pro alijs ab eo receptis beneficijs, tum præcipuè pro illo redemptionis insigni. Alioqui vt dicebamus, inferior obscuriorq; hac parte esset lex nostra, nõ modò quàm vetus, verùm & quàm lex naturæ ¶ Tertium subinde argumentum est, quod Christus, vti tum Psaltes prophetauit, tum Paul. interpretatus est, fuit sacerdos secundùm ordinem Melchisedec: qui obtulit panem & vinum. Cùm ergo in cruce nõ has corporum species, sed suum propriũ corpus moriens immolauerit, documentum est maximum, hoc quod nos, qui sua membra sumus, sub eisdẽ speciebus quotidie offerimus, legitimum esse nostrum sacrificium. Quare seipsum, panem de cœlo descendentem nuncupauit. Atqui ceu huius præsagiũ, præter Agnum paschalem, quem secundùm legis mandatum Exo. 12. antiqui patres semel quotannis in figuram Christi passionis immolabãt, iubebantur & Numeri. 28. offerri quotidie in templo duo aguiculi immaculati in holocaustum: nempè vt doceremur, non modò quod Christus obtulit, sed & quod nos quotidie offerimus legitimum esse sacrificium. ¶ Quarto loco arguitur. Quicunq;, vt paulò antè dicebamus, peculiare aliquod ac nostræ religioni propriũ renuerit esse sacrificium, debet perinde & peculiarem sacerdotum ordinem ac pontificum, vt Luthêrus fecit, prorsum denegare: quo vtiq; sublato speciosissimus ecclesię decor & pulchritudo cõfunditur ac perturbatur: quod quàm sit Christi prouidentiæ indecens, nullus est vel mente captus qui non planè videat. Cùm enim, vt Diuus ille vetustissimus Dionysius in lib. de Cœlesti. Hierarchia testatur, triumphantium cœtus, angelorum Hierarchijs pulcherrimè disponatur, cur quæso sancta militantium Ecclesia quæ prophetico testimonio vt regina Christo à dextris assidet circumamicta varietate, non simili ordinum dispositione, functionumq; discretione, vt idem ipse Dionysius in libro Ecclesiastice Hierarchię optimè collegit, non sit distincta? Augetur & huius rationis vis exemplo ciuilis reipublicæ: quæ cùm distinctis magistratibus vsq; ad regem ascendat, testimonio est quòd nisi Ecclesia sic esset dispositа, prouidentiam eius non referret qui illã instituit. Quin verò cùm Deus orbem ipsum tam multiuga cœlorum, elementorumque, ac rerum varietate constare voluerit, cur eâdem simili pulchritudine suã orbasset Ecclesiam? Adde quòd & lex vetus Euangelij vmbra distinctis ordinibus sacerdotum, ac Leuitarum, quibus Summus præsidebat Pontifex, diuinitùs est instituta. Vmbram illo decôre honestauit, cur & veritatem ipsam promiscua confusione deshonestasset? ¶ In summa, erant gentibus suæ religionis peculiares sacerdotes, quare non in nostra, quæ sola legitima est, diffiteantur isti peculiarem existere gradum ordinemque sacerdotum? Accedit enim & Pauli analogia primæ ad Corinth. 12. vbi declarat quemadmodùm & humanum corpus, sic & Ecclesiam varijs membris compingi. Vnde ad Ephesi 4. dedit quosdam quidem Apostolos, quosdã autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores: ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Igitur cùm palàm constet singularem esse in ecclesia sacerdotum ordinem, fit vt & peculiare quoque sit sacrificium, quod eorum est munus. Colligamus ergo ꝙ vt Christiani omnes generali nomine sacerdotes ob id dicuntur secundùm Petrũ Apostolum ꝙ officia virtutum quæ extrinsecùs communiq; nomine dicuntur sacrificia offerunt, sic per antonomasiam ex proprio munere illi dicantur sacerdotes qui singulare propriumq; immolant sacrificium. ¶ His præterea rationibus accedunt sacrosanctæ Ecclesiæ decreta: nempè antiquissimi in primis

Euasio Lutheri. *Replica.* *Tertia ratio.* *Quarta ratio.* *Dionysius.* *Cõfirmatio.* *Quinta ratio.* *Paulus.*

Concilium Nicenum. mis Niceni Concilij, vt habetur dist. 93. c. per uenit. Cuius verba sunt: Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, vt hi qui offerendi sacrificium non habent, potestatem his qui offerunt corpus Christi porrigant. Et *Innocentius tertius.* Innocen. tertius in Conci. Lateranensi, vt de summ. Trini. &, fi. ca. c. firmiter. habet. Vna, inquit, est fidelium vniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluabitur: in qua idem ipse sacerdos est & sacrificium Iesus Christus. Et nè putes ad mortem eius tantũ allusionem fieri, subditur: Cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur. Quasi dicat: Quod ipse semel sub carnis forma immolauit sacrificium, nos quotidie sub specie bus panis & vini offerimus.

Ad primũ argumentũ AD primum igitur argumentum ex Paulo ad Hebræos. 10. desumptum, respõdetur, Apostolum illic sermonem prorsus habere de hostia quam Christus in ara crucis, videlicet proprium corpus idemq; sub specie carnis moriens obtulit. Quæ quidem vnica fuit, eademque infinito modo sufficiens ad delictorum omnium remissionem. Qua ratione iterari neq; debet, neq; potest. Eâdẽ tamen veritate nihil obstante, & hoc quod quotidie offerimus verè est sacrificium, quatenus â Christo, ceu eiusdem sacrificij me- *Ambrosius* moria institutum est. Vnde Ambrosius super eodem loco, Semel oblata est hostia ad salutem sempiternã potens. Quid ergo nos? nónne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius & vna est hostia, non multæ. Quomodò est vna, non multæ? quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplũ est illius: idipsum semper idipsum: proinde hoc idem est sacrificium. Sicut id quod vbiq; offertur vnum est corpus, & non multa corpora. Ecce quomodò sacramentum verè sacrificium est: atq; idem quod Christus obtulit. ¶Sed hinc emergit vis secundi argumenti. Sacramentũ hoc nihil aliud habet vt sit sacrificium, nisi quòd est illius commemoratio: memoria autem non est vera res: aliâs memoria natiuitatis esset natiuitas. Quòd si dicas, vti ait ad *August.* Simplicium Augustinus consueuisse imagines, nominibus ipsarum rerum appellari: quod *D. Thomæ.* D. Thomas, 3. parte. q. 83. arti. 1. ad hoc propositum citauit, parùm profectò ad rem confert: tum quòd imagines appellari nominibus rerum, non est esse res ipsas, & tamẽ nos profitemur sacramẽtum nostrum esse verũ sacrificiũ: tum etiã q̃ eâdem ratione in victimis quoq; antiquę legis potest censeri Christus sub figura immolatus: iuxta illud Apocalypsis. 13. Quorum nomina nõ sunt scripta in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Si autem dicas, nostram oblationem ob id censeri sacrificium quòd per eandem efficimur participes passionis Christi: vt ibidem. S. Thomas subiungit, neque hoc porrò satisfacere videtur: nam quodcunque sacra- *Ad secũdũ argumentũ* mentum eundem habet effectum. Videntur ergo hæretici Lutherani non exiguam occasionem nacti negandi sacramentũ nostrum verè esse sacrificium, asserẽdique solùm esse signum commemoratiuum illius passionis, instar comicæ repræsentationis. ¶Respondetur nihilo minùs radicem huius intelligẽtiæ esse hanc ecclesiæ veridicã cõfessionem, quòd corpus sanguisque Christi realiter sub his speciebus panis & vini contineri, easdẽq; Christus in cœna consecrasse: hac enim negata veritate catholica, palàm fit cõsequens mysterium altaris non esse sacrificium, sed nudum memoriale signum. Quare Lutherani ex priori posterius collegerunt: catholica verò confessione suppositа, res fit protinus liquida. Est enim idem Eucharistiæ sacramẽtum ob id victima & sacrificium, q̃ idẽ realiter corpus eundemq; sanguinẽ quæ Christus in cruce obtulit, nos perinde offerimus. Quare nulla est similitudo cum festo Natiuitatis aut Resurrectionis: illic enim non habemus Christum præsentem qui tunc vt natus aut resurgens offeratur. Nec verò sacrum hoc facientes profitemur tunc mori: falsa enim esset tunc nostra professio: sed tamen quia corpus ipsum crucifixum & sanguinem fusum in memoriam passionis offerimus, verè & propriè absq; vllo figmento sacrificamus. *Ad tertium argumentũ* ¶Atqui ex his colligitur tertij argumẽti solutio, Distinguimus enim Christum non se obtulisse sub speciebus panis & vini. In ligno enim crucis verum est, sed tamen in cœna dum nostrum sacrificium instituit, sese vt nos modò ipsum, obtulit. Ad verbum autem Augustinus. quod in Christi immolatione idẽ est sacerdos & sacrificium: Respondetur quòd quia sacerdos nomine Christi sacrificium libat, eiusque vice fungitur, quanuis non tam propriè quàm dum Christus se obtulit: tamen neque ineptè in nostra immolatione cõceditur idem esse sacerdotem & sacrificium.

ARTICVLVS. II.

Vtrum altaris sacrificium pro pluribus oblatum perinde singulis ad satisfactionem prosit ac si duntaxat offerretur pro vno.

QVONIAM superiori articulo definitum est sacrosanctam Eucharistiam vnà esse & sacramentum & sacrificium, res ipsa postulat vt quemadmodùm sit satisfactoriũ exploremus. Apparet quippe nihilo parciùs ad satisfactionem singulis prodesse pro pluribus oblatũ, quàm si prẽsi sè offerretur pro vno. Primò, quia cùm hoc sacrificio, vt dictum est, corpus ipsum verum sanguisque Christi offerantur, videtur perinde esse infiniti valoris, atque res ipsæ quæ offeruntur: eò potissimùm quòd est memoriale, vt dictum est, passionis Christi: quæ fuit quantum ad sufficientiam infiniti valoris: valor autem infinitus non indem singulis minuitur quòd pluribus applicet: ergo pars affirmatiua quæstionis vera. ¶ Secundò in eandem sententiam applaudere videtur Diuus Thomas. 3. parte, quæst. 79. articu. 5. vbi ait quòd quanuis hæc oblatio ex suî quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna: tamen fit satisfactoria tã offerentibus quàm ijs pro quibus offertur secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna: vbi quantitatem valoris videtur infinitam designare: sed limitari censet secundùm quantitatem deuotionis susципientium: deuotio autem vnius nõ impedit deuotionem alterius: ergo ex numero eorum pro quibus offertur, non minuitur singulorum fructus: sicut eorum qui in conspectu solis sunt, nihilo minùs caloris singuli susципiunt, propterea quòd in plures irradiet. ¶ Tertiò arguitur ex ecclesiæ ritu. Offert enim sacerdos ecclesiæ nomine pro Papa, pro Rege, & pro astantibus: in summa, pro viuis ac defunctis: & tamen nõ apparet dicendum, quo pro pluribus offertur, eo minùs prodesse singulis: nam vrait Hieronymus de consecratione. distin. 5. can. non mediocriter. Cùm pro cunctis animabus Psalmus vel Missa dicitur, nihilo minùs quàm si pro vno quolibet ipsorum dicere tur, accipitur. ¶ In contrarium est q etsi ipsa passio Christi quantum ad sufficientiam infiniti fuerit valoris, tamen quantũ ad efficaciã, per singula sacramenta sub certo limitatoque gradu applicatur: quod & sacramẽto altaris etiam congruit: per distributionẽ autem finiti, quo inter plures dispertitur, minus singulis obtingit.

Primum argumentum

Argumẽ. 2 D. Thom.

Argumẽ. 3

Hieron.

QVæstio prẽsens celebris est inter Theologos: nec tam explicatu facilis, q̃ vtilis scitu. Scotus enim quolib. 20. ad partem arridet negatiuã: nẽpè Missam pro multis oblatã nõ tantũ singulis prodesse, q̃ si singulariter offerretur pro vno. Et Syluester in verbo, Missa. §. 9. in eandẽ sententiã ex iurisc̃oũltis plurimos citat, inter quos cõnumerandus videtur Palud. quippe qui in. 4. d. 45 q. 2. eisdẽ apparet conniuêre. Ipse tamen Syl. uest. medio quodã modo incedit: nẽpè q̃ si sacerdos generali oblatione pro multitudine offerat, tunc nõ tantùm singulis prodest. Si verò sigillatim ad singulos peculiariter referat intentionẽ, nihilo satisfactionis minus singulis obtingit. Caiet. autẽ. 2. 2. q. 79. art. 5. & ex professo latissimè quolibet. suo. 1. q. 18. absolutè affirmatiuam respõsionem sustentat: videlicet perinde singulis prodesse si offeratur pro pluribus, imo etiã pro infinitis ac si præcisè pro vno. Eandemq; arbitratur esse opinionẽ. D. Tho. Neq; desunt qui magno fauore eandem amplexẽtur opinionem. At verò vt meã ego inscitiã fatear, semper sum arbitratus non solùm falsam esse, verùm antiquissimo ecclesiæ vsui cõtrariam: ac subinde, vt à peiori verbo abstineamus, parùm excitandæ plebi ad eleemosynas pro celebrandis missis elargiendas cõducens: vt infrà notum fiet. ¶ Ad quæstionem ergo vt respõdeamus, supponendum est ex superioribus in hoc sacrificio tria cõsiderari: nempè sacramentum, & sacrificium, & precationes quæ Deo funduntur. Quorum tertium nõ est de essentia aut sacramenti aut sacrificij. Sacramenti enim consecratio in illis solis verbis consistit: Hoc est corpus meum. &, Hic est calix sanguinis mei, &c. vsus autem in sumptione. His autẽ ambobus ratio sacrificij addit oblationem. Ecclesia verò consultè adhibuit orationes, & sanctorũ laudes, vt in canone est videre. Et quidẽ de ratione sacramenti nihil ad locum præsentẽ. Prodest nanq; tantùm sumentibus: quibus ceu alimoniã spiritualis vitæ gratiã cõfert, & dulcedinem, atq; adeò deuotionẽ excitat. At verò tanq̃ sacrificium, de quo præsens est quæstio, non solis sumẽtibus, verũ & offerẽtib⁹ & pro quibus offertur

Scotus.

Syluester.

Palud.

Caietanus.

Tria cõsiderãda in altissimo altaris mysterio

offertur confert. Nec verò tantùm sacerdos offerens censetur, verùm & astantes & eleemosynam largientes, vt infrà patebit. Prodest inquã illis ad satisfactionem pro peccatis: nempè ad pœnarum remissionem eorũ criminum quorum culpa deleta est. ¶ His igitur suppositis tribus conclusionibus respondetur. Et quoniam vnicum fundamentum Caietani est, hoc sacramentum esse infiniti valoris, Prima sit hæc. Res contentæ in hoc sacramento, nempe corpus sanguisque Christi, infiniti ex se valoris sunt: nam sunt corpus & sanguis Dei, per quæ quãtum ad sufficientiam, peccatis totius mundi satisfecit. ¶ Secunda conclusio. Sacrificium quod per sacerdotẽ, Christi ministrũ cõficitur, nõ est infiniti valoris. Hoc enim hîc primũ animaduertendum est: videlicet huic nomini, sacrificium, non præcisè corpus sanguinẽq; Christi supponi, sed hæc dum offeruntur. Enimuerò dum in pixide reseruantur, non sunt sacrificium, licèt sint sacramentum: sed dum à sacerdote, cõsecratione, oblatione, & sumptione celebrãtur: quare sacrificium actionem sacerdotis suo significato complectitur. Probatur ergo conclusio. Quantitas sacrificij, quandoquidem rei oblationẽ importat, nõ solũ ex parte rei oblatæ, sed ex dignitate quoq; intentioneq; offerẽtis perpendi debet. Haud enim sacrificiũ Christi quod in cruce obtulit, solaratione rei oblatæ infiniti valoris fuit, sed quia offerens ipse Deus erat, ac perinde patri infinitùm gratus: sacerdotes autem qui ministri sunt Christi non habent illam virtutem, neque illis diuinitùs collata est. Profectò æquiparare sacerdotis sacrificium in valore oblationi Christi, non est apostolicis verbis consonũ quę superiùs ex. 10. ca. ad Hebræ. retulimus: porrò vbi ait vna oblatione consummasse in sempiternũ sanctificatos: quæ ideo oblatio nec potest, nec debet ampliùs iterari. Quod re vera de nostro sacrificio, etsi commemoratio illius sit, non asseruisset. ¶ Secundò vt res hoc pacto patentior fiat arguitur. Infinitus valor satisfactionis Christi solũ æstimatur quantum ad sufficientiam: at verò quãtum ad efficaciã per sacramẽta non operatur nisi finitè: & ideo singulis, etsi instrumẽta eiusdẽ passionis existant, non nisi sub gradu finito tribuit ad certam mensurã esse causas gratiæ: vt patet in baptismo & cæteris, ex opere, quod aiunt, operato: nempe virtute sacramenti. Id quod & ipsi eucharistiæ sacramẽto cõmune est: quippe quod etsi corpus & sanguinem veraciter contineat, non nisi limitatum gratiæ modum ex sua institutione confert: cùm ergo idem sacramẽtum, quatenùs sacrificium virtute etiam ipsius operis, sicuti cætera sacramenta, gratiam conferunt, sic satisfactionem efficiat: planè fit consequens vt ex sua ipsius ratione operis, scilicet ratione institutionis Christi, qui non disposuit per instrumenta suæ passionis operari, nisi finitè, non sit ad satisfaciendum infiniti valoris: sed certè finiti. ¶ Sed hoc est biuium vnde Caietanus à nobis, &, vt arbitror, à veritate declinat: nempè quòd huic sacrificio nullam ex opere operato vim cõfert, sed totam satisfactionis mensuram censet ex solo deuotionis gradu, seu offerentium, seu pro quibus offertur taxari. Quod re vera sanctus Thomas quem se sequi existimat, neq; opinatus est, neq; opinari potuit: nam cùm non solùm quatenùs est sacramentum, verùm & quatenùs sacrificium, instrumentum sit passionis Christi, vtrâq; ratione manifestum est virtuti operis, seu quod aiunt, operi operato respondere certum terminatumq; satisfactionis gradũ. ¶ Tertiò etiámnum ad maiorem explicationem arguitur. Cuncta sacramenta per intentionem conferentis potissimùm perficiuntur: ergo eucharistia, etiam in quantum victima est, per Christi & ecclesiæ ministrum, perq; eius adeò intentionem fit sacrificium: nempè quia minister illud secundùm intentionem ecclesiæ offerre intendit. Vnde rursus consequitur quòd secluſa quacunque particulari deuotione, sacrificio per intentionem ministri oblato respõdeat certus satisfactionis gradus. Et hoc est punctum in quo veritas sententiæ, quam defendimus, si vera est, cõsistit. Quod quidẽ punctum inde confirmatur, q; etiam dum sacerdos & cuncti astantes qui offerunt essent in peccato, imò etiam illi pro quib⁹ singulariter offertur, nihilo minùs verum esset sacramentum: ac peinde sacrificium, idemq; satisfactorium. Qui quidem fructus, si illis non prodesset, in thesauro ecclesiæ reconderetur. ¶ Sed arguat forsan contrà discipulus quispiam diui Thomæ, quòd idem sanctus Doctor loco citato. 3. p. quæst. 79. artic. 5. totam satisfactionem admetiri quantitati deuotionis videatur. Respõdeo autem sic Caietanum eum intellexisse, indeq; hausisse opinionem suam: attamen diuus Thom. hoc non sensit: quippe qui tantùm ait ma-

Prima conclusio. *Secunda cõclusio.* *Prima ratio cõclusionis.* *Secunda.* *Caieta. hallucinatio.* *Tertia ratio* *Obiectio.* *Solutio.*

gis in oblatione attendi affectum offerentis, quàm quantitatem oblationis: vt non neget ipsam sacrificij sacerdotalem oblationem, suum per se habere valorem: eundemq; suo gradu taxatum: vt Christus, ceu in cæteris sacramentis dispoſuit. Et patet eodem ipso exemplo quod sanctus Thom. adduxit de vidua quæ duo ænea minuta in gazophylacium misit: nam licèt ex eius affectu pauper tatisque respectu auctum est illi meritum, nihilo minùs ipsa per se minuta à quocunque oblata, aliquid valebant. Quin verò fortasse hoc quòd valor huius sacrificij crescat ex deuotione offerentis aut recipientis, non est ei singulare, sed omnibus sacramentis commune. Fortasse inquam gradus ille gratiæ qui in baptismo sacramẽtali virtuti respondet, crementum accipit ex deuotione suscipientis, si sit adultus: nam beneficia gratiæ conferuntur quantum ad hoc, instar operũ naturæ: puta vberius ei qui aptiùs præparatur. Imò neq; desunt qui dicant crescere etiã ex sanctitate ministri: licèt hoc secundum mihi non sit ita multùm probabile. At verò multò est compertiùs valorem sacrificij crescere ex deuotione quàm valorẽ sacramentorum, ratione oblationis quæ est actus offerẽtis: nam in alijs sacramentis nihil offertur. Et hoc significat Diuus Thomas. ¶Ex his ad rei elucidationem consequitur non crescere valorem sacrificij omninò secundum proportionem deuotionis offerẽtium: nam ille gradus respondens sacramento, semper manet idem. Exemplum in baptismo accipito: Gratia (verbi gratia) ex opere operato est vnius gradus, quo quidem paruulus ante rationis vsum suffunditur: si ergo duo adulti sacramentum suscipiant, vnus dupla deuotione & merito quàm alter non subinde gratia baptismalis duplabitur: eò quòd non duplatur tota causa: quandoquidem sacramentum idem confertur vtrique. Pari ratione etsi vnus sacerdos dupla deuotione consecret quàm alius, non duplabitur illi satisfactio quæ prouenit ex sacramento: quia non duplatur sacramentum ipsum, nec eius efficacia quam ex Christi dispositione habet: quæ quidẽ multò est maior, quàm quæ ex deuotionibus accedit: licèt plus obueniet melius offerenti. ¶His insuper addiderim, verbum aliud sancti Thom. quo ait, oblationem sacrificij ex sua quãtitate sufficere pro omni pœna, scilicet offerentis vel eius pro quo offertur, non significare esse de se infiniti valoris: nam hoc etiam conuenit baptismo, imò & sacramento pœnitẽtiæ de se quatenùs instrumentum est passionis Christi. Et enim qui optima contritione resurgeret, omnis condonaretur pœna. Haud ergo vnquàm sensit sanctus Thom. sacrificium hoc nisi in Christo esse infiniti valoris. Sed vbilibet vel ipse, vel alius appellauerit infinitum, intelligit præcisè quãtum ad rem oblatam: attamẽ sacrificium actionem sacerdotis suo significatu, vt dictum est, comprehendit: cũ qua Christus, vt dictum est, non nisi finita mensura & modo concurrit. ¶Igitur vt summatim cõcludamus, non dicitur hoc sacrificiũ memoriale illius Christi: eò quòd dum sacerdos consecrat, censeatur tunc Christus vt olim infinitùm quo ad sufficientiam satisfacere, sed quòd quantum ad efficaciam per idem corpus & sanguinem finito operetur modo vt in cæteris sacramentis, tam ad satisfactionem, quàm ad gratiam. Nam vt planè intelligas sacrificium nostrum, nõ est Christi passio, sed eius applicatio. ¶Tertia conclusio qua ad quæstionem respondetur. Ineffabile sacrificium Missæ quo pro pluribus offertur, minus singulis ad satisfactionẽ prodest. Cõclusio hæc corollaria est, appendixq; superioris: nam quo res finita in plures dispertitur, minor vnicuilibet contingit portio: sed prætereà eadem conclusio per assertionem ipsius Caiet. tum declaratur tum etiam confirmatur. Fatetur enim quòd si ille qui sacrificium offert, nẽpe vel sacerdos, vel astans, vel elemosynam soluens, tantam habeat deuotionem cui vnus satisfactionis gradus in sacrificio respondet, eandemq; duobus impartiatur, non prouenit singulis nisi pro medietate illius gradus: & si tribus, pro tertia parte, &c. Eãdem ergo similitudine nos bifariã arguimus. Primò, Id quod ipse ait de deuotione, longè efficaciori ratione intelligendum est de intentione sacerdotis: nam si omnes astantes & qui eleemosynam conferunt offerre censeantur: longè tamen differentiùs sacerdos qui rẽ diuinã ceu ecclesiæ minister peragit. Ille etenim solus consecrat, & ecclesiæ verbis offert, & insumit. Quare suæ particulari functioni & sumptioni quibus victima perficitur correspondet, certus limitatusque satisfactionis gradus ex opere, quod aiunt, operato, vt per aliorum sacramentorum analogiam monstratũ est: etiam si sacerdos in peccato mortali consecret absq; vllo deuotionis valore. Quare di-

Valor sacrificij nõ crescit secũdũ proportionẽ deuotionis offerentium

Explanatur locus alius S. Thom. qui videt Caie. patrocinari

Tertia conclusio.

Probatio.

uus Thom. in. 4. dist. 45. quæst. 2, articu. 1. lo quendo de Missa mali sacerdotis: quę cẽtum est illis prodesse pro quibus offertur pro ratione subdit, quòd ipsum opus operatum, puta sacrificium altaris sicut reliqua sacramenta etiam per malum ministrum oblatum prodest. Et iste est gradus essentialis sacramenti: nam qui ex deuotione aliorum offerentium adiungitur, accidentarius est: maior aut minor. Atque adeò hic est quem qui eleemosynam porrigit applicari sibi optat: vnde fit consequens vt quo plurib⁹ distribuatur, minor sit in singulis. ¶Adde argumentum alterum eiusdem rei minimè debile. Sacerdos tanquàm minister ecclesię si legitimè consecret, non solùm intentionem, verùm & deuotionẽ afferre debet: iuxta verbum Canonis, Quorum tibi fides cognita est & nota deuotio. Quare qui suã cõfert eleemosynã vt pro se offeratur sacrificium, merito iustitię petit, vt sacerdos nõ solùm ex intentione: verùm ex deuotione pro se offerat: præsertim secundùm ipsum Caietanum: nã cùm inopinabile aliud sit, quàm quòd aliqua actio sacerdotis sit de intrinseca ratione sacrificii, & totã ipse oblationẽ in deuotione ponat, fit vt illis sit debitor: deuotio autẽ secundum eũdem quo pluribus applicatur, minùs singulis prodest, ergo cõclusio nostra fit planè consequens. Hoc autem argumentum ad hominem ex eius assertis procedit: nam re vera actio sacrificio necessaria est oblatio cum intentione: quæ etiam in sacerdote dum in peccato cõsecrat reperit. Quare de rigore iustitiæ absq; deuotione satisfacit ei qui eleemosynã porrexit. Quãuis sanè noua sit culpa nisi ex deuotiõe iesam obtulerit, pro qua eleemosynã suscepit. Vnum tamen argumentũ facit Sylvester, quo putat contrariũ concludere: quod tamẽ à nobis pugnat. Arguit enim sic. Quo plures sint offerentes sacrificiũ, eo id ipsum fit auctius: ergo nullus per consortium aliorum suo defraudatur fructu: aliàs cõsultius esset illi sacrificio interesse, cui pauciores assisterent. Et subdit exemplum in baptismo: nam etsi vno sacramento baptizarent plures, nihil minus reciperet vnusquisque gratiæ. At verò non videt vt baptismus secundùm eorum multitudinem qui baptizãtur multiplicetur: nã si ego vna aspersione quatuor vel decẽ baptizarẽ, tot essent sacramẽta baptismi quot essent baptizati: sacrificiũ autem non multiplicatur propter multiplicationem offerentium, sed est vnum solum propter vnicam oblationem atq; intentionem sacerdotis quæ est de essentia sacrificij. Et ideo licèt verum sit, quo plures offerunt sacrificium quodam modo augeri extensiuè: nam vnusquilibet suam satisfactionem sortitur: tamen valor ille sacramento intrinsecùs non crescit eàdẽ proportione qua multitudo offerentium est maior. Quare illa distinctio eiusdẽ Sylvestri de oblatione sigillata aut confusa, non vsq; adeò eum iuuat: nam etsi per sigillatas distribuatur, minores singulis portiones obuenient. ¶Potissimũ autem argumentum propter quod contraria opinio esset repudianda, est, quòd si illa vera esset, liceret sacerdoti pro vno sacrificio à duobus & à tribus pitantias (quas vocãt) suscipere: quin verò à triginta & à trecentis: nam si sacrificium tantũ tunc singulis prodest ac pro vno oblatum, neminem suo defraudat fructu, atq; adeò nulli facit iniuriã. quod quidem adeò apparet concessu incõgruum vt nemo id ausit adhuc concedere. Imò Scotus & Palude loco citato omninò negant: licèt hic non nullos casus excusatorios subiiciat. Quin etiam neq; Sylvester id admittit. Quocirca neque Caietanus argumentum hoc debuisset dissimulanter ac tacitè præterire: quia si quis respõdeat id non esse licitum propter scandalum, adminus citra scandalum secretè posset id sacerdos facere. Item scandalum ex falsitate illius opinionis nascitur: nam si vera esset, persuaderique posset plebi, nullum scandalũ daret. Et ideo in ordine nostro sanctè cautum est nè fiducia illius opinionis à pluribus eleemosynæ pro eâdem Missa recipiantur. Imò verò qui ab eâdem opinione assensum dimouere nequiuerit, nihilo minùs neq; eiusmodi numerosas pitãtias suscipere potest: nam cùm illa neq; fides sit, neq; sciencia, sed obscura opinio, nemo se eius persuasu debet periculo iniustitiæ obiicere, plura stipendia pro vna Missa recipiendo. Imò aliud argumentum quod ipse contra seipsum inducit non debiliter pugnat: nempe quòd posset sacerdos per vnam Missam illi satisfacere cui decem debet, saltem si tantam illuc afferret deuotionem, quantę essent dispersæ decem. Modò verò nihil de eleemosynis pro Missarum solennijs recipiendis definimus, ad quã possint quantitatem & numerum recipi: quippe quæ doctrina ad proximã, quæ de oblationibus est, quæstionem attinet. ¶Suprà hæc

Ratio altera pro cõclusione.

Potissimũ argumentũ cõtra opinionẽ Caietani.

Argumẽtũ Sylvestri.

Solutio.

Prohibet Caieta. opinio.

hæc autem & illa non est prætereunda ratio quæ ad sacrificij ꝓcationes attinet: nam & hãc idem autor inficiat. Ratio autẽ est hæc. Quicunq; erogata eleemosyna Missam pro se offerri poscit, non solùm sacrificij satisfactionem, verùm & ecclesiæ preces ab ecclesia institutas, sibi iustè optat eleemosynæ suæ merito applicari: sacrificium nanq; per modũ solutionis debiti satisfacit: oratio verò prodest per modũ impetrationis veniæ: quorum ideo vtrũq; eleemosynam offerenti singulariter applicandum est: oratio autẽ eadẽ atq; vna non multiplicata, minùs prodest singulis si pro pluribus fundatur: huius enim veritatis mos ipse Christianorũ atque ecclesiæ documẽtũ nobis est. Primò nãq; in ipso canone non sine causa post oblationẽ pro ecclesia in genere subditur, nominatim pro Papa, &c. Item quando aliqua irruit calamitas, illius peculiariter auersionem precamur: siue in ecclesiam ingruat, siue in singularem amicum: nam etsi Deus tam facilè plura donare possit quàm vnum quodlibet beneficium: nihilo minùs quando aliquem videt ad rem aliquam singulariter affectũ, inquam precando incumbit, si iusta est, magis vt more nostro loquamur, flectitur: ergo cùm in Missa orationes illæ statutæ ab ecclesia non multiplicentur, fit vt dum sacrificiũ pro pluribꝰ cõficitur, minùs singulos iuuet, quàm si singulariter pro vno offerretur.

Quarta ratio pro conclusione.

Obiectio. Quòd si Augustini sententiam nobis obicias. 1. quæstione. 8. vbi contrarium videtur sentire dum ait, tanto plus singulos de oratione gaudere, quanto pro pluribus funditur: ad hoc respondet diuus Thom. in. 4. distin. 45. q. 2. ar. 2. inter loquendum de suffragijs, quòd etsi suffragiorum valor (quibꝰ orationem annumerat) quatenùs à charitate procedũt per quam mẽbra ecclesię vniuntur, maior quodam modo sit: quia eãdem vnitatem præstantiùs repręsentat, atq; adeò maius gaudiũ ingenerat singulis. Attamen si consideretur per modũ satisfactionis quã quis alteri applicat valor idem diuiditur inter eos quibus applicatur. Et ideo qui pluribus tribuitur, minus singulis obuenit. Idq; adeò insolutione tertij de oratione spatiatim confitetur. ¶Accedit huc demum ꝙ hac ratione pij fidei cultores particulares Missas vel certis Christi mysterijs, vel diuorum solennitatibus proprias offerri pro se volunt, propter singularem affectum quem habent & iuuamina quæ inde participant: quare neutiquàm posset tunc sacerdos pro singulis vnã celebrare Missam. ¶Ad vnum demum Hyeronymi verbum restat respondendum suprà à nobis argumento tertio citatum, de consecratione. distin. 5, cano. Non mediocriter, videlicet, cùm pro curẽtis animabus Psalmus vel Missa dicitur, nihil minus quàm si pro vno quolibet diceretur accipitur. Quoc variè Syluester atq; alij interpretantur. Sed primùm omnium in hoc nobis potissimum astipulari ꝙ Psalmũ cũ Missa confert, dicens vtrunque perinde pro pluribus oblatum perinde valere atq; pro vno: nam compertissimum est psalmum nõ esse infiniti valoris: quare non insinuat Missam illa de causa ꝙ infiniti sit pretij, non minùs prodesse singulis dum pro pluribꝰ offertur. Duo ergo glossemata illi textui subscribuntur. Prius ꝙ referatur ad meritum offerentis: nẽpe ꝙ non minus meretur qui pro pluribus illum offert, quàm qui pro vno. Posterius (qd superficie tenus præcedentibus verbis quadrare videtur) quòd tantũ prodest singulis vnus psalmus ex attentione & animi ardore pro pluribus oblatus, quàm extẽpore pro vno. At profectò ingratè glossas istas textus amplexatur, sed arbitror eodẽ modo soluendum, quo secundùm sanctum Tho. ad aliud nuperrimè dicebamus: nempe ꝙ si oblatio æstimetur ex radice charitatis vnientis mẽbra ecclesiæ, non minùs prodest singulis si offertur pro multis. hoc est meritum charitatis offerentis æqualiter singulos iuuat: quia extensione non minuitur: si tamen consideretur in ratione satisfactionis ac solutionis debiti ad tales personas applicatæ, non tantum prodest ac si singulis applicaretur. Haud enim negaret Hieronymus quin si hunc psalmum pro vno reciares, mox eundem rursus pro alio atque iteratò pro alio, plus prodesset singulis q̃ si vnum diceres pro omnibus tribus.

Solutio. S. Thomæ.

Postremara tio.

PRimum igitur argumentum eorum quæ in capite obiecta sunt, illic solutũ est: vbi diximus ꝙ etsi res in hoc sacrificio contentæ infiniti sint valoris, tamen sacrificiũ cùm sacerdotalem actionem includat per quam Christus non nisi finito modo certaq; mensura operatur, finitum est. Quare non idcirco memoriale passionis Christi dicitur ꝙ æqualis sit virtutis, sed ꝙ idẽ offert qd illic oblatum est. ¶Ac perinde ad secundum quod ex verbis diui Thomæ colligitur, pariter

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ

ter satisfecimus: quandoquidem mostraui mus nequâquam negasse sacrificium de se alicuius esse certi finitiq; valoris, quem virtute sua si susciperetis obex non semper exercet, sed nihilo minùs pensandas etiam esse offerentium deuotiones secundùm quas sacrificium crescit. Haud tamen secundùm totam proportionem illarum, vt explicatũ est. ¶ Circa hanc autem deuotionem dubium restat vtrùm non solùm conficientiũ & offerentium, verùm & eorum proquibus offertur sit æstimanda deuotio: nam diuus Thom. loco citato priùs non loquitur nisi de affectu offerentis: quod exemplo euangelicæ viduæ declarat: & in. 4. Sentẽtiarum distin. 12. q. 2. arti. 2. ait hoc sacrificium pœnam tollere in toto vel in parte, secundùm mensuram pœnæ debitæ ex deuotione qua sacramentum offertur. Nihilo minùs eodem loco. 3. part. q. 79. statim videtur subiungere q̃ est satisfactorium illis pro quibus offertur, secundũ quantitatẽ suæ deuotionis: idemq; repetit artic. 7. in solutione secundi: & in. 4. Sententiarum, dis. 43. q. 2. art. 1. Ab vtrâque verò parte extant argumenta: nam q̃ pensanda sit illorum deuotio pro quibus offertur, argumentũ est quòd quẽadmodũ natura verbi gratia ignis, quo materiam aptiorem nanciscit, eo efficaciùs formã producit: & in republica dignioribus cumulatiora cõferũtur beneficia, ita intẽtio Christi ac subin de ecclesiæ suæ esse videtur vt paratioribus benignius sacrificium hoc rem suam confe rat. Quare Augustinus ad Renatũ: Quis offerat corpus Christi nisi pro eis qui sunt mẽbra Christi? Nihilo minus verò à parte negatiua stat argumẽtum quòd dum quis priuatim æqualia ieiunia aut æquales eleemosynas in satisfactionem applicat duobus amicis, bonitate disparibus, æquè illis prodest. Vnde non inepta videtur collectio, q̃ dum sacrificium quod sua ipsius ratione æquale est pro pluribus offertur, licet illi inæqualis sint probitatis, æqualiter nihilo minùs illis conferat. ¶ Ad horum igitur intelligentiam notandũ cum primis, offerentes censeri non solùm sacerdotẽ qui rem facit diuinam, verùm astantes omnes atq; illos qui eleemosynas pro pẽdũt pro Missa pendunt, vel quomodocunq; fauent vt Missa celebretur: licèt longè præstantiùs (vt diximus) ac propriùs sacerdotẽ. Ac de istis non ambigitur quin eorum deuotio in causa sit percipiendi maiores fructus. Etenim cùm verè sint offerentes, inde valor ipse sacrificij extensiuè augetur. Et forsan vbi ait sanctus Thom. deuotionem illorum pro quib⁹ offertur augere sacrificij fructum id de deuotione sentit eorum qui Missam celebrari faciunt. Quandoquidẽ actualem afferunt deuotionem: & sunt veluti offerentes. Quare de circunstantibus peculiariter habetur in Canone, Quorũ tibi fides cognita est & nota deuotio: quasi illi actu ad sacramentum sint affecti: atque adeò Deus cui eorum sunt deuotiones notæ, secũdùm earum mensuram tribuat vnicuique.

Dubium.

S. Thomas.

Augustin⁹.

Qui sacrificio interssunt itemq; qui eleemosynas pro eo pẽdũt offerẽtes censẽdi sunt.

Solutio dubitationis propositæ.

Alij verò sunt q̃ actualem deuotionẽ nunquàm habuerunt ad hoc indiuiduum sacrificiũ quod hodie in hac Basilica celebratur: vt pueri ante vsum rationis, & alij Christi fideles qui hoc nunquàm cogitarũt: pro quibus nihilo minùs ecclesia offert: vt quã primùm dicturi sumus. Et isti non dicuntur offerentes nisi quodã fortè generalissimo modo per modum habitus: quatenùs membra sunt corporis ecclesiæ quæ offert. De istis ergo nulla porrò esset absurditas cẽsere quòd omnes æquales percipiant portiones sacrificij: licèt inæquali vigeant charitate: nã cùm nihil prorsus vel egerint vel cogitarint circa hoc indiuiduum sacrificium, apparet nihil eis obtingere, præter nudam portionem quæ illis ex opere operato prouenit: veluti de gratia baptismali certum est quæ infantibus ante vsum rationis confertur. Qui autẽ aliter senserint, suum sequantur iudicium. Quapropter argumenta vtrinq; facta arbitrio eligentium relinquuntur soluenda.

¶ Tertium autem argumentum omnium maximum est, quæ contrariæ sententiæ patrocinantur. Ecclesia nanq; pro multis offert: primùm in communi pro pace & regimine ecclesiæ: secundùm illud canonis: Pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, &c. Mox pro Papa, pro Antistite, pro Rege, & pro circũstãtibus, qui pro se & suis offerunt. Neq; solæ orationes pro illis offeruntur, verùm & satisfactio ipsa sacramenti: nam subditur: Pro redemptione animarum suarũ. Deinde pro animabus quę igne purgatorio detinẽtur. Cùm ergo ecclesia sacrificium pro tot offerat, non est vero simile vt minus id circò satisfactionis singulis obueniat. Alioqui vix minima particula quenq; contingeret. Quòd si dicas ecclesiam sic offerre pro multis vt nihilo minùs singuli nanciscantur, secùs autem sacerdos in singularibus applicationibus, hæc discriminis ratio

desideratur

Ad tertiũ argumentũ desideratur. ¶Respõdetur ergo nullatenùs hac parte ecclesiam à sacerdote discriminari: quippe qui, ceu einsdẽ ecclesiæ minister sacrum conficiat atque offerat. Sed est ex superioribus colligendum, sacrificio Missæ nudè considerato, hoc est vt actionem dicit sacerdotis cum sua intentione faciendi quod Christus instituit, respõdere ex opere operato certã satisfactionis quantitatem, sicut cæteris sacramentis, gratiam: verbi gratia vt decem: nam arbitror esse amplã. Quæ quidem secundum ecclesiæ institutum applicatur. Ecclesia igitur ipsa certã illius portionem illis qui in canone nominantur distribuit: licèt illam non nominet: alteram verò relinquit singulari intentioni sacerdotis secundùm suam peculiarem obligationem applicãdã. Ex illa ergo portione ecclesię vna particula prouenit toti simul corpori mysti co, alia Papæ, alia Antistiti, alia Regi, &c. & quãuis minima in quolibet sacrificio vnicuilibet obtingat, tñ secũdùm ingentissimũ sacrificiorum numerum quæ quotidie in tota ecclesia offeruntur, ditissimus congeritur cumulus. Præterquàm quòd singularis memoria singulorũ quæ in precationibus habetur, permultum eis confert. Portio ergo quæ sacerdoti relinquitur, perinde atq; altera ecclesiæ, quo pluribus applicatur, minùs singulis sufficit. Et si pro se etiam, semper ius habet applicandi. An verò alia ratione plures pro vna Missa eleemosynas recipere queat, siue parochus sit siue vagus sacerdos, illicò quæstione proxima videbitur.

Oblatio generalis ecclesiæ adparuulusfideles extenditur. ¶At quia dicere de illis cœptũ est pro quibus sacrificiũ offertur, nomine ecclesiæ ad quam primò refertur oblatio, comprehenduntur etiam paruuli ante vsum rationis sacro fonte intincti: nam etsi in satisfactionem pœnæ quam nullam debent, oblatio non sit necessaria: refert tñ ad solatium viuorũ & ad repsentandũ mysticũ Christi corp⁹ eiusq; redemptionem, quæ ad illos vsq; promanauit. Veruntamen quanuis eâdem ecclesiæ generalitate sceleśti quoq; & crimino si Christiani contineantur, nulli tamen charitate carentes participes eiusdem sacrificij fiunt quatenus satisfactorium est: nam satisfactio remissionem præexigit culpæ.

Augustin⁹. Vnde ad Renatum Augustinus: Quis offerat corpus Christi nisi pro eis qui sunt membra Christi? Vbi certè de viuis membris loquitur. Nihil tamen obstat quo minùs pro illis qui hæretici non sunt nec legitimè excommunicati, orationes inibi fiant. Eapropter error esset capellaniam instituere aut Missas pro infidelibus: qui quidẽ casus ad me, de quo respõderem, allatus est: nam instituere Missam est instituere vt sacrificium pro illis offeratur, atque adeò eius applicetur eis satisfactio quod nefas esset. *Error esset Capellaniã instituere pro infidelibus.* Nihil tamẽ vetat instituere vt oratio in Missa pro eorũ conuersione fundatur. ¶Pro excommunicatis autem & hæreticis orari non potest si verè sunt excõmunicati. In die autem Parasceues ex dispensatione ecclesię quæ illos excommunicauit, oratur pro hæreticis. ¶Offertur etiam sacrificium pro illis, vt diximus, defunctis qui loco purgatorij ignis deputati sunt: non quòd ecclesię nomine intelligantur, vtpote cuius gremio & iurisdictione nõ comprehenduntur: sed forsan illo verbo canonis, vnà cum animabus viuentium designantur: vbi legitur, Pro redemptione animarum suarum. Etenim vbi habetur circunstãtes pro suis offerre, etiam includuntur sui defuncti. Quidquid autem de illo verbo sit posteà exprimuntur in secundo memento, vbi precatio pro illis funditur, qui cum signo fidei in somno pacis domierunt. Nam etsi per modum orationis dicatur, Vt indulgeas depcamur: subintelligitur tamen acceptando sacrificij huius satisfactionem. *Augustin⁹.* Vnde Augustinus in libro de agẽda cura pro mortuis: Non parua est, inquit, vniuersæ ecclesiæ, qua in hac consuetudine claret autoritas, vt in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum etiam suum habeat commẽdatio mortuorum. Quę quidẽ consuetudo, vt Damascenus in quodã sermone de suffragijs mortuorũ refert, ab Apostolis demanauit. Ait qppe discipulis Saluatoris & sacros Apostolos, tremendis & viuificis mysterijs memoriam fieri eorũ, qui fideliter dormierunt, sanxisse. Id quod & vltimo capite cœlestis Hierarchiæ Dionysius refert. *Dionysius.* ¶At nè nihil ad quæstionem attinens immotum relinquamus, dubium hîc restat prostremum de intellectu verbi Augusti. in eodem lib. de agenda cura pro mortuis, & in Enchiridio: quod Gratianus. 13. q. 2. cano. Non æstimemus. & canon. Tempus. relatum duxit, Ait enim tam sacrificium altaris quàm reliqua suffragia pro defunctis oblata eis prodesse, qui cùm viuerent, hoc sibi vtpossent prodesse meruerunt. Et rationem dubitandi solus Caietan. offert in suo opusculo vigintivnius quæstionum. *Dubium. Gratianus. Solutio Caiet.*

quęstionum, quęstio. 5. vbi generale hoc verbum Augustini speciatim sic contrahit vt nemini defunctorum in purgatorio existentium, sacrificia, suffragia, aut indulgencias quicquam prodesse censeat: nisi in hac vita deuotionem ad ecclesię claues & indulgentias habuerint, aut solicitudinem ad satisfaciendum pro peccatis, aut studium ad suffragandum defunctis, aut quid simile. Saltem specialia sacrificia pro eis oblata ait nihil eos iuuare. At profectò, quanuis me tædeat viro doctissimo & mihi colendissimo tota ista quæstione obuiam prodire: tamen quia neque hoc, si credatur, ad pietatem eorum qui in defunctos benefici sunt quicquam confert, non mihi videor hîc debuisse tacere. Enimuerò cùm hoc neque ex euãgelio neque ex vllo ecclesiæ decreto colligatur, quin verò contrarium, sanè cùm ecclesia pro oĩbus qui in charitate sunt indiscriminatim offerat, & indulgentias conferat, non erat sic facilè asserendum in eorum prę iudicium qui piè in Christo dormierunt. Canonis enim oblatio nullum excipit, sed generaliter ait: Memento famulorum: famularumque tuarum qui nos præcesserũt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis. Et illicò: His & omnibus in Christo quiescentibus. Quòd si huius omnes sacrificij participes fiunt, non est cur non & vniuersis priuata suffragia opitulentur. ¶ Secundò: Quicunque est in charitate eo ipso quòd amicus Dei est, vt satisfacere pro se potest, sic & ius habet vt quicunque iustorũ sibi quancunque applicet, si voluerit, satisfactionem. Quare suprà August. pro omnibus Christi membris, nempe viuis asseruit sacrificium offerri. Vnde quod locis citatis ait, videlicet illis defunctis prodesse suffragia, qui dum viuerent, vt prodesse sibi possent meruerunt, ipse statim planè exponit: vt est videre apud Magistrum in. 4. distinct. 45. eos siquidem omnes docet id meruisse qui in fide per charitatem operante, atque adeò in communione corporis: & sanguinis Christi defuncti sunt. Quocircà quãuis quispiam neque ad indulgentias neque ad defunctos affectionem habuerit, neque ad satisfaciendum diligentiam, si tamen in charitate Dei discesserit, non est cur vindex vltrixque eius iustitia, vti ait Caietanus, obstet, quominùs per sacrificia eis, perque suffragia & indulgẽtias ferre valeamus opem. ¶ Et quò rem suprema ratione concludamus. Christus Dominus suum ipsius sacrificium, nempe passionem omnibus fide præditis per charitatem operante efficaciter applicat: ergo & altaris oblatio, & perinde quodcunque, seu commune seu speciale suffragium sibi placet eis applicari. Quare illa Caietani distinctio quòd defunctum capacem esse alienæ satisfactionis sibi applicatæ, non ad meritũ essentiale, sed ad accidentarium attineat puta vt defunctus ad illa supradicta affectus fuerit, nullas præ se fert fundamenti radices.

Primaratio in Caietanũ

Secunda.

Solutio dubij. Magist. Sct.

Postrema ratio.

QVAESTIO TERtia, De oblationibus & primitijs.

S. Thom. 2. 2. q. 86.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm homines de necessitate præcepti ad oblationes teneantur.

POST sermonem de sacrosancto sacrificio quod oblationum omnium Christianę familiæ apicẽ obtinet, superest vt hac quęstione de oblationibus & primitijs: sub sequenti verò de decimis quæ ad eiusdem sacrificij celebritatem suppeditantur mentionem subdamus. Primò ergo de oblationibus, quęritur. vtrùm sint de necessitate pręcepti, Arguitur enim negatiuè. Oblationes vetustę legis inter ceremonialia pręcepta connumerabantur: nam Exod. 23. ad modum & formam celebrandi ceremoniales festiuitates adhibetur: Non apparebis in conspectu meo vacuus. Ceremonialia verò cuncta per euangelium cessârunt: ergo Christiani ad oblationes non cogimur. Id quod Christus Matthę. 5. designare videtur, dicens: Si offers munus tuum ante altare: quasi offerentium arbitrio id reliquerit. ¶ Secundò arguitur. Quicunque iusaliquod ecclesię debet, si non soluat, potest sacramentorum subtractione ad id cogi: acerbum autẽ esset renuenti oblationem soluere, sacramenta ecclesiastica denegare: iuxta

Primum argumentum

Secundum.

canonem

canonem illum sextæ Synodi.1.q.1. Nullus qui sacram communionem dispensat, à percipiēte gratiam aliquid exigat: sin verò exegerit, deponatur: ergo ad oblationes ex vi præcepti nullus tenetur. ¶In contrarium autem est illud Gregorij Septimi, de consecr. dist.1. Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre: & ducere ad memoriam quod Deus per Moysen dixit, Non apparebis in conspectu meo vacuus.

Gregorius 7.

Quid nomē oblatio, designet.

IN proloquio quæstionis præsentis notanda est nominis significatio: Enimuerò oblationis verbum actiones omnes suo significatu ambit, quibus res quæcunque ad diuinū cultum exhibentur. Quo fit vt oblatio latior sit patentiorq; vox, quàm, sacrificium. Quicquid enim sacrificium est, censetur oblatio: haud tamen consequentia recurrit. Etenim cùm aliquid offertur quod integrum est permansurum, hoc est quod sacrificio ipso non insumitur, nec circa illud aliqua fit ceremonia, sed ecclesiæ offertur, siue in fabricam siue in ministros cedat, oblatio quidem est: vt si nummos, vel cereos offeras, vt in exequijs panem aut vinum: aut forte prædium. Sacrificium autē, vt diximus, non est nisi oblatio rei quæ immolatur: vt animalia olim, & nunc sacrificium altaris. De primitijs nanque deq; decimis quomodò ab his differant, suo loco dicemus. Vnde Exodi.29. Offeres totum arietem in incensum super altare. Et sequitur, Oblatio est Domino odor suauissimus victimæ Dei. Et Leuit.2. Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Deo, simul erit eius oblatio. ¶His suppositis duabus ad quæstionē cōclusionibus respōdetur. Prior est. Oblatio naturali sua significatione vltroneā exhibitionē designat: offerre enim est vltrò munus quodpiā donare. Quo fit vt res per se, si nudè pēsetur, opus sit supererogationis ad cultum religionis attinens: quippe qua, vt suprà diximus, obedientiam subiectionemque Deo profitemur. Vnde Exodi.25. Loquere filijs Israël vt tollant mihi primitias: ab omni homine qui offert vltroneus, accipietis eas. ¶Posterior conclusio. Primò quidem ex præcedenti conuentione: vt dum ecclesia fundum aliquem ciui confert retenta pensione, statis temporibus referenda. Quæ quidem pactio census rationem induit. Secundò propter præcedentem deputationem: quia res donatione, vel pollicitatione, aut testamenti legatione debetur. Tertiò, quod ad rem propinquiùs accedit, propter ecclesiæ necessitatem: nempe si aliunde ministri ali sustentarique non possent. Quartò propter consuetudinē, quę in ius transit: vt scilicet si consuetum est certis solennitatibus hoc aut illud offerri. Quanuis nonnunquàm his postremis duobus casibus oblationis quantitas relinquatur vouentis libertati. ¶Circa posteriorem conclusionem, quoniam prior planissima est nonnulla exiſtunt, licèt exigua adnotamenta. Prætermisso enim priori obligationis membro ad rem parum attinente, quia est velut census, de secūda extāt textus.13.dist.2.cano.qui oblationes.& duo sequentes: quibus sub anathematis censura coguntur, quibus incumbit vt defunctorū oblationes, seu donatas seu legatas facilè & absque mora persoluant. Sunt enim planè debitæ. Et generaliter de omnibus oblationibus extat canon, Præter hoc.32.dist. & canon. Statuimus.distinctio.16.quæst.1. quibus eandem animaduersionem retinentibus debitas oblationes ecclesia comminatur. Tertia verò ratio obligationis est adnotanda quæ præcipuè legitima est. Etenim cùm Christianorum religio insacramentorum susceptione, sacrificijq; oblatione posita sit: ad quæ iure naturali ac diuino, eodemque, vt sanctissimo ita & strictissimo, totus Christianismus teneatur, fit vt quisque populus sub reatu criminalis impietatis, tū templum pro sua facultate extruere, tum & ministros alere, & cultui necessaria cōtribuere sit iure constrictus. Quapropter vbi decimę nō soluunt, neq; aliūdè adeiusmodi sumptus prouisum est, tenet populus eosdē sumptus de sua substātia suppeditare. Ad quod, si renuerit, per censuras ecclesiasticas, atq; adeò si opùs fuerit, animaduersiōe sæcularis iudicij cogi potest. Locus est cōstitutissimus apud Paulum.1.ad Corin.9. vbi docet plus iuris ministris altaris snppetere ad subsidia temporalia recipienda, quām ad suum stipendium miles, & ad vineæ fructum qui illā plantauit, & qui gregē pascit ad fruendum lacte: sanè cùm Dominus dispoſuerit vt qui altario seruit, de altario viuat. ¶Dubium autem deinde offert textus ille citatus Gregorij, Omnis Christianus. vtrùm scilicet ad Missarum solennia teneatur

Oblatio est nomen latius quàm ad omnes cultus qui deo exhibent?

Prima conclusio.

Posterior cōclusio.

Primū documētum.

Populus inuenatur tenetur ministros ecclesiæ alere & templum struere.

Paulus.

Dubium.

tur vnusquisque aliquid in templũ afferre quod offerat. Hugo nanque, vt Hostien. in rubrica de parœc. & alien. parœ. ait, omnem Christianum tenore eiusdem capituli teneri ad oblationes in Missa sub reatu criminalis culpæ. Quare potest inquit, qui non fecerit, ecclesiastica censura compelli: Idque idẽ Hostien. hoc adhibito moderamine fatetur, quòd intelligatur in præcipuis dunta xat festiuitatibus. Alij verò id durum arbitrati, censent solùm intelligi de interna animi oblatione per deuotionem. Hæc autem glossa longissimè à Canonis mente aberrat: citat enim Gregorius textum ipsum antiquum quo oblationes temporalium rerum iubebantur. Omissa ergo opinionum recitatione, res est clara. Etenim vbi cuiuspiam oblationis consuetudo vsque adeò inoleuit, vt vim legis obtinuerit, ibi præcepti obligatione firmata est: vt diuus Thomas ratione quarta docuit. Vbi autem neque lex extat, neque eiusmodi viget consuetudo, nullum metuendum est præcepti vinculum. Consulò dixerim: vbi consuetudo vim legis obtinuerit. Nam vsu teneri potest consuetudo per modum liberę deuotionis: quæ ideo nũ quàm, quantũcunq; diuturna vim ingerit præcepti. ¶Quòd si aliquod scisciteris indiciũ quo eiusmodi consuetudines dignoscantur, forsan hoc nõ est adeò fallax quòd vbi decimę in vsu non sunt, neque alia ministris iusta stipendia constituta, ibi consuetissimę oblationes censentur in præcepto esse. Et pariter si consuetudo sit populi omni memoria vetustior, statis solennitatibus aliqua munera ecclesiæ, vel ad fabricam, vel ad alios sumptus offerre. At verò vbi decimarum solutio more seruatur quę ministris sufficit, re vera quotidianæ oblationes, quæ vel in profestis diebus, vel in festiuitatibus, quatumuis præcipuis offeruntur. existimari non debent: præcepti obligationi esse obnoxias. Neque verò vllo colore in contrarium obtendi potest, quòd legitimi pastores omnes decimarum fructus, gregem deglubentes, sibi vsurpant, miserisque mercenarijs quotidiana illa munuscula, quæ ad altaris gradus offeruntur, relinquunt: nam postquàm dicimis pastores saginantur, ipsis incumbit primùm præsentes seruire: mox si officio abesse iustè vel iniuria permittantur, vicarios cum iusto stipendio sibi substituere. Quare in hanc rem optimè per concilium Tridentinum prospectum est, vt parœcijs non residentibus tertia pars fructuum adimatur, quæ vicarijs adiudicetur. Haud tamen arbitrentur curati exoneratos subinde esse animarum cura, excusatosque nè residere teneantur: nam cùm ad hoc iure diuino naturalique irretiantur, sanctum concilium nul latenùs excusare illas cogitauit, sed ecclesijs quàm minimè malè potuit prospicere. ¶Inter oblationes autem vna est quæ offertur pro Missa. De qua duplex super est dubium. Vnum, an liceat sacerdoti pro Missa celebranda de pretio pacisci: quòd quidem cùm ad titulum simoniæ pertineat, quæstione sexta disputabitur. Secundum, vtrùm licitum sit pluresvt, aiunt, pitantias pro vna Missa recipere. Nã ratio illa quod pro pluribꝰ oblata tãtũ singulis prosit, iam superiori quæstione explosa est, sed vtrùm alia de causa id liceat, iam nunc ambigitur. Apparet enim si illa nõ sit legitima, nullam fieri reliquã: nã quicunq; illa causa eleemosynam largitur, contendit sibi totum sacrificium applicatum iri. ¶Nihilo minùs hîc in primis distinguendum est de plebano pastore, & de alijs mercenarijs qui neque parœcij sunt neque eorum vicarij. Parœcij nanque iure decimarum quotidie celebrare tenentur pro sua parœcia, si modò fructus satis sint ad ipsum alendum: sin minùs, pro eorum quantitate vel ter vel quater in hebdomada: ad iudicium Antistitis, quod tutius est: vel ad arbitrium prudentum. Quotidie inquam pro humana fragilitate: nam licèt vno aut altero die cessaret, seu quia non se præsentiscit idoneum vel animi laxandi gratia, non ideo constituitur in culpa. Vnde & monitum hoc adhibendum est, quòd legitimus pastor si per fas vel nefas non resideat, tenetur iustum alimentum vicario suppeditare, vt possit tot Missas celebrare quot ipse teneretur: nè vicarius causari polsit non sufficere sibi victum, nisi aliundè pitantias corradat. ¶Ex hoc fit, pastorem parœciæ in seruitutem non posse peregrinas pitãtias ab alijs, præterquàm à suis parœcianis percipere. Hoc enim esset in fraudem sacrificiorum quæ pro sua parœcia offerre tenetur. Attamen non obstante obligatione quatenetur pro parœcia offerre, potest particulares pitantias ab eisde parœcianis vltrò oblatas recipere, dũ modò illas non extorqueat idemque sacrificium potest & pro parœcia

&

Hugo. *Hostiensis.* *Solutio.* *Iudiciũ ad dignoscendu quãdo cõsuetudo obligat sub præcepto.* *Definitio cõcilij Tridẽtini de portione vicarijs adiudicãda* *Vtrum liceat sacerdoti p missa celebranda pacisci de pretio* *Dubium.* *an liceat p una missa plures pitantias recipere. in isto libro. q. 2. ar.* *Parœcij quotidie celebrare tenẽtur pro sua parœcia si cõpetẽtes alios habeant reditus in eadem ecclesia.* *Corrolariũ primum.* *Secundum.*

& simul pro tali parœciano facere. Idemq; censendum de defunctorum exequijs & testamentorum Missis. Ratio huius est quòd defunctos sepelire & piorum Missas offerre, propria est functio ipsius pastoris: neq; debent parœciani foras exire sacerdotes ad hoc munus quæsitum. Quocirca hæc non sunt incompatibilia. Hoc autem documentum, vt cuncta moralia, cum moderamine temperandum est: videlicet nè Missarũ prouentus immodicè sit exuberans: nam tunc deberet pastor qui curam habet animarum auxiliares sacerdotes ad se adiungere. ¶Sed & hoc pretereà consultari assolet vtrùm possit pastor qui curam habet animarũ, cuique subinde incumbit huiusmodi functio ex pitantijs portiunculam sibi vsurpare: imminutasque mercenario porrigere. Et reuera si iustum stipendium mercenario relinquatur, nõ video in hoc apertam iniuriam: quandoquidem pitantiæ omnes parœcio conferũtur: qui subinde, vt Missarum debitor, quo potuerit honesto stipendio, potest mercenarios ad eas celebrandũ conducere. ¶Subsequitur ergo membrum alterum eiusdem dubietatis ad vagos sacerdotes attinens: qui aliàs functionem suam celebrandi alligatam non habent: vtrùm pluresvaleant pitantias pro eâdem Missa percipere. Huius autem prima responsio esto: quòd si Antistes in clericorum ordinatione iura castè seruarent, non tanta hinc emergeret ambigendi ratio. Si inquam neminem sine legitima bonorũ possessione ac titulo sacris initiarent, non cogerentur sacerdotes mendici esse, & exigua Missarum mercede viuere: quod porrò tum reuerentiam sacramento debitam non tenuiter obnubilat: tum etiã periculum eisdem sacerdotibus offert pluries celebrandi quàm fortè pro sua puritate par esset. Cęterùm quia rei huius perexigua habetur cura, sed plurimi effictis titulis ordinantur, in quęstionem meritò vertitur vtrùm hac ratione, vt necessarium sibi victũ & quibus tegantur habeant, recipere plures pitantias possint: nam ratio infinitatis sacramenti iam suprà repulsa est. ¶Respondetur ergo quòd vbi non est in vsu eam pro vna missa eleemosynam erogari, quæ diario victui sufficiat, potest sacerdos duplam saltem percipere: dum tamen latiùs non se hæc licencia proferat: quoniam status apparatum non licet sacerdotibus hac ratione sustentare, sed pauperem vitam ducere. Hac enim ratione iure cautum est vt absque aliqua bonorum possessione ad ordines non admittãtur: & ideo qui sua culpa pauperordinatus est, paupertatẽ æquo animo ferat. Dũ autẽ sacerdoti abundat vnde honestè & forsan ornatè viuere possit, videtur nequire vti hoc subsidio: quandoquidem ob leuandam necessitatem permittitur. Sed nihilominùs respondetur quòd etsi non adeò id ipsum eiusmodi sacerdotem deceat: tamen secũdùm rigorem iustitiæ nulla esset iniquitas: quoniam iudicium non est de rebus ferendum secũdùm id quod accidit, sed secundùm rei naturam. Quare vbi per se satis pitantia non sufficiat, vnicuique eodem iure licet ampliorem suscipere, ¶Quòd si contra sententiam hanc argumento suprà factò resurgas. Qui pitantias largiuntur, sibi volunt totum sacrificium applicari, atq; ita faciendum putant: ergo sacerdos secùs faciens, illos decipit. Respõdet, eum silere posse quidquid alij credant: nã vtitur iure suo quo potest de altario viuere. Secùs autẽ si alter expressè postulet pro se solo ipsum sacrificiũ offerri: nam tunc si sacerdos annuat, tenetur seruare pacti fidem.

Dubitatio altera.

Solutio.

Tertium dubium.

Primare spõsio.

Secunda responsio.

Obiectio.

Solutio.

AD primum argumentum quęstionis respondet diuus Thomas iuxta illa quæ lib. 2. diximus, subtitulo de cessatione legaliũ: quòd quãuis legalia sic cessauerint vt quasi iudicia legis veteris seruare nobis non liceat: tamen non obstat quin possint: ab ecclesia alia ratione institui. ¶Ad verò si oblationes inter legalia duntaxat haberentur, solutio satisfaceret: sed tamẽ habẽtur, vt ipse ait, etiã inter ceremonialia: nam sacrificare, ceremonia est, & festa colere, atque adeò in eisdẽ festiuitatibus quid piã offerre: & vt illic expositũ reliquimus, ceremonialia sic cessarũt, vt ea nobis instituere minimè liceat. Ad hoc autẽ Sanctus Tho. infrà art. 4. ad pri. respõdet, duas ceremonialiũ species discernẽs. Illas qppe ceremonias ĩstituere nequit ecclesia quę vel statũ Hebræorũ referũt, vt obseruatio Sabbathi: vel aliquid futurum in nostra lege prędicebant, vt circũcisio, esusque agni paschalis, & similes: nã essent iã nũc mẽdacia: eadẽq; infidẽ pnicioſa: vtpote significãtia figuras illas nõ esse cõpletas. Veruntñ sunt aljæ ceremoniarũ species sic ad diuinũ cultũ pertinẽtes, vt citra vllũ mendaciũ possint ad eundem finem nunc institui: vt thurificare, consecrare in azymis, purificatio puerperæ:

Ad primũ argumentũ

Replica.

Solutio Cai.

puerperæ:quæ non condemnatur, extrà de purificat.post part.cap.vnico. Et tales sunt oblationes. ¶Aliud autem verbum Christi:Si offers munus tuum, &c. solùm probat non omnes oblationes esse, de necessitate præcepti: nihil tamen obstat quin aliquæ,vt dictum est, eidem subijciantur necessitati. ¶Ad tertium denique respondetur, quòd propter voluntarias oblationes nulla fieri potest excommunicationis censura:secùs autem propter illas quæ iure debentur. At verò sacerdos priuatus qui sacramentum administrat, vt excommunicare non potest:ita neque illud rebelli subtrahere:sed postquàm fuerit à superiori iurisdictionem habente excommunicatio lata, tunc sacramenti subtractio erit legitima. ¶Textus autem sextæ Synodi solùm vetat sacramenta pretio vendi: quę labes est simoniaca.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm oblationes solis sacerdotibus debeantur.

POST oblationum vinculum sequitur vt de illis dicamus quibus debentur. Apparent enim non solis sacerdotibus conferendæ. Etenim illud est in oblationibus præcipuum, quod hostiarum sacrificijs deputatur:hostiæ verò pauperibus ascribuntur,secundùm illud ad Hebræ.vltimo: Beneficentiæ & communionis nolite obliuiscì: talibus enim hostijs promeretur Deus:ergo & oblationes eisdem largiendæ sunt pauperibus. ¶Secundò:in multis parœcijs monachi oblationum portionem sortiuntur:cùm tamen alia sit secundùm Hieronymum clericorũ cura,quàm monachorũ:Ergo nõ solùm sacerdotibus sunt oblationes erogandæ. ¶Tertio: & laici oblationes,nempe panem & vinum, in proprium vsum à sacerdotibus coemunt:non ergo illis solis earum vsus permittitur. ¶In contrarium autem est canon Damasi.10.quæstio.1. Oblationes quæ intra sanctam ecclesiam offeruntur, tantùm modò sacerdotibus qui quotidie Domino seruire videntur, licet comedere & bibere:quia in veteri testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filijs Israel,nisi tantùm Aaron & filijs eius vt patet.1.Reg.21.

Primũ argumentum

Secundum

Tertium.

Damasus.

AD quæstionem duabus conclusionib⁹ respondetur. Vna est: Vniuersarũ oblationum quæ à plebe Deo exhibentur dispensatio ad sacerdotes pertinet. Probat. Oblatio genere suo nõ est nisi rei quæ Deo ad cultum religionis dicatur: est enim nobis de sacris,non de sæcularibus oblationibus sermo:inter homines autem & Deum sacerdos est sequester cõstitutus:& suo gradu secundùm Christũ mediator:vt de Moyse Deuteronomij.5.legitur:nam illi incumbit tum diuina dogmata per Deum reuelata populum docere:tum etiam & sacramenta per ipsum instituta eidem populo ipsius nomine administrare. Et vice versa eius est functio à parte populi coram Deo stare:ei⁹ scilicet preces apud ipsum fundere, sacrificia ei offerre:donaque,& oblationes,& munera præsentare: secundùm illud Apostoli ad Hebræos.5.Omnis pontifex ex hominibus assumptus,pro hominibus cõstituitur in his quæ sunt ad Deum:vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis:ergo omnium munerum quæ populus Deo dicare constituit, vsus,administratio,& dispensatio, ad eosdẽ pertinet sacerdotes. ¶Quòd si extemplò dubitandi ratio irrepserit, multa Christianam familiam:non sacerdotibus:sed ad tẽplorum fabricas vtensiliumque ornamenta ecclesijs dedicare,quæ ideo sacerdotibus vsui esse non debent:Respondeꝫ propterea nos consultò non asseruisse oblationes omnes in eorum transijsse dominium, vt in proprios vsus possint cuncta cõsumere: sed eorum dispensationes illis incumbere. ¶Quare adiungitur altera conclusio. Sacerdotes trifariam possunt ijs quæ ad diuinum cultum offeruntur vti. Primùm in fabricam reparationemque ecclesiarum,& rerum apparatum: quæ ad diuinum cultum attinent. Secundò in suum ipsorum proprium victum: quoniam, vt Paulus suprà citatus ait: Qui altario seruit, de altario viuere debet. Tertiò in subsidium pauperum,quos cõdecet bonis ecclesiasticis pasci & sustentari. Conclusio est nota. Nam quicquid Deo exhibetur, cùm nostrorum ipse bonorum non egeat, ad duo tantùm vtilia sunt: scilicet aut ad templorum vel ædificia vel ornamẽta: aut ad sacerdotum alimoniam. Quicquid autem supersit, erogare debent pauperibus. Præterquàm quòd antiquitùs,vt subsequentia demonstrabũt, aliqua etiam solebant ecclesijs conferri pe-

Prima conclusio.

Probatio.

Scrupulus.

Solutio.

Secunda cõclusio.

culiariter in vsus pauperum. Eorum autem quæ ad ecclesiæ sumptus dedicantur, episcopus est administrator ac dispensator, vel canonicorum collegium, secundùm morem qui legitimus sit. Quapropter verissima est sic exposita prior conclusio quòd omnes oblationes ad sacerdotes pertinent. Res est clara: quæ si vllam habet dubietatem, libro sequenti tractanda, est, inter explorandum sintne sacerdotes suorum fructuum domini: quomodoque sint ab ipsis bona ecclesiastica expendenda.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum respõdetur, quòd eleemosynę in pauperes erogatæ, licèt quadãtenùs oblationes dicantur ac sacrificia: eò quòd in Deum referuntur: non tamẽ aut sacrificia propriè sunt oblationes. Hoc enim nomen solis illis congruit, quæ officia sunt religionis. Eleemosynæ autem non sunt nisi misericordię opera: fiunt tamen, vt dictum est, ijdem egeni & per sacerdotum dispensationem sacrarum quoque oblationum participes. ¶Ad secun-

Ad secũdũ dùm respondetur, monachos partem quoq; earundem oblationum triplici de causa sibi posse vendicare: porrò aut sacerdotum largitate tanquàm inopes: aut ratione mercedis, si illis sint adiutores: aut si aliqua eis fortè fuerit commissa parœcia. ¶Ad tertium

Ad tertiũ. denique respõdetur, quòd oblationes postquàm consecratæ sunt, non possunt rursum in sæcularem vsum reuocari: vt ara consecrata aut calix. Sed tamen si non sint consecratæ, possunt sacerdotum arbitrio & permissu ad seculares reuerti.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm oblationes de rebus omnibus quæ licitè possidentur facere liceat.

SEQVITVR tertio loco postquàm de oblationum dispensatoribus dictum est, de earum quoque materia dicere. Haud enim omnia quæ homo possidet materia esse vident oblationis idonea, Etenim meretrix iustè ea possidet quæ

Ratio à parte negatiua turpiter lucratur: vt patet. l. idem ob stuprum. ff. de condict. ob turpem cau. & tamẽ Deuteronom. 23. legitur: Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui. Continuoque ibidem prohibetur & pretiũ canis offerri, quod tamen animal iustè venditur. ¶Et Malach. 1. Si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Non ergo quicquid iustè possidetur, perinde offertur iustè. ¶In contrarium autem est illud Prouerbiorum. 3. Honora Dominum Deũ tuũ de tua substantia. Qua vna voce cuncta quę possidentur concluduntur.

AD quęstionem tribus respondetur cõclusionibus. Prima. De ijs quæ iniustè acquiruntur & possidentur nulla fit Deo oblatio licitè. Probatur. Oblatio cùm virtus sit religionis, esse non debet iustitiæ violatio nam eadem virtus sub præcepto est Dei: & sicut vero, vti ait Aristotel. omnia vera, sic & cuicunque diuino mandato cætera consonant: cuncta autẽ iniustè parta, iustitiæ lege, atq; adeò Dei restitutioni obnoxia sunt: ergo nequeũt eidẽ Deo dicari. Huius rei Augustinus in libr. de verbis Domini pulchrũ affert exemplum. Si deprædaueris, inquit, aliquem inualidũ, & de spolijs eius dares alicui iudici qui pro te iudicaret, tanta vis est iustitiæ vt & tibi displiceret. Non est talis Deus tuus, qualis non debes esse neque tu. Hæc ille. Vbi affabrè rationem rei exerit. Oblatio enim ad propitiãdum placandũq; Deum fit: qui iudex est virtutum omnium, legumque custos. Cùm ergo te condemnaturus sit nisi quicquid debueris restituas, genus est diuinæ contumeliæ, si eãdem re illũ propitiari contendas de qua te certus est cõdemnare. Vnde & Ecclesiastici. 34. Immolantes ex iniquo, oblatio est maculata. ¶Secunda conclusio. Quantum ad rei per se naturam attinet, de re quacunque iustè possessa iustè fieri potest oblatio. Patet: nam & eiusmodi rerũ homo est verè dominus aut possessor legitimus: quorum ideo habet legitimum vsum, eũdemque sibi præstante Deo, potest ergo vnusquisque, atque adeò debet cum prudentiæ moderamine eorum quę ab ab ipso recipit partem ei rependere: secundùm illud primi Paralipom. capitulo vltim. Quæ de manu tua accepimus, reddim⁹ tibi. ¶Tertia conclusio. Ex his quæ rei accidunt commaculari oblatio potest, etiam eorum quæ licitè possidentur. Probatur: quia ad operis studiositatem nõ satis est genere suo esse bonum nisi & quæ circunstant sint perinde honesta, accidere autem potest vnde eiusmodi oblatio sit mala. Et primum cul-

Prima conclusio. *Probatio.* *Augustin⁹* *Secunda cõclusio.* *Ratio conclusionis.* *Tertia cõclusio*

toribus

toribus priscæ legis, quibus omnia in figura contingebant, multa erant legalia, vel ꝓpter significationem, vel propter id quod illi reipublicæ immundum ac turpe habebatur, offerri non licebat: quæ quidem prohibitionis ratio sub lege nostra cessauit: nã vt ait Paulus ad Titum. 1. Omnis creatura Dei reputatur munda. Possunt nihilo minùs & nostris oblationibus alia contingere incommoda: vel quia id quod licitè possidetur, per misericordiam debetur potiùs alteri: quàm offerri debeat in templo: vel propter scandalum: vel propter contemptum: vel propter aliud quidpiam. Obiurgat em̃ Christus Matthæ. 5. Pharisæos qui plebi ꝓsuasum contenderent vt potiùs subueniendis parentibus abessent quàm faciendis oblationibus. Et meretrix dum turpe lucrum offert, scãdalum̃ dat: & qui quod despectui habet, Deo offert, eum ipsum despicit.

Paulus.

Argumẽtũ

¶Contra primum autem membrum tertiæ huius conclusionis, quo dictum est nonnũquàm deberi potiùs res vel parentibus vel egenis erogari, quàm templo offerri, arguitur, in vniuersum conducentiùs esse atque ad diuinum cultum accommodatius, bona nostra ad conficienda celebrandaque sacrificia elargiri, quàm in egenorum subsidia. Apparet enim vulgò sic cẽseri: eò quòd per sacrificium Deo propiùs re ipsa accedimus. Cui tamen vulgari opinioni miserorum egestas nonnunquàm reclamat. ¶Ad hoc sub distinctione respondetur. Opus enim virtutis è duobus inter alia quantæ sit perfectionis æstimatur. Primùm ex obiecto, vnde suam speciem sortitur. Secundò ex necessitate, cui charitas semper succurrere satagit. Igitur si ad priorem rationem spectemus, oblationes sacræ, ac perinde sacrificia, reliquis eleemosynis longè prẽstãt: nam religio, vt. 2. 2. quæstio. 18. auctor est diuus Thomas, quippe quæ Dei reuerentiam pro obiecto habet, excelsior est virtus: non modò misericordia, verùm & moralibus vniuersis: vtpote quæ non nisi erga proximos versantur. Atque huc pertinet verbum Christi, Matthæ. 21. vbi officium & causam Magdalenæ, quæ ipsum dispendio pretiosissimi vnguẽti vnxerat, aduersus indignantes discipulos defendit. Sanè qui opus misericordiæ pluris pendebant. Docuit enim opus illud in reuerentiam personæ ipsius Dei exhibitum, religione sua anteferendũ. Et ideo non condemnauit misericordiam in pauperes. imò commendauit maximè: dicens, Pauperes semper habebitis vobiscum. Attamen declarauit quòd opportunitatem illam vt eleemosyna cùm tam excelso gradu religionis esset adiuncta: nunquàm deinceps foret mundus habiturus. Atque ideo ait, Me autem non semper habebitis. Religio autem fuit, tum diuinitatis maiestatem atque immortalitatem pretioso illo incorruptibilique vnguento confiteri: tum etiam & incorruptionem humanitatis præsignare. Scriptum enim erat: Non dabis sanctũ tuum videre corruptionem. Idque fortasse verbo illo cœlestis Redemptor declarauit: Ad sepeliendum me fecit. Hoc est. Sic ista protestatur me verè mortuum sepeliendum, vt quasi spiritu prophetico singularem meum sepulturæ modum prænuntiauerit: vbi non meum corpus communi lege est in cineres abiturum. Adde inter huiusmodi religionis officia potissimum esse atque optatissimum sacramentum, vbi nihil minùs, quàm Deus ipse immolatur.

Distinctio.

¶Nihilo minùs tamen hoc verissimum est, quod vtinam, vt est certissimum, ita esset Christianæ familiæ persuasissimum, quòd necessitatis pondus vnde virtus ac potissimùm misericordiæ incrementa suscipit, efficere potest vt ad Dei cultum conferentius sit, atque adeò optatius opem ferre miseris, quàm oblationes & sacrificia facere. Et ratio est, quòd sacrificia, vt dictum est, non in Dei vtilitatem, quæ bonorum nostrorũ non eget: sed in eius duntaxat gloriam, nostramque deuotionem excitandam celebrãtur & offerũtur. At verò tanta est Deo pauperum cura vt eorum vtilitatem sæpenumerò pluris ad suî charitatem, ac subinde gloriam ęstimet, quàm reliqua sacrificia. Idque maximè postquàm idem ipse Deus cùm dives esset, vti ait Paulus, propter nos egenus factus est. nostrasque miserias & erumnas vsque adeò suas fecit, vt in die illa tremenda coram angelorum hominumque vniuersitate confiteri non sit veriturus, se ipsum apud nos esuriuisse, nudumque fuisse, & mendicum: ac tandem quicquid vni ex minimis indigentibus fecimus, quasi ei ipsi in propria persona feciſſe. Vnde Matthæ. nono, nec verò citra indignationem Pharisæos obiurgat, quòd propheticum oraculum non intellexissent. Euntes enim, inquit, discite quid est, Misericordiam volo & non sacrificium. Sic enim scriptum exta-

bat. Oseæ sexto, cui Propheta adiecerat: Et sapientiam Dei plus quàm holocausta. ¶Quapropter postquàm Paulus epistolam ad Hebræos, qui tam erant sacrificijs frequentandis dediti, in hoc penè insumpserat, vt singulare Christi Pontificis nostri sacrificium commendaret, cuius præsentia illa omnia aboleuerant, nè inde colligerent ob illud dimittendam semper forè misericordiam pauperum, illum tandem Epistolæ colophônem adhibuit, vt commonitos beneficentiæ eos apprimè curaret. Charitas enim, inquit, fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam angelis hospitio receptis. Et infrà beneficentiæ & communicationis nolite obliuisci: talib⁹ enim hostijs promeretur Deus. Ad argumentum igitur contrarium respondetur, nihil vetare quo minùs virtus quæ altera genere suo inferior est, quandoque ob necessitatem sit pretiosior. ¶Hæc propterea tam multis inculcauerim, quòd sunt qui falsò omnia putent sua bona, potissimùm dum ab hac luce recedunt, in amplissimum Missarum numerum & in Capellanias expendenda. Nam etsi in ecclesiæ ortu illa essent impendiò necessaria, & vbi modò desunt consulenda sint: tamen vbi diuinus cultus satis est celebris, multò esset consultius egenorum calamitates leuare: longè enim crebriùs in euangelio huius nos Christus misericordiæ admonitos curauit, quàm vt eleemosynas in sacrificia conuerteremus. Nam quanuis oratio satisfactioque sacrificij acceptissima sit, tamē eleemosyna quæ præcipuum est charitatis officium, & pauperum orationes valde sunt, testante Christo, efficaces, vt nos in æterna recipiant tabernacula.

Solutio.

Ad primū argumētū.

AD primum igitur argumentum respōdetur, in veteri lege mercedem prostibuli offerri esse prohibitam, propter immunditiam: quæ ratio cessauit in noua. Esset tamen scandalum talem recipere oblationem: quia viderentur sacerdotes ad meretricum turpitudinem conniuēre. De pretio autem canis: Iosephus libro secundo vt inter tractandum de legalibus dicebam⁹ sic legem interpretatur, quòd canum operæ, sicuti modò asini & equi ad fœcūdādas equas, redimi solebant pretio ad imprægnādas canes: quare pretium illud propter turpes sordes quoque ab oblationibus repelle batur. Et sortitur inde probabilitatem interpretatio, quòd vnà componuntur prostibuli merces & pretium canis. Altera verò à Doctorib⁹ adhibetur interpretatio, quòd cùm primogenitum animalis mundi sic esset in templo conseruandum, vt non redimeretur: animalis verò immundi primogenitum, redimebatur pretio. Canis autem sic reputabatur abiectus, vt non esset quinque siclis dignus, quibus eiusmodi animalia redimebantur: & ideo aiunt quòd extra templum occidebantur. Porrò autem expositio hæc neque rationi neque textui est cōsona. Si enim propter ei⁹ vilitatem ad nihil erat commodum, ad quid erat in templum præsentandum? Quocircà melius est dicere simpliciter fuisse offerri prohibitum, tum propter animalis vilitatem, tū etiam quia forsan, vt ait Sanctus Thomas, in vsu erat Gentibus ad sacrificandum idôlis. Ratio ergo illa cessauit in euangelio. ¶Ad tertium respondetur quòd animal cæcum, aut aliter truncum, aut debile, ad oblationem ineptum erat. Primùm quia oblatio debebat esse immaculata. Secundò quia esset vilipendium atque opprobrium. Præterea ratione voti quòd debet Deo optimè solui. Quare oblatio Caini non fuit Deo accepta sicut Abêlis. Quæ quidem rationes vim suam in lege nostra retinent. Qui enim vel acidum vinum vel putrem farinam ad rem diuinam celebrandam offerret, prauè quidem faceret: nam illa non sunt conficiēdo sacrificio congrua. Et qui vasa aut indumenta sordidissimis vsibus seruientia, templo dedicaret, ex quibus vestes sacræ & vasa fabre fierent, contemptor eorundem sacrorum censeretur. Et qui animal voto Deo deuoueret, & claudum vel cæcum vel alia de causa vilissimi pretij solueret: vel decimas ex pessimo grano & musto: profectò non caste seruaret fidem quam Deo habet obligatam.

Ioſephus.

Ad tertiū.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ad primitiarum solutionem homines teneantur.

Inter

INTER alias oblationum ſpecies connumerantur primitiæ, de quibus ideo inquiritur, vtrum vi præcepti debeantur. Primũ argumentum. Eſt enim contrarium teſtimonium ſupra citatum. Exod. 25. vbi ait Dominus ad Moyſen, vt primitias ab homĩe qui vltroneus offerret acciperet. Et Exod. 13. data lege primitiuorum quæ legitimè erãt primitiæ, ſubditur. Erit quaſi ſignum in manu tua: vox autem ſigni ceremonialia deſignat, quæ in noſtra lege ceſsârunt: ergo ſicut non tenemur primogenita offerre, ita neque aliarum rerum primitias. Secundum. ¶Secundò primitiæ olim Deo reddebãtur vt de ſingularibus beneficijs ab ipſo ſuſceptis gratias ille populus eidem rependeret. Habetur enim Deuteronom. 26. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias: accedesque ad ſacerdotem qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor coram Domino Deo quòd ingreſſus ſum terram pro qua iurauit Deus patribus noſtris vt daret eam nobis: ergo neque extraneæ nationes, neque verò nos tenemur illas prohibere. Tertium. ¶Tertio: Si lex eſſet primitiarum coactrix, tunc præſcripta eſſe deberet taxataque ſolutionis quantitas, ſicut in decimis. At verò in neutro teſtamento talis habetur taxationis lex: ergò ſub nullo comprehenduntur præcepto. ¶In contrarium autem eſt canon Gregorij Septimi, Decimas 16. quæſtio 7. Cuius verba ſunt: Oportet congruentiùs nos decimas & primitias, quas iure ſacerdotum eſſe ſancimus, ab omni populo accipere: quas fideles Domino præcipiente offerunt.

PRimitiæ ſingularem in genere oblationum locum obtinent. Differunt enim à reliquarum generali ratione quatuor modis, quos hic diuus Thomas dignouit. Quadruplex differẽtia primitiarum à cæteris oblationibus. Primò iuxta vocis ſonitum differunt materia. Nempe quòd de primitiuis rerumque opimis initijs offerebantur. Quanuis ſint qui nomine primitiarum: non prima, ſed optima intelligant. Quemadmodum de Abele refertur quòd obtulit de pinguedine gregis. At verò textus Numeri. 18. vtrunque inſinuat. Nam quod primum eſt, cenſetur optimum. Vnde ibidem: Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti: quicquid offerunt primitiarum, tibi dedi: ſcilicet, Aaron. Et ſubdit: Vniuerſa frugum initia quæ gignit humus & Domino deportantur, cedent in vſus tuos: Secundò ratione cauſæ à reliquis diſtant, quòd reddebantur Deo ex cauſa ſpeciali: nempe vt homines diuinum beneficium recognoſcerẽt, profiterenturque adeò quicquid ex terræ fructibus percipiunt, Deo authore illis prouenire: cui adeò iuxta verbum citatum. 1. Paralipomen. vltim. quæ de manu eius accepe runt, reddere debent. Tertiò differebant & in modo, quòd cum aliqua ceremonia offerebantur. Legitur enim Deuteronom. 26. poſt verba ſuprà citata offerentium primitias: Suſcipiẽs ſacerdos cartallum (quod eſt caniſtrum primitiarum de manu eius qui defert primitias) ponet ante altare Domini. Et infrà commemoratis Dei beneficijs, ſubduntur offerentis verba: Idcircò nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi, &c. ¶Quartò denique differunt ex parte eorum in quorum vſum exhibebantur. Nam cùm Deo pro beneficio rependerentur, inter quem (vt dixim⁹) & populum ſacerdos eſt ſequeſter, in eius ſingulariter vſum cedebant: ad differentiam decimarum quæ totam Leui tribum contingebant. Vnde loco citato Numer. 18. ait Deus Aaron: Omnes primitias ſanctuarij quas offerunt filij Iſrael Domino, tibi dedit, & filijs ac filiabus tuis, iure perpetuo. Et ſubditur: Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſsionem pro miniſterio quod ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis. ¶His ergo præhabitis ad quæſtionem duabus concluſionibus reſpondetur. Vna eſt. Primitiæ præcepto legis naturæ & ſcriptæ: Deo debentur, eiusque miniſtris: atque adeò iure pontificio, ex eâdem priſca lege diuina deriuato. Probatur concluſio ratione illa iam inſinuata. Ius naturæ iam nos docuit gratitudinem vt benefactoribus gratias redderemus: Deus autem eſt primus naturalium omnium beneficiorum author: illi ergo primas debemus penſiones eorum omnium quæ nobis natura confert. Quòd ſi quis cauilletur id ei deberi non de præcepto ſed de honeſtate, redarguitur ſic. Iure naturæ cogimur Deũ noſtri noſtrorumque authorem profiteri: quandoquidem in eò viuimus, mouemur, & ſumus. Nam ſi parentibus à quibus vitam accepimus, vt quarto nos loco Decalogus admonet, de his quæ ad victum noſtrum poſsidemus, dum egent, ſuccurrere ſtrictè cogimur, longè ſtrictiore iure Deo

Prima concluſio.

Probatio cõcluſionis.

eandem debemus recognitionem: non quidem propter eius indigentiam, quia nullã habere potest, sed propter nostrum commodum & eius gloriam. De hac itaque ratione sic mortalium vniuersitatem natura erudiuit, vt ethnicis etiam fuerit cunctis sæculis (vt suprà dicebamus) notissima. Ob idque non speciatim quæsiuimus hic an Christiani, sed vtrùm homines, scilicet cũcti mortales primitias soluere teneant, ad quos idcircò vniuersos responsio protenditur.

Plinius. Vnde Romani, vt Plinius in eorum historia libro. 18. capit. secundo refert, nihil anteà de terræ nascentibus degustabant quàm sacerdotes nouarum frugũ ac vini primitias libarent. ¶ Sed occurrat hic fortè nobis obuius quispiam, rationem hanc non esse ad debitum primitiarum concludendum propriam, sed hoc tantùm euincere quòd teneamur Deo religionis lege sacrificia offerre, vt suprà dictum est. Quibus eum conditorem nostrum profitemur. Primitiæ autem longè à sacrificijs distãt, cùm simplices sint oblationes. Respondetur autem aliter nobis naturalem rationem sacrificia persuadere, aliter verò reliquas oblationes, ac singulariter primitias. Nam Deo quatenus Deus est, supremum scilicet per se bonum, honores debemus diuinos. atque ædeò obedientiam. Qua vtique ratione rem illi diuinam facere & sacrificare tenemur. Sed pręterea quia fructus terræ nobis quotidie suppeditat, colligimus ad eius honorẽ accedere, de his quæ nobis donat partẽ illi libare, & singulariter rerũ primitias: quibus, pfitemur illum esse primum supremumque autorem cuius nutu & solis circuitus, & aëris clementia hæc nobis affatim progignunt. ¶ Altera conclusio. Etsi ius naturæ antiquitus diuina lege expressum nos huiusmodi primitiarum oblationis admoneat, tamen qualitates & circunstantię: nempe personę quibus tradendę sunt & materia: videlicet an de primis omninò fructibus: atque adeò quãtitas legibus humanis patriæque vsu & more nobis compertę & legitimæ sunt. Olim nanq; ptimitiæ singulariter sacerdotibus obuenie bant: decimæ verò Leuitis. Iam nunc decimæ vice versa sacerdotum sunt: primitiæ verò plurimum sacristis sacrorumque ædituis deputantur. In aliquibus tamen ecclesijs in fabricæ sumptus consignantur: & nonnunquàm ipsis eisdẽ sacerdotibus. Neq; verò tã exactè deposcitur vt de primis soluant fructibus. Neque de holeribus aut leguminib⁹, sed de frugibus tantum. Illa enim omnia antiquis patribus legalia erãt: quibus nõ ideo modò minimè obligamur. Tanta enim cõmendatione ius illud decimarum ac primitiarum Deus illo sæculo indixit populo suo vt quemadmodùm Exo. 34. legitur, hebdomadarum solẽtiatem in primitijs frugum messis triticeæ celebrari præceperit: quæ nobis non est in vsu. ¶ De quantitate autẽ primitiarum nihil vel in veteri vel in nouo testamẽto scriptum legimus: præterquã illud Ezech. 45. Hæc sunt primitiæ quas tolletis: sextã partem Ephi de coro frumenti, & sextam partem Ephi de coro ordei. Mensura quoque olei Batus de quolibet coro. Super quibus verbis Hieronymus declarat illud ad decimas pertinere: nam Ephus decima pars cori erat: sicut Batus in liquidis. Qui quidem corus triginta continebat modios. Subdit autẽ idẽ sacer Doctor verba isthæc, quæ extrà de decimis, capitulo primo referuntur. At verò primitiæ quas de frugibus offerebant, non erant speciali nomine definitæ. Traditionem quoque accepimus Hebræorum, non lege præceptam, sed arbitrio magistrorum inolitam: quòd qui plurimũ, sexagesimam partem dabant sacerdotibus: qui minimum, inter. lx. & xl. licebat quodcunque voluissent offerre. Hęc in antiqua lege. In noua autem nulla signata est quota Sed in Hispania si cui prouentus vltra decem modios obuenerit, vnum soluit: etiam si vsque ad mille aut decem milia ascenderint. Et in alijs locis magis est tenuis solutio. In hoc enim plurimum consuetudini defertur. Quin verò vbi decimæ ad totum ecclesiarum cultum affatim abundarent, nisi consuetudo aliud contineret, non esset cur & primitiæ legis obligatione exigerentur: nam quòd diximus naturale ius primitias solui iubere, decimæ tunc satis suppleret.

Obiectio cõtra pximã rationem.

Solutio.

Vltima cõclusio.

Hieronym⁹ Ephus decima pars cori: sic Batus in liquidis.

AD autoritatẽ ergo suprà positam Exo. 25. respondetur, quòd nomine illic primitiarũ, vt litera planè docet: intelligebant oblationes quas populus ad tẽpli ornamenta fabrefacienda admonebatur facere: videlicet vt vnusquilibet aurum cõferret, aut argentum, aut hyacinthũ, aut purpurã, aliãq; id genus pretiosam supellectilem ad vasa paramentaque templi fabricãda. Quod autẽ Exo. 13. primitiuorũ oblatiões, signa, hoc est ceremoniæ appellantur, S. Thomas non

Ad primũ argumẽtũ.

negat

negat:sed respondet vt art.1.de oblationib⁹ in genere respondebamus.Nempè illas præcisè ceremonias sanctæ Christianorum Ecclesiæ non licêre ex lege veteri instaurare: quæ figuræ futurorum erant:eò quòd iam modò menda essent.Aliâs tamen quæ duntaxat in recognitionem beneficiorum Dei adhibebãtur,cùm eadẽ apud nos ratio permaneat:non est quòd nobis non liceat instituere,¶Ad secundum respondetur quòd primitias vetus populus Deo non solùm debebat ob fructus quos terra Dei benignitate profert:verùm & ob terras ipsas quæ eius beneficio tum illis promissæ fuerant, tum etiam donatæ.Hæc ergo secunda causa non est apud nos superstes:sed prior. Tãetsi cùm & mũdum ipsum Deus ob nostrî gratiam condiderit, nobisque subinde & possessionem donauerit,iuxta illud psalmi: Terram autem dedit filijs hominum, hac etiam de causa debentur illi primitiæ.¶Tertium autem iam solutum est, vbi diximus quantitatem primitiarum non esse lege prescriptam,quia cùm intra oblationum lineã comprehendantur,deberent saltem spontanei aliquid retinere.

Ad secũdũ argumẽtũ.

Ad tertiũ argumẽtũ.

QVAESTIO QVARTA, De Decimis.

Sanct.Thomas.2.2.q.87.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm homines teneantur dare decimas ex necessitate præcepti.

POST oblationes sequitur de decimis sermo. Apparet em̃ nõ omnes homines ex necessitate præcepti ad earum solutionem teneri. Illud enim præceptum extat Leui.27.vbi legitur, Omnes decimæ terræ,siue de frugibus siue de pomis arborum Domini sunt. Et infrà: Omnium decimarum ouis,& bouis,& capræ,quæ sub pastoris virga trãseunt:quicquid decimum venerit,sanctificabitur Domino.hoc autem præceptũ inter moralia eò referri nequit, quòd moralia natura iubet:quæ tamen non decimam potiùs quàm vel vndecimam vel nonam partem præcipit.Si autem ceremoniale fuerit aut iudiciale,iam satis libro secũdo monstratum est, quemadmodùm illa fuerint antiquata. ¶Secundò.Illa sola Christianis,quorum fidem vniuersi mortales suscipere tenentur,sub præcepto concluduntur:quę Christus vel eius Apostoli nobis indixerunt:secundum illud Matthæi vltimo, Docentes eos seruare omnia quæcunq; mãdaui vobis.Et Paulus Actuum.12.Non subterfugi, quo minùs annuntiarem vobis omne cõsilium Dei.Sed neque inter Christi, neq; inter Apostolorum documẽta obligatio vlla legitur decimarum.Quod enim Dominus de decimis Matth.20. meminit, Væ vobis qui decimatis menthã, & rutam, &c. hæc oportuit facere,ad tempus præteritæ legis referendum cẽsetur:secundùm illud Hilarij super Matth. Decimatio illa holerum quæ in præfiguratione erat vtilis, non debebat omitti:ergo tempore gratiæ dissolutũ nobis est decimarũ iugum.¶Tertiò. Tẽpore gratiæ ea solùm ex lege veteri nobis relicta sunt,q̃ nobis natura iubet: quare neq; ad plura tenemur quàm gentes ante illam legem:illis autem sæculis non exhibebantur ex præcepto decimæ,sed ex voto. Legitur enim de Iacob,Genesis. 8. quòd votum Deo vouerit,dicens:Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo,&c.cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi:ergo neq; nos arctiùs decimas debemus,¶Quartò,Sub illa priscorũ lege trinæ soluebantur decimæ.Primæ quidem tribui Leui:de quibus,vt articulo proximo dicebamus,legitur Numer.18.Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt, quas in vsus eorum & necessaria separaui. Secundæ,de quibus Deuteronom.14.refertur: Decimam partem separabis de cunctis frugib⁹ tuis quæ nascuntur in terra per annos singulos:& comedes in conspectu Dei tui in loco quem elegerit Deus. Ac demum tertiæ, de quibus inibi protinus subiungitur. Anno tertio separabis aliã decimam ex omnibus quæ nascuntur eo tempore:& repones intra ianuas tuas:venietque Leuites qui aliã non habet partem neque possessionem tecum,& peregrinus,ac pupill⁹,& vidua,quæ intra portas tuas sunt,& comedent & saturabuntur.A secundis autem atque à tertijs lex gratiæ nos absoluit:ergo pari modò ab

Prima ratio à parte negatiua.

Secunda ratio.

Hilarius.

Tertia.

Quarta ratio.

Quinta ratio. illis primi generis. ¶Quintò. Quicquid absq; tẽporis determinatione præcipitur id nisi tempore congruo soluatur, in culpa cõstituit negligentẽ: ergo si necessitas eos qui Euangelium profitentur ad decimarum solutionem vrgeret: fieret subinde consequens vt quibus terris eadem solutio nõ est in more, criminalis delicti rei essent, nõ modò nõ soluentes, verùm & ecclesiæ ministri dissimulantes: quod non est dignum vt facilè cõcedatur. ¶In contrarium autem est Augusti*Augustin⁹.* ni testimonium. 16. q. 1. canone, decimæ. vbi ait, decimæ ex debito requirũtur: & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.

IN quæstionis vestibulo appendendũ statim discrimẽ est inter decimas ac reliquas oblationes. Differunt quippe secundùm omne causarũ genus. Primùm scilicet ex parte finis per quem de cæteris iudicatur, quòd reliquæ oblationes Deo in eius honorẽ immediatè, vt cum scholasticis loquamur, dedicantur: quanuis in vsum ministrorum demde redundẽt: quippe qui nomine ipsius eas suscipiunt, vti in sacrificijs expositũ est, quorum ceremonia diuina maiestas colitur: atq; in primitijs quæ pro susceptis fructibus eidem rependuntur. Decimæ verò, veluti hic ait D. Thomas, ceu ministrorum stipendiũ sunt peculiariter institutæ. Hoc vtique lib. 3. sub titulo de acceptione personarum satis superque monstrauimus. Sic enim habetur Numero. 18 Filijs Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio quo seruiũt mihi in Tabernaculo fœderis. Et in frà de eisdem decimis: Pretium est pro ministerio quo seruitis in Tabernaculo testimonij. Et Malacha. 3. Inferte omnem decimationem in horreum meũ, vt sit cibus in domo mea. Et eâdem ratione sub lege gratiæ soluuntur sacerdotibus pro altaris obsequio, sacramentorumq; administratione, secũdum verbum Christi. Lucæ. 10. Dignus est operarius mercede sua: & illud sæpe citatum. 1. ad Corinth. 9. Nemo suis stipendijs militauit vnquam. Quod Innocentius Tertius in eandem sententiã, extrà, de præbend. citat, cap. Cùm secundùm Apostolũ. Atq; hoc, quod loco citato satis superq; indicauimus, fundamentum est eorum maximum quæ nõ modò hìc dicenda sunt, verùm & libr. sequenti repetenda. Ex hac sequitur secunda differentia ex parte materiæ: nempè quòd cùm reliquæ oblationes non sint ex rebus omnibus necessariæ: decimæ tamẽ ex cunctis quę vel domi vel in agro procreantur secundùm strictum ius persoluũtur. Ac demum tertia differentia sumitur ex parte formæ: q cùm reliquæ oblationes vltrò offerantur, vel saltẽ quo ad quotam, Decimæ tamen rigore præcepti, eædemq; sub illa quota quam nomen sonat, debentur. ¶His sic tenuiter prænotatis, quatuor conclusionibus ad quæstionem respondetur. Prima. Decimarum solutio ex *Prima conclusio.* præcepto iuris debetur, partim diuini ac naturalis, partimq; humani. Nã quod in genere ecclesiæ ministri populi sumptibus sustententur, naturale præceptũ est, atq; adeò in lege veteri moralium numero comprehẽsum. Quòd autem pars fructuũ decima eisdem sumptibus mancipetur, iudiciale tunc ius erat, atq; adeò in nostra lege pontificiũ. Vtraq; pars patentissima est. Si modò tamẽ illud inter moralia iudicialiaq; discrimen recolas, quod lib. 2. latè dilucidauim⁹. Est em morale præceptum, quodcunq; ex naturæ principijs ceu syllogismi conclusio elicitur: veluti illud. Non occides: ex illo generali, Id nè facias alijs, &c. Iudiciale autem est illud ad quod speciatim arbitratu quodã ab vniuersali descenditur: vt si vniuersale illud, Aliquid Deo est offerendum, sic arbitreris, vt bimam vitulam offeras, aut aliud quoduis animal Hoc ergo discrimine suppositio, faci*Probatio cõclusionis.* lè cõclusio liquet. Et quidem prior pars præcedenti quæstione sub titulo de religiosorũ paupertate satis est nobis demonstrata. Etenim quicunq; reipub. in re necessaria administrant & seruiunt, ius habent stipendium ab eâdem repub. suscipiendi, imò & exigendi: administratio autẽ diuini cultus reipub. necessaria est: imò verò multò plusquàm sæcularium magistratuum: ergo eiusmodi administris stipendiũ respub. debet, idq; multò æquiùs quàm quæ principibus ac militibus conferuntur: nam diuino ordine tẽporalia spiritualibus inseruiunt. Quare Deus iure optimo ecclesias earumq; ministros instituit: in quorũ sustentationem tanquàm rerum Dominus imperare populo potuit quam ipse iustam censeret bonorum suorũ portionem. Hoc ipsum naturale ius docet Paulus. 1. Cor. 9. Altera verò cõclusionis pars nihilo patet obscuri⁹. Ius etenim naturæ nõ nisi ministrorum pro eorum numero & dignitate sustentationem iubet. At verò qualis esse debeat populi pensio. id arbitrio prudentiæq; reipub. pro rei qualitate statuendum

dum relinquit. Deus autem qui populum illum priscũ peculiari cura gubernabat, quòniam è duodecim tribubus vnã diuino cultui administrando mancipauit: quæ adeò agriculturæ vacare nõ poterat, atq; adeò nec propriam sortem in terra promissa erat possessura, nè minùs reliquis, imò aliquantulo plus tanquam honoratior de terræ fructibus perciperet, decimam partem singulis reliquarum tribuũ in eorundem Leuitarum subsidium imperauit: vt patet Leui. 23. & alibi crebrò. Atq; ob id etiã quòd cùm forsan solutio nõ tam exactè fieret, paulò plus obueniebat illi tribui quàm cæteris. Nam ex centum decem quæ vndecim simul tribus quotannis in horrea cõderent, vndecim reddebant Leuitis: atque adeò aliarum singulæ retinebant nõ nisi nouem. *Corollariũ.* ¶ Ex quo fit præceptum illud de quota, fuisse, vti ait sanctus Tho. iudiciale veluti alia multa ad seruandã populi æquitatem & decorem. Tametsi ex consequenti aliquid etiam in futurum significabat: sicuti & ferè cuncta eorum gesta: secundùm illud ad Corinth. 10. Omnia in figura cõtingebant illis. Decima enim pars perfectionis symbolum est: quippe quum denarius digitorum sit numerorum supremus limes, cunctos concludens. Qua ideo quota protestabatur ille populus legem suã & statum non esse perfectum, sed eius cõplementum à Christo fuisse dependẽs. At verò licèt hac ratione quodammodò præceptũ illud cũ ceremonialibus conueniebat, tamen nõ erat eiusdem generis: quia non præcipuè significandi gratia erat constitutum. *Secunda cõclusio.* ¶ Secunda conclusio. Inter ceremonialia & iudicialia legis præcepta sic differebat, vt circa finẽ secundi lib. demonstrauimus, & paulò ante hac repetiuimus, quod ceremonialia non licet post Euangelium integrare: iudicialia verò quãuis quantũ ad vim illius legis fuerint prorsus antiquata: possunt nihilo minùs nõ nulla Christianis instaurari. Quemadmodũ lex talionis: & quòd qui ouem deprædatur quatuor reddat, potest à principe modò lege instituí. *Tertia conclusio.* ¶ Tertia conclusio. Determinatio decimarũ ad istiusmodi quotam est de iure ecclesiastico & pontificio: quod prudẽtibus considerationibus institutũ est. Atqui in primis quòd id posset ecclesia constituere, haud dubium est, cùm non fuerit ex eo ceremonialium genere quod aliquid rouæ legis præfigurabat: sed iudiciale, idq; ad cultũ diuinum pertinens: quod apud nos excellẽtiùs permanent. Sed quòd eandem debuerit imperare quotam, Probatur tam ex parte populi quàm ex parte sacerdotum. *Probatio.* Ex parte quidem populi: quia Euãgelicus antiquo dignitate præstat, abundantioríque est iustitia præditus: secundùm illud Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quã Scribarũ & Pharisæorũ, non intrabitis in regnum cœlorum. Ex parte quidem sacerdotũ: quoniã longè sunt excellentioris dignitatis quã antiqui, excelsiusque tractãtes sacramentũ: vt 2. ad Corinth. 3. mõstrauit Apostolus. De cimarũ ergo genus ex iure naturali ortũ habet: species verò ab humano per ecclesiã merito sancita est. ¶ Quarta cõclusio. Hæc decimarũ quota pro tẽporũ, locorũq;, & personarũ qualitate & opportunitate maior potest minorque secundũ ecclesiæ iudiciũ institui: conclusio est superioris appendix. ¶ Circa corollarium primæ conclusionis, qua asserebatur est decimas ad iudicialem ordinem spectare, ambigere quis forsan posset: tũ ex eo quòd cùm ad diuinum cultum attineãt, ceremonia potiùs esse videntur: tum præcipuè ex cap. Tua nobis. de decimis. vbi Innocentius Tertius ait Deum sibi in signũ vniuersalis dominij reddi præcepisse: vnde fit vt ad cultus religionem spectent. *Dubitatio.* ¶ Ad hoc tamen facilè per ea quę dicta sunt respondet. Haud enim Deo immediatè sicuti sacrificiũ offeruntur, sed ministris tanquã merces soluuntur, perinde atque principibus tributa: itaq; non sunt ipsæ cultus, sed ministrorum stipẽdia cultui qui deputantur: secundũ verbum Malachiæ citatũ, vt sit cibus in domo mea. Quare statim Propheta subdit, propterea q decimæ non soluebantur, inhibuisse Deum pluuiam, famequè populum oppressisse. At verò quia Deus ecclesias, sacramentaque, eorumque ministros instituit quibus stipẽdia hæc cõsignauit, ideo ait Pontifex in signũ vniuersalis dominij Deo exhiberi. Cõfirmatur hæc nostra solutio: quia quota tam nostris quã antiquis ecclesiæ ministris ad æqualitatẽ in populo seruandã, atque adeò ad humanitatẽ plebis, honoremque qui sacerdotibus debetur constituta est: quod est indicium in ordine existere iudicialiũ. *Solutio.* ¶ Aliud autem ex eodem canone argumentũ sumitur: nempè nõ modo decimas secundùm genus & substantiam, verùm & quotas esse de iure diuino, nam Papa illic de decimarum integritate loquebatur: sed de hoc statim in solutione postremi argumenti, vbi iterum *Argumẽ. 2.*

dicere repetemus quotam nõ esse de iure diuino: quippe quùm lex vetus nil nos obliget, & de huiusmodi quota nihil in nouo sacro eloquio scriptum sit, sed extant ecclesiasticæ & pontificiæ constitutiones, instar antiquæ legis factæ: vt patet toto titulo de decimis. & 16. q. 1. & alibi crebrò. Obligant nihilo minùs eadem sancta decreta sub reatu lethalis criminis: ita vt vbi desuetudo culpam non excusaret, sacrilegium esse eandẽ quotam non persoluere. *Corollariũ.* ¶Ex his subinfertur, vt in quarta conclusione diximus, eandem quotam variari posse, & dispensatione pontificis & minui & tolli. Dum tamẽ id quod iuris naturalis est, sit semper superstes & saluum: nempè vt alicunde ecclesiarum ministris pro sua dignitate & munere alimenta suppetãt, reliquaq; vitæ subsidia. Hoc enim nulla desuetudo vel dispensatio violare potest. *Dubiũ grave.* ¶His ergo quæ patentia sunt prænarratis, potissimum hîc dubium, idemq; explicatione dignissimum, tertia nobis offert cõclusio. Nam si hanc quotam, vt compertissimum est, neq; lex Euangelica neq; vlla perinde diuina nobis imperat, videtur ecclesia nimium à Christiana familia pro suis administris exegisse, atq; adeò neq; æquitatẽ seruasse antiquæ legis, neq; humanitatem quã noua debuisset induere. Nam si in illo Hebraico populo decima templi ministris addicta fuit, ratio id postulabat. Erant siquidẽ Leuitæ duodecima pars populi. Quocircà etsi vndecim decimas perciperet, non erat enormis excessus, cùm reliquarum singulæ retinerent nouẽ. Eò potissimùm quòd vxores habebant & alendam familiam. Clerus autem Euangelicus curatorum, quibus solis (si Caietano credamus) debentur pro suo ministerio decimæ, fortè nõ est decima pars populi: aut plurimũ quinquagesima: quod ergo à reliquis quadraginta anouem totidẽ recipiat decimas, singulisq; cæterarum non fiant nisi nouem reliquæ, nulla ferre videtur æquitas. Atq; ob id maximè quòd neq; vxores, neq; sobolem habere debent. Et ex alia parte decimæ Christianis etiam personales imperantur: quæ antiquitùs nõ erant in vsu. ¶Ex quibus fit consequẽs neutram earum rationum quibus tertiam cõclusionem sanctus Thomas fulciuit, esse solidam. Nam etsi populus Christianus iustitia præstare debeat Hebræo, non est necesse in hoc abundare vt supra iustum sacerdotibus suis effundat. Et quanuis sacerdotes sint præ antiquis honorandi, non tamen tanto stipendiorum aceruo. *Solutio Caietani.* ¶Hæc sunt rationes quibus tum alij, tum præsertim hoc loco Caietanus conuicti, non aliam iustitiam in decimarũ quota reperiunt, quã quod clericis non pro ipsis solis, sed pro pauperibus quibus ecclesiæ fructus dispensare tenentur, persoluitur. Et qui dẽ si id duntaxat authores isti sentirẽt quod ecclesiastici strictiori longè sanctioriq; misericordiæ vinculo quàm laici tenẽtur in pauperes esse benefici, assertio esset certissima: contendunt tamen decimas illis non omnino tanquàm dominis solui, sed tanquàm dispensatoribus concredi: quarum partem rigore iustitiæ tenẽtur egenis refundere. Imò tanta obligatione, ait Caietañ. quanta eis eædem debentur decimæ. Vnde fit istis autoribus consequens, vt secùs facientes, sint restitutioni obnoxij. Hoc ergo profectò non tãta probabilitate pollet, quin contrarium sit longè probabilius: imò, ni fallor, certa ratione verum: vt libr. sequenti constabit: vbi de hac re amplam disputationem adornamus: à qua ideo in præsentiarum supersedẽdum nobis est. At verò quoniam hoc potissimũ eorum est argumentum quo aduersarij suã opinionem fulcire contendunt, respondere hac de re illis est nunc operæprætium. *Solutio propositi dubii.* ¶Primum ergo contrarium fundamentum si fieri potest affirmemus: nempè decimam sub hac quota non exuperare iustum stipendium ministeriorum ecclesiæ: etiã si tanquã veris dominis tota eis adiudicetur. Et probatur cõtraria ratione illius qua aduersarij vtũtur: Iustus numerus clericorum qui ad cultũ diuinum in lege gratiæ necessarij sunt, non tanta porportione minor est reliquo populo vt iniustè decimam suscipiant. Imò forsan duodecima est pars populi, sicut olim Leuitica tribus: aut plurimùm quintadecima, vel multò minor quàm vigesima. *Ratio prima assertionis proximæ.* Probatur hoc. In lege veteri vnicũ erat duntaxat templum quo omnes duodecim tribus ad sacra confluebant: neq; nisi quater in anno: nam tot erant duntaxat præcipuæ solennitates: in nostra verò ecclesia vix sunt centum domus quæ non habeant vnum templum, cui quotidie ab omnibus sacerdotibus seruitur: nam illi per vices hebdomadatim seruiebãt. Si ergo in seruitiũ vnius præcisè templi duodecima pars populi erat conscripta, quidnã miraculi est si æqualis nunc pars tantæ templorum multitudini administrandæ mancipetur? quando quidem ratio mediorum à fine su-

ne sumitur. Sed ait Caietañ. solis clericis qui curam habent animarum, decimas deberi: cuius profectò assertionis nescio quódnam habere potuerit fundamentum: nam attulit nullum. Enimuerò si templo illi quo nõ nisi Arca testamenti custodiebatur tam numerosa cantorũ aliorumq; ministrantiũ copia, vt in libris Paralipomenon legitur, deputata fuit: cur nõ in templis nostris, quibus corpus Christi adoratur & colitur, non præter paroecios amplior sacerdotum numerus decernetur: quibus, vt iuxta verbum Malach. cibum habeant in domo Dei, decimæ contribuãtur? His autem insuper adiungamus, sacerdotes nostros multò esse sublimioris dignitatis quàm illos: vt pote in quibus amplissimus esse debet Antistitum numerus: mox & Canonicorum quibus ecclesiam præfulgere cõgruit, qui adeò necesse habent ministros & familias habere. Nam si quis nobis obijciat debere omnes in paupertate viuere, profectò nemo esset qui huic sententiæ refragaretur, si possibile esset vt tantus clericorum numerus, quãtus necessarius est, decẽti sanctitate polleret: nã tunc citra aliũ ornatũ populo haberetur in pretio. At quia id fieri nõ põt, necesse est cõditioni humanæ indulgere: Haud enim esse oẽs possunt vt D. Martinus aut Nicolaus: atq; adeò sic sacerdotes familia & autoritate honestare, vt populus eos nõ despicetur, sed tanquã præcipuos rei pub. colat. Quare nullũ est indecorũ si episcopi, ceu alij magnates viuãt: & canonici, sicuti alij nobiles: & sacerdotes, velut alijciues. Etenim documentũ huius rei manifestũ est quod in illis prouincijs vbi sacerdotes nimia egestate premũtur, vilescunt in cõspectu populi: atque inde sacramẽta & res sacræ eô inclinant, vbi in opprobrio habẽtur. Quocircà vt aliud ineamus argumentũ, nõ cõdecet sacerdotes nostros propter sacramentũ dignitatem opifices esse, manualesq; operas exercere, quod Leuitis licebat. Colligamus ergo quòd si tãtum esse decet tamq; præclarũ ecclesiasticũ ordinem, cũctosque adeò eius gradus cũ suis familijs perpendamus, nõ minor est pars in populo quàm duodecima, seu vti dicebant, quintadecima. ¶Præterea sacerdotes nostri vacare debent literarum studio, atque adeò hoc negotio patrimonia sua insumere. Quare reperiri nõ possent qui absq; aliquo proposito præmio tãtos faceret sumptus, tantumque & ætatis & laborũ dispenderẽt. Nã qui hoc religionis duntaxat amore facerent, quàm rarissimi essent. Quapropter consulere ecclesia debuit humana ingenio, eiusque imbecillitati conniuere. Fateor equidẽ ingenuè ecclesiastica sacerdotia iniquissimè esse distributa. Quare alij abundant, neque citra scandalum pompis ac rerũ luxurię exuberant, alij verò esuriunt: tamen si ad normam diuini iuris pro qualitate & dignitate personarum eiusmodi fierent distributiones, constaret liquidò sanctionem ecclesiasticam de decimarum quota nõ esse superfluam, sed æquissimam. Atque hac ratione in primitiua ecclesia vbi syncerius colebatur fides, multi de sua substãtia ecclesias locupletabant. ¶Accedit huc quòd decimæ non ita exactè vbique exoluũtur, sed multis in locis exiliores: sunt que cœnobia multa atque hospitalia illarũ fructibus fundata. Supra hæc & ingruẽte aliqua ecclesiæ calamitate necessarij sunt ampliores sumptus: qua ratione & regibus adiudicatus iam est bonus decimarũ cumulus. Hæc igitur cuncta ecclesia maturè prospexit, dum decimas edixit. ¶Haud ergo ad iustificandum hanc legem est ad id suffugere opùs, quòd clerici de iustitia teneantur sua bona eleemosynis dispendere. Quare meditatissimè D. Tho. hanc rationem inter probandum conclusionem tertiam non commemorauit, sed illarum tantùm meminit quòd noster populus iustior esse debet antiquo, nostriq; sacerdotes amplioris dignitatis. At verò quia lex miseri cordiæ perstrictiùs clericos cogit, subdit idẽ sanctus Doctor bis aut ter in hac quæstione quòd decimæ dantur sacerdotibus vt sint in paupetes effusiùs benigni. ¶Et quò potissimum propositi nostri argumentum in calce ponamus, arguitur tandem. Quota decimarum nihil aliud est quàm moderatio & specificatio naturalis iuris: ius autem naturæ in hoc tantum decimas imperat, vt sint ministris ecclesiæ in alimentum & stipendium: ergo quota de rigore iustitiæ ad hoc præcisè instituta est, non in vsus pauperum. Nam & Caietañ. ipse in præsentiarum concedit quòd decimæ quantum ad ius naturæ in vsũ tantùm debentur ministris: sed ius eleemosynarũ est, inquit, vt auctiores eisdẽ sacerdotibus pro pauperibus tribuãtur. At verò nescio cur esset cogẽdus populus vt eleemosynas pauperũ sacerdotibus cõcrederet. De hoc autẽ infrà loco citato. ¶Igitur nemo debuisset propter illã excogitatam proportionem quòd clerus non sit quinquagesima

Secunda ratio.

Cõfirmatio.

Tertia ratio

Postrema.

pars

pars populi in hanc descendere sententiam, quòd Clerici teneãtur de iustitia sub pœna restitutionis sua stipendia pauperibus impertiri. Nam restanti momenti absq; eccle siæ expresso decreto certè non est affirmanda. Dixerim excogitatam proportionem: nam vt summatim cuncta complectar, si experientiam, qua moralis scientia nititur, consulas nulla est ciuitas aut insigne opidum vbi non multò plures reperias ditiores quàm sint sacerdotes. Fictitiũ ergo est dicere quòd habeant ipsi quinquagintanouem decimas: & singuli in reliquo populo nouem.

Ad primũ argumentũ Ad secũdũ argumentũ

PRimum igitur argumentũ satis superq; discussum est atq; dilutum. At secũdum verò respondetur, decimarum præceptũ, qua parte naturale est & morale, illic esse à Christo designatum: vbi Luc. 10. ait dignum esse operarium mercede sua: locupletiùs autem. 1. ad Corinth. 9. ab Apostolo inculcatũ: vbi tam multis naturaliũ ciuiliumq; exemplis constituit vt qui altario seruit de altario viuat. Sed quantum ad quotam, cõmissum fuit ecclesiæ iudicio & sententiæ.

Ad tertiũ argumentũ

¶ Ad tertium respondetur, ante tempus antiquæ legis ab Adam vsq; semper viguisse idem mãdatum quatenùs naturale est. Fuerunt enim semper in quacunq; repub. bene instituta sacerdotes qui feruntur fuisse primogeniti. At verò quia nõ erant certo numero decreti, quotã vnaquæq; respub. sub arbitrio instituebat, vel aliunde suis prouidebat sacerdotibus. Abraham autem, vt legitur Geñ. 14. prophetico instinctu decimas obtulit Melchisedec: qui, teste Paulo, figuram nostri sacerdotij præferebat. Et eodem fortè spiritu Iacob easdem non certis sacerdotibus, sed Deo vouit.

Ad quartũ argumentũ

¶ Ad quartum respõdetur quod cùm in illo quondam populo tam frequentia iterarentur sacrificia, necesse habebant præter decimas Leuitis soluendas, secundas etiam ad sacrificia offerenda reseruare. Quę nobis quibus iam illæ victimæ cessarunt, nõ imperantur. Tertium verò decimarum genus quæ cum pauperibus diuidundæ erãt, in noua lege mandato misericordiæ agetur: quo nos identidem Christus admonuit vt essemus in pauperes profusi. Ait enim Lucæ. 11. Quod superest, date eleemosynam. Addit autem D. Thomas, & decimas quæ ministris ecclesiæ dantur per eosdem deberi in vsus pauperum dispensari. Quod non intellexisse de præcepto iustitiæ sed misericordiæ, inde constat, quod hoc cum altero præcepto eleemosynarum adiunxit.

Quæstio postremo argumento tacta.

¶ Postremo verò argumento illa tangitur dubitatio, vtrùm per desuetudinem abrogari ius possit decimarum: quæ ex altera pendet, An decimę sint de iure diuino. Et quidem nonnulli interpretũ canonici iuris super cap. in aliquibus. de decimis. censent omnino esse de iure diuino, etiam quantũ ad quotam, nam postquàm illic dicitur decimas cum integritate esse soluendas, subditur: quia debentur ex lege diuina, vel ex loci consuetudine approbata. Et cap. Parœcianos. eodem titulo, legitur decimas non ab homine, sed ab ipso Domino esse institutas. & cap. tua nobis. suprà citato: & cap. Reuertimini. extrà, de decimis. idem apparet insinuari. Et quanuis aliorum dicta doctorum glossari possint quòd intelligant de decimis quantum ad substantiam, Hostiensis tamen in sua Summa, titulo de decim. §. 7. expresè sustentat etiã quotã esse de iure diuino: dicens tum illud quotæ præceptum fuisse morale, tum legem illã non prorsus cessasse: plurimis id inculcans authoritatibus: subsannansque adeò Raimundum & Theologos contrà sentientes.

Sententia Iuristarum.

Hostiensis.

At verò nõ est res quæ in controuersiam venire possit: cùm planissimum sit, decimarũ quotam in lege veteri iudiciale fuisse præceptũ: non morale. Quod Hostiensis nunquã negasset, si suæ fuisset facultatis rationem discriminis nosse inter morale præceptum & iudiciale. Morale enim (vt sæpe dictum est) conclusio est principiorum naturalium: ex quibus quanuis eliciatur alendos esse ecclesiæ ministros, quòd ad decimarum genus & substantiam attinet: tamen quòd hæc aut illa fructuum quota contribuatur, nulla lex naturæ præcipit. sed quòd id tantùm tribuatur quantum eisdem sufficit. Sed glossa quã Paulino verbo ad Hebræ. 7. assuere conniti tur, est annotanda. Ait Paulus: Transacto sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat. Cuius sententia est, legem illam cum Christo expirasse: atq; adeò illa cessasse legalia. Et respondet ipse nõ facere illum sensum: quia nullo modo, inquit, concedẽdum est legem illam omnino cessasse. Sed sensus est, inquit, ius Leuitarum petendi decimas in Euangelicos sacerdotes transijsse. Vide quàm facerẽt consultiùs qui Theologiam nõ profitentur, ab interpretamento scripturæ sacræ calamũ abstinere: neq; de diuino naturali ue iure tractare: quod ipsis messis aliena est.

Reprobatur proxima sententia.

Cessauit enim

enim omnino lex illa, vt latissimè lib. 2. commonstrauimus: præter id quod vel lex naturæ retinuit, vel ecclesia sanxit. Quotam ergo hanc certissimum est nõ esse de iure diuino. Sed si quæ inter Decretales & Canones sacros offendantur verba, quibus decimæ diuino iuri tribuantur, vel intelligenda sunt quantum ad substantiam: vel si de quota habeatur sermo, glossandus est vt sit de iure diuino exemplariter, hoc est exemplo vetusti iuris constitutæ. ¶Igitur vtrùm per desuetudinem aboleri possit decimarum obligatio, D. Thomas negare omnino in præsentiarũ videtur: nam respondet in Italia, in illisque terris vbi decimæ non soluuntur, ob id solùm incolas à culpa eripi, quòd ecclesiæ ministri indulgere illis censentur non petendo sicuti Paulus se fecisse. 1. ad Corinth. 9. testatur. Nam vbi post quàm demonstrauit potestatem habuisse sustentamina ab illis petendi, subdit, nõ esse vsum eâdem potestate, nè quod offendiculum daret Euangelio Christi. ¶Est autem responsio hæc D. Thomæ non vsque adeò clara. Ad cuius igitur intellectum distinguendum est de decimarum desuetudine. Aut enim pensatur quantum ad quotam, aut in totũ. Et priori quidem modo forsan quis arbitraretur solam desuetudinem sufficere, vt non debeantur, propterea quòd quota nõ est nisi de iure positiuo. Ac perinde censebit D. Thomam intelligere de cessatione in totum. Sed profectò vtrumque est falsum: primũ quidem, non vtique propter rationem Hostiensis, atq; aliorum qui dicunt quotam esse de iure diuino, sed quia licèt sit de iure põtificio, nihilo minùs quia ius illud tum tanta æquitate pollet, tum etiã instar antiqui diuini iuris positum est, nulla contrà illud censetur præualere desuetudo quin possit ecclesia, vbi oportuerit, vti iure suo: nisi annuerit, ac dissimulauerit. Et hæc est mens S. Thomæ. Nomine enim decimarũ quotã intelligit. Et eodẽ pacto intelligendus est quotlibet. 2. ar. 8. vbi eodẽ modo respõdet. Et quòd de quota loquatur, cõfirmatur: nam desuetudo decimarum in totum nullatenùs ab ecclesia permitti potest: quandoquidem, vt iam monstratum est, ius existat naturale, & præceptum mortale, strictissimeq; diuinũ, vt sint ecclesiæ, vbi res celebretur diuina, sacramentaq; dispensentur, ac ministrentur, sacerdotesq; adeò & ministri populi sumptibus alantur. Quare super hoc totũ ecclesia non habet authoritatem dispensandi: neq; ab Spiritu sancto id vnquã facere permittetur. Id quod & vsus ipse palàm ostẽdit: quoniam neq; in vllo Italiæ angulo, neq; alibi vspiã gentium reperitur Christianorũ locus vbi non sint sacerdotes, quibus vel prouentus annui stati sint, vel populi stipendia.

Solutio Diui Tho. ad p̃cipuam quæstionem.

Mẽs. S. Thomæ.

¶At verò contra prius solutionis membrũ existit argumentum, quod, vt ait August. 16. q. 1. canone, decimæ. earũ pensio tributũ est animarũ egẽtium: & qui eas, inquit, dare noluerint, res alienas inuadũt, & pauperes propter illam penuriam fame perempti, ab his qui nõ soluũt occisi sunt. Quare ecclesia nõ videtur cõtra ius pauperũ dissimulare posse. Quòd si dicatur id ob cauendum scandalũ fieri: inde fit consequẽs, nõ liberè id facere: quare nõ soluentes minimè videtur à culpa excusari. Ad priorem locum argumenti respondetur, illud ius pauperũ nõ esse iustitiæ. sed misericordiæ: nõ solùm in soluentibus decimas, verùm & in ipsis clericis: & ideo ecclesia potest dissimulare illa via eadem eleemosynas extorquere. Ad posteriorem autẽ respondetur, quod etiã si id ad cauẽdum scandalum permittat, & nè detur, vt ait Paulus, impedimentũ Euangelio, nihilo minùs subditi excusantur: quia laudabiliter id facit ecclesia, spiritualibus temporalia posthabens. Vbi autem populus animi obstinatione indurescèret, nè petenti ecclesiæ obtẽperarevel let, tunc culpa nõ vacaret. Si autem gens aliqua ea lege vellet in Christianismũ sua nomina dare, vt decimarũ tributo nullatenùs oneraretur, respõdet Caietanus ecclesiã posse ac debere eandem conditionem recipere. Quòd si intelligatur quantum ad quotam, verum est. Attamen vt nullo modo teneren t̃ ministros ecclesiæ alere, profectò ecclesia sinere non posset, nisi aliunde ipsa vnde viuerẽt prouideret: nam aliàs illa conditio cõtraria esset naturali diuinoque iuri in re quæ apud Christianos præcipui est momenti.

Argumẽtũ Augustinus

Ad argumentum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm de omnibus teneantur Christiani decimas soluere.

Primum argumentum.

POST decimarum substantiam subsequitur vt earum materiam perpendamus. Apparet nanq; non de rebus omnibus deberi. Decimarum nanque pẽsio ex veteri instrumento originem duxit: illic

illic autem nullum personalium præceptũ legitur: nempè earum rerum quę homo propria industria & negotio acquirit: quales sunt mercatio, & militia, & similia. Ergo de istis nullæ debentur decimæ. ¶Secundò. De male acquisitis (vt suprà dictum est) nulla fieri potest oblatio: ergo nequę decimarũ solutio. Nam cùm oblationes propinquiùs ad diuinum cultum accedant, illæ potiùs de omnibus fieri deberent. ¶Tertiò Leuitici vltimo vbi decimarũ scripta est lex, non nisi de frugibus & arborum pomis ac de animalibus quæ sub virga pastoris transeũt iubentur: ergo de minutioribus herbis quæ hortorum cultura feruntur non debẽtur. ¶Quartò. Nemo nisi quod in sua est potestate soluere potest: sed non omnes fructus qui de prædijs percipiuntur in domini potestate permanent: nam quædam coloni dominis fundorum pendunt: quædam in mercedem famulis: quædã etiam principibus in tributa. Et sæpe aliqua vel furto vel alia via pereunt: ergo de illis nihil debetur. ¶In contrarium est legis exemplum, Genes. 28. in Iacob qui aiebat: Cunctorum quę dederis mihi decimas offeram tibi. cũcta autem quæ homo habet diuinitùs ei donantur: ergo de omnibus decimæ debentur.

Argumẽ. 2.

Argumẽ. 3.

Argu. 4.

Conclusio negatiua.

AD quæstionem vnica cõclusione respõdetur, de vniuersis tam ex terræ prouentibus quàm ex personarum labore partis, si merum ius perpendas, nec consuetudo obstet, debentur decimæ. Probatur. Iudiciũ vniuscuiusq; rei ex eius proprijs causis radicibusq; sumendum est: natiua autem decimarum radix est, quòd secundùm Apostolum. 1. ad Corinth. 9. spiritualia seminantibus ius competit metendi carnalia. Si nos, inquit, spiritualia seminamus, non mirum est si carnalia vestra metamus: hoc enim est instituti ecclesiastici fundamentum: vniuersa autem quæ homo possidet, carnalium voce comprehenduntur: ergo de vniuersis soluendæ sunt decimæ. ¶Conclusio quidem præsens multis locis canonici iuris constituta est, vt cap. Tua nobis. de decim. & cap. Reuertimini. 16. q. 1. sed expressiùs canone, decimæ. qui est Augustt. vbi ait de negotio, de militia, de opificio, ac deniq; de rebus omnib⁹ soluendas esse decimas. Idemq; ait Cœlestinus Papa cap. Non est extrà, de deci. vbi habetur quòd etiam de venatione debentur, & cap. peruenit. etiam de piscaturis, & de molendinis, &c. & cap. nuntios. additur etiam de apibus. Quapropter celebris esse solet de cimarum distinctio, in reales seu prædiales, ac personales. Reales enim sunt quæ de reb⁹ debentur: puta de prædiorũ fructibus quos terra per solis aërisque clementiã natura sua progignit. Personales autem quæ ex personarũ operis ac negotijs sine terræ ope exercitis soluuntur. ¶Quicquid autem veritatis conclusio contineat, ratio tamẽ D. Thomæ nõ magna energia pollere videtur. Colligit enim vniuersalem ex particulari: nempè quòd si ius suppetat clericis metendi carnalia, de cunctis carnalibus debeãtur eis stipendia. Respondetur primò rationem hanc sanctum Thom. adduxisse ad declarandum potiùs defendendumq; ius ecclesiasticũ quã ad eius necessitatem demonstrandã. Secundò. Cùm ius naturæ, vt dictũ est, clericis suppetat temporalia pro spiritualibus metendi non eousq; ratio ad aliqua temporalia præpõderat, quin eadem ferè de omnibus intelligatur. Nã quod afferri contrà solet, ex agri fructibus iustiùs deberi decimas quàm de opificijs, pro eò quòd fructus illos Deus naturæ author creat: opificia verò aliaq; negotia ad humanam industriam attineãt, licèt quandam præ se ferat probabilitatem, non tamen necessitatem. Quoniam & in agricultura industria adhibetur, & in negotijs non deest naturalis Dei concursus. Eò potissimũ quòd decimarũ obligatio, si quæ dicta sunt respicias, non in illo naturali Dei beneficio fundatur, sed in eo potiùs quòd populus ministros ecclesiæ sustentare tenetur, à quibus sacramenta suscipit. Et ideo quia sunt plurimi qui non agriculturam, sed aliam artem exercent, ijdemq; pariter sint sacramentorũ participes, non est quòd ab exactione tributi ecclesiastici excipiantur. Quare verbum Pauli quo carnalia nominat, vniuersalem vidētur sensum auribus exhibere. ¶Hi tamẽ nihil obstãtibus scisciteretur quispiã vtrùm desuetudo, legitima esse posset præscriptionis causa super personales decimas, nè soluã tur. Sciscitaretur inquam propter Hostiensem in sua Summa, loco citato, atq; alios iuris interpretes super cap. In aliquibus. de decim. Qui porrò inter decimales personalesq; decimas sic dijudicant, vt contra istas inolere posse credant præscriptionem: cõtra illas verò non item. Quorum fundamentum est illas esse de iure diuino: has verò minimè: quippe cùm loco citato Leuitici vltimo nõ nisi

Decimæ aliæ personales aliæ reales.

Obiectio cõtra rationẽ S. Thomæ.

Solutio.

Dubitatio.

Hostiensis sententia.

Fundamentum superioris sententiæ.

nisi de frugibus, & arborum pomis, & animalibus indicantur decimæ. At verò iam satis de hac re contra istos depugnatum est. Illud nanq; ius antiquũ quod iudiciale erat, iam quantum ad illius legis vim expirauit: ob idq; non est tantum discrimen inter has species meditandum. Neq; quantum ad huiusmodi præscriptionem sanctus Thomas inter eas distinguit. Igitur, vt in calce proximi articuli dicebam⁹, siue prædiales siue personales decimas existimes, nulla desuetudo aut præscriptio obtinere contra ecclesiam vllo tempore potest, quo minùs dum ad alendos ecclesiæ ministros nulla alia pateret via, posset siue ex fundis siue ex personis tributa imperare, quæ eidem muneri honestè sufficerẽt. Porrò cùm dissimulare non posset quin erigantur templa, addicanturque illis ministri. Hoc autem nihilo minùs discriminis non est diffitendum quòd iustiùs paratiusque alio ex terræ prouentibus, quàm ex opificijs ac negotijs decimæ exiguntur: eò quòd fructus illi magis sunt naturales. Quo circà si satis suppetũt, præscribi cõtra personales potest: hoc est: nisi consuetudo soluendi illas vigeat, dignum non est vt exigantur. Quapropter quod à seruitoribus de sua mercede decimæ exigantur: nisi mos omni memoria vetustior ad id cogat, nulla apparet æquitas. Ac multò minor ab agricolarum famulis, quibus ex decimato aceruo merces soluitur: vt ex Diuo Tho. in solutione quarti colligitur. Sententia enim August. quòd ex negotio & militia soluuntur decimæ, illic forsan suam retinet vim, vbi prædiales non sunt adeò vberes ac pingues. Quare in Hispania ex opificum negotiatorumq; lucris nullus est vsus soluendi decimas. ¶ Vtrùm verò agricola ex aceruo ante decimationem operas suas & sumptus, aut saltẽ semina excipere possit, non video cur dubitetur, neque de hoc ratio permittit consuetudinem valere: adeò id certum est non licere, vt cauetur cap. Non est. & cap. Tua nobis. & cap. Pastoralis. Quoniam existimandum in præsentia est genus quoddam societatis inter hominem & Deum. Homo enim semina sua labores & sumptus ponit: exponitque Deo confisus periculo. Cùm ergo Deus sua benignitate cumulatam frugem cõferat, satis est si homo pro suo periculo nouem retẽtis partibus decimam Deo reddat.

Solutio autoris.

Aseruitoribus nõ sunt decimæ exigẽdæ nec ab agricolarũ famulis nisi de hoc vigeret consuetudo.

AD primum igitur argumentum respondetur. In veteri populo rationem ob id popposciſſe vt personales decimæ non exigerentur, quòd singulæ vndecim tribus suasha bebant prædiorum sortes quarum decimæ satis erant tribui Leui, quæ sorte carebat. Eò potissimùm quòd Leuitæ ab alijs opificijs negotijsq; sæcularibus non arcebantur: ob idq; iniquum erat, vt ex similibus artificijs ab alijs corraderẽt. Secùs autem in Christiana familia, vt dictum est: vbi neq; cuncti possessiones habent ex quibus decimas soluant, neq; clerici implicare se debent mundi negotijs, vt. 2. ad Timoth. 2. admonet Paulus. *Ad primũ argumentũ*

¶ Ad secundum respondetur, male acquisita in duplici esse ordine. Quædã enim sunt quorum acquisitio iniusta est & iniuriosa: vt furtũ, & rapina, ac perinde vsura. Et hæc quia in integrum veris dominis restituenda sunt, decimari non possunt. Secùs de arborem fructibus quæ vsuraria pecunia emptafuerint: nam illi, vt lib. 6. ostensum est, nulli sunt restitutioni subiecti: sicut neque lucra eiusdem vsurariæ pecuniæ. Alia verò dicuntur male acquisita: nõ quòd acquisitio iniuriosa iniustaue sit, verùm quòd turpi causa comparentur. Vt sunt meretricum, histrionum, aliorumq; id genus lucra. Et istorum, inquit sanctus Thomas, decimæ debentur. Loquebatur tamen secundùm sui temporis regionisq; morem. vbi Augustini sententia ad plenum in vsu erat. Iam verò modò nulli bi, quod audierim, eiusdem perstat decimarum obseruatio. *Ad secũdũ argumentũ*

¶ Ad tertium respondetur. quod cùm decimæ in sortem Leuitarũ olim penderentur, debebant honestè & absq; sordibus exigi: ad sordes autem attinet, vt. 4. Ethico. cap. de liberalitate, author est Arist. minimorum esse hominem exactorem: non erat Leuitis cõgruens ex minutis holeribus exigere decimas. Sed Pharisæi qui iustitiæ splendorem præ reliquo populo ambiebãt, de illis etiam decimas persoluebant. Nec verò Redemptor de hoc illos obiurgauit quòd mentham, anethum, & rutam decimarent, sed quòd illa pluris quàm maiora præcepta æstimabant. Imò quãdantenùs commendauit, cùm subiungit: Hæc oportet facere, sed alia nõ omittere. vbi non tam præcepto quã consilio eiusmodi decimationem attribuit. *Ad tertium argumentũ*

Aristo.

Sub lege autem Euangelica immemoralis consuetudo obseruanda est. Imò vbi aliæ frugum viniq; decimæ malignè prouenirẽt, exigi de nouo possent hortorum decimæ: vt re

vera

vera,extrà,de decimis,cap.non est, exiguntur.Præsertim de illis hortis quorum diuenditis holeribus hortulani viuũt. Nam de exiguis priuatis sicuti de diminutissimis holeribus non sunt exigendæ: vt notatur ex cap. ex multiplici.extrà,de decimis. ¶Ad quartum denicq; respondetur,quod si granũ agricolæ ante decimationem sublatum est,tunc decimas, nisi culpata sua negligentia furtũ accideret,nõ debet. Idem profectò arbitror si vel fruges vel iam excussus grani aceruus alluuione aliqua in area perierit. Si enim graui sua culpa diu illud relinquit in area,profectò non esset à decimarum debito immunis.Secùs si esset à culpa liber: nam quanto tempore sub dio est granum, sacerdotibus etiã periclitatur.Postquã verò in horrea cõditum est, iam inde dominus est decimarũ debitor: quacunq; strage aut calamitate dispereat.At qui granum aut vinum non decimatum vendit,manifestum est reum teneri soluendi decimam. Quin verò & emptor si sciuerit,nihilo minùs obligatur ecclesiæ quousq; venditor restituat. ¶Cæterùm notandum est quod cùm decimæ ex rebus diuino munere partis soluantur,nulli subdũtur aut mercedi aut tributo:ob idq; agricola,neque famulorũ mercedem, neq; regis tributũ excipere ab acerno potest,antequã totius decimã exoluat. Et arbitror nomine tributi cõprehendere D. Tho.etiam pensionem quã colonus alieni fundi domino soluit. Itaq; si rigorem legis spectes, agricola qui fundum colit,siue proprium, siue alienum quod ad culturam conduxit,tenetur in integrum de decimis:nisi aliter inter eũdem colonum ac fundi dominum fuerit conuentum. Quare si dominus non soluit,ecclesia conuenire colonum potest. ¶Hinc superiùs colligebamus,mercenariũ qui ex decimatis mercedẽ recipit,nullam inde aliam debere decimã. Ac perinde & de fundi domino idẽ colligẽdum apparet ex suis prouẽtibus quos colonus post decimationem ei soluit.

Ad quartũ argumentũ

Documentũ

ARTICVLVS. III.

Vtrùm decimæ solis clericis debeantur.

POST decimarũ materiã sequitur de personis quib⁹ iure & more debẽtur. Arguit enim quod nõ debeãtur clericis:cuius contrariũ ex superioribus colligitur.

Primum argumentum.

Decimæ antiquis Leuitis addicebantur, vt ex Numero.18.iam sæpe citatũ est:eò q⁹ forte promissæ terræ carebant: in nostra verò Christiana familia clerici patrimonia nõnũ quã habent,& præter decimas oblationes recipiũt & primitias:superfluere ergo illis videtur decimæ. ¶Secũdò. Si clericis iure decimę deberẽtur,fieret inde sæpenumerò cõsequẽs soluendi perplexitas.Nam vsuvenire potest vt incola vnius parœciæ fundos alterius colat,aut fundos in alia habeat quos illius parœciano colẽdos locat. Contingit etiã & pastorem eodẽ anno in pascuis vnius episcopatus aut parœcię gregẽ suũ pascere:partimve rò in pascuis alterius: vel forsan ipse moratur in vna,& ouile habet in alia.Quare perplexi istiusmodi homines essent cuinã ecclesiæ deberẽt decimas. ¶Tertiò. Cõsuetudo sæpenumerò habet vt sæculares laici decimas in feudũ possideant: & nõnullis etiã monachis cõferuntur:nõ ergo solis debentur clericis. ¶In cõtrarium est quòd, vt Numero.18. legitur,solis Leuitis adiudicabantur:quibus in nostra succedunt clerici.

Argum.2.

Argumẽ.3.

Duo in decimis considerãda.

Prima conclusio.

Probatio cõclusionis.

Posteriorẽ cõclusio.

Ratio conclusionis.

AD quæstionẽ distinctione præmissa duabus cõclusionibus respondeẽ. Duo nãq; in decimis est cõsiderare: nẽpe & ius illas petendi:& res ipsas.Prior ergo cõclusio est.Ius petendi decimas clericis dũtaxat merito suo cõpetit.Probatur.Ius spirituale solis cõgruit clericis: vt pote qui spiritualiũ sunt administratores:ius autẽ hoc est spirituale,secundũ illud Pauli,Cùm spiritualia seminem⁹, nihil mirum si carnalia vestra metamus: ergo ius hoc proprium est clericorũ. Posterior cõclusio.Res ipsæ quæ hoc iure clericis obueniũt, nihil vetat quo minùs eorũ cõcessiõe in ius laicorũ demigrẽt.Probatur:quia res eiusmodi,vt frumentũ & vinũ,non sunt spirituales. ¶Hic primũ omnium cõsideratè discernito inter ius petendi & res ipsas.Alioqui fallipotes.Enimuerò feudatarius,imò verò reges & principes quibus pars decimarũ adiudicata est, nõ solũ decimas possidẽt,verũ ius videnẽ habere petendi:atq; adeò cùm sęculares ipsi sint,ius habere videnẽ spũale. Hęc autẽ fallacia diluiẽ,si in præsentiarũ noũe iuris petẽdi facultatẽ prorsus intelligas petẽdi à parœcianis decimas,tanq; propriũ stipẽdiũ ꝓ spũali officio:hoc enim ius in sola existit ecclesia, ciusq; ministris qui spũalia dispẽsant.Feudatarius autẽ nõ nisi eiusdẽ ecclesiæ noũe easdẽ petit decimas. Et pariter Rex & sæcularis Princeps ex priuilegio & cõcessione eiusdẽ ecclesiæ

Ecclesiæ. Et habere tale priuilegium non est habere ius petendi pro proprio spirituali officio, sed rebus frui: vel quia res ipsas ab ecclesia redemerunt: vel aliud ei impenderunt obsequium, seu infideles debellãdi, seu aliud simile, ob cuius respectum meritò tali præmio donati sunt. ¶ Caietanus in præsentiarum in sua persistens sentẽtia quam anteà retulimus: nempe solis clericis curam animarum gerentibus deberi decimas, ait ius hoc petendi duo simul prærequiri: nempè & altaris ministerium, videlicet sacramẽtorum administrationem, & præterea spiritualium seminationem: hoc est Euãgelij prædicationem, quorum vtrunq; per se personæ incumbat. Quare alij clerici aliter altari seruiẽtes & monachi, quibus accidentariè & nõ ex proprio munere cõuenit prædicare, eodem iure ceu proprio non funguntur. At verò iam suprà diximus nõ solùm decimas ob sacramentorum administrationem deberi, verùm & ob alia altaris obsequia: puta cãtare, vt canonici & ipsi sacrosancto sacrificio altaris administrare: quod diaconorum munus est: idemq; spirituale. Imò & Leuitis olim decimæ propter templi ministerium cõferebantur: cùm neq; in ipsis, neq; verò tunc in sacerdotibus quicquam esset propriè spirituale. Tametsi omnino fatendum sit curatorũ munus functionum spiritualium apicem tenere: cuius subinde causa potissimũ debentur decimæ. Nihilo minùs & canonici, & archidiaconi, atq; id genus cæteri, nõ sunt negãdi suo gradu & ordine ius idem participare. Sacerdotes verò mercenarij qui nulli sunt addicti particulari ecclesiæ, sicut neque monachi, eodem iure non funguntur nisi ex priuilegio. ¶ Atqui ex hoc documento & discrimine inter ius petẽdi & res ipsas eodem iure acquisitas posside̊di, elicienda est regula ad perpendũ quænã sacerdotia ecclesiastica; præbendæ sint spirituales: quod quidem fundamentũ est & basis disputationis de simonia, quam sumus quæstione proxima ingressuri. Illa enim præbenda quæ spirituali muneri annexa est, censetur spiritualis. Munus autem spirituale non solùm est sacramentorũ administratio animarum; cura, verùm & alia nonnulla ecclesiæ munia. Cuius contrariũ miror quisnam possit asserere. Aliâs canonicatus & alia peregrina sacerdotia ad ecclesiarum seruitium instituta, nõ essent spiritualia: ac perinde neque simoniæ materia: quod concedere error esset.

Caietani assertio.

Refutatur Caietanus

Regula ad dignoscẽdũ quænã præbendæ sint spũales quæ verò minimè.

AD primum igitur argumentum sanctus Thomas respondet, quòd Leuitis nõ dabantur decimæ vt ex illis eleemosynas præreliquo populo facerent: nam aliud decimarum genus in hanc pietatem decretum erat. In noua autem lege decimæ nõ solùm in clericorum victum, sed & in eleemosynarum vbertatẽ pro egenis cõferuntur: & ideo licèt præter decimas alias clericis possessiones habeant, siue patrimoniales, siue quas populi benignitas & pietas ecclesiæ contulit, quas Leuitę non habebant: non ideo decimarum solutio redundat. Vtrùm autem S. Thomas hoc quod de clericorum eleemosynis affirmat ad iustitiæ rigorem pertineat, ita vt negligentes ad restitutionem teneantur, an verò ad singulare misericordiæ officium, libr. proximo examinabitur. Interim tamen nõ arbitror de rigore iustitiæ loqui, sed de misericordia ad quam clerici nostri papæ Leuitis obligãtur: cùm vxoria onera nõ subsistineãt: atque adeò plus illis redundet. ¶ Ad secundum respondetur, personales decimas illi ecclesiæ deberi cuius quisq; paroecianus est: vt habetur extrà, de deci. cap. Ad Apostolicæ. prædiales autem, si rerum naturã nudè perpendas, eidem videntur ecclesiæ deberi, vbi prædia iacent. Nihilo minùs ecclesia mauult se ad consuetudinem referre: vt patet eodem cap. & cap. Cùm sint homines. extrà, de decim. itaq; si agricultor est in vna paroecia, colit autem terras alterius, præcipitur inolita consuetudo obseruari. Nam vtraq; ecclesia potest ius suũ allegare. Altera scilicet quòd personę sacramẽta dispẽsat: altera verò quòd in suo territorio prædia iaceant. Quare multis in locis solent tunc decimæ diuidi.

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ argumentũ

¶ Pari modo si nobilis ciuis qui ciuitatis paroeciã incolit fundos in aliquo castro aut pago possideat, quos illic colendos locat, ratio videtur deposcere, imò vt plurimùm vsus habet, vt decimæ diuidantur: vbi autem præscripta consuetudo aliud iusserit, sequenda est. Idem Diuus Thomas de pastore respondet, qui verno tẽpore gregem habet in vna paroecia, hyemali verò in alia: vt scilicet pro rata vtriq; pendat ecclesiæ. Est tamen alicubi in vsu vt vbi fœtura gregis tollitur, nempe vbi vel tõdetur, vel partus ædit, illic sit decimandum. At verò sanctus Thomas contrarium hìc videtur sentire: dicens quòd quia ex pascuis fructus gregis proueniunt, potiùs vbi sunt pascua decimandum est, quàm vbi ouile locatur. Hæc omnia adno-

tanda sunt, non ad euellendas inueteratas consuetudines, sed ad sciendum vbi manifesta consuetudo non viget, quinam sint secũdùm rationem eligendi. ¶Ad tertium denique respondetur, quòd sicut res nomine decimæ partas possunt clerici diuendere, & quomodocunq; distrahere, ita possunt & laicis facultatem facere, vt dandas in futurum decimas accipiant, vel ecclesiæ reseruato censu, vel in subuentionem pauperum: sicut pontificio priuilegio decimæ hospitalibus & monasterijs annectuntur. ¶Quibusdam autem religiosis, inquit Diuus Thomas, cura solet adiungi animarũ, atque adeò decerni Decimę. De hac autem re pro vtràq; parte suasiuæ rationes existunt, vtrùm videlicet congruat sacerdotia cum curis animarum monasterijs annecti: nam ex vna parte videntur monachi solertiùs ac vigilantiùs posse gregi prospicere: ex altera verò propinquius Euangelio videtur vt proprius parœcius sit in sua parœcia: qui cum suis subditis conuersetur, eos deniq; consilijs, ope, & eleemosynarum largitate iuuet. Cùm tamen monachi non nisi per vicarium rem administrare possint. Et certè hæc ratio apud me semper inualuit. Mitto antiquitatem Benedictinorum ac Cistertiensium, in quam non est oblatrandum: sed tamen hac ætate vix huiusmodi faciendis annexionibus suffragari possem.

Ad tertiũ argumentũ

Nõ cõgruit monasteriis annecti sacerdotia cũ animarũ cura.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm clerici etiam ipsi decimis soluendis sint astricti.

POST substiãtam materiam q̃ dicimarum, atq; eorum cognitionem quibus debentur, subsequitur tandem vt videamus quinam mortaliũ illas debeãt. Et primùm quòd ipsi etiam clerici sint decimarum debitores, arguitur. Ius commune est vt parœcialis ecclesia de cunctis prædijs quæ intra suum territorium iacent decimas percipiat. Contingere autem assolet vt clerici possessiones etiam habeant, easdem q̃ vel in sua parœcia, vel fortè in aliena. Et similiter quòd patrimonium vnius ecclesiæ in alterius territorio situm sit: in huiusmodi ergo casibus clerici, quin & ipsa ecclesia decimas debere videntur. ¶Secundò arguitur. Religiosi inter clericos nominantur: & tamen decimas ratione prædiorum debent ecclesijs in quorum sunt territorio: vt patet in cap. dilecti. & cap. licet. de decim. ¶Tertiò. Numero. 18. Leuitæ præcipiuntur summo sacerdoti decimas decimarum soluere: ergo eâdem ratione clerici Leuitis succedentes, easdem Pontifici Maximo debent. ¶Quartò. Decimæ non solùm, vt dictum est, in sustentationem clericorum soluũtur, verùm & in pauperum subuentionem: ergo si clerici à decimarum solutione essent exempti, pariter essent & pauperes: hoc autem falsum est: ergo neque illud est verum. ¶In contrarium autem est cap. secundum de decim. vbi ait Paschalis Papa: Nouum genus exactionis vt clerici à clericis decimas exigant.

Primum argumentum

Argumẽ. 2

Argumẽ. 3.

Argumẽ. 4

AD quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Vna est. Clerici in quantum clerici, hoc est, in quantum de decimis, quas pro suo spirituali munere recipiunt, & de ecclesiæ fundis, quorum fructibus clericali iure viuunt, nullas tenentur soluere decimas. ¶Altera. Clerici non quatenus clerici, sed qua ratione sæculari iure, vel hæreditario, vel emptionis, vel quouis alio terras possident sæculares, decimarum sunt debitores: videlicet ex fructibus qui inde sibi proueniunt. Probantur ambæ simul conclusiones. Neutiquam idem esse potest fundamentum & ratio quidpiam dandi ac recipiendi. Est enim contra naturam vt idem sit agendi patiendique principium. Ignis quippe quatenus calefactiuus est, non est calefactibilis: clerici autem propter spiritualem functionem ius habent recipiẽdi decimas, ac perinde fructus prædiorum, quæ ecclesia possidet: ergo eâdem ratione nihil debent decimarum refundere. At verò nihil obstat quo minùs in eâdem persona diuersa sint principia, alterum agendi, alterum verò patiendi. Sicuti aqua quatenus frigida, infrigidat: & quatenus materialis, calefit. Pariter ergo in clerico non obstante spirituali principio recipiendi decimas inueniri potest spiritualis possessio, ex qua easdem debeat. ¶Conclusiones receptissimæ iure sunt: de quibus ideò nihil restat dubitandum, nisi quòd contra tenorem secundæ conclusionis aliquibus concessa extant priuilegia. Cistertiensibus nanq; & hospitala

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Suadẽ vtra que conclu.

spitalarijs concessit Alexander Tertius vt de prædijs quæ quomodocunq; possiderent, si proprijs manuũ laboribus illa colerẽt, decimas nõ soluerent. Idemq; cõcessit Adrianus, vt patet cap. Ex parte, extrà, de decim. & intelligebatur etiam si illa colerent per suos famulos. Quare cæterorum nulli, siue clerici, siue monachi eximuntur, quin illas debeant etiam si ipsi arua sua colant. Nisi simili eximuntur priuilegio. Dum autem terras easdem colonis locant, multò minùs dubium est quin eiusmodi decimarum sint debitores: vt illic habetur cap. Licet. & subsequenti, Ad audientiam. Quanuis & super his consulenda sit etiã consuetudo. ¶ At verò post quàm de personis hîc loquitur quæ ad decimarum pensionem tenentur, quæritur *Quæstio.* vtrùm non modò Christiani, verùm infideles, ad ecclesiasticas decimas teneantur. Ecclesiasticas inquam: quoniam quod in iure naturæ quæcunque respu. veridica Dei cognitione illustrata, teneretur suo more eidẽ sacrificare Deo, atq; ad id muneris magistratus instituere, alia est ratio. Tenebant enim, vt ex superioribus colligitur. Scisciatur hanc autem quæstionem propter nõnullos *Panormitani opinio.* iurisperitorum ac potissimùm propter Panormitanum, qui super capitulo, de terris. extrà de decim. affirmatiuè quæstionem decidit. Iubentur enim in præfato cap. Iudæi de illis quas colunt terris decimas persoluere: & cap. quanto. de vsuris. perinde coguntur de domibus ac possessionibus quæ ante quàm in eorum venirent dominium eidem oneri subdebantur, decimas reddere. Ex his ergo Panormitanus, Odoardum sequutus, infert omnes infideles vbicunq; gentium vitam degant, iure compelli posse si factu esset posibile, vt decimas soluerent. Neque verò tantùm prædiales, verùm & personales. Saltem, inquit, tenetur ad id Iudeus, quod Christianus loco suo habitans solueret, Aliàs, inquit, ecclesia defraudaretur. Imò ait dum ad Christianismũ accedunt, posse cogi vt quas in infidelitate agentes reddere renuerunt, *Opinio Panormitani nulla fulcit probabilitate. Argumẽtũ in Panormi.* persoluant. ¶ At verò siue textus consulas, siue diuinum ius, siue naturalem rationem, nulla probabilitate, vt cum venia tanti doctoris dixerim, huiusmodi opinio fulcitur. Primùm enim de iure diuino nullum est dubium: non solùm quòd, vt sæpe diximus, ius vetus de quota iudiciale erat, iamq; adeo antiquatum est, verùm etiam si in naturali ac morali persistamus. Quoniam decimę antiquitùs solùm in stipendium ministrorum templi, & apud nos pari ratione in alimoniam clericalis ordinis ecclesiæ ministrantium iussæ sunt. Itaq; nisi ecclesiæ essent nulla esset ratio illas exigendi. Cùm ergo infideles non sint in ecclesię gremio, neq; illis sacerdotes quidpiã spirituales dispensent, nullum eis ius suppetit, authore Paulo, petendi ab illis carnalia. Sed ait Panormitanus: Te- *Solutio Panormita.* nentur tamen sacramenta suscipere, & in Christianismũ nomina sua dare. Ecce quomodò isti ius tractant diuinum. Enimuerò *Replica.* quanuis tota mortalium vniuersitas ad fidem suscipiendam teneatur, tamen quoadusque illam homo profiteatur, neque nostris tenetur legibus, neque nostris prælatis obedire: secundum verbum Pauli: De his qui foris sunt nihil ad nos. Quemadmodùm qui votum religionis emisit, licèt perstrictus sit religiosus fieri: tamen quousque fuerit professus ad peculiaria religionis mãdata non tenetur. Ecquis enim qui ius diuinum calleat, affirmare ausit Turcas eo delinquere quòd non confitentur sacramẽto nostro, Eucharistiam non gustant, festa ieiuniaque nostra non seruant? ¶ At verbum *Deceptio Panormita.* illud suprà citatum, authores huiusmodi opinionis seducit, quod habetur cap. Tua nobis. & cap. Cùm non sit. de decim. Deum scilicet in signum vniuersalis dominij sibi decimas reseruasse. Inde enim colligũt quoscunq; mortales, cùm omnium sit dominus, easdem debere. At verò si talem sensum verbum illud faceret, pontifices ipsi aut ecclesia eundem nobis alicubi tradidisset: quod nusquã fecit. Et profectò eodem modo colligeretur vniuersos olim mortales decimas etiam debuisse Leuitis. Quod concessu esset absurdum. Sensus ergo legitimus est quòd in signum vniuersalis dominij voluit Deus semper sacrificijs à quacunq; repub. coli: ac subinde vt sacerdotes sustentarentur. Sed quia Leuitis Mosaici populi illa congruebat sustentationis moderatio, per iudiciale præceptum indixit eidem populo, vt decimam fructuũ eis soluerent. Id quod & ecclesia pro suis sacerdotibus instar illius præcepti imperauit suis subditis. Quo ergo præcepto eos qui eius fidem nũquam amplexi sunt, non comprehendit. Neque capitulum, de terris: neque capitulum, quanto. quoquo pacto contrà facit. Nam illic peculiariter habetur de Iudęis sermo, qui inter Christianos commorantur, possessionesq; habent, quas

à Christianis vel emerunt, vel aliter receperunt. Et quanuis sermo ad illas quoq; prolataretur terras, quæ nunquam fuissent Christianorum, quod tamen non facilè credam, alia est tamen fortè ratio de Iudæis qui non alia ratione permittendi sunt inter nos viuere, quàm sic, vt ecclesiam suo territorio non defraudent. Attamen quòd infideles terras possidentes, quæ nũquã sub nostro fuêre dominio, priusquã sint fidem professi cõpellantur decimas soluere, non dubito quin antiquis patribus sacrorũ pactis quàm alienissimum ab Euangelio fuisset existimatũ. Quo circà sub hoc tituli obtentu ab illis quibus fides prædicatur, non video quomodò possint decimæ exigi: vtrùm verò ratione prædicationis ad concionatorum sustentationem possit aliquid ab illis tributi exigi, ipsi quibus id scire incumbit viderint. Ego nãq; in hoc libro, vt aliâs dixi, nihil de occidentalibus insulanis dicere constitui.

Ad primũ argumentũ VT ergo ad rem redeamus, Primum argumentum in capite quæstionis obiectum, duas habebat partes. Prior erat de bonis clericorum quæ sæculari titulo possidẽt. Ad quam respondet D. Tho. iuxta tenorem conclusionis secundæ, quòd tenentur illiusmodi fructuũ decimas pendere, etiam si ipsi *Argumẽtũ.* sint eiusdem ecclesiæ clerici. Huic autem decisioni nõnulli argumentum obmoliuntur ex citato cap. Nouum genus. de decim. vbi habetur, illos clericos qui à clericis spiritualium ministeriorum accipiunt decimas, eisdem debere. Cùm ergo clerici ab aliis clericis eiusdem ecclesiæ nõ recipiant ministeria, sed simul omnes populo administrent, non *Solutio.* est quòd alij alijs decimas debeant. Ad hoc autem respondetur, verbum illud non esse excluſiuum. Asseritur inquam quòd clerici (& forsan, vt habet glossa, intelligitur de cõiugatis) ob id quòd sacramenta suscipiunt decimarum pensioni sint obnoxij. Haud tamen excluditur, quin alia ratione, nempe propter terras quas peculiariter possident, maiores etiam clerici easdem debeãt. Vnde, vt ait S. Thomas, Aliud est aliquid habere vt proprium, ratione cuius debentur decimæ: aliud verò habere cõmune ecclesiasticũ, ratione cuius non debentur. Præter hanc autem solutionem altera est, q̃ clerici à clericis eiusdem paroeciæ nõ nunquã sacramẽta percipiunt præter Curatum qui non nisi à suo vicario illa suscipit: sed nihilo minùs de suis temporalibus fundis decimas debet. ¶ Posterius membrum eiusdem argumenti ecclesiã tangebat, quæ prædia fortè habet in alia paroecia. ad quod contrario modo quã ad prior rem partem D. Tho. respõdet: nẽpe eiusmodi ecclesiam nullas de suis possessionibus debere decimas. Et ratio est, q̃ eo ipso quòd fundus sit ecclesiæ, efficitur ecclesiasticus: hoc est, spirituali muneri aut ecclesiasticæ fabricæ mancipatus. ¶ Quòd si quis contrà insurgat, per hãc legem vsu venire posse vt aliqua ecclesia omnibus prorsus suis decimis expoliaret: vt si paroeciani sua bona alienis ecclesijs donarent: Placet responsio domini Caietanĩ. q̃ lex hæc eo temperamento & moderamine condienda est, vt res in tantũ detrimentũ ecclesiæ non vergat. Quare tunc trãsire deberent fundi cum suo decimarũ onere, Exemplum extat cap. suggestum. de decim. Nam cùm cuidam ordini indultum priuilegium esset nè decimas solueret, & tanta illis deinceps fierẽt prædiorum accessio vt aliæ paroeciæ magnum damnum acciperent, iussum est vt fieret super hac re cõpositio. Quare in tali casu clerici clericis per accidẽs decimarent: id est ratione prædiorum. Neq; obstaret capitulũ, Nouũ genus. quippe quod intelligitur nè clerici à clericis in quantum clerici decimas exigant. ¶ Ad secundum respondetur, eos religiosos quibus est animarum cura iuncta, ius habere recipiendi decimas, non autem illa ratione obligationem soluendi. Reliqui verò de iure communi decimas debent prædiales, nisi vllo sint priuilegio exempti: vt suprà citatum est ex cap. ex parte. de decim. ¶ Ad tertium respondetur quòd cùm in veteri testamento Leuitæ quibus decimæ decretæ erant, sub sacerdotum obedientia viuerent, & sacerdotibus nõ nisi primitiæ obuenirent, congruens fuit Dei præceptum vt decimarum decimam Summo sacerdoti penderent. Qua vtiq; nunc ratione Summus Pontifex iusta ingruente necessitate decimam decimarum à clero exigere valet. Imò verò vtinam vniuersalis eademque perpetua toti clero imponeretur: si tamen illa ratione omnis alia occluderetur in perpetuum via & modus alia commentandi iura, aliasque excogitandi artes sustentandi Apostolicam sedem: quibus Ecclesiasticæ leges non possunt non periculosissimè arctari. ¶ Ad quartum denique respondetur, quòd etsi decimæ in subsidium etiam pauperum tribuantur clericis,

Solutio sancti Thomæ.

Replica.

Solutio Caietani.

Ad secũdũ argumentũ

Ad tertiũ argumentũ

Ad quartũ argumentũ

clericis,qui præcepto misericordiæ ad eleemosynas tenentur erogandas: tamen quia eiusmodi eleemosynæ ipsorum dispẽsatione fieri debent,non perinde atq; clerici,à decimis exoluendis pauperes eximuntur.

QVAESTIO QVINTA, De peccato Simoniæ in genere.

Sanct. Thom.2.2. quæst. 100.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Simonia sit studiosa voluntas emendi vendendiq; aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

TERTIA PARS libri præsentis, quam post tractatum de sacrificijs, alterumq; de oblationibus, primitijs,ac decimis,polliciti sumus,est de Simonia: de qua disputat Diuus Thomas.2.2.quæst.100.Huius ergo tractatus prima quæstio, quæ quintũ hic habet locũ, instituitur de simonia in genere: cuius primus articulus definitionem inuestigat: nempe vtrùm simonia sit studiosa voluntas emẽdi aut vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexũ. Et arguitur à parte negatiua. *Primum argumentum.* Primùm de noïe. Vitium hoc tam in venditione consistit quã in emptione spiritualiũ. Simon autem,vt Actuum.18.videre est,nihil vendere voluit,sed tantùm Spiritum sanctũ emere:nõ ergo à Simõne satis cõgruè nomẽ deducitur:sed congruentiùs duceretur à Balaam:qui,vt legitur Numero.22. Moabitis suas locauit operas vt per donum Dei populo malediceret.Quẽ Petrus in sua can.cap.2. criminis huius reum facit. Et rursùs Iudas apostolus.Vel à Iesi, qui vt legitur.4. Reg.5. Naaman donum sanitatis pretio vendidit. Deberent ergo dici Balaamitę aut Iesitæ,cuius Iesi ad hoc propositum mentio fit. 1. q.1. can.qui studet.Imò & Iudas immanius commisit sacrilegiũ Christũ autorem omnium spiritualium charismatum vẽdendo,quã Simõ magus. *Argumẽ.2* ¶Secundò. Multa sunt spiritualia bona quæ citra simonię labem vendi possunt:vt cõsilia,vt habetur can.Non licet.11.q.3.& pariter artes & naturales scientiæ:ergo illa non est legitima definitio. *Argumẽ.3.* ¶Tertiò.Simonia vt ex registro Gregor 1.q. 1.can.eos.legitur hæresis est.Tolerabilior enim,inquit, est Macedonij impia hæresis quã Simoniaci.Illi enim creaturam & seruum Dei patris & filij spiritum sanctum deliberando fatentur: isti verò eundem spiritum sanctum efficiunt seruum suum.Omnis enim dominus quod habet si vult vendit,siue seruum siue aliquid eorum quod possidet.Hæresis autem nõ in voluntate,sed in intellectu est: ergo. ¶In contrarium sunt verba can.qui studet.1. q.1. qui studet donũ Dei pretio mercari in sacro ordine nulla ratione de cętero remanere aut reuocari nõ posse dubiũ nõ est. à verbo nanq; studet,deriuatur studiosa voluntas.

AD quæstionem tribus respõdetur cõclusionibus:prima de noïe.secunda de materia:ex quibus tertia colligit,de definitione simoniæ. *Prima conclusio.* ¶Prima ergo est. Nomẽ vitij huius à nullo significãtiùs deduci potuit q̃ à Simõne illo mago cũ quo Petro cõtentio fuit. *Prima ratio* Primùm q̃ Balaam & Iesi ad historiã veteris testamenti attinent,cuius sacramenta nõ cõferebant gratiã vt nostra,atq; adeò nõ erãt tanto gradu spiritualia. Secundò q̃ illi gratias tantùm gratis datas,vt donũ sanitatis & arcendi per maledictionem hostes,quod Moabitæ à Balaam petebant,vendiderũt: Simon autẽ nihil minùs q̃ ipsum spiritũ sanctũ emere voluit.Non quidẽ in sua persona, nã talis meditatio insanissima esset,sed eius donũ:vt habetur.1.q.3.can.Saluator. puta gratũ faciẽtem eius gratiam quæ spiritualiũ donorum culmen per essentiam tenet.Tertiò, vt ad primum argumentũ respõdeamus, illi tantùm vendiderunt,nihil ementes:Simon autẽ emere spiritum sanctũ ambiuit, vt venderet. Sic enim habet historia: Cùm vidisset Simon q̃ per impositionem manus Apostolorũ daretur Spiritus sanctus(dabatur nãq; tunc visibiliter)obtulit eis pecuniã dicens:Date mihi hanc potestatẽ, vt cuicunq; imposuero manus accipiat spiritum sanctũ: nempe pretio quo oblatã posset cũ vsuris pecuniã reficere: vt habetur eodẽ can.Saluator.Iudas autẽ etsi Christum autorem spiritualis gratiæ vendiderit:cuius eodem can.qui studuit.Greg.ad hoc propositum meminit:tamẽ quia ipsum non vendidit tanquã donũ emẽtibus vtile, imò vt morte perimendum,nõ est ab illo nomen huius sacrilegij tractũ,sed à Simone cõ- *Secunda ratio.* *Tertia ratio*

gitãte emere ac vẽdere Spiritũ ſanctũ, cui oĩa tribuunt diuina dona, eundẽq; ab apoſtolis, eccleſiæ ſecundũ Chriſtũ fundatoribus: quę vtiq; eccleſia hoc propriè inficitur crimine. Itaq; ſicuti artes à ſuis primis inuentoribus noĩa ſortiri cõſueuerũt, ſic & ſimonia ab eo qui primũ eã excogitauit. ¶ Secũda cõcluſio Res ſpũales ſunt, ppria ſimoniæ materia, ſed nõ cuiusq; generis. Vbi aĩaduertendũ eſt q̃ ſpũs idẽ eſt quod aĩaliũ halitus, quę aſpirãdo reſpirãdoq; viuũt: inde autẽ per ſimilitudinẽ ſignificat quemcũq; ventilatum. Sed quia ventus atq; ſpiritus inuiſibilia ſunt, & ad ſenſum incorporea, inde trãſlatum eſt nomẽ ad cuncta ſignificandũ quæ corporũ expertia ſunt: vt Deũ, angelos, & animã: ac perinde ac cidẽtia ſpiritualia. Quocircà ſunt qui in præſentiarũ duo ſpũaliũ genera diſtinguant: alterum eorũ quæ deriuantur ab ſpiritu creato: alterũq; eorũ quæ ab increato dimãnant. At verò quia etiam naturalia ab increato effluũt, in quibus, vt illicò patebit, ratio ſimonię nõ cõſtat, accõmodatiùs ad rem ſecernas alterũ genus ſpiritualiũ naturale: cuiuſmodi ſunt intellectus, acquiſitæq; ſciẽtiæ, ac virtutes: alterũ verò ſupernaturaliũ, vt ſunt tã gratia gratis data q̃ gratũ faciens, ſacramentaq; & ſibi annexa ſacerdotia. Quocircà pleriq; doctorũ arbitrãtur ſpiritualia vniuerſa tam prioris quã poſterioris generis, materiã eſſe ſimoniæ. Qui ſubinde doctores aſtruũt, vendere ſcientias & artes vitium eſſe ſimoniæ. Huius opinionis fuêre Altiſiodoren. libr. 3. tracta. 21. coæuusq; ſuus Alexand. Halenſ. 2. parte. q. 185. mẽbro. 3. & eſt gl. cap. Non licet. 11. q. 3. & fermè doctores canonici iuris: vt eſt videre apud Sylueſt. in verbo, doctor. & in verbo, ſimonia. §. 10. Quinetiã & S. Tho. in. 4. diſt. 25. q. 3. ar. 2. Et probatio Altiſid. qui hãc poſteris opinionem propinauit, prima fuit autoritas Prouerb. 23. Noli vendere ſapientiã, & doctrinã, & intelligentiã. Secũda, quia vt Auguſt. in lib. de magiſterio docet, Spirit' ſanctus eſt qui interiùs homines edocet ſciẽtias, etiam naturales. Quare qui illa diuẽdit, dona prophanat Spiritus ſancti. Nihil ſeciùs contraria opinio abſque formidine credi vera poteſt: nempè q̃ licet ſcientias naturales vendere. Haud quidẽ per ſe, vt panem aut pannũ, ſtultũ enim hoc eſſet dictu. Cùm in nullius poteſtate ſit ſuã in aliũ traducere ſcientiã veluti rem aliã coporeã. In quo ſenſu illud legendũ eſt Prouer. 17. Quid prodeſt ſtulto habere pecunias: cũ ſcientiã emere nõ poſsit? Sed loquimur de vẽditione doctrinæ hoc eſt q̃ licet pretio docere, ſicuti cõſulere, &c. In primis em̃ opinio eſt q̃ nõ caret autoribus: quorũ eſt Durã. in. 4. d. 25. q. 3. & Palu. ibidẽ. q. 5. & Adria. quolib. 9. & ex antiquioribus Armacha. lib. 10. c. 8. & Richar, in. 4. d. 25. Imò & S. Tho. 2. 2. q. 100. ar. 3. ad ter tiũ. ab eâdẽ opinione nõ abhorret: vt infrà eodẽ loco videbim⁹. Sed q̃ nullũ haberet patronũ, ratio ei ſatis patrocinatur: loquimur em̃ de ſciẽtijs naturalib⁹. Primũ igit̃ arguit̃. Vitiũ ſimoniæ quale ſit, ex Euãgelio venit veſtigandũ: at verò Matth. 10. vbi Chriſtus gratiarum dona Apoſtolis contulit, quæ plebi cõmunicarẽt. Infirmos, inquit, curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite: gratis accepiſtis: gratis date: vbi de naturalibus nihil cõmeminit. Itẽ Ioã. 2. vendentes & ementes de tẽplo eijciens, tantũ ſignificauit ſacrorũ venditionẽ & cambiũ, eſſe ſacrilegium. Et Actuũ. 8. in Simõne illo Simoniacorum primate nõ dãnatur niſi q̃ ſpiritũ ſanctũ eiusq; gratias emere voluit. Hoc nanq; illic appellatur donũ Dei: cũ ergo nullibi bonorum naturalium mentio fuerit habita, nõ eſt q̃ eorũ venditio labe ſimoniæ denotetur. ¶ Secũdò argnit̃ ratione. Si ſciẽtiæ & artes naturales vẽdere nõ liceret, maximè quia dona ſũt Spũs ſancti: haud tamẽ ſunt dona per ſpecialẽ influxum, de quibus. 1. ad Corinth. 10. loquitur Paul. Sed per generalem cõcurſum: ergo ex hoc capite dãnari nõ debet eiuſmodi venditio. Aliâs nulla alia bona naturalia fas eſſet vẽdere, neq; grana ſcilicet, neq; vinum, neq; oleũ. Itẽ ſequeretur q̃ neq; docere precio artes mechanicas artémve ſcribẽdi liceret: qd̃ eſſet conceſſu abſurdum. ¶ Et per hoc reſpõdetur ad argumentũ Altiſiodoren. Nam licèt Spũs ſanctus doceat omnẽ veritatẽ: aliter tamen ſupranaturales, vt ſcripturæ myſteria. De qua re peculiariter intellexit Chriſt' vbi ait, Ipſe vos docebit oĩa. Aliter verò naturales: & certè has vendere nõ eſt ſimonia: quia neque gratis habentibus dantur, vt gratis non habentibus communicentur. ¶ Tertiò arguitur. Si non liceret huiuſmodi ſcientias vendere, fieret cõſequens vt neq; liceret pro labore pretiũ recipere, quo doctor docendo deſudat. Nam quãdo res verè ſpiritualis eſt, vt ſacramẽti adminiſtratio, neq; pro labore licet quicquã recipere: idem quippe eſſet recipere pretiũ pro labore baptizandi, ſeu miniſtrandi ordines ſacros, & recipere pro ipſo opere, quòd eſt adminiſtratio ſacramẽti: Labor

Secũda concluſio. *Vocabulum ſpũs multipliciter vſurpatur.* *Duplex genus rerũ ſpiritualium* *Altiſiod. ſententia.* *Alex. Halẽ.* *Gloſſa.* *Sylueſter.* *D. Thomas* *Fundamentum prioris ſententia.* *Opinio Durand.* *Palud.* *Adrianus.* *Armachanus.* *Richardus.* *D. Thomas* *Prima ratio* *Secunda opinionis.* *Secunda ratio.* *Tertia ratio* *Ad argumẽtũ Altiſid.*

bor enim nõ distinguit ab opere. Quomodò autẽ sacrorũ ministris recipere alimoniã liceat infrà patebit. ¶Et postremò qñ tẽpora le spirituali annexũ est, nõ licet pro re illa actius suscipere pretiũ quã sine illo spũali valeret: non inquam licet calicem aut vestes sacras pluris vendere, quàm si non essent cõsecratæ: licet autem, vt manifestum est, pretio siùs vendere vnam scientiam quàm aliam: quãuis minus laboris fuerit ibidem impensum. Imò vnus atque idem Doctor quo doctior, etiã si minores fecerit sumptus minoresq; exhauserit labores, pretiosiùs suas locare operas potest ad docẽdũ. Quare etiã si sine labore posset suã sciẽtiã in aliũ trãsfundere sicut flatũ, posset ptiũ recipere. ¶Illud aũt Prouer. 23. nihil cõtra nos pugnat. Imò quod habet illic. est: veritatẽ eme: & noli sapientiã vẽdere. Ac si dixisset tãti est pretij vt qui non habet, emere illã debeat: & qui habet, nunquàm vendere: id est nunquàm illa priuari. Et glossa illa cap. Non licet. aduersat textui: quippe quo asseritur q̃ potest aduocatus vẽdere suum consilium, & patronus suum patrocinium. Et ibidem tenuit sanctus Thom. 2.2.q.71. vbi videtur reuocasse suam sententiam quam in. 4. Alexandrum sequutus asseruerat. Quare impertinẽs est ad labores recurrere qui in docendo hauriuntur.

Postremarátio.

Quæstio peculiaris de Theologia.

¶At verò de Theologia peculiariter dubitatur. Propterea quòd videtur priori modo spiritualis. Per donum enim Spiritus sancti pãduntur scripturæ, quæ sunt Theologiæ principia. Attamen neque hanc scientiam pretio de cathedra scholaribus prælegere, simonia est: etiam si citra vllum laborem & expensas fiat: hæc enim accidentaria sunt. Et ratio est, quòd licèt fides & arcanorum reuelatio donum Dei sit, scientia tamen Theologiæ humano sudore conquiritur. Quocirca quòd Hostiẽn. ait super cap. Nonnullis. de magist. nempe Theologo publicum habenti salariũ non licere pro extraordinaria lectione quicquam recipere, alioqui simoniam committere: gratis dictum est, & absq; vlla ratione. Quid enim quæso refert, salariúmne publicum recipias, an peculiarem mercedem pro peculiari lectione? Hoc autem est verum q̃ concionatori theologiam de suggesto docẽti neutiquam citra simoniam licet prædicationis pretium ex conuentione recipere. Et ratio discriminis est: quia Theologia tantũmodò intellectum erudit, sicuti aliarũ quælibet sciẽtia: prædicatio verò per se ad animarum salutem fit, commouedosq; sursum animos. Et ideo pertinet ad donum prophetiæ: quod Paulus ad Corinth. 12. inter alia connumerat. Licet autem prædicatori sustentationis subsidium sicut cæteris ecclesiæ ministris recipere. ¶Colligamus ergo, spirituale in definitione simoniæ non accipi pro naturali munere, sed pro supernaturali: hoc est pro gratia & sacramentis, atq; aliis Spiritus sancti donis, quæ ad æternam nos fœlicitatẽ promouent. Appositio autem illa, vel spirituali annexum, illa significat quæ non per se, sed per ordinem ad spiritualia idem contrahunt nomen. Vtpote sacerdotia & prebendæ, quæ sunt sacerdotum stipendia: & ius patronatus, aq; alia iura eligendi ecclesiastica supposita. ¶Ex his fit consequens (id quod assertam sententiã euidentiùs confirmat) quòd dare aliquid spirituale pro doctrina alicuius scientiæ, quãtũlibet sit Theologia, est simonia. Vt si episcopus ordines aut beneficium Doctori conferat, vt ipsum doceat. Cõfert enim tunc spirituale pro doctrina, quæ est pecunia æstimabilis. ¶Per hæc rursus dirimitur lis alia quam Doctores contestari solent, vtrùm extra ecclesiã apud infideles contingere possit simonia. A parte enim affirmatiua existit argumentum q̃ inter illos est sacerdotium, quo secundùm ipsorum iudicium Deum colunt: ergo si illud vendunt, est simonia. A parte autem negatiua offertur alterum nihilo infirmius, q̃ apud illos nihil est propriè spirituale: Durand. ergo & Palud. respondẽt verè illos non committere simoniam, sed solùm quantum ad suã existimationem. Nihilo minùs cum distinctione est meditatiùs respondendum. Enimuerò ante Christi aduentum extra dubium est, inter patres veteris testamẽti verè cõmitti potuisse simoniam. Erat enim tunc verum donum prophetiæ, quod si venderetur, simonia fuisset: vt patet ex verbis Hieronymi quæ citantur cano. Nunquã. 1. quæst. 1. Item & eorum sacerdotium quanquàm per illud nulla tunc conferretur gratia, spirituale tamen donum erat, ad diuinum pertinens cultum. Quare Ieroboã. 3. Regũ. 13. insimulatur quòd sacerdotes pretio crearet. Quin verò & lege naturæ erat sacerdotiũ, quale fuit in Melchisedec: Et quidem pro illo sæculo legitimũ: quod perinde si pretio conferretur, simonia emergeret. Spirituale em̃ suo modo censetur, quicquid Deus & natura quocunq; mortalium statu pro animorum salute ad

Solutio.

Ratio assertii.

Prædicatori euangelico nõ licet pro munere prædicatiõis pretiũ ex cõuentione recipere.

Corollariũ.

Quæstio altera.

Argumẽtũ partis affirmatiuæ.

Hieronym⁹

Solutio quæstionis. Dei cultum instituit. At verò post Christianam redemptionem nil iam extra ecclesiam supereſt quod sit legitimè spirituale. Nisi si fortè sunt qui inuincibili ignorãtia legis nostræ laborant. Illos enim eadẽ excusat ignorantia, si naturalibus tantùm ritibus vtantur. Quocircà extra ecclesiam iam nulla esse potest simonia, nisi secundùm humanam existimationem. *Tertia conclusio.* ¶Tertia demum conclusio est, quam de definitione promisimus. Probè illa præfixa definitione exprimitur natura simoniæ. Probatur. Definitio illa & obiectum vnde vitiũ vel virtus speciem sortitur, explicat, & pariter subiectum eius & modum: ergo bona est. De obiecto quidem iam constat: subiectũ verò iustitiæ, ac perinde iniustitiç, omniumq; eius partium est voluntas: vt sanctus Tho. 1.2. q. 56. sapienter secundùm Aristot. docuit. Hoc enim interest inter virtutes quę hominem in ordine ad seipsum componunt, atq; illas quæ ipsum disponunt in ordine ad alterum: quòd cùm voluntas ad proprium personæ bonum per se sit propensa & determinata, respectu illius boni nulla virtute indiget præter illas quæ sunt in potentijs, quæ affectionibus, passionibusque turbãtur. Enimuerò si nulla esset passio neq; in irascibili neque in concupiscibili, nulla esset in voluntate difficultas parendi rationi. Ob idq; temperantia in concupiscibili sita est, & fortitudo in irascibili: quibus eiusmodi morbi turbidiq; affectus sedantur: vt 2. Ethic. author est Aristote. At verò quoniam hominis voluntas nõ sic per se est affecta, & propensa in alienum bonũ, fit vt quantuis nullas patiatur sensuales affectiones, virtutibus nihilo minùs indigeat ad persoluenda proximis debita officia. *Argumẽtũ Scoti.* ¶Sed est tamen contrarium argumentum apud Scotum in. 3. distinct. 33. illa potentia est virtutis ac vitij sedes, cuius actione consummatur ratio laudis & vituperij, seu meriti & demeriti: hæc autem potentia est voluntas, vt pote cuius electione tam virtus quàm peccatum consummatur: ergo illa est omnium virtutum subiectum. Negamus tamen cum *Solutio.* Aristotele priorem præmissam. Hæc enim opinio non sancti Thomæ tantùm, imò manifestissimè est Aristotelis. 2. Ethico. Non ergo virtus in ea potentia est quæ electionem facit, aliàs fides esset in voluntate: quippe in cuius assensione consistit eius meritum: sed debet potiùs existere in illa potentia in qua tota consistit difficultas bene elegẽdi: & certè affectionibus appetitus sensitiui pacatis, liberrimè fit volũtatis electio: atq; hac ratione virtus est habitus electiuus. Ad propositum ergo cùm iustitia sit virtus ad alterum, fit vt in voluntate sedeat: vt Aristote. 5. Ethi. docet: atq; adeò religio, & similes. Cùm ergo simonia vitium sit & iniustitiæ & contra religionem, consequitur vt sit in voluntate: ob idque in definitione dicitur studiosa voluntas. *Obiectio.* ¶Quòd si arguas, auaritiam in causam esse simoniæ, vtpote quæ iustitiæ officijs obsistit: auaritia autem est in concupiscibili: Respondetur non esse renuendum, *Responsio.* quin alia vitia sint à quibus simonia imperetur: elicitur tamen ab illo quod est in voluntate. *Argumẽtũ secũdum.* ¶Existit autem alterum argumentum aduersus id quod dicitur, studiosa: Nã cùm studio peccare idem sit quod peccare ex malitia: tale autem peccatum sit contra Spiritum sanctum, consequens fieret simoniam in vniuersum esse peccatum in Spiritum sanctum: quod nemo concesserit vnquã. Respondetur non id significare, studiosa, *Solutio.* quod ex malitia, sed id quod consultò, puta quòd non excusatur ignorantia: imò scienter fit vel ex malitia vel ex passione. *Panormita.* ¶Panormi. aurem super cap. Nemo. de simonia *Hostiensis.* Hostiensem sequutus addit definitioni vt opere emptio subsequatur: idemque ait Ri- *Richardus.* chard. sequutus glossam dicti cap. qui studet. quæ ait cum effectu. Attamen hoc esset nomen ad solam externam simoniam arctare: Cùm tamen ex æquo commune sit etiam internæ. Nam vt infrà patebit, peccatũ simoniæ intus committitur, etiam ad restitutionem obligans. Consultiùs ergo dicitur, studiosa voluntas, absq; adiectione. ¶Sub illis autem verbis emendi & vendendi, cunctos vsurarios contractus intelligito: puta permutationem & cambia præbendarum sine authoritate Pontificis, atq; alia obsequia quæ loco pretij existimantur.

EX his ergo quæ dicta sunt: primo secundoq; capitali argumento satisfactum est. *Ad tertiũ argumentũ* Ad tertium autem quo ex verbis Grego. arguebatur, simoniam hęresin esse, atque adeò in intellectu existere, sanctus Thom. duo dat responsa. Prius quòd etsi simoniacus non sit propriè hæreticus, quoniam absque intellectus errore potest prę auaritia in hoc vitium labi: tamen re ipsa & facto profiteri videtur dominium Spiritus sancti esse penes homines: qui est hæreticus error. Atq; hoc quidẽ responsum

responsum amplexus est Gratianus in can. ventum.1. quæst.1. Secūdò, ac si non satis sibi hoc placeret dicit sanctus Thom. Simônem Magum præterquàm quòd voluit Spiritū sanctum coemere hæreticum etiam fuisse, in eo quòd credidit mundum non fuisse à Deo creatum. Attamen propter hoc simoniaci non dicerentur hæretici: quo tamē ferro crebrò inuruntur in iure. Et ideò forsan dicendum est, quòd Simon ille propterea voluit Spiritum sanctum emere, quòd credidit esse vēnalē, & pretio posse ab Apostolis dari: quod quidem apostolica respōsio palàm docet, Pecunia tua tecum sit in perditionem quoniam donū Dei existimasti, hoc est credidisti, pecunia possideri. A qua porrò hæresi tanquàm à proprio fonte vitium ipsum nomen contraxit.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm vitium simoniæ, genere suo sit peccatum mortale.

SVppositā definitione simoniæ quæritur de eius qualitate, an sit mortale crimen. Et arguitur à parte negatiua. Inter cūcta spiritualia quæ creata sunt, regnū cœlorū culmen tenet: vt potè quō cætera alia referūtur: ipsum autē vēdibile est. Vnde Gregor. Regnū cœlorū tantum valet quantum habes: ergo non est simonia velle emere aliquod spirituale.

Primum argumentum.

Gregorius.

Secundum.

¶Secundò. Si simonia genere suo peccatum esset: sequeretur quòd etiam Papa spiritualia vendens eodem vitio commacularetur: fertur tamen non posse esse simoniacum: quia princeps non ligatur suis legibus. ff. de legib. l. Princeps. ergo non est genere suo mortale.

Tertium.

¶Tertiò. Spiritualia cambire, videlicet vnū pro alio permutare: vt calicem pro ara: quin imò sacramentum pro sacramento: vt si sacerdos nollet alterius sacerdotis confessionem audire, nisi vicissim audiret ille suam: aut si catechumenus nollet alterum baptizare nisi cum pacto vt se mutuo baptizarent, non apparet esse simonia ergo nec spiritualia vendere. ¶In contrarium autem sunt sacri cano. Habetur enim in Regesto Gregor. quod Paschalis.2. refert.1. quæstione.3. Altare, vel decimas, vel Spiritum sanctum emere, vel vendere, simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignoret. & dicitur hæresis ad exaggerandum eius grauitatem. Et cap. sicut. de simonia. Simoniaca pestis sua magnitudine alios morbos vincit. Et cap. proximo: Tanta est labes huius criminis, quòd etiā serui aduersus dominos, & quilibet criminosi admittuntur ad accusationem:

AD quæstionem vnica eademq; cunctis receptissima conclusione respondetur. Simonia est genere suo crimen mortale. Probatur. Emere aut vendere id quod nullo pretio vendibile est, genere suo est mortale crimen: vt sub titul. de vsur. dicebamus. Nam cùm sit iustitiæ contrarium, quæ virtus rei publicæ quàm maximè est necessaria, fit sub inde vt etiam sit contrarium charitati, in quo ratio consistit peccati mortalis. Excrescit tamen vitiositas in simonia ratione contaminatæ religionis. Probatur autem minor ex triplici loco. Primò ex ratione obiecti, Res enim quæ modo suprà exposito spirituales sunt, nullo æstimari possunt terreno pretio: vt pote quòd supernaturalia sunt inter quæ & terrena, nulla est proportio. Vnde de diuina sapientia Prouerb.3. asseritur: Pretiosior est cunctis opibus: & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Quod vtiq; respiciens Petrus, ait Mago illi: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri: id est æstimari. ¶Secundò idem ex eo probatur quòd etsi spiritualia per se vænalia essent, neutiquàm tamen possent à præfectis ecclesiæ vēdi: nemo enim iustè rem vendit nisi cuius est dominus. Si enim œconomus rem patrisfamilias iniussu illius distraheret, iniquus esset: Præfecti autem ecclesiæ non habent spiritualium dominium, sed sunt meri dispensatores, secūdùm Pauli confessionem. 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Tertiò idem ex origine confirmatur, qua spiritualia nobis obueniunt. Id enim quod gratuitò à Deo collatum est, non quidem in peculiare commodum illius cui confertur, sed in bonum publicum totius ecclesiæ, nemo potest iustè vænūdare: quia non est suum, sed illorum quibus vendit: talia autem sunt spiritualia dona Dei. Atq; hoc Christus admonitos curauit Apostolos Matth.10. vbi ait, Gratis accepistis, gratis date. Idq; illo verbo denotauit, Luc.12. Quis putas est fidelis dispensator & prudens? Fidelis scilicet, vt quod gratis acce-

Cōclusio responsiua.

Prima ratio conclusionis

Secunda.

Tertia ratio

pit, gratis largiatur. Et prudens: hoc est, qui oculatto iudicio merita personarum discernat, vt pro cuiusq; dignitate cuncta dispenset. ¶Fit ergo ex his consequens, simoniam, peccatum esse, non solùm contra iustitiam, verũ & ratione materiæ, quæ spiritualis est, contra religionem. Ob idq; adeò nuncupatur sacrilegium. Nam læsio est sacrarum rerum. ¶Hic primùm omnium circa conclusionẽ hanc cum suis rationibus inuestigandum occurrit qûænam iure simonia sit prohibita, vtrùm diuino tantùm an etiam naturali. Ad quam quidem dubitationem peruia est responsio, simoniam spiritualium donorum supernaturalium: tam naturali iure quàm diuino esse prohibitam. Et quidem ius diuinum in vtroque testamento manifestum extat. Nam Matthæi.10. connumeratis eiusmodi donis subdit Christus: Gratis accepistis, gratis date. Et Ioannis.2. in figuram eius flagello eiecit ementes & vendentes columbas è templo: Columba namq; spiritum sanctum, eiusq; dona significat. Et Actuum 8. idem patet in historia quæ Petro aduersus Simonem contigit. Et Num.22. idem notatur in historia Balaam, quem ceu donum Dei vendentem obiurgat, tum Petrus, tum etiam Iudas in sua Canonica. Tãetsi posteà diuinitus admonitus non fecit quod Moabitæ volebant. Et Ieroboam.3. Regul.13. reus fit quòd sacerdotes pecunia creabãt: quanuis illi non essent verè sacerdotes, sed Balaã. Et.4. Reg.5. opprobrio etiam datur Iesi quòd pro dono sanitatis quicquã receperit. ¶An verò sit etiam contra ius naturæ, dubium id circò est quòd spiritualia quæ eius sunt materia, res sunt supranaturales ad quas naturalis lex non videtur pertingere: Nam hac ratione præcepta sacramentorum non sunt naturalia, sed suprà. Nihilo minus contrarium est asserendum. Idque inde primò probatur quòd ius omne diuinum in euangelico expressum præter partem illam quæ ad fidei sacramenta pertinet, nihil continet nisi quæ iure naturali necessaria sunt. Atque hæc vna est ratio cur dicatur lex libertatis: vt lib.2. quæstio. vltim. adnotauimus, artic.1. Cùm ergo simoniæ prohibitio ad sacramenta non pertineat, fit vt in euangelio non nisi tanquam res naturalis sit prohibita. ¶Secundò id rationes confirmant, quibus peruersitas simonię damonstratur. Nam etsi spiritualia bona supranaturalia sint, tamen quia natura sua nõ sunt vænalia, neq; Antistites ecclesiæ domini eorum sunt: sed gratis acceperunt, gratis dare debent ius ipsum naturæ eorum venditioni reclamat. ¶Et tertiò, nisi iure naturæ prohibita esset, Balaam non peccasset vendens, neq; Rex Moabitarum emẽs quia Gentiles erant: qui non alio quàm naturali iure tenebantur. Quin verò eàdem ratione neq; Simon Magus peccasset: quoniã cùm in Christianissimo neophytus esset, nisi ius naturæ suum ausum condemnasset, poterat euangelici mandati ignorantia excusari. Ad argumentum ergo in contrarium negatur consequentia. Materia simoniæ fit talis iure diuino: ergo ipsa non est contra ius naturæ. Et est meditanda consequentiæ fallacia. Nam vndecunq; res fiat spiritualis, fit subinde vt non sit vænalis: vænum autẽ exponere quod venale non est: ius naturæ vetat. ¶Aliquantulo autem grauior dubitandi ratio existit, vtrum aliqua sit simonia quę neque diuino iuri neque naturali contraria sit, sed solùm quia humano iure est inhibita. Rationem quippe hanc dubitandi offert nobis glossa in capit. ex parte.1. de off. deleg. quæ distinguit inter simoniam prohibitam quia mala est, vt est illa quæ iure euangelico talis est, atque aliam quæ non est mala nisi quia iure positiuo prohibita: quæ subinde distinctio Doctoribus canonici iuris solennis est: vt est videre apud Syluest. in verbo, simonia.§.4. Quin verò & multis Theologis. Durandus autem in.4. distinctio.25. quæstio. 5. duabus rationibus hanc distinctionem refellit nullam nimirum admittens simoniam contra ius merè positiuum. Prior est. Circa illud quod non est per se malum nisi quia prohibitum, peccare non contingit nisi peccato inobedientiæ: vt dum tibi Præpositus rem aliãs indifferentem iusserit, si non pareas, nihil aliud quàm inobediens fis: si ergo sola est humana prohibitio nè hoc aut illud vendas, inobedientia erit non parêre, non autem simonia. Posterior eius ratio est, q̃ simonia est rei spiritualis venditio: ecclesia autem nõ potest rerum naturas mutare vt facias spirituale quod anteà non erat: nam hoc ad solum pertinet ius diuinum. ¶Nihilo seciùs medio modo inter has opiniones censendũ est. Primùm enim contra secundam rationem Durandi certum est posse ecclesiam aliquid facere spirituale quod iure diuino non erat. Hoc patet in consecratione ecclesiæ, & aræ, & in benedictionibus calicum, corporalium, & ornamentorum. Hæc enim iure diuino

Simonia naturali diuinoque iure prohibita.

Prima ratio ad suadẽdũ simoniã esse iure naturæ prohibitam

Secunda.

Tertia.

Dubitatio.

Glossa.

Durandus.

Primaratio Durandi.

Secunda.

Ecclesia potest aliquid facere spirituale quod prius non erat.

diuino spiritualia non sunt. Nam quantum ad rei essentiam, consecratio corporis & sanguinis Christi fieri posset etiam si vasa & ornamenta non essent consecrata aut benedicta.

Secunda assertio.

¶ Secunda assertio. Nihilo minus horum venditio & emptio, si ratione consecrationis pluris vendantur quam res ipsa valet, est simonia contra ius diuinum & naturale. Nam vtrunque ius prohibet quòd vænale non est pretio vendi: cùm ergo illud sit spirituale, quanuis iure positiuo factum sit spirituale, iuri nihilo minùs diuino & naturali repugnat eius venditio. Et confirmatur: quia qui vendit benedictionem calicis aut a quam benedictam, vendit certè id quod gratuitò donatur in bonum publicum: est ergo huiusmodi simonia iure diuino prohibita.

Ratio assertionis.

Secundò ad idem arguitur. Minores ordines non sunt de iure diuino: quinverò neque diaconatus habebatur olim vt ordo sacer: quod patet ex verbis Innocentij Tertij in capitul. A multis. de ætat. & qualitat. ordin. præfi. sed sunt de iure merè positiuo, & tamen ista vendere est peccatum simoniæ iure diuino prohibitæ: ergo licet res iure positiuo fiat sacra, nihilo minùs eius venditio est contra ius diuinum. Sicuti nuperrimè fallacem esse diximus consequentiam illam Spiritualia sunt de iure diuino: ergo illa vendere non est cõtra ius naturæ.

Secunda ratio ad idem

¶ Ex quo fit illos doctores qui in huiusmodi rebus consecratis exemplum collocant simoniæ de iure merè positiuo, paralogizari, inde id nimirum inferentes, quòd materia eius iure positiuo sit constituta: veluti & suprà de solẽnitate voti dicebamus, quæ est de iure positiuo: & nihilo minùs obligatio ad perpetuam castitatem: quæ ex illo voto solenni resultat, est de iure diuino.

¶ Sed interrogando vrges, an detur aliqua simonia ad ius merè politiuũ attinens? Respõdetur aliquã esse. Primum vbi venditur officium ecclesiæ annexum quod de se non est spirituale. Hoc patet ex capitul. Saluator. suprà citato prima quæstione tertia. vbi Vrbanus prohibet nè vendatur officiũ œconomi ecclesiæ, aut sacristæ, aut protectoris: citans Concilium Calcedon. hæc autem officia vendere non est contra ius diuinum aut naturale: siquidem personæ non sunt aut res per se sacræ. Neq; ecclesia facit eas sacras sicut tẽpla, & vasa, & personas, puta sacerdotes cõsecrationi sacramẽti eucharistię dedicata: sed quia sunt sacrorũ custodiæ deputati.

Hæsitatio.

Dissolutio.

¶ Eiusdem autem simoniæ exemplum sunt qui proferant in commutatione præbendarum. Prohibetur enim. c. quæsitum. de rerũ perm. nè sine licentia episcopi præbendæ cũ pacto permutentur. Attamẽ prohibitio hæc non est mere positiua, sed significatio diuini iuris. Nam qui attentaret præbendas priuatim permutare, nihil faceret. Potest enim quisque suo renunciare sacerdotio, sed id tamẽ facere debet in manibus prælati: constituere verò alterum in iure præbendæ, neutiquã iure potest, nisi solus Pontifex & episcopus: aut prælati quorum est sacerdotia conferre: Quod autem illic Papa iubet est, nè quis pactum permutationis faciat: quia hoc labem sapit simoniæ. Attamen si fiat sub conditione, si Papa consenserit. nulla est culpa. Illa tamen conditione prætermissa, simonia resultaret. Quocircà si conditio esset iure diuino contraria: vt si pactum esset supererogandi pecuniam, vel aliud pretium pro maiori præbenda: tunc simonia esset contra ius diuinũ: nam talis permutatio mixtam haberet emptionem præbendæ. Si verò tantùm esset cõtraria iuri positiuo: vt si esset pactum soluendę pensionis absque Papa concessione: tunc simonia esset contra ius positiuum. Enimuerò permutare res sacras & spirituales, præsertim si tales sint iure tantum positiuo, non est contra ius diuinum: vt si cambium fiat calicis pro calice, aut pro sacro vestimẽto. Quin verò neque in his quæ spiritualia sunt de iure diuino: vt si sacerdos confessionem alterius sacerdotis audire noluerit nisi alter audiat suam: licèt Richar. secùs censeat, de quo statim: ergo cùm præbendæ non sint adeò spirituales, pactum illarum permutãdarum non est contra ius diuinum. Secundò id confirmatur: Si esset contra ius diuinum, neutiquàm Papa posset super eâdem re dispensare: & tamen Papa eiusmodi permutationes cõstitutis pensionibus permittit. Prætereà si huiusmodi venditio perinde esset prohibita iure diuino atque venditio sacramentorum non licet de illo pacisci, etiam adhibita conditione si Papa consenserit: quia hoc certè in sacramentis non licet & tamen talis pactio in præbendis cum tali conditione non condẽnatur. Iam vt rem cõcludamus, in euangelio non est prohibita talis commutatio, sed de solis Spiritus sancti donis habetur: Gratis accepistis, gratis date: non ergo hmõi pactio est contra ius diuinum. Nihilo minùs tamen quædã est simoniæ species de iure positiuo.

Prohibitio permutationis pbendarũ nõ interueniẽte superioris autoritate nõ est merè positiua sed significatio diuini iuris.

Moderatio superioris assertionis.

Vnde

Vnde ad primũ Durandi argumentũ duobus modis respondetur. Primò negamus illud suum assertum quòd vbiuis res prohibetur quæ alioqui non est mala, transgressio non est aliud peccatum quàm inobediẽtiæ. Imò verò ecclesia dum abstinẽtiam quadragesimalem indixit, ieiunium illud cõstituit in virtute abstinentiæ: & ideò non solùm ille contra obedientiam peccaret, qui ieiuniũ ex contemptu frangeret, verùm & ille cõtra abstinentiam, qui non ex contemptu, sed præ gula id faceret. Et pari modo ecclesia potest actum quempiam in vitio simoniæ constituere. Secundò respondetur, q̃ officium sacristiæ vendere, aut pactum facere cõmutandi sacerdotia contra ius ecclesiasticum, non definiuit ecclesia esse propriè simoniam sicuti vẽdere sacerdotia: sed dicitur simonia, quia simoniæ pœna vindicatur.

Papa simoniã potest cõtrahere.

• *Ad primũ argumentũ* PEr hæc facilis fit argumentorum solutio. Ad primum quppe respondetur, regnũ cœlorum vænum esse expositum: nõ si venditionis nomen propriè vsurpes, sed per Metaphorã, sicut dicitur vim pati. Quod enim propriè non sit vendibile, primùm inde patet, q̃ cùm sit supernaturale, nullo est pretio æstimabile. Vnde Paul. ad Roman. 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et loquitur de operibus filiorũ Dei per gratiam: significãs opera nostra ex obiecto existimata, nõ esse regni cœlorum pretium: sed quatenùs procedunt ex gratia. Quod autem gratis datur, nõ venditur. Tum etiam quòd ex nostris obsequijs Deo nihil accrescit: siquidem bonorum nostrorum non indiget. Vnde Isaiæ. 52. Gratis vænundati estis, & sine argento redimemini. Dicitur autem per Metaphoram emptio, iuxta verbum eiusdem Prophetæ, cap. 55. vbi ait Sapientia ipsa: Sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argẽtum, properate & emite: venite, emite absq; argento, & absq; vlla commutatione lac & mel: hoc est regni cœlestis dulcedinem. Metaphora autem in eo cõsistit, quòd operibus iusti regnum cœlorum proponitur: tanquàm merces: vt patet in Parabola conducentis operarios in vineam, constituto denario diurno, & in verbo Psalmi: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem. ¶ Ad secundum argumentum licèt inter interpretes Canonici iuris de Papa litigium sit an possit esse simoniacus, per illa tamen quæ dicta sunt peruia fit responsio. Enimuerò de simonia quæ iure diuino naturaliq; talis est, nullam esse licet controuersiam, quin illam possit committere. Si, inquam, sacramenta pretio administraret, donumve quoduis aliud Spiritus sancti dispensaret, ambigere nemo posset, quin simoniacus esset. Ageret quippe contra ius diuinum: super quo ipse dispensare nequit. Neq; istiusmodi donorum dominus est, sed merè dispensator. Imò verò tanto grauiùs maioriq; scandalo peccaret, quanto eminentiorem locum in ecclesia tenet. Vnde Petrus primus Christi vicarius hoc sibi crimen à Simõne vigilantissimè cauit. Quin etiam si templa, vel vasa, vel vestimenta sacra pretio consecraret: quamuis talis ritus iure sit positiuo sanctus, nihilo minùs, quia eius vænalitas est contra ius diuinum, simoniacus esset. Et pari modo si sacerdotiũ aut præbendas vænundaret: vt pote quorum dispensator est tantùm: neutiquàm tamen dominus. Si autem admittas officium sacristæ & œconomi ecclesiæ vendere, non esse simoniã nisi de iure positiuo: quia propriè non sunt personæ sacræ: illud ipse posset citra peccatũ pretio cõferre, nisi obstaret scandalum: quia potest super suis legibus dispensare. Et eàdem ratione pœnas iuris simoniacis decretis incurrere nequit. Etenim quanquàm sacerdotia venditaret, neque excommunicatus esset, neque suspensus: quoniam princeps est & quantum ad vim coactiuam suis legibus non subditur. ¶ Sed hoc tamen superest hic dubium, vtrùm si sacerdotium cuipiam venderet: facto ipso censendus esset super pœnis iuris cum illo dispẽsare: vt neq; excommunicatus emptor ille esset, neque teneretur renunciare præbendam Quidam enim, vt Palud. dist. 25. quæst. 4. affirmant: alij verò in quibus est Adrianus quotl. 9. negãt. Profectò res est quæ me ancipitẽ tenet. A parte quippe negatiua est argumẽtũ Ioãnis Andreæ in Mercurialibus, q̃ si episcopus ludum aliquẽ sub pœna excommunicationis inhiberet clericis, licèt posteà eorum aliquem ad ludendum induceret, nõ ideo dispensaret in lege, nisi illam exprimeret: quia vel posset esse illius oblitus, vel ad malum illum inducere. Rursus quanuis excommunicato osculum pacis porrigat, non ideo illum absoluit. A parte autem affirmatiua est argumentum quòd non est censendus Papa tam insigniter peccare vt præbendam

Ad secũdũ

Dubium.

Paludanus.

Adrianus.

Argumẽtũ à parte negatiua.

dam cogitet sacerdoti vendere, quam neque emere ille neque retinere citra excommunicationem, atque adeò citra culpam nequit. Porrò ergo huius ambiguitatis affirmatiuã hanc partem præ altera eligerem. Nam forsan & episcopus inducens ad id subditum quod lege sua prohibitũ est, quidquid Ioannes Andreas censeat, dispensare creditur: perinde ac si præciperet. Deinde quicquid hoc veritatis habeat, tamen de Papa quando præbendam vendit cùm ipse sit qui dat, omninò videtur habilem alium reddere vt recipiat. ¶Ad tertium denique respondetur cum diuo Thom. nomine emptionis quamcunque aliam commutationem comprehendi spiritualis pro temporali. Quare sicut præbendam nũmis emere simonia est, ita & sæcularem illum fundum pro illa commutare. Quin verò (vt suprà diximus) neque præbendam pro præbẽda absque facultate Pontificis cõmutari citra simoniam potest. Tametsi vt expositum est, non esset simonia nisi de iure positiuo. Quocirca res alias sacras cõmutare, quia tali iure minimè prohibetur nulla est simonia: dum modò solius rei valoris habeatur ratio, neque pro cõsecratione quicquam pendatur. Potest inquam calix pro calice commutari. Imò tanti vendi quanti materia & forma absque consecratione æstimaretur: atque adeo alteri ecclesiæ locari. ¶ De sacramentis verò Conradus quarta distinctione. 25. articul. 3. negat vnum pro alio commutari posse: nam licèt non sit, inquit, tam illicitum quàm simpliciter illa vendere: est tamen aliqua venditionis effigies: quia vnum tunc censetur alterius pretio. At verò profecto nõ video quidnam venditionis aut pretij admisceatur si vicariæ operæ in pactum ducantur: Baptizabo te si me baptizaueris: &, si meam volueris audire cõfessionem, tuam vicissim audiã. Et orabo pro te si tu mihi vicissim par reperideris beneficium.

Papa beneficia alicui vẽdẽs censetur cũ eo dispensare in pœnis simoniæ.

Ad tertiũ.

Sacramentorum commutatio licita.

QVAESTIO SEXTA, De materia simoniae.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm quandoque licea pro sacramentis pecuniam seu dare seu accipere.



Onstituta definitione & culpabili qualitate simoniæ, sequitur vt seriatim de eius materia disputemus. Et primò de sacramentis arguitur quòd liceat nonnunquàm illa pretio redimere. Baptismus ianua est sacramentorum: & nihilo minùs dum iniquus sacerdos iamiam morientem puerum absq; pretio baptizare nequit, neq; pater manus habet aut linguam quibus ipsum tingere valeat, consultius videretur pater facere si pecuniam offerret sacerdoti, quàm si animam prolis suæ perditum ire sineret: ergo licet sacramentum mercari. ¶Secundo. Eucharistia est sacramentorum maximum, pro quo tamen conficiendo & offerendo licet pecuniam offerre, oblatamq; accipere: ergo faciliùs est concedendum alia sacramenta redimi pretio posse. ¶ Tertiò. Pœnitentia est sacramentum necessitatis quæ absolutionẽ ab excommunicatione præexigit, sed pro absolutione ab excommunicatione in more iudicibus est pecuniam recipere: ergo id nõ est sacrilegium. ¶ Quartò. Consuetudo in causa est vt quod anteà delictum erat licitè fiat. Qua vtiq; ratione ait Augustinus plures habere vxores quando mos erat, non fuisse crimen: viget autem apud quosdam consuetudo vt pro consecrandis episcopis, benedicendisq; abbatibus, inungendisq; sacerdotibus aliquid pro chrismate & oleo detur accipiaturque: ergo illud est licitum: ¶Quintò. Ius habet vnusquisq; suam redimendi vexationem: sed vsu sæpe accidit vt quispiam ab episcopatu vel alio sacerdotio per iniuriam arceatur: ergo licebit eiusmodi vexato nummis se ab illa iniuria eripere. ¶Sextò. Matrimonium est quoddam sacramentum: sed datur pro matrimonio pecunia, nempe vxoris dos: ergo licet pro sacramento pretium tum dare tum etiam percipere. ¶Contrarium admonetur canone illo. 8. Synodi. 1. q. 1. Qui per pecuniam consecrauerit, vel ab alio consecratus est, alienus à sacerdotio fiat.

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

IAm suprâ inter spiritualia quæ materia sunt simoniæ, atq; alia spiritualium genera discriminatum est. Illa nanque spiritualia quæ naturalia sunt, neque nobis gratis vt largiamur donantur, simoniæ vitio non substernuntur: sed illa prorsus charismata quæ dono

dono diuinitus susci pimus ad gratiam quoquo pacto spectantia. Hæc autem quadruplici differentia diuiduntur: Quædam quippe sunt spiritualia per essentiam vt gratia quæ ipsissima est vita spiritualis animæ: & charitas quæ est habitus quo officia & opera vitæ exhibemus. Et hæc nullatenùs in quæstionem accersiri possunt an vendi emive queant: sunt enim vsque adeò Dei munera, vt demẽtia esset cogitare quenquam posse in alterum illa siue dono siue pretio transfundere. Secũdo ordine sunt spiritualia: quæ hisce velut causa proximè antecedunt. Qualia sunt sacramenta, quæ ceu instrumenta passionis Christi effectricia sunt gratiæ. Tertio gradu spiritualium sunt actus charismatum, quæ gratiæ nuncupantur gratis datæ: quales sunt dona prophetiæ & linguarum quibus annumerari possumus & orationẽ & religionem. Quarto denique loco accedũt & spiritualia per annexionem: qualia sunt sacerdotia & præbendæ, quæ spiritualium functioni inseruiunt. Prætermisso ergo primo membro, de singulis aliorum trium singuli sint hic articuli examinandi. ¶Igitur in hoc primo, qui apud diuum Thom, secundus existit, respondetur de sacramentis duabus conclusionibus. Prior: Pro spirituali sacramentorum gratia pecuniam accipere, crimen est sacrilegum simoniæ: vsque adeò naturali diuinoque iuri aduersum, vt nulla possit consuetudine excusari. Sanè cùm nulla eiusmodi iuribus præiudicari possit. Et quidem pecuniæ nomine iuxta Philosophi documentum 3. Ethic. quicquid nummo æstimatur intelligitur. Conclusionis probatio manifestissima est. Nam sacramenta nouæ legis quàm maximè sunt spiritualia quippe quæ gratiæ, spiritualisq; vitæ causa existunt quę quidem virtus priscis illis Mosaicis non inerat: gratia autem, vt nomen ipsum personat, gratis nobis confertur: alioquin autore Paulo non esset gratia: nemo ergo mortaliũ pro eius collatione pretium percipere potest. Etenim præterquam quòd ius naturæ iniquissimè violaret id vendens, quod neque suum est neque vllo est pretio æstimabile, in Deum esset impientissimè iniurius. Porrò quòd id vendere cogitaret quod solus ipse altissimus sua benignitate cõfert. Atque hic primus est simoniæ apex vnde & nomẽ traxit. Nam vt suprà dicebamus, munus hoc Spiritus sancti conferendum erat, quod malus ille Simon emere cogitabat. Huc accedunt canon Leonis, Gratia. 1. q. 1. & plerique multi eiusdem Causæ. ¶Posterior conclusio. Ministris ecclesiæ stipendia populi alimentaq; ad sui sustentationem accipere nullum est simoniæ vitium, neq; verò peccatum vllum. Prior conclusio adeò est clara vt nullum nobis dubium relinquat. Posterior verò sæpe & sæpius suprâ demonstrata est ex verbis Pauli. 1. Corinth. 9. Quibus & illud accedit. 1. ad Timo. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt. Vbi Augustiniana glossa: Accipiant, inquit, sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis â domino. Permagno ergo sacerdotes iure pollent, non vt qualitercunq;, sed pro sua dignitate decenter sustentari.

¶Quod hic igitur dubitandum restat, est: Vtrũ pro his quæ sacramentis annexa sunt, nempe pro vasorum vsu pro materia: & potissimum, pro labore ipso possit pretium suscipi, idque ex pacto. Apparet enim nullum interuenire posse pactum quod nõ sit simoniacum: vt diuus Thom. articul. tertio ad secundum argumentum astruere videtur. In contrarium autem est vsus ab ecclesia permissus. Consentit enim presbyterum de stipendio paciscì, vt Capellaniæ seruiat, ter scilicet in hebdomada, aut quotidie in tali loco celebrare colligetur. Cui quidem mori & ratio, vt hic ait Caietanus: suffragatur. Quoniam si velle stipendium in sustentationem licet, vt secunda conclusione assertum est, nihil vetat quo minus id procurari atque in pactu duci possit. Nam materia est quæ contractum facit simoniacum. Quare cùm eadem sit materia absque pacto & cum pacto: nempe temporalis sustẽtatio, fit vt si absque pacto id licet optare & accipere quod ad vitam necessarium est, sine quo spiritualia ministrari non possunt nullum sit vitium de pretio conuenire. ¶Res est inter Doctores, potissimùm iuris Canonici, plurimùm controuersa: de qua Summistæ in verbo, simonia, varie loquũtur: & Adrianus quotlib. 9. cum Altisiodorensi antiquo Theologo complures allẽgat Iurisperitos in sentẽtiam affirmatiuam: nempe quòd liceat pro labore administrationis sacramentorum, de pretio paciscì: iuxta apostolicam doctrinam in superioribus allegatam. Cui consonare videtur can. Vltimus. 1. q. 2. vbi astruitur quòd clerici stipendia accipere possunt, iustis laboribus merita. Quin verò & euangelium, vbi ait Christus, dignus est operarius mercede

sua.

Quadruplex differẽtia rerũ spiritualium.

Prima conclusio.

Probatio cõclusionis.

Vltima conclusio.

Dubitatio.

Adrianus. Altisiod.

Durandus. sua. Et est vulgaris opinio Durand. tamen in quarta distinctio. 25. quæstione. 1. omninò renuit pro labore administrādi sacramēti quicquam recipi posse. Et Caietanus & hîc & in Caietanus. sua Summa, verbo, simonia: & quæstio. 9. primi quotlibeti, permulta de hac diriminenda lite doctè disserit: si modò res paulò explicatiùs & compendiosiùs colligatur. Placet ergo ad rei inrellectum tripertita distinctio inter Distinctio pretium spirituale & stipendium ad sustentationem, & mercedem pro locatis operis. Et quidem de primo membro nemini ambigitur: adeò perspicuum est pretium pro re spirituali aut ei annexa percipi non posse: veluti suprà explicatum est: Ob id quòd tales res non sunt pretio vendibiles. Neque verò duorum cæterorum membrorum distinctio vsq; adeò est intellectu difficilis vti prima fronte apparet. Merces enim operi adequatur, de qua Mat. 20. Redde operarijs mercedem suam, stipendium verò sustentationis, licèt tandem referatur administrorum operas, tamen proximè non fit nisi ad necessariam sustentationem ministri. Et posfumus distinctionem hanc quantum ad duo membra hoc exemplo elucidare. Si enim quispiam artifex, cuius opera digna essent magno pretio, sic cum domino aliquo conueniret: Da mihi victum, & operas omnes meas tibi impendam quantiuis fuerint pretij dignæ: Tunc non æstimarentur operæ, sed tantum necessaria sustentatio. E conuersò dum diues artifex pro imagine aut alia fabrica quantum opificium valet petit, non æstimat necessitatem victus, sed valorem operis. Quare Augustinus nuperrimè citatus acutè distinxit dicens: Sustentationem necessitatis recipiant à populo: mercedem autem dispensationis, id est ę qualem valorem operis, à Domino. Igitur quòd clerici stipendium sustentationis recipere possint, non est dubium. Idque possunt dupliciter. Primo authoritate publica ecclesiæ: quæ quotam decimarum taxauit. Ac perinde episcoporum constitutionibus: sanè qui taxare possunt quanto stipendio Clerici stipendiū sustētationis recipere possūt. ille dignus sit qui tali seruitio ecclesiæ mancipatur. Secundo modo priuata libertate. Potest nanque & ipse sacerdos victus indigens, cùm ad seruitium conducitur capellaniæ, aut vicariatus paciscì de stipendio sustentationis secundùm loci: temporisque dispensationem. Hoc autem non ego eâdem facilitate approbarem qua à Caietano asseritur: nempe quòd quando sustentationis stipendium superioris authoritate decretum est, potest illud sacerdos, siue pauper sit siue locuples, percipere. Nam idem sacerdotium potest diues sacerdos nihilo minori iure suscipere quàm egenus. Quando verò eiusmodi stipendium non est lege constitutum: sed priuata conuentione constituendum, tunc inquit pauper pacisci de illo potest: diues vero minimè. Quoniam cùm aliundè sibi sustentatio suppetit, indicium est conuentum facere, non pro sustentatione, sed pro operarum mercede. Hunc tamen ego inquam censendi rigorem non facile probarem. Nam si ex rei natura ad sustentationem ministri tali functioni mancipati talis sustentationis moderatio necessaria est, tunc ex natura rei nulla emergit simonia, atque adeò neque ex qualitate sacerdotis creatur. Intentionis nanque Deus solus scrutator est. Quod autem tale stipendium sustentationis gratia sit licitum, suprà satis lege naturæ & diuina demonstratum est: quamque debeat sacerdotalis ordo decenter sustentari.

¶ An verò in mercedem pro labore liceat aliquid etiam recipere, quod fuit tertium distinctionis membrum, hoc est de quo inter doctores ambigitur & controuersatur. Quāuis non sit tantum dubium quantum multi authores putant. Imò per distinctionem adeò omnes conciliantur, vt dissidere nequeant. Labores enim & operæ aliæ sunt antecedentes sacramentum, atque adeò illi accidentes: alię verò concomitantes: imò verò de eius substantia. Priores ergo locari possunt Potest sacerdos locare operas antecedentes nō subsequētes stato pretio. Posteriores verò minimè. Est exempli gratia, infirmus cui à longinquo accersendus est sacerdos qui eius audiat confessionem, vel Missam celebret, vel rem faciat diuinam. Potest profectò sacerdos pro itineris labore pretiū exigere. Alius est labor & operatio sacramēto intrinseca: puta Missæ celebratio, aut baptizandi opus, aut quæuis alia sacramēti applicatio. Et pro his laboribus & operis manifestum est nihil pretij posse recipi. Sed de his ait Augustin, mercedem dispensationis à Domino recipiat. Perinde enim esset ac si reciperetur pro gratia sacramenti. Baptizatio enim & baptism pro eodē reputant: sicut Missa & celebratio Missæ: veluti qui domum fabricat, idem pretium pro domo & pro eius fabrica recipit. Nec potest duo recipere, alterum pro re, alterum

impugnatio serię cautelę

rum verò pro opere. ¶Cùm autem pro huiusmodi functionibus adstruitur nihil posse mercedis recipi, non negatur quin pro earum obligatione percipi possit. Quemadmodùm etsi pro mutuandi officio nihil pretij possis exigere, tamen pro mutuandi obligatione non est illicitum. Licet inquam sacerdoti dum ad seruicium paroeciæ conducitur, pro obligatione his aut illis diebus celebrandi, confessionibusque audiendis assistendi, de stipendio conuentum inire. Cui quidem assertioni astipulatur capitul. significatum. de præbendis.

Licet sacerdoti pro obligatione celebrandi pacisci de mercede.

¶Per hæc & de vasorum vsu atque de materia sacramentorum facilè vnusquisque iudicabit. Nefas enim esset pro vsu calicis aut corporalium illum qui cõsecrat aliquid deposcere præmij: nam vsus ille de intrinseca est ratione sacramenti conficiendi. Quanuis, vt diximus, possit vna ecclesia alteri calicem, sicut vendere, ita & locare. Nam locatio illa est accidentaria, longè antecedens ad sacramentum. Para modo si nullum esset oleum in vrbe posset vna ecclesia oleum consecratum tanti vendere quanti si non esset consecratum. Imò & chrisma posset vnus mercari in vno loco & vendere in alio. Nam omnes illi contractus similes sunt actionibus quas nuper diximus accidentariè antecedere ad sacramentum. Nisi hoc in iniuriã. & contemptum rei sacræ fieret: vt pote si cõsecratio ipsa venderetur. Attamen sicuti neque actio ipsa quæ est de essentia sacramenti, neque labor qui est illi annexus vendi potest, ita neque vsus materiæ sacramenti quæ ad substantiam eius attinet. Hoc est: Sicuti neque episcopus pro labore confirmandi neque sacerdos pro labore & opere vngendi infirmum, mercedẽ recipere potest: ita neuter pro vsu Chrismatis aut olei, quod illic consumitur, potest quicquam suscipere. Et quod de actionibus sacramẽtorum dictum est, id pariter & de sacramentalibus sentiẽdum. Nequit enim sacerdos pro exorcismis & catechismis, aut pro benedictionibus nubentium quicquam percipere præmij, loco mercedis. Ad canonẽ ergo vltimum. prima quæstione secunda respõdetur, quòd loquitur de stipendijs sustentationis: sicuti & verbum Christi. Quare quod ait Lucas, Dignus est operarius mercede sua: aut Matthæus, cibo suo.

¶Ex his denique colligitur quàm sit absurdus vsus quamque sacrilegè simoniacus pro ordinum exhibitione pecuniam aut munus aliquod exigere: qui quidem per titulares episcopos inuectus est: nam cùm proprij & legitimi, aut non sint residentes, aut celebrare ordines, quod pudendum est: non dignentur, titulares ad id munerisaccersunt, & quod absurdius est, non tam iustum eis stipendium pendunt vt possint illos ab omni exactione prohibere. Est ergo iniquum cogere illos qui ordinantur, vt non modò candelas, verùm & pecunias offerant. Imò verò arbitror neque pro literis testimonialibus quicquam posse exigi.

AD primum igitur capitale argumentum diuus Thomas sic respondet vt vniuersa perlustrans remedia, nunquam concedat licere mercedem pro actione sacramentali exhibere. Ait enim quòd si baptizandus nõdum est rationis vsum ingressus, & sacrilegus sacerdos nollit absque pretio baptismũ dispensare, perinde censendum est ac si nullus adesset sacerdos, atque adeò sicuti in casu extremæ necessitatis vbi quilibet est minister, à quocunque est citiùs tingendus, quàm sacerdotis sacrilegio assentiatur. Quãuis aqua, quæ elementum est, possit ab illo emi. Si autem sit adultus: neque vllus alius adsit à quo sacramentum suscipiat, potius est illi absque sacramento de vita migrandũ, quàm baptismum emat. Tunc enim baptisma flaminis satis ei erit ad salutem.

Ad primũ argumentũ Solutio. S. Thomæ.

¶At verò rem in extremas angustias non cogit. Faciamus enim nequam sacerdotem præsente paruulo, soloque parente, eodemque trunco & ad baptizandum inepto, suã exprimere corruptam mentem: videlicet ne quãquam sacramentum administrare velle nisi pretium sibi pro ipsa sacramentali functione pendatur: vtrùm fas tunc sit patri, tale illi porrigere pretium. Apparet enim ratio non infirma id persuadere. Vnicuique enim vt paulò antè dicebamus, licet suam vexationem redimere: ille autem parens qui liberi vicem gerit, ingẽtem patitur iniuriam, & grauiorem paruulus: quippe cui ius diuinum, naturaleque suffragantur & humanum, vt teneatur ille nequam sacrilegus ipsum baptizare: potest ergo pater illam pretio redimere vexationem. Exemplo nobis ille est qui ad vsuras tempore necessitatis petit: quod re vera citra culpam facere potest. Imò longè efficaciùs videtur huic patrocinari ratio. Nam cũ iura omnia ad animarum

Dubitatio.

marum salutem referantur, neque vllum aliud misero infanti remedium suppetat, potiùs est vexatio illa pretio repellenda, quàm infans à regno cœlorum in æternum repellatur. Cùm ergo dubitandi rationem hucusque diuus Thomas non perstrinxerit, restat nobis ad hoc respondere. Et quidem Paludanus in. 4. distinctio. 5. sacrilegium omninò reputat, etiam in tali casu pretio emere sacramentum ad redimẽdum vexationem. Et fortè id propter diuum Thomam adstruxit, qui in. 4. eâdem distinctio. quæstio. 2. probabiliùs id arbitratur. Quod & ante ipsum Alexandri fuerat opinio. 2. parte, quæstion. 189. membro tertio: & Richardi in. 4. distinct. 32. articul. 3. Et subdit Paludanus rationem. Nam redimere, inquit, vexationem, bifariàm vsu venire potest. Vno modo ab illo qui obesse potest & prodesse verò non item: altero verò ab illo qui obesse potest & prodesse. Et prioris, inquit, vexationis redẽptio licita est: posterioris verò nequâquam. Exempla eius sunt. Episcopus electus potest ab illis qui suam possessionem & confirmationem perturbant, vexationem redimere: non tamen à confirmatore. Et ratio diuersitatis est, quòd priori casu non venit in suspicionem quòd episcopatũ velit emere, cùm illi non possint dare. Posteriori verò eâdem suspicione respergitur. Et ideo cũ sacerdos prodesse baptizando possit, nequit ab illo, inquit, vexatio redimi. Lepidam autem glossam super cap. Baptizandis. 1. quæstione. 1. audi. Postquàm enim ait neutiquàm posse in tali casu pretium pro baptismo pendi, subdit: Ego tamen potiùs darem pecuniam quàm puerum sic dimitterẽ mori: & bene: licèt non deberem facere. Perpendesi non deberet, quomodò bene faceret. Igitur Panormitanus super cap. Cùm in ecclesiæ. extrà, de simonia. atque alij quos Richardus loco citato refert distinguentes inter infantem & adultum, probè concedunt debere eum qui paruuli curam gerit, vexationem pretio redimere propter extremam necessitatem: non tamen adulto qui per baptismum flaminis seruari potest. In quorũ sententiam Caietanus subscribit: idque, vt reor, meritò. Nam quòd paruulus extremam patiatur necessitatem, in dubium nemini venire debet. Etenim dicere quòd intentio volentis baptizare sufficiat paruulo, & quòd Deus vicem baptismi suppleat, non solùm temerarium est, nullaque ratione fultum: imò & peiori nomine dignum. Nam cùm nemo alteri mereri possit gratiam sine ipsius actu qui recepturus est, nulla intentio baptismi censetur baptismus flaminis, nisi solùm propria ipsius qui baptizari cupit: & lex est, sine baptismo aut sanguinis, aut flaminis, aut fluminis, saluum fieri neminem. Cùm ergo sacerdos in casu nostro tam stricto iure baptizare hunc paruulum teneatur, ac perinde paruulus tam insignẽ patiatur iniuriam, licitè illa vexatio pretio redimitur. Neque est simile de electo episcopo respectu confirmatoris: quia neque illi tanta ingruit necessitas vt confirmetur: neque alter simili iure confirmare cogitur. Quare tunc pater pueri pecuniam non eo pendit fine, vt beneficium sacramenti emat: sed vt iniuriam propulset. At verò quò res explicatiùs pateat, vrgentiùs arguitur. Sit ille vel sacerdos, vel alius quispiam infidelis, vsque adeò peruersus vt nolit anteà baptizare puerum quàm pater persanctè iuret pretium largiri, non ad redimendam vexationem, sed emendum sacramentum ipsum, & gratiam sacramentalem: vtrùm tunc liceat. Et apparet non esse licitum: nã tunc pretium conferens, idem videtur efficere quod Magus ille Simon tentauit. Caietanus hìc non videtur huc annuere vt liceret pro sacramento dare: & quæstione. 9. primi quotlibe. id apertiùs videtur denegare. Porrò cùm censeat tam intrinsecè malum esse rem spiritualem emere quàm vendere. At profectò ista iudicio meo non sibi inuicem cohærent: nam si sacramentum emere, esset perinde ac mentiri, intrinsecè malum, neque ad redimendam vexationem licitum fieret. Quoniam pretium ad redimendam vexationem est sacramentum emere, tanquàm medium ad propulsandam iniuriam: nam etsi suprema intentio in emptionem sacramenti non feratur, nihilo minùs illud accipitur tanquàm medium quod ad cauendam vexationem refertur. Veluti qui ad redimendam vexationem emeret fauorabilem sententiam iniqui iudicis. Et confirmatur hæc ratio: quoniam quantunuis ille me iurare cogat quòd pecuniam pro sacramento tribuo, nihilo minùs salua est mea suprema intentio quòd hoc facio ad redimendam vexationem: ob idque nulla subest in iuramento falsitas. Quapropter nisi mea me fallit inscitia, sententia hæc de redimenda vexatione non aliter defensari potest, quàm per

Paludani solutio.

Alex. Halẽ. Richardus.

Argumẽtũ

Caietanus

Argumẽtũ contra Caie.

Panormita.

Solutio propositæ dubitationis.

distinctionem emendi vendendique sacramentum. Itaque & si vendere sacramentum & rem quamcunque spiritualem sit penitus intrinsecè malum, adeò vt neque ad redimendam vexationem, neque vlla excogitabili causa fieri possit licitè: pretium tamen pro illo offerre dicendum est, non vsque adeò esse intrinsecè malum, quin extrema necessitas illud permittat. Cuius aliquale exemplum est in mutuatione sub fœnore, quæ intrinsecè mala est, & in receptione quã potest excusare necessitas. ¶Neque vllum potest contrà argumentũ peti à Simone Mago, qui de emptione gratiæ condẽnatur. Nam ille ideo emere voluit vt potestatem haberet reuendendi. Qua ratione fœdissimam gratiæ irrogauit iniuriã. Qui autẽ ratione modò dicta pretium pro sacramẽto offert, non ea intentione id facit, sed ex veneratione præcepti baptismi & summa æstimatione gratiæ sine qua credit neminẽ seruari posse. In summa, sicut dare pretiũ pro sacramẽto extra extremam necessitatem non liceret, sic extrema necessitas id efficit licitum. Hæc autẽ omnia eatenùs affirmauerim, quatenùs ille qui baptismum vendere pertenderit, id nè faciat in religionis contemptum. Nam si esset hæreticus aut tyrannus qui in religionis ludibrium simoniacam prauitatem persuadere vellet, illudque pretium tanquàm confessionem illius falsitatis exigeret, neutiquàm tunc liceret eidem pretio dato conniuere. Nam esset fidem diffiteri. Secùs si non illa ratione peteret, sed vel propter auaritiam, vel inducens, vt ipse arbitraretur alterum ad malum. ¶Per hæc de adulto facilè iudicium sumitur. Si enim arguas, adultum qui baptizari optat perinde habere ius, vt ab altero baptizetur atque paruulum, eandemque subinde iniuriam perpeti, atque adeò eandem redimere posse vexationem, negatur omninò esse simile. Quoniam in spiritualium simonia multò est adhibenda maior cautio quàm in temporalium vsura. In vsura nanque grauis necessitas à recipiendi culpa liberat. Sed tamẽ in spiritualibus propter eorum excellentiã sola extrema necessitas excusat, nè pretium offerens consentire in alterius simoniam videatur: atq; adeò nè efficiatur eius particeps: adultus verò non laborat necessitate extrema. Neq; verò vrget si redarguas forsan illũ non habere nisi attritionem, quæ per baptismum fieri posset contritio. Nã sua culpa est si dum videt alterũ nolle nisi sacrilegè baptizare, nõ se mente satis per Dei suppetias ad ipsum vertit. Caue tamẽ prudens, vlla te ex his quæ dicta sunt suspicio tangat, licêre cuipiam, quãuis dignissimo, ad suam redimendam vexationem, vel electoribus vel Antisti ti quidpiã tẽporale offerre vt eligatur: esset enim aperta simonia, vt infrà patebit. quæst. proxima. ¶Ad secundum argumentum bene sanctus Thom. respondet, sacerdotẽ pro Missæ sacrificio nõ pretium aut mercedem operæ suscipere: sanè quod simoniacũ esset: sed eleemosynã ad sustentationem. Ad illam nanq; superiùs præfixam distinctionem respiciendum est inter sustentationem & mercedem operis pro labore. ¶Sed nunquid fas erit de eleemosynæ quantitate ad sustentationem paciſci? Apparet enim non licêre. Quoniam suspicio inde suboriretur, sacerdotem pretio rem diuinam æstimare. Respõdetur, si rem nudè secundùm suam naturam expendamus, nõ videtur esse illicitum, quòd sacerdos nollet celebrare, nisi vbi victus suppeditaretur: idque ei explicaret, qui pro se petit rem fieri diuinam. Qua vtique ratione suprà concessimus posse sacerdotem duas pitantias pro vno faciendo sacro suscipere. Attamen de quantitate contendere vix citra scandalum fieri posset, propter rationem adductam. ¶Quapropter id supereſt in præsentiarum admonendum de vsu quodam inserpere incipiente, quod si antiquis patribus innotuisset, arbitror dehortarentur obnixè & execrarentur. Fertur nanque in nonnullis ecclesijs ab episcopis eleemosynam quæ pro vna Missa offerenda est, sic taxari, vt sacerdotes sub anathematis censura inhibeant nè minorem suscipiant. Quòd si quis in testamento eleemosynas pro certo Missarum numero legauerit, taxata pro singulis eleemosyna sub eâdem censura hæredes testamentorũq; executores cõpellunt, vt eandẽ augeant eleemosynam. Quod profectò nescio quomodò citra scandalum, citraque iuris violationem fieri queat. Fateor equidẽ posse debereq; episcopum plebem instantiùs admonere, vt pro sua quisque facultate, proque temporum ratione eleemosynam Missæ augeret quò se sacerdos sustentare valeret. Sed tamen lege & plebem perstringere, & plebanos arcêre nè minori pretio celebrare possint, è diametro rationi eleemosynæ aduersatur, quæ libera esse debet, & imaginem induit

Solutio autoris. *Ad argumentum factum.* *Limitatio solutionis proximæ.* *Argumentum alterũ.* *Solutio.* *Replica.* *Solutio.* *Ad secundum principale.* *Scrupulus.* *Responsio.*

pretij

pretij mercedisque pro sacrificij celebratione. Nota verbum sancti Thomæ in præsenti quæstio. articul. 3. inter soluendum secundum argumentum: Illicita enim, inquit, esset ordinatio. Quòd si redarguas, Antistitem posse sustentationis stipendium taxare: Distinguitur. Etenim quòd id possit pro obligatione qua se sacerdos stringit ad capellaniam, & ad seruitium in tempus, vel in perpetuum, fateor: sed tamen taxare pro singulari Missa, quæ non est obligatio, sed simplex actio: Do vt celebres: id que sub tali censura, nè minus dari aut recipi possit: profectò ius non video sed scandalum. *Ad tertiũ.* Ad tertium respondetur quòd in absolutione ab excommunicatione pecunia non penditur in pretium rei sacræ, sed in pœnam delicti. *Ad quartũ* ¶ Ad quartum respõdetur quòd vbi prisca inoleuit consuetudo, vt pro eiusmodi actibus hierarchicis aliquid retribuatur: credendum est illud ceu sustentationis stipendium fuisse introductum. Qua ideo ratione illud nefas non esset percipere. Vbi autem id quasi actionis pretium soluitur, nulla consuetudine fit licitum: vt habetur cap. Cùm in ecclesiæ. de simonia. vbi pro vniuersis huiusmodi actionibus prohibetur quicquam percipi. Nam cùm simonia vitium sit contra naturam, nulla in contrarium vim habet consuetudo. Quare huiusmodi moribus attentè cauenda est species mali: secundum verbum Apostoli 1. ad Thessalonicens. 2. Ab omni specie mala abstinete vos. *Ad quintũ* ¶ Ad quintum respondet diuus Thomas, antequàm quippiam iuris ad episcopatum, vel ad aliud quoduis sacerdotium, vel dignitatem per electionem vel prouisionem acquiratur, simoniacum esse crimen aduersantiũ obstacula pecunia propellere. Sic enim viam sibi homo sterneret ad rem spiritualẽ mercandam. Sed postquàm ius alicui acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta remouere: nempe si aliqui obstarent nè electus confirmatorem adiret, aut in possessionem admitteretur. Priorem autem partem sic intelligito, vt quemadmodùm libro quarto de impediente ab assecutione beneficij dicebamus, illos excipias qui vim inferunt. Si enim quis etiam ante electionem nè dignitatem peteres te in carcerem obtruderet, aut electorum quemlibet nè te eligeret, porrò pecunia illam redimere posses iniuriam. Secùs si per ambitum & palpationem, & quam subornationem diuinit, te procuraret excludere. Neque verò, vt suprà diximus, confirmatorem qui te cõfirmare renueret pecunia emollire possis: ob id, vt suprà diceb: mus, quòd non solùm potest obesse, verùm & prodesse. Quapropter largitio illa, emptionis specimen exhiberet. Quod in alio qui te impediebat non reperitur. Et forsan neque ab illo qui te in possessionem missurus est, vexationem redimere licet: nam possessio aliquid est spirituale, quod tu mercari videris. Quanuis de possione non sit res adeò certa, ac de confirmatione. ¶ Circa hæc autem insurgit *Dubitatio.* non subticendum dubium: Vtrùm ad cauendam iniquam electionem, quæ ecclesiæ nocua est & pernicioſa, liceat pecuniam offerre. Caietanus in illa nona quæstio. primi quotlibeti asserere non formidat, in electione Pontificis maximi, si liquidò constiterit electionem in indignum inclinare, & ecclesiæ pestilentem, licère oblato pretio eiusmodi electionem cauere: hoc enim esset ecclesiæ vexationem redimere. Sed tamen ad eligendum, inquit, bonum, id non licet. Et quidem vsque adeò in priorem sententiæ partem arbitror consentiendum, vt etiam posteriorem crediderim esse temperandam. Enimuerò tanta pernicies est, & atrox ecclesiæ deuexatio si non eligatur dignus, ac si eligatur indignus: quoniam inter hæc non est medium. Quocirca vbi duo essent tantùm inter quos nutaret electio, quorum vnus esset dignus & alter indignus, vt liceret pretio indignum repellere, liceret profectò electionem ad dignum inflectere: quia repulsio vnius, esset alterius electio. Arbitror enim, vt suprà dicebam, quòd licet huiusmodi spiritualia vendere omninò sit intimè malum, redimere tamen non vsque adeò, quin extrema necessitas licitum id possit facere. Quapropter vbi multi essent digni, neutiquàm liceret pretio ambire vnius electionem. Imò quanuis alij essent alijs digniores, non liceret id in fauorem digniſsimi facere: quoniam vbi dignus speratur eligendus, non ingruit extrema necessitas eligendi alium, quæ sola huiusmodi lagitionibus simoniam abstergit. ¶ Ad sextum denique respondendo reprehendit diuus Thomas quosdã, qui pro matrimonio affirmant licère pecuniam recipere, ac si non esset sacramentũ, gratiæ collatiuum. Et fuit opinio Bernardi in Apparatu, super cap. Cùm in ecclesiæ. de simonia. vbi ait quòd quan-

Caietani assertio.

Licet pecunia redimere vexationẽ ab eo qui per vim electionem studet impedire.

quàm pro benedictionibus nubentium pecuniam recipere non liceat, tamen pro matrimonio non est illicitum: eò quòd etsi sacramentum sit, gratiam tamen non confert. In cuius opinionis suspicionem venit apud quosdam Magister Sententiarum: propterea quòd in. 4. distinction. 26. non explicat idem sacramentum aliter quàm in remedium esse institutum. Sed neque Durandus super eandem distinct. eidem opinioni conniuere est veritus. Est tamen error plus quàm falsus: vt inibi Doctores ferè concludunt: Dotalis ergo pecunia vxoris, pro matrimonio confertur, non quatenùs sacramentum est, instrumentalisque adeò gratiæ causa: sed quatenùs est officium naturæ, cuius vtique onera sine sumptibus fieri nequeunt.

Magister sententiarū

Durandus.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm pro spiritualibus actionibus dare accipereque pecuniam sit licitum.

CONSEQVENTER de alio spiritualium ordine arguitur: nempe q̃ pro actionibus spiritualibus fas sit pecuniam tum dare tum etiam accipere. Vsus enim prophetiæ est actus spiritualis: pro quo tamen quondam aliquid offerebatur: vt. 1. Regum. 9. de Saúle legitur: &. 3. Regum. 13. de Iosia: ergo non est illicitum. ¶Secundò: Oratio, prædicatio, atque adeò diuinæ laudes actiones sunt inter spirituales præcipuæ: sed ad impetrandum orationis suffragia licet munerum beneuolentia viros iustos, præsertim egenos conciliare: iuxta illud Lucæ. 16. Facite vobis amicos de mammôna iniquitatis. Mox, & verbi ministris: puta prædicatoribus spiritualia seminantibus, temporalia: secundùm Apostoli constitutionem. 1. ad Corinthios. 9. debentur. Deinde & diuinas celebrantibus Laudes, & Psalmos, & ecclesiastico ritu processiones & mortuorum exequias, aliaque id genus facientibus, sua quoque stipendia decernuntur: & nonnunquàm annui reditus: nulla ergo iniquitas est pro eiusmodi spiritualibus actionibus stata percipere præmia. ¶Tertiò. Scientia est res quædam spiritualis, cùm sit ad docendum facultas: sicuti prælati potestas ad corripiendum, suũq; dispensandi munus: tamen pro vsu scientiæ mercedem suscipere, nihil habet absurdi: licet enim & Doctori, & Aduocato, & Medico suas pretio locare & vendere operas: ergo pariter prælatus pro sua spirituali functione recipere potest pretium. ¶Quartò denique arguitur. Religio status est spiritualis perfectionis: & tamen solent in monasterijs, præsertim sanctimonialium, non aliter ad religionem virgines admitti quàm si dotes secum afferant: ergo licitum est pro huiusmodi actibus rem aliquã tum tribuere, tum etiam accipere. ¶Contrarius autem extat canon, Concilij Toletani vndecimi. 1. quæst. 1. cuius initium est: Quidquid inuisibilis gratiæ consolationi tribuitur, nunquàm quæstibus vel quibuslibet præmijs vænundari debet: dicente Domino: Quod gratis accepistis, gratis date. hæc autem spiritualia quæ recensita sunt, per inuisibilem gratiam tribuuntur: ergo nefas est pretio illa dispensare.

Primum argumentum

Secundum

Tertium.

Quartum.

Concilium Toletanum.

POst sacramenta quibus gratia gratum faciens cõfertur alium spiritualitatis gradum obtinent (vt suprà diximus) actiones illæ quę ad gratias gratis datas spectant: quæ videlicet vel ex eâdem gratificante gratia procedunt, vel ad illam adipiscendam animum præparant. De quibus ideo eisdem duabus conclusionibus, quibus de sacramentis, respondetur. Prior est: Non modò licet, verùm necessarium est eos qui huiusmodi actionibus spiritualia charismata administrant, à populo sustentari. Hæc iam suprà satis superque demonstrata est: tum naturali ratione, tum etiam & Paulino testimonio. 1. ad Corinthios. 9. vbi ait: Quis militat suis stipendijs vnquàm & de lacte gregis non manducat? ¶Posterior. Vendere aut emere id quod in huiusmodi actibus spirituale est, sacrilegium simoniacum existit. Hoc palàm est: neque alia post superiorum intelligentiam probatione indiget. In his ergo ait Diuus Thomas primùm omnium cauendum esse nè intentio emptionis aut venditionis spiritualium animum occupet: cuius tunc maximè indicium prodiret si vsque adeò exigeretur prę-mium, vt offerre nolentibus spiritualia ipsa munera subtraherentur, quæ exhibenda essent. At verò postquàm gratis priùs exhibentur, licitè, inquit, possunt statutæ consue-

Prima conclusio.

Paulus.

Postrema cõclusio.

consuetæque oblationes à nolentibus & valentibus soluere, authoritate superioris exigi. ¶Circa conclusiones istas aliquantulo maior sese offert dubitandi ratio, an pro laboribus huiusmodi muneribus annexis liceat aliquid pretij recipere, quàm pro administrationibus sacramentorum: nam in istis videntur labores & operæ quodammodò esse distinctæ ab spiritualibus: vtpote canta re, siue vocibus, siue organis, aut alijs instrumentis: ire professionaliter ad deducēdum funus: aliasque illic celebrare exequias quæ simpliciter ad sepulturam non sunt necessariæ. Item studere ad prædicandum, ad consulendum, ad visitandum subditos, cognoscendasque eorum causas: qui quidem omnes labores videntur posse mercede locari. Quapropter authores offendas complures concedentes pro eiusmodi laboribus posse pretium recipi, quantum est ex natura rei: nisi quia exteriùs præ se ferunt effigiem mali. Attamen opinio hæc non est satis circunspecta. Nam pacta in istis non sunt solùm mala: quia ab ecclesia prohibita: sed quia sunt ex natura sua mala, ideo prohibita.

Dubiū grave.

Ratio dubitandi.

¶Igitur primùm omnium suppositā illa tri fida distinctione superiori, quæ inter pretium spiritualium, quod neutiquàm licet, sustentationemque sacerdotum & operarum mercedem posita est: notandum restat discrimen inter administrationem sacramentorum, & alias spirituales actiones: nempè quòd in sacramentali functione neutiquàm carere posset specie simoniæ, alia soluenda iura, & oblationes instituere præter decimas vel illos reditus qui ad sustentationem instituti sunt: pro alijs verò actionibus secundi ordinis solent alia institui, mercedis formam habentia: vt pro exequijs mortuorum, pro cantoribus: quin etiam pro prædicatoribus, pro processionibus, atque id genus alijs. Et ratio discriminis est, quòd eiusmodi actiones non sunt tam necessariò annexæ spiritualibus: haud enim tanta funeris pompa ad sepulturam est necessaria: neque cantores musici ad rem celebrandam diuinam. In huiusmodi ergo actionibus, quibus misceri assolet temporale quidpiam, discerniculo opùs est. Nam quando temporale illud non est ad spirituale necessarium, nulla interuenit simoniæ species si pro mercede ex pacto fiat. Quare cātores & organorum musici absq; scrupulo possunt suas locare operas. Est enim officium illud spiritualibus accessorium. Atque huic membro Caietanus, & nonnulli alij adiungunt aduocatorum doctorumque operas: de quibus tamen illicò nos in solutione tertij. Quando verò id quod principaliter quæritur est spirituale, non licet pro illo quicquam, mercedis loco percipere: vt pro Psalmis ipsis diuinis, pro necessarijs orationibus, & pro mortuorum necessarijs exequijs. ¶Sed tamen hæc ad medendum ignorantium conscientijs ad normam conclusionum suprà positarum expendenda sunt. Diximus enim secundū diuum Thomam quòd oblationes dictis actionibus cōstitutas nō licet eo rigore exigere vt non soluentibus spiritualia subtrahantur, quæ exhibenda sunt. Exempli gratia: si Plebanus nollet mortuum sepelire nisi iura sibi consueta priùs pēderentur: quia sepultura necessaria est, scandalum daret, speciemque simoniæ præ se ferret. Si autem illi qui funus curant volunt cum magna pōpa suum humare mortuum, non tenetur pastor gratis illud exequi: & ideo licitè potest consueta iura exigere. Sed tamen quia & hæc ordinem etiam spiritualium suo modo attingunt, cauendum est scandalum: saltem antequàm sepulturæ officium persoluatur: vt hic admonet diuus Thomas.

Discrimen inter administrationē sacramentorū & alias spirituales actiones.

Solutio proximæ dubitationis.

¶Hic autem admonendum meritò duximus quàm sint scandalosæ ac sacrilegæ extorsiones clericorum aduersus monachorum iura, Christianorumque libertatem. Reperies enim diœceses vbi clerici nolunt eum qui in monasterio sepulchrum optauit, cum pompa illuc ducere: adeò vt nonnunquàm neque crucem importent, neque Psalmos canere velint: quod profectò religio Christiana abhorret. Nā cùm vnicuiq; liberum sit sepulchrum pro sua deuotione vbi maluerit eligere, non sunt defunctorum voluntates per illas extorsiones cohibendę.

Clericorum sacrilegæ extorsiones.

¶Postremum hic dubium restat triuiale de canonicis atque alijs clericis qui ad horas canonicas in ecclesiam non nisi stipendij gratia concurrunt, vtrùm simoniæ vitium contrahant. ¶Ad hoc diuus Thomas quolib. 8. quæstione sexta seu articulo vndecimo respondet: quòd si stipendium sit finis intentionis celebrandi diuinum officium, simonia committitur: quoniam tūc stipendium habet rationem pretij, quo non est licitum vendere rem spiritualem, quale est diuinum officium. Si autem principa-

Postremum dubium.

Solutio S. Thomæ.

dis intentio non sit nisi diuinus cultus: tēporalis verò fructus sit accessorius, tāquam ad sustentationem necessarius: nō est simonia. ¶Hæc autem solutio nisi sanè intelligatur, scrupulis punget humanas conscientias. Videtur enim hic diuus Thomas, vt simoniacos condemnare quotquot ad ecclesiam ire pergunt, intuitu numulariæ distributionis, aliâs nequâquam ituri: quod profectò durū est creditu. Itē, vt suprà de receptione puellarum ad velum moniale arguebamus, necessitas rei familiaris impertinens est, vt quod alioqui simonia non esset, eodem notetur vitio. Nam simonia in hoc prorsus cōsistit vt spirituale vendatur. siue à paupere siue à diuite. Quare idem propositum quod locupletem faceret simoniacum, faceret & inopē, q̄ excusaret locupletem: saltē à simonia: quicquid sit de auaritia. ¶Resolutio ergo est quòd ire ad ecclesiam tempore quo clericus aliâs non tenetur, tātùm distributionū causa: ita vt aliâs non iret, non est vera simonia, nisi intenderet pro re spirituali pretium recipere modo suprà exposito. Peccaret ille clericus nihilo minùs grauiter contra suum ordinem & institutionem qui nunquā vel rarò ecclesiā viseret nisi illa de causa, & qui in genere non haberet præcipuū propositū frequentandi ecclesiā propter diuinū cultū, cuius solius gratia præbendarum iura instituta sunt. Imò verò qui cultum ad temporalem mercedem tanquā ad finem referret, puersam sacrilegamq; haberet intentionem contra legitimum rerum ordinem, qui est vt beneficium sit propter officium.

Solutio authoris.

AD primum igitur respondetur q̄ quēadmodū nos pro rebus sacris, ita prisci solebant bonis Prophetis spontanea munera offerre, vt Hierony. super Micheā adnotauit: sicuti & de Damiano eius tradit historia: qui pro dono sanitatis vltronea munuscula penè inuitus accepit. Petere autem nefas est: vt patet de Giezi quem Eliseus depostulato à Naama pretio pro dono sanitatis acriter obiurgauit. ¶Secundùm argumentum triforme erat. Ad cuius primū membrum de eleemosynis quæ pauperibus pro eorum suffragijs precationumque subsidijs erogantur. Respondetur non esse licitas in pretium eiusmodi subsidij: quod re vera spirituale est: sed donantur in ipsorum pauperū alimoniam: Vtrùm verò tertio modo quasi pro locatis operis ad orandū liceat de mercede pacisci aliquis forsan hæsitaret: quādoquidem cantoribus musicis id liceat. At verò hoc affirmare non auderem. Est enim di scriminis multum. Quoniā musica (vt dixi mus) non est ad sacrorum celebrationē necessaria. In oratione verò non distinguntur labor & opera ad ipso spirituali munere. Imò labor est ipsissimū spirituale officium. De prædicationibus autem in dubium euocari nō debet vtrum possint pretiū pro functione ipsa recipere: esset enim aperta simonia: vt de oratione modò dicebamus. Neq; est simile de scientia. quæ vendi potest: nam in scientia etiam Theologiæ, humanitus ac quisita, nō æstimatur nisi merum subsidiū temporale: puta intellectum dirigere, instituere, & illustrare. Munus autē prædicationis est non solum intellectū illuminare: sed id facere secundùm donum Spiritus sancti, atq; adeò secundùm eius gratiam expurgare corda, animosq; sursum prouehere, diuinoq; amore consolidare & perficere. De quibus ideo Doctoribus intelligit verbū illud apostolicum ad Ephe. 4. Et ipse dedit quosdam Apostolos, alios pastores & doctores, ad consummationem sanctorū in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Et ad Romanos decimo. Quomodo prædicabunt nisi mittant. Itaq; ex duplici capite nequit prædicationis functio pretio vendi: scilicet & quia spiritualis res est, & quia diuina delegatio: quod ideo officium illorū spiritualiū numero comprehenditur, de qui bus ait Christus: Gratis accepistis, gratis date. Vnde glossa super illud ad Timo. 5. Qui bene præsunt presbyteri &c. Necessitatis est accipere vnde viuitur, charitatis est præbere, non tñ vænale est euangeliū vt pro his p̄dicetur. Quocircà, vt de oratiōe nuperrimè dicebamus, non potest concionator laborē ipsum prædicādi & operā quā insumit proferēdo verbū mercede locare: quoniā labor ipse res spūalis est. Solū ergo potest honestā sustentationem recipere, & victu qui ad laborem studij sustentandum necessari⁹ est & pro librorum sumptu. Neque verò simoniacam labem contrahit si quando prędicatio nō est prorsus necessaria, mauult verbū seminare vbi meliùs sustententur. Imò & si illic concionari renuat vbi victū sibi nō sperat suppeditandum, culpam nō committit, Est tamen semper cauendū scandalum, idq;

Ad primū argumētū.

Ad secundum.

Prædicationis functio ex duplici capite nequit pretio vendi.

potissi-

potissimùm monachis. ¶Tertium demum membrum erat de laudibus diuinorũ officiorum,tam pro viuis quàm pro defunctis: de quo satis dictum est.Pretium nanq; nunquam est licitum,sed sustentationis stipendia:atq; alia præterea iura (vt explicuimus) quasi mercedem operarum,quæ non sunt omninò necessariæ,sed ad pompam pertinentes. Sed & verbum nihilo minùs Diui Thomæ notandum est:scilicet quòd non licet pactum facere,neq; mentem habere recipiendi pretiũ emptionis.Vnde illicita esset,inquit,negatoria illa lèx,quòd processio in funere nullatenùs sine certo pretio fieret quippe qua via præcluderet nè gratis eiusmodi pompa fieret.Atq; adeò specimen haberet exactionis,quod quidem,vt diximus, multò esset absurdi⁹ in celebratione Missarum.Non tamen haberet eãdem absurditatem affirmatoria conditionalisq; lex. Vt si quis talem obtulerit eleemosynam, talis ei pompa,quę non est necessaria,exhibeatur. Haberet quippe eiusmodi lex speciem gratuitæ retributionis. *Ad tertiũ argumẽtũ.* ¶Ad tertium argumentum,quia prælatorum hierarchicas functiones cum doctorum scientia & aduocatorũ consilijs conferebat:per distinctionẽ reponderetur,quandoquidem diuersa est ratio.Antistites nanq; cæteriq; ecclesiastici præfecti, virtute potestatis sibi commissæ, rationeq; stipendij ad ipsorum sustentationem cõstituti,obligantur suas administrare prouincias.Quocircà qui pro vsu eiusdem potestatis aliquid vltrà reciperent,nõ tam pro operis quas gratis debent,id intelligerẽtur suscipere,quàm vendere vsum spiritualis gratię. Vnde colligit Diuus Thomas pro nulla dispensatione licitum eis esse quidpiam accipere:neq; pro hoc quòd vices suas committant,neq; pro correctione,aut pro eo quòd non corrigant.Nomine autem dispensationis,nõ solùm legis relaxationem intelligas vt vulgo verbum sonat,sed omnem etiam spiritualem administrationem.Pretium ergo recipere vt cum aliquo subdito dispensetur in lege manifestaria simonia est: nam pro causa dispensare,ad spiritualem gubernationem attinet:quæ per gratiam fit Spiritus sancti.Est enim pastoris officium,de quibus ait Paulus:Alios autem cõstituit pastores:& ideo gratis fieri debet,sicuti correctio & eruditio.Si autem absq; causa fit, iniqua est,atque eo longè deterior quòd pretio vẽditur.Neq; verò vllus est pastorũ tam mentisinops:à minimo vsq; ad maximum, qui hoc non intelligat.Sed exactiones illas quę in dispensationibus fiũt:nescio quo alio fuco incrustant.Appellant enim compositiones,& quasi commutationes legis:vt qui à legis vel voti onere excipitur,alterũ subeat: ipsi viderint.At verò pretio cũ subdito pacisci vt non corripiatur,magis esset nefandũ facinus,puta cùm licentia illi fieret impunè delinquendi. *D. Thomas* ¶Addit autem Diuus Thom. licêre prælatis dum subditos visitant, statas procurationes percipere.Non quidem tanquàm correctionis pretio,quę proculdubio spiritualis res est,sed quasi debitum stipendium.In quo quidem verbo duo ipse mihi obseruo.Prius,quòd re vera visitationũ stipendia ob id censentur licita quòd prælati per se ipsos visitare deberent greges suos,vt vultum pecoris agnoscere possent,&vocem audire:secundùm verbum Christi:Ego sum Pastor bonus,& cognosco oues meas,& cognoscunt me meæ:nã alios mittere qui duntaxat mercedem corradant,nulla erat mercede dignum.Posterius quod hic obseruauerim,est,quòd cùm eiusmodi stipendia sustentionis gratia fuerint constituta,illic præcisè videntur purissima conscientia exigi posse,vbi episcopatus nõ sint nimium pingues,nam vbi decimæ abundant, profectò non est vsque adeò tutum. *Visitationũ stipẽdia tũc licitè percipiunt cum prælati p se ipsos visitãt & aliunde nõ habẽt cõgruã sustentationem.* ¶Ad secundùm membrum argumenti quod ad scientiã pertinebat,bimembre D.Tho.responsum reddit. *D. Thomas* Qui enim,inquit,officium non suscepit ratione cuius sibi incumbat alios docere,licitè potest pretium suæ doctrinæ percipere, non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans.Cui autem ex officio illud incumberet,si aliquid pretij reciperet,intelligeretur inquit veritatem vendere:& ideo grauiter peccaret. ¶Locus hic D.Thomæ contra nos stare cuipiam forsa videbitur,qui quæstione præcedenti cõtra quam multi censent,monstrare nitebamur licitè posse scientias,artesq; acquisitas pretio doceri.Ait si quidem non licêre ei recipere pretium pro veritate aut scientia,sed quasi operas suas locans.At verò potiùs nobis fauet,tantum abest vt sit contrarius.In primis eñ veritatis doctrinam non omninò cẽset spirituale,aliâs neq; operas locare liceret: vt de sacramẽtis,& prædicationibus,& orationibus,dictum est:sed tantùm sustentationem recipere.Et tamẽ doctori etiam ditissimo licet operas ad iustũ locare. Atqui vbi *Explanat mens.Sanc. Tho.*

scientia est excellentior: & qui docet peritior & luculẽtior:cariùsea sdẽ estimare.Item etsi pro veritate dicenda nihil pretij liceat recipere (vt li.5.quæstio.8.de teste dixim⁹) eò quòd cùm mentiri nefas sit, nemini licet nisi verum fari aut docere.Tamen pro eâdem veritate ex suis principijs eruenda,ac subinde differenda,elucidanda, prælegendaq; & relegenda,nõ dubium quin liceat pretium recipere.Quin etiam(vt suprà diximus)etiã si sine vllo labore id fieri posset,liceret illud vendere.Sicuti si quis alium doceret scribere aut pingere:quia illud non est spirituale de quo loquimur,scilicet quod gratis accepimus,vt gratis demus:sed tm̃ ratione subiecti.Imò verò neque Theologia sic est spiritualis:quoniam etsi scripturarum fides donum sit gratis datum,atque etiam scientia Apostolis ad prædicandum infusa, quam ideo vendere illis nefas fuisset: tamen illam quam in scholis discimus,humanitùs acquirimus.Idem & de aduocatorum cõsilio censendum:vbi certè nihil spiritualitatis vitiatur,etiã si ditissimus pretio illud perhibeat in causis agendis.Imò quanuis pauperibus pretium extorqueat,nullam cõmittit simoniam,tametsi præceptum misericordiæ violet.Secùs de correctione fraterna & consilio ad leuandum mœrorem afflicti hominis:talia enim officia,porro quę per se ad salutem animi referũtur,spiritualia quidem sunt, & ideo gratis impendenda. ¶Secundum item verbum D.Thomæ,scilicet quòd qui ex officio docere tenetur,non potest pretium re-

Hostiensis. cipere:Hostien.super cap. Quia nonnullis, de magist.eosq; protendit,vt sentiat nemini qui publico stipẽdio prælegit fas esse peculiarem aliam mercedem exigere: hoc autẽ gratis dictũ est.Nihil enim vetat quo minùs qui non tenetur nisi vnam facere lectionem,pro alia pretiũ recipiat.Sed quod Diuus Thomas ait,exemplo ipse protinus pãdit secundum tenorem dicti cap.quia nonnullis,nempè quòd vbi ecclesia habet canonicatum aut certum stipendium decretum pro cathedra,ille qui illam regit, gratis docere obligetur pauperes.Neq; tamen cõtrà faciẽs:vlla ideò simoniæ labe denotatur, sed qui pro facultate quam facit doctori ad legendum pretium exigit, à beneficio Ecclesiastico iubetur esse alienus. ¶Ad quartum argumentum.de religionis ingressu,triperti-

Ad quartũ argumentũ ta est responsio.Primùm enim constitutisimũ est, pro ingressu,hoc est pro professione,neutquam fas esse pretium aut exigere, aut offerre,porrò quòd religionis cultus ressit spiritualis,ad quam ideo prælatus volentes gratis gratanterq; recipere debet:vtpote quod illud sit institutum beneficium diuinũ.Textus enim extant in cano.Quàm pio 1.q.2.& in cap.de regularibus,& capit.quoniã de simonia,id declarantes.Itaq; spiritualitas per quam in ingressu religionis attenditur simonia, non est inde perpendenda quod religiosi aliqui ex decimis viuãt & bonis ecclesiasticis:possunt enim decimæ titulis sæcularibus applicari, puta regibus, aut ducibus,ad propugnandam ecclesiam: præterquàm quòd sunt religiosi nullis talibus fruentes decimis aut spiritualibus oblationibus.Sed ratio spiritualitatis in hoc consistit,quòd professio ipsa & religio institutio Christi est,vt volentes eum sequi gratis admittantur ¶Secundum assertum est, quòd vbi monasterium est tenue,nec ad tantum numerum nutriendum sufficiens, nulla est simonia aliquid pro victu & vestitu recipere.Exemplum qualecũq; possumus in matrimonio ponere. Pro illo nanq; quatenùs est sacramentum,nil potest vir ab vxore recipere:potest tm̃ id admittere ad sustinenda eius onera. Ex hoc tertio fit consequens, neque esse simoniam si illa inter moniales libentiùs suscipiatur,quæ ex sua deuotione largas eleemosynas monasterio fuerit elargita.Sicut & econuersò licitum est monialibus tẽporalia impendendo beneficia: sæculares ad deuotionẽ allicere,vt sanctimonialẽ habitum induant. Tametsi non possint *primũ dubium.* pretium dare vt tale capessant religionis institutum. ¶Circa secundam conclusionem dubia exurgunt exigua.Primũ,vtrùm quãdo monasterium est locuples vt possit psonas quæ recipiuntur alere, simoniacum sit *Argumẽtũ* pretium exigere. Extat enim à parte affirmatiua argumentum,quòd cùm non alia ratione eiusmodi exactio iusta sit quàm ppter monialium alimentum,vbi illud aliũde suppetit, apparet pretium pro ingressu religionis exigi. Quod quidem argumentũ doctores ferè canonici iuris, vt est videre *solutio.* apud Syluestrum,verbo,simonia.§.15.in eãdem affirmatiuam sententiam cogit.Respõdetur nihilo minùs,opulentiam monasterij nihil prorsus facere,vt quę in paupere non erat simonia,sit in diuite.Et ratio est patentissima:nã simonia ex obiecto speciem sortitur:nempe quia spirituale venditur, puta

professio

professio ipsa & locus in religione. Si autem illud cauetur, & pecunia non nisi pro victu recipitur, etiam si monasteriũ illo subsidio nullatenùs egeat, poterit quidem esse peccatum auaritiæ, non tamen simoniæ. Sed hoc tantùm fatendum est, quòd tunc præsumitur simonia: nam si victus est abundans, præsumitur pecuniã recipi pro ingressu, vt probè illic conuincit Syluest. ¶ Quocircà monasteria ditissima quæ pauperes recipere absq; pretio renuunt eodemque ingenti, profectò citra scandalum facere id non possunt: tunc maximè quando videntur pecuniam recipere, non pro sustentatione, sed alijs de causis: nempè quia puella non est tam bono sanguine orta, aut alia notata infamia aut deformitate. Hæc enim pretio in conuentu æstimare, vix à simoniæ macula elui potest: atq; hoc demum, si conuentus vt suam amplitudinem & magnificentiam clariorem reddat auctiora exigunt pretia.

QVAESTIO PRIMA, De Simonia, in sacerdotijs ac dignitatibus conquirendis.

Sanct. Tho. 2. 2. q. 100. articu. 4.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm pro sacerdotijs atque alijs præbendis quæ spiritualibus sunt annexa, liceat pretium percipere.

POSTQVAM de rebus spiritualib⁹, puta de sacramẽtis deq; alijs spiritualibus actionibus disputatũ est subsequitur vt ratione simoniæ circa sacerdotia, præbẽdas q; ac dignitates, quæ eisdẽ functionibus mãcipãtur, examinemus. Apparet enim istorũ mercatũ, nulla sordescere simoniæ macula: quoniã si hæc emere aut vendere simoniacũ esset, eò vel maximè quòd sunt spiritualibus actionibus coniuncta: sed hac ratione nullã rem temporalem liceret vendere: quia cùm omnia temporalia mũdi fuerint propter spiritualia condita, cũcta cẽsentur spiritualibus annexa. ¶ Secundò: sacrorum vasa sacratæque vestes, inter ea quæ spiritualibus connectuntur, connumerantur: calicem autem ad occurrendum Ecclesiæ necessitati vendere licet & sacras vestes: ergo liceret etiam Pontifici Maximo, vbi Ecclesia graui premitur necessitate, episcopatum aut quoduis aliud sacerdotium pretio conferre: dummodò conferretur digno. ¶ Tertio arguitur: Inter spiritualibus annexa asscribuntur ius sepulturæ, ius patronatus, & secundùm antiquos ius etiam primogenituræ. Eô quòd tunc ius sacerdotale erat illi coniunctum. Sed Abraham emit ab Ephron speluncam duplicem in sepulturam, vt Genes. 23. memoriæ proditum est: & Iacob à fratre suo misera lenticula ius emit primogenituræ, vt eodem libro cap. 25. legitur. Ius præterea patronatus transit cum re vendita, & in feudum conceditur. Item decimæ quibusdam sunt regibus ac militibus concessæ, à quibus rursum & redimi possunt. Deinde & prælati prebendarum fructus quos alijs conferunt, in tempus retinent: vt Papa medietatem annatis: etiam si præbendæ spiritualibus sint annexæ: ergo sacerdotiorum mercatus in vitium simoniæ minimè impingit'. ¶ In contrarium autem facit canon Paschalis Pontificis summi. 2. quæstione tertia, cap. si quis obiecerit. Cuius verba sunt: Quisquis eorum vendiderit alterum sine quo neque alterum prouenit, neutrum inuẽditum derelinquit.

Nullus ergo emat Ecclesiam, vel præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum: vt p>te sine quo spiritualis actio non prouenit. Hæc ibi.

Primum argumẽtũ.

Argumẽ. 2.

Argum. 3.

AD quæstionem supposita distinctione duabus conclusionibus respondetur. Bifariàm enim accidit temporale quidpiã spiritualibus esse annexũ. Vno quidẽ modo, tanquam id quod ab spirituali dependet: sicuti sacerdotia habere Ecclesiastica, quod cum clericali officio cõiunctum est: de quo vtiq; annexionis genere, statuitur prior cõclusio. Neutiquam id quod hoc pacto spiritualibus annectitur, est pretio vẽdibile. Imò eiusmodi venditio esset simoniaca. Et ratio est clara iuxta tenorẽ citati canonis. Nam cùm eiusmodi temporale sine spirituali nõ transeat, dum illud venditur, spirituale coniunctim venditur. ¶ Alio verò modò id quod temporale est, spiritualibus est coniunctum, in quantum ad huiusmodi spiritualia ordinem

Distinctio.

Prima conclusio.

nem habent: cuiusmodi est ius patronatus: vt pote cuius munus est clericos ad Ecclesiastica sacerdotia præsentare. Et vasa vestimẽta quæ sacrorum vsui destinata: de quibus posterior adhibetur conclusio. Illa quæ hoc pacto ad spiritualia referuntur, nulla est simonia vendere: dummodò non quatenùs sacræ sunt vendantur, sed quatenùs res quædam. Probatur cõtrario modo: nam cùm temporalia hæc nihil spirituale præsupponant, trãsire in alterius dominium possunt, qui nihil habeat spiritualitatis: vt si quis sæcularium villam emat cui ius patronatus annexũ est. Et si calix in massam argenti refundatur, & formam perdat, potest in alterius trãsire dominium, qui ex eãdem massa potest profanum vas fabrefacere. ¶ Circa priorem conclusionem dubium emergit, tum quòd subobscura est eius ratio, tum etiam quòd nec satis videtur solida. Quare ad luculentiorem eius explicationem inquiritur, quo iure emptio venditioque præbendarum, ceu simoniaca sit vetita: vtrùm solũ Ecclesiastico, an verò diuino. Nam etsi quæstione. 5. de simonia in genere similem quæstionem disputauerimus, vbi venditionem sacramentalium actionum decisum est iure diuino esse simoniam: nihilo minùs de præbendarum digni tatumque mercatu non est tam compertũ. Apparet quippe huiusmodi simoniam solo humano & pontificio interdici: nam sacerdotia hæc nihil aliud sunt quàm decimarũ fructus, quæ quidem res sunt merè temporales: ergo non obstante quòd sint spiritualibus annexę, possunt ab illa spiritualitate semoueri, & vendi: sicuti calicis materia, dummodò consecratio non vendatur, vendibilis est. Mox & si decimarum substantia iure diuino sit spiritualibus functionibus addicta, quota nihilo minùs, vt suprà monstratum est, iure humano est constituta: poterit ergo Papa si sacerdotium valet cẽtum, ius medietatis vendere, alteramque Ecclesiæ relinquere. ¶ De hac quæstione interpretes canonici iuris in diuersas sententias dissecantur: quas Caieta. quolib. 1. q. 9. ad tres reducit. Prima enim eadẽque extrema est, huiusmodi simoniã in vniuersum esse de iure humano, quæ ortum habuit ex glossa in cap. ex parte. de off. delega. 1. quam illic Antonius de Butrio & Cardinalis cap. 1. de simonia. comprobãt. Secunda per aliud extremũ est, omnem esse prohibitam de iure diuino, quàm D. Thomas docere hic videtur. Et tertia est Panormitani eodem cap. 1. de simonia: & rursus in sua repetitione, super cap. extirpendæ. de præben. vbi ait, venditionem præbendæ cui annexa est ordinis administratio, vel clauiũ executio, simoniam esse de iure diuino: quia id cui annectitur, eodem iure est spirituale. Venditio autem præbendæ quæ non est talibus ordinibus sacris mãcipata, tantùm est simonia de iure positiuo: quales vtique sunt illæ quæ administrationibus hospitalium destinatæ sunt. Caieta. verò hoc solo ab hac tertia Panormitani opinione differt, quòd ait, non solùm illam præbendã quæ annexa est executioni ordinis sacri aut clauium, iure diuino ad simoniã pertinere, si vendatur, verùm & illam quæ annexa est cuicunq; clericatui citra sacros ordines, puta primæ tonsuræ aut minoribus ordinibus. Et ratio eius est, quia clericatus inquit est de iure diuino, sanè cùm omne clericale officiũ in spiritualibus actibus consistat: etiam prima tõsura. ¶ Arbitror autem istarum opinionum suo singulas cõdimento opùs habere. In primis quod ait Caieta omnem clericatum vsq; ad primam tonsuram esse de iure diuino: non est adeò probabile, quin contrarium sit probabilius: imò plurimis certum, vt in. 4. Sententiarum disputatur: quandoquidem non sint de sacerdotis essentia. Sed nihilo minùs inde non colligitur opinio Panormitani, q̃ nulla venditio præbendæ quæ non est mancipata functioni ordinum maiorum aut clauium, sit simoniaca iure diuino. Imò cum Caietañ. crediderim satis esse vt sit annexa simplici clericatui: nõ quidem propter eius rationem, sed quòd quãuis minores ordines sint de iure positiuo, nihilo minùs postquã re vera sunt res sacræ, vendere ius præbendæ illis addictæ, est contra ius naturæ: atq; adeò diuinum: sicuti de calice & ara dictũ suprà est: quæ quidẽ res licèt iure positiuo sint sacræ, vendi tamen pluris ratione consecrationis nequeunt, quin sit simonia contra diuinum ius. Prima autem opinio glossæ citatæ capituli, Ex parte. nullam vim in cõtrarium habet: nam in cap. illo nulla fit mentio simoniæ, sed hoc solùm habetur quòd si quidam Archidiaconus renuntiare suæ vellet præbendæ, daretur certæ personæ: vnde infert glossa quòd si in alterius fauorem renuntiaret, aliàs non renuntiaturus, esset simonia de iure positiuo. In qua glossa duplex est peccatum. Primum quòd falsum asserit: imò dummodò fiat de consensu Papæ nulla est simonia: nã

Postrema cõclusio.

Probatio.

Dubium.

Caietanus.

Prima opinio.

Glossa.

Antonius de Butrio.

Cardinalis.

Secunda opinio D. Thomæ.

Tertia opinio Panormitani.

Non omnis clericatus vsq; ad primam tõsuram est de iure diuino.

Probãt opinio Caietañ

Duplex peccatũ glossæ.

nia:nam talis est vniuersalis vsus. Secundò inde inferre,venditionem præbendæ esse simoniam de iure positiuo,nullam habet apparentiam. Quanuis neq; hoc in glossa habeatur.¶Igitur quò ad declarandã vim rationis huius prioris conclusionis descendamus,fundamentum eius est, quòd præbendæ & sacerdotia ex decimarum fructibus sunt constitutæ.Decimæ autem iure diuino & naturali nulla alia ratione imperatæ sunt, quàm vt sint stipendia alimentaque clericorum pro spiritualibus functionibus.Quocirca conferre alicui præbendam,nõ est solùm conferre illi fructus: nam eiusmodi fructus laico possunt vendi:sed cõferre ius decimarum:quòd quidem est Ecclesiasticum, atq; adeò spirituale:quandoquidem suopte instituto propter munus Ecclesiasticum exigũtur. Et hic est sensus canonis Pontificis citati,scilicet quòd vendita præbenda venditur res ipsa spiritualis,puta ius ipsum clericale.

fundamentum prioris cõclusionis.

Obiectio.

¶Quòd si quis contrarius sic nos coarguat: saltem illi qui iam est sacerdos, nõ esse simoniam sacerdotiũ emere:nam eo vel maximè quòd cùm præbenda simul acquirit ordines quibus annexa est. Sed hoc non : quia iam erat sacerdos.Et faciamus esse præbendam, quę non habeat animarum curam:nè dicas tunc illam spiritualitatem acquirere. Item confertur nonnunquam ex dispensatione præbenda puero antequàm ordinetur:ergo cum illa nihil spirituale transit, atque adeò vendi potest. Respondetur(vt dictum est) ipsissimum ius petendi decimas esse spirituale:& ideo siue ille cui conferturfuerit clericus, siue futurus sit,semper venditur spirituale.

Solutio.

Scrupulus.

¶Quid autem de fundo præbendæ mancipato?ille enim non est pars decimarum.

Solutio.

Respondetur quòdvendi non potest cum illo Ecclesiastico titulo:vt scilicet clericali iure possit emens eosdem fructus recipere: potest tamen ab illo sacro titulo emancipari & vendi:sicut materia calicis, secluſa consecratione. ¶Vnde prius superiorum argumentorum,nullius erat roboris:nam emere præbendam,non est tantùm emere fructus, sed ius spirituale. Ad posterius autẽ de decimarum quota,quæ solo Ecclesiastico iure videtur constituta. Respondetur:& est notanda solutio, quòd eiusmodi pontificia sanctio nõ est per se alia distincta à diuino iure,quo præcipitur decimarum substantia:sed est ipsius determinatio & moderatio. Quem admodũ Ecclesiastica præcepta de celebran

Ad primũ argumentũ

Ad secũdũ argumentũ

dis his illisve festis, & de annuali confessione,nihil aliud sunt quàm determinationes diuini iuris. Et ideo non solùm vendere ius decimarum in totum cum titulo clericali,verùm & quo ad quotam, est simonia contra ius diuinum.¶At verò nõ negamus quin aliqua sit simonia de iure positiuo:nẽpe quæ non est prohibita quia mala,sed mala quia prohibita:vt habet eadem glossa:puta quãdo præbenda nõ est annexa clericali muneri,sed alijs officijs:vt potè hospitalium seruitio,aut sacrorum ædituis,Ecclesię ve œconomo:vt quæst.5.articu.4.declarauimus: nam eiusmodi munera & officia nõ sunt propriè spiritualia:sed sola pontificia lege eorũ venditio est inhibita: vt patet cap. Saluator.1.q. 3.¶De præbendis autem quas Præstameras vocant,audio aliquos hæsitare an sint merè spirituales.Haud tamen est cur in litem euocetur: quoniam non sunt vt pensiones quæ sine titulo conferuntur. Imò habent verum titulum:Et cùm ille non sit sæcularis, sequitur quòd sit clericalis,ac perinde spiritualis. Quòd enim aiunt sola ratiõe studij esse subductas à communi decimarum cumulo, nõ habet in iure fundamentum,neq; huius veritas liquet:sed à quibusdã configitur.Quare in re dubia standum est iuri communi,videlicet vt eiusmodi titulus,spiritualis sit. Quare ambigere nõ possum quin eiusmodi titulus obliget ad persoluendum diuinum officium:atque adeò emptio & vẽditio ipsius simoniam proculdubio germinat.Secùs de alijs titulis sæcularibus, quales habent sæculares principes & reges ad decimas:vt statim articulo sequenti patebit.¶In calce demum quæstionis commendandum memoriæ est, tunc duntaxat simoniam pullulare cùm quippiam quasi pretium confertur.Nam vt bene ait Caietañ. in Summa,in verbo, simonia. cùm multis rationibus ac modis quippiã consueuerit temporale, dũ spirituale recipitur, retribuit: scilicet vel per modum sustẽtationis. Ecclesiasticorum ministrorum,quàm suprà diximusesse necessariam,vel per modum liberalis honestatis ad gratiam vel referendam vel ineundam: vel fortè quasi ex lege ob laudabilem consuetudinẽ:atque alijs præterea modis nullus simoniam procreat, nisi quippiam per modum pretij rependatur.Neque vice versa eum qui spirituale confert quicquam retributionis quouis aliorum modorum expectans,simoniacus fit.Imò verò etsi antequàm illud conferat

Præbendæ quas Præstameras dicũt spirituales sunt & obligãt ad persoluendũ diuinum officium.

ferat illud postulet quod ex laudabili & firmata consuetudine ei debetur, vt litem caueat quam post ad recuperandum timet, vl
Dubitatio. lam contrahit simoniæ labem. ¶Postrema denique dubitatio sit, vtrùm saltem ad redimendam vexationem liceat temporale pro præbenda largiri. Arguitur enim à parte affirmatiua ex superiori decisione, qua assertum est nullam esse simoniam ad redimendam vexationem pro baptizando paruulo iamiam animam exhalaturo pretium porrigere. Cùm enim sacramentum maiorẽ habeat spiritualitatis rationem, quàm præbenda, videtur vt pro ipsa sit etiam licitum. Respondetur nihilo minùs sub distinctione vexationem redimere duob⁹ modis vsu ve-
Solutio. nire potest. Vno modo, vt diximus, cũ quis per vim aut fraudẽ impedit præbendã petere: vt si quis te vi detineret nè ad cõpetendũ canonicatum pergeres: aut si timeres aliquẽ falsa de te sparsurum vt tuam electionem impediret: & hoc licitum est pretio redimere: quando quidem quicunq; idoneus tale habet quæsitũ ius. Alio modo si quis putaret per alijs canditatis dignitate pollere, & ideo putaret iniuriam ab electoribus pati contra suum honorem si non eligeretur: & id circò electoribus aut alio intercursori pretiũ porrigeret. Et hoc proculdubio non licet: nam etsi quisque ius habeat petendi, non tamen par ius habet vt eligatur. Sed hoc debet manere in libero arbitrio eligentium. Quare caueat prudentissimus quisque hoc sibi pallimentum prætexere: esset enim vera emptio spiritualis. Secùs autem de baptismo in extrema necessitate, in quo casu paruulus ius habet vt baptizetur propter sacramenti necessitatem. Quod quidem acquisitum ius respectu præbendæ nemo habet. Præterquã quòd nemo nõ fallitur dum de propria idoneitate iudicat. Neque polliceri liceret pensionem super futurã præbendam: etiã si exprimeret de consensu Papæ: Totum enim hoc esset tẽporali spirituale coemere. Secùs in permutationibus aut resignationibus. Possum siquidem ego permittere pensionẽ super beneficium quod in meum fauorem resignas: vt statim articulo sequẽti patebit.

Ad primũ argumẽtũ. PRimi capitalis argumenti dilutio subobscura apud D. Thomam apparet: concedit nanque temporales omnes possessiones spiritualibus sicut fini annecti: nam vt corpus propter animã, ita temporalia propter spiritualia condita sunt. Colligit autem inde vendi posse, non tamen eorum ordinẽ quẽ habent ad spiritualia. Quod est dicere, Sicut quisq; sæcularium sua vendere potest, quia illa non vendit quatenùs ad spiritualia referuntur, sed quatenus in vsum humanum assumuntur: ita & sacerdotes fructus suarum decimarum vendere possunt: ordinem tamẽ ad spiritualia, puta ius decimas percipiendi, quatenùs clericali functioni mancipantur, vendere, simonia est. ¶Pari modo respondetur ad secundũ, vasa sacra quatenùs res materiales sunt, vendi posse: consecrationem verò, nequâquam. Si autem vendantur in profanos vsus, pro Ecclesiæ vel pauperum necessitate: tunc aut infringi aut effundi debent, vt desinant esse sacra. Si autem vna Ecclesia vendat alteri ad sacrum vsum, potest quidẽ sine fractione, dum modò nihil pro consecratione recipiatur. Et idem est de vestimentis. Etenim per dilacerationem possunt perdere formã, & tũc vendi, etiã in vsus sæculares. ¶Tertium verò argumentum plura habet membra. Primum de spelunca Abrahæ quã emit in sepulturã ab Ephrõ. Ad quod bifariam Diuus Thomas respondit. Primò quod forsan terra illa nondum erat in sepulchrũ dedicata: quare neque vlla fuit simoniæ culpa illam emere: sicuti neque vlla est solum emere profanum, vbi cœmeterium extruatur. Præfert tamen solutionem alteram: nempè quód cùm etiam apud gentiles officiũ sepulturæ religio esset, si Ephrõ speluncam quæ in sepulturã destinata erat pretio vendere intendebat, simoniaca contagione infectus fuit. Non autem iustus Abraham: vt qui nõ intendebat nisi terram emere communem: aut vexationem redimere. Quanuis neque Ephron apparet nisi gratis obtulisse eam, neq; verò Abraham nisi pretiũ gratis retulisse, quãto terra æstimaretur.

Ad secũdũ argumentũ.

Ad tertium argumentũ.

S. Thomas.

Vbi id quod. q. 5. dicebamus annotandum est: nempè apud infideles quadantenùs illis sæculis rationem rei spiritualis viguisse, ac perinde simoniæ notam. ¶At verò cùm nõ esset tunc talis templorum consecratio qualis est modò, dubium restat vtrùm apud nos loca cœmeterij sepeliẽdis mortuis pretio vẽdere sit simonia. Apparet enim id iure prohibitum cap. Abolendæ. de sepulturis. & capit. qui in Ecclesia. de simonia. Et ratione id ipsum confirmatur: nam ius sepeliendi mortuos ad religionẽ attinet: si ergo illa de causa gentilibus nefas erat sepulchra vende-

Quæstio.

Ratio dubitandi.

re, ma-

re, maiori ratione erit & nobis, vt qui cœme teria cõsecramus, aut benedicimus. Imò apparet esse simoniam de iure diuino & naturali: nam eodem iure religio virtus est. ¶ Nihilo minùs respondetur per hanc distinctionem. Vt officium sepeliendi mortuos quantum ad id quod necessitatis habet nequit citra simoniæ labem vendi, vt suprà propter hanc modò factam rationem constitutum est: ita & pro loco necessario in cœmeterio pretium exigere simonia esset vtpote si clerici nullo loco sacro vellent mortuum humare, nisi pro terra aliquid penderetur: nã profectò eadem est ratio officij sepeliendi, & necessarij soli: quandoquidem religio Christiana est, vt cadauera in cœmeterio recõdãtur. Et hoc est quod ait sanctus Tho. etiam apud gentiles fuisse simoniacum. At verò si quis honoratiorem locum in Ecclesia ceu pomsiam non necessariam affectat, non prorsus simoniæ condemnandum est, si aliquid pro illo loco ad Ecclesię fabricam exigatur: sicuti de superfluis pompis suprà diximus. Vnde vbi talis viget cõsuetudo, quę iam est pro lege recepta, citra scandalum potest taxatus numus postulari. Quare sententia Hostien. super cap. Audiuimus. de simonia. negantis licitum esse huiusmodi pactum, non est necessaria. Quoniam re vera si nihil pro consecratione aut benedictione loci recipiatur, sed vendatur terra sicut materia calicis, nihil illic spirituale vẽditur: sed humanus temporalisq; honor. Dummodò scandalum cauea tur. Quemad modùm & loca in Ecclesia honoris gratia ad sedendum certis prosapijs destinata esse consueuerunt. Quanuis diffitendum non sit quin isti honoris tituli in locis sacris nimium affectati deformem habeant vanitatem. ¶ Ad capitula verò citata respõdetur nihil aliud prohibere quàm ne id vendatur quod est de necessitate sepulturę, compulso licilcet pacto vt non sepeliatur qui terram non emerit. ¶ Ad historiam autem Iacob respondetur, nequâquam simoniã commisisse pro eo quòd diuinitùs indultum illi fuerat ius primogenituræ, atq; adeò sacerdotij: secundùm illud Malachię. 2. Iacob dilexi Esau autem odio habui. Esau verò quem idẽ mysterium celatum erat, peccauit vendens secundùm Apostolum ad Hebrę. 12. Nè quis fornicator aut profan⁹ vt Esau qui propter vnam escam vendidit primitiua. ¶ Haud tamen responsio hæc omnem lectori dubietatem eximit. Primùm enim non constat tale mysteriũ quod Esau opertum erat, apertũ fuisse Iacob. Mox, etiam si ei fuisset notum, non ideo eluitur à culpa: tum propter inhumanitatem renuentis indigenti fratri porrigere pulmentum: tum quod Esau ad peccãdum induxerit, cùm ipse non esset, ad modum vsurarij, paratus vẽdere. Imò cùm iure naturæ bona fide possideret primogenituram, nullatenùs vexabat Iacob: quare non est excusatio legitima dicere redemisse suã vexationem. ¶ Ad horum primum respondetur ex textu sacro colligi Rebeccæ innotuisse mysterium, aut nutu patris aut alio diuino modo. Aliàs nunquàm id persuasisset nato suo minori, dicens: Super me sit fili ista maledictio. Qua ratione & Iacob id ipsum intellexit. Et ideo iure suo vsus est. Dicẽs enim, vende mihi, idem intellexit quòd, da quod meũ est. Nec tenebatur mysteriũ fratri suo reuelare: quia tunc ille fraternæ suasioni non acquieuisset. Quocircà licèt nõ esset idem Esau paratus vendere, non idcircè censetur Iacob eum induxisse: nam qui iure suo vtitur, neminẽ inducit. Quare cùm alter possideret alienum, benedicitur ipsum Iacob vexasse, postquàm alia nõ pateret ei via recuperandi quod suum erat, ac perinde Iacob redemit vexationem suam. Præterq̃ quòd Esau non necessitate sed gula affectabat lenticulam: qua ratione Iacob ab inhumanitate defenditur. ¶ De iure autem patronatus, vt extrà, eodem titulo patet, perinde ac de re spirituali censendum est: ita vt si monia sit illud per se pretio vendere: sed trãsit cum villa aut castro cui est annexũ. Quocirca qui villam vendit neutiquam propter ius patronatus potest auctius pretiũ exigere. ¶ Circa aliud membrum de decimis, primò notandum est duo in ipsis considerari: nempè fructus ac prouentus, quæ res sunt merè temporales: & ideo, vt dictum est, vendi possunt, vt patet de publicanis qui cõstituto pretio eosdem fructus mercantur. Et hoc est, inquit Diuus Thom. quòd Papa cõcessit sæcularibus dominis ac principibus. Que ratione Regi nostro concessæ sunt terciæ in bellorum subsidium contra infideles. Secundò notandum consideratè est ius spirituale illas petendi, & hoc laicis indulgeri non posse: quoniam est ius sacerdotale. ¶ Contra hoc autem est argumẽtum quòd Rex & quicunq; sæcularium habent huiusmodi decimas, quales sunt qui templariorũ bona possident, idem ius habent eas petendi,

Responsio.

Refutatur Hostiensis. sententia.

Iacob emendo primogenituram ab Esau, simoniam nõ cõmisit.

Prima obiectio.

Secunda.

Ad primã obiectionẽ.

Iuspatronatus vẽdere simoniae est.

Decimarũ prouentus vendi possunt.

Argumẽtũ

di quod clerici ipsi: nam Rex ex communi decimarum cumulo tertias capit. & alij domini totas decimas perinde atque episcopi.

Solutio. Imò ipsi sunt qui parœcio suam consignatã sortem tribuunt. Ad hoc bifariàm respondere potest. Primò quòd recipiunt nomine Papæ. Secundò ad rem accommodatiùs, quòd Papa cùm decimarum partem principibus adiudicat, illas sub sæculari titulo, puta defendendi Ecclesiam: constituit. Et ideo principes ius quidem habent petendi, non tamẽ spirituale, quod tantùm Diuus Thomas negat posse cõcedi laicis: sed ius seculare quod ipsi possunt alijs vendere, & ceu alia sæcularia bona quomodocunq; distrahere & alienare. ¶ Ad vltimam deniq; particulam responsionis perpendenda est solutio D. Thomæ: videlicet quòd si Papa ante beneficiorum collationem ordinauerit particulã pro sua iusta sustentatione, aut pro alijs pijs vsibus adimẽdam, rectè id quidem potest. Sed nota, ordinauerit, id est cõmuni & æqua lege sanciuerit, pro causa iusta: nam profectò si pro libito absq; lege id fecerit, suspectum est. Et hac ratione lege in Hispania recepta & in alijs nonnullis prouincijs constitutum est vt à natis hoc est à tempore quo quis obtinet sacerdotium, dimidiatos fructus illius anni soluat. Et posset si necessitas ingrueret vt suprà diximus, decimas decimarum sibi retinere, si modò illa ratione reliquæ omnes exactiones & compositiones extinguerentur. Sed id maximè notãdum, quod Diuus Thomas subdit: si verò enim inquit ab eo qui beneficium confert præter positam anteà legem requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idẽ est ac si aliquod munus ab eo exigeret: & ideo non caret vitio simoniæ. Quam quidem sententiam ego mihi plurimum obseruo in cõfirmationem nostrę, quam lib. 3. de pẽsionibus declarauimus. Quemadmodùm enim nõ potest pro se Papa pensiones iniungere: ita neque pro alijs: nisi tanquam stipendium pro officio & obsequio seu spirituali, seu sæculari: quod

obiectio. Ecclesiæ est cõmodũ. ¶ Quòd si quis cõtrarius sic arguat: Quicquid alteri concessione Papæ conferri potest, sibi ipse valet applicare: quandoquidem ipse est bonorum Ecclesiæ dispensator: potest autem commutans aut renuncians eius authoritate pensionem sibi retinere: ergo eandem potest sibi & Papa adiudicare. Respondetur fallaciam in argumento latêre: nam & si authoritate pontificis commutanti ac renuntianti concedatur pensio, non est tamen eadẽ causa in ipso pontifice vt sibi retineat: quandoquidem ipse nõ est præbendę dñs velut ille qui commutat aut renunciat: sed duntaxat dispensator: qui ideo debet suã pro iusta causa interponere authoritatem.

ARTICVLVS. II.

Vtrum præbendarũ permutatio absq; simonia fieri possit.

PRæbendarum permutatio earum venditioni affinis est: & ideo quæritur an absq; simonia fieri possit. Arguitur enim à parte negatiua. Primùm ex glossa suprà citata, capi. ex parte. 1. de officio delegati. vbi habetur quòd si quis in gratiã alterius sacerdotium renuntiauerit, aliàs nõ renuntiaturus, simonia committitur contra ius humanum: cùm ergo vniuersæ commutationes illo pacto fiãt, simoniam redolent. *Primùm argumentum*

¶ Secundò arguitur: si eiusmodi permutationes iure essent permissę, sequeretur quòd liceret, dum exilior pro pinguiori commutatur, tantum retinere pensionem super pinguiori, quanto excessu alteram superat. Id autem falsum esse sic mõstratur: quòd tunc pariter sequeretur, si vna nullos haberet fructus, sed tantum personalem titulum, altera verò fructibus abundaret, posse quantitate pecuniæ refusa quanti sunt fructus illius diuitis fieri permutationem: nã quod de parte permittitur, non est cur de toto interdicatur: & tamen contractus iste emptio videtur esse præbendæ. ¶ Tertiò potissimùm arguitur. Si tales permutationes iuri essent consonæ, consequẽs inde fieret vt eiusmodi pensiones possent numerata pecunia æstimari & redimi: vt annua pensio ducatorum. 10. octoginta aut. 100. numeratis redimeretur. Conclusio tamen si vera est, aditum vendẽdis sacerdotijs patefacit. ¶ In cõtrarium est cap. quæsitum. de rerum permut. vbi solùm vetantur permutationes cum pacto sine licentia episcopi: conceditur tamen episcopo facultas eadem faciendi: quod quidem non concederetur si simonia esset. *Argumẽ. 2* *Argumẽ. 3*

AD quæstionem iuxta argumentorum numerũ tribus cõclusionibus respondetur. Prima. Resignatio præbendæ in *Prima conclusio.*

manus

manu legitimi Antistitis in fauorem alterius designatæ personæ, & non aliâs, si non aliud interueniat pactũ, siue fiat per modũ permutationis, siue per modum simplicis renuntiationis, nullam habet rationem simoniæ: neque iure diuino neque iure humano. Conclusio hæc suprà à nobis contra citatã glossam asserta est. Quòd si glossam subglossaueris quòd id sentiat quando renunciatio aut commutatio fit sine licentia Papæ aut Prælati, inanis tunc esset, vt. q. 5. diximus: nã cùm nemo possit prębendam dimittere nisi in manibus prælati, cuius est beneficia conferre, neq; autoritate priuata alteri adiudicare, illa non esset simonia nisi fortè mentalis: quia nihil fieret. Quòd autem cum illa conditione renuntiare nulla sit simonia, patet manifestè: quoniam cùm prælato sacerdotiorũ collatio incumbat, nullo prohibetur iure in eius arbitrio ponere, si voluerit conferre Petro: quòd si noluerit, aliter ille qui iure possidet non renunciat. ¶ Secunda conclusio. Commutare præbendas cum pacto, nisi in pacto ponatur, cum consensu Põtificis, simonia est: vt verbi gratia, si duo de cõmutatione paciscantur, & qui minorẽ præbendã habet alteri polliceatur pensionem. Papę autem non referant nisi simplicem cõmutationem, neq; ipse eandem pensionem concedat, simonia est apertissima: & tamen apud idiotas frequentissima. Et pariter si quis non per viam permutationis, sed simpliciter renuntiat in fauorem alterius, nõ reuelando Prælato pensionis pactum: quod inter eos interuenit. Est autẽ simonia de iure positiuo: nam commutare præbendas retenta pensione, non est iure diuino prohibitum, sed pontificio: vt patet in cap. Ad quæstiones. de rerum permutatione. Sed fieri nequit nisi consentiente prælato, vt illic patet, & cap. citato. Quæsitum. Quare dum Papa non concedit pensionem illam, reputatur vt pretium commutationis. Ac perinde profecto crediderim talem collationem, etiam si â Papa, pactum ignorante fiat, non teneri. Quod si pactum cõtra ius diuinum interceserit, scilicet vt quis pro tali renuntiatione pecuniã numeret, tunc nec Papa dispẽsare absq; culpa posset vt tali modo fieret renũtiatio. Quare quiillomodo prębẽdã obtinuisset, inhabilis fieret ad possidẽdũ, nisi postea pacto pro infecto habito, Papa, qui solus potest, eum idoneum redderet & habilẽ. Adde, pensiones, vt habet mos Romanus, nullum prælatum Papa inferiorem constituere valerè, neq; in permutationibus, neq; in simplicibus renuntiationibus. Quòd autem eiusmodi pensionum pacta in commutationibus assensu eiusdem Pontificis fieri possint, ex presse habetur cap. citato, ad quæstiones. ¶ Est tamen excessus christianè cauendus. Audio nanq; in huiusmodi commutationibus non solùm fructuum quantitatẽ æstimari, verùm per se etiam honorem & dignitatẽ sacerdotij: vt cùm archidiaconatus aut decanatus illustris ecclesiæ pro simplici præbenda permutatur, etiam si fructus pares fuerint, alia insuper pensio pro dignitate exigitur: quod quo modo fieri possit non video: quippe cùm dignitas res spiritualis sit: & in dicto cap. proximè citato, expressè caueatur nè misceatur permutatio dignitatũ cum compensatione fructuũ, sed per se simpliciter sacerdotium pro sacerdotio, & dignitas pro dignitate permuteturabsq; aliqua refusione pecuniæ: & seorsum fructus pauperiores ad ditiorum æqualitatem compẽsentur. ¶ Præterea & fructus omnes pro pensione statuere, præcipuè in sacerdotijs habẽtibus annexum seruitium, atq; omnium potissimùm in curatis, nescio quis probet: non solùm quòd iure cautum sit nè pensio tertiã fructuum partem exuperet, verùm quòd diuino iuri & naturali aduersetur vt quis seruitio sit absq; vllo stipendio addictus. Quare pro minori absurdo duco vt quis duo sacerdotia cum animarum cura retineat, quàm vt alterũ, retentis fructibus, relinquat. Nam qui duo habet, potest alternatim ambo visitare, & eleemosynas suis paręcianis disperti ri. qui verò fructibus beneficium expilat, in causa est vt qui titulum habet, neq; curam possit gerere animarum, neq; eleemosynas facere: nam cùm cogatur victum aliunde quæritare, quo modo functioni suæ adesse potest? ¶ De tertio mẽbro quæstionis quod argumẽto tertio tactum est, puta de redemptione pẽsionum, variè à doctoribus opinatur. Caie. nanq; in opusculo. 16. responsionũ quæstio. 10. in vniuersum affirmat perpetuas pensiones numerata pecunia redimi posse: alij verò recentiores, quorum est Ioannes Maior in. 4. distinct. 25. quæst. 5. in vniuersum negant. Varietas autem hæc ex fundamentorum diuersitate suboritur. Caietañ, enim censet pensionem esse rem merè temporalem, solos scilicet fructus respicientem. Alij verò censentius pensionum esse clericale

Secunda cõclusio.

Nullus præ

Iat⁹ Papa inferior pẽsiones cõstituere valet.

Inprębẽdis cõmutãdis dignitatis earũ nulla est habẽda ratio.

Iniquum est ĩsacerdotijs habentibus annexũ seruitiũ fructũ oẽs propẽsione statuere.

Quæstio.

Maior.

Tertia conclusio. clericale ac perinde spirituale. ¶Inter has ergo opiniones statuitur tertia conclusio. Pensiones functionibus spiritualibus adiudicatæ, neutiquàm redimi pretio possunt. Secùs autem illæ quæ sub sæculari titulo cõceduntur: Vtraque pars non tam probatione, quàm solo exẽplo indiget. Enimuerò si priscum pensionũ morem spectes, nunq; cõcedebantur nisi spiritualibus functionibus annexę. Non sufficiebat, verbigratia, episcopus vniuersam dioœcesim visitare & gubernare: accersebat sibi auxiliarẽ qui sibi esset adiumento: cui ideo certã pensionem in suis fructibus cõsignabat. Atq; huiusmodi pensiones, sicubi modò in more sint, vt vẽdi nõ possunt, ita neq; redimi. Habent enim præbendarum effigiem quæ spiritualibus annectuntur. Et fortassẽ idem est ferendum iudicium de pensione quæ daretur seni ac bene merito episcopo aut presbytero propter exhaustos labores si quoniam vires eum ad seruiendum deficiunt, renuntiare vellet sacerdotiũ suum. Hoc enim lib. 3. legitimũ sumus arbitrati pensionũ genus: videtur enim huiusmodi pensio clericali iuri annexa. Alię verò sunt pensiones quas iam diximus titulis sæcularibus applicatas: puta principibus ac militibus: & has non est dubium posse redimi: quandoquidem, vt dictũ est, vendi possunt. Si enim militi cõstituatur pensio super episcopatum, potest eam episcopus redimere. Sed aliæ sunt quæ nonnihil habent dubietatis: vtpote quæ in cõmutationibus aut simplicibus renuntiationibus interueniũt: Renuntio in tuum fauorem meum beneficium, retenta certa pensione. Videtur enim hoc genus pẽsio esse merè temporalis: nam vt lib. 3. diximus, ad nullnm officium Ecclesiasticum talis pensionarius tenetur: nec titulum habet, sed solum ius à possessore petendi fructus. De his ergo inquit Caietañ. quòd si vnico contractu vtrunq; conficias: constituas scilicet pensionem decem ducatorum, octoginta redimendã, simoniacus est cõtractus. Si verò diuisim post constitutam pensionem illam velis redimere, nullum tibi ius obstat. ¶Et primo de commutationibus citatum capitulum, Ad quæstiones, de rerum permutatione. incautum lectorem fallere posset. Illic nanque nulla habetur mentio pensionis sed hoc solùm quòd quando inæquales sunt præbendarum fructus, potest illi qui maiorem habebat pecuniarum quantitas refundi: vbi apparet quòd possit pecunia præsens tota numerari: & per consequens pensio vnico contractu constitui & redimi. Imò sine pensionis nominatione, si tua valet centum, mea nona ginta, numero tibi pro tuis decem, simul octoginta, videtur illic contractus probari. Quod profectò non est cõcedendum: aliàs liceret & præbendam emere. Vt si ego nullam haberem prębendam, possem octoginta ducatis emere tuam, quæ valet decem. Textus ergo intelligendus est de quantitate pecuniæ quæ habeat rationem annuæ pensionis. At verò quòd illa possit redimi videtur ex dicto textu colligi. Nam habetur & iubetur seorsum fieri permutationem præbendarum simpliciter, & posteà æquiparari fructus. Quare iam illa pensio videtur dari sine clericali iure, & ideo forsan illa redimi potest: Tametsi ingenuè fateor non posse me discrimen illud percipere domini Caietañ. inter duos seorsum contractus & vnum. Nam si constitutam pensionem ob id redimere possum, quod est res sine titulo Ecclesiastico, nescio quando constituitur, postquàm tunc extrahitur ab eodem Ecclasiastico titulo, cur non possit simul de redemptione pacisci. Sed nè tantam largiamur licenciam, dicendum quòd talis contractus habet vehementem suspicionem emptionis & venditionis. Quare non potest non scandalum dare. De alijs pensionibus quæ in vsu modò sunt, scilicet quæ pro libito sine aliquo titulo conceduntur, illi qui licitas existimans respondeant. Ego nanque, vt libro tertio dicebam, deuorare ius illud nequeo vt possit pensio poni, nisi pro titulo aliquo Ecclesiastico vel sæculari, aut pro commutatione, aut dum in lite dubium dirimi, aliter inquam non potest. ¶Per hæc ergo, argumenta quæ in fronte quæstionis proposita sunt, soluta restant, præter secundum quod in gratiam Caietani adiecimus. Concedit nanque in commutationibus licitam esse compensationem excessus maioris præbendæ, dummodò altera fructus habeat, hæret autem ambiguus quando altera nullos habet fructus: propterea quòd talis commutatio quandam habet emptionis imaginem. At verò nõ est cur dubitetur quin talis cõmutatio perinde atq; altera, licita sit: ideo nihil absurdi argumentum concludebat.

Explanatur conclusio.

Capitulũ ad quæstiones exponitur.

Ad argumẽta facta.

ARTI-

ARTICVLVS. III.

Vtrùm liceat spiritualia pro munere conferre quod est vel à lingua vel ab alio quouis obsequio.

primum argumentū. Gregorius.

QVANVIS cōstitutum fuerit spiritualia nō esse pretio æstimanda, apparet nihilominùs pro aliis muneribus posse conferri. At quippe in Regesto Gregor. Ecclesiasticis vtilitatibus deseruientes, ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere. Ecclesiasticis autē vtilitatibus deseruire, est munus ab obsequio: ergo licitè pro eiusmodi munere reponduntˉ Ecclesiastica sacerdotia. *Argumē. 2.* ¶Secundò. Tam sordidum & carnale est in tuitu consanguinitatis beneficium conferre, quàm si pro suscepto munere & obsequio daretur: illud autem non apparet cousq; sordidum, vt sit simoniacum: ergo neque hoc secundum. *Argumē. 3.* ¶Tertiò. Quod precibus conceditur, gratis fieri videtur, ac perinde à simonia est alienum: vt pote quam sola venditio emptioque constituit. *Argumē. 4* ¶Quartò. Hypocritæ spiritualia opera foris exhibēt vt per munus linguæ laudem aucupentur humanam: neque tamen eiusmodi hypocrisis simoniæ tribuitur: ergo munus à lingua simoniam non parit. ¶In contrarium est verbum Vrbani Papæ, Canone, Saluator. 1. quæstio. 3. Quisquis res Ecclesiasticas non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel obsequij, vel pecuniæ largitur vel adipiscitur, simoniacus est.

Prima conclusio. AD quæstionem duābus conclusionibus respondetur. Prior: Simonia perinde cōmittitur si res spiritualis pro aliquo temporali munere vel obsequio seu exhibito seu *Probatio.* exhibendo tribuatur, ac si pro pecunia quis eā vel numerata vel promissa lagiretur. Probatio est clara: quoniā nomini pecuniæ vniuersa supponuntur quæ pecunia æstimari possunt. Manifestum autem est, eiusmodi obsequia, quippe quæ ad commodum aliquod referuntur, pretio pensari posse: nā & *Postrema cōclusio.* nummo operarij ministri conducuntur. ¶Posterior conclusio: Sicuti suscepta pecunia aut alio quouis munere simonia contrahitur: ita & per munus à lingua. Exēpli gratia: Si quis episcopus precibus ad temporalem vtilitatem captandam inflexus sacerdotium conferat, ea scilicet intentione vt fauorem captet, ex quo sibi aliqua possit ratione collationis prouenire vtilitas. Probatur eâdē ratione, quia hoc etiam est pecunia æstimabile. ¶Circa istas conclusiones post illa quæ de vsura decisa sunt, nil fermè annotandum restat: nam propemodum quod vsura est in temporalib', id in spiritualibus est simonia. *Sacerdotiū largiri pro munere etiā turpi simonia est.* Quare sicuti mutuum dare pro aliquo munere vsura est, ita & sacerdotium pro eodem munere largiri est simonia. Neq; verò refert munus aliàs genere suo honestum sit nēcne. Si quis enim propter turpem familiaritatem cum muliercula fratri eius aut alteri quasi in pretium sacerdotium pēderet, simonia esset: & qui reciperet, resignare teneretur. Secùs si ob amicitiam, licèt turpiter contractam, gratis illud conferret. Adde q̄ etiam si non ille qui sacerdotium recipit, sed alius, quantūuis ipso nescio, pretium pro ipso obtulerit, simonia emergit: vt patet cap. Nobis. de simonia. Quapropter quùm primum ipse resciuerit, tenetur sacerdotium renuntiare: quia collatio nulla fuit. *Quæstio.* ¶Quæris autem eâdem ratiōe si qui præbendam ambit, non episcopo, sed alijs interuentoribus qui ipsam ei procurent elargitur, vtrùm talis sit simonia vt teneatur præbendam deserere. Apparet enim ex vna parte non esse rationem parem. Nam si episcopus nihil pretij recipit, neq; preces pecunia æstimabiles, vt in solutione tertij declarabitur. gratis sanè confert, ac subinde collatio tenet. Ex altera verò apparet eandem esse rationem: nam vt quæstionem sequenti explicaturi sumus, diuino naturaliq; iure non solum datio spiritualium pro pretio prohibita est, verùm & receptio. In casu autem præsenti licèt episcopus gratis secundum suam opinionem conferat, nihilo minùs alter non *Solutio.* gratis recipit, sed pretio. Et est tanti apud me vigoris hæc secunda ratio, vt ei libentiùs quā priori assensum præbuerim. Si quæ autem alia dubiola emergere hinc possunt, pro positis argumentis attinguntur.

Ad primū argumentū AD primū igitur respōdetur, sententiam Gregorij huc tantū pertinere: Quòd si clericus vel ecclesiæ vel prælato honestū impenderet obsequiū ad ecclesiæ commodum vel aliud spirituale negotium conducens, eo ipso idoneus fit cui sacerdotium conferatur: sicut respectu aliarum virtutum conferri potest. Obsequiū autem & munus quod iure condemnatur, illud est prorsus quod ad car-

nalia refertur: puta si quis seruit prælato aut suis agnatis vel amicis ad temporale commodum vt sacerdotium, tanquã merces eiusdem obsequij rependatur. Quod idcirco adiderim quod episcopus qui iustam mercedem tẽporalẽ suis famulis persoluit, nihil absurdi facit si gratos habeat, atq; adeò erga eos gratiosum animum gerens, dum idonei sint, etiam in præbẽdarum collatione se illis beneficũ exhibeat: quia tunc illud obsequiũ non reducitur ad tẽporale cõmodum, sed ad gratiam quã famuli possunt per idonea gratáq; obsequia cum hero sibi conciliare. Quare seruire Antistiti propter Ecclesiasticum sacerdotium, non est in vniuersum culpabile, nisi quando illud quodãmodò ad emptionem reducitur, scilicet cùm spectatur tãquã pretium obsequij. Nam vt articulo primo dictum est, cùm multifariã quidpiam alteri cõferri possit, scilicet per modũ liberalis vel doni vel obsequij, & per modum reuerentiæ & honestatis, vel quasi debitũ ex laudabili consuetudine, nihil istorum vitium simoniæ parturit, sed sola ratio pretij aut mercedis.

Ad secũdũ argumentũ D. Thomas

¶ Ad secundum respondet D. Thomas negando eandem esse rationem de consanguinitate quæ de alijs carnalibus obsequijs: nã hæc quandam habent rationem pecuniarij pretij, quæ non inest in consanguinitate. Quare qui alioqui gratis suis consanguineis sacerdotium confert, etsi id tali respectu faciat, erit quidẽ culpata collatio: haud tamen simoniaca. Secùs si in altero sacerdotiũ collocaret ea de causa vt suis consanguineis beneficium remuneraret. Huic autem sententiæ non desunt qui contradicant. Enimuerò Altisiodo. tisiodorensis antiquus autor. 3. parte, tractatu. 21. quendam refert Parisiensem cantorem collationem sacerdotij ratione consanguinitatis vitio simonię tribuentem, licèt ipse eidẽ opinioni non subscripserit. Sequuntur autẽ eam Durandus & Bonauentura in. 4. distin. 25. & Adrianus. Quin verò & inibi D. Thomas in eãdem opinionem inflexit. In cuius gratiam arguere sic possumus: Beneficia debent gratis conferri: qui autem personam cõsanguinitatis respectat, nõ dat prorsus gratis. Nam vt lib. 3. dixim⁹, acceptio est personarum. Quin verò consanguinitas pretio videtur æstimabilis. Quis enim non super aurum æstimet, consanguineum illustri esse prosapia ortum? Quæstio ergo hęc quia scrupulorũ nutrix est, subiectis propositionibus eliquidatur. Prima est. Etsi cõferre beneficiũ consanguineo indigno crimen sit genere suo mortale: digno autem propter consanguinitatem, peccatũ etiã nõnullum: neutrum tamen est simonia. Prima pars lib. 3. satis probata est: nam est peccatum iniustitiæ contra fidem episcopalis officij. Mox & secũda etiam nota. Quoniã cùm sacerdotia pro illis qui dignè seruiant sint instituta, si conferantur alio respectu, acceptio est personarũ. Haud tamen erit mortalis si digno fiat collatio, sed tantùm venialis, eò quòd nulla violatur iustitia. Tertiã autem partem bene asserit D. Thomas: nam vbi non est spiritualiũ venditio, nulla est simonia: illic autem nullũ interuenit pretium. Id quod â simili vsurę deducitur. Quod enim in temporalibus vsura est, id in spiritualibus, vt dicere solemus, est simonia. Et tamen mutuum dare cõsanguineo, & tali respectu, nulla est vsura. Accedit quòd in cap. Saluator. vbi Vrbanus simoniæ causas enumerat, nullam consanguinitatis mentionem fecit. Idq; inde præterea confirmatur quòd propter talem personarum acceptionem nemo incurrit pœnas iuris in simoniacos decretas. Propter argumentum ergo proximè factũ distinguitur ꝙ qui dat consanguineo, non det gratis. Si enim intelligitur, non dat simpliciter ea ratione qua debet, verum est: si autem intelligatur pro pretio, id negamus: nam etsi præclara consanguinitas super aurum æstimetur, vt Sapiens de sapientia inquit, nullo est tamen foro venditabilis: sicuti possessiones & ministrorũ operæ. ¶ Secunda propositio. Conferre sacerdotium cõsanguineo digno ratione dignitatis ac probitatis, tantũ abest à ratione simonię, vt si etiam laudabile: quoniam consanguinitas de genere bonorũ est, veluti amicitia. Et ideo illi⁹ de causa nemo fit deterior qui aliãs dignus est. Imò cæteris paribus si scãdalum caueatur, ille præferẽdus est veluti cæteri honesti amici. ¶ Vltima propositio. Antistites qui in proposito habent, aut vniuersa sacerdotia, aut cuncta quæ pinguiora sunt in cõsanguineos & affines profundere, etiã si adiunctã habeant intẽtionẽ non cõferendi nisi dignis, nõ habent conscientiã tutã: imò vix possunt à mortali macula elui. Primũ, ꝙ qui hoc pacto affecti sunt, facilè à suo affectu decipiuntur, vt eos pro dignis ducant qui verè non sunt. Mox quòd non possunt non scãdalum dare. Deinde quòd aliis qui digni sunt, & forsan digniores, non parum iniuriæ irrogant. Quin verò illis occasionem offe-

Durandus. Bonauẽtur. Adrianus.

Ratio prætenta opinionã.

Prima propositio.

Probatio.

Vrbanus.

Cõfirmatio.

Secũda propositio.

Vltima propositio.

runt:

runt:nè cùm fauore & præmio sint destituti segniores sint ad literarũ studia,atq; ad probitatis studia exercenda.Quare bene inter alias iniquitates veterum sacerdotum ac iudicum deplorabat Micheas,capite tertio q̃ ædificarent Sion in sanguinibus,& Hierusalem in iniquitate. ¶Ad tertium plura Diuus Thomas respõdit:nempè tria. Primùm est quòd qui in collatione sacerdotij munus principaliter à lingua intendit,puta vel laudem aucupari,ac perinde humanum fauorem,vel preces,aut ex quibus idem fauor humanus acquiritur, aut contraria inuidia vel odium cauetur,simoniacã labem contrahit. ¶Quòd si contrà quis arguat: Qui dat propter laudes,aut precibus victus, gratis dat: quare neq; pœnas incurrit iuris, perspectè ponderet verba.Non enim D.Thom.laudis intentionem,etiam si sit principalis, nec pro cum causam simonię simpliciter tribuit:sed quando per hæc aliquod emolumentũ temporale pretio æstimabile contenditur: vt si episcopus sacerdotiũ regis famulo,aut eius precibus ductus conferat qui se apud regem laudibus efferat,quo hamo pinguiorem Ecclesiam posit expiscari Imò verò neq; tunc est simonia nisi quando id principaliter intenditur,cuius iudicium est quando collatio fit indigno: nam cum tunc principalis intentio non sit idoneitatis personæ,conuincitur esse emolumenti tẽporalis. Quare crimini tunc iniustitiæ & infidelitatis adhæret insuper simonia.Atq; adeò recipiẽs prebendam tenetur eam relinquere, nisi denuò intergretur prouisio.Quando verò non nisi simpliciter laudes Antistes affectat,aut per preces amicitiã & gratiam, tunc nulla est simonia. Imò verò quando quis confert digno, præcipuè propter dignitatem, licèt similiter oculus non modò ad humanam laudem & fauorem spectet,verũ & ad temporale emolumentum & lucrum, simonia nõ inficitur. Quòd si Innocentiũ cõsulas super cap. Tuã de ætate & qualit.ord. similia suo more docet.Cui & Caiet.in sua Summa,verbo,simonia. astipulatur. ¶Secundum igitur assertum est quòd dum preces pro digno porriguntur,tunc collatio non est ex genere suo simoniaca: quandoquidem legitima subest tam precandi quàm cõferendi causa. Potest nihilo minùs illuc irrepere simonia mentalis si collatio non propter dignitatem fiat, sed præcipuè propter fauorem & emolumẽtum pretio, vt dictum est, æstimabile. ¶At quia in sermonem de precibus & fauore incidimus,altera nos occupat dubitatio:Vtrũ collatio metu extorta sit simoniaca, ita vt qui beneficium tale recepit,resignare ipsum teneatur.Idem enim prefatus cãtor Parisiensis, referente eodem Altisiodorensi, tenet. Quoniam metus,inquit,pecunia est redimibilis. At verò eodem modo quo de consanguinitate & amicitia.respondetur: videlicet quòd etsi metu conferre indigno peccatum sit genere suo mortale:digno verò,nonnulla etiam culpa, quia collatio non fit legitimo fine:neutrum tamen est simonia: quoniam dare metus causa non est dare pretio. Nam etsi quis pretium daret ad propellendum metum,nihilo minùs qui metuit,nil recipit. Imò verò nec sacramenta conferret propter metum vllo cõdemnatur iure:vt si quis metu confessionem audiret.Nec verò vulgò talis episcopus haberetur simoniacus. Sed tamen quãdo ille metus incuteretur qui esset modò expositio pretio æstimabilis, tũc esset simonia:vt si rex vel eius aulicus comminaretur episcopo quòd nisi sacerdotium tali personæ conferret de gratia regia excideret, neque ad aliam esset ascensurus sedem. Qui enim tali metu sacerdotium conferret,id ad venandum episcopatum faceret: ac perinde simonicus esset. Secùs si metus ei incuteretur amittendi vitam, aut temporalia bona quæ possidet:nam tunc metuẽs nullum habet respectum lucri. ¶At quoniam dictum est ob metum indigno conferre, peccatum esse genere suo mortale,non quidem simoniæ, sed iniustitiæ & infidelitatis. Postremus supereſt scrupulus: Vtrùm nullus metus talem culpam excuset.Respondetur tamen nullum esse in tali re excusantem metum:nam cùm & diuinum ius & naturale id vetet,atq; adeò facin⁹ sit intrinsecè malũ, potiùs gladio succumbendũ est,quàm illud patrandum. ¶Tertium dictum diui Thomæ est:Quenquã pro se rogare ad obtinendum sacerdotium cui animarum cura subiungitur, præsumptuosum est, ac proinde persuas ipse preces indignus redditur:atque adeò peccat pro indigno rogans. Si autem sacerdotium absque tali sit cura, ipse autem vitæ sustentatione indigeat,citra simoniam potest id petere. Ratio prioris membri est, quòd dignitatem quæ ad animarum curam requiritur, si quis in se non agnoscat, iniustè appetit:si verò habere se crediderit insolentia turget: id quod libr.sequenti clariùs pate-

Ad tertiũ argumentũ Prima assertio D. Tho.

Obiectio.

Secunda.

Dubitatio.

Altisiodorensis. Solutio.

Scrupulus.

Responsio.

Tertiũ assertum.

Ratio assertionis.

patebit. Secùs autem de aliis simplicibus sacerdotijs. ¶Hæc veruntamen sententia Diui Thomæ nil mirum si nimium appareat rigida. Enimuerò si de sola episcopali cura illa fuisset prolata, maximam haberet probabilitatem, vt lib. sequenti visuri sumus. Exigit enim episcopalis professio in eo culmine perfectionem, vt possit episcopus cæteros perficere: vt Dionysius ait in lib. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Et ideo, vix non solùm procuratio, verùm appetitus potest esse sine culpa: aut iniustitiæ, si appetens nõ se agnoscat idoneum: aut præsumptionis, si id facilè credat. Cura autem animarum in parœcianis Ecclesijs non tam excelsum expostulat perfectionis gradum. Et ideo non apparet tanta præsumptio si quis se dignum existimet. Secundò ad id arguitur. Potest esse tanta eorum raritas, qui ad parœcias regendas sint idonei, tantaq; Ecclesiarum necessitas, vt viro cuius egregia in populo habetur existimatio tam doctrinæ quàm vitæ, non modò non sit præsumptio, verùm sit charitatis virtus se ad id munus offerre. Tertiò. Potest etiam contingere tanta in prælatis corruptio, vt dignis posthabitis Ecclesias omnes indignis committant: quo certè casu non esset aliud quàm officium charitatis ad occurrendum tali pesti illum qui cõmuni vulgi opinione idoneus habetur, & qui in se nullum crimen agnoscit, prodire, vt per suiipsius electionem alij impedirentur. Nam quanuis nemini de se credere liceat, nec leue aliquod peccatum habere, possunt nihilo minùs multi iustam habere probabilitatem suæ dignitatis, atque adeò ardore charitatis labores sitire qui administrationi Ecclesiæ sunt necessarij: ac perinde cùm Isa. dicere, Ecce ergo: mitte me. Accedit & cap. tua nos. de simonia. quòd pro se rogantem vt in Canonicum eligeretur, reum non facit simoniæ. De hoc autem latiùs libro sequenti in tractatu episcoporum. Interim autem de parœcianis presbyteris sic est sententia Diui Thomæ moderanda. Primùm non ait, vt de episcopo dicturus est, quòd appetere talia sacerdotia sit præsumptuosum, sed pro se rogare: quòd certè vix potest carere scandalo. Secundò id etiam sentit si res per se consideretur: nempè si prouisores sacerdotiorum diuinam legem ad vnguem obseruarent, digniores semper anteferendo. Item in prouincia bene instituta in qua viri non desunt idonei. Tunc enim rogare pro se quenquam

Prima ratio in D. Th.

Secunda ratio.

Tertia ratio

Moderatio sententiæ S. Thomæ.

præsumptuosum esset & scandalo proximum: quia talem tunc virum non tam publica necessitas quàm priuata voluntas ad id adducere videretur. Imò verò non dicit Sanctus Thomas huiusmodi præsumptionem semper esse mortale delictum: quoniã potest esse leuius. ¶Ad quartum respondetur secundùm Diuum eundem quòd hypocrita non confert spirituale propter temporalem laudem, sed solùm seipsum talem demonstrat. Quare per talem simulationem potiùs furtiuè surripit laudem humanam, quàm emat: quapropter illa non est simonia. ¶Huic autem responsioni affine est disputare, vtrùm qui per hypocrisim aut aliam simulationem aliquid acquirit, teneatur illud restituere. Vt si quis nequam simulata sanctitate, aut diues efficta paupertate, eleemosynas aut beneficia acquirat, vtrùm teneatur ea quæ sic acquisiuit suis dominis refundere. Fuit enim assertio antiqui Alexandri & Altisiodorensis: illius quidẽ quarta parte. quæstio. 86. membro. 3. huius verò libro. 4. capite, De restitutione. In quorum sententiam se contulit Adrian. eodem libro, in titulo, De restitutione. Et fundamentum istorum est, quòd hypocrita fraude seducit populum, atq; adeò quicquid sibi illa vafricie acquit falso titulo adipiscitur, ob idque nullum sortitur dominiũ. Perinde ac si ego Petro pecuniã deberem cuius personã mentitus Paulus illam à me extorqueret. Nec omnino opinio hæc quibuspiam probabilitate carere videtur: tametsi nimium sit acerba. Arguũt autẽ cõtra se ipsi hoc pacto: Si episcopus occulto criminoso, aut alteri aliàs indigno, quẽ crederet esse legitimè idoneũ, beneficiũ conferret, collatio teneret: quãuis falsus titulus in causa eius fuisset: ergo eodẽ pacto dominiũ acquirit hypocrita. Respondet Alexãder antecedẽte confesso, inficiando consequẽtiã. Quoniãq; inidoneus est sacerdotio, nõ fingit probitatem illo fine sicuti hypocrita. Quapropter hypocrita fur est & latro. Alter verò etsi ecclesiã ingrediens indignus sit, ingressum tamen legitimũ habet. Ex hac tamen istarũ solutione duo sequuntur. Primũ contra ipsos, q̃ nõ omnis hypocrita tenetur ad restitutionẽ eorũ quæ taliũ intuitu illi erogãtur, sed ille præcisè qui intentione & causa illius lucri hypocrita fit: nam par esse debet ratio illius atq; alterius qui sacerdotiũ suscipit. Quòcircà ex eorum solutione sequitur secundò: Quòd si quis sanctitatem qua caret

Ad quintũ argumentũ

Quæstio.

Alexãder. Altisiodorensis. Adrianus.

Fundamẽtũ proximæ opinionis.

Argumentũ cõtra prætactã opinionẽ.

Solutio Alexandri.

Replica contra solutionem.

ea

ea intẽtione ſimulet vt ab epiſcopo ſacerdotium aucupetur,ſimoniam ſimiliter cõmittat,reſtitutioni obnoxiam:quod re vera nõ eſſet aſſertu ſecurum. Aliâs multi eſſent qui mala fide præbendas poſsiderent,atq; adeò multi curati,quin vero epiſcopi qui verè nõ eſſent tales:quod qui cõcederet,multas Eccleſiaſticas functiones ſuſpectas redderet: atq; inualidas. ¶Igitur prædicta opinio ſi quid veritatis habet,his eſt moderaminibus temperanda. Primùm de culpa nemo dubitat quin ſit grauis,tali viſco ineſcare populũ ad extorquendã eius ſubſtantiã. Sed quãtum ad reſtitutionẽ animaduertendum eſt, aliud eſſe quicquam alteri porrigere ſub cõditione:hoc eſt,do ſi ſis talis qualis appares. Aliud verò abſolutè donare:etſi motiuũ ſit illa qualitas quæ apparet. Collationes autẽ ſacerdotiorũ dignitatũq; eccleſiaſticarũ ambigere non licèt quin abſolutè fiãt,& abſq; vlla prorſus cõditione perinde atq; ſacramẽtorũ diſpẽſationes. Alioquin nihil eſſet in eccleſia firmũ neq; ſolidũ. Quare qui aliter hæc munera diſpẽſare cogitaret,nõ id faceret quod eccleſia intẽdit. Quo fit vt etiam ſi qui ad Eccleſiam aſſumitur, illa intentione mendoſam ſanctitatem venditaſſet, nihilo minùs collatio teneret. Et q̃uis poſt adeptionẽ dignitatis,aut cuiuſcunq; ſacerdotij quis vitam ſuam corruptis moribus contaminet nihilo minùs verè poſsidet, neq; ad reſtitutionem tenetur fructuũ. ¶Per hæc ergo fermè de eleemoſynis iudicãdum eſt. Enimuerò ſi qui eleemoſynã aut hypocritæ aut diuiti perſonato pauperi largitur:ſub tali cõditione id faceret,ſi verè eſt quod apparet, certum eſt non trãsferre dominium,illa nõ aſsiſtente conditione. At verò nõ illo pacto conferri cenſentur. ſed abſolutè donantur: tametſi motiuum ſit falſum:& ideo re vera credendum eſt transferri earum dominium etiam in hypocritas & falſos pauperes cõferantur. Quòd autem abſolutè donentur inde apparet quòd homines propter Deum eleemoſynas largiuntur. Imò quodammodò Chriſto ipſi in pauperibus. Nam quod vni,inquit,ex minimis meis feciſtis,mihi feciſtis. Et ideo non debet tam exacta fieri inquiſitio dignitatis perſonæ ad porrigendũ ſtipem. Et confirmatur:nam vt Adrian. ipſe concedit quando cauſa finalis eſt vera, licèt motiua ſit falſa,tranſlatio dominij non impeditur: vt patet in alijs negotijs. Si enim quis famulum quem putat eſſe bonum cõducat,licet non ſit talis,nihilo minùs acquirir mercedis dominium: dummodò ſeruiat, quæ fuit cauſa finalis:quanuis non tam bene ſeruiat,vt herus putabat. Eleemoſynarũ autem finalis cauſa eſt charitas Dei, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: ergo licèt motiuum ſit falſum,ſcilicet perſonæ dignitas:non impeditur dominiũ. Aliâs qualecunq; mendacium diceret pauper,ſubmitteretur reſtitutionis iugo. Et poſtremò ex alio iſtorum aſſerto arguitur:Si hypocrita & mẽtitus pauper tenetur reſtituere,quæritur cui facienda ſit reſtitutio. Reſpondet Alexan. non illis qui eleemoſynas porrexerunt:quippe qui propter Deum earum à ſe dominiũ alienârunt,ſed faciẽda eſt reipub. vel alijs pauperib⁹ quibus fuiſſent fortè collatæ. Sed contrà redarguitur. Si qui eleemoſynas largiti ſunt à ſe dominiũ abdicârunt fit vt in ipſos tranſtulerint quibus tribuerunt:nam in Deum non tranſtulerunt niſi in iſtos quibus eius cauſa donârunt. Porrò ergo opinio illa non eſt neceſſaria. Quod ſi nos rurſus vrgeas:Illi eleemoſynas porrigentes non ſponte fecerunt & voluntariè: quandoquidem ignorantia fuit in cauſa, quæ ſecundùm Ariſtote. facit inuoluntariũ. Quare D. Thomas ait hypocritam furtiuè ſurripere laudes. Inuolũtaria autem donatio nõ valet. Negatur prior præmiſſa,non enim omnis ignorantia facit inuoluntarium quando non ignoratur potiſsima cauſa operis. Sciunt autem omnes miſericordiam officiũ eſſe charitatis,quod nõ indiget tanta exploratione meritorum perſonæ: quoniam licèt pauper non ſit dignus,nulla tamen fit meritorum iactura. Et ideo quanq̃ eadem dignitas ignoretur,nihilo minùs ſpõtanea eſt miſericordia. Hoc in quotidianis eleemoſynis aſtruxerim:nã ſi inſignis impoſtor eximiã, vel ſanctitatem vel neceſsitatem effingeret, vt graue æris pondus exprimeret, credideri talem peſsimum ad reſtitutionem teneri:nam tunc ingens eleemoſyna illa nõ eſſet cenſenda ſpontanea,ſed per fraudem extorta. ¶Soluta ergo reſtant argumenta in contrarium. Conceditur enim talem hypocritã deceptorem eſſe,& quodammodò falſo titulo qui ĩ eo ſit corraſiſſe eleemoſynas:ſed negatur nihilo minùs,propter rationes dictas, dominium non acquiſiuiſſe: quoniã vltroneè in illum tranſlatum eſt. Neq; ſimile eſt quãdo vna perſona pro altera ſupponitur. Si enim quis mihi diceret eſſe Petrum, cui

Qui ſimulata pauperta te eleemoſynam extorquet ad reſtitutionem non tenetur

Confirmatio præteritæ aſſertionis.

Ratio altera ad idem.

Solutio Alexandri.

Replica.

Obiectio.

Solutio.

Limitatio ſuperioris dicti.

ideo id tribuerem quòd nõ nisi Petro largirer, si non est Petrus, nõ tenetur datio: sicut non teneret matrimonium. Error autem in moribus aut in bonis fortunæ nõ habet eãdem efficaciam ad elidendum contractum.

QVAESTIO OCTAVA, De restitutione Simoniae & poena Simoniaci.

ARTICVLVS. I.

Vtrum quicquid per simoniã vel datur vel recipitur, sit restitutioni obnoxium.

POSTREMA Demũ quæstio de simonia, vt restitutionem, ac reliquas pœnas exploret oportet. Apparet nanque nõ esse necessarium vt quisquis per per simoniam præbenda aliqua aut dignitate potitur, debeat illam relinquere. Sũt enim spiritualia quædam quæ semel obtenta abijci nequeunt: vt caractêres qui per sacramentales consecrationes imprimuntur: ergo illi licèt simoniacè acquirantur, non sunt restituendi. ¶Secundò. Contingit episcopum simoniacè esse promotum, cuius subinde pœna est suspensio: & tamẽ ipsum subdito sub anathemate iubere vt à se ordines suscipiat, qui ideo videtur ad obedientiam obligari: nemo tamen ab eo qui potestatem non habet conferendi, intenta re debet recipere: ergo episcopus per debitum simoniæ ab illa episcopali potestate non suspenditur. ¶Tertiò, Nemo pro illo delicto puniendus venit quod se neque sciente neque volente factum est: siquidem pœna soli voluntario delicto debetur: contingit autem nõnunquam vt quis spirituale quidpiam accipiat, alijs clam ipsum id procurantibus: ergo nõ est quòd ille debeat collatione sibi facta priuari. ¶Quarto. Nemo pro sua culpa debet commodum reportare: vsu tamen venire assolet vt si simoniacus id qđ sic acquisiuit resignaret in rem eorum cederet qui fuerunt simoniæ participes: vtpote quando prælatus aut totum collegium cui facienda est restitutio in simoniam consensit, ergo tali euentu nulla est restitutio facienda. ¶Quintò. Dum quis per simoniam ad solenne votum religionis admittitur, non potest ab eodem se voto religare, ergo ab eius restitutione quod per simoniã adeptus est absoluitur. ¶Sexto. Exterior pœna in hoc sæculo non debet pro intimo cordis motu infligi: quippe qui soli Deo patet: accidit autem simonia non solùm foris in opere, verùm & intus in corde: qua ratione, vt suprà patuit, per volũtatem definitur: ergo eiusmodi simonia nulli est restitutioni obnoxia. ¶Septimò arguitur. Multò plus est ad altiora promoueri quàm in susceptis permanere: Quandoque autem cum simonia fit dispensatio vt ad sublimiora euehantur: ergo non semper debent susceptis orbari. ¶In contrarium est sententia illa canonis Si quis episcopus. 1. q. 1. Qui ordinatus est, nemo ex ordinatione vel promotione quæ est per negotiationem facta proficiat: sed sit alienus à dignitate vel solicitudine quã per simoniam acquisiuit.

Primũ argumẽtum.

Argumentum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4

Argumẽ. 5.

Argum. 6.

Argum. 7

AD quæstionem vnica cõclusione respõdeo: Quicquid per simoniã acquisitum est, siue pecuniario pretio, siue munere alieno perinde valẽte, restitutioni subiectũ est: videlicet, neq; qui spirituale emit retinere illud põt, neq; pretiũ ille qui vẽdidit. Probat cõclusio. Nemo id retinere potest quod cõtra voluntatẽ Dñi acquisiuit: vt si dispensator res heri sui distraheret, neq; ipse posset retinere pretiũ, neq; res emptores retinere. Dñs autẽ, cuius dispensatores sunt Ecclesiarũ præfecti, lege cauit nè spiritualia q̃ gratis ipsis in cõmune bonũ collata sunt, pretio distribuerent, secundũ illud Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date: ergo si pretio eodem spiritualia dispensant, neq; venditor pretiũ, neq; emptor spirituale retinere põt. ¶Circa hanc conclusionẽ cũ eius, quæ S Thom. est probatione, primũ dubiũ est quo iure vigorẽ habeat veritatis: diuinóne & naturali, an verò solo põtificio. De hoc nãq; nulla extat dubitatio. Totũ em̃ canonicum ius id cõclamat: vt patet canone citato. Si quis eps. vbi qui dignitatẽ p simoniã emit, ab eâdẽ iubet esse alienus: & can. presbyterũ. eâ. cau. & q. qui per pecuniã Ecclesiã obtinuerit, priuari ea iubetur. Et vice versa, cap. de hoc. de simonia: Reges qui pretium vt in electionem cõsentirent acceperint, idem pretium restituere coguntur. Et in Extrau. Martini. 5. quę extat inter acta concilij Constantiensis, sessione. 43. Sancitum est vt electiones, postulationes,

Conclusio responsiua.

Probatio cõclusionis.

Dubium.

stulationes,& quæuis prouisiones simoniacæ nullæ sint ipso iure. Vnde fit vt neq; præbendæ neq; pretium pro ipsis pensum retineri valeat. Id quod & Paulus Secundus in sua. Extrau. cùm detestabile. cõstantissimũ esse voluit. Præterquàm quòd eiusmodi simoniaci prælati perpetuæ damnationi perpetuè adiguntur, & excommunicati ab ordinis officijs suspenduntur: vt patet ibidem, & cano. Si quis dator. & cano. Si quis episcopus. 1. q. 3. Quin verò mediatores, & intercurrentes, ac procuratores omnes excommunicantur ibidem. Vtrùm verò iure etiam naturali, ac perinde diuino vtraque restitutio, scilicet tam præbendæ quàm pretij sit iussa, ambigitur. Et quidem quòd qui sacerdotiũ vendidit ad pretij restitutionẽ teneatur, manifestè ex naturali, diuinoq; iure colligitur. Nam cùm spirituale non sit natura sua vendibile, sed gratis dari iussum, vt per verbum Christi proximè citatum constat, palam est iniquè recipi: sicuti de vsuraria pecunia suprà monstratum est. Quòd autem ille qui præbẽdam vel quippiã spirituale pretio recipit teneatur diuino naturalive iure illud relinquere, nulla videtur ratio conuincere: nam vt in exẽplo conclusionis persistamus, bifariàm dispensator potest res domini contra eius voluntatẽ alienare. Vno modo quia dominus nullatenùs id præcepit & tunc iure naturæ ille cui hæc traduntur non acquirit dominium. Altero modo quia herus præcepit, vt gratis dentur: verbi gratia, pauperibus distribuatur frumentum. Et tunc etsi dispensator, id pauperibus diuẽdens teneatur pretium reddere: tamen pauperes qui gratis erant accepturi, etsi quidpiam pretij rependant, nullatenùs tenentur res ipsas restituere. Pari modo Dominus præcepit dispensatoribus suis spiritualia gratis distribuere: ergo qui idonei erant, etiam si emerint, non tenentur id quod emerunt restituere iure diuino neq; naturali: sed ratione ecclesiastici iuris cassantis huiusmodi prouisiones. Id quod exemplo vsuræ confirmatur. Etenim quanuis qui dat ad vsuras restituere sit obligatus, qui tamen pro mutuo vsuram soluit non tenetur. His rationibus probabile fortè quibusdam fiat in iure diuino & naturali non fundari, vt emptor spiritualium teneatur illa resignare. At verò secùs res habet: nã in primis diuus Thomas & doctores ex illo diuino iure, Gratis accepistis, gratis date: inferunt spiritualia empta esse resignanda: imò nò Doctores modò, verùm & iura ipsa: Demonstratur ergo non modò pretij, verũ & spiritualium restitutionem fundamentũ à iure diuino ducere, licèt parum differenter. Spirituale non solùm vendere, verùm ipsum emere est simonia: ergo in iure naturæ eius fundatur restitutio. Probatur antecedens. Spirituale est mera gratia Dei: gratia autem non modò gratia esse desinit: quia non gratis datur, sed quia nõ gratis recipitur: vt probè Leo Papa adnotauit in ca. Gratia. 1. q. 1. vbi ait: Gratia si non gratis datur vel recipitur, gratia nõ est. Et Vrbanus cap. Saluator. 1. quæstio. 3. dicens: Qui Dei Dona quæ gratis accipiuntur vt gratis dentur propter sua lucra vendit vel emit, cum Simõne donum Dei possideri pecunia existimat. Imò Simõ in hoc priùs quòd spirituale emere voluit, cõtra Spiritus sancti gratiam, atq; adeò contra ius diuinum peccauit: licèt posteà eandem gratiam vendere cogitaret. Neq; solùm gratiæ emptio diuino iuri aduersatur, verùm & contra ipsam est rerum naturam: nam gratia non pretio, sed gratis possideri debet. Itaq; etsi Christus tantum dixerit: Gratis accepistis, gratis date: in eo tamen quòd dixit, gratis date, intellexit quòd omnes gratis debent accipere. Vnde non minori iniuria ei infert qui emit quàm qui vendit: nam vult Deus gratiam suam sibi soli deberi: & qui emit, profitetur se non à Deo ipso, sed à venditore recipere. Quocircà non solùm vendere, verùm emere, quia est contra diuinã gratiam, peccatum est, vt supra diximus, contra religionem. Atque in hoc simonia ab vsura differt. Vsura enim solùm prohibetur in bonum proximi: puta ad cauendum iniustitiã nè pretium pro eo quod non est vendibile recipiatur. quare vsura solùm ex parte accipientis, & non ex parte dantis est iniustitia. In simonia verò ex vtrâque parte peccatur contra religionem & contra Dei iustitiam: quippe qui non tãtùm dispensatoribus suis iussit gratis illa donare, verùm cunctis inhibuit nè aliter quàm gratis illa reciperent, vt illa ratione confiterentur à solo se Deo suscipere. Et per hoc liquent eorum argumentorum solutiones quæ proximè faciebamus. Igitur si spiritualia emere, simonia est, cõtra ius diuinum & naturale: nempe cõtra rationem gratiæ: & ideò ibidem iactum est restitutionis spiritualium fundamentum. Dixerim, iactum fundamẽtum: quoniam modò id solũ constituimus, quod tam emptio quã

Paulus. 2.

Qui sacerdotiũ vẽdit diuino ac naturali iure tenetur restituere pretiũ

Emens spiritualia teneẽ reſignare iure diuino.

Ratio assertĩ

venditio sit iure naturali ac diuino simonia: an verò eodem iure impediatur translatio tam præbendæ quàm dominij pretij, vt restitutio ipsa perinde atque in vsura sit de iure diuino, in responsione sexti argumenti inter enarrandum cap. mãdato. de simonia. dilucidabitur. ¶ Post hæc ad penitiorem conclusionis intelligentiam recolenda est, si cuti vsurę, ita & simoniæ celebris distinctio, in realem ac mentalem. Simonia realis est illa quæ pacto, fit vel expresso vel tacito: hoc est nutibus significato. Quanuis nisi posteà re vera sequatur executio pacti: hoc est si nõ soluatur constitutum pretium, tunc venditor ad nullam in conscientia restitutionem teneatur: vt de vsurario etiam diximus: quãdoquidem nihil recipit. Vtrùm verò qui præbendam recipit teneatur illam resignare, statim examinabitur. Simonia verò mentalis est internum propositum & intentio dandi aut recipiendi spirituale pro temporali: ad cuius percipiendum intellectum ad id recurrito quod libr. 6. de vsura mentali diximus. Est enim lubrica fallaxque illa regula, quòd principaliter intendatur pretium aut minùs principaliter: sed est philosophico more ex obiecto mens perpẽdẽda: Nimirum vt illa præcisè mentalis simonia censeatur, cuius obiectum est simonia realis: scilicet intentio dandi recipiendive spirituale pro pretio temporali. Vnde si quis episcopo ex sua liberalitate ad conciliandam eius amicitiam seruit & certus sit neque se recepturum neque episcopum largiturum pro seruitio, sed speret quòd factus amicus fortè id gratis dabit, cuius ipse est dignus, nulla est mentalis simonia: quia obiectum ipsum, scilicet, dare ratione amicitiæ, nulla est simonia realis. Neque si cogitet dare aliquid liberali honestaq; datione, quasi gratias referens, aut quasi aliquid ex laudabili consuetudine debitum. Neque vice versa si episcopus taliter intendat recipere. ¶ Colligit autem Caietan. in sua summa trinam simoniæ speciem. Prima consistit in sola intẽtione absq; vllo opere: Nempe cùm quis mẽte decreuit spirituale vendere aut emere: quamquidem certissimum est non esse pœnis iuris subiectam: cũ ecclesia de illis non iudicet. Secunda verò est, de qua Doctores loquuntur, dum quis foris munera offert intentione praua, sed latente. Dum scilicet celat qua intentione id facit. Et dum prælatus corrupta etiam intentione quam occulit, spirituale confert. Tertia, inquit, quando pactum interuenit, sed non mandatur executioni. Imò antequàm collatio fiat vtrinque à præcedenti conuentiõne desistitur. Hæc autem non tam mentalis dicenda est, quàm realis nondum perfecta. Propter quam licèt peccatum sit graue, nemo pœnas iuris incurrit. ¶ Dubium hinc autem non dissimulandum exurgit: Vtrùm sicuti contingit simonia mentalis absq; reali, ita vice versa contingere realis possit absq; mentali. Est, verbi gratia, deceptor quispiam atque impostor qui pretium episcopo pro sacerdotio pollicetur, idq; instrumento confirmat: absq; vlla tamen implendi intentione. Apparet tunc ex vna parte simoniam oriri: quandoquidem si hoc innotuisse ecclesiæ, pœnis ille iuris adigeretur expoliaretur-q; sacerdotio. Ex altera verò nulla videtur simonia: vtpote cum externa operatio ex intentione sit pẽsanda, à qua speciem sortitur. Dicendum ergo re vera non esse simoniam: neq; in foro cõscientiæ præbenda donatum teneri eã relinquere: vt Caiet. ait. q. 10. primo quoli. Ecclesia tñ certior rei facta, quia de exterioribus iudicat, legitima præsumptione eum condemnaret. ¶ His deniq; prælibatis conclusio in primis restitutionem imperãs, omnem complectitur realem simoniã, vbi pretium verè solutum est. Vbi autem pactũ præcesit, sed nõ subsequutum est pretium, iam dictum est venditorẽ ad nihil teneri, sed solùm ad delicti pœnitentiam. Vtrùm verò emptor teneatur sacerdotium dimittere, distinguendum est. Si enim ante collationem explicat se pretium non daturum, non dubium quin collatio, si fiat, teneat: neq; opùs est dispensatione habilem eum reddente ad suscipiendum. Et vsq; ad hanc veritatem intelligendum est veridicum illud dictum, cuius modò meminimus: Quòd si pactum non mandetur executioni, non incurritur in pœnas iuris: Si verò sub tali pacto collatio fiat, nullatenus hæsitari debet quin collatio nulla sit. Id quod propterea tam asseueranter affirmamus, quòd video nonnullos de hoc deceptos. Et in primis assertio fuit sancti Thom. in articulo præcedenti: nam ob id consultò expresit, quòd si aliquis det rem spiritualem pro aliquo temporali obsequio exhibito vel exhibendo, simonia est. Et ratio est manifesta: nam illic est expressa emptio & venditio. Qui enim creditò vẽdit, verè vendit. Adde quòd collatio non dependet ex futuro contingenti, sed suppositio pacto,

Distinctio simoniæ.

dividit simoniam in realem et mentalem:

Illa simonia mẽtalis censenda est, cuius obiectũ est simonia

Triplex species simoniæ

Dubium.

Solutio.

Omnis simonia realis ad restitutionem obligat vbi pretium solutũ est.

Dubitatio.

cto, protinùs absolutè fit. Quare iam inde est simonia quidquid posteà subsequatur: videlicet siue pretium soluatur siue secùs. Aliàs nunquam sub pollicitatione committi posset vsura: quod est falsum. Neq; refert pactum scripto & cum iuris solennitate fuerit celebratum, an solo verbo inter duos absque arbitris: dummodo fidem tuam impignores pollicitus te daturum pro præbenda: quandoquidem inde exoriretur ciuilis obligatio quæ in alia materia firma esset & valida: secus si non interueniat talis obligatio, sed aliqua spes fiat alicuius referendæ gratiæ de honestate.

¶ De simonia verò mentali, obligetne ad restitutionem, in responsione sexti dicendum est. Interim ergò de reali dicere consequitur, cui, quomodoque sit restitutio facienda. Et priùs quidem de pretio, mox de præbenda aut re alia spirituali susceptа. Et quidem quando ante rei spiritualis collationem præcedens pactum dissoluitur: etiam si pretium fuerit solutum, nullum est dubium quin restitutio eidem sit facienda qui pretium largitus est: siquidem, vt modò dicebamus, ob illam simoniam nemo fit reus pœnarum iuris Confessio est Caietani in sua summa. At verò si simonia executioni mandata sit, scilicet collatio tam pretij quàm præbendæ facta, tunc est dubium. Omnes enim in hoc consentire videntur, etiam diuus Thom. in solutione quarti: quòd restitutio pretij sit facienda vel ecclesiæ in quo simonia confecta est, aut pauperibus. Augustinus enim, vt habetur cap. Non sanè. 14. q. 5. restitutionem malè acquisitorum pauperibus adiudicat: capi. verò, de hoc. & capit. audiuimus. de simonia. ciusmodi pretia simoniaca ecclesijs restitui iussa legimus. Idemq; expresse Cæsar imperauit in Authentico de sanctissimis episcop. Attamen si res penitiùs inspiciatur, distinguendum est. Etenim post condemnationem, extra controuersiam faciendam esse constat restitutionem ecclesiæ vel pauperibus, aut quemadmodum Papa iusserit: quoniam & qui dedit: ob crimen, mulctatur ære quod dedit: & qui recipit, dominium non acquirit. Verùm tamen dum crimen non est delatum sed in foro cõscientiæ latet, persuadere aliud mihi non possum quàm quòd restitutio pretij facienda sit eidem qui dedit. Et ratio est quòd lex pœnalis, vt libro primo disputauimus, ante condemnationem reum non ligat, vt ipse teneatur exequutorem esse sui supplicij aut mulctæ. Cùm ergo ille præbendæ emptor ob crimen veniat suo pretio mulctandus, fit vt ante condemnationem de crimine non amiserit vel dominium vel possessionem, vt illic declarauimus: ac proinde cũ dominium translatum non fuerit in recipiẽtem, fit vt suo sit domino redhibendum. Neque quicquam refert iurene diuino & naturali: an solo ecclesiastico impediatur trãslatio dominij. Posset enim forsan in prẽsentiarum quisquam cõminisci trãslationem pretij non esse prohibitam diuino iure aut naturali: nã licèt Dominus noster iusserit gratis spiritualia cõferri, nihilo minùs quia præbenda res est æstimabilis pecunia, quanquã vendere peccatum sit, nihilo minùs iure naturali acquiritur pretij dominium, pariter vt præbendæ: sed quia ecclesia annullauit cassauitque tales contractus, vt patet iuribus suprà citatis, proclamantibus esse nullos potuit ipso facto pretium applicare pauperibus. Huiusmodi autem commentum bifariàm, vt reor, peccat. Primum enim arbitror iure diuino & naturali dominium pretij nõ transmitti. Nam cùm Deus gratis dare iusserit pretium, pro re non vendilibili datur. Quidquid sit de collatione præbendæ. Secundò etiam si talis annullatio contractus ex solo statuto ecclesiæ ortum habuisset, nõ potuit eadem sancta ecclesia simoniacũ emptorem indicta causa in pœnam adigere, quousq; esset de crimine condemnatus. Ex his ergo sequitur quòd qui tale pretium recepit, perinde atque vsurarius debet absque vlla mora nullaque expectata iudicis sententia restituere illud tanquàm alienum, cuius dominium non habet dummodò cautionẽ capiat nè posteà cùm fiscus resciuerit, cogatur iterato soluere. Quanuis illi qui dedit repetitio iure non permittitur: quandoquidẽ re cognita pretio mulctabitur. ¶ De restitutione autem præbendæ longe diuersa est ratio: etenim si collatio facta est, restitui immediatè priori possessori non potest. Quoniam dum prælatus secundum suam æstimationem Petro contulit, Paulò simpliciter abstulit. Quare neuter eius dominus est: videlicet neq; Paulus, quia illi fuit adempta: neque Petrus, quia ratione simoniæ inidoneus factus est recipiendi. Quocircà Paulo restitui aliter nõ potest nisi resignatione in arbitrio prælati facta qui reddat: præuia tñ dispensatione super irregularitate per simoniam cõtracta. Quanuis retecta Papæ simonia, qui

Quãdo ante rei spiritualis collationẽ pactũ præcedés dissoluit restitutio accepti pretii ei faciẽda est qui soluit. Caietanus. Dubium. S. Thomas. Augustinus

Simoniacus post cõdẽnationem restituere debet ecclesiæ vel pauperibus: alias ei qui dedit.

Ratio proximæ assertionis.

de restitutione præbẽdæ

solos simoniacos habiles reddere valet, nihil obstat quo minùs Petro denuò prouideatur Sed est aduertendum quòd quãuis simoniacus solo iure pontificio irregularis sit atque inhabilis ad recipiendum sacerdotium vel rem spiritualem, atque adeò eodem iure impediatur translatio dominij, vt artic. proximo apertius fiet: nihilo minùs ius illud cogit vt nulla expectata sentẽtia protinus resignet præbendam: vtpote cuius non est legitimus possessor. De fructibus autem perceptis in solutionibus tertij & quarti dicendũ.

Ad primũ argumentũ AD primum igitur argumentum multa diuus Thomas respondet. Primùm q etsi quisacro ordine simoniacè initiatur characterem propter sacramenti efficaciam suscipiat, haud tamen sacramentali gratia propter obicem simoniæ suffunditur. Secundo subdit quòd ab ordinis executione suspenditur ob id quòd quasi furto contra domini voluntatem characterem surripit. Vbi id quòd anteà diximus recolendum est: nempe quòd non solùm dare, verùm recipere spirituale pretio, delictum sit simoniæ. Tertiò addit suspensionem ordinis eò protendi vt non modò suspensis non liceat ordinis munere fungi, verùm neque alijs fas sit eis in tali executione communicare, siue delictum publicum fuerit siue occultum. Itaque dum quis pretio quantumuis occulto, hoc est nõdum in ius foras delato, sacerdotalem ordinem suscipit, neque celebrare potest, neque alij, qui id sciuerint eius celebrationi interesse. Quartò subiungit talem simoniacum repetere non posse pretium. Intelligo hoc autem in publico foro, vt nuperrimè dicebam: nam priuatim ante condemnationem arbitror eidem esse restituendum. Quinto denique concludit, quòd simoniacus inde factus quòd ordinem simoniacè contulit, aut præbendam vel dedit vel recepit, vel mediator fuit, si delictum sit publicum, puta iudiciali foro, iure suspenditur & quo ad se & quo ad alios: si verò secretum, tunc duntaxat est suspensus quo ad se. Notanda ergo hic est differentia quod in collatione beneficiorum: nec dans nec recipiens quando delictum est occultum, est suspensus quo ad alios, sed tantùm quo ad se. In collatione autem ordinum licèt conferens eadem liberetur lege: scilicet vt crimine occulto, non sit suspensus nisi quo ad se: recipiens tamen, etiam si sit occultum, vtroque modo est suspensus. Sententia est antiqua, quam Panormita. supercapitu. tanta. de simonia. comprobat. Et arbitror eam esse rationem quòd cùm in suscipiendo radix ipsa infecta fuerit, non solum ipsum ab executione voluerunt iura arcere, verùm & quoscunque, priuatim id scientes quanuis crimen occultum esset: hoc est nõ in publicum iudicium pertractum. Dator verò si legitime erat ordinatus, satis duxerunt, vt ipse abstineret, reliqui verò non tenerentur eum euitare, nisi publicitùs esset condemnatus. De istis suspensionibus extãt iura in Extrauaganti Martini supra citata, Sacro. quæ est in concilio Constantien. & in Extrauag. damnabile. eiusdem Marti. & Eugenij. & in alia, Cum detestabile. Illa autem quæ de aliorum cõmunicatione cum simoniacis hic recensentur, ad sæculum diui Thomæ referenda sunt: nam posteà ad consulendum timoratis conscientijs decretum est in concilio Constantien. vt nemo excommunicatum vitare teneatur, nisi nominatum, vel eum qui fuerit publicus clericorum percussor. Nec satis est quòd sit nominatus generali nomine criminis, puta simoniacus, aut hæreticus: sed requiritur quòd sit de proprio nomine expressus. Alias non esset delicatis conscientijs satis succursum. Quare cum omnis excommunicatio suspensionem secũ afferat, fit vt etiam à suspensis antequàm publica sententia nominati sint, possint legitimi subditi sacramenta suscipere, etiam absolutionis. Imò verò subdito suum ius petente parœcius potest sine culpa illi sacramentum administrare: quia hoc totum in fauorem subditi indultum est. Dum modò tamẽ non celebret: id quod peccator citra immane sacrilegij crimen facere non potest.

Panormita. *Ratio asserti* *Martinus.* *Eugenius.* *Cõciliũ Constantiense.*

Ad secũdũ ¶Ad secundum pari modo respondetur quòd ab episcopo simoniacè promoto non solum propter præceptum, verùm & propter eius excommunicationem nemo debet ordines suscipere absq; dispensatione. Idque, vt diuus Tho. ait casu etiam quo subditus probare crimen non possit. Alias recipiens participaret cum illo in crimine. Hoc autem simili modo quo proximè dicebamus venit intelligendum: loquebatur enim secundùm leges sui sæculi. Iam quippe nunc nisi talis episcopus nominatim sit excommunicatus, potest subditus iuxta dictum decretum ab ipso petere sacramenta. Si tamen ei sit necessarium. Neq; vero episcopus tunc administrans delinquit. Secùs si sua se sponte ingereret: vt si

subdito

subdito non petente præcepto cum ad recipiẽdum vrgeret: aut si extraneos ordinaret. Quare tunc subditus non tenetur ei parêre. Ab episcopi autem communione qui aliter quàm per sui promotionẽ simoniacus est, nisi crimen esset iuridicè publicatum, neque secundùm iura antiqua vllus tenebatur abstinere. ¶Ad tertium respondetur bifariam quenquã, veluti de vsurario & fure dictum est, ad restitutionem teneri. Vno modo ratione acceptionis: quando scilicet peccauit accipiendo. Altero verò ratione rei acceptę, quando videlicet rem possidet quæ non est sua. Igitur dum quis sciens & prudens, sua sponte vel ordines vel ordinibus adiunctas præbẽdas susceptit, tenetur tunc ratione acceptionis. Quapropter non solùm ijs priuatur quæ accepit: nempe ordinis executione & beneficio cum perceptis fructibus, verùm & alios quos fortè non percepit: potuisset tamẽ aliꝰ legitimè possessor percipere, restituere tenet: quia omniũ dãna per iniuriã dedit: deductis tamen expẽsis causa fructuũ factis: etsi quos in ecclesiæ vtilitatem legitimè, vt tenebatur, fecit. Quando verò se nesciente neque volente per simoniam promotus est, tunc quidem solùm tenetur ratione rei acceptæ: & ideo cùm primùm resciuerit, ab ordinis executione suspensus esse debet: sed tamen eos tantùm fructus restituere, quibus factus est ditior. Haud tamen eos insuper, quos suis vsibus bona fide insumpsit. Si verò ille qui pecuniam eius nomine obtulit in fraudem id fecit atque astu, vt postea ipse expoliaretur: tunc nisi ipse cõsenserit nullatenùs expoliandus est. ¶Ad quartum respondet diuus Thomas quòd tam pecunia vel possessio, hoc est, prælato impensa, quàm etiam fructus simoniacè percepti sunt ecclesiæ restituendi, etiam dum prælatus vel aliquis collegij in simoniam consensit. Si autem totum collegium fuerit eodem contractu infectum, tunc per facultatem prælati facienda est restitutio, vel alteri ecclesiæ vel pauperibus. Et quidem id quod de fructibus asserit, ad verbum verissimum est secundùm antiqua iura: tamen si iam nunc mos habet Romanus vt Papæ obtingant ad suos sustinendos apostolicos sumptus. Quare cũ illo fieri super eos potest cõpositio, ab illoq; obtineri remissio. Quòd autem de simoniæ pretio addit, intelligendũ arbitror eo modo quo suprà à nobis expositum est: Nempe postquàm quis fuerit criminis condemnatus: nam dũ res est occulta, existimo ei qui dedit redhibẽdum. ¶In solutione ad quintum enarrat diuus Thomas decretum Lateranensis concilij sub Innocẽtio Tertio quod proximè eius tempora celebratum est, refertur q; cap. quoniam. de simonia. vbi qui ad religionis professionem simoniacè sunt recepti, nisi sustentationis gratia (vt suprà explicatum est) non quidem solennis voti obligatione liberantur: quia nequiuerant: sed tamen de suo monasterio repulsi ad perpetuã pœnitentiam in artiori regula subeundam addicuntur. Quod autem subsequitur, nihil ad præsentia tempora attinet, sed ad illos qui ante eiusmodi decretum fuerant delinquentes: qui scilicet tantùm cogebantur in alijs cõuentibus eiusdem ordinis cõmorari.

Ad tertium

Ad quartũ

Mens sancti Thomæ.

Ad quintũ Concilĩ Lateranense.

SExtum denique argumentum quod in præsentiarum longè plus ambiguitatis affert, ad explorandam naturam mentalis simoniæ adhibitum est: obligétne ad restitutionem dum foras opere non prodit. Et qui dem si qui præbendam recepit nullum reverа tribuit pretium, tunc collator, etsi pretiũ ex pacto speraſſet, ad nihil teneretur: vt de vsurario diximus. Sed dubiũ est de illo qui prębendam susceptit si citra pactum credidit se eandem per simoniam recipere, videlicet vel quia collatorem spe pretij allectum arbitratur eandem contulisse, vel quia munera præmiserat praua intentione, quæ etiam prælatus nihilo saniori receperat. Tunc inquam dubium est neque parùm molestum vtrùm teneatur resignare præbendam: & pariter prelatus quicquid receperat restituere: nam si leges vsurarias consulas, dum vsurarius mente concipit id quod ab altero sibi vltra fortem porrigitur, non gratis, sed ratione mutui porrigi ad restitutionem tenetur. Tamen in contrarium existit textus, vt multis apparet, expressus in cap. mãdato. quòd vltimum est tituli de simonia. Vbi habetur quod quando sic inter duos contingit, vt alter ab altero spirituale quidpiam, scilicet locum in monasterio, vlter verò scilicet conuẽtus temporale recepit, vtrinque tamen corrupto affectu, videlicet quia vterque apud se credidit id sibi simoniacè collatum, imò fortè vterque eadem intentione largiebatur: dum modò nullum exterius interuenerit pactũ, nullaq; expressio corruptæ mentis, neuter ad restitutionem, vt plerique rentur, obligatur: sed satis vtrique est per solam pœnitentiã

Dubium.

Ad sextum

nitentiam suo satisfacere creatori. Hoc ergo capitu. quatenus aliter sentire videtur quàm de vsura definitum est, prægrande Doctoribus facesit negotium ad expilcandum. Vn de Hostien. super eodem cap. distinguens ait, ea quæ per simoniam contra ius diuinũ acquiruntur necessaria esse quæ restituantur: quæ verò per simoniam de iure positiuo, hoc est malam quia prohibitã, esse à restitutione libera. De quibus, inquit, Papa illic loquebatur. Consentit Hēricus Gandensis quotlib. 6. q. 26. inquiens in dicto cap. sermonem haberi, non de illo qui pro ingressu religionis pecuniam contulerat, sed de illis monachis qui honorifica loca coëmerãt, puta Abbati propinqua. Attamen si legitimum significatum introspicias, locus in monasterio pro eodem vsurpatur quod est admissio ad religionem. Quare illic proculdubio de simonia cõtra ius diuinum initus est sermo. Vnde statim subtexitur mentio resignationis spiritualium. Quocirca Panorm. illic credens nullum simoniæ mentalis genus ad restitutionem obligare, etiam si munus siniſtra intẽtione & detur & recipiatur, hoc discriminis inter vsuram & simoniam comminiscitur quòd in odium vsurariorũ iussa est restitutio vsuræ mentalis: nè scilicet illo palliamento crimen obtegeretur: non autem restitutio simoniæ. At verò maiorẽ sanè deberet simonia inuidiã parere quàm vsura: vt pote quæ virulentior est. Addit ergo secundò quòd forsan dictum capitulum est intelligendum quando principalis intentio non est simoniaca. Verùm tamen neq; hæc valet solutio: quia in vsura, vt suo loco declarauimus, quacunq; intentione recipiatur aliquid vltra sortem prouisu pecuniæ, est vsura. ¶ Ioannes Andreas super dicto cap. aliud. minoris probabilitatis affert discrimẽ: nẽpe quòd in vsura sola mensvsurarij est deprauata, exigentis aliquid vltra sortem: nõ autem alterius soluentis. Et ideo iubetur ei fieri restitutio. In simonia verò vtriusque animus est corruptus. Nam tam emi quàm vendi spirituale prohibetur: & ideo cæteris paribus melior est conditio possidentis vt vterque permittatur id possidere quod recepit. Præterquàm, inquit, quòd per vsuram magis vulneratur charitas. Sed tamen quòd hæc cõficta interpretatio minùs sit ad rem accommoda, inde patet quod depraua ta mẽs nemini debet suffragari. Quare multo minùs simoniacus deberet dominium acquirere, quàm vsurarius Nam aliâs etiam si pactum interuenisset, deberet vterque dominium acquirere. ¶ Caietanus ergo longè alia via procedit. Ait inquam secus habere simoniam quàm vsuram: nam vsuram inquit qui soluit, inuitus dat. Quare alter neutiquàm dominium acquirit. In simonia verò vterque dat vltroneus: nam cùm præbenda suapte natura æstimabilis, vt ei videtur, sit pretio, lubenter eam recipiens pretium soluit: quare nisi ecclesia prohiberet translationem dominij, teneret vtrinque datio: & quia citra pactum non impedit, vterq; euadit dominus. Sed neque ista solutio hærenti animo satisfacit: nam perinde simoniacus inuitus videtur conferre pretium, atque ille qui accipit ad vsuras: siquidem mallet gratis accipere, vt iure diuino alter tenebatur cõferre. Innumeræ denique sunt expositiones aliæ huius textus, quod indiciũ magnæ eius obscuritatis est. ¶ Igitur vt rem quàm maximè ego possum perspicuè explicare pergã, totum dubium ex illo pendet quòd ex præcedẽtibus huc reposuimus enodandũ: nempe vtrùm restitutio tã pretij simoniaci quã rei spiritualis, sit de iure diuino & naturali. Et primùm omnium hoc confessissimũ sit, quòd vtrinque contra ius diuinum committitur simonia: scilicet tã ex parte emẽtis quã ex parte vẽdentis. Qua ratione, vt suprà exposuimus, simonia differt ab vsura: quoniã non solùm vendens, verùm & emens aduersatur naturæ gratiæ spiritualiũ: scilicet quæ gratis debent non solùm dari, sed etiam tanquàm Dei donũ recipi. Secundò & hoc cõpertissimum est, quòd restitutio ex vtrâque parte in simonia hactenùs est de iure diuino quod in tali diuina prohibitione vendendi & emendi fundatur: sed hoc est quod apud neminem disputatũ reperio: cùm ab omnibus huius capituli interpretibus examinari deberet, videlicet vtrùm iure diuino sit impedita trãslatio tam rei spiritualis pretio receptæ, quã dominij eiusdẽ pretij. Nam si iure diuino simoniacus inhabilis fit ad recipiendum, tunc ecclesia nullatenùs facere potuit vt simoniacus mentalis, puta credẽs aliquid sibi datum in pretium, dominium acquireret. Si autem translatio eiusdem dominij solo iure ecclesiastico est impedita, potuit quidem ecclesia illud impedire interueniente pacto: permittere autem vbi nullum interceret. Et quidem Caietanus hanc secũdam viam est ingressus. Arbitratur enim quòd etsi

Hostiensis solutio.

Henricus Gandensis.

Exploditur præterita solutio.

Panormita.

Solutio altera eiusdem Panormita.

Obiectio cõtra solutionem.

Ioan. And.

Refutatur interpretatio Ioan. And.

Cai. solutio.

Ratio in Caieta.

Sentẽtia authoris.

Caietanus.

etsi spiritualia iubeantur gratis dari & recipi nihilo minùs ex natura sua esse pretio æstimabilia. Quare qui pretium sua sponte pro illis confert, licèt peccet quidem contra diuinam prohibitionem, nihilo minùs dominiũ transfert, nisi vbi translationem ecclesia impediuerit. Et fateor hoc modo planam fieri textus intelligentiam. ¶ Porrò verò ex altera parte suadere contendam, nescio an persuadere potero trãslationem dominij, saltẽ pretij iure diuino impedire: nam de re spirituali empta non est tanta persuasio. Et quò à prohibitione ipsa diuina auspicemur, Christus dicens, Gratis accepistis, gratis date: omne ius sublatum voluit aliquid recipiendi pro spirituali. Si autem nullum reliquit ius recipiendi, fit vt pretium recipiens, nullatenùs, deo vetante, efficiatur dominus: sanè cùm nisi aliquo iure, nemo rei dominus constitui valeat. Secundò. Qui mutuum dat propterea tenetur vsuras restituere, q̃ gratis mutua re debet. Tenetur autem prælatus diuino iure eodem pacto spiritualia conferre: ergo eodem inhabilis fit vt dominus fiat. Quòd si dixeris non ob id vsurarium teneri, sed quia seorsum vsum pecuniæ vẽdit, qui nullis per se est pretij. Pariter arguitur de spiriruali re, nam neque hæc quidem: vt omnes fatentur, est pecunia æstimabilis. Quòd si respondeas ex natura sua esse æstimabilem: saltem vbi est fructiferum sacerdotium: coarguitur nihilo minùs hæc non esse vendibilia. Nam dũ quis pro aliquo magistratu administrando publicum suscipit stipendium, ea lege vt gratis illum administret, si quid vltrà pretij recipiat, non fit dominus, sed adrestitutionẽtenetur: Prælati autem ecclesiastici sunt huiusmodi: ergo siquis eorum pro collatione spiritualium quidpiam recipiat, iure diuino reddere perstringuntur. Eo potissimum q̃ neq; Papa. neq; Antistitum vllus, dominus est spiritualium. sed merus dispensator rerum domini sui: qui gratis id facere cunctis iussit. Quare nec tanquam domini nec tanquam dispẽsatores dominium pretij acquirunt. Accedit huc præterea vrgens admodùm argumentum, q̃ si solo iure pontificio prohibita esset trãslatio dominij in simonia, sequeretur q̃ si quis quid pro administratione sacramentorum, præter sacros ordines, reposceret, verè perciperet dominium. Nam iure pontificio eiusmodi translatio solùm legitur prohibita, vt ait in præsenti articulo diuus Thomas in ordinum & beneficiorum collatione & ingressu religionis: in quibus pro nullis habentur contractus, vt suprà dictum est. Profectò ergo quàm maxima probabilitate pollet, vt in hoc etiam sensu iure diuino fuerit in simonia restitutio iussa: Id quod antiqui semper crediderunt: vt Henricus Gandensis quotlibe. 6. quæst. 26. & Armacha. lib. 10. capit. 23. quibus & quotlib. 9. articulo. 3. Adrianus adhæresit. Imò & sanctus Thomas idem hic videtur sentire: siquidem obligationem restituendi in simonia non aliundè deducit quàm ex verbo Christi: Gratis accepistis, gratis date. Quãuis Caietanus hic in sua Summa, verbo, simonia: & illic Sylvester. §. 2. Panormitanum suprà citatum sequuti, cõtrarium censeant. ¶ Dixerim autem non tam esse persuasionem de acquisitione simoniaca rei spiritualis, quòd nulla sit iure diuino. Tum quòd licet dans pretium peccet cõtra naturam gratiæ, tamen dum id sua dat sponte, nõ videtur inhabilis subinde fieri ad recipiendum. Tum præsertim quòd si iure diuino nulla esset, nullatenùs posset Papa super eo dispensare, & tamen communis est omnium consensus, quòd si alicui simoniacè conferat beneficium, licèt vterque pessimè faciat, collatio tamen teneat vt articulo proximo disputabitur. Tenendo ergo, vt quàm longissimè certius censeo, iure diuino iussam esse in simonia restitutionem, restat ad allegatum capitulum respondere: quod non est facile. Alijs ergo prætermissis solutionibus, duæ sunt quæ alicuius momenti haberi possunt. Vna quòd etsi quis tanquam pretiũ aliquid obtulit prælato, sed tamen nullo expresso pacto, dominiũ in ipsum non trãstulerit: tamen quia restitutio non illi facienda est, sed ecclesiæ, potuit Pontifex illam eidem prælato indulgere, atq; adeò ipsum è vinculo liberare. At verò mihi nullatenùs fit probabile posse ecclesiam condemnare quenquam ad pœnam ante cõdemnationem de crimine: & ideo neq; illum qui pretium dedit priuare suo iure potuit quandiu eius lateret crimẽ. Ob idq; probè ait Adrianus loco citato quotl. 9. Papã non posse restitutionem cuipiam remittere quæ faciẽda est parti quę dedit, sed illam quæ facienda est ecclesiæ. Quanuis & hoc non prorsus improbabiliter potest ad textum applicari: nam illi monachi mentales simoniaci cum dispensationem peterẽt, delictum suum prodebãt. Quocircà iam ecclesia poterat eos qui dederãt eodẽ ptio mulctare, tribuereq; ecclesiæ, atq;

Ratio prima in Caieta.

Secunda.

Tertia ratio

Pretium rei spiritualis in re diuino re stituẽ dũ est Henricus. Ganden. Armachan⁹ Adrianus. s. Thomas.

Caietanus. Sylvester. Panormita.

Prima interpretatio præfati cap.

Ratio in proximam solutionem.

Adrianus.

adeò

adeò restitutionem ei remittere qui possidebat. Attamen ob id solutio hæc nõ omnino quadrat textui, quòd illic Papa nullum indulgentiæ beneficium apparet conferre: sed prorsus id respondere quod est de iure. Alia ergo est solutio Adriani loco citato quæ profectò attente perspecta, vt meum fert iudicium, perplacebit. Ait Squidem illic Pontificem nullatenùs decernere in simonia mentali non esse necessariam resignationem spiritualium, aut temporalium restitutionem: imò contrarium docet: sed lectio quæ punctum & comma ineptè collocat, errorem generat. Vulgò nanque post narrationem casus, responsum in duo diuiditur: videlicet vt post verbum, extendi, fiat rubrica, & inde quasi noua clausula sic legatur: Et ad resignationem spiritualium & temporaliũ quæ nullo pacto sed affectu animi præcedente: in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitẽtiam suo satisfacere creatori: eos pro simonia huiusmodi nõ teneri. Ita vt hoc vltimum verbum referatur ad præcedentia: scilicet non teneri ad resignationem temporalium & spiritualium, Quod profectò Papa non apparet sensisse: qui erat Gregorius Nonus. Nam Gregorius Primus, vt patet canone, Si quis neq;. 1. q. 1. cõtrarium statuisse videtur: vbi admonet quòd qui fraudulento munusculo ecclesiasticam dignitatem acceperit, tenetur illam sub pœna damnationis resignare. Fraudulentum enim munusculũ, planè significat illud quod faaudulenta mẽte absq; pacto expresso supponitur: nam vbi conuentio interuenit, non est fraus, sed aperta iniquitas. Igitur non est credibile Gregor Nonũ contrarium voluisse docere. ¶ Igitur vt rectè textus legatur, præmittendus est casus capituli. Quidam enim dato praua intentione pretio absq; pacto recepti sunt ad religionem: & forsan dederant monasterio aliquam præbendam, & in super aliquod temporale. Postmodùm verò compuncti Romã miserunt vt cum illis fieret dispensatio. Papa verò misit mandatum vt eadem fieret.

Secunda solutio quã author probat.

Qualiter legendus citatus textus.

Sed tamen dubitauit postea eius Abbas de extensione mandati quantum ad duo: nempe vtrùm extenderetur facultas vsq; ad abbates: vt ipse posset cum illis dispensare: item vtrùm extenderetur etiam ad dispẽsandum super resignationibus, nè ex alterutra parte fierent: vt scilicet conuentus resignare non teneretur, sed omnia posset retinere, quæ monachi contulerant. Respõdet ergo ad vtrũq; Pontifex affirmatiuè: dicens, Mandato nostro recepto, vt cum monachis qui per simoniam dato aliquo (scilicet munere tam temporali quan spirituali) locum in monasterio sunt adepti secundùm constitutionem generalis concilij (videlicet Constantiensis: vt habetur capit. quoniam: paulò autẽ in eodem titul. relato) & infrà. Sequitur responsio: Consultationi tuæ breuiter respondentes dicimus, mandatum apostolicum (id est facultatem dispensandi) ad abbates extendi (vt scilicet ipsi valeant dispensare) & ad resignationes spiritualium & temporalium. Itaque verbum: extendi, fertur in hoc quod sequitur: sed interlita rubrica rem obscurauit, peruertitque subinde lectionem, vt intelligeretur non teneri ad resignationes. Debes ergo sic legere. Extendi ad abbates vt ipsi possint dispensare, extendique ad resignationes tam temporalium quàm spiritualium, si modò nullum interuenit pactum: nempe vt abbas possit dispensare: nè resignatio tam temporalium quàm spiritualium, quæ alias necessaria erat non fiat. Addit verò: quæ vtrinque taliter acquiruntur: vt potè quòd dispensetur nè vel monasterium restituat quæ perceperat, neque verò monachi inde abire cogantur: id quod alioqui iuxta tenorem dicti concilij facere tenebantur, & trãsire ad aliud monasterium. Ait ergo Papa quòd in illo casu, id est facta dispensatione, delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori. Verbum ergo, solam, non excludit quin ex natura simoniæ facienda esset tam resignatio spiritualium, quàm restitutio temporalium. Imo cùm dicat mãdatum dispensandi ad id extendi, palàm docet super his dispensationem fuisse necessariam: sed excludit illa quæ in dicto concilio iubentur: scilicet nè exeant monachi à monasterio, sed maneant in suo loco cum sola pœnitentia. Profectò apud me perquã abundè videtur responsio hæc capituli vim explicare: atque adeò cum communis opinio, quòd simonia mentalis non obliget ad restitutionem in eodem solo capitul. fundetur, nõ est cur ei adhibeatur fides, ¶ At sanctus Tho. est cui respondendum superest: quippe qui in præsenti solutione ait sufficere simoniaco mentali de mala intẽtione pœnitere. Cui igitur respondetur non loqui de simonia mentali vt communis opinio intelligit dictum capitu. mandato. alias cùm inter pontificia decreta iam tunc extaret, ipsum citasset,

Obiectio ex S. Thoma.

Solutio.

set. Sed vocat simoniacum mentalem eum qui intendit pretio dare aut accipere rem spiritualem, tamen verè non dat. Colligamus ergo id quod sentimus. Si prælatus aliquid pro collatione rei spiritualis receperit, etiam sine pacto, credens illud in pretium sibi dari, profectò nō magis dominium quàm vsurarius acquirit: atque adeo restituere tenetur eidem qui dedit: si tamen posteà resciuerit id non sibi datum in pretium, retinere potest: Atqui si quando cōfert beneficium scit in pretium sibi munera esse impensa, non tenet collatio. Si autem quando contulit non credebat sibi dari in pretiū, collatio ex parte sua tenet: sed tamen si posteà sciuerit ceu pretium sibi data, restituere tenetur: & collatio constat ob habilitatem emētis fuisse inualida. Et profectò quousq; me vel ecclesia vel sapiētes aliud docuerint, egomet mihi aliud persuadere nequeo.

ARTICVLVS. II.

Vtrum summus Pontifex possit super pœnis simoniæ dispensare.

Primum argumentum. POstremò denique quæritur vtrùm pœnæ simoniæ sint per pontifices dispensabiles. Et arguitur negatiuè. Quidquid Papa potest in tota familia Christiana, potest antistitum quicunque in sua diœcesi: nullus autem ipsorum dispensare super eiusmodi pœnis valet: ergo neque Papa. ¶ *Secundum.* Secundò. Vna, potissimaque pœna, vt articulo proximo differebamus, est spiritualium resignatio, temporaliumq; restitutio. Super hoc autem dispensare nullus videtur mortalium posse: cùm eiusmodi restitutio iure appareat diuino imperata. ¶ *Tertium.* Accedit tertiò, quòd si talis esset in Papa facultas, inde peruius pateret aditus ad simoniarum barathrū: nam & Papa secum ipse dispēsaret vt dū vellet sacerdotia venditaret: quorum nihilominus collationes tenerent. ¶ In contrarium est textus in cap. mandato, proximè expositum, de simonia, vbi Papa facultatem indulsit dispēsandi super simoniam. Id quod celeberrimo vsu cōfirmatur.

Prima conclusio. AD quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Vna. Pœnæ vitio simoniæ decretę: sunt numero quatuor aut quinque. Prima, si verè pœna dici potest, est spiritualiū resignatio, tēporaliūq; restitutio. Hoc patet capi. suprà citatis, si quis episcopus, & cap. præsbyterum. 1. q. 1. & cap. de hoc. & cap. audiuimus. de simonia. Etin extrauagātibus Martini, Eugenij, & Pauli Secūdi, cùm detestabile, quibus contractus simoniacus habet vt nullus sit declaratio ea sit diuini iuris, vt arbitror, siue ecclesiastica sanctio. Vbi autē contractus est nullus, inde protinùs restitutionis vinculum exurgit: Quare nō propriè cēsenda est pœna, sed naturalis obligatio vt quisq; alienum relinquat. Quā ob rem nulla est (vt suprà diximus) expectāda sententia. Secunda pœna est, Papalis excōmunicatio: vt eisdē Extrauagantibus patet: & cano. reperiuntur. 1. q. 1. quæ quidē (vt libr. 1. expositū reliquimus) ipso facto incurritur per sententiam ipsam iuris, eiusdemq; admonitionem. Tertia est suspensio ab ordinum functione qui per simoniam recipiuntur: vt patet eodem cap. si quis episcopus. &, reperiuntur, & in eisdem Extrauagātibus Martini & Eugenij. Atqui excōmunicationis pœna communis est etiam mediatoribus: vt inibi patet. Itaq; illi qui suo negotio causam præbent, vt alij simoniacè cōtrahant, sunt ipso facto excommunicati. Quin verò & quotquot certa scientia testes essent simoniæ, iure antiquo tenebantur sub anathematis pœna reuelare: neque antequam reuelarent absolui poterant: vt in Extrauagant. Martini, legitur. Sed tamen, vt in verbo simonia. §. 19. Syluester ad monuit, de illis tantùm intelligebatur qui præsentes essent in Curia Romana. Imò verò neque illo modo temperata lex vim nunc, inquit, habet vllam: quoniam est per vsum iam abrogata. Pœna autem irregularitatis non est sub hoc termino iure expressa, neq; in Extrauaganti, cùm detestabile, vbi omnes pœnæ percensentur, exprimitur. Nihilo minus suspensio ab officio illius qui ordines simoniacè suscepit aut contulit, quodam genus irregularitatis est. Præterea cùm simoniaci oēs sint excommunicati, si posteà celebrēt, tunc lege communi excommunicationis manēt irregulares. Imò verò quanuis nō celebrent, quandiu excommunicati sunt ne queūt ad alios ordines promoueri: quæ est alia irregularitas. Quare diuus Tho. art. 6. in respōsione septimi maximā dispēsationem quæ cū simoniaco fieri potest, arbitratur, vt in eâdē ecclesia maiores ordines cōsequatur vbi denotat simoniacos esse irregulares. Postrema deniq; pœna est infamiæ, vt habetur 5. q. 3. can. Sanè. & de accusationib. capit. inquisitio.

Probatio.

Iure ātiquo quotquot certa scientia testes essent simoniæ, tenebāt sub anathematis pœna reuelare. *Syluester.*

quisitiones. ¶Posterior conclusio. Cum eo qui simoniæ labe infectus est summus Pōtifex, idemq; solus dispensare valet. Prior pars inde patet q̄ cum plenissimam habeat potestatem remittendi peccata, fit vt eorū quascūq; pœnas valeat pro causa remittere: alias Christiana familia remedio esset orbata. Ac cedit q̄ pœnæ quæ verè sunt pœnę, videlicet vna excepta restitutione, omnes sunt ecclesiastico iure decretæ: in quod ipse plenissima fungitur potestate. Posterior verò conclusionis pars non est vsq; adeò certa: imò diuus Tho. loco proximè citato art. 6. di. 6. secùs cēset. Ait quippe solùm Papam cum eo qui sciēter est simoniacè beneficiatus dispensare posse. In reliquis verò casibus posse etiam episcopum. Quin verò ordinaria potestate episcopus valet à quouis commisso crimine absoluere: nisi Papa id sibi reseruans eius coërceret potestatem. Quocirca vt communis habet Doctorum sentētia, quos Syluester refert verbo, dispensatio. §. 14. contra canonem Papæ aut concilij episcopus dispensare non potest. Cùm ergo simoniacæ pœnæ omnes sint conciliorum aut summorum Pontificum decretis constitutæ, vsus iam habet vt solus Papa vel concilium dispenset. Saltem in simonia ordinis aut collati beneficij scienter acquisiti non est dubium quin soli Papæ hoc sit reseruatū: vt habetur in Extrauagan. cùm detestabile. Pauli. 2. & idem arbitrandū est d' ingressu religionis: vt patet in dict. capit. Mādato. vbi constat ad solum Papam de hac re fuisse recursum, & Martinus. 5. in sua extrauag. etiam receptionem monasterij simoniacam anathematis mucrone iugulat: cuius ideo absolutio ad solum attinet Papam. Sin verò simonia susceptione aut ministratione aliorum sacramentorum quidpiam simoniacè aut detur aut recipiatur, sanctus Thomas posse censet episcopum dispensare. Attamen recentior Extrauagans, cùm detestabile. omnem prorsum simoniam excōmunicatione ferit sibi soli reseruata. Ait enim qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam cōmiserit, aut q̄ illa fiat mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant: à qua nisi à Romano Pōtifice absolui nō possint, nisi in articulo mortis. Cū ergo ait quomodolibet, nullius prorsus simoniaci conscientiam pacare auderem antequam summum Pontificem vel eius vicarium adiuerit. ¶Sūt autem dispensationis gradus, super simonia quondam consueti, numero quatuor: quos diuus Thom. eodem articul. 6. recensет. Erat enim parua dispensatio, magna quę: maior, & maxima. Parua qui dem vt ad laicorum cōmunionem simoniacus admitteretur: Magna, vt post pœnitentiam in alia ecclesia in suo ordine remaneret Maior verò vt remaneret in eadem ecclesia, sed in minoribus ordinibus: Sed maxima vt in eadem etiam permaneret, atque ad maiores ordines posset promoueri: nusquam tamen vsq; ad præfecturæ dignitatem. Hæc enim olim nunquam concedebatur. Quin verò, vt illic ait idem sanctus Doctor, nullum de dispensatione verbum audiebatur, priùs quàm tum temporaliū, tum etiam spiritualium restitutio fieret. Nūc verò temporis super his omnibus facilè dispensatur.

Posterema cō clusio.
Ratio cōclusionis.
excōmunicatio oīs simoniaci Papæ reseruat iure nouo.
Quatuor gradus dispensationis super simonia.
Dubium.

AD primum igitur argumentum respondetur. Quidquid episcopi ordinario iure possunt, Papa nihilominꝰ meritò huiusmodi dispensationes & absolutiones, ad seipsum in odium simoniæ aduocauit: nè si diœcesani eadem omnes potestate fungerentur, hiatus simonię propter dispensandi facultatem patentior fieret. ¶Ad secundum respondetur dispensationē super simonia bifariā considerarì posse. Vno modo post factū: Altero verò vt fiat. Et quidem post factum nullatenus cōtrouertitur quin possit Papa super omnibus pœnis dispensare, simoniacumque in pristinum restituere honorem & locum. Atq; adeò non solùm de fructibus, verùm & d' pretio simoniaco arbitratu suo disponere. Nam postquam crimen in suum est forum delatum, restitutio nō est ei facienda qui dedit, sed cui Papa constituerit. Posteriori autē modo neutiquàm sic Papa dispēsare potest vt quis rē spiritualem pretio emat, quin talis emptio & venditio sacrilegium sit & immane scelus: quandoquidem iure sit diuino & naturali interdicta: siue cum alio, siue secum dispensare ausit. Imò quotiescunq; spiritualia pretio venderet, tam ipse quàm emēs eodem complicaretur simonię execrabili vitio. Potest tamen dispensare super excommunicatione & infamia, atq; aliis ecclesiasticis pœnis: vt scilicet citra earum reatum possit contractus simoniacus celebrari. ¶At verò de restitutione dubium restat, vtrū scilicet si vel ipso vel alio pretium recipiente spirituale cōferret, eatenus dispensatio valeret, vt collatio teneret, & pretium maneret à restitutione liberum. Et re vera nescio an antiqui patres

Ad primū argumentū
Ad secundū

id

id confiterentur. Nam Sanctus Thomas nõ aliter dispensationem admittit quàm præmissa resignatione spiritualium, temporaliumque restitutione. Quanuis dici posset non esse locutum nisi de legitima dispensatione. Dicendum ergo quòd si ea sententia vera sit, quòd iure diuino fit simoniacus inhabilis ad recipiendum præbendam, nõ est in Pontificis facultate illam collationem efficere validam. Et ideo qui antecedens credi derit, eum necesse est id quod sequitur confiteri. Et fateor nisi communis opinio reclamaret, sic dicerem. Nihilo minùs admittamus, vt supra hæsitantes insinuauimus, collationem illam pretio emptam, atque adeò iniquam, non vsque adeò iure diuino impediri, quin teneat: esset tamen insigniter iniquus, vt absit impietas verbo, Pontifex ille qui tale patraret scelus. Quòd si venderet, ambigere nequeo quin pretium semper restituere teneretur: quandoquidem (vt sæpenumerò dictum est) illius translatio dominij, iure diuino est nulla. ¶ Hinc ergo gradus fit ad solutionem tertij. Concedendũ enim est huiusmodi facultatem dispensandi, vt sacerdotiorum collatio simoniaca firma sit, suapte natura præcipitium esse ad simoniacum barathrum. Est tamen hoc Deo fidendum quòd nunquàm vel quàm rarissimè in tam absurdum sacrilegium suum vicarium collabi permittet. ¶ Vtrùm verò eo ipso quòd Papa secum dispenset vt sacerdotium vendat, pariter cum emptore dispenset, vt percipiat: non dico quantum ad culpam, quia non potest, sed vt verus sit possessor: iam quæst. 5. affirmatiuum cum Palud. contra Adrian. responsum reliquimus Caietan. verò hic eidem sententiæ priùs refragatur, licèt posteà videatur suffragari. Nam re vera ratio quam contra potissimam obmolitur, non est præcipui momenti. Arguit enim q cùm illa Papæ venditio non sit expressa dispensatio, non est præsumenda nisi recta id ratio persuadeat, quæ quidem potiùs suadet oppositum, quoniam ex tali præsumptione fieret consequens, vt omnes passim adirent Pontificem ad emendum sacerdotia: quo nihil esse pernicioſus potest. Quare etsi inquitas sit, inquit, in Papa, vendere, peior esset si vendens præsumeretur dispensare: quia peccatum duplaret. Respondetur autem rationem rectam potiùs suadere quòd eadem semper præsumatur dispẽsatio: quoniam si sine dispensatione præsumpta venderet, peius ei duplaretur facinus. Non enim tantùm sacerdotium vendere attentaret, verùm & iniquiorem adhiberet fraudem, scilicet quòd pretium recipiens nihil conferret: siquidem nisi emptorem ab excommunicatione immunem redderet, & habilem constitueret, collatio non teneret. Neque isto modo patentior fit aditus ad simoniam. Tum quòd si dispensatio ipso facto non præsumeretur, qui iniquus Pontifex esse vellet. tam facilè vẽderet, vnaque expressè dispensaret, quàm sine dispensatione venderet. Tũ præcipuè quòd etsi tanta insit in Papa facultas, tamẽ cùm eius vsus tam sit detestandus, non est de ipso tam malè timendum vt per talem occasionem fiat ad ipsum, vt sacerdotia vendat, sacerdotum concursus.

Solutio. *Ad tertiũ* *Hæsitatio.* *Solutio.* *Caietanus.* *Ratio Caie.* *Solutio.*

FINIS LIBRI NONI

DE IVSTITIA ET IVRE.

LIBER DECIMVS
De Iustitia Iure.

PROOEMIVM.

Argumẽtũ libri.

LIBRVM decimum, qui huius nostri destinati operis conclusio est, de Episcoporum ordine, deque eorum potissimùm in suis diœcesibus residentia polliciti sumus. Nam postquàm in septem prioribus in cunctas iustitiæ iniustitiæque species quæ illi generi directè subsũt, absoluimus, in tribus subsequentibus religionis materiam, eidem iustitiæ annexã, subtexere re tulit animus. Sic enim arbitrati sumus totũ negotium de Iustitia & Iure, quem titulũ eidẽ operi inscripsimus, pro virili nostra ad iustum pertractare. Non ergo, tum vtiliùs ac pulchriùs, tum etiam ad rem accõmodatiùs colophõnem operi adhibere duximus, q̃ si extremam manũ ad Antistitum dignitatem & functionem admouerimus: in quibus sacrosanctũ iustitiæ columẽ super omnes qui Christiana cẽsentur religione eminentissimè promicare cõdecet. In quinq; ergo membra & quæstiones præsentem librũ distributi sumus. In quarũ prima, dignitas institutumq; episcoporum quale sit, quoque iure institutum, elucidatur. In secunda de episcopali ꝓuincia adeunda differitur. In tertia de eorũ residẽtia. In quarta de ratione & modo quo tenentur ecclesiasticos prouentus dispendere ac dispensare. Ac demum in quinta de officio diuino, cuius solutione clerici eosdem promerentur fructus.

Partitio libri.

QVAESTIO PRIMA,
De episcopali instituto & iure quo institutum est.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm episcopalis dignitas fuerit in ecclesia super sacerdotalem necessaria.

INITIVM ergo disputationis nostræ in de nobis aucupandũ est, vt rationem episcopalis culminis perpendamus. Apparet nãq; præter sacerdotalẽ dignitatem nequiquàm fuisse episcopalem ecclesiæ necessariam. Dignitas enim facultasq; ministrorum ex eorum functione perpenditur: Functio autem sacerdotalis est sacrosancti corporis Christi cõsecratio ac dispensatio, quo nullus sacer actus esse potest maior. ¶ Secũdò, si ad figurã id referre lubet, sacerdos effigiem Christi in ecclesia gerit, quatenùs se pro nobis in ara crucis obtulit: Christo autem in ecclesia nemo altior excogitari potest: vt pote qui caput eius est: atq; adeò neq; representatio esse potest sublimior: ergo nulla est præstantior sacerdotali potestas. ¶ Tertiò, vt ad quæstionis titulũ alludamus, etiam si gradus ille superior possibilis esset, nõ erat necessarius: siquidẽ per singulos sacerdotes oĩa possent ecclesiastica munera administrari: ad quos perinde expeditior foret accessus, cùm quicunque paroeciani ad suum Plebanum facilimè accurreren t, qui suas causas definiret. ¶ In contrarium autẽ est traditio Dionysij Apostolorũ sęculo scribẽtis: qui. 5. c. Ecclesiasticæ Hierarchiæ Pontificalem dignitatẽ sacerdotali præfert: dicẽs sacerdotũ esse populum purgare, & illuminare: põtificum verò hæc ipsa & supra hæc: ipsum perficere.

Primum argumentum

Secundum.

Tertium.

Dionysius.

IN ingressu statim præsentis tractatus proponendus ob oculos est pontificum gradus, institutumque adeò & functio. Quod quidẽ, vt de nomine primùm expendamus, ab Hieron. græcè perito, in epistola ad Euagrium, quę refertur. 93. cano. legimus episcopos supintendentes appellari. Ἐπισκοπὴν nãq; idẽ est quod superintendere. Idem q̃; ait Augu. super epistolam ad Timot. & refertur. 8. q. 1. cano. qui episcopatum. Quanquàm & vis verbi Græci, vehementiã attentionemq; mentis explicat: vt idem sit quod inspicere,

Hieronym⁹

Quid vocabulũ, episcopus, Latinè sonet.

Augustin.

cere,& tota mentis acie atq; animi solertia aduigilare:vt ep̃m esse idem sit quod in perpetua specula persistere indefesseq; suo gregi inuigilare ac prospicere. Quocirca vt ad residẽtiæ obligationem iam hinc oculos intendere ordiamur,nemo sese interpretamẽto Hierony.& August.seducat:videlicet arbitratus propterea ep̃m superintendentem appellari,quod cùm sacerdotes simpliciter dicãtur intendentes,satis sit ep̃o super ipsos, hoc est eorũ tantũ mores intẽdere, gregẽq; reliquũ eis cõcredere:esset quippe hæc nocentissima fallacia.Non enim hoc tãtùm illud:super:significat:sed perspectiorẽ curam vigilantiorẽq; solertiam, quam non solum sacerdotibus,verùm & toti gregi debẽt:quæ longè maior est,quàm illa quam simplices habere debent Plebani.Quomodò enim aliter veritatem verbũ Christi contineret, quo optimum pastorem inde commẽdat quòd de facie & voce,tum suas cognoscat oues,tũ etiam vicissim cognoscatur ab ipsis. ¶De nomine ergo proprium natiuumque episcopi officium & munus deprehenditur.

Episcopi munus idem q̃ pastoris.

Est enim nihil aliud quàm pastor: hanc em̃ metaphoram & analogiam Christus toto euangelio consultissimè obseruauit. Quin verò re perspecta nõ quidẽ solùm metaphora,sed proprietas forsan est:nam mentis eruditio morumq; institutio verè pabulũ animi est.Cùm multi ergo essent alij præfectorũ subditorumq;ordines,neq; regem se neq; ducem,quod poterat,neq; prætorẽ neq; cõsulem,sed pastorem,quòd verissimè existebat censeri voluit:videlicet qui rem de cœlo & nomen detulit.Etenim cùm illic meridies sit vbi sanctæ mẽtis ineffabili otio recubantes diuinitatis pastu perfruunt̃ quẽ vtiq; meridiẽ ostẽdi sibi spõsa inter Cãtica efflagitabat,quasi pastor se Deus ipse,relictis illic reliquis.99.ouibus,centesimam quæ perierat quæsitum ad nos descendisse profitetur. Quare vt pastor fuerat venturus decantat̃: Isai.40.Sicut pastor gregẽ suum pascet. Ob idq; primũ eius natiuitatis nuntiũ ad vigilãtes pastores super gregẽ suum Angeli detulerunt.Ac subinde pastori se optimo solenter assimilauit,qui etiã animã pro suo grege ponere non dubitaret.In eâdem igitur persistens rei figura,non in aliã dignitatem vicarium sibi substituit,q̃ vt esset suarum ouiũ pastor. Pasce enim,inquit,oues meas: quo vtiq; verbo episcopale munus significãtissimè expressum est.Non ob id modò q̃ tum cuncta beneficia quæ Antistites suis populis debent,tum & damna quæ illis aut per auaritiam,aut per socordiam,aut per crudelitatem eis dãt,cum illis quæ in pastoribus & opilionibus insunt genuinam habẽt similitudinem,vt subsequens sermo latissimus luculẽtiùs declarabit,verùm q̃ pastorale otiũ præ cunctis reipublicæ exercitijs pacem ac trãquillitatem supremam: quam Christus mundum docere instituerat,penitissimè refert.Regum enim & ducũ nomina licèt magistratus designent suopte munere iustos, adeò vt Homer⁹ Regem, pastorẽ etiam esse adstruxerit:tũ non possunt non sæpe bellis perturbari.Si autem consulem dicas aut aliud iudicum genus,necesse illos est litibus obrui:Pastoris verò munus ab omni est tumultu longissimè alienum,ouium innocentia,taciturnitate,& simplicitate dulcissimũ, ac subinde præ se ferens tum silentium illud quo suam Christus familiam voluit à terrenis abstractam cœlestium negotio vacare: tum & synceram & silentissimam obedientiam quam sine vlla respõsatione oues suas Christus voluit suis administris exhibere.

Pastoris nomẽ multiore Eius cæteris functionem epi exprimit. Homerus. 1. Iliados.

¶Igit̃ nè præter scopũ ꝓcedẽtes cõsueti moris nostri obliuiscamur,ad quæstionẽ vnica affirmatiua cõclusione respondetur. Necessarium fuit ex sacerdotibus episcopos instituti,qui dignitate,autoritate,& functione cæteris præeminerent.Probatur.Duæ sunt natiuæ sacerdotali dignitati facultates. Altera scilicet prima & præcipua conficiendi ministrandiq; corpus & sanguinem Christi: quò tota ecclesiastica religio refert. Altera verò eidem subseruiens ad præparandum adaptãdumq; populum,vt pro rei dignitate sacrosanctam illam synaxim suscipiant: videlicet ad purgandũ ipsum à peccatis, doctrinaque illuminandum,atque adeò gubernãdum.Et quidem quantum ad primum , sacerdos eo ipso q̃ sacro illo ordine initiatus est,à nullo ampliùs dependet, sed characterẽ ipso Christi ad id muneris plenissimè pollet,vt quotiescunque consecrare tentauerit, verè sacrum conficiat:ad quod igitur nullo opùs habet superiori. Sed quantum ad secundum decentissimum fuit iurique naturali consonantissimum, vt inter sacerdotes vnus in tota esset diœcesi qui totam gubernaret,atque adeò à quo sacerdotalis iurisdictio depẽderet: nè videlicet præsbiteri quoscunque obuios à peccatis absoluere temerè possent: quod ad facultatem præparãdi

Cõclusio responsiua.

Ratio cõclusionis.

populum attinet, nisi iurisdictione ab episcopo inter ipsos dispertita. Est ergo episcopus, licèt non in consecratione corporis & sanguinis, tamẽ in iurisdictione sacerdotib⁹ superior. Quòd autem hoc fuerit rationi naturali germanum, patet. Primùm si suprà cœlestia suspicias, inter beatas illas mentes ordines sunt hierarchiæque distinctæ: nempe vt inferiores per superiores illuminentur Inter quas ideo sunt angeli & archangeli, & principatus, &c, Rursus & corporalia Deus, qui prima est omnium causa, per sublimes cœlorũ orbes & astra res sublunares gignit & procreat. Et in ciuilibus politijs necessarij etiam sunt magistratuum ordines: vt videlicet plebs iudicibus: iudices autem principibus ac regibus subdantur. Sed ecce radicem vnde huiusmodi ratio ortum ducit. Ad populi gubernationem permagna necessaria est tum prudentia & sapientia, tum etiam morum probitas: atque adeò authoritas cogẽdi errantes in viam. Hæc autẽ tantæ sacerdotum multitudini suppetere non possunt: necesse ergo fuit tum populo tum etiam ipsi clero episcopum præficere qui eis esset sicut sol ad illuminandum, & sicut norma ad regendum. Hinc ergo perpende quantũ sit dignitatis ac sanctitatis culmen episcopo necessarium. Sed de hoc alius nos locus inferiùs expectat. Quod si peculiare præterea exemplum ab antiqua lege petere lubet, eosdem illuc gradus distinctos inspicies. Nam cùm tota tribus Leuitica, vt Magister Sententiarum in 4. distinctio. 24. adnotauit, diuino esset cultui mancipata: soli tamen Aaron & filij eius erant sacerdotes: neque verò omnes pares, sed pater erat Põtifex, cui tantùm licebat semel introire in sancta: filij autem eius simplices sacerdotes. Quare alijs ornamentis indutus erat Aaron (sicut modò episcopi) aliaque vnctione consecrabatur, quàm cæteri: vt Leuiti 8. legitur. Cuius ideo in consecratione episcopi mentio fit per illũ Psalmi versiculum: Sicut vnguentum in capite, quod descẽdit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eiur. Nam tanta erat vnguenti effusio, vt vsque ad ima defunderetur.

Ratio congruens.

Elucidatur conclusio.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur capitalium argumentum respondetur, quòd etsi sacerdotali functione in consecrando sacrosanctas species nulla esse queat maior, est nihilo minùs episcopalis dignitas superior quantum ad aliam facultatem præparandi populum. Nam sacerdos in absolutione à peccatis ab episcopo dependet quantum ad iurisdictionem. Solutio est sancti Thomæ in. 4. sententia. distinctio. 24. quæstio. 3. articu. 3. Vbi ergo nõ videtur concedere simpliciter episcopalem gradum superiorem esse sacerdotali, sed solùm quantum ad iurisdictionem. Scotus verò eâdem distin. articul. 2. & Durand. ibidem quæst. 5. atque alij simpliciter concedere pergũt ordinem episcopalem esse simpliciter digniorem: eò quòd includit facultatem sacerdotalem conficiendi corpus. Nam vt cap. ex literis. de excessib. præl. cautũ est, nemo antequàm sit sacerdos in episcopum potest consecrari. Addit autem tum superiorem facultatem iurisdictionis, tum & potestatem conferendi ordines, consecrandique ac benedicendi templa, vasaque & vestimẽta ecclesiastica. Attamen parum refert, & eôdem recidit. Etenim si dignitatem nudã consecrãdi consideres, nulla est in episcopo maior. Quare id quod episcopus supra sacerdotem habet, non est sacerdotali dignitate præstantius. At quoniam idem episcopalis splẽdor sacerdotalẽ præsupponit, tota eius amplitudo maior est sua parte. ¶ Ad secundùm verò respondetur quòd cùm Christus caput esset ecclesiæ, perinde erat omnium ecclesiasticorum munerum exemplar, atque Deus est omnium naturalium rerũ: vnde, vt Magister Sententiarum inquit loco nuper citato omnes ecclesię magistri, scilicet singuli suo ordine Christum secundum diuersa quæ gesit repræsentant: illi tamen perfectiùs, qui secundùm altiorẽ qualitatẽ ipsum referunt. Sacerdotes ergo repræsentant ipsũ secũdùm peculiarem actum & personalem, quo se in cruce pro nobis obtulit: episcopi verò non solùm in hoc quatenùs sacerdotes sunt, verùm quatenùs episcopi etiam secundùm id quòd caput erat, institutorque ecclesiæ. Vnde & sacerdotes ipsos cõsecrant atq; omnes ministros, quod fecit Christus: & omnia alia ecclesiastica præparamenta benedicunt: quæ ipse instituit: atque ex plenitudine Spiritus sancti baptizatos confirmant.

1. Thomas.

Scotus.

Durandus.

Ad secũdũ

ARTICVLVS. II.

Vtrùm episcopatus sit ordo natura sua à simplici sacerdotio distinctus.

Non

NON satis est nosse episcopum excelētiori fungi munere quā simplicem sacerdotem: sed rimari oportet vtrùm ex rei natura differant. Apparet enim nō esse ordinem ex natura rei distinctū à sacerdote. Ait quippe Hieronymus in epistola ad Euagrium suprà citata: & rursus super epistolam ad Titum: quòd refertur. 95. d. can. olim: idem quondā fuisse episcopum quòd presbyterum. Id quod multis sacrorum testimonijs confirmat. Ait nanque Paulus in salutatione epistolæ ad Philippen. Paul⁹ & Timo. serui Christi Iesu, omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis cum episcopis & diaconibus, vbi presbyteros (nam in vna ecclesia nō erant episcopi plures) appellat episcopos. Quare simul cōponit episcopos & diaconos. Et Actuum. 20. Attendite vobis & cuncto gregi in quo vos Spirit⁹ sanctus posuit episcopos. Et ad Titū: postq̄ inquit ob id ipsum reliquisse Cretæ vt constituisset presbyteros per ciuitates: subdit: Oportet enim episcopum sine crimine esse. Et Petrus, qui erat episcopus, ait in epistola. 1. Presbyteros cōpresbyter precor. Haud ergo episcopalis dignitas à sacerdotali ex natura sua & instituto differt. ¶Secundò arguitur: si episcopus ordine à sacerdote distaret, eiusmodi ordo esset verum sacramentū atque adeò sicuti sacerdotalis character atq; diaconi, sic different. Quod falsum esse inde constat, quòd tunc plures essent quàm septē ordines. ¶In contrarium est authoritas Augustini in epistola ad Hieronymum quæ refertur. 2. quæstione. 7. cano. Quanquàm, vbi ait secundùm honoris vocabula iam tunc vsum obtinuisse quòd episcopatus presbyterio sit maior.

Primū argumentum Hieronym⁹

Secundū argumentū.

Augustin⁹.

AD præsentis quæstionis intelligentiam prænotandū est, bifariàm intelligi posse episcopū reliquis sacerdotibus dignitate præstare. Vno modo in eodem genere: nempe intra lineam sacerdotis. Alio modo ac si sit in altiori genere. Exempli gratia sacerdos differt à diacono in alio genere: quia est distinctus character, distinctaque consecratio. Archidiaconus autem à diaconis, & archipresbyteri à presbyteris eodem genere quia scilicet vnum eligunt qui sibi præsit. Nec refert quòd Papa illis an illi sibi eum præficiant. Hieronymus ergo hoc tantùm secundo modo, puta in eodem genere arbitrari videtur olim episcopum altiorem esse presbyteris: nēpe quòd in schismatis remedium factum est vt ex presbyterorū numero vnus cæteris præponeretur: qui ideo non erat nisi magnus presbyter. Est enim præsbyter nihil aliud quàm senior, ac pro sua ætate venerandus & colendus. ¶Igitur nè per homonyma & æquiuoca procedam⁹, ordinis nomen bifariàm in vsu est. Vno modo secūdùm eius significatus amplitudinē, quo latissimè omnē gradū & dignitatem significat. Dicitur enim senatorū ordo, & doctorū & ducum. Vnde Cicero sæpissimè alium ordinem appellat consulum: atq; alium tribunorum, &c. Altero verò modò per solēnem vsum Christiani Theologi nomen accōmodārunt ad significandum vnum ex septem sacramentis: quales sunt ordo sacerdotalis, diaconi, &c. ¶Quo suppositio ad quæstionē duabus conclusionibus respondetur. Prior est: Secundùm priorem significationē episcopalis potestas natura sua semper fuit singularis ordo: hoc est grad⁹ & dignitas sacerdotali sublimior. Conclusio hæc primum omniū fundamentum habet in authoritate Dionysij, qui ætatē Apostolorū attigit, Paulo q; institutore potitus est. Is enim loco suprà citato, de eccle. Hie. cap. 5. planè lateque distinguit ex rei natura inter episcopos ac reliquos sacerdotes. Nam ait pōtifices integrè sacerdotalis perfectionis participes esse: quasi reliqui nō habeāt integrā perfectionē. Et subdit: Pontificū itaq;, ordo sacratior, primus est diuina speculātiū ordinū, idemque & summus & vltimus: quippe in quē perficit & implet sacerdotij nostri distinctio oīs. Sicut enim Hierarchiā omnē in Iesum terminari conspicimus, ita vnamquanq; functionem in diuinum Pontificem propriū. Vide quomodò instar Christi præfert Pontificē reliquo clero. Est ergo arctioris generis. Et apertiùs subdit secundùm aliā translationē: Discretè autē huic vltra cæteros ordines in sua operatione diuina lex distribuit diuiniores sacrificationes. Hæc autem sunt perfectrices diuinę virtutis imagines: cōsummantes omnia diuina symbola & omnes sacras dispositiones. Quoniā neq; sacerdos sacrum baptismū operabit sine diuinissimo vnguēto: sed neq; ipse sacerdos erit, nisi à pōtificib⁹ id muneris fuerit sortitus. Vide q̄ latè & disertè explicat differentiam inter ep̄m & sacerdotem: idq; diuino iure: quandoquidē nullus sacerdos sine episcopo ordinatur,

Distinctio.

Sententia Hierony.

Nomē ordinis bifariā est in vsu.

Cicero.

Prima conclusio.

Probatio.

neq; chrismate vti potest nisi ab epo confecto,neq; vestibus aut vasis nisi ab ipso cõsecratis aut benedictis: præter iurisdictionem quã altiorẽ habet.Quod demũ ait diuina lege esse sancitũ.Nã vt arti.4 videbimus, diuina lege institutus est episcopatus:licèt chrismatis confectio & aliæ eiusmodi ceremoniæ traditione Apostolorum institutæ credantur. ¶Ex his ergo Dionysij verbis talis colligitur ratio:Ille est censendus distinctus ordo, hoc est gradus & dignitas in ecclesia, cui aliqua propria inest & peculiaris spiritualis functio ad sacramentum eucharistiæ ordinata:talis autem est episcopalis gradus: nam ad ipsum,vt dictũ est, spectat sacerdotes cæterosq; ministros,ac deniq; & chrisma ta & tẽpla consecrare,atq; adeò & plebẽ cõfirmare:quæ quidẽ simplices sacerdotes perficere nequeũt:ergo suapte natura est ordo & gradus à sacerdotali distinctus. ¶Et confirmatur hæc ratio:nam ordo & gradus huiusmodi ac potestas ex sua ipsius solennitate dignoscitur.Episcopus autẽ præter sacerdotalẽ vnctionẽ solenniùs inungitur & cõsecrat:quasi nouã in sacrorum administratio nem potestatẽ susci piens.Nam cùm sacerdotes solùm inungant manus ad consecrandũ sacramentũ,epi vngitur caput:sicut Aaron: ad denotandum esse caput ecclesiæ suæ instar Christi:vt proximè Dionysius aiebat. Nisi ꝙ Christus non solùm hominibus, verùm & angelis vniuersæque creaturæ ceu caput præfectus est. ¶Tertiò id arguitur. Episcoporum cœtus status est perfectionis, longè altior quàm monachorum. Profitentur enim solenniter,nõ doceri:sed docere, perfectionem,est ergo per se ordo. Accedit & exẽplũ antiquę legis:nã dignitas Aaron diuino iure excelsior erat q̃ reliquorũ sacerdotum. in summa epalis dignitas non ratione soli⁹ iurisdictionis constituitur per se in altiori gradu,neque illa de causa opùshabebat aut vestis aut vnctionis differẽtia,sed ratione spiritualium functionum.Quocircà episcopus ante consecrationem iurisdictione fungi potest:quanuis ordine tunc episcopali nõ polleat:vt habetur cap.suprà citato,ex literis de excessibus prælatorum. ¶De altero verò ordinis significatu cõtrouersum est inter Doctores,vtrùm episcopatus sit ordo,hoc est sacramentum.Partem affirmatiuã credit Duran.in.4.Sentẽ.dist.24.q.5.Et eâdem.d.Scotus ait esse Canonistarũ opinionem. Cõtra quos statuit posterior cõclusio. Episcopat⁹ non est ordo qui septẽ sacramentis cõnumeratur.Sẽtentia est Hugonis grauissimi autoris,qui post numerationem septẽ sacramentorum vsq; ad sacerdotium,subdit: Hic gradus dispares in eodem ordine habet dignitates,vt Episcopalem,&c.Eãdẽ sequitur Magister Sentẽ.eâdẽ dist.24.ac diuus Thomas ac reliqui eius interpretes.Et ratione cõprobatur.Episcopus nullum recipit charactẽrẽ in ordine ad corpus Christi & sanguinem conficiendum, ergo cùm in hunc scopum omne sacramentum ordinis referatur: episcopatus non est ordo.Probatur antecedẽs. Quoniam si talem reciperet charactẽrem, aut esset minor sacerdotali aut maior: non quidem minor,nam eiusmodi charactẽrum functiones omnes sunt administratrices in confectione sacrosancti sacramẽti:vt in diacono patet& subdiacono.Episcopus autem de sua natiua ratione non sic administrat sacramento.Neque verò esse potest excelsior character respectu eiusdem qui sacerdotalis est.Quoniam conficere sacramẽtum, quod quilibet potest sacerdos, fastigium tenet & culmen quô omnia referuntur sacramenta. ¶Secundum huc adhibet diuus Tho.argumentum loco citato.Natura sacramenti est ꝙ à præcedenti quantum ad eius necessitatẽ non dependeat:episcopatus autem dependet à sacerdotio:nam vt iam anteà dictũ est, consecratio episcopi,antèq̃ sit sacerdos, nõ valeret.Hoc autem argumentum Scotus in 4.distin.24.eludit potiùs quàm impugnat. Ait quippe inde quòd episcopatus sacerdotium præ requirat,argumentũ potius sumi ꝙ sit pfectior.At verò hoc nihil ad rẽ. Haud enim de perfectione hîc disputamus,sed de natura sacramẽti ostẽdim⁹inde nõ esse sacramentum,quòd aliâs etiam absq; præuio sacerdotio cõsecratio episcopi esset valida: sicuti consecratio sacerdotis.etiam si non fuerit diaconus suum imprimit charactẽrem: vt dist.53.can.solicitudo.& extrâ, de clerico per sal.ordina.c.vt tuæ literæ. decretum legitur.Accedit huc & ritus ecclesiæ,quòd sacramenta ordinis in sabbato conferuntur: episcopus veaò,tanq̃ legitimus eius sponsus,die Dñica cõsecratur.Est ergo opinio hæc:vt dictũ est:nõ modo diui Tho.sed Alexandri & Bonauẽt.& oĩm cõmunis.Scotus verò loco citato ait Canonistas cõtrarium tenere propter hoc argumentũ:ꝙ nisi episcopatus ordo esset,posset funditus auferri: nam tunc non restat quid aliud sit quàm iurisdictio:

Ratio altera pro cõclusi.

Cõfirmatio.

Tertia ratio

Vltima conclusio.

Secunda ratio. s.Tho.

Solutio Sco.

Refutatio.

Postrema ratio.

Alexãder. Bonauentu. Argumẽtũ Scoti.

iurisdictione autem quicũq; priuari potest: quandoquidem propter crimen hæreseos atq; alia, priuatur sua ecclesia episcopus. Et quidem Scotus deuinci hac ratione videtur. Annuit enim concedere quòd si non sit sacramentum, nihil in eo supereſt nisi auferibilis iurisdictio. At verò profectò nulla est rerum consequentia. Imò quanuis non imprimatur sacramẽtalis character, nihilo minùs adhibetur sacerdotalis habilitas quędam & facultas indelebilis, atq; ab ẽpo inamobilis, vt ait loco citato Bonauẽtura. Quare depositus ẽpus si iterum in suum ordinem restituatur, non opùs habet denuò consecrari.

Solutio.

Durandus. ¶Sed & Durand. quoq; eâdem dist. q. 5. alia via negat hanc nostram conclusionem. Cõcedit inquam episcopatum sacramentũ esse non quidem à sacerdotio distinctum, sed illud ipsum perfectum, Itaq; simplex, inquit, sacerdos licèt simpliciter habeat characterẽ sacerdotalem, non tamen est omninò completum & perfectum. Et subtexit exemplũ, quòd sicut confectiones corporis & sanguinis vnum constituunt perfectum sacramentum, ita consecratio sacerdotis & consecratio episcopi. Quare subsequẽter confitetur episcopatũ characterem imprimere perfecti completiq; sacerdotij. Argumentum autem quo sibi hoc habet persuasum, est quòd pariter, imò perfectiùs episcopalis dignitas ordinatur ad sacramẽtum Eucharistiæ quàm diaconatus aut subdiaconatus cũ ministros ipsos instituat. Ex quo concludit esse perfectius sacramentũ. ¶Ad ipsum autem atque ad suam rationem pariter respondentes fatemur ingenuè dignitatem episcopalẽ perfectionem sacerdotio adhibere, quod suppo nit & includit: sed illa tamen perfectio non est de essentia sacerdotij, sed illi accidentaria & accessoria, quæ ideo non constituit vnà cum illo verum sacramentum, neq; est pars integralis eius. Nec verò est intellectu facile duos imprimi sacerdotales characterẽs: alterum simplici sacerdoti, alterum verò ẽpo. Quocirca nulla est rationis eius illatio. Episcopatus est in ordine ad corpus Christi verum, ergo est sacramentum. Requiritur enim amplius quòd sit potestas ad id proximè pertinens: nempè quòd eius functio sit, vel missę celebratio: vel eius ministratio, ceu diaconatus & subdiaconatus. Functio autẽ episcopi non est eiusmodi, sed instituere ac præparare ministros. ¶Quòd si contrà rursus arguas: Episcopus quatenus episcopus aliqua sacramenta cõfert, puta ordines: quæ non posset in quantum sacerdos: ergo eius propria potestas est sacramentum: quoniã potestas in vnum sacramentum: sacramentum alterum est. Negatur consequentia: sed solùm concluditur quòd episcopalis potestas sacramentũ sacerdotale præsupponat. Nisi eñ esset sacerdos, nequiret ordines conferre. Porrò autem Altisiodorensis non solùm eôdem quô Durandus inclinat, verùm vlterius progressus ait quòd archiepiscopatus est etiam sacramentum distinctum ab episcopatu: qui ideo in articulo sequenti in disputationem est accersendus. ¶Per has igitur conclusiones cõciliantur iura sanctorumq; asserta quę variare videntur. Quoties enim legeris quempiam in episcopum ordinari, non ità propriè intelligas atq; ordinantur sacerdotes. Atq; id pariter quod. 21. disti. can. cleros, ait Isidorus: quòd scilicet ordo episcoporum quadripertitus est. Sed tamen, vt in priori conclusione asseruimus, nil est cur cunctẽris verè vocare ordinem. Tametsi alij ad ambiguitatem tollendam non ordinem, sed dignitatem appellent: vt Hugo de sacramentis suprà citatus. Et Magister Sen. lib. 4. dist. 24. vbi extra numerum sacramentorum ait, Sunt & alia quædã, non ordines, sed dignitatum nomina, vt episcopus.

Argumẽtũ Durandi.

Solutio argumenti facti.

Obiectio.

Solutio.

Altisiodorẽsis opinio.

Hugo.

Magister Senten.

AD primum igitur argumentum respõdetur, fortasse Hieronymum illa fuisse affectum opinione, quòd episcopus & presbyter solo diuino iure consulto eadem esset res, sed humano arbitrio vnũ ex presbyteris fuisse cæteris præfectum. Nam præter citata testimonia subdit quòd Alexandriæ à Marco Euangelista vsq; ad Heraclam & Dionysium presbyteri semper vnum ex se electũ, in excelsiorem q; gradum collocatũ, episcopum nominabant. Et subdit exemplũ: vt diaconi eligunt archidiaconũ. Tametsi Hieronymum non planè intelligã, quãdoquidem subdit, episcopum conferre ordines posse, non autem sacerdotem simplicẽ vbi distinctionẽ ex natura rei insinuat: nisi velit hoc tantùm esse ex ordinatione ecclesiæ, vt in fine eiusdem citati capitu. olim. ait. Cuius verba, vt ait Durand. maiori sunt admiratione digna. Ait siquidẽ episcopos consuetudine magis quàm dispensationis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & incõmuni regere debere ecclesiam. Cùm tamẽ citatus suprà Diony. iam tẽpore Apostolo-

Ad primũ argumẽtũ.

rum diuina lege astruxerit episcopũ à simplici sacerdote distingui. Quin verò Augu. in libro de Hære. Arrianos inquit ea fuisse infectos quòd dicerent presbyteros ab episcopo nulla differẽtia debere discerni. Haud tamen tam infami nota verba Hieron. inuenda sunt: nam ipse, quocunq; id iure factũ sit differentiam & in conferendis ordinibus & in loci eminentia agnoscit. Sed in hoc tamen lubentiùs Augustinum atq; alios sanctos patres auscultare debem⁹ quòd illa realis differentia ex institutione diuina p Apostolos originẽ traxerit. Ad ea verò loca sacra quæ Hieronymus affert, Respondetur, hoc inde tantùm concludi quòd olim nomina episcoporum & presbyterorum promiscua erãt, vt tam episcopus diceretur presbyter, quàm presbyter, episcopus. Itaq; vtrũq; erat commune nomen ad significandum duas diuersas dignitates. ¶ Ad secundùm satis superque secunda cõclusione satisfactum est. Concedimus enim episcopatum esse ordinem secundùm auplitudinem suæ significationis. Negamus verò esse sacramentum.

Augustin⁹

Hieronym⁹

Ad secũdũ argumẽtũ.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm episcopi inter se perinde differant atque ipsi à simplicibus sacerdotibus.

POSTQVAM visum est episcopalem dignitatem à sacerdotali suopte instituto differre, explorare consequens est an episcopi similiter inter se differãt. Apparet enim sic esse: nam Archiepiscopo ex proprio incumbit officio episcopum cõsecrare, quod episcopo non nisi ex commissione videtur cõpetere, vt patet capit. Quod sedem. de off. iudi. ordi. vnde & pallio vtitur quod episcopo non est indultum: ergo specie differunt. ¶ Secundò: Papa saltem dignitatis specie cæteris est excellentior, quandoquidem Petri successor est, cui peculiariter Christus vniuersum gregem cõmisit. Quare & singulariter etiam si fuerit aliàs episcopus, in Papam consecratur, singulariq; Tiara vtitur. Quocirca distin. 21. ait Pelagius Romanã Ecclesiã nõ Synodicis constitutis cæteris ecclesijs esse prælat, sed Euangelica voce Domini Saluatoris nostri primatum obtinere. Sed in cõtrarium est quòd in ijs quæ ad confectionem corporis & sanguinis attinent, nihil potest vnus episcopus quod singuli non possint: vt patet in ordinum collatione atque in ipsorum mutua consecratione: nam vnus alterum consecrat. Quin verò Hostien. consecrat Papam, & tamen si inferioris esset potestatis id nequiret: iuxta illud ad Hebræ. 7. Sine vlla contradictione quod minus est à meliore benedicitur.

Primũ argumẽtum.

Secũdũ.

QVæstionis huius duo insinuãtur membra. Primum de episcopalibus officijs & functionib⁹. Atq; alterũ de ipsorum distinctione: quippe quorũ posterioris cognitio à prioris notitia pẽdet. Duabus ergo conclusionibus ad quæstionem respondeb. Prior est: Vniuersæ functiones quæ ad perfecti pastoris officiũ attinent, sunt episcopo peculiares & propriæ. Iam enim supra artic. 1. ostensum est, genuinum episcopi munus, officium esse pastoris: in cuius testimoniũ dum consecratur traditur ei baculus pastoralis. Imò verò antè designatur esse pastor, quàm anulo fiat sponsus Ecclesiæ. Omnes ergo functiones quæ pascendo gregi accommodantur sunt dignitati episcopali, quatenus cunctis communis est, partes & qualitates. ¶ Sed ais, nunquid non & plebani sacerdotes suarum sunt etiam parœcialium ecclesiarum pastores? Sunt quidem. Haud tamẽ vndequâq; absoluti & perfecti. Quare non omnibus vniuersa pastorum officia ratione suæ dignitatis incumbunt: sed quædam. Ad cuius intellectum notandum primũ pastoris officium esse vitam præbere gregi, eundemq; alere, sanare, & sustẽtare. Functiones autem huiusmodi ad tria genera & ordines reducuntur. Primum nanq; id potissimùm fit per administrationem omniũ sacramentorum. Baptismo enim regeneramur: deinde confirmati eucharistia alimur: & per pœnitentiam sanamur: &c. Illa ergo sacramenta quæ ad huiusmodi sunt vitam prorsus necessaria & cõgrua, incũbit cuicũq; plebano sacerdoti administrare. Qualia sunt baptismus, eucharistia, pœnitẽtia, & sacra vnctio: & præterea benedicere spõsos. Attamen ordinare ministros incumbit epo: & præterea ob vberantiorem copiam Spiritus sancti cõfirmare plebem. In administratione ergo sacramentorum primùm incipit pastorale officiũ locupletius ac perfectius esse in episcopo quàm in plebano sacerdote. Tũ scilicet quòd sacerdotes non omnia conferre possunt: tum etiam quòd quæ possunt, ex sola iurisdictione

Prima conclusio.

Scrupulus.

Solutio.

Pastoris officium.

iurisdictione ab episcopo concessa habent.

Ad officiũ pastorale pertinet docere populũ

¶Secundum ad idem pertinens pastorale officium est, fidem docere populum. Huius autem functionis duo sunt gradus. Alter illos explicare articulos qui sunt ad salutem necessarij. Et hoc propriè parœcianis sacerdotibus curam gerentibus animarũ incumbit. Quare profectò huius muneris, vbi grandis est negligentia, peccatum est illis mortale. Tenentur enim plebem Articulos docere fidei & Decalogum. Imò verò & orationem Dominicam: illa videlicet quæ pœnitentes, an sciant, sunt interrogandi. Scire enim debet Christianus quisq; quidnam sibi credẽdum, quidq; agendum, & quid à Deo petendum. Alter gradus est altiora fidei mysteria explicando sacram scripturam propalare, ac morum probitate gregem imbuere & instituere. Et hoc propriè pertinet ad officium episcopi. Cui ideo in consecratione tradito Euangeliorum libro sub forma præcepti dicitur: Vade & prædica populo Dei.

Gubernatio & correctio ad pastorẽ spectant.

¶Tertium quod ad idem pastoris officium spectat, est gubernatio & correctio: nam & hoc pacto vita gregis seruatur. Et facultas hæc, planum est, quàm sit in quolibet episcopo plenaria: nisi sit per Papam coercita: in plebano verò nulla est aut quàm tenuissima. Potest enim plebi, vt statis tẽporibus sacra audiat, sacramentaq; suscipiat, præcipere. An verò excommunicatione aut alia pœna in foro exteriori cogere, paulò inferiùs dicemus.

Explanatur Dionysius.

¶Et per hæc intellectus est capiendus doctrinæ Dionysij suprà citati, distinguentis tres hierarchicas, hoc est sacri principatus actiones, puta purgare, illuminare, & perficere. Quorum primum ait ad diaconũ pertinere: secundùm ad sacerdotes: ac tertium ad episcopos. Purgare enim est purum ab impuro separare: vt triticum cribro, & farinam discerniculo. Venientes enim ad baptisma diaconus examinabat, an vellent vitam pristinam deserere, erroresq; abiurare: & sic separabat illos qui baptismo digni erãt ab alijs. Sacerdos verò fidei catechismo illos erudiens, fonte sacro tingebat: vbi per gratiã gratũ facientẽ illos illuminabat. Sed eps cõfirmabat: hoc est gratia perficiebat. Deinde autẽ ipsorũ prædicatione quæ de sacra scriptura hauserat, illos perampliùs ad diuinum amorẽ inflãmabat, in quo Christiana perfectio cõsistit. Haud ergo negandũ est quin sacerdotes plebani curã verè gerãt animarum quarum etiam exhibituri Deo sunt exactã

Sacerdotes plebani verè sunt pastores.

rationem, vereq; sint pastores. Perfectũ tamen absolutumq; nomen solùm congruit episcopis: vt de suo ipsorum nomine admonentur.

Soli epi successerunt loco Apostolorum.

¶Per hæc subinde fit etiam liquidum quemadmodùm episcopi omnes sint ac soli qui propriè loco Apostolorum successerunt, eorũque funguntur vicibus: vt habetur can. in nouo. distin. 21. & can. ecclesiæ principes, dist. 35. Id quod can. quorũ vices. d. 58. authoritate August. fulcitur, inquientis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filij nati sunt episcopi.

Tria in quibus ordo Apostolorum consistit. D. Thomas.

Ad huius tamen intelligentiam notandum est, tria esse munera in quibus res & ordo Apostolorum consistit: vt Diuus Thomas super illud verbum Pauli. 1. ad Corinth. 12. Quosdam posuit Deus in ecclesia primò apostolos, adnotauit: Videlicet authoritatem gubernandi fidelem populum, facultatem docendi fidem & Christianos mores. Tertiò potestatem miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ, secundùm illud Lucæ. 9. Conuocatis Iesus duodecim Apostolis dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, & misit illos prædicare regnũ Dei. Quo postremo verbo intelligitur vt eos qui verbum susciperẽt, gubernarent: secundùm illud Lucæ. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et quidem quantum ad primum munus, episcopi sunt illis subrogati. Tametsi illorum singuli in vniuersum Christianorum orbẽ potestatem haberent, Episcopi verò non nisi in suas diœceses: sed solus Papa qui substitutus est Petro vniuersalem retinet iurisdictionem. In secunda autem eiusdẽ potestatis virtute, quæ est prædicare fidem, gradus sunt dignoscendi. Apostoli nanque eousq; illa pollebant virtute, vt (quod in sua. 2. Canonica Petrus ait) firmissimum habentes sermonem propheticum. quicquid ipsi prædicarent, eo quòd ipsi id assererent, fides esset: vt pote qui cùm organa essent per quæ Spiritus sanctus loqueretur, non opùs haberent cogitare quomodò aut quid loquerentur. Qui quidem gradus in Ecclesia post Apostolos & Euangelistas non permansit. Potest quidem Papa & Concilium articulos fidei explicare: sed tamẽ eos qui in sacra scriptura impliciti sunt, vel ex traditione Apostolorum ore tenus firmissimè habentur: vtendo scilicet fundamento Christi, ac subinde Apostolorum. Illi verò sine scripturæ perscrutatione à Spiritu sancto

mouebantur. In singulis verò episcopis neq; ista quæ in Papa & concilio est facultas inest, sed tantùm prædicandi, interpretandi, amplificandi, persuadendique ea quæ Christus per se perq; Apostolos docuit. ¶ Tertia verò facultas faciendi miracula non perinde in ecclesia modò est atque in Apostolis exti tit: quia non eadem est prorsus necessitas.

Facultas faciendi miracula non est perinde modo in Ecclesia, atq; fuit in apostolis.

Quanuis vbi ratio id fieri modò exigeret, non haberet Deus manum occlusam. Eccedifferentiam inter pastoralem episcopi functionem & eam quæ est parœcianorũ sacerdotum. Et ideo, vt cap. in nouo. suprà citato legitur, vt episcopi Apostolis quos Christus Luc. 9. legitur elegisse successerunt, sic & reli qui sacerdotes parœciani successerunt. 72. discipulis: quos, quia messis multa erat, in auxilium episcoporum idem Christus suffecit: vt Luc. 10. legitur: nempè vt eorũ essent auxiliares administri. Quare de lege cõmuni episcoporum est in ecclesijs parœcialibus presbyteros instituere: vt legitur cap. Sicut 16. quæst. 7. ¶ Sed rogas nunquid & prædicare plebanis etiam conuenit, & aliqua iurisdictionis imago? Respondetur, priùs de prædicatione certum est nihil ampliùs eis ex officij necessitate incumbere quàm doctrinam, vt dicebamus, Christianam populo necessariam docere. Vtrùm verò sit salutare consilium illis id muneris iniungere, in Tridentino Concilio fuit in publicum consiliũ prolatum: & prima fronte sic nõnullis patribus apparuit: sed non defuit, qui vt sententia pensiculatiùs agitaretur supplex orauit: à qua posteà decernenda superfessum est.

Quæstio.

Solutio.

Enimuerò vt decõrum & salutiferũ est illis parœcialibus sacerdotibus qui verè Theologi sint id muneris suis plebibus impendere: sic pestilentissimum est Theologiæ ignaris id cõmittere. Iam enim & eo miserabili loco iacet ecclesia, vt in animarum cura committenda, vix vlla habeatur dignitatis ratio: præterquàm quòd neq; proprij plebani suas Ecclesias administrant, sed per vicarios id faciunt, vix Latinè scientes: nempè per eos quos quàm minimo possunt pretio conducunt. Adde quòd in aliquibus quas lustraui prouincijs, illi sunt plebani qui cùm neq; de limine Theologiam salutauerint, tamen latinè & fortè Græcè deturgentes putant fœlicitèr prædicare posse. Et illi sunt qui pestilentiores disseminant errores. Salubrius ergo populo est eiusmodi concionibus carere, quàm infici. ¶ Ad secundum interrogatio

In sacerdote

nis membrum respondetur. In sacerdote secundùm suam propriam authoritatem nullam existere vim coactiuam quantum ad forum iudiciale. Nam maximè per excommunicationem quæ pœna pastorali baculo annexa est. Excommunicare autem propria authoritate solius est episcopalis muneris: vt habetur. 24. q. 3. can. corripiantur. & apud Diuum Thomam. 4. sen. dist. 18. q. 2. Excipit illic tamen idem doctor Sanctus furtum & rapinam, pro quibus inquit concessum est à iure vt possit parœcianus sacerdos excommunicare. Iam tamen non est in vsu concessio illa. Est nihilo minùs peccatum inobedientiæ illi non parere in ijs quæ suprà diximus iure posse præcipere. Nempè vt festa Ecclasiastica celebrent, & statis temporibus sacramenta suscipiant, & doctrinam Ecclesiasticam discant. At nisi adsit contemptus, nõ est mortale aliud nouum præter transgressionẽ Ecclesiastici præcepti. De officijs functionibusq; episcopalibus plura hic essent eademq; scitu perutilia adhibenda: sed vsq; ad quæstionem tertiã ea duximus reseruanda: vbi inter tractandam obligationem qua episcopi tenentur in suis Ecclesijs residere, commodiùs differentur. ¶ Posterior conclusio. Episcopales dignitates quanuis archiepiscopum & patriarcham, imò & summum ipsum Pontificem commemores, non sunt specie diuersæ, sed solo iurisdictionis ambitu aliæ alijs superiores aut inferiores. Ait quippe Isidõrus, vt suprà ex can. cleros. 21. d. citatũ est, quòd episcoporũ ordo quadripertit9 est. Nempè in Patriarchas, Archiepiscopos, Metropolitas atq; Episcopos. Est enim patriarcha patrum summus, atq; princeps: archiepiscopus verò episcoporum princeps. Nam ἀρχὸς Græcè, idem est quod princeps.

nullaexistit vis coactiua quantũ ad forum iudiciale si et nudamautoritatem spectes.

Postremacõclusio.

Metropolita qui certis ciuitatibus circumscriptam habet iurisdictionem: episcopus verò qui vnam regit cathedralem Ecclesiam. Iam verò metropolita nullus est sub archiepiscopo, sed ipsi sunt metropolitani. Patriarchæ verò, vt Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus, plures sub se singuli habent archiepiscopos. Imò & Romanus olim etiam appellabatur Patriarcha.

Horum ergo dignitates ait libro. 4. cap. de ordinibus, Altisiodoren. saltem episcopalem & archiepiscopalem (nam de alijs non meminit) vere esse sacramenta: eademq; distincta. Nam vt argutum primo loco est vt episcopus sacerdotes atq; alios ministros ordinat

Altisiodor.

dinat & consecrat, sic & archiepiscopus ex proprio officio habet ordinare episcopum. Episcopi autem non nisi ex commissione. Nihilo minùs conclusio à nobis asserta indubia esse debet. Primùm siquidem quantum ad id quod ait episcopalem dignitatem esse sacramentum, iam suprà satis reprobatum est. Cæterùm & quòd eiusmodi ordines episcoporum inter se genere non differant, sed sint eiusdem generis & speciei, probatur. Nam quicquid potest archiepiscopus & Patriarcha, potest episcopus in sua diœcesi, etiam episcopos consecrare & Papam. Et quanuis hoc faciant forsan ex commissione, hoc accidit propter iurisdictionis defectum: non autem ex defectu episcopalis dignitatis, Quemadmodùm ob solum defectum similem nō potest sacerdos quenquā absoluere cū virtute characteris quoscūque posset indiscriminatim. Et per hoc solutum restat eius argumentum. ¶Ad secundum autem de Pontifice maximo pariter negatur, dignitatis specie cæteris sibi subditis antecellere. Sed quantum ad iurisdictionis vniuersalitatem, iura omnia illi primatum perhibēt. Nam quantum ad dignitatem, etiam episcopus Hostien. ipsum cōsecrare consueuit. Neque quidpiam spirituale est ad corporis Christi consecrati nem relatum, quod Papa efficere potest, quod non queat etiam simplex episcopus quantum ad suam spectat dignitatem, nisi sit ratione iurisdictionis ab ipso Papa cohibitus. Itaq; habet se inter episcopos summus Pontifex (quantum ad dignitatem episcopalem) sicut Petrus inter Apostolos, quorum quatenus ecclesiam repræsentabant, caput erat: Tametsi quatenus erāt Apostoli essent pares: vt can. in nouo. suprà citato habetur, distin. 21. Neq; verò quatenus episcopi ordinati ab ipso fuēre, sed à Christo constituti. Perminent ergo episcopi sacerdotibus altiori dignitatis genere. Papa verò episcopis in eodem genere: sed tamē quatenus Christi vicarius, omnium est caput: vnde illi singulariter priùs dictum est, Tibi dabo claues regni cœlorū: Matth. 16. licèt posteà Ioan. 9. oibus datæ sint: eiq; peculiariter dictum est, Pasce oues meas: licèt in ipso cūctis sit episcopis dictū: qui per ipsum erāt ratione iurisdictionis in orbē distribuēdi. Docuit enim maximè vt Christus suā potestatē vni cōmitteret capiti vt tota Christiana politia imaginem regni spiritualis præ se ferret, quæ omnium est politiarum optima.

Probatio assertæ cōclusionis.

Ad secūdū argumentū

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm institutio episcopalis dignitatis sit de iure diuino.

POST hæc tandem vt hæc tota quæstio absoluatur, Quæritur vtrùm episcopi sint iure diuino instituti. Apparet enim aliter res habere. Primùm quia præter Apostolos neminē legitur Christus instituisse episcopum: sed Apostoli ipsi sua authoritate illos instituebant: vt patet de Timotheo & Tito, quos Paulus constituit: ergo pariter episcopi non debent censeri iure diuino creati: sed à Papa iure positiuo penes quem diximus summam iurisdictionem ecclesiæ esse. ¶Secundò, id confirmatur facto ipso Christi, Petrum sibi substituentis. Ipsi enim singulariter iussit dicens, Pasce oues meas. Ac si dixisset: Tibi summam rei huius concredo: tu ipse pro tuo arbitratu de illa dispone: ergo episcoporū institutio non Christi, sed Petri est, eiusq; successoris. Vnde vox illa ipsius in. 1. eius cano. cap. 5. Pascite qui in vobis est gregem: non diuina, sed humana, nempe Petri præceptio apparet. ¶In contrarium est illud Pauli Actuum. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Primum argumentum.

Argumē. 2.

Paulus.

CONstitutum quidem suprà reliquimus dignitatem episcopalem ab Apostolorum sæculo à sacerdotio propria dignitate & muneribus fuisse secretam. Desideratur autem quàm maximè ad rei præsentis elucidationem, nosse quo fuerit iure instituta. Nā cùm Papæ sit episcopos eligere, videtur eius institutio. Id quod ad persuadendā ipsorum residentiam tanti refert scire, vt indē sint præcipua argumenta petēda. Et qui cauillari eludereque rationes pertendunt, quibus saluberrimum illud ac diuinum residentiæ ius fulcitur, non alio se protegunt æneo clypeo quàm quòd aiunt non à Deo immediatè, sed à pontifice episcopos fieri.

Sic enim quidā coarmauit sese in defensionē, vt ipse arbitratu est, episcoporū: videlicet vt eos à iure diuino residendi liberaret: vt. q. 3. fusiùs luculentiusque patebit. Quemadmodùm enim inquit episcopus iure diuino

Catharini fundamentum ad instruendam residentiam.

residere

residere teneatur, cùm nullus à Deo immediatè fiat episcopus, sed à Pontifice? Ipsius enim est diuidere diœceses & particularia ouilia, & imponere curam. Multaque alia id genus subdit quæ illic ampliùs disseremus. ¶Hic ergo more nostro duæ sunt conclusiones asserendæ & irroborandæ: vtpote quæ basis futuræ sunt ac fundamentum illius disputationis. Duobus enim modis cõminisci quis potest episcopatus particulares: nempè summo inferiores, non esse de iure diuino.

Vno quòd dignitas ipsa non fuerit à Deo ipso instituta: veluti sunt sacramenta, sed à Papa, vt est quadragesimalis abstinẽtia, particulariũque obseruatio festorum, & annualis cõfessio. Altero verò quòd eorum electio quæ per pontificem fit non sit diuina: hoc est de iure diuino: quorum vtrũque est apertè falsum. ¶Sit ergo prior conclusio. Episcopalis ordo, hoc est gradus & dignitas, institutio prorsus diuina est, quã Christ⁹ ore suo proprio fecit: hæc iam satis in superioribus est demonstrata. Christus enim ipse Apostolos elegit, cui muneri annexa est episcopalis dignitas, puta Christianum gregem pascendi. Illam autem dignitatem, præter spiritum propheticum quo illos imbuit, non in tempus instituit, sed vt perpetuo in Ecclesia perduraret: ergo episcopalis dignitas & gradus qualis nunc in ecclesia perseuerat, ipsissima est Christi institutio. Posterior quidem præmissa nemini in dubium venire potest: quã doquidem Christus Ecclesiam fundauit perpetuò duraturam, perpetuoq; pastu gubernationisq; adminiculo indigẽtem: cui adeò in singulis prouincijs fides morumque norma perpetuò esset elucidanda: non ergo in tempus, sed in perpetuũ hanc instituit dignitatem. Huc secundò accedit testimonium Paulinum ad Ephes. 4. Et ipse dedit quosdã Apostolos, quosdã autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consũmationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei. Pastorum autem nomine episcopi potissimùm, vt dictum est, censentur: ergo illi necessarij sunt in ædificationem corporis Christi: atq; adeò à Christo instituti sunt: vt quantum Ecclesia, tantum essent duraturi. ¶Tertiò: Sacerdotium Euangelicum præstantius est Mosaico, plusq; adeò necessarium: illud autem in pontificem & sacerdotes diuisum pro toto legis tempore diuinitùs institutum est: ergo & nostrum sacerdotium in quo episcopi sacerdotibus præferuntur à Christo est vsq; ad finem mundi institutum. Id quod Paul. ad Hebræ. contestatur, dicens: Translatio sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat. Nisi quòd cùm sub illa lege vnus duntaxat populus vnaque tantùm synogôga degeret vno præcisè opùs erat pontifice: ecclesiæ verò Euangelicæ in totum orbem latè patenti quàm plurimis. ¶Id etiam quartò ratione patet. Christus fuit solus Ecclesiæ fundator. Vbi enim ait Paulus fundamentum neminem posse aliud ponere quàm quod positum est, quod est Christus Iesus, non solùm personam designat, verùm & eius leges & politiam. Vnde ad Petrum ipse ait: Super hãc petram ædificabo ecclesiam meam. Ad fundationem autẽ ecclesiæ non solùm necesse erat fidem sperandarum rerum, quò ceu in scopum tendendum nobis erat, docere, & leges illuc ducentes condere, verùm & magistratus instituere, qui ecclesiam secundùm easdem leges gubernarent. Qui quidem nõ alij sunt quàm episcopi, qui secundùm verbum August. pro patribus Apostolis nati sunt nobis filij: ergo episcopalis functio institutio Christi est: aliàs non satis firmiter fundasset ecclesiam. ¶Quintò: Sacramenta & quæ illis necessaria sunt, Christus ipse per se instituit, ac perinde sacramentorum ministros, quare ipse sacerdotes ordinauit. Episcopi autem soli proprio nomine habent quædam sacramenta administrare: nempè ordines & confirmationem. Haud ergo dubium est vllum quin Christus, non solùm Papatũ verùm dignitatem episcopalem quà latissimè ad omnes Antistites patet, instituit.

¶Sextò. Dignitas episcopalis, vt in præcedentibus monstratum reliquimus, eiusdem generis est in omnibus episcopis: nam sola iurisdictionis latitudine inter se distãt: ergo quatenùs Papæ & reliquis episcopis cõmunis est, eodem autore Christo institutus est. ¶Septimò: Episcopalis dignitas inter charismata numeratur, quibus Christus spõsam suam Ecclesiam dotauit. De quibus nimirũ ait Paul. 1. ad Corinth. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationũ sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. ergo episcopalis dignitas donum Dei est per ipsum ecclesiæ donatum, secundùm verbum Pauli ad

Prima conclusio.

Ratio cõclusionis.

Ratio altera

Tertia ratio

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Sextaratio

Septima ratio.

Paulus.

1.ad,Tim.4. Noli negligere gratiã quæ in te est:quæ data est per prophetiã,cũ impositione manuũ presbyterij. ¶Postremò denique id cõfirmatur. Cùm Papa episcopum eligit aut confirmat,non magis instituit episcopalem dignitatem quàm instituitur Papalis dum ipse eligitur,sed sola persona ad eandẽ dignitatem applicatur. Accedit tum demũ & Pius Papa qui can.oues.6.q.1.contestatur hanc veritatem,dicẽs quod episcopos Deus sibi oculos elegit.Est ergo certo certius,& si sic de his quę sunt fidei loqui licêret,luce cui dẽtius Christum instituisse dignitatem episcopalem,quæ modò in ecclesiaviget.Ecquis enim credat tam insignem magistratum in arbitrio Papæ posuisse vt ipse illum crearet? Et ita omnes Theologi tenent in.4. dist. 24. omnesque iuris canonici interpretes,qui idipsum confessissimum habẽt. Qua vtiq; ratione Paulus nõ hominis ministros, sed Dei prorsus Apostolos,ac perinde eius successores episcopos,ac demũ sacerdotes existimãdos docet.Sic enim,inquit,nos existimet homo vt ministros Christi & dispẽsatores mysteriorum Dei. cùm Papa episcopos creat aut episcopi sacerdotes ordinant,nil aliud faciunt quàm ceu Christi ministri, Dei mysteria dispensare. ¶Hanc ergo conclusionem tam multis duximus asserẽdam, non quòd vllus de illa dubitare credẽdus sit, sed vt per illam falsitas apertiùs innotescat assertionis illorum quos suprà citauimus:in quibus est Catharinus.qui aiunt episcopales functiones eorumque obligationes ad residendum ob id esse de iure duntaxat pontificio,quòd Papa est qui illos eligit applicatque ad suas singulorum ecclesias.Cuius cõtraria in præsentiarum asseritur talis conclusio. Episcoporum electio,atque adeò obligatio ad sua exercenda munera,est de iure diuino. At verò sunt qui hanc conclusionem: quanuis veram, non satis ex suis principijs deducunt: quorum est Torrensis ille, alioqui non pœnitendus author,quem suprà libr. 8. citauimus.Qui quidem plus inferunt quàm veritas permittat.Existimãt inquam ob id eiusmodi episcoporum electiones esse de iure diuino,quòd fiunt à Papa quatenus est Ecclesiæ minister.Quæ profectò causa ad id colligendum non satis est firma: neq; exemplũ quod subdunt talem habet in vniuersum efficaciam. Aiunt enim quòd sicut baptizatio,quia fit à ministro Dei eius ipsius nomine,est de iure diuino:sic electio episcopi, quam facit Papa.Sed possent qui contrariũ defendunt hoc pacto rationem hanc debilitare. Christus Papæ & Concilio non modò administrationem commisit eorum quę ipse instituerat, verùm & facultatem tradidit nouas condendi leges & ritus.Quare obseruatio quadragesimæ festorumq; multorum mere sunt positiui iuris:nempè pontificij.Et idem meritò censeri solet de consecrationibus Ecclesiarum altarisq; ornamentorum. Quocircà nulla est collectio hæc si in vniuersum fiat, Põtifex quasi Dei minister hoc aut illud facit:ergo est de iure diuino:ni si antecedenti adhibeas illa facere tanquam institutionem ipsius Dei, vel quam Apostolis ipse explicui vt ecclesiæ verbotenùs traderent. Quocircà ceu fundamentum huius posterioris conclusionis priorem anteiecimus. ¶Est autẽ priùs nostra nobis explicanda conclusio.Episcoporum enim electiones esse de iure diuino,bifariã intelligitur. Vno modo in genere quod singulis ecclesijs secundùm ecclesiasticam diuisionem sui applicentur episcopi.Alio modo quòd hic Petrus aut Paulus huic aut illi.Et quidẽ in hoc secundo sensu notum est hanc huius personæ electionem nõ esse de iure diuino eo pacto quo electio Matthiæ ac subinde Pauli:sicuti aliorum Apostolorum fuit à Deo facta: sed ex humano eligentium iudicio, aut Papæ.In priori ergo sensu intelligenda est conclusionis veritas.Quæ quidem facilè ex præcedenti sic colligitur. Deus Dei ministerid quod ipse instituit ipsius iussu dispensat, actio est de iure diuino censenda:cùm autem Papa episcopum confirmat & consecrat, alicuique attribuit ecclesiæ,id exequitur quod Christus in genere instituit, quodq; ei facere iusit: ergo id iuris diuini censendum est. Posterior quidem præmissa superiori cõclusione satis est demonstrata.Prior verò in sacramentorũ administratione perspicua fit. Baptizatio nanq; & sacramentalis absolutio & similia licèt per ministros ecclesiæ immediatè(vt isti loquũtur) fiat, nihilo minùs ob id iuris diuini sunt, quòd Christus illa instituit,eiusque nomine heri sic ac dispensari iusit.Et hoc est quod Paulus in priori ad Corinth.epistola admonitum esse curauit, vbi illa fugillat diuersa symbola: Ego quidẽ sum Pauli,ego autem Apollo.&c.Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?& infrà.c.3. Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? ministri eius

Postremaratio.

Pius Papa.

Bifariãintelligi potest eporum electiones esse de iure diuino.

Probatio cõclusionis.

Secunda cõclusio.

Torrensis.

eius cui credidistis: & vnicuiq; sicut Dominus dedit. Ego plantaui. Apollo rigauit: sed Deus incremẽtum dedit. Deus ergo per ministros sacramentorum gratiam dispensat. Et pariter omnino de episcoporum electionibus cẽsendum est: pariq́ modo nos docuit Paulus loqui. Sic enim locis suprà citatis ait: Christus posuit quosdam Apostolos alios verò pastores & doctores. &c. Et alibi: Attendite vniuerso gregi in quo vos posuit Spiritus sanctus. Et cùm. Exod. 28. Deus Moysi iusserit dicẽs: Applica ad te Aaron & filios eius vt sacerdotio fungãtur mihi: Nunquid propterea quòd per ministrum Dei illa facta fuerit applicatio, continuò fit consequens non fuisse diuinam? Nonne & de episcopis qui à Pontifice summo creantur asserti overa est quòd sint serui quos dominus cõstituit super familiam suam? Vide consecratoris verba. Ait enim inter alias benedictiones ad Deum loquens: Sit fidelis seruus & prudens, non quem ego aut Papa, sed quem constituas tu Domine super familiam tuã: vt det illi cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectũ: Hæc est enim episcopalis functio, perfectionem tum docere, tam etiam persuadere. Seductorium ergo argumentum est. Electiones episcoporũ distributionesq́ ecclesiarum per pontificem fiunt: ergo id nõ est de iure diuino. Enimuerò cùm Christus parmansurus nobiscum non esset in æternum, vt nos exteriori functione, vt dum inter mortales agebat, gubernaret, sed Spiritus sanctus quem nobis in hoc misit vt intima mentis tantùm motione ecclesiæ assideret, fieri nequiuit aliud quàm vt quæ Christus instituerat, ministris committeret, qui externo foro & iudicio nomine ipsius prohiberẽt. Vnde Paulus non simpliciter, sed per externam ceremoniam: nempè per manuum impositionẽ Timotheum ac Titum ordinauit. Id quod *Hierony.* commentarijs super Isai. adnotauit Hieroñ. inquiens ordinationem non tantùm precibus, sed manus impositione perfici, nè vocis tacita imprecatio clericos ordinet nescientes. ¶Adde, id quod istiaiunt, immediatè eiusmodi electiones per pontificẽ fieri, æquiuocatione laborare. Imò verò secũdùm Philosophum libr. 1. Posteriorum Analyticorũ, illa causa dicitur immediata quæ est omniũ *Deus immediatè facit.* prima: sicuti immediata principia sunt in quę vltima fit resolutio. Quare Deus est qui immediatè huiusmodi facit electiones per suos ministros. Sed tamen esto causa secunda dicatur immediata, eò quòd inter ipsam & effectum nihil mediat. Sicut dum quis baculo mouet lapidem, baculus dicitur immediatè tangere lapidem: nam & hoc quoque pacto permittitur inter philosophos, locutio, inepta tamen est illatio. Quicquid Papa immediatè faciat, continuò excludere à iure diuino: tunc scilicet, quando Deus qui illud instituerit & fieri præcepit, & tãquã primus author charismata potestatesq́ cõfert: veluti episcopo vsu venit qui eligitur & consecratur. Sed alia consulenda est ratio ad explorandum sit ne id quod Papa facit de iure humano: nempe vt suprà dicebam, sit ne institutio ecclesiastica per potestatem à Deo traditam nouas instituendi, tum leges, tum etiam ceremonias. ¶Et quò tandem aduersarios de sua ipsorum confessione reuincamus, quæritur: Cũ episcopus ex Papæ cõmissione alium eligit & consecrat, vtrùm illa electio & consecratio censeatur Papæ, an illius episcopi qui eius fungitur vicibus. Profectò non negabunt quin sit potiùs Papæ delegantis, quippe cuius authoritate fit, quàm delegati. Pari ergo modo dicendum quòd cùm Papa eligit, vel consecrat, illa electio est de iure diuino. Id quod postremo isto testimonio corroboratur. Nam si dignitas episcopi effectus esset Papæ, posset quidem eum illa priuare: vt potest cùm eum deponit, ecclesiastica spoliare iurisdictione. Et tamen quicquid Papa post consecrationẽ artentet, non potest dignitatem illam auferre: perinde ac si character esset sacramentalis. ¶At fortè non desit qui ex nostra nos confessione hoc pacto coarguat. Quãuis electio in genere sit de iure diuino, nihilo minùs hæc quæ fit huius personæ, non fit nisi humano arbitratu: ergo hoc sufficit vt electiones simpliciter dicantur de iure positiuo. Id quod inde confirmatur quòd sicut multi regnant, vt Deus per Prophetam cõquiritur, & non per ipsum: ita Hieremiæ. 23. lamentatur, q̃ pastores dilacerant gregẽ pascuæ suæ: & in Euangelio quòd intrant non per ostiũ sed vt fures & latrones aliunde: qui ideo non Dei numine, sed humana voluntate eliguntur: atque adeò nõ diuino iure, sed humano.

episcoporũ electiones.

Ratio altera ad idem.

¶Ad hoc respondetur, aliud esse ius, aliud iuris vsum. Ius enim est facultas & præceptio faciendi id quod Deus ipse instituit. Quod ideo diuinum est. Vsus autem est exercitiũ quod in facto consistit: & hoc relinquitur

prudẽ

prudentiæ & iudicio eligentiũ & cõfirmantium. Quocirca potestas episcopalis, nisi fiat claue cõtra iura errante, vt puta q̃ irregularis nõ eligatur, semper iure diuino cõfertur. Quòd autẽ bonus vel malus eligatur, hoc dependet ex facto & vsu humano: ex quo procedere contra Dei voluntatem potest electio mala. Atq; in hoc de quo nos aduersarij decipi arbitrantur, ipsi falluntur. Censent inquã nos inde seduci q̃ ex eo q̃ Episcopatus est de iure diuino, elicimus electiones episcopales eodẽ fieri iure. Hæc autẽ nõ nostra est fallacia, sed sua: qua ex eo quòd vsus iuris fit arbitrio & iudicio humano inferunt electiones esse de iure humano. Audiant quęso Leonem Pontificem in sermone de assumptiõe sua. Dignatio, inquit, cœlestis gratiæ gignit Antistitẽ. Et Ambros. in Pastorali cõtra eos qui pretio ordines cõferũt. Quis, inquit, dat gratiã episcopalẽ, Deus an homo? Et respondet, Sine dubio Deus: sed tñ per hominẽ dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiã. Ep̃us initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatẽ. Si homo in ordine nihil amplius operatur, nisi seruitiũ, quod ei creditur, cur Deo totũ negat, qui ipsum ordinẽ tibi largitur? Hæc ille. Electio ergo iure diuino fit. At nè de noïe disputare videamur, dicimus q̃ quicquid potestatis Papa eligens cõfert, iure diuino Deiq; noïe confert: atq; adeò quicqd tunc ei præcipit, iure diuino præceptum est existimandũ. Exempli gratia, cùm consecrator ait: Accipe Euangeliũ, & prędica populo tibi cõmissũ. Illi cõtrarij nobis autores vocẽ esse aiunt nõ Dei immediatè, sed Papæ. Quare ordinatus inquiũt Ep̃us arbitrio Papæ id exequi tenetur: vt si Papa voluerit nè ille resideat, aut si nõ curauerit vt episcopale munus rectè exerceat, ipsi Papæ imputandum est, nõ autẽ ep̃o. Atq; in hoc puncto status litis cõsistit. Ecquis autẽ hoc ferat audire? Ecquis inquã vllo modo ambigere queat, quin vox illa perinde habeat ac si illam Christus proprio ore protulisset? quando quidẽ quod ipsissimus instituit, iussuq; suo, ore sui organi profertur: Deum ergo id loquentem debet ep̃us auscultare: diuinoq; subinde id iure sibi imperari. Nam retrocedamus paulò antè in cõsecratione. Cùm ait consecrator: Accipe baculũ pastoralis officij vt in corrigendis vitijs piè sæuias, iudicium sine ira teneas, &c. Quo nomine illa proferuntur? Nonne Dei? Nunquid non ipse est qui per suum ministrum illã confert potestatem & charisma tis donũ quod ipse instituit? Vide quemadmodùm id planissimè subiuncta precatio explanet, quæ ad Deum funditur. Subdit nanq; qui cõsecrat: Creator & cõsecrator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis: Tu Domine emitte tuam benedictionem super hunc anulum, vt quicunq; hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus incesserit, in virtute cœlestis defensionis ad æternam sibi proficiat salutem. Et quasi iam Deus ad precationem annuerit: Accipe anulum: fidei scilicet signaculum, quatenùs spõsam Dei, sanctam videlicet ecclesiam integerrata fide ornatus illibatè custodias. Deus ergo est cuius nomine fit electio, & potestatis donatio. Id quod ex illo verbo Numero. 11. fit notius. Iussit enim Deus Moysi dicens: Cõgrega mihi septuaginta viros de senibus Israel. &c. & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. Re vera, illa institutio fuit diuina. Quòd autem ait, Auferã de spiritu tuo, non sic est audiendum q̃ donũ Moysi collatum curtãdum esset, sed q̃ de eodem spiritu quo illum donauerat, donaret etiam suis auxiliatoribus. Quare idẽ genus gratiæ cõfertur omnibus episcopis. Vnde cõsecrator. Propitiare, inquit, Domine supplicationibus nostris: & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum infunde virtutem. ¶ Ex his ergo fit planè cõsequens, Episcopum nõ Papæ, sed ipsissimo Deo fidem suã obstringere. Quare facta electione, nõ Papæ, sed ipsi redditurus est animarum rationem sibi commissarum. Ecce in quo veritas ab eorum opinione quos hic redarguendos duximus distat, & quò quæstionem præsentẽ perducere constituimus: Videlicet electionem quæ fit à Papa eatenùs esse de iure diuino, vt eius vinculo ille qui personam induit episcopi, & residere teneatur in sua ecclesia, & alia exhibere perficereq; munera quæ suæ pastorali dignitati incumbunt. Atq; adeò hinc sumendum nobis restat initium quæstionis tertiæ de eorum residentia.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur argumentum eorum quæ in frõte quęstionis proposita sunt, respondetur: q̃ etsi neminẽ Christus legatur instituisse episcopũ prẽter Apostolos, vbi eos prædicatum misit: nam illi functioni episcopalis erat annexa: & singulariter Petrum sub pastoris nomine: tamen cùm eandem

dem authoritatem, vt dictum est, perpetuò permansurã fundasset, eo ipso facto in Apostolis, & singulariter in Petro singulis futuris episcopis locutus est. Itaq; quòd Petro dixit, Pasce oues meas: cunctis qui per ipsum creandi essent episcopi dictum voluit: nempè vt eo ipso quod quisq; cteatus esset, idem sibi datum diuinitus præceptũ intelligeret.

Ad secundũ argu. ¶Ad secundum respondetur, propterea singulariter dictum fuisse Petro, Pasce, quòd quantũ ad iurisdictionis plenitudinem singulariter ipsum caput constituebat. Quocircà sicut illi peculiariter permissæ sunt claues regni cœlorũ. Matth. 16. quas posteà Ioan. 9. cunctis dedit Apostolis: quin verò & Ioã. 20. cunctis suo gradu sacerdotibus in foro conscientiæ: sic hoc quod ipsi dixit, Pasce, cũctis fassus est. ¶Ad aliud autẽ verbũ eiusdem Petri, Pascite qui in vobis est gregẽ Dñi: negamus catholicè idemq; firmissimè vocem esse præcipuè Petri. Imò id noïe Dei admonuit. Quin verò mirari satis istos nequeo q cõtrariũ putãt: videlicet vocẽ esse perinde à Petro platã ac si epus suis præciperet subditis, aut prælatus monachis aliud quidpiã quod sua esset ordinatio & præceptio. Cùm planum sit ac perspicuum ceu diuinum organũ esse locutum: perinde nimirũ atque Paulum vbi aiebat: Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit. Consultò nãq; dixit, Pascite gregem Dñi. Nam si oues sunt Dñi, eiusnam pastores nisi Domini, & cuius præcepto pascere tenentur, nisi Domini? Vnde Hieroñ. ad Nepotianum: & refertur, dist. 95. can. esto. Petrus secundùm Dñi præceptum illud dixisse.

QVAESTIO SECVNda, De episcopatu optando, ineundo, & cõferendo.

Sanctus Thomas. 2. 2. q. 185.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm liceat episcopatum appetere.

CONSTITVTO ergo quidnã sit, quoq; iure dignitas Episcopalis fuerit instituta, subsequitur secũdùm rerum ordinem de eius desiderio, optationeque & collatione sermonem subtexere. Et ne Diuo Thomæ honorem quem hactenus detulimus adimamus: nempè vt vbi ipse loquitur eius interpretemur mentem, exponenda nobis est quæstio eius. 185. secundæ secundæ. Arguitur enim quòd desiderare affectareq; Episcopale munus, sit non modò licitum, verùm & laudabile. Ait enim primùm omnium Paulus. 1. ad Timotheũ. 3. Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: desiderium autem boni operis, dignum est laude: ergo & Episcopatum optare. *Primũ argumẽtum.* ¶Secundò. Episcoporum status præstantior est & excellentior quàm monachorum religio: monachatum autem expetere pietas est & religionis officium: ergo optatius erit ad Episcopatum anhelare. *Argum. 2.* ¶Tertiò. Prouerbiorum. 10. legitur: Qui abscondit frumẽta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium: ille autem qui vita & scientia pollet, atque adeò Episcopali muneri idoneus est, videtur spiritualia frumenta abscondere, si se eidem muneri subducat: cui si se subdat, eadem spiritualia frumenta salubriter dispensare potest: ergo idem munus retractare vitio dandum est, optare verò laudi tribuendum. *Argum. 3.* ¶Quartò. Sanctorum exempla ceu documenta nobis ad imitandum proponuntur, secundùm illud ad Romañ. 15. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: legitur autem Isai. 6. eundem Prophetam ad munus se prædicationis obtulisse: vbi ait, Ecce ego, mitte me: ergo illud nulla reprehensione, imò præmio dignum est. *Argum. 4.* ¶In contrarium facit verbum illud August. 19. de Ciuit. Dei: Locus superior sine quo populus regi non potest, etsi administretur vt decet, tamen indecenter appetitur.

AD quæstionem, vt literam sancti Thomæ consueto more in conclusiones colligamus, suppositа triformi diuisione, quinque conclusionibus respondetur. Est enim in episcopali munere tria considerare. Primum scilicet, quod omnium est caput & finis, episcopalis operatio & functio, p quã communi saluti populi consulitur: id quod verbo illo designauit Christus, Ioan. vltimo: Pasce oues meas. Secundum est, ordinis gradusq; celsitudo & eminentia, ad quam Episcopus assumitur, secundùm illud Matth. 25. Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Tertium deniq; *Tria in episcopali munere cõsiderãda.*

deniq; in eodē munere tāquā cōsequēs annexumq; attēditur, honor reuerentiaq; ac temporaliū prouentuū affluens copia: secūdùm illud Apost. 1. ad Tim. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt: nempe & apud Deū, & apud hoīes. ¶Hac ergo substrata distinctione, prima conclusio, vt à postremo membro exordiamur, est: Episcopatum intuitu affectuq; temporalium bonorum appetere, manifestarium crimen est ambitioseq; cupiditatis: nā cùm bona temporalia nō sint nisi subsidia & substētacula, ad finem administrationis instituta, eadem temporalia præcipua intentione appeti, peruersa appetitio est. Cuius quidem criminis obiurgabat Pharisæos Redemptor, Matthæi. 23. vbi aiebat: Amāt primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagōgis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. ¶Secunda conclusio circa secundū distinctionis membrum. Episcopatum ratione celsitudinis & eminentiæ ambire nihilo minùs est crimino sum: nam eiusmodi gradus altitudo, consequens est ad operis functionem: quare cùm illa primùm appetitur, præpostera est appetitio. Vnde & idem Seruator noster, Matth. 20. vituperio illud tribuit, vbi ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: vos autem non sic: sed qui maior est inter vos, sit tanquàm minister: Vbi Chrysostomus, per hoc, inquit, ostēditur gentile esse primatum cupere, & sic gentium comparatione eorum æstuantem animam cōuertit. ¶Tertia conclusio. Episcopatus functionem ad animarum salutem illum qui dignus existimatur appetere, studiosum afficium est: egregiaq; laude commēdandum. Hoc enim est quod Paul. laudat: quoniam affectus ex obiecto perpenditur: & illud per se opus, charitatis exiſtit officium. ¶Quarta cōclusio. Eiusmodi opus episcopale etiam ad cōsulendū proximorum vtilitati expetere: ob id q̄ gradus celsitudo illi adiūgitur, præsumptuosum videtur: atq; adeò reformidandum est: nisi vbi manifesta id necessitas exegerit. Vnde Gregor. 1. parte Pastoralium, cap. 8. Tunc, inquit, laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quenquam dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire. Quibur verbis scienter explicuit, ipsum per se bonum opus esse, vbi culmen celsitudinis non habet annexum. Quare tunc temporis rari erant qui id oneris sibi imponi cuperēt: nempè illi duntaxat qui charitatis zelo ad id diuinitùs excitabantur. Qua vtique ratione ibidem Gregor. cap. 7. Isa. zelum offerentis se commendat. ¶Quinq; conclusio. Nihilo minùs potest quispiam absq; illa præsumptione appetere se esse episcopatu dignum, prouinciamque illam dignè administrare, siue infula insignitus sit, siue anteà quàm ad id muneris assumatur: ita vt desyderium non in celsitudinem & primatum, sed in obsequium ipsum Dei, gregisq; beneficiū feratur. Conclusio est tertiæ appendix. Vnde super Matth. Chrysost. Opus quidem desiderare bonum, bonum est: primatum autem: hominis vanitas est concupiscere: primatus nanq; fugientem se desiderat, desyderantem se horret. ¶Assertiones tametsi veræ sint, plusculum tamen lucis appetunt. Et primùm circa duas priores ambigitur, quantúmnam culpæ in eo immoderato affectu insit, dum quis aut temporales prouentus, aut humanos honores præ ipsa episcopali functione desiderat: vtrùm scilicet genere suo mortale sit crimē. Apparet enim sic esse, eò q̄ est peruersus affectus erga res sacras. Sed nihilo minùs ab altera parte pugnat argumentum, quòd cùm illa iusta sint illius officij præmia, moueri eorū affectu ad optandum episcopatum: dummodò paratus homo sit: rectè & ritè ipsum administrare: nulla videtur aut perexigua culpa. Nam cùm honos, vt ait ille, alat artes, consultò eiusmodi præmia proposita esse videntur, vt homines ad studia allecti digni fiant huiusmodi dignitatibus adeundis. ¶Respondetur bifariam contingere appetere episcopatum propter temporalia bona. Vno modo vt hæc ordinis peruersitas sit obiectum appetitus. Itaq; vox, propter, designet bona temporalia esse finem episcopatus, vt cùm dicis, Appeto episcopatum propter bona tēporalia, affectus appetēdi feratur in illum inuersum ordinem, scilicet episcopatus propter bonū temporale. Et re vera hoc genere suo exiſtit peccatum mortale: quia rerum ordo eis diuinitùs inditus peruertitur. Est enim debitus ordo, vt episcopatus propter functionem legitimā appetatur. Subsidia verò temporalia ad substentationem, vt rectè possit iniunctū onus administrari. Quod quidē S. Tho. statim in capi, quæstionis docere cogitauit, dicens, Principale & finale in episcopatu esse episcopalem operationem, per quam proximorum vtilitati intenditur. Quare ad argumentum proximè factum respondetur. Primùm

prima conclusio.
secunda cō clusio.
Chrysostō.
Tertia conclusio.
Quarta cōclusio.
Gregorius.
Quinta con clusio.
Dubitatio.
Solutio.
D. Thomas

mũ q̃ etsi eiusmodi homo in animo habeat rectè episcopatũ administrare nihilo minùs præsentissimo exponitur periculo præcipuã habendi curam deglubendi gregem, procurandiq; honorem & factum, polthabendiq; animarũ curam: nam qualis ordo est in appetitus obiecto, talis est in opere mouẽdus. Præterea. Etsi nullum tale immineret periculum, appetitio ex suo ipsius obiecto peruersa vitiaretur. Secundò autẽ modo contingit episcopatum appeti ratione temporalium quæ ei annectuntur: non q̃ ratio illa constituatur finis episcopatus qui concupiscitur, sed quòd fuerit prima ratio mouendi appetitũ. Et huiusmodi affectio non apparet genere suo mortalis: cùm per illam non constituatur peruersus ordo in rebus. Possunt em̃ bona temporalia mouere hominem ad appetendum episcopatum: etsi ipsa functio episcopalis non ordinetur in finem illum. Imò potest amor temporalium mouere hominẽ ad amandũ Deum propterse, atq; adeò episcopatũ. Sicuti & timor inferni potest quemquẽ mouere ad diligendũ Deũ ipsum propter seipsum. Nihilo minùs quia cõcupita nõ eodem ordine appetitũ mouẽt, quẽ inter se habẽt: eiusmodi appetitio nõ caret culpa, saltẽ veniali. At quanq̃ hęc in scholis vtcũq; explicari valeant: tñ in affectu & vsu ægrè distinguunt. Etenim qui primo à tẽporali prẽmio mouet, adeò facilè ordinẽ peruertet, vt discerni nequeat, quin episcopatũ propter huiusmodi prẽmia cõcupiscat: atq; adeò in periculo sit peccati mortalis. Quare alia est cõsulẽda regula: nẽpè vt qui certus sit in ecclesię administratione nullũ propter bona tẽporalia admissũ ire crimẽ, sed officio suo secundũ leges seruitũ ire, licèt temporaliũ appetitu moueat, extra metũ est peccati mortalis. Sed tñ profectò rarò ista cohærent. ¶ Secunda ambiguitas est in distinctione duarũ istarũ conclusionũ, videntur quippe in idẽ coincidere. Nã etsi appetere bona tẽporalia ad auaritiã spectet, appetere verò dignitatis celsitudinẽ ad præsumptionẽ: tñ appetere honores, qđ primæ cõclusioni appositũ est, ad præsumptionẽ etiã attinere videtur: cuius mentio fit in secũda. Respõdetur autẽ diuersum esse appetitũ honoris, qui est ambitio, ab appetitu celsitudinis, qui est p̃sumptio. Nã altitudo & honor habẽt se vt causa & effectus. Est siquidẽ honor excellẽtiæ effectus ac subinde testimoniũ. Quare ambitio, vti. 2. 2, q. 31. ait S. Th. est inordinatus appetitus honoris: vt puta vel cũ quis testimonium excellẽtiæ appetit quã nõ habet, vel nõ ad vtilitatẽ aliorũ appetit: nam honor nõ propter se sed tanq̃ aliorũ cõmodum appetendus est. Præsumptio autẽ, est immoderata spes, nempe cõcupiscẽtia alicui⁹ dignitatis aut loci, qui vires appetẽtis excedit: Quæ quidẽ vitia in appetitu ẽpatus diuersa sunt. ¶ His tñ sic expositis insurgere quis contrà poterit: nẽpè q̃ huiusmodi bona propter ipsa appetere nõ sit peccatum. Quoniã, vt ab auaritia incipiamus, duplex est ei⁹ species, vt S. Tho. 2. 2. q. 118. docet. Altera scilicet quæ opponitur iustitiæ: Nimirũ cũ quis aliena iniquè cupit: quę quidẽ ex genere suo est mortalis. Altera verò est quæ opponitur liberalitati: cùm quis scilicet nimiũ cupit bona temporalia: quod sanè nõ est peccatũ, nisi quatenus periculũ affert, aliquid contra charitatẽ appetẽdi. Potest autẽ quispiã bona tẽporalia spiritualib⁹ annexa cõcupiscere qui tamẽ firmũ habeat propositũ, rectè eadẽ bona tẽporalia dispensandi. Eãdem ratione aliquis potest cognoscere in se virtutis ac scientiæ dignitatem, in cuius excellẽtiæ testimoniũ potest rectè appetere honorẽ, atq; adeò poterit in se vires præsentiscere, vt citra præsumptionẽ valeat appetere celsitudinẽ loci. ¶ Hæc verũtamẽ argumẽta ex superioribus soluuntur: nisi q̃ luculentiùs eandẽ elucidãt. Etenim loci altitudo natura sua non est propter se appetenda: sed vt quis super candelabrũ erectus luceat oĩbus qui in domo sunt. Et suo modo est de sæcularibus magistratibus sentiendũ. Enimuerò ad hoc huiusmodi loci sunt instituti. Qui ergo in hunc finẽ talem locum cõcupiuerit, genere rei nihil mali committit: nisi propter periculum, vt quarta cõclusio declarauit. Qui autẽ propter celsitudinẽ episcopatũ appetierit: eo ipso se indignum profitetur: quãdoquidẽ peruersum habet affectum, atq; adeò supra vires id appetit suas: quod est præsumptio. Pari modo de honore sentito: qui nõ est nisi ob testimoniũ virtutis expetẽdus, vt aliis prosis. Et pariter de bonis tẽporalibus rei spũali annexis quę nõ debẽt appeti nisi in sustẽtationẽ vt possis officio in aliorũ cõmodum fungi. ¶ De tertia cõclusione nulla apparẽre potest dubitãdi ratio, adeò perspicuũ est licitũ esse appetitũ cõsulendi vacandiq; animarum saluti. At verò quarta est meditatè cõsiderãda, qua ait D. Tho. idipsum propter annexam gradus celsitudinẽ præsumptuosum videri: nisi vbi manifesta necessitas extiterit. Etem̃ quãuis

Secũda ambiguitas.

Responsio.

Obiectio.

Solutio.

non

non omnino eiusmodi appetitum condẽnare videatur, ait tamẽ præsumptuosum videri. Subsequitur ergo ex his conclusionibus, Præsulatus appetitum si ad salutem animarum non referatur, genere suo peccatum esse, vel mortale, vel veniale, vt explicatum est. Attamen ad huiusmodi salutem relatus, genere suo nec malitiam habere innatam, nec verò esse per se bonum, nam si per se bonus esset, nulla egeret circunstantia quæ ipsum excusaret. Si verò per se malus, nulla eũ redderet excusatum. Quocircà propter annexũ periculum, nisi causa aliud exigeret, malus est: causa verò exigente fit licitus. Quemadmodùm si quis in rapidum flumen aut aliũ quemuis periculosum locum sine causa se inferret, peccatum committeret: cuius tamẽ culpam nonnunquam causa posset abstergere. Causam verò Diuus Thomas non aliã agnoscit quàm necessitatem: non quidem personę propriam, sed communem ecclesię.

obiectio. ¶ Quòd si quis eum redarguat, præter illam accidere posse alteram: puta si quis sobrium se & pudicum & doctum, ac denique irreprehensibilem nouerit: qualem Paul. 1. ad Timoth. 3. depingit episcopum. Hic enim nihil culpæ cõtrahere videtur si episcopatum salutis gratia animarum cõcupiuerit: etiam dum necessitas Ecclesiæ non ingruat. Ad

solutio. hoc respõdetur, consultò Diuum Thomam hanc causam subticuisse: eò quòd nemo id de se credere debet nisi diuinitùs, vt ait in solutione quarti argumenti, fuerit attactus: vt patet exemplo Isaiæ: nam vt capite eius. 6. refertur, priùs angelus tetigit os eius, vt omni eum iniquitate permundaret, quàm diceret: Ecce ego: mitte me. Et de Samuele legitur. 1. Regum. 3. diuinitùs esse à somno excitatum, vt faceret verbum Domini in Israël. Et de cæteris Prophetis similiter est sancto numine dispositum. Et in libr. Dialogorum

Gregorius. de Equitio monacho refert Gregor. sensisse linguam sibi à Deo tangi vt deinceps continere se à diutinis eloquijs non valeret. Hæc autem supernaturalia & rarissimè contingentia, non sunt in ordinem doctrinæ redigenda. Adde quòd neque diuina ista prouidentia nisi necessitatis tempore nunquàm

Vnde epatus desyderium reddat iniquũ aut de psumptione suspectum. accidit. Igitur quò rationem summatim colligamus, cur episcopatus desiderium, aut iniquum semper sit, aut de præsumptione suspectum. Primùm ante oculos constituenda eius est sublimitas. Est enim status non vtcunque perfectionis, vt religiosorum qui perfectionem discunt: sed qui illud requirit perfectionis culmen vt gregrem suum eandem doceat. Sanè cùm tanquàm Apostolorum successores, vt dictum est, sint animarum custodes quas Christus proprio sangui ne redemit. Ob idq; eâdem esse debent tum scientia, tum etiam vitæ eminentia instructi: vt quod de Christo ait Paul. valeant ecclesiã suam sine ruga & macula Deo in die iudicij præsentare: pro quo persoluendo munere, mortem etiam, si oportuerit, oppetere. Hoc ergo scopo ob oculos posito si quis hoc munus propter bona temporalia cupit, iam dictum est quàm peruersum habeat affectum. Si verò id propter animarum salutem appetat, tunc aut dignum se atq; idoneum sentit, aut secùs: si non se arbitratur idoneum, iniquus est: puta iniustitiæ crimine implexus. Si autem idoneum se esse censet, vix liber esse debet à præsumptionis metu: nam vix vllus citra culpam valeat tantum sibi dignitatis adscribere, quantum munus hoc expostulat. Quando verò palàm est ecclesiam virorũ inopia laborare, qui ei pro rei dignitate inseruire possint: tunc qui planè se videt ad eandem prouinciam aptum, licèt illam ob salutem animarum optet, eâdem necessitate poterit excusari. Igitur si episcopatum mente expetere peccatum est, quanto deformius illud opere procurare & ambire? Porrò ergo depudendũ est quòd tam licẽter tamq; perfricata fronte præfecturæ hũiusmodi petantur, procurentur, & ambiantur.

Ad primũ argumentũ. AD primum igitur argumentum ex dictis colligitur solutio, quæ bifariàm exponenda venit. Primò vt illo loco Apostolus legitimum episcopatus desiderium definire voluerit: quasi dixerit, qui ritè & rectè episcopatum desiderat, non nisi opus desyderat quod bonum est: nempè operas suas saluti animarum nauare: quod in tertia conclusione tanquam licitum assertum est & laudabile. Vnde Augusti. 19. de Ciuita. Dei: *Augustin.* Apostolus illic, inquit, quid episcopatus sit exponere voluit. Est enim nomen operis, nõ honoris. Σκοπὸς nanq; speculari est, & intendere: atq; adeò episcopus idem qđ super intẽdens: de quo iam suprà nos diximus. Quare vt paulò anteà dixerat, non episcopatus honor amandus est & potentia, quæ per se vana sunt: sed opus. Quare Grego. in Pastorali. Tunc, inquit, Apostolus illud dixit quando ille qui plebibus præerat, primus ad tor- *Gregorius.*

menta martyrij ducebatur. Quãpropter nihil tunc episcopis quàm bonum opus in votis erat. ¶ Secundò autem paulò differentiùs idem Apostolicum verbum & fortè syn ceriùs interpretãdum est: vt tanquã admonitio intelligatur, qua id muneris cupientibus pauorem incutiat. Ac si dixisset: Qui episcopatum desiderat, sibi caueat, sibique quidnã desideret prouidẽter videat. Desiderat enim opus non vtcunq; bonum, sed eousq; egregium vt vix vllus sit qui illi obeundo sufficiat. Quem quidem sensum subiuncta verba planè commendant. Subdit enim: Oportet episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem. &c. Vnde Gregor. ibidem laudans, inquit, desiderium boni operis in pauorem vertit protinus quod laudauit. Quare prudenter Diuus Thomas tertiæ conclusioni quartam adiungit. ¶ Secundùm pariter argumentum in superioribus solutum est. Sanè vbi diximus aliter præsulum statum quàm monachorũ perfectionis esse: nam religiosi solùm tanquàm discipuli eiusq; sequaces illam profitentur: Episcopi verò tanquã doctores quasi illam iam assecuti. Nam adolescentulum quem Christus ad religionem inuitauit, nõ est scisitatus an perfectus esset, sed vtrùm vellet esse perfectus. Petrum verò non anteà pastorem sui gregis instituit, quàm tertiò interrogaret, an se plus illis diligeret: hoc est an cæteris esset perfectior? Vnde Dionysius elicuit perfectionem episcopo actiuè tanquã perfectiori cõgruere, monacho verò passiuè tanquã perficiẽdo: velle autem perfici nõ est præsumptuosum, vt velle perficere, neq; eidẽ periculo expositum. Adde præterea q̃ monachus aliis se subdit ad spiritualia capessenda. Quod secundùm August. 19. de ciui. Dei. cuicunq; est laudabile: à studio enim, inquit, cognoscendę veritatis nemo prohibetur, qđ laudabile otium est. Ille autem qui personã episcopi induit alios eligit sibi esse subiectos à quo appetitu omnes dehortatur Apost. ad Hebræ. 5. vbi ait: Nec quisquã sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Et Chrysost. super Matth. Primatũ ecclesiæ cõcupiscere, neq; iustum est: neq; vtile. Quis enim sapiẽs vult vltrà se subijcere seruituti & periculo tali, vt det rationẽ pro omni ecclesia, nisi fortè qui non timet Dei iudiciũ, abutens primatu ecclesiastico sæculariter: vt scilicet seipsum conuertat in sæcularem. ¶ Ad tertiũ optimè etiam D. Tho. respondet, q̃ frumentorũ dispensatio fieri non debet cuiusslibet arbitrio: sed primùm diuina dispensatione, mox & maiorum iussu & ordine, secundùm illud. 1. ad Corinth. 4. sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. Et ad Rom. 10. Quomodò prædicabunt nisi mittantur? Quapropter cui neq;, ex munere proprio incumbit, neq; id à superiori iniunctum est, is non censetur abscondere frumẽta: sed ille prorsus qui vel officium quod assumpsit negligit, vel pertinaciter recipere renuit: vnde Augu. 19. de Ciuita. Dei: Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas charitatis: quã sarcinam si nullus imponit percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autẽ imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. ¶ Ad quartum deniq; iam suprà responsum est. Sanctorum enim exempla nihilo nos ampliùs docent quàm quòd nemo se ad episcopatum ingerat antequam diuinitùs sit accersitus, nisi sit diuinitùs ad id purgatus: vt in Isai. exemplo videre est.

Interpretatio altera Paulini loci

Ad secũdũ argumentũ

Dionysius.

Augustin⁹.

Chrysosto.

Ad tertiũ argumentũ

Augustin.

Ad quartũ argumentũ

ARTICVLVS. II.

Vtrùm episcopatum iniunctum liceat omninò recusare.

QVONIAM à virtutis linea versus vtrũq; extremũ declinare cõtingit, & visum est quantũ in episcopatus appetitu insit aut peccati aut periculi, subsequitur vt videamus an in eius refutatiõe peccatũ esse contingere possit. Arguitur enim à parte negatiua ex Greg. in Pastorali. vbi ait per actiuam vitam prodesse proximis cupiens Isa. officiũ prædicationis appetit. Per cõtemplationem verò Hieremi. amori cõditoris sedulò inhærere desiderãs, nè emitti ad prædicandum debeat cõtrà dicit. Ex his nanq; verbis sic arguit. Amor Dei amori proximi præstat: sicuti & vitę actiuę contẽplatiua: nemo autẽ vt meliore potiatur fruge inferiorem renuẽs culpa denotat: ergo omnino licet episcopatum cõtẽplationis gratia refutare. ¶ Secũdò. Ex definitione superioris articuli arguitur. Nemo nisi purgatus, quòd Isai. exẽplo monstratũ est, debet episcopalem subire prouinciam, sed id quenquam de se cognoscere, velut ibidem inquit Gregor. perdifficile est: ergo nemo tutò nisi fortè id diuinitùs noueri-

Primum argumentum Gregorius.

Argumẽ. 2.

ucrit debet se permittere episcopali functioni addici. ¶Tertiò de beato Marco in eius prologo ait Hieron. quòd dicitur post susceptam fidem amputasse sibi digitum vt illa orbitate ineptus sacerdotio fieret. Nec desunt qui emisso voto sese arcent, nè episcopi creari possint. Obstacula autem huiusmodi sibi quenquã obtendere, grauius est, quàm dignitatem ipsam recusare: ergo vnicuique subducere se licet nè eligatur. ¶In contrarium occurrit Augustin. in epist. ad Eudoxiũ, quæ est numero. 81. hisce verbis: Si qua, id est, aliqua ratione, operam vestram mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis: sed miti corde obtemperetis Deo: cum mansuetudine portantes eum qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mãsuetos vias suas. Nec vestrum otium necessitatibus ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodò nasceremini, non inueniretis.

Argumẽ. 3.

Augustin⁹

AD quæstionem vnica conclusione respondetur. Quemadmodùm ad inordinationem volũtatis pertinet vt proprio motu sese vllus gubernandi periculis subdat, ita & eius prauitas est superioris iudicio & præcepto se subducere. Probè enim hic Diuus Thomas duo in episcopatus assumptione meditanda dignouit: nempe quid hominem deceat sua spõte appetere, quidq; maiorum iussu acceptare. Propria enim voluntas hominis illuc debet esse mente intenta vnde sua propria pendet salus: quia hæc sibi propriè cura incumbit, atq; adeò cauere nè se illuc immergat, vnde sibi periculum imminet. Sed tamen cum superioris vigilantia ad bonum commune debeat potiùs attendere, ex eius arbitrio & dispositione debet subditorum quisque publicam administrationem capessere. Hinc ergo fit nostra conclusio nota: videlicet vtrinque subditi voluntatem periclitari: nempè & dum proprio motu ad episcopatum sese infert, & dum à superioribus iussu se aufert. Quare optimè post citata verba subdit Augustin. Sicut inter ignem & aquam tenenda est via, vt neque exuratur homo, neque demergatur: sic inter apicem superbiæ & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus. Sicut scriptum est: Non declinantes neque ad dexteram neque ad sinistram. Duo autem iniuriosa incommoda Diuus Thomas refert illius qui se plus nimio subtrahit. Primum, quòd charitatem repudiat proximorũ, quibus frugi esse potest. Nam vt ait suprà citatus Augusti. Negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Secundum, quòd humilitatem violat, & obedientiam quam superioribus debet. Vnde Gregor. in Pastor. Tunc inquit ante Dei oculos vera est humilitas, cùm ad respuendũ hoc quod vtiliter subire præcipitur, pertinax non est. ¶Sunt autem hæc digna quæ paulò altiùs expendantur. Primũ enim differẽtia illa de propria subditi & aliena superioris voluntate non videtur rationi consona. Nam cùm bonum commune præstantius sit particulari, non solùm magistratus & persona publica, verùm quicunque priuatorum debet illud suo priuato commodo anteferre: Vnde licèt quis maiorem recreationem & dulcedinem in oratione sentiat & abstinentia, vbi tamen nouerit bonum publicum periclitari, suum propriũ otium debet sua sponte etiam iniussus deserere, vt ad prædicandũ prodeat, vel ad aliud commune bonum: etsi opùs ad id fuerit solidiori cibo vti. Ad hoc respondetur quòd etsi bonum commune sit præstantius particulari, tamen cura eius ex proprio officio soli personæ publicæ incumbit. Salus autem spiritualis cuiuscunq; sibiipsi propriè commissa est, Et ideo subditus quicquid sua propria authoritate inceptauerit, debet facere secundùm quod expeditiùs cõducentiusq; ad suam propriam animæ salutem fuerit arbitratus. Quare licèt videat quàm maximè posse bono cõmuni prodesse: si tamen prudenter timeat, periculũ suæ salutis spirituale inde offerri, quod vtique putat non posse vincere, nequâquam se debet illi committere. Prælatus verò econuersõ secundùm indigentiam boni cõmunis iudicare debet quid cuique imperet. Et ideo metuenda est illinc vtique superbia, atque hinc rursus inobedientia. ¶At verò sciscitaris vtrùm vtrumq; timendum sit tanquam genere suo malum. Apparet enim non sic esse: quoniam non obedire, genere suo peccatum est mortale: & tamen quòd sua se quis sponte ad episcopatum offerat, suprà dictum est, non esse suo genere peccatum. Imò potest id fieri licitè si circunstantiæ suprà explicatæ concurrant. Ad hoc duas subdit Caietañ. solutiones. Primam quòd forsan Diuus Thomas noluit similitudinem secundùm omnia constituere, sed satis est quòd vtrobique potest

Cõclusio responsiua.

Explanat conclusio.

Augustin⁹

Duo incommoda eorũ

qui iniũctũ episcopatũ pertinaciter recusat.

Obiectio.

Solutio.

Dubium.

Duplex solutio Caie.

esse peccatum. Secunda quòd fortasse in priori membro loquebatur de appetitione episcopatus peruersè: vtpote non propter opus, sed propter honores aut fructus: quod genere suo est mortale. Hæc autem posterior solutio menti Diui Thomæ non congruit: quia in priori membro non constituebat peccatum propter peruersionem finis, sed eò quòd quis sua spōte se ingerat. Neque prior adeò est vero proxima: nam vtrobique videtur aliquid ex genere malum agnoscere. Et ideò fortè dicere voluit quòd quia episcopatus nullatenus esse potest sine periculo, ex genere suo habet quandam malitiam: scilicet quòd quis se periculo obijciat: licèt non sit adeò innata quin per alias circunstantias possit omnino excusari. Eodem modo de inobedientia est censendum. Est enim genere suo peccatum, quare esse non potest inobedientia quin sit peccatum: sed tamen concurrere possunt in persona tales circustantiæ propter quas nulla sit inobedientia non parêre prælato, subditum ad episcopatum adigenti: vt in solutionibus argumentorum explicare festinamus.

Refelluntur solutiones Caietani.

Solutio authoris.

Ad primū argumentū D. Thomas

AD primum igitur trimembrem solutionem affert Diuus Thomas. Cuius prima pars est, quòd etsi vita contemplatiua excellentior sit quàm actiua: tamen ex altera parte bonum commune præstantius est particulari: & ideo tenetur homo cùm ad episcopatum accersitur, etiam cum aliquo spiritualis otij detrimento iussa capessere. Quòd si responsio hæc conclusioni ipsi eiusq; nostræ expositioni aduersari cuipiam appareat, eò quòd diximus priuatæ personæ magis propriè incumbere custodiam propriæ salutis spiritualis quàm boni communis, etiam spiritualis: intelligāt nullā esse repugnantiam. Illud enim solùm concludit quod spontaneè nullus se debet ingerere. At verò quando superioris mandato accersitur, iam tunc saluti suæ magis expedit obedire: tum quòd etsi ratione actus contemplatio sit melior, tamen ratione obiecti seruire communi bono excellentius est: tum etiam quòd virtus non solùm ex obiecto existimanda est, sed ex necessitate, quæ in tali casu ingruit. Quemadmodùm eleemosyna esse potest præstantior virtus quàm oratio. Vnde Paulus ad Philippen. 1. Coarctor, inquit, è duobus: desiderium habens dissolui & esse cum Christo: multò magis melius. Permanere autem in carne, necessarium propter vos. Quare Augustinus in verbis citatis: Non otium, inquit, vestrum necessitatibus ecclesiæ præponatis. Additur autem secundò ad maiorem huius explicationem hoc ipsum ad maiorem dilectionē Dei pertinere. Opettius enim Deo est & charius vt cura suarum ouium quas suo sanguine redemit impensè habeatur, quàm vt suæ ipsius contemplationi vacetur. Vnde Augustinus super illud Ioann. vltimo, Christi ad Petrum: Pasce oues meas: Sit, inquit, amoris officium pascere dominicum gregem, sicuti fuit timoris indicium negare pastorem. Adijcitur demum tertiò quòd neque episcopus sic est addictus vitæ actiuæ, vt à contemplatiua sit prorsus alienus. Imò debent esse sicut nubes volantes: nempè diuinorum contemplatione pluuiam concipientes, qua prædicando subditorum animos fœcundent.

Mēs sancti Thomæ.

Paulus.

Augustin.

Ad secūdū argumentū S. Thomæ.

¶Inter respondendum autem ad secūdum, primùm omnium Diuus Thomas præiacit fundamentum, conclusionem scilicet, quòd nemo tenetur in his quę illicitè sibi præcipiūtur: dicto obtemperare: nam obediendū est Deo magis quàm hominib⁹. Subdit autem tria impedimentorū genera obedientiæ obstantia. Primum scilicet quod subditus ipse amouere potest: vt si sit in peccato mortali quod quidem tunc amouere tenetur, vt obediat. Secundum quod non ipsi, sed prælato auferendum incumbit: quale est irregularitatis aut excommunicationis. Et tunc debet eidem prælato ipsum patefacere vt iudicet si expedit dispēsare. Quemadmodū de Moyse legitur Exodi. 4. Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius. Cui Dominus: Ego ero in ore tuo, doceboq; te quid loquaris. Tertiūverò est, cui neq; subditus neq; prælatus mederi potest, vt si archiepiscopus cum electo super irregularitate dispensare nequeat: & tunc ad Papam conuolandū est. ¶Et quidē circa duo vltima nihil restat dicendum. De primo autē id primùm animaduertendum est, quòd qui in peccato est mortali, quod Pau. crimē vocat, indignus est qui episcopatum anteà suscipiat quā animum ab illo diuellat: nam qui Dei iussu prohibitē debet eius gregem docere, contra eius voluntatem prouinciam subit, qui, vt ait Paulus, nō est sine crimine. Vnde nō dubito quin ille qui cū animo perseuerandi in pec-

Existens in peccato mortali indignē est ēpatu durante peccato.

cato

cato episcopatum acceptat, eodem ipso facto mortaliter peccet. Sed nihilo minùs si aliâs idoneus est & non vult sibi sordes abluere vt obediat, etiam in hoc admonet diuus Thom. ipsum peccare: quandoquidem ait ipsum teneri peccatũ amouere. Sed hoc profectò paulò accuratiori indiget meditatione. Primùm enim non est intelligendum nouum esse peccatum ab inobedientia distinctum: sed vult q̃ qui vt in peccato persistat, obedire renuit, non habet legitimã causam vt inobedientiæ crimine abluatur.

Dubitatio. ¶Quæstio hęc tamẽ illicò legẽtis animũ mouere potest. Vtrùm si homo ille qui eligi ur ea est affectuum pestilentia corruptus, quan uis latenter, vt turbulentiam suæ cõscientiæ pacare nequeat, sed prudẽter timeat se idẽtidem ab illis fore superandum, proponendo vtcunq; exire à peccato, teneatur electori parêre. Apparet enim ratio id conuincere, quãdoquidem impedimentum habet primi generis: nempe quod ipse potest excutere.

Solutio. ¶Re vera ambigua res est. At verò cùm possibile in præsentiarũ non dialecticè, sed secundùm prudentiæ regulas, &, quod aiũt, moraliter sit vsurpandũ: pro eo etiam quòd perquã difficile est, ille qui sentit se posse feri tatem suorũ affectuũ nõ edomare, profectò non teneretur parêre: imò delictum esset apud Deum tanto se discrimini obijcere. Secùs autem si inidoneum se quãtum ad scien tiam vel alias qualitates, quæ foris patescunt præ sua modestia existimaret: nam si hæc prælatus prudens & probus cognoscit, illi deferendum est iudicium: atq; adeò obtemperandum. *Quæstio.* ¶Sed percontaris quinam censendus est prælatus cui est de necessitate in hac parte auscultandum: an solus Papa electionis episcopi confirmator, & episcopus in collatione sacerdotij, an etiam electores? Videtur quòd soli Antistites: nam electores *Responsio.* non sunt Prælati. Imò reges iam sunt qui electorum loco præsentant. Respõdetur quòd quantum ad rigorem iuris solus prælatus qui ritè iurisdictionem habet necessitatem infert vt citra inobedientiæ crimen nequeas eius iussa retractare: imò tunc duntaxat quãdo in virtute obedientiæ id præceperit. Attamen quando electores viri sunt probi qui sancto zelo electionem faciũt, non opus est electum difficilem se gerere. Imò consultius est electionem acceptare: dummodò religiosus id nè faciat nisi facultate prælati præmissa: quandoquidem suum sic habet institutum. Enimuerò in eiusmodi honoribus fugiendis circunspectus esse quisque debet: nã solent vt Schytę fugientes in tergũ periculosiùs vulnerare: solent inquam sæpe istarum dignitatũ despectores peiori inde superbiæ raptu corripi, quàm si acceptarent metuerent. Adde quòd etsi huiusmodi celsitudinis loca omninò respuere actus esse possit heroicæ virtutis, nihilo minùs potest fidelis seruus & prudens in administratione ecclesiæ creberrimæ præstare officia quæ simul multò sint apud Deum cumulatioris commendationis quàm vnica humilitatis actio. Viris igitur probatæ vitæ sic est prudentia modestiaq; in amplectendis magistratibus exhibenda, vt in nihilo sit minor in renuendis adhibenda cautio. Tunc vel maximè, dũ præsulum, qui digni sint, inopia laboratur, atque adeò ecclesia Christi bonorum opùs habet obsequio: vt paulò nos anteà citatus *Ad tertiũ argumentũ* Augustin. admonebat. ¶Ad tertium respondetur. Cùm episcopatus simpliciter non sit de necessitate salutis, vt sacramenta ac virtutum officia, sed tunc tantùm quando ratio id obedientiæ exegerit, nihil per se implicat iniquitatis vt voto quis aliôve obice sese præpediat, ne capiat. Quemadmodùm transitus ad secundas nuptias non ideo est illicitus q̃ ordinibus suscipiendis obstat: dummodò votum nunquàm acceptandi episcopatum sic habeat restrictam intẽtionem quòd hoc quantum in se fuerit neq; procurabit neque accipiet. Nam si proponeret nulli prælato de illa re obedire, delictum esset: neque tale votum eousque esset obligatorium. Ad id autem quod de beato Marco allatum est, si res ita habuit: nam Hieronymus non pror- *Hieronym⁹.* sus affirmat, sed ait, dicitur: necesse est fateri diuina id reuelatione fecisse: nam quempiam se tali fine membro mutilare, delictum esset. vt ex concilio Nicæ. cano. si quis. d. 55. *Concilium. Nicænum.* innotescit. ¶Hoc autem hic non est silentio prætereundum, Vtrùm licitum sit desiderare & exoptare eum qui creditur omniũ optimus vtilissimusq; ecclesiæ in præsulem creari. Quãuis propter rei arduitatem vehementissimè de propria ipsius salute timeatur. Est enim casus creberrimè contingens: nempe quòd quis in magistratus administratione non sit totum facturus, quod debet, & tamen inter omnes qui esse possunt sit minimè malus, & reipublicæ maximè vtilis. Apparet ergo id expetere non esse licitum. Nam quippiam alicui optare quod illi *Dubitatio.*

est ad salutē tam periculosum, & probabilissimè nocuum, videtur ad odium pertinere.

Solutio. ¶Ad hoc nihilo minùs respondetur. Primū quòd nemini licet cum tam ingenti periculo publicam prouinciam subire: neque verò in illa perdurare si metu excutere non potest. Nam quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Imò è diametro repugnat charitati Dei salutem spiritualem propriam saluti totius orbis posthabere. Secundum assertum sit: Nō solùm licitum est, imò laudabile desiderium, vt ille sit Antistes qui ecclesiæ est magis idoneus, seu minùs incommodus, quantuscunq; de eius salute habeatur metus. Non dico quòd possis hoc illi cōsulere vt accipiat: nam ipse tūc nequiter acciperet aut retineret, sed quòd licitum sit tibi id de altero desiderare: quin verò & procurare: & ideo quantumuis tibi aliter esset amicitia aut alia necessitudine cōiunctissimus, id debes optare. Et ratio est manifestissima: quoniā bonū vniuersale præstantius est particulari: atque adeò, proprio excepto, magis est optandum quàm bonum spirituale cuiuscunque amici. Atque hoc ipsum confirmatur: nam si elector esses, deberes illum eligere: ipsi enim electo examinare incumbit quid sibi expediat.

Laudabile est eū expetere in Antistitē qui ecclesiæ est magis idoneus, etiā cū formidine aduersæ valetudinis.

Ratio asserti

ARTICVLVS. III.

Vtrùm oportet eum qui ad episcopatum assumitur, esse cæteris meliorem.

POST appetitum episcopatus & temperatam obedientiam eius qui eligitur, subsequitur de electoribus & confirmatoribus explorare, vtrum semper teneā tur eligere eum qui sit cæteris omnibus melior. Apparet em quòd hoc nos Christus facto docuerit. Petrum enim non anteā ecclesiæ suæ præfecit: quàm trina interrogatione examinaret an se plus cæteris diligeret. Meliorem autem simpliciter sola facit charitas: ergo nunquàm nisi melior eligendus est.

Primum argumentum

Secundum.

¶Secundò: Symmachus Papa. 1. quæst. 1. vilissimus inquit computandus est nisi scientia & sanctitate præcellat qui est dignitate præstantior: sed quisquis scientia sanctitateq; præcellit melior simpliciter censetur: ergo nemo nisi qui morum probitate cæteris præstet est eligendus. ¶Tertiò: In quolibet genere minora gubernantur per maiora, sicut corporalia per spiritualia, & inferiora per superiora: vt. 3. de Trinita. Augustin. est autor. Sed episcopus assumitur ad regimen aliorum, ergo debet esse cæteris melior. ¶In contrarium est textus Decretalis, de elect. cap. scriptum. dicens quòd sufficit eligere bonum, neque oportet eligere meliorem.

Tertium.

ETsi quæstionem istam libro tertio de omnibus ecclesiæ magistratibus latissimè discusserimus, tamen quia hîc à diuo Tho. de episcopis peculiariter inseritur, ordo nos rerum cogit illam repetere. Summa ergo responsionis diui Thom. suppositā distinctione duabus conclusionibus cōtinetur. In electione enim, inquit, ad episcopatum, aliud est ex parte eligentium, atque aliud ex parte electi pensandum. Est ergo prior conclusio. Nemo eligere tenetur meliorem, si nomen melioris secundùm proprium significatum vsurpes: sed eum qui ad munus pastorale fuerit expedientior & aptior. Bonus enim nemo simpliciter nisi ob solam charitatem existit. Potest enim, vti aliàs diximus, esse bonus artifex sine virtute morali: sola autem hæc facit hominem simpliciter bonum. Vnde cùm charitas sit omnium virtutum forma, ab illa homines apud Deum boni denominantur & sunt: & quo quisq; sit illa prouectior, eo melior est. Probatur ergo cōclusio. Electio personæ ad sedem episcopalem ex eius functione perpendenda est, vtpote quæ finis est propter quem persona eligitur, & bonitas medij est à fine. Latissimè nanque lib. 3. quæst. citata ostendimus decimas stipendiaq; ecclesiarum non tanquàm præmium qualitatis bonitatisq; personæ fuisse instituta. Illud enim præmium in cœlis nos apud Deum manet, sed tantùm, vt ecclesijs rectè administretur: secundùm illud. 1. ad Corinth. 14. Ad ædificationem ecclesiæ petite, vt abundetis. Vnde non, inquit, qui boni sunt presbyteri, sed qui bene præsunt, duplici honore digni sūt. Ad eiusmodi autem obsequia obeunda & perficienda non solùm morum probitas & charitas, quæ simpliciter facit meliorem, necessaria est, verùm & virtutes aliæ tam intellectuales quàm naturales: vt scientia, prudentia, efficacia, & grauitas. Non ergo necessum est simpliciter eligere meliorē, sed eum qui ad ecclesiæ regimen est expedientior.

Distinctio.

Prima conclusio.

Probatio cōclusionis.

Vnde

Vnde Hierony. Quidam, inquit, non quæ-
runt eos in ecclesia columnas eligere quos
plus cognoscãt ecclesijs magis prodesse, sed
quos plus ipsi amant. Hactenûs ille. Quod
quidem ad acceptionem personarum attinet, Vnde super illud Iacobi. 2. Fratres mei
Augustin° nolite in personarum acceptione habere fidem domini gloriæ. Ait Augustin. Quod si
ad honores ecclesiasticos referatur, non est
Posterior cõclusio. putandum leue peccatum. ¶Posterior conclusio. Ille qui ad sedem assumitur, non se tenetur cæteris meliorem reputare. In superbiam enim & præsumptionem talis cogitatio hominem adigeret: sed satis est si non in se crimen aliquod agnoscat, per quod nefas ei sit sedem occupare. Quare etsi Petrus per comparationem fuerit interrogatus, an plus cæteris diligeret: non tamen nisi simpliciter respondit, Domine tu scis quia amo te.

¶Hæc omnia adeò latè ac fusè libr. 3. q. 6. per decem conclusiones elucidauimus, vt nil ad rem pertinens posimus nunc adhibere: sed
Elector ex debito officii tenetur explorare ac ponderare merita eligẽdorũ, & meliorem ecclesiæ tribuere. satis fuerit textum diui Thom. in eius gratiam non præterijsse. ¶Duo verò aut tria sunt in eius verborum textura mente perspicienda. Primùm quòd cùm ipsa electionis vox collationem inter plures designet, quorum reliquis posthabitis vnus assumitur elector de suo nomine admonetur non satis habere eum explorare quem idoneum eligat, sed plurium debere merita expendere ponderareq; vt præstãtiorem ecclesiæ tribuat: non solum probitatis vitæ ratione habita, verùm reliquorum quæ ad publicam functionẽ sunt expedientia. Tãetsi loco citato admonitũ curauimus q̃ primũ idoneitatis fundamentum probitas esse debet. Nam eum qui prauus est, nullæ aliæ qualitates efficere possunt, vt eligatur, idoneũ. Vnde Paulus tanquam necessarium in episcopo requirit vt sufficienti testimonio sine crimine habeatur. Quod quidem nomen non leuioris est culpæ, sed mortalis. Quæ autem præter
Tria præter charitatẽ in episcopo requisita. charitatem in episcopo requirantur, ad tria quæ hîc sanctus Thomas refert reducuntur: quæ sunt instruere plebem fide & moribus, & ab hæreticorum aliorumque periculis, qui mores peruertunt defendere, ac demum pacificè gubernare. Nam scopus gubernationis est pax mẽtium & corporum, hac enim
Obiectio. ratione Dei filij suum retinent nomẽ. Nam, beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. ¶De illo autem notando verbo quo ait sanctus Thom. diuina mysteria, atq; adeo stipendia non dari hominibus quasi præmium suæ charitatis & probitatis, dubitare quis posset: eò quòd & naturalis ratio, & ecclesiastica iura reclamare videntur: quippe quæ volunt clericos qui de ecclesia bene meriti sunt ab ipsa remunerari. ¶Respondetur autem dictam sententiam nullo opùs habere interpretamento. Nam vt iacet est vera. Non enim negat eos qui integræ sunt vitæ præbendarum ac dignitatum ecclesiasticarum dignos esse, verùm id tantùm, quod nos loco citato libr. 3. non leuiter demonstrauimus: nempe sacerdotia, eorumque stipendia non esse instituta ad remunerationẽ bonorum, sed duntaxat ad ecclesiarum seruitium. Si enim hoc in familia Christiana necessarium non esset, certè, neq; essent imperatæ decimæ, neque stipendia constituta. Quare si hæc tribuenda sunt dignis, non est ea suprema causa quòd suæ bonitati sint debita, sed quòd elector debet ecclesiæ idoneum ministrum pro ratione sui stipendij prouidere. ¶Reliqua loco citato libro tertio, si lubet reuise. Demonstratum enim illic curauimus quòd etsi quantũ ad rigorem exterioris fori & restitutionis vinculum satis sit dignum eligere, tamen quantum ad forum poli necesse est eligere digniorem. Quod si in omnibus sacerdotijs & præcipuè in habentibus animarum curam necessum est, quãto id magis necessarium in episcopis præficiendis? vt pote quorum administratione tota salus spiritualis Christianæ reipublicæ periclitatur: ac perinde ipsissim° Christi sanguis, qui per ipsorum, non modo iniquitatem & fraudem, verum insciti am, ignauiam, & socordiã frustrari potest, & sæpissimè solet suæ redemptionis fructu. Sibi ergo videant quibus id muneris incumbit quantùm debeant solerter oculis perlustrare eorum merita quos Apostolis ipsis diuinitus electis substituunt. Atqui eos præsertim cauere debent qui huiusmodi honores ambiunt. Illi enim non pastores ouium habendi sunt, qui pro ipsis sanguinem fundere anhêlent: sed lupi qui ipsarum sanguinem sitientes nihili pendunt eorum animas extinguere.

Ad primũ argumentũ AD primum igitur argumentum respondet diuus Thom. quod cùm Christo notissimæ essent aliæ Petri qualitates ad ecclesiæ gubernationem idoneæ, ob id de amplitudine dilectionis eum præcisè examinauit, q̃ vbi aliæ in sunt conditiones, hæc debet exi-

stimari præcipua. Sed potest huic altera etiã
Secunda solutio. supponi solutio, quòd cùm aliæ partes Petri ad regimen requisitæ, cunctis circunstantibus propatulæ essent, charitas autem in corde intus delitescat, hanc voluit cunctis etiam constare: vt, quemadmodum libr. tertio diximus, manifestum in foro exteriori fieret optimi electionem fieri. Hoc autem loco citato lib. 3. fusius explanauimus. ¶ Ad secun-
Ad secundũ dum respondetur, verbum illud Symmachi non de illo intelligi qui eligendus est, vt pote quòd nisi sanctitate & scientia præcellat vilissimus sit in electione existimandus: sed de illo qui iam electus est. Quo ideo verbo episcopi admonentur quòd etiam si dum in minoribus agebant, non prorsus ea sanctitate fulgebant quæ episcopum decebat. Tamẽ postquàm in candelabrũ erecti sunt, satagere prorsus debẽt vt nomen & locum suum re ipsa expleant: aliâs non possunt non in cõspectu populi vilescere. ¶ Quæ autem scientia in episcopo sit requirenda: Theologię scilicet an Canonici iuris, loco citato libr. 3. vtcunque disputauimus. Haud enim res digna
Sciẽtia theologiæ maximè in epõ ꝺ sideranda. est quæ in disputationem deberet accersiri: est siquidem indigna sentẽtia quæ audiatur, illic pręcisẽ theologum esse præferendũ, vbi hæreses serpunt. Tum quòd cùm oporteat hæreses esse, vbique & semper timendę sunt, atq; adeò docta prædicatione coarmandus populus: nè vnquàm labasci possit: tum præcipuè quòd Christus episcopos pastores instituit qui doctrinæ pabulo quam ipse docuit suum gregem saginarent, moribusque quos ipse instituit intingerent: non præcipuè Doctores legum quas homines posteà adiecerunt & litium iudices. Eò præcipuè ꝙ canones ex Theologiæ fonte deriuati sunt. Id quod eius bicornis mitra designat. Vt enim in eius consecratione patet, caput episcopi cornibus non vtriusque iuris, sed vtriusque testamenti armatur: vt terribilis appareat, non aduersantibus sibi mutuò in foro,
Ad tertiũ. sed aduersarijs veritatis. ¶ Ad tertium respondetur discrimen esse inter regimen rerum naturalium & gubernationem in spiritualibus quę ad supernaturalem gratiam spectãt. In naturalibus enim eo ipso quod res sit simpliciter sublimior, suapte natura magis est ad regendum idonea: vt cœli quam elementa: & alia elementa quàm terra. In donis autẽ gratiæ, quæ vt in priori ad Corinth. ait Paulus, Spiritus sanctus diuidit pro vt vult, nil prohibet vt qui inferior simpliciter est secũdùm charitatem, cumulatioribus gratijs ac donis sit ad regendum instructus. Et ad hũc gratiæ ordinem pertinet ecclesiasticum regimen. Imò verò non hoc solùm, sed etiam ciuile. Quare neque in magistratibus ciuilibus eligendis solùm, vt in. 3. Politicorum ait Aristot. attendenda est integritas viri, inquantũ persona est priuata, id quod charitas facit: sed quòd sit bonus ciuis. Quare aliæ qualitates regum & iudicum suo etiam gradu ad gratiarum diuisiones attinent.

Aristot.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm episcopo liceat curam episcopalem desertam ad religionem se conferre.

POST qualitates eorum qui eligendi sunt & eligẽtium obligationem, sequitur disputare vtrùm episcoporum status ita sit firmus, quem postquàm epi-
Primum argumentum. scopus assumpserit, deserere nequeat. Arguitur enim id ei non licêre: nam maximè religionis intuitu: sed hoc non licet, quoniam à perfectiori ad minùs perfectum retrospicere damnabile est: secundùm Domini sententiam, Luc. 9. Nemo mittens manum ad arãtrum & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Episcoporum autem status altior est monachorum instituto, vt paulò antè dicebamus: ergo sicut de monachatu ad sæculum nefas episcoparius est regressus, ita & de episcopali ad religionis claustrum.

Secundum. ¶ Secundò. Ordo gratię decentior est ordine naturæ, secundùm autem naturam nihil cõtrarijs motibus cietur: vt lapis qui naturaliter descẽdit, nequit ascendere naturaliter: at secundũ ordinem gratiæ à monachatu ad episcopatum licitus est ascẽsus: ergo cõtrarius descensus, illicitus.

Tertium. ¶ Tertiò. Nihil in operibus gratiæ debet esse otiosum: ille autem qui semel in episcopũ consecratur, perpetuo retinet potestatem ordines cõferendi, aliaque id genus perficiendi. Hæc autem potestas si quis curam pastoralem deferret, otiosa remaneret: ergo id minimè licet. ¶ In contrarium est quòd nemo ad id quod illicitum est cogi potest: qui autem cessionem à pastorali cura petit, posteà si cedere cunctetur, ad id cogitur: vt patet ca. Quidam. de renuntiatione: ergo non est episcopo illicitum episcopatu abscedere.

Ad

prima conclusio. AD quæstionem quatuor cõclusionibus respondetur. Prima quæ cæteris vt fundamentum substernitur, est: Tam diu obligatur episcopus pastoralem retinere curam, eiusque agones perferre, quàm diu spes aliqua illi durat quòd possit plebi prodesse.

Ratio cõclusionis. Probatur. Episcopalis status in hoc consistit quòd aliquis ob diuinam dilectionem proximorum saluti curandæ seipsum mancipat: id quod Christus dum Petrum eligit planè docuit. Haud enim præmisit, Diliges gregem plus his: sed, diliges me. Nulla enim dilectio nisi ex diuina deriuetur, sufficit ad subeundos labores, persistendumq; in vigilia & solicitudine quæ episcopali functioni est necessaria. Quare episcopus non ecclesiæ tantùm aut populo, sed Deo ipsi fidem suã obligat: vt tanquàm fidelis dispensator & prudẽs gregem suum gubernabit. Quæ quidẽ obligatio genus voti est, vt sanctus Tho. in calce quæstionis ait. Atq; huc illæ consecratoris interrogationes alludunt: Vis ea quæ ex diuinis scripturis intelligis plebẽ & verbis docere & exemplis? Vis beato Petro Apostolo eiusq; successoribus fidem & obedientiam exhibere? Itaque licèt non emittatur nouum votum castitatis præter sacerdotale, neque vllum aliud quod sit solenne super quod Papa dispẽsare nequeat: emittitur tamen obedientiæ votum quod à solo summo Pontifice est dispensabile. Quod si votũ est, vt diuus Thom. ait, non Pontifici tantũ, sed Deo ipsi fit. Atq; adeò, vt conclusio asserit, perpetuo vinculo obligatus restat episcopus ecclesiæ suæ quam sibi per annulum fidei disponsat. Quapropter diuortium esset, si non cum illa perpetuò permaneret. ¶ Secũda cõclusio. Nequit eandem ecclesiam neq; propter dulcedinem contemplationis, neq; propter quoduis euitandum incommodũ, neq; propter commodum proprium lucrandũ relinquere. Probat: nã Paul. quem suprà ad Philipp. primo citauimus, quasi duobus perplexus & quid illorum eligeret nescius, etsi iudicaret dissolui & esse cũ Christo multò melius: tamẽ videns necessarium esse manere in carne propter fratres, subdit. Et hoc confidens scio quia manebo. Et Christus Ioan. 10. Bonus, inquit, pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Meditatiùs ergo perspexeris quanta cum energia omnia cõmoda atq; incommoda quæ personam episcopi propriè tangere possunt excludantur. Nam si fruitionem sempiternæ fœlicitatis, quæ etiam in paruum tempus omnia quæ desiderari possunt indicibiliter exuperat, iustam causam Paulus non iudicabat vt posset fratres in eorum necessitate suo præsidio & munere destituere: quænam excogitari potest propria commoditas quæ episcopũ excuset? Etsi Christus vitam etiam ipsam ad monet pastorẽ vt exponat pro grege, quod fit reliquum detrimentũ, cuius cauendi causa possit grex deseri? ¶ Tertia conclusio. Possunt nihilo minùs aliqua accidere impedimenta quæ propter cedere episcopus possit episcopatui: quæ quidem Innocen. Tertius cap. Nisi cùm pridem. de renuntia. percẽset. Sed hęc tũ impedimenta pensanda sunt respectu functionis, quę fieri non potest debitè: vt si sit spiritualis defectus personæ: aut corporalis: nempe crimen, vt simonia, aut homicidiũ, aut hæresis, aut aliud quodcunq; propter quod episcopus deponi debet: aut per quod infamiam contrahit: qua quidem respersus, quanuis pœnitentiam egerit, autoritate caret ad regẽdum: cuius gratia plus officit quàm prosit. Enimuerò si purgare infamiam potest, tenetur quidem sub pœna peccati mortalis si in dignitate vult persistere. Nam quo iure tenetur ad rectam administrationem, tenetur & obstacula amouere dum potest: etiam si citra suam culpam eam contraxerit. Quando verò infamiæ sordes eluere non valet, tunc si absq; sua culpa illis infectus est, nõ tenetur episcopatum renuntiare. At si causam verè dedit eiusdem infamiæ quæ tam obscura sit vt verè sit functionis impedimentum, profectò tenetur præsulatu decedere. Et idem est si sit vir seditiosus aut scandalosus. Nam vt ait Apostolus. 1. ad Corinth. 8. Si scandalizauero fratrem meũ, non manducabo carnes in æternum: Dummodò sit scandalum datum, non acceptum: nam qui scandalum leuiter accipiunt, relinquendi sunt, ait Christus, tanquam cæci & duces cæcorum. ¶ Vel potest esse defectus in scientia & prudentia. Haud eñ sibi se vllus persuadeat si omninò sacerdotio indignus sit, propterea habere conscientiam securam, quòd à legitimo iudice sic fuerit ei collatum vt collatio teneat. Imò vt acceptatio peccatum est, maximè si curam habeat animarũ: sic & illud retinere in dies fit absurdius crimen, & ascendere ad aliam ecclesiam multò scelestius. Tnde Oseæ. 4. Vn, inquit Dominus, scientiam repulisti: & ego te repellam, nè sacerdotio fungaris mihi. Si autem irregularis

S. Thomas. *Secunda cõclusio.* *Probatio.* *Tertia conclusio.* *Innocẽtius.* *Paulus.*

gularis tunc erat quando ad sacerdotium assumptus fuit, non dubium quin collatio fuerit nulla: si autem postquam obtinuit illam incurrit, iam dictum est quemadmodum sine dispẽsatione non possit dignitatis munere fungi. ¶Si autem impedimentum est corporale, vt puta aut senectus nimia aut infirmitas, non est necessaria abdicatio ecclesiæ: sed posset esse consilium, retenta aliqua sustẽtatione. Sed ad minus secundùm antiqua iura debet persona digna in adiutorium illi adiungi. Tanta tamen posset esse autoritas in sene vt consultius esset in magistratu persistere & sua vmbra gubernare, quàm alteri committere: vt eodem titul. de renun. can. literas. ait idem Innocen.

¶Postremo deniq; ex parte subditorum potest esse defectus non quicunque: nam propterea q̃ aliquantulo sit populus durior, non illicò per desperationem respuendus est, sed diuino præsidio confidendum. At tunc relinquere eos licet, tametsi ad id nulla emergat obligatio, quando nulli sunt inter improbos probi: sed labor omnino existit infrugiferus ac perinde superuacuus. Solet enim ob defectum populi inepta esse Præsulis prædicatio: secundum illud Ezechie. 5. Linguam tuã adhærere faciam palato tuo: quia Dominus exasperans est. Quocircà sceundo dialogorum Grego. Ibi æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui qui adiuuentur boni. Vbi autem omnino fructus de bonis deest, fit aliquãdo de malis superuacuus. Vnde sæpe agitur in anima perfectorum, q̃ cùm laborem suum sine fructu esse considerant, in locum alium ad laborem cum fructu migrant: iuxta illud Pauli: Ecce conuertimur ad gẽtes: quia verbi Dei vos indignos feciſtis. ¶ Quarta conclusio. Quantunuis causæ adsint ad iustè cedendum, nihilo minùs cessio citra autoritatem prelati fieri non potest: puta Papæ, si episcopus vult cedere quippe cui soli facultas suppetit, vt ait diuus Thom. in illo voto dispensandi. Paroecialis autem sacerdos posset de licentia episcopi cedere. Sententia est eiusdem Innocẽ. in vltimis verbis eiusdem capituli. vbi ait: Et si pennas habeas quibus satagas in solitudinem auolare, ita tamen strictæ sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas absq; nostra permissione volatum. Imò neq; ad religionẽ demigrare absq; Papæ facultate episcopo liberum est: vt patet capit. licet de regula. Et ratio est, quòd sicut nemo ad ecclesiam absq; iudicio superioris assumendus est: ita neq; absq; eius arbitrio vlli licet illam destituere. Sed est demum meditanda cautio capitu. quidam. suprà citati. Quòd si qui cessionem peregit retrocedit, cogendus est, Consueuerant enim aliqui & consuescunt episcopatum renuntiare pauperiorem, aut aliàs sibi minùs commodum, vt vberiorem possint expiscari. Et ideò cùm vident suis technis frustrari, retrocedunt. Meritò ergo illi cedere compellendi sunt, & ab ecclesia repellendi.

Gregorius.

Quarta conclusio.

Ratio cõclusionis.

AD primum igitur argumentum respondetur. Cùm perfectio monachi sit propriæ saluti studere: Episcopi verò perfectio eô sit excellentior, quòd proximorum saluti debeat incumbere: consequens fit vt quãdiu vtilis esse possit ecclesiæ, eidem muneri debeat impense suas nauare operas. Ob idq; si tunc ad religionem commigraret, retrocedere censeretur, nempe quòd cùm non ad suam tantum, verùm & ad subditorum vtilitatem procurandam se obligaret, suæ solũ vacare studeat. Vnde Innocen. capit. citato, Facilius, inquit, indulgetur vt monachus ad præsulatum ascendat, quàm præsul ad monachatum descendat. Attamen quando iam ecclesiæ inutilis fit, aut fortè perstifer, consilium est, vt quò suæ salubriùs cõscientiæ consulat, in monasterium sese recipiat.

Ad primũ argumentũ

Innocentius

¶Ad secundum per idem fundamentum respondetur: quòd per nullum impedimentũ homo curam propriæ salutis præterire debet, quod ad religionis statum pertinet. Potest tamen â negotio alienę salutis impediri: Et ideo monachus quidem ascendere ad episcopatum potest, vbi propriæ saluti periculũ non paratur. Et pariter episcopus vbi cohibetur nè alienæ saluti absque propriæ detrimento incumbere quiuerit, intra claustra monasterij sese conferre. Cessante autem impedimento, potest rursus ad prius institutũ remeare: nisi forsan ob crimen aliquod fuerit episcopatu priuatus, & in monasterium ad peragendos pœnitentiæ fructus obtrusus. Quemadmodùm illud intelligitur decretum septima quæstione. 2. Præcipit sancta Synodus vt quicunque de pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentæ descẽderit, nequâquam ad pontificatum resurgat. ¶Ad tertium demum respondetur, quòd quemadmodum in naturalibus infirmitas efficit vt potentia maneat suo vsu orbata,

Ad secũdũ

Ad tertium

bata, vt caligans oculis: ita neque incongruum est vt episcopalis potestas propter spirituale impedimentum maneat ab vsu colligata.

QVAESTIO TERtia, de episcoporum residentia.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm episcopi in suis diœcesibus residere iure diuino teneantur.



TERTIO loco libri præsentis quęstionem polliciti sumus hanc insignem, de residentia Episcoporum ac sacerdotum curam habentium animarum. Apparet enim diuino iure non esse indicta. Ius enim hoc, illud præcisè censetur quod in euangelio aut loco alterutrius Testamenti, tanquàm diuinũ præceptum legitur: vt est præceptum baptismi: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: aut quod inde planè colligitur. Huiusmodi autem residendi præceptio non est huiusmodi: ergo non est sanctio diuini iuris. ¶ Secundò, Soli Petro commissæ sunt claues regni cœlorum, illique soli dictum, vt vniuersum Christi gregem pasceret: ergo illi soli commissa est summa rei huius, ac subinde pascendi modus. Ad modum autem pascendi attinet residentia: atque adeò non est de iure diuino. ¶ Tertiò. Timotheus Ephesinus episcopus crebrò Pauli iussu impulsus est per alias ecclesias diuagari: diutiusque propria abesse: ergo id nõ est de iure diuino. ¶ In contrarium autem est quòd episcopi sunt pastores: secundùm illud euangelicum: Pasce oues meas, pascere autem gregem officium personale est quod personæ præsentiam exposcit, ergo eodem euangelico iure tenentur suis ecclesijs residere.

Primum argumentum partis negatiuæ.

Secundum.

Tertium.

QVæstionem hanc temporum iniquitas celebrem fecit: nam eius affirmatio, si vel de solo pastoris nomine existimetur, adeò perspicaciter veritatem suam oculis obijcit, vt in quæstionem euocari penitùs renitatur. Quare apud antiquos, admonitam quidem vbi libet videre poteris, disputatam verò vix vspiam. At cum ecclesiastici mores deflorido illo priscorũ loco tam miserè deciderint, eandem veritatem eousq; in quæstionem reuocârunt, vt iam non sit persuasu facilis. Atqui Caiet. loco præsenti, scilicet. 2. 2. q. 185. veluti rem compertã breuibus absoluit. Tẽpore autem Tridentini concilij peregregius frater Bartholæmeus Mirãda necessitudine religionis: ac ibi tunc tẽporis societatis mihi coniunctissimus, eandem quæstionem tum plurimis sacrorum testimonijs, tum etiã rationibus adstruxit: idq; ita locupletè ac disertè, quod suum ingenium est ac solertia, vt laborem aliis potuisset excusare: nisi Reuerẽdus Catharinus Minoriẽsis ad cõtradicendũ prodijsset. Haud inquã negauit quin præsides residere teneãtur: sed tamẽ asseuerare perstitit, humano quidem iure, hoc est põtificio ad id obligari non autẽ aut naturali aut diuino. Ex quo inferre perrexit, curã illam soli Papę incumbere vt illos residere faciat: ipsos autem non aliter teneri quam ipse disposuerit. Ego verò litẽ cũ homine cõtestari nolo. Est enim vir, alioqui quidem religiosus, attamẽ acerrimi ad contradicendum ingenij: cũ quo mihi priùs de certitudine gratiæ, & posteà in Cõmentarijs super Paulũ de prædestinatione controuersia fuit. Qua de re, vt audiui, nam legi nunq̃, multis me, quæ sibi genuina sunt & natiua, scõmatum figuris respersit. Et re vera si tantum suis assertis cõfirmãdis insudaret, quantũ huiusmodi innectẽdis cõuitijs assolet, fœlicius suũ celebrasset nomẽ. Sed putat simpliciter suis dictis veluti oraculis auscultandũ. Et cõ ægrè ferat ꝙ omnes velint esse magistri, nil ipse vereꝰ omniũ prodire magister. At verò nõ constitui, quia neq; theologicũ neq; Christianũ est, malum ꝙ malo reddere. Et ęgriùs fero ꝙ episcopus similia de aliquo euomat, quã ꝙ de me quisquam. Eò præsertim ꝙ neq; ea in me expuit mala quæ multa opus habeãt ad ferendum lõganimitate. Rem ergo tantum pro meo ingeniolo dilucidare satago: nõ cũ homine cõtendere. ¶ Igitur quòlineã aliquã omnibus cõfessissimã præstituam⁹: vnde disputationẽ auspicemur, conclusionem primã vniuersis literarũ professoribus receptissimã præfigamus. Constantissimum est, ecclesiarum Præsules imò & animarũ omnes pastores vsque ad parœcios inter suos greges residere teneri: Sed quod in quæstionẽ vertit est de iure ad id cogente: sitne tantùm humanum, an verò

Caietanus.

Bartholomæus Mirãda.

Catharinus

verò diuinũ etiam & naturale. Ecquis enim mente sanus in quæstionem compellet, vtrũ ianitor cui iura claudendi recludendique cõmissa est, ad ianuam asistere debeat? & cui nauis gubernatio incumbit, ad clauum sedere? Et vtrùm dux in bello, dum geritur, & milites in acie debeat existere? Quin verò nõ modò humanæ, leges hoc de episcopis in quæstionẽ traduci non sinunt: verùm & diuina & naturalis dementię nobis, certũ est, adscribũt quòd ipsum intentamus. Enim si Deus, vt ipsi contrarij fatentur, quia diffiteri nequeũt episcopalem dignitatem, quâ latè in ecclesia patet, instituit, nonne & officium ipsum pascendi instituit? Pascere autem num naturale ius apertè clamat personalem requirere præsentiam? ergo quanuis illis largiremur electiones iure tantum humano fieri, nunquam inde obtinerent vt Papa mutare possit quin officium pastoris sit iure diuino per se pascere, ac subinde residere. At nè dicendi impetus sine dispensationis atque œconomiæ luce in viscera nos disputationis inferat supposita prima fundamentali conclusione quod in quæstionem accersitur est, quo iure hęc residendi obligatio innitatur. Et primus articulus est de diuino. Debet autem sacrorum tractator, vt primo de doctrina Christiana autor est Augustinus, documentum patrisfamiliàs auscultans, de thesauro scripturæ proferre, primùm noua deinde vetera.

Suadetur posita cõclusio

Augustinus

Qua de causa peculiarem hìc titulum fecimus: de diuino iure tam euangelico quàm antiquo: ex quo primum petendum est rei præsentis fundamentum: & articulo proximo de naturali: ac tertio de humano. Tametsi adeò istæ iuris species sibi inuicem meritæ sint, adeoque se vicariè elucident, vt testimonia sacra, nisi naturali statim ratione & iure explicentur & confirmentur, debiliora videri possint: & ideo necesse erit sæpenumerò permistim ab omni iure argumenta accersere.

¶Ad horum autem perspicacem intelligentiam meminisse ex libr. 1. &. 3. opus est, primũ diuidi ius in naturale & positiuum deinde positiuũ in diuinum & humanũ. Ius em naturale est quod nos ipsa natura docuit. Ius autem positiuum quod vel ex hominum cõdicto, vel ex principis iussu legis habet vigorem. Et quia summus princeps Deus est, fit vt ius positiuum diuidatur in diuinum & humanum. Quo fit consequens vt minimè repugnet aliquid esse de iure naturali simul & diuino: vt patet in Decalogo, quem, etiam si Deus non scripsisset, natura nos ipsa docuisset. Sed tamen quia scripto Dei expressus est, censetur etiam de iure diuino. Vnde fit vt distinguatur ius diuinum in naturale & positiuum. Vt positiuũ sit quod nos Deus præter aut supra cognitionẽ naturæ docuit vt sunt sacramentorũ mandata. Et de hoc genere diuini iuris loquimur in hoc articulo: nempe quod in sacra pagina scriptum est. Id quod bifariam contingere potest: nempe aut quod expressis verbis sit scriptum, vt, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et, Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retenta. Aut quod ex verbis scripturæ expressis planè colligitur. Et quidem quod sub hoc verborum tenore expressum sit in euangelio vt episcopi resideant, nemo affirmat: quia nusquàm legitur. Sed tamen quòd verbis æquipollentibus eandem prorsus habentibus significationem, id sit in eisdem sacris Biblijs assertũ, hoc persuadere contendimus.

¶Sit ergo secunda cõclusio. Obligatio Antistitum ad residendum, omniumque pastorũ parœcialium ecclesiarum, est de iure diuino Et cum primis, postquam diui Thom interpretes agimus, sua est cõclusio præsenti quæstione, quam exponendam hìc duximus, artic. quinto. Vbi ex testimonio Christi quòd bonus pastor animam suam teneatur pro ouibus suis ponere, infert, ob nullum temporale periculum licêre præsuli de sua ecclesia decedere. Materiam autem illius articuli, in quarto nos huius quæstionis disputaturi sumus. An videlicet aliquæ sint causæ quæ huiusmodi decessum excusatum faciant. Interim autem conclusio præsens affirmatiùs est demonstranda. Atqui solet quidem ab officio pastoris initium demonstrationis sumi, est tamen illud altius petendum. Episcopus nanque non est propter quem ecclesia est constituta, sed ipse potiùs est propter ecclesiam institutus. Mundum quidem Deus fecit propter hominem: nempe vt ei esset subsidium vitæ: ipse autem non propter ipsum, sed creatus est tanquàm eius dominus: Et patres familiàs sæculares diuitijs suas domos propter suos successores amplificant: Itaque in eiusmodi familijs non personæ propter domos, sed domus propter personas sunt extructæ. In rebus autem publicis diuerso modo se res habent. Regnum enim non est factum propter regem, sed rex

Secunda cõclusio.

S. Thomas.

Prima ratio conclusionis

propter

propter regnũ. Et in hoc, vt lib. 1. dicebamus, rex differt à tyranno, quòd ille omnibus ob publicum bonum vtitur: hic verò regno propter se abutitur. Multò id autem certius est in episcopis. Christus enim qui propter nos homines descẽdit de cœlis, propter seipsum ecclesias fundauit & propter ipsas, tum alios pastores, tũm præcipuè episcopos. Nisi q̃ est discrimen duplex inter ciuilem & ecclesiasticam rempub. Vnum scilicet ex parte finis ex quo in modo administrãdi alterũ deriuatur. Finis nãq; proximus ciuilis rei publicæ, vt in superioribus adnotauimus, est pacificus tranquillusq; eius status, etsi in supracœlestem subinde referatur. Finis autem proximus ecclesiasticæ est sempiterna fœlicitas, ad quã nos Christus ecclesiæ fundator per suos ministros perducere expetit, & omnimodè contẽdit. Alterum autem discrimen est q̃ sæculares principes in modo sui regiminis effigiem habent dominorũ: episcopis verò nullam præ se ferre licet, licet ministrorum atq; oĩno seruiẽtiũ. Principes enim gẽtiũ ait Mat. 20. dominant eorũ, & q̃ maiores sunt potestatẽ exercẽt in eos. Nõ ita erit inter vos. Sed q̃ cũq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & q̃ voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis nõ venit ministrari sed ministrare, & dare animã suã in redẽptionẽ pro multis. Vnde Augusti nus super Isaiam homili. 7. Qui vocantur ad episcopatum, non ad principatum, vocantur, sed ad seruitium totius ecclesiæ. Ecce ergo episcopalis institutionis fundamentum quod constitutissimum est esse de iure euangelico: nempe quòd vt seruus quidquid est, domini est, sic episcopus quidquid est, sit ecclesiæ.

Duplex discrimẽ inter ciuilẽ ecclesiasticãq; rẽ publicam.

Augustinus

Episcopalis dignitas nõ est instituta nisi propter officium.

¶Hinc cõsequitur episcopalem dignitatem non esse institutam nisi propter officium. Est enim dignitatis pastoralis officium, pascere. Ad quam veritatem penitissimè commendandam nunquam dignitas in sacra pagina nisi officij nomine designatur. Nam vt conclusionem ab eo primùm loco demonstrare ordinemur, qui est Ioann. 20. Pasce oues meas, vt pote quo episcopalis dignitas planissimè declaratur non ait Christus, Sis præsul aut episcopus. Imò nec, sis pastor: nã & pastores socordes esse possunt: & gregi indormientes. Sed pasce: hoc est doce, institue, atq; adeo guberna exemplo meo meas oues. Et vbi apostolos prædicatũ dimisit nõ dixit: Messis quidem multa est: ij autem qui metẽdi docti sunt, pauci: sed operarij: nempe qui vsu potestatem exerceant. Nil enim refert qua doctrina aut facultate prædi ti sint sacerdotes, nisi munere suo fungantur. Misit ergo Deus non qui operari possent, sed qui operarẽtur. Similiter enim instituerat Deus Aaron, Leui. 28. Applica enim, inquit, ad me Aaron & filios eius: Nõ ait vt sacerdotes mihi sint, sed vt sacerdotio fungãtur mihi: & vt suprà in Paulo adnotauimus, Qui episcopatum, inquit, desiderat, bonum opus desiderat: id est si legitimum est eius desiderium, non ad dignitatẽ, sed ad opus referendũ est. Quare illicò subiunxit: Oportet episcopũ doctorem esse: quo nomine non designatur habitus seu facultas, & dignitas, sed vsus: hoc est oportet vt doceat. Vnde ad Paulinum suprà citatus Augustinus. & refertur. 8. q. 1. can. qui episcopatum. Exponere, inquit, voluit apostolus quid est episcopatus: quia nomẽ est operis non honoris. Et ad Honoratum Hieron. Qui episcopatum desiderat, opus desiderat: hoc est non dignitatẽ aut delitias, sed opus & laborem. ¶Ex hoc secundo vt per gradus descendamus tertium colligitur: nempe decimas & primitias, vt lib. 3. latè demonstrauimus & sæpissimè repetimus, nõ esse in hoc populo imperatas vt sint bonorum præmia, eò q̃ vel boni vel docti sunt. Sed in hoc potiùs vt bene ecclesijs præsint, vt ait Paulus & inseruiant. Haud enim me pigebit hoc inculcatissimè repetere quod ad rem penitissimè attinet: q̃ si hoc ecclesiasticum seruitium Christianis non fuisset necessariũ, nulla fuisset à Christo habita personarũ, quæ idoneæ sunt, ratio, quãtũ ad decimarũ impositionẽ. Haud ergo arbitrentẽ vel nobilissimi vel doctissimi vel sanctissimi sibi vlla ratione deberi ecclesiastica stipẽdia neq; eorũ gratia fuisse instituta: sed eò prorsus q̃ ad ecclesiarum obsequia Dñs ipsis personis opũs habet. Reuisito, nẽ sim morosus, quæ lib. 3. q. 6. art. 2. in huius demõstrationẽ attulimus. Etenim Nume. 18. non alia de causa Deus decimas legiẽ instituisse, q̃ pro ministerio quo Leuitæ ac potissimũ sacerdotes tabernaculo seruiebãt. Et cũ Christus apostolos dimisit vt messores esse voluit qui pro operis digni sunt mercede sua. Et Paul. 1. ad Corin. 9. omnia naturalia exẽpla ad hoc propositũ congerit. Vt de milite qui nõ militat suis stipẽdijs: & de tritu rãte boue, &c. Et. 1. ad Tim. 1. Presbyteros nõ cẽset præmio ecclesiastico dignos quia boni sunt, sed quia bene præsunt: Et si ius cõsulas

Corollariũ.

Paulus.

canoni-

Innocẽtius. canonicum. Innoc. 3. c. cùm secũdum apostolum. de præben. eisdem vsus sacris oraculis idem prorsus constituit q̃ stipendia ecclesiastica atq; adeò dignitates solùm propter opus conferuntur ac tandem. c. fin. de rescrip. beneficium asseritur non dari nisi propter officium. Communia sunt hæc, sed in præsentiarum etiam vsque ad nauseam repetenda.

Ratio pro cõclusione. ¶ Ex his ergo colligitur nostra conclusio illatione illa quã paulò antè insinuabamus. Christus nõ alia prorsus ratione quam propter earum obsequia atq; administrationes pastores instituit, quorum subinde officium proprium esse voluit pascere: & in huius tantùm mercedem & stipendia populo imperatæ sunt decimæ: ergo quantum est ex rei natura diuinaq̃ institutione, ipsis per se incumbit gregem pascere. Hoc autem absque personali præsentia fieri non potest: ergo residentia est de iure diuino: nam quo quisq; iure obligatur ad finem, obligatur ad medium qne quo nequit illum commodè attingere. Primum antecedens nemo est qui

Solutio. neget, sed primam consequentiam inficiari moliuntur aduersarij. Quoniam inquiunt Papa episcopos creat illi ergo incumbit dis-

Replica. ponere vt per se vel per alios pascere debeant. Quod autem cauillus hic nullum præ se ferat vel probabilitatis colorem, palam ex superioribus colligitur. Primum enim iam satis constitutum est, creationem episcopi, licèt fiat per Põtificem, nihilo minùs iure diuino fieri: quippe cùm institutio Dei sit, per ipsumq̃ fieri iussa, perinde atque sacramẽtorum administratio. Sed nè de nomine nos angat disputatio, esto Papa immediatè vt aiunt electionem faciat, num consequens subinde sit vt naturam ipsam quan dignitas à Deo instituta proprio significato declarat, possit Papa mutare? Vnde rogo duarum rerum consequentia quæ tam sunt disparatę? Nunquid dum Papa episcopum eligit & cõsecrat efficere potest vt non sit pastor, magis quàm cùm sacerdotem initiat efficere vt non sit sacerdos? Potestne inquam efficere vt functio episcopi non sit sacramenta ordinum administrare, populũq; docere, ac moribus instituere: &, quod nomen eius sonat, gregi inuigilare? Quisnam hoc vel fari queat cùm hæc omnia episcopali muneri sint diuino iure annexa: quin verò ipsissima eodẽ iure sint dignitatis substantia. Profectò si Dei institutio eandẽ vim habeat quã natura per ipsum instituta, planè fit vt sicuti qui morum serit efficere non potest vt prunus inde aut alia arbor germinetur, q̃ morus: ita neq; qui eṕm facit efficere potest vt eius natura diuinitº instituta nõ sit per se pascere. Haud enim modò disputamus an vlla de causa efficere iustè possit vt ipse per se non pascat, sed p aliũ. De hoc enim alia nos disputatio manet. Sed rei tãtùm naturam cõstituimus: docentes vt quemadmodum qui scãnum fabricat aut arcã, efficere non potest quin figuram habeat scamni aut arcæ: aut qui facit calceum, efficere non potest quin rem faciat formam habentem pedis: ita qui facit episcopum, quæ res diuinitùs instituta est, efficere non potest quin eodẽ iure quo est instituta officium habeat, atque adeò obligationem per seipsum pascendi ac subinde residendi: quidquid posteà forinsecùs accidere possit. ¶ Etenim nè nobis pastoris homonymia & æquiuocatio negotiũ amodò facessat, intelligere episcopus debet pastorẽ esse secundum propriam nominis notionẽ, & non secundùm illan abusiuam qua gregum domini pastores dicuntur. Solẽt enim & pastores nuncupari, pecudum, armentorumq̃; domini: eò quod sua sustãtia & peculium pecorarium sit quẽadmodùm rogati filij Iacob à Pharaõne quid haberẽt operis, respõderũt, Pastores sumus: puta hæc est nostra diuitiarũ possessio. Et isti per se nullam exercẽt ouilis curam, nisi per suos famulos sed dũtaxat vellere, caseo, fœturaque fruentes, delicatè ac molliter vitam degunt. Episcopi autem non sunt sic instituti pastores gregis Christi, sed prorsus velut ministri, q̃ gregum vigilias perferre tenetur, & per prata scripturæ gregem deducere, eiusque fontibus potare, atq; oleo scabiem inungere, eisque lupum cauere, & quidquid vllo pacto nocere poterit. ¶ Neque enim est quod huic sanctæ veritati quis obmoliatur, soli Petro dictum esse, pasce: in hoc enim verbo aliquid est singulare Petro dictum, aliud verò cunctis præsulibus generale. Singulare inquam vt tanq̃ vniuersalis pastor suo gradu & ordine vniuersum gregem pasceret, nõ quidem vniuersis assistendo ecclesijs, sed suis constitutionibus & fidei ac morum sententijs vniuersos illustrando & instituendo: dignosque adeò ministros cuicũq; ecclesiæ adscribẽdo. Generaliter autem explicata est ẽpalis functio, quæ in apostolis & in ipso per ipsissimũ Christũ ecclesiæ institutionẽ constituta est: vt scilicet cùm primũ vnusquisq; creare-

Illustratur amplius cõclusio.

Ẽps pastor est secundũ propriã nominis notionem.

Solutio taciturnæ obiectionis.

tur,

tur,iussum ab eodē Christo putaret vt simi liter suum peculiarem gregem pasceret. Ait quippe August.c.13.in lib.de pasto.ob id Petro singulariter Christum id quod omnib⁹ erat cōmune,iussisse,vt vnitatem commendaret. Multi enim erant,inquit,apostoli: & vni dicitur:Pasce oues meas. Hactenùs ille, Ac si dixisset:In vno cunctis potestatē dedit. In vno cunctis generalē regēdi formam expressit,atq; adeo in vno cunctis idem iussit. Et Ambrosin Pastora. Nobis, inquit,in verbis diuinis credita est dispēsatio, gregēq; Christi alendū susceptimus. In verbis inquit diuinis:Alludēs ad ista Petro dicta. Et infrà: Repetitum est à Domino tertiò,Pasce oues meas. Quas oues & quem gregem non solū tunc beatus suscepit Petrus, sed nobiscum illas suscepit:& cū illo nos susceptim⁹ omnes. Iussit Dominus Petro pascere oues,per quē ad reliquos omnes potestas & authoritas pascēdi manat à Deo. Hæc ille. ¶Ex his ergo fit cōsequens,peruersam esse calumniosamq; interptationē,vt vox illa cōsecratoris Vade prędica pp̄o tibi cōmissō:pinde intelligatur:ac si solius sit Papæ. Est enim illius tanquàm organi Dei,atq; adeò expressio & quasi repetitio verbi ipsius Christi,Pasce oues meas. Quō planè alludit Paulus Actuū. 20.dicens,Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos,&c,Haud enim aduersariorū glossa vllius est pretij,qua scilicet aiūt propterea tantùm dixisse,Spiritus sanctus posuit,q̄ ecclesia etiā quo ad ius positiuū ei⁹ nutu gubernat. Nā.1.ad Corin.7.distinguit inter ea quę Deus præcepit & quæ ipse:& hic propriam actionē & iussum Dei designat. Non em̄ ait se illos posuisse,sed Deū. ¶At verò quò res etiānū patētior fiat explicare paulò ampli⁹ opùs est spiritualis pastoris officiū. Dictum enim iam suprà reliquimus esse spiritualis ouiū vitæ impensissimā curam gerere. Quæ quidem cura tripertita est:videlicet vt ēpus sacramentis plebē in vita spirituali generet & nutriat,atque adeò prædicatione foueat & prudētia gubernet. Quæ sub alijs nominibus sanctus Tho.expressit,puta instituere, defendere,& gubernare. Nomine autem sacramentorum etiā sacramentalia quædam intelliguntur,quæ quidem can.quanuis.distinc.68.Leo Papa recenset. Incumbit enim eis præsbyterorū ac diaconorū cæterorūq; ministrorum altaris,& virginum cōsecratio. Mox constitutio altaris, & benedictio & vnctio, atq; adeò omniū vasorum indumentorumq; ad idem altare pertinentium, ac denique baptizatos chrismate confirmare. Omnium autem maximè propriū eius munus est prædicare:hoc est non de suggesto modò,sed peculiariter etiam sacra oracula interpretari, & de ambiguitatibus respōsa dare. Vnde super illud Paul.ad Ephe. 4 Alios pastores & doctores:adnotauit Hieronym.consultò non dixisse alios pastores atque alios doctores,sicut dixerat alios apostolos & alios prophetas: sed alios pastores & doctores:scilicet q̄ idem est in ecclesia pastor,qui & doctor. Idēq; August.in epist.58. Paulino scisciātī quo pastores à doctorib⁹ differrēt,respōdet:videlicet nullo differre discrimine:quod eodē apostolico verbo cōfirmat. ¶Tertium demū eiusdē muneris membrum est gubernatio,quibus nō infimè adiungitur pauperum,viduarum ac pupillorū cura. Hæc autē expressiùs,tum Gregori⁹ lib.priori Pastor.tum etiā alij sancti patres per Ezechi.prophetam explicari autumant c.34.vbi ait Dominus:Filij hominis prophe ta de pastorib⁹ Israēl qui pascebāt semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur Lac comedebatis,lanis operiebamini. His em̄ duobus cūcta designantur quę ad victū vestitumq; spectant. Quæ quidē ad sustētationē episcopis populus suppeditat. Sed ad designandā eorum luxuriē subditur: Quod crassum est,occidebatis:vbi summa iniquitas pastoris insinuatur. Cùm enim officiū eius sit gregem doctrinæ ac morum pinguedine saginare & pinguefacere: eius potiùs substātia ipsi curāt pinguescere. Et gregem meū non pascebatis. Quid autē sit pascere, explicare prosequitur,dicens: Quod infirmum est:non consolidastis:quod ęgrotum non sanastis:quod confractum,non alligastis:quod abiectum est, non reduxistis: & quod perierat,non quæsistis. ¶Hic autem primùm omnium animaduertendum est, oracula antiquæ legis non eandem prorsus energiam ad rem præsentem habere,quam testimonia nouæ. Etenim sacerdotium nostrum longè ab illo differentius ac perinde sublimius existit quàm quo illi fungebant. Nam cū illorū sacramenta nullā conferrent gratificantem gratiam (nil de illa loquimur quæ sub signo circuncisionis conferebatur) neq; clauium illi potestatem habebāt ad remittenda peccata:neq; subinde curā, vt nostri sacerdotes,gerebāt animarum: quę potissi-

Gregorius.

Prior locus veteris instrumēti p̄ conclusione

Oracula antiquæ legis nō eandem habēt energiāquā testimonia nouæ ad sua dendam cō clusionē præsentem.

tissimum est fundamentum vt nostri prælati residere teneantur. Petuntur autem inde ad propositum argumenta. Tum ratione figuræ, in qua, vt ait Pau. omnia contingebãt illis: nempe q̃ illud sacerdotium præsagium erat nostri. Tum etiã per modum exempli: nam si illis tanto vitio tribuebatur quòd curam non gererent gregis, & in exilibijs templi perpetuò esse cogebãtur. Iussum enim legitur. Num. 18. Aaron filijsq; eius ac Leuitis: Excubate in custodia sanctuarij: multò efficaciùs conuincitur pastores nostros animarum custodes, debere semper præsentes gregi prospicere. Quanuis, vt ad præsentem locum Ezechi. reuertamur, non solùm sacerdotes illic, pastorum nomine: denotantur, sed omnes iudices & gubernatores populi. Tametsi iam tunc temporis, gubernationis sceptrum penes sacerdotes esset. ¶ Affabrè ergo Propheta illa quinaria oratione pastoris munus delineat, quantum ad ea saltem quæ in grege medẽda sunt. Quinq; enim in cõmodis Christianus grex periclitari cõsueuit. Primũ est in fide quæ totius Christianæ vitæ fundamentũ est: nam sine fide impossibile est Deo placere. Primũ autẽ detrimentum fidei est: lãguor & imbecillitas: quando scilicet homo propter magnitudinẽ credendorũ nutabũdus vacillat. Quare Paulus ad Roma. 4. laudi tribuit Abrahæ q̃ nõ fuit infirmatus in fide. Et ad Roma. 14. Infirmũ in fide assumite, (id est) nẽ cadat sustentate.

Expẽditur locus citat⁹.

Paulus.

Hęc ergo Antistitis, qui doctor est fidei, prima functio est: nẽpe vt fidei scrupulos mentibus gregis eximat dubia scilicet explicando: ac subinde animos affirmando & consolidando vt intellectum, quemadmodùm ait Paulus, captiuẽt in obsequiũ fidei. Aegritudo autẽ ad mores attinet, cũ quis corruptis affectibus infectus est. Etenim, vt intellectus scrupulis fidei infirmat, sic & appetitus affectuum tumultu ærotat. Quare sicut illud doctrinæ luce est consolidandum, ita & hoc salutaribus monitis sanandum. Confractio verò iam ad discordiam inter fratres attinet: videlicet cùm populus aut varijs opinionibus, aut litibus & iurgijs inter se dissidet. Tunc enim ligamine pacis atque vnitatis consœderandus est, amicitiaque conglutinandus. Ex his enim fracturis, nisi in tempore colligantur, hæreses solent intumescere. Quod re vera vecordia & inertia præsulum, ac potissimùm absentia à suis ecclesijs creberrimè accidere, presentia tẽpora documento nobis sunt. Quocircà id quod subditur, abiectum: ad manifestariam hæresim & apostasiam refertur. Dissensio enim populi seminarium est hæresum, per quas ab ecclesia exitur, & vsque ad huius etiam medicamina prælati cura protenditur: vt saltem vna atq; altera monitione, vt docet Paulus, enitendum ei sit abiectos in ecclesiam reducere. Concludit demũ. Et quod perierat nõ quæsistis: exemplo illius qui de cœlo quæsitum venerat quod perierat. Perit autem homo p quodcũq; mortale delictum: insigniter verò per obstinationem. Sed neque illo prorsum desperãdum est, quin omnis adeatur quærendi ipsum via. Atqui effectus porrò isti, gratiæ Dei eiusque singulari fauori referuntur accepti. Attamen quia ipse eiusmodi gratiam ministerio sacerdotũ nobis suppeditat, fit vt propter eorum negligentiam vsu veniat vt populus eâdẽ gratia priuetur. Id quod protinùs ibidem Deus apertè admonet, dicẽs, Et dispersæ sũt oues meæ eò quòd non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri: hoc est ab oĩbus vitijs pessundatæ sunt: omniq; errore conculcatæ. Qua de causa statim cõminatur pastoribus: Requiram gregem de manibus eorum. Hac eâdem enim ratione ait, ad Hebræos vltimo Paulus, præpositos sic debere super gregem inuigilare, quasi rationem pro eius animabus sint reddituri. Porrò ergo nisi hæc episcopi munera & officia tam essent obliuione sepulta, nemo esset, arbitror, qui vel hæsitare posset teneren-turne iure diuino episcopi per se illa præstare, ac perinde in suis diœcesib⁹ residere. Etenim non solùm publica concione, si suum bene noscunt institutum: hæc perficere debent, verùm priuatis visitationibus, exhortationibus, recreationibus, consilijsq; adeò & consolationibus. Imò non verbo tantùm verùm & exemplo, ac deniq; re ipsa iuuando: nempe egentium causas negotio etiam tuendo & eleemosynis adiuuando: Ecce sacerdotis officium qua parte debet nocumẽta gregi cauere. ¶ At verò qua parte ipsum ad perfectum promouere tenetur, altiùs ei⁹ prominet functio. Hac quippe ratione appellat eos in suis antecessoribus Christ⁹ lucẽ mundi. Vide quanta largitate sua ipsius nomina illis impartitur: vt si in officio nõ perstiterint, eos peiùs in die iudicij pudefaciat. Quin verò, vt suprà diximus, Pius Papa, cano. oues. 6. quæstion. 1. veluti oculos Deum illos

Paulus.

Pastores ecclesiæ lux mundi.

Pius Papa

illos instituisse ait, siue per quos Deus ipse gregi suo prouidet, siue per quos populus quæ diuina sunt suspicit. Appellat etiã illos ciuitatem supra montem positã: quia nõ solùm doctrinæ lumine de candelabro lucêre debent, verùm prominenti vitæ exemplo in conspectu populi: & veluti sal terræ mores cõdire. Perpẽde an eiusmodi officia absẽtes exhibere, vt decet, valeant. Quin age vt cuncta complectamur, episcopi in ea perfectionis sublimitate esse debent, vt perfectionem non discant, sed quẽadmodùm in sua consecratione admonent, omninò doceãt. Quid demum perfectionem doceant? ceu Christi ministri ecclesiã suam sic expurgent, sic promoueãt, sic itaq; exornẽt, vt sine macula, vt Christi sponsam decet: Deo patri offerant. Ecce primum locũ euãgelicum. Pasce oues meas. ¶ Secundus locus ex quo veritas præsentis cõclusionis elicitur, extat Ioan. 10. vbi Christꝰ naturam boni pastoris sub hac verborũ exaggeratione cõmẽdat: Ego sum pastor bonus. Bonꝰ pastor animã suã dat pro ouibꝰ suis: mercenarius aũt fugit. Intelligere aũt nequeo qua vllus frõte deludere hũc possit locũ, dicens non intelligendũ esse generaliter de pastorũ vniuersitate: quippe q̃ Christꝰ de seipso particulariter, vt aiũt: id asseruit. Haud em̃ opùs est sanctos huc interpretes compellare, qui hunc sensum recutiant. Præstat nãq; semper scripturam sacrã, vbi id fieri possit, ex suis ipsius verbis elucidare. Perpẽde ergo verborũ cõtextum: Ego sum pastor bonus. ecce assertionem. Haud verò satisduxit simpliciter id asserere, sed demõstrauit. Quia bonus pastor animã suã pro ouibus suis dat. Hoc ergo nõ de se peculiariter & ꝓ priè asseruit: alias id quod dixerat ꝓ idem ipsum probasset: nempe, ego sum pastor bonus, quia ego ipse pastor bonus animam pro ouibus meis pono. Per illam ergo ꝓbatoriã propositionẽ, naturã ingeniumq; & substantiã boni pastoris definitione patefecit: nempe vt sic colligeret: Ille prorsus qui animã suam dat pro ouibus suis, bonus est pastor: ego autem animam meam, hoc est vitam do pro ouibꝰ meis: ergo ego sum bonus pastor. Generalem ergo regulam prefixit per quam bonus pastor ab ijs qui non sunt boni, discernendi sunt. Vnde Gregori. in homilia: Eius, inquit, bonitatis formam quam nos imitemur adiũxit: dicens, Bonus pastor animam suam pro ouibus suis ponit. Fecit quod monuit: ostendit quod iussit &c. Et Augustinꝰ de verbis Domini, sermo. 5. Pastor bonus, Christus. Quid Petrus? nõne bonus pastor? nam & animam suã pro ouibus suis posuit: quid Paulus? quid cæteri Apostoli, &c. Itaque si attentè verba respicias, nõ tantùm Christus exemplum sese ꝓhibere oculis nostris voluit quod imitaremur, secundùm illud Ioan. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille ꝓ omnibus animam suã posuit: & nos debemus ꝓ fratribus nr̃is ponere. Et sicut ait ad Honora. Augustin. q̃instante persecutione episcopus non pꝰtest fugere: quia exemplo Domini tenetur bonus pastor animam ponere ꝓ ouibus suis. Hæc enim quodammodò possent aduersarij cauillari, dicentes quòd licèt Christus de se peculiariter id diceret, posuit nihilo minùs de se imitandũ exẽplum. Sed insuper affirmamus posuisse regulã & definitionẽ, per quã se probauit esse bonum pastorem, quamq; adeò licèt ipse per impossibile non seruasset, tenerentur vniuersi præsules iure diuino & naturali seruare. ¶ Agedum idem ex subiectis verbis corroboremus. Subdit enim: Mercenarius autem & qui nõ est pastor: cuius non sunt oues propriæ, videt lupũ venientẽ & dimittit oues & fugit. Quomodò rogo illic vsurpauit mercenarij nomẽ? vtrùm peculiariter pro aliquo? Re vera nõ nisi generatim: ergo eodem modo acceperat vocem boni pastoris. Aliàs nõ è regione apponeret illi mercenarium. Vtriusq; ergo naturã amborũ oppositiõe explicuit. Nisi admittere absurdè malis q̃ naturã explicuerit mali pastoris: non autem boni. Neq; contentus fuit id simpliciter enuntiare, sed natiuam subiunxit causam: Mercenarius enim, inquit, fugit: quia mercenarius est cuius non sunt oues propriæ: & ideo ad eũ de ouibꝰ nõ pertinet: quia non sunt inquit, eius propriæ: vt pote q̃ cũ ei nõ sint à Christo commendatę, fit vt eas non diligat: nimirum ea dilectione qua ex Petro requisiuit an se præ cæteris diligeret. ¶ Sed & vrgentissimum præterea argumentũ quòd hoc Dominus ac Redemptor noster non de se tantùm propriè, verùm tanquã cũctis qui legitimi sunt episcopi necessarium enuntiauerit: est, quod ex hoc loco sancti omnes & Doctores colligunt (vt articulo. 4. videbimus) teneri episcopum dum necessitas gregi suo ingruerit, vitam exponere antequàm inde recedat. Quam quidem veritatem cùm ipsi

pastor eccle siæ ciuitas supra mõtẽ posita. Idẽ sal terræ.

secũdus locus pro conclusi.

Refellitur quorũdã interpretatio

Augustinꝰ

Roboratur amplius ꝓxima ratio.

nduersarij negare profectò non auderent, inde deberent colligere residentiam esse de iure diuino: idque adeò ex hoc loco inferri, aliâs ecclesia non cum tanto periculo eos residere cõstringeret. At de hoc illic pressiùs. ¶Hic ergo pedem sistere cuperem si pro rei dignitate mihi facultas ad persuadendum suppeteret, rogareque colendissimos episcopos, expenderent, vtrùm potuerit Christus significantius rem aperire, vehementiusque ipsos nè mercenarijs suos greges confiderẽt dehortari. Quo modo enim diligere animas vsq; ad sanguinis effusionem possunt, quas vt proprias non habent? & nisi ita charas in Domino habeant, quomodò possunt eis legitimè prospicere. Abunde se nanque mercenarij feciſſe arbitrantur, quãdo pro ratione stipendij quod recipiuut audiendis litib⁹ horas aliquot insumunt. ¶Prosequitur autem Christus eandem boni pastoris naturã etiamnum patefacere. Ego inquit, sum pastor bonus & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Haud ergo locus iam vllus sit reliquus deflectendi, vt quis dicat de se propriè Christum loqui. Imò eandem de monstrationẽ insinuat: nempe ob id quòd ingenium, fides & cura boni pastoris sit, vt mutuò se de facie & voce ipse & oues cognoscãt: se, in quẽ hæc cõpetunt, bonũ esse pastorem. vbi Theophylactus: Hoc loco, inquit, agnosco differentiã pastoris & mercenarij. Nã mercenarius quidẽ nescit oues: quod cõtingit quia nõ sæpe illas inuisit, &c. Qui em̃ per Dei dilectionẽ non sibi ecclesiã despõsauit, nõ potest eius conspectu & familiaritate magnoperè se oblectari. Prętereq; q̃ neq; officia pastoris gregi prestabit, nisi cuiusq; ouis faciẽ & balatũ nouerit, vt nõ per relationem aut per aliũ, sed de vultu, gestu, & voce animi morbũ deprehẽdat. Neq; verò grex eum vicissim satis diligere, eiusq; tum exẽplũ imitari, tum & auscultare mãdatis valet, nisi de vultu & sermõe eũ agnoscat. Quocircà hoc quod isti dicunt Christũ de se propriè affirmare, q̃ sit falsum inde cõstat, q̃ fortasse ad illud prouerbiũ Salomõnis alluſit qđ ipse tũ ꝓpter priscos pastores, tũ in nostrorũ figurã illius ore iampridẽ protulerat. Ait em̃ ille Prouerb. 27. Diligẽter cognosce vultũ pecoris tui, tuosq; greges cõsidera: nõ enim habebis iugiter potestatẽ: sed corona tribuetur tibi in generatione & generationẽ. Vbi hebraica habeť, Cognoscẽdo cognosces seu cui dẽter agnosce faciẽ pecoris tui: & vt dicit̃ facie ad faciẽ, & pone cor tuũ ad greges. Vbi nõ adeò ad rẽ accõmodè quidã cõminiscũtur, verbo illo appone, alluſionẽ fieri ad illud Christi, Bonus pastor animã suã ponet. Nam prętereq; q̃ verbũ euangelicũ nõ significat nisi, dat, manifesta est rerũ discrepãtia: nam verbũ Salom. ad internã curam & solicitudinẽ quã pastor habere debet erga gregẽ, referť: vt scilicet cor impẽsissimè habeat ad singularium ouium necessitatem attentum. Vox autẽ Christi ad testimoniũ amoris: vt scilicet si opùs fuerit mortẽ eius gratia oppetat. Nam si cura bruti gregis illam mutuam agnitionẽ expoſcit, quanto magis studium quod erga Christianam familiã impẽdendũ est: sanè cũ quot sunt subditi, tot sint & morborũ genera. Alius enim cõsolatione indiget, alius consilio, alius reprehẽsione alius deniq; alio eleemosynæ subsidio. Qua re protinùs in initio eiusdem cap. Ioã. vbi se Christus ostium esse ouium dicere adornabat. Qui non, inquit, intrat per ostium, sed aliundè, fur est & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunit: & proprias oues vocat nominatim, & educit eas: & cùm proprias oues ẽmiserit, ante eas vadit, & oues illũ sequuntur, quia sciunt vocem eius. Vide quomodò lex boni pastoris nõ tãtũ in hoc cõsistat q̃ quis ad dignitatẽ secũdùm Christi leges accedat, verùm & q̃ eius exemplo eãdẽ administret: Nempe cognoscendo oues singulas de nomine, easq; exẽplo vitę antecedendo, quod ipsæ sequãtur. Id quod absentes quonam pacto præstare perficereque possint, ipsi viderint. Vnde sequitur: Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocẽ alienorũ. Vbi alieni appellatione non solùm eos qui nõ legitimè ingressi sunt censet, imò & qui illegitimè rẽ administrant: scilicet tã mercenarios, q̃ eos qui illa quæ præmiserat nõ seruant. Et quidẽ Apostoli non cognouerũt quid loqueretur eis, scilicet mysterium fidei ipsius: per quam solam ingressuri erant quotquot veris pascuis essent potituri: quia non est aliud nomen sub sole in quo possint homines salui fieri. Nobis autẽ qui illud iam certò per eandem fidem cognoscimus, aliud restat constãtissima fide tenere: nempe q̃ qui ab ipso instituti sunt pastores, ei⁹ instar necesse habẽt munere suo ꝓfungi. Vñ Damasus Papa in aurea sua epist. 4. vbi de depellẽdis chorepiscopis

Theophyla

Prouerb.

Cõfirmatio

Damasus.

pis locupletè disseruit,hoc Christi testimonio vehementer inuehit in episcopos qui alienis suas plebes educandas concredunt:cũ Christus bonum pastorem asserat vitã pro ouili suo ponere:mercenarium autem ingruẽte lupo oues destituere. Sed de hac epistola statim articu.proximo. ¶Habeant ergo aduersarij & contrà sic arguant: Quicquid homo per suos administros facit, per seipsum censetur efficere:ergo cùm episcopus vicariũ ecclesiæ suæ delẽget, residere nõ tenetur,sed pro sua satisfacit obligatione. Videant autem huiusmodi argumentatores quanta eos responsa persequantur. Primùm omniũ,vt suprà diximus, hîc non disputamus an causa possit aliqua intercedere propter quam dispensari cum ẽpo absenti queat:de quo artic.4.repetẽdus est sermo sed rei naturam cõstituimus,& ea quę diuina lege episcopo iussa sunt. In primis ergo si factum spectemus,absentes episcopi non sibi vicarium ad omnia sua munera substituunt,sed eum tantùm qui ad lites audiendas sedeat:quod re vera nõ est præcipuum. Et præterea visitatorem qui diœcesim circunuolet,cùm neque ista in ipsorum absentia fieri possint commodè, neque alia vllo modo,ad quæ præcipuè tenentur. Potissima enim pars spiritualis pastoris,vt in consilio Carthagi.4.licèt breuioribus verbis admonetur,nempè cui animarum longè maior cura incumbit,quã temporaliũ, in hoc posita est vt lites quę sine iudiciorũ strepitu definiri possunt,cõponere satagat,pacareq; & extinguere procuret,vt tempus secundũ Christi mandatũ redimat,qđ oues in Christianis exercitijs collocent. Quod quidẽ nemo sine episcopi authoritate & grauitate& amore quo gregem prosequi tenetur,atque adeò sine eius præsentia perficere valet. Itẽ neque visitationis, longissima experientia testatur per alium quàm per ipsum fieri castè posse. Haud enim criminibus sola pecuniarũ mulcta aut excõmunicatione medẽdum est,sed profectò verbo, nunc placido, nunc acerbo,ac alijs denique adhibitis remedijs:quorum visitatores, quia mercenarij sunt, nulla tangit cura. Adde quòd eleemosynæ quæ inter episcopales operas tam altum locum tenent. Oportet enim episcopum,vt ait Paulus,esse hospitalem, nisi per presentes Antistites fieri nequeunt commodè. Conspectus nanque pauperis, egenorũque clamor viscera cõmouens, vel eleemosynam exprimit,vel aliam saltem consolationem qua suam possit miseriam leuare. Huc enim illa spectant quæ modò circa verbum Christi tractabamus:nimirum quanti referat vultum pecoris visu agnoscere,& vocem auditu. Sed ais,quid si episcopus hæc omnia æque alia per alium rectè dispensẽt? Accidere enim potest vt alij efficaciores sint prædicatores ipso episcopo, atq; alij ad alia munera doctiores & aptiores:quoscùm suffecerit,munus suum expleuit vt absens ecclesiæ suæ viuere possit. Huius autem vna responsio est esse impossibile. Altera præcipuè notanda quòd episcopi vicarij non sunt perinde constituti ac si sint futuri præsules, sed quasi præsulum adiutores. Et ideo non per hoc excusatur eorum residentia. Debent enim vicarij esse sicut membra in corpore,ipse verò sicut anima. Christus enim non eos vt operariorum cõstitutores, sed vt operarios misit. Et Paulus non ait oportere ẽpm esse doctoris substitutorẽ, sed esse doctorem:&.2.ad Timo.2.Solicitè,inquit,cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilẽ,& rectè tractantẽ verba veritatis. Vbi confusione eum Antistitẽ aspergit,qui operarius nõ est. Et alibi admonet vt qui non operatur,nec manducet. In summa,non videt isti qui munus eporũ, in hoc collocãt vt bonos sibi habeant subrogatos ministros,quemadmodum leges vniuersas electionis episcoporũ & pastorũ de medio tollant. Quid enim opùs est tantã solicitudinẽ & vigilantiam adhibere ad digniorẽ eligendũ,quantã iura omnia clamant, si satis ẽpo est alios ecclesiæ suæ ministros delegare? Ergo si iura illa certa ratione cõstituta sunt,planè colligitur personalem industriã in episcopo eligi,atq; adeò per se residendo teneri munia sua explere. Quare nõ est cur nobis Valerium obijciant qui Augustinũ sibi substituit. Id enim fecit ingraueſcente iam ætate quando vires sibi non suppetebant. Imò nec tunc credendus est sic cessasse quin idquod posset efficeret. Imò hinc sumitur argumentũ quàm sit necessaria præsentia personæ. Hac enim de causa Petrus Apostolus vt Theodorẽt⁹ refert in li.de. 70. discipulis:& antiquissim⁹ Epiphani⁹ to.2.c. 26.nẽpe, quia illi necesse erat tanq; Apostol⁹ per alias ecclesias diuagari,substituit sibi episcopũ Romanum:non qui esset Papa,sed qui sibi esset auxiliaris vicarius. ¶Ad eorum ergo argumentationem respondetur

obiectio ad aduersariorũ.

solutio.

Visitatiões non possunt caste fieri p aliũ quam per ipsum episcopum.

obiectio alterа.

Primæ responsio.

Secunda.

Paulus.

Ad argumentum factum.

quòd etsi vnicuique liberum sit de suis proprijs bonis, vt libuerit, per famulum disponere, in quo casu quod quis per alium facit, ipse facere sentetur: in publicis tamen administrationibus longè res secùs habent. Publici enim magistratus, atque illi potissimũ quibus ob personalem functionem iusta stipendia decreta sunt, non ad iustum per vicarios administrantur. Ecquis enim in consulem, aut prætorem, aut ducẽ creatur, vt per alium rem administraret? imò verò in rebus priuatis quis œconomum: pincernam, imò vel coquum, vel quod rei magis arridet nauclêrum vel certè aurigam conduxit, qui nõ minus eiusdem personæ requirat? Quod si magistratus alij hãc habent residendi naturam, quis non videat episcopatũ, qui animabus prospiciendis, quas Deus & ad suũ ipsius consortium condidit & proprio vitæ dispendio redemit, primum huius legis obtinere locum? Vnde Paulus. 2. ad Corinth. nono. Væ mihi si non euangelizauero: necessitas mihi incumbit. ¶ Sed vide quomodò aduersarij cauere hanc plagam contendunt. Aiũt enim apostolis per seipsos necessarium fuisse prædicare: quoniam in ipsis psonalis industria electa fuit. Episcopi autem non illis successerunt in apostolatu, sed in episcopatu. At verò, vt fateamur, vrgentiorem fuisse in apostolis prædicandi obligationem propter reuelatam eis doctrinam, tamen quis neget in episcopis personalem etiam industriam, quatenùs in episcopatu ipsis successerũt, eligi? Sed neque aliud istorunt commentum illis admittendum est, nempe q apostoli iussi sũt solis infidelibus prædicare, episcopi verò solis subditis, imò Paulus sæpe prædicauit conuersis, quòd certè ad eorum confirmationem facere debebat. Nec episcopo dicitur, vt aiunt vade, prædica populo Dei: sed, populo tibi commisso: cui non repugnat quin aliquãdo possit & debeat infidelibus prædicare. ¶ Alius verò cauillus istorum est, quòd etsi Papæ dictum sit, Pasce oues meas. non tamen inde colligitur quod residere teneatur in omnibus ecclesijs: atque adeò neque de singulis colligitur quod teneantur in suis residere. Quod autem cauillatio hæc peiori sit nomine digna, quis non planè videat? Iussus emi est Papa per seipsum pascere, atque adeò in sua ecclesia, quæ Romana destinata est, residere: vel vbi expedire visum esset. Decet autem propter cõfluxũ orbis illuc nè per alias diuageť, sed suos singulis vt Deus ei iussit, epos consignet, qui eodẽ diuino iure teneantur in suis diœcesibus residere. Vnde Paulus ad Thessa. 5. Rogamus, inquit, vos fratres vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monẽt vos vt habeatis illos abũdantiùs in charitate propter opus illorum. Non ergo propter dignitatẽ, sed propter apus quod residentes personaliter exercẽt. ¶ Alia deniq; eorũ argutia non est responso digna. Arguũt emi q cùm Papa possit epm à sua diœcesi dimouere atq; alteri adscribere, fit vt dispõsatio epi cum hac ecclesia nõ sit de iure diuino, atq; adeò nec residentia. Iam enim suprà ostensa est infirmitas cõsequentiæ: nempe q licèt Papa possit epos summutare, nõ tñ eorũ naturam & fũctiones quæ iure diuino annexæ sunt dignitati. ¶ Sed rogas nõne multa epus potest per ministros dispẽsare? Apparet enim posse: vt ordines cõferre, & cõfirmare: benedicere tẽpla & ornamenta &c. Itẽ permulta sunt episcopalia officia quæ nõ nisi statis tẽporibus cadẽq; raro fiũt: vt chrisma cõficere, & sacris initiare: quæ ideo iugẽ residẽtiã nõ exigunt. Respõdetur inter epalia munera gradus esse dignoscẽdos. Quædã enim sunt quę licèt nõ ita decẽter fiãt, tñ nõ vsq; adeò absurdũ est per substitutos illa exercere. Vt sunt chrismatis cõfectio, & tẽplorũ ornamẽtorumq; cõsecratio. Est inquã in his, dum per titulares epos fiunt, in decorũ quiddã, quòd non tanta grauitate, vt docet celebrant. Præterq; q ansa inde porrigitur titularib⁹ epis introducẽdis. Verũ tñ non ista sunt munera quæ vrgentissimè residentiã epi requirũt: sed alia suprà cõmemorata quæ assiduã præsentiam sedulãq; diligentiã exposcũt. Imò verò, ex iã dixim⁹ propterea epi obligationis residendi obliti sunt, q non putant alia sibi incũbere onera, q̃ lites audire, & semel in anno ordines cõferre. Si enim se ignorãtiũ lucẽ, delinquentiũ regulã, afflictorũ suffugiũ, egẽtiũq; subsidiũ ac preſidiũ (vt verè sunt) esse cognoscerẽt, nõ grãdi opùs esset negotio, vt ius residendi persuasissimũ haberẽt. Multa alia hic missa facim⁹ scripturarũ testimonia: nimirũ satis rati ea quę pcipui sunt momẽti attulisse. Multasq; aduersariorum argutias silẽtio prætermittim⁹: ad quas vtiq; molestius esset respõdere, q̃ vtile. ¶ Quod autẽ de epo assertum tuaimus, de cũctis etiã paroecialibus pastoribus subinde est intelligendum. Sanè cùm & allata testimonia eidm sibi velint licèt

Pulchra ratio.

Paulus. Aduersariorum subterfugium.

Refellit proxima solutio.

Cauillus alter.

Paulus.

Scrupulus.

Solutio.

Etiã pastores paroecia residere tenentur.

licèt multò efficatiùs episcopos vrgeant. ¶In apice autem istorũ quæ dicta sunt, hoc licèt per seipsum euidentissimum sit, nõ erit admonitu superuacaneum: nempè quòd residendi obligatio sic præceptum est, vt non sit præcepti finis. Videas enim præsules in suis quidem ecclesijs residentes: sed tamen adeò oscitanter & segniter id administratione verbi, in gubernatione, in afflictorum cõsolatione, & pauperum subsidio sese gerentes, vt nihil referat absentes nè sint an præsentes. Residentia enim propter hæc necessaria est, quæ si non fiant superuacanea, imò quandoq; causa vt episcopus maiori opprobrio & vilipendio à sua plebe habeatur.

Ad primũ argumẽtũ. AD primum igitur argumentum respõdetur, verba illa formalia quòd episcopi residere teneant, nullã fuisse necessitatẽ, vt in Euangelio exprimerent. Sanè cum euidẽtissimè ex ipsa ẽpali functione diuinit⁹ instituta colligantur: quòd etiam secũdùm aduersarios satis est vt eadem residentia sit de iure diuino. Nam vbi Christus ceu operarios miserit prędicatum Apostolos atque alios. 72. discipulos quibus episcopi & paroeciales sacerdotes successerunt: & vbi iubet in Petro cunctis episcopis vt gregem pascant: & vbi docet bonũ pastorem esse qui nominatim cognoscit oues, & vbi ait Paul. episcopum esse doctorem & hospitalem, & vbi admonet Timoth. vt seipsum operarium incõfusibilem, verbum veritatis rectè tractãtem exhibeat: & vbi admonet prędules vt vniuerso gregi attendant in quo eos Spiritus sanctus posuit episcopos ad regendum ecclesiã Dei: atque in id gen⁹ alijs locis vsq; adeò luce clariùs residentiã pastorum prędecipit, vt fatuum sit expresiora verba requirere. ¶Ad

Ad secũdũ argumẽtũ. secundum iam satis respõsum est, quòd etsi summã ecclesię iurisdictionem Petro eiusq; successoribus singulariter cõmiserit. vbi ait, Pasce oues meas: atq; adeò facultatem eligẽdi pastores: modum tamen pascendi non reliquit suo arbitrio vt eum mutare posset. Haud emi in arbitrio est Papæ facere vt episcopus non sit doctor, non sit hospitalis, nõ

Ad tertiũ argumẽtũ. sit vigilator super gregem, quibus muneribus intimum est vt resideat. ¶Ad tertium deniq; respondetur quòd si Timotheus & alij forsan episcopi iussu Pauli à suis nõnun quàm ecclesijs peregrinati fuerint, id tamen ob ecclesiæ vniuersalis necessitatẽ factũ est, atq; adeò per interpretationem eiusdẽ diuini iuris & naturalis. Haud enim secum pugnant residentiam esse de iure diuino, & nihilo minùs posse casus accidere in quibus non solùm licitum, verùm expedientissimũ sit episcopũ à sua ecclesia in tẽpus abscedere

ARTICVLVS. II.

Vtrùm residentia episcoporum iure naturali fundetur.

CVM monstratum sit residentiam episcoporum de iure esse diuino, subsequitur vt videam⁹ an ius etiam naturæ suas rationes eidẽ veritati subministret. *Primũ argumentum* Arguitur nanque à parte negatiua. Euangelicus episcopatus, ordo est supernaturalis: quippe cùm fundatio ipsa ecclesiæ super naturam fuerit à Christo instituta: non ergo episcoporum residentia in iure naturali fundatur. ¶Secundò: Si iure naturali eiusmodi *Argum. 2.* residentia iuberetur, nulla ratione posset super eo dispensari. Nam vt libr. 2. de Decalogo pronuntiauimus, ob id indispẽsabilis est quòd indiuiduum habet à natura obligandi vinculum: & tamen, vt in capi. 4. patebit, ingruere ea necessitas potest, vt legitimè à sua ecclesia episcopus absens fiat. ¶Tertiò *Argum. 3.* deniq; arguitur. Esto de residentia prędeptũ agnoscamus: natura tamen præceptorũ affirmatiuorum est vt non obligent, (quod aiunt) pro semper: Nõ ergo iugis cõtinuaq; residentia necessaria est. ¶In cõtrarium est quòd cùm ius naturę autore Deo mentibus nostris insculptum sit, explicandis etiam fidei legibus ab eodem Deo promanantibus multum inseruit. Nam diuinæ leges naturalium perfectrices existunt.

IAm supradictũ est naturale ius esse quod natura nos docuit: atq; adeò minimè repugnare: vt quod diuino iure sancitum est, naturali etiam quadantenùs roboretur. Respõdetur ergo ad quæstionem affirmatiua hac *Cõclusio responsiua.* cõclusione. Obligatio residendi quàm proximè est naturali iuri affinis Enimuerò quãuis episcoporum institutio iure sit facta diuino: tñ vt suprà dictũ est, rationibus naturalibus eius congruentia innotescit: atque adeò modus episcopalis administrationis eisdem rationibus elucidatur: quas quidem in superioribus adeò insinuauimus, vt hæc

non sit nisi expliciator repetitio. Primum igitur argumentū sumitur ab officio. Enimuerò cùm pastoris officium, vt dictum est, sit spirituali animarū saluti prospicere: functio hæc bipartita est. Nempè vel respectu gregis infirmantis ac deficientis, vt iuuetur saneturq;: vel respectu eiusdē sani, vt ad perfectionem promoueatur. Defectꝰ autem & quantum ad intellectum accidere potest, & quātum ad affectum. Est ergo pastor ignorantiū lux. Nam Vos, inquit, estis lux mundi Lucem autem natura docet nisi prę sentē lucēre non posse. Illis autem qui de via decedunt, est ciuitas supra montem posita, cuius vitæ sydus aspiciens populus recto tramite incedere debet: in conspectu autem populi nisi resideat esse non potest. Condiendis verò corruptis affectibus est sal, qui in operibꝰ virtutis ostendere saporem debet. Denique ægrotis est medicus. Nam talem se appellauit Christus, vbi ait: Non est opùs valentibꝰ medico, sed male habentibus. Perspice ergo quæso te vtrùm si rex selectissimū medicū eligat, cui iusta stipendia pro ratione suę facultatis exoluat, ferre queat vt vbi corporalis sibi vita periclitatur per alium seruiat? Si ergo in medico corporali industria personæ expetitur & optatur, quis neget tanto id iustiùs in medico spirituali, quanto temporali vitæ spiritualis præstat? Est denique episcopus, vt suprà diximus, auriga, nauclērus, dux, fidelisque seruus ac dispensator mysteriorum Dei. Et tamen si ad rem publicam ciuilem spectes quisnam mortalium permitteret hæc per vicarios exhiberi? Cur ergo Deus id permittat? Re vera naturæ ius apertè reclamat. Sunt etiā ad arcendum hostes, custodes & vigiles, quòd absentes esse nequeūt. Respectu autem gregis etiam si sanus esset ab hostibus tutus, summū episcopi officiū est, vt iam suprà diximus, & in sua cō secratione habeā, ad perfectū plebē perducere, quod de Baptista Lu. 1. legit: vt sit sine macula & ruga: ac perinde digna quæ in cōspectu Dei appareat. Ad hæc autē ratio naturalis manifestè demōstrat industriā, atq; adeò præsentiā personæ requiri. ¶ Secundus locꝰ idem naturaliter demonstrandi sumitur ex stipendio, quod vt suprà satis probatum est non pro scientia aut morum probitate, aut nobilitate, aut dignitate episcopali, sed pro præsidentia & functione, atq; adeò pro exercitio ipso & opere & vsu penditur: vt Num. 18. admonitio diuina habet: & 1. ad Corinth. nono docet Apostol. Vbi nanque stipendium pro opere penditur, naturalis ratio illicò demonstrat non satis esse vicarium constituere, etiā si digniorem teipso substituas. Est enim ille velut auxiliarius, qui ideo episcopum non excusat quin præsens quod valuerit efficiat. ¶ Sed tertius locus sumitur ex detrimentis quæ episcoporum absentia progignit, & parturit. Horum autem potissimū est, idque nisi omni sensu careant pastoribꝰ extimescendum, quòd propter eorum negligentiam creberrimè multæ animæ perpetua morte pereunt: quæ quidem si secundū suam obligationem diligentes essent, sempiterna fœlicitate fruerent. Reuisē illud suprà citatum oraculum, Ezechiē. 34. Postquàm enim ait Deus, Væ pastoribus Israel, eorumque negligentiam in consolandis infirmis. &c. recensēt, subdit: Ecce dispersæ sūt oues meæ, eò quòd non esset pastor, & factę sunt in deuorationem omnium bestiarum agri. Ecce, eò quòd non esset pastor, Non q nullus esset: aliās non dixisset, Væ pastoribus Israel: sed quòd nullus legitimè suam expleret curam. Et ideò subdit: Et ego de manibus pastorum meorum oues meas requiram. Huc vellem attentos habere Christi pastores. Si Rex charissimos filios negligentia pedagogi custodisq; eorum trucidatos conspiceret, quisnam regiam iracundiam ferre posset? Cum ergo Deus (quod sępe & sępiùs ac sæpissimè vsu venire solet) pastorū incuria priuatum se viderit animarum cōtubernio, quas vt sua ipsius gloria fruerentur condiderat: quarumq; gratia filium suum qui pro illis moreretur huc demisit, easdemq; in infernorum abysso perpetuò trucidādas cō spexerit, quænam rogo non suppliciorum genera ab infidis illis & tam insigniter sacrilegis pastoribus non reposcat? Quin verò non solū in pastores ipsos prauos indignari solet Deus, verùm & ob ipsorum prauitatem indignatio eius dimānat in populum. Sic enim legitur Nume. 19. Excubate in custodia sanctuarij & in ministerio altaris, nè oriatur indignatio mea super filios Israel. Non quòd ob alienā culpam populus æternaliter puniatur, sed quòd vel ex cò quòd in populo nunquam ingentissimus delinquētium numerus deest, qui prælatorum suffragijs sustentari debet, illis cessantibus indignatur Deus in populum ob sua ipsius crimina, vel quod cessantibus episcopis manꝰ cum Moyse ad cœlum cum precibus leuare

Prīa ratio.

Secunda ratio.

Paulus.

Tertia ratio

Proficua ac salubris meditatio Ecclesiasticis pastoribꝰ iugiter mēte versanda.

atq;

atq; adeò negligentibus populi curam, facilè à suis hostilibus cupiditatibus prosternitur, dignusque adeò fit indignationis Dei. Cùm ergo ex absentia pastoris tam præsentaneum moderādo gregi emineat negligentiæ periculum, naturalis profecto ratio planissimè demonstrat, quàm debeant præsentes aduigilare. ¶Mox & præter gregis detrimentum eadem præsulum absentia indecōrum aliud in Christiana republica peperit.

Nam cùm ob personalem residentiam ius cogat vnicuique ecclesiæ suum mancipare episcopum, vbi persuasum habent licēre sibi absentes esse, pro inconuenienti non ducitur vt quis plures habeat ecclesias quārū si mul fructus vnus percipiat. Id quod in Concilio Lateranensi prohibitū est: vt patet, cap. Quia nōnulli. de reg. &. 21. q. 1. can. clericos. *Concilium Later anēse*

Ac deinde protinùs mos in ecclesiam ingestus est episcoporum titularium: per quos quemadmodum ordines atque reliqua episcoporum sacramentalia perficiātur, experiētia ipsa testimonio est. Inde enim emanauit vt eiusmodi spiritualia vænundentur, adeoque tractentur abiectè, vt in conspectu Christiani populi despectui habeantur. ¶Accedit quartò quòd cùm episcopi cultores instituti à Deo sint animarum, messoresq; adeò spiritualium frugum missi, ipsi per se deberent in conspectū Domini portare manipulos suos: quod revera qui per alios gubernāt minimè faciunt. Ipsiq; talēti sui vsuras quas per se accumularent Deo reddere, & tanquā legitimi pastores exēplo cœlestis illius qui illos instituit, oues suas proprijs humeris baiulare, proprijsque manibus cōtrectare. Sic enim de illo præcātauerat Isai. cap. 40. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo cōgregabit agnos, & in sinu suo leuabit: fœtas ipse portabit. His nanque atq; id genus alijs exēplis Damas. Papa, vt in illa suprà citata epistola. 4. videre est, chorepiscopos explodere sanctè curauit: qui quidē nō ita multùm ab istis titularibus differebant, vt. 68. d. can. ecclesijs. & duobus sequentibus explicatur. Et potissima causa eos abigendi & extinguendi fuit quòd legitimi episcopi illis suos greges pascendos committebant: vt otio ipsi torpescerent: instar, vt ait ille sanctus Pontifex, meretricum: quæ statim vt pariūt infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos, vt suam citiùs libidinem explere valeāt. Sic enim miserandi episcopi faciunt dum sibi commissos populos vicarijs educandos con credunt, vt liberiùs ipsi sæcularibus curis inhient. Perspice ergo quàm ratio naturalis persuadeat, vt qui ecclesiæ despōsantur, proles Christi sanguine per se progignāt suisq; proprijs vberibus lactent. Nam sponsa, vt in Canticorum capite legimus, sponsovbera tribuebat: eadenque super vinum vnguentis optimis fragrātia. Quæ profectò cùm in episcopo sine vsu sunt, vltore Deo, deficcantur. Sed ô temporum calamitas! Istarū nanque omnium necessitudinum obliuio obligationem residendi obscurauit. Quis enim iam se vt sponsum ecclesiæ suæ gerat, & vt subditorum patrem? Paul. quidem inter suos episcopales labores & Ecclesiarum solicitudinem id potissimùm. 1. ad Corinth. 9. commemorat, quòd & Iudæis Iudæus fieret, & gentilibus gentilis, & infirmus infirmis, ac denique ad omnium se accommodaret affectus, vt omnes Christo lucrifaceret. Et in posteriori ad eosdem Corinth. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego nō vror? Iam verò nunc temporis hic charitatis gradus adeò aboleuit ab vsu, vt nullibi ziziniorum seminator peiora scādala, quàm inter episcopos & capitularia sua collegia seminauerit. Id quod episcoporū multi causantes sibi prætexunt, vt suam absentiam excusent. Cùm tamen enitendum illis summoperè primùm esset canonicos paternis visceribus lucrari: quod si perficere nequirent, nō ideo illis esset de diœcesi decedendum. Nam propter paucorum culpam non esset grex totus deserendus. Imò adeò vigilanter curādus & colendus, vt clericorum proceres pudore conuicti deuinctas eis manus offerrēt. *Cōfirmatio.* *Paulus.*

Quarta via ad demonstrandam præteritam conclusionē.

Damasus Papa.

Episcopi qui absunt à grege instar meretricū.

ET per hæc ad argumenta in capite quæstionis proposita responsum nobis censetur. Prioris enim solutio est, tū quòd episcopalis dignitas non vsq; adeò est supra naturalis, quin sit rationi naturali germana: tū etiā quòd etsi sit supra naturalis, illa tamē supposita, tūc ratio naturalis modū quo ad ministranda est plurimùm elucidat. Posterioris autem responsio arti. 4. patebit: vbi cōstabit ius etiam ipsum naturale ac diuinum nonnunquam causas offerre, ob quas liceat episcopis suas diœceses exire. ¶Ad tertium denique respondetur, præcepta affirmatiua propterea non obligare pro semper quòd obligant pro loco & tempore & cū reliquis circunstantijs: quam ob rem nec episcopus obligat semper prædicare aut ordinare. &c: *Ad argumenta proposita in capite quæstionis.*

Attamen quia multa eius munia sunt quæ non habent determinatum tempus, sed creberrimè & præter spem eorum necessitas offertur, tenetur in sua semper esse diœcesi, nisi in casibus quibus ius ipsum diuinũ & naturale ei absentiam indulget.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Episcopi iure humano, hoc est pontificio, residere teneantur.

QVANVIS post diuinum ius & naturale nõ ita multùm nos se de humano referat, conducit tamen ad omnimodã obtinendam victoriam. Arguitur nihilo minùs de more abutrâq; parte. Aut enim residendi obligatio iure diuino ligat, aut secùs: si iure diuino, superfluebat ius Ecclesiasticum: quoniam humanum vinculum vrgẽtius esse non potest diuino: sin minùs, videtur ecclesia rigidiùs iusto id præcepisse. Nam cùm res sit tam grauis, vt præsules arbitrantur, nõ debuit ecclesia diuinum ius onerosius reddere. ¶Secundò arguitur. Si residentia, iuris diuini est, tunc præceptiones de illa pontificiæ, esse non possunt nisi eiusdẽ iuris declaratiões, atque adeò dici nõ potest vt sit de iure humano. ¶In contrarium est totus titulus de cleri. non resident. nempe. c. Quia. & cap. relatum. & reliqui: vbi qui absentes à suis sunt parœcialibus ecclesijs, anathemate atq; alijs pœnis plectuntur.

Primum argumẽtum.

Argumẽ. 2.

QVòd tãdem nullum suffugium reliquũ fiat, sed palàm pastoribus sit citra vllam controuersiam ad residendum esse perstrictos, adhibetur in hoc. 3. arti. postrema conclusio. Residentia episcoporũ ac perinde sacerdotũ animarum curam gerentiũ iure humano, puta ecclesiastico sancita est, & sub pœna peccati mortalis cõstituta. Hęc autem conclusio non perinde intelligenda est, vt quòd singulis annis fiat confessio, & quadragesimalis abstinentia, singulorumq; festorum, multarumque ceremoniarum obseruãtia. Ista enim licèt ab Apostolorum sæculo censeantur instituta: haud tamẽ ab ipso Christo immediatè, sed ab ecclesia per potestatem illi ab ipso collatam condendi leges. Præceptum autem Ecclesiasticum residentiæ est explicatio diuinæ institutionis. Distinguit enim Paul. 1. ad Corinth. 7. inter hęc duo, vbi ait: Iis qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus. Nam cæteris ego, dico, non Dominus. Est ergo differẽtia quòd quæ sunt de iure humano, etiam si per potestatem diuinitùs traditam sint constituta, nulla tamen vi pollerent obligandi nisi ab ecclesia essent præcepta. Quæ autem sunt de iure diuino, etiã si ecclesia de illis nihil decreuisset, obligassent. Huius ergo secũdi generis est obligatio qua præsules ac pastores residere cogũtur: siquidem vt diceba mus, lex diuina est. Dicitur autẽ de iure humano propterea quòd Ecclesiasticis sanctionibus ius idem diuinũ explicatur. Imò vsq; adeò eisdem sanctionibus iubetur, vt etiam qui proterua obstinatione ius diuinũ agnoscere noluerint, cogãtur nihilo minùs ius põtificium fateri. De hoc enim nemo doctorũ aut Theologiæ aut canonici iuris hæsitauit vnquàm: sed solùm pastores quorum id nos se confiteriq́ue potissimùm refert, facto ipso diffitentur. Nam vsque adeò, nõ quidem tuti, sed secuti à suis ecclesijs peregrinantur, ac si omni essent iure liberi. Cùm tamen hoc citra vllam controuersiam confessissimum esse debet, quod etiam si solo iure pontificio residere tenerentur (quod ius procul dubio planum ac firmum est) nequeant absque dispensatione, eademque ob legitimã causam petita & obtenta notabilem moram extra suas diœceses protrahere. ¶Conclusio ergo plurimis iuris testimonijs irroboratur. Primò enim, vt dicebamus extrà, de cleri. non resident. cap. quia nonnulli. Concilij Lateranẽ. sancitum est vt ecclesiasticum ministerium neutiquam committatur nisi personæ quæ residere in loco, & curam ecclesiæ per seipsum valeat exercere. Quam ob rem arctissimè illic inhibetur, vt nemo duas parœcias quibus per se se residere non possit, retinere valeat: neque fructus earum percipere. & in cap. 32. eiusdem Concilij eadem prohibitio repetitur: nempè vt qui parœcialem ecclesiam habuerit, non per vicarium, sed per seipsum illi deseruiat: nisi forsan præbendæ vel dignitati parœcialis ecclesiæ sit annexa. De qua quidem exceptione statim cap. proximo redibit sermo. Idẽque subinde Alexã. Certius, cap. relatum. eodem tit. confirmat. Idẽque Cœlestin. cap. ex parte. & Inno. cap. qualiter. & alijs duobus subsequentibus. Et in Concilio Antiocheno, cap. 21. strictissimè inhibetur episcopus à sua diœcesi exire. Et in Concilio Sardicensi, canon. 14. prohibetur,

Conclusio responsiua.

Explanatur conclusio.

Prima probatio conclusionis.

Alexander. Tertius. Cœlestinus.

tur, nè episcopus in aliena prouincia vltra tres dominicas commoretur. Idemq; habetur in Concil. Agathen. quod refertur. 7. q. 1. can. si quis. & can. 9. Et duobus sequentibus eiusdem Concilij Sardicen. prohibentur accessus episcoporum ad principum curias. Sanè quæ sine inuidia hominum & reprehensione esse non possunt. Adeoq; illud prohibitum est vt si quæ iustæ emerserint causæ: videlicet pro pauperibus, aut viduis, aut pupillis tuendis, tunc diaconum mittāt vt ipsi in suo grege permaneāt. Idemq; habetur in sexta synodo, cap. 18. & 80. Atque in Concilio Romano sub Syluestro & Constantino: can. 17. arctissimè idem accessus ad curiam interdicitur: quia curia, inquit, à cruore dicitur: quoniam immolatio est simulachrorū. Et in Concilio Calcedonen. cap. 17. quod. 92 distin. refertur. Si quis episcopus per manus impositionem episcopatū acceperit, & præesse populo constitutus ministerium subire neglexerit, neq; acquieuerit ad ecclesiā sibi cōmissam redire: hunc oportet cōmunione priuari donec susceperit coactus officium. Hæc autem pœna ingentis criminis indiciū est. Et. 21. q. 1. can. Clericus. residentiæ gratia prohibetur nè quis in duabus ecclesijs connumeretur. Idq; diuino testimonio confirmatur: quia nemo scilicet potest duobus dominis seruire. Et in. 8. synodo, can. 19. prohibetur nè quis archiepiscoporum aut metropolitanorum relinquat propriam ecclesiā, vt sub occasione quasi visitationis ad alias accedat. Et in Concil. Cartha. 5. quod refertur. 7. q. 1. can. placuit. habetur, vt nulli sit facultas, relicta principali cathedra in aliquā ecclesiam in diœcesi constitutam se cōferre: vel in re propria diutiùs quàm oportet constitutum curam & frequentationē propriæ cathedræ negligere. Et eādē cau. & quæstione can. Scisciteris ait Nicolaus Papa, perinde iuri naturali aduersari episcopum in persecutione ecclesiam deserere, ac si nauta insaniētibus fluctibus nauim destitueret. Et. 10. q. 1. can. decreuimus. iubentur episcopi annuatim diœcesim visitare. Quin verò. 82. di. can. episcopis. iubentur saltem die Dominica esse in ecclesia. Plura deniq; sunt iura quā vt possint referri, Et quò rem tādem concludamus, eadem demum veritas nouissimo decreto sancita est in Concilio Tridentino, sessione. 6. quo definitum est, nullos episcopos quouis gradu & dignitate fulgentes (vt Cardinales etiam comprehenderentur) excusari à personali residentia episcopali in suis ecclesijs: nisi legitima habeāt impedimenta: nēpe quæ iure ipso naturali probētur. De quibus statī. ar. proximo. ¶ Iuri insup canonico appendit & imperatoriū. Primo in Authētico, quomodo oporteat epos, &c. coll. 1. §. & hāc. versicu. & illud. vbi sic legitur: & illud etiam definimus, vt nemo deo amabilium episcoporum foris à sua ecclesia plus quā per totū annum deesse audeat, nisi hoc per Imperialē fiat iussionem. Idq; latiùs cauetur in Authētico de sanctiss. episcopis. colla. 9. §. interdicimus. vbi arctissimè prohibent suas proprias relinquere ecclesias, nisi de consensu patriar charū aut metropolitani. Similis enim sanctio habetur in Cōcilio Antiocheno, can. 11. Permittitur tamē vt possint per annum manere in curia Cæsarea. Sed de hoc statim articulo pximo. ¶ Quòd si post cōcilia sanctos etiam patres de hac re audire non piget, vide Damasum in epistola citata de exigendis choreepiscopis: & August. in lib. de pasto. & Grego. Nazian in oratione de statu episcopali: & Chrysost. in lib. de sacerdotio. Et Grego. atq; Ambro. in suis Pastoralibus. Sed latissimè Hieroñ. in. 2. epistola ad Oceanū, super illud Pauli ad Titum: Oportet episcopū sine crimine esse. Vbi multa ad propositum differit: concludens quòd non sat est episcopis innocentibus esse, nisi & latratu sint canes. Absentes autem latrare nō possunt. Vnde Bernardus sermo. 77. super Cantica. Qui dimittit, inquit, oues in pascua absq; custode, pastor est, non ouium, sed luporum. Ibidemque complura præclarè aduersus pastorum negligentiā desertè congerit: qui re vera successores, inquit, Apostolorū esse cupiūt, sed imitatores non item: quia neq; sunt tam vigilantes ad curam quàm alacriter currentes ad cathedrā. Et lib. citato de pastori. August. cap. 10. docet quòd episcopi non laborantes in prædicatione verbi nō debent percipere fructus ex ouibus: nam Paul. Si Euangelizauero, inquit mercedem habeo: nempe tam apud Deū quàm apud homines. Quasi dicat: Si nō Euangelizauero, nō sum mercede dignus. Et Origen. super Iosue, homilia 7. cessantes esse cū ouibus reprehēdit exemplo pastoris Christi, qui relictis. 99. ouibus in cœlo, quæsitum venit illam quæ perierat. Sed pergo esse molestus: cū omnia persequi quæ de hoc argumento apud patres scripta sunt, sit prorsum impossibile: & sic frustatī pauca decerpere, parū vtile. Concludamus

Concilium Agathēse. *Concilium Sardicen.* *sexta Synodus.* *Concilium Romanum.* *Concilium Calcedonēse.* *Octaua Synodus.* *Concilium Carthaginē se quintum* *Nicolaus Papa.* *Concilium Antiochen.* *Damasus* *August.* *Grego. Nazianzenus.* *Chrysosto.* *Gregorius.* *Ambros.* *Hieronym.* *Bernardus.* *Augustin.* *Origenes.*

ergo

Bernardus. ergo cũ Bernado de persecutione sustinenda.c.31.super illud,Mercenarius vidit lupum venientem,& fugit: Vtinã hodie quicunque pastores non sunt,mercenarios gregivellent se exhibere,non lupos!vtinam ipsi non læderent! Vtinam non fugerent nemine persequente!vtinam non exponerent gregem donec venientem lupum viderent! ¶Taceant ergo qui aiunt quæstionem istam nouam esse.Fuit enim,vt ex locis citatis apparet, antiquissima,ac potissimùm ex Athana.epistolis quas articulo proximo appendere pergimus. Antiqua inquam:non quod in dubio apud probos versaretur:sed quòd qui cõtrà faciebant obiurgabantur.

Ad primũ argumentũ AD argumẽtum ergo prius à parte negatiua præpositum respõdetur quòd quãuis ius diuinum sit quo eiusmodi residentia indicitur, non tamen fuit superuacaneum, imò ex re plurimum cõmuni ecclesiasticis constitutionibus explicari:vt nemo sibi eius ignorantiam prætexere posset.Præterquàm quòd etiam si diuinum ius nõ extaret in sacris literis, natura ipsa pastoralis officij eccle siam admonebat vt idipsum strictissimè præciperet.Neque verò huiusmodi præceptio tã est rigida,quàm vel auaritia & ambitio, vel luxus & socordia episcopis mentiũtur.Nam præterquàm quod fructuũ temporaliũ pinguedo digna est illo labore, Christi charitas qui illis suos greges cõcredidit deberet in primis rem illis dulcorare.Ecquid enim cuique suauius quàm in domo propria sponsum cũ sponsa,patremque cũ filijs commemorari?

Ad postremum argumentum. ¶Ad posterius verò argumẽtum iam respõsum est quomodò hoc dicatur ius humanũ. Haud enim intelligendum est per exclusionem,ac si non sit diuinum aut naturale, sed quòd sit horum explicatio.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm aliqua emergere possit causa ob quam liceat episcopo à grege sibi cõmisso abesse.

Sanct.Tho.2.2.q.185.articu.5.

IN calce demum præsentis disputationis ad expositionẽ Diui Thomę reuertendum nobis restat: nempè ad articulum.5. eiusdem quæstionis.185. vbi disputat vtrùm aliqua possit causa intercedere propter quam liceat episcopo gregem sibi commissum deserere. Sumitur enim argumentum à parte negatiua : primùm ex illo loco Ioã.10.suprà iam expositovbi ait Christus bonum pastorem animam suam dare pro ouibus suis: Mercenarium autem viso veniente lupo gregẽ relinquere & fugere. In cuius homilia Grego. Lupus,inquit,super oues venit, cùm quilibet iniustus & raptor fideles quosque atq; humiles opprimit.Si ergo episcopus ingruente tyrãni persecutione gregem suo præsidio destituat, mercenarius & non pastor reputabitur. ¶Secundò.Inter Prouerbia,cap.6.sic legitur:Fili si spopõderis amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam.Et subdit:discurre,festina,suscita amicum tuũ. Quod quidem idem Gregor.in Pastoral. ad propositum exponens: Spondere:inquit,pro amico est animã alienam in periculo suæ conuersationis accipere. Qui autem ad viuendum alijs in exemplum præponitur, nõ solùm vt ipse vigilet, sed & vt amicum suscitet, admonetur: hoc autẽ facere nequit nisi qui corpore præsens adsit gregi: ergo tempore persecutionis nemini pastorum licet se subducere. ¶Tertiò, Ad perfectionem episcopalis status pertinet animarum curam gerere:nemini autem perfectionẽ professus licet ea quæ ad perfectionem attinent ob vllum periculum deserere: ergo episcopo,cùm statum perfectionis profiteatur, nullatenùs neq; in periculo mortis constitutus potest,vbi suum officium exigitur,terga vetere. ¶In contrarium est illud Christi mandatum Matth.10. ad Apostolos Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate,fugite in aliam.

Primum argumentum. *Gregorius.* *Argumẽ.2.* *Gregorius.* *Argum.3.*

AD quæstionem Diuus Thomasduabus conclusionibus respondet.Prior.Neutiquã episcopo aut pastorum vlli vbi subditorũ salus eorum exigit præsentiam, licet illis se personaliter subtrahere: neq; propter aliquod commodum temporale, neq; propter quoduis periculum imminens. Probatur conclusio.Obligatio cuiuscunque personæ ex fine eiusdem obligationis (quod cuiusq; medij natura est)debet perpendi: finis autem episcopalis muneri ,atq; adeò obligationis episcopi est spiritualis salus populi: ergo vbi illa præsentiam eius exegerit,nullum periculum eũ excusabit, quo minùs adesse teneatur.Id quòd testimonio Christi cõfirmatur:nam si animam pro ouibus ponere tenetur

Prima conclusio. *Probatio.*

tenetur,quod,vti ait Philosophus, terribilissimum est omnium terribilium:nullum minorum periculorum culpam excusabit: atq; adeò neq; vllum temporalium commodum quandoquidem natura faciliùs indulgeat detrimenta euitare corporalia,quàm commoda procurare. ¶Secunda conclusio. Quando legitimus pastor satis potest saluti plebis per alium prouidere & consulere, tunc non erit ei nefas,etiam vt proprium personæ periculum euitet, à sua ecclesia in tempus secedere. Imò verò vbi id ex re fuerit ecclesia,expediens erit vt faciat. Cõclusio ex superioribus colligitur:nã tunc fini obligationis adhuc latenùs aduersatur. Vnde in epistola ad Honoratum August. Fugiant,inquit,de ciuitate in ciuitatem serui Christi:quando eorum quisque specialiter à persecutoribus quæritur: vt ab alijs qui non ita quæruntur non deseratur ecclesia. Cùm autem omnium est commune periculum, hi qui alijs indigent non deserantur ab his quibus indigent. Idem suprà citatus admonet Nicolaus.7.q.1.can.scisciteris.vbi non negat quin quãdoque liceat præsuli per fugam cauere tyrannum. Attamen quando populus sua præsentia indiget perinde,ait,delinquet,ac si nauta in periculo nauim deserat. Quin verò tãto enormiùs quanto salus spiritualis præstantior est corporali. ¶Hic primũ omnium animaduertẽda est sententia S. Thomæ quæ ex visceribus Euangelij desumpta est. At quò perspicacius fiat,quæritur, vtrùm fides quam episcopus ecclesiæ suæ,imò Deo suo obstrinxit, vsq; ad mortis perpessionẽ eum, vt resideat, obliget. Apparebit enim hoc sciolis prima fronte creditu durum: quoniam obligatio subeundæ mortis, quæ mortalibus summa est,affirmari non debet nisi diuinum de hoc mandatum palàm constiterit. Et tamen vbi ait Christus, bonum pastorem pro ouibus suis animam dare, consilium magis significare videtur quàm præceptum. Verbũ enim illud, Bonus pastor,non videtur necessitatẽ, sed supererogationem præ se ferre. Accedit quod martyrium tunc duntaxat vbi fides periclitatur confessionemq; sui exigit, necessarium est. Obligare autẽ episcopos ad martyrium vbi fidei tale periculum non imminet,temerarium apparet. ¶Nihilo minùs indubie tenenda est pars affirmatiua quam hic expresse Diuus Thomas in priori cõclusione affirmat: quandoquidem aie propter nullum imminens personale periculum licẽ re episcopo ecclesiam suam tempore necessitatis deserere. Idque confirmat testimonio Christi: quod ideo in sensu præceptorio intelligit:sic scilicet quòd nemo sit bonus pastor bonitate quæ ad gratiã amicitiãq; Dei retinendã necessaria est,nisi vbicũq; necessitatis casus occurrerit, cũ periculo vitæ gregi suo fauore & auxilio præsens vsq; ad mortẽ adfuerit. Idq; Aug. suprà ad Honoratum citatus asseueranter enuntiat:dicẽs quòd instãte persecutione episcopus nõ potest fugere, sed exemplo Christi debet animam pro ouibus suis ponere. Verbum nanq;, non potest necessitatem præcepti significat. Vnde sanctus Thomas.2.2.q.26.ar.5.ad tertium argumentum, vbi ait non semper charitatis necessitatem obligare hominem ad offerendũ vitã pro amico, casum excipit, quo tenetur eius saluti prouidere: Ad officiũ potissimè episcopi alludens. ¶Ab hac ergo veritate, de qua nemo vnquam ambigere quiuit, peregregium argumentum sumitur,residentiam esse de iure diuino. Nã si non esset nisi de iure positiuo,cùm pontificia præcepta, vt quadragesimale ieiunium,& festi obseruatio, vt lib.1.scriptum reliquimus,non consueuerint vsque ad periculum mortis obligare,non facilè persuaderes teneri episcopum in periculo mortis residere. Eò potissimùm quòd,vt suprà visum est,prædicti autores verbũ Christi de se propriè assertum arbitrantur: & tamen si illud verbum neges vim habere præcepti,nullum relinquis,vnde inferatur teneri episcopũ tempore necessitatis vitam pro suo grege ponere. Quæ tamen omnium est generalis confessio. ¶Ad argumentum ergo in contrarium respondetur, huiusmodi præceptum non esse censendum atrox:quin verò cùm tota solus temporalis orbis mediũ sit ad spiritualem promouendam,idq;vsque adeò sit certum,vt Deus ipse temporalem vitam,corporalium præstantissimum, pro salute nostra posuit,naturalis ordo diuinusq; postulabat,vt qui pastores animarum futuri essent eodem tenerentur præcepto. Neque vllus anteà ad id muneris eligeretur, quàm idoneus esset inuẽtus qui illud optima fide compleret. Imò verò & rex tenetur pro sua republica vitam ponere. Quocircà sicuti vbi fidei confessio id monuerit, martyrium est mortem oppetere: sic & vbi hæc ratio iustitiæ idipsum postulauerit. Cuius nobis Ioannes Baptista documentum reliquit,qui iustitiæ defendendæ caput obtulit. ¶Hinc facilè ad

Secunda conclusio.

Ratio cõclusionis.

Augusti.

Nicolaus.

Dubitatio.

Ratio hæsitandi.

Tenetur ẽps propriæ vitæ discrimẽ subire in.

gruente necessitate deserere vt gregi prospiciat.

Augusti.

D. Thomæ.

Argumentum.

Ad argumentum factum.

lè ad posterioris conclusionis expositionē descenditur: nam ex his quæ dicta sunt elicitur, causas omnes ob quas licitè præsul potest à sua ecclesia abscedere, nullatenùs existimandas esse respectu suæ propriæ personæ: quādo quidem & vitam ipsam ecclesiæ, debeat, sed tantùm respectu boni ecclesiæ, cui fidem habet obligatam. ¶Quare etsi Caietan. in præsentiarum easdem causas sub tribus generibus cōplectatur, quæ sunt: Necessitas impedimenti: qualitas negotij: & cōditio personæ: ad commodum tamen ecclesiæ sunt omnes referēdæ. Atqui impedimentum, aliud est quod ab intrinseco prouenit, & aliud quod ab extrinseco. Ab intrinseco scilicet: vt est aduersa episcopi valetudo: ratione cuius solū & aërē mutare debet. Et quòd hoc etiam debeat respectu ecclesiæ pensari, patet. Nam si etiam tunc ecclesia necessitate præsentiæ Antistitis premeretur, occumbere potiùs deberet morti, quàm exire, secundùm legem boni pastoris à Christo præscriptam. Quando autem non vsque adeò ecclesia afflictatur, in rem eius vergit quòd episcopus suæ saluti consulat, vt expeditiùs ei seruire possit. Neque verò solius valetudinis gratia, verùm & animi recreādi suosque visitandi necessariosius naturale indulget, vt possit exigua tempora succidere, quæ his, aliisve id genus suis negotijs possit impēdere. Nā eiusmodi obligatio non est intelligenda ac si deberet esse in carceribus, cōpedibus vinctus.

¶Pari modo censendum si impedimentum forinsecùs ingruat: vt cùm tyrannus ecclesiæ infestus est. Nam si non singulariter in odiū præsulis, sed in ecclesiā ipsam grassatur: tunc persistendum illi est vsq; ad mortem. At ad hanc necessitatem applaudūt exempla Augusti. ad Honora. suprà allata. Et de verbis Domini ser. 5. de Petro & Paulo, ac cæteris sanctis martyribus qui pro suis ecclesijs exēplo Christi tyrannorum gladijs occubuerunt. Si autem ob particularem inuidiā prælati tyrannus est infestus ecclesiæ, tunc etiā ex re eiusdem ecclesiæ est vt in tempus sese inde auferat: sicuti ibidem idem ait Augustinus subditi fugere cogantur. Cuius exempla nobis extant in Ioanne Euangelista, qui precibus suæ ecclesiæ, vt expediebat, secesserit. Et in Cantuariensi Thoma. Sed tamen postèà dum opùs fuit, ad easdem sedes cum periculo vitæ remeârunt. ¶Qualitas autem negotiorum similiter respectu eiusdem ecclesiæ pensanda est, vt legitima inde petatur absentiæ excusatio. Est enim triplex particularis ecclesiæ habitudo animaduertenda. Consideratur inquam generalis vtilitas Salmanticensis ecclesiæ ad singula eius ministeria, vt prædicare, visitare, &c. vt totum ad singula membra. In ordine autem ad vniuersalem ecclesiam Romanam: sicuti membrum ad caput, seu ad totum corpus. In ordine autē ad alias ecclesias, sicut vnum membrum ad reliqua eiusdem corporis. Et omnes istæ necessitudines, iustas possunt episcopo afferre causas secedendi ab ecclesia: etiam iure diuino & naturali. Quando ergo ecclesia particularis in aliqua est calamitate cōstituta, tūc ob primam habitudinem totius ad partes potest eius episcopus ab alijs muneribus & officijs cessare, & accedere curiam vel Romanam vel Regiam ad protegendam suam ecclesiam: idque iure diuino & naturali. Quādoquidem non solùm alia particularia officia, verùm etiam hoc, idēque præcipuè ei debet. Dummodò per alios id perficere nō possit. Si autem necessitas vniuersalis ecclesiæ absentiam episcopi expetiuerit, nemini dubium, quin diuino iure & naturali cogatur abscedere. Nam sicut membrorum singula naturali ordine se saluti tuendæ capitis obijciunt: ita & ecclesiæ particulares sese tenentur offerre, atque adeò suos episcopos cōmuni bono. ¶Perplacet autem hic adnotamen tum domini Caietani. non solùm ob suam doctrinam, verùm & ob suam dignitatem, qui Cardinaliserat Romanus. Ait quippe iudicium hic esse adhibendum quo discernatur an personalis opera & industria episcopi sit ecclesiæ vniuersali necessaria. Nam si necessaria non est, non excusatur eius absentia. Exempli gratia: Dum Conciliū œcumenicum aut prouincialis synodus indicitur, constātissimum est debere iure diuino episcopos illuc commeare. Nam Concilium est ecclesiarum cœtus: & nomine ecclesiæ venit episcopus. Pari modo si citra concilium expedierit Papæ propter egregiam doctrinam aut singularem authoritatem personæ aliquem episcopum accersere, cuius consilium in commune bonum capiat, licebit quidem ad tempus eum è sua sede euocare. Atverò si quia eleganter scribit aut psallit vult illo pro amanuensi aut cantore vti: vel vult eum esse auditorem cameræ aut rotæ, cùm id non sit necessarium per episcopū exequi: imò abundant qui eiusmodi prouincijs obeundis præstò adsint, profectò non est legitima apud Deum

Causæ legitimæ ob quas licet epō abesse à grege nō respectu ipsius sed ecclesiæ pensandæ sunt.

Prima causa absentiā honestans.

Secunda.

Caietanus.

Licitum est pastori pro cōmodo vniuersalis Ecclesiæ gregē alteri committere.

Deum excusatio. Eò potissimùm si residentia, vt verè res habet, iure diuino sit necessaria. Nam inde certum sit non posse Papam dispensare nisi idem ius naturale ac diuinũ interpretando: quod quidem nisi in vera & legitima necessitate neminem excusat: qualis in similibus casibus neutiquam occurrit.

Iure cõsultorum fallacia

¶ Haud equidem nescio nõnullos iuris prudentũ huc nobis obuiam exituros, qui aiunt eos qui Romæ residet residentes censeri in suis ecclesijs: nempe quòd qui residet in capite, resideat in membro. Attamẽ hoc esse merum figmentum, neq; Caietanus, iuris non ignarus, affirmare veretur, neque vllus iuris aut Theologiæ peritus nõ planè videt. Cùm enim ius diuinũ sit vt vnicuiq; diœcesi suus mancipetur episcopus: idque, vt demonstratum est propter peculiarem curam & vigilantiam quæ eidem ecclesiæ est necessaria, planè colligitur quòd residere Romæ, nõ solùm non sit residere Salmanticæ, verũ neque absentiam non residentis excusset: nisi legitima id exigente necessitate. Quam ob rem sic in Germania nõnulli episcopatus, quos ego vidi, instituti sunt, vt episcopus nullos habeat alios fructus præter victum & honestissimam suæ familiæ in omnibus necessarijs sustentationẽ dum fuerit præsens: absenti verò nihil tribuitur. ¶ Per hęc vtique de Reuerendissimis Cardinalibus episcopis censendum est: sua enim se ipsi lege iudicare debent. Haud enim frustrà lege ab ipso sacro senatu cautum est nè episcopi ad illam insignem dignitatem assumantur: nempe quòd iudicârunt residentiam episcoporum esse de iure diuino: cuius idcircò dispensationem nisi alia eiusdem iuris interpretatio, puta grauitas necessitatis, nõ admittebat. Quæ quidem lex vsque adeò summo põtifici sancta habetur, vt nullatenùs super illam dispẽsare in animam inducat. Et nihilo minùs electo Cardinali cõmendatur sine titulo ecclesia: quod, vt l.b.3. dicebam, si fas est minimo monacho, Christiano tamen, de re fari Christiana, apertam præ se fert legis elusionem. Qua si non tam stricto iure obligetur, cui ecclesia commendatur, illic residere, ac si esset legitimus episcopus. Aufertur Cardinali ecclesiæ titulus eò solùm quòd residere non potest, & tamen non timetur eandem ipsissimo commendare. Vtinam hoc non sit Deo imponere! Porrò ergo qui diuinum ius contemnerit, primùm hoc æquissimè iudicabit vt nemo episcoporũ Cardinalis creetur. At verò si contrariũ fiat, multò minor est culpa imò forsan nulla, si vt in sua ecclesia persistẽs, nunquam Romam visat, quàm vt in curia commoretur, suam deserat ecclesiam. Si-

Cardinalibus inhibitum est nè fiant epi.

quis diœcesim proximam haberet Romæ, quam crebrò visitare posset, & ea esset doctrinæ autoritatisque excellentia vt plurimũ ad ecclesiæ bonum referret sacro interesse se natui, forsan suam posset defendere causam: hac nanque ratione, vt aiunt, permittuntur sex episcopatus, Romæ circumiacentes, Cardinalibus esse mancipati. Extra hos tamen casus ipsi sibi viderint: nobis enim non licet hos ponere in cœlum, nisi quatenus ipse cœli Dominus perstrinxerit. ¶ Huic demũ sententiæ maximè astipulatur decretum Innocentij tertij in cap. Bonæ memoriæ. 1. de postulatione præla. vbi noluit exhibere Cardinalem in archiepiscopum Rauẽnatem: quia necessarius erat ecclesiæ Romanæ. Quo fit vt nisi in tali casu, scilicet propter excellentiam, tum autoritatis tum etiam probitatis personæ, & propter ecclesiæ vicinitatem, nõ sit audienda sententia Panormi. super eodẽ cap. nempe Episcopatum & Cardinalatum esse dignitates compatibiles. Qua ratione in Concilio nuperrimo Tridentino (vt suprà dicebamus) vbi decretum est nullos episcopos excusari à personali residẽtia, adiectum est, Quouis gradus vel dignitate fulgeant.

Limitatio superioris assertionis.

Innocentius Tertius.

Concilium Tridentinũ

¶ Præter hæc necessitas etiam vnius particularis ecclesiæ potest alterius episcopo charitatis iure in animum inducere vt illi succurrat: quando id sine detrimento propriæ plebis facere potest. Sumus enim omnes, vt ait Paul. eiusdem corporis membra, atque adeò cùm singuli aliorum ope indiguerint, mutuò se possunt ac debent iuuare: vt quod in Symbolo de Sanctorum communione scriptum est, opere referatur: Maximè cùm præstantius membrum inferioris auxilium expostulat. Atq; hac de causa Paul. Titum ac Timoth. aliosq; discipulos nonnunquam à suis ecclesijs abire in alias iusit: propter raritatem quæ tunc erat similium suppositorũ ecclesiæ, & propter necessitatem promulgãdæ fidei. ¶ Per hæc respondetur aduersariorum argumentis, fictis potiùs quàm legitimis. Arguunt quippe nonnunquam episcopos necesse habere ad concilium ire, aliáq; põtificis capessere iussa: & Apostolorum discipulos à suis ecclesijs diuagatos. Sed hęc nihil conclusioni aduersantur: sanè cùm residẽtia propter salutem ecclesiæ sit instituta. Quare

Argumẽta aduersariorum.

Solutio.

vt ci-

vt eidē cōsulatur fini, ipsum naturale ius ac diuinum eiusmodi exceptiones, non solùm permittit, sed iubet. Eadem ratione potest episcopus ad infideles in tempus transire & legatus ad componendam pacem, aliûdue id genus exequendum munus ecclesiæ necessariū abire. Secùs si legatio de re esset temporali, quæ per alium posset absolui. Tunc enim abusus esset episcopalis dignitatis in detrimentum ecclesiæ: quandoquidem vetitum sit nè Deo militās implicet se negotijs sæcularibus. ¶Tertium demum causarum genus quibus potest episcopus nōnunquā se ecclesiæ suæ subtrahere, est cōditio personæ, adiunctis tamē temporis ecclesiarumq; qualitatibus. Vt si raritas esset personarum quibus ecclesiæ demandari possent, & persona existeret excellēter idonea, & ecclesiæ proximæ, quibus fructuosior esset vicissitudo visitationis talis præsulis, quā perpetua alius residentia. Tunc enim vni personæ duarum possent ecclesiarum tituli committi: vt patet can. Illud. 21. q. 1. vbi archiepiscopus Tarraconensis permissus fuit episcopus esse Fundēsis. Hoc autem accidentariū est, & quàm rarissimè vsu cōtingens. Præter hæc de iure cōcessum est dum parœcia annexa est superiori dignitati, vt qui in superiori ecclesia residet per vicarium seruiat parœciæ: vt habetur in Concilio Lateranen. can. 32. suprà citato: iubetur tamen idoneum & perpetuū habere vicarium canonicè institutum. & voce perpetuum, disignari videtur vt sit quasi curam habens animarum. ¶In calce demum præsentium exceptionum scisitabitur quis forsan vtrùm possit Papa præter has causas super hoc iure dispensare, per uia tamen est solutio: quippe quæ ex superioribus planè colligitur. Quem enim opinio tenuerit hoc esse tantū de iure humano, subsequenter respondebit, perinde Papam super hoc dispēsare posse, atque super ecclesiastico ieiunio, aut quauis alia id genus lege. Itaq; non solū poterit interpretari ius, nēpe quod ad talem casum nō extendatur, verū & obligationem prorsus singularis personæ tollere. Qui verò ius hic diuinū & naturale cōfessus fuerit, q non solùm probabilius, verùm certo certius est, subsequenter respondebit, pōtificem dispensare non posse, sed ius interpretari diuinū ac naturale: scilicet declarando talem casum ab ipso eodē diuino iure excipi. Quòd si quis sic cōtrà redarguat: Reddere votum simplex est etiā de iure diuino, super quo tamē Papa dispensare potest: ergo poterit resi dēre vinculum pariter dissoluere. Negatur cōsequentia: nam etsi redditio voti manente voto sit de iure diuino, cuius cōtrarium Papa permittere nō potest: tamen quia obligatio voti nascitur ex peculiari vouentis volūtate, super illo Papa potest dispēsare: videlicet, vt factū votū, pro infecto habeatur. Lex autem diuina iubet episcopū residere. Quare dum manet episcopus, per nullam potest pōtificis dispensationem ab eodem residendi nexu religari. Vide quanti referat sic aut sic loqui. Attamen licèt in illa vix probabili opinione persistas quòd residentia tantùm sit de iure humano, nihilo minùs Papa pro libito dispensare non valet, sed legitima id causa exigente. Neq; aliter ille cum quo fuerit dispensatum, tutò potest eádem dispensatione vti. ¶Iuxta hoc ergo documentū hæsitabit quis forsan vtrùm ratione ciuilis administrationis reipublicæ possit episcopus licitè in curia regia vel alibi vitam agere. Et arguitur à parte affirmatiua. Primùm iuris autoritate in Authenticis suprà citatis, Quo modò episcopo. & de sanctis episcopis permittitur vt possint per annū in curia manere atq; diutius de Cęsaris facultate. Et ratiōe id patet: quia bonū, quo cōmuni⁹ est, eo præstantius. Administrare autem rempublicam regni vniuersalius est, quā ad gubernaculū vnius ecclesiæ sedere: vt exēpli gratia, si episcopus fiat prorex, aut curiæ præses. Nam verisimilius est per episcopum eiusmodi magistratus sanctiori fid & iustitia, vigilātioriq; cura administrari quàm per sæculares administratores. Et supra hæc si fiat generalis fidei protector aduersus hæreticā prauitatem nam eiusmodi prouinciæ præfici cōmodiùs ac decentius nemo potest quā ecclesiasticus præsul propter illustrē autoritatē ecclesiasticā ad idem munus requisitā. ¶Ad hoc autē discreta distinctiōe respondendū est. Quòd enim episcopus ob causam cōponendæ pacis aut aliā nō fictā, sed verè honestā, regia legatione fungatur ad aliū principem: Item q̄ inquisitor fiat hæreticæ prauitatis, profectò nullū refragatur ius: imò æquitas ipsa suffragatur. Quòd verò annorū curriculo maneāt ciuilibus magistratibus, atq; administrationibus mācipati, tum iura citata cōsentienter reclamant: tum & ratio sublimitatis, ac perinde fidei qua se suis ecclesijs mācipārūt, & iustitia insup susceptī stipēdij nullaten⁹ ferre possunt. Primū enim eiusmodi administrationes

Tertium genus causarū quibus se potest ep̄s eccle sia subtrahere.

Quæstio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Hæsitatio.

Ratio hæsitandi.

Solutio.

Suadet̄ posta resp̄osio.

tiones non solum necessarium non est vt per episcopos fiant, verùm neque suum statum condecet. Possunt enim in primis viri sæculares illas optimè exequi: Antistites verò nõ satis dignè. Cùm Timotheũ Paulus ad
Paulus. moneat neminẽ qui Deo militat implicari debere negotijs sæcularibus, ecquis rogo ratum ducat episcopum qui tam sancto spirituali muneri addictus est, in discordijs ac litibus sæcularibus audiendis totum tempus prodigere? Quod re vera vel altissimo contemplationis silentio deberet vel suis ouibus docendis educendisque impendere? Euocauerat Romã Nicolaus Papa episcopos quos
Nicolaus. dam qui erãt apud Carolum Cæsarem: causante verò imperatore quòd contra maritimos piratas inuigilarent & ideo ire non possent, respondet, vt patet. 23. quæstione octaua quòd reprehensibile id valde esse constaret: nam cùm militum, inquit, Christi sit Christo seruire, milites sæculares debẽt seruire sęculo. ¶Potissima tamen ratio quæ huic abusui reclamat, est, quòd etiã si eiusmodi munia melius ac salubrius per episcopos quã per alios exhiberentur, non tamen hoc est talentum quod Deus illis augendum commisit, neque id quod eis iussit: & pro quo tam ampla decimarum stipendia ipsi percipiũt: neque de quo rationem est ab illis exacturus. Quid enim particulares ecclesię reipublicæ ciuili debent vt tantam decimarum copiam pro seruitio rependant, quod episcopi non sibi sed sæculo impendunt? Aut quomodò dũ Christus ab illis in die iudicij effusi sanguinis sui rationem repoposcerit, quo animas redimit, quas illis seruandas confidit: respondebunt se alijs vacasse negotijs, non sibi ab ipso commissis. Perpendant si rex à suo duce male ducti exercitus rationem interrogaret, cui ille responderet, rei aulicæ dedisse operam, quomodò responsum ferret. Si qui in agône sæculari contendunt, se ab omnibus abstinent vt ad Corinth. 9. ait Paul. vt se totos suo mu-
Paulus. neri tradant: qui Christo tam insigniter militant, perpende quàm se debeant à cunctis alijs subtrahere vt tanto negotio integri adsint. Et si qui inuitati ad nuptias male in Euangelio ob id audiunt, quòd quia vel villas vel iuga boum emerãt conuiuium detractauerant, quanto putas peius sint apud Deum audituri præsules qui ad conuocandũm cõuiuas missi sunt: imò qui secundũ Christum sponsi & ipsi existunt ecclesiæ qui sunt cõuiuium celebraturi, si alijs sese mãcipent negotijs, quibus illa vel defraudetur vel remittatur cura? Regi Oziæ, vt legitur. 2. Paralipo. 26. conuitio & sacrilegio dabatur q̃ thuribulo incensum adoleret Domino. Cui sacerdotes improperantes aiebant, Non est tui officij Ozia vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum. Sed longè iustiùs vice versa sacerdotibus ac maximè episcopis opprobrio tribuendum est quòd officium suum adolendi incensum deferentes thurificent sæculo. Nõ enim est ille spiritus quem Deus illis dum cõsecrantur suggerit, sed quo spirituales proles progignant ac nutriant. Audi Moysen Numero vndecimo quanta verborum significantia si miles curas quas Deus animarum pastoribus committit exaggeret. Cur enim inquit, posuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego cõcepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam vt dicas mihi, Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum: & efferes in terram pro qua iurasti patribus eorum? Profectò multò maiorem curam & solertiam requirit Christus â Præsulibus, animabus quas suo ipse sanguine progignit impendendam: ad quod propriè spiritum fauoremq; suppeditat. Quocirca illic statim subditur: Cõgrega mihi septuaginta viros. &c: & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis vt sustentent tecum onus populi. Aliqui volunt imminutũ fuisse tunc spiritum Moysi, sed forsan, vt suprà dicebam, nõ ille est sensus: quandoquidem illi nõ fuit culpa auxiliares sibi poscere: & ideo neq; pœnam cõmeruit. Sed sensus est fortè, Auferam, id est, capiam eiusdem generis spiritum quem illis infundã. Nam, vt ait Paul. *Paulus.* diuersa sunt gratiæ & spiritus munera, quæ Deus suis dispertitur iuxta officiorũ necessitatem quæ illis cõmittit. Quare in episcoporum consecratione ab ipso petitur vt super eũ qui consecratur de oleo sacerdotali infundat. Horsum ergo horũ meminimus vt episcopi intelligant non sibi diuinitus aliã gratiam & fauorem atque spiritum impertiri, q̃ quo ad suam regendam ecclesiam opùs est. Sed humanæ appetẽtiæ & conatus sunt, qui illos in alia sæcularia negotia submergũt: vt nauim quam illis Deus ceu proretis, vt ait in quadam epistola Clemens ad regendũ con- *Ex quo epi*
credidit submergi sinant. ¶Neque verò dis- *nõ à capitu*
fitendum est hanc pestem quæ ecclesias præ *lis sed à regi*
sentia suorum pastorũ expoliat, inde latiùs *bus creari*
inserpsisse, ex quo episcopi à suis capitulis e *cœperũt pas*
ligi desierunt, cœperũtq; in curijs, vel Roma *sa est eccle-*

sia dispẽdiũ residentiæ.

na vel regijs creari. Non quidẽ est quod prot sus contra principum indulta obmurmurẽ. Nam eo iam vsq; euasit humana malitia vt si penes capitularia collegia potestas electio nis duraret, omnia essent discordijs plena, cruentisq; dissensionibus dilacerata sed tamen quia, vt est humanum ingenium, nullũ remedium rebus adhiberi potest, quod secũ non aliquid incommodi afferat, inde cœperunt curiæ, tum Romana, tum potissimum regiæ episcopis crebrescere: qui spõsis paupe rioribus neglectis cũ ditioribus adulteria cõ mittere semper inhiant. Quod quidem malũ non est recens, Hac enim de cau sa, vt Hie ronũ. in epistola citata ad Ocean. refert, in cõcilio Nicẽ. cautum fuit ne isti episcoporum ascensus ecclesiarumq; cambia permitteren tur. ¶Porrò autem quo ad finem iam demum quęstionis properemus ex huiusmodi episcoporum, tum absentia à suis ecclesijs, tum frequentia in curijs, cœpit vulgus eorũ dignitatem despicari. Cœptum inquam eis est & à secularibus parũ reuerentiæ, & à clericis minus obedientiæ exhiberi, & à ciuilibus curijs & foris plurimum iudiciorum adi mi. Nam, vt ait super vltimũ capi. ad Hebræ. Athanasius, quemadmodum necesse est vt præsidentibus populus obsequentem se prę beat, ita & sacerdotem oportet vt aliorũ aĩas curet, & noctes ducat insomnes. ¶Aequissima ergo est vindicta vt qui suum negligunt locum sensum de illo decidant. Hæc enim vl tio fuerat de sacerdotibus à Malachia præcantata capi. 2. vbi ait: Et nunc ad vos manda tum hoc, ò sacerdotes: Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris. Ecce ego proijciã à vobis brachium (seu armum) & dispergam super vultum vestrum ventriculum solennitatum vestrarum. Et infrà: Ego dedi vos contemptibiles & humiles in omnes gentes pro eo quòd non custodistis vias meas. Perpende maledictiones: Mittam in vos egestatem, hoc est subtraham vobis doctrinæ lumen & gratiæ fauorem quibus vberes fructus ferre soletis in populis. Et maledicam maledictionibus vestris. Fortasse idem est. Nam sacerdotum benedictiones sunt fructus quos populus per ipsorum doctrinam & fauorem captat. Quare maledicere benedictionibus, est vt malignos fructus ferant. Quanuis etiam si ad sacramẽta id referatur, quodam modo verum est. Nam etsi sacramentorum fructus mali esse non possint, tamen sæpe cùm per ignaros & nauaros dispensantur, non tenent: nempe ordines quos conferre attentant propter irregularitatem non verè conferunt, & crebrò quos non possunt, à delectis absoluunt: quod sæpenumerò propter absentiam prælatorum accidit. Adde quòd maledicere idem quoq; sonare potest quod permittam vt maledicantur. Quod lamentabili vsu accidisse in Germania & Anglia atque alijs regionibus experti in malum no strum sumus. Nam propter ignauiam & pernicio sissimam episcoporum aliorumque pastorum incuriam cuncta sunt hæreticis plena, qui sacramenta omnia execrantur, blasphemijsque conspurcant. Vnde sequitur: Et ecce proijciam à vobis brachium seu armum quod est robur dignitatis vestræ, & regiminis baculum. Ac demum dispergam super vultum vestrum ventriculum solennitatum vestrarum, Alia litera pro ventriculo impudentiori voce, sed tamen significantiori, habet, stercus. Et fit illusio ad Mosaica sacrificia, quibus animalia mactabãtur. Nam iam apud hæreticos adeò sacramenta nostra fœtere cœperunt, vt sacerdotum vultus stercore sordescere existimentur. Simile est apud alium Prophetam: nempe Zachariæ. 11. O pastor & idolum derelinques gregem. Advium profectò exprimit naturam ingeniumque pastoris derelinquentis gregem. Est enim nil aliud quàm pastoris idolum: nempè imaginem tantùm præ se foris gerens & personam pastoris, vt sculptus lapis, re tamen ipsa carens. Gladius super brachium eius: hoc est super regiminis potestatem & super dextrum oculum eius: puta super rectum sensum & iudicium. Nam postquam libido sua eos cogit ecclesiæ gubernaculum deserere, illicò eis suadere incipit non ea obligatione teneri quam sapientes docent: quod est oculum dextrum eis eruere. Vtinam ille qui lux venit in mundũ quotquot super candelabrum ecclesiæ suæ erexit, sic illuminet & inflammet, vt iura sui muneris, tum clare cognoscant, tum & charitatis ardore moribus exhibeant!

Incommoda quæ ẽpis ex frequẽtatione iuris ob ueniunt. Athanasi⁹

Radix etori go Germini cæ Anglicæq; stragis hoc nostro sæculo editæ.

¶Argumenta ergo in fronte quæstionis proposita, quoniam ad id militabãt, quòd neutí quãm episcopo liceat de diœcesi sua decedere, facillimæ sunt solutionis. Ad primum enim respondetur quòd non omnis qui à sua ecclesia sese in tempus aufert, fugere vt mer-

Ad primum argumentũ

vt mercenarius censetur, sed ille prorsus qui ob peculiare commodum id facit: videlicet salutem spiritualē populi corporali suæ post habens: secundùm Illud Grego. in eâdem homilia. Stare in periculo ouiū non potest, qui in eo quòd ouibus præest non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit. Et ideo opponere se contra periculum trepidat, nè hoc quod diligit amittat. Ille ergo qui absque detrimento gregis recessu suo periculum sibi cauet, non est mercenarius. ¶ Pariter ad secūdum, ex Prouer. 6. respondetur quòd qui fidem suam alteri spondet, si legitimè est impeditus, satis per alium seruit. ¶ Ad tertium denique respondetur quòd cùm episcopus in altiori sit gradu perfectionis quàm monachus, dum ab illius functione impeditur, nō tenetur se religioni mancipare.

Gregorius.

Ad secundū argumentū

Ad tertiū argumentū

TAmetsi pro captu nostro disputationem hanc & fortè prolixiùs iusto absoluerimus, non suppudebit fragmenta quarundā epistolarū Athanasij subscribere, quæ ante nos alij, tum traduxerunt, tum præsenti quęstioni appensas curarunt. Sunt enim profectò dignissimæ quas præsules vniuersi cordi altissimè haberent impressas. Quem ergo legere non pigebit, eundem profecto neq; pœnitebit legisse: qui verò tædio iam confessus legere recusauerit, non grauabitur scriptas habere. Sanè vt constet quàm hæc quæstio fuerit antiqua, quamq; sanctissimis illis patribus affirmatiua eius veritas, sanctissima, quamq; duxerint episcoporum residentiam ad animarum salutem & perpetuitatē Christianismi necessariam. Irrepserat enim iam tunc mos vt episcopi Imperatoriam vrbem Constātinopolim, cuius Athanasius patriarcha erat, frequentarent. ¶ Primam ergo scripsit episcopo Cretæ: qui dum absens à sua esset ecclesia proponebat illuc proficisci: quod quidem propositum præcipuis laudibus & rationibus commendat. Charissime enim inquit, mi frater & comminister, gratia tibi & pax à Deo. Consilium istud tuum ac voluntas quæ ad aures meas perlata est, fortis virilisq; animi, ac sursum tantum aspicientis, verè ac legitimè certantis, & nomini ac vocationi suæ respondentis visa est: non autem mercenarij, & fugientis, non solùm si lupum videat, sed si vulpem: vndè gregi Christi principis pastorum damnum creet, & animæ suæ infinitos præparet cruciatus. Attende verborum emphasim. Et sequitur: Cur enim iste, scilicet, qui in sua non permanet diœcesi, non potiùs vitam priuatam viuere maluit, si cogitabat succumbere, seque, non oues pascere, pro quibus sanguinem suum Christus profudit? Quemadmodum non venit huic in mentem eius qui maledicto eum affecit qui opus Domini facit negligenter? Quanuis facere nomine simulet, in cuius alioqui animo insidet, quod de insipiente scriptum est, qui dixit in corde suo, non esse Deum. Neque enim Deum ponunt qui hæc in conspectu eius facere audent. Audi, Deum non ponunt, quia eum factis esse negant. Ex quorum numero & ordine faxit Deus nè simus, adscribatq; nos inter fideles dispensatores, concedatq; benignè, vt præstò simus principi pastorum ad perficiendum quæ oportet, ponamusque animas pro ouibus eius, qui simul id & exemplo demōstrauit & edicto sanxit. Præceptum ergo in verbis Christi Ioan. decimo, agnouit. Et paucis interiectis: Quam obrem, inquit, veris pastoribus non est tutum non vigilare, & non circumquâq; omnia lustrare ouesque errantes solùm quærere, ac non magis solicitos esse pro ijs quæ non errant, perterritos horum temporum tenebris, quæ iusto Dei permissu ac iudicio nobis illatæ sunt: quia scilicet non ita viuimus, vt eum decet, qui nos vocauit. Sed ô animarum nostrarum detrimentum! O ingentes pœnas nobis ob nostras libidines, & perturbatas voluntates, quæ hoc malum pepererūt, infligendas! hoc inquam malum vt gens sancta, per omnes campos & montes vitio pastorum absentium dispersa ac dissipata esset! Debent ergo hoc facere, (hoc est in suis diœcesibus residere) omnes boni pastores, quicunq; hoc nomine digni sunt: ita vt qui cessarit, non sit impunè cessaturus. Etenim si quisque pastor in diœcesi quæ sibi obtigit, vel biduum moretur, experiri liceat permulta peccata, & damna nō esse futura in populo. Perinde nāque esse videtur gregem abesse à pastore, vt cœcum du ce carere. Sanè augētur oues, & in tuto sunt, cùm præsunt veri pastores: non autem qui solùm ebibant lac, & lana tegantur: omniq; studio: & arte seipsos, non oues pascant. Hęc atq; alia id genus multa in illa epistola. ¶ Secundam misit episcopo Sardensi: vbi statim à proloquio sic incipit. Scio te non ignorare, quæ à sanctis Apostolis de constitutione rerum Ecclesiasticarum sancita sunt. Ex quibus vnum est, vt quisque pastor, intra suos

Primae epistola athanasij ad firmādā residentiam epi Cretæ destinata.

Secūda eius de epistola missa episcopo Sardensi.

fines insistat propter pacem, & charitatem, quarum est Iesus arctissimum vinculum, quòd solui non potest. Scis præterea, vt quales nos essemus, appareret, quibus nobis verum pastorem designantibus magnus ille Pontifex Christus munus pastoris definierit: nempe mutua in illum charitate. Alludit ad illud, Diligis me plus his? Deinde non ignoras ornatum egregij pastoris, qui sit animas suas euidenter cogniturus. Hoc est de facie: de quo in Prouerb. scriptum est quòd bonus pastor de facie cognoscere gregem debeat. Et infrà: Intellexisti etiam quis sit mercenarius & qualis, de quo pudet me tum dicere, tum tacere, cùm satis ipse status temporum, & rerum, eum ostendat, atque coarguat. De quo si attentè audiam prophetas, cùm in mei similes pastores his verbis inuehuntur, Pastores pascunt seipsos, non oues. Et illud: O pastores qui perditis oues pascuę. Item, sacerdotes legem Domini occultârunt & legem meam violârunt, & sancta mea profanârunt. Item illud, Lanis ouium indui, & mactare quod pingue est, lac bibere. Hæc inquam attente audiens, quid faciam, nè me tuam eos, qui me redarguunt, & clarè ob oculos mihi ponunt, qualis sim? Quæ si fabulas putat, qui in ignem illum extremum nõ intuetur, mihi fabulæ non certè, sed ita horribilia omnia esse videntur, vt horrore exedant, consumantque medullas. Neque tamẽ curamus, facere pro viribus, nè propter aliquod ex his vitium, ac scelus, constricti vinculis arctissimis, pœnis sempiternis afficiamur. Sed quod subinde sequitur est notatu dignum. Ait nanque quòd cùm à principio constitutum esset vt bis quoquo anno synodus haberetur, posteà commodius visum est haberi semel, nè oues propter crebram absentiam pastorum facilè à lupis inuadi possent. Vide quantæ illis patribus curæ erat residentia, vt eius gratia à synodo celebranda abstinerent. Et sequitur ad mores nostrorum temporum accommodè contra illos episcopos qui desertis suis gregibus in curia Constantinopolitana versabantur: de quibus ait, Denique maluerunt breui voluptate contenti carni indulgere, quàm cum populo Dei laborare contemptis legibus diuinis, quæ prohibent nè paulisper quidem impunè à grege abesse. Auscultа, lege diuina eam sic esse iussam residentiam, vt nè paulisper quidem liceat impunè à grege abesse. Et subdit: Ac nisi, vt Apostolus ait, inimicus videret, verum eloquens, possem aliquid verè dicere: Quid, quæso, iuuat istos episcopos, & pastores in vrbe morari, nisi (omittant alia) vt patriarchas, alios moueant, alios eligant, nè si idem diu sit patriarcha, res omnes ecclesiasticæ cõpositæ sint: quod præclarum facinus ex eo tempore facere isti consueuerunt, ex quo constantinopoli potiti sumus. Quod quidem cum reliquis malis non est ambiguum & incertum, quin irã Dei nobis augeat. Certum enim est pastores qui gregem negligunt non impunitos inultosque discessuros: tamen si fortasse non ita videatur ijs qui sponte velamen obtendunt, nè limatam Euangelij veritatem aspiciant. Hæc ille.

¶ Et in alia tertia epistola ad episcopum Apameæ, inter alia sic illum admonet? Vt debet verus episcopus residеas sanctè ad sanctam aram, de qua tibi participandum est, sicuti Dominus pronuntiauit, Dignum esse operarium mercede sua. Quam obrem non est existimandum, licêre tibi diu quauis de causa abesse: quin potius faciendum tibi est, vt celeriter ire possis ad eam ecclesiam, quæ tibi addicta est, & commendata vt ei præsis. *Tertia epistola eiusdem.*

¶ Sed in alia ad eundem quæ quarta est, verba etiam num maioris emphasis accumulat Ait quippe: Ego verò eum, cui grex Christi commissus est, si dignitatem muneris nôrit, iniquum esse arbitror, non vsque ad sanguinem ei studere & incumbere nisi fortè ignoraueris Deũ esse qui dixerit, Petre amas me, pasce oues meas. Sed hei mihi non iam pastores oues pascũt, sed ouibus tanquàm pane pascuntur! iam horribilia illa mala pastorum, quæ propheta Ezechiel describit, summa licentia irrepserũt! Quæ si talia tamq; gra uia vobis vidẽtur, agè optime vir cõtẽtus esto tua diœcesi, permane in ea, fac sis cũ ouibus, tuis, vt vsq; ad sanguinem illis affixus, quas quidem nunc in frutetis, inter ficus & rosas, atq; in montibus diuina prouidentia custodit. Neq; enim quod certissimum est, virga, & baculo tuo pastorali sit, vt in pascuis virentibus pacis, & bonorum cœlestis Hierusalẽ æ sint. Scis enim qui amplius sex mensibus à diœcesi abfuerint, nisi eos grauis morbus teneat, canonibus & legibus firmatũ esse, vt sacerdotiũ & gregẽ amitterẽt. Verùm nouũ consilium, & sceleratum hic à nostræ ætatis hominibus excogitatum est, scilicet mittitis aliquem qui sciat mulgêre gregẽ, ipsi verò in vrbe Constantinopoli spectatis propter præ *Quarta epistola.*

fecturas

fecturas ciuiles, suscriptiones, intempestiuas ordinationes: adde etiam bullas, & decreta. Nostra hæc sunt tempora. Et tanquam impunè sit vobis futurum, ita procul à diœcesi vobis commissa receditis, & alia huiusmodi vt cuique libet committitis: oportebat potiùs cunctis episcopis vndeque in vnum congregatis, suã cuiq; diœcesim funiculo distributionis circunscribi, atque ita patriarchæ partem suam à vobis assignari, aut vos à patriarcha priuari. ¶Alias præterea de eadem re subnectit epistolas, quas nè fastidio esse persistam missas faciam. Sed & ad Imperatorem qui Constantinopoli sinebat episcopos degere, nec cogebat eos ad suas ecclesias abire, multa etiam commemorat: inter quæ ait: Si tu oues pastori committeres, deinde illas quidem derelictas cerneres, illum verò quieti suæ, suisq; cupiditatibus indulgere & seruire, dic obsecro, relinqueresne pastorem impunitum? Non patimur oues pecudes impunè negligi, & patiamur pastores animarũ impunè seipsos pascere, non oues? Quid quæso apud Deum excusabimus? Vtinam ne illud nobis exprobretur, omnes quærunt quæ sua sunt, non quę Iesu Christi. ¶Deinde aliam de eâdem re ad eundem hoc tenore subtexit: Si verum est quod dici solet, qui gregem pastore priuat, vtriq; periculũ creare, profectò graue supplicium manet eum, qui pastorem arcet ab ouili: debetque qui pastor est, vsque ad sanguinem pro grege Christi non relinquendo labores perferre: nisi cùm opùs fuerit in synodo singulis annis ad agendum de rebus necessarijs paulisper abesse. quibus cõclusis celeriter redeundum illi sit, si crediderit se redditurum rationẽ summo pastori Christo, & si dignus est nomine pastoris. Nisi fortè etiam propter necessitatem ad vtilitatem animarum pertinentem, ab imperatore aut à patriarcha statim rediturus vocetur: Quòd si aliter episcopis aut Imperatori videatur, siue quid secùs fiat, minimè ipse sequar, neque assentiar vllo modo. Neque enim rationem habebit Deus causationum nostrarum & cupiditatum: sed rationes reposcet de veritate, iustitia, diuinisque legibus, & statutis. ¶Ac demum in alia breuiori sic habet: Memento scripturæ quæ iubet contristari potiùs homines quàm Deum, tibi verò Imperator, cur graue videatur iustitiam, temperantiam, misericordiam populis tuis sancire, & inde non modò nullum incommodum reportare, sed potiùs operibus bonis conciliare Dei misericordiam? Quid iustius, quàm si episcopus quisq; iubeatur, velit, nolit, ad diœcesim suã redire? an non hoc debitum soluere tenentur? idq; canone sancitum est? Video fusiùs rem hanc deduxisse quàm cuiquàm fortè par censebitur: haud me tamen prolixitatis pœnitet.

Fragmentũ alterius epistolæ ad Imperatorem directæ.

QVAESTIO QVARTA
De vinculo & modo quo episcopi & sacerdotes tenentur sua bona dispensare.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm episcopo liceat aliquid proprium possidere.

QVARTAM præsentis libri quæstionẽ proposuimus de vinculo & modo quo sacerdotes, & præcipuè paroecij ac potissimũ episcopi bona ecclesiastica dispensare tenentur, Quæ quidem quæstio vsque adeò me diu multumque ancipitem habuit vt maluerim alios audire qui me satis docerent, quàm meam explicare sententiam. Verùm tamen ea proferam quæ de hac re meditatus sum: alij verò iudices sunto. Est enim res abstrusa & perplexa, vtrinque porrò suis subnixa rationibus ac testimonijs. Præterea cognitu perquàm necessaria. Primus ergo articulus est vt ordinem Diui Thomæ non deseramus, vtrũ episcopo liceat aliquid proprium possidere. Est enim Christi oraculũ apud Matthæ. capi. 19. Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni & sequere me. vbi paupertas voluntaria ad perfectionẽ requisita docetur. Episcopi autem statum perfectionis profitẽtur: ergo non iustius possunt propria possidere quàm monachi. ¶Secundò episcopi, vt suprà satis comprobatum est, & glossa habet Lucæ. 10. Apostolorũ locum tenent: Apostolis autem rerum dominium Christus interdixit Matthæi. 10. Nolite enim, inquit, possidere aurum neque argentum

Primum argumentum.

Argumẽ. 2

gentum neque pecuniam in zonis vestris. Cuius obedientiam Petrus Matthæi.19. confessus est: dicens, Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te: ergo episcopi nullum
Argumen. 3 Hieronym⁹. possunt habere dominium rerum. ¶Tertiò, Cleros Græcè vt ad Nepotianum Hiero. author est, & refertur.12.quæstio.1.can. Cleros. idem est Latinè quod sors. vnde clerici ideo sic appellantur, vel quòd de sorte Domini sunt, vel quòd sors eorum Dominus: cuius autem possessio Dominus est, nihil extra ipsum possidere debet. Nam si aurum, si argentum, si possessionem, si variam supellectilem habet, cum istis participibus non dignatur Dominus pars eius fieri, Hæc ille: ergo videntur episcopi rerum dominio interdicti.
Concilium Agathense. ¶In contrarium est can. Episcopi. Concilij Agathen. eadem causa & quæstione: vbi habetur quòd episcopi de rebus proprijs, vel acquisitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus suis si voluerint relinquant.

TItulus præsentis quęstionis, generalis est quippe quo non distinguitur inter ecclesiastica bona atq; alia quæ naturali ciuiliq; iure obtinere potest episcopus. Duo nanq; sunt bonorum genera quæ episcopus possidet: videlicet alia quæ iure, seu hæreditario, seu donationis, seu quouis alio sæculari, illi obtingunt, atq; alia ecclesiastica, Et de illis prioris generis nulla est ambiguitas, quin propriè ac priuatim illa possidere valeat, sed de posteriori erit tota rei disputatio. In hoc ergo primo articulo solū disputatur an episcoporum status sit status paupertatis sicuti monachorum: ita vt nequeant propriū possidere. Ob idq; perspicua est ac facillimæ solutionis, quæ vnica conclusione continetur. Episcopi quanuis statum perfectionis profiteantur, non tamen quemadmodùm monachi vt absq; proprio viuere obligentur. Conclusio inquam plana est & constantissima: ob id quòd nihil in particulari de bonis Ecclesiasticis affirmat. Quare inde potest veritatem sortiri quòd iure sæcularis acquisitionis potest episcopis dominium rerum competere. At verò consultò cum D. Thom. est à nobis generaliter asserta. Arbitror nanq; vt in solutione secundi planè quisq; adnotare potest, & articu. sequenti planius fiet, veram etiam illam sensisse de bonis ecclesiasticis,
Duo bonorū genera quæ eps possidet *Conclusio responsiua.* *Probatio,* pro ea portione quæ ipsis ratione stipendij obtingit. Probatur ergo secundùm istiusmodi generalem sensum. Ad ea quæ sunt supererogationis nemo nisi specialiter se ad illud voto astringat cōstringitur. Ait enim in epistola ad Paulinam & Armentarium August. Quia iā vouisti, iam te obstrinxisti: & aliud tibi facere non licet. Priùs quàm esses voti reus liberum fuit quòd esses inferior: viuere autem absque proprio opus est supererogationis: nempè non sub præcepti vinculo, sed sub optione consilij comprehensum: vt patet Matthæi.19. Nam post necessitatem mandatorum, Si vis ad vitam ingredi, adiectum est vt qui velit perfectus esse, omnia quæ habet relinquat vt sequatur Christum episcopos autem manifestum est non se eiusmodi voto irretire: quia neq; id ad pastorale munus necessarium est: sed satis est vt Christum egregiè diligant: ergo episcopus secundùm leges suæ dignitatis non arcetur quo minùs dominio possit rerum fungi. ¶Hic nulla emergit dubitandi ratio, sed hoc solum est memoriæ mandandum quòd cùm episcopus religionis votum non emittat, fit vt nec votum faciat peculiare castitatis, præter id quod sacerdotio adiunctum est, neq; votum paupertatis: sed tantum promittit obedientiam Papæ, fidemque suam huic ecclesiæ, à quo ideo vinculo nisi autoritate ipsius pontificis dissolui nequit: Et ideo quatenùs episcopus quisq; est, non ei repugnat proprium possidere, nō solum hæreditario vel alio quouis ciuili iure, verùm neq; ecclesiastico. Haud enim ex parte suæ dignitatis ei repugnat iustum stipendiū pro ratione suæ functionis percipere, cuius sit verè dominus, sicuti olim erant sacerdotes & Leuitæ: Vtrùm verò tale ecclesiasticum dominium alia ratione sit eis prohibitū: nempè vt nullū in decimarū portionem habeāt quæ sibi prouenit, articulo proximo & subsequenti examinandū est. Nunc ergo satis sit constitutū, habere dignitatem episcopalē non esse paupertatis statum, atq; adeò neq; episcopo repugnare habere dominium rerum quas possidet.

Augustin⁹. *Documētū*

AD primum igitur argumentum negatur propositio illa quòd ad naturā perfectionis aut ad perfectionis statum generaliter & absolutè necessaria sit paupertas, sed tantùm est necessaria ad peculiarē perfectionis statum religiosorum. Quod enim ad perfectionem non sit necessaria, iam supra libr. octauo. satis constitutum est: vbi monstrauimus perfectionis rationem in copia charitatis consistere, ad quam quisque quocunque

Ad primum argumentū

statu

ſtatu progredi poteſt, Ad ſtatum autem religioſorum ob id eſt paupertas neceſſaria quòd profitentur perfici (hoc eſt) perfectionem diſcere & comparare, cui quidem inſtituto rerum poſſeſsio oneri eſt & impedimento. Epiſcopi autem non profitentur perfici, ſed perficere. Quocircà eas debent in charitate radices iecisſe vt à nullo vento poſsint inde eradicari: nempè neq; ab amore diuitiarum, quas poſsident, neq; ab alio quouis humano affectu, Exemplo Grego. in cuius vita ad Heremitam reſponſum diuini oraculi refertur, quod plus ipſe ſuam catam quàm ſuas ille diuitias diligeret. Quare adoleſcenti non dictum eſt. Si perfectus es: aut, ſi vis eſſe perfector: ſed, ſi vis perfectus fieri, vade & vende &c. A Petro verò dum paſtor inſtituitur nulla exigitur paupertas, ſed charitatis culmen.

Gregorius.

¶ Ad ſecundum tres applicat diuus Thom. reſpondendi modos: Vnus eſt Hieronymus idemque myſticus: vt ſub nomine auri & argenti prohibiti ſint prædicatores ſapientiæ atque eloquentiæ huius ſæculi inuiti. Alius verò eſt Auguſtin. in libr. de conſenſu Euangeliſtarum: nempe vt illud: Nolite poſsidere, &c. non habeat vim præcepti, ſed potius permiſsionis. Ac ſi dixiſſet: Non opus eſt vobis auro & argento. Permittitur enim vobis tanquam operarijs victum ſuſcipere. Vnde ſubdit: Dignus eſt operarius mercede ſua. Nam quod noluit Paulus, vt. 1. ad Corinth. 9. refert aliquando vti oblata ſuſtentatione, opus erat ſupererogationis. Sed tertia reſponſio eſt Chriſoſt. vt inhibitio illa intelligatur peculiariter facta diſcipulis dum ad prædicandum Iudæis mittebantur: tum vt populus ille faciliùs alliceretur, tum etiam vt ipſi firmiorē haberent fiduciā. quod diuina ſubſidia non eſſent eos defectura. Ex quo ideo neque ipſi neque eorum ſucceſſores obligātur abſque proprijs ſumptibus euangelium prædicare. Quare Paulus, vt ſecundo ad Corinth. vndecimo, de ſe meminit, ab alijs eccleſijs ſtipendia mendicabat, quò poſſet gratis prædicare Corinthijs: quæ ideo aliunde ſibi miſſa iure poſsidebat. Confirmat prætereà inde diuus Thom. ſolutionem, nempe poſſe epiſcopum propria poſsidere, quòd ſtultum eſſet ſanctos illos Pontifices Athana. Ambroſi. & Auguſtin. eiuſmodi præceptum ſanctitatis fuiſſe tranſgreſſos. ¶ Duo hìc tamen circa hanc ſolutionem non ſunt diſsimulanda. Vnum eſt quòd ſolutio neq; vera in totum apparet neque argumento ſatisfaciens. Apparet enim negare verè apoſtolos fuiſſe profeſſos paupertatem: quod falſum eſſe ex auctoritate ab ipſo citata cōſtat: Ecce nos reliquimus omnia. Quare nec ſatisfacit eidem auctoritati quam in argumento aſſumpſerat.

Ad ſecundū Hieronym°.

Auguſtin°.

Chriſoſto.

Paulus.

Scrupulus.

¶ Ad hoc reſpondetur hìc diuum Thom. nō diſputare de Apoſtolis vtrùm tria vota, vti modò religioſi, emiſerint, tanquàm religionum futurarum exemplaria: quòd quidem diuus Thom. vt libr. octauo, vidimus. 2. 2. q. 88. arti. quarto concludit: ſed modò tantùm de illis diſſerit quatenùs apoſtoli erāt & epiſcopi. ad quem quidem ſtatum non neceſſe attinet paupertas. ¶ Alterum hìc maximè adnotandum eſt quod hic affirmare videtur imò planè affirmat quòd poteſt epiſcopus habere dominium, non ſolùm rerum alio iure acquiſitarum, verùm ſtipendij eccleſiaſtici quod ſuæ functioni deputatum eſt. Nam argumentum erat quod epiſcopi quatenùs epiſcopi, hoc eſt verbi prædicatores, debent eſſe pauperes. Et reſponſio eſt illius negatio. Vnde cùm paupertas in negatione dominij conſiſtat, & in hoc neget debere eſſe pauperes quòd poſſunt functionis ſuæ ſtipendia poſsidere, concedit eis illorum dominium, paupertati contrarium. Sed de hoc preſsiùs articul. tertio. ¶ Vt autem plenè ſolutio tertij intelligatur, notandum eſt quòd Deus dicitur pars clerici, non vt dicat reſpectum ad aliam partem ab ipſo clerico poſſeſſam, ſed ſicut vnus hæres poſsidet partem hæreditatis quæ ſibi eſt tota ſubſtantia, quæ dicitur pars reſpectu alterius quæ alteri hæredi obuenit. Exempli gratia: debet clericus contentus eſſe Deo quem poſsidet, vt cum illo nihil aliud poſsideat: non quòd nequeat poſsidere famam, & honorem, & ſalutem, & aliqua bona temporalia, ſed quòd reliqua omnia ad nutum eius poſsideat. Itaque ſtudium erga Deum nullatenus per curam aliarum rerum diminuatur. Hoc enim eſſet ſecundùm Hieronym. aliquid extra Deum poſsidere. Qui verò ſic Deum poſsidet, Deus eſt ſua pars: hoc eſt tota ſua poſſeſsio reſpectu reliqui vniuerſi, quem alijs poſsidendū relinquit.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm epiſcopi mortaliter peccent ſi bona eccleſiaſtica quæ procurant pauperibus non largiuntur.

NE filum diui Thomæ rumpamus quæritur secundò vtrùm episcopus mortaliter peccet si bona ecclesiastica quæ procurat pauperibus non largiatur.

Primum argumentum Ambrosius.

Apparet enim Ambrosius id definire inter exponendum illud Lucæ duodecimo. de homine diuite cuius ager vberes attulit fructus. Ait quippe, Nemo proprium dicat quod est commune: plus quàm sufficiat sumptui, violenter obtentum est. Et paulò post, Neque minus est criminis habenti tollere, quàm cũ possis & abundas denegare indigentibus: alienum autem violenter tollere criminale delictum est: ergo episcopi qui quæ sibi supersunt in pauperes non effundunt, lethaliter delinquunt.

Secundum.

¶ Secundò super illud Isaiæ. 3. Rapina pauperum in domo vestra. ait Hieronymus glossa quod bona ecclesiastica sunt bona pauperum. Idem ad Damasum. 16. quæst. 1. cano. quoniam. quod iam ceu prouerbiũ vulgò susceptum est: quicunque autem id quod alteri⁹ est, vel sibi vsurpat, vel in alios vsus dispendit, mortaliter peccat, atq; ad restitutionem tenetur: ergo cùm episcoporum bona, ecclesiastica sint, fit vt si quæ sibi redũdant, aut sibi retinent, aut consanguineis largiuntur, ad restitutionem teneri videantur.

Tertium.

¶ Tertiò. Multò magis sacerdotibus licet de rebus ecclesiæ ea accipere quæ sibi necessaria sunt, quàm superflua augere. Ait verò in epistola ad Damasum Hierony. & refertur. 1. q. 2

Hieronym⁹.

clericos illos cõmodè stipendijs ecclesiæ sustentari, quibus parentum & propinquorũ bona nulla suffragantur: qui autem bonis parentum & opibus proprijs sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium committunt & incurrunt, Hæc ille. Vnde Apostolus. 1. ad Timoth. 5. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & nõ grauetur ecclesia: vt ijs quæ verè viduæ sunt sufficiat: ergo multò est certius tunc episcopos mortaliter delinquere, cùm ea quæ sibi de bonis ecclesiasticis exundant, pauperibus nõ profundant. ¶ In contrarium est episcoporũ quorundam vsus qui ea quæ supersunt non cuncta pauperibus erogant: Sed ad ampliandos reditus ecclesiæ, idque (vt apparet) laudabiliter expendunt.

OPeræpretium est in fronte disputationis nostræ textum diui Thom. in conclusiones distribuere, quas explicationis lucis gratia septẽ numero constituemus. Persistẽdum autẽ est in ea distinctione inter episcopi bona quæ propriè, puta aut hæreditario aut alio ciuili iure possidet, & bona ecclesiastica: Est ergo prima conclusio. Propriorum bonorum, hoc est quod iure sæculari episcopi possident, verum habent dominium. Hęc iam suprà arti. 1. satis est confirmata ex eo q̃ status episcoporum nõ est paupertatis professio. Quo fit vt ex rerum ipsarum conditione & natura non teneantur iustitiæ lege ea pauperibus vel alijs erogare, sed & retinere possunt, & vt libuerit elargiri.

Prima conclusio.

¶ Secunda conclusio. Quanuis possint in ea rum dispensatione sicuti sæculares ciues peccare, nempe aut propter auaritiam cõtra debitum charitatis eas retinendo, vel indignè prodigẽdo, nemini tamen ad restitutionem obligantur. Enimuerò vt. 4. libro. sæpe diximus, vbi iustitia non violatur, nulla inde restitutionis obligatio emergit.

Secunda cõclusio.

¶ Tertia conclusio. Episcopi bonorum ecclesiasticorum sunt dispensatores vel procuratores, Hoc patet ex verbis August. ad Bonifacium Comitem, quæ referuntur. 2. quæst. 1. can. vltimo. Si priuatum possidemus quod nobis sufficiat, non illa bona nostra sunt, sed illorum quorum procurationem gerimus: proprietatem nobis vsurpatione damnabili vindicemus. Hinc fit bona illa optima fide esse ab illis dispensanda, secundùm illud primæ ad Corinth. 4. Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Hæc de bonis in communi possessis intelligitur, vt subsequentes declarabunt.

Tertia conclusio. Augustin.

¶ Et ideo de eorum distributione subtexitur quarta conclusio. Eiusmodi bona ecclesiastica non solùm in vsus pauperum, verum & in diuinum cultum & in ministrorum supplendis necessitatibus sunt expendenda iuxta tenorẽ decreti Simplicij Papæ. 12. quæsti. 2. qui ait, De reditibus ecclesiæ vel oblatione fidelium solis episcopis ex his vna portio remittatur. Duæ ecclesiasticis fabricis & erogationi pauperum pro futuræ à presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur, vltima clericis pro singulorum meritis diuidatur.

Quarta conclusio.

Simplicius Papa.

¶ Quinta conclusio. Vbi distincta sunt bona quæ debẽt in vsum episcopi cedere ab alijs tribus quæ pauperibus ac ministris & cultui addicuntur, si episcopus aliquid de his tribus portionibus retinuerit, non dubium quin contra fidem dispensationis mortaliter delinquat, & ad restitutionem teneatur. Conclusio per legem commutatiuæ iustitiæ innotescit: nam in tali

Quinta conclusio.

tali'casu verè furtum alienæ rei committit.

Sexta conclusio. ¶ Sexta conclusio. De his quæ specialiter vsui episcopi deputata sunt eadem ratio videtur quæ de proprijs bonis:vt scilicet per immoderatū affectum & vsum peccet quidem si immoderata sibi retineat,&aliis non subueniat,sicut requirit debitum charitatis.

Correctio literæ D. Th. Corrigendę sunt impressiones quibus deest vltimum hoc verbum, Sicut requirit debitum charitatis. Imò vehementi opinione teneor deesse etiam quod ad restitutionē non teneatur. Contra quam dixerat in superiori conclusione: quandoquidem ait, Eadem ratio videtur quę de proprijs bonis:quorum prodiga consumptio restitutionem non exposcit.

Septima cōclusio. ¶ Septima conclusio. Si verò non sint prædicta bona, distincta,eorum distributio fidei episcopi committitur.Deest etiā in multis impressionibus totum illud,Si verò non sint prædicta bona:in quibus ideo legitur,non subueniat distincta.quare fit litera inintelligibilis. ¶De his ergo indistinctis adhibetur expositio conclusionis:nempe q̄ si in modico distributio vel deficiat vel redūdet,potest id quidem fieri absq; bonæ fidei detrimento: Siquidem nequit homo punctum vbiq; virtutis tam certum tenere quin pro humana conditione in alterutrum vergat extremum. Si verò sit multus excessus, tunc neq; latere potest,neq; à peccato mortali excusari:quoniam tunc bona fides violatur:atque adeò distributiua iustitia.Vnde tres denotantur maculæ infidelis serui, Matthæi. 24. vbi sic legitur : Si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire: quod pertinet ad diuini iudicij contemptum : & cœperit percutere conseruos suos:quod pertinet ad superbiam:Manducet autem & bibat cum ebriosis: quod pertinet ad luxum,cuius gratia mala fide fit dispēsatio:veniet dominus serui illius in die qua non sperat,& diuidet eum, scilicet à societate bonorum:& partem eius ponet cum hypocritis, scilicet in inferno. Ecce literam diui Thom. quam in fronte disputationis expediebat ob oculos ponere. Enucleanda verò est in articulo sequenti,vbi inter alia & argumenta quoque ex Ambrosio & Hieronymo in capite quæstionis proposita dissoluentur.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm episcopi ac reliqui sacerdotes verum ac legitimum habeant dominium fructuum ecclesiasticorum qui illos pro sua portione contingunt.

TRAEIACTA ergo sententia sancti Thom, subsequēter circa singulos eius articulos qui generales sūt mouentur singuli in particulari.Et primò circa prio rem quo disputatū in genere est, vtrùm episcopi possint habere rerum dominium.quę ritur in particulari circa sextam conclusionē, vtrùm tam ipsi quàm reliqui sacerdotes verum legitimumq; habeant dominium eorum fructuum ecclesiasticorū qui se pro sua portione contingunt.Sunt enim innumeræ autoritates quæ à parte negatiua militare videntur.Illæq; in primis sacræ paginæ. Nam etsi status clericorum non perinde atq; monachorum votum habeat paupertatis annexum,saltem eorū quæ ipsis pro clericali functione ministrantur,nihil eis videtur competere,præter victum & vestitum: iuxta verbū Domini, Dignus est operarius cibo suo, & verbum Pauli. 1. ad Timo. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus:ceu boues,quod ait alibi, aream triturantes.Quocirca apostoli missi sunt ad prædicandum sine pera,iussi non possidere aurum neq; pecuniam, Atq; eam ob rem in libro præcedenti sub titulo de simonia monstrauimus, nihil debere clericis, neque ipsi quicquam alio iure posse à plebe pro administratione sacramentorum & reliquis spiritualibus functionibus percipere,quàm iure sustentationis. ¶Secundò accedit huc & sanctorum patrum numerosissima testimoniorum turba. Nam præter loca Ambrosij, Hieronymi, & Augustini proximè citata, grauissimus Prosper. 12. q. 1. can. expedit.ait, facultates ecclesiæ non esse proprias, sed in communi possideri. Et in cōcilio Agathen. et illic refertur.cano.episcopi.habetur quòd quidquid de prouisione ecclesiæ fuerit, siue de agris,siue de fructibus, siue de oblationibus, omnia in iure ecclesiæ sunt seruanda. Et Vrbanus Papa ibidem in can. res.ait,Res ecclesiæ non quasi proprias,sed vt communes,non in alios quàm in præfatos vsus, puta in subsidium pauperum,& ministrorum,

& cultus diuini esse dispensandas. Et eâdem causa & quæstione, cano. episcopus. qui est concilij Antiocheni, habetur, quòd episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum in omnes qui indigent cum summa reuerentia & honore Dei: participet autem & ipse quibus indiget: si tamen indiget. Et inter Canones Apostolorum est trigesimusnonus, talis: Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, & eadem vt Deo contemplante dispenset: neq; illi liceat ex his aliquid omninò contingere, aut parentibus proprijs quæ Dei sunt condonare: quòd si pauperes sint, tanquâm pauperibus subministret. Et suprà citatus ad Nepotia. Hieronymus ait clericorum hæreditatem solum esse Deum, cum quo nihil aliud debent possidere. Et ibidem eâdem causa & quæstione, cano. quia aiunt Imperatores Carolus & Ludouicus: iuxta sanctorum patrum traditiones nouimus res ecclesiæ vota fidelium esse, pretia peccatorũ, & patrimonia pauperum. Et cano. decimæ. ait Augustin. quòd qui decimas dare noluerit, quanti pauperes in locis suis vbi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante æterni iudicis tribunal apparebit: quia rem à Deo pauperibus erogatam, suis vsibus reseruauit. Quare idem de sacerdotibus censendum erit si illas non dispensauerint. Multa huiusmodi sunt sanctorum loca. Et Hieronymus ad Damasum: & refertur ca. quoniam. 16. quęst. 1. clerici qui sæcularib⁹ bonis affluunt, non possunt bonis pauperum ali. ¶ In contrarium autem facit textus in cap. vnico, de clerico non residente. vbi habetur quòd qui diuinis officijs non intersunt, nisi infirmitas seu iusta & rationabilis necessitas, aut euidens ecclesiæ vtilitas rẽleuet, non sunt domini quotidianarum distributionũ: neque faciunt eas suas, sed ad restitutionem sic perceptorum obligantur. Vnde è contrario sensu colligitur quòd residẽtes verum dominium earundem distributionũ acquirant, atque eadem ratione aliorum ecclesiasticorum fructuum.

Hieronym⁹

Augustin⁹.

QVæstio præsens, vt initio dicebam, nimium ambigua est. Sanè cùm sanctorum testimonia primo verborum sonitu diuersè appareant illam definire quàm ratio penitiùs inspecta videtur permittere. Missa ergo hinc faciamus episcoporum ac sacerdotum bona sæcularia: de quibus, vt articulo proximo conclusum est, nemo ambigit: sed omnes consentiunt priuato dominio à sacerdotibus possideri. De ecclesiasticis verò tres vt sæpe numerò assolet, versantur opiniones. Vna est Alexandri de Hales grauissimi autoris. 3. parte. q. 36. membro. 5. arti. 2. Et Richar. in. 4. dist. 45. articu. 3. q. 1. qui expressè aiunt fructuum ecclesiasticorum clericos solùm habere vsum, & nõ proprietatem. Atq; hanc fermè amplexi sunt doctores iuris canonici: vt Archidia. super cap. statutum. §. assessorum. de rescript. lib. 6. vbi ait hæreticum esse in iure quòd ecclesiasticus acquirat sibi verum dominium fructuum prębendæ vel ecclesiæ. Cui accedit Panormi. in cap. cùm esses. de testamen. Et Dominicus in. c. præsenti de offi. ordina. Et, qui non est in postremis habendus, eidẽ opinioni adstipulatur, Tho. Vualdens. tomo. 1. libr. 4. cap. 42. & quatuor subsequentibus. Vbi multis patrum testimonijs videtur sibi constantissimè probare nullum penes clericos esse ecclesiasticorum bonorum dominium. Secunda nihilo minùs opinio est quam hic tenet sanctus Thomas: videlicet quòd illius portionis quæ particulariter applicata est episcopo perinde videtur dominus atq; aliorum bonorum quæ sæcularĩter possidet: vt patet in sexta conclusione. Secùs si omnia bona ecclesiæ in communi possiderentur, & eius essent dispositionis mandata, vt patet in tertia & septima. Et eandem opinionem amplectitur Adrian. in 4. in materia de restitutione. Tertia est Caieta. loco præsenti, quam etiã suprà insinuauit, vt lib. præcedenti sub titulo, de decimis, vidimus. Partim enim tenet cum sancto Tho. nempe quòd regulariter episcopi sint domini suæ portionis, postquàm facta est bonorum distributio in quatuor partes. Meditatus est tamen eam exceptionẽ, quòd quando portiò illa quæ ipsos contingit est notabiliter abundans, tunc tenentur duas partes eiusdem portionis in pauperes & fabricam refundere. Et quanuis expressè non affirmet vtrùm teneantur iure charitatis an iustitiæ: tamen sentire videtur quòd teneantur de rigore iustitiæ, sicuti anteà quàm essent diuisa bona. Ex quo fit consequens secundùm eum neutiquam esse verè dominos eiusdem portionis, sicuti non erant tunc totius acerui. ¶ At verò secunda opinio adeò mihi semper pro meo exili iudicio persuasa fuit, vt quandiu ecclesia cõtrarium non definierit

Prima opinio Alexan. Halen. Richardus.

Archidia.

Panormita. Dominicus. Tho. Vuald.

Secũda opinio S. Tho.

Adrianus.

Tertia opinio Caieta.

Probat opinio S. Tho.

nierit, nescio an de illa decidere possem. Eò potissimùm cùm sanctus Tho. eam teneat: neq; vllus eiusdem ordinis pater cõtrarium expresse dicat. Non quòd clerum aut certè episcopos ab eleemosynarum vinculo absoluere moliar. Imò quàm eos crediderim eidẽ mandato esse obnoxios, arti. sequẽti expromam. Sed quod vbiq; cuperem vnam quam libet rem suo loco & iure pro meo modulo collocare. ¶Ad plenam ergo rei intelligentiã duo statim præ foribus prænotare oportet. Vnum scilicet de diuersis ecclesiæ bonis, atq; alterũ de variis eius statibus. Hæc enim summoperè rem dilucidat. Et quantũ ad primum, quatuor sunt bonorum temporaliũ genera quibus fruuntur clerici, vel olim in penu ecclesiastico reponebantur. Prima videlicet erant quæ Christifideles in primordijs ecclesiæ in commune conferebant vt inde tam clerici quàm pauperes alerentur. De quo ritu Actuum. 4. scriptum est, non fuisse quenquam egentem inter illos. Nam quotquot possessiones agrorum aut domorũ habebant, vendentes offerebant pretia eorum quæ vendebãt, & exponebãt ante pedes apostolorum. Diuidebantur autẽ singulis prout cuique opùs erat. Et quanuis illud institutum Hierosolymis ortum habuerit: inualuit mos tamẽ inde in Christianismo vt partem saltem bonorum in cœtum clericorum eodem fine Christiani conferrent, neque possessiones venderentur, sed permanerent in ecclesia. Ait enim Melchiades Papa in can. futuram. 12. q. 1. quòd cùm apostoli futuram ecclesiam in gentibus præuidissent, idcircò prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodò ad fouendas gentes. At verò cùm ecclesia fucresceret, omnes, vt maximè de Constantino Cæsare constat, non solùm pretia, sed possessiones ecclesiæ conferebant. Et Vrbanus cano. statim proximo: Videntes, inquit, summi sacerdotes plus vtilitatis posse conferre si hæreditates & agros quos vendebant ecclesijs quibus præsidebant episcopi traderent, eò quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communẽ vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum, cœperunt prędia & agros quos vendere solebant matricibus ecclesijs tradere, & ex sumptibus earum viuere. Hæc ille. Forsan enim tunc nondum per totam ecclesiam inoleuerat tam exacta decimarum solutio, sed illis fortè distributionibus contentus erat clerus, parcissimè tunc viuens. Alia sunt bona quæ postmodùm offerri etiam ecclesiæ cœperunt: non solùm in fabricæ aut pauperum subsidium, sed tanquàm stipendium alicuius perpetuæ capellaniæ. Imò verò fortè præcipuè ad hoc tantùm onus: quæ quidem in ecclesijs nunc collegialibus dicuntur anniuersaria, quorũ institutiones extãt: in quibus nullius oneris habetur mentio aut fabricæ aut pauperũ, sed solius anniuersariæ memoriæ perpetuò celebrandæ. Quibus adiunguntur & quæ episcopalibus sedibus denotata sunt: nempe castra & vasalli: de quibus articu. 5. redibit sermo. Tertium genus bonorum ecclesiasticorum est quotidianæ pitantiæ & oblationes vel pro sacris celebrandis, vel quæ ad pedem altaris fiunt. Quartum denique idque solẽnissimum est decimarum quota iuri clericorum addicta: vt habetur cano. decimas. 16. quæst. 1. & aliis illic pluribus. Et extrà, de decimis. per totũ.

¶Secundò & id quoq; meminisse opus est quòd nascens clericorum ecclesia, cœpit in communi viuere: in quo vitæ instituto nonnihil temporis adoleuit. Ille enim erat decentissimus eorum status si perdurare posset: vt patet ex Canon. Clementis, Dilectissimis. & Cano. citato Vrbani, Videntes. & cano. Scimus. & multis aliis. 12. quæstio. 1. Nam cùm paucitas tunc existeret clericorum & ecclesiarum, poterant sic commodè viuere. Imò & in multis ecclesijs cathedralibus etiam nunc specimen aliquod eiusdem vitæ communis retinetur. Quando autem omnia erant in communi, tunc facultati & potestati episcopi tanquàm legitimi distributoris erant mancipata, vt clero & fabricæ & pauperibus secundùm cuiusque necessitatem illa distribueret: eaq; eam sibi quibus egeret perciperet: vt habetur Cano. citato, episcopus. 12. quæstio. prima. Vbi legitur quòd Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum omni reuerentia & timore Dei. Et cano. statim proximo, Præcipimus, qui est inter canones Apostolorum, habetur quòd si animæ Episcopo traditæ sunt, multò magis oportet eum curam de pecunijs agere: ita vt potestate eius indigentibus omnia dispensentur. Idemque continet cano. citatus trigesimus nonus eorundem Apostolorum. At verò exaucto paulò plus clericorum numero,

Quatuor bonorũ tẽpora liũ genera quibus clerici fruuntur.

Melchiades Papa.

Vrbanus.

Documentũ

Clemens. Vrbanus.

Quando bona eccleſiæ poſsidebantur in communi ad eũm pertinebat eorum diſpenſatio.

mero, vix illa communis vita tolerari poterat. Vnde tempore iam Augustin. in lite erat & sub iudice, vtrùm deberent sacerdotes initiari nisi qui vellent in communi viuere. Quoniam vt primo articulo definitum est, eorum institutum id necessariò non exigit. Sanè cùm paupertatis votum non habeat annexum: neq; verò obedientiæ, quam non quisque in domo sua præstare episcopo possit. Vnde idem August. vt citatur eâdem causa. 12. q. 1. can. certè. fatetur de se statuisse, nullum ordinare clericum nisi qui secum vellet manere: aut si vellet à proposito recedere, illi clericatum tollere. Sed ecce, inquit, in conspectu Dei & vestro muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium quibus non sufficit Deus & ecclesia eius, maneant vbi volunt & vbi possunt: non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas, &c. Cùm autem clerici non cum suo capite vitam communem degerent, cœperunt episcopi infideliter communia illa distribuere. Quare videntes Pontifices non posse vitam retineri communem, facta bonorum ecclesiæ partitione in quatuor portiones singulas singulis addixerunt. Episcopo scilicet vnam, reliquo verò clerò alteram, & fabricæ necessitatisq; ecclesiæ tertiam, ac deniq; quartam pauperibus. Idque fieri cœpit circa annum Domini quadringentesimum septuagesimum: nempe in confinibus temporum Hieronymi, & Augustini. Tunc enim sedit Simplicius Papa, cuius est ille can. de reditibus. 12. q. 2. vbi hæc habetur diuisio. Et post viginti annos sedit Gelasius, cuius sunt canones, Vobis enim. &, Quatuor. quibus eadem diuisio confirmatur. & posteà anno ferè sexcentesimo sedit Grego. cuius sunt canones cognouimus. &, mos. quibus eadem refertur partitio. Hæc tempora eò denotauerim vt sententiæ quæ de hac re Augustin. & Hierony. extant de tempore illo, intelligantur quando in communi viuebatur, omniaque erant sub episcopi dispensatione. ¶ His præmeditatis ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima est. Si quæ modò alicubi extant illius generis bona quæ Christianus populus in subsidium pauperum offerebat, certum est neq; illa neq; eorum fructus posse vel ab episcopo vel à clero in totum vsurpari: sed lege iustitiæ debere distribui: quæ si non distribuantur, ille qui distributionem omittit, ad restitutionē tenetur. Libro enim quarto declarauimus iuxta verbum sancti Thom. 2. 2. q. 62. arti. 1. quòd qui ex debito distributionem omittit, illicò fit lege commutatiuæ iustitię restitutionis reus. Idē & quidē certiùs asserendum est de bonis quæ hospitalibus sunt mancipata. Et hic est vnus verus sensus quintæ conclusionis sancti Thomæ. Quocircà si quippiam bonorum istorum reperiātur episcopi vsurpasse, suæq; applicuisse sedi, ambigi non potest quin ipsa cum fructibus restituere teneantur. Hæc tamen censur limites præsentis negotij exit. Vbi enim contratia iustitia non constat, ille qui bona fide possidet, ab omni restitutione est liber. Quanuis nonnulla sit suspicio quòd castra, & villę, & alię ecclesiarum possessiones fortassè aliquo respectu pauperum fuerint ecclesiæ tributa. ¶ Secunda conclusio ad rem magis pertinens: Prędia, & castra, & vniuersę possessiones, siue episcopali sedi siue canonico collegio siue cuiuis alij prębendæ ecclesiasticæ annexæ, non trāseunt in absolutum dominium episcopi neq; sacerdotis prębendam possidentis: sed tantùm sunt earundem possessionum administratores. Probatur cō clusio. Quia illa neq; vendere neq; alienare possunt nisi de consensu episcopi & capituli, atq; eorum quorum interest: imò sæpe nisi Romanæ sedis accedente consensu: idque in bonum & in perpetuitatem ecclesiæ. Hic est sensus canonis Bonifacij. 12. q. 2. Nulli liceat ignorare, Omne quod Domino consecratur, sanctum sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotum, propter quod inexcusabilis erit omnis qui illud à Domino vel ecclesia aufert, vastat inuadit, &c. Et 12. q. 1. can. expedit. ait, Prosper facultates ecclesiæ non proprias, sed communes esse. Vnde eâdem causa & quæstione, cano. multi. & 16. q. 1. cano. possessiones. & per totam quæstionem: & extrà, de reb. eccle. non alienan. arctissimè cauetur earum alienatio. Hæc cōclusio intelligitur de quibuscunque bonis quomodocunq; ab ecclesia possessis: seu ratione anniuersariæ capellanię seu cuiuscūq; alius clericalis obsequij. Res est clarissima: & de istis in vno sensu intelligenda venit cō clusio tertia sancti Thomæ. Nam de duob⁹ primis nil restat disputandum. ¶ Tertia conclusio. Fructuum ex possessionibus prouenientium, quæ ratione alicuius obsequij clericalis annexę sunt ecclesiæ: nempe anniuersarij aut capellaniæ, clerici pro sua quisque portione sunt verè domini: sicuti & quotidianarum pitantiarum quæ illis pro Missis vel

Augustin.

Partitio bonorum ecclesiæ facta est anno Domini quadringēteſimo ſeptuaſimo.

Prima conclusio.

Secūda conclusio.

Probatio cō clusionis.

Explicatio proximæ cō clusionis.

Tertia conclusio.

vel alijs diuinis exequijs offeruntur. Et hic erit vnus sensus sextæ conclusionis sancti Thom. Conclusionem hanc nescio quis insiciari potest. Enimuerò si eleemosynarũ quæ pauperibus erogantur dominium acquirũt pauperes, non est cur dubitetur quin & eleemosynarum quæ fiunt sacerdotibus fiant & ipsi domini. Eò potissimùm quòd, vt dictum est, nullum susceperint paupertatis votum. Dominia nanq;, vt lib. 4. diximus, non alio æquiori titulo transferuntur quàm libera voluntate transferentis: sed qui eleemosynam pro Missa celebranda vel pro exequijs mortuorum largitur, liberrimè pro illo spirituali obsequio confert: ergo clericum in vero dominio constituit. Neque vllo pacto refert tempora lésne sint tales eleemosynæ & quotidianæ, an verò perpetuæ: scilicet fructus prædiorum & possessionum quæ pro talibus obsequijs mãcipatæ sunt clero absq; vlla pauperum ratione aut ecclesiæ fabricæ.

Ratio primæ conclusionis.

Secunda rõ.

¶ Item stipendia quæ magistratibus ciuilibus pro suis laboribus dantur, vt iudicibus, prætoribus, quin verò & regibus & alijs dominis, verè trãseunt in ipsorum dominium: ergo & illa quæ clericis pro suis obsequijs & muneribus erogantur: cùm ipsi multò pretiosius reipublicæ seruiant. ¶ Quòd si arguas, spiritualia non esse vendibilia, iam tibi superiori lib. responsum est posse clericos ad sui sustentationem stipendia suscipere, & iura quæ sibi pro mortuorum exequijs & alijs officijs stata sunt percipere, atq; adeò eorum dominium acquirere. ¶ Ex his colligitur quarta conclusio de episcopis. Quòd si castra & prædia quæ habent, de quibus arti. 5. dicturi sumus, constet illis non esse adiudicatas sub conditione & modo vt pauperes alãt, sed absolutè ad deferendum eorum sedi honorem & autoritatem: quanuis collatores crediderint beneficos eosdem fore Antistites in pauperes, nihilo minùs fructuũ earundem possessionum sunt veri ac legitimi domini: neque contra rigorem iustitiæ faciunt quomodocunque illas dispendant. Et in hoc sensu etiam verificatur eadem sexta conclusio sancti Thom. Et probatur. Quoniam si ciusmodi possessiones dono illis datæ sunt absq; vlla conditione & oneris vinculo, nisi quòd maneant in perpetua possessione succedentium in sede, nulla est ratio iustitiæ quæ illis prohibeat esse annuorum fructuum dominos. ¶ Contra hæc profectò nescio quis firma aliqua ratione reclamare

Obiectio.

Solutio.

Quarta cõclusio.

Probatio.

possit. De decimis autem tempora distinguenda sunt. Nam de illo quo pro indiuiso possidebantur, & sicubi nunc temporis eo modo possidentur, statuitur Quinta cõclusio. Tunc non erat penes episcopum ita plenum dominiũ quin distribuere partẽ pauperibus teneretur: sicuti & suam clero, & fabricæ suam. Hæc fuit septima conclusio diui Thomæ. Nihilo minùs ambiguitate non caret vtrùm totum decimarum dominium esset tunc penes clerum, an pars penes pauperes. Itaq; tam æquum ius pauperes haberent ad partem suam tanquàm verè illius domini, quàm clerus ad suam, an potiùs totum dominium esset penes clerum, cum illo tamen onere, vt vel misericordiæ iure, vel etiam iustitiæ: tenerẽtur illis dare partem. Et quantum conijcio, communis opinio priorẽ modum tenere cogitat. Tum quòd tanta fructuum copia non censetur soli clero esse addicta: tum quòd diuisio quæ posteà facta fuit attestari videtur, partem semper fuisse pauperum. At verò re oculatiùs inspecta, posterior modus non solùm est multò credibilior, verùm, vt arbitror, certissimus: nempe quòd dominium nõ erat nisi penes clerum. Atq; huius prima ratio hæc est quæ ex superiori libr. colligitur. Decimarum finis alius non fuit quàm ecclesiarum seruitium, sacrorumque ac sacramentorum administratio. Hoc enim sublato quòd ecclesiæ non essent, profectò nullæ essent populo imperatæ decimæ. Atqui eadem ratio inde confirmatur q̃ ea de causa exiguntur à populo euangelico decimæ, quo à Mosaico: illic autem, vt Numer. 18. constat, solùm soluebantur Leuitis & sacerdotibus, neque alia ratione quam ob ministerium templi: atque illius legis instar taxata est ab ecclesia decimarum quota: nempe quòd ecclesiæ nostræ ministri excellentiores sunt antiquis, vt ait sanctus Thom. 2. 2. q. 77. arti. 1. vbi nullam assignat rationem pauperum. Hinc ergo planè colligitur decimarum dominium penes clerum etiam tũc fuisse. Nisi dicas nullum habuisse dominum præter Deum: quod profectò falsum est: quia Deo non nisi clericis conferuntur, & pro eorum obsequio. ¶ Secundò ad idem arguitur. Ius petendi decimas, vt omnium est vna cõfessio, ius ecclesiasticum est: quod ideo penes solos sacerdotes existit: non autem penes pauperes. Imò, vt suprà diximus, neq; ipsi quantuncunque inopes ab earum solutione liberantur: nullum ergo vnquàm

Quinta cõclusio.

Decimarũ dominiũ ante earũ partitionem solũ est penes clerum.

Prima ratio pximæ assertionis.

Cõfirmatio.

Secunda rõ

penes

penes pauperes fuit decimarum dominiũ. ¶ Accedit huc tertiò inuincibile argumentum. ¶ Quòd si intentio ecclesiæ tũc temporis fuisset pauperes in partem dominij decimarum mittere, profectò non solùm signata esset illis sua quota, verùm neq; episcopo fuisset eius solutio commissa. Imò populo præciperetur vt singuli ex suis decimis partẽ adimerent, quàm pauperibus elargirentur. Sicuti in antiqua lege, vt libro superiori vidimus, quilibet separabat decimas pro peregrinis. Quidnam enim opus erat id quod verè erat pauperum, nempe cuius ipsi erant domini, episcopo committere vt illis refunderet? Nunquid non spiritus sanctus cuius nutu regebatur ecclesia bene nouerat non ita multos ferè antistites qui fideles essent futuri dispẽsatores? Quid ergo illis alienum committeretur? ¶ Accedit deniq; quod eleemosynarum ratio, alia est à decimarum. Illa enim, vt eleemosynæ vox testatur, tota est posita in misericordia: cùm decimarum solutionem ipsissima iustitia exigat.

Postrema ratio.

Corollariũ. ¶ Ex his ergo fit consequens, decimarum dominium penes clerum semper fuisse, perinde atque in antiqua lege fuit penes Leuitas, Nã cùm neq; alio paupertatis voto sint sacerdotes nostri impediti, neque eis minores, imò multò maiores, si vigilanter seruiant, labores incumbant, non est cur non perinde atq; illi efficiantur suorum stipendiorum domini. Attamen cùm tunc clerus nõ esset multùm numerosus, & in communi viuens paucis esset contentus, quàm æquissimum erat vt pauperes pro sua facultate alerent: & ideo tenebatur episcopus illam facere distributionem. ¶ Sed adhuc non sedatur animus quo minùs scisciteur quo ad id iure tenerẽtur: iustitięne an misericordiæ. Ex vna enim parte videtur nomen distributionis iustitiæ legem insinuare, ex altera verò, si dominium penes clerum erat, non apparet qua iustitia pauperibus deberentur, sed sola misericordiæ: quæ solet etiam sub reatu mortalis delicti obligare. Enimuerò lex iustitiæ tunc solùm locum habet quando aut alienum possides, vt apparet in furto, aut sub ea suscepisti fide vt reddas, vt apparet in mutuo: quorum neutrum locum habere in præsentiarũ videtur. Respõdetur ergo quòd radix illius distributionis ex misericordia profecta est, non ex iustitiæ debito. Nec parum hoc scire refert, vt in subsequentibus liquebit. Sed tamen quia de superfluo eleemosynam dare præceptum etiam est misericordiæ, vt 2.2. q. 32. author est diuus Tho. & clericorum collegijs superfluere tunc decimarum quota videbatur, adiunctum præceptum creditur, vt sacri canones docere videntur, vt illo modo fieret distributio nulla pro tunc designata quota pauperibus. At quia præceptum semper intra limites misericordię continebatur, vehementer suspicor, libenterq; crederem q omissio pro tunc eiusdem distributionis nõ obligabat ad restitutionem. Et nè videar primus id asserere non modò Adrianus astruere videtur, verùm & mihi sanctus Thom. in præsentiarum insinuare. Nam cùm in quinta conclusione asseruisset quòd vbi distincta sunt bona & sua singulis adiudicata, si episcopus quod alienæ sortis est sibi surripiat, non solùm mortaliter peccat, verùm ad restitutionem tenetur: in explicatione tamẽ septimæ, quæ vbi non sunt distincta loquitur, primùm ait quòd modicus defectus nõ creat culpam: secundò quanuis grandiorem defectum culpę attribuat mortali: tamen de restitutione nullum adiecit verbum. Quod quidem etsi Caieta. nescio quo aliorsum diuertat, certò tamen crediderim consultò de restitutione subticuisse: eò quòd vbi bona indistincta sunt, solum præceptũ misericordiæ agnouit: non autem iustitiæ. Sicuti vbi portio aliqua hospitalis adiudicata est, aut fabricæ, aut aliter pauperibus. ¶ Sexta conclusio ad quam præsens disputatio festinabat, tandem constituitur. Post factam ecclesiasticorum fructuum diuisionem episcopus verè est dominus portionis quæ sibi contigit: neq; vllo iustitiæ: vinculo quicquã illius pauperibus aut cuiuis alteri debet. Conclusionem hanc, vt suprà dicere cœperam, non eo animo affirmauerim vt ad minores eleemosynas eos crediderim obligari, quàm qui in diuersa sunt opinione, vt articulo sequenti patebit. Sed quòd legitimũ ius ab eo quod legitimum non est pro meo captu discernã. Est autem contra duas non nihilo differentes opiniones asserenda: primùm videlicet contra primam recitatarum Alexandri & quorundam iurisconsultorum, qui hæreticum in iure arbitrãtur vllum penes clericos esse ecclesiasticorum fructuum dominium. Deinde contra tertiam Caietan. qui opinionem diui Thom. moderatus, excipit casum vbi decimarum copia exuberans est, Et primùm quòd hæc fuerit sancti Thom. opinio, clarissimè ex sexta eius conclusione constat:

Dubitatio.

Ratio dubitandi.

Responsio.

S. Thomas.

Adrianus.

Sexta cõclusio.

quæ

quæ fermè idem est quæ hæc nostra: quippe vbi ait: De his quæ specialiter episcopi vsui deputata sunt, eadem esse videtur ratio quæ de proprijs bonis: vt illic declarauimus. Et vt articu. 6. vt in solutione tertij adnotauimus, cùm argutum esset episcopos, saltem quantum ad stipendia suarum functionum, debere esse voto pauperes, id negauit, ac perinde concesit eorum habere proprium dñium, quod voto paupertatis opponitur. At verò nõ est sola diui Tho. autoritas, quãuis sola esse posit quæ hanc opinionem persuadeat.

Prima ratio cõtra priorẽ opinionẽ ne gãtem epis dominium suæ portiõis

¶ Arguitur ergo primo cõtra primã opinionẽ quæ omne prorsus eiusmodi dñium denegat, ex ipsa iuris diuisione. Diuidere nãq; ecclesiasticos fructꝰ in quatuor partes, nihil aliud effingi potest fuisse quã suę cuilibet dominiũ adiudicare: ergo sicut reliquus clerus dominiũ habet suæ partis, & fabrica suæ, & pauperes suæ (vbi designata est) ita & epṡ habebit suæ: Nam profectò discrimẽ excogitari nequit vllum. Sed probatur antecedẽs. Et eñ quia ecclesia, vt dicebamus, more & vsu experiebatur epos in distributione fidẽ frangere, abstulit eis distribuendi arbitrium: & ideò nè plus iusto caperent, cõsignata est illis portio qua viuerent: atq; adeo suo dominio addicta, sicuti & suæ singulis aliorum. Et ita tenet glossa super cap. duo sunt. 12. q. 1. Et facit ad id cap. peruenit. extrà, de fideiussori. vbi præcipitur de beneficiorum fructibus satisfieri clerici creditoribus: quòd si non essent fructuum domini, non præciperetur.

Gloſſa.

Secũda rõ.

¶ Secundò arguitur. Si per illam diuisionem non esset episcopo suæ portionis dominium adscriptum: sed perinde teneretur eandem distribuere, atque anteà totum, frustranea profectò esset diuisio. Cùm ergo non frustrà facta sit, sed vt cuique sua certa esset portio, manifestè colligitur perinde ei applicatum esse dominium suæ sortis, ac reliquis dominia suarum. Vnde in capi. citato, vobis enim. 12. quæstio. 2. eisdem verbis explicatur episcopi portio atque aliorum. Ait enim Gelasius: Antistes, de quatuor portionibus vnam sibi tollat, aliam clericis pro suo iudicio & electione dispertiat, tertiam pauperibus, fabricæ verò quartam. Quid ergo est, sibi tollat, quàm sua sit? sicuti & reliquæ aliorum. Vnde posteà successu temporis factum est vt episcopo prorsus fuerit adempta distributio, sed ex ipso cumulo fabrica suam partem capit, & clerus suam. ¶ Tertiò arguitur. In cunctis reipublicæ magistratibus creandis illa semper habetur ratio vt stipendia eis discernantur iusta, quorum porrò domini fiunt. Cùm ergo episcopatus inter omnes tam ciuiles quàm ecclesiasticos præstantissimus sanè sit, ac maximè necessarius, iniquissima esset eius conditio si non eodem iure episcopo decretũ esset stipẽdium cuius verè esset dominus. Neque obstat q̃ sit ipse pater pauperũ. Necessitudo enim hæc eam illi obligationem adiungit, quemadmodum articulo proximo explicabimus, vt in pauperes sit de sua substãtia præ sæcularibus diuitibus beneficus & misericors. Nam & diuites huius seculi, vt ait Paulus, tenentur etiã in pauperes esse benefici: de suo tamẽ. Quin vero si in similitudine persistere volumus, pater etiam omnium quæ tribuit filijs, verè dominus est. ¶ Quarto, idq; porrò vehementissimè, arguitur. Si vera est opinio omninò negantium episcopis ecclesiasticorum fructuum dominiũ, cõsequẽs subinde fit (quod ipsi liberè fatentur) nullam eis certam partem esse applicatam, sed tantum indultum vt pro ratione sui status fructibus victitent: quicquid autem supererit rigore iustitiæ, tãquàm veris dominis, egenis conferant: hoc autem consequens profectò incredibile est. Fac enim quartam partem fructuum episcopi attributam, decem milia ducatorum valere. Et quæro an totam summam possit suis vsibus insumere? Concedis fortè vbi pro ratione sui status illud fuerit necessarium: sin minùs, non potest, nisi quantum est ei necessarium. Quòd autem solutio hæc consistere non possit, probatur. Primum non constituis certam regulã per quam debeat status decentia iudicari: nã si regula sit, ecclesiæ amplitudo & maiestas, profectò illa non est certa: nam solet aliqua ecclesia esse magnæ auctoritatis, ac numerosissimi populi, quæ tamen non ita est prouentuum temporalium diues: atq; alia multò minoris auctoritatis, longè tamen ditior. Quapropter episcopus qui ditior est, non est cur non possit amplioremalere familiam, & maiores facere sumptus. Ecquis enim renuat, quin episcopi Hispaniæ possint splendidiorem domum sustẽtare, q̃ Itali? quippe qui bis & ter decuplo locupletiores habẽt ecclesias. Si aũt decẽtia status pro ratione fructuũ ęstimari debeat, pfectò neq; illa est satis fida regula: nã posset vice versa ecclesia esse tã paruæ auctoritatis, vt nõ requireret in epo maiorẽ, etsi ditior esset. Sed hoc admisso neq; inde põt haberi certi

Gelaſius.

Tertia,

Quarta ratio ad idem

tudo

tudo. Nam quis debet sumptus quos episcopus potest facere admetiri. Etenim si dicas ad prudentiam boni viri id esse deferendum, inter bonos & prudentes est opinionum varietas. Exempli gratia de episcopo Salmantino forsan quis prudens satis iudicabit vt sumptus faciat quatuor milium ducatorum,& alius concedet ei sex, & alius octo. Cuinam ergo sententiæ debet episcopus stare? ¶Imo, quod euidentius est argumentum, demus secundùm omnes prudentes posse consumere octo milia: quare si habeat duodecim, satis est vt in mendicos quatuor milia effundat. Forsan vult parciùs viuere, & non expendere nisi sex milia. Tunc vtrùm illa duo milia quę supersunt teneatur de iustitia dare pauperibus? Si negatiuè responderis, iam illum concedis habere plenum dominium octo milium ducatorum qui ad suũ statum sunt necessarij, atq; adeò si voluerit fraudare genium suum, illam superstitem quotam poterit pro suo libito expendere, vel in consanguineos, vel in alios licitos vsus citra scandalum: quod nos probare contendimus. ¶Si verò respõderis quòd dum nõ consumit nisi sex milia, reliqua duo debet de iustitia pauperibus: eâdem ratione affirmare perrexeris quòd si ex octo milib⁹ quæ expendere in proprios vsus licitè poterat, nõ vult, quia parcissimus est, expendere nisi quatuor, cõtinuo debet pauperibus reliqua quatuor: & si nõ vult expẽdere nisi duo, debet reliqua sex. Ex quo consequitur, eẽm respectu suorũ bonorũ nihil aliud esse quã conuiuam sedentem ad alienam mensam, cui tantùm cõmedere licet quãtum libuerit, sed nihil ampliùs percipere: quod profectò nescio quis quantum ad rigorem iustitiæ concesserit. Nam de officio misericordiæ nihil modò loquimur. Porrò enim si ecclesia cũ bona in quatuor partes diuisit, hoc facere cogitasset, non illam præstitisset prudentiam, quã certum est instinctu Spiritus sancti habuisse: nam legẽ iustitiæ quæ constitutissima esse debet, in ambiguo reliquisset: vt pote in humano arbitrio, quod maximè est variabile. ¶Sed ecce aduersariorũ Achilles: Populus Christianus ad nihil ampliùs sacerdotib⁹ tenetur q̃ illos alere ac sustẽtare: ergo non aliter illis debuit prouideri q̃ ꝙ necessaria caperẽt: reliqua verò pauperib⁹ redderẽt. Ad verò illatio hæc fallacissima est: nã etsi nihil pl⁹ eis debeatur q̃ sustẽtatio, tamẽ ratio prudẽtiæ exigebat vt certũ stipendium arbitrio ecclesiæ illis ad eandem sustẽtationẽ destinaretur: porrò cuius essent veri dñi, vt illis neq; liberũ sit quãtum libuerit capere, neq; rursus inquieta conscientia metum incutiat an plus capiant, q̃ sibi cõgruat. Sic enim res habet in republica ciuili. Nil inquã ampliùs publicis magistratibus, nempe senatoribus, ac iudicib⁹, quin verò regibus debetur q̃ sustentatio pro ratione & obsequio quod reipublicæ impendunt: & tñ singulis decreta sunt præscriptaq; certa stipẽdia: aliãs eñ nõ esset bona prouidẽtia. ¶Quintò arguitur. Si epis omne adimitur ecclesiasticorũ fructuũ dominiũ, eâdem ratione & reliquis sacerdotibus & toti clero adimi debet: qd profectò nemo audet dicere: imò Caie. hic reliquos sacerdotes fatẽ habere verũ dñium, nec teneri de iustitia sua distribuere bona. Quòd tamẽ eadẽ sit ratio, patet: quoniã nõ est cur eps vilioris hac parte sit cõditionis q̃ reliq parœcia ni sacerdotes, atq; alij aliarũ dignitatum. Eò vel maximè ꝙ sua eis quarta addicta est, sicut reliquis suæ. ¶Item vix percipere istorũ possum opinionẽ. Aiunt enim epos nõ esse dños suæ portionis: nihilo minùs satis esse vt quartã partẽ dent pauperibus. Quid ergo vbi pauperes suã habent quartã? Imò si non habeant, cur non ex toto cumulo illa quarta succidatur, vt antè quã fieret diuisio, sed ex sola epi portione. Adde ꝙ iam aliarum trium faciunt eum dñm. ¶Sed aiunt: Credũtur episcopi sortẽ pauperum sibi applicuisse. At verò hoc non ita certa ratione constat. Imò (quod nõ crediderim ratione vacare) cũ illa quarta pars pauperum, fundamẽtum vt suprà diximus, non habuerit in decimarum iustitia, sed tantùm in misericordia: vtpote quia ipsarum cumulus superfluere censebatur, fortasse ĩ alia ecclesiastica beneficia mutata est: & ideo disperiit. Est enim hoc ad istorum intellectum apprimè obseruandum, ꝙ alere ex decimis pauperes, nõ est ius diuinũ, neq; naturale, sed merum ecclesiasticum positiuũ, idq; misericordiæ: ob idq; ecclesia potest illud variare. Nam pauperes naturali ac diuino iure alia via sunt præter decimas sustẽtandi. Ad cuius quidem coniecturam accedit quòd præter sortẽ episcopi, & fabricæ, & clericorũ, videmus plures alias à decimarum aceruo decisas: vt sunt sacerdotia quæ appellant præstimonia: quæ quidem multò maior pars est, quã quæ episcopũ contingit. Nam esse plurimũ consueuit tertia pars totius aceruũ: quæ quidẽ beneficia nulla extat memoria

cõfirmatio.

Obiectio aduersariorũ.

Solutio.

Quinta ratio.

Suffugium aduersariorum.

memoria qua fuerint ratione instituta: sed suspicari solet (nã certa cõiectatio nulla est) q̃ ad alendos pauperes in studio fuerit desti nata. Etenim quid aliud in ecclesia isti facere teneãtur, non legitur. Vnde cõiectura fit q̃ illic fuerit portio pauperũ assumpta. Imò verò forsan etsi sub prætextu studij fuerint illæ præbẽdæ institutæ, suspicione minimè caret, nõ aliam habuisse radicẽ, q̃ q̃ exuberantibus ecclesiasticis prouentibus ambitio humana ad illos anhelauit, & sedẽ apostolicã improbitatib⁹ deuicit, vt illas p̃bendas ex decimarũ trũco amputaret. Prętereà iam in Hispania & alijs prouĩcijs bona portio pro regib⁹ excipit. Nõ ergo est cur iam modò to tũ onus alẽdi pauperes ex fructib⁹ ecclesiasti cis, quantũ ad rigorẽ iustitiæ attinet, in eos reijciat. Quãuis suauissimo, eisdẽq; peculiari misericordiæ onere, non sint exonerandi.

Postrema ratio.

¶Postremũ deniq;, & quod rem concludat argumẽtum cõtra aduersam opinionẽ infor metur aduersus restitutionẽ ad quã isti aiũt episcopos teneri, si quidquid illis supereſt, pauperibus nõ restituãt. Qui enim dicunt ri gore iustitiæ, tanq̃ veris dominis, pauperib⁹ id deberi, subsequẽter dicere cogũtur q̃ aliter facientes ad restitutionẽ teneantur. Quòd autẽ cõsequens ineptè, atq;, vt bona venia di xerim, inaniter concedatur, arguitur. Valeat verbi gratia, vt dicebamus, Salmãtinus episcopatus pro quarta parte quę sibi sorte obtingit decẽ milia ducatorum, quorum sex ad suam sustentationem secundùm suam dignitatem necessaria sunt. Et fac reliqua quatuor quæ pauperibus debebat, illis præsenti anno subtraxisse, & in alios prodegisse proprios vsus: Tunc anno subsequẽti vnde restituet? Nam sex pro sua sustentatione indiget & alia quæ supererunt quatuor, pauperum sunt: nil ergo habet vnde restituat. In summa, Si quidquid episcopo quotannis supra necessarium redundat, pauperum lege iustitiæ est, vnde quęso episcopus, quod pauperibus semel ademit posteà restituet? Nisi forsan alia habuerit bona patrimonialia: aut nisi dicas debere de parte sibi necessaria suum fraudantem genium illa quæ pauperibus debet abscindere: quod non est cõcessu dignum. Porrò ergo opinio hæc nulla tenùs videtur rationi consona. ¶Ex his diluta euadit alia quæstio: videlicet vtrùm illi quibus episcopus sua bona fuerit malè elargitus, siue consanguinei fuerint, siue alij extranei, ad restitutionem teneantur.

Illi nanque qui episcopum non faciunt dominum, id quidem affirmant: nisi illi tanquàm pauperes illa receperint. Attamen si episcopi verè sunt domini, vt probatum est, quanuis contra præceptum misericordiæ, exiguitate & nimia parcitate eleemosynarum mortaliter delinquant, & sua bona aliter profundant, etiam in malos vsus, verè dominia transmittunt. Quocircà qui illa recipiunt, ad restitutionem minimè tenentur. Atque idem ante nos sensit Adrianus. Et patet exemplum. Dum enim quis cuipiam in extrema necessitate constituto succurrere prætermittens, idquod illi præbere tenebatur, alteri diuiti prodigè contulit, neque ipse neque ille qui recipit vllatenùs fit restituendi reus. ¶Restat ergo examinanda Caietani opinio quam suprà diximus medium tenere locum. Vtitur enim hac distinctione: nempè quòd dum reditus episcopales aut tenues sunt tantumque sufficientes episcopo, aut mediocres, ita vt sint parum abundantes, non tenetur de iustitia illos distribuere. Sed omninò inquit iudicandum est tunc de istis ac præbendis aliorum clericorum, quæ ad ipsorum sustentationem deputatæ sunt. Atque hactenùs videtur tenere cum sancto Thoma: videlicet quòd perinde illorum bonorum sint episcopi verè domini, vt aliorum quæ sunt sibi propria. Quando verò huiusmodi fructus supra id quod eis necessarium est, multum redundant, tenentur, inquit, etiam quotam quæ sibi obtingit, in tres partes diuidere, quarũ vnam largiatur fabricæ, atque alteram pauperibus: siquidem clerici iam habent suam. Probatio eius est duplex. Prior, quòd tunc in sapientis animum cadere non potest, q̃ tanti fructus episcopo sint assignati pro sua sustentatione: & ideo fabrica & pauperes nõ sunt, inquit, fraudãdi in sua quota. Posterior verò ratio est quã tetigerat. 22. q. 77. ar. 1. vbi censuit decimã partẽ fructuũ longè illã proportionẽ exuperare, qua se habẽt clerici ad Christianũ populũ: quippe qui vix sint quadragesima eius pars. ¶At verò opinionẽ hãc in primis Caie. ex diuo Tho, elicere nequiuit: quippe qui in. 6. cõclusione simpliciter ait, de his quę epi vsui sunt deputata, eãdẽ videri rationẽ quę de proprijs bonis. Et diuus Antonin⁹. 3. par. titu. 20. c. 8. idẽ simpliciter sentit. Quin verò hæc opinio Caieta. noua est, quæ præter ipsum neminẽ habuit auctorem. Siquidem omnes in altero duorũ

Epũs bona suæ portionis prodigẽs adrestitutionẽ minimè tenetur, neq; illi quibus sunt collata.

Opinio Caie.

Ratio prima Caietani.

Secunda.

Antoninus

extremorũ simpliciter persistant: nẽpe aut q̃ episcopi nullum habeant dominium, aut q̃ suæ portionis simpliciter dominio fungãtur. Præterea diuersa Caieta. immiscet in hac opinione. Primùm enim ex eo solùm q̃ fructus episcopi sint multùm abundantes, videtur colligere q̃ teneatur illos in fabricam & pauperes dispertiri. In ratione autem qua id probat aliorsum diuertit: nempe quòd fabrica & pauperes non sunt defraudandi à suis partibus: nimirũ insinuans, fabricã tunc & pauperes nullas habuisse partes. Quò ergò perspicuè cõtra ipsum arguamus, interrogatur ab illo quomodò intelligat fructꝰ episcopi esse nimiũ abundãtes. Aut ẽm intelligit q̃ eiꝰ quota maior sit quã quarta: nẽpe quia fabrica & pauperes nullã habent portionẽ, vt ratio eius insinuat: & tũc ratio quę illũ cogit & fabricę & pauperibus prospicere, nõ est q̃ fructus eius nimiũ abundẽt, sed q̃ prę sumat portiones fabricæ & pauperũ sibi iniquè applicuisse: cuiꝰ tñ nõ inde semper cõiectura cõperta fit. Nam forsan portio pauperũ, vt suprà diximus, in aliud beneficiũ fuerit mutata: aut fortasse canonici sibi surripuerũt: aut fortasse fabricæ & pauperibus aliter fuerit prouisum. Hoc autẽ accidẽtariũ est ad propositum. Si autẽ intelligat eiusmodi fructus nimiũ esse abundantes, non ratione diuisionis: nempe q̃ maiorẽ quotã habeat q̃ deberet: sed quia ecclesia ipsa est pinguis, & ideo portio epi crescit sicut aliæ portiones: tunc grauare potiùs episcopũ q̃ clerum vt de sua portione rigore iustitiæ debeat prouidere fabricę aut pauperibus magis q̃ alij clerici, nulla persuadet ratio. Nam id quod accidentarium est, non mutat substantiam iustitiæ: quòd autẽ fructus vno anno sint benigniores, alio verò maligniores, aut q̃ vna ecclesia fit alia pinguior aut exilior: poterit quidem augere aut minuere vim præcepti misericordiæ, si plùs minúsve superfluit: non autẽ rationẽ iustitiæ. Ecclesia nanq; non fecit diuisionem ex futura varietate pendentem, sed absolutè dedit episcopo quartam, quidquid in futuro foret euentu: & ideo vbi pinguiores sunt decimę, pinguior etiam est episcopatus: & pluris episcopus secundùm suam decentiam indiget. Quocirca, vt ad priorem rationem Caieta. respõdeamus, negatur hoc non posse cadere in sapientis animum.

Primum argumentum in Caietan.

¶ Secundò arguitur. Si eiusmodi fructuum exuberantia iustitiam mutaret, sequeretur q̃ etiam si pauperes haberent suam portionem & fabricam suam, nihilo minùs de iustitia eps teneretur de sua illis portione conferre: Imò verò si postquã semel eis contulit, id quoq; quod restat esset superfluens, eadem lex iustitiæ cogeret vt iterum daret: & sic relabendum esset in primam opinionem, quæ omne episcopo dominiũ denegat: sed asserit quidquid illi supereſt, de iustitia deberi pauperibus. Quare profectò illa media opinio Caiet. ægriùs sustineri potest, quàm prima.

Secundũ argumentum.

¶ Ad secundũ autẽ argumentũ Caiet. in hoc persistentis q̃ decimarum quota exuberans sit respectu proportionis quam clerus habet ad reliquum populũ, partim libr. 9. sub tit. de deci. partim nunc proximè respõsum est. Vellẽ ẽm ab illis qui hoc opinant cõsiderari q̃ cũ in illo tã numeroso populo q̃ iustũ faciebat regnũ nõ nisi vnicũ esse tẽplum in quo nec sacramẽta gratiã conferentia administrabant, neq; corpus sanguisq; Dei adorabatur, & nihilo minùs duodecima gentis pars eius seruitio erat mancipata, decimaq; pars fructuũ non in subsidium pauperũ, sed liberè tanq̃ eius stipendiũ addicta: cur in nra sacrosancta religione in qua tam innumera sunt tẽpla, & in quibus tam longè excellentiùs Deus colitur, excessus existimabitur si tot sint epi, eaque dignitate & autoritate viuãt, tam amplusq; nutriatur clerus qui non tantũ administrandis sacramẽtis, curæque animarũ gerendę sufficiat, verũ ecclesijs assistendo cantandoq; seruiant. Tolle maiestatẽ illã sacerdotum in cathedralibus reliquisq; ecclesijs, illosq; cãtus qui sine sacerdotũ numero modulatus esse nequit: & animo perspice quo loco haberetur Christiana religio. Quòd si talis religionis apparatꝰ necessarius est, profectò neq; decimarũ quota supfluit: Eò vel maximè q̃, vt proximè dicebamꝰ. tãtæ iam portiones ad sęculares titulos sint inde succisę. Fateor equidem, vt illic dicebam, tum in ordinatione sacerdotum, tum etiam in sacerdotiorum præbendarumque prouisione, quàm maximè abusus patére. Attamen si pro rei dignitate secundumque diuina iura hæc fierent, ipsique ministri loca sua fideliter tenerent, atq; in pauperes essent misericordes, nulla fieret occasio reliqua aduersus decimarum quotã & nõnullas ecclesiarũ diuitias obmurmurandi. ¶ Per hæc rursum quæstio dissoluit, quę ad me aliqñ plata est. Sũt enim multa bona ecclesiastica in titulũ sæcularẽ transmutata: vt paret de regijs tertijs. Quin verò totę decimę aliquarũ ecclesiarum:

rum: vt patet de templariorũ bonis & multis alijs quæ illustribus dominis adiudicata sunt, ac iure successionis à sæcularibus possidentur. Dubitari ergo potest an illa de iustitia sint pauperibus pro sua portione obnoxia. Sed est responsio negatiua. Nam totum ius quod pauperes ad decimas habent est positiuum & ecclesiasticũ, super quo Papa dispensare potest: & ideò cùm ratione alia qua bona ecclesiastica sæculari titulo asscribit, libera relinquit.

Bona ecclesiastica in titulũ sæcularem trãslata pauperibus nullatenus sunt ob noxia.

Ad primũ argumentũ

PRo solutione autem argumentorũ: nempe autoritatum sanctorum quas vim magnam ostentare prima facie fateor. Notandum est primò quòd cùm auaritia, vt aliàs diximus, altera sit iustitiæ contraria, quæ propriè furtum & rapina nominatur, altera verò liberalitati, sanctis patribus illa familiaris est Hyperbole, vt auaritiam contra liberalitatem ac misericordiam, quæ est erga pauperes exercenda, rapinæ etiam nomine denotent: propterea quòd in necessitate omnia communia censeant quo ad vsum. Idq; non tantùm in clero: verùm etiam in sæculari populo. Quanuis de hac re acerbiùs merito fugillent clericos, ac potissimùm episcopos, vt articulo proximo videbitur: eò quòd eleemosynarum præcepto arctiùs perstringuntur. Quare hoc genus rapinę, restitutionis vinculum minimè secum affert. Item notandum, multa apud sanctos patres reperiri dicta de statu clericorum in cõmuni viuentium, quę tempori factæ diuisionis non congruunt, multaq; alia quæ consilia duntaxat sunt, licèt illa sint emphasi exaggerata vt formam præ se ferant præceptorum. ¶ Per hæc ergo argumenta dissoluuntur. Nam vt ab auctoritate Ambrosij exordiamur, in fronte præcedentis articuli citata, & distinc. 47. canon. Sicut hi. quæ rem plurimùm elucidat, qua ait: Proprium nemo dicat, quod est commune: manifestum est non propriè de clericis aut episcopis loqui, sed generaliter, vti ait diuus Thom. de omni Christiana familia. Ad quemcunque enim auarum ait, Quid propria dicis quæ in hunc mundum non attulisti? Ad omnes ergo subdit: Proprium nemo dicat, quod est commune: Plus quàm sufficiat sumptui, violenter obtentum est. Cuius simile ait Hieronymus, vt refertur. 42. canon. hospitalem. Aliena, inquit, rapere conuincitur qui vltra necessaria retinere probatur. Erat enim illorum sanctorum idiôma vt quidquid superflueret, commune censerent, quantum ad vsum. ¶ Quocircà id etiam quod in secundo argumento eiusdem articuli citatum est, ex eodem Hierony. super illud Isaiæ: Rapina pauperum in domo vestra: videlicet quòd bona ecclesiastica sunt pauperum, propemodùm de sæcularibus etiam dixisset: nam verbum Prophetæ de omnibus intelligitur qui eleemosynas subtrahunt, quando erogare debent. Quanuis alia sit glossa quam Diuus Thomas insinuat: nempe quòd nomine pauperum nõ solùm sæculares pauperes veniant, verùm & clerici ipsi. Vnde sicuti dum in communi episcopi cum suis viuebant necessaria sibi capere poterant, ita dum facta est diuisio, de qua Hieronymus non loquebatur, episcopus dominium acquirit suæ portionis, sicut & reliquus clerus suarum sortium. ¶ Similiter respondendum est ad ea quæ in fronte præsentis articuli nos obiecimus. Ad primum nanque respondetur verbum Domini, Dignus est operarius mercede sua, aut cibo suo: non tollere quin possit episcopus dominium acquirere illius portionis quæ arbitrio ecclesiæ pro eius sustentatione taxatur. Verbũ autem Pauli quòd habentes alimenta & quibus tegamur contenti simus, non de clericis tantùm, sed vniuersaliter de omnibus etiam sęcularibus intelligitur. Loquitur enim illic contra diuites huius sæculi. Ad aliud autem quòd Apostoli sine pera missi sunt, iam suprà responsum est. ¶ Ad secundum, nempe ad auctoritatem Prosperi, cano. expedit. 12. quæst. 1. videlicet facultates ecclesię nõ esse proprias, sed in cõmuni possideri: & ad similes canones eiusdẽ causę & quæstionis respondetur intelligi quantum ad possessiones, quas, vt dictum est, neque distrahi neq; alienari licet nisi in bonum ecclesiæ. Quòd si intelligatur de fructibus, vt loqui videtur can. episcopi, vt scilicet quòd quidquid de prouisione ecclesię fuerit, siue de agris, siue de fructibus, siue de oblationib⁹, omnia iure ecclesię sunt seruanda: referendum est ad tẽpus quo clerici in communi viuebant. De quo etiam loquuntur canones. res. &, episcopos. ¶ Dictum autem Augusti. quod est ad Bonifaci. comitem, & citatur. 12. q. 1. cap. final. Profectò etsi ad ecclesiasticos illud applicet, etiam ad sæculares propemodùm attinere sentit. Nam inducit in illa epistola misericordiæ

Duplex modus auaritiæ apud sacros doctores.

S. Thomas.

Ad secũdũ

Ad Aug.

præceptum, quo singuli quæ propria possident, communia quantum ad vsum facere debent: sed quia loquebatur illic contra Donatistas qui conquerebantur bonis suis mulctari, ait, quòd si ad ecclesiam reuerti voluerint, omnia illis fient communia, etiam illa quæ priuatim ecclesia possidet. Quod autem ipse ait in canon. decimæ. 16. quæst. 1. nempe quòd qui decimas non soluit pauperes enecat, ad tempus referendum est quo in communi viuebatur. Tunc enim decimis pauperes tam sęculares, quàm clerici alebantur. ¶ Postrema auctoritas Hierony. ad Damasum, quę refertur. 16. q. 1. c. quoniam. singulare iurisconsultis negotium facessit, vtrùm nõ solùm episcopi, verùm alij clerici qui bonis paternis aut alio ciuili iure acquisitis abundãt, possint de bonis ecclesiasticis viuere. Ait quippe illic Hierony. clericos qui sęcularibus bonis affluunt non posse bonis pauperum ali. Imò sacrilegium cõmittere, & per abusionem talium iudicium manducare & bibere. Cuius simile habetur in can. clericos. & can. pastor ecclesiæ. 1. q. 2. Est autem apud Panor. dubium quartum. q. 4. in libello suarum quæstionum. Sed profectò non erat quæstio digna tam longa disputatione: quandoquidẽ vniuersalis ecclesię vsus illam affirmatiuè decidit. Præterquam q & rationes & canones eandem sentẽtiam confirmãt. Enimuerò cùm ecclesiasticæ prębendę ceu stipendia sint ecclesiasticarum functionum, nil obstat quo minùs clericos, etsi aliundè valeant vitam ducere, possint, vti ait Paul. tanquàm triturantes boues de area pasci. Vnde. 1. q. 2. ex concilio Agathen. can. clerici. habet sine exceptione, q clerici omnes qui ecclesię fideliter vigilanter q; deseruiunt, stipẽdia sanctis laboribus debita cõsequantur: iuxta verbum Apostoli, Qui spiritualia seminat, nõ est magnũ si temporalia metat. Et iure permittit vt sacerdos propria bona possit, si libuerit, hęredibus relinquere, & de euangelio viuere. Imò sic habet vsus. Quare episcopi debent illa quæ ad sua patrimonia pertinẽt scribere, vt habetur can. manifesta. & can. sint manifestę. 12. q. 1. vbi permittit vt eis si libuerit liceat ea suis agnatis ac necessarijs relinq̃re. Accedit & diuisio facta in cap. quatuor. &, de reditibus. vbi absque discrimine episcopo adiudicata est quarta pars. ¶ Duabus ergo solutionibus, licet Panorm. plures congerat, dicti canones sunt cõtenti. Prima est quam diuus Thom. arti. 7. reddit: nempe dicta illa Hierony. intelligi in extrema pauperum necessitate. Cùm enim tunc etiã sæculares teneantur quidquid possunt elargiri: multò ęquiùs episcopi patrimonijs pollentes debent ecclesiastica pauperibus impertiri. Altera forsan est solutio quæ colligitur ex dicto cap. sacerdos. 1. q. 2. & ex. c. illi autem. 12. q. 1. nempe quòd Hiero. loquebatur de illo ecclesiæ statu quãdo clerici in communi viuentes omnia sua bona in vnũ aceruũ conferebãt. Dabatur enim eis optio vt vel bona quæ habebant parentibus suisq; necessarijs relinquerent, & de ecclesiæ fructibus cum reliquis pauperibus vitam ducerent, aut si mallent, sua retinerent quæ illis sufficerent: sed tamen sumptu parcerent eorum quæ in communi possidebantur.

Panormita.

Clerici aliũ dè idoneum habẽtes vicũ possunt de bonis ecclesiasticis viuere.

Concilium Agathense.

Gemina solutio citati canonis.

D. Thomas.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm singulari iure teneantur episcopi præ secularibus diuitibus ad eleemosynarum subsidium.

POstquàm de dominio ecclesiasticorũ fructuũ visum est, sequitur vt de eleemosynarũ iure quo episcopi tenentur, quartus subdatur articulus. Arguitur enim quòd non arctiùs ecclesiastici teneãtur quã sæculares: nam si perinde veri sunt suorum fructuum domini ac sæculares suorum, nulla supereſſe videtur ratio quæ illos arctiùs perstringat quàm sæculares. ¶ Secundò: Officium misericordiæ extra extremam necessitatem nõ obligat nisi de superfluo: sunt autem multi sęculares diuites, quibus affluẽtiora sunt bona, plusq; suo statui superfluentia quàm episcopis: ergo nõ ipsi in vniuersum districtiori eleemosynarum iure tenentur. ¶ In contrarium autem est quòd episcopi peculiariter sunt patres pauperum. Vnde ad Nepotianum Hieronym. quod refertur. 12. quęst. 2. Gloria episcopi est, pauperum opibus prouidere: ignominia sacerdotis est, proprijs studere diuitijs.

Primum argumentum

Secundum.

Hieronym.

HActenùs de rigore iustitiæ loquuti sumus: secundùm quẽ pro captu nostro aliud censere nequiuimus, q̃ quòd episcopi suæ sint portionis domini. Nã propter nullum misericordiæ opus veritas iustitiæ, aut negãda est, aut occultãda: sed nihilo minùs,

vt

vt illic dicebam, non erat nobis animus in eâdem confirmanda veritate, episcoporum, sacerdotumque conscientias eousque eleuare vt maligniores sint, cordisque durioris in pauperes. Imò verò, vt meum de hac re iudicium expromam, longè eos vrgentiùs, si id mihi auctoritatis arrogaretur, astringerem, quàm multi alij quos vidi alteram opinionem sequutos. Conueni inquam multos tenentes, episcopos non esse dominos, sed de iustitia quidquid eis exundat debere pauperibus: nihilo minùs satis esse asseuerantes si sextam aut quartam partem egenis largiantur. Imò audias aliquos qui prælatum habentem centum milia ducatorum, satisfeciſſe existiment si sex aut decem milia tribuat: quod profectò ego mihi persuasum habebo nunquàm. ¶Tribus ergo conclusionibus ad quæstionem respõdetur. Prima est quæ ex superiori articulo subinfertur. Neq; episcopus neq; sacerdotum vllus illius portionis quæ sibi contingit, ea iustitiæ lege ad eleemosynas obligatur, vt si quas omiserit, ad restitutionem teneatur. Enimuerò si verum est quòd per celebrem ecclesiæ diuisionem adiudicatũ eis est suæ portionis absolutũ dominium, non alio iure tenentur de illa ad eleemosynas q̃ de alijs bonis: vt sexta nostra conclusione, quam etiam monstrauimus esse sancti Tho. adnotatum à nobis est. Exceptus hinc tñ cẽsendus est semper casus quo vehemẽti suspicione laboratur, eꝑm aliqua bona seu fabricę seu hospitalib⁹ aut alia ratione pauperib⁹ cõsignata, sibi applicuisse. Tunc enim certum est, iustitiæ lege ad restitutionem teneri. Extra tamen eiusmodi casus liberi sunt ab illa distributionis forma & vinculo, quo dum in communi viuebant tenebantur: atq; adeò nullo constringũtur iustitiæ præcepto. ¶Secunda conclusio. Mandato misericordiæ quo vniuersi, vti. 22. q. 32. autor est sanctus Thom. & grauium Theologorum pleriq; , ad eleemosynas coguntur, episcopi inter omnes Christianos, ac subinde inter omnes mortales arctissimè perstringuntur. Cõclusio hæc multis nominibus cõprobatur. Primũ, vt modò dicebam, q̃ epi es se tenentur viduis fauore & auxilio ceu mariti, orphanis tanquã patres, ac denique vniuersis mendicis & inopibus singulare præsidium ac suffugium. Enimuerò cùm virtutũ cultus animarumque subinde salus sæpenumerò in rerum temporalium egestate periclitetur: qua ratione Salomon, vt diuitiarũ abundantiam, sic & rerum inopiam metuebat: & episcopi pastores sint animarum, non modò verbo & exemplo pascere promouereque gregem tenentur, verùm & re ipsa indigis suppetias ferre. Viduarum enim honestas ac virginum pudor, rei familiaris penuria vehementer arietatur: & famem patientes, furandi, peierandi, decipiendi, multaque id genus incommoda intentãdi periculis sunt expositi. Quibus cauẽdis Antistites pro sua quisque facultate prospicere vigilantissimè debent. ¶Secundò accedit quòd quamuis propter collabentem clericorum vitam facta sit illa diuisio, qua cuique sua portio adiudicata est, nihilo minùs episcopi exuere non debent antiquam illam ecclesiæ pulchritudinem, quæ in subsidio pauperum elucebat: nimirum quando Apostoli diaconorum ministerio tam impensè viduarum, orphanorum, indigentiumque curam gerebant. Neque verò debent prorsus de memoria delere ecclesiasticos fructus spirituales esse, gratiaque diuini cultus, & peculiariter in honorem Christi impensos: cui tam cordi fuit pauperes suæ familiæ commendare, ac potissimum pastoribus quibus illam fidenter commisit. ¶Tertiò accedit huc quòd caput ipsum præcepti misericordiæ, nempe rerum redundantia & superfluitas, cæteris parib⁹, multò maior est aut esse debet in episcopis quàm in sæcularibus. Primùm enim frugaliùs viuere debent, multoque cum minori pompa quàm diuites huius mundi. Neque enim conuiuiorum splendor & lautities illis est licita, neque alius domesticus apparatus. Nam, vt ait Hieronymus, de altario illis viuere fas est, non luxuriari. Præterea cùm ex oribus careant, eximio inde sumptu eripiuntur, quo mariti premũtur. Atque adeò cùm neque proles habeant quibus debeant maioricatus instituere, aut aliter in perpetuum prouidere, non alios debent habere filios quàm pauperes: neque consanguineis aliter prouidere quàm pauperibus. Haud enim his debet erogare quibus sua sufficiũt: vt habetur cano. pastor ecclesiæ. 12. quæstio. 1. ¶Quanuis documentum hoc non summo rigore intelligendum est, sed grano salis, hoc est naturali æquitate condiendum. Haud enim, vbi scandalum caueri potest, vitio est prorsus vertendum si episcopus qui pingui ecclesiæ præfectus est consanguineos anteà indigos quadam victus me-

Prima conclusio.

Probatio.

Secunda cõclusio.

Primaratio cõclusionis.

Secunda ratio.

Tertia.

Moderatio proximæ assertionis.

diocritate honestet: non pro sua tantùm vita, sed pro suis successoribus in perpetuum. Non inquam vt locupletia creet primogenitorum iura, sed vt quadantenùs statum illi mutare possint, vt absque necessitate deinceps vitam ducat. Si enim qui viginti aut eo plura, imò qui decem vel quindecim habet ducatorum milia, quartam partem in pauperes & pios vsus erogauerit: profectò ab omnibus censebitur suo debito feciſſe satis. Et si tertiam in tales vsus dispensauerit, nihil ab eo ampliùs, quantum ad cauendam culpam res attinet, desiderabitur. Cùm ergo residuum absque vllo scandalo possit licitè in proprios vsus consumere, cur non ei licebit ex reliquis sumptibus tantillum quotannis adimere, vt possit honestam sustentationem, eandemque perpetuam alicui consanguineo relinquere? Sed fateor scandalum attentè semper esse cauendum. Quod tunc vtique cauebitur dum subditi amplas pro eius facultate viderint Antistitem eleemosynas profundere, & quod dat consanguineo de suis proprijs sumptibus succidere: neque verò ipsum eousque locupletare vt de humi limo statu ad illustrem subleuet. Hoc igitur non quòd superbis & ambitiosis velim indultum iri, dixerim, sed vt quod mihi rei veritas offert, non diffitear. *Tertia conclusio.* ¶Tertia conclusio. Præceptum hoc eleemosynarum quo episcopi perstringuntur, non potest vniuersim secundùm quartam aut quintam, maiorem aut minorem aliquotam partem existimari: sed secundùm iudicium prudentum, pensata, tum prouentuum quantitate, tum & pauperum indigentia, ac temporum calamitate. *Explanatur conclusio.* Conclusio cunctis liquida fiet, qui rationem præcepti misericordiæ fuerint perscrutati. Est enim vt de superfluo fiat: superfluum autem respectu status tam possidentis quàm indigentis venit existimandum. Exempli gratia: sunt Itali episcopi, qui cùm decimas non habeant vix habent vnde viuere queant. Illis ergo nullus aut perquàm exiguus iniiciendus est scrupulus, si eleemosynas non faciant. Imò & præter illos sunt etiam qui quanuis decimis fruantur, proueniunt illis tamen adeò tenues & malignæ vt si sextam aut minorem partem in pauperes refundant, satis sint feciſſe censendi. Qui autem duo triáve milia ducatorum, & eo ampliùs habent, profectò nisi vel quintam vel saltem sextam partem distribuant, non debent existimare, se abundè præceptum cõpleuisse. Quorum autem reditus viginti aut triginta milia exuperant, profectò maiorem deberent elargiri partem. Hæc autem exempli gratia dicta sint: nam & temporum calamitas, vt dicebam, & pauperum frequentia rigorem potest augere præcepti. Quod autem de episcopis dictum est, id de reliquis etiam sacerdotibus suo gradu intelligendum: ac de ijs præsertim quibus animarum cura incumbit: atque adeò de religiosorum monasterijs quibus prouentus redundant. ¶Quocircà non debent episcopi obid securiùs pacare consc ientias si in eleemosynis erogandis remisiores sint, quòd vinculo iustitiæ ad restitutionem non teneantur: satis se proinde facturos arbitrantes, si in mortis articulo sacramẽto pœnitentiæ eiusmodi culpas abluant. Nam cùm etiam præceptum misericordiæ, de quo præfati sumus, sub reatu mortalis criminis obliget, inde satis debent exterreri, vt fidem Deo suo illæsam seruent. Præterquàm quòd quanuis lex eos iustitiæ ad restitutionem non obliget, debent profectò eorum confessarij, tam durante vita quàm in mortis articulo, eis quos pauperum negligentes nouerint, per modum sacramentalis satisfactionis largissimas eleemosynas imponere, vt eódem propemodùm res incidat ac si lege iustitiæ ad restitutionem tenerentur. *Modus eleemosynarum Deo gratissimus.* ¶Modus autem eleemosynarum Christo gratissimus est, vt in præsentes pauperes sint diuites benigni. Non quidem inficias ierim quin vbi hospitalia extructa non sunt, laudabile episcopo sit eorum fabricis vacare: atque adeò ecclesiarum ruinas reficere. Attamen quòd vt suum nomen perpetuò celebret, in ædificijs ampliandis & perornandis ea insumat, quibus præsentib⁹ pauperibus succurri possit nè fame perirent, non solùm vanum, sed profectò pernicioſum & Christo ingratissimum est. Quòd enim ait, Pauperes semper habebitis vobiscum: id moniti auribus exhibet, vt cura nos eorum pauperum angat qui nobiscum sunt, futuris enim miseris per futuros Deus misericordes prospiciet. ¶Atque ex his argumentorum solutio colligitur, quæ in vertice quæstionis proposita sunt. Ad primum nanque respondetur quòd etsi lege iustitiæ non magis episcopi vinciantur quàm diuites seculares, tenentur tamẽ strictiori misericordiæ nexu.

¶Ad

Ad secũdũ argumentũ ¶Ad secundùm autem respondetur, quòd etsi accidere possit vt laicus præ nimia diuitiarum exuberantia vrgentiùs ad eleemosynas obligetur quàm episcopus: tamen episcopi cæteris paribus ratione sui status pressiùs ac vehementiùs vrgentur.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm ecclesiastico statui condecẽs sit inter alias possessiones castra, vasallosque, ac iurisdictionem ciuilem habere.

QVONIAM articulo. 3. inter alia ecclesiastica bona de opidis meminimus, non ab re fuerit de hoc possessionum genere articulum quin tum adhibere. Apparet nanq; ecclesiasticis Antistitib⁹ atque alijs dignitatibus minimè congruere castra & opida possidere, aut vasallos ciuili iurisdictione gubernandos. Primùm quòd ecclesiasticus status, spiritualis est, atque adeò Christi obsequio totus mãcipatus: ciuilis autem status totus est sæcularis, atque in rebus temporalibus positus, vbi plurimum iniquitatis commiscetur. Quare vt lux & tenebræ, differre videntur. Ait autem Paulus. 2. ad Corinth. 6. Quæ participatio iustitiæ cũ iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem cõuentio Christi ad Belial? ¶Secundò ecclesiasticus ordo in secessu potissimùm silentioq; contemplationis positus est: ciuilis autem litibus, fraudibus, atq; alijs id genus negotiorum turbinibus expositus, quibus necesse est Antistitũ mentes à sua quiete sæpenumerò deturbari. Eò potissimum quòd causæ sanguinis in illo foro agitantur: quibus nè se cruentet omnis clericus prohibetur: non ergo illis congruit eiusmodi turbulentis reb⁹ præesse, sed illa omnia postha bere. ¶Tertium de prisco more antiquæ legis sumitur argumentum. Leuitis nanq; nulla possessionum sors cõsignata fuit, sed solũ decimarum subsidium. ¶Sed & de Christi exemplo quartũ adhibetur. Nam, vt libr. 4. sub titulo de dominio, dicebamus: & super cap. primum Matthæi, latiùs commonstrauimus, nullum ipse sæculare regnum huius mundi accepit, sed tantùm fuit rex regni cœlorum. In res autẽ tẽporales ea fuit præcisè, quatenus homo, potestate cõtentus, vt in ordine ad finem redemptionis quãdo ad eundem finem opùs esset quibúsuis temporalibus vteretur. Id quod illic significauit, vbi dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. Et vbi Lucæ. 12. petenti vt inter se & fratrem iudicaret, respondit: Quis me cõstituit iudicem aut diuisorem super vos? Et alibi sæpe: ergo neq; suos administros ciuilis iurisdictio decet. ¶Quintò: Eiusmodi iurisdictio & sæcularis in vasallos potestas ad superbũ fastum & mundi extollentiã episcopos exagitat, quæ humilitati ac modestiæ qua illos Christus instituit è diametro aduersantur: secundùm illud eius admonitum, Matth. 20. Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Non ergo ecclesiasticis dignitatibus decõrum est, sed plurimùm indecõrum eiusmodi sæcularibus iurisdictionibus splendescere: multoq; minùs conuenire videtur religiosis monasterijs per quorum ingressum sæculo renuntiatur, omnesque sæculares pompæ post terga relinquuntur. ¶Sextò demum arguitur. Ciues illi sunt præsidibus in causis ciuilibus & criminalibus committendi, à quibus decentiùs gubernentur. Sæculares autem non possunt in eiusmodi causis per ecclesiasticos ritè & rectè gubernari. Tum quòd illos non decet ciuilibus legibus esse imbutos, tum præsertim quòd illa authoritate nõ pollent vt subditi sint terrori, qui ad arcendam humanam audaciam perquàm necessarius est. Imo vsq; adeò vidẽtur precariò in rebus ciuilibus præsidere vt despiciẽtes eos subditi ad regias curias suas causas deuoluant. Qua ratione admonet in Timotheo nos Paulus vt nemo militans Deo implicet se negotijs sæcularibus. Et Christus duobus gladijs fuit contentus qui essent distincti: & sicut in cœlo, ita & in terra voluit duo esse luminaria: nempe authoritatem sacram Pontificum, & regalem potestatem: vt habetur. 96. d. can. duo. haud ergo expedit ciuilem iurisdictionem cum ecclesiastica commiscere. ¶In contrarium est Christianorum vsus à Syluestri & Constantini sæculo per sanctissimos patres atque orthodoxos Cæsares & reges approbatissim⁹, per quem constat non solùm primam ecclesiæ sedem, verùm & alias inferiores eiusmo-

Primum argumentum.

Paulus.

Argumẽ. 2

Argumen. 3

Argum. 4

Argumẽ. 5

Argum. 6.

Paulus.

Syluester. Constantinus.

di dotationibus esse decoratas: in quibus permulti habentur vassalli, nõ solùm episcopis, verùm & monasteriorum abbatibus subiecti.

Duo quæstionis mẽbra.

QVæstionem hanc non solùm quia præsens tractatio eã exigebat hîc attexere statuimus, verùm quia hisce diebus de illa cõtrouertitur. Duo tamẽ sunt eiusdẽ quæstionis mẽbra. Vnum vtrùm ad ecclesię decõrum condecens sit eiusmodi ciuili autoritate fungi. Secundò vtrùm propter aliquã emergentem necessitatem reipublicæ ecclesiasticæ vel ciuilis expediat eadem castra & vasallos sæcularibus vendere. Et quidem de secundo non constitui ad dicendum me ita multùm insinuare: quia cùm negotium sit ad Summum Pontificem atq; ad Cæsarem attinens, non est meum nisi interrogatum

Conclusio responsiua.

respondere. ¶Ad priorem ergo quæstionis partem vna eademq; affirmatiua conclusione more nostro respõdetur. Consentaneum ecclesiasticæ autoritati fuit inter alias rerum temporalium dotes & hac quoq; insigniri, vt castra, imò verò vrbes cũ potestate vtriusque gladij sub suo habere dominio. Conclusio hæc vel inde maximè probatur ꝙ Christianissimi Imperatores tempore sanctissimorum Pontificum eiusmodi dotationibus ecclesiam honestârunt. In primis Constantinus ille Magnus, maximusq; Christianæ religionis cultor & fautor, inter alia priuilegia quibus ecclesiam accumulauit & hac etiam eam auxit authoritate vt Romam cum alijs vrbibus Apostolicę sedi donauerit. Et Theodosius posteà tempore Ambrosij, atque alij deinceps multi catholicorum Cæsares id genus donationibus ecclesiam locupletârunt: quas quidem nisi vt sanctũ haberetur, neq; ipsi obtulissent, neq; illi sancti Antistites accepissent. Accedit quòd, vt nostratiũ Annales tradunt, Christiani Hispaniarum reges cùm Mauros ex prouincia bellis depellebãt pro partis victorijs de eisdem castris atq; opibus quę de hostium manibus eripiebant offerebant ecclesiæ, non solùm episcopales sedes illo modo augendo, verùm & monasteria vtriusq; sexus fundãdo & ditãdo. Quod ergo illi Christi amantes fecerunt, omni potiùs ratione defendendum est, quàm aliquo pacto condemnandum. ¶Ratio ergo quam illi ecclesiarum fundatores sibi in animum inducebant, hæc erat, quòd cùm temporalia omnia propter spiritualia, in eorumq; seruitium condita sint: & homines (quod nostrũ ingenium est) rerum istarũ splendore maximè moueantur: nam cognitio nostra, vt natura docet, à sensu incipit, operę pretiũ existimârunt ecclesiam nõ solùm sanctis legibus instituere, verùm & rerum facultatibus instruere & fulcire, vt Christiano populo illã repræsentans maiestatem, maiori haberetur in pretio & veneratione. Eâdẽ enim de causa, vt nobiles atq; illustres sacris initiarentur qui ecclesiæ essent stabilimentum, iura permittunt vt duo possint habere sacerdotia: vt habetur cap. de multa. de præben. ¶Haud equidem nescio statim obmoliri quenquam posse huic sententiæ argumenta. Primùm ab Apostolorum exemplo & priscorũ præsulum qui huiusmodi fastus præ nimia sua humilitate abigebant. Secundò ab absurdo: vsu nanq; & experimento compertum est huiusmodi sæculares episcoporum possessiones multa attulisse incommoda: videlicet non solùm bella & eorum defensionem, sed etiam hæresum turbas & rebellionũ insultus: aduersus ecclesiam Germaniæ nanq; atque Angliæ hoc in causa etiã ponitur turbatarum rerum, quòd neque principes sæculares ferre æquo animo poterant episcoporum potentatus, neq; vulgus monasteriorũ diuitias. Imò & religiones ipsas inde plurimùm videmus labefactatas quòd immodicis diuitijs abundant. ¶Ad primum autem respõdetur, vt lib. 9. sub titulo de decimis, dicebam, quòd si omnes episcopi & ecclesiæ prælati essent, vel sicut Petrus, vel sicut Augustinus, aut Martinus, aut Nicolaus, vt sua sanctitate possent à Christiano populo beneuolentiam ac reuerentiam captare, forsan non esset opùs ecclesiæ eiusmodi subsidijs tẽporalibus fulciri. Sed tamen quia tam numerosam multitudinem episcoporum ac sacerdotũ quàm est ecclesiæ necessaria, illa religione pollère, non est possibile, consultum alio modo est, vt existimatio ecclesiæ conseruetur: & sint qui quodam modo ad virtutum, literarumq; culturam horum respectu animentur. ¶Ad secundum autem respondemus, vt sæpe cõsueuimus, quòd humanis moribus nõ potest vlla vel ratio vel prudentia ita prouidenter mederi, quin temporum iniquitas omnia corrumpat. Negari enim non potest quin ecclesiarum diuitiæ multa spiritualibus rebus pericula conflent: sed fortè maiora crearet paupertas: nisi, quod impossibile est, sacerdotes & populi omnes sancti essent

Ratio quare Christiani Principes olim ecclesiã tam multis opibus dita runt.

Prima obiectio contra præfatã assertionem.

Secunda.

Ad primã obiectionem

Ad secũdã

cti essent. Experimur enim vbi episcopi pauperes sunt, in nullo haberi pretio: & mendicantes sacerdotes præter eos qui intra claustra nutriuntur, vilipendio haberi: & sic omnia ecclesiastica pessun dari. Et re vera antistites nisi vllam sæcularem etiam habeant potestatem, vix possent vitia castigare. Imò etiam in Germania, nisi catholici ecclesiarũ præsules potentatibus sæcularibus subnixi essent, omnia essent iam fortasse à tyrannis & hæreticis obtrita, & consumpta. Quocircâ, vt argumento respondeamus, principum sæcularium ambitio & inextinguibilis sitis qui ecclesiasticis sua bona semper inuident, quibusq; eos expoliare armis ac technis cupiunt, licèt causa fuerit vt ecclesiasticum statum contenderint demoliri, nullum est argumentum quòd ecclesiam nõ deceat eiusmodi facultatibus pollêre. Tametsi diffitendũ non sit quin excessus in hoc, sicuti in omnibus alijs rebus accidere possit: videlicet vt nimium plusq; iusto locupletentur ecclesiæ. Nam vt historia Exod. 36. prodit, cùm videret Moyses tanta animi promptitudine populum aurum, & purpuram, & reliqua ad ornatũ & cultũ tabernaculi necessaria afferre vt exuberarẽt, præconis voce cãtari iussit ac prohiberi nè vir aut mulier quicquam vltrà ampliùs offerret in opus sanctuarij. ¶ Adiũgitur infauorem eiusdem conclusionis ius etiam naturale. Nam cùm reges cuncta per se gubernare nequeant, sed necesse habeant Ducibus, Comitibus, atq; aliis potẽtatibus partem iurisdictionis committere, dum tamen semper penes eos suprema potestas residеat, non est cur ecclesiastici Antistites ab huiusmodi functione abigantur. Sanè cùm ipsos, si eorum statum spectes, credendũ est tum iustiùs & æquiùs, tum etiam mitiùs & maiori cum beneuolentia subditorum lites & causas, aut cõposituros, aut iudicaturos: maioriq; ex charitate vitia vindicaturos. Hac enim confidentia freti antiqui reges, huiusmodi iurisdictiones illis committebãt: nempe quia fore certò sperabant vt tanquã patres filios, essent subditos tractaturi. Quapropter præclarè secum agi ciues existimabant, cùm ecclesiæ iurisdictioni subdebantur. Et re vera, vt absit inuidia verbo, nisi vbi ecclesiasticus dominus corruptissimus est, experimento didicimus multò minoribus exactionibus ecclesiasticorum subditos premi, quam sæcularium dominorũm. Nihil in reges obloquimur penes quos est summa potestas. Atq; adeò ecclesiastici qui secùs faciunt in peiori sunt crimine, maioriq; digni reprehensione, His veruntamen nihil obstãtibus, diffitendum non est, quin plures multò ciuiles iurisdictiones sint sæcularibus cõmittendæ, quàm ecclesiasticis: nam illis rationem status natiuum est illud regimen: ecclesiasticis verò, accessorium. ¶ Accedunt huc & sanctorũ testimonia. Aug. nãq; in illa quinquagesima citata epistola Ad Bonif. comitem, egregiè laudat Constantini religionem, vel inde etiam quòd ecclesiam eiusmodi donationibus locupletauit: idemq; latiùs Hom. 6. super Ioan. & Melchiades Papa eiusdem factum plurimùm commendat, can. futuram. 12. q. 1. nempe quòd sedem Imperialẽ relinqueret, & beato Petro suisq; successoribus profuturam, concederet. Et Vrban. in canone statim proximo, videtes. itidem institutum laudat, quòd possessiones ecclesiæ traditæ non vendantur. Inter quas non dubium quin etiam essent vasalli. Patrocinantur eidem conclusioni & omnia testimonia suprà citata, obnixè prohibẽtia nè ecclesiæ bona alienẽtur. Idemq; cõmendatur vtroq; can. Constãtinus. 96. d. & Iustinianus in Authentico, de rerum ecclesiasticarum alienatione. collatione. 5. mirificè constabilire consolidareq; studet immobiles cũctas ecclesiarum possessiones. ¶ Imò verò adeò sancta habenda est hæc veritas, quòd ecclesiæ liceat immobiles possessiones nullo excepto genere habere, vt Vvicleph vel de hoc etiam habitus fuerit hęreticus quòd Constantinum eo vituperabat quòd ecclesiam tam amplè dotasset: vt refert Thomas Vvaldens. Tomo. 1 libr. 4. cap. 39. Aiebat enim impius ille quòd cùm voluntas supremi Domini Christi ex Euangelio non constaret huiusmodi approbantis donationes, vituperio potiùs quàm laudi dandum esset Constantino factum illud. Ex quo subinferebat ex illo tum temporis articulo ecclesiã cœpisse labascere. At verò cùm vnicuique liberum sit sua bona donare, & ecclesia non sit recipere inhibita, quanuis aliud non esset in Euangelio testimonium, hoc satis esset ad illius egregium facinus commendandum. Eò potissimùm, quòd, vt iterum atque iterum diximus, tam sancti Pontifices non solùm eas susceperunt, sed & conferentes vt facerent animârunt: & nè vllus illas vel alienare vel inuadere auderet, sanctissimè dehortati sunt. Malè ergo de fide Catholica audire

Ius naturale patrocinat̃ præteritæ assertioni.

Ciuiles iurisdictiões frequẽtiꝰ sæcularibus quã ecclesiasticis cõmitendæ sunt.

Augustin.

Melchiades

Vrbanus.

Iustinianus.

Vuicleff.

Vualdensis.

dire illum necesse est qui eiusmodi ecclesiasticas possessiones, aut contra ius diuinum donatas ecclesię dixerit, aut non omni ratio ni & religioni esse cõsentaneas. Id quod per solutiones argumentorum clarius elucebit. ¶Si autem hæc, vt res habet, vera sunt, atten tas oportet, Christianasque considerationes adhibere antequàm ecclesiasticæ scedes & sacra collegia de eiusmodi possessionibus deturbẽtur. Nihil enim aduersus reges obmur murandum est, quem non est credibile aliter quàm extrema necessitate constrictos quippiam quod aliquem mali colorem præ ferat, à sede Apostolica petere: neq; contra Pontificem Maximũ, quem minùs est opinabile quidpiam aliquid quàm maturo cõsilio concedere. Attamen res est vsque adeò magni momenti, vt nisi permultis priùs in consilium adhibitis considerationibus non sit decernenda. Fatemur equidem calamito sa tempora, ea posse Christianæ reipublicæ creare pericula, vt etiam ex ecclesiasticis reditibus sint ad illa propulsandum authorita te Apostolica conquirenda subsidia. At ve rò antequàm huiusmodi ecclesię dotationes sęcularibus diuendantur, primùm omnium explorandum summa fide est an causa ingruat verè necessaria. Mox oculate meditan dũ an aliquo modo inde decoloretur eccle sia, aliquòd ve honoris detrimentũ accipiat: nam si res ita habet, omnia sunt temporalia posthabenda: eis potissimùm temporibus quando hęretici, & verbis & factis ecclesiam suis dotibus denudare cõtendunt: atq; adeò paupertate obscurare. Si enim catholicorũ facta eorum ausibus responderint, approba re eorum dogmata videbimur. Deinde & id quoq; considerate attendendum, vtrùm regia maiestas & ciuilis respublica inde maius capiat emolumentũ: nam si quæ ecclesijs au ferũtur, regi aut reipublicæ accrescerẽt, inde posset ratio huiusmodi venditionis vires aliquas acquirere. Tamẽ quòd in alios sæcula res dominos transfundantur, videndum est an expedientius sit regi. Eò potissimũ quòd illa pretia quæ ecclesijs refunduntur, ex regijs possessionibus subtrahũtur, sed magnates sunt qui illa ratione pinguescunt. Tertiò & id quoq; ex charitate pensandum, vtrùm eiusmodi venditiones in rem sint subditorũ: Nempe an credendum sit cum tanta beneuolentia & charitate tractandos fore à sæcu laribus possessoribus, quàm ab ecclesijs sup portantur. Et quartò nihilo minori consilio perpendendum, quòd cùm Papa pater sit ec clesiarum, reges autem patroni, licet possint ab ecclesiasticis subsidia poscere, id tamen tunc fas erit quando sæcularium tributa nõ suffecerint. Sunt enim præ omnibus qui vel ratione sanguinis vel alijs priuilegijs à tributorum exactione eximuntur, immunes cu stodiendi. Supra hæc aut omnia quando ad ecclesiasticos recurrere necesse esset, deberet ab omnibus æqua libra eiusmodi subsidium exigi. Vnde si qui vasallos habent ob id præ alijs grauentur, nulla id ferre valebit æquitas: nam cùm vasalli pretio neq; modico ęsti menẽtur, illos suis dominis eripere, nõ repenso pro illis pretio sed præcisa prouentuum compensatione facta, iustitiæ lex ferre non videtur, In summa. consulendi sunt sanctorum canones, qui, vt suprà diximus, istiusmodi alienationes omnimodè vetant. Ait enim Bonifa. 12. q. 2. Nulli liceat ignorare, omne quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid semel fuerit cõsecratum, sanctum sanctorum esse Domino. Et ideo inexcusabilẽ qui illud eripuerit vel inuaserit: nempe quia non hominibus tantùm, sed Deo ipsi consecratum est. Quare Gregor. capite subsequenti, excommunicationi eum vult subiacêre, qui etiam concessione regis quidpiam tale possederit. Idemq; sanctissimè cauit Nicola. Papa, can. de rebus, eâdem causa & quæstione: videlicet vt si quæ semel Deo contributa atq; dicata sunt, & posteà sub occasione principum inuaduntur atq; diripiuntur, excommunicationis vindicta vsq; ad emendationẽ possessor coërceatur. Hæc nõ dubium quin sanctissimus Papa & iustissimus quisq; regum diu ac multùm sint meditaturi, antequàm tam antiquis tamq; sanctis iuribus ecclesiã expolient: nimirum inter alias Dei vltiones & hanc quoq; extimescentes, nè & ipsos de suis permittat Deus deturbari. Nam si olim reges hæc suarum victoriarum vota esse ducebant, vt tum Deo gratias referrẽt, tum ecclesiasticum ordinem, qui pro se preces funderet, gratum haberent, timendum est nè si eodem honore, & rerũ possessione, ecclesiæ priuentur, & orationes priuatorũ tepescant & regum victoriæ non sint adeò frequentes.

Bonifacius.

Gregorius.

Nicolaus.

Ad primũ argumentũ

AD primum igitur argumentum respon detur quòd quanuis ecclesiasticus ordo spiritualis sit, atq; in hoc à ciuili tẽporaliq; re publica distans: nulla inde tamen repugnan tia emer-

tia emergit, quo minùs possit ecclesiasticus præsul ciuibus ciuiliter præsidere. Nam virtus iustitiæ, adeò rebus spiritualibus nõ obuersatur vt inde maximè vires splẽdoremq; accipiat. Neq; locus Pauli adductus huc pertinet, sed ad commercium fidelium cum infidelibus. Ait enim, Nolite iugum ducere cũ infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? &c. vnde cõcludit, Aut quæ pars fideli cum infideli? ¶ Vnde similiter ad secundum respondetur, quòd etsi episcopalis dignitas plurimùm debeat contemplationi vacare, potest nihilo minùs homines probatæ vitæ ac eruditionis causis sæcularibus audiendis præficere, qui ad se sæpe recurrãt. Debet enim episcopus & Mariam agere, & Martham. Quod quidem sine hoc quòd sanguinis sententiam per se proferat perficere potest. ¶ Ad tertium autem respondetur disparem rationem inter legem nostram & Mosaicam internosci. Etenim cùm terram illam Deus populo donasset, voluit tribum Leui, vt templo esset totus addictus, à negotio agriculturæ subleuare, atq; hac ratione nulla est consignata eis sors. In nostra tamẽ prẽter decimas possunt Christiani sua bona ecclesiæ donare. Et quantum ad iurisdictionem non vetabantur sacerdotes illam habere. Imò multum temporis penes sacerdotes regimen populi perdurauit: quoniam sacerdotium illud non illum gradum spiritualitatis annexum habebat quem nostrum.

Ad secũdũ argumentũ

Ad tertiũ argumentũ

Ad quartũ argumentũ

¶ Quartum autem quod de Christi exemplo sumitur argumentum, maiorem præ se fert energiam: quippe qui ciuile regnũ mundi non accepit. Ad id nihilo minùs respondetur, illud duntaxat inde colligi quòd potestas spiritualis non consistit in republica ciuiliter administranda. Haud tamen subinde interdicitur, quo minùs ecclesiastici præsules annexas habere possint suis sedibus eiusmodi iurisdictiones. ¶ Ad quintum respondetur quòd etsi ab eiusmodi potentatibus quadantenùs pateat ad superbiam præcipitium, tamen res de suî natura existimanda est. Natura autem & conditio eorum qui ecclesiastica dignitate pollent, vt suprà dixi mus, est perfectionis status. Et ideo omnia hæc caduca & lubrica secularia sic debent possidere, vt omnia inde pullulantia pericula vincere possint. ¶ Quod autem de religiosorum monasterijs subditur, quibus minùs congruere eiusmodi fastus apparet, respondetur, in primis monachales ordines, quibus claustra mendicatum exire nõ licet, necesse est auctioribus opibus abundare: nè eos inopia de sua quiete perturbet. Fuerunt enim semper illa religionis instituta quàm maximè ecclesiæ vtilia, quæ si suũ decõrem seruent, maximo sunt fauore fouenda. Et inter alias ratio cur illis opida cùm iurisdictione oblata sunt, fuisse creditur vt expeditiùs possent ac quietiùs suos prouentus colligere. Neq; profectò eorum instituto repugnat eiusmodi vasallos peridoneos ministros gubernare. De qua re quãplura loquũtur iura.

Adquintũ argumentũ

Ad cõfirmationem.

Ad sextũ argumentũ

¶ Ad sextum denique & postremum quod rem districtiùs videtur vrgere, respondentes fatemur, quòd nullatenùs ecclesiastici valẽt suos vasallos, nisi regio fauore regere ac gubernare. Nam si rex penes quem summa sita est potestas, iurisdictionibus sua inferiori bus non fauet, necesse est omnes corruere. Sed si hoc argumentum alicuius esset energiæ, pari vigore probaret quòd neq; antistites decet ecclesiasticas habere iurisdictiones quoniam nisi per regiam authoritatem sustententur, satius esset de medio tolli. Si autem rex ecclesiasticorum tribunalia, sine ciuilia siue ecclesiastica, perinde atque reliqua omnia, quasi sua propria: à suisq; prædecessoribus indulta cõfoueret, nihilo minori decentia & autoritate ecclesiastici suos subditos gubernarent, quàm sæculares. In vtroq; enim ordine sunt qui bene, sunt quoq; qui male suos magistratus administrent.

QVAESTIO QVINTA
De clericorum debito officio.

ARTICVLVS. I

Vtrùm inter officia eorum qui sacris initiantur, peculiare, ad quod oẽs generatim tenentur, sit cõstitutos Psalmos statis horis persoluere.

CVM præcedẽs quæstio de ecclesiasticis bonis ac stipendijs fuerit instituta, res ipsa postulat vt clericorum officia quorum gratia eadem ecclesiastica bona constituta sunt, quibusq; ea promereri debent, perpendamus.

damus. Apparet nanq; clerum neq; qui in sacris est, ad statas horas persoluendas mini mè teneri. Enimuerò cùm horarum canonicarum pensio graue nimis censeatur iugum, non apparet ab ecclesia vniuerso clero licitè imponenda, nisi talem Christi aut Apostolorum institutionem priùs in sacra pagina legisset: quę tamen nusquam inibi reperitur. Imò verò Christus, Matth. 6. non aliam nos orationem docuit quàm, Pater noster. Non ergo tenentur clerici ad horas Canonicas pendendas. ¶Secundò arguitur. Oratio in hoc seruit vt mens in Deum eleuetur, Deoq; nostra desideria aperiamus, quæ largitate suæ misericordiæ expleat: ad hoc autem nulla opùs est voce, cùm Deo nostra patentia sint corda: ergò non opùs est vocali oratione. Sed satis est, vti Christus docuit, Ioan. 4. adorare Deum in spiritu & veritate. Et vt ait. 1. ad Corinth. 14. Paul. Orare spiritu, orare & mente. ¶Tertiò. Clerici saltem quibus animarum incumbit cura, ad hoc potissimùm munus instituti sunt, vt sacramenta populo administrent, verboq; eũ ac doctrina pascãt, & prudentia gubernẽt ac moderentur: illi ergo saltem nõ est cur alios persoluere Psalmos obligentur. ¶In contrarium est textus concilij Agathen. extrà, de celebratio. Missarum. cap. presbyter. vbi omnes presbyteri iubentur vt expleto manè matutinali officio, pensum seruitutis suę, videlicet primam, tertiam, sextam, & nonã vesperamq; persoluant. Et posteà demum additur Completorium: vt iuxta verbũ Prophetæ, Septies in die laudes dicamus Deo:

Primum argumentum

Argumẽ. 2

Argumẽ. 3

Concilium Agathen.

CVM multa sint obsequia & munia quibus clerus sua stipendia meret: qualia sunt sacramenta administrare, prædicare, visitare, iudicare, & id genus reliqua de illis, vtpote quę ad rem præsentem nullam aferũt difficultatem, sed alia poscunt quibus disputentur loca, non fert animus in præsentiarum dicere. Esset enim opùs in immensum protrahere: sed tantùm de Psalmorum pensione, quas horas Canonicas appellant: quę quidem obligatio vniuersum clerum in sacris agentem comprehendit. Cuiusq; ideo omissione dominiũ prouentuum ecclesiasticorum, modo inferiùs explicando, amittitur: de quibus prędcedenti quæstione disputatum est. Affirmatiua autem huius quæstionis veritas, & aduersus hæreticos asserenda est, & pro catholicis differenda. Nunquam enim à primordijs nascentis ecclesiæ hæretici defuêre qui hoc sacrosanctum institutum concusserint, demolirique; contenderint. Fuit quippe antiquissima hæresis qua Pelagiani infecti sunt, vt August. lib. de hæresibus, cap. 88. refert, qui orationes ecclesiasticas destruebant. Imò omnem necessitatem orandi negabant, sed satis existimabãt bonam ducere vitam: eò quòd gratiam non Deo referebant acceptam, sed proprijs viribus tribuebant. Eandemque hæresim sustinuit Vvicleph, vt Thomas Vvaldens. in initio quinti tomi de sacramentalibus refert, dicens, satis esse bonam vitam. Primus autem qui in mũdo semen illius hæresis iecit, fuit famosus ille Nemrod, de quo refertur Genes. 10. De illo enim suisq; assecl is legitur Ecclesiastici. 16. Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes qui destructi sunt, confidentes suæ virtuti. De quo Nemrod Iosephus etiam lib. 1. Antiquitatum sic ait. Cùm esset audacior & manu fortissimus, suadebat suis vt non Deo asscriberent quòd hominibus per illũ fœlicitas eueniret, sed quòd hoc eis propria virtute præberetur. Cùm enim orationis vis illic subnitatur quòd nihil nobis boni nisi à Deo prouenire potest: qui necessitatem diuini subsidij diffitentur, nullã possunt in oratione religionem agnoscere. ¶At verò non est præsentis instituti de oratione in genere, quatenus ad priuatas & solennes ac publicas cõmune nomen est disputare. Hoc enim alius est loci: sed tantùm de publicis quas ecclesia clerum persoluere iubet. Qui enim religionem orandi Deum diffitetur, non est dignus qui inter rationales creaturas asscribatur. Haud enim humanam tantùm naturam ignorat, quæ à Deo prorsum est pendẽs, verùm & diuinæ propriam gloriam adimit: imò Deum ipsum de rebus sublatum contendit. Prima enim supremaque orationis virtus non est respectu nostri ęstimanda: nempe quòd per eam cũcta nobis bona imprecamur & obtinemus, tam temporaria quàm æterna, sed respectu Dei: videlicet quòd per ipsam confitemur profitemurque perennem omnium bonorum fontem in Deo existere: vtpote qui totius bonitatis substantia sit: ex cuius nutu cuncta dependent, quæ extra ipsum existunt. Hanc enim confessionẽ qui oraturus ad Deũ accedit, debet primum caput orationis constituere. Quæ quidem maxima omnium est quæ Deo possunt esse gratissimę per

Fit planus quæstionis titulus.

Augustin.

Vuicleph. Thom. Vualdens.

Iosephus.

Prima oratiõis virtus.

perquamq; adeò summa ab ipso beneuolentia captatur. Vnde quòd tantoperè à nobis efflagitat vt ab ipso aliquid petamus, & quòd Christus tam sitienter optat vt in nomine eius quicquid nobis opùs fuerit postulemus, non tam ob nostrum commodum quàm ob ipsius gloriã desiderat. Vnde Ioã. 16. ægrè conqueritur, dicens: Vsq; modò nõ petistis quicquam in nomine meo: petite & accipietis. Quasi dicat, nondum mihi istam tribuistis gloriam quæ tanquam vero Deo ab omnibus mihi debetur. ¶ Respondetur ergo Pelagianis & Vvicleffistis, quòd non solùm bona vita sine oratione non sufficit, imò neque existere potest. Nam bona vita quæ Deo grata est ex sola gratia & fauore ipsius supranaturaliter pro cedit, quæ quidem per orationẽ impetramus. Ipsi autem quia tale supra naturale auxilium vt suis viribus subnixi, necessarium esse negant, virtutem subinde orationis ignorant, sed proprijs meritis fidunt. Horsum ergo hæc dixerim, quòd qui orationem abnegant, vel diuinam prorsus de medio tollunt prouidentiã, vel omnia putant ex necessitate contingere: quare digni non sunt cum quibus vlla ineatur disputatio. ¶ Ad rem ergo præsentem reuertentes, cùm duplex sit oratio: vna priuata ad quam quisque præcepto illo, Petite & accipietis, tenetur: atq; altera publica quę per ministros ecclesiæ fit: non de illa, sed de hac peculiariter præsentem inimus quæstionem, Hãc autem idem Vvicleph, vt ibidem Valdẽ. refert, hac ratione repudiabat, quòd ceu sanctissimum fundamentum ducebat, vt primo argumento, quod suum est, significabamus, nihil esse prorsus inter ecclesiasticas ceremonias permittendum, quod in sacra pagina non sit expressum. Quod quidem fundamentum fuit antè ipsum Lollardorum, & multò anteà Arrianorum, & nũc etiã est Lutheranorũ. Reliqua enim omnia appellãt Pharisæorum traditiones. Quapropter pręcisa verba consecrationis totam esse Missam aiunt: cætera verò, adiectitia, nempe tam vestes quàm lectiones atq; orationes inuenta esse hominum: atq; adeò horas canonicas penitus è suis ecclesijs eradicârunt. Quare esto, inquiunt, orare bonũ sit tanquã pars bonæ vitæ: debet esse tamen in cuiusq; libertate tam tempus orandi q̃ modus. Quã quidem hæresim Aeneas Syluius in libro de origine Bohemorum antiquioribus Vvaldensibus impingit: qui dicebant in horis canonicis cantandis frustrà tempus teri. ¶ His ergo præcensitis catholica veritas quinque conclusionibus constituitur: tum quantum ad substantiam rei spectat: tum etiam quantum ad orationum numerum, & statas horas attinet. Prima sit: Impendiò quàm decentissimum ecclesiæ decoro fuit, & ad salutem Christiani populi quàm maximè necessarium, clerum instituere cui præter sacramentorum administrationẽ id etiã proprio munere incumberet, vt quotidie Psalmos Deo nomine totius populi offerret. Ratio nanq; naturalis manifesta est: Enimuerò cùm inter omnia reipũblicæ munia & functiones religio cultusque diuinus apicem teneat: cuius pręcipua pars est Deũ laudibus extollere, precibusq; nobis placare, multo sanctissima æquitate persuasum esse debuit Christianis, vt sicut militiæ milites mancipati sunt, & iudicatibus iudices atque alijs functionibus sui magistratus & ministri, sic & clerici deputati sint, vt non solùm sacramentis populũ sanctificent, doctrinaq; & exemplo promoueant, verùm qui publico populi nomine, qui alijs artibus, opificibusq; & muneribus ac negotijs occupatus id iugiter facere nequit, incessanter Deo laudes dicãt, precesq; fundant, tanquam inter Deum & populum mediatores: qui videlicet vt ministerium gerunt deriuandi ad populum gratiam per sacramenta, sic & nomine populi gratias illi vicissim rependat: & quæ illi necessaria sunt subsidia poscãt, ac potissimùm peccatorum remissionem. Hac enim de causa, vt est cap. 4. apud Oseam, Sacerdotes peccata populi cõmedũt: hoc est populi eleemosynas, quas in peccatorum remissionem offert. Accedit huc ratio secunda, quòd cùm huiusmodi laudum precumq; celebratio ea debeat lingua, arteq; ac rerum peritia celebrari qua tota plebs pollere non potest, necesse est personas esse destinatas quę sicut in cæteris artibus fit, doctæ sint faciẽdi. ¶ Secũda conclusio. Non solùm personas apprimè decuit esse huic muneri destinatas, verùm & statа tempora & horas quibus Psalmi eiusmodi & laudes celebrẽtur. Cuius plures existunt rationes. Prima q̃ quãdo temporis articuli cuiq; negotio fixi non sunt, neq; ordo esse potest neq; vlla subinde perpetuitas. Est enim hoc ingenium nostrum, quòd vbi tẽpore non cõstringimur quod nos rei faciendæ admoneat, libertas statim laxatur differendi negotia: qua ratione mos facilè dispe

rijt

Bona vita sine oratione existere non potest.

Duplex oratio.

Motiuum Vuicleph. ad extermi nãdã oratio nẽ publicã.

Aeneas Syluius.

Prima conclusio.

Ratio cõclusionis.

Secunda ratio.

Secunda cõclusio.

Prima ratio

rijt. Quare qui perpetuò durare constituit, vt tempora figat opùs habet. ¶ Secundò & illic nos huius ad Thessalonicen. admonitos curauit, vbi ait: Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione. Et expressiùs cap. 5. Sine intermissione orate. Hæc enim intermissionis prohibitio intelligi nequit adeò absolutè vt nullũ tempus refectioni, aut somno tribuamus, sed sine intermissione intelligitur, hoc est nulla hora ad id cõstituta prę termissa. Vnde cùm singuli plebis eundem ordinem, euocantibus alijs curis, tenere nequeant, necesse fuit certo hominum ordini eandem demandare curam sine intermissione orandi. ¶ Tertiò. Id patet: quoniam, vt ait Sapiens, omnia tempus habent, atq; vnaquæque res suum proprium: quod profectò orationi q̃ maximè congruit. Cùm enim inter omnia negotia altissimum silentium exigat, non omnia tempora talem habent ad orandum aptitudinem. Noctis enim tranquillitas ad orationem inuitat maximè, qua ratione Dauid: Media, inquit nocte surgebam ad confitendum tibi. Quo fit vt horæ antemeridianæ quo sunt auroræ viciniores, eò sint orationi congruentiores: pomeridianæ verò, quo nocti magis accedunt. ¶ Quartò demum id potissimùm inde cõfirmatur, quòd cùm populus ad earũdem laudum celebrationem concurrere debeat, nisi tempora stata essent quibus ad eundem cultum accederent, non possent omnes simul concurrere: neq; scirent quomodò negotia familiaria deberent disponere vt orationum religioni non essent impedimento. ¶ Ex his demũ consequitur conclusio tertia: nempe quòd & loca sita esse decet quibus eiusmodi laudum Psalmorumq̃ oblatio fiat: tũ quòd cùm cultus res sit sacratissima, locus ille consecrari debet, atq; adeò vasa vestimentaq̃; & alia ornamenta quibus maiestatis quę adoratur repræsentatio fiat: tum etiã quòd cùm oratio in cõmuni fieri debeat: nam vbi sunt vnus, duo, vel tres, nomine Christi congregati, illic se ipse astiturum pollicitus est: nisi locus designatus sit, commodè orari non potest. Hanc enim tertiam conclusionem adiecimus, eò quòd brutalis Vuicleph, vt Vvalden. tomo. 5. de sacris. titulo. 17. cap. 43. refert tẽpla abominabatur. At quãdo historię tam phanæ q̃ prophanæ eum non vincerent, inde tamen deberet conuinci quòd cùm reliquis publicis actibus sua sint loca destinata vt forum ad iudicandum, senatus ad consilia conferenda, & scholæ ad docendũ, quin & theatra ad ludos spectandum: nulla ei restabat ratio templorum religionem abnegandi, quibus populus in vnum cõgregatus Deum suum adoraret. ¶ Sed ecce argumentum suum. In statu innocentiæ non fuissent templa sicuti neq; vestes, vt nuditas primorum parentum ante peccatum attestatur: Christus autem voluit nos ad illũ statum reuocare: ergo neq; nostrum statum eiusmodi fabricæ decent. ¶ Vide q̃ sit brutus hominis syllogismus. Primùm quãuis in illo statu aëris inclementia nullam necessitatẽ tegumentorum induxisset, forsan propter pulchritudinem & artiũ exercitiũ: aliqua fuissent opificia fabricata. At esto tẽpla nõ fuissent structa, nihilo minùs mortales illi Deum coluissent: atq; adeò, vt plus quàm credibile est, in vnum ad Deum adorandum laudandumq̃; conuenissent. Quare secundùm nostrę naturæ statũ necessaria sunt tẽpla quibus eandẽ religionẽ colamus. Sed de huiusmodi probationibus statim latiùs. ¶ Quarta conclusio, ad rem maximè propriam. Quemadmodũ personas, templaque, & reliqua ornamenta definita esse condecuit & præscripta, sic & Psalmos, orationes, ac preces cõstitutas esse, fuit ad eundem cultum necessarium. Probatur: quoniam eiusmodi laudum cultu oportuit doctrina maxima & prudentia esse præfinitum: quæ quidem eruditio in singulis esse non potest. Quare opùs fuit ab ecclesiæ primoribus, imò à toto cœtu cui spiritus sanctus præest fuisse inuentum legeq̃; firmum, sicuti & reliquas leges necesse est non à singulis ciuibus, sed à tota republica institui. ¶ Secundò: quia vt in reliquo cultu, sic præcipuè in gratiarum laudumq̃; actione, atque in orationibus, & precationibus, necessariũ fuit vt totus Christianus populus vnitatem repræsentaret, vt hac maximè ratione, quod ait Paul. vnam fidem, vnum baptisma, atq; vnum Deum profiteremur. Hæc autem cõcordia & vnitas seruari non potuit nisi Psalmorum corpus & substantia lege constituerentur, quæ esset vniuersis Christianis seruanda: Dixerim corpus & substantia: quia nihil incongruit: imò est congruentissimum vt varię prouincię in horarum solutione nonnihil varient: vt ecclesia, quemadmodũ eam Sapiens depinxit reginam referat à dextris sponsi assistentem, circumamictam varietate. ¶ Hæc de publicis orationibus quantum ad personas & reliquas circunstantias temporis,

Secunda ratio. *Tertia ratio* *Quarta ratio.* *Tertia conclusio.* *V vicleff. V valdenſis* *Probatio cõclusionis.* *Argumẽtũ V vicleph.* *Solutio.* *Quarta conclusio.* *Probatio. 1.* *Probatio. 2.*

poris, locique & modi, tenuiter affirmata, antè quàm ad quintam conclusionem de septenario horarum numero descendamus operæpretium est firmiori antiquitatis molimine & vallo confirmare ac præmunire. Hæc enim omnia naturali iure & vtriusque testamenti diuino, ac subinde humano corroborantur & constabiliuntur. Primùm quippe omnium natura ipsa quæ figmentum est Dei, vniuersos mortales sola eius lege viuentes, vtcunque de deorum varietate perditè ac impiè opinarentur, nihilo minùs docuit quicquid deorum colerent, sacerdotes esse necessarios, & lucos, templaq; & designatas aras, quibus statis horis constitutisque cæremonijs religionem colerent. Cuius bona pars erat psalmos suo more concinere, precesque tam in bellis quàm in quibuscunque alijs negotijs rebusque gerendis ad Deum fundere, tum vt eum sibi propitiarentur, tum vt eidem gratias referrent. Cuius ritus tum alij, tum Maximus Valerius lib. 1. cap. 1. cõmemorat, vbi ait: Maiores statas solennesque cæremonias Pontificum scientia explicatas curasse, vt prisco instituto rebus diuinis daretur opera: videlicet cùm aliquid commendandum esset precatione aut exposcendum voto aut gratulatione exoluendum. Neq; solùm prophanæ historiæ, imò & sacra id contestatur: quippe quæ non solùm de Abraham, Isaac, & Iacob antescriptam legem refert altaria Domino extruxisse: verùm & Melchisedec diuerso sacerdotij genere fuisse perfunctum: de quo ambigendum non est quin statas Deo laudando haberet horas & cæremonias. ¶At nè diu in profanis percensendis immoremur, mos antiquæ legis abundè deberet omne os hæreticorum obstruere. Porrò cùm illic Deus tam attenta cura, etiam dum per desertum illi mortales castrametãtes diuagarentur, tabernaculum fabricari iussit. Ac mox terra promissa potitis magnificentissimum templum quod omni auro omnimodaq; gemmarum varietate splendesceret. Deinde summum sacerdotem vestium ornamento insigniri, aliosq; sacerdotes ac numerosissimam Leuitarum multitudinem, vt Exod. 26. & subsequentibus legitur: qui quidem non solùm sacrificandi muneri, verùm & orandi addicti erant. ¶Sed aiunt omnia illa, cæremonialia fuisse, atque adeò cessasse. Fatemur equidem id quod cæremoniale erat ab vsu aboleuisse, sed tamen cũ hymnis, laudibus, & precationibus Deũ colere in iure sit naturali positum, non solùm hoc aboleri nõ debuit: imò tanto maiori religione lege Euangelica retineri, quanto excellentiùs veritas quàm vmbra id deposcebat. Omnia enim illis in figura contingebant diuinæ veritatis corporis & sanguinis Christi, quæ sub sacramento nostris templis continetur, adoratur, & colitur. ¶Quòd autem ex his ad nostram Euangelicam legem descendamus, à templorum religione sumamus exordium, quæ cùm sint publicarum orationum loca, hæreticis non placent. Attamen quàm Christo placuerint, testatus ipse est, non solùm paruulus ad templum crebro delatus, & cùm esset vir illuc ad festa creberrimè cõscendens: verùm & flagellorum verbere negotiatores inde depellens, eisq; improperans quòd domum patris sui domum negotiationis facerent: Ioan. 2. Et apud Lucam expressiùs, Domus mea domus orationis est. Eadem enim est domus patris & sua: quia eâdem orandi religione trinitas in ea colitur. Nam quàm fuerit Deo gratum in templis habitare, patefecit ipse. 2. Regum. 7. vbi quasi conquestus ait: Neq; enim habitaui in domo ex die illa qua eduxi filios Israël de terra Aegypti vsq; in diem hanc: Sed ambulabam in tabernaculo & in tentorio per cuncta loca quæ transiui cum omnibus filijs Israel. Qua ergo fronte hæretici negare possunt orationis domos quas Deus olim tanti fecit &, Deus idem Christus ab omni negotiatione semotas huic muneri sacratas esse voluit? Quinverò & ipsum proculdubio creditur constitutas habuisse orationes quibus vtebatur. Consueuerat enim, vt habetur Lu. 6. pernoctare in oratione Dei. Et Matth. 26. habetur quòd hymno dicto exijt in templum orare. Quibus verbis certus designatur hymnus quo in gratiarum actione vtebatur. Et Lucæ. 18. Oportet, inquit, semper orare & non deficere, quod vt suprà de alio Pauli, Sine intermissione orate, diximus, intelligi nequit nisi de orationibus quæ statis horis dicuntur. Et. 1. ad Corinth. 11. ait idem Apostolus quòd omnis vir orãs aut prophetans velato capite, deturpat caput suum: mulier autem non velato. Vbi secundùm Ambrosium & alios interpretes iam tunc tempore Apostolorũ mos erat Christianis præscriptis verbis tum fidẽ confiteri, cuius Symbolum ipsi constituerunt: hoc enim appellat prophetare: tũ etiam certis orationibus orare

Primaratio inhereticos citatos.

Valerius Maximus.

Secunda ratio.

Euasiohæreticorum. Replica.

Hæretici tẽplaauersantur.

Primatio inpræteritũerrorem.

Ambrosius

Cõfirmatio. orare, idq; manifestè confirmatur ex illo Lucæ.11. quòd Apostoli tanquàm rem arduam neq; omnibus peruiam vno ore petierunt à Domino: dicentes, Domine doce nos orare sicut docuit Ioan. discipulos suos. Et subdit: Sic autem vos orabitis: Pater noster, &c. Haud ergo negari potest quin Apostolorũ tempore essent certæ orationes constitutæ.

Suffugium hæreticorũ. ¶Sed aiunt hæretici, Non fuit nisi illa quã Christus docuit, Pater noster. Profectò falsum est. Alias enim quaspiam designat. Paul.1. ad Timoth.2. vbi ait: Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus & pro regibus: &c. Duo enim illic designantur. Primum quòd essent differentes orandi modi iam tunc constituti. Secundũ quòd hoc clero potissimùm incumberet. Vnde Chrysosto. eodem loco: Quod, inquit, est hoc? Primum omnium, hoc est in cultura quotidiana & hoc primùm sciunt presbyteri qualiter orationes per vnãquãq; diem fiunt, & serò & manè. Et Isidorus lib.1. de Officijs, cap.8. precibus nobis Dominũ deprecari Christus Dominus & docuit & cõstituit. Cùm enim Apostoli nescientes orare petierunt à Christo, dicentes, doce nos orare: id est compone nobis preces, quas Christus statim docuit, exinde producta est consuetudo ecclesiæ: scilicet vti precibus: instar earum quas instituit Christus: quas quidem primi Græci cœperunt componere. Per hęc ergo Isidòri verba diluitur hæreticorum argutia: videlicet non esse vtendum alia oratione præter illam quam Christus protulit. Haud enim intentio Christi fuit, ad illam præcisè sic populum constringere vt neutiquàm aliam adhibere fas esset. Sed illud ecclesiæ proposuit exemplar, vt quicquid orationum aut precationum & laudum instituerent, ad aliquod illorum membrorum reduceretur. Quare laudum psalmodia refertur ad id, Sanctificetur nomen tuum: Petitiones autem gratiæ & remissionis peccatorum ad illud, Adueniat regnum tuum. &c. Christo ergo orationem toti populo necessariam congruebat instituere: reliquas verò ecclesiæ instituendas illius instar commisit. ¶Hic autem publicus orãdi modus, cùm, vt suprà dicebam, doctrina & arte esset persoluendus, certas personas quibus id incumberet exigebat, quales sunt clerici. Vnde idem ipse Apostolus in priori ad Corinth. cap.14. Cùm conuenitis, inquit, (nempe ad publicas orationes) vnusquisq; vestrûm psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet. &c. Quasi dicat, vnicuiq; diuersum incumbit munus: vt scilicet alij psalmos intonent, alij doceant: alius, scilicet concionator, apocalypsim, hoc est reuelationem interpretetur. Vnde subdit, siue lingua quis loquatur secundùm duos, aut multum secundùm tres: id est illi qui publicè horas soluunt, ordine, numero, & vicissitudine id exequantur. Si verò non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur: id est, qui non habuerit munus loquendi aut cantandi, alios auscultet, tacitus Deum oret. Ecce circa conclusiones quatuor in capite præfixas quàm omnes ab antiquo fundamenta trahant: nimirum ab Apostolorum tempore: nempè & personas fuisse ad orandum decretas, & psalmos, & templa, atque orationes certas. ¶De temporibus autem atque diei horis ad orandum constitutis, quod præsentis disputationis præcipuum est punctum, adhibetur demum conclusio quinta. Septenarius numerus horarum Canonicarum, vt antiquissima est Ecclesiæ institutio, ita & congruentissima atque decentissima: nempè vt post matutinarum nocturnum officium horæ diurnæ sex sint numero: vt videlicet prima, tertia, sexta, nona, vesperi, & completorium. Et primùm quòd nocturnum officium ab Apostolorum sęculo originem duxerit, testatur Hyeronimus super illud Matthæ.25. Media nocte clamor factus est. Ait enim quòd cùm traditio Iudæorum esset Messiam media nocte venturum, in similitudinem Aegyptij temporis quando Pascha celebratum est & exterminator venit, traditio Apostolica vt retur permansit, vt in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceret spectantes aduentum Christi. Vnde & Psalmista dicebat, Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ. Hæc ille. Sed quando in hunc Psalmi versiculum incidimus, multi alij sunt eiusmodi, quibus nocturnarum laudum officium commendatur. Ait enim alibi idem Psaltes, lauabo per singulas noctes lectum meum. Et alibi: bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam & veritatem tuam per noctem. Atque alibi: Memor fui nocte nominis tui Domine.

Chrysosto.

Isidorus.

Quinta conclusio.

Hieronym.

Et

Et quod in Completorio canimus, In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. Non ergo ab Apostolis tantùm mos nocturnæ orationis originem duxit, sed à Prophetarum oraculis. ¶Præterea & eundem nos morem Christus institutor noster re ipsa docuit. Erat enim in oratione pernoctans, vt Luc. 6. refertur. Et, vt habetur Matthæ. 26. media nocte in montem Oliueti ad orandum exiuit: vbi discipulos increpans quòd non possent vna hora secũ vigilare, & à Iuda traditus est, & à Iudæis captus. Quæ quidem mysteria omninò deberent Christianum populum in nocturnis orationibus continere. ¶Igitur quoniam Vvicleffistæ, vt eodem cap. 25. idẽ Thomas Vvalden. refert, huiusmodi nocturnos psalmos contrectant, causantes quòd cùm noctem ad quietem nobis Deus indulserit, nos iam vigilijs insumentes, religionem Christianam grauem reddimus: vt eorũ blasphemiam conteramus, respondemus: ¶Primùm, eandem nocturnam quietem, vt suprà diximus, ad contemplationem, atq; adeò ad orationem naturaliter inuitare: eò quòd tunc sensibus à suo vsu cessantibus mens introrsum pacatior est. Secundò & Prophetarum oracula & Christi exemplum eiusdem rei nos admonent. ¶Sed tertiò, quod in primis ducendum est, id antiqui patres ob id sanctum duxerunt quòd in primitiua ecclesia infestissimæ erant nocturnæ dæmonum incursiones, contra quas ideo nocturnas vigilias orationibus instructas instituerunt, vt lib. de Offi. cap. 19. peregregiè tradidit Isidôrus. Milites nanq; in exercitu, sicuti & in naui nautæ, quatuor stationes nocturnas ordinant, quas vigilias appellant: nimirum singulas tribus horis durantes. Tres enim horas ab occasu solis quando sopor cubare homines cogit, primã vigiliam appellãt: tresq; deinceps vsque ad mediam noctem, secundam: & à media statim nocte appellant tertiam: atque deinde vsq; ad diluculum, quartam. In quibus, alijs dormientibus, alij excubantes inuigilant. Huius ergo instar, in primitiua ecclesia, nimirum ab Apostolorũ sęculo, clerus in tres partes diuidebatur: quarum vna in prima vigilia primum canebat trium psalmorum nocturnum, & alia in secunda secundum, atque alia in tertia tertiũ: vt tam in singulis quàm in omnibus trinitatem profiterẽtur: ac demũ diluculo in quarta vigilia omnes simul ad laudes concinendas conueniebant. Vnde Augusti. de verbis Domini, serm. 14, Venit inquit ergo Dominus ad visitandum discipulos suos qui turbabantur in mari quarta vigilia noctis. Quarta vigilia noctis, extrema pars noctis est: vigilia vna tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias. ¶Et nè hæretici putẽt eiusmodi vigilias sanctorum patrum inuentum fuisse, perspiciant in ipsissimis Christi verbis fundamentum habuisse: vt est videre & Lucæ. 12. vbi secunda & tertia vigilia nominatur: & expressiùs, Marci. 13. Vigilate enim, inquit: nescitis enim quando Dominus veniat: serò, hoc est prima vigilia: an media nocte in gallicantu, hoc est secunda aut tertia, an manè, hoc est hora laudũ: nè cùm venerit, repente inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate. His ergo instructa edoctaque ecclesia, suas stationes atque vigilias collegit. Vnde Valerianus libro primo capi. de matutinis. Vigilias, inquit, tribus horis dispertimus nocturnis, vt non solùm verbo, sed & facto tres vigilias prædicemus: de quibus ait Dominꝰ: Beati sunt serui illi quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes, &c. Qua de re cùm Vigilantius hæreticus illius esset perfidiæ author, quòd nox quieti & sumno indulgenda esset, non autem orationibus terẽda: ista occasione Hieronymus vt in epistola ad Riparium videre est, peruerso nomine pro Vigilantio eum Dormitantium appellauit. Ait quippe: Quòd dicis eum execrari vigilias, facit & hoc contra vocabulum suum, vt velit dormitare Vigilantius: & non audiat Saluatorem dicẽtem sic, Non potuistis vna hora vigilare mecum: Quapropter sequenti statim epistola appellat eum Dormitãtium. Vnde idem Hieronymus ad Eustochium virginem: bis, inquit, nocte terque ad orandum surgendum est. At verò quoniam postmodum aucto clero tantum pondus humana imbecillitas ferre nequiuit, vicissitudo illa cessauit & à toto simul clero tres omnes nocturni cum laudibus vnà cani cœpti sunt: idque in diebus festis: nam in profestis non canitur nisi vnus, sicuti & in Paschali tempore. Et quanuis alij primam vigiliam elegerint, alij verò tertiam, plurimæ tamen ecclesiarum ac religionum mediam noctem constituerunt tãquàm orationi, iuxta Dauidis testimonium, aptiorem. Haud quippi vti Ambrosius super Psalmum cẽtesimum decimumoctauum author est, inconsulto di-

Obiectio. Vvicleffistarum nocturnum officiũ damnatiũ. Prima solutio.

Tertia. Secunda.

Isidorus.

Ratio decantãdi officiũ diuinum in primitiua ecclesia.

Augustinus

Valerianus

Vigilantius

Hieronymus

Ambrosius

xit, Media nocte. tunc enim feruet carnis illecebra, coquitur cib⁹, potusq; digerit. Qua occasione tentator multis tentamẽtis & carnẽ illidit & animũ occupat. Hæc ille. Vnde Petro inter punctum mediæ noctis & gallicantum ardor fidei refrixit, & calori tẽpora lis ignis admotus Christum negauit. Quocirca huius temporis relaxatio non ita facilẽ aut peti aut cõcedi deberet. Ferè enim iam cathedrales ecclesiæ sanctum illum priscorum rigorem remittentes, indulta ab Apostolica sede impetrant matutinos psalmos appetente nocte soluendi. Sic enim omnia labascũt. ¶ De horis autem diurnis testimonia quoq; sunt & rationes nõ minoris energiæ. In primis tres horæ, nempe tertia, sexta, & nona viuentibus ipsis Apostolis celeberrimæ erant ad orandum, Extat enim Actuũ primò, memoria, quemadmodùm post ascẽsionem Domini Apostoli essent Hierosolymis vnanimiter in oratione perseuerantes, neq; dubium sit quin in oratione solenni, quæ sicut modò in choro ab omnibus celebrabatur. Vnanimiter enim non tantũ cordium vnitatem, verùm & vocũ cõcordiam designat: ac tandẽ hora tertia, vt 2. cap. legit, Spiritus sanctus illis apparuit, linguarum cordiumq; inflammator, Quocirca ambigi non debet quin illa tunc hora destinatos psalmos dicerent. Qua de causa ecclesia illo tunc vtitur hymno: Nunc Sancte nobis Spiritus, &c. De sexta verò legitur Actuum. 10. nimirum vbi Petrus refertur circa horam sextã in superiora, vt oraret, ascendisse. Sed de nona mentio etiam fit Actuum. 3. Habetur enim quòd Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Quin verò easdem horas more & vsu Hebræis fuisse celebratas, præter coniecturam quæ maxima est, authores non desunt qui astruant. Cyprianus nanq; in calce libr. de oratione Dominica: In orationibus, inquit, celebrandis inuenimus obseruasse cũ Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextã, nonam. Alludit tum ad illud Danielis. 2. quòd illi tres quasi ex vno ore laudabant, glorificabant, & benedicebant Deum. Et ad id potissimùm Danielis. 6. vbi refertur quòd contra Hierusalẽ ter in die flectebat genua sua, & adorabat cõfitebaturq; coram Domino Deo suo, sicut & antè facere consueuerat. Erat enim prophetis solennis, fixis statisq; horis concinendi vsus. Vnde Primi Regũ. 10 ait Samuẽl Saúli: Cùm ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosq; prophetãtes: hoc est Spiritu prophetico psallentes. Et insiliet in te Spiritus Domini & prophetabis cum eis. Vnde in prouerbiũ exijt, Nunquit Saul inter prophetas? Addit præterea illic Cypria. illis tribus horis mysterium trinitatis fuisse præsignatũ, quod in nouissimis temporibus manifestandum erat. Eundem prorsus horarũ numerum, scilicet tertiæ, sextæ, & nonæ, in eodem Daniele fundat Isidorus lib. 1. de Offic. cap. 19. Illo ergo tunc Apostolorum sæculo non reperitur mentio nisi illarum trium horarum ante meridiem, prima subtacita. Quare Hieroñ. super eodẽ loco Danielis. 6. Has, inquit, tres horas, scilicet tertiam, sextã, & nonã, ecclesiastica traditio intelligit. Hæc ille. Conijcio nanq; quòd illo tunc tempore quo ter ad nocturnos psalmos surgebatur, laudesq; in aurora cantabantur, superflua ducebatur alia hora vsq; ad tertiam. Vnde idem Hieroñ. ad Eusto. de horis ad orandũ diuisis loquẽs, horam inquit tertiam, sextã, nonam, diluculum quoque & vesperam, nemo est qui nescíat. Vbi diluculi nomíe laudes forsan intelligit. Et quo coniecturis agere pergamus. Cassianus libro. 3. de institutis monachorum, cap. 4. cuius Isidorus meminit lib. 1. de Offi. cap. 23. Sciendũ, inquit, hãc matutinam quæ obseruatur in occiduis vel maximè regionibus, canonicam functionẽ nostro tẽpore nostroq; monasterio primitùs institutam. Matutinã ergo fortè appellat quam nos primam. Quô etiam referri videtur verbum Cypriani loco citato: scilicet Sed nobis fratres dilectissimi præter horas antiquitùs obseruatas orandi, nũc & spatia & sacramenta creuerunt: nam & manè orãdum vt resurrectio Domini in matutina celebretur. Antiquas ergo horas appellat tertiam, sextam, nonam: cui addit & primam. ¶ Atqui horæ istæ per diuisionem artificialis diei sunt intelligendæ vt quocunq; anni tẽpore ab ortu solis incipiat prima. Tertia autẽ finitur in tertia diei hora: & sexta etiã ab eodem solis ortu. Sic enim intelligendæ sunt illæ horæ, Matthæ. 20. nempe q̃ paterfamiliãs exijt summo mane conducere operarios: deinde hora tertia atq; hora sexta. ¶ De vesperis autẽ & cõpletorio ait loco citato D. Hieroñ. neminẽ esse, qui nescíat: quasi res

De horis diurnis testimonia è sacris accersita.

Cyprianus.

Horarũ diurnarũ numerus in veteri testamẽto fundatus Isidorus. Hieronym⁹

Cassianus. Isidorus.

De horarũ diuisiõe & exordio.

si res esset antiquissima & vniuersis Christianis receptissima. ¶Atqui de cõpletorio ait loco citato Ambrosius venire illi in mẽtem auium recordationem quæ cùm eunt cubitum quasi peracto lætè munere æthera cantu mulcere consueuerunt. Quod velut à surgente & occidẽte die semper instaurare cõsueuerunt, vt vel decursu vel adorto noctur no diurnoq; tempore, iustas laudes suo referant creatori. Vnde magnum incentiuum excitandæ deuotionis sumẽdum nobis est. ¶Igitur vt quæ dispersim commemorauimus, collectim ad nostram confirmandam conclusionem applicemus. Tribus de causis septenarius iste numerus canonicus instinctu Spiritus sancti sanctissimus est Christianæ familiæ. Prima scilicet eademq; ad literam potissima, vt iuxta Christi præceptum & Paul. monitũ, iugis neq; intermissa in nobis persistat Dei memoria, lausq; & gratiarum actio, ac demum deprecatio & fauoris petitio. Nã cùm in die naturali sex sint horarum ternarij, cùm in singulis statos habemus psalmos, perpetuo circulo in oratione persistimus. Mox & Trinitatem quę nostrę est fidei confessio, trinis quibusq; horis profitemur, nam pari ratione eodem numero & psalmos & orationes distribuimus. Accedũt deinde tertio & mysteria, tum alia, tum etiam Christi: quæ glossa colligit super cap. presbyter. de celebra. Missar. Quod quidem est Concilij Agathen. celebrati sedente Zozimo Papa, sub anno Domini quadringentesimo vigesimo: vbi prædictæ omnes horæ tam diurnæ quàm nocturnæ persolui iubẽtur. Cauẽda autem est deceptio nẽ quis putet, vt hæretici blasphemare attentant, tunc primùm fuisse institutas. In hoc enim superiora adduximus testimonia vt eas de antiquitate & tempore Apostolorum deducere mus. Quare illic tanquàm res antiqua confirmatur. Mysteria autẽ sunt quòd septem existunt hebdomadæ dies, quibus mundus fuit creatus: septemq; Spiritus sancti dona, quibus recreatur: ac septem mundi ætates, quibus duraturus est: septemq; adeò petitiones dominicæ orationis, quibus eadem dona postulamus. Christus autem matutinali hora captus est, & per reliquas diei passus. Vnde versus: Hęc sunt septenis propter quę psallimus horis: Matutina ligat Christum, qui crimina purgat: Prima replet sputis, causam dat tertia mortis: Sexta cruci nectit, latus eius nona bipertit. Vespera deponit, tumulo completa reponit. Ex his ergo cunctis quę dicta sunt colligitur, septem esse Canonicas horas: secundùm illud Psal. Septies in die laudem dixi tibi. Accipitur enim illic dies pro naturali, vt noctem includat. Quare non sunt audiendi qui matutinum à laudibus separantes, octo connumerant.

De Completorio.

Ambrosius.

Trina & causa septẽ horæ Canonicæ in ecclesia institutæ

Glossa.

AD primum igitur argumentum suprà obiectum Vicleff. vsque adeò negatur horarum canonicarum pensum graue esse, vt affirmemus esse suauissimũ. Ad illud autem quod insinuat nõ esse in ecclesiæ facultate aliquid sancire, quod in altero duorum testamentorum expressum non sit, plura respondemus. Primum illud est hæreticum fundamentum, atq; illius bestiæ quam Ioã. Apocalyp. 3. vidisse scripsit, quæ cùm agnus videretur cornua gerens in fronte, draco tamen erat. Super quo loco ait Augusti. serm. 11. hæreticam illic ecclesiam significari: quæ cùm, ceu agnus Christi, duo in fronte cornua, hoc est, duo testamenta prę se ferat, draconis tamẽ morsu Ecclesiã Catholicã dilacerat. Hæc ille. Habet enim ecclesia catholica potestatẽ à Christo Apostolicam qua leges posit condere, quas vel ex sacra pagina elicit, vel ad Christianorum ornamentum necessarias ducit. Instar nimirum Apostolorũ qui suis vestimentis iumenta illa strauerunt quibus Christꝰ Hierosolymam ingressurus molliùs incederet. Ait quippe super eodem loco Hieronym. quòd vestis Apostolica, vel doctrina virtutum vel editio scripturarum intelligi potest: sicut ecclesiasticorum dogmatum varietas, quibus nisi anima instructa fuerit, sessorem habere Dominum non meretur. Et Anselmus: Vide inquit quòd super iumentum ponebãt Apostoli vestimenta sua, sed cætera Iudaica turba sub iumenti pedibus: quia mandatis Apostolorũ instruimur & ornamur: legis autem antiquæ mandata cõculcamus, dum carnales obseruationes & circuncisiones reprobamus. Adde q̃ Ecclesia non solùm intus per Spiritum sanctum edocta, sed viua voce Apostolorum & Christi illustrata eiusmodi horarum religionem amplexa est. ¶Ad secundum respondetur quòd in orationibus priuatis nõ opùs est voce, sed satis est mente orare, nisi ad excitandam deuotionem. Quod autem Christus & Paul. secundùm ipsum ait, Spiritu & mente orandum: nihil aliud edocent quàm quòd orantis psallentisq; vox nõ debet esse

Ad primũ argumẽtũ.

Augustinꝰ.

Anselmus

Ad secũdũ argumẽtũ.

sicut auium garritus: sed mẽte & spiritu plena. ¶ Tertium argumentum articulo tertio plenius dissoluetur, vbi monstrabitur clericorum sacris initiatorum officium, etiam si curam gerãt animarum, esse horarum munus persoluere.

Ad tertium argumẽtũ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm congruens sit & decorum vt horæ Canonicæ, Psalmorum, Hymnorumq; alto cantu psallantur.

POST horarum Canonicarũ substantiam & institutionem subsequitur modò explorare vtrùm cãticis & hymnis sint psoluendæ. Nam idem Vvicleff. vt eodem tomo. 5. cap. 16. Thom. Vvalden. refert, & de hoc catholicos subsannabat, q alto cantu laudes & preces ad Deum inclamarent. Quam quidem hæresim Lutherani suscitarunt, obridẽtes ceu ridiculis nobis quòd vocibus in templis obstrepam⁹ Deo. Argumentum istorũ est quòd Deus nõ est surdus aut dormiens, vt clamoribus nostris, quibus excitetur, indigeat. Quocircà nos Baalaticos appellant, hoc est sacerdotibus Baal similes: quos, vt 3. Regum. 18. refertur, deridens Elias vt altiùs inclamarẽt irritabat subdẽs: Deus enim vester forsitan cum alio loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere aut certe dormit, vt excitetur. Et me dum inter illos agerem quãdoq; de eâdem re sic conueniebant: Nunquid si tu cum Cæsare cãtando colloquereris, aut aliquid ab illo altissimis vocibus & musico artificio deposceres, non deridiculus esses? Quid ergo coram Deo facere non veremini quod nõ audetis coram Cæsare? ¶ Secundò arguitur exẽplo illius matronæ Samuẽlis matris, quæ vt initio lib. 1. Regũ refertur, pressis labijs adeò silẽter orabat, vt temulẽta appareret. Quod quidem exemplum quasi orantium figura inter sanctos celebratissimum est. Vnde author in perfecti homilia. 13. Possum⁹ inquit intelligere, vt ostium domus, os corporis, vt non clamosa voce oremus Deum, sed desiderio tacito. Nam ex clamosa inquit oratione multa mala nascũtur: maximè hæc tria. Primum quòd clamosa voce orans non credit Deum vbique esse & secreta audire. Secũdum quòd mysteria secretarum suarum petitionum, quæ fortè non oportebat alterum præter Deum scire, auribus bonorum & malorum audienda committit. Tertium denique quòd clamosè orãs alterum iuxta ipsum astantem orare nõ sinit. Id quod experientia testatur. Nam dum in ecclesia canitur, non possunt astantes orare, vocibus eorum sensus rapientibus. Accedit postremò quòd musica qua sæculares in suis festis vtuntur, sacra prophanare videntur. ¶ In cõtrariũ est autem illud Dauidis Psalm. 149. Cantate Domino canticum nouum. Et rursùs: Laudent nomen eius in choro. Cui accedit & Concilium Toletañ. quartum, de consecratione, dist. 1. cuius verba sunt, De hymnis canendis, & Saluatoris & Apostolorum habemus exemplum.

Vvicleff. Vvaldens.

Primum argumẽtũ.

Argumẽ. 2.

Postremum argumẽtũ.

Concilium Toletanum.

CVM tantoperè isti rerum nouatores & ecclesiasticarum rerum perturbatores ecclesiasticos cantus, vt modò dicebam, propellere à Christiano cœtu contendant, non satis rei præsenti feciſsemus nisi hunc addidissemus articulũ, de quo sanct. Thom. 2. 2. q. 91 nonnihil tetigit. Ad quem vnica eademque ecclesiæ receptissima respondetur conclusione. Cantus ecclesiastici quibus horæ Canonicæ solenniter celebrantur, vt in ecclesia sunt optima ratione constituti, ita sunt & antiquissimi. ¶ Et quò rationibus testimonia claresçant, ab ipsis est nobis sumendum exordium. Sed est cum primis adnotandum, horas Canonicas in quibus religio colendi Dei consistit, tres habitudines inter nos & Deum continere. Prima est diuina laudatio, quam quidem ei propter seipsum tanquã summo bono debemus. Hac enim de causa illa à nobis debetur confessio, quòd sit summè infiniteque bonus, iustus, misericors, &c. atque adeò cunctipotens: omniscius, & quicquid boni in rebus existit immensa sua continet essentia: & ppterea concinimus ei Hymnos & Psalmorum laudes. Secunda earundem horarum ratio est vt quicquid nobis ad vitam salutemque tam temporalem quàm spiritualẽ necessarium est, ab ipso petamus, confitentes nos suas ipsius esse creaturas, atq; nil nobis boni nisi ab illo posse cõtingere. Tertiũ deniq; officium quod illi orando persoluimus, est gratiarum actio pro receptis beneficijs. ¶ Hoc autem suppositio, rationibus pluribus demonstratur conclusio. Primùm enim omnium, laudum cõditioni adeò cantus non repugnat vt maximè ei congruat.

Cõclusio responsiua.

Prima ratio cõclusionis.

Nam

Nam si naturale hominũ ingeniũ consulamus, inde heroica carmina ortũ habuêre, vt ipsis sonoro metro decurrẽtibus, Herôũ laudes & gesta canerẽt. Quod & Poẽta Æneidũ principio significans ait: Arma virumq; cano. Quare Arist. 8. Poli. cap. 5. & Boẽti. in Prol. Musicæ permultũ Musicã cõmendãt, ceu rẽ ad morũ affectus plurimũ cõferentẽ.

Secunda ratio. ¶Imò verò, vt secundũ subnectamus argumentũ, symphonia in eiusmodi canẽdis laudibus adeò est naturalis, vt etiã authori ipsi naturæ in cœlis eodẽ modo cõcini referant. Vnde Apocalyp. 4. de sanctis animalib⁹ refert Ioan. quod requiẽ die ac nocte non habebant, dicentia, Sanctus, Sanctus. Vnde in Missæ Præfatione seipsam ecclesia cohortatur vt quemadmodùm cœli cœlorumq; virtutes, Cherubin quoq; & Seraphin socia exultatione clamare non cessant: ita ipsa cum eis cõcinat. Quare & Deo supplicat vt suas etiã cum illis voces admitti iubeat dicentis: Sanctus, Sãctus, &c. Quapropter nõ immeritò sunt qui fateantur veris vocibus, licèt supernaturalibus, Deum in cœlestibus laudari. Atque rei huius testimonium terris angeli desuper attulerunt: vbi pastoribus nato Domino, non solum cum splẽdore diuinæ gloriæ affulserunt, verùm & cantantes intônarunt: Gloria in excelsis Deo. Vnde circa

Gregorius. finem secundi lib. de Epipha. Grego. Cum pastoribus, inquit, venerare, cum Angelis hymnum dicito, cum Archangelis choros ducito. Sit nobis ista communis solennitas terrestribus cum cœlestibus cõmunis. Qua ergo oris impudentia hæretici hæc laudum præconia negare possint? Hac enim de causa militans ecclesia, nempe quòd societatẽ cũ triumphante initam referat, in duos choros clerũ partitur, qui alternis vocibus laudes intonent, atque altero sedente alter stet: videlicet vt qui stat, militantium aciem repręsentet: qui verò sedet, triumphantiũ requiẽ. Quare cùm vterq; alteri respondeat, ambo, nẽpe angelicus atq; human⁹ chorus eundẽ Deum pulcherrima concordia venerantur.

Tertia ratio ¶Tertium post mortalium naturã & immortalium conditionem argumentũ sumitur ab antiqua lege. Eundem nanque canendi ritum eodemq; diuino numine affulsus Dauid, psalterium cithara composuit quo canere diuina mysteria consueuerat. Cantabiles enim, inquit, mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Quo quidem ritu nõ solùm Deo quicquid animo gerebat intimabat, verùm & ad depellendos obsessores dæmones vtebatur, vt patet. 1. Reg. 16. Nimirum futuram ecclesiam admonens: vt Psalmorum cõcentu insultantes dęmones fugitaret. Quocircà & in domo Dei, vt legitur. 1. Paralipom. 23. quatuor milia Psaltes constituit, canentes Domino in organis quæ fecerat ad canendum. Ob idq; Psalmo. 148. & duobus sequentibus omnimodè sanctos Dei admonet, vt hymnis & canticis, omniq; musico instrumento Deo laudes resonent. Accedunt & in rei confirmationem celeberrima illa spiritualia cãtica quæ sancti Prophetæ & Patres illius legis spiritu sancto dictante ceciniſſe legũtur, & nunc ecclesia per hebdomadam cõcinit. Vt cantica Moysi, Annæ, Delboræ, Isaiæ, Ezechiæ, cæterorũq; Prophetarum.

Quarta ratio. ¶Neq; est cur quispiam reclamet, cantiones illas tẽplo illi non nostro congruere: nam cùm illud figura fuerit nostri, multò nos magis cõ decent. Vnde, quòd quartum sit argumentum, cùm Christus Hierosolymam ingreditur, vbi ingressus in ecclesiam nostram designabatur, concentu puerorum psallentiũ & cantantium, Hosanna fili Dauid, except⁹ est. Atq; obmurmurantibus Iudæis Dominumque interpellantibus qui illos tacere iuberet, respondit: si tacuerint, lapides clamabunt. Igitur si horæ Canonicæ quaten⁹ laudes diuinæ sunt existimentur, congruentissimum est vt canticis persoluantur.

Quinta ratio. ¶Quòd si, vt gratiarum actiones proferantur, non minùs eis cantio congruit. Id quod Christo ipsi, ex quo quintum sumitur argumẽtum, in more & vsu fuisse testatur: Matthæ. cap. 26. vbi postremam enarrans cœnam ait: Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti. Vnde colligitur Christum cum suis gratiarum actiones cantando fecisse. Ait enim Isidôrus libro sexto Etymolog. cap. 34. quòd hymni sunt cantica laudantium Deũ. Quare si sit inquit, laus, & non Dei, non est hymnus: & si sit & Dei & laus, & non cantetur, non est hymnus. Qua de re Augusti. in illo libello quem de laude spiritualium canticorum inscripsit, ex eo quòd Zacharias hymni voce prophetauit, & Angeli Gloria in excelsis Deo, intonarunt, & pueri Hierosolymitæ Hosanna inclamauerunt, & Christus hymnum cum discipulis concinit, sic colligit: Quis iam habito tali documẽto de psalmorum & hymnorum religione dubitauerit: quãdo ille qui à cœlestibus adoratur, &

Isidorus.

Augustin⁹

psallitur, ipsum cũ discipulis hymnum cantasse perhibetur: Et Ioan. inquit in Apocalypsi, refert se spiritu reuelante vidisse & audisse vocem aquarum multarum, & tonitrum multorum dicentium Alleluia. Hæc Augusti. ¶Neq; verò si solẽnem orandi religionem sub precũ ratione mediteris, deerit Apostolicum exemplum, vt cantus melodia fiat. ¶Est nanq; sextum argumentũ, id quod Actu. 16. legitur: nẽpe quod cùm Paulus & Silas in carcere custodirentur, adorantes media nocte laudabant Dominum, nimirum suam causam illi proponẽtes. Et audiebant eos qui in custodia erant, & subitò terræmotus factus est magnus, omniaque ostia aperta & omnia soluta vincula. vbi se cũdùm Bedam alia litera habet quòd hymnum dicebant. Quo loco hymnorum psalmorumq; vim idem doctor adnotauit: admonens vt quicunq; fideliũ in tentationes varias inciderit cum Paulo & Sila, inter carceris tenebras hymnîzet, & cum Psalmista Domino canat, Tu es præsidium meum à pressura quæ circundedit me. In qua item Apostolica autoritate illorũ trium differentia meditanda est: nempe hymnorum, psalmorum, & canticorum, quam & ad Colossen. 3. repetit vbi ait: Commonentes vosmet ipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris. Quo loco in suis annotationibus Hierony. Hymnis, inquit, vt trium puerorũ, psalmis, vt Dauid, cãticis vt Moysi & aliorum. Hęc ille. Canticum enim simplicem vocum intonationem designat: hymnus carmen: psalmus verò est, qui instrumẽto musico psallit ¶Adde & quòd ad Ephes. 5. idem admonet Apostolus: Implemini enim, inquit, Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallẽtes in cordibus vestris Domino, gratiam agẽtes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi. Vobis inquit metipsis, id est in choro vestro alternis vocibus: & in cordibus vestris, hoc est vt spiritus ex corde profectus cantum viuificet. ¶Antiphonas verò, vt Isidorus lib. 1. de Offi. cap. 7. author est, Græci primi composuerunt: quos posteà Ambrosi. imitatus Latinas excogitauit. Sicut & hymni, vt Eusebius lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ. c. 18. refert, in cõuentibus sancti Marci in Alexãdria cõpositi sunt multi: quibus & idẽ Ambro. & Hilarius plures addiderunt, vt illic cap. 6. ait Isidorus. Responsoria verò ibidem Isidor. cap. 8. tradit abortalis lõgo antè tempore sunt reperta, & inde sic vocata quòd vno canẽte chorus cõsonando respondeat. Lectiones enim, vt de institutis clericorum, capi. 80. ait Rabanus, antiquissimæ religionis à Iudæis deriuatæ traditio est vt choro sedente, ab vno stante legantur: qua finita chorus concinendo respõdeat: & inde dicta sunt respõsoria. Quin verò, vt Cassiodorus lib. 10. historiæ partitæ refert Ignatius Antiochię Syrię tertius post Apostolum Petrum episcop⁹, atq; adeò cũ ipsis Apostolis conuersatus, vidit Angelorũ visionem quomodò per antiphonas sanctæ Trinitatis dicebant hymnos. Itaq; modum visionis Antiochenæ probatur tradidisse ecclesiæ: & ex hac ad cũctas trãsiuit ecclesias. ¶Multa deniq; alia commemorari possent, quibus antiqua hæc ratio laudandi Deum canticis confirmaretur, quatenus ad naturã rei attinet laudandi, deprecandi, & gratias agendi. Sed illis prætermissis ad alios arguẽdi locos descendamus, qui ex parte nostra sumuntur. Cantus enim ecclesiastici, præterquàm quod sic cõmodè Deus laudatur, per magnam habent energiam ad nostram excitandã deuotionem. Nam cùm sensus sint mentis organa quos musica suapte natura demulcet, illa ratione mens in sublime rapit ad diuinam maiestatem cõtemplandã. Vnde Raban⁹ de institutis clerico. cap. 76. Psalterium inquit idcirco cum melodia cantilenarum suauiũ ab ecclesia frequẽtatur, quô facilius animi ad cõpunctionem flectantur. Et Augusti. lib. 9. cõfessio. cap. 7. refert quem admodùm tempore suo Mediolanẽsis ecclesia genus hoc cõsolationis & exhortationis celebrare susceperit vt fratres vocibus & cordibus magno studio concinerent, ad depellẽdum mœrorem quo propter hæresim Arrianorum Christiani animi tabescebant: tunc enim, inquit, & psalmi vt canerentur secundùm morem Orientalium partium, nè populus mœroris tædio contabesceret, institutum est. Quod non est sic intelligendum ac si noua tunc fieret institutio: Imô erat instauratio illius quam illi hæretici depulerant. Et libro. 10. cap. 33. voluptates inquit aurium tenaciùs me implicauerant & subiugauerant, sed resoluisti & liberasti me nunc in sonis quos animãt eloquia tua, cũ suaui & artificiosa voce cantantur. Et infrà cũ Athanasij Alexandrini epi morẽ meminisset, qui tã modico flexu vocis faciebat sona re

Argumẽ. 6. pro cõclusione.

Beda.

Argum. 7.

¶ Antiphonas primis Græci cõposuerũt teste Isidor. Eusebius.

Responsoria vnde instituta.

Rabanus.

Cassiodorus

Ratio prima pro cãtibus ecclesiasticis ex parte hominis sumpta.

Rabanus.

Augusti.

sonare lectorem psalmi, vt pronuntianti vicinior esset, quàm canenti, subdit: verùm tamen cùm reminiscor lachrymas meas quas fudi ad cantus ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meę, & nunc ipse cõmoueor, non cantu, sed rebus quæ cum liquida voce & conuenientissima modulatione cantantur, magnam instituti huius vtilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis & experimentum salubritatis, magisq; adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectũ pietatis assurgat. ¶ Quin aliam egomet mihi rationem adhibeo eiusmodi cantiones extollendi. Valent enim & ad amorem erga nos Dei magnificandum: nam quis non vel de hoc Deum suum amet, qui religionis officium tam necessarium, sed tamen quòd ex alia parte nonnihil posset afferre molestiæ suo sancto numĩe instituit, vt talis à nobis melodia impenderetur, quæ & laborem leuaret, & animum recrearet ac demulceret, Adde quòd & clementiorem eum nobis eiusmodi spirituales cantilenæ exhibent: nam qui fert vt crimina nostra quibus suam iustitiam offendimus, quæque adeò lugenda potiùs essent & omni mœrore plangenda, harmonico cantu ad suas perferamus aures, quomodò eum non credamus patentissimis esse in nos visceribus, atque ad nobis indulgendum paratissimum? Vnde Lactãt. lib. 6. Diuinarum institutionum. c. 22. Postq̃ sæcularem melodiæ suauitatem quæ humanos animos labefactare solent reprobauit paulo inferiùs subdit: Itaque si voluptas est audire cantus & carmina, laudes Dei canere & audire iucundum sit. ¶ Postrema verò horum nostrorum argumentorum clausura quæ sanè rem planissimè pandit, ab experiẽtia sumitur. Qui enim has cantandi ceremonias cõdemnant, interesse catholicis ecclesijs cuperem, in quibus concentus cum venustate & religiosa modestia canitur & postea, vt hæreticorum templa viserent, vbi silentium nihil aliud quàm ecclesiarũ cadauera refert vt illo discriminis interstitio de vtroque iudicarent. ¶ Hoc verùm tamen in calce demũ quæstionis silendum non est quòd, vti in reliquis sanctis ceremonijs accidit, ita & in hac potest absurdus excessus obrepere: nempe si profana inter spirituales cantiones admitrãtur, vel aliqua quæ pias aures offendant, vt in natalitijs Domini & in alijs festis diebus alicubi consueuit. Aut si ex præfectorum incuria ineptissimi ad canendum admittantur qui aures obtundant & attentionem perturbent. Quæ quidem Hiero. vt dist. 92. can. Cantantes. refertur, reprehendit. Quanuis hoc pro ratione populi expendendum est. In villis enim & rusticanis opidis etsi haberi non possit vrbicus canticus, non ideo est absurdus existimandus. ¶ Organorum autem vsus, neutiquàm est repudiandus, cũ & sacris testimonijs comprobetur, & vbiq; sit celebris. Tametsi in Capella Pontificiẽ Sũmi non sit admissus. Alia verò instrumẽta neque prorsus approbanda sunt, neque omninò respuenda, sed consulenda est prudentia quænam illorum locum sanctitatis deceant. De quibus Sanct. Thom. quęstio. citata, nil aliud inquit, nisi quod antiquo populo magis quàm nobis congruebant.

Ratio altera autoris.

Lactantius.

Postrema ratio.

In ecclesiasticis cantibus excessus immodicus, & vituperabilis esse potest.

Organorum vsus.

Iudiciũ de aliis instrumentis musicis.

AD primum igitur argumentum respõdet, vel de hoc hæreticos esse blasphemos quòd ecclesiasticos cantores cum sacerdotibus Baal cõponunt. Haud enim de hoc Elias illos irridebat quòd canerent, sed quòd lapides, & marmora, & mortuos homines, ac denique dæmones illa ratione colerent, quos arbitrabantur clamoribꝰ esse ad audiendum excitandos. Qui verò ad animi lætitiam & deuotionem excitandam canunt, seu vt Deo illum referant honorem, laude digni sunt, non vituperio. Sicuti Hierosolymitę Christo acclamãtes Hosanna. Et pueri in fornace, angelorũ instar, Hymnos psallentes. Quare neque aliud simile quod ab humana maiestate ad diuinã afferũt, quidpiã ad rem attinet. Eòenim nõ decet coram humanis principibus preces cantando fundere, quòd non sunt vt dij colendi: tametsi & heròum laudes, vt suprà diximus, in ipsorum præsentia, cani soleant. ¶ Secundum autem argumentum ab Anna Samuelis parente deductum: de priuatis tantùm orationibus procedit, atque adeò sanctorum documenta quibus iubemur silẽter orare. Secùs autem se res habet de solennibus quæ nomine publico fiunt. Neque vllum est absurdum vt dum in choro canitur, populus, si orare nequit, auscultet. Ad postremum autem verbum respondetur quod secularis musica in ecclesijs nõ est licita: ecclesiastica verò non est profana.

Ad Primũ argumentũ.

Ad secũdũ

Apostre dmum.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm tam illi omnes qui sunt sacris initiati quàm qui titulum habent ecclesiastici sacerdotij, ad horas dicendas teneantur

IN primo articulo monstratũ est quemadmodum ad orandum solenniter necessarium fuerit quatuor esse constituta nẽpe personas, orationumq; substantiam, loca & tempora, quibus & ex ipsa natura rei quintum intelligitur adhiberi, videlicet intentionem atque attentionem De primo ergo, scilicet de personis, in isto articulo, de reliquis verò in subsequentibus dicendum est. At quòd non omnes qui sacris initiati sunt teneantur ad diuinum officiũ, arguitur argumento illo quod suprà tetigimus. In ecclesia dispertita sunt clericorum munia: alij nanque animarũ curæ sunt mãcipati, alij verò vel ad prædicandum, vel ad alia negotia quæ ad rem ecclesiæ attinent: ergo illi qui alijs sic impediũtur, nõ est cur ad horas canonicas obligentur. ¶Pari modò arguitur secundò, quòd neque omnes sacerdotia habentes ecclesiastica ad horas soluendas teneantur: tum quòd beneficia propter diuersa officia sunt instituta, vt præstimonia, quæ, vt fertur, ratione studij constituta sunt: tũ etiam quòd eâdem ratione qui in religione ante professionem probantur canonicum officium pendere tenerentur. eò quòd illis fructib⁹ pascuntur quibus populus propter ciusmodi spiritualia officia religiosis erogat. Quod tamen non est rationi consonum. ¶Tertiò denique arguitur. Si ciusmodi clerici ad horas dicendas teneren tur, id maximè esset de iure diuino, in quo religionem horarum canonicarum funda tam esse suprà monstratum est. Quod si verum est, consequens fieri videtur vt Papa super his dispensare nequeat, cuius tamen cõtrarium mos habet & vsus. ¶In contrarium autẽ est cap. Præsbyter. de celebratione Missarum. quo omnes præsbiteri obligantur ad diuinum officium: vbi nomen præsbyteri secundùm glossam extenditur ad omnes clericos: iuxta tenorem capitu. Si quisquã. de cohabitatione cleric. & mulier.

Primũ argumentum

Secundum.

Tertium.

DE hac quæstione quædã sunt inter Doctores cõstituta, quædam verò quæ vix possunt certa ratione definiri. Duę inquam causæ pro certis habentur quarum per se vtraque ad pensum horarum canonicarum obligat: nempe ordo sacer & ecclesiasticum beneficium. ¶Ad quæstionem igitur duabus conclusionibus respondetur. Prima: Omnis clericus in sacris, puta subdiaconus & illo superior tenetur officium persoluere diurnum ac nocturnum. Conclusio est quã tenet glossa, complectiturque Panormita. & reliqui Doctores canonici iuris præcipui nominis, super dicto cap. præsbyter. de celebratione Missarũ. Est & sentẽtia diui Thomę quotlibeto. 6. art. 8. & vnanimiter Theologorum. Nam quanuis in dicto cap. quod, vt suprà diximus, est concilij Agathẽ. de solo presbytero mentio fiat: tamen Innocen. cap. dolentes. minores etiam clericos exprimit. Et dist. 92. cap. finali expressiùs obligan tur presbyter, diaconus, & quilibet clericus ad quotidianum officium. Ratio autẽ, quæ optima est iuris interpres, inde emergit, q̃ qui sacris initiatur, singulari Dei cultui mãcipatur, atq; in illo constituitur statu qui ad diuinas laudes instituṫ⁹ est: iuxta illud Isai. 43. Omnem illum qui inuocat nomẽ meũ, in laudem meam creaui illum, laudũ autem ordo & modus, vt suprà diximus, ab ecclesia lege sancitus est: ergo eo ipso quòd quis in clericorũ ordinẽ suscipitur, tali est vinculo obligatus. Quapropter, hoc quàm maximè cupio cunctis clericis esse persuasissimum, vt quicquid negotij eis incumbat, siue literarum studium, siue gubernandi, aut legendi munus, aut etiam prædicandi, constitutissimum habeant nunquàm vllam interpolare canonicam horam: certò videlicet scientes hoc esse proprium genuinumque eorum officium, atq; adeò cũctis alijs prę ferendum. Eò præsertim quòd tempus statis orationibus dicatum, ex quocunque alio succidatur negotio, nunquàm impedimento est, Deo sic disponente, quo minùs bene expediatur. ¶De clericis autem qui in minoribus sunt ordinibus constituti, quique nulla potiũtur ecclesiastica præbẽda, quãq̃ Panorm. loco citato in alteram partem pro pendeat, absq; dubio credendum est ad nullas teneri canonicas horas. Neque eius ratio vllius est momẽti: videlicet quòd, vt ipsum nomen clerici sonat, assumuntur in sortem domini. Haud enim sic assumuntur, vt statum finiter mutẽt: nam quandiu integrũ illis est matrimonio se copulare, statum nõ mutant.

Duæ causæ ex quib⁹ oritur obligatio ad p̃solũdas horas canonicas.

Prima conclusio.

Glossa, Panormita. D. Thomas.

Innocentius

Ratio cõclusionis.

Clerici in minorib⁹ cõstituti, ad nullas horas canonicas tenetur, cõtra Panormita.

mutãt. Itẽ quia functio illorum ordinum in solo præparamento templi vasorumq; finitur: neque ordinem habet proximum ad eucharistiæ sacramentum: ceu officium diaconi & subdiaconi. Et quanuis Palud. in. 4. distin. 15. q. 5. dicat quòd ad aliquid plus teneantur quàm laici, non est credendum de præcepto: ita vt eius omissio aliqua sit culpa: sed forsan de honestate si voluerint. Quare non solùm qui prima tantùm tonsura ordinati sunt, verùm neque alij aliorum graduum infra subdiaconatum tenẽtur ad cantum graduum. Neque vlla est lex & cõsuetudo quæ talem inijciat scrupulum: neq; episcopus ad hoc potest obligare. ¶ Secunda conclusio. Quicũque habet ecclesiasticũ beneficiũ aut præbẽdã sub clericali titulo, tenetur sub reatu letalis criminis ad plenũ horarũ canonicarũ officiũ. Et est intelligẽda conclusio cũ præcisione sicut præcedens. Itaq; si aut sacer ordo sine beneficio obligat, ita & beneficiũ absque ordine sacro. De hac quidẽ cõclusione expressum iuris textũ nõ vidi: annotatur tamen cap. fina. dist. 92. cuius verba sunt, quòd presbyter. aut diaconus, vel quilibet clericus ecclesiæ deputatus, ad quotidianum officiũ teneatur: vbi verba, deputatus, intelligunt per titulum alicuius beneficij, vt distinguatur à prioribus membris presbyter, & diaconus. Facit & verbum cap. finalis de rescrip. lib. 6. Beneficium non datur nisi propter officium: nam peculiare ac propriũ clerici officiũ, vt suprà diximus, est horarum canonicarum pensum. Facit & cap. cùm secundùm Apostolum. de præbẽdis. vbi sancitur, clericos omnes ad onus eligi, atque adeò non esse à mercede depellendos. Ac subinde iubetur neminem sine titulo aut beneficij aut patrimonij esse ordinandũ: autsi secus fiat, q̃ episcopus ei victum præbeat. Cũ ergo merces propter onus debeatur, & proprium onus clerici sit dicere officium, fit vt ex quacunq; præbenda nascatur hæc obligatio. Atque hac de causa sic sumus conclusionem moderati, vt talis præbẽda possideatur clericali titulo: nam qui titulo sæculari decimas percipiunt, vt reges & equites: & cocionator & lector: non tenẽtur ad huiusmodi horas soluendas. Quam ob rem eos qui præstimonialia sacerdotia possident, licèt alij aliter sentiant, excusare non auderem ab officio diuino persoluendo. Eò quòd ille titulus, clericalis est, & non secularis. Nã quod dicunt illa fuisse instituta tãtùm ratione stu-

Paludanus.

Secunda cõclusio.

Probatio prima cõclusionis.

Moderatio cõclusionis.

Qui præstimonialia sacerdotia possidẽt, ad officiũ diuinũ tenentur.

dij, nõ ea pollet iuris autoritate, vt ob id sint ab eiusmodi munere exonerandi. Quare de concess. præb. cap. quoniam. lib. 6. præstimonia inter cæteros ecclesiasticos titulos cõnumerãtur. Quocircà non tenetur opinio Laurentij, vt bene ait Sylvest. verbo. hora. §. 3. dicentis, clericos in minoribus ordinibus beneficiatos qui per alios seruiũt, excusari posse ab officio diuino: imò satiùs ait Panor. loco citato quod cùm horas pẽdere, officium sit personale, semper ad illud tenentur. Et quãuis Ioannes Andr. in Nouellis dicat q̃ libenter videret, si ecclesia ratione studij liberaret huiusmodi beneficiatos in minoribus, non habentes animarum curam. vt tantùm recitarent officium Virginis, profectò non esset salutare consilium: eò quòd ecclesiastica stipẽdia præcipuè, vt diximus, propter huiusmodi officia penduntur. ¶ Illos autẽ qui tantùm habent pensiones, quia nullum habent ecclesiasticum titulum, sed merum ius petendi ab illo qui titulum habet, iam sæpe diximus minimè ad canonicas horas teneri. ¶ Dubium autem restat quando præbenda est tenuissima. Sunt enim qui eatenùs hanc conclusionem affirment, vt etiam dum beneficium tenuissimum sit, adeò vt neque ad miseram ducendam vitam sufficiat, nihilo minùs obligare cẽseant. Imò verò & si merũ titulum sine fructibus quis habeat, non excusent à culpa si horas canonicas prætermiserit. Atq; hoc sequitur Sylvest. ver. hora. §. 3. Et quidam è recentissimis Theologis. Sed profectò multò libentiùs in contrariam sententiam subscriberem. Nam cùm clericus citra subdiaconũ ad officium nõ alia ratione quàm stipendij ad officium diuinum teneatur, quando beneficium adeò est exiguũ vt ferè pro nihilo reputetur: non est cur talem obligationem inducat. Nec vincit obiectio dicentium illi esse imputãdum, qui illud recepit: nam tenuissimum beneficium ex natura sua non obligat. Quare qui illud recipit nõ obligat. Dixerim tñ tenuissimum, vt ferè pro nihilo reputet: nẽpe si his tẽporibus summã saltẽ octo ducatorũ non attingeret: nã si ditius est, quãuis nõ sufficiat ad victũ: si tamen pauperi clerico bona esse posset pars sustentationis, non omninò possidens excusatur. De hoc ergo sapientum prudentia consulenda est. ¶ Pari modo de illo censendũ qui vel litigiosam, vt ait Palu. merum habet titulum præbendæ sine fructib⁹, idq; ex concessione Pontificis, eosdem fru-

Reprobatur opinio Laurentii.

Syluester.

Panormita.

Ioan. Andr.

Pẽsionarius tãtũ nõ tenetur ad horas.

Dubitatio.

Syluestri solutio.

Refellitur solutio Sylue.

Qui solũ habet titulũ beneficii sine

fructib⁹ nõ tenetur ad officiũ diui nũ. Caieta.

ctus alteri reseruantis, itaq; in sua potestate non sit illos percipere: vt ait Caieta in Sum. verb. hora. quandoquidem obligatio non emergit nisi ex sacro ordine, vel experceptione mercedis. Neque in contrarium solida est superior obiectio, videlicet illi esse imputandum qui tale beneficium accepit: nam quod autoritate fit Papæ, alteri non imputatur. Cùm ergo sacerdotiũ fructibus suis priuat, videtur possessorem ab obligatione absoluere dicendi horas. Secùs res haberet si per illum qui præbendam possidet staret vt fructus non perciperet: vt pote si vel alteri gratis daret, aut propter excommunicationem, aut quia non residet, illis priuaretur: tunc enim non esset ab orandi ligamine absolutus. ¶Petrus de Palude loco citato eos propterea excusat qui Breuiarium non habent neque emere possunt. Quanuis dicat quòd debent officium addiscere. Porrò verò eiusmodi excusatio non est cur admittatur. Etenim cùm nemo sit in clericalem ordinem admittendus, qui non habeat vnde viuat, nemo clericorum excusat si Breuiarũ non habeat: imò antequàm haberet, non esset ordinandus. Eò potissimùm quòd Palude loquebatur antequàm essent impressiones. Modò nanque viliùs emuntur. Diuersa verò est ratio vbi fortuito casu quis Breuiarium perdidit: neque est in loco vbi haberi possit. ¶Addiscere verò officium vt memoriter dici possit, nemo lege cogitur: quia res est non omnibus bene possibilis: satis enim est si legere sciat. Quare si quis esset aut inter infideles aut in prouincia vbi Breuiarium neutiquam reperiretur, legitima obtegeretur excusatione. Eâdem ratione excusantur & cæci, aut ita oculis caliginantes vt legere nequeant. Tametsi dum aliquas horas memoriter proferre possent, fortasse tenerentur. Quanuis neque omninò sim certus an essent rigore cogendi: quandoquidem tenacitas illa memoriæ accidentaria sit: licèt tutiùs esset vt se obligatos censerent. ¶Pari modo qui sic esset impeditus aut circa infirmos, aut aliter, vt nullatenùs posset orare, itidem excusaretur. Quanuis fraus semper cauenda est, eò potissimùm quòd huiusmodi obligatio arctissima est, à iureque diuino descendens. Imò verò si vlla mihi adhibenda est fides, cõijcio vt qui ex choro mittuntur ad thuificandum altari, simpliciter non teneant Magnificat & Antiphonam dicere: quia neque cogunt memoriter scire, nec alium tunc secùm portare librum. Eò præsertim q̃ dum illi in re illa ad celebritatem eiusdem officij occupantur, totus chorus pro illis supplet: Imò nescio an ille qui organis choro respondet teneatur postea officiũ pendere: quia in primitiua ecclesia tantùm erat vnus liber in choro. ¶In infirmis autem atque in alijs similiter impeditis manifesta est excusatio, dum modo absque omni fraude ad pruden tiam boni viri impedimentum existimetur esse legitimum. Quanuis re dubia cõsilium medici, autoritasque prælati vti in ieiunijs, in tercedere debeat. ¶At de alijs iuris impedimentis hæsitare quis posset: videlicet vtrùm excommunicatus, irregularis & degradatus ab orandi vinculo immunis fiat. Apparet enim inde sic res habere quòd ab alijs officijs iure cohibentur. Sed nihilo minùs respõdetur nullatenùs excusari. Nam vt habet glo. can. legi. 16. q. 1. nemo ex suo delicto facit conditionem suam meliorem. Et ideo isti tenentur ad ea quæ sunt oneris: licèt illis priuentur quæ sunt honoris. Debet tamen excommunicatus solitariè officium soluere: quia non potest se publicis officijs ingerere. Tametsi nisi sit nominatim excommunicatus, aut manifestus clericorum percursor, non tenetur alijs, vt aliàs diximus, ipsum euitare: sed potest quisque cum illo orare. Irregularis verò & degradatus qui excõmunicatione non est irretitus, in choro etiam potest cum alijs officium soluere: quoniam solùm impediuntur ab administratione sacramentorũ, & executione ecclesiasticæ iurisdictionis, & à susceptione ordinũ. ¶Post hæc autem, quod omnium maximum dubium ingerit, est de religiosis, qui nondum maiores ordines susceperũt. Maximum inquam dubium: non quòd nõ sit omnium opinio, vt ait Syluest loco citato, & Panormita. & omnes Iurisconsulti: & diuus Antoninus. 3. par. tit. 13. c. 4. Neque est qui contrariũ assere re audeat. neque ego auderem. Sed dubium est de iure, aut ratione. Nam cùm neutrum superiorum capitum: nempe neque ordo sacer, neq; beneficium illos cogat, nulla apparet fieri reliqua obligatiõis ratio. Quapropter Caieta. in sua Summa, verbo, hora: Certè inquit nisi consuetudo illos obliget (de qua nihil scio) non tenentur ex professione. Hactenùs ille. Quòd enim aiunt teneri ratione voti ex cap. licet. de voto. non satis habet cogẽdi vim. Illic enim solũ habetur q̃ si qs quid vouit, teneat illud soluere: religiosi autem

Limitatio superioris assertionis.

Paludanus.

Exploditur præterita sẽtia Palu.

Impediti nõ tenẽtur &c

Infirmi ab horis recitãdis excusantur.

Quæstio.

Solutio.

Glossa.

Dubiũ de religiosis.

Sylueſter.

Panormita.

Antoninus.

Ratio prima inefficax ad colligẽdũ religiosos vt teneãtur diuinũ officiũ persoluere.

autem tria tantùm suscipiunt essentialia vota:& pollicentur viuere secundùm suas constitutiones. Vnde Hieron. ad Heliodorum:
Hieron. & refertur.16.q.1.Alia est inquit causa monachi,alia clerici:illi de altario viuũt &c. Et ad Rusticum monachum:Sic viue in monasterio vt clericus esse merearis: cùm in clericum te populus elegit,age ea quæ sunt clerici.Hoc ergo differt religiosorum ordo à clericali quod clerici deputãtur ecclesiarum ser
S. Thomas. uitio:religiosi verò non nisi contẽplationi. Cui quidẽ discrimini applaudit diuus Tho. 2.2.q.vlti.art.8. ad secundum. Secunda verò ratio,quæ omnibus est celeberrima: videlicet quòd viuunt ex eleemosynis, quæ pro-
Secunda ratio etiã ineficax. pter diuinum cultum ipsis à plebe erogantur,nihilo maius habere videtur vigoris põdus. Decimæ nanque sunt propria merces seruientium ecclesijs:reliquæ verò eleemosynæ non habent illud onus annexum: atqui rari sunt Conuẽtus ex decimis viuentes.Præterquàm quòd tales decimæ potuerunt illis, sicut reliquis pauperum hospitalibus absq; tali onere adiudicari. Et qui absque decimis viuũt,licèt eleemosynas percipiant,erogãtur illis,tamen sicut cæteris pauperibus. Et esto
Argumẽtũ pro benefactoribus orare teneãtur, nõ tamẽ ideo canonicum persoluere officiũ. ¶Quod autem mihi argumentum occurrit, omniũ molestissimũ est.Si religiosus choro deputatus,qui tamen non est in sacris,teneretur ad officium,non posset absque Papæ dispensatione illo onere eximi:& tamen si in eadem religione fiat laicus,quos nos Conuersos vocamus,non tenebitur ampliùs ad officium canonicum: illa autem mutatio nulla indiget Papæ dispensatione,sed per solum prælati assensum fieri potest. Mirabile ergo cuipiam fortè apparebit quòd solus prælatus possit monachum liberare ab officio persoluendo,ad quod tenebatur.Nam si dicas pariter qui beneficium habet,teneri, à qua tamẽ obligatione si illud relinquat,liberatur, nullam præ te fers rei nostræ similitudinem nam illa obligatio tantùm erat propter mercedem : obligatio verò monachi debet esse ratione status quẽ relinquere nequit. Quare qui ex choro subductus fit cõuersus, statum religionis non mutat. Si ergo cõuersus non tenetur,apparet quod neq; ille qui deputatus est choro:nisi sit in sacris. Et simile argumẽtum,imò validius fit de sanctimonialibus quæ ex choro distractæ fiunt laicæ.
¶Quòd si nos vicissim redarguas, saltẽ eiusmodi religiosos tenerivinculo suæ regulæ,de hoc nõ contẽdimus. Obligabũtur enim tũc saltẽ in ordine nostro,nõ ad culpam, sed ad pœnam:vt de religiosis laicis illicò dicturi sumus.Quæstio autem est de præcepto quale est in subdiaconibus & suprà. ¶His verò nõ obstãtibus,etsi negari nequeat,si vim tãtùm rationis consulas, permultũ mouere, haud tamẽ negãdum est celeberrimã, eandemque laudabilem consuetudinem,vno antiquorũ patrum cõsensu approbatã,vim habere præcepti:videlicet vt nullus religiosorũ,qui choro dedicati sunt, ab eiusmodi obligatione soluendi diuinum officium excipiatur. Imò verò neque nuda hic confitenda est consuetudo,verùm & lex etiam est agnoscenda. *Solutio positæ cõclusi.*

¶Arguitur ergo in confirmationem præsentis sententiæ. Vniuersi & singuli monachorum conuentus cuiuscunque spiritualis ordinis qui sub ratione solennis voti ab ecclesia sunt approbati, tenẽtur in cõmuni diuinũ officiũ celebrare : ergo quotquot eidẽ muneri addicti sũt,quoties choro defuerint, tenẽtur idem officiũ pendere quod illic publicè canerẽt. Antecedẽs profectò nemo posset,neq; vllus auderet negare:nam vbi ecclesia religiones secundùm euangelium instituit,eas videlicet quas rei spiritualis gratia admisit,easdem diuinis laudibus mancipauit:quippe cùm illud sit præcipuum contemplationis munus:atque adeò, si vbi fieri potest, præfecti negligentia tale officium in communi non fieret, citra dubium mortale illi esset crimen. Loquor de religionibus antiquis : nam si alius religionis modus citra huiusmodi obligationem admittatur, certè vix nomen religionis meretur : quippe quæ maximo splendore religionis careat. Consequentiam verò argumenti fortasse quis neget, cogitans sat esse eos qui sunt in sacris tale officium soluere : reliquos verò dum affuerint choro . Attamen consequentia inde maximam habet probabilitatem , quòd tota religio eidem muneri mancipata est : atque adeo sicut clericus ratione ordinis,ita & religiosus choro mancipatus, ratione religionis ad officium tenetur.Quare S.Tho.loco nuper citato.2.2.q. vlti.in sol. ad secundũ,quicquid Caieta.autumet,solos laicos monachos excipit ab officio clericorũ. ¶Quòd si hoc deviris religiosis verum habeat,idẽ est & de sanctimonialibus cẽsendũ. Nempe quòd teneantur in cõmuni, vbi fieri potest,ad officiũ diuinum:sin minùs,priuatim. *Suadetur proxima assertio.* *Prælati negligẽtia circa soluendũ diuinũ officiũ in cõmuni, peccatũ mortale est.* *S. Thomas.*

Ad primũ argumentũ

tim. ¶Quocircà ad primum argumentum respondetur, quòd etsi monachorum status sit contẽplationi addictus, contemplatio tamen in officio diuino persoluendo potissimùm consistit. Saltem ille, potissimus est cõtemplationis effectus. ¶Ad aliud verò argumentum, quod fateor esse difficile, respondetur quòd ea ratioue qua quis est choro deputatus obligatur statas horas persoluere: sed quomodocũque inde amoueatur, ab eodem fit vinculo liber. Hanc enim liberandi facultatẽ apostolica sedes in institutione religionum, earũ præfectis indulsit. Et quando ratione satis dissolui nequirent, nihilo minùs præualere deberet, tum consuetudo quæ vniuersis religionum patribus vim censetur habere præcepti: tum etiam quòd hac facta licentia vt religiosi ac potissimũ sanctimoniales ad diuinum officium non tenerentur, nullum eis fieret reliquum exercitiũ spirituale, quo tẽpus pro ratione sui instituti expenderẽt. Et re vera de me fateor nescio quid erroris præsentiscere dum mihi cogitatio animam subit negandi tam illustrẽ consuetudinem vim habere præcepti. ¶Eos autem qui nondum professi sunt, quanuis Petrus de Palu. loco citato in. 4. dist. 15. q. 5. duplici capite eosdem obligari censeat, videlicet & quòd eleemosynis sustententur, & qp priuilegijs religiosorum gaudeant, vt patet de sent excommu. lib. 6. c. religioso. tamen cũ hæc assertio nullo iure fundetur, vt probè ait Syluest. loco citato, non est curreciatur. Enimuerò cùm nec religionis habeãt statum, neque clericalem, nulla superstes sit causa illos obligandi. ¶Similiter & de religiorũ laicis August. de Anchona, quem diuus Anton. 3. part. tit. 13. cap. 4. citat & sequi videtur, censuit: videlicet quòd sub reatu mortalis delicti teneantur ad diuinum officium sibi præscriptum. Meliùs tamen rem alij cõijciunt, quorum sententiam Syluest. illic amplectitur: nempe quòd non teneantur: quandoquidem non sunt diuino officio dedicati. Quapropter quod prefecti religionis illi laicorũ ordini orandum iniunxerit, non aliam vim habebit præcepti, quàm quæ in tali religione exprimitur. Quare in nostro ordine illud vinculum non obligabit ad culpam, nisi vbi contemptus irrepserit, sed ad pœnam pro arbitrio prælati.

Ad secũdũ.

Paludan.

Sylueſter. Monachi nõ profeßi non tenentur ad officium diuinum, contra Paluda.

Auguſti. de Anchona Antoninus. Sylueſter.

De monachis laicis autoris iudicium.

Ad primũ argumentũ capitale.

AD primum igitur capitale argumẽtum respondetur quod vtcunque dispertita sint alia clericorum officia, vniuersis tamen commune est horarum canonicarum pensum. Et pariter respõdetur ad secũdũ quod qualecunque quis possideat sacerdotiũ sub titulo clericali, etiam præstimoniale, tenetur ad officium persoluendum: vt circa secundã cõclusionem monstratũ est. Et de religiosis non professis declaratum est, quod non teneãtur. ¶Ad tertium denique in quo de dispensatione super hoc vinculo interrogabatur, Respondetur obligationem hãc partim esse de iure diuino, partim de iure positiuo.

Ad ſecũdũ.

Ad tertium

Nam in genere quòd omnes clerici sacris initiati ad aliquod officium diuinum persoluendum teneãtur, ius diuinũ est, super quo Papa dispensare non potest. Quòd autem hoc aut illud dicatur, ius est positiuum ecclesiasticum, vt statim articulo proximo patebit, super quo adeò Papa, ratione id legitima exigente, dispensare potest.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ordo & modus sit aliquis persoluendo diuino officio necessarius.

POstquàm visum est quinã sint illi qui diuinum dicere officiũ tenẽtur, sequitur de alijs tribus circunstantijs: nẽpe quid, quando, vbi: nam de modo articulus subsequens adhibendus est. Et quòd quantum ad substãtiam nullum sit officium determinatum, arguitur: nam, vt habetur can. in die. de consecratio. dist. 5. diuersæ ecclesiæ & religiones diuersa canũt. Et cano. placuit. dist. 12. prohibetur monasteriorum cõsuetudines cum sæcularium ecclesijs commiscere: nil ergo certi statutum est omnibus necessariò canendum. ¶Secundò. Nec tempora sunt necessaria: quia ordo non est de essentia, vt ferè vsus habet clericorum: & cap. presbyter. de celebrati. Missarum. insinuat, præcipiens vt ruralis sacerdos post matutinum officium pensum statim aliarum horarum persoluat, antequàm infirmos visitet & in rus exeat: non ergo temporalis horarum ordo necessarius est. Imò neque circunstantia loci, quia vbicunque quis officium soluat, etiam extrà ecclesiam implet præceptum.

Primum argumentum

Secundum.

In contrarium tamen faciunt canones, de his. & placuit. 12. distinct. vbi præcipitur vt idem ordo psallendi secundùm metropolitanam ecclesiam ab omnibus teneatur.

Et

Et in dict cap. Dolentes. præcipitur deuotio & attentio.

QVinque proposuimus in superiori articulo de horis canonicis disputanda: nempe qui teneantur, ad quid, quando, vbi, & quomodò. Vnde cùm primum illic fuerit expeditum, & quintum singulare articulum exigat, supereſt vt ad præsentem quæstionem secundùm aliorum numeruu tribus conclusionibus respõdeamus. Prima. ad orationum substantiam spectans, est: Ea quæ horis canonicis canenda recitãdave sta tuta sunt, nõ eadem prorsus in omnibus ecclesijs & religionibus existunt. Radix conclusionis est illa quam articulo proximo te tigimus: videlicet quod etsi pensio officij diuini iure diuino ac naturali præcipiatur, tñ quod hæc aut illa dicãtur, ius pontificiũ est: q̃ ideo pro diuersis ãni tẽporibus, pro diuersisq; prouincijs & hominum ingenijs varian tur. Vnde cano. in die. de cõsecratio. distin. 5. ait Gregorius Spiritus, in tempore paschali tres tantùm psalmos totidemque lectiones cantari. Cuius causa intelligenda est duplex aut triplex: scilicet ad recreandos animos à quadragesimali labore: & ad significãdum tum dies quibus Christus in sepulchro remansit: tum etiam Resurrectionis lætitiam. Alijs verò festis nomen psalmi cum eodem lectionum numero: in profestis autem fati; sunt lectiones tres. At monachi nigri duodecim psalmos canut, & alij octodecim: sed alij toto anni circulo tribus contenti sunt psalmis, Quod, vt illic ait Papa, non ex regula sanctorum patrũ, sed ex fastidio & negligentia comprobantur facere. Vnde cap. nouit. d. 11. idem Pontifex Augustinum Anglorum admonet vt ex multis ecclesijs colligere ea satagat quibus ecclesiam illam nouam salubrius instituat. At verò etsi ecclesiæ non nihil varient: nihilo minùs lex illa seruanda est quæ eâdem distinctione, cano. de his. & can. placuit. constituitur: nempè vt vnus sit psallendi modus secundùm morem ecclesiæ metropolitanæ: atq; in religionibus secundùm sua cuiusque statuta. Et quanuis nonnullorũ opinio sit vt possit quisque sequi vsum ecclesiæ Romanæ, nõ facilè crediderim id singulis personis sine autoritate Põtificis esse liberum: nam quod in cap. nouit. citato admonetur August. Anglorum vt consuetudinem ecclesiæ Romanæ consulat, id intelligitur ad sanciẽdas leges illius nouæ ecclesiæ: non autem vt eandem quisque licẽtiam pri uatim accipiat. Quare licèt non prorsus contradicere ausim Caieta. sententiæ, inquientis in sua Summa non esse reatum mortalem solui officium de sanctis, die qua deberet de feria: neq; solui iuxta ritum Romanæ ecclesiæ dum deberet iuxta monachale institutum: haud tamen culpa omninò caret: nec tam laxè remittendæ sunt in re eiusmodi habenæ. Imò debent Antistites & religionum præfecti omninò eiusmodi ausus cohibere: videlicet nè vllus clericorum aut religiosorũ aliter priuatim officiũ pendat quàm in choro faceret. Illud nãq; Directorij documentum, quòd qui ad titulum patrimonij ordinatus est potest quod libuerit officium diui num soluere, nullum habet iuris fundamentum. Obligatio enim orandi non nascitur solùm ex beneficio, sed ex clericatu: & ideo tenetur quisque & in hoc quoque matrici ecclesiæ suæ esse subiectus, nisi dum in alia ecclesia sacerdotium obtinuerit: nam tunc illius more canere, atque adeò orare debet. Et si in plũribus ecclesijs habeat beneficiũ, illam debet sequi cui magis tenetur seruire.

Prima conclusio.

Gregorius.

Lex canonica de psallẽdo horũ.

Non est liberũ singulis personis sequi vsum Romanũ in recitãdis horis absq; superioris autoritate.

Directorij documentũ nullũ habet iuris fundamentum.

¶Fateor equidem prolixitatem nimiam psalmorum, molestissimamque precationũ inculcationem aliquarum ecclesiarum subditos sæpenumerò ab officio illo pacto soluendo absterrere, atque adeò in causa esse vt compendiosius Breuiarium exquirãt. Hoc enim, vt lib. 1. dicebamus, cum primis latores legum animo prospicere debent, nè illas leges ferant quas temporis longinquitas propter ipsarum intolerantiã corrõdat. Putant enim homines magis pij quàm prudentes bene rei consulere si psalmos ad psalmos, orationesq; ad orationes lege accumulent cum tamen occasionẽ potius offerant, vt breuiùs eiusmodi orandi instituta pereant. Fuit olim sanctissimè institutum vt creberrimè de tempore penderetur officiũ: qua ratione totum Psalterium hebdomatim recurrebat. Aucta tamen postmodùm sunt tot viuorum ac mortuorum suffragia, preces, ac litaniæ, vt itum iam fuerit ad breuissima sanctorum festa excogitanda: adeò vt neque in Quadragesima vel tribus diebꝰ officium de sanctissimo tempore celebretur qd' profectò, præsertim inter religiosos, neq; ratione studij decõrum est. In ordine autem nostro sic consultum semper fuit mediocritati, vt officium nobis temporis vsu sit frequentissimum. ¶Per hæc, si vera sunt perpen

Cẽsura Breuiarii Romani.

perpẽdere ea quisque potest quæ de nuperrimo Breuiario Romano lib. 1. adnotare cœpimus. Primùm quòd finis orandi non est Psalmos addiscere, aut sacrarum scripturarũ studium, vt illic habetur, sed laudes Deo dicere, precesque fundere. Quare non sunt responsoria, antiphonęque, & hymni, atque aliæ cantiones aspernenda, quæ non solùm tam longa sanctorum patrum series, tanta cum meditatione & consultatione pro singulorum temporum rationibus constituit, verùm & angelicus chorus cœlitus attulit. Enimuerò sit, vt eodem loco dicebamus, ciuilis legis antiquitas tantùm sit honoris digna, vt nisi vrgentissima necessitate sit mutãda, multò id minùs permitti debet in sacrorum legibus & institutis quibus populus ab antiquo imbutus est. ¶Sed aiunt, Breuiarium illud non esse excogitatum, vt publicitùs in ecclesijs cãtetur, sed vt priuatim quisque horarum pensum soluat. Hoc autem obtendiculum multorum profectò est incommodorum causa. Primùm enim cùm clericorum cœtus ex omnibus constet, si singuli semel illo orandi modo assueuerint, facilè eum admittent in publicum. Quod iam in aliqua ecclesia Hispaniæ intentatum est. Quod Tridenti in concilio non sine mœrore & scandalo fuit auditum: nam cùm populus in Quadragesima & sancta hebdomada consueta officia non audiret, non potuit non vehementi tristitia & scandalo perturbari. Et quando hoc non existeret periculũ, vsque adeò iam canonicis ecclesiarum vsu receptum est domi per illud Breuiarium horas pendere, vt in choro muti sedeant, & vtinam tã attenti quàm sæculares: Haud enim animaduertunt stipendia, non vt adsistant, & duntaxat sint numerus: sed re vera vt psallant eis esse constituta. Nam beneficium, vt ait lex, non datur nisi propter officium. Imò verò eò res peruenit vt canere dedignẽtur, putentque suæ maiestati derogari: sed capellanis inferioris classis id committunt. Vide quàm sint sui officij immemores: ego ipse ab eorum quibuspiam rogatus sum vtrùm debito soluendi horas satisfaciant si domi eas nõ soluãt, sed in choro cantando. Quod profectò audiens, hinc risu, inde mœstitia afficiebar. Perspice ergo quanta sit habenda cura vt nemo aliter priuatim diuinũ officium soluat, quàm in choro soluitur. Prętерquàm quod tres tantùm psalmos canere, quod illud habet Breuiarum, vt can o. in die.

Obtẽdiculũ

Refellitur proximum suffragium

suprà citato ait Gregorius, ex negligentia nascitur & fastidio diuini officij, contraque sanctissimum antiquissimumque ecclesiæ morem trium nocturnorum quem primo articulo commonstrauimus. Nunc ergo maximè temporis quando hęretici sanctissimũ orandi institutum ab ecclesia deturbare cõtendunt, omni cura & vigilantia esset asserẽdum, & si qua parte claudicat, instaurandũ. Adde quod neque psalmi, vt sunt in eodem breuiario per ferias distributi, congruere festiuitatibus satis possunt, quæ in easdem færias incidere assolent sunt verbi gratia færiæ sextæ tres illiconsignati. Deus Deus meus respice in me. Et saluũ me fac Deus quoniam intrauerunt a quæ vsque ad animam meã, & in te Domine speraui designati, vt potę celebritati passionis accommodantur, quãdo ergo in eandem færiam sextam festum incidit, aut natiuitatis domini, aut assumptionis beatæ Virginis, aut aliud quod iocũ de celebrandum est, quo modo ijdem psalmi accommodabuntur? Item ad completorium vbi certas nocturnas preces contra dœmonum insidias ecclesia semper cecinit, nihil opus erat singulis ferijs psalmos commutare. Haud enim tanti refert totum psalteriũ hebdomadatim perlegere, quam orationes temporibus & necessitatibus ecclesiæ adaptare. Hæc dixerim non quod in cœlum, hoc est in Apostolicam sedẽ cui summus honor semper deferendus, est os ponere cogitauerim, sed vt alios Antistites inferioris classis admonuerim ne pergant in suis ecclesijs nouis horarũ ritibus clerũ conturbare. ¶De officio beatæ Virginis controuertitur itidem inter Doctores, vtrùm etiam sit in præcepto eò quòd hac de re nullum extat ius, sed sola consuetudo. Imò verò si historias consulas, res non est antiqua, sed fortè à trecẽtis hinc annis. Nam ante Bernardi tempora & religionum Mendicãtium institutionem, non increbuerat tanta Virginis deuotio. Quo circà si coniecturis agere licet, hæc consuetudo non cœpit tanquàm vim habens præcepti: aliàs alicubi legeretur: sed ex pietate & deuotione, qua sanctissima Virgo dignissima erat. Atque huius nonnullum indicium est, quòd in institutiõe nostri ordinis iussum est vt surgentes fratres, illic in Dormitorio officium Virginis nocturnum recitando soluant: quod si præceptum esset ecclesiasticum, in choro iuberetur solui. At verò decursu temporis consuetudo adeò in ualuit,

Additio autoris.

De officio beatæ Virginis controuersia.

ualuit, vt nullus doctorum aut sanctorum patrum negare audeat vim habere præcepti. Quare neque debuit omninò ab ecclesiastico more abigi: quanuis Breuiarium illud citatum, eiusmodi vinculum dissoluerit. Iam enim cler⁹ adeò sacerdotia ecclesiastica quasi sæculari sibi iure possident: videlicet quia vel successores à prædecessoribus hæreditant vel propria solertia & pecuniæ dispendio conquirunt, vt vix arbitrentur ad officium teneri: sed illud cunctis alijs negotijs posthabentes, in dies procurent leuiùs reddere.

officiũ beatæ Virginis sub præcepto debetur.

De officio mortuorum D. Thomas.

¶ De officio autem mortuorum idem est censendum: quanuis mos iste, vt diuus Thom. quotlib. 6. articu. 8. insinuat, potiùs introductus est ratione præbendarum quas clerici possident, quàm ratione meri ordinis. Ad officium nanque animarum postridie festi omnium sanctorum manifestũ est omnes clericos in sacris teneri, cùm sit illius diei proprium: sed ad aliud officium quod secundùm diuersarum ecclesiarum cõsuetudines diuersimodè aut dietim aut hebdomadatim soluitur, apparet non teneri nisi eos qui decimis viuunt: puta beneficiatos vt illic censere sanctus Thom. videtur, etiam illos qui in scholis existunt: nam retribuitur pro bonis quæ mortui ecclesijs reliquerunt. Et ideo in religionibus tenentur singuli clerici secundùm sua statuta, vt reor, sub pœna peccati mortalis illud exoluere. Sæculares autem clerici qui nullum ecclesiasticum habent beneficium, nõ est ita constans ad eiusmodi onus lege cogi: tametsi cùm iam sint sacris mancipati, videntur more teneri ecclesiæ cui subduntur.

De litanijs nocturno officio adiectis

¶ De litanijs demum quæ in festis diebus nocturno officio adhibentur, bene arbitror censere, qui aiunt eiusmodi consuetudinem non habere vim præcepti. Non enim habent formam vt sint pars diuini officij, sed sunt precationes quædam ad sanctus adhibitæ, qui solutum munus Deo offerunt. Et fortè ortum habuerunt inter religiosos propter satisfactoria flagella quibus tunc vapulabant Quare iam nunc in ordine nostro sancitum est, vt chorus duntaxat Litanias dicat: qui autem priuatim orant, ab illis dicendis sint absoluti.

Secundacõclusio.

¶ Sequitur de tempore & ordine horarum Secunda conclusio. Quanuis in communi adeò sit necessarium, officium statis per ecclesiam horis persolui, vt eius omissio culpa sit mortalis, tamen priuatim tempora & ordinem mutare, licèt culpa nõnulla esse possit, non tamen mortalis.

Probatio prioris partis cõclusionis.

Prima conclusionis pars inde constat, quòd, vt articulo. 1. monstratum est, sanctissimis rationibus ecclesias horas publicis dicendis laudibus statuit: & præsertim vt sciret populus, quo tempore in ecclesiam confluere deberet. Quapropter si ordo ille intermitteretur prægrauem offensam ecclesia pateretur: ex grauitate autem obiecti æstimatur culpæ magnitudo: esset ergo mortalis. Vnde Clementi. 1. de celebratio. Missarum. Graui, inquit concilium, turbatione mouemur, quòd nonnullorum rectorum negligentia &c. Quo fit, vt eiusmodi delictum præfectis esset impingendum: atque illis quibus cura publica incumbit vt officium diuinum in communi fiat. Vnde ad significandum quãtum hoc referat, subdit concilium: Sancimus vt illi ad quos id pertinet &c. Et infrà vt cathedralibus, regularibus, ac collegialibus ecclesijs horis debitis deuotè psallatur.

Suadetur altera conclusionis pars.

¶ Secunda verò pars conclusionis probatur. Nam quòd à priuatis personis tempus & ordo mutetur, cùm in conspectu populi non fiat, non præ se tantum fert absurditatis vt lethalem obducat maculam. Imò verò licèt cùm fine causa fit, leui saltem culpa nõ careat: tamen aliquando nullam prorsus affert. Qui enim inquam absque vlla causa horam constitutam prætermittit, absque dubio saltem venialiter peccat. Nam quod sæpe & sæpiùs inculcare non vereor, cùm hoc sit proprium clerici munus, illud debet cunctis alijs negotijs anteferre: nempe vt quando in choro canitur, ipse officium soluat: vt cum alijs orare censeatur. Eò vel maximè quod si semel horam legitimam prætermittas, periculum imminet, vt vsque ad noctem remprolates, & tunc potiùs murmurando quam orãdo debitum indignè soluas: quod fœdum est. Quare vt notatur. c. presbyter. de celeb. Missa. satius illi est qui impedimentum timet, horas præponere quam postponere. Igitur cùm apud aliquem Summistam legeris horarum ordinem non esse in præcepto, duobus moderaminibus illud attempera: scilicet quãtum ad eos qui priuatim orãt. Et rursus quod illos sub mortali reatu non obligat. Attamen qui vel ex culpa vel absq; illa horam, exempli gratia, primam aut tertiam, imò etiam nocturnum officium dicere quando debuit omiserit, si posteà occurrit tem-

Explicatur celebris Sũmistarũ assertio.

rit tempus quo potest choro interesse, consultius est vt inibi posteriores priùs persoluat,& postea priuatim priores, quàm si vt ordinem seruet,choro absit. ¶De ordine præterea missæ inter alias horas meminit Veruecensis,quē Sylvest refert,verbo, Missa.§.6.qui ait eum qui ante nocturnum officiū,puta matutinos Psalmos & laudes,Missam celebrat,mortaliter peccare,quod idem Sylvest.ait omnes Summistas tenere. Et Antoni.3,par.titu.13.c.4.citat in eādem sententiam Hostien.& alios,quibus non refragatur.Hoc autem absq; vllo iure & rationes fulcimento dictum est. Nec cōsuetudo censenda vllo pacto est tale præceptum inuoluere:nam sacrificium Missæ non cōnumeratur inter canonicas horas : cùm tantùm sint septem:sed per se antiquitùs sua habebat sta ta tempora,saltem Missa solēnis,quam maiorem appellāt,scilicet diebus festis post tertiam.de consecratione.dist.1.cano.nocte. & in profestis post sextam,vt illic can.solēt. & in diebus ieiunij post nonam.De priuatis autem nihil est cautum,præterquàm quòd nisi ex priuilegio, neque post meridiem celebretur,neque ante lucem,excepta nocte Natalis Domini.Si ergo soluere nocturnum officium sexta aut nona hora diei nō est mortale, nescio vnde inferatur quòd celebrare priùs Missam sit mortale : quandoquidem distincta sint officia, neque vnum habeat necessarium ordinem ad alterum.

Forsan ob consuetudinem,venialis esset culpa,vbi fieri posset cōmodè,si non priùs nocturnum solueretur officium : nam ob causam aliquā ordinē anteuertere,nulla est culpa vt potè si illi qui nondū matutinas dixit, causa incumbit celebrandi: quia vel prælatus præceperit,vel aliquis eleemosynam offert vt statim dicat.Imò verò si quis propter morbum aliquem legitimam haberet excusationem soluendi officium diuinum, non video cur non posset sacrum Missæ facere: quanuis neque dixerit neque dicturus esset cæteras horas. ¶De prima autem nullus restat scrupulus.Qui enim in conuentu auroræ Missam & reliquas ante primam dicere iubentur,melius facient post Missæ celebrationem interesse choro ad primā quàm illam ante Missam soluere:nisi eos obligare velis vt bis eandem dicant: quod esset ridiculum.Igitur ordo legitimus est vt diuinū officium suis horis persoluas:priuatam verò missam quando fuerit expedientius.

Veruecēsis. Sylvester.

Antoninus Hostiensis.

Nō est mortalis culpa Missam celebrare ante matutinūofficiū persolutum.

Melius est post Missā celebratam choro interesse ad primā quā illā ante Missā soluere.

Quanuis decōrum est vt si post primam celebraueris,illam priùs soluas. ¶Post hæc de loco vbi horæ dicendæ sunt tertia conclusio superioris ferè instar constituitur.Horæ quidem in communi & solenniter in ecclesia sunt de præcepto celebrandæ:priuatim verò vbique dici possunt. Prima pars similiter vt superior nota est: nam templa in hoc extructa destinataque sunt,vt illic horæ celebrentur sicuti & Missarū solēnia. Quare in Clement.graui.de celebratio. Miss.in ecclesijs iubentur horæ psalli. Nihil tamē obstat quo minùs in aulis principum eadem canā tur officia,atque alibi ex priuilegio. Quanuis Missa profectò non deberet domi permitti.De hoc autem aliás.Priuatim verò nulla est culpa,vbiuis,dum modò locus non sit adeò indecens,horas pendere. Quanuis Innocent. & Hostiensis,quos Sylvest. verbo, hora.§.3. refert,censeant beneficiatum clericum teneri singulis diebus horas dicere vel audire in ecclesia, nisi iusto impedimento excusetur:aliâs si in camera dicat ,debitum inquit non reddet. Sed re vera vsque adeò hoc est rigidum,vt non sit tenendum. Verùm tamen eatenùs Innocentij sententia verum habet,quòd qui stipendio ecclesiastico fruitur,quod propter officium ei suppeditatur,non debet causas absentiæ excogitare & fingere,vt ecclesia suo seruitio defraudet ad quod tenetur,cuius alimentis viuit.Alioqui iniustitiam cōmitteret:imò tam aperte hac parte posset esse iniustus, vt ad restitutionē teneretur. ¶Nihilo minùs tamen etiam illi qui priuatim diuinum officiū canonicè soluunt,curare debent vt si non in ecclesia , saltem domi oratorium habeant pro sua facultate destinatum,vbi attentè & deuotè tam egregium religionis officium Deo valeant exhibere.Nam illud in foro aut in vicis more aliorum negotiorum sæculariū præstare præterquàm quod attentioni impedimentū obijcitur, non habet illam honestatem quàm res pro sua dignitate deposcit. Adde quòd locis indecentibus,vt vbi profana fiūt & inter compotandum,& dum naturæ cedi tur,esse non potest absque culpa. Quare multò est congruentius , tempus orandi differre quàm illis locis aut temporibus orare. ¶Argumenta igitur initio quæstionis obiecta,soluta restant.

Tertia conclusio.

Probatio.

Innocētius Hostiensis. Sylvester.

Diuinæpces loco honesto persoluēdæ.

ARTI

ARTICVLVS. V.

Vtrùm ad soluendum canonicè diuinum officium requiratur attentio.

Primum argumentum

QVINTVM deniq; circa orationem meditãdum, est orandi modus: qui in deuotione attentioneq; adhibenda positus est. Arguitur ergo quòd huiusmodi attentio sit per totum officium necessaria. Oportet enim ait Redemptor Ioannis. 4. cũ Deus spiritus sit vt ij qui adorant eum, in spiritu & veritate id faciant: quare oratio dicitur ascensus intellectus in Deum, vbi autem non

Secundum.

est attentio, neque spiritus adest quo in Deũ conscendi possit: ergo illa est semper necessaria. ¶ Secundò arguitur: Orationi, quippe quæ actus religionis existit, necessarium est vt omni careat peccati macula: qui autẽ absque attentione Deum aliquid oraret, po-

Basilius.

tiùs eum deridere appareret quàm honorare. Cuius exemplum Basilius in libro de vita perfecta, capite secundo, à principe humano depromit. Attentione enim inquit, oranti in primis opùs est: nam si ante principem consistas, negligentiùs te habendo, minimè audiendo, minimè respondendo, minimèque aspiciendo: sed aliò versum oculos flectendo, non solùm non placabis, sed ad iracundiam eundem prouocabis. Quanto magis ante Deum qui tuam conscientiam intus & in cute nouit, & qui si quid vacillas

Tertium. Innocentius

statim deprehendit. ¶ Tertiò, & eidem consonat præceptum Innocentij capi. Dolentes. de celebratio. Missa. vbi districtè præcipit in virtute obedientiæ vt diuinum officium quantum nobis Deus dederit studio sẽ celebremus pariter & deuotè.

¶ In cõtrarium tamen est quod est id quod in hominis potestate situm non est, neutiquàm nobis ad culpam imputatur. Tenere autem fixam mentem vt non diuagetur, nõ semper nobis est possibile: imò propterea Dauid lamentatus aiebat, Cor meum dereliquit me.

POtissima orationis consideratio est de deuotione & attentione, quæ illi partim necessaria, partim verò maximum ornamentum est. Et vt res est pretiosissima: ita tum difficilima, tum subinde rarissima. Ea enim natura est omnium rerum quæ excellentissimæ sunt. Formauimus autem articulum de attentione orationis in genere, eo tenore quo eum diuus Thomas tractauit. 2. 2. quæstion. 83. cuius est articulus. 13. vt inde ad attentionem horis canonicis necessariam descendamus. Vnde quô eius mentem præmittamus ait bifariè aliquid esse necessarium, vt. 5. Metaphysicor. Philosophus author est. Vno modo per quod meliùs & decentiùs peruenitur ad finem: sicut equus ad peragendum iter. Atque altero simpliciter: vtpote sine quo res suum finem attingere nequit: veluti cibus ad vitam. Pari modo attentionis necessitas duobus modis existimatur: Vno vt tam diu perseuerẽt quandiu oratio durat: atque altero vt cùm quis ad orãdum se accomodat, attendat quid facere aggreditur. ¶ His præhabitis ad quæstionem septem conclusionibus respondetur: quinq; ad genus orationis vniuersim spectantibus: duabus ad horas cononicas propriè attinentibus. Prima, Attentio priori modo, hoc est per totam orationem necessaria est ei, si necessarium, priori etiam ratione vsurpetur. Est enim splendidissimum orationis ornamentum & decus singulis verbis attendere, quis, quid, cum quo loquaris. ¶ Si autem posteriori modo, hoc est simpliciter necessitatis nomen accipias, tunc in oratione trinus est considerandus effectus. Primus vt actus sit moraliter bonus si extra gratiam fiat idẽque meritorius si ex gratia procedat. Et de hoc statuitur secunda conclusio. Vt actus sit moraliter bonus, atque adeò meritum apud Deum, non est simpliciter necessarium vt attentio toti orationi assistat: sed satis est vt qui oraturus accedit, animaduertat quid operis inceptet: tunc enim vis illius attentionis virtute per totum durat, vt faciat illũ actum esse humanum. ¶ Secundus orationis effectus est impetratio. Et de hoc similis cõstituitur tertia conclusio. Neque ad istum effectum simpliciter necessaria est attentio quæ totã orationem comitetur: imò si quis initio attendat quid petit, impetrare poterit. ¶ Tertius denique effectus orationis est, idemq; præcipuus, spiritualis quędam mentis refectio, dulcissimaque recreatio quæ ab eloquio cum Deo initio instillat. Et de hoc adhibetur quarta conclusio. Ad huiusmodi effectũ assequendũ necessaria simpliciter est attentio quæ sit totius orationis indiuiduus

Bifariam aliquid est necessariũ.

Prima conclusio.

Secunda cõclusio.

Tertia cõclusio.

Quarta conclusio.

comes. Est enim attẽtio huiusce effectus causa coæua: quippe quòd cùm primum illa cessat, effectus quoque euanescit. Et ratio est q huiusmodi mentis refectio non in habitu, sed in actu spiritualis vitæ consistit: Quare nisi attentione præsenti, extare nequit. Vnde Paul. 1. ad Corinth. 14. Si orem lingua (scilicet sola) mens mea sine fructu est. ¶ Quinta conclusio attentionis explicatoria est. Triplex est attentio, quæ vocali orationi adhiberi potest. Prima vt quisque ad verba duntaxat attendat, nè prolatione erret. Secunda qua attenditur ad verborum sensa. Tertia qua attenditur ad finem orationis: scilicet ad Deum & ad rem pro qua oratur: quæ quidem est maximè necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ. Imò verò & docti sic per hanc Deo possunt mente affigi, vt aliarũ obliuiscãtur, Hæc diuus Tho. quæ generalia sunt omni vocali attẽtioni, scilicet tam spõtaneæ populi, quàm clericorum canonicæ.

Ratio cõclusionis.

Paulus.

Quinta conclusio.

¶ Quò autem antequam ad eam quæ horis canonicis necessaria est descendamus, ista explicatiùs euoluantur, notandũ quòd attẽtionis quæstio in vocali oratione locũ habet: nã in mentali, cùm ipsa eadem attentio sit ipsissima oratio, vanum est quærere vtrùm illic requiratur attentio: Est enim repugnantia, mente orare & non attendere: cùm enim primùm diuagari mens incipiat, orare desinit. Imò ob id mentalis oratio sæpenumerò optatior est, quòd cùm mens ad verba nõ effunditur, diuinis hauriendis mysterijs liberiùs vacat. Quare sola vocalis oratio est quæ attentione carere potest: nimirum dum aliorsum cogitatione diffluente, lingua dat sine mente sonum.

Primũ documentum.

Secundum.

¶ Secundò notandum quòd attentio & deuotio, præsertim vt vulgus nomen deuotionis vsurpat, res sunt diuersæ, Vulgus nanque deuotionem eam esse putat, quam in quarta conclusione diximus mentis esse refectionem & recreationem: cũ tamen Latinè aliud auribus insonet. Deuouere nanq; est aliquid sanctè promittere, Vnde deuotio (vt secunda secundæ, quæstio, 82, ait sanctus Thomas) est quædam animi in alterius obsequium propensio, & applicatio: nempe dum quis paratissimus est & prõptissimus, Deo vel diuo obsequi, Sic enim dicitur quispiam sacrosanctæ Virgini deuotus, Imò cùm morti se quisq; pro re aliqua destinauit, dicitur animum deuouisse. Attendere verò nihil aliud sonat quàm mentem habere præsentem ad id quod dicitur: nempe vt quod lingua foris personat, mens simul intus concipiendo loquatur. Et, quod ait Augusti. hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Vnde illic Paulus mentẽ appellat verborum animã. Quæ sine anima inquit sunt vocem dantia, siue tibia, siue cithara &c. Est enim ceu vox tubæ illequi sine attentione orat. Et ideo subdit in seriùs: Orabo spiritu, orabo & mente. Distinctæ ergo res sunt deuotio & attentio. Stat enim aliquem destinatum habere animum Dei seruitium, qui tamen mente dum orat non sit attentus: & fortè vice versa. Tametsi deuotio suapte natura causa sit attentionis. Nam qui animũ procurat diuinis obsequijs habere præsentem, ille & in oratione attentum eum habebit. At verò quoniam ex illa mentis præsentia & attentione distillat, vt diximus, spiritualis quædam dulcedo qua anima reficitur & recreatur, hanc vulgus appellat deuotionem, cùm tamen potiùs sit deuotionis attentionisq; effectus & fructus. ¶ Ex quo fit illarum trium attentionis specierum postremam esse fructuosissimã. Prima nanque, puta attentio ad verborum prolationẽ infirmus est attentionis gradus: quem habere non potest nisi qui linguam norit. Ob idque clerici omnes saltem debent esse Latini: aliàs rectè & congruè efferre verba nequibunt. Secundus autem gradus, puta ad sensa attendere, non omnibus Latinis congruit, nisi Theologiæ peritis. Tertiùs verò spiritualibus est familiaris: etiam si sint idiotæ. Isti namque qui alia mysteria non callent, attendunt dum orant, tum ad diuinam maiestatem cum qua loquuntur, tum ad suam exiguitatem qui loquuntur: & præterea ad eorum necessitatem quæ postulant.

Deuotio & attẽtio res distincta.

Corollariũ.

Supremus orandi scopus.

¶ Supremus autem scopus orandi esse debet, cor & mentem quàm maximè fieri que at deificare. Quocircà si possibile esset, in deitatem ipsam, satiùs semper foret attendere. ¶ Quòd si vel in alios sanctos vel in sacram Virginem attendatur, non sic debet illic mens gradum figere ac si vltimus esset scopus: de quo indocta plebs sæpissimè errat: sed debet id tanquam medium accipi per quod ad diuinitatem, quantum Deus derit, ascendatur.

¶ Quapropter oratio à sanctis sic describitur vt sit ascensus mentis non in diuos neque in alias supremas substãtias, sed in Deũ ipsum. Quin verò meditatio passionis Christi cæterorũq; eiusdẽ humanitatis mysteriorũ dum oratur,

Orationis ratio.

oratur, etsi sanctum sit consilium, haud tamen illic sistenda est mens tanquàm in fine, sed tanquàm medio vtendum, quod omniũ supremum est ad diuinorum amorẽ. Cuius quidẽ nos meditatissimè ecclesia admonet in præfatiõe Natiuitatis. Per incarnati enim, inquit, verbi mysterium, noua mẽtis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit: vt dum visibiliter Deũ cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur. ¶Ex quo fit rursus quòd attendere ad id quod petis, si temporale est, quanuis quadatenùs liceat, periculo tamen non caret, nè diuinam maiestatem illuc referas. Et ideo non est illic diutiùs immorandum. Imò verò cùm inter ea quæ à Deo nobis efflagitãda sunt, sempiterna gloria, ac subinde gratia & virtutes quibus illuc promouemur, apicem & culmen teneant teneant: tamen neq; in istis est finis orationis constituẽdus. Etenim, etsi propterea q̃ Deus ipse eorum obiectum est, saluberrimum sit postulare: tamen intẽtionis vertex in Deum ipsum, eiusq; gloriã, qua ipse beatus existit, referendus est. Videlicet vt id ipsum q̃ eius conspectu frui expetimus, non tam ad nostrum bonum, quod ad amorem attinet cõcupiscentiæ. quàm ad suum ipsius, q̃ amor est beneuolentiæ, referamus: nempe nõ tam ad id quòd nostra voluntas, quã ad id quòd sua expleatur, qua voluit suã propriam fœlicitatem in nos effundere. Quam ob rem in horis singulis dum inchoantur, post petitionem diuini adiutorij statim initio canitur, Gloria Patri &c. tãquàm scopus quô tota referatur oratio. Hæc autem alius est loci, fusiùs disserere. ¶Hinc ergo ad propositũ reuertentes, statuimus sextam cõclusionem. Attentio est in præcepto, non solùm clericis canonicè canentibus & orantibus, sub reatu mortali obligante, verùm & suo modo sæcularibus, dum spontaneas fundunt preces. Vtriusq; partis ratio ex ipsa rei natura profiscitur: nam cùm orare sit actus virtutis, neque verò cuiuslibet, sed religionis, necesse est vt fiat, quando, & vbi, ac potissimùm quomodo oportet: quibus circunstantiarum ornamentis vnaquæque virtus secundùm Philosophum vestitur: modus autem nullus est naturæ orationis germanior, quàm attẽtio. Quatenùs autem ad horas canonicas res attinet, conclusio peculiariter probatur ex verbis Innocentij in concilio generali: cap. dolẽtes. de celeb. Miss. vbi ait, Districtè præcipimus in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis (nempe clericis) Deus dederit, studio sẽ celebrẽt pariter & deuotè. Verba nãq; illa, districtè in virtute obedientiæ, planissimè ostendunt præcepti vim, obligantis sub reatu mortali. Neque vllius est apparentiæ eiusmodi cauillatio quòd præceptum illic non fertur super modum attentè deuoteq; orandi, sed super substantiam, vt diuinum officium integrè persoluatur. Nullius, inquam est apparentiæ: nam cùm præceptum illud iam pridem, vt dictum est, in ecclesia extitisset, nulla erat in Cõcilio oborta de illo quæstio: sed quia modus dicendi sensim in præceps ibat, curatum est sub præcepto illum instaurare. ¶Adiectio autem illa, quantum eis Deo dederit, ansam prima frõte offerre potest dicendi quòd attentionis modus relictus fuerit orantis arbitrio. Attamen nõ sic se res habet: sed sensus eius est quòd nemo teneatur summam adhibere attentionem ac deuotionem: sed tamen apparare sese, modo statim explicãdo, vt per se nõ stet quo minùs Deus deuotionem atq; animi refectionẽ influat. ¶Quòd si aduersus huiusmodi sententiam inde arguas quòd ecclesia de actibus animi internis, vtpote quos minimè nouit, iudicare non debet: Respondetur quòd quanuis per se, si illos seorsum spectes, sub ecclesiæ iudicium non cadant, nihilo minùs tanquàm exteriorum radicem aut circunstantiã, mandare de illis potest. Dum enim annualem cõfessionem indixit, subsequẽter iussit vt mente de peccatis cogites, illaque in memoriam reuoces. Imò in Clementi. multorum. de hæretic. eos qui odio vel amore hæreticos inquirunt, aut inquirere prætermittunt, excommunicatione ferit: quam non incurrent nisi ex huiusmodi affectionibus delinquant. Pariter ergo præcipere potuit attẽtionem quæ orationis ingenio & conditioni natiua est. ¶At nè quis nimiùm mandati rigore perter refiat, adhibetur conclusio septima. Præceptum attentionis in officio diuino canonicè persoluendo, duo includit: videlicet vt orandi initio quisque attendat quid agere aggreditur. Prætereà vt talem attentionem inter orandum consultò & ex professo non interrumpat: hoc est nil consultò & meditatò agat per quod animum à priori attentione distrahi deprehendat. Quin verò ad prius membrum satis est vt virtute alicuius præcedentis intentionis & consuetudinis fiat. Vt si quis, dum signum ad horas datur

Secundũ corollarium.

Sexta cõclusio.

Ratio cõclusio.

Innocẽtius.

obiectio.

Solutio.

Septima cõclusio.

ad chorum de more vadit, aut secum priuatim, faciendo id quod solet, recitare inchoet per illud satisfacit præcepto. Secundum autem membrum declarat diuus Thomas articulo citato in solutione tertij. Si quis enim inquit ex proposito in oratione mente vagetur, hoc peccatum est, & impeditor orationis fructum. Peccatum inquit est: vbi præceptum denotat. Et fructum orationis amittit, puta non solùm animi refectionem, quam suprà diximus non durare nisi quandiu attentio durat, verùm & meritum & impetrationem: quia studio dimouetur ab attentione. Et in hoc, inquit, sensu accipiendum est illud Augustini in regula. Psalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Euagatio verò mentis quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit. Intellige meritum & impetrationem, vt suprà exposuimus: nam animi refectio non prouenit nisi dum ad rem attendis. Vnde Basilius loco citato de vita perfecta: Si debilitatus, inquit, à peccato fixè nequis orare, quantumcunque potes, teipsum cohibeas, & Deus ignoscet: eò quòd non ex negligentia, sed ex fragilitate nõ potes vt oportet assistere coram Deo. Hæc ille. Vbi nota quòd ex negligẽtia crassa mẽtem diuagari permittere, eòdem relabitur ac si consultò id faceres. ¶Est enim diuagatio mentis cùm cogitatio à proposito auersa absque vllo scopo oberrando discurrit. Cuius quidem causa multiplex est. Prima quidem quam Basilius significat, scilicet mentis debilitatio & languor quem ex peccato originali contraximus, per quod frænum originalis iustitiæ amisimus. Vt enim qui non est poplite firmus non potest fixè incedere: ita neque mẽs nostra firmiter propositæ meditationi adhærescere. Et sicut sol dum fluctuantem aquam irradiat, non potest radios solidè illic infigere, sed videntur titubare: sic se habent diuini radij in mentibus nostris. Prætereà & praui habitus nostrorum scelerum & inolita consuetudo mundana cogitãdi. Nam sicut corruptus humor corporeus quò semel fluere incipit, illuc semper ac pertinaciter decurrit: sic & lubrica nostra cogitatio. Accedit & supra hæc omnia dæmonum infestatio, quæ nobis in oratione qua cum Deo tam familiariter conuersamur, infestissimi sunt. Quapropter nec nobis demirandum est quòd mentem in oratione retinere non possumus, neque tamen desperandum: sed tanquàm in re, vt pretiosissima: ita & difficilima omni potius diligentia enitendum, vt orantes, præsentes animo simus. Primùm diuinum fauorem contra dæmones imprecando. Hac enim ratione nos instruxit ecclesia quæ canẽdi exordium inde auspicatur: Domine labia mea aperies. Et, Deus in adiutorium meum intende. Deinde & cogitatricem mentem aliunde, quantum in nobis est, dimouentes, ad diuina assuefaciendo. ¶Quò autem ad rem redeamus, quoties quis dedita opera mentem ab attentione non dimouet, præceptum orandi non omittit. Vt autem rei perspicuitate timoratis conscientijs consulamus, nemo censendus est attentione ex professo distrahi, nisi hæc concurrant videlicet vt dũ horas pendit, alio negotio occupetur, quod suapte natura orationis attentioni aduersetur. Vt si quis, verbi gratia, tunc legat, aut scribat: aut pingat, aut id genus aliquid faciat, quod attentionem requirit. Quare si dũ quis orat manus lauat, aut se induit, aut aliud quidpiam facit, quod non tantam animaduertentiam exposcat, etsi contra orationis dignitatem malefaciat, & forsan venialiter peccet, haud tamen contra præceptum mortaliter. Dixerim, forsan venialiter, quoniam non semper est peccatum. Imò in ordine nostro præceptum nobis est vt surgentes officium Virginis dicamus: & vt antiqua indicat Dormitorij dispositio, inter induendum se fratres illud inchoabant: videlicet vt iniqua fantasmata quæ in ipsa expergefactione occurrere assolent, abigerentur. Rursus requiritur quòd qui aliquid facit aut cogitat, quod ab orationis attentione extraneum est, aduertat per illud ab eâdem attentione dilabi. Quare etsi vltrò & voluntariè alia cogitet (vt bene ait in sua Summa Caietanus) quousque inspiciat se distrahi, semper reputatur inaduertenter diuagari, atque adeò excusatur ab omissione præcepti de attentione, impletque adeò subinde orandi mandatum. Tametsi diffitendum non sit, propter dignitatem orandi & propter periculum, crebrò venialem culpam irripere. ¶Supra hæc autem adde quòd nõ quoties per attentionis omissionem mortaliter delinquitur, necessitas incurritur restituendi: vt articulo proximo dicturi sumus. Emergit autem obligatio iterum eandem horam repetendi. Quòd si contra hoc postremum verbum sic arguas: Qui ecclesiam

D. Thomas

Augustin.

Basilius.

Quid mẽtis diuagatio.

Multiplex causa præfatæ diuagationis.

Quoties quis dedita opera mentem ab attentione nõ dimouet, orandi præceptum nõ omittit.

Caietanus.

siam ad audiendum sacrum die festo intrat, cum animo tamen mortaliter corrupto, si sacrum audiat præceptum implet: ergo qui psalmorum substantiam profert, etsi sciens & prudens vaga mente id faciat, pari ratione satisfacit debito. Negatur consequentia: quia præceptum audiendi Missam non obligat nisi taliter audire vt sit actus humanus: qualis esse potest, etiam si aliud simul adsit siniſtrum propositum. Soluere autem officium diuinum obligat vt fiat attentè. Quare sublata attentione præceptum non impletur. Conuincit autem præfata argumentatio quòd si quis attentè oret, quanuis id faciat adiũctam habens vanam gloriam, imò quamuis simul habeat propositum aliud mortale, satisfaciet præcepto, quantum ad substantiam: ita vt non teneatur officium iterare. Hæc ad pacandas conscientias dicta sint: nihilo minùs non esse debet contentus sic orare: imò, vt nuperrimè dicebamus, adhibẽda est cura & diligentia vt attentio per totam orationem perseuẽret: & magis ac magis mens reficiatur. ¶ At verò quoniam conclusionis tenore sæculares etiam liberè orantes complexi sumus, adnotandum est & illos suo modo ad attentionem teneri. Primùm quia aliquando occurrit eis quoq; orandi præceptum: vt c. 6. & 7. super Matth. in illo Christi verbo, Petite, & dabitur vobis. adnotauimus: Tametsi cùm sit affirmatiuum, non obliget pro semper, sed pro tempore & loco: quod non est præsentis loci discutere. Vnde quando quis in tempus incidit eiusmodi explendi præcepti, perinde ad attentionem tenetur atque clericus. Quare diuus Thom. loco proximè citato generaliter, ait, ex proposito in oratione mente vagari, peccatum esse. ¶ At verò dubiũ est, vtrùm dum quis liberè & suapte sponte orat, tenea tur etiam mente attendere. Apparet nanque minimè teneri: nam si hoc ego tempore nullatenùs orare obligor nulla apparet culpa si orare ad meum libitum velim: etiam consul tò mentem aliorsum vertendo. Exempli gratia: Cùm opifex & mercenarius dum manibus operatur profana canit, cur non etiam tunc orare poterit: tametsi dedita opera totam attentionem manuali operi habeat defixam: Respondetur collectionem nullam esse: Non teneor orare: ergo quanuis orem, non teneor attendere. Nam quanquàm licitum mihi sit ab opere religionis nonnunquàm vacare, tamen dum facio, ex ipsa natura virtutis obligor debitè facere. Sicuti in operibus otiosis contingit. Nam, licèt non teneor operari: tamen dum operor, teneor fine aliquo honesto id facere: aliàs nonnulla est culpa. Pariter ergo dum oro teneor pro rei dignitate orare: nè contemptor & irrisor apud Deum habear. Dixerim, dum oro: nam, si quis quidquid negotij faciat, vult Psalmos recitare vt alias caueat cogitationes, non est cur vitio detur: quia illud non per modum orationis eligitur, sed tanquàm mentis retinaculum. ¶ Sed rogas nunquid perinde erit peccatum mortale, attentionem orationis aut negligere aut dimouere dum quis citra præceptum orat, ac si clericus in horis canonicis id faceret? Apparet enim sic res habere: eò quòd, vt modò dicebamus, dignitas orationis attentionem exigit. Respondetur nihilo minùs non perinde peccare: nam vbi præceptum interuenit orandi, eodem præcipitur attentio. Vbi autem liberè & citra obligationem oratur: sola est culpa venialis indecenter orare: quare distractio, etiam meditata, nisi contemptio adsit nunquàm erit mortalis.

Sæculares orantes etiã suo modo ad attentionem tenent.

Dubitatio.

Solutio.

Hæsitatio.

ARgumenta ergo quæ in capite quæstionis proponebantur, non necessitate præcepti procedunt: aliàs efficacia essent, vt conclusione sexta assertum est, & in septima declaratum. Sed dirigebantur ad probandum attentionem necessariam esse pertam orationem: quod re vera non probant. Et ideo ad primum respondetur, illum in spiritu & veritate orare, qui instinctu Spiritus sancti secundùm diuinam & ecclesiasticam sanctionem ad orandum se accommodat: etiam si ex animi languore mens posteà aliorsum diffluat. Et eidem sufficit vt oratio sit ascensus mentis in Deum.

Ad primũ argumentũ

¶ Ad secundum satis inter explicandum septimam conclusionem responsum est: nempe quòd non quicunque mente dum orat diuagatur, Deum irritat: sed ille duntaxat qui id vel consultò vel negligentia crassa facit. Authoritati autem capituli, Dolentes, sua est conclusio concessa: nempe, præceptum esse attentionis: non tamen quæ necessariò totam orationem debeat comitari.

Ad secũdũ

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm episcopus & clericus id facere prætermittens quod facere tenetur, ad restitutionem aut præbendæ aut fructuum obligetur.

QVM decimas clerici, vt suprà ostensum est, stipēdij loco propter officium suscipiant, ordo præsentis disputationis vt exploremus exposcit, vtrum ecclesiastici, seu episcopi sint, seu inferiores sacerdotes & clerici, ad restitutionem toties teneantur, quoties id quod debēt non faciūt. *Primum argumentum Concilium Lugdunen.* Et arguitur à parte affirmatiua. In primis cap. Licet. de electione. libr. 6. sancitum legimus in concilio Lugdunensi sub Gregorio Decimo, vt ille cui ecclesia parœcialis demā data est, nisi intra annum sacerdos fiat, vt residere in ecclesia valeat, nulla præmissa monitione sit præbenda priuatus. *Bonifacius.* Cui Bonifacius cap. commissa. eodem titulo, adiecit, vt si mentem nō habuerit ad sacerdotium promouēdi, teneatur ad restitutionem fructuū. *Secundum.* ¶Secundò. In Concilio Lateranensi sub Leone Decimo, sessione. 9. decretū est, vt qui diuinum officium canonicè non persoluerit, pro rata teneatur perceptos fructus restituere: quod si supra dimidiatum annum in eâdem negligentia perstiterit, beneficio priuetur: quippe quod propter officium datum erat. *Tertium.* ¶Tertiò Non solùm qui horas canonicas non pendit, imò qui corruptis moribus est, videtur ad restitutionem obligari. Sanè cùm fructus ecclesiasticos populus clericis tanquâm pretiū suorum peccatorū & vota apud Deum offerat: vt habetur. 12. quæstion. 1. cano. videntes. quare, vt Oseæ. 4. legitur: & refertur. 1. quæstio. 1. cano. ipsi sacerdotes peccata populi comedere dicuntur. Qui autem aliorum intercessores sunt apud Deum, tenentur pura mente integram vitam viuere. Quare si aliter viuunt, ad restitutionem tenentur: secundùm tenorem tituli, de condiction. caus. dat. & non sequuta. ff. ¶In contrarium facit, quòd neque stipendia, neque verò decimæ conferuntur sub ea conditione vt quocunque actu stipendiatus famulus defecerit, ad restitutionem teneatur. Nemo enim, quæ fragilitas humana est, tam inculpatè famulari potest. Præterea, quòd, vt lib. 1. disputabamus, qui pœnam incurrit, nō tenetur ante condemnationem illam luere.

Quatuor capita controuersiæ præsentis. QVatuor capita sunt de quibus in præsentiarum cōtrouerti potest, vtrùm clerici ad restitutionem, seu præbendæ, seu fructuum teneantur: quæ argumentorum ordine designata sunt. Primum cùm qui sacerdotium possidet, in animo non fert sacerdos aut clericus fieri. Secundum cùm prædictos ordines in tempore non recepit. Tertium cùm officium canonicarum horarum non pendit. Et quartum cùm honestam vitam, vt clericum decet, nō viuit. Haud enim hîc de simonia, aut de homicidio, aut de alijs sceleribus, ob quæ vel irregulatitas contrahitur ad obtinendum beneficium, vel priuationis mulcta incurritur. Illorum enim disputationes ad alia loca spectāt diuersa. Sed ea hîc duntaxat disputamus quæ ad promerendos decimarum fructus atque alia stipendia sunt clericis necessaria. ¶Ad quæstionem ergo, licèt supra prædictum numerum, sex conclusionibus respōdetur. *Prima conclusio.* Prima est expressa assertio prædicti cap. cōmissa. de elect. lib. 6. Qui parœcialem habet ecclesiam, non intendens ad sacerdotium promoueri, ad perceptorum fructuum restitutionē tenetur. Parœcialem inquam quæ curam habet animarum annexam: secùs de collegiata, vt habet illic glossa. Et ratio est: quoniam: vt cauetur in citato cap. licet. eodem titulo, tenetur eiusmodi clericus in ecclesia sua residere, perseq; ecclesiæ famulari: quod anteq̄ fit sacerdos, non valet. Quocircà eâdem lege comprehenditur episcopus. Et quanuis textus loquatur de receptione, pari ratione intelligitur de retentione. Quemadmodum inquam si dum parœciam suscipis promoueri ad sacerdotium non cogitas, fructus restituere cogeris, quandiu mentem nō mutaueris: ita licèt dum illam suscepisti sanum habueris propositum, si tamen id posteà mutes, decernens non fore sacerdos, ab illo tēporis articulo teneris fructus restituere. Itaque quocunq; tēpore non intēderis sacerdotiū suscipere, fructus illius tēporis non facis tuos: nā par est de acceptione & retentione ratio, vt illic scire in glossa notatum est. ¶Et nota, Non intendens: quo verbo comprehenditur etiam ille qui dubio est animo: nam qui hæsitat, non intendit. Quocircà si qui parœciam suscipit nōdum de vita deliberauit, sed pēdēs est animi: vt si res alia via fœliciùs successerit: habitu clericali sit renūtiaturus, profectò non tuta conscientia fructus recipit. Si autem intentionem quidem habue-

rit

rit sacerdotij suscipiendi, sub conditione tamen, nisi per mortem primogeniti fratris hęreditas paterna sibi obtigerit, aut aliud quippiam sæculare prosperè successerit, fortasse erit, qui dicat eũ posse eosdem fructus ecclesiasticos percipere: eò q̃ conditionalis intentio, quodammodò est intentio. At neq; huiusce modi profectò conscientiam sanam esse arbitrarer: quoniam cũ textus ait, Non intẽdens, absolutam intentionem exposcit. Et ratio etiam suffragatur: nam qui absolutè percipit fructus, absolutam habere debet intentionem. Alioqui fraudulenter, vt ait textus, eos recipit. Parentesis verò illa textus (nisi voluntate mutata promotus fuerit) non sic astutè intelligenda est, quòd cum voluntate mutata ad sacerdotium promotus fuerit, possit fructus illius temporis recuperare, quo propositum sacerdotij non habebat: sed q̃ cùm proposuerit promoueri, iam inde suos illos faciat. ¶ Percontaris autem vtrùm in eiusmodi restitutione faciẽda expectanda sit iudicis condemnatio, an verò nulla expectata sententia sit exequenda. Apparet nanq; sententiam esse præstolandam: eò quòd lex illa videtur pœnalis. Respondetur nihilo minùs nulla opùs esse iudicis cognitiõe: sed eo ipso quòd quis non habeat propositũ suscipiendi sacerdotium, fructus non facit suos: quoniam lex illa non est pœnalis. Imò collatio parœcialis sacerdotij, licèt absolutè fiat, confertur tamen cum illa obligatione, vt cui cõfertur, sacerdos fiat: aliâs fructuũ dominium non acquirat. Quo ergo casu locum habet Digestorum titulus suprà citatus, de condi. cau. data & non sequu. ¶ Sed est pręterea adnotandum quòd etiamsi ille non intenderit promoueri. Imò licèt propositum habuerit rei se vxoriæ implicandi, titulum præbendæ secundùm rigorem textus non perdit. Imò quotiescunq; sacerdos esse voluerit, absque noua prouisione eandem valet retinere præbendam. Porrò verò, saltem ille qui firmato animo nunquã sacerdotalem ordinem suscipiendi parœcialem ecclesiam possidet, præterquàm quòd fructus, vt ait textus, non facit suos, non est immunis à delicto iudicandus: imò crediderim mortali, nisi illam reliquerit: quãdoquidem ecclesiam occupat cui seruire non cogitat, quod profectò absq; exitiali animarum detrimento, quarum cura eidem præbendæ annexa est, fieri non potest. ¶ De alijs autem beneficijs quæ extra animarum curam sunt, etiam si seruitium habeant annexum, nihil sancitum est. Quare neq; temerè asserendum quòd etsi absq; clericali intentione possideantur, obligatio restitutionis fructuum inde emergat: nã odiosa iura, vt habet Regula iuris, restringenda potiùs sunt, quàm amplianda. At verò neque arbitror à culpa mortali esse mundum qui beneficium habet cui annexum est clericale obsequium, nisi propositum habeat, si non sacerdotalem, saltem illum ordinem suscipiendi qui ad tale seruitium necessarius est. Aut si nullus requiratur ordo, saltem intentio necessaria est, clericorum more viuendi. Absurdissimum enim esset qui canonicatum aut aliud eiusmodi beneficium, obsequio ecclesiastico deputatum, retineret cum animo ad matrimonium conuolandi, aut sæculariter viuendi. Quin verò neque præstimonia, quæ vocant, absq; culpa cum eiusmodi sæculari animo & habitu possidentur: quandoquidem, vt sæpe anteà diximus, istiusmodi titulus, clericalis est. ¶ De pensionibus autem alia est ratio: quippe quæ sine ecclesiastico titulo conferuntur. Quanuis nisi propter aliquem famulatum ecclesiæ concedantur, absurditate nõ caret. Sunt enim qui cùm sacerdotiorum potiantur, mutato animo eadem, retentis pensionibus, resignãt, quas quidem coniugati retinent, quibus vxorem, & proles, & sæcularem fastum sustentent. Quod quidem adeò est instituto ecclesiastico absonum, vt cur ecclesia ferat non viderim.

Quæstio.

Solutio.

Quid de præstimonijs.

Quid de pensionibus.

¶ Secundum caput restitutionis quod posuimus erat, dum parœcialis clericus intra annum sacerdotium non suscipit. De quo in dicto cap. licet. de electio. libr. 6. extat conclusio, quæ hîc sit nobis secunda. Qui titulũ habens parœcialis ecclesiæ intra annum ad sacerdotium nõ promouetur, nulla etiam præmissa monitione, eâdem est præbenda priuatus. Et est similiter intelligenda ac præcedens: nempe quòd non opùs est alia priuatoria sententia: eò quòd lex illa non est pœnalis, sed cõuentionalis. Enimuerò cum nulli esset animarum cura demandanda, nisi sacerdos esset qui illicò suam prouinciam administrare posset, sanctum ecclesia duxit nemini eiusmodi præbendas indulgere, nisi cũ illa conuentione, qua non seruata, eo ipso sit priuatus. Quòd si arguas: Ille facta prouisione verè & absolutè est præbendæ dominus: ergo nisi audiatur, non est expoliandus. Negatur consequentia: quia eiusmodi collatio semper quodammodò est à futuro pendens.

Secunda cõclusio.

Ratio cõclusionis.

Obiectio.

Solutio.

Sicuti si tuam tu pecuniã alicui sub aliqua obligatione & pacto cõferres, eo ipso quòd ille pacto non stet, tenetur eandem tibi reddere. Illum autem canonẽ postmodùm Bonifa. cap. cùm ex eodem titulo. sic moderatus est, vt duntaxat ratione studij, quo posset postmodùm sacerdos esse ecclesiæ fructuosior, valeat episcopus cum eiusmodi clericis per septennium dispensare. Nunc verò temporis quacunq; de causa dispẽsatur. Circa hanc ergo conclusionem nulla extat immorandi causa. ¶ Tertium ergo caput restitutionis ecclesiasticorum fructuũ ex omissione ortum ducit persoluendi diuinum horarum officium, in quo plura complicãtur dubia. Et primũ est, An qui officiũ diuinũ nõ soluit, ad restitutionem teneatur, & quo iure. Et incipiẽdo à naturali & diuino, apparet in primis nõ teneri: quia in .c. presbyter. de celebr. missa. & alijs suprà citatis, vsq; ad Cõcil. Latera. sub Leone. 10. nulla extat restitutionis mentio: sed tantũ præcipitur vt soluatur officium diuinũ. Si autem restitutio diuini esset iuris, non fuisset ab ecclesia tam longo silentio dissimulata, sed expressis verbis explicata: nam per hoc quòd orare præuisum est, nõ satis exprimitur quòd aliter facientes ad restitutionem teneantur. Item beneficia nõ propter horarum officiũ solùm, verùm & pro alijs impenduntur clericis: qui autem alia prætermiserit, vt si plebanus in sua cura fuerit negligens, non ideo iure diuino ad restitutionem tenetur. ¶ His tamẽ nõ obstãtibus statuitur. 3. cõclu. Qui sub titulo clericali stipẽdium habet ecclesiasticũ, nempe ex decimis aut similibus oblationibus, nisi diuinum officium soluerit, ad aliquam restitutionẽ tenetur. Hoc patet: quia huiusmodi stipendia licèt nõ quatum ad quoã, tamẽ iure diuino, quin etiã naturali, instituta sunt tãquam stipẽdia ecclesiasticarũ functionum. Munus autẽ maximè propriũ clerici est, vt suprà diximus, officiũ diuinũ certis horis pendere. Quare in Concil. Lateraneñ. ad hoc propositũ allegatur q; beneficiũ datur propter officium: ergo qui nõ penderit, iugo restitutionis eodem iure subijcitur: eò quòd non vtcunq;, sed contra iustitiã deliquerit. Non dixerim, si hoc aut illo modo officium non soluerit, neque q; ad talem aut talem restitutionem teneatur: nam hæc oĩa sunt de iure positiuo: sed quòd sub pœna alicuius restitutionis teneatur clericorũ quisq; ad orandi munus. ¶ Atqui in huius conclusionis confirmationem facit, non esse aliud credibile, quàm quòd ante nuperrimum Lateranẽ. concil. mos fuerit ecclesiæ, vt qui officium diuinum non diceret, ad aliquam restitutionem teneretur: aliàs præfatum Concilium non sic repentè tam insigne præceptum protulisset: & tamen vt dicebamus, expressa restitutionis mentio non habetur anteà in iure: ergo præceptum ipsum orãdi, secundùm naturale ius & diuinum sub alicuius restitutionis pœna interpretabatur. ¶ Subtexitur nihilo minùs quarta cõclusio. Non quicunq; defectus in persoluẽdo diuino officio, imò neq; omnis qui culpam inducit mortalem, ad restitutionem obligat. Vt, si incõgruè proferas: aut versus aliquos, etiam ex supina uegligẽtia & oscitantia interpoles. Probatur: quia hoc esset nimium irretire conscientias: cùm vix caduca, labilisq; hominum vita sine huiusmodi negligentiis transigi queat. Imò verò & si matutinale officium, aut aliam horã, seu ex culpabili obliuione seu dedita opera prætermiseris, qđ fortè semper est mortale: aut si totum diem orare prætermittas, quòd certè est lethale: nõ ideo ad restitutionem rigore iuris teneris. In primis enim qui non ratione beneficij, quia nullum habet, sed ratione ordinis orandi lege tenetur, non est quod restituat. Qui vero ratione beneficij fuerit obligatus, quãuis collatum ei fuerit propter officium: non tamen adeò minutatim respõdere debent stipendij portiunculæ singulis canonicis horis, vt cuiusq; prætermissio ad restitutionem illius portionis obliget. Quoniam neque in ciuilib⁹ familijs tam exactè requiritur seruitium, neq; Spiritus sanctus, cuius nutu ecclesia regitur, tales voluit suis ministris scrupulos inijcere. Ex quo fit q; & si dum oras attẽtionem studio & meditatò inde dimoueas, licèt mortale crimẽ sit, vt suprà diximus, ad restitutionem tamen non obligeris: quoniam neq; si officium præter mitteres, obligatus esses. ¶ At verò dubium de illis restat qui longiori tempore orare canonicè prætermittunt: maximè si præbendas habeant ecclesiasticas. Et dubitandi rationem nobis offert sessio. 9. citata Lateranen. Concilij. Cuius verba sunt: Statuimus & ordinamus, quòd quilibet habens beneficium cũ cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante beneficiorum suorum fructus non faciat,

Limitatio Bonifacij ad præteritam cõclusionẽ.

Dubium.

Primum argumentum

Argumẽ. 2

Tertia cõclusio.

Probatio.

Cõfirmatio.

Quarta conclusio.

Probatio.

Dubitatio

Ratio dubitandi.

Concilium Lateranẽse

pro

pro rata omissionis officij & temporis: sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ecclesiarũ huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si verò vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur: cùm propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quo ad hoc quod est beneficio priuari posse, qui per quindecim dies illud bis saltem nõ dixerit. Hæc in Concilio. In hac verò, vt iacet verborum serie, partim nimia videri cuipiam potest relaxatio, partim verò nimia pertrictio. Nam quòd vsq; post sex menses ab obtento beneficio non cogatur clericus sub aliqua pœna officium dicere, nimia relaxatio est. Rursus quòd qui posteà vno aut duobus diebus orare cessauerit, teneatur pro rata soluere, nimium apparet rigidum. Præterea, quod vrgentius est, nec verba concilij: vt iacent satis sunt intelligibilia. Habetur enim priùs, quòd qui post sex menses ab obtento beneficio nõ orauerit, pro rata restituat. Posteà verò subditur: Si vero vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, &c. Quæ quidẽ verba prioribus nõ gratè cohærent: nam hæc postrema, in simili negligentia, aperte denotant negligentiã priorum sex mensium ad restituendum pro rata obligasse: quandoquidem post illos rigor cogendi per comminationem priuationis beneficij adhibetur. ¶Conijcio ergo, imò certò crediderim illud verbum Concilij non esse, post, sed, per: videlicet vt sensus sit, quod qui per sex menses ab obtento beneficio vel quamlibet eorum partem officium non dixerit, solùm teneatur ad restitutionem pro rata. Elapso verò semestri, si post admonitionem in quindecim diebus non bis orauerit, beneficio priuetur. Itaq; primũ semestre non datur tanquã inducia, vt clericus non orans nulli subiaceat pœnæ: esset enim omni ratione dissonũ: sed, vt non priuetur. Et hoc pacto verba sunt intelligibilia: alioqui minimè.

Expẽdutur verba Cõcily Lateranẽ.

Explanatur Concilium nam modo citatum.

¶Colligitur ergo ex hoc Cõcilio quod quæcunq; horarum omissio cùm primùm quis habet beneficium, eum ad restitutionẽ obliget: Imò si rigorem verborum spectes, quauis vnam duntaxat horã prætermittat, restituere compellatur. Porrò autem hic censendi rigor, nimium ius apparet, Eò vel maximè quòd etsi præcipuum clerici officium sit horarum pẽsum, nihilo minùs beneficium pro alijs etiam officijs tribuitur: & ideo ratio nõ exigit vt vsque ad huiusmodi minutias fiat restitutio. Neq; ius diuinum ad id cogit, neq; synodus credenda est tam districto rigore sua protulisse verba. ¶Igitur quò rem summatim comprehendamus, concilium, saltem hoc capitulum nondum plenè, quod sciã, vsu & more receptum est. Fuit em̃ Synodus illa nimiũ prolixa, & aliqua continens quę non erant tanti momenti. Quapropter salua illa authoritate quæ concilijs summa debetur, nescio an sit omnino necessarium ad rigorem sessionis huius omittentes vnum aut duos dies ad restitutionem obligare. Enimuerò neque altera pars, nempe quòd qui vltra semestre officium diuinum non soluerit, priuatione beneficij mulctetur, in vsu (quod audierim) vspiã est, Neq; admonitio illa quę illic fieri iubetur: fieri consueuit. Haud enim est ipso facto priuatus, vt de illo supra diximus, qui in animo non gerit ad sacerdotium promoueri, aut non intra annum promouetur. Sed, si concilium seruaretur, esset priuandus. ¶Quod ergo cõsilium egomet mihi ex his colligerem est, pro vno aut duobus diebus nemini restitutionis scrupulum injcere quanuis peccatũ sit mortale. Saltem eos qui relaxationibus cruciatæ Bullæ gaudent, quibus ab horis male pensis absolutio continetur, satis crediderim esse tutos, quanuis eiusmodi paruas uegligentias cõmiserint. Quãdo verò orandi omissio vlteriùs procedit, tũc compositio cum summo Pontifice, aut eius legato locum haberet. Id quod propter authoritatem Concilij dixerim. Nam stando iuri diuino, cum episcopo fieri posset. Enimuerò huiusmodi restitutiones, si idem diuinũ naturaleq; ius, imò si pontificium priscũ cõsulos, ecclesiarum fabricis adiudicãdæ essent aut in pios vsus insumendæ. Etenim cùm decimarum stipendia res sint propriæ ipsarum ecclesiarum, ministri qui non seruirent, eisdẽ ipsis deberent restitutionem. Quin verò idẽ Lateranẽ. concilium eisdem ecclesijs aut pauperibus fieri iubet. Attamen, iam nunc temporis, vt aliàs diximus, summi Pontifices suis vsibus necessarias esse ducunt: & ideo cum illis de restitutione paciscitur. ¶Postremum deniq; dubium huc pertinens supereſt de illis qui ecclesiis famulari tenentur: nõ tamen pro dignitate satis inseruiunt. Nempe de canonicis qui in intrando chorum, indeque exeundo, constitutum signum punctim obseruant: videlicet vt neq; antè ingrediantur

Cõciliũ Lateranẽse more & vsu receptũ nõ est quo ad restitutionẽ fructuũ beneficij pro rata omissi officii diuini.

Consiliũ auctoris contra proximam dubitationẽ

Postremum dubium.

diantur neq; pòst permaneant: vtrùm ad re-
Petrus Palu stitutionem pariter teneantur. Petrus nanq; de palud. in. 4. dist. 15. q. 5. istorum conscientias flagellat, dicens quòd si residuum temporis negotijs ecclesiæ impendunt, bene quidem, qui autê otiosè & sine bona causa spontè abest, non est tutus, etsi ecclesiæ statutum aut consuetudo eum excuset: Quoniam tale statutum irrationabile erit: quod ideo conscientias sedare non sufficit. Maximè in anniuersarijs: eo quod qui sua bona sub tali vinculo ecclesijs legârunt, non ea censentur canonicorũ statutis, nisi rationabilibus, subdidisse. ¶Nihilominùs contra eiusmodi scrupulum subijcitur quinta conclusio. Vbi nõ est manifesta statuti peruersitas quicunque choro iuxta tenorem institutionum suæ ecclesiæ inseruiens bona fide & cõscientia fructus facit: neque ad vllan tenetur restitutionem. Conclusio est per se liquida: nam postquàm totũ collegiũ more & vsu legem cõdidit nisi manifestariè prauitatem & corrupte lã præ se ferat, nemo eiusdem societatis, tenet amplius de legis ratione discutere, sed eã seruando satisfaciet. Quartum denique ac postremum caput restitutionis bonorum ecclesiasticorum ab aliquibus, vt supra diximus, constituitur, si clericus moribus & vita non sit ille, quem esse decet, Quam quidem opinionem Adrianus amplexari videtur in illa supra citata quæstione de restitutione: vbi ait quòd clericus perditè viuens & Deum cõtinuò prauis moribus stimulans, aut officiũ debitum prætermittens tenetur restituere quicquid de fructibus ecclesiasticis expendere rit. Cuius argumentum suprà in fronte quæstionis tertia sede collocauimus. Opinio tamen hæc esse non potest nisi quorumpiam forsan iurisconsulorum, qui ex sancto potiùs zelo quàm consulta ratione philosophãtur. Nã Alexan. Halensis 3. p. q. 36. cui Adrianus illam inscribit, non loquitur nisi de eo qui ecclesiæ non seruit: de quo ait, quòd sicut cõductus agricola non laborans non est mercede dignus, ita neq; clerici non seruientes. Contra illam ergo opinionem subnectitur sexta conclusio. Quanuis clerici ratione sui status moribus inter sæculares effulgêre debeant, atq; adeò tanto præstantiùs quãto quisq; altiori insignitur dignitate: tamẽ sola vitæ corruptio eos ad restitutionem nõ obligat: nam eius stipendia minimè ei sub tali cõditione, conferuntur, sed vt ecclesiæ seruiat. Tenentur enim etiam & reges & quicunq;

Quinta conclusio.

Alexander Halens.

Sexta cõclusio cõtra recitatãopinionem.

Quartumcaput restitutionis bonorum ecclesiasticorum. Adrianus.

publici magistratus morum integritate præpollere: tamen quis dicat sub tali pacto eos stipendia suscipere? Adde quòd si vlla esset in tali opinione probabilitas, laqueum hominum conscientijs iniiceret: nam in tanta multitudine clericorum innumeri sunt qui in dies lethaliter delinquũt. Et quod res manifestè demonstrat: ecclesia præscribens crimina, nempe simoniæ, homicidij, aliaque id genus de quibus clerici suis præbendis expoliantur, manifestè animum suum patefacit, non esse ab reliquorum quodpiam suo sacerdotio priuare. ¶Ex dictis ergo colligitur responsio quæstionis quæ neq; omnino est affirmatiua, neque omnino negatiua, sed media. Primo ergo argumentõ ex capitulis, licet. & quoniam. libr. sexto, compositio, suas concessimus conclusiones, quæ fuerunt nobis prima & secunda. Tertio verò id quod probare contendebat, in sexta negauimus: Atq; adeò eisdem argumentis satisfactũ est.

Ratio pro cõclusione.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm religiosi creati episcopi ad obseruantias regulares teneantur.

Sanct. Tho. 2. 2. q. 185. art. 8.

QVONIAM in superioribus quæstionem D. Tho. centesimã octuagesimamquintam de episcoporũ statu tractare aggressi sumus, sed tamen meditatio canonicarum horarum quam altera declerico rum bonis nobis obtulit, paulisper nos diuertere, licèt non absque, compulit, operępretium duximus ad postremum eiusdem quæstionis articulum, quem missum feceramus, reuerti: vt decimum hunc librum qui præcipuè de episcopis institutus est, consideratio monachorum qui episcopali dignitate fulgent, concludat. ¶Arguitur ergo quòd eiusmodi religiosi in episcopos promoti ad obseruantias regulares non tenentur. Habetur enim can. statutum. 18. q. 1. quòd monachum electio canonica à iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de monacho episcopum facit: obseruantiæ autem regulares sub iugo monasticę institutionis continentur: ergo illi qui episcopi creantur, ab illis eximuntur. ¶Secundò. Ille qui ab inferiori ad altiorem gradum assumitur, videtur à vinculis inferioris absolui: eò quòd homo non potest tot sarcinis esse onustus,

Primum argumentum.

Argumẽ. 2.

Quem

Quemadmodum qui monasticam profitentur vitam ab omnibus votis religantur quibus erant in sæculo obligari: status autē episcopalis sublimior est monachali: ergo religiosus illuc promotus ab omnibus canonicis institutis liberatur. ¶ Tertio insolubiliores monachorum nexus sunt obedientiæ & paupertatis: episcopus autem ab obedientia suorum prælatorum fit exemptus: & quòd ab altero etiam paupertatis funiculo enodetur, apparet sentire præfatus canon: vbi ait eiuscemodi monachum creatum episcopum legitimè posse paternam hæreditatem adire. Adde quòd etiam illis conceditur testamenta conficere: ergo & ab alijs etiam obseruantijs liberantur. ¶ In contrarium videtur facere canon Innocentij, de monachis. 16. q. 1. quo ait: De monachis qui diu immorantes in monasterijs posteà ad clericatus ordines peruenerint, statuimus nō debere eos à priori proposito discedere

Argumen. 3

Prima conclusio.

SEntentiæ Diui Thomæ de hac quæstione tribus conclusionibus continetur. Prima. Ad eas religionis obseruantias quæ pontificiæ functioni nullo esse possunt impedimento, imò esse possunt adiutorio, perinde tenetur monachus sedem episcopalem adeptus atq; dum erat in claustro, Huius generis sunt, continentia, paupertas, arq; adeo religionis vestitus: qui est eiusdem obligationis signum. ¶ Secunda conclusio, Si quæ verò inter regulares obseruātias existunt quæ pōtificis administrationi obstaculo esse possunt, ab illorum iugo eximitur per episcopatum religiosus. Cuiusmodi sunt solitudo, silentium, graues q; abstinentiæ atq; vigiliæ quæ corpus debilitando possent episcopum suo muneri ineptum reddere. ¶ Ambas has simul conclusiones hac ratione commonstrat. Cùm vterq; locus, tam religionis scilicet, quàm episcoporum, sit status perfectionis, hoc tamen differunt, quòd status religionis viam ad perfectionem sternit tanquàm eius discipulatus: status autē episcoporū est ceu perfectionis magisterium: dispositio autem ad aliquam formam per illius perfectionem non cessat nisi quatenus eius fuerit impedimentum: vt lectio ac meditatio discipuli cessare non debet dum fit magister: imò hoc impensius facere debet. Non tamen amplius debet audire, sed docere: quia illud esset huius impedimentum: Pari ergo modo illæ obseruantiæ religionis quæ functioni episcopali non obstant, in monacho episcopo nō cessant, sed illæ prorsus quæ obstāt. ¶ Tertia conclusio. Aliarum obseruantiarum à quibus non absoluitur, potest eiusmodi episcopus dispensatione nonnunquam per suā authoritatem vti, sicuti in religione id poterat authoritate prælati. ¶ Hæc Diuus Thomas: quæ quidem aliquando indigent maiori amplificatione. Et primū omnium iuxta numerum conclusionum tria denotat in religioso operū genera, quæ in eius assumptione ad episcoporum ordinem sunt meditanda. Quædam scilicet quæ non solùm non obstant, sed conferunt: vt castitas & paupertas atq; obedientia: quam nō relinquit, sed mutat: vt qui præfecto religionis obediebat, deinde obtemperet Papæ. Quædam verò sunt manifestè repugnantia: vt solitudo, & silentium, & immodicæ abstinentiæ. Aliæ verò medij generis, quæ scilicet nō semper obstāt, sed aliquando: vt si dicas reliqua moderata ieiunia, & lanis ad cutem indui, in ipsisq; dormire. Ad illa ergo primi generis ait teneri episcopum monachum: ad alia verò secundi, ipso iure absolui. Sed in reliquis, licet non prorsus ab illis absoluatur, posse tamen secūdum expedierit dispensare. ¶ De singulis ergo nonnihil sese offert dubietatis. Primum enim membrum trinum includit votum: scilicet castitatis, obedientiæ, & paupertatis. Et de primo nullatenus dubitatur quin monachus illi maneat astrictus: non solùm sacerdotum lege, verum & religionis. Quare licèt cū alijs episcopis: vt libr. 8. explicuimus, dispensare ecclesia posset super continentia: non tamen cum episcopis monachis. Neque de secundo vlla est ambiguitas. Nam sicut dum religiosus in generalem magistrū aut ministrum ordinis assumitur, non obstante obedientiæ voto, soli Papę manet subiectus: sic monacho accidit dum fit episcopus: Nō inquam deserit, sed mutat obediētiam. ¶ De voto autem paupertatis restat sane dubium nec solutu facile. Primū enim sanctus Thomas in hac secunda secundæ, tum quæstione. 88. ad quartum argumētum: tum hic clarissimè defendit monachum factum episcopum nullatenus à voto paupertatis absolui. Nam & in prima cōclusione exemplum ponit continentiæ & paupertatis. Et in solutione tertij ait religiosum episcopum nō posse habere proprium. Et ratio apparet plana: nam, vt libr. 8. dictum est, votū religionis est indispensabile quod tria includit vota. ¶ In contra

Ratio vtriusq; conclusionis.

Tertia conclusio.

Tria operū genera in religioso.

Dubitatio.

Argumētū.

cõtrarium autem est argumentum quod illic insinuauimus,& hic apertius vim suã demonstrabit. In epo,vt supra dictũ est,duo cõsiderantur bonorũ genera:nempe sæculariũ & ecclesiasticorũ.Omissis ergo modò sæcularibus,d' ecclesiasticis arguitur,Reliqui epi ex sæculari clero assumpti post factam portionũ diuisionem dominiũ habent suæ:vt.q.4. multis modis confirmabamus:episcopis autem ex religionibus euocatis eadem prorsus ratione & modo adiudicatur sua portio, sicuti & alijs qui ex reliquo clero eliguntur:ergo perinde eiusdem portionis dominium habent atq; reliqui. Fateor equidem ad hoc argumentum me respondere nescire: quoniam neutram præmissarum video quomodò negare valeam.Nam quòd eodem modo omnes fiant episcopi, dubitari non potest. Neq; verò D.Thomas quantum ad hæc bona ecclesiastica aliam paupertatem tribuit religiosis episcopis,quàm reliquis.Imò articulo sexto præsentis quæstionis,vbi constituit episcopum non teneri ad paupertatem cùm secundo loco argumentatus esset quod Apostoli fuerunt pauperes, respondet ad illam paupertatem nõ teneri episcopum.Idq; cõfirmat exemplo Athanasij,Ambro.& August. qui fuerunt vna & monachi & episcopi. vbi palàm ostendit monachos episcopos perinde possidere ecclesiastica bona ac reliquos sæculares. Cùm ergo idem Doctor sanctus articulo statim septimo dixerit quod de his quæ vsui episcopi deputata sunt, eadẽ esse videtur ratio quæ de propriis bonis, profectò id monachis episcopis nõ denegat. At quoniam semper habuit oculum ad illud tẽpus quo clerici in communi viuebant, propterea simpliciter ait monachũ factum episcopum,non absolui â paupertatis voto:Dicendum ergo sub peritiorum censura, quòd sicut obediẽtia monachi dum fit episcopus sic mutatur vt soli sit Papæ subditus,ita & eius mutatur paupertas,vt decimarum portio reliquaq; episcopalia bona illi sicuti & reliquis episcopis adiudicentur. Nimirum vt & ipse sustentetur,& singulari misericordiæ præcepto,quod prę alijs episcopis religiosos ligat,subsidio sit pauperibus. Quantum ad aliud verò bonorum genus,scilicet sæculariũ dubitari non potest,quin etiam paupertatis votum quadantenus ei mutetur: vt patet ex can.statutum.18.quæstione.1.vbi monachus qui in monachatu hæres paternus esse non poterat,idoneus declaratur eidem adeundæ hæreditati, qua vtique potest superstite vita perfrui. Et in causam adducitur quòd ipsum electio canonica â iugo regulę monasticæ religionis absoluit:& sacra ordinatio de monacho episcopum fecit: Quin verò si vsum qui iam receptissimus est,consulas,Papa cũ episcopis monachis nonnunquàm dispensat vt sæcularia bona emant quę posteà quibus volunt relinquant. Qui quidem mos si legitimꝰ est,profectò ostendit non esse tam indispensabile paupertatis votum,quàm continentię aut obedientiæ. ¶Circa secundum autem obseruantiarum genus, scilicet illorum â quibus monachus eo ipso quo fit episcopus absoluitur,adnotauit hìc Caietan.non solùm illas comprehendi quæ manifestè episcopali functioni aduersantur,vt silentium & solitudo, verùm & quæ eiusmodi dignitati dissonant,aut congruentia non sunt:quod quidẽ concessu facile est: sed tamen exempla quæ subdit nescio an sint adeò congruentia. Ait enim quòd absoluitur â ceremonijs habendi socium ordinis bibendi sedendo,cum duabus manibus, & benedictione, & similibus. Attamen licet forsan ita sit, propterea quòd res sunt parui momenti:non tamen propter causam quam ipse affert:videlicet quia episcopum illa non decent. Imò verò cùm talis episcopus habitum religionis exuere nõ debeat nisi summus fiat Pontifex, adeò huiusmodi monachales ceremoniæ ipsum non decent, vt eius habitum decorent. In Italia quidem vbi monachi ad quencunque pauperem episcopatum assumãtur,habitum vel prorsum abijciunt,vel alia figura incrustant omnes monasticas ceremonias cum illo deponunt:quia Itali non dignantur episcopos in habitu monachali videre:quæ quidem pestis ad alias iam natiões inserpsit.Et inde Caietan.iudicium sumpsit.Tametsi non pro se, qui etiam Cardinalis cum habitu monachali semper religiosissimè vixit.Igitur quòd episcopus religiosus socium sui ordinis qui authoritate vigeat sibi adiungat,& ceremonijs quibuscunq; religionis,ac religiosorum idiomate vtatur: adeò non est indecens, vt qui contrà faciunt oculos prudentium sæcularium offendant. ¶De tertio verò ceremoniarum ordine â quibus sanctus Thom. ait religiosum non absolui,licet super ipsis secũ posset dispensare: q̃lia sunt lineis non vti,regularia ordinis ieiunia seruare, etsi sit ordinis nr̃i vel Carthusiensium esu carnium abstinere,dubium est, idemque in præsentiarum præci-

Paupertatis votum.

Caietanus.

Non probat̃ ratio Caiet.

Solutio.

Dubium.

præcipuum, quo vinculo religiosi episcopi ad horum obseruantias teneantur, vtrùm sci licet legali debito, an solùm morali. Legale enim debitum est quando quis lege per vim coactiuam tenetur: ita vt qui contra fecerit, legis pœnis obligetur. Vinculum autem mo rale est quando quis sola vi directiua legis o bligatur: non autem pœnis subditur. Exemplum est in principe qui non tenetur vi coactiua, sed directiua. Et quod monachus teneatur vtraque vi legis, videtur hic D. Thomas sentire, dicens quòd in istis potest tantũ secum dispẽsare. vbi insinuare videtur quòd perinde obligatur atq; quando erat in clau-
Solutio. stro. ¶ Nihilo minùs placet mihi Caietani sententia quam in præsentiarum protulit, sed expressiùs in singulari opusculo quod de hac re intitulauit: nempe in libello viginti vnius quæstionum. q. 19. Sententia verò est quòd non tenetur ex debito legis, sed ex mo rum honestate: tum quia id significatur ca. citato statutum illis verbis: Aiugo regulæ monasticæ religionis absoluitur, & de mona cho fit episcopus: iugum enim vim coactiuã designat. Item postquam eximitur à subiectione prælatorum ordinis, quia nullatenùs nisi per Papam puniri potest, indicium est quòd neque pœnis regularium statutorum subiacet. Quòd autem ex debito morali & de honestate teneatur, patet: nam postquã monachatum professus est qui perfectionis est disciplina, condecens est vt magister perfectionis factus eandem seruet disciplinã: nam licet non per vim coactiuam, libere tamen: quemadmodum discipulus licèt factus doctor ferulæ metu alijsque coactionibus quibus ad studium compellebatur liberetur, debet nihilo minùs sua sponte eisdem studijs incumbere. Neque est ineptum exemplum quòd à naturalibus sumitur. Quandiu enim calor in ligno ad formam ignis disponit, vi quadam coactiua agentis retinetur: adueniente autem substantiali forma, fit naturalis, atq; adeò suapte spõte in igne permanet.
Primum corollarium. Ex quo fit vt debitum morale religioso episcopo propterea q̃ de religione assumptus est maius sit quam in episcopo sæculari. ¶ Se-
Secundum. quitur nihilo minus secundò quòd religiosus factus episcopus quanuis ferijs sextis peculiari instituto religionis, etiam si sub reatu mortali obliget, vt in ordine diui Francisci obligari fertur, factus episcopus potest in die Natalis Domini, si illa feria occurrerit, carnibus vesci, & ieiunium frangere. Oppositum dicit in præsentiarum Caietañ. sed in opusculo cordatius mutauit sententiã. Nam capitulo, explicari. extrà, de obserua. ieiuni. vbi cunctis Christianis illud priuilegium indultum est, non excipiuntur nisi qui ex voto aut ex regulari obseruantia ieiunare astricti sunt. E intelligitur ex regularis obseruantiæ legali debito, quod non manet in episcopo nisi morale. Neque votũ abstinentiæ fecit singulare, nisi vouẽdo religionem. Igitur S. Thom. hoc pacto intelligendus est sensisse monachum episcopum non absolui à dictis obseruantijs: scilicet quantum ad morale debitum. ¶ Sed contrà: ergo neq; ad castitatem *Argumẽtũ.* tenetur sub reatu mortalis criminis: quia debitum morale nõ videtur sub tali reatu obligare. Negatur consequentia: quoniam votũ castitatis expresè fecit: virtute cuius, etiam si cesset vis coactiua obseruantiæ regularis, obligat. Cætera verò non vouit formaliter nisi vouendo religionem: cuius vis cessat in illo quo ad legale debitum. Verum est tamẽ quòd pœnis quæ in religione decretæ sunt transgressoribus trium votorum essentialiũ nõ manet subiectus. ¶ Sed vtrùm illud mora le debitum plus obliget episcopum religionis D. Frãcisci, quàm nostri ordinis: eo quòd ipse ad aliquas obseruantias tenẽtur sub cul pa mortali: nos verò ad nullas. Et princeps quanuis non teneatur vi coactiua, tenetur ta men fortè aliquibus suis legibus sub reatu mortali. Respondetur quod si vera est hæc opinio, episcopi Diui Francisci, non magis quàm nostri obligantur: quia æqualiter absoluuntur à legali debito. Quare de hoc non nulla est in principe differentia: quia licet non cogatur, lege tamen illa durante, si ad se pertinet, tenetur illa. ¶ Debent autem religio si vt in adeundis episcopatibus multò esse cũctantiores quàm sæculares: ita & in admini strandis longissimè vigilantiores, Qui enim sese in claustra, mundo vale dicentes, abdiderunt: non debent sicuti vxor Loth retro, hoc est, ad sæculares splendores respicere. Nam præter Dei offensam sæculari populo scandalo sunt, ac subinde vilipendio & ludibrio: nisi palam constet tum renitentes vi fuisse à suis claustris extractos, tum ecclesijs cum omni timore Dei famulari: alijsq; absti nere pompis quæ non fuerint ad ornamentum suæ dignitatis necessariæ.

PRimum igitur argumentũ in capite quæ stionis ex cano. statutum. obiectum, iam *Ad primũ argumentũ* sua

sua declaratione solutum est. ¶Ad secun-
Ad secũdũ argumentũ dum respondet D. Thom. quòd vota in secu lo facta non ex eo præcisè per professionem religionis dissoluuntur, quòd sit ascensus ab inferiori ad superius: sed quòd illa habent se ad religionem sicut particulare ad vniuersale puta sicut ille qui partem sui Deo obtulit ad illum qui se offert totum. Pars autem includitur in toto, & ideo aduenientе toto superfluit. Ascensus autem à religione ad episcopatum, est sicut à dispositione ad perfectionem: dispositio autem non cessat aduenientе perfectione. Intellige, vt diximus, quãtum ad debitum morale sicuti calor disponens ad ignem permanet in illo. ¶Ad ter-
Ad tertium argumentũ tium autem quantum ad id de obedientia iam respõsum est, quòd non relinquitur, sed mutatur: & pariter quantum ad paupertatẽ,
Dubium. ¶Restat nihilo minùs dubium quod diuus Thomas illic insinuat circa illud capi. statutũ, de hæreditate paterna quam monachus episcopus acquirit, cuinam post eius mortem obueniat, monasterione an episcopali ecclesię? Verba quippe capituli obscura sunt nihil enim aliud explicant nisi q̃ quæ monachus acquisierat, monasterio relinquat: quæ verò factus episcopus acquisiuerit, ad altare
Solutio. ad quod sanctificatus est restituat. Sensus ergo istorum verborum est quem vsus declarat: nempe quòd quæ acquisierat in sæculo, relinquat monasterio: quod autẽ episcopus factus adiecit, relinquat episcopali ecclesiæ. Bona verò religiosorũ qui titulares episcopi fiunt: quia sedem non habent licèt acquisita eis sint in episcopatu, monasterijs obueniũt. ¶Testamenta autem condere manifestum est non posse sine Papę dispensatione. Et tũc ait D. Thomas, si episcopus religiosus est, nõ sibi concedi vt tanquam de proprio testamẽtum faciat, sed quia Papa eius ampliat facultatem dispensandi sua bona, vt eadem facultas duret post mortem. Ait verò postquam ita liberè dispensatur cum illo atque cum alijs episcopis, parũ refert quomodò fiat. ¶Ec-
Epiſcopus religioſus teſtamentũ cõdere non potest abſq; facultate Papæ.
Epilogus. ce Opus decẽ Librorũ quod de Iustitia & Iure polliciti sumus: & in Quæstiones septuaginta sex, Articulos verò ducẽtos octuaginta & octo partiti sumus: per varios ac lubrica, perq; ardua ac difficilia rerum genera, aspirante diuino flamine, ad optatum portum perductum est Anno Christianæ salutis Millesimo Quingentesimo Quinquagesimoquarto. In quo si quid per inscitiam nostrã & ignorantiam, aut certè per negligentiam & oscitantiam à nobis peccatum est (nam studio per Dei misericordiam certus sum neutiquàm deliquisse) Deus ipse misericordiarum ignoscat. Si quid verò præstitimus quod in rem Christianæ familiæ esse possit, eidem soli deo acceptum referendum est: Cui laus sit & perennis gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Tomi secundi, atque adeò totius Operis Librorum decem de Iustitia & Iure, exoptatus FINIS.



INDEX. SVMMARIVS generalis, Operis decem Librorum, De Iustitia & Iure.

Arnoldus Schurerius Corrector Candido Lectori Salutem.



N TIBI syncere Lector Indices duos eximij huius Operis Librorum decem: quod ab vtilitate, commoditate, pietate, omnijuga eruditione disciplinæ Theologicę, Philosophicæ, Iurisprudentiæ vtriusque, ac denique authoris sui authoritate, nemini non summoperè (si modò Christianè sapere volet) probatum iri haud est ambiguũ. Porrò Indicum prior, Librorum, Quæstionum atque Articulorum, vnà cum omnibus summatim pertractandis, in singulis libris, seriem numerumque edocebit. Atqui Articulorum quisque (id quod nosse, cum primis operæpretium fore existimauimus) membra plus minus tria complectitur: è quibus primum obijcit, alterum respondet, postremum autem decîdit. Hic nanque Index in eum est adornatus finem, vt festino Lectori, nihil, quod illi negotium facesseret, in inquirendo quod optaret, se exhiberet. Alter Indicum demum, rerum & verborum, ac Sententiarum vniuerso Operi, ceu flosculorum, insperarum, cornucopiæ vberrimum est futurus. Quare inæstimabile hoc Opus haud ita magno compara, vtere, fruere, ac viue fœlix, Lector Amice mi tu. Salmanticæ Sexto Calendas Maias.

Liber Primus, edisserit de Iure seu Legibus, quæ supre ma sunt Iustitiæ regula: hoc est de lege naturali & humana, ab ęterna deriuatis: per quas homo ad finẽ naturalem destinatur.



PROOEMIVM Operis. Pagina. 5.

OPERIS Titulus ac Diuisio in Libros decem: atq; adeò summatim quid in singulis disceptetur. pag. 6.

LIBER porrò Primus in Quæstiones secatur Septem. pagina. 6.

PRIMA agit de Lege in communi: Cõplectitur autem Articulos quatuor. pag. eâdem.

Primus, An vlla definitionum Legis à Doctoribus constitutarum legitima sit, scisciatur. ibidem.

Secundus, Vtrúmne lex semper in commune bonum destinetur. pag. 10.

Tertius. Sítne cuiuslibet ratio, legis effectrix. pag. 12.

Quartus, Nunquid promulgatio sit de ratione legis. pag. 13.

QVAESTIO Secunda, De legis effectibus: Articulos sortitur duos. pag. 17.

Primus, An effectus legis sit imperando ac vetando reddere homines bonos. pag. eâdem.

Secundus, Nũquid legis actus congruenter assignentur. pag. 19.

QVAESTIO Tertia. De lege æterna, Articulis absoluitur Quatuor. pag. 21.

Primus, An lex æterna à naturali, humana, ac diuina distinguatur. pag. eâdem.

Secundus

Secundus, Nunquidnam lex æterna sit summa ratio in Deo existens. pag. 22.
Tertius, Vtrùm leges vniuersæ ab æterna prmânent, an non. pag. 24.
Quartus, Creatáne cuncta, tã necessaria quàm contingentia, æternæ legi subijciantur: pagina. 25.
QVÆSTIO Quarta, De lege naturæ: Articulos sibi vendicat Quinque. pag. 28.
Primus, An lex naturalis sit habitus in nobis existens. ibidem.
Secundus, Anne lex naturalis complura contineat præcepta. pag. 30.
Tertius, Omnésne virtutis actus, sint de lege naturæ. pag. 32.
Quartus, Nunquid lex naturæ cunctis sit mortalibus vna. pag. 34.
Quintus, Vtrùm lex naturæ mutari aboleriue posßit, an non. pag. 36.
QVÆSTIO Quinta, De lege humana in genere: Articulos habet quatuor. pag. 37.
Primus, An præter legem naturæ necessariæ nobis fuerint humanæ. pag. eâdem.
Secundus, Omnisne humana lex à naturali deriuetur pag. 40.
Tertius, Nunquid legis humanæ qualitates rectè ab Isidôro describantur. pag. 41.
Quartus. Conuenientérne Isidorus & qui illum sequuntur, ciuiles leges, ius á humanum diuidant. pag. 44.
QVÆSTIO Sexta. De potestate legis humanæ: Articulos comprehendit octo. pag. 46.
Primus, An lex humana in communi debeat constitui. pag. eâdem.
Secundus, Vtrúmne ad legem humanam pertineat omnia vitia cohiberi. pag. 47.
Tertius, Nunquid lex humana omnium virtutum actus præcipiat. pag. 48.
Quartus, Lex humana imponatne subditis necessitatem in foro conscientiæ. pag. 50.
Quintus, Vtrùm omnis pœnalis lex obliget ad culpam, an non. pag. 55.
Sextus, Léxne pœnalis in foro conscientiæ ante iudicis condemnationem obliget ad pœnam pag. 58.
Septimus, Omnes subijciantur legi nécne. pagin. 69.
Octauus, Subditóne liceat præter verba legis agere, nécne. pag. 71.
QVÆSTIO Septima. De mutatione & varietate legis humanæ. Articulos continet tres. pag. 73.
Primus. An lex humana debeat quoquo pacto mutari. pag. eâdem.
Secundus, Vtrùm consuetudo cim legis obtinere valeat an non. pag. 76.
Tertius, Nunquid rectores multitudinis in legibus dispensare posßint. pag. 78.

¶ Liber Secundus.

SECVNDVS, De lege diuina, qua ad supernam fœlicitatem promouemur: in Quæstiones finditur nouem. Pag. 82.

QVÆSTIO Prima, De lege veteri: continet Articulos quatuor. pag. eâdem.
Primus, An præter naturalem legem & humanam quæ ab æterna deriuatur, fuerit diuina hominibus necessaria. ibidem.
Secundus, An ne lex vetus fuerit bona. pagi. 84.
Tertius, Nunquid lex illa soli debuerit populo Israël poni, illumque duntaxat obligare. pagi. 85.
Quartus, Vtrùm lex vetus congruenter data fuerit tempore Moysi. an non. pag. 92.
QVÆSTIO Secunda, De præceptis legis veteris in genere: Articulis constat tribus pagi. 94.
Primus, An lex vetus vnicum tantùm continuerit præceptum. pag. eâdem.
Secundus, Vtrum ne præceptorum legis veteris trina sit differentia: nempe moralium, cæremonialium, atq; iudicialium. pag. 95.
Tertius, Nunquid lex vetus ad sui obseruantiã per temporalium præmißiones & comminationes debuit suos subditos inducere. pagi. 99.
QVÆSTIO Tertia, De moralibus præceptis Articulis superbit duodecim. pag. 102.
Primus, An omnia præcepta moralia pertineã ad legem naturæ. pag. eâdem.
Secundus, Num præcepta moralia legis sint de omnibus actibus virtutum. pag. 104.
Tertius, Nunquid omnia præcepta moralia veteris legis ad decem Decalogi reducantur. pag. 105.
Quartus, Præcepta Decalogi conuenientérne distinguantur. pag. 107.
Quintus, Vtrùm præceptorum Decalogi numerus congruat, an non. pag. 109.
Sextus, Præcepta Decalogi debitóne sint ordine disposita. pag. 111.
Septimus, Præcepta Decalogi congruenti modo tradantur, nécne. pag. 112.

Octauus, Præcepta Decalogi sintne dispensabilia, an non. pag. 114.
Nonus, Num modus charitatis cadat sub præcepto. pag. 120.
Decimus, Modus charitatis cadatne sub præcepto diuinæ legis necne. pag. 123.
Vndecimus, An alia præcepta moralia quæ extra Decalogum vagantur, congruenter tum distinguantur, tum etiam ad eundem reducantur Decalogum. pag. 127.
Duodecimus, Num præcepta moralia veteris legis iustificarent. prg. 129.
QVAESTIO quarta, De præceptis Decalogi in singulari: Articulis conficitur sex. pagina. 133.
Primus, An præcepta Decalogi sint præcepta iustitiæ. pag. eâdem.
Secundus, Nunquid primum præceptum Decalogi congruenti sit modo traditum. pagina. 134.
Tertius, Secundum præceptum conuenienti sit forma positum, an non. pag. 137.
Quartus, Vtrùm tertium præceptum de sanctificatione Sabbathi sit rectè positum, an non. pag. 140.
Quintus, An quartum præceptum de honorandis parentibus congruè tradatur. pagina. 147.
Sextus, Nunquidnam sex reliqua præcepta conuenienti ordine & modo tradantur. pagi. 149.
QVAESTIO quinta, De præceptis ceremonialibus: Articulis est contenta quatuor. pagina. 150.
Primus, An ceremonialia præcepta quadrifida fuerint: scilicet sacrificia, sacramenta, sacra & obseruantiæ. pag. eâdem.
Secundus, Nunquid singulis istis ceremoniarum speciebus reddi possint legitimæ causæ. pag. 152.
Tertius, Vtrùm legis antiquæ ceremoniæ, vel ante legem extiterint, vel sub lege iustificarent. pag. 155.
Quartus, Ceremoniæ veteris legis sicne in Christi morte cessauerint vt inde citra mortale crimen nequeant obseruari. pag. 157.
QVAESTIO sexta, De iudicialibus mandatis: Articulos habet non plus duos. pagina. 167.
Primus, Anne præcepta iudicialia rectè à ceremonialibus distinguantur. pag. eadem.
Secundus, Vtrumne iudicialia præcepta conuenienter sint in quatuor genera dispertita. pagina. 168.
QVAESTIO septima, De lege Euangelica quantum ad eius substantiam, Articulis donatur quatuor. pag. 172.
Primus, Vtrùm lex noua sit lex scripta, an ne potius cordibus indita. pag. eadem.
Secundus, Nunquidnam lex noua iustificet. pag. 174.
Tertius, An non lex noua debuerit dari à principio mundi. pag. 175.
Quartus, Lex noua sit ne vsq; ad finem mundi duratura necne. pag. 176.
QVAESTIO octaua, De collatione legis nouæ cum veteri: Articulis perstringitur duobus. pag. 178.
Primus, Nunquidnon lex noua sit veteris complementum. ibidem.
Secundus, Lex noua grauiórne sit quàm antiqua, an non. pag. 181.
QVAESTIO Nona, De his quæ in lege noua continentur: Articulis est prædita tribus. pag. 183.
Primus, An ne lex noua actus exteriores sufficienti ordine instituerit. pag. eadem.
Secundus, Nunquidnam lex Euangelica interiores nostros actus sufficiéter composuerit. pag. 185.
Tertius, Vtrum ne congruè lex Euangelica consilia nobis quædam adiecerit. pag. 188.

¶ Liber Tertius.

TERTIVS, De iure, quatenùs obiectũ est iustitiæ: deque virtutis huius substantia & sibi annexis, ad iustitiam distributiuam vsque: Quæstionibus gloriatur Sex. pag. 191.

QVAESTIO prima, De iure: Articulos possidet quatuor. pag. eadem.
Primus, An ius sit obiectum iustitiæ. ibidem.
Secundus, Vtrum diuisio iuris in ius naturale & positiuum, sit genere congruens, an non. pag. 194.
Tertius, Nunquid ius gentium sit idem cum iure naturali. pag. 196.
Quartus, An non ius paternum ac dominatiuum & à iusto politico & inter se vlla ratione distinguantur. pag. 198.
QVAESTIO secunda, De iustitia: Articulos complectitur octo. pag. 200.
Primus, An definitio iustitiæ à iurisperitis sit

rectè constituta.pag.eâdem.
Secundus.Iustitia sitne virtus quæ habentem ad alterum ordinat.pag 202.
Tertius,Nunquid iustitia sit virtus.pag.203.
Quartus,Vtrúmne iustitia sit in voluntate.pagi.204.
Quintus, An non iustitia sit generalis virtus pag.206.
Sextus, Iustitia particularémne habeat materiam,an verò circa aliarũ passiones & materias versetur.pag.209.
Septimus,Nũquídnam medium iustitiæ sit medium rei:eiusq; actus,ius vnicuiq; suum tribuere.pag.212.
Octauus,Iustitia inter morales virtutes sit eminentissima,nécne.pag 214.
QVAESTIO tertia, De iniustitia: Articulis duntaxat tribus expeditur.pag.220.
Primus, An ne iniustitia sit speciale vitium. pag.eâdem.
Secundus, Nunquid quicunq; iniustum facit,cõtinuò censeatur iniustus,an non.pag.221.
Tertius, Vtrum ne quis possit iniustum pati volens.pag.223.
QVAESTIO quarta, De iudicio: Articulos sibi vendicat sex,pag.225.
Primus,An iudicium sit actus iustitiæ, an nõ. pag.eâdem.
Secundus,Nunquid iudicare sit licitum,an nõ. pag,226.
Tertius, An ne iudicium temerarium, puta ex suspicione procedens,sit licitum.pag.226.
Quartus,Dubia sintne in meliorem partem interpretanda.pag.234.
Quintus,Vtrum semper sit secundùm leges scriptas iudicandum , an non.pag.236.
Sextus,Nunquídnam vsurpatum iudicium sit semper peruersum.pag.239.
QVAESTIO quinta, De diuisione Iustitiæ: Articulos vult quatuor.pag 240.
Primus,An particularis iustitia rectè in distributiuam & commutatiuã diuidatur. ibidẽ.
Secundus, Nunquid idem sit medium distributiuæ ac commutatiuæ iustitiæ, an non.pagina 243.
Tertius,Vtrúmne eadem sit materia distributiuæ ac commutatiuæ.pag.245.
Quartus,Eadémne sit vtriusq; iustitiæ forma, necne.pag.247.
QVAESTIO sexta, De acceptione personarum: Articulos sibi poscit septem.pag.249.
Primus,Vtrùm personarum acceptio , iustitiæ distributiuæ contraria,crimen genere suo sit mortale.pag.eâdem.
Secundus, Nunquid in spiritualium dispensatione possit acceptio personarum contingere. pag.251.
Tertius, Beneficiorum pluralitas sitne iure permissa.pag.262.
Quartus,An in collatione sæcularium magistratuum subesse possit crimen acceptionis personarum,an non.pag.266.
Quintus,Nunquídnam in iudicijs dicendis interuenire possit personarum acceptio.pa.271.
Sextus,An non in priuatis honoribus deferẽdis interuenire possit personarũ respectus. 273.
Septimus,in tributis exigendis peccarine possit acceptione personarum.pag.275.

¶ Liber Quartus.

QVARTVS,De præambulis ad iustitiam commutatiuam:nẽpe de dominio ac restitutione. Quæstiones sibi sumit Septem. pag.278.

QVAESTIO prima, De dominio in genere: Articulis constat duobus. pag.eadem.
Primus, Vtrùm dominium idem sit quod ius & facultas rerum,an non. ibidem.
Secundus,an non tantũ Deo, intellectualibusq; ac rationabilibus creaturis cõpetant rerum dominia.pag.283.
QVAESTIO secunda, De rebus quarum homo est dominus: Articulis explicatur tribus.pag.285
Primus,An rerum omnium quæ sunt in mundo,sit homo iure aliquo dominus.pag.eadẽ.
Secundus,Nunquid homo homini dominus esse possit.pag.288.
Tertius,homo sitne vitæ suæ ac famæ dominus pag.291.
QVAESTIO tertia,De rerum diuisione: vnici est : Articuli.pag.295.
Vnus,An ne humano iure rerum dominia fuerint olim diuisa.pag. eadem.
QVAESTIO quarta, Depeculiari quorundã dominio:duorũ est Articulorum.pag.300.
Prior,An hominum quispiam totius sit orbis dominus.ibidem.
Alter, Nunquid Imperator sit dominus orbis. pag.303.
QVAESTIO quinta, De translatione dominiorum: Articulis instruitur quatuor.pagina.307.

Primus, Vtrùmne ſua quiſq; voluntate, naturali iure valeat rei ſuæ dominium in alterum trasferre. pag. eadem.
Secundus. Nunquidnam per ludum dominium transferatur. pag. 312.
Tertius, Per contractũmne qui nullus eſt iure ciuili, transferatur dominium. pag. 317.
Quartus, An præſcriptio dominium in poſſeſſorem transferat. pag. 322.
QVAESTIO ſexta, De reſtitutionis ſubſtantia: Articulos continet quinq;. pag. 327.
Primus, An ne reſtitutio ſit actus commutatiuæ iuſtitiæ. pag. eadem.
Secundus, Nunquid ſit ad ſalutem neceſſariũ, rei quæ ablata eſt, reſtitutionem fieri. pagina. 330.
Tertius, Vtrũne omnia in vniuerſum quæ quis vel ab alio abſtulit, vel inuito domino retinet, teneatur reſtituere. pag. 333.
Quartus, ſatisne ſit id ſimplum reſtituere quod iniuſtè ſublatum eſt. pag. 351.
Quintus, Debeatne aliquis id quod non abſtulit reſtituere, an non. pag. 354.
QVAESTIO ſeptima, De circunſtantijs reſtitutionis: quatuor eſt Articulorum. pagina. 356.
Primus, ſemperne oporteat ei reſtitutionem fieri à quo res ſublata fuit. pag. eadem.
Secundus, Ille qui accipit teneatur ſemper reſtituere, necne. pag. 367.
Tertius, Vtrùm illi etiam qui nihil acceperunt reſtituere teneantur, an non. pag. 372.
Quartus, Nunquid qui debet, ſtatim reſtituere teneatur. pag. 377.

¶ Liber Quintus.

QVINTVS, De iniuſtitia q̃ ex iniurioſa actione naſcitur: nempe de homicidio & reliquis: Queſtionibus, locupletatur Duodecim. pag. 382.

QVAESTIO prima, De Homicidio. Articulis dotatur nouem. pag. eadem.
Primus. An aliquod viuentium quæ perfecta ſunt, occidere liceat. ibidem.
Secundus, Liceatne maleficos occidere. pagina. 385.
Tertius, Vtrùm ſceleroſum hominem vnicuilibet priuato occidere liceat, an non. pagina. 388.
Quartus, Nunquid clericis etiam maleficos liceat interficere. pag. 391.
Quintus, Alicuine liceat ſeipſum occidere, an non. pag. 393.
Sextus, Vtrumne liceat vitam pro defenſione amici aut cuiuſcunq; virtutis, exponere, necne. pag. 396.
Septimus, Nunquidnam liceat in aliquo caſu interficere innocentem. pag. 399.
Octauus, Iúsne ſit vnicuique proprium inuaſorem in ſuî defenſam occidere. necne. pagina. 401.
Nonus, An qui caſu alterum occiderit, fiat homicidij reus. pag. 406.
QVAESTIO ſecunda, De mutilatione membrorum: trium eſt Articulorũ. pag. 410.
Primus, An quempiam ſuo mutilare membro ſit licitum. pag. eadem.
Secundus, Vtrúmne liceat patri filios, aut dominis ſeruos verberare. pag. 412.
Tertius, Licitumne alicui ſit carceri quempiam mancipare. pag. 415.
QVAESTIO tertia, De furto: Articulos continet ſex. pag. 416.
Primus, An furti definitio ſit bona. pagina eadem.
Secundus, Furtum & rapina ſpecie differant, necne. pag. 418.
Tertius Vtrumne furtum ſit genere ſuo peccatum mortale. pag. 419.
Quartus. Nunquid ei qui egeſtate premitur furari liceat. pag. 427.
Quintus, An ne rapina vllo pacto fieri poſſit citra peccatum. pag. 429.
Sextus, Rapina ſitne grauius furto, an non. pagina. 432.
QVAESTIO Quarta, De iniuſtitia iudicis: Articulis peragitur quatuor. pag. 432.
Primus, liceatne iudici eum qui ſibi non ſubditur iudicare. pag. eadem.
Secundus, An iudici liceat contra veritatem quam certò nouit, iudicare quando legitimè probatur contrarium. pag. 435.
Tertius, Nunquid iudex abſq; accuſatore poſſit quempiam iudicare. pag. 440.
Quartus, Vtrumne iudici liberum ſit pœnam iuris relaxare. pag. 441.
QVAESTIO quinta, De iuſtitia accuſatoris: Articulos poſsidet quatuor. pag. 443.
Primus, An ne quiſpiam teneatur alium accuſare. pag. eadem.
Secundus, Vtrúmne neceſſarium ſit accuſationem in ſcriptis exhiberi. pag. 446.
Tertius. Nũquid accuſatio per tria hæc redda-

tur iniusta, quæ sunt calumnia, prævaricatio & tergiversatio. pag. 447.
Quartus, An accusator qui in probatione defecerit, pœna talionis teneatur. pag. 448.
QVÆSTIO sexta, De iustitia rei: Articulis fulcitur quatuor. pag. 449.
Primus, Accusatóne liceat veritatem negare, an non. ibidem.
Secundus, Nunquid accusato liceat per calumniam se defendere. pag. 451.
Tertius, An reo liceat iudicium per appellationem declinare, nécne. pag. 459.
Quartus, Vtrum liceat condemnato ad mortem, se quacunque via defendere. pagina. 460.
QVÆSTIO septima, De iniustitia testis: Articulis pertractatur quatuor. pag. 465.
Primus, Vtrúmne teneatur quandoque homo testimonium ferre. pag. eadem.
Secundus, Duorum vel trium testimonium, an in iudicio sufficiat. pag. 467.
Tertius. Nunquid cuiuspiam testimonium citra eius culpam repellendum sit. pag. 469.
Quartus, An non testimonium falsum semper sit peccatum mortale. pag. 470.
QVÆSTIO octaua, De iniustitia Aduocatorum: Articulos exigit quatuor. pag. 472.
Primus, Aduocatus tenetúrne gratis præstare patrocinium pauperibus in suis causis. pagina eádem.
Secundus, Vtrumne meritò sint aliqui ab aduocationes officio arcendi. pag. 474.
Tertius, Nunquid aduocato delictum sit iniustam causam defendere. pag. 475.
Quartus, Licitumne sit aduocato pretio patrocinia, an non. pag. 477.
QVÆSTIO nona, De contumelia: Articulis declaratur tribus. pag. 479.
Primus, An contumelia consistat in verbis. pagina eadem.
Secundus, Vtrùm contumelia, & generaliter conuitium, sit genere suo peccatum mortale. pag. 481.
Tertius, Nunquid debeat quisque contumelias æquanimiter sustinere. pag. 483.
QVÆSTIO Decima, De detractione, Articulos postulat quatuor. pag. 484.
Primus, An ne detractio sit denigratio alienæ famæ per occulta verba. ibidem.
Secundus, Vtrum ne detractio genere suo sit peccatũ mortale. pag. 490.
Tertius, Nunquid detractio sit grauius omnibus peccatis quæ in proximum committuntur. pag. 490.
Quartus, Audiens toleranśq; detrahentem an mortaliter peccet. pag. 493.
QVÆSTIO vndecima, De susurratione & derisione: Articulorum tãtùm est duorum. pag. 494.
Prior, Vtrùm susurratio sit peccatum à detractione distinctum an non. pag. eadem.
Posterior, An ne decisio sit speciale peccatum á præcedentibus distinctum, atq; adeò mortale. pag. 497.
QVÆSTIO duodecima, De maledictione: Articulis adornatur tribus. pag. 499.
Primus, Nunquid cuipiam sit licitum alteri male dicere. eadem.
Secundus, An creaturæ etiam irrationali maledicere liceat. pag. 501.
Tertius, Vtrum ne maledictio, peccatum sit genere suo mortale, idemq; detractione peius. pag. 502.

TOMI PRIMI FINIS.

Tomus Secundus.

¶ Liber Sextus.

SEXTVS, disceptat de vsuris & cõtractibus, ac de cambijs: in Quæstiones distract⁹ Tredecim. pagina. 505.

QVÆSTIO prima, De Vsura: Articulis exornatur Sex. pag. 506.
Primus. An Vsuraria mutuatio genere suo sit peccatum mortale. pag. eadem.
Secundus, Nunquid ratione mutui aliqua possit expeti commoditas. pag. 514.
Tertius, Vtrum ne ratione damni emergentis aut lucri cessantis, liceat mutuatori quippiã vltra sortem recipere. pag. 521.
Quartus, quicquid lucri pecunia Vsuraria peperit, sitne restitutioni obnoxium. pag. 525.
Quintus, Licéatne mutuo pecuniam accipere sub Vsura pag. 533.
Sextus, Nunquidnam Mons pietatis Vsurarius sit. pag. 537.
QVÆSTIO secunda, De generali ratione cõtractus emptionis & venditionis: Articulis enucleatur tribus. pag. 541.
Primus, An contractus emptionis & vẽditis-

nis sit reipublicæ necessarius.pag.eadem.
Secundus, Nunquid negotiatio sit licita. pagina.543.
Tertius, Vtrúmne rerum pretia, arbitrio mercatorum sint taxanda.pag.546.
QVAESTIO tertia, De iniustitia quæ in emptione & venditione committitur: duorum est Articulorum.pag.549.
Prior, Nunquidnam licitè quis possit rem pluris vendere quàm valeat.ibidem.
Alter, An ne vitium rei venditæ sic venditionẽ reddat illicitam, vt necessarium semper sit illud detegere.pag.553.
QVAESTIO quarta, De emptione credito pretio, Articulos sortitur duos.pag.558.
Vnus, Vtrum ne liceat rem cariùs vẽdere expectata quàm numerata pecunia. eadem.
Alter, An ne liceat rem credito cariùs quàm præsenti pretio vendere, quãdo rei dominus non erat tunc venditurus.pag.562.
QVAESTIO quinta, De censibus: Articulis enodatur tribus.pag.565.
Primus, An censuum emptio ac venditio sit vsuraria.ibidem.
Secũdus, Nunquid census tã temporales quàm perpetui sint liciti.pag.570.
Tertius, Vtrùm licita sit emptio censuum cum pacto retrouendendi.pag.572.
QVAESTIO sexta, De contractu societatis: Articulis est contenta duobus pag.575.
Prior, Nunquid contractus societatis sit licitus pag.eadem.
Posterior, An licitum sit pecuniam in societatem exponere, saluo capitali.pag.577.
QVAESTIO septima, De contractu assecurationis: Articuli est vnius.pag.579.
Vnicus, Nunquid assecurationis contractus sit licitus.ibidem.
QVAESTIO octaua, De cambio in genere: Articulis perficitur duobus.pag.581.
Vnus, Vtrùm ars cãpsoria sit licita, an nõ.ibidẽ.
Alter, plurésne sint cambiorum species. pagina.583.
QVAESTIO nona, De cambio minuto: vnicũ duntaxat vult: Articu.pag.585.
Vnicus, Anne minutum cambium sit licitum. ibidem.
QVAESTIO decima, De cambio ratione loci & ratione temporis: sustinet Articulos duos.pag.586.
Prior, Nunquidnam cambium ratione loci sit licitum: ibidem.
Posterior, Vtrúmne ratione temporis licitum sit cambij pretium.pag.588.
QVAESTIO vndecima, De pretio soluendi numerata pecunia: gaudet Articulo vnico. pagina.590.
Vnicus, An campsori liceat, vt pecuniã in suo cambio consignatã in numero soluat, mercedem aliquam recipere.pag.eadem.
QVAESTIO duodecima, De nummorum cambio ratione diuersæ eorum æstimationis in diuersis locis aut temporibus: Articulis præfulget quinque.pag.591.
Primus, Vtrùm liceat pecuniam vnius regionis pro pecunia alterius vbi plus valet, commutare, an non.pag.eadem.
Secundus, An licitum sit monetarũ cambium, quæ in diuersis locis propter copiam & inopiam totius generis monetæ, inæqualis sunt valoris.pag.593.
Tertius, nunquid cambiorum pretia inter campsores variari possint.pag.599.
Quartus, Cambium ad incertamne solutionis quantitatem sit licitum.pag.601.
Quintus, Nunquidnon cambium huiusmodi, quod intercalatis ac prætermissis primis nũdinis in alias subsequentes fit, sit licitum.pagina.602.
QVAESTIO decimatertia, De reliquis cãbiorũ generibus: Articulis finitur duobus.pagina.606.
Prior, Vtrùm cambia ad proxima loca eiusdẽ regni sint licita, necne.pag.eadem.
Alter, Nunquid cambia quæ licèt ad primas nundinas fiant tempore & loco distantes, tamen quo longiùs distant pretiosius sunt, sint licita.pag.607.

¶ Liber Septimus.

SEptimus, De voto: Quæstionib⁹ adornatur Sex.pag.611.

QVAESTIO Prima, De substantia voti: Articulis excolitur tribus.pag.eadem.
Primus, An votum sit alicuius rei possibile, ad quam vi præcepti non tenebamur. ibidem.
Secundus, Nunquid votum in solo voluntatis proposito perficiatur.pag.614.
Tertius, votum semperne fieri debeat de meliori bono.pag.619.
QVAESTIO secunda, De voti vigore ac virtute: Articulos vult quinque.pag.628.
Primus, An omne votum obliget ad sui obseruationem.pag.eadem.
Secũdus, Vtiĺene sit expediensq; vouere.p.639.

Tertius, Nunquid votum sit actꝰ latriæ siue religionis.pag.641.
Quartus, Magisne sit laudabile & meritoriũ facere aliquid ex voto quàm absque illo.pagina.643.
Quintus, vtrúmne votum per susceptionem sacri ordinis, perq; professionem religionis, fiat solenne.pag.646.
QVAESTIO tertia, De his qui vouendi facultatem habent: duorum est Articulorum.pagina.651.
Primus, An illi qui sunt alterius potestati subiecti, vouere possint, pag.eadem.
Alter. Nunquid pueri religionis voto se possint obligare pag. 659.
QVAESTIO quarta, De dispensatione & cõmutatione voti: Articulos capit tres, pagina.662.
Primus, vtrúmne in voto possit fieri dispensatio.pag.eadem.
Secundus, An ne super voto solenni continentiæ religionis fieri possit dispensatio. pagina.665.
Tertius, Nunquid ad commutationem vel dispensationem voti requiratur prælati auhoritas.pag.670.
QVAESTIO quinta, De religionis voto in particulari: Articulos occupat quatuor. pagina 677.
Primus, An religionis votum ad statum perfectionis attineat. pag.eadem.
Secundus, Nunquid paupertas ad mendicitatẽ vsq; ad perfectionem vitæ monasticæ pertineat.pag.685.
Tertius, Vtrum votum castitatis sit de intrinseca ratione religionis, an non? pag.689.
Quartus, Obedientiæ votum sitne de essentia religionis.pag.692.
QVAESTIO sexta, De voto & continentia sacerdotum: duobus dũtaxat Articulis absoluitur.pag.694.
Prior, Nunquidnam ecclesiæ decõro & stabilitati, sacerdotale votũ continentiæ cõgruens fuerit ac necessarium.pag.eadem.
Posterior, sacerdotalisne continentia ab ipsis statim ecclesiæ incunabulis cœperit: an non? pagina.701.

¶ Liber Octauus.

OCTAVVS, De iuramento, Quæstionibus tribus perficitur. pagi.709.
QVAESTIO prima, De iuramẽto articulis decem explicatur.ibidem.
Primus, vtrũ iuramẽti definitio sit bona. ibid.
Secundus, vtrùm iurare sit licitum. 712.
Tertius, vtrùm congruè tres comites iuramẽti assiguentur.718.
Quartus, vtrum iuramentum sit actus religionis siue latriæ.718.
Quintus, vtrum iuramentum sit per se appetẽdũ & tanquã res vtilis frequẽtandũ.721.
Sextus, vtrũ liceat per creaturas iurare. 723.
Septimus, vtrùm omne iuramentum vim habeat obligandi.725.
Octauus, vtrùm maior sit obligatio iuramenti quàm voti.739.
Nonus, vtrùm in iuramento fieri possit dispensatio.740.
Decimus, vtrũ oĩbus cuiuscũq; cõditiõis liceat absq; discrimine, quocũq; tpe iurare. 744.
QVAESTIO secunda, De periurio quatuor cõplectitur articulos.746.
Primus, vtrũ falsitas requiratur ad piuriũ. ibid.
Secũdus, vtrũ oẽ periuriũ sit peccatũ. 748.
Tertius, vtrùm omne periurium sit peccatum mortale. 750.
Quartus, vtrùm liceat iuramentum ab eo petere qui peieraturus est.760.
QVAESTIO tertia, De adiuratione articulos retinet tres.762.
Primus, vtrùm liceat hominẽ adiurare. ibidẽ.
Secũdus, vtrũ liceat dæmonẽ adiurare. 764.
Tertius, vtrũ liceat adiurare irrationabilẽ creaturam.770.

¶ Liber Nonus.

NOnus, De Decimis ac Simonia: Quęstionibus ditatũ octo.772.
QVAESTIO Prima, De sacrificio in genere. Articulis fruitur quatuor.pag.eadem.
Primus, vtrumne Deo sacrificare sit de lege naturæ.ibidem.
Secundus, An soli Deo sit sacrificium offerendum pag.774.
Tertius, Nunquid sacrificiorum oblatio sit specialis virtutis actus.pag.776.
Quartus, An ne vniuersi mortales ad sacrificia teneantur offerenda Deo.pag.777.
QVAESTIO secunda, De ineffabili sacrificio altaris in particulari: vnum atq; alterum habet Articulum.pag.778.
Vnus, Nunquid sacrosanctum Sacramentum altaris sit verè sacrificium.pag.eadem.

Alter

Alter, An altaris sacrificiũ pro pluribus oblatum perinde singulis ad satisfactionem prosit ac si dũtaxat offerretur pro vno. pa.782.

QVAESTIO, Tertia, De oblationibus & primitijs: Articulos obtinet quatuor.pag.789.

Primus, An homines de necessitate præcepti ad oblationes teneantur.pag.eadem.

Secundus, Nunquid oblationes solis sacerdotibus debeantur.pag.793.

Tertius, Vtrùmne oblationes de rebus omnibus quæ licitè possidentur facere liceat. pa. 794.

Quartus, Ad decimarum solutionem an homines teneantur.pag.797.

QVAESTIO Quarta, De decimis: Articulo quarto perficitur.pag.799.

Primus, Hominésne teneãtur dare decimas ex necessitate præcepti.pag.eadem.

Secundus, An de omnibus teneantur Christiani decimas soluere.pag.805.

Tertius, Nunquid decimæ solis clericis debeantur.pag.808.

Quartus, Vtrùm clerici etiam ipsi decimis soluendis sint astricti, an non? pag.810.

QVAESTIO quinta, De peccato Simoniæ in genere: duorum tantùm est Articulorum. pag.813.

Vnus, An Simonia sit studiosa voluntas emendi vendendiq; aliquid spirituale, vel spirituali annexum.pag.eadem.

Alter, Vtrùmne vitium Simoniæ genere suo sit peccatum mortale.pag.817.

QVAESTIO sexta, De materia Simoniæ: Articulos est nacta duos.pag.811.

Primus, An quandoq; licet pro Sacramẽtis pecuniam seu dare, seu accipere.pag.eadem.

Alter, Nunquid pro spiritualibus actionibus dare accipereq; pecuniam sit licitũ.pag.828.

QVAESTIO Septima, De Simonia, in sacerdotijs ac dignitatibus conquirendis. Articulos est adepta tres.pag.833.

Primus, An pro sacerdotijs atq; aljs præbendis quæ spiritualibus sunt annexa, liceat pretiũ percipere.pag.eadem.

Secundus, Nunquid præbendarum permutatio absq; Simonia fieri possit.pag.838.

Tertius, Vtrùmne liceat spiritualia pro munere conferre quod est vel à lingua, vel ab alio quòuis obsequio.pag.841.

QVAESTIO octaua, De restitutione Simoniæ & pœna Simoniaci: Articulos sortita est duos.pag.846.

Vnus, An quicquid per Simoniam, vel datur vel recipitur, sit restitutioni obnoxium.pagina eadem.

Alter, Nunquidnon Summus Pontifex possit super pœnis simoniæ dispensare.pag.855.

¶ Liber Decimus.

DECIMVS, deniq; ac Postremus, de statu, ordine, atq; residentia Prælatorum, ac de horis Canonicis: Quæstionibus absoluitur quinq;. pag.858.

QVAESTIO prima, De Episcopali instituto, & iure quo institutum est: Articulis contenta est quatuor.pag.eadem.

Primus, Anne episcopalis dignitas fuerit in ecclesia super sacerdotalem necessaria.ibidem.

Secundus, Nunquid episcopatus sit ordo natura sua à simplici sacerdotio distinctus.pag.861.

Tertius, episcopi inter se perindène differãt atq; ipsi à simplicibus sacerdotibus.pag. 864.

Quartus, Vtrùmne institutio episcopalis dignitatis sit de iure diuino.pag.867.

QVAESTIO secunda, De episcopatu optando, ineundo, & conferendo: Articulos sibi vsurpat quatuor.pag.872.

Primus, Liceatne Episcopatum appetere, necne. pag.eadem.

Secundus, An Episcopatum iniunctum liceat omninò recusare.pag.876.

Tertius, Nunquid oportet eũ qui ad Episcopatũ assumitur, esse cæteris meliorem.pag.880.

Quartus, Vtrùm episcopo liceat cura Episcopali deserta ad religionẽ se conferre.pag.882.

QVAESTIO Tertia, De episcoporum residentia: Articulos exposcit quatuor.pag.885.

Primus, Nunquid episcopi in suis diœcesibus residere iure diuino teneantur. pag.eadem.

Secundus, Anne residentia episcoporum iure naturali fundetur pag.895.

Tertius, Vtrùm episcopi iure humano, hoc est põtificio, residere teneãtur, an non.pag.898.

Quartus, Aliqua emergerẽne possit causa ob quam liceat episcopo à grege sibi commisso abesse.pag.900.

QVAESTIO Quarta, De vinculo & modo quo episcopi & sacerdotes tenentur sua bona dispensare: numero Articulorum quinario concluditur.pag.909.

Primus, An episcopo liceat aliquid proprium possidere, an non.pag.eadem.

Secundus, Nunquid episcopi mortaliter peccent si bona ecclesiastica quæ procurant pauperibus non largiuntur.pag.912.

Tertius, Vtrúmne episcopi ac reliqui sacerdotes verum ac legitimum habeant dominium fructuum ecclesiasticorum qui illos pro sua portione contingunt. pag. 913.

Quartus, Singularine iure teneantur episcopi præ sæcularibus diuitibus ad eleemosynarum subsidium. pag. 924.

Quintus, Nunquidnam ecclesiastico statui condecẽs sit inter alias possessiones castra, vassallosq́, ac iurisdictionem ciuilem habere. pag. 927.

QVAESTIO Quinta, quæ nouissima, de clericorum debito officio: Articulis clauditur fæliciter plus minus septem. pag. 931.

Primus, An inter officia eorum qui sacris initiantur, peculiare, ad quod omnes generatim tenentur, sit, constitutio Psalmos statis horis persolue re. pag. eadem.

Secundus, Nunquidnam conueniens sit & decorũ, vt horæ canonicæ, Psalmorum, Hymnorumq́, alio cantu psallantur. pag. 940.

Tertius, Vtrúmne tam illi omnes qui sunt sacris initiari quàm qui titulum habent ecclesiastici sacerdotij, ad horas dicendas teneantur. pag. 944.

Quartus, Anne ordo & modus sit aliquis persoluẽdo diuino officio necessarius, necne. pag. 948.

Quintus, Ad soluendum canonici diuinum officium, requiratúrne attentio. pag. 952.

Sextus, Episcopus & clericus id facere prætermittens quod facere tenetur, ad restitutionem, aut præbendæ, aut fructuum obligetur, nécne. pagina. 958.

Septimus, isq́, postremus, qui omnibus finem ac colophônem imponit, Nunquid religiosi creati episcopi, ad obseruandas regulas tenentur, an secùs. pag. 962.

Indicis Prioris, qui Librorum, Quæstionum, & Articulorum, Finis.

INDEX ALPHABE-
ticus librorum decem de Iustitia & Iure Fratris Dominici Soto. Numerus paginam indicat: A. columnam priorem, B. verò posteriorem.

A



Abigeatus, furtũ de grege dispersо. 417. b.

¶ Abrahã non suo merito, sed Dei misericordia electus est vt inde Christus originem duceret. 90. b.

Abraham & Sarã probabilius est fuisse fratres quàm fratrueles. 120. a.

¶ Abrenuntiatio sæculi non solùm diuino iure, existit per Christum cõstituto, verum ex iuris naturalis visceribus depromitur. 681. b.

¶ Abrogatio quid sit: & vtrum differat à dispensatione & irritatione. 79. a.

¶ Acceptio personarum nomen est apud sacros interpretes latinitate donatum: quod & respectus personarum dicitur. 250. a.

Acceptio personarum est iniustitiæ crimen quo in distributione non causę ad rẽ pertinentis, sed personæ ratio habetur: quod ideo genere suo mortale crimẽ est. ibid. b.

Acceptio personarum non est qualitatem personæ considerare, quæ eius, vel meritũ vel crimen auget. 251. a.

Acceptio personarum in spiritualibus genere suo grauius est quàm in temporalibus. 253. b.

Acceptio personarum tunc præ se fert manifestarium crimen quãdo idoneo prætermisso eligitur indignus. 254. b.

Acceptionis personarum crimen dum magistratus indigno confertur ad restitutionem obligat quæ facienda est populo. 267. a.

Acceptio personarum sæpe in iudicijs dicendis committitur. 272. a.

Acceptionis iniustæ pœnam nemo ante condemnationem pendere tenetur. 351. b.

Acceptionis causa nouem modis potest aliquis esse. 373. a.

Acceptio rei trifariàm consideratur & dupliciter contingit: scilicet directè & indirectè. ibidem. b.

¶ In actione praualiter ratio mali consideratur quàm culpæ. 370. a.

¶ Actus studiosus bifariàm censetur esse alicuius virtutis. 641. b.

¶ Accusare quis & quando teneatur. 443. b. &. 444. a. &. b.

Accusare, excommunicatis & infamibus est semper prohibitum, licèt dum crimen est reipublicæ perniciosum, denuntiare tenẽtur. 446. a.

Accusare subditi suos maiores prohibentur & clerici in causa sanguinis. ibidem.

Accusatiõis forma est vt in scriptis fiat. ibi. b.

Accusatio tribus vitiatur, nẽpe calũnia, præuaricatione, & tergiuersatione. 447. b.

Accusatorem qui non habet, ab honoribus prohiberi non debet. 440. b.

Accusatore manifestarium crimen non indiget. 441. a.

Accusatoris vicem habent infamia, & indicia, & clamorosa insinuatio. ibid. b.

Accusatore opùs non est vbi iuridica adest denuntiatio, sicut neque in fraterna correptione. ibidem.

¶ Adã fuit princeps eo iure quo primus parens, atq; adeò totius orbis domin⁹. 298. a.

Adæ præuaricatione omnes pœnam mortis incurrimus. 19. b.

¶ Adiurare quid sit. 762. a. b.

Differentia inter adiurationem & iuramentum. ibidem.

Adiurare potest superior sibi subditos in materia licita & honesta. ibid. b.

Adiuratio non actio eius est qui adiuratur: sed adiurantis. 763. a.

Adiuratio non idem est, quod iuratio. ibid.

Et tamen

Et tamen aliquando captio iuramenti dicitur adiuratio, ibid.b.
Adiurare deum & adiurare hominẽ in quo differunt.764.a.
Adiurare neutiquam licet dæmones per modum deprecationis.ibid.b.
Per modum tamen compulsionis adiurare eos possumus.ibidem.
Adiurare irrationalem creaturã, sic vt sermo ad eam dirigatur vanum est.770.b.
Adiurare irrationalem creaturam dupliciter iure possumus.771.a.
¶Admonitio nulla requiritur cùm alicui de re propria accusare incumbit.445.a.
Admonitio necessaria est, etiam si crimẽ reipublicæ sit pestiferũ: quando quis omni procul dubio certissimus sit per suam admonitionem emendandum fratrẽ cessandum quàm publicum damnum. ibidem. alioqui in eiusdẽ magnis sceleribus cõtra publicum bonum reipublicæ absque vlla admonitione ad iudicialẽ, seu accusationem, seu denuntiationem procedendum. ibidem.b.
¶Adultera quæ falsam prolem marito supponit, quando teneatur se prodere nè legitimos filios hæreditate defraudet.371.a. Et vtrùm teneatur cum periculo mortis. ibidem.b.
Adulterinus filius non semper tenetur matri credere, & ab se hæreditatem abdicare. ibidem.
Adulter qui ex aliena vxore prolem suscepit quam ipsa marito suppositit. non tenetur rigore iustitiæ eidem marito ad restitutionem. ibidem.
¶Aduocandi potentia siue in sensu interiori siue exteriori carens, neutiquàm patrocinari potest.474.b.
Aduocatorum iniquissimus vsus impingentium testibus crimina quæ neque suspicantur.470.b.
Aduocati falsa crimina testibus impingentes præter illam quam personæ irrogant, reipublicæ quoque iniuriã inferunt. ibid.
Aduocatus non semper causæ pauperũ gratis patrocinari tenetur.473.a.
Aduocatus etiam citra extremam necessitatem tenetur præstare pauperi patrociniũ in graui & vrgenti de superfluo, tam eius possibilitate, quàm pauperis necessitate pensata. ibid.b.&.474.a.
Aduocati requisita dignitas. ibidem.
Aduocatus qui sciens iniustam causam defendit, & mortaliter contra iustitiam peccat, & ad restitutionem tenetur.475.b.
Aduocatõ quousque licitum sit dubiam & infirmiorem causam defendendam suscipere. ibidem.
Aduocatus clientis causam an prodere debeat, necne.476.b.
Aduocato licitum est suum patrociniũ pretio æstimare, sed tamen per improbitatẽ aliquid vltra modum extorquens, mortaliter cõtra iustitiam peccat.477.a.&.b.
Actuocatorum pretium duplex. ibidem.
Aduocatorum improbitas immoderata quę sit.478.a.
Aduocatus de litis quota aut de certa quantitate sub conditione victoriæ pacisci nõ potest, sed de certa quantitate, in vtrãuis partem causa euaserit. ibidem.&.b.
Aduocati testis & iudicis discrimen quantũ ad recipiendam mercedem. ibid.b.
Aduocationem excellentia dignitatis aut ordo aliqua reddit indecentem, nisi adsit necessitas.474.b.
Aduocationis officium qui absque vlla iuris peritia & negotiorum experientia exercet, non esset à mortali culpa immunis. ibidem.
¶Affirmatio omnis negationem includit, non è conuerso.113.a.
¶Agere contra conscientiam, intrinsecè est malum.439.a.
¶Aggressio quando sit, quandove defensa, arbitrio prudentis diiudicandũ est. 403.a.
Aggressorem occidere licet eligendo tanquã medium eius mortem, dum modò sit necessarium.401.b.
Aggressorem occidere tenetur inuasus quãdo ipsemet est reipublicæ necessarius. 404.a.
Aggressorem occidere non potest inuasus quando aggressor est reipublicæ necessarius. ibidem.
Aggressionis tres ordines.404.a.
Aggredi & preuenire hostẽ, scelus est.402.b.
¶Ambrosij factum vt se infamaret nè eligeretur in episcopum.294.a.
¶Amicitia pecunia non æstimatur, ac subinde in mutuo illam conquirere non est vsura.515.b.
Amicitiam turpem in mutuo intendere, nõ est vsura.516.a.
Amicitiã præstantius bonum est quàm fama & honor.455.b.
Amicitia, fama, & honor, non sunt virtutes

neq;

neq; ſpiritualia bona, ſed virtuti agnata. 496.a.
Amicitia quæ de bono honeſto proficiſcitur, verè eſt amicitia: quæ verò de vtili & delectabili, ſecundùm quid. ibidem.
Amicitia finis eſt famæ & germanior virtuti quàm illa. ibidem.
Amicitiam aliquorum diluere, vt ipſe expulſi loco, in alterius ſeſe inſinuet amicitiam, ſi illum non infamet, non eſt peccatum. 496.a.&.b.
¶Angeli quibus rebus dominentur. 284.a.
Angelorum iuratio. 745.b.
¶Andabatarum pugna. 390.a.
¶Anima in corpus habet principatum dominicum. 279.b.
Anima opera dæmonis corpus reſumere nõ poteſt. 766.b.
¶Animalia bruta homini in multis deſeruiunt. 279.b.
¶Antichriſti tyrannide defecturi non ſunt Chriſti proceres, qui p fide atrociſsimas mortes oppetent. 177.b.
¶Antiſtitẽ appetere eum qui eccleſiæ eſt magis idoneus, laudabile eſt, etiã cum formidine aduerſæ valetudinis. 980.a. vide, Eps.
¶Antiphonas primi Græci compoſuerunt, teſte Iſidoro. 942.a.
¶Appollonia quòd ſe in rogum coniecerit excuſatur. 396.a.
¶Apoſtoli ſinguli habebant iuriſdictionem in vniuerſum Chriſtianorum orbem. 865.b.
Apoſtoli à Chriſto fuere ordinati epiſcopi. 867.a.
Apoſtoli docuerunt familiam Chriſtianam omnem veritatem ad ſalutem neceſſariã. ibidem.
Apoſtolis ratione ſtatus conſilia neceſſaria erant. 189.a.
¶Appellare ad legitimum iudicẽ licitũ eſt ei qui iudicis grauamine premitur. 459.a.
Appellans ad iudicem infidelem, excommunicetur. ibid.b.
Appellare ad ſuperiorem cauſa repellendæ aut differendæ iuſtitiæ, iniuſtum eſt & iniquum. ibidem.
Appellãdi vſus in religionibus pernicioſus. ibidem.
Appellare antiquitùs non licebat niſi intra biduum, aut triduum: modò verò indultũ eſt tempus decem dierum. 460.b.
Appellare tertiò ſuper eodem articulo, interdictum eſt. ibidem.
Appellare tertiò Romæ, iam introductum. ibidem.
Appellare à quocunque iudicis verbo, ſtylus eſt nocentiſsimus & intolerabilis. ibidem.b.
¶Arcampſoria. vide Cambium & Campſoria ars.
¶Archiepiſcopus ex officio habet ordinare Epiſcopos. 867.a.
¶As dicitur omne totũ quod in duodecim vncias diuiditur. 513.a.
¶Aſſecurationis contractus omninò eſt licitus. 314.b.&.579.b.
Aſſecurationis contractus multis modis vitiatur. ibid.
Aſſecurationis contractus etiam in alijs rebus quàm in mercibus licitè fieri poteſt. ibidem.
Aſſecurationis cõtractus cum ſocio celebratus quo aſſecuratur ſors illi in ſocietatem tradita, vſuram ſapit. 577.a.
¶Aſtrologi falſa ſæpe vitia hominibus inferentes ferendi non ſunt: ſed tanquàm publici infamatores, eſſent in vltimas cruces adigendi. 488.a.&.b.
¶Aſtrologi non poſſunt per delineationem & obſeruationem cœleſtium corporum proſpicere accidentarios euentus. 769.a.&.b.
Poſſunt tamen de affectibus naturalibus iudicare. ibidem.
Aſtrologi crimina reuelare non poſſunt, & quanuis poſſent, peccatum eſt reipub. perniciоſiſsimum. ibid.b.
¶Aethiopum ſeruit9 quomodò illicita. 289.a. vide, Seruitus.
¶Auaritia duplex eſt. 314.b. ſed latiùs. 923.a.
Auaritia inter iudicis delicta primas tenet. 268.a.
¶Audacia apud ſenſuales homines pro indicio fortitudinis reputatur: & ideò fit vt dum facinoribus perpetrandis adhibetur, minùs de illa homines pudefiant. 432.b.
¶Auguſtinus affirmat ſe vidiſſe in Italia ſtabularias mulieres quæ venenum in caſeo hominibus porrigentes in iumenta conuertebant. 765.b.
¶Auferre alicui quidpiam, ſtat dupliciter. 355.a.
¶Auium tres ſunt differentiæ. 354.a.
Auium venatio quarum ſit permiſſa. ibidem.

B.


Baptisma verisimile est institutum à Christo cùm à Ioanne baptisatus est, non ipso facto sed verbo. 159.a.

¶Beatæ, quas sic appellamus, votum solenne emittunt quæ clausuram seruant: non aliæ.690.b.

¶Bellum ex vtraque parte non esse iustum nisi fortè ignorantia adsit. 461. a.b. &. 400.b.

Bellum ex triplici capite iniustum esse potest.430.a.

Belli tumultus quàm pernicioſi sint saluti rei publi.ibidem.

Belli publici subditi num causas inquirere debeant.422.a.430.b.

Bellandum vt in pace viuatur. 11.a. &. 219. b. &.400.b.

¶Benedicere irrationales creaturas, contingit in ordine ad hominem.502.a.

Benedicere Deo quid sit.500.a.

Benedictio per se propriè in solam potest ferri rationalem, aut intellectualem creaturam.501.b.

Benedictionis relatio irrationalium creaturarum in hominem, tribus modis consideratur.502.a.

Benedictionem vulgò poni imprecatio est. 500.a.

Benedictio vendi non potest.837.

Benedictio ad professionem non semper est necessaria.647.b.

Benedictio terminorum, campanarum, &c. 502.b.

¶Beneficia ciuibus & qui inde sunt oriundi distribuere, æquum est: etsi extranei præstantiores meritis aliquãdo inueniantur. 258.b.

Beneficia non sunt conferenda pueris.262.b.

Beneficia plura habere talibus potest ornari circunstantijs vt licitum sit.273.a.

Beneficiorum pluralitas incommoda multa adducit.272.b.15.b.

Beneficia ecclesiastica non dantur prælatis, vt præmia: quia boni sint, sed vt bene præsint.887.b.&.896.a.b.

Beneficia plura citra dispensationẽ quę possint obtineri, & quæ non.264.b.&.255.a.

Beneficia quæ residentiam requirunt etsi curam non habeant animarum, non debent eidem coarceruari.265.a.

Beneficia quæ curam habent animarũ non possunt tutò in conscientia plura possideri.ibidem.

Beneficiorum mutatio ascensus gratia, vitanda.257.b.

Beneficiorum dominus non est Papa.260.a. &.820. Vide, Papa.

Beneficium resignans vt indigno cõferatur, peccat.261.b.

Beneficium propter officium datur.253.a.

Beneficium possidentis iniusta sententia, restitutioni est obnoxius.238.a.

Beneficium quod sit spirituale, quod verò minimè.809.a.

Beneficium curatum nõ annectendum monasterijs.810.a.

¶Bigamus cur irregularis.57.b.

¶Blasphemia eatenùs nefanda est quòd hac fortè de causa Deus in lege eam non nominauit.140.b.

Blasphemia genere suo peior est periurio. 751.b.

Blasphemia grauior multò est culpa apud Deum quam homicidium.753.a.

Blasphemiæ pœna antiqua.a.ibid.

Blasphemia Deo vindicanda relinquit.49.a.

Blasphemiæ prohibitio.128.b.&.138.a.491.b.

Blasphemo lingua abscinditur.412.a.

Blasphemia furto grauior.421.b.

Blasphemus quando sit detractor, vel derisor.481.b.&.498.a.

Blasphemus quando sit creaturis maledicẽs. 502.b.

¶Bonum dupliciter dicitur simpliciter bonum.213.b.

Bonum cõmune priuato præstat. 78.b.877. b.&.878.a.

Bonum nomen melius diuitijs multis.345.a.

Bonum intellectus quomodò præstat volũtatis bono.235.b.

Bonitas quid sit.203.b.&.235.a.

Bonus pastor quo pacto animam suam pro ouib⁹ suis ponere debeat.901. a. vide, Eps.

Bonus vnusquisque semper præsumitur, nisi oppositum probetur: quando res non vergit in detrimentum alterius.470.b.

Bona ecclesiastica quare prohibeantur alienari.310.b.

Bona Ecclesiastica quo anno partita sint. 916.a. vide, Diuisio.

Bona ecclesiastica multa sunt in titulum sæcularem transmutata.922.b.

Bona Ecclesiastica in titulum sæcularem translata,

translata, pauperibus non sunt obnoxia. 923.a.
Bona ecclesiastica esse pauperum quomodò intelligatur. ibid.b.
Bona animæ triplicia. 334.a.
Bona animæ quæ possunt & debent restitui. 334.a.
Bonorum animæ diuisio. ibidem.
In bonorum temporalium defensam licet latronem occidere. 404.b.
Bonorum nostrorum triplex est genus. 293.a. 243.a. &. 291.a, 680.a.
Bona incerta authoritate Papæ pauperibus addicta sunt. 363.b.
Bonorum præceptio non tam latè patet quã malorum prohibitio. 113.b.
¶ Bulla nulla dispensat circa religionem & castitatem, 674.b.
Bullæ irregularitatem non tollunt. 393.a.
Bullæ cruciatæ compositio. 363.a. &. 364.a.

C

Calumniator est qui, vel falsum crimen imponit, vel occultũ in iudicio ꝓpalat. 447.b.
¶ Cambire cambium. 581.a.
Cambium quid sit. 581.b. & quomodo ab arte campsoria, seu nũmularia differat. 582.a.
Cambiorum plura malà. ibidem. b. &. 588.a. &. b.
Cambij multiplex consideratio, & quomodò à cæteris contractibus differat: & de eius diuisionibus, & de Cambio sicco. 583.a. &. b.
Cambiorum formæ & modi ad tria capita reducuntur. 584.a.
Cambium minutum quomodò licitum, & quomodò illicitum. ibidem. a. &. 586.a. &. b.
Cambium per literas. 584.a. & latiùs. 586.a.
Cambiũ per literas in quo transmissio pecuniæ re vera non fit, iniquam vsuram continet. 588.a.
Cambire diuersas monetas secundùm metalli naturam, etiam si parum aliquid supra valorem signati numismatis recipiatur, iniquum non est. 585.b.
Cambiorum pretium quibus de causis legitimè augeri possit. 600.a.
Cãbire numismata, qua ratione numismata sunt, nonnullo ab alterutra parte cõcessio alteri pretio, licitum est. 584.a. & hoc etiã inter priuatas personas. ibid.a.b.
Cambire an liceat nummos eiusdem ponderis & numeri, valoris tamen diuersi in diuersis regionibus. 591.b.
Cambire pecuniam inferioris gradus auri, vel argenti cum alia superioris, citra cõpensationem, iniquitas est. 592.a.
Cambire monetam hac lege etiam si tempore solutionis auctus fuerit valor, secundùm priorẽ valorem pendatur, vsura est. ibidem.
Cambire ita vt eadem pecunia reddatur vbi plus valet: minimè licet. 592.b.
Cambire pecuniam ab vno in alium locum habito respectu copiæ vnius loci, atq; inopiæ alterius, licitum est: modò tẽporis ratio nulla habeatur. 596.a. &. 597.a.
Cambium ratione temporis licitum esse nõ potest. 589.a. 603.b. Neque ibi est aliqua ratio lucri cessantis. 604.a.
Cambium duarum rerum in diuersis existẽtium locis, neutiquàm fieri licet si pluris in vno quã in altero æstimetur. 593.a.
Cambij pretium legitimè variat abundantia vel raritas pecuniæ. 600.a. & etiam frequẽtia & raritas indigentium. 601.a.
Cambium ad incertam solutionem etsi aliquo modo licitum sit, non tamen tutum. 601.b. 602.a. 605.
Cambij legitima ratio. 605.b.
Cambia an ad proxima loca eiusdem regni sint licita. 606.b.
Cambiẽdi mos Lusitanorum & Castellanorum. 608.b.
¶ Campsoriæ artis radix & initium vnde. 590.a.
Cãpsor qui Metinæ pecunias numerat, iustè cum lucro illas Romæ recipit, etiam si ipsi campsori expediret illuc asportare. 587.b.
In campsore industria pluris valet quàm labor: imò sine labore multoties pretiũ recipit. 588.
Campsori licitum est aliquid recipere vt pecuniam in suo cambio consignatam innumerato soluat. 591.b. non tñ vltra id quod lege taxatum est. 591.a.
Campsor dominium pecuniæ in illum cui dat transfert, 599.a.
Campsori nullo modo licet ob nundinarũ intercalationem & prætermissionem pretium recipere. Imò neq; propter illud tem

pus quod inter cambium interstet & proximorum nundinas.603.b.&.605.b.
Campsor ratione lucri cessantis nihil recipere potest.604.a.
Campsorum ministri quomodò sint in culpa,& ad restitutionem teneantur.609.b.&.610.a.
¶Cantus ecclesiasticus non studij sed diuinæ laudis gratia institutus.74.b.vide,Horas.
Cantus ecclesiasticus si est immodicus est vituperabilis.943.a.
¶Canonicus non tenetur vi Iuramenti primũ præstiti, noua statuta seruare.750.a.
¶Capellaniam stetuere ad celebrãdas Missas pro infidelibus,error est.788.b.
¶Capituli,nauiganti.de vsuris,optima explicatio.262.b.& aliorum capit. vide, Expositio.
¶Carcerum effractoribus pœna capitis decernitur propter præsumptionem illatæ vis.463.a.
Ad carceres condemnati,tenentur ibi manere & non fugere nisi immineret periculũ mortis vel corporalis supplicij.ibid.b.
Ad carceres & ad mortem simul condemnari nullus iustè potest.ibid.b.
In carcere spectare mortẽ aliquando tenentur martyres ob confessionem fidei. ibid.
Carceres quare adinuenti.415.a.
Carcer perpetuus morti æquiparatur.415.b.
Carceri mancipare quempiam nisi reipublicæ aut principi non licet.415.a.
¶Cardinalis episcopali fulgens dignitate potiùs tenetẽ esse præsens suæ ecclesiæ quàm Romæ.264.a.
Cardinalibus inhibitum est nè fiant episcopi.903.a.
¶Celare vitium rei & tacere, maximè differunt.555.b.
¶Cœli causa per se esse nequeunt actionum liberi arbitrij.769.a.
¶Census quid,& vnde dictus.565.b.
Census bifariàm constituitur. Alius enim est reseruatiuus : & alius consignatiuus.566.a.
Censum realem fructuariumq; vnusquisq; potest in sua bona constituere,dummodò sint libera,non solùm via donationis, verùm etiam venditionis.566.b.567.a.
Census realis annexam habet personalem obligationem.568.a.imò bona super quæ census constituitur rationẽ solũ habẽt pignoris & hypothecæ.ibi.b.&.569.a.
Census realis non solùm constitui potest super certis signatisque bonis, verùm & super indefinitis : imò & super re cuius fructus censum non adæquant.568.b.
Censum realem emens non fructus rei obligatæ emit,sed ius exigendi censum.ibidẽ.
Censum personalem,vt pote quem venditor supra suam constituat personã,iustè quisque emere potest.568.a.
Census personales & super incertis bonis etiam non fructificantibus constitutos, Extrauagantes.Martin. & Calix.nõ damnant.569.b.
Censum pecuniarium iure etiam quisq; potest super suis facultatibus constituere,nõ solùm donationis forma,verùm etiam vẽditionis.567.a.
Census super vsum pecuniæ constitui potest.ibidem.b.
Census pecuniarij temporales temporis certi cuius pensio maioris valoris est quàm sit pretium, suspecti sunt & relegandi.572.a.b.
Census perpetui non modò licitè emuntur, verùm in illis minor est vsuræ suspicio q̃ in temporalibus.570.b.
Census perpetui obligatio quando census constitutus fuit super incertis & indefinitis bonis ad hæredes pertinet : si verò consignatus fuit super certa re,non nisi re illa permanente: qua perempta hæredes ampliùs non tenentur.571.a.
Census temporales licitè emuntur. 571.a.
Census vitalitius licitus.572.b.
Census redimibiles licitè emuntur: apposita conditione vt non membratim & per partes, sed totum simul redimatur.574.a.
Censum emere cum pacto retroemendi, nequaquàm fas est: puta obligando venditorem vt eundem redimat eodem pretio, vel minori.573.a.
Censum emere cum pacto retrouendendi, licitum est.ibid.
Censum emere cum pacto retrouendendi cõstituto tempore, tam illo ante quod non sit venditori redimendi facultas, quàm illo citra quod si non redimatur, nulla fiet vltrà redimendi facultas, sed census maneat perpetuus,licitum est.ibid.b.
Census quod pretium dicatur iustum. ibid.
Censum multæ conditiones iniquum reddunt.ibidem.
Censuarius quod recipiat partẽ pretij : quia concedit facultatem vendendi iniquum est.571.b.

¶Ceremonia vnde dicatur.97.a.
Ceremonialia ac iudicialia præcepta per quam illationem à iure naturali descendant.113.a.
Ceremonialia legis opera non conferebant gratiam sicuti nostra.132.a.b.
Ceremonialia præcepta & iudicialia quare ad decalogum non pertineant.134.b.
Ceremoniæ veteris legis quæ ad Dei cultum pertinebant, Christum & eius legem figurabant.151.a.
Ceremonias veteris legis multiplices fuisse condecens fuit: quæ ad quatuor capita reducuntur.151.b.
Ceremoniæ omnes veteris legis quæ ex debito fine ducebant suas causas, literalem & mysticum sensum habebant.153.a.
Ceremoniæ & ritus apud omnes gentes semper fuere ad diuinum cultum ratione naturali magistra.155.a. Quinimò multi proceres fuere inter gentes quibus super naturalem instinctum diuinus radius affulsit.156.a.
Ceremoniæ veteris legis à solis carnis sordibus corpus emũdabant.156.a. cuius emundationis ratio potissima erat in nostro mysterio posita.ibid.b.
Ceremoniæ veteris legis an in Christi morte cessauerint.157.a.
Ceremonias legis veteris nullo modo licet post euangelij promulgationem obseruare.158.a.
Ceremonialia obseruando quomodò fuerit Petrus reprehensibilis.164.b.
De cessatione legalium dissidium Augu. & Hierony.158.b.
¶Cæsio syluæ vetatur in bonum reipublicę. 352.b. vide, Ligna, Sylua.
¶Cædens ligna in nemoribus alienis furtim quando teneatur ad restitutionem. 352.a.
Cedere bonis quando liceat.381.b.
Qui bonis cesserunt quando teneant ad restitutionem. ibidem.
¶Circuncisio non conferebat gratiam vi sacramenti, sed per fidẽ quam populus protestabatur.132.b.
¶Charitas quid sit.121.a. ad præceptum charitatis requisita.473.a.
Charitatis actus bifariàm considerantur. 124.a.
Charitatis actus vt singularis virtutis est, cadit sub singulari præcepto. ibid.
Charitatis actus vt est vniuersalis modus omnium virtutum non cadit sub præcepto. ibidem.
Charitatis lex iuxta diui Thom. sententiam statim obligat cùm quis limen rationis ingreditur.126.a.
Charitas cùm sit omnium aliorũ præceptorũ finis quare astruatur vt singulare præceptum.125.126.a.b.
Charitatis præcepto occurrente tenemur cũcta quæ tunc facimus in Deum referre vt in finem suprà naturalem.127.a.
Charitas non est titulus rerum possessarum. 287.b.
Charitatis p̃ceptũ dupliciter impleri.613.b.
Charitatis ex & ordo qñ nos obliget.403.b.
¶Christus vt homo non est rex potestatis sæcularis.301.a.
Christus nunquam iurauit.717.a.
Christus idem regnum quo functus est ipse reliquit vicario suo Papæ. ibid.
Christus quomodo fuerit rex in quantũ homo.300.b.
Christus secundum quod homo iure redemptionis est rex regni cœlorum.300.b.
Christus caput ecclesiæ ac perinde omnium munerũ ecclesiasticorũ exemplar. 860. b.
Christianis turpius est iurare quã antiquis. 116.b.
¶Clericus in quantum clericus nullas tenetur soluere decimas.810.b.
Clericus quatenus seculari iure terras possidet sæculares debitor est decimarum. ibid. &.75.a.
Clerici possunt recipere stipendium substentationis.823.
Clericus diues põt pacisci de stipendio substentationis cùm non est lege constitutũ. 833.b.
Clerici in minoribus constituti ad nullas horas canonicas tenent cõtra Panor. 944.b.
Clericus non est simoniacus cùm tantùm distributionum gratia diuinis interest, peccat tamen grauiter.830.a.
Non omnis clericatus vsq; ad primam tonsuram est de iure diuino.834.b.
Clerici quatuor generibus bonorum temporalium fruuntur.915.a.
Clerici in nascenti ecclesia cœperunt in communi viuere. ibid.b. vide, episcopus.
Clerici licèt aliundè victum habeant idoneũ põt tñ de bonis ecclesiasticis viuere.934.a.
Clericorum multa sunt obsequia quib⁹ sua stipendia merent.
Clerici denuntiare possunt in causa sanguinis cum protestatione. &c.446.a.

Clericis quare non licet malefactores occidere & quo iure.391.b.
Clericorum sacrilegæ extorsiones aduersus monachos.828.b.
Clerici qui dicantur.391.b.
Clerici qui petunt bonorum suorum restitutionem in iudicio dūmodò protestent se id non facere ad vindictā & sanguinis effusionē non incurrunt irregularitatem, licèt malefactores occidantur.49.b.
Clericorum votum castitatis, vide, sacerdos.
Clericatus omnis vsq; ad primam tonsuram non est de iure diuino contra Caietanum. 834.b.
¶Cognitio diuinorum in seipsis soli Deo & beatis competit: nobis verò non sic quo loco genuina Pauli loca explicantur optimè.23.b.
¶Commercia humana subuertita sunt.382.a.
¶Commutationum alia voluntaria, alia inuoluntaria.246.a.
Commutationis nomen non simplicem dationē, aut receptionē importat sed dare vt recipiant, recipere vt reddant.246.a.
Commutatio voluntaria spontaneam quandam & volūtariam actionem tam ex parte offerentis q̄ recipientis importat.246.a.
Commutatio inuoluntaria, inuoluntariam supponit actionē ex parte patiētis quàm auferentis.246.a.
Commutationes inuoluntariæ diuiduntur & in eas quæ occultè & ignorante domino per fraudem fiunt & eas quæ per violentiam manifestè.246.b.
Commutationes voluntariæ per sua quoq; membra subsecantur.246.b.
¶Compensatio quæ sit facienda pro vita ablata.337.b.
Compensatio in fama optimè potest fieri. 346.a.
¶Communes debent esse res quantum ad vsus per misericordiæ & liberalitatis beni gnitatem.297.b.
Communitas rerū triplex esse potest.ibid.a.
¶Commodatum & mutuum quo pacto dis criminentur.370.a.
¶Concilij Apostolorum, Actuum. 15. explicatio.ibid.a.
¶Conclusio practica quò est singularibus vicinior eò minùs habet certitudinis.35.b.
¶Condemnato ad mortem licet fugere & se ab impedimentis expedire.462.a.&.b.
Condemnato ad mortem iustè non licet instrumenta cōferre vt se vinculis expediat & fugiat.ibid.b.
Condemnatus iustè vt fame pereat potest abstinere à cibis sibi oblatis contra voluntatem iudicis.464.a.
Condemnato à legitimo iudice iustè & iuridicè non licet se defendere.461.a.
Condemnato iniustè fas est iudici resistere vbi tamen non scandalum daret ex quo grauis perturbatio timeretur.ibid.a.
Condemnatus legitimis testimonijs, sed tamen sine causa aliqua, quia est innocens, si non potest se defendere nisi inflictis vulneribus tenetur obedire sententiæ iudicis. ibidem.b.
¶Confessi crimen proprium, super aliorum conscientias non interrogentur, excepto crimine læsæ maiestatis & hęreseos.455.a.
¶Consilium non habet rationem legis vt pote virtute carens coerciua.21.a.
Consilia multa sunt de iure naturæ.188.b.
Consilia euangelica atq; adeò omnia naturalia, ad tria reducuntur genera: scilicet paupertatis continentiæ, & obedientiæ.189.a.
Consilia noua in euangelica lege adhibita: sunt virginalis puritas, & confirmato voto cuncta relinquere.ibid.b.
Consilia illa quæ sunt de iure naturæ sępe accidit vt sint in præcepto.190.b.
Consilia ideò censentur minima quia ad salutem non sunt necessaria.679.
Cōsiliū pręstās vsurario vt sub vsuris mutuet ad restitutionem tenetur.532.b.vide, vsura.
¶Consulere minus malum quomodò liceat optima disputatio.535.a.&.938.b.
¶Consentire facientibus dupliciter contingit.493.a.
¶Consuetudo quid sonet.76.b.
Consuetudo trina pollet virtute.ibid.a.
Consuetudo & mos qualiter differant.ibi.b.
Cōsuetudo ex seipsa vim legis nō habet nisi q̄tenus à principis cōsensu dimanat.76.b.
Consuetudo ligat non solum tāquàm signū promulgationis nouæ legis, sed aliquando etiam est signum quod olim talis viguerit lex.77.a.
Consuetudo tam legis robur nanciscitur, vt communi hominum iudicio & arbitratu peccatum esset facere contra illam.77.a.
Cōsuetudo q̄ ex principis socordia, aut impotentia obrepit, legi non derogat. 77.a.
Consuetudo quæ ex animi feruore ac pietate tantum ortum habet, non habet vim præcepti: nisi postea vti sub præcepto custodiatur.77.b.

Consuetudo quæ illicitũ habuit ortũ legem potest antiquare, quin & apud posteros vim legis obtinere, non tamen quandiu per actus prauos increbrescit.78.a.
Consuetudo iurandi non est status peccati. 758.b.
Consuetudo offerendi quando obliget sub precepto quomodo possit iudicari.729.a.
Consuetudo licet sit causa iurandi magnũq; secum afferat peierandi periculum, tamẽ neq; ipsa per se peccatum est: nec speciem mutat iuramenti.758.a.
Caietañ. tamen ait q̃ si quis propter continuam consuetudinem tam verè quàm falso in communi locutione iurandi non aduertit, non excusatur à mortali.779.b.
¶Consulens minus malum ad maius euitandum non obstringitur restitutione.938.b.
¶Constitutiones prædicatorum, id ad quod obligant non habẽt rationem pœnæ, sed conuentionis.58.a.
¶Contemplatiua vita sit ne melior quàm actiua.878.a.
¶Contractui quando deest solennitas iuris essentialis, potest quis legis vti beneficio. 318.a.
Contractus ferè omnes iuregentium sunt introducti.197.b.
Cõtractus est actio inter duos ex qua vtrinque obligatio nascitur.541.b.
Contractus & pactũ non cõuertuntur. ibid.
Contractus strictè actus est iustitiæ. ibidem.
Contractuum species septẽ sunt, scilicet emptio, cambiũ, mutatio, emphiteusis, cõmodatio, p̃mutata cõmodatio, locatio.542.a.
Cõtract⁹ assecuratiõis.579. vide. assecuratio.
Contractus cambij.581. vide, cambiũ, cãbire.
Contractus emptionis & venditionis. 541.a. vide, emptio & venditio.
Contractus ab vsuratio facti qui sint validi. 529.a.b. vide, vsurarius.
¶Contrahentibus quomodò liceat adinuicem se decipere.547.b.551.a.
¶Contumelia à conuitio & improperio differt.480.b.&.481.a.
Cõtumeliarũ modi oẽs sunt eiusdẽ spẽi. ibi.
Contumelia genere suo est peccatũ mortale idq; atrocius q̃ furtum aut rapina. ibid.b.
Contumeliæ grauitatem, quãtitas furti exuperare potest.482.a.
Contumelijs ferendis animum habẽre paratum vnusquisq; tenetur.483.a.
Contumelias illatas quando ferre teneamur, quando repellere oporteat. ibid.
Contumelia peior est furto.491.b.
Contumelianti respondendum est quando ratio correctionis fraternæ id decere demonstrauerit.484.a.
Contumelianti honori fidei, & religionis religio est acriori respondere obiurgatione. ibidem.
Contumelianti quæ crimina liceat obijcere: quando resistere licitum. ibid.
Contumelianti alijs, respondere semper est officium. ibid.b.
Contumelios⁹ quis dicatur.476.b.
Contumelię & detractionis discrimina.479. 480.a.&.485.a.&.488.a.
Contumelia propriè loquendo in verbis cõsistit.479.b.
Contumelia, extenso nomine, etiam in factis posita est, quatenùs rationem habent significandi. ibid.
Contumelia esse potest etiam si vitiũ quod propalatur peccatum non sit, quanuis huiusmodi sit insignior.480.a.
Contumelia esse potest etiam si occultum vitium non detegatur. ibidem.
Contumelia illa maior est in qua vitia imponuntur. ibid.
¶Conuitium vnde dicatur. ibidem.b.
Conuitij iactatio, quæ fit præter intentionẽ contumeliandi quæ culpa sit.482.a.
Conuitiari eatenùs est virtus quatenùs intra limites moderatæ faciei cõtineẽ. ibi.b.
¶Cor est prima pars ī qua anima viuit.135.a.
¶Creaturæ oẽs irrationales lege Dei æterna aguntur.27.a.
¶Criminator à susurrone & detractore differt.496.b.
¶Culpa leuis quæ sit & quæ grauis.39.b.

D



AEmonum potestas. 765.
Dæmones vera miracula facere non possunt. ibid.
Dæmões tripliciter potestatem exercent. ibidem.b.
Dæmonum odium in Deum atq; humanũ genus.767.a.
Cum dæmonibus nullum licet inire cõmercium, aut societatem, aut pactum. ibid.
Dæmoniaci consortij tres sunt gradus. ibid.
¶Damnum emergens quid sit.521.b.

Damnum emergens quando mutuatori inuito emergit, iustè exigitur. 522. a.
Damnum emergens iustè petit qui mutuare cogitur. 522. b.
Damnum emergens præuisum & formidatum, qui rogatus mutuat iustè potest à principio in pactum ducere. ibidem.
Damnũ datum in re quæ erat in potẽtia, nõ est perinde restituẽdũ, ac si fuisset in actu: quisq; tenetur ad integrũ resarcire. 355. a.
Damnum dantes graue iunctim quomodò contrahant restitutionis debitum. vide restitutio.
¶Dationes licitæ triplices sunt. 361. a.
¶Debiti duplex est ratio, secũdum quod aliqua res dicitur hominis. 241. b.
Debita incerta naturali iure in vsus reipublicæ cõmunes cedunt. 36. b. vide, restitutio.
¶Decalogus compendium fuit totius naturalis legis. 85. a.
Decalogi & reliquorum præceptorum discrimen. 106. a.
Decalogus non expressè continet principia de dilectione Dei & proximi: sed quare hoc. 106. b.
Decalogi præcepta distinguntur in tria primæ tabulæ & septem secundæ. 107. b.
Decalogi primum præceptum licèt negatiui formam præ se ferat, affirmationem tamen amplectitur. 109. a.
Decalogi præceptorum numerus congruentissimus est. 109. b.
Decalogus nullum continet præceptum de virtutibus, hominẽ in ordine ad seipsum, componentibus. 110. b.
Decalogi præcepta recto ordine sunt disposita. 112. a. Et congruẽti modo tradita. 113. a.
Decalogi præcepta omnia, tam primę quàm secundæ tabulæ sunt prorsus etiam per Deum indispensabilia. 116. a.
Decalogi præcepta non omnia includũt modum charitatis: ita quod sit peccatum nisi in gratia fiant. 124. b. 125. a.
Decalogi præcepta data sunt nobis vt legis capita: sapientibus autem commisit Deus vt de alijs nos erudirent. 134. b.
Decalogi præcepta ante legem scriptã vtcũq; de iure gentiũ poterant censeri tametsi non nisi naturali: post vero de diuino dicuntur. 45. a. vide, præcepta Decalogi.
¶Deceptio intra dimidiam iusti pretij, permissa est, non tamen licita. 551. b.
Deceptor quare ad restitutionẽ teneat. 552. a.
Decepto q̃re non det actio in iudicio. 552. b.
¶Decimarum aliarumq; oblationum discrimen. 808. a.
Decimæ quo iure debeantur. ibidem. b. & 801. a. b.
Decimæ ad iudicialem ordinem olim spectabant. ibidem.
Decimarum quota non exuperat iustũ ministrorũ ecclesiæ stipendiũ, etiam si tãquã veris dominis eis adiudicentur. 802. b.
Decimarum quota non est de iure diuino. 804. b.
Decimæ an per desuetudinẽ abrogari possint. ibid. & 806. b.
Decimæ quibus de rebus debeant. 806. a. b.
Decimæ aliæ personales aliæ reales. ibidem.
Decimas à seruitoribus de sua mercede exigere, nisi mos omni memoria vetustior ad id cogat, non est æquitas. 807. a.
Decimæ soluẽdæ sunt ab agricola ita vt nõ possit ante decimationem operas suas & sumptus nec semina excipere. ibid.
Decimæ personales non exigebantur in veteri populo: & quare. ibid. b.
Decimas ex minutis oleribus &c. Leuitę nõ exigebant, secùs autem Pharisei. ibidem.
Decimas non debet agricola, si absq; sua negligentia ante decimationem granum ei sublatum sit. 808. a.
Decimam totam debet soluere agricola antequàm, vel suorum mercedem, vel Regis tributum excipiat. ibid.
Decimas soluere in integrũ tenetur colonus alieni fundi antequã pensionem excipiat quam agri domino soluturus est nisi aliter inter eos conuentum fuerit. ibid.
Decimarum non tenetur mercenarius qui ex decimatis mercedem recipit. ibidem.
Decimarum non tenetur dominus fundi ex suis prouentibus quos colonus post decimationem ei soluit. ibidem.
Decimas petere clericis duntaxat proprio iure competit merito suo. ibidem.
Decimas exigere non est idem quod res ipsas quæ decimantur petere. ibidem.
Decimæ in lege noua non solùm in clericorum victum, sed etiam in eleemosynarum vbertatem pro egenis conferũtur. 809. b.
Decimæ personales illi ecclesiæ debẽtur vbi quisque parœcius est. ibid.
Decimæ prædiales videntur deberi eidem ecclesiæ vbi prędia iacẽt. At ecclesia mauult se ad consuetudinem referre. ibid.
Decimas soluere non tenentur infideles præter Iudæos. 812. b.

Decimarum prouẽtus rectè vendi possunt. 837.b.
Decimæ decimarum congruenter Dei præcepto in veteri lege summo sacerdoti Leuitæ pendebant.ibid.b.
Decimarum ius est merè spirituale.835.
Decimarum dominium ante earum partitionem solùm est penes clerum. 917.b. & 918.a.quo iure.ibid.
Decimæ multarum ecclesiarum totę sunt in titulum sæcularem transmutatæ.922.
¶ Defensa vitæ & bonorum temporalium quandiu duret.405.a.
Defendere aliquando pro vindicare. 406.a.
Ob defensam vitæ & bonorum temporalium licet occidere. Vide, occidere, & aggressore.
¶Deliberatio comprehendit consilium, & sententiam.615.b.
Deliberatio quanta sit necessaria vt votum obliget.ibid.
¶Delicta triplici via à iure præscripta cognoscuntur.452.a.
¶Denuntiatio fraterna quinque modis distat à iudiciali.452.a.
Denuntiatio iudicialis quomodò differat ab accusatione.ibid.
Denuntiatus fraternè tenetur prælato veritatem fateri nisi grauiter timeat quod eũ tanquã iudex machinatur castigare. Alioquin ad confessionem cogi potest. ibidẽ.
Denuntians fraternè si sit persona omni exceptione maior valere potest pro teste in iudicio inde futuro.ibid.
Denuntiatio duplex est.444.b.
Denuntiatus fraternæ si rebellis sit & citra spem emendæ excõmunicationis sententia ab ecclesia coram testibus denuntiationis est separandus.433.a.
Sicuti denuntiationẽ fraternam debet prẽcedere admonitio, sic inquisitionẽ specialẽ, vel infamia, vel expressa indicia.ibid.
¶Depositarius tenetur negare depositũ quãdo dominus petit in abusum iniuriosum. 358.a.
Depositarius amittens rem citra mãgnã culpam suam nõ tenetur ad restitutionẽ. ibi.
Depositio non est contractus.542.b.
Depositum habens si quid sua industria deposita pecunia lucratur restituere non tenetur.551.a.
¶Derisio à contumelia, susurratione, & detractione differt.497.a.&.499.a.
Derisio sub ludi forma sconmata sua tegit. 497.b.
Derisio frequentissimè in ironia vertat.ibi.
Derisionis materia quæ sit.ibid.
Derisioni exponere peccatum alienum, aut naturalẽ defectum tanquàm paruum, genere suo est mortale, si inde alter pudefiat.ibidem.
Vitio quod æstimatur secundum se magnũ, paruum verò respectu illius cui obijcitur aliquem denotare, peccatum est mortale. ibidem.
Derisiones eiusmodi grauiora peccata sunt quàm contumeliæ etsi in Deum, aut fidẽ euomantur enormissima blasphemiæ crimina.498.a.
Derisionis gradus.ibidem.
Derisio & subsannatio fine conueniunt, modo differunt.498.b.
Derisor Dei quis dicatur.499.a.
¶Detinere rem alienam inuito domino peccatum est furti.418.a.
Detinere rem alienam nullam addit malitiam suprà accipere, sed est continuatio peccati.ibid.
¶Detractio quid sit.485.a.
Detractio respectu famæ, non respectu veritatis dicitur.ibid.b.
Detractio genere suo est peccatum mortale.486.a.
Detractio per accidens quæ sit.ibid.b.
Detractio per accidens quando virtus, quãdòue peccatum sit.ibid.
Detractionis vitium quomodò vniuersis cõmune sit.490.a.
Detractio secundũ genus suum grauius peccatum est quàm furtum: leuius homicidio & adulterio.491.a.
Detractio in individuo leuius peccatũ esse potest quàm furtũ & grauius homicidio. ibidem.b.
Detractionis proprium obiectum, est ratio inuoluntarij.ibidem.
Detractione peior est contumelia.492.b.
Detractio est inuidiæ filia.ibidem.
Ad detractionem alium inducens, aut qui propter odiũ illa delectatur, grauiùs peccare potest quàm detrahens.493.a.
Detractor quis dicatur propriè.486.b.
Detractores quare homicidæ peculiariter dicantur.492.a.b.
Detractor quæ verè sunt mala culpa dissemi nat.495.a.
¶Detrahenti alijs non resistens quando peccet quandòue excusetur.493.b.

Detrahenti dum vera dicit non est contradi cendum sed reprimendum est illi verbū. 494.a.
¶Deum velle aliquid extra se stat dupliciter.117.b.
Deus qua ratione dicatur iurare.713.a.
Deus nō potest iurare per alium à se. ibid.b.
Deus tribus modis in rebus existit.115.b.
Deus aliqua necessario vult.ibidem.
Dei legislatoris & humani discrimen. 118.a.
Deus duas habet potestates in vniuersum orbem ibidem.b.
Deus legitima iudicis authoritate vsus est vasa Aegyptiorum Iudeis tradendo.119.a.
Deus forsan conciliauit animos Oseæ & mulieris fornicariæ vt in matrimonium consentirent.ibidem.
Deus iubens Abrahæ filium immolare neutiquàm in homicidio dispensauit. ibid.b.
Deus nō solùm vt dominus sed vt iudex potest innocentem à culpa actuali occidere. ibidem.
Deus solus gratiā confert quam non adimit; sed homo ipse per propria scelera.53.b.
Deus potest occultè rem alienā alteri donare non tamen princeps nisi dicta causa & lata sententia.422.a.
Deus solus est dominus vitæ.292.b.
Deus cum absolutus sit dominus vitæ, nunquàm tamen hac vsus est potestate, aut in vitam aut in bona reliqua.ibid.
Deus nemini relaxat pœnam præterquā in sacramento nisi secundùm opera & fructus pœnitentiæ 443.a.
Deo primùm ac propriè per excellentiā cōpetit maledicere per modum causæ effectricis.500.a.
Deū benedicere ac maledicere quid sit.ibid.
¶Diaboli appellatio qui illum cui maledicitur importet vix à peccato mortali excusari potest.ibid.b.
¶Diaconis ac subdiaconis olim concessum erat post susceptum ordinem nuptias celebrare.702.a.
Diaconatus olim non habebatur vt ordo sacer.819.a.
¶In die festo quæ sint licita sex modis venari possumus.145.a.
Dies festus quomodo spirituales actiōes permittat.ibidem.b.
In die festo opera corporalia quæ fiunt, licet fiant pro mercede, festū non violāt. 147.a.
In festo quomodo licet segetes metere & texere & mulionibus & alijs iter agere. ibidem.b.
Dies festus ad audiendum sacrum (quod Missam dicunt) obligat. Multi tamen ex varijs causis ab auditione excusantur. ibidem.
¶Difamans aliquem de vero crimine contra iuris ordinem necessarium qualiter & ad quam teneatur restitutionem.341.b.
¶Differentia inter potestatem ecclesiasticā, & ciuilem quo ad vinculum vtriusque.53. b.&.54.a.
¶Dignioris non est habenda ratio quando qui sacerdotium instituit vt certis personis obueniat.258.a.
Dignum se esse ad præsulatum præsumere debet nemo, ni diuinitùs fuerit attactus.875.a.
¶Dilectionis ad inuicem debitum nunquā cessat.332.a.
Dilectio proximi nobis notior est ad sensum quàm Dei. Hæc autem illius ratio & causa est.112.b.
¶Diligendus est à nobis Deus plus quā nos ipsi.217.a.
¶Dispensatio quid sit.79.a.&.b.
Dispensandi munus tametsi plenariè penes solum legislatorem sit interdum tamen inferioribus competit.ibidem.b.
Dispensationis legitimæ causæ.80.a.
¶Difficultas ex natura rei promissę orta idonea potest esse dispensandi causa: secùs si ex habitu prauo vouentis proficiscatur. ibidem.b.
Dispensatio citra causam in his quæ sunt iuris diuini nulla est: secùs in his quæ sunt positiui. ibidem.
Dispensatio voti purè conditionalis, si sit religionis, ad summum Pontificem spectat. 639.a.
Dispensatio voti pœnalis ad episcopum potest pertinere. ibid.
Dispensat Papa cum emptore cum ei vendit beneficium eo ipso quod ipse vendit, & efficitur emptor verus possessor.857.b.
¶Dissensio populi seminarium est hæresum. 890.b.
Distribui non potest semper ciuibus secundùm æqualitatem meriti.244.a.
¶Distributiua iustitia in actione qua homines in suam gratiam primum recipit, nullum locum habet. Secùs in meritis condigni.251.a.
Distributio fiet à Christo diuinorum bonorum in die iudicij, non solùm secundum propor-

proportionem geometricam, verùm & secundùm Arithmeticam.244.a.
¶Diuisio aliqua dominoirum iure naturali facta fuit.297.b.
Diuisionem primam rerum quis fecerit. 298.a.
Diuisionem rerum negare hæreticum est. 297.b.
Diuisio prima rerum externarum facta fuit iure gentium licèt posteà ciuili iure plures accesserint.ibid.
Diuisoriæ sortes licitæ sunt.314.b.
¶Dominium incepit ab orbe cõdito. 297.b.
Dominium non est tam vsu frequens quàm dominatus ac doninatio.278.b.
Dominium fundatur in libertate.280.b.
Dominium non trãsfertur in necessitate extrema.283.a.
Dominium quarũ rerum habeat Deus, quarum Angelus, quarum homo.284.a.b.
Dominium quadruplex,naturale,diuinum, iurisgentium & iuris ciuilis.286.a.
Dominium & ius in regnum, quod habuit Dauid diuinum positiuum erat.ibidem.b.
Dominium est habitudo inter possidentem & possessum.280.b.
Dominij legitima definitio & explicatio. ibidem.a.&.279.a.
Dominium, vsus, & vsusfructus quo pacto differant.281.a.
Dominium habere rerum solis vigentibus intellectu & libero arbitrio conuenit.284.
Dominiorum innumera genera statuentes exploduntur.286.a.
Dominio multiplici abundat homo etiam iure humano.287.a.
Dominium differt ab eius titulo.28.b.
Dominij,ac iuris nomen,pro eodem vsurpari non debent.279.a.
Dominij ac iuris, nihilo plus habet in rem alienam existens in gratia,quàm in peccato.287.b.
Dominium an transferatur per actum interiorem.309.b.
Dominium duobus tantùm modis trãsfert. ibid.&.308.b.
Dominiorum diuisio necessaria fuit in statu naturæ lapsæ.296.a.
Dominium habet homo naturale, non solùm in omnes terræ fructus verùm etiam quodam pacto in elementa cœlestesque orbes.286.b.
Dominiorum translatio omni iure fieri potest.299.a.
Dominij translationis,definitio.308.b.
Dominij aliena,definitio exploditur. 279.a.
Dominij,correlatiuum seruitus.ibid.b.
Dominus est homo honoris & famæ.293.a.
Domini quibus Rex opida cum nemoribus largitur quas possint condere sanctiones circa nemora.352.b.
Dominium an acquirat vsurarius in ea quæ per vsuram corrasit.526.b.&.527.a.
¶Donatio facta absenti non obligat antequàm alter acceptet,ideoque reuocari potest sine iusta causa.246.b.
Donatio ẽ fiat absenti solenniter & coram testibus,obliget necne,standum est iuri ciuili.ibidem.
¶Dubitare de bonitate alterius vbi coniecturæ ad prauum iudicium inclinant laude dignum est.233.a.
Dubitare de bonitate alterius ex leuitate cõiecturarum culpa est.ibid.
Dubitare de bonitate alteri9 citra assensum, aliquando morrale est.ibid.
¶Duellum illicitum.

E



Clesia non tenetur de suis possessionibus reddere decimas. 812.b.
Ecclesia aliquid potest facere spirituale qđ priùs nõ erat: quod ideo si vendiderit plus, ratione consecrationis quàm valet, contra ius est diuinum & naturale. 818.b. &.819.a.
Ecclesia non perinde habet modò potestatẽ faciendi miracula ac in Apostolis extitit. ibidem.
Ecclesia potest omnes dies festos quos ipsa stabiliuit tollere vel mutare,aut saltem factum teneret quod tamen. s.non permittet.144.a.
Ecclesia quare olim multis fuerit temporalium dotibus à principib9 ditata. 928.a.b.
Ecclesiæ licèt immobiles possessiones, nullo excepto genere habere.929.b.
Ecclesiæ bona optimo iure ei concessa sunt, & qui contradiceret malè audiret de fide.930.o.
Ecclesiæ conducens non est vt casus omnes de quibus dimicatur sintne vsurarij, eius

authoritate definiantur.540.b.
Ecclesiastica bona non mirum si ob nimiã temporum calamitatem quandoq; àregi bus exigantur.ibidem.
Ecclesiasticis consentaneum fuit castra vassallosq; habere in possessionẽ sicut alias dotes.928.a.
¶Eleazarus tanquàm vir fortis absque vlla reuelatione diuina elephãtem impetiuit. 120.a.
¶Eleemosynam conferre in pretium oratio nis simoniacum est: non tamen si den tur in sustentationem pauperum.830. b.
Eleemosynam qui extorquet simulata pauпertate non tenetur ad restitutionem. 845.a.
Eleemosynam pro vna Missa offerendam ta xare vt sacerdotes sub anathematis censu ra inhibeantur nè minorẽ recipiant, execrabile est.826.b.
Eleemosynarum modus puta quòd fiant in præsentes pauperes, Deo gratissimus. 926.b.
Eleemosynas petere in honorem sanctorum & eas porrigere licet.776.
¶Eligere digniorem in foro conscientiæ & poli præceptum est.254.b.
Elegit Christus non alium qui suus sibi vica rius succederet,quàm omnium tunc temporis Apostolorum optimum.255.b.
Eligere dignum prætermisso digniore mortale non est,etiam in rebus maioribus quando excessus meritorum non est tantus vt videatur ad rem multum pertinere. 256.b.
¶Electi sunt à Christo domino homines literarum rudes ad euangelicam functionẽ duplici de causa.260.a.
Electio vt canonica sit solidaq; ac valida habenda secundùm exterum ius fori, satis est eligere dignum.254.b.
Electionem, dum non est aliud medium licet pretio ab indigno remouere & ad dignum inflectere.827.b.
Electionis spiritualis beneficij, antequàm fiat, non licet obstacula pecunia propellere ; tamen electione facta licet iniusta impedimẽta per pecuniam remouere.ibidem.a.
Electionem perimere Papa,vel inferior in fauorem dignioris non potest, si electus ille sit quem iura non repellunt.254.b.
¶Elector ex debito officij tenetur explorare ac ponderare merita eligendorum & meliorem ecclesiæ tribuere.881.a.
Electores non debent suo calculo indigno suffragari.257.b.
Electores licitè possunt prętermittere dignissimum qui eligi non potest, vt dignior eligatur.ibidem.
Electores episcopi an teneantur meliorẽ eligere?880.b.
Electores episcopi quid ex officio suo explorare debeant.881.a.
¶Emere an liceat minoris quàm ipsa in se sunt,vtique licet si sunt in periculo. 566.a.
Emere merces, vt lanas anticipata solutione vilius quàm in præsenti foro vęneunt licitum est: si tamen coniectura est tempore quo tradendæ sunt plùs minùsve valituras etiam si pretio à principio taxentur. 563.a.
¶Emptio & venditio sunt contractus reipublicæ maximè necessarij.543.a.
Emptio & venditio vnus reputatur contractus.ibid.b.
Emptio est rei pro pretio contractio. ibi.b.
Emptio ab emphyteusi & locatione differt. ibidem.
In emptione & venditione pretia rerum nõ secundùm earum naturã æstimanda sunt sed quatenùs in vsus veniunt humanos. 546.b.vide,pretium.
In emptione & venditione fraude vti & dolo hoc est pluris vendere vel minoris emere peccatum est ex genere mortale. 550.a.
Emptionis quidam pessimus contractus & vsitatus.564.b.
¶Emptor qui substantiam rei, vel quantitatem,vel qualitatem agnoscit, venditori nescienti tenetur veritatem manifestare. 554.b.
Emptor agnoscens thesaurũ esse in agro absconditũ an iustè emat agrũ à vẽditore nesciente absq; mysterij reuelatione. 557.a.
Emptor personales census etiam super nudam personam constitutos emendo iniquitatem non committit.568.a.
¶Epiceia quid sit.79.a.
Epiceia ad solum principẽ spectat:nisi quando difficilis ad eũ esset aditus,aut instaret periculum apertum & subitum.72.a.
Epiceia vt differat à dispensatione.79.a.
¶Episcopus in ieiunijs dispensare potest in diem aut breue tempus non tamen per totam vitam.80.a.
Eps idem q; superintendens. 858.b. 859.a. & episcopalis dignitatis necessitas. ibidem.

Episcopus non solùm ad sacerdotum mores debet attendere, sed ad reliquum gregem ibidem.
Episcopus iurisdictionibus sacerdotũ superior est non tamen in corporis & sanguinis consecratione.860.a.
Episcoporum sacerdotumq; diuersitas vnde sumatur.ibidem.
Episcopum reliquis sacerdotibus dignitate præstare bifariàm intelligi potest.861.a.
Eps die Dominica consecratur.862.b.
Episcopale munus tria includit consideranda.ibidem.
Episcopus depositus si iterum in suum ordinem restauretur non opùs habet denuò consecrari.863.a.
Episcopus reali differentia discernitur à præsbytero licet Hiero.contrarium videatur asserere. 864.a.
Episcopales dignitates non sunt specie diuersæ.866.b.
Episcopus solum ex commissione habet ordinare episcopos.867.a.
Episcopalis potestas natura sua semper fuit dignitas sacerdotali sublimior.861.b.
Episcopalis dignitas perfectionem adhibet sacerdotio quæ tamen perfectio sacerdotio accidentaria est.863.a.
Episcopalis dignitas institutio prorsus diuina est.868.a.
Episcopalis dignitas electæ personę,nisi fiat claue contra iura errante semper iure diuino confertur.871.a.
Episcopalis dignitas non nisi propter officium instituta est: ad quam veritatem designandam,semper in sacra pagina dignitas officij nomine,designatur. 887.a.
Episcopatu indignus est, existens in peccato mortali.878.b.
Epatum desiderare quo casu liceat 873.a.b.
Episcopatũ desiderare, quod Paul.ait, quomodò intelligatur.875.b.
Episcopatum iniunctum, licitum sit recusare necne.877.a.
Episcopatum acceptans cum animo perseuerãdi in peccato mortali, mortaliter peccat.878.
Episcopatum non acceptans quia sic est affectuum peste corruptus vt conscientiæ suæ turbulentiam pacare nequeat non peccat.879.a.
Episcopatum desiderare vt ait Paulus quomodò intelligatur.887.b.
Episcopatum & beneficiorum mutationes maximè cauendæ sunt, aliquando tamen expediens est vt vnus episcopus ad aliam sedem commigret.257.b.
Episcopatus non est ordo qui septem sacramentis connumeretur.862.a.b.
Episcopatus appetitus si ad salutem animarum non referatur genere suo peccatum est mortale.875.a.
Episcopatus,nomen operis est non honoris ac proinde non episcopatus honor,sed opus amandum est. 875.b.
Episcopi verum habent eorum dominium quæ iure sæculari possident.912.b.
Episcopi & reliqui clerici sunt verè domini fructuum ecclesiasticarum possessionum. 916.b.
Sunt itidem domini decimarum portionis quam post factam diuisionem illis obtingit.918.b.
Episcopi arctiùs perstringũtur præcepto eleemosinæ quàm sæculares.923.a.
Episcopi debent ea quæ ad sua patrimonia spectant scribere vt eis liceat suis agnatis relinquere.ibidem.
Episcopi vbi nimis sunt pauperes in nullo habentur pretio.929.b.
Epi munus idẽ quod pastoris est hanc enim metaphorã Christus toto euangelio cõsultissimè obseruauit.858.b.859.a.
Episcopi dignitas ac sanctimonia quanta debeat esse.866. a.
Episcopi representant Christum vt caput erat ecclesiæ aliorum ordinum magistri singuli suo modo.860.b.
Episcopi ac sacerdotis differentia explicatur.861.b.
Episcopi functio est præparare ministros. 863.a.
Episcopi soli successerunt loco Apostolorũ. 865.b.
Episcopi præpollent sacerdotibus altiori dignitatis genere.867.a.
Episcopi secundũ propriã nominis notionẽ pastores dicuntur non abusiuè.sicut gregum domini pastores appellantur.888.b.
Episcopi non solùm publicatione, verùm etiam priuatis exortationib⁹ instruere debent plebem suam.890.b.
Episcopi vt anima in corpore:vicarij autem eorum vt membra.893.b.
Episcopi quædã sunt munera quæ iugẽ residentiam requirunt:alia non ita.894.b.
Episcopi absentia quæ mala parturiat. 896.b.

Epi'q absunt gregi instar meretricũ. 897.a.
Episcopi licet statum profiteatur perfectionis non tamen vt monachi:ita vt absq; p- prio viuere obligentur.910.a.
Episcopi verum habent dominium eorum quæ iure seculari possident.85.a.
Episcopi & si peccare possunt sicut alij seculares in dispensatione bonorum suorum: nemini tamen tenentur ad restitutionem ea non distribuendo, nec de bonis ecclesiasticis pro sua portione sibi contingentibus,sed expressius.925.a.
Episcopi bonorum ecclesiasticorum sunt dispensatores quæ & quomodo habent distribuere.ibidem.& 913.a.
Episcopi habeant ne verum dominium fructuum ecclesiasticorum variæ sunt opiniones.814.a.b.ad quod respondetur.916. 918.b.
Episcopo conueniebat bonorum ecclesiasticorum dispensatio quando clerici viuebant in communi.915. b.
Episcopo dum consecratur quanuis nõ imprimat sacramentalis character nihilominus adhibetur sacerdotalis habilitas ei indelebilis.863.a.
Episcopo peculiares sunt & proprię functiones vniuersæ quæ ad perfecti pastoris officium pertinent.864.b.
Episcoporum status longè altior est quàm monachorum.862.a.&.865.b.
Episcoporũ electio atq; ad sua munera exercenda obligatio est de iure diuino : quod bifariam intelligi potest.869.a.b.
Eporum vita sine macula esse debet. 865. a.
Episcoporum,cura episcopali deserta, ad religionem se conferre sit ne licitũ.883. a.b.
Episcopus in suis legibus eadem pollet authoritate qua. summus Pontifex in eas quas ipse condidit.80.b.
Episcopus non facit peculiare votum castitatis præter id quod sacerdotio adiunctũ est.910.b.
Episcopus cui scientiæ incumbere debeat Theologiæ an iuri canonico. 882.a.
Episcopus quibus de causis possit cedere Episcopatui licitè 884.b.
Episcopus propter ecclesiam institutus est, non vice versa.886. b.
Episcopus religiosus testamentum condere non potest absq; facultate Papæ.966. b.
Episcopus medicus est cuius industria vti in medico corporali expetitur.896.a.
Episcopus quibus de causis licitè gregi suo possit abesse.900.b.&.901.&.902.
Episcopus tenetur propriæ vitæ discrimen subire ingruente gregis necessitate. 901.a.
Epus religiosus quomodo ad obseruantias regulares teneat vide religiosus episcop.
Esus carnium,fuit in vsu hominibus ante diluuium.383.a.b.
¶ Euangelium Christi facultatẽ relinquit ecclesiæ addendi sanctiones nouas,qua tẽpe ratissime vti debẽt antistites.181.b.182.a.
Euangelium dupliciter intelligitur diuulgari.178.a.
¶Excluſus à religione tenetur sese corrigere,& quantùm in se est eniti, vt iterum admittatur. 638.b.
Excluſus à religione voto castitatis duntaxat manet ligatus.ibidem.
Excluſus à religione fortè tenetur aliam religionem adire si votum religionis in cõmuni admiserat,ibidem.
¶Excõmunicare propter furtũ non censendus est pater vxorem & filios.418.a.
Excommunicare propria authoritate,solius est episcopalis muneris:866.b.
Excõmunicatio quare ligat ipso facto absq; præuia causæ cognitione.64.a.
Excõicatio oĩs simoniaci Papæ reseruatur iure nouo.856.a.
¶ Exempla sanctorum quid doceãt nos in euitandis præsulatibus .876.b.
¶Exilium morti confertur.415.b.
¶Expositio c.quidam maligni. 5.q.1. 455.a.
Expositio optima.c.quoniam.31.8.769.a.
Expositio.c.mandato.de simonia. 753.b.
Extrauagantes Martini & Calixti personales census etiã super nudas personas cõstitutos nõ damnant.569.b.vide census.
Exorcismi nõ tam crebrò hodie sperãdi sunt effect, q̃ adolescentis ecclesiæ.768.b.
Exorciste qui cũ nubibus locustis,brucis, & cæteris bestiolis pugnãt, sunt poti impostores& incãtatores quã exorciste.771.b.

De litera F.

Fabula de lupis petentibus canes ab ouibus.399.b.
Facultas vnde dicatur.280.a.
Falsitatis tres gradus.747.a.
Fama læsa non est necessaria restituenda,nisi quando iniustè auferatur. 340.a.
Famæ & honoris restitutio optimè potest fieri pecunia.344. a.

Famæ restitutio vt obliget oportet necessariò fuerit ablata vel obscurata. 340.a.
Famæ alienæ restitutio obligat, etiam cum famiæ propriæ detrimento.342.b.
Famæ restitutio postulat vt læsor faciat plenam fidem coram quibus læsit.348.a.
Fama læditur iniustè quando verum crimen detegitur contra iuris necessarium ordinem.341.a.
Famæ restitutio vt obliget requiritur quòd fuerit ablata per iniustitiam.340.b.
Fama & honor differunt.479. a.b.
Fama quid sit.479.a.b.
Fama sine honore esse potest & ediuersò. 479.b
Famæ splẽdor quot modis minuatur. 485.b
Famam suam obscurans præter charitatem, non contra iustitiam facit.489.b.
Fama non protenditur latiùs quam amicitia ibidem.
Famæ læsionem illatam potest quisquis priuatus remittere.483.b.
¶ Famuli ab heris furtim accipere quicquã non possunt præter sua stipendia, causantes se minutissima accipere stipendia. 422.b.
Famuli fœneratorũ an ad restitutionem teneantur.553.a.
¶ Feras custodientes de damno dato in integrum tenẽtur.353. b. & de illis qui illas occidunt ibi, & in subsequentibus.
¶ Festos dies fieri hos vel illos ceremoniale est, in quod subinde ecclesia ius habet. 344.a.vide,dies festus.
¶ Fideiussio contractus non est.143.a.
¶ Fides est credere quod non vides, quomodò intelligatur.201.a.
Fides non solùm desuper naturalibus articulis nos erudit,verùm & de alijs quos natura docet.99.a.104.a.
Fidei præceptum non est intra decalogum, sed eius præambulum.109.a.
¶ Filij quomodò debeant à parentibus corripi.vide,Pater.
Filius quando clàm accipit rem aliquam à parentibus,si non sit tanti pretij nõ committit furtum , neq; excommunicatione comprehenditur.417.b.
Filiorum libertas prædicata à Christo quandonam sit.303.
Filijfamilias lucrans amplius quàm ludere poterat an teneatur ad restitutionẽ.778.a
Finis legis non cadit sub præcepto. 123.a.
¶ Fœnerator quod sua industria pecunia vsuraria acquisiuit,restituere non tenetur. 526.a.
Fœnerator restituere tenetur cum fructibus & damnis fructuum vel domum per vsuram extortam,526.a.vide,vsura.
¶ Fornicatio iure naturę prohibita est & oppositum asserere est error hæresi proximus.420.b.
Fornicatio grauius delictum est,quàm furtum.ibidem.
Fornicatio in indiuiduo potest esse leuius delictum furto.421.b.
Fornicatio ex natura sua nocet vitæ prolis futuræ.420.b.421.a.
Fornicatio & contra temperantiam est & cõtra iustitiam.421.b.
Fornicatio quare constituatur principaliter in specie intemperantiæ.421.a.b.
Fornicatio nõ ideo leuior est furto q nõ de illa tantũ pudefiunt homines.421.b.
¶ Fortitudo præstãtior est tẽperãtia. 218.a.
Fortitudo non est necessaria nisi ad iustitiæ præsidium.219.b.
¶ Fratres mendicantes non sunt domini rerum quas possident.ibidem.
¶ Fraterna correctio habet p fine particulari emendationem fratris.322.a.
¶ Fraude aut vi qui alterum in crimen coniecit tenetur docere veritatem & liberum permittere.334.b.
¶ Furtum quid.417.a.b.b.
Furti ethimologia.ibidem.a.
Furti definitiones iurisprudentium excluduntur.ibidem.b.
Furtum & rapina specie differunt.ibidem.& 419.a.b.
Furti diuisio in fraudulentam acceptionem & rapinam inepta.417.b.
Furtũ est species iniuriosæ acceptiõis. 419.
Furtum in quatuor species diuiditur,scilicet, sacrilegium,peculatus, plagium , abigeatus.ibidem.
Furtum est detinere rem alienam inuito domino.418.a.
Furtum est accipere rem propriam occultè quæ penes aliũ est siue sit raptor siue depositum custodiens.418.b.
Furtum ex genere suo peccatũ mortale est. 420.a.tametsi minimum peccatorum cõtra Decalogum.422.a.
Furtum non complectitur sub se rapinã:sed est species illi opposita.417. b.
Ad furti rationem tria requiruntur.ibidẽ.
Furtum non committit qui bona propria recuperat

recuperat ab iniquo possessore si via iuris habere ea non potest.422. b.
Furtum leuius peccatum quàm fornicatio. 420.& leuius quam rapina.432.a.
Furtum in diuiduo potest esse fornicatione scelestius,quin verò grauius quam adulterium vel homicidium.421.b.
Furti rationem non habet, spoliare quempiã priuatim & occultè, authoritate principis,dicta causa,lataq; sententia condẽnationis.422.a.
Furtim surripere à suis heris,quãdo liceat famulis quoruncunq; dominorum & quãdo non.422.b.
Furtim sua recuperare quomodo liceat, etiã aliquando sit licitum palam personæ priuatæ. ibidem.
In furto aliqua pecuniæ quantitas tanta est, quæ per se absque vllo personæ respectu, causa est peccati mortalis vt duo, tres vè aurei ducati.425.
Furti grauitas augetur etiam si parum sit quod ablatum est dum causa est maioris damni.426.b.
Qui furatur minima ab homine pusilli animi,qui in minimis maximè offenditur, si habet animum ei nocendi per illa minima,charitatem violat & peccat mortaliter.ibidem.
Furari à diuersis exigua tunc incipit esse peccatũ mortale quando quantitas accepta per se est magna absque vllo personarum respectu.ibidem.
Furum scelera,iure naturę,respublica potest prout viderit salubrius expedire, punire ibidem.
Furtum, permanens sub ratione furti, fieri licitè non potest dispensatione diuina. 119.b.
Pro furto secundũ Euãgelio, etiã secundum ius commune vita non exigitur.427.a.
Fures olim in Hispania non occidebantur, sed sacrilegi qui sacra deprædabantur. ibidem.
Quod fures modo vltimò suplicio afficiantur,Baldus in causa fuit,ob idq; ab authore reprehenditur.ibidem.
Fur gaudere debet priuilegio, si se in sacrum recipiat.ibidem.
Furari bona aliena vel eripere etiã ab illo qui bonis affluit,nemo potest citra extremã necessitatem.ibidem.

De litera G.

Galileos cæteris mortalibus prætulit Christus in Euangelica functione propter mysteriũ. 260.a.
¶ Gener fructus pignoris pro dote traditi in sortem non computando iniustitiam minimè committit.520.b.
¶ Genus in peccatis quæ in facto consistũt ex solo obiecto perpenditur. 481.b.
Genus in peccatis quæ in verbis posita sunt ex obiecto adiuncto simul intẽtione, perpendendum est.ibidem.
Gentilibus solenne erat iurare per Iouem lapidem.752.b.
Gratiã amittere non licet pro salute mundi spirituali..397.a.
Gratiam licet exponere periculo aliqñ.ibid.
¶ Gradus præceptionum & prohibitionum humanarum.47.a.
¶ Grauitas delictorum ex obiecto primo pensanda est.400.b.

De litera H.

Habens rem alienã apud se iniustè, tenetur de damno emergente & lucro cessante.368.b.
¶ Habitus principiorũ naturaliũ non distingũtur à potẽtijs quibus insunt.30.a.
¶ Hæredes vendẽtis censum perpetuum illo mortuo ad quid teneantur.371. a. vide census.
Hæredes vsurarij ad quid teneantur.529.b.
Hæredes quibus debeat restitutio occisi qui censeantur.339. b.
Hæredes triplices sunt. 362.a.
Hæres personam veri domini defuncti gerit. 357.a.
¶ Hæreses quibus damnis aut fracturis solent intumescere.890.a.
Hæresibus nouis abortis temporum curriculo ecclesia magis ac magis illuminatur. ibidem.
Hæresis stultissima est post euangelium regni cœlorum aliud præstolari.178.a.
¶ Hæreticus verè dominus vsq; ad condẽnationem: tametsi legis vigore impediatur bona alienare.65.b.
Hæreticus quis ab articulo patrati criminis dominiũ perderet, possessionẽ tamẽ tuto retinet legis authoritate,quæ cõfiscationẽ prohibet

prohibet ante ſententiam.65.b.
Hæreticus ante condemnationem vtcunq; punitur cũ bonorũ diſtractio ſit illi inhibita.65.b.
Hæreticus iuxta iuris normam requiſitus ſi iniquè veritatem inficietur, fit reus pœnę hæreticis decretæ.66.a.
Hæretici condemnatio retrò agitur vſq; ad articulum quo omni ignorantia nudatus ſtudio hæreſim aſſeruit.64.b.
Hæretici aliqui negarunt miſsionem ſpiritus ſancti quam Chriſtus pollicitus eſt, completam fuiſſe in die Pentecoſtes.177.b.
¶ Hiſtoriographis quatenus liceat aliorum geſta hominum memoriæ tradere.488.a.
¶ Hypocrita irriſor Dei interpretatiuè habetur.499.a.
¶ Homo vti perfectionę ſuſcepta optimum eſt cunctorum animalium: ita ſi alienus fiat à lege, omnium eſt peſsimum: ſeuiſsima enim eſt iniuſtitia quæ tenet arma: quæ homini per innatam prudentiam cõtingunt.38.b.
Homo in practicis æterna Dei lege bifariam illuminatur.39.a.
Homo beneficio protegendi vitam propriã priuari nequit, ac proinde neq; damnari, vt necem ſibi inferat aliamue læſionem corporalem: niſi eſſet earũ quæ homines religionis ac pœnitentiæ gratia ſumere ſolent.66.b.
Homo qua de cauſa non tantum verum bonum, ſed ſpeciem boni expetat: cum id in cæteris rebus ſecus euenire cõpertum ſit.31.b.
Homo peccato pollutus non eſt dignus pane quo veſcitur per modũ meriti.288.a.
Homo non eſt dominus ſuę vitæ ſed cuſtos.291.a.
Homo priuatus aut reſpublica aut princeps non ſunt domini abſolutę vitę ſubditorũ.292.b.
Hominũ tres ordines ſecundũ Socratẽ.297.
Hominum quiſq; ius habet naturale dominãdi & quomodolibet alienandi res quarum legitime eſt dominus.308.b.
Homo dominus eſt ſuæ famæ.345.a.
Hominem ad ſuper naturalem felicitatem crearii ineffabile beneficium eſt: licet eam ſuo marte pertingere nequeat.84.a.
Hominum tres ſunt ordines quantũ ad temporalium cupiditatem diſtincti.101.b.
Homo hilari animo tenetur legem adimplere diuinam, humanam vero & cum triſtitia adimplere poteſt.123.a.
Hominem occidere non eſt intrinſece malum.388.a.
Hominem qui occiderit aliud agens ſi non debitã adhibuerit diligentiam ſiue dans operam rei licitæ ſiue illicitę à reatu homicidij non eſt immunis.406.b.
Hominem qui occiderit aliud agens ſi debitam adhibuerit diligentiã ne homicidiũ ſequeretur ſiue daret operam rei licitæ ſiue iniuſtę non eſt reus homicidij.ibidem.
Homo improbus fera beſtia peior.388.a.
¶ Homicidium grauiſsimum peccatum eſt inter vniuerſa quæ homines aduerſum ſe inuicem committunt.491.a.
Homicidium dicit rem malam intrinſece.387.b.
Homicidium quod prohibetur habet rationem indebiti.ibidem.
Homicidium ſimpliciter cauſale qui committit non eſt reus homicidij.406.b.
Homicidium vt imputetur cauſale tres conditiones requiruntur.407.a.
Homicidiũ ſi non ſequatur ex actione mea non imputatur mihi.ibidem.
Homicidium quod de per accidens voluntarium eſt quale peccatum ſit expendendũ eſt cauſa.ibidem.
Homicidij pœna vide irregularitas.
Homicidium, quando ſubſequatur ex actione mea iudicio medicorum ſtandum eſt.407.b.
¶ Honor quid ſit.479.a.
Honor dupliciter alicui tollitur.479.b.
Honor ille ſolus verus eſt qui virtuti debetur.ibidem.
Honorem fugientes circunſpecti eſſe debẽt.879.b.
Hqnor ſatis ne reſtituatur petendo veniam, diſſeritur.346.a.
Honorẽ acquirendi pulcher modus.294.b.
Honoris & famę differẽtia conſtituit.346.a.
¶ Horas canonicas ſtatis temporibus & locis clericos recitare quam fuerit neceſſariũ populo Chriſtiano, quibuſque hoc munus conueniat.933.b.937.a.b.
Horas aliquas ſoluere inculpãbile Dei & ius naturale & diuinum ac ſubinde ius humanum nos docet.935.a.
Horas canonicas eſſe in numero ſeptenario & antiquiſsima eccleſiæ inſtitutio eſt, & ei quam decentiſsimum.936.b.
Horas canonicas nocturnas damnant vnicleffiſtæ:

cleffiſtæ:eò quod Deus noctem nobis ad quietem indulſerit. 937.a.
Horæ canonicæ canebantur in eccleſia primitiua per certas noctis vigilias cuius ratio aſsignatur.ibidem.
Horarum quæ die recitantur numerus & ratio ex vtraq; ſacra pagina ſumitur. 948. a &.942. b.
Horæ diuinæ quibus horis ſingulæ recitandæ ſint.938.b. &.939. a.
Horæ canonicæ trina de cauſa ſunt in ſeptenario numero.ibidem.
Horæ canonicæ optima non minus quàm vetuſta conſtitutione per cantus eccleſiaſticos,ſolenniter celebrantur. 946. b.
Horarum reſponſoria vnde fuerint inſtituta.942.b.
Horarum canonicarum antiphonæ compoſitæ ſunt à Græcis imò & per Angelos cœlo delatæ. ibidem. b.
Horarum canonicarum hymni vnde ortum habuerint.ibidem.b.
Horis canonicis laudibusq; diuinis nõ ſunt immiſcenda profana,quæ vt in die Natalis domini cantari ſolent.943.a.b.
Horas canonicas ſoluere ex duplici capite homines tenentur.944.
Horas canonicas ſoluere qui teneant.944.b &. 945..a.b.
Horas canonicas non recitare in communi in aliqua religione prælati negligẽtia peccatum mortale eſt.947.b.
Horas canonicas ſoluere tenẽtur monachi profeſsi choro emancipati ,etiam ſi non ſint in ſacris,& ſanctimoniales.947.b.Nõ autem illi qui non ſunt profeſsi nec laici. 948.a.
Horas canonicas ſoluere partim de iure diuino partim eſt de iure poſitiuo. ibidem.b.
Horæ canonicæ non iiſdem Pſalmis aliisq; ad hoc pertinẽtibus omnibus in eccleſijs: & religionibus,celebrantur : poteſt enim hoc iure Pontificio permutari.949.a.
Horarum canendarũ modus is eſſe debet qui in eccleſia Metropolitana ſeruat atq; in religionibus ſecundùm cuiuſcunq; ſtatuta.ibidem.
Horas canonicas ſoluere ſequendo morem Romanum non ſingulis perſonis abſque pontificis authoritate liberum eſt. ibidẽ.
Horarum canonicarũ nimia prolixitas moleſtiſsima eſt,ſicut breue nimis earum cõpendium eſſet fugiendum.949.a.b.& hic ponitur conſenſura Breuiarij Romani.
Horæ beatæ virginis recitandæ vim habent præcepti iam ex conſuetudine.950 b. Idẽ eſt de officio mortuorum.
Horas canonicas ſoluens,mentem,non debita opera, dimouendo ab attentione,orandi præceptum non frangit.956.a.
Horas canonicas ſoluens & ſi ob attentionis omiſsionẽ mortaliter peccet,non ideo neceſsitatem incurrit reſtituendi. ibidẽ. b.&.960.a.
Horas canonicas non ſoluere per vnum aut duos dies nõ debet inijcere ſcrupulum reſtitutionis,licet peccatum mortale ſit, & quidem qui relaxationibus cruciatæ bullæ gaudent credendũ eſte eſſe tutos. 961.b
Horarum ſoluendarũ omiſsio ſi vltra duos dies procedat, tunc compoſitio cum ſummo Pontifice locum haberet,imò & cum epiſcopo ſtando in iure diuino. ibidem.
Horæ canonicæ quæ in communi recitãtur, ſtatis per eccleſiam temporibus perſoluẽdæ ſunt,aliàs culpa mortalis eſt, At priuatim tempora mutare & ordinem non eſt mortale.951.a.
Horarum ordinem non eſſe in præcepto duobus temperamentis intelligendum eſt.ibidem.
Horæ quæ in communi ſoluuntur in eccleſia ſunt de præcepto celebrandæ, priuatim verò vbiq; dici poſſunt.952.a.
Horæ quæ priuatim ſoluuntur loco decenti & honeſto dicendæ ſunt.ibidem.b.
Horæ canonicæ dum ſoluuntur qualẽ quãtamq; exigant attentionem.653.a.b.

De litera I.

Iacob vouit Deo, quod futuri ſibi erat in Deum,628.a.
Iacob emens primo genituram ab Eſau non peccauit.837.b.
¶ Ieiunium frangens ex gula non ſolum contra obedientiam, ſed & contra abſtinentiam peccat contra Duram.820.a.
¶ Iepte in vouendo ſtultus & impius in reddendo.628.a.
¶ Imperator aut princeps vllus non eſt propriatarius dominus.301.b.
Imperator quo pacto ſit ſuperior Chriſtianis regibus.305.a.
Imperatorem, arbitrantes mũdi dominum, vnde

vnde id ſibi perſuaſerunt oſtenditur.305.a
Imperatoris electio pontificia authoritate à Græcis ad Germanos tranſlata eſt.306.a.
Imperare vt alij malum fiat, optareque aut imprecari malum, quatenus malum illi eſt peccatum eſt genere ſuo mortale. 500.a.
Imperare optare aut imprecari malum vt rationem induit boni, licitũ eſt & quandoq; neceſſarium officium, quod bifariam contingit.ibidem.
Imperans vt malum fiat ficte quantum peccet.500.b.&.501.a.
Imperatoria mageſtas non fulget totius orbis dominio.303.b.
¶ Imperium aut imprecatio mali bifariam poteſt rationem boni induere.500.a.
Imponens ſibi ipſi falſum crimẽ quomodo peccet.489.a.&.490.a.
Imperium actus eſt intellectualis non voluntatis vt planiſsimè Ariſtoteles docuit. 8.a.b.
Imperium neq; eſt propoſitio apprehenſiua neq; iudicatiua, ſed iudicium quod electionem ſubſequitur.9.b.
¶ Impediens aliquem à beneficio vt digniori vel æquè digno detur citra vim & fraudem, non tenetur ad reſtitutionem.348.b.
Imprudentiæ duo gradus.749.a.
Impediens aliquem à cathedræ conſecutione certa vi aut fraude tenetur ad reſtitutionem in toto vel in parte.350.b.
¶ Impignoratio quid ſit.542.b.
¶ Imagines à Chriſtiana religione eſſe relegandas quis prior dicere auſus fuerit, & qui deſtructores, qui earum fuerunt defenſores.136.b.
Imagines quomodo adorandę ſunt.137.a.b.
¶ Infamia non præcedente alicuius perſonæ cum immaniſeſtum eſt crimen diſquiri poſſunt perſonæ in ſex tantùm caſibus 454.a.&.b.
Infamia quænam ſit ſufficiens ad diſquiſitionem criminis prudentium arbitrio æſtimandum eſt.456.a.
Ad infamiam inde denarius numerus authoritatem nactus eſt, quod ſufficiẽt populũ conſtituere.ibidem.
Infamiam legitimam non conflat perditorũ hominum clamor, ſed bonorum opinio. ibidem.
Infamiam per ciuilem iudicem irrogatam Papa abolere non poteſt.449.b.
Infamare ſe ex genere ſuo eſt peccatũ.284.b
Infamatur aliquis iuſtè duobus modis. 241. a.
Ille qui iniuſtè infamatus eſt, & ſi ſuum crimen non confiteatur, non tenetur informatori ad reſtitutionem.342.a.
Infamans aliquem referendo quod audiuit, ad quàm reſtitutionem tenetur. 342. b.
Infamando alterum bifariam quis delinquere poteſt.487.b.
Infamare alium, quando contra charitatem tantùm, quando verò contra charitatem ſimul & iuſtitiam ſit. ibidem.
Infamare, & licèt, & expedit ſycophantus quando ſuis impoſturis reipublicæ perniciem adferunt.488.a.
Infamare nos ipſos an ſit licitum. 488.b. & 489.a.
Infamia eſt mortalis occultum alienũ crimẽ vni, etiam cordati viro, reuelare. 481.a.
Infamia delicti non ſufficit, niſi paucis exceptis caſibus, ad inquirendum reũ quem nulla res pergit infamia. 453. b.
¶ Infideles non tenentur decimas ſoluere. 812. a.b.
Infidelium ordo triplex.430.b,
Infideles Afri, Sarraceni ac Turcæ, de iure Chriſtianis principibus ſubduntur. ibid.
Infideles Afros, & Sarracenos certũ eſt poſſe à nobis ſuis regionibus expoliari: & ſi nemo noſtrorum eorũ bona priuata authoritate deprędari aut deripere valeat. 431.a.
Infideles qui nihil de Chriſto audierunt neq; nobis infeſti ſunt, non ſunt nobis ſubditi de iure.ibidem.
¶ Ignorantia difficultatis rei de qua votum emittitur, excuſat hominem à voti ſolutione.616.b.&.636.a.
Ignorans, non adimplet præceptum quia ad hoc requiritur libertatis ratio.122.a.
Ignorantia omnino excuſans in præceptis decalogi locum habere non poteſt.
¶ Inclinatio appetitus ſenſitiui ad legem naturæ pertinet.32.a.
Inclinationis naturalis diuiſio.394. b.
Inclinatiões duę in hoĩe ſibi aduerſãtes. ibi.
Inclinatio hominis in bonum delectabile, bona eſt ſecundum ſe ibidem.
Contra inclinationem naturalem quando ſit peccatum agere. 395. a.
Indicia quæ inquiſitionẽ præcedant qualia eſſe debeant.458. a.
¶ Indicta cauſa quemquam iudicare contra ius naturæ eſt.390. a.

¶Inducens alium scienter & prudenter in peccatum non est subiectus restitutioni. 235. a.
¶Infirmus quomodò possit cogi vt abscindatur ei membrum vide mutilare.
¶Iniuriæ satisfactio quomodo sit facienda. 339. a.
Iniuria quot modis & quando homini irrogatur. 382, a.
Iniuria maior est in facto quàm in verbo. 416. b.
Iniurias proprias vindicare cur prohibitum 389. a.
In iniurijs vindicandis pernitiosus abusus nobilium. ibidem.
Iniuriosa acceptio diuiditur in furtum & rapinam. 417. b.
Iniurius cui sit qui se occidit. 395. a.
¶Innocens duplex est. 399. b.
Innocentem de quo nulla est siniſtra suspicio occidere flagitium est. ibidem.
Innocentem tradere tyranno excidium ciuitati minanti, iniustum est. 400. a.
Innocentem potest respublica non defendere. ibidem.
Innocentes in bello licèt aggredi & occidere. 400. b.
Innocens probatus nocens condemnandus est. 341. a.
Interrogatus qualiter inique proprio actu possit se legitimè eripere. 458. a.
¶Inuasus tenetur occidere aggressorem quãdo inuasus est reipublicæ necessarius. 404. a.
¶Inuentum quando nullius fuit, occupanti conceditur, si tamen occupanti ius sit in regionibus illis quibus isthæc inuenta reperiuntur. 423. b.
¶Inueniẽs thesaurum si retineat, furtum nõ committit. 423. a.
Inuenienti thesaurum in agro proprio licet eum sibi retinere. Inueniens autem in agro alieno ex industria quæritando inscio domino nil potest sibi retinere. Inueniens verò, aliud agens dimidiam partem debet habere. ibidem.
Inueniens quæ præsumuntur habere dominos, summam diligentiam in inueniendis dominis adhibere debet: qua facta, nec inuento domino sibi retinere potest. ibidem.
Inuẽti lapilli in litore maris inuentoris sunt. 423. b.
De inuentis in superficie terræ quotam aliquam principẽ exigere iniustum est neq; lex de hoc lata in conscientia obligat. ibidem.
De inuentis in venis terræ, vt sunt metala, vsus obtinuit vt quinta pars principi obueniat. ibidem.
Inuentarum rerum duplex est genus. 423. a.
An inuenta quorum domini non comparẽt sunt pauperibus restituenda necnè, pulchra disceptatio. 424, b, & 425. a
¶Inuitus nemo potest pœnitentiam sibi iniunctam implere. 122. b.
¶Irregularitas quæ sine delicto contrahitur non habet rationem pœnæ. 57. b.
Irregularitas sicuti & excommunicatio ipso facto incurritur. 68. a.
Irregularis quando debeat censeri qui dat operam rei illicitæ. 408.
Irregularitas quando incurratur ex membrorum mutilatione. 411. a.
Irregularitas non est culpa, neq; propriè pœna. 393. a.
Irregularitas quia propriè non est censura, non intelligitur in bullis quando concedi tur facultas absoluendi ab omnibus censuris & pœnis. ibidem.
Irregularitas quando incurratur & propter quæ ibidem.
Irregularitatem non incurrit qui alium occidit se defendendo, quanuis tempore diui Thomæ in vsu erat contrarium. 406. a.
Irregularitas incurritur propter homicidiũ quod sequitur etiam de per accidens ex opere percutientis. 408. a.
Irregularitas non incurritur propter homicidium nisi verè sequatur homicidium etiam si miraculosè homo ille non moriatur. 407. b.
Irregularitas non incurritur quando datur opera rei honestæ & studiosa adhibetur diligentia. 408. a.
Irregularitas vt incurratur, debet esse homicidium voluntarium. 409. a
Irregularitas quando incurratur propter negligentiam. ibidem.
Irregularitas non incurritur à clericis petentibus bonorum suorum restitutionem in iudicio: etiamsi malefactores patibulo affigantur. 409. b.
Irregularitas non incurritur propter culpã venialem. ibidem.
Irregularitas non ob id incurritur quod sanitatis gratia abscinduntur membra. 412. a.

Irregularitatem nō incurrit qui in verberando filium clericum vsq; ad sanguinis effusionem processit.414.b.
Irritatio & dispensatio in quo differāt.664.a
Irritationis vocabulū quid designet: & qualiter à dispositione & cæteris discriminetur. 79.a.
¶ Iubens & consentiens non semper tenetur ad restitutionem.375.b.
¶ Iudæi in solo opere exteriori inesse culpā censebant minimè autē in affectu. 187.a.
Iudæi dupliciter errabant circa iudicialia.ibidem.&.b.
Iudæi cum nimis euacuant carnes sanguine. 384.a.
Iudæis condecens fuit vt temporalium permissionibus ad legis obseruantiam adducerentur.100.a.
Iudæis an fuerit vsura permissa.511.a.512.a.
¶ Iudex non debet rei euidentiam expectare sed humanam certitudinem quæ per idoneos testes fit.232.a.
Iudicis arbitratui relinquuntur quæ legibus comprehendi non valent.40.a.
Quoties iudex reum condemnat iusta ac iuridica sententia ad pœnam quæ non est mortis, læsionisve corporalis inflictiua, tenetur reus ipse sententiam exequi etiāsi ad agendum damnetur.66.a.
Iudex in iudicio concepto per coniecturas quæ virum probum inducunt non debet ad punitionem procedere sicut neq; Salomon processit.232.b.
Iudici,irretito occultò & grauissimo scelere. licet subditos condēnare etiam de eodem crimine nisi excommunicatus sit aut, suspensus.228.d.
Iudicem decet vt talē se gerat quales vult subditos esse.ibidem.
Iudex in peccato existens,alium de simili cōdemnando,ostēdit se dignum esse qui simili sententia cōdemnetur vt habet Paul. ad Roma.2.qui eum iudicas.229.a.
Iudex publicus peccator alios condemnans mortaliter peccat ex genere suo,si sit in grauioribus aut similibus criminibus, secus in dissimili materia & non infami. ibidem.
Iudex duplici scientia vtitur,& vniuersali iuris & particulari facti.ibidem.
Iudex tenetur sic sancte sequi scientiam iuris vniuersalem,vt neq; suum proprium arbitrium,si contrarium est,consulere possit. ibidem.
Iudex in particulari facto potest se suo ingenio & prudentia iuuare in examinādis instrumentis & testibus quod maximè tenetur facere cùm innocēs sibi notus accusatur. ibidem.
Iudex tenetur damnare innocentem probatum nocentem.341.a.
Iudex debet in omni causa contra veritatem sibi notam euidenter secūdùm allegata & probata sententiam pronuntiare. 437.a.
Iudex,qui innocentem sibi cognitum, probatum tamen nocentem idoneis testimonijs condemnat,non agit contra conscientiam.439.a.
Iudex in criminibus nequit quempiam iudicio condemnare nisi accusatum. 440.a.
Nullus iudex siue summus siue infim⁹ antequam pars læsa iniuriam remittat, potest pœnam condonare.442.a.
In iudicis supremi arbitrio est,non itē in arbitrio inferioris postquàm accusator ab accusatione destiterit pœnam iuris relaxare.ibidem.
Iudex supremus aliquando accusatore reclamante potest accusationem abolere.ibi.b
In iudice quatuor sunt necessaria, videlicet, iudicandi potestas,veritas & fama & executionis vis.432.b.
Iudex condemnare non potest quem euidēter ipse scit esse reum quando reus nō probatur legitimis testimonijs.435,b.
Iudicis scientia non reputatur sufficiēs testimonium.ibidem.
¶ Iudicatus, aut loca eorū qui regi sunt à cō silijs vendere illicitum est atque scandalū. 270.q.
¶ Iudicare quempiam nisi eū qui iudici vel simpliciter vel in tali casu subditus est nō est licitum.433. a.
In iudiciali foro quatuor modis cōtingit vni alteri esse subditum.ibidem.b.
Iudicando Christum Pilatus peccauit.434.a
¶ Iudicio diuino non sunt permulta delicta relinquenda.454.b.
Iudicium actus est maximus propriæ iustitiæ.225.b.
Iudicij nomen primo significat rectam finitionem iustorum, deinde rectam definitionem aliarum virtutum circa propria obiecta,ibidem.
Iudicium rectū duas virtutes requirit,& quę iudicium præferat,& quæ potentiam iudicantis disponat ad iudicii rectitudinem. ibidem.

Iudicium particulare ſtudioſi in reliquis virtutibus ſolùm requiritur: in materia autẽ iuſtitiæ neceſſarium eſt etiam ſuperioris. 226.a.

Iudicio ſpeculandum eſt an tale ſit malum quod alter ægrius ferret de ſe audire quã ſi eſſet peccatum mortale. ibidem.

Iudicium vt rectum ſit tria exigit, nempè, vt procedat ex iudicis authoritate, & ex iuſtitiæ affectione & ex prudentiæ rectitudine. 226.b.

Iudicij ſubſtantiam ſubuertit quiſq; iudicũ ſi iuri alterius partis quicquam addimat quod alteri tribuat. 227.a.

Iudicium ſine præſidentis authoritate vſurpatum, ſine iuſtitiæ ſubſtantia, iniquum, ſine prudẽtia, & iuris ordine ſuſpectum: ſi verò ex leuitate & non legitima probatione, temerarium dicitur. ibidem.

Iudicij ſingularium conditionũ defectus genere ſuo facit peccatum mortale. ibidem.

Iudicium ex malo affectu prolatum eſt peccatum ſecundum affectum. ibidem. b.

Iudicium temerariũ quadrupliciter eſt æſtimandum, primo de ſua ſubſtantia ſecũdò de cauſis, tertiò ex coniecturis, quartò ex obiectio. 229. b.

Iudicij temerarij quatuor ſunt gradus. 230. a.

Iudicij temerarij primus gradus eſt quando animus eſt pendulus, neutri condictionis parti, aſſenſum præbens. 229. b.

Iudicium temerarium idem eſt quod ſine legitima cauſa conſultò conceptum. 230. a.

Iudicij temerarij duo primi gradus, licet à duo Thom. ſub primo comprehendantur, tamen inter ſeſe non parum dictat interualli. 230. a.

Iudicium temerarium vt ſit mortale crimen tria exigit, ſcilicet vt ſit certum, vt ex leuioribus colligatur coniecturis, vt ſit de re graui. 231. b.

Iudicium certum in ſpeculatiuis, hoc vnum requirit, vt nihil prorſus habeat ambigũitatis admixtum: in moralibus autem parum pro nihilo reputatur. 232. a.

Iudicium temerarium ſi ſit repẽtinum mortale non eſt: ſed poſtquàm ſedato animo ex deliberatione ſententia confirmatur. ibidem.

Iudicium, quando ex leuitate cauſarum fiat mortale, uon poteſt ſtabiliri certa regula. ibidem.

Iudicium à culpa excuſant illæ cõiecturæ & indicia, quæ virum prudentẽ & ptobum vt ſic iudicaret inducerent. 232. b.

Iudicium vtrũ veniale an mortale ſit non poteſt certa diffiniri regula. ibidem.

Iudicij grauitas ex infamia perpenditur. ibidem.

Iudicium de peccato quod non eſt infame non eſt mortale. ibidem.

Iudicium de malo, quod non eſt peccatum ſed naturale, poteſt eſſe, delictum. 232. b.

Iudicandum non eſt ſecundum legem ſcriptam, quãdo legi naturæ aduerſat. 238. b.

Iudicare propinquius conuenit rationi, & prudentiæ, à qua profertur, ſed potiſsimũ conuenit iuſtitiæ vnde habet vt ſit rectũ. 226. a.

Iudicare circa diuina charitati cõuenit. 226. a

Iudicium actus eſt maximè proprius iuſticiæ. 225. b.

Iudicij nomen primo ſignificat rectam finitionem iuſtorum, deinde rectam definitionem aliarum virtutum circa propria obiecta. ibidem.

Iudicium rectum duas virtutes requirit: ſcilicet, & quæ rationem perficiat, & quæ voluntatem bene afficiat. ibidem.

Iudicium particulare ſtudioſi, in reliquis virtutibus ſolùm requiritur: in materia autẽ iuſtitiæ neceſſarium eſt, etiam ſuperioris. 326. a.

In iudicio ſpeculandum eſt an tale ſit malũ quod alter ægrius ferret de ſe audire, quã ſi eſſet peccatum mortale. ibidem.

Iudiciũ nullum ſine certitudine eſſe niſi veniale, exceptionem habet, quando grauiſſimum malum de honeſtiſsima perſona ſuſpicatur. 233. a.

Iudicium temerarium non eſt malum quia prohibitum, ſed prohibitum quia malum. 233. b.

Iudicium temerarium eſt ex his quæ ſunt cõtra ius naturæ. ibidem.

Iudicium temerarium eſto in publicum nõ prodeat per ſe eſt peccatũ mortale. ibid.

Iudicium de re dubia feredum nõ eſt ſed dubium in meliorem partem interpretandũ ibidem. b.

Iudicium vſurpatum non ſolùm peruerſum eſt, verum & nullum. 239. a.

Iudicialia præcepta, partim cum melioribus partim cũ ceremonialibus, cõueniũt. 99. b.

¶ Iulius Cæſar per iniuriam obtinuit dominatum. 306. a.

¶ Iuramenti obligatio differt à voti vinculo. 633. a.

Iuramentum de re prorsus bana, non inducit obligationem. 622.a.
Non omne iuramẽtum assertorium licèt sit vanum atque illicitum, est peccatum mortale. 756.a.
Iuramentũ ab eo petere quem nescis falsum iuraturũ, nullum est peccatũ. 760.
Ab eo autem quem scis mẽdaciter iuraturũ peccatum est mortale. ibidem. b.
Iudici vero nullum est peccatum. ibidem.
Iuramenta libera. i. quæ extra iudicium fiũt, perquam rarissimè excusari possunt à culpa. 757. b.
Iuramentum dupliciter intelligitur habere deteriorem exitum. 729. a.
Iuramentũ fictũ an sit mortale. 737. a.
Iuramentũ promissorium simulatorijs verbis cõceptũ animo non implendi, nec se obligandi, an sit mortale. 738. a,
Iuramenta coacta nequaquam conscientiam ligare vrgentissima argumenta. 731. a.
Iuramentum triplici ex causa existimandũ est. ibid. b.
Iuramentum coactum frangere mortale est. 732. b.
Iuramenti coacti relaxatio. 734. b.
Iuramentum verbis æquiuocis conceptum an sit obligatorium. 738. b.
Iuramentũ dolosum an sit obligatoriũ. 735. a
Iuramentum dolosum tribus modis intelligitur fieri. ibidem.
Iuramẽtum licet ab idolatra per suos Deos exigere, secundum August. 752. a.
Vnde fit consequens quòd etiam idolatra & gentilis teneatur iuramẽtum suum seruare. ibidem.
Iuramenta Hispanorum. 753. a.
Iuramenta triplici ex capite variantur. 711. a.
Iuramentum apud Romanos tanta habitum fuit sanctitate, vt non nisi ingenuis & nobilitate insignibus deferretur. 745. a.
Iuramentum per falsos Deos an mereatur nomen periurij. 747. b.
Iuramentum duplici modo alterius nomine præstari potest. 750. a.
Iuramentum secundum se licitum est & honestum. 712. b.
Iuramentum & votum dupliciter differunt. 740. b.
Iuramenta quæ possint ab homine relaxari 741. & 742.
In iuramentis non licet dispensare absque legitima causa. 743. a.
¶Sed quid si Papa sine causa valida dispenset an teneat dispensatio? minimè. 743. q.
Iuramenti definitio. 709. b.
Iuramentum aliud assertorium: aliud verò promissorium. 710. a.
Iuramentum non est necessarium ad ea quę sunt necessaria perque rationem inuestiganda. ibidem.
Iuramenta sua reddere altissimo quomodo sit intelligendum. ibidem. b.
Iuramentum aliud simplex: aliud execratorium. ibidem.
Iuramentũ esse à malo ex sentẽtia. D. Augu. quomodo sit intelligendum. 717. a.
Iuramentum falsum illicitum & temerariũ in quo differunt. 718. a.
In iuramento tres comites nempe veritas, iustitia & iudicium quomodo intelligantur necessariæ. 718. & 719.
Iuramenta incauta siue impleantur siue secus & periuria sunt dum fiunt: & nullatenus obligant: sed rem iuratam in sua nuda natura relinquunt. 729. a.
Iuramẽtũ est actus religionis seu latrię. 719. b
Iuramẽtũ omni iure religio censetur. 720. a.
Iuramentum non est perappetendũ. 721. a.
Iuramenti vsus neutiquam in statu innocentiæ fuisset. ibidem. b.
Qui bene iurat bene credit, quam blasphemè soleat interpretari. ibidem.
Iuramentũ qñ habeat vim obligãdi. 725. a. b.
In omni iuramẽto assertorio duæ insunt veritatis rõnes. 726. b. & 728. b. in fine.
Iuramentũ incautũ fit tribus modis. 728. a.
In iuramento promissorio tria exterè sunt consideranda, scilicet promissio iuramentum, & executio. 735. b.
Juramentũ ratione grauitatis materiæ aliqñ grauius est frangere quã votum. 739. b.
Iuramentum licet sit obligatorium: potest tamen eius obligatio per dispensationem extingui. 740. b.
Iurabis per nomen Dei tui quomodo sit intelligendum. 713. a.
Iurare turpius est Christianis, quàm antiquis. 716. b.
Iurare per creaturas in Deum relatas licitum est. 723. b.
Iurare quibus modis contingit. 710. b. in fi.
Iurare aliquando est præceptum. 714. a.
Sed quale præceptum? naturale & diuinũ, perinde ac mandata decalogi. ibidem.
Ego autẽ dico vobis nõ iurare oĩno Matt. 5. quomodo sit intelligendum. 715. a.

Iurare per creaturas exhibẽdo illis reuerẽtiã Deo debitã,eſt idolatriæ impietas. 724.a.
Iurare per creaturas catholicè dupliciter cõtingit.ibidem.
Iurare per capillũ & per caput Dei blaſphemia eſt ibid.b.
Iurare per Deum grauius eſt, quam per euãgelia. 745.b.
Iurare quæ perſonæ non poſsint. 744.a.
Iurare non licebat Romanis,per herculẽ ſub tecto ſed ſub dio quaſi in Iouis præſentia. 744.b.
Iurantes vanè an dicant deũ tentare.717.b.
Iurare per falſos Deos magis impiũ eſt quã peierare.752.a.
Iurare in ſanctis ſolẽniter, niſi à ieiunis fiat, non reputatur honeſtum.744.a.
Iurare nõ decet perſonas egregiæ dignitatis. ibidem.
Iurandi hodiernus abuſus.745.a.
Iurandi ratio efflagitat vt certo ordine & forma fiat.757.b.
Iurans ſi nõ habeat iurandi animũ, an teneatur illud implere.736.b.
Iuramẽtum per vim extortũ à latrone, obligatorium eſt.622.b.
Iuramentum ducẽdi vxorem licitum eſt. nõ tamen ſeruãdum, dum maius bonum impedit.627.a.
Iurare legitimè,officium virtutis eſt. 138.a.b.
Iurare prohibuit Chriſtus nõ ſolùm per creaturas ſed per Deum .ibidem.
Iurandi officium nõ eſt per ſeipſum virtus, niſi cum ſuis comitibus.139. a.
Iurare in ſtatu innocẽtiæ nulla eſſet virt⁹.139.a.
Iuramentum nobis Dei beneficio cõceſſum eſt natura lapſa,ad fidem noſtram roborandam.ibidem.
Iuramẽtũ à iure dicitur.ibi.&.709.a.&.710.a
Iuramento præmiſſo iniuria fit Deo ſi aliud teſtimonium exquiratur.ibidem.
Iuramenti tres comites.139.b.&.718.a.
Iuramentum de re iniuſta implere, peccatũ eſt.ibidem.
Iurare aliquod patrare peccatũ mortale,quãuis non perpetretur eſt mortale.ibidem.
Iurare aliquod facere peccatum veniale,etiã ſi non impleatur peccatũ eſt veniale.ibid.
Iurandi frequentia præſentiſsimum habet peculium per iurandi.140.a.
Iurare falſum etiam in re minima,peccatum eſt mortale.ibidem.b.
¶ Iuriſdictiones ciuiles frequentius ſeculariбus quàm eccleſiaſticis committendæ ſunt.829.b. &.6.a.
¶ Ius dupliciter accipitur.191.a.
Ius eſt obiectum iuſtitiæ.192.a.
Ius,aliud naturale,& aliud ſcriptum. 193.a.
Ius eſt in rebus,ars verò boni & æqui in intellectu docente operari iuſtum.ibidem.
Ius primùm omnium diuiditur in naturale, & poſitiuum.194.b.
Ius omne naturale eſt diuinum.196.a.
Ius gentium & à naturali diſtinguitur,& ſub poſitiuo continetur.ibidem.b.
Ius gentium,& ciuile,trifariam diſtinguntur 197.a.b.
Ius omne quo ciuitas vtitur vocatur ab Ariſto.ius politicum.ibidem.b.
Ius paternum quo ad naturale, ſemper manet inter parenter & filios emancipatos: ſed quo ad ciuilia ius ſimpliciter, & iuſtũ, eſt inter illos.200.a.
Iuriſgentium aliquando eſt licita diſpenſatio,& aliquando non.198.a.
Iure naturæ homines eſſe ſeruos, quomodò ſit intelligendum.ibidem.
Iuris ignorantia non tollit omninò culpam, neq; omnis ignorantia facti.222.b.
Iuriſconſulto præferendus eſt Theologus ad epiſcopale munus cæteris parentibus. 259.a.
Ius in liberos non dicitur dominium. 279.b.
Ius humanum duplex.& ius ciuile,& ius gẽtium.286.a.
Ius naturæ,& ius gentium penes quid diſcriminentur.298.a.
Ius gentium,& ius ciuile quo pacto differãt. ibidem.
Ius legitimum Chriſtiani imperij quod ſit. 306.a.
Ius gentium multorum nequiuit diſpertiri dominia :ſed ſemper remanent communia iure naturæ.ibidem.
Iure gentiũ propriè dominia diuiſa ſunt, vt meum & tuum audiretur in hora.287.a.
Iure gentium conſtituta eſt ſucceſsio hæreditaria filiorum in bona paterna. 299.a.
Ius primogenituræ quare maſculina ſerie transfunditur.171.a.vide maioratus.
Ius patronatus vendere eſt ſimonia.837.b
Ius dicere nõ poteſt,neq; legem ferre Tyrannus, niſi perſcriptione, aut reipublicæ cõſenſu fuerit legitimus princeps.239.b.
Ius,vſuſq; iuris,non ſunt idem.808.b.
¶ Iuſtitia originalis.394.b.
Iuſtitia dupliciter ſumitur.191.b.

Iustitia in tribus differt à reliquis virtutibus. 192.a.
Iustitiæ rectitudo, repetiri pōt vbi adest mala intentio, & finis prauus. reliquarum verò virtutū rectitudo, non manet vti deest aliqua circunstantia. 192.b. 193.a.
Iuste diffinitio, quæ à iurisperitis assignatur bona est, si sanè intelligatur. 201.a.
Iustitia duplex, infusa & acquisita. 130.a.
Iustitia aliter paruulis, aliter adultis infundi tur. 130.b.
In iustitia distributiua nulla est repassionis forma. 247.b.
Institiæ commutatiuæ non semper fit iusta reparatio, vbi offensor idem precisè perpetitur quod alter ab illo perpessus fuerat. 248.a.
Iustitia distributiua non attendit quid ciues contulerint. 249.a.
Iustitia cōmutatiua non propriè est in Deo. ibidem.
Iustitia distributiua, non id tribuit quod debetur, vt antea propriè à ciue possessum: sed quod est totius reipublicæ, cuius ciues sunt partes. 344.b.
In iustitia commutatiua debitū inde surgit, quod res fuit possessio alterius. ibidem.
In iustitia tam distributiua quam commutatiua qualitas personæ attēditur: sed diuersimodè. ibidem.

De litera L.



Abor manuum ad quatuor est vtilis. 688. b.
¶ Lacessito non licet in duellum exire. 40.b.
¶ Laicus non potest præscribere ius exigendis dicimis. 324.a.
¶ Lanarum mercatus qui anticipata fit solutione, aliquando licitus est: etiam si ea ratione lanę vilius emantur quàm si solutio nō anticiparetur. 562.a. 563.a. Vide emere.
¶ Lamech reus homicidij quia nō sufficientem adhibuerit diligentiam. 407.b.
Laruarum maleficia vnde fluxerint. 767.a.
¶ Lateranense concilium non est in omnibus receptum. 540.a.
¶ Latronem occidere ob defensam bonorū temporalium, iustum est. 404.b.
Latrones publici capite plectuntur. 427.a.
¶ Legalium obsertio quando post Christi passionem fuerit licita. 165.a.
Legalia obseruando quomodo Petrus fuerit reprehensibilis & peccauerit. 165.a.b.
Laudabile & honorabile in quo differunt. 275.a.
¶ Legis multiplex diffinitio. 6.b.
Lex in intellectu tanquàm proprium eius opus insidet. 7.a.
Lex à legendo vel à re eligendo dicta. 7.b.
Estque æquitatis iniquitatisq; regula. ibid.
Lex est vniuersitatis propositio ac dictamen rationis practicæ per modum habitus inhærens. 9.a.
Lex non est voluntas eius qui vicem populi gerit. 10.a.
Lex omnis quo solida sit & firma in cōmune bonū debet subditos promouere. 11.a.
Leges condere reipublicæ est, aut eius vicem gerentis. 21.b.
Leges sapientum iudicio ex visceribus naturalis iuris eliciuntur: cæterùm firmitatem non ab eis, sed ab his qui iurisdictiōe pollent sortiuntur. ibidem.
Lex bifariàm est in homine. 13.a.
Lex vim habet coherciuam. 12. b. & 13.b.
Lex antè promulgationem nullum habet vigorem. 14. Et quando censenda sit satis promulgata. 14.a.
Lex post idoneam promulgationem obligat vniuersos: tametsi citra culpam ignorantes excusantur contra Panormitanum, & alios. 14.b.
Legis diffinitio è iure ciuili de prompta explicatur. 15.b.
Leges Romanorum Imperatorū post duos menses valere incipiunt in republica, vt iure ciuili sancitum est. 15.a.
Leges pontificiæ irritationis ab articulo promulgationis robur habent, nisi cōtractus irritati per eas essent tales, quòd cederent in iniuriam tertij. ibidem. b.
Leges, priuilegiorum reuocatione, nulla vi pollēt quoad fuerint promulgatæ, non solum in prouincia, sed etiā in diœcesi. ibi.
Legis effectus reddere homines studiosos. 17.a.
Legis actus quatuor. 20.a.
Lex nonnulla permittit mala ad obuiandū grauioribus incommodis. 20.b.
Legis species quatuor, & earum inter se discrepantia. 21. 22. a.b.
Lex fomitis non est propriè lex, sed per metaphoram. 22.b.
Lex tam diuina quàm humana duplicem

vim habet in translatione dominiorum. 308.b.
Lex potest & voluntatem domini cohibere, & ipsum inuitum suorum dominio priua re.309.a.
Lex nō ob quamlibet causam,etiam iustam mutanda est:sed cum fuerit tanta vt detri mentum quod ex legis mutatione suapte natura accedit,abūde cōpensetur.74.a.
Lex non est idem quod ars boni & æqui. 193.a.
Legi omnes subijciuntur,etiā princeps ipse, quantum ad vim directiuam.69.a.
Legi non subduntur iusti, quantum ad vim coherciuam,similiter neque princeps.69. b.70.b.
A lege liber non est iustus,vt lutherus impiè dogmatizauit.71.a.
Lex quæ communi bono officit nullam habet obligandi vim.71.b.&.72.a.
Legem in particulari deficere, nō est idonea ratio vt quis ei possit contra venire: bene tamen si cessat in genere:sed neq; tūc vim perdit ligandi quo ad princeps aut cōsue tudo eam aboleat.72.b.
Legis præuaricator est qui seruatis in co tice eius verbis mente circunuenit.73.a.
Lex tota absque gratiæ subsidio speciali, im pleri nequit vt longo tempore absq; pec cato viuamus.125.
¶ Lex æterna summa ratio in Deo existens. 23.a.
Neque cum diuina conuertitur.ibidem.b.
Lex æterna solis hominibus post angelos no ta.23.b.
Lex æterna ratione differt à rationibus rerū quas ideas in Deo dicimus.24.a.
Lex omnis ab æterna deriuatur.24.a.
Lex non dicitur præcisè æterna quia neque habuit principium neque habitura sit fi nem,sed præsertim quia est immutabilis omnisque variationis expers.24.b.
Lex diuina positiua,effectus ac participatio legis æternæ.24.b.
Lex fomitis quid sit,& qualiter deriuetur ab æterua.25.a.
Leges iniquæ non sunt dicendæ leges,ac pro inde neque ab æterna dimanant,nisi qua tenus præ se ferunt quandam potestatis imaginem.25.a.
Lex permissiua etiam ab æterna lege ortum ducit,illa scilicet quæ malum impunè per mittit.25.a.b.
Legi æternæ necessaria cuncta creata præter Deum subsunt.26.a.nō autem diuinæ per sonæ.ibidem.b.
Legi æternę vniuersę actiones humanę subijciuntur.27.b.
Lex æterna brutis & insensibilibus rebus promulgatur per sigillationem instinctuum & virtutum actiuarum: qui tamen instin ctus non habet propriè rationem legis. 28.a.
Legi Dei æternæ, monstra & casualia & id genus reliqua,subduntur.28.a.
Quo sensu Paulus,dixerit eos qui spiritu Dei aguntur,non esse sub lege.28.a.
Sub lege æterna nō solùm sunt viatores sed beati & damnati.28.b.
¶ Lex naturalis in hominum animis insculpta est. Quæ neque potentia est, neque habitus, neque passio, neque idem quod sindereses.29.a.licèt insit per modum habitus.ibidem.b.
Lex naturalis vna est.31.b.
Lex naturæ quoad prima principia, non sic est mutabilis, vt id quod fuit iuris naturæ cesset esse talis iuris: bene tamen quantùm ad conclusiones: tametsi id rarò e- ueniat.36.b.
Lege naturæ cūcti mortales tenebant.91.b.
Lex naturæ, natiuo instinctu & lucæ, pro- mulgata est. vnde fit de primis principijs naturalibus neminem posse ignorantiam prætexere.16.a.
Lex naturæ quantum ad prima principia nequit prorsus ex animis hominum ex- tirpari: secus quantùm ad conclusiones. 37.a.
Præter legem naturæ necessarium fuit humanas condere & hominis naturæ congruentissimum.38.a.
Lex naturæ maleficiorum conscientias, exulcerat, quo sensu dixit Augustinus.in- ordinatum appetitum pœnam esse pecca ti.39.a.
Lex naturæ dictabat Iudæis præcepta mora ralia: fuit tamen opus ea in tabulis legis antiquæ describi.99.a.
¶ Lex diuina duplex.82.b.
Lex alia altior præter naturalem & humanam necessaria fuit, quæ diuina positiua nuncupatur.ibidem.
Lex diuina positiua in duas secat: licèt spe- cie non distinctas.83.b.
Legis diuinæ positiuæ & æternæ differentia. 83.b.84.a.
Lex diuina non censetur promulgata, cum eam

eam Deus alicui reuelat: sed cū ille ſolenniter eam euulgat. 16. a.
Lex diuina de vniuerſarum virtutum operibus ex æquo præcepta ponit. 104. b.
¶ Lex vet⁹ per legē Chriſti ceſſauit. 157. b. nō modò quantum ad legalia, & ceremonialia, verum ſi vim eius obligatoriam ſpectes tota tunc temporis antiquata fuit. 158. a.
Lex vetus tempore paſsionis ceſſauit: & tūc non cœpit. 160. a. 163. b. 16 a.
Lex vetus tot virtutes inſtituit, quot Chriſt⁹ expreſsit in lege noua. 105. b.
Lex vetus non conferebat gratiam. 99. a.
Legis antiquæ cuſtodes per fidem Chriſti premia conſequebantur æterna, tranſgreſſoresque perpetuis afficiebantur ſupplicijs. 100. a.
Lex antiqua quare teſtamentum vetus dicta ſit, noſtra autem noua. 102. a.
Legis veteris & nouæ ſupplicia, diſcriminantur. ibidem.
Lex vetus ſancta iuſta atque bona fuit. 85. a
Legis veteris author Deus. 86. b. &. 87. a.
Legis veteris & nouæ diſcrimen. 85. b. 86. a.
Lex cum dabatur Moyſi, quæritur nū Deus angelus vè loqueretur ei. 88. b.
Lex vetus ſoli populo Iſraël data eſt. 89. b.
Legis antiquæ præceptorū diſtinctio. 91. b.
Lege veteri currente, gentiles, ſine ipſa, ſicuti ante ipſam, potuerunt ſalutem obtinere. ibidem.
Lex vetus eò quod ad plura obligaret, non fecit Iudæorum deteriorem conditionem, quam gentium. 92. a.
Lex vetus data eſt ſub initium quartæ ætatis: quæ tribus ætatibus permanſit in mūdo. 93. b.
Legis veteris duo fines ad vnum tantùm relati. ibidem.
Legis antiquæ trina præcepta neceſſaria. 96. b. 98. a.
Legis veteris nomina omnia reducuntur ad tria. 98. b.
Lex ſcripta ſicut nihil roboris iuri naturali præſtat, ſic neq; robur eius quòquò pacto minuit. 238. b.
Legis ſcriptæ vigor non exigit melius id eſſe quod diſcernit, quā contrarium. 238. b.
Lex quamuis iuſtè ſit poſita ſi tamen in euētibus particularibus eſt cōtra ius naturæ, licèt contra illam facere. 238. b.
¶ Lex noua in cordibus inſculpta eſt & hoc à veteri quæ in tabulis ſcripta erat differt. 172. b. 163. b.
Lex Euangelica quomodo dicatur iuſtificare. 178. b.
Legē nouā ab initio mundi dari non decuit. 175. b.
Lex Euangelica vſque ad finem mundi perſiſtet. 176. b.
Legis nouæ ſtatus nihil vetat quominùs mutetur perinde atque ſtatus legis veteris. 177. a.
Legis nouæ ſtatus & ſi latior patētiorq; expectetur, nullus tamen futurus eſt vbi gratia copioſior ſit quàm hactenus præceſſit. ibidem.
Lex chriſti antè finem mundi ab omnibus eſt exoſculanda. ibidem.
Lex Euangelica neq; prorſus eſt alia à veteri neq; omnino eadem, ſed ſic ab illa diſtans vt perfectum ab imperfecto. 179. a.
Lex vetus lex timoris erat, noua verò amoris & charitatis. 179. b.
Lex antiqua quare dicatur teſtamentum vetus: & lex euangelica teſtamētum nouū. ibidem.
Lex vetus quare dicebatur lex factorum noſtra verò dicitur lex fidei. 180. a.
Lex noſtra fuit antiquę complementū. quātum ad finem & quantùm ad præcepta. ibidem. b.
Lex noſtra continebatur in veteri non quidem actu ſed virtute. ibidem. b.
Lex repudij non præcipiebat vxorem repudiare, ſed id permittebat. idq; noua correxit vt non haberet locū niſi quoad thorū. ibidem. 181. a.
Lex antiqua grauior erat quàm noua ſi difficultas ex parte obiecti perpendatur. ibidem.
Lex Euangelica præter naturæ legem non niſi ſacramenta imperauit. ibidem.
Lex noſtra quodam modò grauior eſt veteri, ſi difficultatem ex modo agendi exiſtimes: illis tamē præcipuè qui non ſunt virtutum habitibus imbuti. ibidem.
Lex Chriſti quo tempore cœperit obligare. 16. a.
Lex Chriſti tria tantùm continet, moralia, ſcilicet præcepta, ſacramenta & conſilia. 182. a.
Lex euangelica à veteri duodecim differentijs diſtat. 182. b. &. 183. a.
Lex euāgelica in operibus exterioribus ceu fundamenta iecit ſeptem ſacramenta. 183. b.

Legis euangelicæ maiestatem non docuit vt aliæ ceremoniæ per ipsam instituerentur. quàm quæ administrandis sacramentis erant, necessariæ. 184. a.
Lex euangelica appellatur à Iacobo lex perfectæ libertatis propter trinam rationem. 185. a.
Lex euangelica vniuersos humanos mores intus & incutè perfectimè informat. 186. a
Lex euangelica miro ordine procedit ad institutionem hominum circa actus interiores & exteriores. ibidem.
Lex euangelica iudicialia præcepta aliqua correxit, ceremonialia verò minimè sed ablegauit. 187. a.
Lex noua nõ modo naturalia consilia excaluit, verùm & alia recèter adhibuit. 188. b.
Lex noua quo temporis articulo ceperit obligare. 16. a. b. 160. a. 163. b.
Leges quatuor distinctæ apud Paul. 10. a.
¶ Lex humana non ea viget certitudine, qua conclusiones speculatiuæ. 39. a.
Legem satius est quam hominem dominari idque rationibus ægregijs suadetur. 39. b. a.
Lex omnis humanitus posita, si sit recta à lege naturæ deriuatur. 40. a.
Legis humanę ex naturali deriuatio, per viã conclusionis, potius est explicatio principij naturalis, quàm noua præceptio virtutis. 41. a.
Legis humanæ qualitates ab Isidoro traditę explicantur. 42. a. b. 43. a.
Legum multitudo vitiosa. 43. a.
Lex plana esse, & obscuritate vacare debet, nè muscipulæ more captet ignorantes. 43. b.
Lex & consuetudo vt differant. 43. b.
Lex quare assimiletur regulæ Lesbiæ. 44. a.
Lex debet in communi constitui. 46. b.
Legis humanæ quadruplex diuisio. 44. a.
Lex non respicit ea quæ rarò sed quæ frequẽter eueniunt. 46. b.
Lex humana ea præsertim scelera animaduertit quæ reipublicæ tranquilitati sunt aduersa. 48. a.
Lex humana omnis virtutis actus præcipit, tametsi non singulos. 48. b. 49. a.
Lex non præcipit habitum sed actum. 49. b.
Lex humana dissimiliter se habet circa præceptionem virtutum, & prohibitionem vitiorum. 49. b.
Lex humana, siue ciuilis sit siue canonica; Si modo sit iusta vi, pollet ligandi subditorum conscientias. 50. b.
Legis iustitia ex omnibus suis causis perpenda. 50. b.
Lex humana iniusta non obligat in conscięntia. 50. b.
Licet leges, quæ humano tantùm bono aduersantur, non obligent in conscientia, aliquando tamen illis parendum est, ratione vitãdi scandali: secus si bono repugnẽt diuino. 51. a.
Lex humana ad suam custodiam astringere valet, etiam cum proprij capitis detrimento. 54. b.
Legem humanam mutari quandoque licitũ est. 73. b.
Leges humanæ de solis iustitiæ actibus primaria intentione præcipiunt: de reliquis verò virtutibus non nisi quatenùs ad iustitiam referuntur. 104. b.
¶ egis humanę rectitudo non est ad modum naturalis rectitudinis, in quãtitatibus, corporeis repertę. 75. b.
Legum artium q; discrimen quantum ad variationem. 75.
Lex si decerneret nullam in futurum consuetudinem contra eam fore valituram, nulla consuetudine abrogaretur. 77. a
Quandiu legis ratio durat, nequit consuetudo contra prævalere. 78. a.
Super lege humana ille cui regimen incumbit, potestatem habet dispensandi. 78. b.
¶ Lex canonica & ecclesiastica obligat sub reatu mortalis noxæ, quæ assertio fideicõtra aliqnos hæresiarchas satis roboratur, de ciuili autem lege non est par fidei certitudo. 51. b. 52. a.
Lex ecclesiastica pariter & ciuilis homines deuinciunt: & non tantum quatenus diuinæ interpretes vt cõmentus est Gerson. sed quatenus humanæ. 52. b. 53. a. b.
Lex ecclesiastica non obligat cum discrimine mortis, nisi contemptu legis aut iniuria fidei interueniente. 55. a.
In legibus quæ ecclesiæ quàm maximè referunt. Papa nec concilium dispensare possunt, sic vt eas protinus mutent. 75. a.
¶ Leges ciuiles quid de filijs clericorũ & religiosorum statuant. 311. b. & de filijs nothis secularium. 310. b.
Leges non prohibent dominij translationẽ in ludis. 315. a. vide, ludus.
Legum obligatio omnis, authore Deo est. 329. b.

Leges vectigalium obligant in conscientia. 352.a.
¶Leges pœnales omnes ad culpam obligãt, nisi contrarium expresserint, siue mixtæ sint, siue merè pœnales. cõtra Henricum. 56.a.57.a.
Leges pœnales veteris legis contra fures ac mechos. Exod.22. & Leuit.20. ad culpam obligabant, similiter, & nunc canonicè. 58.a.
Leges pœnales ob id quod dicant ipso facto vel ipso iure, aut quid simile nõ obligant ad pœnam ante sententiã à iudice latam sic vt teneatur reus illam offerre.60.b.
Lex quando ipso facto pœnam decernit nõ opùs est sententia quæ feratur super pœnam, sed super crimen.62.b.
Leges pœnales collegiorum obligant ante condemnationem ad pœnam, si eorum institutor sub hac forma tales leges sanxit.67.a.b.
Leges pœnales Salmantinæ academiæ imprensatores & ambitores latæ, non ligant ante condemnationem: nisi dum iuridicè interrogatus quis iniquè veritatem denegat.67.b.
Leges præscriptionis non sunt merè pœnales.68.a.
Lex est iniquissima quæ præcipit vt condẽnatus ad pœnam corporalem illam ipse exequatur.464.b.
¶Libertas per obligationem voti non minuitur.635.a.
Libertas Christiana in quo consistit.694.
¶Litaniæ quæ in profestis diebus officio nocturno adhibentur, nec ex consuetudine vim habent præcepti.889.a.
¶Loth filias offerendo rem turpem fecit: ac proinde peccauit: nisi fotè ignorantia excusetur.537.b.
Loth non deliquit peccato incestus, quia ebrius erat.407.b.
¶Lucretia delinquit se occidendo.395.b.
¶Lucri cupiditas si citra dolum fraudemve se contineat non est mortalis.314.b.
Lucrum cessans quid sit, & quomodò dicatur cessare.522.a.
Lucrum cessans quando mutuatore inuito cessat, absque periculo vsuræ exigitur. ibidem.
Lucrum cessans iustè petit qui mutuare cogitur. ibidem.b.
Lucrum cessans post prefixum diem solutionis pecuniæ mutuatæ, iustè à principio in pactum ducitur.522.a.
Lucrum cessans cur liceat exigere.356.a.
Lucri cessantis optima disputatio, an videlicet possit qui non coactus mutuat illum à principio in pactum ducere. 523. a. 559. a. quod fieri posse non est omnino improbabile.525.a.559.b.
¶Ludus in genere rem de se iure nature licitam sonat, imò virtus esse potest.313.a.
Ludus sicut ex multis accidentibus honesta tur sic & ex plurimis vitiatur.313.a.
Ludo acquisita in dominium lucrantis trãseunt.314.a.
Ludens absente pecunia fide impignorata teneatur nè eam soluere.316.b.
Ludo perdens amplam pecuniam, an possit latenter ab illo suffurari illam.317.a.
Ludere secundum ius nature neque mortale est, neq; vlla in de nascitur restitutio.515.a.
Ludere alea reliquisq; ludibus lege inhibitis, neque contraria consuetudine subrogatis peccatum est.313.b.
Clericis præcipuè sacerdotibus ac maximè episcopis contra vetitum ludere, vix citra mortale contingit.314.a.
¶Lutherus vota pnitiosa esse asseuerat.313.a. 640.a.
Lutheri dogma quod in hac vita impleri nequit dilectionis mandatum.684.a.
Lutherus debachatur contra obediẽtiã monachalem.693.a.

M.

Magistratꝰ institutisunt propter populi necessitatem.267.a.
Magi qualiter per demonum operationẽ rebus naturalibꝰ vtãtur.766.a.
Magi primum dicti sapientes cur infames esse ceperunt. ibid.
¶Magorum varia nomina.768.b.
Magorum omnia genera trino iure condemnata sunt.770.a.
¶Mandata diuina quoniam modo institutiones appellentur.505.b.
¶Maioratuum institutionis causa redditur. 310.a.171.a.310.a.
¶Male acquisita in duplici differentia. 807.b.
¶Maledicere quid sit, & quotupliciter contingat.499.b,

Maledicere sub forma enuntiationis ad contumeliam, aut ad detractionem aut ad irrisionem pertinet. ibid.
Maledicere alijs si nullum sit intus malum desiderium non est peccatum mortale. 500.b.
Maledicere rebus irrationalibus in ordine ad hominem contingit. 502.a.
Maledicere rebus irrationalibus & dæmonibus, quatenùs creaturæ Dei sunt. blasphemia est. 502.b.
Maledicere tempestates, erugmem, lo[illegible]stas, aliaque id genus portenta, quousque liceat. ibid.
¶Maledictio propriè, vulgo mali imprecatio est. 500.a.
Maledictionis culpa ex animi proposito iudicanda est. 500.b.
Maledictio per se propriè in solam potest cõijci rationalem, aut intellectualem creaturam. 501.b.
Maledictio quæ intentione mali fit, secundùm genus suum peccatum est mortale. 503.a.
Maledictionis sub forma imprecandi, & imperandi discrimen est. 500.b.
Maledictione reliqua verborũ peccata sunt grauiora. 503.b.
¶Malefactores occidere honestũ est. 385.b.
Malefactores occidere non expedit quando sine proborum periculo id effici nequit. 387.b.
Malefactores cui liceat occidere. 388.b.
¶Manichæorum extremus furor de animãtibus non occidendis. 383.a.
Manichæi asserebant nullatenus esse licitũ iurare. 713.a.
Manichæi duo principia ponebant bonum & malum. 717.a.
Manichæi asserebant animalium animas mẽbra esse dei. 383.a.
Manichæi, cucurbitarum homicidæ appellantur. 385.b.
Manichæorum hæresis repudiantium veterem legem tanquàm à principe tenebrarũ conditam. 87.a.
¶Marcus quod pollicem sibi resecuit nulla laude dignus nisi fecit reuelatione diuina. 402.b.
¶Maritus quando vxorem occidere licitè potest. 390.b.a.391.a.
¶Matrimonium ratum non cõsummatum neutiquàm est per Papam dispensabile, neque qui contrarium sentit audiendus est. 649.b.
Pro matrimonio illicitum est pecuniam recipere. 828.a.
Matrimonium è diametro cum religiõe pugnat. 690.a.
Matrimonium quandiu consummatum nõ est licitum est inde ad meliorem frugem conscendere: consummata verò copula nequaquàm, qnia irrogaretur iniuria proli. 649.b.
¶Medici prudentia inutilis nisi artis admini culo directa. 39.b.
Medicum suas opiniones proprias & existimationes arti anteferre periculo & temeritate non vacat. 39.b.
¶Membrum ex voluntate ægroti abscindi potest, quòd corruptioni corporis nocet. Non tamen ad id potest authoritate reipublicæ cogi secùs de prælato. 410.b.
Membrum proprium abscindere sibiipsi potest iustè qui aliter mortem euadere nequit. 411.a.
¶Mendacium si aliam non habeat maculã nisi falsitatis, genere suo non est peccatũ mortale. 471.a.
Mendacium non omne in iudicio est peccatum mortale. 451.a.
¶Mentiri in iudicio violando iustitiam etiã citra iusiurandum genere suo est mortale. 556.b.
¶Mendicitas omnimoda ex genere suo plus meriti habet apud Deum, quàm in communi possessio. 685.b.
Mendicitas in sacris literis commendatur. 686.a.
Quanuis mendicitas omnimoda secundum se præferenda sit: potest tamen ratione finis & circunstantiarum conducentior esse in communi possessio. 687.a.
Mendicantes religiosi nequeunt quicquam præscribere. 324.a.
¶Mensura aliquando citra iniustitiam à priuato minuitur. 556.b.
¶Mercator sub vsuris mutuum recipiens, ad exercendam mercaturam mortaliter non peccat. 534.b.
Mercatorum insignis fraudulentia in mutuo. 516.a.
Mercatorum praxis in cambijs, 595.a.
Mercenarius qui ex decimatis mercedem recipit nullam inde aliam decimam debet. 808.a.
¶Meretrici accipere licet pretium suæ turpitudinis. 359.a.

¶Metus veluti seta quæ filum amoris inducit.21.a.
Nullo metu quis cum consanguinea contrahere potest quia nõ est materia sacramẽti.55.a.
Metus qui ab alio incutitur voti obligationem potest impedire:non item intrinsecè ortus.632.a.b.
Metus cadens in virum constantem, is est quem viri constantia sine vituperio secũ patitur.633.b.
Metus quantumuis magnus & cadens in cõstantem virum nõ excusat à transgressione legis diuinæ aut naturalis.ibid.
Metus cadens in virum constantem ex triplici capite expendi potest.ibidem.
¶Ministris sacramentorum & spiritualium, quid liceat recipere pro suis functionibus vide,simonia.
Minister sacramentorum sanctitate quam alijs præstat pollere debet, secùs in iudice.228.b.
Ministri vsurariorũ, qualiter ad restitutionẽ teneantur.532.b.&.533.a.
In ministro ecclesiæ præter morum compositionem requiritur sacrorum scientia,prudentia,solertia,& reliquæ virtutes ad gubernandum.254.a.
¶Mynisteria ecclesiastica cuius arbitrio dispensanda sunt.876.b.
¶Minus malum quomodò liceat consulere. 535.a. Illud tamen facere nunquàm licet. 536.b.
¶In Missa cur fiat sctõrũ memoria.776.a.
Missæ valor quantus sit.783.a.
Missa pro pluribus oblata non singulis tantum prodest, ac si pro vno offeratur. 782.a.
Neque quantum ad satisfactionem. 784 b.
Pro vna missa duæ possunt pitantiæ recipi. 792.a.
Qui missæ intersunt & qui eleemosynas pro eis pendunt,offerentes sunt.787.a.
Pro missæ sacrificio licèt sit simoniacum aliquid recipere:tamen de eleemosynæ quãtitate ad sustentationem pacisci licitũ est. 826.b.
Missam celebrare ante officium nocturnum non est mortale peccatum.951.b.
Missam celebrare ante Psalmos nocturnos: & etiam post missam alias horas non soluere legitima excusatione persoluendi officium diuinum interueniẽte licitum est. 952.a.
Missam auroræ,vel reliquas ante primam in conuentu dicturus melius faceret si post missam interesset choro ad primã quàm illam ante missam soluere.ibid.
Missæ audiendę præceptum non obligat nisi taliter audire vt sit actus humanus qualis esse potest etiam si aliud adsit ministrũ propositum.956.b.
¶Miracula faciendi hodie non perinde in ecclesia atq; olim in apostolis.866.
¶Moderamen inculpatæ tutelæ quam diligentiam requirat.402.b.
¶Moyses viderit ne,vt Paulus in raptu,faciẽ Dei sub iudice est.89.a.
Moyses potuit ægyptiũ, quem in fragranti delicto occupauit, per modum defensionis occidere:si autem id in vindictam fecit,à culpa non excusatur:nisi diuina reuelatione id fecisse dicatur.240.a.
¶Monachi perfectio, est propriè saluti studere.884.b.
Monachus potest ascendere ad Episcopatũ vbi propriæ saluti periculum non paratur.ibidem.
Monachis non congruit sacerdotia annecti cum animarum cura.810.a.
Monachorum quadrifida opera.653.a.
Monachi,quibus est iuncta animarum cura,ius habent decimas recipiendi:non autem illa ratione obligationem soluendi. 812.b.
Monachi non professi non tenentur ad officium diuinum contra Paluda.948.a.
¶Monachatus summam esse libertatẽ ostenditur.336.b.
Monachatum dissuadens,etiam iniquo animo,non tenetur ex iustitia ad restitutionem cuipiam.336.a.
¶Monasterium etiam si sit pingue, non est simoniacum à sanctimoniali exigere pecuniam ad sustentionem: habet tamen speciem mali.833.a.
Monasterijs non congruit annecti sacerdotia cum animarum cura.810.a.
¶Monopoliorum iniquitas.548.b.
¶Mons pietatis quid sit.537.a.& quibus modis congeri potest, & eiusdem montis leges & capitula.538.a.
Mons pietatis vsurã sapit.ibidẽ.b.& 540.b.
¶Moralium præceptorum ordo triplex. 128.a.
Moralia per se præcepta,neque in lege veteri poterant, neque modò possunt in nobis efficere iustitiam.131.b. Sed per gratiæ auxilium.132.a.

¶Mos

¶Mos trifariàm accipitur.76.b.
Mos vt legis authoritate polleat lõgęuus esse debet.77.b.
¶Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, olim lege naturæ,tenebatur à viro abstinere.66.b.
Mulier nõ meretricia, sed maiori verecundia sui copiã faciẽs, põt recipere pretiũ,360.a.
Mulier nupta,sicut & virgo potest pretiũ suscipere.ibidem.
Mulier maritata teneaturne pretium sui corporis viro reddere,ostenditur.360.b.
Mulier extorquens superfluum per dolum, vel fraudem,tenetur illud restituere. ibid.
¶Mundus propter hominẽ creatus homo autem,vt mundi dominus.886.b.
Mundus fuit sub lege scripta tribus ætatibus.93.b.
¶Mutilare aliquem membrum publica potestas potest,quando expedierit reipublicæ.410.b.
Mutilatio licita est propter corporalem salutem:homicidium verò nunquàm.ibidem.
Mutilati & trunci pœnã.vide, irregularitas.
¶Mutuum in solis rebus vsu consumptibilibus locum habet.507.a.
Mutuum recipere sub vsuris à non parato non licet.533.b.534.b.vide,vsurarius.
In mutuo,pretium rei mutuatæ non attendi tur,plùs minusve tempore solutionis valeat,quod mutuatur, sed eadem mensura quæ datur reddenda est.517.b.
Mutuata pecunia,cuius tempore solutionis mutatus est valor, quomodò sit exoluenda.518.b.
In mutuo iustè pœna imponitur, si stato die non soluatur: imò & de lucro cessante post præfixum diem iustè à principio paciscitur.522.a.
Mutuatarius dñium suæ pecuniæ in fœneratorẽ nõ trãsfert.527.a.b.cętera vide, vsura.

N

Naturaliũ rerumvirtutes admirabiles.766.a.
Necessitas naturalis neque laude digna est, neq; præmio.640.b.
Necessitas voluntariæ obligationis meritũ auget.ibidem.&.644.b.
Necessitas coactionis meritum & laudem ac vituperium tollit: At necessitas præcepti rationem virtutis non excludit, quauis meritum supererogationis respuat. 204.a.
Necessitas grauis quæ sit.474.
Necessitatis, alia ratio est, cui succurrere tenemur, quando illam quis patitur propter iniuriam,aut casualem cladem quã si propter inopiam.466.b.
Qui necessitatem euidentem & vrgẽtem patitur,potest clàm subripere,siue palàm, ea quibus indiget.427.b.Neque illud est furtum.429.a.
Necessitas extrema quæ dicatur.428.b.
Necessitas quæ constituit miserum in periculo honoris licèt non sit extrema, est tamen grauis: & obligat sub reatu mortalis culpæ habentem facultatem vt opem ferat.ibidem.
Necessitas extrema non cẽsetur, si puella in periculo versetur amittendi pudoris, ob victus inopiam.ibid.
Necessitate extrema laboranti subuenire nõ est obligatio propriæ iustitiæ, sed misericordiæ.ibid.
In extrema necessitate cuique pari iure licet alienum rapere, vt indigenti succurrat.429.a.
¶Negotiatio duplex.544.b.
Negotiatio neque est intrinsecè bona, neque mala,licèt eius finis per se consideratus turpitudinem quandam præ se ferat. ibidem.
Negotiatio simpliciter est necessaria reipublicæ.ibidem.
Negotiationis causa licitum est merces cariùs vendere quàm emptæ sunt.545.a.
¶Negotiatoria ars tum ex multis circunstãtijs fit illicita,tum in multis versatur periculis.546.a.&.546.a.
¶Negotiatores fallaciter in nundinis in principio carius vendunt quam in fine.548.a.
Negotiatores inextinguibilem sitim habent lucrandi: similes enim sunt aleatoribus. 545.b.
¶Negotium otio est contrarium:& pro quo negotium sumatur.544.a.
¶Numisma,seu nummus est norma, seu vas ac fideiussor reipublicæ.543.a.
Numisma duobus modis consideratur. 585.b.
Nũmus idem est quod lex, norma & regula.248.b.
Nũmorum sunt duo vsus.228.b.
Nũmi valor non prorsus ex natura rei æstimandus

mandus est : sitne aurum, vel argentum, sed statuto, aut signo reipublicę, aut principis. ibidem.
Nūmus necessitatis tempore in materia vilissima sculpi potest. ibidem.
Nūmorum æstimatio non debet augeri sine magna necessitate. ibid.
Nummularia vnde primum ortum duxerit. 590.a.
¶Nuptias sacerdotibus licere omnium primus docuit Iouinianus. 696.a.
¶Nobiles hodierni tēporis quam pernicioſè abutantur in vindicandis iniurijs. 389.a.

O



Bedientiæ tria obstantia impedimenta. 878.b.
¶Oblationes quādo censentur in præcepto esse. 791.a.
Oblationis verbū qd comprehendat. 790.a.
Oblationum dispensatio ad sacerdotes pertinet. 793.b.
Oblatio de his quæ iniustè acquiruntur, aut possidentur illicita est. 794.
Oblatio de re quacunq; iustè possessa, iustè fieri potest quantum ex natura rei. ibidē.
Oblationes nonnūquàm potiùs debent expedi in paupērum ægestatem quàm ecclesijs offerri. 795.a.b.
Oblatio importat vltroneam exhibitionem. 780.a.
Oblationes cedunt sub præcepto ex præcedenti conuentione, aut deputatione, aut propter ecclesiæ necessitatē, aut propter consuetudinem. 790.
¶Obligatio iuramenti vnius personæ non transit in aliam. 749.b.
Obligatio non videtur iuramentum respicere assertorium. 725.a.
Obligatio est naturalis iuramenti effectus ita. s. illi innatus vt igni natiuum est calefacere. 736.a.
Obligationem à iuramento semouere non est in hominis potestate. ibid.
¶Occidere qui prohibeantur illo præcepto, non occides. 386.b.&.387.a.
Occidere malefactores licet. 385.b.
Occidere hoiem nō est intrinsecè malū. 388.a
Occidere tyrannum quando licet. 389.b.
Occidere malefactores non cuiuis committendum est à principe. 390.a.
Occidere vxorem vir, quando sine peccato potest. ibidem.
Occidere malefactores, clericis quare sit prohibitum & à quo iure. ibid.&.391.a.&.b.
Occidere seipsum scelus est. 394.a.
Occidere se, bifariàm contingit. 398.b.
Occidere innocentem, quem cōstat esse nocentem, semper est flagitium. 399.b.
Occidere aggressorem, quando est medium necessarium ad seruandam propriam vitam, iustum est. 401.b.&.402.b.
Occidere ex intentione, idest, præueniendo, nulli licet, præterquàm reipublicę & principi. 402.
Occidere aggressorē, eligendo tanquàm medium eius mortem, honestum est. ibi. a.b.
Occidere aggressorem tenetur inuasus quando publicè valde necessarius est. 404.a.
Occidere aggressorem non potest inuasus, quando aggressor est reipublicę necessarius, inuasus verò infimus. ibid.
Occidere aggressorem, atque illi parcere, potest inuasus in reliquis casibus. ibid.
Occidere eum, qui fraude & arte perdere me tentat nō licet: quia esset aggressio ex parte occidentis. 401.b.
Occidere latronē, ob defensam bonorū temporaliū, licet. 404.b. explicat ibi August.
Occidere aggressorē ob honoris defensam licet hominibus alicuius authoritatis: monachis verò & clericis non licet. 405.a.
Occidere hominem fortè, quando sit peccatum, vide homicidium casuale.
Occidere animalia bruta licitum, secundùm fidem. 342.b.&.383.a.
Occisores tyrannorum laudantur. 389.b.
¶Occultatio aliqñ non minuit pctm. 418.a.
¶Officijs publicis præficiendus moribus debet ornari probis. 267.a.
Officia publica si nudè & speculatiuè considerentur, vendi possunt licitè. 268.b.
Officij diuina qualiter decantabantur in primitiua ecclesia. 937.a.
Officia publica non habent potestatem vendendi magnates & domini, qui sub ditione sunt regia. 269.b.
Officia publica si practicè considerentur nō licet vendere. 270.a.
Officia scribarum ab ecclesiasticis prælatis vendi iniustum est ac fœdissimum. 271.a.
¶Omnia facta esse propter hominē cognouit etiam Aristoteles. 342.b.
¶Optare licet alteri qđ facere nō licet. 501. a.

Optare possumus mortem alicui, vt nostræ reipublicæ mala caueantur: licet nobis cõstet viam perditionis illum ingressum iri. ibidem.
Optare quomodò liceat Turcæ & alijs hostibus etiam Christianis mala. ibid.
¶Operam dans rei illicitæ quando debeat censeri irregularis. 408. b.
¶Organorum vsus neutiquàm est repudiãdus in ecclesia. 943. b.
¶Orationes Christus creditur cõstitutas habuisse quibus vtebatur. 935. b.
Orationes aliquæ erant constitutę, ad orandum Deum, tempore Apostolorum præter, Pater noster, quam solam orationem admittunt hæretici. 936. a.
Orationis prima virtus quæ sit. 932. b.
Oratione cessante, ac de medio sublata, bona vita existere non potest. 933. a.
Oratio duplex. ibidem.
An pro locatis operis ad orandum liceat paciſci dubium est. 830. b.
Oratio, Pater noster, fuit nobis à Christo instituta, nõ ita præcisè vt alias adhibere nefas esset, sed vt exemplar ad quod ecclesia si volet alias orationes astrueret. ibid.
Orandi modus publicus certas personas per qs psolueret exigebat, vt sunt clerici. ibid.
¶Ordo ante vsum rationis susceptus characterem imprimit, atque adeò verè suscipitur. 651. a.
Ordine sacro initiatus, consensu extorto per metum cadentem in virum constantem, tenetur voto castitatis. ibid. a.
Ordine sacro initiatus, si vsum habeat rationis, cogendus est votum seruare, secùs verò si nullum habeat prorsus. ibid.
Ordines minores non sunt de iure diuino. 819. a.
Ordinis nomen bifariàm est in vsu. 861. b.
Ordo apostolorum in tribus consistit. 865. b.
Ordo quadruplex est in republica. 169. b.

P

Pactum nullũ dici potest contractus stricto nomine. 541. b.
Pactum etiam, tacitũ vsuram exteriorem facere potest. 508. a.
¶Pharisæorũ duplex error circa iudicia-
¶Papa quod habeat plenariam dispensandi potestatem quomodo intelligendum sit. 265. b.
Papa non intendit obligare sua lege nisi à tẽpore promulgationis causa aliter expresserit. 15. a.
Papa alterius iudicio se subdere potest iudicandum etiam in foro exteriori, ad exemplum Christi. 434.
Papa quamcunq; facultatem in seipsum in foro exteriori exercere potest, valet alteri committere. ibid.
Papa excommunicare seipsum non potest, neq; suspendere, neq; seipsum propriè punire. ibid. b.
Papa non potest sibi superiorem aut æqualem constituere. ibid.
Papa non potest causam depositionis suę alicui committere, etiam cùm est suspectus de hæresi. 43e.
Papa solus dispensare potest in pœnis simoniaci. 856. a.
Papam eligi non posse, nisi è cardinaliũ gremio falsum est. 261. a.
Papa dispensans in pluralitate beneficiorũ sine causa, grauiter peccat, & possidens à culpa non liberatur. 265. b.
Papa qui Petro substitutus est, vniuersalem retinet iurisdictionem. 865. b.
Papa ingruente necessitate decimã decimarum à clero exigere valet. 812. b.
Papa beneficia alicui vendens censetur cum eo dispensare in pœnis simoniæ. 821. a.
Papa simoniam potest contrahere. 820. b.
¶Parœcialis sacerdos potest de licentia episcopi curæ pastorali cedere. 884. a.
Parœcialibus sacerdotibus non residẽtibus in suis parœcijs, tertia pars fructuum adimenda est. 791. a.
Parœcij cotidie celebrare tenentur pro sua parœcia, si competentes habent redditus in eadem ecclesia. 791. b.
Parœcij possunt particulares pitantias vltrò oblatas à parœcianis accipere. ibid.
Parœcij possunt ex pitantijs sibi collatis aliquã portiunculam sibi vsurpare, in minutasq; mercenario porrigere. 792. a.
¶Paruulus & adultus in quo differunt quãtum ad iustitiæ infusionem. 130. b.
¶Pascere gregem quid sit, iuxta Dei sententiam. 889. b.
Pasce oues meas, quod Petro dictũ est, quomodò intelligitur. 888. b.
Pascentes greges in pascuis alienis, quando teneantur ad restitutionem. 352. a.

¶Pastores

¶Pastores quare receperint ab angelo primum Natiuitatis nuntium.859.a.
Pastores ecclesiæ,lux mundi.890.
Pastores parœciales etiam residere tenentur 894.b.
Pastoribus animarum meditatio perquàm salubris depingitur.896.b.
Pastoris nomen multò rectiùs cæteris, functionem episcopi exprimit.859.
Pastoris officium describitur.802.b. & explicatur.889.a.
Pastoris omnium maximè propriũ munus, est prædicare.ibid.
Pastoris munus pulchrè, quinq; nominibus designat Ezechiel, iuxta quinq; incõmoda,quibus Christianus grex periclitari solet.890.a.
Pastoris boni natura multis nominibus designatur.ibid.&.892.a.b.
Pastori ecclesiastico licitum est, pro commodo vniuersalis ecclesiæ,gregem alteri committere.902.b.
Pastor bonus dat animam suam,quo pacto sit intelligendum.891.a.
¶Paterfamilias obligare potest liberos:quin & vxorem ad mortale, reliquam verò familiam non item.55.a.
Paterfamilias nequit veras sancire leges.13.b.
Pater verberare potest filios. 412.b. &.413.a. licet eos nimium deterrere nõ debet.ibid. b.&.414.a.
Pater fieri potest,vt filiæ & filius matri licitè connubio iungantur.120.b.
Pater iure naturæ quid possit cum filijs nothis.311.a.
Patri vulnerare filios non licet.ibid.Eosdem tamen etiã clericos verberare potest.ibi.b.
Pater vel prælatus,qui in verberatione vsq; ad sanguinis effusionem procedit, si id bono animo faciat irregularis non est. ibidẽ.
¶Pauperes non acquirunt dominium bonorum quæ carent domino, quoadusq; sint tradita illis.363.b.
Pauperum sustentationi iure naturæ debentur res,quæ reipublicæ redundant. 428.a.
Pauperibus grauiter egentibus superflua nõ debentur de iustitia, sed ex misericordia. ibidem.
Paupertas nõ est absolutè necessaria ad perfectionis statum,sed est necessaria ad peculiarem statum religiosorum.910.b.
Pauperes personati,idest, qui simulata paupertate eleemosynas extorquent, ad restitutionem non tenentur.845.a.
¶Peccato alterius vti,quomodo liceat.534.b.
Peccare propriè sumptum, in solum Deum contingit.229.b.
Peccatum non proinde grauius est, q̃ plus nocet,nisi cætera sint paria.334.b.
Peccata illa censentur in detrimentum reipublicæ,quibus cõmune bonum impugnatur.444.a.
Peccatum veniale, intentio finis ad mortale vsque pertrahere potest:non tamen mortale vsq; ad veniale extenuare.482.b.
Peccata quæ in ora verba continentur leuiora cæteris paribus reputantur, quàm quæ in facto consistunt.481.b.
Peccatum,voluntarium debet esse.406.b.
Peccata quæ non prohibentur in decalogo expresè, maiora sunt aliquando quàm quæ prohibentur.421.b.
¶Peculatus acceptio rei cõmunis est. 417.b.
¶Pecudes nullum ius,neque dominium habent ad pabulum,sed tantùm appetitum & potestatem.285.a.
¶Pecunia bifariàm existimari potest. 523.a. &.585.a.
Pecuniæ quomodo obediunt omnia. 543.a.
Pecunia quatuor de causis plus potest in vno loco,vel tpe,valere quàm in alio.591.b.
Pecuniæ restitutio obligat aliquando etiam cum famæ detrimento.343.a.
¶Pelagianorum hæresis horas ecclesiasticas refutantium.922.
¶Pœnæ vitio simoniæ decretæ quot sint. 855.a.vide,simonia.
¶Pẽsiones solus Papa cõstituere põt. 839.b.
Fructus omnes pro pensiõe statuere, iniquissimum est.ibidem.
Pensiones functionibus spiritualibus adiudicatæ neutiquàm redimi pretio possunt: secùs verò illæ,quæ sub sæculari titulo cõceduntur.840.a.
Pensiones multæ, quæ non sunt in vsu iniquæ videntur.ibidem.b.
Pensiones non habent annexos titulos ecclesiasticos.271.a.
Pensionarius tantum non tenetur ad horas. 945.b.
Pensiones omnium beneficiorum periculosissimæ sunt.ibid.b.
Pensiones nisi ob aliquem ecclesiæ famulatum concedendæ non sunt.959.
¶Perdenti in ludo, datur facultas repetendi intra octo dierum spatiũ.315.b.
¶Periuriorum series & gradus.140.a.
Periurio semper inest falsitas.746.a.

Periu-

Periurium omne ex sui ratione est peccatū mortale.750.b.
Periuriorū species sceleſtiſsima est blaſphemia,&inter blaſphemias illa quæ est idolatria.751.a.
Periurij tria exempla ex Auguſtino.748.a.
Periurium omne esse peccatum asserit Auguſti.ibidem.
Periurium nihil aliud est quam mendacium iuramento firmatum.746.a.
Periurium dupliciter dicitur simpliciter,& secundum quid.756.b.
Periuria multa sunt,quæ non sunt grauioris culpæ quam venialis.755.b.
Propter periurium iure incurritur infamia. 799.a.
¶Permiſsio euangelica,vt vir posit adulteram dimittere,potius est conuentionalis quædam licentia,quam pœna.67.a.
¶Permutata commodatio quid sit.542.a.
Permutationum forma triplex.581.b.
¶Perpetuum dupliciter sumitur.201.a.
¶Perſonæ illuſtri sat est,si quam obtenebrauit alterius famam,pecunia,vel alia ratione compenſet.343.a.
Perſonæ in dignitate conſtitutæ non facilè notandæ sunt criminibus.296.
¶Petro singulariter dictum est,pasce oues meas,cuius ratio asſignatur.810.a.
Petrum non anteà Chriſtus paſtorē sui gregis iuſtituit,q̄ tertio interrogaret.876.a.
Petrus verè fuit reprehēſibilis,& peccauit in obſeruatione legaliū.165. b. non autē peccauit:quia legalia non essent licita.165.a.
¶Pignus infrugiferum colens, an fructus liberè percipere posit.521.a.
Pignoris fructus computandi sunt in sortē. In pignore verò genero pro dote tradito, & in feudo contraria est ratio. 519. b. & in vidua.520.b.
¶Plato contendebat omnia esse communia etiam liberos & vxores.296.a.
Plato,Ariſtoteles,fuerintne ingreſsi ſalutis viam,vnde perpendendum est.91.b.
Platonem in Dei gratiam fuisse receptū verisimile est.92.a.
¶Pollutio per molliciem fornicatione,& furto grauior est.421.a.
¶Polliceri in genere quicquid alter petierit, peccatum est genere suo mortale.749.a.
¶Pœnitentia non esset virtus nisi propter neceſsitatem remittendi peccata.721.b.
¶Pontifex facere potest,vt collatio simoniaca teneat.857.a.
Pontifex ſummus non habet authoritatem in leges principum,nisi quatenùs pugnauerint contra ſpirituale bonum.321.b.vide Papa.
¶Populus iure naturæ tenetur miniſtros ecclesiæ alere,& templum ſtruere.790.b.
¶Poſſeſsio rerum in communi præterquàm vxorum concors erat ſtatui innocentiæ. 296.a.
Poſſeſſor malæ fidei nunquàm præſcribit. 323.b.
Poſſeſſor bonæ fidei elapſo legitimo tempore optimè præſcribit.324.a.
Poſſeſsio bonæ fidei quatuor debet habere. ibidem.
¶Poteſtates omninò diſtinctæ sunt ſæcularis & ſpiritualis.301.b.
Poteſtas ſæcularis ſubest ſpirituali à qua coerceri potest ne diuinas & eccleſiaſticas dilaceret leges.ibid.
Poteſtas eccleſiaſtica & ciuilis,in quo differant.53.b.
Poteſtas parentum in filios qualis ſit.413.b.
Poteſtas imperatoria cæterorumque principum diuina conſtant ſanctione.302.
Poteſtatem ſpiritualem perpetuò eccleſiæ duraturam Chriſtus contulit ſuo vicario. 302.a.
Poteſtas ſpiritualis immediatè à Chriſto domino est inſtituta.ibid.
Poteſtas ciuilis conſtat naturali iure.ibid.
Poteſtas omnis,etiam quæ penes infideles est,à Domino Deo est.302.b.
Poteſtas ciuilis non ſic pendet à ſpirituali,vt ab illa inſtituatur ſuamque accipiat facultatem.ibid.
¶Præbendæ quæ ſint ſpirituales,quæ verò non.809.a. Et an ſit contra ius diuinū eas commutare.819.b.821.a.
Præbendæ,quas,præſtameras vocant,ſpirituales ſunt,& obligant ad perſoluendum officium diuinum.835.
¶Præceptum non est,reddere Deo quicqd pro eo facere poſſumus.189.b.
Præceptum nullū impleri potest per actum nullam libertatem habentem.122.a.
Præceptum dilectionis,quando liget.126.a.
Præceptum generale diuinæ dilectionis ſpecialia cuncta continet.95.b.
Præcepta omnia ad decalogum reducuntur. 106.a.
Præcepta primæ & ſecundæ tabulæ quot ſint,opinio est triplex.107.a.
Præceptis omnibus,quare non ſint ſua ſingulis

singulis propositа præmia.114.a.
Præceptum tertium inter cætera singulariter commendandum est.ibid.b.
Præceptum primum decalogi licet negatiui formam præ se ferat affirmationem tamẽ complectitur.109.o.
Pręcepta decalogi omnia sunt indispensabilia,quæ verò extra vagantur nihil obstat quominùs dispẽsari valeant. 116. a.vide,decalogi.
Pręceptũ nõ est lex,sed explicatio legis.12.a.
Præcepta cũcta decalogi explicationes sunt naturalis iuris.138. b.
Pręceptũ tertiũ non ad internam dilectionẽ sed ad exteriorẽ cultum extẽditur.142.b. Duoq; habet membra, alterum affirmatiuum,alterum negatiuum.143.b. violatur autem per quodcunque peccatũ quãtum ad finem,nõ tamen quantum ad substantiam pręcepti.ibid.Estq; partim ceremoniale,ac partim morale.144.a.
Pręcepta Dei nimis suauia.ibidem.
Pręceptũ tertium in sensu literali creationis beneficiũ:in sensu autẽ allegorico requiẽ Christi in sepulchro significabat. Sed in sensu tropologico significabat cessationẽ à peccatorũ operibus:in anagogico sempiternam requiem pręsignabat.144.a.b.
Pręceptum Dei impleri potest quantum ad substãtiã operis absq; relatione in ipsum Deum,vt in finem spiritualem.125. a.
Pręcepta moralia à naturalibus tripliciter discedunt.102.b.
Pręcepta oĩa dẽpto etiã illo magno charitatis,absq; gratia implere nõ possum⁹.127.b
Pręcepta decalogi omnia ad iustitiam pertinebant.133. b.
Præcepta decalogi non sunt simpliciter prima principia,sed cum restrictione, id est, intrinseca lege.134.a.
Præceptum primum decalogi congruenti forma traditum est.155.a.
Præceptum secundum decalogi optimo est & modo,& loco positum.138.a.
Pręceptum,non furaberis, est merè negatiuum.333.a.
Pręceptum restitutionis est merè affirmatiuum implicans negationem.ibid.
Præceptũ quartũ decalogi de honorãdis parentib⁹ congruentissimè traditur.148.a.
Pręcepta reliqua decalogi, debita ratione prohibitionis tenore posita sunt. 149. b.
Pręcepta ceremonialia,iudicialia in quo differunt.97.a.& 98.a.
Præcepta ceremonialia ad Dei cultum pertinebant.151.a. vide, ceremoniæ.
Præcepta iudicialia,in quatuor mẽbra optimè distribuuntur. ibid.
Pręceptum Domini,nõ occides, explicatur elegantissimè.386.b.&.387.a.
Pręcepta primæ tabulæ decalogi, non dicũtur simpliciter ius diuinũ positiuũ.196.a. cętera vide,decalogus,& lex.
Pręcipere est actus intellectus. 8.a.
¶Pretium rei non secundùm ipsius naturã æstimandum est,sed quatenùs in vsus venit humanos.546. b.
Pretium rei,vt iustum sit ex multis perenditur.547.a.
Pretiũ iustũ dùplex,naturale & legitimũ.ib.
Pretium naturale triplex,rigidũ,pium, moderatum.ibid.b.
Pretium omnium rerum si fieri posset à lege deberet taxari.ibid. b.
Pretiũ nõ dicit iustũ cuiusuis arbitratu, sed secũdùm prudentum existimationẽ.ibid.
Pretium multoties fit iniquũ,si vendens ad expensas rei venditæ considerationem in venditione habeat. ibid.
Pretiũ gẽmarũ,& aliarũ rerũ, quæ reipublicæ necessariæ nõ sunt,tãtũ erit quãtũ emptor sciẽs & prudẽs voluerit dare.549. a.
Pretia rerum emptorum copia auget, raritas verò minuit.548.a.&.551.a.
Pretium læsionis non debet æstimari ad libitum læsi.339.a.
¶Prædari militibus in bello iusto, licitũ est. 430.a.in bello tamen iniusto,rapina.ibid.
¶Prædicatio vendi non potest.816.&. 830.
Prædicare parœcialibus sacerdotibus conuenit ex officio,quibus tamen si theologiæ ignari sunt id munus committere pestilẽtissimum est. 866.a.
¶Præscriptionis definitio ponitur. 322.b.
Præscriptio,nisi quadragenalis in reb⁹ eccle się non habet locum:neq; contra eccleśiã Romanam,nisi centenaria.ibid.
Præscribere potest quis illam rem, quam à latrone emit.24.b.
¶Prælatus negligens famam propriam, delinquit mortaliter.345.b.
Prælati famam dilacerans, cùi teneatur ad restitutionem.345.b.
Prælatus pro libito & sine causa dispensans, infidelitatis,aut in prudentiæ peccato delinquit.78.b.
Prælatis non licet pro functionibus suis aliquid accipere.831.a.

Prælatus trifariàm potest res ecclesiæ occupare.366.a.
Ob prælatorum absentiã à suis ecclesijs heresis subortæ sunt.890.a.
¶Præmium & pœna duo maxima humanæ vitæ præsidia.21.a.
¶Præuaricatio non tantum in accusatorẽ, verùm in aduocatũ & in alios ministros & in iudicem solet vsu cadere.448.a.
¶Primatum ecclesiæ cupiens quanto se periculo subijciat.876.a
¶Primitiæ quatuor modis differunt à reliquis oblationibus.797.a
Primitiæ quo iure debeantur Deo, suisque ministris. ibid.b.
Primitiæ in quota parte, ac de quibus rebus reddendæ sunt.798.b.
¶Primogenituræ cur fuerint illo vinculo colligatæ ne possint dispendi.310.a.& quare masculina serie transfundantur.171.a. & institutionis earũ causa redditur.310.a.
¶Princeps non potest alteri præcipere, vt ipsummet perimat.224.b.
Princeps potest super se iudicem cõstituere, qui se iure perimat.ibid.
Principatus ecclesiæ & ciuilis, quo pacto discriminantur.304.
Princeps potestatẽ habet ferendarum legũ, quibus coërceat rempublicam.302.b.
Princeps dũtaxat in eos rectè imperat, quos commodè administrare potest.304.b.
Princeps nõ cogi suis legibus, iniqua potiùs conditio est, quàm gratia.70.a.
Principẽ omi veritate decet esse ornatũ.19.a.
Princeps suis legib⁹, non solum ciuium probitati decet prospicere: sed ad reliqua officia debet animum intendere.ibid.
Principum pedagogi cùm patronos suos verẽtur incessere, virtutum leges & iustitias legendas porrigant, quæ inuidiam non generant & mores instituant.39.b.
¶Principiorum naturalium ad intellectum practicum pertinentium numerus & ordo.31.a.b.
¶Probatio semiplena quid sit.456.a.
¶Professum extrahens à religione non tenetur aliũ subrogare, nec ipse intrare.337.a.
¶Promissio ex genere suo obligat sub reatu mortali.631.a.
Promissionem mentalem homini factam obligatoriam esse, problema videtur.631.b.
Promissio facta sanctis, quonam pacto votiorationem habeat.643.b.
Promissio verbalis quanuis habeat redemptionis formam, tamen per coactionem cassatur.732.b.
¶Propositum sine promissione non obligat.618. a.
Propositum quale requiratur in votis emittendis.617.a.b.
Propositum non satis est ad votum.618.a.
Propositũ & promissio in quo differãt. ibid.
¶Propositionis per se notæ duplex gen⁹.31.a
¶Præstimonialia absq; intentione clericali possidere, culpa non caret.959.b.
¶Prouisor tenetur ecclesiæ dignum prouidere ex iustitia commutatiua.347.b.vide electio.
¶Prudentia inter morales virtutes primas obtinet.215.b.
Prudentiæ triplex actus.615.a.
¶Puellam vitians, teneatúrne in totam dotem.360.b.
Puellæ quid debeant pati antequàm in stuprum adigantur.ibid.
¶Pupillus ante ætatem legitimam dominiũ habet rerum suarum.280.b.
Pupilli & minores quã possint ludere quantitatem.315.b.
¶Punitio in bonum publicum ordinatur 388.a.
Puniri debet homo nequam, etiam si indicijs manifestis appareat eum perditum iri in infernum.ibid.
¶Pyladis & Orestis memorabile facin⁹.398.

R

Rapina nullatenùs est licita, neque priuato, neque publicæ potestati.429.b.
Rapinæ charactere violentia non est denotanda, quando ab eo infertur qui indiget.430.a.
Rapina grauius peccatum est furto.432.a.
¶Ratio nõ est prima regula, sed ipsamet lex naturæ.39.a.
Ratio practica & speculatiua dissimiliter discurrunt.35.a.
¶Recuperare rem suam priuata authoritate, vt quis possit quæ conditiones requirantur.422.b
¶Rectores & Senatores non habent ius vẽdendi locum suum quem pecunia emerant.271.a.
Rectores vrbium nequeunt suffragia sua vẽdere,

dere,in electione ſcribarum.ibid.
Rectores,ſeu ſenatores iſti, non poſſunt ſipēdia iuraq; ſcribarum per modum penſionis diſpertiri,aut cogere ſcribam,vel aliquid certum alteri ſoluat.ibid.
¶Regimen rerum naturalium,& gubernatio ſpiritualium diſcriminantur.882.
¶Regnum quod quidā hæreditario iure tribuunt Chriſto, iam ante ipſum natum ceſsârat.301.a.
Regnum Chriſti eſt prædicare & docere fidem &c.301.a.
¶Religio ſuperſtitioſa Gentilium non culpanda.97.b.
Religionem eſſe optimam iuſtitiæ partem, quomodò intelligatur.134.a.
In religionis ingreſſu,quomodò liceat pecuniam accipere.832.b.
Religioni nullam facit iniuriam, qui bona intentione impedimēto eſt volēti eſſe monachum.336.a.
Religionem expolians perſona frugi,forſan tenetur de damno dato.337.b.
Religio an ſit vera religio, vnde perpēdi debeat.690.b.
Religioni, res vxoria ex diametro opponitur.690.a.
Religio,ſi vera eſt religio iure diuino habet annexam caſtitatem.691.a.
Religioſorum ſtatus obedientiam in primis requirit.693.a.
Religiones militares præter ordinem beati Ioānis,nomīe tenus ſunt religiones.692.a.
Religionū militarū equitibus, expediēs eſt diſpenſatio,vt copulēt ſibi vxores.692.b.
¶Religioſus repulſus à religione non tenetur vltrà ad ſtatuta religionis.635.b.
Religioſi non tenentur manuum labore victum quærere, ſed iuſtiſsimè mendicare poſſunt.686.a.b.
¶Religioſus epiſcopus ad quas religionis ob ſeruantias teneatur.963.b.
Religioſus eps eſſentialia vota nō relinquit, ſed mutat.964.b.quo fit, vt Papa in voto continentiæ cum ipſo diſpenſare nos valeat.ibidem.
Religioſus epſ ſoli Papæ manet ſubdit°.ibi.
Religioſus epſ ex æquo tenetur ad debita, à quibus nō abſoluitur aſſumptus ex ordine Prædicatorum,aud Minorum.ibid.
Religioſus epſ,cui bona q̄ acq̄rit reddere teneat:& an teſtamētū cōdere poſsit.966.b.
¶Repaſsio exprimæua ſignificatione eſt cōtra voluntatem paſsio,247.b.
Repaſsio ex abuſa ſignificat ſpōtaneas mutationes.247.b.
¶Reſidentia epiſcoporum apud antiquos monita non diſputata: apud neotericos autē eò vſq; reuocata eſt in quæſtionem, vt ſit iam ſuaſu difficilis.885.b.
Reſidentiam prælatorum iure diuino,naturali,& humano eſſe ſancitam, innumeris teſtimonijs cōprobatur.886.& infrà,vſq; ad.900.b.ob cuius defectū innumeræ ſunt hæreſes in eccleſia ſubortæ.890.
Reſidere in eccleſia propria, ſegniter tamen & oſcitanter,quandoq; peiùs quàm non reſidere.895.a.
¶Reſ ſpirituales quadruplices.822.a:
Res an ſit vel anlicita ſit quærere idem eſt in moralibus.709.a.
¶Reipublicæ quadruplex regimen.45.b.
Res publica eccleſiaſtica & ciuilis in quo differunt.887.a.
Reſpublica tota nō poteſt expoliare principem iure regni,niſi ob tyrannidis corruptionem.302.b.
Reſpublica erudita diuinitùs creauit principes.ibidem.a.
Reſpublica nō eò melior quò maior.304.b.
Reſpublica quonā pacto ciues in rectis vſibus contineat.309.a.
Reſpublica, vel princeps dupliciter poteſt dominiorum tranſlationē impedire.318.a
Reſpublica quibus titulis poſsit ab inuitis ciuibus bona auferre.322.b.
¶Reſurrectio. patribus legis veteris reuelata fuit.100.a.
¶Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ.328.a.
Reſtitutio nō eſt vbi ratio debiti abeſt.ibid.
Reſtitutio & ſatisfactio ſeptē differentijs diſcriminantur.329.a.
Reſtitutio de quibus debeat fieri.329.a.333.b
Reſtitutio quibus fiat.329.b.
Reſtitutio quæ dicatur propriè.331.a.
Reſtitutio,vt obliget requirit tres conditiones.341.a.
Reſtitutionis ratio,ibi ſolū eſt, vbi res iniuſtè,vel aufertur,vel retinetur.331.a.
Reſtitutio quo pacto ſit facienda ab eo qui rem alienam ſecretò vſurpauit.370.b.
Reſtitutionis vinculum obligat ſub mortali culpa.331.a.
Reſtitutio in his quæ ſecundùm ſpeciem reparari nequeunt debet fieri ad arbitrium prudentis.338.b.
Reſtitutio quantum ad actum animæ inte-

riorem quando obliget.333.a.337.b.
Ad restitutionem an teneatur qui trahit alium ad ludum.316.b.
Restituere an teneatur, qui abducit monachum à religione.337.b.
Restitutionis obligatio transeátne ad hæredes.340.a.
Restitutio secundũ morẽ legum põ obligat cum detrimento vitæ: potest tamen euenire qñ obliget etiã cũ tali periculo.343.b.
Restitutionẽ famæ remittere ex genere suo nõ est mortale, imò aliqñ laudabile.344.b
Restitutio nem eidem fieri à quo res sublata est nempe domino necessum est.357.a.
Restitutionis cuiuscũq; obligatio oritur, aut ratione rei acceptę.368.a.b.
In restitutione tria obseruanda.357. b.
Restitutioni obnoxius ratione rei acceptæ tenetur illam & omne id quo per ipsam ditior factus est restituere.ibid.
Restitutio quã primum adfuerit facultas obligat.377.b.
Restituere nollens, cùm potest, an peccet nouo peccato.ibid.b.
Restitutionẽ an liceat differre, & qñ.379.a.
Restituere quomodò teneatur qui impedit aliũ à beneficij cõsecutione.348.b.346. a.
Restitutionem procrastinantes in quãto vertentur periculo.390.a.
Restitutio qñ arbitrãda est impossibilis.381.a
Retrahens, seu extrahens, quempiam vi, minis, vel fraude, à religione ad quam restitutio teneatur.336.b.
Restitutio cui sit facienda, quando creditor ignotus sit omninò.362.b.
Ad restitutionem quando teneãtur, qui bonis cesserunt.381. b.
Restitutio cui facienda quando nec dominus, nec hæres comparent.362.b.
Restitutio quomodo faciẽda sit qñ plures simul ad idem dãnum concurrunt.376.b.
Restitutio vsuræ, creditori non pauperibus, est faciẽda.517.b. vide, multa vsura, & vsurarum restitutio.
Restitutio simoniæ. vide simonia, & simoniæ restitutio.
Restitutioni obnoxi' est pceptorũ fructuũ, qui parœcialẽ habens ecclesiã nõ intẽdit ad sacerdotiũ promoueri: quod intelligitur etiã sine iudicis cõdẽnatione: quia lex illa nõ est pœnalis. 958.b.959. a.b. de alijs beneficijs quæ extra animarũ curã sunt, quid sit dicendum.ibidem.&.960.
Ad restitutionẽ nõ tenent, qui ecclesijs suis iuxta earũ statutũ tenorem inseruiũt, nisi manifesta sit peruersitas, quanuis videantur non pro dignitate inseruire. 961.b.
Restitutioni non sunt astricti clerici solùm ob vitæ corruptionem. 962. a.
¶Reus interrogari iustè nõ potest absq; vno prẽuio, illoq; iurato, idoneo teste.467.a.
Reus respõdere iudici non tenet quousq; illi constet more & lege se interrogari. 456.a.
Reus legitimè de crimine interrogatus, sub reatu mortalis culpæ tenetur crimen suũ patefacere, etiã si ob hoc sit in mortem rapiendus. 450.a.
Reus non legitimè interrogatus nõ tenetur crimen suum fateri.ibid.b.
Reo siue iure siue iniuria interrogetur, nunquàm licet mentiri.ibid.
Reus in tribus casibus tenetur respõdere veritatem iudici interroganti de proprio crimine.ibid.b.
Reus ac simul actor nemo tenetur esse.339.a.
¶Rex propter regnum instituitur, nõ è conuerso.886.b.
Rex est anima regni.304.b.
Rege simpliciter superior in temporalibus nemo censetur.395.a.

S

Abbati nomine, reliquę oẽs festiuitates intelliguntur. 111.a.
¶Sacerdotes plebani suarum sunt parœcialiũ ecclesiarum pastores, tñ tamẽ perfecti. 864.b.Neq; vllam habent vim coactiuã quantum ad forum iudiciale.866.b.
Sacerdos potest locare operas antecedentes sacramentũ, nõ tamen sequentes.823.b.
Sacerdoti licet pacisci de mercede pro obligatione celebrandi.824.a.
Sacerdotibus religiosis & antistibus, citra mortale, vix vti licet ludis vetitis.314.a. vide, ludus.
Sacerdotes habeántne verũ dominium fructuum ecclesiasticorum. 916.a.b. De quo variæ sunt opiniones.914. a.b.
Sacerdotes arctiùs perstringuntur pręcepto eleemosynarum quàm sæculares.933.a.
Sacerdotibus iure permittitur propria bona suis hæredibus relinquere.924.a.
Sacerdotes teneantúrne singulari iure præsæcularibus ad eleemosynarum subsidiũ. 925.a.&.926.a.
Sacerdotũ negligẽtia dispgunt greges. 890.b
Sacerdos an possit plures pro vna missa pitantias

tancias recipere. 792.a.
Sacerdotes trifariã possunt his, quæ ad diuinum cultum offeruntur vti.793. b.
Sacerdotes antiquæ legis, quomodo à nostris differebant.762.b.Et eorum sacerdotium à nostro.889.b.
Sacerdotes nouæ legis sublimioris dignitatis sunt, quàm legis antiquæ.803.
Sacerdotũ numerus magnus requiritur in noua lege. ibid.
Sacerdotes nõ decere magna in paupertate vitam degere.ibid.
Sacerdotibus præter decimas alias possessiones habere licet. Quas leuitæ non habebant.809.b.
Sacerdotes negligentes in erogandis eleemosynis, non tenentur ad restitutionem de iustitia,sed de misericordia.ibid.
Sacerdotalis ordo à religione in quo differat.691. a.
Sacerdotum votum medium est inter præceptum merum,& votum solenne.691.b.
Sacerdotum continentiam improbat & dãnat Lutherus.696. a.
Sacerdotum continentia vsq; adeò est necessaria vt absq; illa nequeant legitimã Christi effigiem retinere.696. b.
Sacerdotum continentia multis præsignata fuit in Veteri testamento.ibid.b.
Sacerdotes ex cõiugatis cõstitui permissum fuit,circa Apostolorũ tempora.765. a.
Sacerdotib⁹ postquàm addicti essent sacro ministerio,nonquàm licuit vxorio negotio se implicare.ibid.&.766. b.
Sacerdotum votum dispẽsabile est à Romana ecclesia.ibid.a.
Sacerdotes non contrahere coniugia,neque coniugatos assumi in sacerdotes, ecclesiæ præcepto constat.768.b.
Sacerdotes Græci non modò repudiârũt Roman.institutum,sed amplexati sunt illud,quod ex nullo Apostolorũ,aut conciliorum permissu elicuerunt.769.a.
¶Sacramenta veteris legis à solis carnis sordibus,& quas dicunt irregularitates, corpus mundabant.156.a.
Sacramentorum gratiam spiritualem pecunia vendere,symonia est.762.a.
Sacramentum altaris adorandum & vnicũ sacrificium Christicolis.779.b.
¶Sacrificium quid sit,declaratur.772.b.
Sacrificiorũ oblatio non solũ diuini iuris & humani est,verũ etiam naturalis.773.a.
Sacrificiũ quomodò distinguatur ab oblatione.772.b
Sacrificij oblatio ex iure naturæ est.773.a.
Sacrificij duplex genus.777.b.
Sacrificium & sacerdotium, vt lex & gubernator,semper in omni republica fuerunt. ibidem.b.
Sacrificiũ nemini offerẽdum, nisi ipsi Deo. 774.b.
Sacrificia cur Deus nolle dicatur. 775.a.
Sacrificiorũ oblatio,secundũ suã propriã rationem,est actus specialis virtutis. 776.b.
Sacrificiorum antiquę legis duplex erat causa.153.b.
Sacrificiũ dicitur quodlibet opus virtutis, vt refertur in diuinum honorem.777.a.
Sacrificium maximè id dicitur quod nullã habet aliundè laudem quàm quod in diuinam reuerentiam exhibetur.777.a.
Ad sacrificium internum vniuersitas hominum lege naturæ tenetur. ibid.b.
Ad sacrificia quæ sola significatione virtutẽ religionis induunt, solùm tenentur qui sunt lege Dei scripta agunt.778.a.
Ad sacrificiũ aliqđ Deo exhibendũ oẽs,etiã solo iure naturali viuẽtes quocũq; sæculo fuerint,tenebant̃,secũdũ cognitionẽ quã de vna prima causa habere tenebant̃. ibi.
Sacrificium Christicolis proprium est eucharistia.779.b.
Sacrificiũ per sacerdotẽ Christi ministrum oblatum non est infiniti valoris.783.a.
Sacrificij valor non crescit secundũ proportionem deuotionis offerentium.784.a.
Sacrificium altaris, vt reliqua sacrificia pro mortuis oblata,eis ꝓsunt,q cũ hîc viuerẽt meruerunt,vt hoc sibi prodesset, finistrè aliq intelligũt:& ꝙliter intelligẽdũ. 788.b
¶Sacrilegium quo casu committatur.143.b.
¶Salus spiritualis cuiuscunq; sibi ipsi proprièe commissa est. 877.b.
Salutis propriæ curam per nullum impedimentum homo præterire debet.884.b.
¶Sanguinis sola effusio non est irregularitatis causa.393. a.
¶Sanson reuelatione diuina hostes peremit. 120. a.
¶Satisfactio extra gratiam nihil pœnæ remittit.329.b.
Satisfactionẽ inficiantur Lutherani.331.b.
Satisfit si simplum restituatur quod ablatum est.351.b.
Satisfactio de quibus fieri debeat.329.a.
Satisfactio quibus fiat.ibid.b.
¶Scientia etiã Theologię vẽdi potest.830.

¶Scholares præstantes suffragia non testes, sed electores sunt.350.a.
Scholares bifariàm iniustitiam suffragando committunt.ibid.b.
Scholares non scripti albo,& ambientes possentne præstare suffragium.ibid.
¶Scholarum Magister potest nouas adhibere pœnas scholaribus,vt seruent leges tã vniuersitatis,quàm alias.319.a.
Scholarum Magister non habet potestatem condendi,vllam legem. ibidem.
¶Scopum attingere vno tantũ modò cõtingit,ab errare verò infinitis.187.a.
¶Scotus quam lapsus fuerit in explanatione illius præcepti non occides.985.b.
¶Sensus literalis & mysticus in quo differunt.153.a.
¶Sententiam ferre secundùm probabiliorẽ opinionẽ semper est necessarium,etiam si altera opinio probabilis sit.275.b.
Sentẽtia iniqua quæ in falsa præsumptione fundatur nõ obligat in foro interiori.Cui tamen reus licitè auscultare potest, si duntaxat legi humanæ sit contraria: secùs si diuinæ.55. b.
Sentẽtia excõmunicationis ipso iure ligare solet,& qua ratione id eueniat.64.a.
Sententiam iniustam philosophi morales nullam vocant.472.a.
Sententia iniusta apud Iurisconsultos quæ sit.ibem.
Sententiæ iniquæ,quicunq; eam iniquã esse resciuerit,parere nõ tenetur in foro cõscientiæ quãuis in fœculari teneaẽ. ibidẽ.
¶Secretorum multiplex ordo. 456.b.
Secretum confessionis quantũ debet esse reconditum,& ab exteriori foro semotum. 457.a.
Secretum ab illo qui per iniuriã extorsit arctissimo nexu astringit seruãdi illud. ibi.
¶Sermo omnis fidelis pro iuramento est secundum euangelicam veritatem.713.a.
¶Seruis quando liceat fugere. 289.b.
Serui, quibus rebus tanquàm proprijs valeant vti,& qui serui hoc possint.290.a.
¶Seruitus duplex legalis,& naturalis.288.b
Seruitus legalis item duplex.289.a.
Seruitus vendentium sese licita est.289.a.vbi de Aethiopibus Portugaliæ disputatur.
Seruitus mancipiorum licita & pia est. ibidem.
Seruitutis species plurimæ sunt.289. b.
Seruitus contra primariam naturæ intentionem est, non tamen contra secundariam.290.b.
Seruitus quomodò iure gentium, quomodò imperatorum sanctione constet.291. a.
Seruitus naturalis, quæ per peccatum introiuit,non incidisset in statu innocentiç. 290. b.
¶Simon Magus donũ Spiritus sancti emere voluit, à quo simoniæ nomen deriuatum est.813.b.
Simon Magus hæreticus fuit, non ex simonia,sed quia credidit mundum non fuisse creatum.554.b.&.817.a.
¶Simonia genere suo peccatum mortale est. 817. b.
Simoniæ triplex species.848.a.
Simoniæ materia res spirituales sunt, sed nõ cuiuscunq; generis.814.a.&.b.
Simoniæ vitium quale sit ex euangelio venit vestigandum.813. b.
Simoniam committit prædicator euangelicus, si pro munere prędicationis pretium ex conuentione recipiat. Non ita est de docente scientias naturales quascunque 815.a.&. b.
Simonia non reperitur propriè extra ecclesiam catholicam.ibidem.
Simoniæ definitio approbatur.816.a. &.b.
Simonia ab alio vitio imperatur, ab alio elicitur in distincta potentia existente. ibidem. b.
Simonia naturali diuinoque iure prohibita.818.b.a.
Simonia aliqua est ad ius mere positiuum attinens. 816. a.
Simonia duplex,mentalis, & realis. 848. a.
Simonia non est, resignare præbendam in manus prælati in fauorem alicuius.& non aliàs.839.a.Commutare verò cum pacto, nisi in pacto adducatur consensus Pontificis simonia est.ibidem.
Simoniam sapit in permutatione præbendę ad honorem & dignitatem præbendæ respicere, ita vt honorabilior pluris æstimetur,si aliàs fructꝰ sunt æquales. ibid.b.
Simonia verè committitur, si res spiritualis pro obsequio temporali, vel munere tribuatur.841.a.& etiã pro munere à lingua & pro turpi obsequio.ibid.b.
Qui pecuniam alicui confert, vt præbendã ei procuret, etiam collatore inscio simoniam fortasis committit.ibidem.b.
Simonia non est ratione cõsanguinitatis beneficiũ conferre:ratione verò dignitatis, ac probitatis consanguineo dare laudabile est:

le'est:in hoc tamen antistites periclitãtur maximè.842.b.
Simoniam non committit,qui metu alicui beneficium confert.843.
Simonia realis sine mentali aliqñ est.848.b
simoniæ pœnæ.855.vide,pœnæ simo.
Simonia mentalis est illa, quæ pro obiecto habet realem & hæc pœnis iuris nõ subditur 848.a.
Simoniæ mẽtalis optima disputatio.941.
¶Simoniæ restitutio & quòd per simoniam acquisita restitutioni sint obnoxia. 846. b. simoniacæ pœnæ. ibid. &. 850.a. b. & 855.a.
Spirituale quicquam vendens naturali iure, restitutioni subditur.847.&.853.b. emens verò an teneatur.847. &.853.b.
Simonia omnis realis in qua pretium solutum est,ad restitutionem obligat. 848. b. & ad resignationem præbendæ,quæ cum tali pacto collata fuit, etsi pretium solutũ non fuerit.ibid.
Simonia acquisitorum restitutio facienda est illi,qui pretium dedit,quandiu per sententiam non fit condemnatio.849.b.
Simonia mentalis an ad restitutionem obliget,pulchra disputatio.851.b.obligat vtique.ibid.b.
¶Simoniacus tam ratione rei acceptæ, quã ratione iniustæ acceptionis,restituere tenetur.851. b.
Simoniacus post condemnationem restituere debet ecclesiæ vel pauperi bº aliàs ei qui dedit.849.a.
Simoniacum est ob ordinum exhibitionem munus aliquod exigere.854.b.
Simoniacum non est,cùm pro actibus hierarchijs,vt pro inungendis sacerdotibº,& consecrandis epis,aliquid retribuit.827.à
Simoniacum est vendere ius præbendæ, & contra ius naturæ.834.b.
An simoniacus fuerit Abraham emens sepulturam.836. b.
Simoniacum est nolle conferre locum sacrum ad sepeliendum mortuum ,nisi pro pecunia:at verò si quis honoratiorem locumaffectet,ab illo pecuniam ad ecclesiæ fabricam exigere,simonia non est. 837.a.
¶Societas seu societatis cõtractus duplex genus.575.a.b.
Societatis contractus licitus est, si qui pecuniam ponitpericulum eius subit.575.b.
In societatis contractu qualiter distributio lucri facienda est,dum vnus pecuniã ponit,alius industriam.576.a.
Societatis quidã pessimus cõtractus.ibid. b.
Societatis cõtractus, vbi quis sic pecuniam ponit,vt nulli se exponat periculo, neutiquam licitus est.577.a.b.
Societatis quidã implexus cõtractus. 577.b.
Societatis cõtractus in quo socius cõtractũ assecurationis capitalis,& venditionis lucri,cum suo socio facit,siue à principio, siue succesiuè,vsuram sapit.578.b.
Societatis quidã periculosus cõtractus.ibid.
¶Socij qui dicantur.575.a.
Socius qui centũ societati cõmittit,licitè potest quinquaginta tantũ periculũ subire: dũm illam præcisè partẽ lucri suscipiat, quæ illi quinquaginta respondet.577. b.
¶Solicitudo necessaria nõ est interdicta,sed superflua.188.a.
¶Solennitatem veterum numerus.154.b.
¶Solutione anticipata quomodò liceat viliùs emere:vt in lanarum negotio fit. 563. a.vide,emere.
Solutio expectata nihil vetat, quominùs cõtractus à principio perfectus sit. 564. a. licèt oppositũ, vt Caietano placet, non sit omninò improbabile.ibid.
¶Sors idẽ qđ capitale,seu principale. 507. b.
¶Spiritualia quare pecunia nõ æstimẽt.515.a
Spirituale & illi annexũ,& qđ ab spirituali depẽdet,non est pretio vendibile. 772.a.
¶Spuriorum quatuor esse genera,& quãdo succedãt in hæreditatẽ,& quãdo nõ, & de clericorũ nothis filijs ostẽditur. 311.a.b.
¶Statuam quam vidit Daniel cap.2.quid significet.305.a.
¶Stipẽdia vniuersitatis non sunt in rẽ personarũ,sed in stipẽdiũ ministrorũ.350. b.
Stipulatio,an sit contractus.543.a.
Stipulationes turpes nulliº sũt momẽti.561.b
¶Studiosus quisq; debet tres habere conditiones.121.a.
Studiosus aut prauus non dicitur, nisi qui ex habitu operatur.222.a.
¶Subsanatio à derisione & contumelia differt.498.b.
¶Subsanator turpia dicit,vt gloriã conscientiæ alteri adimat. 499.a.
¶Subditũ esse vnum alteri in foro iudiciali quatuor modis contingit.433.b.
¶Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui,explicatur.279 b.
¶Superbia humana de duobus extollitur. 93. a.
¶Suspicionis nomen tria connotat.230.a.

Suſpiciones duplici ex radice oriũtur. ibid. b
¶Suſurratio genere ſuo grauius peccatũ eſt contumelia & detractione. 495. b.
Suſurrare ad dirimendas amicitias, quando peccatum ſit, & quando virtus. 496. b.
Suſurronis & detractoris diſcrimen. 495. a.

T

Acens & nõ obſtãs qñ dicãtur cauſa. 375. b
¶Taletis mileſij hiſtoria, qui docuit p phi loſophiã homines poſſe fieri iuites. 557. b.
¶Talio vnde trahat originẽ, & qd ſit. 448. b
Talionis pœna iuſta. ibid.
Talionis lex quare poſita ſit populo Iudæorum. 449. a.
Talione dignus nõ eſt, qui inculpatã ignorantia, quẽ in crimine eſſe putat reum facit. ibidem. b.
Talionis pœnam princeps remittere nõ poteſt: quãdiu accuſatus non remiſerit. ibid.
¶Templi vnius Iudæorum literalis & myſtica ratio. 554. a. b.
Templa non placent hæreticis cùm ſint publicarum orationum loca. 935.
Templa quãtum Chriſto placuerint, multis locis oſtenditur. ibidem.
¶Tempus ſacrum non violatur per peccatum, ſicut locus ſacer. 143. a. b.
¶Tentare denui quid ſit. 717. a.
¶Tergiuerſari tribus modis citra culpam, accidere poteſt. 448. a.
¶Teſtamentorum ſolemnitas deſcribitur. 318. b.
¶Teſtimonium conferre tenetur quicunq; à legitimo iudice, ſecundùm iuris formã in teſtem aſcicitur. 465. a.
Teſtimonium dicere non tenetur, qui occulta crimina, de quibus neq; infamia, neq; alia iuris cauſa præceſſit, interrogat⁹ fuit. ibidem.
Teſtimonium quando quis ſponte propriã offerre teneatur. 466. a. b.
Teſtimonium conferẽdi, & aliarum eleemoſinarum diſcrimen. ibidem. a.
Teſtimonium duorũ, qui ſint fide digni, ſufficiens eſt in iudicio: & ad maiorem certitudinem trium. 467. b.
Teſtimonium duorum vel trium, non vſq; adeò iure naturę ſtabilitum eſt, vt nullam ob cauſam exigi poſſint plures, quando mortalium fides, & iuſtitia deprauata eſt. 468. a. & b.
Teſtimoniũ hominũ iure & meritò, tã ob alias cauſas, q̃ ob culpã, repellitur. 469. b.
Teſtimonia illa reipublicæ neceſſaria ſunt, quę bonũ habẽt authoritatis põd⁹. 470. b
Teſtimonium falſum quãdo mortale ſit, & quando non. 471. a. b.
¶Teſtimonium humanum duplici de cauſa fallax. 709. b.
Teſtimonium Dei quicunq; adducit nõ iurat. 710. b.
¶Teſtis extra caſum neceſſitatis liberãdi innocentem aut rempublicam, potiùs inclinare debet ad ſeruandum ſecretum proximi, quam ad prodendum. 467. a.
Teſtes ſingulares non faciunt in iudicio fidem. 468. b.
Teſtium in ipſa actus ſubſtantia diſcordantium teſtimonium, aut refutatur, aut non ſatis ad ſententiam faccre cenſetur. ibidẽ.
Teſtibus actoris & rei ad inuicẽ diſcrepãtibus, cæteris paribus ſtandum eſt parti rei. ibidem.
Teſtibus vtriuſq; partis interſe diſſentientibus, vtri partium aſſentiri debeat, ex multis iudex poteſt perpendere. ibidem.
Teſtes ſingulares de multiplicatis ab eadem perſona eiuſdem actibus, quam fidem faciant in regionibus. 469. a.
Teſti crimen obijcere, quando liceat, & quãdo non. 470. b.
Teſtium non omnium repulſa pœna eſt, ſed quandoq; cautela. 470. b.
Teſtis in iudicio aſſerere nõ debet, niſi id de quo per vigilantem conſiderationem habet certam ſcientiam. 471. b.
Teſtis aſſerens quod poſt prudentem vigilantiam pro certo habet, & ſi falſum ſit, non eſt reus mendacij. ibidem.
Teſtes iure iurãdo ſtringũtur vt maiori percuciantur timore. 472. a.
Teſtis pro veritate dicenda nihil recipere poteſt: bene tamen pro labore. 478. b.
Teſtes ſimoniæ iure antiquo tenebãtur ſub anathemate reuelare, nec ante poterãt abſolui. 855. b.
¶Timotheus & alij epiſcopi quare iuſſu Pauli à ſuis eccleſijs nonnunquam peregrinati fuerint. 895. a,
¶Titulus quid ſit explicatur. 281. a.
¶Traditio per votum non fit, niſi ille quã traditur ſolemniter recipiatur. 648. b.

¶Trahens

¶Trahens alium ad ludum an teneatur ad restitutionem.316.a.
¶Tributi,scilicet,Alcauala ratio iusta nō sit, & quomodo obliget in conscientia.352.a.
Tributorum quatuor nomina.276.a.
Tributum quod apud Hispanos dicitur Alcauala,quod sit ibidem.b.
Tributa debentur principibus in conscientia.276.b.
Tributorum libertatem Rex potest hominibus rusticis precio donare vrgente necessitate.ibidem.
¶Turcæ cæcitas de dominio vitæ subditorū describitur.203.a.
¶Tyranus censenduseſt qui leges in propriū commodum coastituit.11.b.

V

VAlor rei æstimandus est,secūdum id quod in præsenti est.557.b.
VAlor rei iustus vt sit,prudentiū iudicio,nō cuiusuis metiendus est.547.b.vide prætium.
¶Varietatis tres sunt gradus.139.b.
Vectigal census & tributum in quo differunt.276.a.
¶Venans alienas feras, quando teneatur ad restitutionem.353.b.
¶Venatio homini est naturalis.384.a.
Venatio iure gentium communis est.353.a.
Venatio triplici de causa vetatur.353.a.
Venationis custodiēdæ sui gratia,nō est par ratio in rege,& in magnate.ibidem.
¶Vendere licèt pretio rigido,pio,& moderato.547.b.
Vēdere vltra dimidiū iusti pretij qd sit.551.a.
In re venali tria sunt consideranda.554.
Vendens sacerdotium tenetur diuino & naturali iure restituere pretium.847.a.
Vendere rem viciatam pretio integræ & solidæ,iniquitas est.554.a.
Vendens bona fide rem emptam à latrone, quid debeat facere.369.a.
Vendere non licèt,ratione crediti pretij,carius rem quàm in præsenti valet.558.b.& 564.a.Et vide venditor.
¶Vēditio est rei pro pretio distractio.543.b
Venditio cum deceptione ītra dimidium iusti pretij:iniqua est,& si permissa.551.b. vide deceptio.
In vēditione,falsissima regula est si quis semper quanto emit pretio quantumq; laboris & periculi subiit tanti velit vendere,cū lucri accessione.547.b.
Venditio ab vsurario facta qualiter sit valida.529.b.
¶Vēditor q rei defectū cognoscēs eū dēfraudulēter emptorē celauerit,cōtra iustitiam delinquit:& idē de emptore dicēdū.554.b
Vēditor si caueat damnum dare,puta quod non pluris rem vēdat quàm cū vitio valet neq; vllo emptorē obiiciat periculo,& res sit emptori pro pretij ratione vsui,nulla lege compellitur vitium patefacere.555.a.
Venditor mensuram fraudando,vel rei substantiam vitians:& si iniustitiam non cōmittat,vt puta quia expretio demit quod in mensura tollit,vel in substantia vitiat, iustè tamē à publico magistratu punitur: licet hæc aliquando absq; crimine facere possit.556.b.
Venditor nō tenetur reuelare quod in futurum expectatur.557.b.
Venditori nullo modo licet,credito pretio cariùs vendere rem ratione crediti pretij, quàm in præsenti valeat:558.b.
Venditori nihil licet exigere ratione pericu li soluendi pretium in futurum.559.b.
Venditori an liceat quando credito pretio vendit,de expensis in recuperando pretio à principio paciſci.560.b.
Venditor qui suas merces venditurus non erat,neq; ad tempus quo pretium auctum iri coniicitur,potest pluris vendere quàm tempore venditionis valent,deductis tamen expēsis & laboribus:etiam casu quo rogatus vendat.563.& quòd hoc locum habeat,etiam si non esset seruaturus merces, non est omnino improbabile vt Caietano placet.564.a.
Venditori licitum est in pretium rei ducere damnum quod accipit:quare res æstimatur,nō solùm quanti In se valebat,verùm & quanti venditori.550.a.emptore tamen admonito.ibidem.b.
Venditori non licèt in pretium ducere commodum quod ementi ex venditione accrescitur ibidem.
¶Verberare possunt patres & qui curam gerunt paternam:nō tamen mulitare.412.b. & 413.a.& subsequentibus.
Verberare maritus quomodo posit.414.b.
¶Verbum stare in ore duorum vel triumquit sit.321.b.
Verba equiuoca in iuramēto an sint obligatoria.738.b.

¶Veritatem

¶ Veritates perpetuę qualiter ſubſint legi Dei æternæ.26.b.
Veritatem nullatenus abnegare licèt.440.a imo eam cõfiteri tenet reus cum periculo vitæ,ſi iuridice interrogetur, aliàs non eſt abſoluendus.456.a.
¶ Vidua fructus pignoris pro dote ei tradi-ti in ſortem ducere non tenetur.520.b.
¶ Violenter reſpub.& princeps poſſunt citra iniuriam aliquid à ſuis ciuibus extorquere,quòd ſi perſona priuata id faciat , ra-pror eſt & latro.429.b.
¶ Vim vi repellere licèt.404.b.&.346.a.
¶ Vir qui vxorem in flagranti delicto enecat peccat.390.b.
Vir poteſt accipere pretium turpitudinis à muliere.359.b.
Vir poteſtatem ſui corporis non habet ſed mulier,explicatur quo pacto.279.a.
Vir non habet ius dominicum in vxorem. 280.a.
¶ Virtutis duplex conſideratio.33.a.
Virtutes humanæ ſunt in vniuerſum de lege naturæ:hoc eſt, ſecundum hominis na turam,ſi generalem rationem virtutis cõ-ſideres : ſi autem materias actuum ipſorũ mediteris non omnes ſunt de lege natu-ræ.33.a.
Virtutes omnes quare prudentiæ cõnectun tur.226.a.
Virtutes conſentaneæ diuinæ legi , non di-cunt ſimpliciter de lege naturę,ſed potius ſupra naturales.34.a.
Nulla eſt virtus cuius nõ aliquis actus ad cõ mune bonum referri valeat.49.b.
Virtus colenda eſt.345.a.
Virtutum, opera tenemur Deo offerre formali aut virtuali ratione.778.a.
Virtutis opus quantę ſit perfectionis è duo-bus æſtimatur.795.a.
Virtutes quæ hominem componunt in or-dine ad ſeipſum diſcriminãtur ab eis quæ illum componunt in ordine ad alterum. 816.a.
Virtus non eſt in ea potentia quæ electionẽ facit,contra ſcorſum ibidem.
Virtutum præcepta dignitatis ordine debẽt ante ferri prohibitionibus vitiorum con-trariorum.112.b.
Virtutem vnã ãlijs imperare quid ſit.207.b.
Virtutes Cardinales dupliciter accipiun-tur.211.b.
Virtutis diuiſio & ſubdiuiſio.214.a.&.215.a.
Virtutes intellectuales digniores ſunt mora libus.215.a.
Virtutes morales plus habent de ratione vir tutis quàm intellectuales : & ideò faciunt habentem ſimpliciter bonum.216.
Virtutum collatio inter ſe fieri debet inter genus & genus,aut inter ſupremum actũ vnius & ſupremum alterius.216.b.&.218.b
Virtus eſt id cui propriè honor debet.274.a
¶ Viſitationis ſtipendia quo Epiſcopis lice-at recipere.831.
Viſitationes non poſſunt caſtrèm fieri per alium quam epiſcopum.893.
Viſitandi greges nonper alios quàm per epi copos.893.a.
¶ Vita omnium bonorum fundamentum. 393.b.&.394.a.
Vitam corporalem pro quibus liceat pone-re.396.b.
Vitam temporalẽ an liceat pro amico pone re.397.b.&.398.a.
Vitam ſpiritualem amittere non licet pro ſa lute ſpirituali totius mundi.397.a.
Vitam ſpiritualem licèt aliquando expone-re periculo ibidem.
¶ Vitium rei venditæ qualiter venditionem illicitam reddat.554.b.
Vitia aliqua peculiariter dicuntur cõtra na-turam.34.a.
Vita bona ſine oratione exiſtere nõ poteſt. 933.a.
¶ Vlyſsis Socij qualiter intelligãtur comeſſi à Circe ex Auguſtino.765.b.
¶ Voluntas promittendi aut iurandi abſq; propoſito ad implendi,obligationem pa-rit.617.b.
Voluntas non eſt regina,ſed ancilla intelle-ctus.8.b.&.10.a.
¶ Voluntarium duplex.407.a.
Voluntarium niſi ad ſit ,peccatum eſſe ne-qui.406.b.
Voluntarium de per accidens quid requirat 407.a.
¶ Votum eſt actus religionis elicitus.641.b.
Votum rectè fieri de operibus non debitis ex ſacris vtriuſq; paginæ teſtimonijs cõm probatur.612.b.
Voti nomen dupliciter vſurpatur.614.b.
Votũ definitur promiſsio deliberatæ volũ-tatis Deo,de his quæ Dei ſunt facta.627.b
Votũ requirit tria:ſcilicet rationis deliberatio nẽ,propoſitũ volũtatis,& promiſsionẽ.614.b
Voti ſubſtãtia in rationis actu, nimirum in promiſsione,conſiſtit.616.a.
Votum exteriora ſigna per accidens requi-rit

rit.ibidem.
Votũ quibus de rebus ſuſcipi debeat, & de quibus non debeat.619.a.b.
Voti materia poſſunt eſſe precepta.622.b.
Votũ nõ eſt de re proſus indifferenti.621.a.
Votum de obiectio aliàs bono, in malum finem relato non obligat.624.a.
Votum ad quod ſuſcipiendum mouetur homo malo fine,ſi tamen obiectum bonum eſt obligat ibidem.
Votum nõ peccandi venialiter ſtultum eſt: neq; obligat.623.b.
Votum contra opus conſilij peccatum eſt: neq; obligat.625.b.
Votum ineundi coniugiũ nullatenus ligat ſed ſemper eſt illiciũ contra Cai.626.a.b.
Votum virginitatis dupliciter fieri põt.637.a
Votum non nubendi non obligat ab caſtitatem.ibidem.b.
Votum quatenus attinet ad tempus implẽdi,tripliciter fieri poteſt.638.b.
Votum ſimplex & ſolenne differunt.647.a &.650.b.
Voti ſolennis ſubſtantia conſiſtit in hoc q̃ ſit traditio,ſtando in opinione.S.Thom. de indiſpenſabilitate voti.648.b.
Votum ſolenne iure diuino dirimit matrimonium,eò q̃ eſt traditio.649.b.
Voti ſolennis tranſgreſio grauior eſt quam ſimplicis.ibid.a.
Votum iuramento firmatum an in vniuerſum obliget ſub reatu mortali.725.b
Voti ſolennis & ſimplicis diſtinctio eſt ſpecifica.650.b.
Voto caſtitatis poteſt quiſq; innodari,ante legitimum rationis vſum.651.a.
Votum nullum ſuſcipere poteſt qui ſub alterius eſt poteſtate de his rebus in quibus ſubiicitur,quòd citra eius aſſenſionem ſolidum ſit ac firmum.652.a.
Vouẽdi facultas interdicta eſt monachis de iure diuino & naturali.652.b.
In voto ſuorum ſubditorũ poteſt epiſcopus diſpenſare:non autem poteſt illorum vota irritare.imo vero neq; Pontifex maxi. poteſt ſecularium vota irtitare, ſecus religioſorum.ibidem.
Voti diſpenſatio iure naturæ pertinet ad parentes reſpectu filiorum,& ad tutores reſpectu illorum quorum cura illis cõmiſſa eſt,& ad dominos reſpectu ſeruorũ.653.a.
Voti religioſorum irratio, & diſpenſatio,in quibus caſibus fieri poſsit à p.elato.653.a. &.654.a.b.
Votũ à religioſis emiſſum, quo prelati obedientia impeditur,nõ tenẽtur implere dũ per prẽlatum irritum uon habetur.654.a
Votum quod religioſus emiſit de materia libera:poteſt ipſe prẽlato detegere,& ſi grue ſit poteſt moleſtiam ſuam & grauamẽ ei aperire vt irritet.655.a.
Votum cũ quod religioſus emiſit de re prohibita,tenet patefacere prælato ante quã ſit in mora.ibid.b.
Votũ emiſſum à religioſo cũ facultate prælati poteſt nihilominus ab ipſo prælato irritari.ibidem.
Vota vxoris vniuerſa põt vir irritare.656.b.
Votum emiſſum à viro de non petendo debitũ,an teneat ſine conſenſu vxoris.ibid.
Votum caſtitatis emiſſum ab vtroq; coniuge communi conſenſu,non poteſt rurſus per ipſos irritari,ſed vtriuſq; votum cenſetur abſolutum caſtitatis.657.b.
Votũ quodcũq; ſiue vxoris ſiue filij ſiue religioſi ſemel irritatũ nullam deinde virtutẽ retinet,qua vllo tempore obligare poſsit, niſi iteratò fiat.ibidem.
Votum emiſſum ab vxore exequutioni tũc mandandum ſi maritum vita ſuperauerit,& idem de filio ſi dum ſub cura parentis egerit votum emitteret poſt ſuam emãcipationem explendum,& pariter ſeruus ſub conditione ſi fuerit libertate donatus an eiuſmodi vota poſsint ſuperiores irrita.e.658.a.
Votum continentiæ tria cõſideranda requirit.665.b.
Vota diſpenſandi& cõmutandi cauſæ.673.a
Nullo voto ſe poteſt conſtringere puer, aut puella ante pubertatis annos, ſi nõ ea vtãtur rationis lucevt deliberare queãt.659.b
Votum ſolenne nemo quantuncũq; ſit doli capax ante pubertatis annos poteſt ſuſcipere.660.a.
Voto religionis ſolenni & ſimplici quiſq; ſe poteſt firmiſsimè obligare poſt annos pubertatis,quantumuis parentibus reclinantibus.ibidem.
Inter votum perſonale & reale diſcrimen & conuenientia.661.a.
Voto ſe præpedire quominùs quis accipiat epiſcopatum,nihil per ſe loquendo implicat iniquitatis.817.b.
Votũ emiſſum à filio dũ erat ſub poteſtate patris neq; tũc à patre irritatũ poſtquàm emãcipatus eſt, non poteſt ab ipſo patre irritari.662.a.

Votum quodcũq; ſimplex poteſtati ſubeſt eccleſiæ,tam vt ſuper eo diſpenſet, quã vt ipſum in rem aliam commutet.663.a.
Voti diſpenſatio non tollit diuinam legem ſed tollit obligationem, quæ ex mera voluntate vouentis ortum duxit.665.a.
Votum quod fit in ſuſceptione ordinis ſacri diſpenſari poteſt per ſummum põtificem anteq̃ fiat,nempe abrogando nũc legem poſitam:& poſtquam factum eſt cum illis qui iam votum ſolenne fecerunt.667.a
Super votum ſolenne religionis nulla cadit diſpenſatio.667.&.668.
Ad votum diſpenſandum neceſſaria eſt ſuperioris authoritas.670.b.
Ad voti diſpenſationem ac perinde ad commutationem quæ in minus fit bonum,requiritur cauſa.671.a.
Ad voti commutationem in melius nõ exigitur ſuperioris authoritas:quando manifeſtum eſt id in quo mutatur eſſe meliùs. ibidem.Imò fortè neque ad mutationem in rem æqualem.675.a.
Vota in ſeculo facta extingui cenſentur per ſolenne religionis:ob id quod omnia mutantur in meliùs.671.b.& 675.a.
Votum ſolenne religionis in altiorem aliam ac perinde altiorem commutari poteſt p̃ pria authoritate,nontamen in aliud votorum genus.ibidem.
Super omni voto ſimplici ſuorum parœciorum vnuſquiſq; epiſcopus diſpenſare poteſt. Hęc autem in Archiepiſcopo facultas ad diœceſes ſibi ſuffraganeas non extẽditur.Eademque eſt in Abbatibus & religionũ quibuſcũq; prę fectis authoritas diſpẽſandi in votis ſuorum ſubditorũ.672.a.
Votum ex ratione ſua magis eſt obligatorium,quam iuramentum.739.a.
Votum de re parui momenti obligat tantũ ſub reatu venialis culpæ.726.a.
Votũ diſpenſandi facultas,eadẽ vbiq; eſt ad commutandum.ibid.b.
Vota ſubditorum de tranſeundo ad altiorẽ religionem,diſpenſari poſſunt p̃ ſuos prælatos.ibidem.
Voti pœnalis,religionis, & peregrinationis Iheroſolimitanæ diſpenſatio Põtifici maximo reſeruatur.672.a.
Ad Voti diſpẽſationem neceſſaria eſt cauſa, ſi autem in meliùs fit nulla exigitur prorſus obſtans cauſa.Sed ſatis eſt vt ad finem magis conducat.674.a.
Votum nequit diſpẽſari aut commutari priuilegio cruciatæ bullę,niſi ante eius ſuſceptionem ſit emiſſum.674.b.
In votum ſimplex religionis aut perpetuę caſtitatis diſpẽſare, nullo hactenus cruciatæ diplomate conceſſum eſt.ibidem.
Votum ſacerdotum diſpẽſabile eſt ab eccleſia.704.a.&.691.a.
Votum religionis in paupertate conſiſtit, caſtitate & obedientia.637.b.
Vouendi modus quem ſtatuebat Lutherus. 682.b.
Voti trãſgreſsio ex genere ſuo peccatum eſt mortale ſacrilegium q;.629.a.
Votum religionis ſimplex poſt contractum matrimonium non vltra quicquam obligat.637.a.
Voti penitentia poteſt eſſe peccatũ, et quo modo non eſt peccatum.347.a.
¶Vſucapio quanto tempore fiat.323.a.
¶Vſuræ multiplex acceptio.506.a.& 507.a.
Vſura multis modis cõmittitur.516.b.
Vſura à fœnore differt.506.b.
Vſura idẽ qd' partus& quod morſus.ibid.b
Vſura ſolũmodo in mutationis contractu, atq; in alijs quibus mutui ratio ineſt,locũ habet.507.a.
Vſura eſt pretium vſus mutuatæ rei.507.b.
Vſura non eſt,pretium quod recipitur pro pecunia ad oſtẽtationem vel ornatum locata.507.b.
Vſura interna atq; externa quomodo diſcriminentur.507.b.&.516.a.
Vſura externa, vbicunq; pactum interuenit expreſſum.508.a.
Vſura peccatum mortale eſt, iuſtitiæ cõmutatiuæ cõtrarium.508.a. & oppoſitum eſt manifeſta hæreſis.510.a.
Vſuram non eſſe naturali iure prohibitam, periculoſum eſt aſſerere.508.b.ethoc multis oſtenditur.510.b.&.511 a.quo fit vt ĩ vſura nunquã Deus diſpenſauerit imó neq; factibile eſt.ibidem.
Vſurarium crimen vtriuſq; teſtamenti pagina deteſtatur.509.a.&.510.a.
Vſura certo quodam modo fuit Iudæis permiſſa,non licita:neq; in vſurarium lucrũ dominium vnq̃ illis fuit cõceſſum à Deo 511.a.
Optima explicatio illius loci non fœnerabe ris fratri tuo.512.a.
Vſuræ à lege ciuili permittuntur quemadmodũ meretrices.512.b.& quo pacto permittãtur.513.b.neq; vero ciuile ius vſuras permittendo canonico aduerſatur.514.a.

Vsuræ vsurarum olim summo rigore prohibitæ.513.a. Quicquã ex pacto vel recipere vel expetere vsura est, accipere vero aliquid non cõuentionis nexu sed quod gratuito mutuanti repẽditur nullam impingit vsuræ labem,sicut necq; amicitiam & beneuolentiam ex mutuo conquirere & exigere.515.a.

Vsuram committit qui ratione mutui in pactum deducit vt mutuatarius iustæ liti cedat.516.a.

Vsuræ vitio innodatur q ratione mutui turpes amplexus expoſcit:ſecus vero q amicitiã procurat,vt mulier amore victa turpi rei acquieſcat.ibîdem.

Vsuræ labem incurrit qui mutuatarium cogit,vt vel totum mutuum vel partem in mercibus ſuſcipiat:etiam ſi iuſtum pretiũ merces non excedant. Idq; vſu venire ſolet mercatoribus regi mutuantibus, nõ ſine magna militum iactura ibîdem.

Vsuram committit qui ratione mutui,obligat ad emendum, molendum, laborandũ,etiam iuſto exſoluto vel non exceſſo pretio.517.a.

In mutuo inpactum dꝛcere quod aliàs iuſtè debetur,vſura non eſt.ibidem.b.

An vſura ſit,ratione mutui obligare mutuatariũ ad mutuandum.519.a.

Vſura an committatur vendendo cariùs credito precio.558.b.&.564.a. Vide vendere & venditor.

Vſuram committit qui fructus pignoris nõ computat niſi pignus ſit de feudo,vel pro dote genero vel viduę traditum.519.b.& 520.b.

Vſuram ſapit mutuatariũ obligare ratione mutui ad ducenda m vxorem.521.a.

Vſura ratione lucri ceſſantis.vide lucrum.

Vſuram inuoluit mons pietatis.538.b.

Vſuraria datio an dominium trãsferat,optima diſputatio.526.b.

Vſurarnm dubitationes omnes per eccleſiã definiri non eſt conducens.540.b.

¶Vſuramentis quomodo ab exteriori differat.507.b.&.516.a.

De vſura mentali optima diſputatio.530.a.

Vſura mentalis quomodo à ſimonia mẽtali differat.532.a.

Vſurę mentalis reſtitutio quomodo & quã do neceſſaria.530.a.&.531.a.

¶Vſurarum reſtitutio neceſſariõ facienda etiam nullo petente.510.&.526.a.

Vſurarum reſtitutio ſolùm neceſſaria cum ratione mutui quicquàm recipitur.522.a.

Si per vſuram res que vſu conſumuntur extorqueantur, fœnerator facit ſatis reſtituendo tantùm quantum accepit cũ damnis & lucro:ſi quod alteri ceſſet,fructusve rò qui per eaſdem res ſua induſtria accumulauit,liberi ſunt à reſtitutione.522.a.b. &.528.b.ſecusverò infructibus domus vel prędij per vſuram extorti.ibîdem.

Ad vſurarum reſtitutionem non modo vſurarius ſed iudices cogentes vſuras ſoluere, aduocati conſulentes, miniſtri aliqui.&c. etiam tenẽtur fœneratore non reſtituente.532.b. De hoc vide mutuum, & lucrum ceſſans.

¶Vſurarius non acquirit dominium in ea quæ per vſuras corrafit.527.a. & ſi mutuatarius ſe velle in ipſum dominium transferre aſſeueret, dum tamen ratione mutui det.528.a.

Vſurarius dominus fit poſſeſſionis quã per pecuniam vſurariam emit:quo fit vt ipſas reſtituere non teneatur: manẽt tamen debito obnoxiæ.528.b.

Vſurarij bona quomodo ſint reſtitutioni ſubdita.ibîdem.

Vſurarij bona in triplici ſunt differentia, 529.a.

Vſurarij omnes contractus ſunt validi, iure naturæ,per quos non fit minùs potens ad ſoluendum vſuras.529.b

Ab vſurario pecunam vſurariam vel quidq; aliud recipiens emptionevel alio quocũq; contractu tutus eſt inconſciencia:ſi vſurarius non fiat illa ratione impotens ad ſoluendum.ibîdem,

Vſurarij hęredes ad quid teneantur.ibîdem

Vſurarius multis modis poteſt lucrũ à mutuatario recipere.530.b.

Vſurarius pecuniã à mutuatario vltra ſortẽ recipiens,quocunq; prauo animo.ſi mutuatarius rationi mutui nõ dedit, reſtituere non tenetur,niſi fortè ex conſcientia erronea.531.a.

Vſuratij cooperatores & miniſtri ad quid teneantur.532.a.

Vſurarium non paratum, ad mutuandum ſub vſuris inducere non licèt,à parato verò licet ſub vſuris mutuum recipere .533.b &.534.b.

Vſurarius mutuatarium obligans ratione mutui ad contractum ſocietatis vel aſſecurationis faciendum,vſuram committit 563.a.

Vsurarios ius canonicum tũ multis opprobiriis proscindit tum & pœnis pluribus accumulat. 514. a.
¶ Vsus àdominio rebus vsu consumptibilibus, an distinguatur controuertitur ad longum. 281. b.
Vsus rerum comestibilium & vtensiliũm distinguitur quodã pacto à domisio. 282. b
Vsus rerum duplex est, & iuris & facti. 282. a
Pro vsu vasis aut calicis sacri non licet aliqd recipere, licet ipsum locare & vendere possit ecclesia. 824. a.
Vti quempiam iure suo bifariam contingit. 359. a.


Finis Indicis.

Series Chartarum Operis.

a. a.b.c.d.e.f.g.h.i.k.l.m.n.o.p.q.r.s.t.v.x.y.z. Aa.Bb.Cc.Dd.Ee.Ff.Gg.Hh.Ii. Kk.Ll.Mn.Nn.Oo.Pp.Qq.Rr.Ss.Tt.Vv.Xx.Yy.Zz. Aaa.Bbb.Ccc.Ddd.Eee. Fff.Ggg.Hhh.Iii.Kkk.Lll.Mmm.Nnn.Ooo.Ppp. *. **. ***. ****. Omnes sunt Quaterniones, præter. Ii. qui est duernio.

¶ Errata sic emendato.

Pag. 591. a. l. 7. à fine. De nummorum.
Pag. 709. a. l. 12. cætera. ibid. b. l. 10. a. fine numen.
Pag. 746. a. l. 23. à fine firmatum.
Pag. 755. b. l. 22. a. summo. quinta.



Excudebatur Salmanticæ in Officina Literaria Andreæ à Portonarijs. S. C. M. Typographi, Expensis honestissimi viri Ioannis Morenæ Bibliopolç.


AD
P


89
18
930

D.
Sou

D ...
&
lu...